BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
G
12
NAPOLI

XXXIX. G. 12

Biblio.

[redacted]

M. VALERII
MARTIALIS
EPIGRAMMATVM
LIBRI XV.

CVM VARIORVM DOCTORVM VIRORVM
COMMENTARIIS, NOTIS, OBSERVATIONIBVS,
Emendationibus & Paraphrasibus, vnum in
corpus magno studio coniectis.

CVM INDICE OMNIVM VERBORVM
IOSEPHI LANGII Cæsari-mont. & aliis indicibus locupletissimis.

Cri Moñi S. M.e N.e Montis Gabrielis M.e Gravinę,

Regalis ad usum D. Canonicus Cassinensis

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud MICHAELEM SONNIVM, via Iacobæa,
sub scuto Basiliensi.
M. DC XVII.
EX REGIS PRIVILEGIO.

[redacted]

Digitized by Google

IOSEPHO SCALIGERO
IVL. CAESARIS F.
ISAACVS CASAVBONVS. S. D.

EA est ingenij tui magnitudo, ea nominis fama, summis in Rempub. literariam meritis quæsita, vir illustrissime; vt iam Scaligeri nomen sublimis cuiusdam & numeris omnibus absolutæ eruditionis, non hominis appellatio esse, vulgo putetur: raroq. in eruditorum circulis & fabulis literatis habeatur de studiis sermo, vt non & tui statim occurrat mentio. Sic enim iampridem omnibus bonis & vere doctis est persuasum; salutem, dignitatem, decus, maiestatem denique meliorum literarum, in tua propemodum vnius salute verti: in tua industria & præsidio niti. Ac licet lucubrationum tuarum is fere sit genius, vtique earum in quibus vela pandis, & toto ingenio veheris; vt imperitos ab se abalienent; solos eruditos in familiaritatem admittant: quorum vt quisque plurimarum est literarum, ita plurimum illis delectatur, maximéque illa miratur: omnium tamen, indoctorum pariter & doctorum, qui modo non plane depuduerint, constans & consentiens hæc opinio est: vnum te nostro seculo extitisse, qui omnes literarum partes ingenii beatissima vbertate, non solum sis amplexus, verum etiam mirifice excolueris: vnum, cui tota Musarum sacris operatorum cohors assurgat: cui principes Musici cœtus fasces submittant: quem propter inexhaustam, & tantum non humanum captum superantem, reconditæ doctrinæ copiam orbis terrarum mirabundus suspiciat. Quippe ignorat nemo, paullo saltem qui sit humanior, quam multa, quam præclara ad vtilitatem & gloriam rei literariæ promouendam sint a te profecta: quæ propterea a nemine alio sperari poterant, quia nemini ante te de iis vlla suspicio erat oborta: quum ea primus præstiteris, *Auia Pieridum peragrans loca, nullius ante Trita solo*, quæ præstari posse in literis, nemini hactenus in mentem venerat, & fortasse absque te foret, nemini mortalium erat venturum. Vt mirum non sit, tuorum præstantissimorum scriptorum ea cunctos bonarum artium amatores admiratione teneri, eo desiderio flagrare, vt neque legendo quæ sunt edita, expleri mentem queant: neque eorum quæ affecta multa habes penes te, & publico debes, exspectationem sine impatientia sufferre valeant. Quemadmodum enim singuli solent quibus ad tuam amicitiam patet aditus, quoties dubitatio molesta incidit, vel dignus heroe vindice nodus apud scriptorem aliquem Latinum, Græcum, Hebræum, Syrum, Chaldæum, Arabem, aut alius linguæ ex iis tam multis, quarum notitiam, intelligentiam atque vsum Dei Opt. Max. benignitas tibi largita est; hæsitationes suas ad te referre, & τὸν ἀτρεκέστατον μάντιν, Tripodem tuum consulere: sic quoties inter studiosos & humanitate præditos de arduo aliquo in literis incepto existere sermo cepit: omnes tuam industriam respiciunt, tuam opem implorant, & omnibus votis te certissimum Μουσηγέτην, auxilium poscunt. neque vlla tam perplexa, tam difficilis, aut intractabilis prouincia Reip. literariæ; quam tibi, δεύτερον, vltro communis vox non decernat, & extra sortem despondeat. Nam vt propter ætatem in qua nunc es, cessatio & quies à prioribus laboribus tibi concedatur: id vero, ne te quidem postulare persuasum cuncti habent: qui diuinitus contigisse tibi norunt senectutem prorsus τῶν προβεβιωμένων ἀξίαν, & ei temperantiæ congruentem, atq. à voluptatibus etiam licitis rigidæ abstinentiæ, quam tui æquales in te quondam adolescente, mox viro, cum immortali tua laude, vno semper ore deprædicarunt. qua ex re illud consecutus es, vt nunc senex senectutis incommoda, vulgo aliis Ætna grauiora, vix ac ne vix quidem sentias. Equidem non sine stupore magno nuper narrantem audire memini virum nobilissimum & amplissimum, Paulum Choartum Buzanualium, Regis Christianissimi Legatum, quæ tua esset hodieque in studiis contentio, quæ diurni laboris & nocturnarum vigiliarum patientia; quas perferres ærumnas tot codicibus auctorum nondum editorum Græcis, Hebraicis, Arabicis, maxime autem Syriacis describendis, quibus tuam bibliothecam iam instructissimam, facis in dies auctiorem. easdem enim te, etiam in hac ætate mala, corporis vires retinere, quibus in florentissima pollebas. De acerrimi vero ingenij vigore igneo, de subtilitate mentis, de memoria pariter nunc atque olim fideli, & ad omnia respondente, ne aliorum fide standum nobis esset, abunde cauisti, edito nuper EVSEBIO & EVSEBIANIS tuis: opere, Deum immortalem! quam vario, quantæ, quam profundæ & vni tibi notæ eruditionis pleno, atque vt paucis absoluam, quam te digno: hoc est, eo viro, cui an vllum prius seculum parem aliquando viderit, linguarum, antiquitatis & scientiarum notitia, haud promptum dicere. Sed de Herculeo hoc labore tuo ita sapientes iudicant: quum sint omnia in eo admiratione dignissima: acumen inuentionum, lectio infinita, tot supputationum labor improbus, stili splendor ac γλαφυρότης incredibilis, & illa naturalis orationis tuæ grauitas: nihil tamen magis esse stupendum, quam quod senex illa scripseris, in quibus præter iudicij maturitatem, nullum prorsus ætatis senilis vestigium queat deprehẽdi. Mirati eramus paullo ante, & meritissime quidẽ, viri præstãtissimi, longeq; doctissimi Arnaldi Põtaci Episcopi Vasatensis fidem, industriã, & in affecta pariter ætate diligentiã prope sine exẽplo, in tot cõferendis antiquis mẽbranis, ex quibus pulcherrimã illã suã eiusdẽ Eusebij editionẽ concinnauit: quæ prius ab ipso suscepta, quã de tuo cõsilio quicquã rescisset, (vt sæpius ipsũ mihi literis significasse teneo:) eodẽ fere tẽpore edi cepta est, cũ tua. Sed Præsulis amplissimi immaturus obitus, & tibi fructũ vel iucũdissimum amicitiæ qua eratis inuicem iũcti; & ipsi gaudium ademit, quo nunc fungeretur inæstimabili, cum videret opus à se feliciter inchoatum, felicissime à te esse consummatum. Constat mihi, ipsum, si iam viueret, qua eruditione fuit, quo erga te affectu, & candore in æstimandis tuis virtutibus, non minus acrem operis tui aduersus inuidos & obtrectatores vindicem futurum: quam assiduum tuarum

laudum apud bonos præconem. Nunc igitur, Nobilissime Scaliger, postquam, Dei virtute, prouincia tam dura & ardua es defunctus: quid iam pares, quid moliaris, quæ te curæ exerceant, non ego cupidius scire aueo, quam omnes faciunt viri graues & sapientes, qui in hac ciuitate, bonarum artium & disciplinarum matre, istius vitæ amara studijs literarum solent καθηδύνειν, & vt veteris poëtæ vocem vsurpem, edulcare. Ac quoniam satis ostendisti multis indicijs, quam tibi acceptus charusque sit cognominis tibi scriptor Iosephus; ne dubitant quidem plerique iam, quin eximij auctoris, quem fœdissimis ante mille ducentos annos mendis esse deformatum, neque Rufino veteri interpreti, neque vlli recentiorum suboluit, tu sæpe demonstrasti; emendationem atque illustrationem, & tu debeas suscipere, & nos exigere à te possimus. Sunt alij viri optimi, & cognoscendarum antiquitatum Ecclesiæ veteris, cupiditate accensi, qui ad Epiphanium te potius vocent: cuius maximi & doctissimi Patris scripta verissimo elogio à te ornata meminerunt; cum πάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας ταμεῖον illa dixisti. Porro quam familiarem illum Patrem habeas, quam multa in eo desperantia vlcera sanaueris, quam modico labore nitori suo pristino eum queas restituere; etiamsi aliunde nesciremus, neque à multis tuorum studiorum conscijs accepissemus, Elenchus & Eusebiana tua argumento esse poterant. Animaduersiones tuas in Septuaginta Interpretes, quarum in Eusebianis facis mentionem, & in alias librorum διαφόρων versiones, præsertim recentes, incredibilem in modum videre gestiunt, quicunque illud serio imbiberunt; cognitionem linguarum, & reliquas artes vniuersas ac scientias illi Reginæ & Dominæ ancillari, quæ vere est apex & θριγκὸς disciplinarum. Age igitur, vir summe, capesse hanc prouinciam, vere tuam: cuius enim potius? quum certissimum sit, à magno Hieronymo, incomparabili, vt recte tu quoque iudicas, viro, neminem vnum ad id negotium se accinxisse, ijs præsidijs, quibus ipse abundas, æque instructum. Noli ergo, obsecro te, venerande senex, adeo bonam occasionem prætermittere, de studiosis literarum simul egregie merendi; & æquissimis eorum postulatis satisfaciendi, qui inusitatam hanc eruditionem, non alio fine ab ingeniorum parente in te collatam esse contendunt, nisi vt tuæ industriæ fructus, velut ἀκροθίνιον & θυσίαν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας CHRISTO & S. eius Ecclesiæ, pro ea quæ in te est pietate, animo deuoto conferres. Arabicæ vero linguæ Thesaurum, cui solus dudum incubas, quamdiu studiosis Arabismi inuidebis? Ecquid metuis, ne coitionem aduersus te faciant eius studij candidati, & in tuas fortunas aliquando irrumpant? Decem anni sunt, ex quo supra xxx. millia dictionum Arabicarum ex Paraphrasibus varijs Fœderis vtriusque, Alcorano, Auisena, Geographo, alijs innumeris philosophiæ, medicinæ, mathematum & historiarum scriptoribus, primus Christianorum congessisti, digessisti, exposuisti. *Cur tua tam laxas arca flagellat opes?* aut quo tuus hic labor ὑπερφυής, si eius fructum τοῖς φιλαράβοις eras inuisurus? Scio quid dicas, & qua exceptione meas aliorumque preces soleas summouere: exspectandum nempe esse, donec ex illis locis, vbi cum æterna gloria maximorum Principum literæ Arabicæ excoli sunt ceptæ, aliquid prodeat quo vberiora & vnctiora fieri tua queant. bene sane: sperandum enim est magnam ei studio lucem inde aliquando affulsuram. idque vt quamprimum eueniat, diu est cum vehementissime exopto. sed vt ipse aliorum ἀβλῶ ἄλογον magni facis: ita μεθοδικὴν ἐμπειρίαν tuam quanti par est æstimant, quicunque aliquam in ea lingua operam posuerunt. quo in albo principem apud nos locum obtinet Stephanus Hubertus Aurelianensis, Regis medicus, vir doctissimus, & qui tuas hoc genus vigilias iuxta mecum sitit, quum præsertim Syllogen quandam vocabulorum Arabicorum Latine versorum, & quorundam libellorum interpretationem ijsdem ex locis allatas eximius mathematicus, & linguarum etiam exoticarum apprime peritus, Dauid Riualtius à Florentia nobiscum communicauerit; quas experti sumus esse eiusmodi, vt si tua haberemus facile illis carere possemus. Quod si de publicatione tui Thesauri stat sententia nolle flecti: dares hoc saltem petitionibus nostris, vt qui Caroli Clusij V. C L. gratia tam multa è Geographo Arabe Latina fecisti, nostra quod reliquum est absolueres, & in commune bonum edi patereris totum, qui partem es passus. At tui parentis Commentarios in libros Philosophi *De historia animalium*, quando luce publica donatos videbimus? aut quamdiu operis diuini desiderio sapientiæ studiosis erit languendum? En vnquam ille dies illucescet, qui nos voti huius damnabit? ἴσχε, ἴσχ' ὦ φίλ' ἄλις. Per ego te paterni nominis reuerentiam conuenio, atque obtestor, nobilissime Scaliger, per amorem tuum in literas, per quicquid denique tibi charum est, vt inæstimabilem thesaurum, non librum herois κοσμικὸν, primo quoque die in vulgus edas; & hoc munere optatissimo, quod iam manu Francisci Douzæ nobilissimi adolescentis, descriptum & editioni paratum, te habere scimus, τοὺς ἀπαρχὰς τῆς γνησίας παιδείας ἐραστὰς tibi deuincias. Verumenimuero, quum ea hactenus memorauerim, in quibus serias tuas horas occupari optant, qui de literis optime iudicant: accipe nunc, mi Scaliger, grauem eorundem querimoniam, vt equidem arbitror, iustissimam. Quum enim animus inquies tuus etiam vbi videtur cessare, opere pascatur, & oblectamenta tua sint opera, quid caussæ esse dices, cur παρέργοις tuis quæ plerorumque ἔργοις sunt potiora: frui nobis per te non liceat? Scimus, Atticas leges in vnum corpus animi caussa iam olim esse à te digestas. De re nummaria veterum, diatribam accuratissimam in scrinijs tuis exstare à multis didicimus, qui viderant. Libellum tuum super Plinij loco vbi de papyro tractat, pauci è curiosis heic sunt, qui non legerint, aut non habeant. Dissertationem tuam de Iudæorum decimis & tota illa antiquitate, ipsi dudum nacti sumus, & in cimelijs nostris, vt & alia non pauca, quæ rogatu amicorum scripsisti, seruamus. Prouerbiorum Arabicorum libellum elegantissimum postquam à me accepisses, versionis tuæ & Notarum ἀντίδωρον tertio vel quarto post die remisisti. quorum tamen publicandi potestatem vt mihi concederes, frustra adhuc te rogaui. Carmina vero siue Græca siue Latina, quis vel ex istis μονομαχοῦσι, hoc vnum agentibus, plura te scripsit? aut quis, etiam antiquorum, meliora te vnqnam fecit? Sed nullum tam bonum carmen Camenæ & Apollo semper tuus tibi dictarunt, quod non statim vt natum erat, pater ἄτρυγες & ἀπλύτως exponeres, pro derelicto habendum, & velut è censu rerum tuarum expungendum. Quanta felicitate Græcorum poëtarum monumenta in Latinum vertere soleas, si quando interiungere iuuat; per Aiacem Lorarium tuam è Sophocle expressam, & Lycophroneæ Cassandræ nunquam satis laudatam interpretationem, cuius editionem

non tibi, sed Gulielmo Cantero viro eruditissimo debemus; ne osoribus quidem elegantiarum pariter & nominis tui, licet ignorare. Melius tamen hoc ipsum sciremus, & fructum è tuis vberiorem caperemus, si Æschyli Diras, Orphei Initia, & id genus alia in manus hominum dedisses: propter quæ iam olim Florens Christianus, vir Græcè & Latinè sine controuersia facundissimus, & rectissimi iudicij, publice profiteri non dubitauit, in hoc exercitationis genere ita feliciter te versari, vt tua legentibus illud esset vsurpandum, οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. At Romana quam bene Græce exprimas, vix sciremus, nisi Puteani fratres Claudij τοῦ μακαρίτου filij, morale poëma Dionysij Catonis, & Publij Syri aureas sententias, dudum à te munere acceptas, anno superiore publicassent. Qua editione, vt magna accessio gloriæ tuæ facta non sit, quæ grauiorum lucubrationum vario & multiplici genere fulta, inde spernit crescere, vnde plerique hodie castellanos nescio quos triumphos ducunt: ita profecto cumulus quidam prioribus tuis in Remp. literarum meritis est adiectus. Sic enim omnes harum rerum periti æstimatores sentiunt: duo ea opella simul te præstitisse, ad studiorum profectum longe vtilissima. Nam & quam arduum paucorumque hominum esset Græce loqui castigate, καὶ τὸ γνησίως ἑλληνίζειν, præclare omnes admonuisti, cum Planudem & Gazam Græcos homines, neotericorum, de quo dubitat nemo, doctissimos, tam multa contra Hellenismi leges peccare ostendisti: & rectæ interpretationis absolutissimum exemplar dedisti; futurum posthac omnibus cordatis, qui hoc pulcherrimo atque vtilissimo exercitationis genere vti volent, quod Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat fuisse. Nolo apud te dicere quo fauore, quibus εὐφημίαις tuus ille libellus heic fuerit exceptus, ab ijs maxime qui in orchestra sedent. à cuius lectione vbi me primum vidit Fronto Ducæus theologus, doctrina & candore morum vir insignis, non abstinuit, quin eleganter simul & vere exclamaret: Οὐκ ἔστιν ὁ τρόπος Αἰγιναῖος, ἀλλ' αὐτόχρημα Ἀθηναῖος. Federicus vero Morellus, qui Græcarum literarum professione Regia tot iam annos hanc Academiam ornat; alijque item multi, summa & ipsi eruditione viri, Græca tua quantopere admirentur, & verbis sæpe, & re etiam probarunt: cum Florilegium hoc tuum è Martiali, forte apud me visum, vt eliminarem, quotidianis prope conuitijs me perpulerunt. Quartus enim iam annus, vt scis, agitur, postquam munere hoc pulcherrimo, & quo ne Athenæ quidem ipsæ magis Atticæ, à te, Scaliger illustrissime, sum donatus: cuius publicandi prouinciam, nisi iam tum eruditissimus Scriuerius suscepisset, non diem, non horam prius quiessem, quam rem confectam dedissem. neque vero vt id negotium curarem aliorum hortatu mihi opus fuisset. Audiat namque inuidia licet; dicam libere quod iudico, imo quod iudicare omnes bonos doctosque compertum habeo. Vt grauioribus literis melius consuli non potest, quam si earum studiosi omnibus illis fruantur, quæ vel tu, vel tuus parens in eo genere multifariam commentati estis: sic linguarum & politioris literaturæ studia nullum incrementum capere queant maius, quam si illis deditos nihil eorum fugerit, quæ vterique vestrum, non serijs dierum partibus, sed inter remissiones exciderunt. Plane quod de Catone olim dictum, versatile ingenium sic illi pariter ad omnia fuisse; vt natum ad id vnum diceres, quodcunque ageret: id verissimum in te reperiri, nō seria magis tua quam lusus euincunt. Vel hic Martialis tuus, quam admirabilem ingenij tui felicitatem ostendit? Nam quum difficile semper sit, quæ in aliqua lingua venuste dicuntur, pari venustate in aliam vertere: tum in argutissimo hoc poëta longe difficillimum. Tu tamen lectissimis verbis, & dictione purissima, absque vllo penitus sententiæ damno id assecutus es, vt ipsum quem sequeris auctorem erudita quadam elegantia antecedere videaris. nihil in tua versione coacti, nihil quod ex alio versum putes. nihil in quo vernaculus ille sapor Græcæ poëseos, non statim peritis deprehendatur. adeo emicat vbique incorrupta quædam Græci sermonis integritas. Quid dicam de perspicuitate orationis? quæ quidem tanta est, vt multis in locis, de quibus inter se critici digladiantur, pro commentario tua versio & mediocriter eruditis sit futura. Huiusmodi sunt tui lusus, præstantissime Scaliger; quos postquam aliud agens effudisti, vt pro tuis agnoscas, aut velis ipse publicare, nullis amicorum precibus adduci potes. Sed nihil agis. Vt vinum generosum etiam nulla appensa hedera facile emptorem inuenit; & bona forma neque commēdatitijs, neque conciliatore opus habet: ita, quicquid erit ab ingenio tuo profectum, licet à te exponatur, inueniet tamen à quo tollatur. Equidem quoties fere ad Danielem Heynsium, admirandæ doctrinæ & ingenij maximi virum scribo, monere, orareque non prætermitto, vt pro summa illa gratia qua apud te valet, omnibus πειθοῦς artibus te aggrediatur: duritiem tuam in proprios fœtus molliat: efficiat demum, ἢ δόλῳ, ἠὲ βίηφι, quo descripta ex autographis tuis hoc genus opuscula, vel vt ipse mauis, ludicra tua, foras emittantur. Etsi enim non metuo vt tuis desit vindex, qui liberali caussa ea asserat: non tamen deest, quod illis & ab amicis, & ab inimicis tuis metuam; illis, ne, sicut toties iam accidit, parum emendate ipsa edant: his, ne si quid tuorum ἀνεκδότων nacti fuerint, vel alienas culpas crimina tua faciant: vel turpi plagio pro suis tua ostentent. Viden' quam multi quotidie illiberalis ingenij homines, subtilissima tua inuenta certatim sibi vindicant: & ijs quæ non capiunt, tanquam domi natis vtuntur pro suis, etiam cum aduersus te scribunt? Scias eandem manere fortunam etiam illa scripta quæ ipse pro nihilo ducis. Illi ipsi Aristarchi, qui nuper, vt audio, sedere iudices de tua Latinitate sunt ausi, & tanquā emota mente critici, vt quidque exierat exquisitius, ὀβελίζειν: si vel epistolam aliquam è tuis, vel elegiam, vel aliud carmen sublegere potuerint, quod pro suo venditent, quam superbe, quam impotenter, vt est miserorum ambitio, se iactabunt? Nam quod tibi obtrectant, tibi inclementer dicunt, tibi probra ingerunt, quibus sunt ipsi dignissimi: non est is contemptus, à quo insignis virtus semper est tuta: sed liuor, & alienorum processuum auersatio, ex suorum desperatione nata. Vt Sol vi eadem alia indurat, alia liquefacit: & vnde salutem boni petunt, mali perniciem sibi accersunt: sic præstans virtus, velut ex alto inter mortales refulgens, in aliorum animis admirationem & amorem incredibilem, vt aiebat Plato, solet excitare: alios odio honesti inflammatos, in furorem agit. & quum oculos deflectere à laudatissimis quibusque viris non queant; miseri pœnæ incubant suæ dum tædet sui pigetque. Verissime enim Satiricus philosophus dicebat, nullum esse dirius tormentum, quam si qui *Virtutem videant, intabescantque relicta.* Vis scire, quam te non contemnant, qui maxime videri volunt facere? Postquam infra Vatinium te deiecerunt: è vestigio id à te exigunt, quod vnius Dei est præstare, vt nihil pecces. & quum maximi qui-

que tuarum lucubrationum admiratores nihil amplius tibi tribuat, quam quod ingeniosissimo quidem, sed tamen homini conueniat; isti adeo magnifice de te sentiunt, vt sicut Alexander Seuerus optimus Imperator gloriabatur imperium suum fuisse ἀναίμακτον: ita ingenium tuum postulent esse ἀναμάρτητον. tanta illius admiratio eos incessit. Est superis gratia, quod non id tibi ingenium dederunt, vt Plinij Secundi vox de quodam suo amico, in te locum habeat: *eo peccare ipsum quia nihil peccaret*. communis & pene plebeiæ indolis est τὸ ἀδιάπτωτον quod de Apollonio Rhodio critici pronuntiarunt: quum denotare vellent plus studij & curæ in eo fuisse quam ingenij: igitur, magis vitijs carere, quam vt aliquam magnam laudem esset adeptus, tenue sane præmium assiduarum vigiliarum: sed quod si assequantur modici ingenij homines, bene secum actum putent. Mentis altæ, & naturæ inusitatæ, cuiusmodi nascūtur paucissimæ, alia ratio est. Sublimia quippe ingenia dum priorum inuentis multa superstruunt, multa subinde noua, prius inaudita, eaque longe præstantissima in medium proferunt, humanitus interdum & falluntur. quid mirum? aut quis ita væcors, vt ignoret, Dei vnius esse in nullo errare? μόνος γὰρ κατὰ Σιμωνίδην, ὁ ΘΕΟΣ ἔχει τὸ γέρας, τὸ τῆς ἀναμαρτησίας. Quis facundior vnquam fuit illo viro diuino, cui aureum eloquentiæ flumen nomen dedit? quis eo vehementior aut sublimior & magnificentior fuit orator? Et tamen fuere tam fatui, quibus Chrysostomus propter nescio quę leuia parum dicendi peritus videretur: & τὸ ἀδιάπτωτον ... σῶμα, τὸ εὐδιάπτωτον κατὰ ..., homilia integra reprehensoribus respondere fuit coactum. nesciebant enim obtrectatores tanti viri, naturæ legem esse, vt maxima quæque ingenia venia interdum opus habeant, propter illa, quæ dubitant sapientissimi criticorū, vtrum ἁμαρτήματα ἐκείνα appellent, an παροράματα δι᾽ ἀμέλειαν, εἰκῆ που καὶ ὡς ἔτυχεν ὑπὸ μεγαλοφυΐας ἀνεπιστάτως παρενεχθέντα. Quid? quod etiam in me stomachum erumpunt qui tibi sunt irati? Nempe inde est, quod non temere ex istorū officina liber vllus ab aliquot iam annis prodire solet, vbi postquam aduersus genus & nomen illustre Scaligerorum canina loquentia declamatum est, totum quod superest virus, in me postremo non effundatur. Quæreres ab ijs, quid Casaubonus commeruit, cur eum ne mediocritas quidem ingenij sui ab inuidia præstare queat immunem? non aliud responderent, si modo semel in vita verum dicere vellent, præter hoc vnum: quod Scaligeros colo: eorum stupendam doctrinam suspicio: vestigia, longo quidem interuallo & reptabundus, sed tamen sequor. Ita, quum sit crimen tuum ac tui parentis, virtutis possessio, & literarum scientia: meum erit, virtutis veneratio, & literarum amor. Adeo verum est, quod nobilissimus Annalium conditor Polybius præclare disputat: ita natura comparatum esse, vt non solum corpora hominum aliquando efferentur, & omnem humanæ speciei similitudinem amittant: sed multo magis hoc ipsum animis interdum vsuueniat. τῆς γὰρ ψυχῆς, inquit, τοιαύτας πολλάκις ἐκφύονται μελανίας καὶ σηπεδόνας, ὥστε μηδὲν ἀσεβέστερον ἀνθρώπου, μηδὲ ὠμότερον ἀποτελεῖσθαι τῶν ζώων. Omnino μελανίας huius & efferati animi certissimum argumentum præbent, qui nulla re vnquam lacessiti, propter animi dotes quas tu obtines, ego in te veneror, aduersus vtrumque nostrum in modum arenariarum ferarum ad vltimam rabiem sæuiunt: qui literas fundamenta virtutum omnium, modestiæ, mansuetudinis & comitatis magistras, inauditi furoris instrumenta faciunt: qui deniq; scelestissimæ immanitati caussam religionem prætexunt: & libidinem maledicēdi, omnia vesaniæ exempla supergressam, zelum Christianæ pietatis, proh scelus! nominare sustinent. Ego vero persuasissimū habeo, istos, si mentis essent suæ, & nisi pœnas Deo immortali, quæ sunt grauissimæ, furore atque amentia penderent, nunquam profecto talia ausuros. At nos, mi Scaliger, horum ægrorum rabiem humaniter feramus: & phreneticorum insaniam, quia videntur nescire quid faciant, veratro curandam, non responso vllo irritandā statuamus. Ego certe maiorem bonorum & totius posteritatis reuerentiam habere me ostendam, quam vt infami id genus scriptione, nomen meum apud præsens aut futurum sæculū velim traducere. Et quum indubitata res sit, publicorū malorum caussas in priuatorum delictis esse inclusas: non committam, vt perditorū colluuiem imitādo, morbum hūc ingeniorum alere exemplo meo videar maluisse; quam vere piorum & εἰρηνοποιῶν acquiescere iudicijs, quos talia monstra cum suis latratibus scimus abominari. Πρὸς ταῦτα καὶ παλαμάσθων, καὶ τεκταινέσθων πᾶν ἐπιχειρούντων isti Cleones, alieni nominis obtrectatores, sui decoctores, mentiantur quæ volent: fingāt epistolas quas pro meis publicent: euomant in me quicquid alicui panduciæ Baucidi, aut rixāti meretriculæ ira vel capturæ cupiditas potest suggerere. Ego animo tranquillissimo istos floccifaciam: & à nebulonum oris impuri contumelijs, non aliter quam generoso contemptu, atq; ea, quam Christus Dominus à suis exigit, animi magnitudine me vindicabo. Denique, non si omnia fecerint assequentur tamen, vt scelestissima sua scripta lectione, nedum responsione digner. Hoc pietas iubet: hoc ego semel κέκρικα. idq; iam nunc apud te, Scaliger illustrissime, subsigno: vt si me aliquando parū mihi constare contigerit, in ius ad hanc epistolā voces, & quiescere iubeas. Vale. Lutetiæ Parisiorū, VIII. Kal. Sextilis, CIↃ. IↃC. VII.

IOSEPHVS SCALIGER IS. CASAVBONIO SVO S.

Μέσφα μοι ἢ μείζονας συνελάμβανεν, ἢ δὲ γῆρας
Ἔρρει ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν χεῦμα, Κασαύβονε·
Οἷς ἔμαθον νέος ὤν, ἢ μνήμων εἰμὶ Λατίνων,
Ἑλλάδος ἐς χάριτας μέτρα μεταφρασάμην.
Καὶ τὰ μὲν ἀχρύσεον ἐπ᾽ ἀλαμπέος, οὐδ᾽ ἀλυχνος,
Νύκτα δι᾽ ὀρφναίην ἔξεπόνησα λέχος·
Τῶν δέ σοι Ἀρκτῴων γαίης ἄπο τῆλε Βαταύων
Κομψὰ μὲν, ἀλλ᾽ ἄθυμον, οἱ ὄμματα σεῖο σε πέμψ.
Φῶς γὰρ ὁρᾶν οὐ τολμᾷ ἀταρβήτοισι προσώποις,
Ὧν μήτηρ ἡ νὺξ, ὁ σκότος ἐστὶ πατήρ.

DVM mihi vel cutis, senio vel somnus abactus
Fessa, Casauboni, lumina nullus habet:
Quæ didici iuuenis, memori quæ mente Latina
Nunc teneo, Graio versa lepore dedi.
Hæc lecto sine luce meo, sine teste lucerna,
Nocte nigra vigili structa fuere mihi.
Quædam horū Arctois procul ad te missa Batauis
Culta quidem veniunt, non tamen orba metu.
Intrepida radios acie nam cernere, quod nox
Se peperit, tenebræ quod genuere, timent.

VITA MARTIALIS IN COMMENTARIOS, QVOS DOMITIVS CALDERINVS EDIDIT.

MARCVS Valerius Martialis in Hispania Bilbilin patriam habet, quod ipse cum alibi, tum eo carmine indicat, *Nec me tacebit Bilbilis.* Est autem oppidum non ignobile in Celtiberia & Strabonis testimonio, & Sertorij pugna, qui illic aduersus Metellum dimicauit, Salone fluuio proximo ex ferri temperatura inclyto. quod ipse non tacuit, *videbis*, inquit, *altã Liciane Bilbilin, equis & armis nobilem*, praeterea, *Quam Salo ferri temperator ambit.* Celtiberum se profitetur. *Vir Celtiberis non tacende gentibus, Nostraque laus Hispaniae.* Parentes Romana appellatione Frontonem, & Flacillam nominat. Obscuros quidem, ac filij tantum testimonio vix cognitos. Literarum causa Romae cùm ageret, ingenium nulli studiorum generi accommodare potuit, quamuis alij ad causas agendas, alij ad carmen heroicum, & iustum põëma hortarentur, praeter quàm epigrammatis scribendis otij & Epicureae sectae, quam veram vitam appellat. Supra Horatium, Catullum, aliosque poëtas studiosus tenui supellectile contentus, suos hortos in Ianiculo admiratur, quamuis tenues, ac Nomentanum iactat, in praedij donati ab amico exiguitatem festiuo carmine iocatur. Cùm iam aetate ad senectutem ingrauescente rerum vrbanarum taedio affectus esset, rediit in Hispaniam peragrata prius Gallia Cisalpina: Vnde quartum librum emisit: ita 11. epigrammaton editis triennio tacuit. Demum hortante Prisco amico, qui & ipse in patriam ab vrbe redierat 12. addidit, in quo Neruae & Traiano assentatur clam damnatis Domitiani temporibus, quibus seruili fermè adulatione blanditus fuerat, non suo magis ingenio, quàm imperatoris arrogantia: qui diuinam adorationem à suis exegit. Amicos coluit poeta. Stellam in primis & Silium Italicum. nec publicis caruit honoribus, equestri donatus dignitate, praetura, & iure trium liberorum. in Hispania obiit non sine Plinij etiam moerore, qui Epistola quadam sua cum poëta familiaritatem testatus, eum & deflet, & laudat summopere. Acri ingenio epigramma composuit, cuius lex est, vt iocandi, cauillandi, deridendi licentia lasciuiat, nudis verbis propè Satyricum, vrbanitate ciuili. Denique nihil sit, quod aut felle non aspergat, aut risu non condiat. Assurgit nonnunquam in magnitudinem heroïcam, sed perraro, vt illud, *Tanta tibi est recti reuerentia Caesar, & aequi.* Heroicis tamen numeris abstinet, quamuis id & solere & posse fieri contendat. Inseruntur verba graeca imitatione Pytholeonis Rhodij, qui primus ita scripsit epigramma. Lucilius reprehenditur, quòd in Satyra idem fecerit. Verba sunt, nec figuris poëticis sublimia, nec humanitate quotidiana depressa, ita mediam quandam elocutionem seruantia, vt proprium retineant locum. Corpus epigrammatis sua constat dimensione: quam si versuum numero praetergrediaris, optatum amittas leporem. Affectus saepe tentat, quos omnes vltima effundit periodo. Haec ita à Martiale seruata sunt, vt & Graecos superauit, quamuis apud illos vix singulis epigrammatis claruerint pauci, & solus in hoc scribendi genere apud Latinos elaborasse, ac profecisse videatur. In lasciuioribus habet authores Augustum Caesarem, qui libello epigrammaton magna licentia lusit, & Lucanum, quem Pharsalia sua intermissa in eo lasciuisse ostendit: Marsum praeterea Pedonem, Gaetulicum, & Catullum. Ipse opus suum in hunc ordinem redegit, quo legitur, praeter primum librum, qui totus in spectaculis laudandis versatur. Nam nec in antiquis codicibus prima fronte ponitur, nec absurdum iudicari debet diuersis locis & temporibus edita singulis spectaculis epigrammata in vnum tandem librum redacta fuisse.

EIVSDEM VITA EX PETRO CRINITO.

MARCVS Valerius Martialis genere Hispanus fuit, Bilbili natus haud ignobili oppido Celtiberiae, vt veteres auctores tradunt, & ipse Martialis cùm pluribus locis demonstrat, tum maximè his versibus ad Licianum municipem suum:

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostraq; laus Hispaniae,
Videbis altam Liciane Bilbilin
Equis & armis nobilem.

Sub primam aetatem profectus est ad vrbem Romam, quò facilius in literarum studio versari posset, suúmque ingenium erudire. Sed cùm agendis caussis minimè se idoneum videret, omnem operam atque diligentiam retulit ad scribenda epigrammata, in quibus magnopere excelluit iuditio veterum. Maximè autem valuit in promerendis sibi atque conciliandis hominum studiis, adeò vrbanitate & salibus praestitit. Relata sunt à C. Plinio permulta de ingenio & eruditione Val. Martialis, quibus satis colligere possumus quanti fecerit hunc ipsum poëtam, quantúmque illius versibus oblectari consuerit: sic enim scribit. Fuit Martialis ingenio acri, & qui plurimùm in scribendo & salis haberet & fellis, neque candoris minus. Itaque minimè mirari oportet, si Aelius Verus imperator, qui Caesari Adriano gratissimus fuit, solitus est singulari affectu prosequi lepores atque iocos Martialis, suúmque Virgilium vocare. Neque dubium est illum Romae publicis honoribus ornatum, atque honestatum fuisse: nam equestri dignitate donatus est, & praetura, & iure trium liberorum, vt ipse de se testatur. Libros duodecim epigrammaton composuit miro ingenio, & singulari vrbanitate, quibus adiecit Xenia & Apophoreta libellis duobus absolutae-

In his secutus est Marsum poëtam, Pedonem atque Gætulicum, quorum exemplo seipsum tuetur, ac lasciuam verborum licentiam excusat. Valerium quoque Catullum & Licinium Caluum plurimi fecit, qui hoc scribendi genere insignes habiti sunt. In duodecimo libro Neruæ atque Traiano imperatori blanditus est, damnatis temporibus Domitiani Cæsaris. Ad eúdem refertur Spectaculorum liber, qui extra ordinem aliorum habetur à nostris grammaticis, vt vetusti codices probant. Inter amicos præcipuè habuit Stellam Patauinum, Decianum, Silium Italicum, Val. Flaccum, Parthenium, aliosq. complures, ad quos sæpenumero scribit. Sterrinius vir clarissimus, quem Martialis mutato nomine Auitum appellat, tantùm concessit ipsius ingenio atque doctrinæ, vt viuenti adhuc illi imaginem more veterum in sua bibliotheca posuerit. Postremo cùm Martialis foret prouectior, tædio rerum vrbanarum affectus in patriam redijt, atque in natali solo paulo pòst interijt, non sine lacrymis ac magno mœrore C. Plinij, vt ingenuè testatus est scripta epistola ad Corn. Priscum. De Gargilio Martiale dicimus suo loco, qui libros composuit de gestis Imperatorum.

PLINIVS IVNIOR CORNELIO PRISCO SALVTEM.

AVDIO Valerium Martialem decessisse, & molestè fero. Erat homo ingeniosus, acutus, & qui plurimum in scribendo & salis haberet, & fellis, nec candoris minus. Prosecutus eram viatico secedentem. Dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis, quos de me composuit. Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes, vel vrbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare. Nostris verò temporibus vt alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exoleuit. Nam postquam desiuimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris qui sint versiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem. Tu si placuerint hi, ceteros in libro requires. Alloquitur Musam: mandat vt domum meam in Esquilijs quærat, adeatque reuerenter.

Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.
Totos dat Tetricæ dies Mineruæ.
Dum centum studet auribus virorum
Hoc, quod sæcula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Dum regnat rosa, dum madent capilli:
Tum me vel rigidi legant Catones.

Meritóne eum, qui hoc de me scripsit, & tunc dimisi amicissimè, & nunc amicissimum defunctum esse doleo? Dedit enim mihi, quantum maximè potuit: daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius quàm gloria, laus, & æternitas? Æterna, quæ scripsit, non erunt fortasse: ille tamen scripsit, tanquam futura. Vale.

COMMENTATORVM ET INTERPRETVM IN M. VALERII MARTIALIS EPIGR. CATALOGVS.

DOMITIVS CALDERINVS.
GEORGIVS MERVLA.
THEODORVS MARCILIVS.
DESIDERIVS HERALDVS.
NICOLAVS RIGALTIVS.
LAVRENTIVS RAMIRES DE PRADO.
CHRISTOPHORVS COLERVS.
IOSEPHVS SCALIGER.
FEDERICVS MORELLVS.
CLAVDIVS MVSAMBERTIVS.
STEPHANVS CLAVERIVS.
HADRIANI IVNII, Et THEODORI PVLMANNI, notæ & variæ lectiones ad oram libri adiectæ.

DOMIT. CALDERINVS

IO. FRANC. LVDOVICI

PRIN. MANTVA. FILIO, SALVTEM.

NON fuissent tot exemplis editi commentarij nostri, quos superiore æstate emiseramus, nisi tu magna ex parte impulisses, qui Martialis ingenium amas, & iocos in sago, ac castris aliquando legere statuisti. Nam cùm Homerus Mantuanus ciuis tuus, quem Græcum Alexander perpetuum comitem habuit, inter tubas tantum canat: Nunc quoniam otium est à bellis illius lectione intermissa huius salibus, quem verus imperator Maronem suum appellabat, animum in æstiuis relaxabis. Hæreditaria enim tibi studia sunt, nec ab his discedere potes, nisi cum maioribus tuis, tum Ludouico patre doctissimo principe te indignum filium fateri velis. Sed cum domesticam laudem, ac nobilitatem facile sustineas, humanitate, prudentia, rei militaris industria, studio quoque literarum, quæ à domo tua omni tempore cultæ, & ornatæ fuerunt: dignum te præstas Gonzaga familia, Franciscoque in primis Cardinali fratre, qui dignitate omnium in se beneuolentia, singulari virtute, quod accepit à familia nominis, vel illustrabit, vel certe integrum propagabit in posteros. Vnum illud abs te magis, atque magis peto: &, si pateris, contendo: vt si fortè in scripta incideris, quibus laborum nostrorum accusatio contineatur: loca, de quibus disputabitur, conferas: nec quod ego dixerim ex calumniatoribus audias potius, quàm ex commentarijs nostris cognoscas. Quosdam enim hæc nostra lucubratio ita offendit, vt de suis rationibus actum putent, nisi calumnijs, iurgijs, contumelijs me de laudis possessione deiecerint, & cum multis, aptissimisque rationibus nostra probari intelligant, ea ab se accepta, & mihi tradita fuisse insigni mendacij vanitate affirmant. Quanti se faciunt Dij boni, quàm & sua amant sine riuali. Remitto illis omnem reprehensionem, modestiæ enim meæ, qua eorum insolentiam iamdiu sustinui, me adhuc non pœnituit, sed eos libero eo metu, & dolore. Ex ijs enim quæ olim iactabant tantum abfuit, vt quicquam probarim, vt ne ea quidem in commentarijs nostris vsquam confutare libuerit, ne in arena (vt in prouerbio est) arietem agere viderer. Quid enim falsum esse demonstrare oportuit: Laureolum apud Martialem mimum esse: syrios tumores, callum seruorum: lacertum saxetanum, id est, inter saxa versantem? Vare paretonias lata voce, pro laria vite: mensis sportita secundis pro scriblita: clemens Heliconis in oras, pro Helicaonis oras: quæ cuperet parcius esse sua, pro quæ cuperet Pactius esse sua. Sed quid ego ista consector, quæ penè infinita sunt: paratus est [ita me Deus amet] ad editionem libellus, quo supra ducenta eorum errata. & ea quidem cum puerilia, tum aperta collegimus, quod altera epistola facturum pollicitus sum, edidissemque, nisi Ioannis Ludouici Thuscani, & Marci Lucij Facini consilio vsus essem, quorum vterque & doctissimus, & mei amantissimus me iniuriæ obliuisci maluit, quàm vlcisci. Id cùm ad optimarum artium scientiam, & humanitatem quam profitemur, pertinere videatur, secutus sum eorum voluntatem ac iudicium: quod etiam ea de causa libenter passus sum, ne Laurentium Medicem meum offenderem, qui pro sua grauitate, sapientia, & calumniatorum leuitatem aspernatus esset, & in me desiderasset facilitatem, ad quam ipse natus est, & institutus. Itaque valebunt isti. Tu quid ad Laurentium nostrum scripserim leges, ac mihi aderis testis earum laudum, quæ in homine eximiæ profectò, ac fermè innumerabiles sunt: cui non solum me non pœnituit has vigilias dicasse, sed meæ erga illum obseruantiæ immortali, & fidei nulla ex parte satisfactum esse arbitror. Laurentij causa suscepti sunt hi commentarij. Laudicati, Laurentij est Domitius. Vale.

DOMITII CALDERINI VERONENSIS Commentarij in M. Valerium Martialem ad clarißimum virum Laurentium Medicen Florentinum Petri Medicis F.

DOMITIVS CALDERINVS VERONENSIS Laurentio Medici Salutem.

IN omni ciuitatis administratione praeclarè actum arbitrari soleo, Laurenti, si quis cum maiorum splendore, & opibus, tum suis laudibus, ita ex omni numero existat, vt ad eum & gratia apud ciues, & apud omnes authoritate publicarum rationum consilia deferantur, quod non modo Plato excellenti doctrina philosophus, & diuino ingenio vir in sua illa Repub. exquisitissima, quam supra mortalium conditionem constituebat, optare visus est: sed omnis antiquitas immortali studio, & industria semper est prosecuta. Nam in Graecorum exercitu, quem Aristoteles ad ciuitatis formam praeclaro Homeri ingenio, & carmine ex omni primum memoria instructum fuisse scrib. nisi primas tribuissent ducibus, vel intestinis seditionibus labefactati, vel diuturna oppugnatione fessi rebus infectis in patriam aliquando reuertissent. Nec ijs in locis, in quibus bene institutae reipubl. vestigia postea apparuisse memoriae proditum est, domestica amplitudo, & hereditarium nomen defuit, quod à cunctis priuata pietate, & publico consensu maxime obseruaretur. Barcinij Carthaginem: Dorij Cretam: Reges Lacedaemonem: Alcmaeonij Athenas, sublatis simultatibus in officio, saepe insigni authoritate continuerunt, atque ea vna re suis profuerunt plurimum, & communem tutati sunt vtilitatem. Id cum maxime optandum sit liberae ciuitati, tum quenquam id dignitatis assequi, & praestare, vt sine imperio, suorum hominum voluntate, & consilio ipse potissimum colatur, diuini cuiusdam animi, & singularis virtutis esse existimo. Nam vt à rege discedamus, quem Plato tanto praestantiorem esse humano genere oportere scribit, quanto diuina natura ipse sit inferior, vt eum optare quidem debeant omnes, sperare possit nemo. Quem tandem populus libertatis tuendae & conseruandae studiosius amplectatur potius, quàm qui accepta à maioribus ornamenta omnia, opes, gratiam, virtutis laudem, ad aequabilem suorum societatem conferat, nihil sibi assumat seorsum, omnia publica causa velit, & cupiat. Hunc quicunque populus nactus fuerit ciuem, eum & perbeate agere contenderim, & perpetua libertate fruiturum facile suspicari licet. Haec tu omnia, Laurenti, adeo cumulatè praestas populo Florentino, vt minus mirandum sit, si publica eius commoda, quorum accessio maxima facta est, intra paucos annos aeterna tranquillitate constituta in dies summa cum laude augentur. Nam cùm tibi summa omnia contigerint, quaecunque vel ab amplissimorum maiorum gloria, vel à fortunae commodis proficisci solent, ea animi facilitate, virtute, sapientia cum tuis viuis, vt non modo pristinam domus tuae dignitatem in te residere patiantur, sed maiorem, & optent & deferant quotidie. Fatentur enim te Cosmi aui tui, cuius nomen immortale nullis vnquam literarum monumentis satis celebrabitur, & Petri patris viri praestantissimi ita haeredem esse, vt cùm optandum esset te alterum imitari, alterum vix sperare auderent: vtriusque ingenium & virtutes clarissimas singulari moderatione susceptas in te vno intueantur. Illud vero admirantur plurimum: quòd cum Cosmi senis grauitatem, & sapientiam sustineas: nil tamen de comitate remiseris. Quae ista aetate iuuenili, qua es, maxime omnibus iucunda esse solet. hinc illud nimirum es consecutus, quod semper habitum est difficillimum, vt ijdem te ament, & colant. In senatu consiliorum authorem saepe retineant. Domi consuetudinem expectant tuam, vbiq; amplectantur, & suis laudibus extollant. Omni vero iniuria in tantis opibus ita abstines, vt aliquando tibi inferri ob id vnum doleas vehementer, quod scilicet vereris ne propulsando offendas. Omne enim studium, cogitationem, animũ ad beneficentiam contulisti tuorum primum ciuium, quod officij ratio postulat, tum externorum omnium. Omniq; orbis emporio homines habes non magis, qui tua gerant negotia, quae maxima & honestissima sunt, quàm qui multos officijs & liberalitate tibi deuinciant, ita quos nũquam vidisti homines, & principes, ex tota Europa, & magna Asiae parte tibi se debere profitentur. Nemo vnquam de te, aut tuis bene meritis pauciora accepit, quàm volebat, multi plura tua munificentia, quàm sperabant. Moderationem vero animi illud maxime declarat, quod cum ciuium eximia in te beneuolentia & studio amplissimo loco sis: ita te intra tuum ordinem, & dignitatis conditionem contines, vt cum nihil tibi arroges, rejcias in alios quam plurima. Quibus moribus non modo patriae charus, & iucundus semper fuisti ciuis, sed vel nostri, vel externi principes, aut tuam ineunt amicitiam, aut certe exoptant. Eos vt omittam singulos, Petrus antistes diui Sisti, quem operibus, & gratia apud Pont. Max. florentissimum esse intelligis, cum superioribus diebus pontificum suffragijs Praesul Florentinus declaratus esset, nullam in eo rem commodiorem duxit, quam quòd pietatis necessitudine, & religione tecum coniunctus esset: cuius viri & principis iudicium maximi faciendum esse non ignoras. Nam quãuis incredibili quodam fauore ingentes diuitias, & honores sit consecutus, quantos & antea paucissimis in eo genere contigisse legimus, & nostra aetate meminimus, nemini tamen eum se praestat. ita omneis bonas artes ad pristinum decus, & gloriam reuocare studet, vt quem nunquam ad eum locum peruenturum cogitauimus: ampliore dignum fateamur, habeamusque gratias fortunae, quòd tantam ingenij, & virtutis laudem nostra memoria in medium & lucem publicã produxerit. Ego quoq; quòd ad me attinet, ita tua omnia admiror, & laudo, vt ea nõ modo sempiterna fore cõfidam, sed si in his augendi locus est, cumulatissima esse cupiã. Ad tuã enim beneuolentiã comparãdã, nec maiorũ imagines, quae nullae sunt, nec diuitias, quarum iamdiu spectator potius fui quàm possessor, affero, sed obseruantiam, fidem, animi volũtatem egregiam, quae tu in his probare soles potissimum, qui in tuorum numerum, & ordinem asciscuntur. Cùm ita affectus essem, audiremque superiori anno Romae ex sermone, qui de te institutus fuerat, inter caeteras laudes tuas, quae maximae, & fermè innumerabiles sunt: ingenij acumen quoddam & extemporalem vrbanitatem laudari summopere, nihil tibi maius, quod quidem efficere valeã, praestari posse arbitratus sum, quã si M. Valerij Mart. epigrammata interpretarer. Qui enim apud nostros, aut vrbanius laudet, aut in eo genere scribat elegantius, est nemo planè: vt pro certo habeã M.

Ciceronem, qui Cordubenses poëtas peregrinum quiddam sonare scribit, aliquid de sententia sua remissurum fuisse, si huius vnum Hispanum aliquando ei legere contigisset: ita enim linguæ vrbanitate eruditus est, vt si illic non est natus, tamen non alibi quàm in vrbe didicisse videatur. Sermo in eo quotidiano vsui propior quàm affectatæ sublimitati. sed dum suas rebus singulis appellationes reddit, & verba fingit noua: nonnunquam & in obscœna incidit sæpissime, ea tamen obiurgatione, vt alienum potius turpitudinis, quàm eius vitæ testimonium accipias. vitia enim tam aperte nominat, quàm impudenter commisit qui reprehenditur. Sales præterea arguti, & qui repente moueant plurimum. In rebus vero vel minimis enarrandis tanta est copia, quantum vix res ipsa capiat, in quo ad ingenij vsque ostentationem versatur. Nusquam obscurior, quàm vbi peculiarem sibi assumit elocutionem. Latent verborum inuolucro plerumq; aculei, quos modo admonet, modo emittit. Ambiguitate in primis suspensum auditorem circumscribit, quem vni intentum parti altera occupat. Denique delectat omnes, alienat neminem: nam eum quoque, qui dicto læditur, risu retinet. Tãta vero in eo est rerum cognitio, quantum in nullo apud nostros esse contenderim: vt diuus quoque Hieronymus librũ hunc in manus aliquando sumpserit. In his explicandis multa vel ex Græcorum, Latinorumque disciplina, vel nulla studij intermissione me animaduertisse affirmauerim, quæ iampridem aut incognita habebantur, aut certe parum recte tradita fuerant, in quo facile redargui patiar ab æquo iudice, qui opus nostrum legens aliter statuerit. Idem efficere studui superiore triennio, quo Romæ publica mercede docui, in Silio, Cicerone, Syluis Papinij, alijsque, quos professi sumus, scriptoribus. Quantum vero in eo sim assecutus, aliorum sit iudicium. Illud certe prædicare non desistam, & constantissime tueri in ijs M. Valerij commentarijs, quos olim tuo nomine suscepi, & nuper dicaui tibi, si minus ingenij, & doctrinæ, laboris certe & industriæ nostræ laudem existere. Quinque habui codices vetustissimos, & eos quidem admodum emendatos, sed quædam occurrebant aliquando adeo vel ambigua, vel remota, vt vna tantum dictio per complures dies sæpe me suspensum habuerit. Postremo non defuit, qui lucubrationem nostram maledictis interpellaret. Quidam enim in meam, de quodam loco, sententiam edita epistola grauissime inuectus est, cui quid responderim in fine huius operis leges. Multa condonaui familiaritati, qua mecum olim coniunctus fuerat: nihil tamen remisi de rationibus nostris, quas omni (vt arbitror) ex parte, vel ipsi, qui reprehenderat probauimus. In toto vero opere eadem leges aliquando repetita nulla quidem obliuione, sed consilio. Nolui enim si quis, quid de vno tantum epigrammate sentirem, fortasse quæreret aliquando: eum alibi scripta desiderare. ita nec te offendent, nec lectorem inconstantem habebunt. Hos igitur commentarios ab homine tibi deditissimo accipies, & cùm per tuas licuerit occupationes, vel solus leges, vel vnà cum viro doctissimo Gentile Vrbinate. Qui cum Martialis argutias epigrammate exprimat: non poterit non ijs delectari, in quibus tam suum agnoscet ingenium, quàm illius admirabitur. Si qua vero aliquando vel eadem, vel his similia in aliquorum manibus esse audies, nihil est cur mireris magnopere. Nam auditores quædam huius generis cũ imprudenti mihi quotidiana surripuerunt consuetudine: tum à docente publica professione exceperunt, quæ aliquando in lucem prolatum iri facile conijcio, vniuersa quidem illa, atque haud scio, an etiam sub alterius nomine. Non enim desunt, qui nostras sibi vigilias, & labores vendicare studeant: sed in illis complura esse non dubito, quæ castigatione indigeant. Sunt enim non tam verbis nostris tradita, quàm alieni studij calore suscepta. Itaque hoc vno exemplo, & perfici debebunt, si inchoata erunt, ac rudia & facile refelli poterunt, si omnino aliena videbuntur. Nam tuo iure ad te pertinẽt omnia, cuius vnius causa hæc à nobis peruestigata, & elaborata fuerunt. Vale.

DOMITII CALDERINI VERONENSIS DEFENSIO, cum recriminatione in calumniatorem commentariorum in Martialem, quos nondum ediderat: Ad Corelium patris amplissimi Cardinalis Neapolitani nepotem.

DOMITIVS CORELIO SALVTEM.

NON potuimus assequi id quod vel tu optabas Coreli, vel quod studijs nostris maxime consentaneum erat, vt Mart. interpretationem sine vlla animorum contentione absolueremus. Nam qui partim nuper cœperat inuidere, partim odio habet iam diu, nullum detrahendi & insectandi finem facit. quod quamdiu intra parietes ab eo actum est apud te, Theodorum Nicolaum præsulem Modrusiensium, viros planè bonos & doctos, æquissimò animo iniuriam tuli, aut certe dissimulaui. Sperabam enim magnopere fore aliquando, vt cùm suæ æstimationis, ac dignitatis rationem haberet, tum veteris obseruantiæ meæ: nam & si fidem in eum, & beneuolentiam, pietatem nunquam ipsi vni, quod videam probare potui: Tamen officio meo plurimum delectabar, cuius fructum vel ex eo capiebam maximum, quod sapientissimorum virorum consilijs, Nicenique in primis voluntati, in cuius eram familia, me satisfacere intelligebam: fuissem profecto illo etiam amisso in eadem instituti ratione, à qua maledictis, iurgijs, iniurijs grauissimis me nunquam depellere potuit, nisi paulo ante epistola quadam agitatum iampridem animum penitus exulcerasset: ita enim me lacessit: ita vocat in ius: ita accusat, vt silentium pro confessione sit futurum, quod sane grauissimum esset in hominem præsertim innocentem, & qui optimam causam habet. Qua in re non magis me offendit, quam cauillatoria quadam versutia, parum quidem illa digna libero homine, sed teste fortasse vel infirmitatis, vel facti iniquissimi: non enim scripsit ad me, non passus est suo nomine epistolam reddi: sed quemdam subornauit, qui ostenderet mentitus se aliunde accepisse. Si iure dissentit, cur apud nos hoc non profitetur ingenue & docet? Si iniuria oppugnat, cur audet scri-

bere? conqueri? vociferari? declamare quotidie? quasi vero nihil ad eum magis pertineat, quàm quòd Mart. profitemur, cùm multa pro hominis instituto & officio proposita sint, in quibus maiore cum laude versari & possit & debeat. Equidem vel seuerissimi censoris reprehensionem non aspernor, modo iusta sit, & pro animi æquitate proficiscatur: huc enim industria, labores, vigiliæ nostræ omnes spectant, vt tuis, aliorumque auribus dignum aliquid afferamus, quod posteris etiam speremus vtile futurum. Id siue maliuolorum obiurgatione, siue mea opera fiat, non laboro vehementer. Satis præstare videbor, si mea causa quæ à multis incognita habentur, & disputata fuerint, & literarum monumentis commendata: quod si nunc aliquid doceret, agerem illi gratias, & nos omnes maxime debere arbitrarer, sed quidquid proponit & iactat nostrum est, nos dictauimus, in nostris est commentarijs, præter contumelias quas ex suo ingenio addidit. Nos illic vtramque sententiam complexi, alteram probauimus. In eo vero mecum præclare agit, quod non modo perpetuo epistolæ argumento, sed singulis ferme syllabis eum animum præ se fert, vt nemo non intelligat cur hæc meditetur, & tanta cura, tantáque sollicitudine corruptis auditoribus scripta nostra perquirat. Vtinam is esset qui esse debeat, nam & ego aliquando hæc cum eo communicassem: & ipse multis in locis melius sentiret. Remitto illi contumelias & maledicta, quibus me intemperanter onerauit: tam autem immerito audio, quàm ille inhoneste iactat. Tribuo hoc personæ quam sustinet, nihil scribam, quod ipsius animum merito offendat, causa tantum posita, veniam ad altercationem, ex qua viri docti aperte dijudicabunt, an ego aliquid inepte meis auditoribus dictauerim, an ipse scriptis nostris admonitus quædam ex Strabone, ex quo fonte sententiam nostram hausimus, inuidiose admodum repetat, & pronunciat. Susceptam autem olim sententiam ex qua deturbari non vult, parum tueatur, singulis epistolæ partibus non respondebo, quod semper existimaui infirmi ingenij & perturbati, omnino alienum à veritatis cognitione. Illud in primis præterire non possum, quamuis in quem scriptum sit, ignoro. Iactat enim se quendam nebulonem nouo actu elusisse, in quo vereor ne ipse accusandus sit. Nam fieri negat, quod cur fieret paulo ante interrogauerat. Eorum enim quæ proponebantur rationem illum docere oportuit. Theophrastus quoque se demonstrasse scribit, cur ita nonnullæ in India arbores nascantur ex militum Alexandri vernis, quod si alter easdem nasci audiuerit, alias item causas allaturum pollicetur. Quod initio me communem amicum appellat, facile patior, modo vterque intelligat, se non esse erga me in officio. Quod gloriabuntur, ego neque hoc iactaui vsquam, neque hominem nominaui. Extant commentarij verborum nostrorum testes sempiterni. De myrina quod refutaui scriptum (libet enim omnem disceptationem ad veritatem conferre) id erat in nonnullis codicibus, qui ab ipsius recognitione defluxerant: qua in re me adeo dissentire plane profiteor, quod vt vel iniquis iudicibus probetur, rationes nostras proponimus, tum refellemus quæ de myrina exponuntur. Epigrammatis initium apud M.V. Martialem, *Campis dives Apollo sic murinis*, ita codices vetustissimi habent, quod aperte fatetur. Quid emendasti igitur inquiet Se myrinis, quod in alijs codicibus mendose scriptum fuerat? Sic murinis iussi scribere, nonne hoc est emendare? si dixi locum hunc apud poëtam inuersum me correxisse, non sum mentitus: quid angitur? quid ingemiscit? vt campis myrinis legere potius quàm murinis? hæc impulerunt poëtam obtestatum esse, Apollinem sentio per numen, quod omnium nobilissimum esset. Quis enim Apollinem rogauerit tortorem, qui in vrbe colebatur omisso palatino? quis Didymeum Ærethebium potius quàm Chryseum, vel Delphicum? Celeberrimum autem Smintheum fuisse Apollinem, & Homeri carmine, & antiquitatis religione, qua multis in locis eo numine colebatur, vel vnus Strabo cuius verba referamus, satis demonstrabit: quo loco multa stomachum facere possent, nisi totum in præsenti quidem causa cum nonnullis eius in me officijs, tum meæ in eum obseruantiæ plane condonassem: nam se multa de Smintheo Apolline addidisse ait, quæ fortasse magna ex parte ignorauerim, cùm tamen ex eodem loco ea accipiat: vnde nos pauca quædam, quæ ad carminis interpretationem satis fore viderentur, auditoribus recitauimus. in vrbe Chrysa est Apollinis Sminthei delubrum, & signum, quod nominis veritatem seruat. Nam mus quidam pedi statuæ subiacet: hanc statuam Scopas primus fecit. historia siue fabula quæ de muribus narratur, huic loco congruit, nam Teucris è Creta profectis, de quibus primo Callimachus Elegiarum poëta tradidit, post multi sunt secuti, datum erat oraculum ibi eos sedem posituros, vbi terrigenæ adorirentur: id circa Amaxicum dicunt contigisse, maximamque agrestium murum multitudinem noctu exortam quidquid ad armorũ & vtensilium vsum inuenisset, corrosisse, Teucros ibi mansisse, atque Idam ab Ida quæ in Creta est appellasse. Heraclitus Ponticus author est mures circa templum abundare, & sacros existimari. Simulachrum vero ita instructum esse, vt murem pedibus premat, & paulo post sed multis in locis Sminthei nomen: Nam iuxta Amaxicum duo loca sunt quæ Sminthea vocantur: præter eum, qui est iuxta templum. Item alia Larissæo agro proxima. In Pariano etiam agro locus est Sminthius appellatus. Item apud Rhodum & Lindum, & alia plurima loca, nunc templum Sminthium vocant. Hæc illa sunt, quæ ipse iactat se addidisse, piget eius verba referre, ne bis eadem repetamus. Non sentis quàm ridiculum sit hominem ex vno Strabonis loco variam recensere historiam, vt vel plura addere videatur, quam nos accipimus, vel inanem quandã eruditionem ostendet. Curio puer meus, quem hoc anno è Gallia duxi, hunc locum totum transcripsisset, si iussissem, sed cùm pauca illa retulissem in commentarios nostros, nolui fabulosam historiam pluribus prosequi. hunc locum scil. ignorabam, quem non modo apud Strabonem legeram, sed hisdem verbis apud Eustathium in primum Iliados, cuius testimonio in commentarijs vsus sum. Hæc iussi abs re ad Titum eius auditorem scribi, vt præceptori ostenderet. Sic enim fore sperabam, vt in opinione sua erroris plena & prorsus puerili, tenaciter confirmaretur. Literas istas, nec vnquam vidi, nec missas fuisse arbitror: quod enim me noua ascensione confirmaret, cuius sententiam auditores iam exceperant. Quid si mihi præstaret authorem, qui Homerum, Strabonem, Eustathium duces haberem præstantissimos? Quorum authoritati ipse nec accedere debet, nec detrahere potest. Vide an voluerit videri hoc commento non ignorasse, quod olim nequaquam perceperat. An inquit Domitius Chrysam non procul à Thebe patria Andromaches portum habere. vbi sit Sminthei Apollinis delubrum, & hoc Strabo his verbis testatur: Chrysa oppidum erat ad mare, portũ habens cui proxima Thebe imminet, hic fuit Apollinis Sminthei delubrum, Thebe patriã Andromaches fuisse ex carmine Homeri inseruimus. Grammaticos quosdã secutus à necatis muribus dictum iactauerat. In authoribus nominum splendorem sequi non soleo, sed quod probabile videatur, Fabij Quintil. præcepto, numina colebãtur,

quòd aduersus infesta opem ferrent. Ægyptij ibant aduersus serpentes: Bœotij Apollinem Cronopionem aduersus culices: Lydi ob sedatam colebant pestilentiam. Idem salubritatis author habitus est, quod terræ humorem radiis tollat, vnde noxia creantur animalia. Volui igitur in Grammatico historiam naturæ accommodatam sequi. Quoniam Heracliti & Suidæ, ex quo duo verba Græcè inculcauit, aliorúmque, qui alia de causa Smintheo appellationem datam sentiunt, fabula mihi non probatur. Quid minus simile veri est, quam poëtam elegantissimum, & cuius in primis linguæ facilitas laudatur, nouo atque insolenti verbo vti voluisse, & per Smintheum Murinum dicere? Quis vnquam Murinum Apollinem legit, aut murina loca, aut murinos campos, cùm Smintheo Apolline, & Smintheis locis, & Smintheis campis omnia sint plena? Nihil poëtam deterruit, quo minus à mure murinus deduceret, qui non modo non vitat verba noua, sed cùm alia fingit, tum ardelionem, domicœnium, nusquam præterea inuenta, carmini inseruit. plurimum profectò inter meam & accusatoris sententiam interest. murinum nouum, & insolens verbum putat: ego & festiue factum à poëta pro Smintheo: & Plin. vero hordeum murinum dixit, & probandum: nam cùm Apollinem Homerus Smintheum dixit à Smintheo, id est mure, ipse Latino nomine murinum appellauit. Idem enim est Smintheus apud Græcos quod apud nos murinus. Quem versum apud Strab. à Gregorio Tiphernate Latinum factum, ipse etiam protulit vt alia: *Smintheum præclare tondi dominator Apollo.* Mart. vt est Homeri studiosus, & versuum admodum memor, quod multis in locis facile agnoscas, eam inde flexit appellationem, & pro Smintheo, quod Latinis nouum erat (nam quis apud nostros vnquam Smintheum dixit?) murinum aptè, & concinnè pronunciauit. At si clamat quis murinos campos legit, aut murinum Apollinem? Audiat obsecro, quis murinos campos, aut murinum Apollinem, vel scripsit, vel audiuit vnquam? plena esse omnia Apolline Smintheo non satis exploratum habeo. Nullus enim nostrum eo verbo vsus est, & meo cubiculo mures quidem gregatim errant. Nullum autem extat Apollinis Sminthei simulachrum. Quid rides? ego etiam incessi omnibus lætitijs, quòd nimiam habui voluptatem. Nosti vnde sit illud Cælianum. Vt igitur simile aliquid experiret, ostendi tibi heri Martialem meum vetustissimum, in quo aperte, & luce clarius scriptum erat, *Sic murinis*, vt ipse censui emendandum. Si Antonium oratorem audiuisset, hoc tacuisset profectò, quod illius rationes, aut conuellit penitus, aut certe infirmat. Antiqua enim in codice, manus, non paruam fidem obtineat necesse est, constans præsertim, & vbique eadem, quod pluribus de syllaba disputando oportere affirmat. *Sic murinis.* Trocheum id nobis incompertum fuisse, nec ipse quidem scribit, qui eam metri rationem vel pueris cognitam fatetur, syllabæ adeo peritum esse nesciebam, qui versus aut nunquam facit, aut certe malos, quorum ipsum quoque pudeat: non negauerim mures priorem syllabam producere, & murinis idem oportere, quod eo loco in commentarios nostros retulimus. At cum reliqua omnia meæ sententiæ conuenirent, multáque memoria repeterem, qua primitiuorum numerum mutant, vt quem acceperint productum, corripiant, facile sum passus. Mart. in verbo, quod ipse pro Smintheo recens deriuauerat, eadem syllabæ venia vti, qui à numeris præscriptis nunquam discedit: veluti in deriuato à Getulia primam & alteram syllabam corripuit, quibus longis cæteri vtantur: *Traducta est Getulis, nec cepit arena nocentes.* Virg. *Hunc ego Getulis agerem si syrtibus exul:* quod Ephestio præcipue in syllabarum ratione authoritatis fieri debere scribit, vt si deriuatiua syllaba mutantur, colligantur potius in breuem, quàm à breui in productam exeant, acer acerbus, lotum lotium, vado vadum, odi odium, moles molestus, luceo lucerna, offa offella, currus, curulis, curule: sedes sedile, eodem genere primam contraxerunt syllabam, cùm in primitiuo longa esset. Quare cùm id exemplo à poëta fieret, nolui constitutam, grauem, dignam authore interpretationem non amplecti, quod præsertim, quæ de murina comperiebam, aures non impleant. Hic est alter epistolæ nostræ locus, qui in confirmatione totus versabitur. quippe, erroris ratio facile intelligi potest, cum maxima inter V. & Y. literas affinitas sit: quæ tanta ista est affinitas? sunt ne ita vbique celebratæ nuptiæ, vt nusquam dissidium appareat? Si myrinus aliquando poëta scripsit, cur in nullo antiquo codice illius manus extat? non fuisset (mihi crede) tantus librariorum omnium in hac menda consensus, vt ne per imprudentiam quidam aliquando myrinus scripserunt: si ex aliquo exemplo deducendum erat. Sed murinis propagatum est, quod ab authore scriptum fuit. De myrina vêro pignorasse videamus, quod tradimus in commentariis nostris, ita vt tuto scriptum est? Myrinam Æoliæ vrbem fuisse, Homerus quidem, Strabo, & Ptolemæus testantur, sed illic Apollinis cultum reperio. Num se deceptus? quis vnquam legit Myrinam vrbem Apollinis numen habuisse? Homerum, & Ptolemæum prætermitto: Strabonis sententiam subiiciam verbis Latinis, inserto Homeri carmine, vt à Gregorio Tiphernate in nostros numeros conuersum est. In Iliensi campo tumulus quidam est: *Hunc homines proprio Bateam nomine dicunt:* *Ast immortales volucris monumenta Myrinæ*: tum & Myrina vrbs ex ea nominata est. Alio præterea loco intra sinum est Myrina ad stadia lx. Æolica vrbs vbi Strabo Apollinem cultum in ea vrbe tradidit, vt satis constet, quod diximus, Apollinem illic non coli celebri aliquo nomine. Mox subdit Achiuorum portus vbi sunt xij. Deorum aræ: ne hoc quidem ad Apollinem refertur: demum Gryneum Myrinæorum oppidum, & Apollinis fanum, & vetustissimum oraculum. Gryneum Apollinem historia sane traditum & Virgiliano carmine nobilem non ignorabam. Sed nec eundem dici Myrinum ex hoc Strabonis loco persuadebit: nec quisquam vel apud Græcos, vel apud nostros, vnquam vllo scripturæ genere, aut Myrinos campos, aut Apollinem myrinum nominauit. Quid enim Gryneum celeberrimum appellatione perobscura confundat, nimirum Mart. Gryneum Apollinem myrinum nuncupauit, quasi aut non potuerit Gryneum dicere, quod ab omnibus est concessum, aut licuerit myrinum appellare, nec ratio grammatices permittit. Ad eam enim particulam venio: Myrinos igitur campos à Myrina vrbe rectè dici quis neget? quemadmodum à Palæstina vrbe Palæstinos, à Solyma solymos, & à Gryneo oppido Gryneum Apollinem: à myrina myrneum dici non myrinum, & analogia & vsus ipse docuit, nec eadem ratio est in Palæstina & solyma, quæ & si aliter ex se deriuatiua emittere debebant, tamen in Græcorum, Latinorúmque vsum peculiari quadam lege recepta fuerunt. Nam & triumphos Palæstinos dicimus, & Solymum puluerem, quæ non à nobis, sed authoribus Græcis instituta sunt. At idem Myrnæos, dicunt, non myrinos, & quidem cum diphthongo, quod vel ex superiore Strabonis loco satis percipi potuit. Deinde Grynium Myrinæorum oppidum, non Myrinorum: quo in nomine eorum authoritatem non minus sequi debemus, quàm in Palæstinis & Solymis. At si Palæstina & Solyma eiusdem generis omnino existimat, cur non Palæstinum & Solymeum dicimus? vt my-

rinæum, quod Strabo supra vsurpat, ea scil. de causa, quod alius illorum nominum vsus est, quàm huius. Gryneum autem oppidum, & Gryneum Apollinem, quid commune habet cum Myrina & Myrinus? cùm & longe diuersus sit exitus, & Grynium oppidum dicamus non Gryneum: Gryneum vero Apollinem. Conferamus aliquando nostras cum illius rationibus. Homerus Smyntheum nuncupat. Inde Martial. murinum sub verbo, & opposito eius celebritatem antiquorum monumenta testantur. Antiqui codices sic murinis proferunt, non sic myrinis, quorũ rationem habendã, & olim Gellius, & doctissimi homines omni tẽpore iudicauerunt, syllabã corripi non dissimili aliorũ licentia demonstrauimus. Myrinũ nec vetus scriptura probat, nec vllus vnquam author enunciauit, nec ratio grammatices permittit. Vtrum tandem magis nouum erit verbum myrinum, ne quod æque damnatum est omnibus, atque omissum, an murinum in quo poëtæ ingenium existit celeberrima appellatio exprimitur: Homerum, Heraclitum, Strabonem authores habemus: recte ergo poëta Apollinem murinis campis diuitem vocat, siue quod ramentis abundet aureis, siue ob fertilitatem regionis, seu quod templum eius ibi est lapide candido sumptuosissimum: in campis Apollinis Sminthei nullam fertilitatem habeo, quam referam præter helleborum, quod ibi præparari ipse scribit, cùm Anticyræ id Theophrastus, & Plin. tribuat: qua ratione ditissimum Smintheum fuisse, contenderim multorum ingenio id purgationis genus desiderante. Ego potius ita eum locum interpretor, vt poëta obsecrans Apollinem optat, vt sic campis murinis diues sit, id est, religiosissime colatur. Nam poetarum est dites aras appellare ad quas multæ hostiæ mactantur, diisque non diuitias, quibus non indigent, sed cultum precamur, qui vnus eorum numina amplificat, & plane facit diuina. *Sic sis diues in campis murinis*] i. sic colaris magnifice in campis Smintheis, quos multis in locis fuisse, Strabo, vt proposuimus, scriptum reliquit.

Hæc Coreli secuti sumus, vt campis murinis legerimus potius, quàm myrinis: quæ bonis & doctis hominibus me probaturum admodum confido: quod si redarguent, eorum sequar iudicium, & plurimum huic debeo: cui in eodem genere gratiam fortasse aliquando referre potero. immo nihil iam prohibet errantem docere. Nam si beneficium contulerit acre satisfecero, sin minus nobis certe nostri officij gratia erit deuinctus. Quid est inquiet superioribus diebus, cùm apud librarios ex Mart. codice eius manus emendato nonum & decimum legerem, nonnullique auditores adessent: cùm multa nos offenderunt, tum risu abstinere non potui: cum incidi in illud epigramma cui est initium: *Vare paretonias latia modo vite per vrbes: Nobilis & centum dux memorande viris?* quod ipse ita correxerat, *lata modo voce per vrbes: Nobilis.* simul dolui hominem tam imprudenter lapsum esse cùm libri antiqui scriptura latia vite habeat, & ita sit omnino legendum. Nam Varus centurio erat quo nomine vitem latiam gestabat. Plin. de natu. histor. Centurionum in manu vitis. Lucanus de Scæua centurione, *Qui longo latiam gerit ordine vitem.* Iuuen. *Post hac nodosam frangebat vertice vitem.* Silius: *Nam vitis honore Præfunctus latia subito stimularat agrestis.* denique lege cautum est, vt similes Centurioni castigare se volenti vitem tenuerit, militiam mutet. Cur autem lata voce in vertendo scripserit, non satis dispicio, nisi de patrono apud centum viros dictum putauerit: quem, vt alterum Stentorem Homericum, aut Trachalum: qui à tribus subselliis exaudiebatur fuisse oportuit. Siquidem lata voce per vrbes paretonias nobilis erat: quod quam ridendum sit vel ipse intelligit. Monebis igitur statim deprauatum locum recognoscat, ne vno exemplo compluribus menda imprimatur. Multa præterea apud hunc poëtam aut inscitia parum intellecta, aut temeritate deprauata ex nobis & in superiores nouem libros didicit, & posthac audiet quæ dissimulare non potest. Nam quod illius in censura collega & laboris, quem olim diuinum prædicabant, socius edidit in manibus est, in quo aliquando ipse veniam impetrat, cùm sermonem Latinum nondum formauerit: sed quæ iam deprehensa sunt iudicibus aliquando deferentur. Quod quàm plurima loca se notaturum denunciat, nihil respondeo. id enim ea perturbatione animi addidit, qua reliqua scripsit, quod in fine collocatum esse non miror. Nam pleraque noxia animalia aculeos venenatos ex caudæ apice emittunt, nisi fortasse errorem putat quicquid ipse percipere non potest. Ego nec soleo mentiri, nec ipse debet. Illud certe multis testibus liquido affirmare possum, me intra paucos dies supra ducenta eius errata in lucem prolaturum, ex quibus aut in Polybio peruertendo infantem, aut in Martial. & aliorum castigatione censorem iniquissimum plane agnoscas. Quid si de moribus disputare volueris? deerit ne scribendi argumentum, an verba? De scriptis meis concipiat animo & meditetur, quæ velit quomodo perfecta fuerit: quod ego quoque coram dixi vix sex librorum interpretationem, quæ apud nos est, hactenus recognouimus: nam tradita auditoribus quotidie, aut confirmantur pluribus exemplis, aut melius explicantur, vt aliquando vel alieni hominis & iniquissimi iudicis aures impleant, quod vel hoc loco, de quo disputauimus, actum est. Nam multa diximus copiosius, quàm in commentariis sit, vt sententiam nostram facile ei percipere licuerit, & sese errore isto liberare. Id quod alibi plerúmque præstamus, sed abortum à nobis rapit, quoniam partus formati pulchritudinem, ac dignitatem inspicere non poterit. Tenes ne memoria Coreli quàm inuectus sit in nostram de disticho illo sententiam? *Coccina famosæ donas, & hiantina mœchæ: Vis dare qua meruit munera, mitte togam.* Ita enim docuimus: Hic famosæ & notissimæ mœchæ maximi precij vestes mittebat. Poëta iocans non sine fellis aspergine monet, vt mittat togam: siquidem vult mittere vestem mœcha famosa dignam. Nam mulieres in adulterio deprehensæ toga indutæ in publicum ducebantur. Martialis alibi: *Thelin videras in toga Spadonem: Damnatam Numa dixit esse mœcham.* hoc cùm legisset in Commentariis nostris, quos proposui rudes ac impolitos quotidie surripit, non veritus & apud te, & Nicolaum præsulem Modrusiensium clara voce affirmare, me id falso suspicatum esse, neque vllis maiorum monumentis extare. Id cùm audiuissem, statim inseri iussi Porphirionis & Acronis verba in eum locum Horatij: *Ancilla, peccesue togata.* Togatæ autem, vt vtriusque authoris verbis vtamur, in publicum procedere cogebantur fœminæ adulterij admissi conuictæ, & Iuuenal. *est mœcha Labulla Damnetur si vis etiam Carphinia, talem Non sumet damnata togam.* Nullum præterea verbum fecit: ne idem iterum contingat nostri opusculi editionem expectet necesse est, ne si quid interea susceperit, cum odisse ac inuidere potius, quàm docere videatur, tum in maledicta incurrere, in quibus declinandis non minus prudentiæ existit, quàm in ferendis moderationis.

GEORGIVS ALEXANDRINVS ANGELO ADRIANO ORATORI REGIS SALVTEM.

LEGIMVS, Angele, iucundissime scriptores veteres in conquerendis bibliopolis, atque librarijs, quorum fide, ac diligentia, quos emissuri essent libri, exscriberentur; non mediocrem curam habuisse. Adeo solliciti erant, vt integra & castigata, quæ scripsissent suis temporibus haberentur. Et eadem incorrupta atque fidelia ad posteros transirent. Quam diligentiam si posteriores aliqua ex parte seruassent, non adeo acceptus per manus error increuisset, vt præstantium scriptorum pleráque volumina ad hoc æui ita mendosa venerint, vt in illis intelligendis, nec frequens lectio, nec pertinax conferre vel minimum possit. Quare cùm in plurimis plane diuinandum sit, intacta vel à doctissimis huiusmodi scripta quodam modo manent. Id quod cùm multis euenerit, tum in epigrammatis Martialis adeo frequens, & multiplex vitium fuit, vt siue rerum varietate, siue reconditarum vocum significatione incognita, siue morum antiquorum ignoratione, & si non mediocri eruditione viri in eo laborent, plurima tamen, tum obscura, tum ignota habebantur. Quod opus cùm nuper imprimendum foret, peterentque nonnulli, vt eo perlecto quippiam vel temporum iniuria vitiosum vel literatorum quorundam arrogantia deprauatum offendissem, id corrigerem, & quo ad possem in veram lectionem redigerem, diu quidem repugnaui. Quippe qui in me ipso plura ad hoc munus pertinentia desiderarem, verererque ne dum rei literariæ prodesse cuperem, tum maxime obessem. Nam immutato, aut deraso verbo, cuius me lateret significatio, non solum sensus peruerteretur, sed honesta forsitan dictio, pro qua veteribus, qui significanter loquuti sunt, gratia habenda esset, penitus intercideret. Atque in eam vituperationem incurrerem, quam nonnullos nostri temporis doctissimos taxari grauissime video. Sed quo magis onus hoc detrectabam, eo magis vrgebant, quod non solum ex lectione falsa poëtæ mens percipi non posset, sed inter varias & dissidentes quorundam emendationes, quam potissimum reciperent, ignorarent. Suscepi itaque onus quod recusare non poteram. Quodque ex sese laborem nobis alterum peperit, plurimis profecto profuturum. Nam facilitate nostra freti, quod per nos castigatum fuit, id vt publice enarraremus effecerunt, videlicet vt discerent quibus rationibus, quæue scriptorum veterum authoritate damnata frequenti scriptura nostram emendationem tueremur. Igitur altera nobis iniuncta est cura. Et qui paulo ante in deprehendendis, corrigendisque ijs, quæ mendosa videbantur, laborauimus, nunc in percipiendo, explicandóque epigrammaton sensu solliciti sumus. Sed legentes vt boni consulant quæso, & si per immutationem, transmutationem, detractionem, addictionem, & inuersionem literarum, vel metri ratio confusa, vel ex ijs quæ trita & peruulgata habentur, deprauatum quid fuerit, id mihi vitio non vertant: sed eorum indiligentiam accenseant, qui artificio præpositi sunt. Tum autem cum paucula quædam mihi, tum dubia, tum ignota sint, de quibus nihil nos mutauimus si varia & assidua lectione, vt fieri per studiosos solet, quid illa significent, deprehenderint, iuuent & ipsi rem latinam, & quæ perceperint nobis vero ignorata notent, atque subinde aperiant. Nam vt cunque ad me scripserint, illis non potero gratias non habere maximas. Et quia petiuisti tu quoque Angele, aliquid de poëta ingenioso, & acuto memoriæ proderem, strictim quædam de Poëta vita, & operibus subiunxi.

Martialis festiuissimus Epigrammaton scriptor, se Hispanum ex vrbe Bilbili genitum fuisse confitetur. Enutritus autem atque institutus Romæ liberalibus disciplinis, sub Flauijs Principibus potissimum floruit. In Flauiæ siquidem gentis laudem ex qua tres Cæsares nati sunt, frequentibus epigrammatis assurgit. In primis Domitianum Cæs. tanquam Deum laudans, à quo & opes habuit, & ius trium natorum, quod tunc honestissimum habebatur, impetrauit: ad Neruæ, Traianique tempora peruenit. Plurimis & carus, & iucundus: nam iunior Plinius & amore mirabili eum amplexus est, & abeuntem viatico prosequutus fuit, vt ex Epistolis eius apparet. Hic Poeta relicta trita poetarum orbita, ad epigrammata conuersus parem ijs laudem adeptus est, qui aut bella heroico carmine denotassent, aut amores suos miserabili elego conquesti forent, aut plectro lyrico Deorum, heroumque laudes cecinissent. Quod si ingenue quæ sentimus fateri voluerimus, vt salibus, ac facetiis vbique conspersum opus habemus, sic non vulgarem, & vtilem Romanorum temporum cognitionem colligimus, quæ ad plurima volumina intelligenda, in quibus alioquin frustra laboratur conferunt plurimum. Sed vtrique facessant, & qui velut muscæ lychnas & vlcera lambentes lasciuioribus quibusdam epigrammatis semper inhærent. Et qui ambitiosa quadam seueritate ducti se vel tactu licentioris libri pollui, & interim purificatione indigere putant. Quando diuus Hieronymus ad Demetriadem mollitiem iuuenum exagitans, particulam epigrammatis velut in testimonium adduxerit, sic dicens, Non bene olet qui bene semper olet. *Scripsit quatuordecim, quos habemus, libros. Quorum duodecim epigrammata appellauit. Tertium decimum xeniorum nomine inscripsit, quod munera sint hospiti danda. Vltimo lemmata nomen indidit, siue Apophoreta, munera scilicet, quæ saturnalibus remittebantur. Nonnulla extra ordinem epigrammata edita, tum in amphitheatri laudem, quod à Vespasiano cœptum per Titum dedicatum est, Titique thermas. Tum in venationes, & ludos frequenter populo in arena exhibites in principio libri posita sunt.*

DOMITIVS IN VOLVMEN DICATVM LAVRENTIO.

ODisti vigiles liber lucernas,
Et signum calami seuerioris,
Clarus conspicuæ nitore vestis,
Egressus foribus tumens vagaris,
Nec turbæ metuis subire nasum
Docto, quæ potuit placere Syllæ,
Sed currunt pueri salariorum,
Istas qui lacerent tibi lacernas,
Et thynnis faciant nouos cucullos,
Quid demum trepidus redire tentas?
Clausa est Ianua, Iam liber valebis.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATA,

CVM DOMITII CALDERINI AC GEORGII MERVLÆ, COMMENTARIIS.

Quibus accesserunt aliorum eruditorum virorum recentiores notæ, quorum nomina præcedunt.

SVMMA.

Multa sanè, Antiquitas quæ admirata est extitere, ex quibus septem apud eam summæ magnificentiæ fuerunt & admirationis. Templum.s. Dianæ Ephesiæ ducentis viginti annis a tota Asia extructum. Mausoli sepulchrum ab Artemisiæ eius vxore egregiis operibus ædificatum. Colossus Solis apud Rhodios: Iouis Olympici simulachrum quod ex ebore fecit Phidias: Babylonis muri quos Semiramis Regina constituit: Domus Cyri Medorum Regis quam Menon arte prodiga illigatis auro lapidibus fabricauit: postremò Memphiticæ Pyramides. Quibus omnibus Mart. Domitiano assentans, vult amphitheatrum illius tùm dignitate, anteponendum: silere igitur iubet hæc omnia cum ad ipsius Domitiani amphitheatrum ferè haud comparanda sint.

In Amphitheatrum Cæsaris,
Epigramma I.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
**Assiduus iactet nec Babylona labor:* Vide Turneb. lib. 27. cap. 2. Assyrius Alciatus legit.
Nec Triuiæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletq; deū cornibus ara frequens.* κερατινὸς βωμός. De quâ Laerti. Callimach lum. anim. lib. 8. c. 11.
Aëre nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus innumeris Cares in astra ferant.
Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Εἰς Ἀμφιθέατρον Καίσαρος Δομιτιανοῦ, Ios. Scaliger I. Cæs. F. vertit Græce.
Ἐπίγραμμα Α.

Βάρβαρα Πυραμίδων τὰ σὰ, Μέμφι, θαύματα σίγα·
Κομπάζοι λιπαρὴς μὴ Βαβυλῶνα κόπος·
Μὴ νεῷ Ἀρτέμιδος τρυφερὸν κλῄζοιατ' Ἴωνες,
Μηδὲ θεῶν κεραὸς βωμὸς ἐπαινεσάτω·
Μηδὲ τὸ Μαυσωλεῖο μετήορον ἠέρι σῆμα
Ὑψούντων αἴνῳ Κᾶρες ἀμετρεπεῖ.
Πᾶς κλεινὸς ἡττάσθω τοῦ Καίσαρος Ἀμφιθεάτρου.
Θρυλλείσθω πάντων ἔργον ἓν ἀντὶ πόνων.

DOMITIVS CALDERINVS.

BARBARA *Pyramidum.*] Hoc primo epigrammate assentatur Domit. cuius amphitheatrum operis magnificentia & dignitate omnibus ædificiis scribit anteponendum: quæcumque antiquitas admirata est. Id destinauerat Augustus: media vrbe Vespasianus extruxit: Titus filius dicauit maximo apparatu vno die quinque millibus ferarum occisis: vt Eusebius & Tranquil. scribunt. Dicauit

autem, quoniam publica ædificia numinibus consecrabantur. Cur autẽ huius laudem tribuit Domit. cum illud neque extruxerit: neque dicauerit: ratio est, quod Dom. ex quo puer Capitolium defendit vna cum Sabino patruo putauit sibi deberi Imperium: quod ab ipso acceperat. Quare poëta vult quæcumque gesta sunt vel à Vespasiano, vel à Tito, ad Domit. referri: cuius Imperium, vt supra dictum est, fuisse assentando innuit. Præterea imperantibus patre & fratre non destitit se principem Imperij gerere. Ego tamen existimauerim hoc Tito imperanti cui vera scriptum fuisse: laude nunc assentatur.

Pyramides, lapides erant erecti miræ magnitudinis in acutum tendentes: dicti ab ipsa figura, quæ flammam imitatur igneam: πῦρ dicitur ignis: vnde Pyramis. Reges Ægyptij primum excogitauerunt id genus ædificij: vel vt ne pecuniam successoribus relinquerent, vel ne plebs otiosa esset. cùm multæ essent in Ægypto, tres maximè impleuerunt orbem fama & admiratione, quæ erant in parte Africæ inter Memphim & Deltam in monte sterili: quarum amplissimam, lx. hominum millia, xx. annis construxisse dicũtur: authores sunt Strab. Plin. & Solinus. (Pyramides.)

MIRACVLA *pyramidum*] Ita & à Plin. dicuntur: quoniam ad admirationem potiùs quam ad vsum constructæ erant. Strab. in vltimo script. se vidisse cumulos reliquiarum, quæ remanserunt ex cibis operarum, eodem versu poëta vtitur alibi:

Barbara Pyramidum Cæsar miracula rode.

MEMPHIS] Regina Ægyptiorum ab Ogdoo Rege ædificata, cuius filia Memphis nomen dedit. Puella ea est, cum qua Nilus sub imagine tauri dicitur concubuisse. Vrbis ambitus erat. c. & l. stadiorum: septum ambitus habebat & templum Veneris, author est Strab. & Diodorus. (Memphis.)

BABYLONA] Babylon vrbs caput Chaldæarum gentium, ambitus ccc. & l. stadiorum ædificata à Semiramide Regina æmulatione Ninæ vrbis, quam Ninus eius vir construxerat. Accersita sunt, teste Diodor. ex omni regno ter decies centena hominum millia ad opus iuuandum: Clytarchum & Alexandrum sicuti sciptum reliquerunt quolibet anni die stadium vrbis fuisse absolutum. (Babylon.)

ASSIDVVS *labor*] Multorum annorum.

IACTET] extollat & laudet, id est cesset laus & ostentatio Babylonis.

TRIVIÆ *templo*] id est Dianæ. de templo Dianæ Ephesiæ intelligit, quod erat in Panorio portu ad Ephesum in Asia, fuit admirationis & magnificentiæ, vt Plin. cc. & xx. annis structum à tota Asia in solo palustri, ne terræmotibus quateretur. Columnas habebat c. & 37. ex quibus 35. erant cælatæ miro artificio. Ctesiphon fuit architectus, alij Archiphron. sunt qui scribant primum Dianæ templum fuisse minus, secundum maius, quo incenso ab Erostrato tertium ædificatum aiunt ornamentis mulierum ad id collatis. (Dianæ Ephesiæ templum.)

MOLLES *honores*] i. luxuriosi & Asiatici honores, quoniam præter ædificium multa erant vt scribit Plin. quæ nihil ad speciem naturæ pertinebant, sed ad luxum tantum. Quid alij hoc suspicentur, non percipio. ego, vt dixi, molles honores interpretor, quoniam, vt dixi, erant in eo multa ornamenta ad luxum & molliciem potius pertinentia, quam ad ædificij solidam laudem, vt verba Plin. indicant. *Molles honores*. id est, luxuriosa ornamenta, nam amphitheatrum sua sublimitate & ædificij præstantia admirandum est, non propter luxum aliquem rerum, qui in eo sit, quemadmodum in

A templo Dianæ Ephesiæ. Erant præterea in eo Eunuchi sacerdotes, qui Mezabolizi dicebantur, cum quibus virgines aliquas sacras esse oportebat, vt scribit Strabo.

ARA *frequens*] De templo Iouis Ammonis intelligit, quod apud Nasamones populos Lybiæ erat: Iuppiter lingua Ægyptia Ammon dicebatur, vnde corrupto nomine, Ammonem dixerunt Afri, author est Hero. prætermittuntur opiniones Seruij & Diodori. Pausanias scribit Ammonem dictum ab Ammone pastore, qui primo ei illic templum erexit. Multæ aræ erant huic Deo dicatæ, author est Plinius in Africa, quod & Virgil. testatur in 4. Æneid. (Ammon.)

Templa Iouis centum latis immania Regnis.

Centum aras posuit.

B MAVSOLEA] Mausoleum sepulchrum fuit Mausoli Regis Cariæ in Alicarnasso, quæ prius Zephyra dicebatur: conditum ab Artemisia coniuge, & enumeratũ inter orbis miracula, hac vna de causa, quod erat columna, in qua sculpenda claruerunt quatuor excellentissimi sculptores, scil. Scopas, Brias, Timotheus, Leochares, cingebant xxxvj. columnis, certabantur etiam illic à poëtis: vnde extabat tragœdia à Theodeste, authore Gellio, quæ Mausolus inscribebatur. Mausoleum & non Mausolum dicitur. Prop. (Mausoleum.)

Nec Mausolei diues fortuna sepulchri.

VACVO *aëre*] quia non habitatur: & vacuus perpetuum epitheton est aëris.

CARES] Populi subditi Mausolo, Mausoli meminit Demosthenes in oratione pro libertate Rhodiorum.

GEORGIVS.

C ASSIDVVS *iactet nec Babylona labor*] Non rectè exponit Domitius assiduum laborem multorum annorum, si per annum absoluti muri fuerunt: Sed potius de horto pensili Babyloniæ sentimus, qui & ipse inter septem orbis miracula numeratur, ad cuius irrogationem, vt Strabo scripsit, multa hominum millia addicta erant, vt meritò assiduum illum laborem ad ministerium diuturnum respiciens assiduum dixerit.

MOLLES *honores*] Non luxuriosos & Asiaticos vt Domitius sentit. Sed molles honores accipimus in commendationem tùm artificum, tùm statuarum, quæ in templo magnificentissimo stabant, qua appellatione æra & lapides frequenter commendari solent. Virgil. *Excudent alij spirantia mollius æra.* Et Horatius: *Molles imitabitur ære capillos.* Philostratus, ἐν εἰκόσι de porticu respiciente mare Tyrrhenum, hæc ἠστράπτετο δ' λίθοις ὁπόσοις ἡ τρυφὴ ἐπαινεῖ. (Molles honores.)

D Hoc est splendescebat autem lapidibus quoscumque mollicies commendatur. Verba verò, quibus niti videtur, non sunt eius scriptoris: sed quæ ipse stulte excogitauit, & temere corrupit, hæc est enim vera Plin. lectio. Cætera eius operis ornamenta plurium librorum instar obtinent, nihil ad speciem naturæ pertinentia, hoc est, vt ego sentio, in quibus nulla est species, aut maiestas rerum naturalium, quæ scribi debeant.

CHRISTOPHORVS COLERVS.

AERE *nec vacuo*] Editio Lugdunensis Gryphiana *Laudibus immodicis*: Cares enim nimij & sine modo laudatores. Vnde illis βαρβαροφώνους nomen ab Homero: prouerbium quoque ab his est natum κάρικὸν μέλος & καρικὰ αὐλήματα.

THEODORVS MARCILIVS.

In Amphitheatrum & Venationes Cæsaris Domitiani,

INSCRIPTIO quidem huius libri peruagata est; In Amphitheatrum Cæsaris, nempe, Domitiani. Sed Epigrammata quidem pænè omnia conscripta sunt de venationibus iis, quas Domitianus in Amphitheatro edidit, non de Amphitheatro. Itaque spectaculorum liber dicitur à nonnullis, sed ea inscriptio latiùs patet, quàm libri materies. Iratâ criticâ, voluêre aliqui omnia huius libelli Epigrammata à Domitiano ad Titi spectacula transferre, Amphitheatri c. vij. sed planè omnia Domitianum spectant, vt patet Epig. vj. xv. xxiij. xxiix. &c. Hinc & Epig. iij. dixit, *in vrbe tua.* nempe, à te restituta post incendium, Epigr. vij. lib. v.

Amphitheatrum hoc Fl. Vespasianus construxit iij. regione vrbis. P. Victor. Titus deinde Vespasiani F. dedicauit; Domitianus Titi frater, in eo plurimas edidit venationes. Sueton. Vespas. c. ix. Tito c. vij. Domit. c. iiij. Dio in Tito. Cassiodorus tamen epist. xlij. lib. v. Amphitheatri substructionem Tito F. Vespasiani attribuit. Nam (vt hoc quasi in transcursu dicamus) sic in Cassiodoro distinguendi sunt libri, vt duo sint variarum formularum; cæteri variarum epist. Itaque distinguuntur in vetere M.S. Aurelius autem Victor in Tito, Amphitheatri opus à Tito perfectum fuisse ait. At verò Eutropius li. vij. Amphitheatrum à Tito perfectum & dedicatum fuisse ait. *Hic*, inquit, *Romæ Amphitheatrum ædificauit, & quinque millia ferarum in dedicatione eius occidit*, Quod iisdem verbis adnotatum est in Chronicis Eusebij & Cassiodori. Martialis tamen ædificati Amphitheatri laudem trâsfert in Domitianum. Etsi Domitius Calderinus hoc Epigramma pertinere ad fratrem Domitiani Titum putauit. Frustra ille. Populariter autem hoc amphitheatrum dictum Romæ Colosseum, & Anastasij Bibliothecarij verbis patet in Stephano PP. iv. Idemque hodie nomen est. Sed quoniam hæc de Amphitheatro inscriptio est, de nomine Theatri atque Amphitheatri, duco altiores paulisper lineas.

DE NOMINE THEATRI ET AMPHITHEATRI.

THEATRVM à Cassiodoro, Visorium Latinè dicitur; à Seruio in lib. v. Æneid. Spectaculum: sic Plaut. Milite. *Spectacula ibi ruunt*. Sic & Cornel. Fronto. Theatrum enim à verbo θεᾶσθαι quod est Spectare. Etsi à nomine θεὸς dictum existimauit Plutarc. in libro de Musica.

Sed quare Theatrum à videndo magis, quam ἀκροατήριον ab audiendo? Fortasse quia cum quatuor ludorum genera sint, Gladiatores, Circenses, Venatio, Scænici, tria propriè ad oculorum adspectum pertinent: Scænici soli ad aures. Quanquam in his etiam ipsis Theatri nomen rectè vsurpari, ex Donati verbis planum est, in prologum Hecuræ. *Ideo*, inquit, *Theatrum ideo spectatores, ideo actores, quia maior pars in gestis est, quàm in verbis.* Aliã rationem adfert Cæsar Scaliger c. xxj. lib. 1. Poëticæ, nempe, Bonis temporibus corporum certamina tantum spectari solita, non autem ingeniorum. Dio tamen Chrysostomus orat. xxxij. Theatrum esse ait populi auditorium. Δήμου γάρ ἐστιν ἀκοὴ τὸ θέατρον. i. Populi enim auditus theatrum est. Sed aliorsum hoc trahi pote, scilicet, non vt in theatro ludi, sed conciones.

Theatrum Græcanico ritu, non spectandi solùm, sed & concionandi locus. Itaque & Menander c. iv. lib. xj. Partit. Epideicticar. ἐρῶ, inquit, κατὰ μέσον θεάτρων. Rectè scripseris, ἐρῶ κατὰ μέσον θέατρον, *Dicam in medio theatro*. Interpres malè. *Dicam in medio spectantium.* Menander idem c. v. θέατρα λόγων, *Theatra concionum.* Vitruuius c. v. lib. vij. *Trallibus*, inquit, *minusculum theatrum, quod* ἐκκλησιαστήριον *apud eos vocitatur, &c.* Tangitur hic ritus Græciensis & à Cicerone pro Valerio. Themistio Orat. j. Iulio Polluce c. x. lib. 8. Philostrati proœmio libri De vitis Sophistarum. Idem & Romæ in theatro Pompeij ritus aliquandiu, vt Dio Nicæus obseruat, lib. xxxix. Idem & in Prouinciis, vt Lemouici Galliæ. Aurelianus in vita D. Martialis. *Sanctus*, inquit, *Martialis cum discipulis suis perrexit ad theatrum, prædicare Euangelium regni.* Sic. L. Apuleij Floridæ in Theatro Carthaginiensi.

Amphitheatrum quasi ἀμφὶ θέατρον, quia omni ex parte subselliis clusum absque scæna. Sic enim Dio lib. xliij. agens de Cæsare Θέατρόν τι κυνηγετικὸν ἰκρίωσεν, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν, προσερρήθη. Itaque Ouid. lib. ij. de mut. form.

——Structóque vtrinque theatro
Vt matutina ceruus periturus arena.

Et Cassiodorus ep. xlij. lib. v. Theatrum hemisphærium, id est, orbem dimidiatum esse ait: Amphitheatrum verò conflatum ex duobus theatris. Rectè quidem Cassiodorus, si quidem oblonga specie Amphitheatrum fuisse intelligamus, non planè rotunda. Itaque nominatur *ouum* à T. Calpurnio Ecloga vij.

Qua geminis medium se molibus alligat ouum.

Eaque amphitheatri figura, quò esset accommodatius ad gladiatores & venationes. Patet Cassiodori loco antedicto: A specie illa & noui Romani pro amphitheatro *Phialam* dixêre, vt Cedrinus in Iustiniano Pogonati F. Eutrop. lib. xix. in Iustiniano.

Ac principiò quidem à C. Cæsare, iterum dictatore Amphitheatrum ligneum extructum fuisse, auctor Dio lib. xliij. Primus verò Statilius Taurus, Augusto IV. Cos. Amphitheatrum excitauit in campo Martio lapideum, idque venationibus editis consecrauit. Dio lib. lj. Post & Nero ligneum exstruxit. Sueton. Nerone c. xij. C. Tacitus annal. xiij. & historiar. ij. Victor in Nerone.

Et quoniam hæc de venationibus Domitiani scripta Epigrammata sunt, de venatione paucis, repetita vetustatis memoria dicere pergo.

DE VENATIONE.

IN theatro ludi scenici edebantur: in amphitheatro gladiatores ac venatorij. Quocirca theatrum Veneri sacrum fuit; amphitheatrum verò Marti. Saluianus Massiliensis, lib. vj. de Prouid. & Tertull. c. vj. lib. de spectaculis. Lactan. autem c. xx. lib. vj. *Venationes*, inquit, *Saturno primitus fuisse attributas.* Qui locus homini polito in Saturnalib. c. v. lib. j. cum verbis Saluiani pugnare visus: sed caprinum illud prælium. Nam etsi venationes, & gladiatores ludi Saturno sacri, amphitheatri quidem locus ipse nihilominus Marti consecratus: perinde vt ludi scenici Libero sacri fuerunt, vt est apud Lactantium loco citato; at verò theatrum ipsum Veneri sacrum fuisse negari non potest.

Venationes Saturno primitus attributas fuisse

refert Lactantius c. xx. lib. vi. Saluianus verò Massiliensis lib. vj. in arenis coli ait Martem; quoniam scilicet ludi quidem ipsi, nempe venationes, ac gladiatorij Saturno sacri, amphitheatrũ autem sacrum Marti. Nam venationes antequã repertum esset amphitheatrum, edebantur in circo: dico ad Epigr. xx. Sic ludi scænici etiã Romæ visitati, priusquàm theatrum Veneri dedicatum fuisset à Cn. Pompeio. Tertull. c.vj. lib. de Spectaculis. *Itáque tametsi theatrum propriè sacrarium esset Veneris, tamen etiam Liberi domum fuisse* inquit Tertullianus loco citato. Cereri verò etiam in theatro locum fuisse declarat Cæcilius Cyprianus ep. ciij. qui scænicos inquit ludos sacros fuisse Libero & Cereri. Etiam Apollo, Musæ, Minerua, Mercurius in theatro præfecti themelicis, siue, vt inquit Tertull. c.vij. de Spectac. *iis quæ voce, modis & organis transiguntur.*

Saturno autem primitùs sacrum munus vtrúmque nempe, venatio & gladiatores; quia is Deus apud Romanos antiquissimus. Legendus Tertull. c.xj. Apologetici aduersus gentes. Prudentius lib. j. aduersus Symmachum.

Sed alia dubietas, eccilla de Prudentij verbis lib. j. contra Symmachum, qui munus gladiatorium Diti sacrum esse ait:

Respice terrifici scelerata sacraria Ditis:
Cui cadit infausta fusus gladiator arena, &c.

Nec tamen responderim vt nonnulli, Ditem & Saturnum eiusdem esse Dei numen; sed munus idem etiam alia ratione Diti sacrũ esse, quia sanguine gladiatorum profuso placabantur Dij manes; qua de re idem plane Tertullianus c.x. lib. De spectaculis. Ad summam itaq; dixeris Saturno vt antiquissimo Deorum, munus sacrum fuisse primitùs: Diti eadem, quia munera Deorum manium; Marti postmodo munus gladiatorium; Dianæ venationem attribui cœptam, cum ab exequiis ad honores viuentium, scilicet magistratus, editiones translatæ sunt. Legendus Tertul. c.x. lib. De spectaculis.

Dicitur autem à Cicerone *vinatio*, vt ep. j. lib. vij. ad famil. Suet. Cæsaris c. xxxix. & passim. Gellio c.xiiij. lib. v. Trebellio Pollione in Gallienis, *venatio ludicra.* Θεάτρου κυνηγία & θεάτρου κυνηγίαι Nouel. cv. & τὰ κυνήγια Socrati Eccles. histor. c.xxij. lib. vij. Lampridio *venatus*, in Maximo & Balbino. Martiali ep. cv. lib. j. Vlpiano *ludus venatorius* l.viij. De pœnis. L. Seneca ep. lxxj. *Ludus bestiariorum.* Cassiodoro, *Ludus crudelis.* ep. xlij. lib. v. Sed ludi nomen propriè ad exercitationem pertinet. De qua Auidius Cassius; qui, vt est apud Vulcat. Gallicanum, dicere solitus, *Miserum esse cum exerceantur athletæ, venatores, & gladiatores; non exerceri milites.* Sic Tertulliani Apologet. c. xxxv. *Schola bestiariorum.*

Dicta autem venatio amphitheatrica, à similitudine venationis vulgaris, vt planum ex Lampridio, qui refert Alexandrum Seuerum dicere solitum, *Venatores, & scenicos, & aurigas sic alendos quasi seruos nostros, aut venatores, aut muliones, aut voluptarios.*

Venationis ludicræ genus duplex: Vnum pugnæ, in amphitheatro edi solitæ: alterum direptionis quæ fiebant in Circo. Prius illud genus antiquius est, eoque pertinent hæc Epigrãmata Martialis; alterum recentius, & primitùs, opinor, à Gordianis, ac Probo vsurpatum. Venationis hoc genus quale fuerit, Fl. Vopiscus exprimit in vita Probi. *Venationẽ in Circo,* inquit, *amplissimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autẽ spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis longè latéque trabibus adfixæ sunt, terra deinde superiecta, totusque circus ad* A *siluæ consitus speciem, gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ, ibices, oues, feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt vel inueniri. Immissi deinde populares. Rapuit quisque quod voluit.* Neque dissimilis venatio apud Iulium Capitolium in Gordianis.

Hæc ista species venationis πάγκαρπον nouis Romanis, vt Nouel. cv. c. j. Plebeia ibi scriptura est πασχάπου. Sed bene alij libri πάγκαρπον. Censet legis Romanæ summus interpres in Nouellarum expositione, πάγκαρπον siluam illam Circensem vocari ex varietate arborum, & D. Augustinum testem laudat qui c.xxiij. aduersus Secundinum scripserit, *Pancarpum ludicris muneribus edi propter omnium generum quæ inerant herbas, &c.* Sed locus ille D. Augustini totus relegendus est. *Nisi fortè non quidem castè tangere hu-* B *mani corporis membrum, sed pudet iurare per Deum tam turpiter vinctum, tanta illic deformitate captiuum. Nomine pancarpi, qui in ludicris muneribus edi solet, propter omnium generum quæ inerant bestias exagitatis arcam Noë, quæ per omne genus animalium, futuram ex omnibus gentibus figurabat Ecclesiam, &c.* Sic verba illa D. Augustini rectè sana erunt, quæ hodiéque in libris omnibus accepta pessimè.

Vt & illo ipso capite locus qui sequitur, *Itaque ille non pancarpus, sed planè compartus factus est, qui omni feritate discerptus est.* Mendi quidem locus hîc manifestarius. Frustra conati eluere maculam illam nuperi operum D. Augustini editores. Relegunt nempe, *concerptus*, aut, *pàncarpus.* Neutrum facit. Manus D. Augustini fuit pancartus, à πᾶν & κείρεσθαι, πανκειρόμενος, *omnino discerptus*, siue vt ille ipse sanctissimus pater interpres sibi est, *omni feritate discer-* C *ptus.* Eleganti lusit paragrammate, apicis vnius versi πάγκαρπος, πάγκαρτος pancarpus, & pancartus.

Bene Ioannes Cassianus c.xiv. Collat. v. Pancarpum dictum ostẽdit à varietate bestiarũ, quæ in silua eiusmodi: *Vt,* inquit, *fieri solet ab his qui coram regibus mundi huius omnigenis congredi bestiis, præmiorum contemplatione consueuerunt, quod spectaculi genus vulgo Pancarpum nuncupatur. Hi, inquam, feras quascunq; fortiores robore, vel feritatis rabie conspexerint diriores, aduersus eas primæ congressionis certamen adripiunt, quibus extinctis, reliquas quæ minus terribiles, minusque vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt.*

Iam verò illud quoque discrimen venationum obseruari potest: Eas fuisse vel hominũ & ferarum, idque duobus modis. Nam vel cum feris depugnabant armati venabulo, aut telis, vt Epigrammate huius libri xij. xv. xxiij. vel inermes, vt Cassiodor. ep. xlij. lib. v. aut etiam deligati ad stipitem aliqui, vt D Epigr. vij. viij. xxi. Quos Fl. Vopiscus in Aureliano vocauit *ad stipitem surrectos homines.* Sueton. in Nerone c.xxix. *ad stipitẽ deligatos.* Xiphilin. in Nerone σταυροῖς προσδεδεμένους, iique obiici bestiis dicebantur, quod Polybio lib. j. est παραβάλλειν τοῖς θηρίοις. Dioni lib. lviij. τοῖς θηρίοις ἐν ἀγωνίσμασι διδόναι. Copiosè hoc V. C. Petrus Faber in Semestribus c. xj. lib. ij. Neq; semper tamen ad stipitẽ illi. Dico ad Epigr. xxij. Vel feræ inter se pugnabant vt Epigr. ix. xviij. xix. xxij. Quod genus impropriè dixeris licet, venationem.

In venationibus verò amphitheatri, cum bestiis depugnare soliti, primùm quidem ac propriè ij qui serui essent pœnæ, & damnati ad bestias. Eoque dicti *bestiarij*, vt à Cic. pro Sextio, in Vatin. & ad Q. Frat. lib. ij. à L. Seneca ep. lxx. & c. xix. lib. ij. de benefic. Tertulliano Apologet. c. xlij. Atque idem c.x. lib. de Spect. dixit, *Dãnatos in ludum, & Harenarios,* quem-

admodum & Symmach. ep. lvij. lib. v. Sic *Harenaria ferá.* Ammiani Marcell. lib. xxix. Græci θηριομάχους vocant, vt in Glossem. Græc. θηριομάχης Bestiarius. Socrati Eccl. histor. c. xxii. lib. vii. sunt παράβολοι, quasi temerarij & audaces. ijdẽ παραβαλλόμενοι. Hesych. παραβαλλόμενος, ἑαυτὸν ἐκδιδοὺς εἰς κίνδυνον, ὅ ἐστι παράβολος μαχόμενος. Rectiùs. ὅ ἐστι παραβόλως μαχόμενος. Non vt alij tentauêre. θηρίοις μαχόμενος. Bene Claudianus Latinè *Audaces* vocauit, in Panegyrico de Manlij Theodori Cõsulatu.

Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula nisu.

Vetus Martyrologium in passione martyrum Abdonis & Sennes. *Et iussit eos Valerianus introduci in Amphitheatrum, vt ferarum morsibus consumerentur. & cum vi audacissimi Parabolani ingressi fuissent, &c.*

Hinc fortasse Parabolani l. xviii. C. de Episcop. & cler. l. xlii. & seq. C. eod. quòd essent Parabolis audacia similes. quia cum periculo curarent ægrotos si lues publica siue contagio esset. Tangit bestiariorum audaciam Nouella c. v. θηρίοις, inquit, προσμαχόμενοι ἄνθρωποι, καὶ εὐδοκιμοῦντες τῇ τόλμῃ. *Cum bestijs depugnantes homines, & nobiles audacia &c.* Dicti Bestiarij, & *Contifices.* Glossæ *Contifices* παράβολοι. Fl. Vopiscus in Probo *Contificijs interimere feras.* Contifices illi bestiarij, quia periti contis feras interficere. Hinc & *Confectores* dicti, vt Suetonij Augusto c. xliii. Sic κονφέκτορα dixit Eusebius Eccl. histor. c. xvi. lib. iv. Aliqui Bestiarios propriè & κατακοπτομένους dici putant à Dione lib. lx. Sed latiùs κατακοπτομένων nomen patet.

Deinde verò pugnarunt quoque cum bestijs qui bello capti essent, vt Tertull. c. x. lib. de spectac. Dion. lib. xliii. ἐμάχοντο δὲ ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσιν οἵ τε αἰχμάλωτοι, καὶ οἱ θάνατον ὠφληκότες. Eius autem generis bestiarij Germani de quibus Seneca ep. lxxi. neque dissimiles gladiatores Saxones apud Symmach. ep. xlvi. lib. ii.

Sed cùm fortasse non suppeteret copia, eorum qui damnati ad bestias, aut qui in bello capti, alij emebantur aut conducebantur. Cassiodor. ep. xlii. lib. v. Vlpianus l. i. ad S. C. Tertull. *Qui operas suas vt cum bestijs pugnaret, locauit.* Et arbitrari aliqui, hos tantùm dici propriè bestiarios.

Ad extremum ita Romani venationibus delectati, vt sponte liberi homines cum bestijs dimicaturi se offerrent; neque plebeij tantùm, sed & equites, viri prætorij, senatores, quodque miremur magis, etiam mulieres. Legendus Dio lib. xliii. & liiii. Infra dicendum hoc pleniùs, Epigr. vi.

Interdum & ipse muneris editor cum bestijs pugnauit, vt Prætor P. Seruilius, Dionis l. liii. Idemque sic de Nerone. Hinc venatorius habitus Taciti Imperatoris apud Vopiscum in vita Floriani: non quia ipse pugnauerit, sed quia sic mos faciendi vt editores in venationibus suis habitu præsiderent venatorio. Habitus ille venatorius cincti. Vnde venator nudus Iuuenali Sat. iv.

---- Albana nudus arena Venator.

Hi omnes communi nomine venatores. Venandi hanc cupiditatem carpit Cæcilius Cyprianus ep. i. ad Donatum. *Quid illud oro te, quale est, vbi se feris obijciunt, quos nemo damnauit ad bestias; ætate integra, honesta satis forma, veste pretiosa, viuentes in vltroneum funus ornantur. Malis suis miseri etiam gloriantur. Pugnant ad bestias, non crimine, sed furore. Spectant filios suos patres: frater in cauea & soror præsto est, & spectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, vt mœroribus suis mater intersit.*

Duplex autem ratio cum feris confligendi. Pugnabant enim vel de superiore loco, siue ἄνωθεν. vt est apud Xiphil. in Nerone; vel ex æquo siue plano; Quod Herodian. Commodo dixit ἐκ πλησίον. Καὶ θηρίων ἐκ πλησίον μάχας ἐπεδείξατο. Sic *apros excipere, contra leonem stare,* ait Spart. in Caracallo. Ac de superiore quidem loco iaculandi peritiam ostentabant, expertes periculi, vt Tiridates apud Xiphilin. in Nerone. ἐτόξευσεν ὁ Τιριδάτης ἄνωθεν ἐκ τῆς ἕδρας θηρία. Et Commodus, de quo sic Herodian. τῷ δὲ Κομμόδῳ περίδρομος κύκλῳ κατεσκεύαστο, ὡς μὴ συστάδην τοῖς θηρίοις μαχόμενος κινδυνεύοι. ἄνωθεν δὲ καὶ ἐξ ἀσφαλοῦς ἀκοντίζων, εὐστοχίας μᾶλλον, ἢ ἀνδρείας παρείχετο δεῖξιν. Circuitus enim quidam erat supernè in Amphitheatro, ex quo tela conijciebantur, cumque Herodian. in Commodo περίδρομον vocauit; Xiphilin. in Commodo περιβολῷ τῆς κρηπῖδος.

Duplex verò animantium genus in venationibus. nempe θηρία, id est, feræ: & βοτὰ, id est, vt Vopiscus conuertit in Probo, *Herbatica animalia.* Sic Dio lib. li. opposuit θηρία & βοτά. Xiphilin. autem in Caracallo etiam ἵππους, & βοτά. Sunt autem θηρία, vt leones, pantheræ, & cætera quæ ζῷα γενναῖα, id est, *animantia generosa* vocauit Herod. in Comm. βοτὰ verò, siue *herbatica*, vt cerui, capreæ, & id genus.

Erant autem eæ quæ dabantur in venatione animantes, in cauea conclusæ, quam Græci δικαμφυλὼ vocant. Xiphilinus in Seuero. Statius lib. ii. Silu.

---- Stat cardine aperto
Infelix cauea. Cardine, id est, porta. Plaut. Persa
Faceres, quod partim faciunt argentarij:
Vbi quid credideris, citius ex templo à foro
Fugiũt, quàm ex porta ludis cùm emissu'st lepus.

Cornificius ad Herenn. lib. iv. *Statim sicut è cauea leo emissus.* Ex eaque cauea emittebantur in Amphitheatri caueam, Symmachus ep. xii. lib. iiii. & Ammian. Marcellinus, qui *Amphitheatralem circulum*, & *Amphitheatralem caueam* vocauit, vt lib. xxxi. *centum leones in Amphitheatrali circulo simul emissos.* Et lib. xxix. *In Amphitheatrali cauea cum adfuturus spectaculis introiret. Mediam arenam* ipse nominat posteriùs, Epigr. xvi.

Emittebantur autem vel simul, quod vna missione exhibere dixit Vopiscus in Probo. & Iul. Capitolin. in M. Antonino: aut singulæ, vt Cassiod. ep. xlii. lib. v. Trebell. Poll. in Gallien. Sueton. Tiberij c. lxxii. & alios passim. Amphitheatrales feras, distractis tandem solutas posticis, Amm. Marcellinus dixit lib. xxiix.

Iam verò quemadmodum inermes cum bestijs depugnauerint, copiosè depingit Cassiodorus loco citato. Et Prudentius Hamartigenia. Eò pertinet nomen τειχοβάτου, de quo Fl. Vopiscus in Carino. *Exhibuit & Toichobaten qui per parietem vrso eluso cucurrit.* Cum leonibus etiam sine armis dimicandi ratio qualis & vnde fluxerit, Plinius docet, c. xvi. lib. viii.

AD EPIG. I.

BARBARA] Inductione docet, omnibus orbis terrarum spectaculis, Amphitheatrum hoc iure anteponi. Prima laus Amphitheatri, Miraculum.

MEMPHIS] Huic enim proximæ pyramides. Legend. Plin. c. xii. lib. xxxvi. Propriè autem, barbara Memphis sileat: Neque enim barbarorum est loqui. Itaq; barbari ἀντὶ τοῦ ἀφώνων, id est, pro mutis. Interpr.

Aristoph. in aues. Suidas in βαρβαρίζειν. Dictum argutum huius Coqui, fere vt arguratus Euripidi Philoctetes Tullij iij. de orat. *Turpe sibi esse tacere, barbaris autem loqui.* Minus rectè alij *barbara miracula* intellexere.

A

SILEAT] Respicit fortean ad Echonem pyramidum, vt si diceret, Sile Memphis, quamquam & ipsæ pyramides tuæ loquuntur. Plutarc. c. xx. lib. iiij. de Philos. decret. Nempe pro voce vna ex pyramidibus alias quatuor, aut quinque reddi. ἐν γοῦν ταῖς κατ' Αἴγυπτον πυραμίσιν, ἔνδον φωνὴ μία ἐκρηγνυμένη τέτταρας, ἢ καὶ πέντε ἤχους ἀπεργάζεται.

PYRAMIDVM] De Pyramidib. Herodot. lib. ii. Aristot. c. xi. lib. v. de Republ. Diodor. lib. j. Strabo lib. xvij. Plin. cap. xij. lib. xxxvi. Solin. c. xxxv. Propert. el. i. lib. iii. Seru. in xi. Æn. Ioseph. lib. ij. Origin. Iudaic. Zonaras lib. j. Amm. Marcellin. lib. xxii. Auctor. Etymol. qui has fuisse ait ὡρεῖα τοῦ Ἰωσὴφ, horrea Iosephi. Itaque dictas Pyramides παρὰ τῶν πυρῶν à tritico. Aliter Ammian. loco prædicto. Aliter etiam alij. Nostra memoria qui eas inspexêre, ædificatas aiunt sepeliendis regib. Ægypti.

B

MIRACVLA] Vt Epigr. xxxvi. lib. iix. *Regia Pyramidum Cæsar, miracula*---- Plinius c. xii. lib. xxxvi. *Hæc sunt Pyramidum miracula.* Pyramides nempe inter septem orbis terræ miracula. Sic enim Plin. ca. v. lib. xxxvi. & Valer. c. vi. lib. iiii. *Septem miracula.* Cassiod. formula xv. lib. ii. *Septem fabricarum in terris miracula.* Græcis τὰ ἑπτὰ θαύματα. Strabo lib. x. xvi. xvii. Plutar. lib de animal. sollert. Sic Latinè Vitruuius in prooemio lib. vii. *Septem spectacula.* Diodorus verò etiam τὰ ἑπτὰ τὰ ἐπιφανέστατα ἔργα. lib. i. & ii. *Miracula*, autem artes mirandæ siue opera miranda. C. Tacitus Annali iii. in epistola Tiberij. *Aeris tabularumque miracula.*

C

NEC] Altera Amphitheatri laus, τὸ ἐργῶδες siue operositas. Admonet Geographus duas tantùm Pyramides in miraculis esse.

ASSIDVVS LABOR] vt Antipater. c. liiii. lib. i. Antholog.

Καὶ μέγας αἰπεινῶν Πυραμίδων κάματος. hoc est,
Et qui aeriarum ingens Pyramidum labor est.

Assiduus autem labor, vel frequens, vel longus in Babylone operibus exornanda. Herodot. lib. xi. Marcellin. lib. xxiii. Sic Propert. el. 1. lib. iii. Non placet interpretatio quæ in Aduersar. c. xi. lib. xvii. Minus Andreæ Alciati ad tres posteriores Codicis libros critica, rescribens, Assyrius labor. A multis nempe Assyriorum regibus condita Babylon paullatim, vt bene Herodotus, lib. xi. iniuriaque Stephanus Herodotum reprehendit, quasi qui à Semiramide sola exstructam dixerit. At Ammian. Marcellin. lib. xxiii. Mœnia quidem Babylonis à Semiramide constructa fuisse, arcem autem à rege antiquissimo Belo. Quæ sententia & Ouidij iiii. Mutat. form. Ioseph. origin. Iudaic. c. v. & vi. Zonaras lib. 1. Cedrin. Babylonem ædificatam primùm à Nabrode filio Nochi.

D

IACTET BABYLONA] Sic Babylon superba, epigr. xxix. lib. iix. Lucani lib. 1. Claudiani Panegyr. Manlij Theodori & ὑψίπυργον Βαβυλῶνα. Anthol. c. i. lib. iv.

NEC] iii. laus Amphitheatri, venationes.

MOLLES HONORES] Sacrificia mollia templi Ephesiæ Dianæ, de quibus Angelus Politianus Miscellan. c. li.

Dixit nempe molles honores noster hic, opponens Ionicis Dianæ sacris illis, Martias venationes arenæ. Vtque templum Dianæ Amphitheatro vincitur, sic venationibus sacra mollia.

Honores pro sacris vsurpare solentes Poëtæ, Grammatici notauere, vt Marcellus & Seruius ad iii. Æneidem. Etiam Symmacho epist. xliii. lib. i *Vndecimus honos*, pro vndecimo sacrificio. Iupiter ipse Homericus Iliade vlt. Sacrificia inquit esse γέρας siue præmium & honorem dijs.

------ Τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς.
----- *Nobis honor vnicus ille.*

Etiam τιμὰς Graij dixêre, vt Xenophon Memoralium lib. 1. Ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλα χαίρειν. &c. Rectè ibi τιμὰς interpretati θυσίας. Sed ijdem illud Iamblichi vita Pythagoræ c. xi. τιμᾶν τὸ δαίμονι interpretati θύειν. Sed allucinati. Nam voluit Iamblichus θυμιᾶν τῷ δαίμονι. Pythagoræorum θυμιάματα: aliorum θυσίας. Patescet legenti Porphyrium lib. 1. περὶ ἀποχῆς. Arnobius lib. vii. *Nidoribus cohonestatis Deos & succis.* Et C. Taciti Annali xvi. *Sine honore*, id est, Sine sacrificio. Parum accuratè in aduersarijs accepti *molles honores*, structura Ionica. Nam hæc quidem laudi est, at Coquus noster vituperare intendit.

Dixeris verò & in Coquum ipsum, contentiones similium crescere debere: atqui Pyramides longè admirabiliores templo Dianæ, vt ex Herodoti verbis intelligere licet libro 2. vbi omnibus Græciæ operibus anteposuit Pyramides Ægyptias. Sed Martialis Callimachi Poëtæ sententiam secutus videtur hymno Dianæ, vbi templo Dianæ nihil præcellentius conspici ait, à Sole Oriente. Et Antipatri, qui c. liiii. lib. 1. Anthologiæ, templum hoc non dubitauit spectaculis omnibus anteponere.

LAVDENTVR *Triuia templo*] Vel templo pro templi Atticè, vt Odyss. ii.

Μνηστῆρες μοι ἐπέχραον —— pro μου.

Interpres Eurip. ad Hippolytum. Vel templo, pro, cum templo; cum articulus Atticè tacetur, vt Æneide ix. ------ *Omnibus armis.* hoc est, cum omnibus armis. Thucyd. lib. vii. Ναῦς αὐτοῖς ἀνδράσιν pro σὺν αὐτοῖς. Demost. ἵππους αὐτοῖς ὅπλοις pro σὺν αὐτοῖς. L. Suidas in αὐτοῖς διεβάλετε.

ET ARA] iv. laus Amphitheatri, structura, vt aræ Deliacæ.

FREQVENS *cornibus*] κερατινὸς βωμός. Ara Cornea. De hac Callimach. hymno in Apoll. Ouid. epist. Cydippes. Plutarc. Theseo. & lib. de animal. sollert. Laërt. Pythagora. Angelus Politianus in Miscellaneis cap. lii. Eamque aram in Delo fuisse omnes pænè fatentur: excipe Eustathium, qui vnus ad Iliad. iix. vacillans opinor memoria posuit hanc Ephesi.

Ἀδόνα γοῦν καὶ Παριανὸς βωμὸς ἐπὶ μεγίστη, καὶ Ἐφέσιος δὲ κερατινός.

NEC] v. Amphitheatri laus, altitudo. Significanter Cares. Nam Cares. βαρβαρόφωνοι Homer. Catalogo nauium. Hinc & prouerb. Carica Musa. At laudatio munus est viri eloquentis.

OMNIS] Conclusio inductionis, nempe à rebus singulis ad vniuersum. Non dissimiliter epigr. xxcv. lib. v. *Inter cuncta, &c.*

CÆSAREO *Amphit.* δεσποτικῷ Cæsareo. Nam & alia Romæ amphitheatra, vt amphitheatrum Statilij Tauri, Amphitheatrum Castrense, P. Victor quinta regione vrbis. Statilij verò amphitheatrum in campo Martio, Dio. lib. li. Errant qui reposuêre in montem Cælium. Nam & P. Victor fuisse ait ix. regione vrbis, vbi & campum Martis posuit.

FAMA *loquatur*] Imitatio Catulli ad Rufsum.

------ Nam te omnia secla

Noscent, & qui sis fama loquetur anus.

Vt & carmine ad Manlium. Vetus inscriptio Tarraconensis. Epitaphio Fusci aurigatoris, factionis venetæ. Poëta vetus apud Priscianum, Τοὺς σοὺς ἀγῶνας αἰὼν λέξει. Fama loquitur. Nam os & linguam ei Poëtæ adpingunt, vt Virgil. Æneid. iv. vbi legend. Seru.

PENDENTIA] Mausoleum subnixum quidem columnis, sed tali ingenio, vt sine fulmento videretur suspensum in aëre. Tropicéque pendens in aëre, altum acceperis, vt Virgilij Ecl. 1. *Pendentes capellæ*, & Martial. epigram. c. lib. xiii. *Saxa pendentia* ex vetere Poëta, Tullij Tuscul. j.

AERE *vacuo*] Vt Papinius Thebaïde iix.

------ Te velox machina cœli

Aere pendentem vacuo ------

MAVSOLEA] A Mausoleo Carico sepulchra omnia magnificè constructa vocari cœpta Mausolea, Pausanias Arcadicis. Tertullianus de resurr. carnis c. xxvij. vt Mausoleum Augusti Romæ. Geographus lib. v. & in imitatione illa Propertij, *Et Mausoleum miseræ solatia mortis*. D. Hieronym. lib. ii. aduersus Iouinianum, Aurel. Cassio. epist. xv. lib. vii. Malè aut loqualiter Aggeni Vrbici lib. de limitib. agror. *Moësilea* pro *Mausolea*. vt Iul. Frontini lib. de limitibus, vbi *Moësilea loca religiosa*.

Interest tamen Mausoleum & sepulchrum. Mausolea splendida sepulchrorum tecta: sepulchra vbi corpus conditum. Itaque Curius Fortunat. lib. ii. *Loco*, inquit, *religioso. vt Mausoleo, sepulchro*. Locus scilicet religiosus est Mausoleum, aut sepulchrum.

Carici verò Mausolei legere historiam volenti, copia est Geographi lib. xiv. Vitruuij c. iix. lib. ij. Plin. c. v. lib. xxxvj. A. Gell. c. xiix. lib. x. Pomp. Melæ c. xvi. lib. 1.

OPVS] Opus reapse quidem Vespasiani & Titi. Sueton. Vespas. c. ix. Titi c. vii. Cassiodor. epist. xlij. lib. v. Victor in Tito. Euseb. & Cassiodor. Chron. Sed operis huius laudem Domitianus in se transferri voluit, vt & parti imperij. Sueton. Domit. c. iv.

LAVRENTIVS RAMIREZ DE PRADO.

COMPARATIONE καὶ ἐπαγωγὴν, per inductionem ostendit Titi amphitheatrum omnibus terrarum orbis ædificiis magnificis præferendum.

1 BARBARA.] Coniungendum cum nomine MEMPHIS, vt liquet epig. 36. lib. 8.

Regis Pyramidum Cæsar miracula ride,

Iam tacet Eoum Barbara Memphis opus.

De Pyramidibus pæne omnes Geographi Græci & Latini, copiose Herodotus.

2 ASSIDVVS.] Intelligi Babylonios muros à Semiramide extructos nemini dubium. ASSIDVVS an ASSYRIVS legendum, vt Alciatus in criticis ad tres posteriores libros Codicis, dubium multis. Theodorus Marcilius vir suo iudicio apprimè doctus, qui in hæc epigrammata spectaculorum longas farragines congessit, & si Dijs placet cocum Martialem nominauit, sequutus Robertum Titium, qui lib. 7. controu. locorum, cap. 21. notam hanc, tanquam titione è culina, vbi forte suas controuersias scripserat, arrepto, nobili Poëtæ Hispano, Romanoque equiti impudenter inussit, dum quid sit arcanum garum, lib. 7. epigr. 26. huius Poëtæ conatur explicare; nec vidit à Ioanne Salisberiensi, lib. 8. Polycrat. cap. 6. & 13. cocum per iocum appellari Martialem. Hic æstus rapuit secum librarios multos, qui in epigraphis Martialem cocum ambitiose scripserunt. Sed quod mirere magis Isaacus Casaubonus vir nostro seculo doctissimus, in notis ad Lampridium hoc nomen proprium fecit, & in Martialis familiam vi intrusit. Sed natus error ex Lampridij in Alexandro Seuero corrupto loco tali: *Multi septem diebus pulchros esse dicunt eos, qui leporem comederint, vt Martialis coci epigramma significat, quod contra quandam Gelliam scripsit*. Illud COCI fuit COCE veteri scriptura pro QVOQVE, vt in glossario Isidori in quo sic legitur: *Cocistro prægustator cocinæ*. vbi COCINÆ scriptum est pro COQVINÆ. quam scripturam COCE, pro QVOQVE, vt insolentem, cùm ignorarent recentes librarij in COCI mutauerunt, vt bono genio notauit ætate puer, sed iudicio senex Ioannes Meursius in Auctario Philologico, cap. 13. Hic inquam Marcilius hoc loco displicere sibi Alciatum affirmat, & deinde doctissimum Turnebum, qui verè ASSIDVVS LABOR legit lib. 17. aduers. cap. 2. & verè interpretatur. Assiduus enim labor ad Poëtas referendus est, qui ad nauseam vsque, & Babylonios muros, & vrbem ipsam celebrabant: éstque idem quod Horatius lib. 1. carm. ode. 7. vnum opus vocat.

Sunt quibus vnum opus est intactæ Palladis vrbem

Carmine perpetuo celebrare.

Assiduus igitur Poëtarum labor, inquit, non iactet Babylona.

3 NEC TRIVIÆ TEMPLO MOLLES LAVDENTVR HONORES.] Mathæus Raderus, qui nobis nuper ingentem librum commentarium ad Martialem dedit, eruditum sanè, vt à viro sacerdote è societate Iesu, placet sibi nimium quòd expuncta voce HONORES, IONES supponat, quia Ephesiæ Dianæ templum in Ioniâ esset, & quidem, vt ipse dicit, sententiâ perspicuâ, & vt ostendat à longo tempore fuisse ductum errorem inueteratos alios in hoc scriptore prolixe enumerat. Ego verò odi Cane peius, & angue, librorum corruptores, qui temerè, quæcumque libitum est, immutant: & veterem lectionem omnium codicum consensu comprobatam retineo. Honor enim apud Poëtas pulchritudinem rerum significat. Noster lib. 6. epig. 80.

Tantus veris honos, & odora gratia Floræ.

Et lib. 8. epigr. 55. & lib. 12. epigr. 63. Virgil. Georg. 1.

Frigidus & siluis Aquilo decussit honorem.

Et Horat. lib. 2. carm. ode. 11.

Non semper idem floribus est honos.

Et in arte,

Multa renascentur, quæ iam cecidere cadentq;,

Quæ nunc sunt in honore vocabula.

Et Tibullus lib. 1. eleg. 9. & alijs pluribus in locis. Seneca in ludo de morte Claudij Cæsaris,

Et deformis hyems gratos carpebat honores,

Diuitis autumni. ------

Papinius item Statius in Violantillæ epithalamio,

------ celsæ procul aspice frontis honores,

Suggestumque Comæ.

Et Sidonius Apollinaris prosa etiam oratione sequutus Poëtas lib. 1. epist. 2. Theodoricum Gothorum regem depingens ait, *Maximus in minime rugosis genibus honor*. Honores ergo in templo Triuiæ intellige, & signa ipsa, & columnas, & totum ædificium, summo artificio elaborata. Molles autem delicatissimos, & quasi viuos interpretare. Iuua-

bunt te Latinorum Poëtarum coryphæi, Virgil. lib. 6. Æneid.

Excudent alij spirantia mollius æra.
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.

Horatius in arte.

Aemylium circa ludum faber imus . & vnguis
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos.

Et idem per antitheton saty. 3. lib. 2.

Quid scalptum infabrè, quid fusum durius esset.

Durum igitur, & molle de opere fusili propriè dixit. Garsias etiam Lassus omnium Poëtarum Hispanorum facilè Princeps, & qui linguam nostram felici Minerua ditauit, cui debemus Musas Hispanas magni fieri, ac in pretio esse, vt laudaret picturam quandam hyperbolicôs hunc dicendi modum elegantissime vsurpauit in eclog. 3. sub persona Alcini his verbis.

Destas historias tales variadas
Eran las telas de las quatro hermanas.
Las quales con colores matiçadas
Claras las luces de las sombras vanas
Monstrauan à los ojos releuadas
Las cosas, i figuras qu' eran llanas,
Tanto qu' al parecer el cuerpo vano
Pudiera ser tomádo con la mano.

4 DISSIMVLETQVE DEVM.] Non expectes à me dum tibi obtrudam, quæ ab alijs prolixè tradita sunt: ab ijs enim manum abstinebo, nisi cum medicinam facturus mihi videar. Hæc ara verè *κερατινὸς βωμὸς* à Politiano iam olim cap. 52. miscell. indicata: ad sensum tantum hæc accipe. DISSIMVLET ARA DEVM, id est, ne existimetis opus illud adeò esse mirabile, vt necesse sit ei auctorem Deum Apollinem affingere; hoc enim Amphitheatri opus artificiosius est, & hominum manu factum. Honori igitur Apollinis hoc date, ne opus illud tanto Deo indignum tribuatur ei; quare ara frequens cornibus dissimulet (vt ait I. C. lege Licinius. ff. quibus ad libertatem proclamare non licet) de cond. sua.

5 AERE NEC VACVO PENDENTIA MAVSOLEA.] Hoc loco Marcilius *θαυματουργῶς* hæc Mausolea in aëre pendentia nullo fulcro innixa collocat: ignorans pendentia tecta ea dici, quæ suffulta columnis erigebantur, ita vt parietes non essent fundamentis inferius sustentati, sed lapideis trabibus supra columnas inniterentur. sic noster lib. 2. epigr. 14.

Inde petit centum pendentia tecta columnis.

Ad eundem modum Virgilius, siue is sit Cornelius Seuerus auctor illius eruditissimi Poëmatij, quod Aetna inscribitur.

Vt crebro introrsus spatioque vacante corymbus,
Pendeat in sese. ——

Id est, seipsa suffulta, nullis fundamentis innixa. Quod alibi noster dixit nutantia. lib. 1. epig. 89.

Accipe non Phario nutantia pondera saxo.

Quod epitheton desumpsit, vt pleraque à Seneca epist. 123. *Qui pomaria* (inquit) *in summis turribus serunt, quorum silua in tectis, aut domorum fastigijs nutant.* Hinc intellige phrasin Senecæ familiarem SVSPENDERE ÆDIFICIA. id est, admotis validissimis trabibus tamquam fulcris ædificium tenere ne corruat, dum fundamenta reficiuntur. Sic lib. 6. de benef. cap. 16. *Quantum nobis præstat, qui labentem domum suscipit, & agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendit.* Vbi obiter adnotabis illud SVSCIPIT, non esse immutandum, vt rectè Gruterus vindicat; sed non rectè interpretatur dum ait,

A notum esse, quid significet ijs, qui norunt, quid sit propriè suscipere liberos, hoc enim est liberos à terra sublatos suscipere in sinus; illud autem de ædificijs multum diuersum. Est enim excipere minantia ædificia fulcris illis, quæ diximus, antequam cadant: vt Hispani dicunt TOMAR VNA PARED CON PVNTALES. Id verò, quod additur INSVLAM INCREDIBILI ARTE SVSPENDIT, significat vt partem domus labentis firmius reficiat, & ne periculum ab alia parte latens occultetur, totam domum trabibus suscipit, & suspendit, quam insulam vocat more prisco; nam quamuis propriè insulæ dicantur, quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis, à similitudine insularum quæ in aqua sunt: vnde lux Suetonio in Nerone, cap. 44. nihilominus tamen pro quacumque domo sumitur illud nomen, vt poteris notare in suprà dicto loco Senecæ, quam prius domum simpliciter appellat,

B deinde insulam vocat. Quà de causâ Festus, *Insula* (inquit) *dicta propriè* (sic enim lego, non propriæ) *quæ non iunguntur communibus parietibus cum vicinis.* Dixit PROPRIE, eo quod, non propriè, & ampliata significatione pro quacumque domo sumitur illud nomen. idem probo ex Vlpiani verbis, l. si solutum. §. solutam. ff. de pignoratitia actione. *Non enim* (inquit) *credibile est hoc conuenisse, vt ad vniuersam pensionem insulæ friuola mea tenerentur, creditur autem tacitè, & cum domino ædium hoc conuenisse, vt non pactio cœnacularij proficiat domino, sed sua propria.* Insulam appellat, quamcumque domum, nam hoc ius non statuitur solum de insulis propriè dictis, sed de quacumque domo; ideò subiungit statim, *Cum domino ædium,* ita vt insula idem sit, ac ædes. eâdem acceptione sumitur in epigrammate 37. li. 4. de Afro glorioso diuite,

C *Et insulis, fundisque tricies solum.*

Insulis dixit pro domibus quas locabat. Non enim est consentaneum omnia huius vrbana prædia insulas esse. Et Petronius in Satyr. *Vos me hercules ne mercedem cella daretis, fugere nocte in publicum voluistis? sed non impunè. Iam enim faxo sciatis non viduæ hanc insulam esse, sed Marci Manutij.* Et paulo inferius. *Interim coctores insularijque mulcant exclusum.* Sed redeo ad suspensionem ædium vnde digressus fui. Idem Seneca Natural. quæst. lib. 6. cap. 1. *Et quemadmodum in vrbibus magnis, nunc hæc domus, nunc illa suspenditur; ita in hoc orbe terrarum, nunc hæc pars facit vitium. nunc illa.* Et Cicer. in Topicis. vbi de efficientibus loquitur. *Omnibus* (inquit) *est ius parietem directum ad parietem communem adiungere, vel solidum, vel fornicatum. At si quis in pariete com-*

D *muni demoliendo damni infecti promiserit, non debebit præstare quod fornix vitij fecerit. Non enim eius vitio, qui demolitus est, damnum factum est, sed eius operis vitio, quod ita ædificatum est, vt suspendi non possit.* Ab eadem mente in balneis, *suspensuræ* vocabantur, vbi caldaria collocabantur ad calefaciendum, quod supra hypocaustum essent fornicato opere ædificatæ. de quibus Vitruuius lib. 5. cap. 10. ab ijs ducebantur tubuli parietibus impressi per quos in alia loca infundebatur vapor. Vnde Seneca epist. Quis dubitare. 90. *Quædam nostra demum prodisse memoria scimus, vt specularium vsum perlucente testa, clarum transmittentium lumen, vt suspensuras balneorum, & impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa foueret æqualiter.* Et alia item non manufacta, sed naturâ constantia, vt moles montium excauatæ subtus, suspendi dicuntur. Idem Seneca epist. 41. *Et si quis specus saxis penitus exesis*

montem suspenderit, non manufactus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excauatus, animum tuum quadam religionis suspicione percutiet. Virgilius etiam lib. 4. Georgicon vers. 374. cum excauatum, & secretum locum ex pumice, quæ cauæ fiunt, vt dixit eodem lib. vers. 44.

Pumicibusque cauis, exesæque arboris antro.

Voluit dicere, hæc ita scripsit,

Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Peruentum ------

Hæc non latuêre Garsiæ Lasso, politissimi ingenij Poëtæ, qui ecloga 2. sub persona Albani ita scriptum reliquit.

A

Llegue a vn barranco de muy gran altura,
Luego mis ojos le reconocieron:
Quo pende sobre el agua, i su cimiento,
Las ondas poco à poco le comieron.

Pensiles etiam horti ideò dicti, quia columnis suspensi nutabant.

6 OMNIS CÆSAREO *cedat labor amphitheatro, &c.*] Cùm esset nullum amphitheatrum à præteritis Cæsaribus extructum, communi nomine Titi amphitheatrum indicat Poëta. Labor autem hoc loco opus significat architecturæ diuersum a labore Poëtarum, de quo supra.

Ad eundem Cæsarem. II.

Hic vbi sidereus propius videt astra colossus,
Et crescunt media pægmata celsa via;
Inuidiosa feri radiabant atria regis,
Vnáque iam tota stabat in vrbe domus.
Hìc, vbi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic, vbi miramur, velocia munera, thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas vbi porticus explicat vmbras,
Vltima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma sibi est, & sunt, te præside, Cæsar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

B

Πρὸς τὸν αὐτὸν Καίσαρα. Β.

Ἔνθα κολοσσῆεν βρέτας ἵσταται οὐρανομήκες,
Μεσσόθι δ' ἔστη ὁδοῦ πήγματ' ἀειρόμενα·
Τῇ δ' ὅλου βασιλῆος ἀπεστίλβεσκε τυράννου,
Ἐν δ' ἦν μοῦνον ὅλης τῆς πόλεως μέγαρον.
Θέσκελον ᾗ περιβλέπτου ἐγείρεται ἀμφιθεάτρου
Κτίσμα, κολυμβήθρη τῇδε Νέρωνος ἔην.
Νῦν βαλανεῖον ὅπου θαυμάζομεν, ὠκὺ χάρισμα,
Δῆμον τοὺς ἰδίους ἀγρὸς ἀφεῖλε δόμους.
Κλαυδιὰς ᾗ αἰθοῦσ' ἀπέχει τέγεος εὔσκιον, αὐλῆς
Τῇδε τελευτώσης ἦν μέρος ἔσχατον.
Ῥώμη, ἄναξ, ἐπὶ σοῦ πάλιν ἔζησ', αἱ δ' ἀπολαύσεις
Δημοτικαὶ νῦν εἰσ', αἵ ποτε δεσποτικαί.

C

DOMITIVS CALDERINVS.

HIC *vbi sidereus*] Domit. vrbem distinxit, & alibi à poëta laudatur, nunc verò extollitur, quod plura ædificia erexit in eo solo loco, & spatio, quod ædes Neronis occupauerant: & argutè ait, Romam sibi redditam esse quàm prius tyrannus occupauerat, & nunc loca patere delicijs populi, quæ olim vni tantùm Domino seruiebant.

SIDEREVS] Altissimus.

PROPIVS *astris*] Id est, vicinus, hyperbole figura amica poëtis, vt scribit Quint.

Colossus. COLOSSVS] Dicitur ingens statua, ἀπὸ τοῦ κολούειν τὰ ὄσσε, i. ab hebetando aspectu: vt Suidas apud Græcos interpretatur, vel à Colosso primo conditore, vt Pompe. scri. hîc loquitur de Colosso Neronis. nam Nero accersito Zenodoro ex Gallia, eius opera, & artificio iussit sibi strui colossum centum & viginti pedum, quæ statua eo mortuo dicata est Soli, mutato nomine: & erat in atrio olim eius domus, de hoc inquam loquitur, quoniam vt Sueton. scri. erant in atrio domus Neronianæ, vt etiam hic, & quòd indicat Mart.

Inuidiosa feri radiabant atria regis.

Erat præterea Colossus Domit. in vrbe equestri habitu, de quo alibi loquitur poëta:

Inde sacro veneranda petes palatia cliuo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.

De eodem multa apud Papinium in prima silua.

Pægma. PÆGMATA *celsa via*] Pægma significat compactum ædificium: quod vel statuis, vel alio aliquo ludibrio ornatum: interdum pueris confidentibus producebatur in scœnam. Hinc est quod à Sueton. scribitur Culadium consueuisse obijcere bestiis etiã illos, qui parum diligenter & prospere pægma in scœnam produxissent. C. princeps produxit in scœnam pægma: in quo erant centum & quinquaginta pondo argenti: vt scri. Plin. Inde illud est Iuuenal. *Et pegma & pueros inde ad Valeria raptos.* Quod prauè interpretantes pægma pro ludo accipiunt, cum machinam significet, vt dixi.

D

ATRIA *feri regis*] Domus Neroniana à palatio tendebat in Æsquilias: quam primo appellauit transitoriam: postea auream habentem Porticus triplices milliaria: stagnum instar maris, arua, vineta: siluas cum omni genere pecudum & ferarum: fistulas spargentes flores, & vnguenta: cœnationem rotundam: quæ in modum cœli mouebatur: aues argenteas: in solarijs lapidem spengitem, quò perpetuus dies illucebat. Tacitus & multi senserunt: & Sueton. incensam fuisse vrbem vt tantam domum ædificaret. Domus Neroniana.

INVIDIOSA] Maxima, & redundantia delitijs.

RADIABANT] Splendebant ornamentis & Colosso Neronis: quæ in atrio erat occupata, & idem ex disticho: *Roma domus fiet: veios migrate Quirites: Si non & Veios occupat ista domus.*

VELOCIA *munera thermas*] Titus celeriter struxit thermas propè amphitheatrum Domitiani: propterea *velocia munera:* emenda deprauatum locum

apud Sueton. qui ita scriptus est: Thermis celebriter extructis pro celeriter.

SVPERBVS *ager*] Quia domus Neronis complexa erat agros.

Porticus Claudia.

PORTICVS *Claudia*] Olim & Liuia dicta est: sed ædificante Nerone euersa fuit: restituta postea sub nomine prisco à Dom. Porticus apud Romanos ædificabantur vmbris, & ambulationibus. Sunt qui de Neroniana porticu, ego de Liuia sentio: cuius meminerunt Cic. & Sueton.

DEFICIENTIS] Finientis.

REDDITA *sibi Roma est*] Roma Romam amiserat, quia non sua erat: sed Neronis. nunc a Domitiano est sibi reddita & Romanis.

MARCILIVS.

HÆC vulgaria inscriptio est; sed plenius fortean, de operibus Domitiani. Vt epigrammate primo amphitheatrum adscripsit Domitiano quanquam Titi esset: ita nunc alia Vespasiani patris & Titi F. opera transferre pergit in Domitianum, adsentatiuncula poëtica.

HIC] Primum opus. Colossus translatus ex domus Neronis aureæ vestibulo in viam sacram. Narrat Sueton. Nerone c.xxxi. Vespasiano, c.xxxi. Dio item Vespasiano. Nempe Claudius Nero construxit primitus Colossum. Plinius c.vii.lib.xxxiv.& posuit in vestibulo domus aureæ, Sueton. Nerone cap. xxxi. Vespasianus deinde locauit in via sacra, & Soli dicauit, effigie Solis, cum antè specie figuraque Neronis fuisset. Plinius loco antedicto.

Hinc Sueton. Vespas. c. xviii. *Colossi refectorem ait insigni congiario, magnáque mercede à* Vespasiano *donatum*. Sed Ælius Spartianus in Adriano Colossum Soli consecratum fuisse refert ab Adriano. *Et Colossum*, inquit, *stantem atque suspensum per Detrianum architectum transtulit de eo loco. in quo nunc templum vrbis est, ingenti molimine, ita vt operi etiam elephantes viginti quatuor exhiberet. Et cùm hoc simulacrum post Neronis vultum cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset, aliud tale Apollodoro auctore facere Lunæ molitus est.* Templum vrbis intellige templum Romæ: de quo Prudentius lib. I. aduersus Symmach.

Ergo pugnare videtur cum Plinio Spartianus; nisi fortasse post ætatem Vespasiani caput Neronis repositum fuit, rursusque demtum ab Adriano, & eius vice additum caput Solis. Quod ex verbis Lampridij in Commodo videtur elici posse, qui etiam à Commodo Neronis caput ait Colossum demtum fuisse, ac suum eius loco impositum.

VBI] Quarta regione vrbis. Dio Vespasiano. Martialis Epigr. lxxi. lib. I. P. Victor iv. regione vrbis. Positus ibi Colossus à Vespasiano vi. Tito iv. Coss. Dio in Vespas. Tamen etsi Cassiodorus Chronicis aliter, nempe Colossum exstructum Vespasiano iix. Tito vii. Coss.

COLOSSVS] παρὰ τὸ κολούειν τὰ ὄσσε, quia oculorum acies celsitate eius nimia quasi infringitur. Auctor Etymologici. Tangit & Cedrinus. Sic Stat. l. I. Silu. de equo Domitiani

——vix lumine fesso

Explores, quàm longus in hunc despectus ab illo.

Fugit ratio Festum qui Colossum à Charetis aut Coleti architecti nomine vocatum censet, à quo exstructus. Principio enim à Charetis nomine Colossi nomen duci posse non videtur: deinde verò Charetem aut Coletum Colossi non fuisse architectum apertissimè Sex. Empiricus declarat lib. I. de Philosophia; cùm ait, Charetem desperatione mortem sibi consciſſe ante opus inchoatum, quòd centuplo pæne minore pecunia id opus redemisset quàm ad perfectionem eius requireretur. Itaque Charete mortuo redemtum fuisse opus ab alijs architectis. In quibus fortasse Laches, à quo Colossum Rhodium exædificatum esse posuit Simonides in epigrammate c. vi. lib. iv. anthologiæ. Corrigit Brodæus, Chares, ne rectè. Viceuersa Plinij c.vij. lib. xxxiiij. pro Charete reponendum nomen Lachetis. Ni doceamur in beneficij loco datum hoc à Rhodijs Chareti mortuo, vt nomen eius Colosso etiam ab alijs perfecto inscriberetur.

Quæ fuerit autem huius Colossi longitudo, diuersæ pugnantesque sententiæ sunt. Eusebius & Cassiod. in Chronicis, pedes centum & septem fuisse aiunt. Pompeius Festus pedes cv. Xiphilin. Vespas. cap. cxxiv. P. Victor. cii. & semis. Plin. c. vii. lib. xxxiv. P. cx. idemque c. v. lib. xxxv. P. cxx. Quemadmodum & Suetonius in Nerone c. xxxi. Hyginus Fabella ccxxiii. pedes xc.

SIDEREVS] Radiatus, vt Epig. lxxi. lib. I.

——Miri radiata Colossi Moles——

Vespasianus enim capite Neronis demto, imposuit *caput solis, insigne radijs vij. quorum singuli pedum xxij. & semis.* P. Victor in quarta regione vrbis. Sed postea solis capite demto, suum caput imposuit primùm Nero, deinde Neronis demto capite, suum Commodus, vt Xiphilin. & Lamprid. in Commodo. Sidereum itaque Colossum dixit Martial. quia similitudinem habeat solis, quemadmodum epigr. lx. lib. xii. Solem ipsum, *Deum sidereum*. Sic Lamprid. de Diadumeno: *Quasi sidereus & cœlestis emicuit:* Aut sidereus quasi geminus germanus siderum: & siderum choro insertus propter nimiam celsitudinem, de qua prædictum est.

PROPIVS *videt astra*] Expolitio. videt propius, quia sidereus: vel quia sol & planeta, siue errores videre dicuntur, siue βλέπειν. L. Seneca epist. xxciix. Hinc θαυματοποιοὶ & βλέπειν. De quibus Galliæ decus Budæus lib. I. de Asse.

ET *crescunt pegmata*] Pegmata quemadmodum crescerent patet L. Senecæ epist. xxciix. *Pegmata*, inquit, *per se surgentia, & tabulata tacitè in sublime crescentia*, & T. Calpurnius Ecloga vii. *Aurea cum croceo creuerunt arbuta libro, &c.*

Vt creuere sic & decreuere pegmata. Claudian. Panegyr. Manlij Theodori.

Mobile ponderibus descendat pegma reductis.

Decreuêre aut sensim, siue subsidendo, vt illud Claudiani; aut repente & ruina, quam Petronius Arbiter pingit, & Geographus lib. vi. vbi de Seluro Ætnæ filio.

Pegmata item alia theatri. De his nunc Martialis, & epigr. sequente xxi.

Resserunt scopuli——

Iuuenal. Sat. iv. alia triumphi. De his Iosephus captiuit. Iudaicæ c. xvii. lib. vii.

Libaui hæc paucula de pegmate, ne tironi res insolens esset: at enim Valerius noster nunc eiusmodi pegmata non tangit, sed ἐπεξεργαζόμενος dixit *Colossum sidereum, pegmata celsa*, Pegma non automatum accipi volens, sed poëticè Colossum, qui ex varijs fragminibus & frustis confixus, siue συμπηγές, vt eleganter Lucianus expressit. Glossæ *configit* συμπήγνυσι. συμπήγνυμι *Configo*. πῆγμα *Confixum*. Apuleius Miles. lib. iv. *Confixilis machina sublica turres tabularum nexibus.*

Quemadmodum autem colossus pegma siue confixum sit, pingit Lucianus eleganter in Gallo siue somnio suo. Tyrannos esse persimiles, τοῖς μεγάλοις ἐκείνοις κολοσσοῖς, οἵους ἢ Φειδίας, ἢ Μύρων, ἢ Πραξιτέλης ἐποίησεν. ἐκείνων γὰρ ἕκαστος τὰ ἐκτὸς, ὁ μὲν Ποσειδῶν, ἢ Ζεὺς ὑπέρκαλλος, χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος ξυνειργασμένος, κεραυνὸν, ἢ ἀστραπὴν, ἢ τρίαιναν ἔχων ἐν τῇ δεξιᾷ. ἢν δὲ ὑποκύψας ἴδῃς τά γε ἔνδοθεν, ὄψει μοχλούς τινας καὶ γόμφους, καὶ ἥλους διαμπὰξ πεπερονημένους, καὶ κορμοὺς καὶ σφῆνας, καὶ πίτταν ὑπὸ πηλὸν, καὶ τοιαύτην τινὰ πολλὴν ἀμορφίαν ὑποικουροῦσαν. ἐῶ λέγειν μυῶν πλῆθος, ἢ μυγαλῶν ἐμπολιτευομένων αὐτοῖς ἐνίοτε. τοιοῦτόν τι καὶ βασιλεία ἐστίν. Dico Latinè. *Vt grandibus illis colossis quales aut Phidias, aut Myro, aut Praxiteles fecere. Nam horũ quisque extrorsum, aut Neptunus, aut Iupiter est eximia pulchritudine, auro, eboréue compaginatus, fulmen dextra tenens, aut fulgetram, aut fuscinam: introrsum autem capite misso inspice, mox in oculis tibi vectes, & paxilli, & claui quibus hinc inde confixi. Tum caudices, cunei, pix sublutea siue luto mista, aliáque id genus plurima fœditas, intus quasi domi seruans. Mitto memorare musculorum & musaraneorum popellos, quorum subinde ibi Respublica. Eiusdem sortis est fortuna regia.* Dixit Lucianus. *Cuneos* autem siue σφῆνας cape vincula, qualia Vitruuij c.xiix.lib. x. in fabricatione balistæ. *Cuneoli ferrei*, σφηνίσκοι.

Geminus germanus locus huic Lucianico, ille Arnobij lib. penult. aduers. gent. *O vtinam liceret in simulachri alicuius medias introire pendigines.* Et mox. *Iamdudum istos videretis Deos laminarum flatilium esse crates, particularum coagmenta deformium, à ruinarum casibus, & dissolutionis metu subscudibus, & catenis, vncis, atque ansulis retentari, &c.*

Esto, inquies, pegmata illa Colossus, sed quomodo eiusmodi pegma siue Colossus crescit? Crescit poëticè & figuratè quia positus in sacra via. Sacra via cliuus montis Capitolini. Itaque pro sacra via, *cliuum sacrum* dixit Horatius oda ii. lib. iv. Martialis epigr. lxxi. lib. i. & *cliuum Capitolinum* Cicero Philipp. ii. adscendentibus itaque sacra via visus paullatim, vt fit, crescere Colossus, siue attolli, vt Maro Æneide iii. dixit,

Quarto terra die primùm se adtollere tandem
Visa —— Sic idem, *aperiri montes.* Et noster hoc isto epigrammate. *Erigi amphitheatrum.* Propert. eleg. i. lib. iv. —— *Scandentes è vallibus arces.* Et *Scandentisque axis* —— At liber de Amphitheatro c.xxii. censet amphitheatralibus pegmatis in sacra via quasi apothecam, siue horreum fuisse, vnde in amphitheatrum oportunè promerentur. Hoc si est, stultè noster hic crescere pegma dixit. Nec enim intenta, sed soluta pegmata reponi solita, neque creuere aliter quàm in spectaculis. Auctariolum esto. Negat placere sibi Martialis, pegmata illa siue solutiles machinas nunc proferri, cum ipse opera Domitiani recensere velit, quibus Romam ornauit, *Colossum, amphitheatrum, thermas, porticum Claudiani.* Vide lector & ride inter hæc opera locum dari pegmatis vel automatis, vt inter aues noctuæ.

M e d i a *via*] Adpositè mediam siue manifestam viam dixit, eò respiciens quod Colossus antea in vestibulo domus Neronianæ positus, quasi latitauit: nunc in aperto est positus via publica. Media verò via manifesta siue aperta vt ii. Æneid. *Media morte*, & vi. *Hoste medio.* Sic *media via*, Propert. eleg. iii. lib. iii. Ouid. Ponti. eleg. i. lib. i. Seruius ad Æneid. v. Bene & alio sensu *sacra via media via.* Media nempe inter Capitolium portamque triumphalem. Horat. epoda vii. T. Liuius lib. xlv.

R a d i a b a n t] Radiabat domus Neronis, quoniam inaurata. Itaque ipse Nero eam domum auream indigetauit Sueton. Nerone c. xxxi. Plin. c. xv. lib. xxxv. Xiphilin. Vitellio.

I n v i d i o s a *atria*] Vt Horat. oda x. lib. ii. Inuidenda aula. Et oda j. lib. iii. Inuidendi postes. Atrium autem Martiali, quod Suetonio vestibulum, Nerone c.xxxi. in vestibulo enim domus aureæ positus à Nerone Colossus. Vestibulum autem à plerisque idem putari esse cum atrio. A. Gellius c. vi. lib. xvi. Plin. epist. xvii. lib. ii.

F e r i *regis*] Iniqui, vt ii. Æneid. Ferus Iupiter. Inuidiosè autem, regis. Nam id nomen Romanis odio. Iustin. lib. xxxviii. orat. Mithrid. Latinus Pacatus Panegyr. Theodosij.

E t *vna domus*] Lusit fortean ad epigramma scriptum de aurea Neronis domo. Sueton. Nerone c. xxxix. *Roma domus fiet.* Plin. c. iii. lib. xxxiii. *Aurea domus ambientis vrbem.* Vitellius tamen ea in domo habitare sibi visus angustè. Legend. Xiphilin. in Vitellio. De aurea Neronis domo, Sueton. Nerone c. xxxi. Tacit. annali xv. Plin. c. xv. lib. xxxv. Dio Prusæus oratione.

S t a b a t *in vrbe.*] Inuidiosè dictum, *vna*, & *stabat.* Nempe quasi cæteris consumtis Neroniano incendio. Item odiosè *vna domus.* Quippe vrbs & ciuitas multarũ viciniarum esse debet, in vicinia multæ domus. Aristoteles c. ii. lib. j. de Rep. Itaque Nero peruertit naturam vrbis.

H i c *vbi*] ii. Domitiani opus amphitheatrum. *Hic* verò accipe in media vrbe. Suet. in Vesp. c. ix. & iii. regione vrbis. P. Victor.

E r i g i t v r] Erigi amphitheatrum dixit, altitudinem eius declarans. Vt ante, *pegmata crescere.* Sic Virg. Æneid. iix. *Insulam erigi fumantibus arduam saxis.* De amphitheatri altitudine Ammianus Marcellinus lib. xvi. *Amphitheatri molem solidatam lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatem, agrè visio humana conscendit.*

M o l e s *venerabilis*] vt Ammianus *Amphitheatri molem* dixit. Vt *erigi* refert ad altitudinem hic noster, sic molis nomen ad amplitudinem. De qua P. Victor iii. reg. vrb.

Venerabilis autem ea *moles*, quoniam sacra Marti. Tertyll. cap. vi. de spectac. Saluian. Massil. lib. vi. Item dijs alijs aut potiùs omnibus. Itaque Amphitheatrum Tertylliano, omnium dæmonum templũ. De spectacul. c. x.

S t a g n a *Neronis*] Tacit. xv. Sueton. Nerone c. xxxi.

H i c *vbi miramur*] iii. opus Domitiani Thermæ Titianæ, tertia regione vrbis. P. Victor.

T h e r m a s] De his thermis ipse, epig. xxxiii. lib. vii. Carisij lib. i. & Eusebij Chronicis, *Therma Titiana.*

V e l o c i a *munera*] Quia exstruct. celeriter. Sueton. Titi c. vii. Aliqui *velocia* interpretati, quia in his thermis gymnasia cursorum. Sed illi frustra sunt: Neque enim thermas veloces Poëta, sed *thermas velocia munera* dixit, propter celeritatem exhibitionis.

S v p e r b v s *ager*] Sueton. Nerone c. xxxi. c. Tacit. annali xv.

C l a v d i a *porticus*] iv. opus. *Porticus Claudia.* Porticus Liuia, de qua Dio lib. liv. C. Tacitus annali vi. Plin. c. i. lib. xiv. Ouid. j. nequitiæ, & Fastor. vi. Dio lib. lvi. Hanc P. Victor in iiii. vrbis regionem adscripsit, Sex. autem Ruffus variè modo, in regionem Isidis & monetæ: aliàs in regionem fori Romani.

Ac Domitius quidem Calderinus interpres sic

porticum Claudiam pro Liuia porticu accepit, sed A veriùs dixeris intellegi porticum aliquam patris Vespasiani, cuius restitutæ gloriam sibi Domitianus adscripserit. Nam & Claudij Cæsaris monimenta Vespasianus restituit. Sex. Aurel. Victor in Vespas. & porticus inter opera Domitiani recenset Eutropius lib. vii.

EXPLICAT *umbras*] Porticus enim ad umbrā. Horat. oda xv. lib. ii. Sic *umbra Pompeia*, quæ porticus Pompeiæ. Propert. eleg. iix. lib. iv.

REDDITA *Roma*] Partibus Romæ restitutis; Romam totam sibi redditam esse. Sic epigram. vij. lib. v. epigr. lx lib. vij.

TE *præside*] Cæsar, *præses mundi*, vt epigram. iij. lib. v. epigr. xix. ep. lxxx. lib. viij. epigr. vij. lib. xij. ij. lib. vj. Ouid. fine lib. xiv. Plin. c. xvj. lib. vij. vel præses spectaculorum. Imperator enim præsidere B solitus in spectaculis, vt apud Suetonium Augustus c. xlv. Nero. c. xij. vbi interest *spectare & præsidere*. Et Domitianus c. iiij. & Claudius apud Tacit. lib. xij. Quibus ex locis intelligere licet, quæ ratio fuerit in spectaculis præsidendi. Herodianus in Commodo, id vocauit, [Greek], id est, *præsidere in sede regia*. Regia verò sedes collocata inter sellam vtriusque Consulis. Dio lib. liij. & liiij.

DELICIÆ *populi*] Spectacula vocauit delicias populi; quemadmodum Iulius Capitolin. in Gordiano iuniore. *Post hæc tamen voluptatibus & deliciis populus Rom. vacauit.* hoc est spectaculis. Et Symmachus ep. xlvi. lib. ij. ep. ix. lib. x. Vopiscus in Aureliano. Trebellius Pollio in Gallienis. Cassiodorus ep. xlij. lib. v. Tertullian. lib. de hab. & c. x lib. de Spectac. Et Imp. lib. j. C. de spectaculis, vocauit populi studia & voluptates. Sic paulò post. Integra voluptas. Sic enim legendum est.

QVÆ *fuerant domini*] odiosè Neronis *domini*, quasi habentis ciues pro seruis. L. Suetonius Augusti c. liij. Tiber. c. xxvij. Dio in Tiberio, lib. lvi.

RAMIR. DE PRADO.

VESPASIANI & Titi AA. beneficentiam laudat hoc epigrammate, qui insanas Neronis substructiones demoliti, damna vrbis liberalitate sua compensarunt, domum illam auream, quam Nero fecerat à Palatio Esquilias vsque vrbi restituentes, & in publica ædificia commutantes: de qua domo Tranq. in Nerone, cap. 31. & idem cap. 39. epigramma contumeliosum, quo notatus Nero ob hanc domum adducit. Sed hæc vulgatissima.

1 HIC *vbi sidereus propius videt astra Colossus.*] Bonam præstitit Raderus in hoc epigrammate diligentiam, de regionibus vrbis, de Colossis & præcipuè de hoc multa congerens, quem vide. Benè Marcilius sidereum Colossum dici, quòd Noster sidereum Deum appellet Solem, epig. 60. lib. 12.

Magnaque siderei vidimus ora Dei.

Et hic Colossus effigies Solis.

2 ET CRESCVNT *mediâ pegmata celsa viâ.*] Surgunt. Virgilius in Ceiri,

Non minus illa tamen reuehi quod mœnia crescant.

Velut in 1. Æneid. surgunt.

O fortunati, quorum iam mœnia surgunt.

Ouid. epist. Didon.

---- nec te crescentia tangunt

Mœnia ---

Nam crescunt ædificia cùm eriguntur. Hoc autem moneo, vt videas hoc nomine deceptos esse, qui hæc pegmata temporaria existimarunt, quod scenica illa versatilibus machinis subitò erigerentur.

3 VELOCIA *munera thermas.*] Quàm multa celeritate hæ thermæ fuerint consummatæ, docet Suetonius in Tito, cap. 7. Accedit autem hoc ad magnificentiam publicorum ædificiorum, quæ populo muneri dantur, vt summâ velocitate properantur. Laudat Plinius iunior ob hanc causam Traianum suum in Panegyrico, his verbis: *At quam magnificus in publicanos? hinc porticus, inde delubra occultâ celeritate properantur, vt non consummata, sed tantùm commutata videantur.* Quo loco nota, *occultâ celeritate properari*, nil aliud esse quàm non animaduersâ, ita vt inopinatò iam structa hæc ædificia veluti apparerent hominibus. Eâdem dicendi formulâ dixit Horatius lib. 1. carm. od. 12.

Crescit occulto velut arbor æuo,

Fama Marcelli. ---

Sed vltima verba subobscura sunt, *vt non consummata, sed tantùm commutata videantur.* Quæ interpretatur Catanæus *consumata*, *id est, perfecta ab ipsis fundamentis. Commutata, id est, reparata, refecta, quod celerius fit.* Lipsius suo more Latinius & breuius eandem sententiam sequitur. *Consummata*, inquit) *noua structione, commutata reparatione.* Sed cœcurit vterque. Quis enim dixisset commutare ædificia pro reparare? Acutior sensus Declamatoris Plinij est, C & [Greek] aucta celeritas ædificandi. Non enim, inquit, consummata videntur ædificia, sed tantùm loco mutata, id est, quæ alijs locis structa fuissent & perfecta, suis euulsa sedibus temporis momento translata Romam. Nam aliquando factum narratur à Murena, Varrone Ædilibus à Lacedæmone vsque, excisum è lateritijs parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneisque formis inclusum, Romam ad spectandum deportatum. Quod narrat Plin. lib. 35. cap. 14.

4 DELICIÆ POPVLI.] Delicias facit hoc loco omnibus Marcilius; & se egregiè ridendum propinat, dum delicias spectacula interpretatur. Quid enim commune habent ædificia publica cum spectaculis? Aut quando Nero domi suæ sibi vni, excluso populo, edidit spectacula? Verus sensus, quem inconstanter Raderus attingit, est. Quæ loca ad delicias priuatas Neronis fuerant comparata, eadem D nunc facta publica Cæsaris benignitate, delicijs populi seruiunt: Plinius iunior insanas illas Neronis substructiones eleganter suggillat, à contrario laudans Trajanum in Panegyrico. *Non enim*, inquit, *exturbatis prioribus dominis omne stagnum, omne lacum, omnem etiam saltum immensâ possessione circumuenis, nec vnius oculis flumina, fontes, maria deseruiunt* (& paucis interiectis) *quæ priores Principes occupabant, non vt ipsi fruerentur, sed ne quis alius.*

Ad eundem

A

Ad eundem Cæsarem. III.

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara Cæsar,
Ex qua spectator non sit in vrbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hamo.
Venit & epoto Sarmata pastus equo,
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili.
Et quem supremæ Tethyos vnda ferit.
Festinauit Arabs, festinauere Sabæi,
*Et Cilices * nimbis hic maduere suis.*
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diuersa sonat: populorum est vox tamen vna,
Cùm verus patriæ diceris esse pater.

(Margin: * Cilico Côrycione Croco. Vide Turneb. lib. 17. cap. 2.)

Πρὸς τὸν αὐτὸν Καίσαρα. Γ.

Καὶ τί πόσον τηλουρὸν, ἄναξ, καὶ βάρβαρον ἔθνος,
Ἐξ ὅπου οὐχ ἵστωρ ἐς τεὸν ἄστυ πάρλεω;
Ἐνναέτης Ῥοδόπης λείπων Ὀρφήιον Αἶμον.
Ἦλθ', ἱππημολγός τ' ἐνθάδε Σαυρομάτης.
Χ' ὅστις ἐοῖ πηγὰς Νείλου πίνουσι σεύοιδε,
Χ' ὅντινα προσκλύζει κύματα ἁλὸς πυμάτης.
Ἐν μὲν Ἄραψ σπεύδεσκ', ἐν δ' ἀπέρχοντο Σαβαῖοι·
Τοὺς Κίλικας ῥαίνουσι ὤφ' οἱ ἴδιαι λιβάδες.
B Ἤλυθον Αἰθίοπες, πλεχθεῖσί τε Συγαμβροί,
Τοὶ μὲν ὀπισθοκόμαι, τοὶ δὲ καὶ ἀκερσεκόμαι.
Γλῶσσα μὲν ἀλλήλων μεμέρισται διάνδιχα,
θεοῦ δ' εἷς
Πάντων ἐῶ, ὅτι πατρίδος ἐσσὶ πατήρ.

DOMITIVS CALDERINVS.

QVÆ *tam seposita*] Domit. edidit spectacula magnificentissima, authore Tranquil. quæ vt celebriora viderentur, poëta ait totum orbem confluxisse: sed edidit epigramma hac de causa, quoniam cum clamatum esset in spectaculis Domino & Deo feliciter: ea voce mirum in modum oblectatus est Domit. propterea poëta principi blandiens ait diuersos fuisse populos in theatro, sed vnam & eandem vocem extitisse, cùm Domit. Dominus & pater patriæ appellaretur. quasi dicat omnes illos fuisse subditos Domitiano, & multa merita consecutos, vt cum Domitianus pater patriæ appellaretur: non ab diuersis populis, sed quasi ab vna & eadem voce id testimonium accepit: quod multi Romanorum confluxerint ad spectacula, indicat Tranquil. in Cæsare, vbi scribit tot conuenisse ad spectandum: vt plurimi aduenæ inter vicos & vias manserint. Plurimi præterea alia, inter quos duos fuisse senatores.

SEPOSITA] A regione nostra remota.

BARBARA] Moribus.

RHODOPEIVS] Thracius. Rhodope mons Thraciæ, id est accola Thraciæ.

SARMATÆ] Populi Septentrionis pascuntur pulte è millio: vt Plinius ait, lacte equino sanguine admixto.

EPOTO *equo*] id est sanguine equi cum pulte è millio.

DEPRENSI *Nili*] Nilus incerti ortus est: propterea poëta ait deprensi Nili: nam deprehenduntur ea quæ sunt occulta. Sunt qui putent Nilum oriri ab vltimis Æthiopiæ finibus, longa est Plin. ex Iubæ testimonio disceptatio.

DEPRENSI] tandem inuenti.

ET *quem suprema Tethios vnda ferit*] De Britannis potes intelligere: qui extremi hominum abluuntur Oceano. potes & de Morinis: qui sunt ad Oceanum Gallicum. Virgil.

Extremique hominum Morini.

FERIT] Abluit.

ARABS] Arabia diuidit Iudæam ab Ægypto: quæ triplex est, authore Ptolemæo: felix, petræa, & deserta. Arabs & Arabus dicitur. (Margin: Arabia.)

C

FESTINAVIT] Ostendit magnam famam fuisse ludorum.

SABÆI] Populi sunt in felici Arabia: qui thus mittunt è regione appellata Saba: quod significat mysterium. (Margin: Sabæi.)

CILICES] Populi Asiæ minoris ad Taurum montem crocum habent præstantissimum ad id antrum, maximè quod coricum appellant: vnde crocus Coritius. Plin. & Strab. testes. (Margin: Cilices.)

NIMBIS *suis*] i. croco. Nam croco, trito & mixto vino dulci perfundebantur theatri vasa: quòd nimbum appellabant. Mart. in distichis de nimbo:

A Ioue qui veniet miscenda ad pocula largas,
Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit.

Intellige vinũ dulce croco trito immixto. Cum enim bonus odor croco esset, & Romani herba vti non possent ad coronas est enim apta: hoc quod diximus, excogitarunt. Quod autem theatra spargebantur croco, testatur Mart. Proper.

Pulpita solennes non oluere crocos.

Ouid. & Sal. in historiis: qui de Metello scribens & illius luxuriam designans: cùm in Hispaniam, inquit, prætor acciperetur, ita scenis ad ostentationem histrionũ fabricatis, simul croco sparsa hum°, & alia.

NIMBIS *suis*] id est, croceі.

D

SICAMBRI] Populi ad Oceanum in Germania sunt, qui & colorare crines, & calamistrare Romanos impulerunt: oblectatos capillorum pulchritudine, quæ Sicambris erat natiua. (Margin: Sicambri.)

ÆTHIOPES] Duo genera Æthiopum, sunt & Æthiopes hesperij: & Æthiopes ad meridiem: vt ex versu Homeri in primo Odysseæ Cosmographi tradiderunt. Poëta, vt puto loquitur de hesperiis; qui remotiores sunt, & desertam magna ex parte regionem incolunt: dicti ab Æthiope Vulcani filio; vt Plinius tradit. (Margin: Æthiopes.)

MARCILIVS.

QVÆ *tam seposita*] iij. Hoc epigramma de frequentia & varietate spectatorum, in Domitiani spectaculis. Sueton. Domit. c. iv. significanter autem

Sepoſita, & *barbara* dixit. Nam ejuſmodi gentes veniſſe magnum eſt. Sepoſitas quia non deterrutæ labore itineris: barbaras, quia potuere guſtatum habere aliquem eiuſmodi voluptatum.

In *urbe tua*] Roma vrbs Domitiani, vel quoniam ab eo reſtituta, epigr. vij. lib. v. vel quia domicilium ac ſedes Imperatorum. Itaque Dionyſ. Afer de ſitu orbis.

Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων.

Romam quæ in terris regum domus alta meorum eſt. Et quia ſedes imperij Roma. P. Victor x. reg. vrb. Amm. Marcellin. lib. xvj. Maximus A. Herodiani lib. iix. ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει, ἐν ᾗ βασιλείας ἵδρυται τύχη. *In vrbe illa vbi dedicata eſt fortuna imperij.* Nam recta ſcriptura eſt ἵδρυται. Pompeianus tamen apud Herod. Commodo. ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. *Roma*, inquit, *eſt vbi princeps.*

Orphei *Hæmo*] Quia inde parentes Orphei. Plinius c. ij. lib. iv. Solin. c. xvj.

Cultor *Rhodop.*] Vt vetus Poëta, Cariſij lib. j. *Cyclops Aetneus cultor.* pro Ætnæ accola, vt nunc Rhodopæ accola.

Epoto *Sarmata paſtus equo*] Eleganter Clemens Alexãdrinus Pædagogi iij. lib. iij. τὸν ἵππον λαβὼν Σκύθης ἀνὴρ, ἀναβὰς φέρεται οἷ βούλεται· κάμνων δὲ πρὸς λιμῷ αἰτεῖ τὸν ἵππον τροφάς· ὁ δὲ ὑπέχει τὰς φλέβας· καὶ ὁ κεκτημένος μόνον, τοῦ χυθέντος αἵματος χορηγεῖ. Dixeris Latinè, *Homo Scytha equum capit, eóque inſcenſo geſtatur quo vult. & ſi fame conflictetur, equum cibaria poſcit: at ille venas exhibet, quem que ſolum poſſidet, domino ſuo ſanguinem impendit.* Narrat & Geographus lib. vij. & Plinius c. x. lib. xiix. Nicetas annalibus. ὁ δ' αὐτὸς ἵππος καὶ τὸν Σκύθην ὀχεῖ, διὰ πολέμου φέρων τε καὶ ἀλαλάζων, καὶ τροφὴν χορηγεῖ φλεβοτομούμενος. *Equus idem & vehit Scytham, geſtitque per belli vices & clamores, & famenti Scythæ cibum præbet, venam eius aperienti.* Imitatus autem hic noſter Maronianum illud ex fine iij. Georg.

Et lac concretum cum ſanguine potat equino.

Et *qui bibit*] Accola fontium Nili, vt apud Horat. Oda xv. lib. iv.

Non qui profundum Danubium bibunt.

Hoc eſt, Accolæ Danubij. Accolæ autem Nili fontium, extimæ Mauritaniæ populi. L. Seneca Natural. Quæſt. c. iix. lib. vj. Plin. c. ix. lib. v. Dio in Seuero: Aliter Heliodorus Æthiop. lib. ij.

Significantérque dictum, *bibit*. Iucundè ſcilicet Nilus bibitur, quoniam aqua eius dulciſſima. Itaque de Nilo Diodorus lib. j. γλυκύτατος, inquit, πάντων τῶν ποταμῶν. *Omnium fluuiorum dulciſſimus.* Et Heliodorus Æthiopicis lib. ij. πότιμός τε ὢν γλυκύτατος. *Potuique dulciſſimus eſt.* Identidem vero de Nili dulcedine ſcriptores vt Cteſias Athenæi lib. ij. Plutarch. lib. de Iſide. Ælius Spartianus in Peſcennio. Interpres Æſchyli εἰς ἱκέτιδας. Leucippæ lib. iij. & ſeq. Euſtath. ad Dionyſium. Aëtius lib. iij. Andronicus imperatór apud Nicephor. Gregoram hiſtoriæ Romanæ lib. j.

Turbida & limoſa tamen Nili aqua eſt, nec idonea potui, ni percoletur. Scriptor hiſtoriæ belli Alexandrini. Galenus lib. j. de temperatione ſimplic. medic.

Prima *flumina*] Ariſtotel. meteorol. c. xiij. lib. j. τὸ Νείλου τὸ ῥεῦμα πρῶτον.

Deprensi *Nili*] Flumina prima Nili, vbi emergit primùm ac deprenditur. Nam diu Nilus iam fluxit antequàm deprehendatur, vnde nomina illa Nili quæ Plinius tradit c. ix. lib. v.

Deprenſos autem ſiue inuentos Nili fontes Dio narrauit in Seuero, & Iuba rex apud Plin. loco præ-

A dicto. Ariſtot. meteorolog. c. xiij. lib. j. Et huius ſeculi ſcriptores, vt Hieronym. Oſorius de rebus geſt. Luſitanor. Et Petrus Maffeius hiſtoriæ Indicæ lib. j.

Priſci verò, pauculis quos prænotaui exceptis, pœnè omnes de his fontibus, deprehendi potuiſſe negant, vt Herodot. lib. ij. Arrian. principio lib. vj. de reb. geſtis Alex. L. Seneca Natural. Quæſt. c. iix. lib. vi. Papinius Siluar. lib. iij. Amm. Marcellin. lib. xxij. Claudian. lib. j. de laudib. Stilicon. Theophylactus Simocates Hiſtor. Mauritianæ c. xvij. lib. xvij. Sidon. Panegyr. Auiti. Eáque mente Virgilius in ix. Nili latebroſa flumina, dixit. Et Horat. oda xxxvij. lib. j. *Latentes Nili auras*, & oda xiv. lib. iv.

Te fontium qui celat origenes
Nilus.

Bene & parœmiacè de re obſcura dixeris, *Nili fontes.*

B Forſean autem & Nili fontium hiſtoriam Cicero guſtauit in poëmate quod *Nili* nomine inſcripſit, de quo Iulius Capitolinus in Gordianis. Non obſeruatum poëma his qui Ciceronis reliquiarũ collectas fecere, vt neque poema eius cui nomen *vxorius*, neque item poëma *de inſtitutione Matheſeos*, de quo Iul. Firmicus præfatione lib. ij.

Et *quem ſuprema*] Supremæ Tethyos dixit, antithero ludens, *Prima flumina Nili.* & *Suprema Tethyos vndam.* Intelligi autem voluit Domit. Calderinus Morinos, de quibus eſt Æneid. ix.

Extremique hominum Morini.

Sed magis eſt vt Hiſpanos Martialis deſignet, nam ij extremi ſunt ad Solem obeuntem. Sic enim Strabo eos μακροτάτους vocat lib. j. Et Salluſtius Criſpus inimicus Ciceronis in Epiſtola Mithridatis ad re-
C gem Perſarum; *Romanis*, inquit, *ad occidentem; regentibus finem Oceanus fecit.* Inimicum Ciceronis Salluſtium vocaui ſecutus D Hieronymum lib. j. aduerſus Iouinianum; vbi de vxore Ciceronis; *Illa interim coniux egregia*, inquit, *& quæ de fontibus Tullianis hauſerat, nupſit Salluſtio inimico eius, & tertiò Meſſala Coruino, & quaſi per quoſdam gradus eloquentiæ deuoluta eſt.* Ergo & in hiſtoria, de Tullij laudibus & rebus geſtis multa Criſpus ille reticuit. Itaque fruſtra & nimicè peruagata de Salluſtij cum Cicerone inimicitiis opinio, in Satyra Menippæa ridetur. Anteriùs tamen diuortio Terentiæ, amici Tullius & Criſpus, vt epiſt. xvij. lib. xi. ad Att. epiſt. xj. lib. xiv. ad famil.

Festinavere *Sabæi*] Imitatus Virgilium Æneid. iix.

D *Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.*

Sabæos autem dicit maris rubri accolas, de quibus Stephanus.

Et *Cilices*] Cilices, inquit, maduêre nimbis ſuis, id eſt ſparſione croci. Croci enim optimi prouentus in Cilicia. Plin. c. vj. lib. xxj. Dioſcor. c. xxv. lib. j. Solin. c. xlj.

Cenſuêre aliqui & *Cilicum pomaria* epigram. xiv. lib. iix. ad crocum Cilicium pertinere. Domitio quidem alta ibi ἀχλύς. Non oportuit. Nam digna illa res interprete quare penſiles hortuli Valerio noſtro dicti, *Pomaria Cilicum.* Inter vij. orbis terræ ſpectacula fuit & hortus Babylonis penſilis. Geographus lib. xvi. Diodorus lib. ij. Medi autem olim Ciliciæ pars, etiam poſtmodo ab Aſſyrijs ſubacta Cilicia. Iulius Solinus c. xii. Ex huiuſmodi ergo adfinitate, *Cilicum pomaria*, dixit Valerius, pro Babyloniorum penſilibus hortulis, & hos penſiles hortulos generatim tropicè pro cuiuimodi etiam Romanis hor-

tulis eiuſmodi. Pomaria verò dixiſſe Valerium ſcilicet quia Cilicius crocus in nemori. Itaque & *nemoris* mentionem iacit. Salluſt. lib.ij. hiſtor. agens de Seruilio gerente bellum in Cilicia. *Iter*, inquit, *vertit ad Corycum vrbem inclutam, paſtuſque nemori in quo crocus gignitur &c.* Lego, *tectuſque nemori &c.* Marcellus profert in *Crocum*. De Seruilio Aſconius in Verrinam iij.

N I M B I S *ſuis*] Nimbos Cilicum dixit pro ſparſione Crocina theatri, vt *nimbum Corycium* epigr. xxxix. lib. ix.

Lubrica Corycio quamuis ſint pulpita nimbo.

Et *nimbum rubrum*, epigr. xxvi. lib. v.

Hoc rogo non melius, quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuſo permaduiſſe croco.

Imbrem odoratum Antonius Muſa, vt meminit M. Seneca Proemio Controuerſ. lib. x. *Odorum imbrem* Apuleius Mileſiar. lib. x.

Aliorſum & *imber* pro miſſilium ſparſione Poëtis, vt Valerio noſtro epigram. lxxvij. lib. iix. & Papinio Silua vlt. lib. j. de quo imbre ne rectè interpretari hunc epigrammatis huius locum in aduerſarijs c. iix. lib. iij. & quem M. Senecæ Antonius Muſa *imbrem* dixit *odoratum, imbrem*. ipſi *adoratum* fecere, neque de crocina illa, ſed miſſilium ſparſione accipiunt; vtróque deuij vt prænotatum mihi anno xxciij. poſtnotatum & alijs Amphitheatri cap. xvi. anno xciv.

Nec verò interpres Domitius rectam inſtitit viam hoc epigrammate nimbum accipiens illum de quo eſt epigramma cxij. lib. xiv. vbi lemma, *Nimbus vitreus*. Et qui, *aureus imber*. Corippi lib. ij.

H I C *maduere*] Croco enim aquâ diluto per latentes fiſtulas quaſi nimbo ſiue imbre ſparſa theatri ſcœna, aut amphitheatri cauea. L. Seneca epiſt. xci. *In immenſam altitudinem crocum latentibus fiſtulis exprimere.* Et Natural. Quæſt. c. ix. lib. ij. *Nunquid dubitas quin ſparſio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ creſcens, in ſummam altitudinem amphitheatri peruenit, cum intentione aquæ fiat?* Apuleius fine lib. x. in ſcœna Corinthia. *Tunc*, inquit, *de ſummo montis cacumine per quandam latentem fiſtulam, in excelſum prorumpit vino crocus diluta, ſparſimque defluens paſcentes circa capellas, odoro perpluit imbre, &c.* Meliùs ibi. *depluens*. Hoc primû. Deinde ſcripſêre alij *vnda croco diluta*, quod fieri non poteſt. Non quia vt eſt illius de quo prædictum Amphitheatri c. xvi. crocus illa ſparſionis aqua non dilueretur, nam ita ſolitum liquet L. Senecæ loco quem prænotaui ex Natural. Quæſt. c. ix. lib. ij. ſed quia turbidè dictum eſt, vnda croco diluta. Nec enim vinum aut aqua croco, ſed crocus aqua vinove diluitur. Minorum deliciarum ſparſio illa croci aqua diluti, maiorum vino. vt Apuleij loco antedicto, & illo C. Plinij c. vi. lib. xxi. *Crocum vino mirè congruit præcipuè dulci, tritum & ad theatra replenda.* Bene ſic libri vulgarij: at illius Amphitheatri cap. xvi. & articulum extriuit, Plinio hercle irato, cui mens illa eſt, *Crocum mirè vino congruere dulci præcipuè* condito ad ſaliuam: *tritum* verò *& ad theatra replenda* odore. Vide ſis Lector alterplicem croci cum vino dulci vſum, conditurae & triturae, ſaliuae & odoris, menſæ & ſcœnæ. Illi verò amphitheatrici extorſere Plinio vſum qui prior eſt. Dioſcorides c. xxv. lib. j. κρόκος ἀκραιπαλὴς ἐστὶ μετ᾽ ἀκράτου πινόμενος. *Crocus defendit crapulam, qui cum dulci vino biberit.* Et Plinius ipſe c. xvi. lib. xiv. inter condita vina, & croco conditum recenſet. Maximarum autem delitiarum ſparſio mixturæ croci & balſami Ail. Spartian. in Hadriano. *In honorem*, in-

A quit, *Traiani balſama & crocum per gradus theatri fluere iuſſit.*

Sed iam relego veſtigia mea, dixi primitùs, *per latentes fiſtulas*: addo & per ſigna effuſam ſubinde ſparſionem. Lucanus lib. ix.

Vtque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycij preſſura croci ——

Dixi *ſparſam theatri ſcœnam, aut amphitheatri caueam.* Dico & nunc, ne cui anſa fruſtrationis ex amphitheatro illo c. xvi. in quo ita perſcriptum. *Tubi ſiue fiſtula, quæ in imo & ſummo amphitheatro diſpoſita ea arte & fini, vt odoratum quendam humorem eiacularentur leniter, & inſpergerent in ſedentes.* Immò enim ſparſio illa non ea fini vt ſedentes madeſcerent, ſed vt ſparſionis odor, Plautinè dicam, *naſo ſpectantium obſequeretur.* Propert. j. eleg. lib. iv.

Pulpita ſolennes non oluere crocos.

B Ergo neque caueam aut gradus theatri ſed pulpita ſiue ſcœnam ſpargi legis Horat. epiſt. Auguſti.

Rectè nécne crocum floréſque perambules Atta
Fabula ——

Lucret. lib. ij.

Et cum ſcœna croco Cilici perfuſa recens eſt.

Propert. loco quem prædixi. Ouid. j. nequitiæ.

Non fuerant liquido pulpita rubra croco.

Et his æmulus Martialis quanquam verſo tunc ritu,

Lubrica Corycio quamuis ſint pulpita nimbo.

Sic & Apuleiaſini lib. x. non ſparſi croco ſpectantes, ſed paſcentes circum montis pegma capellæ.

Quid ergo, inquies, hoc epigrammate vult Coquus noſter, cùm ait,

Et cilices nimbis hic maduere ſuis?

Nihil enim apertius, quàm ſparſos ſiue perfuſos & illos qui ſpectauêre. Sanè ſed ſparſio illa exorbitans

C & dominica, vt Neroniana, aut Domitianica: ſed nihil eiuſmodi principes quibus ſanum ſinciput, Auguſtus, cæteri. Sic & illud cape epigram. xxvi. lib. v.

Hoc, rogo, non melius, quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuſo permaduiſſe croco?

Propriatim dictum ſpargere. Itaque & Gloſſæ *ſparſio*. κρόκος ὁ ῥαντιζόμενος.

De ſcœna autem & arena migrauit ſparſio & in triclinia, vt triclinium Othonis, de quo Plutarchus commemorauit in Othone: & Neronis de quo C. Suetonius c. xxxi. & fortean vt plurimum ſparſio illa vnguenti crocini ad exemplum odoris ſcœnici. De crocino vnguento Propert. el. iix. lib. iii.

Et crocino nares murrheus vngat onyx.

Crocino vnguento, non vt aliqui crocino odore. Sic & Plauti Caſina ſc. ii.

D *Tu Crocinum & Caſia es.*

De Crocino vnguento item Athenæus lib. xv. Dioſcorides c. lxv. lib. i. Plin. c. i. lib. xiii.

C R I N I B V S *in nodum tortis*] De Sigambris hoc. Valerius noſter, vt & Sidonius epiſt. ix. lib. iix.

Hic tonſo occipiti ſenex Sigamber
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Ceruicem ad veterem nouos capillos.

Sed & communiter dixeris idem de Germanis L. Seneca c. xxvi. lib. iii. de ira, *Non eſt Æthiopis inter ſuos inſignitus color, nec ruffus crinis & coactus in nodum apud Germanos.* Et epiſt. vlt. *Capillum Germanorum nodo vincire.* Sic & Valerius epigr. xxxix. lib. v. dixit: *Rhenique nodos* ——

Speciatim Sueuis tribuit hunc ritum C. Tacitus in Germania. *Inſigne*, inquit, *gentis obliquare crinem, nodoque ſubſtringere.* Et poſteriùs. *Apud Sueuos vſque ad canitiem horrentem capillum retrò ſequuntur, ac ſæpe*

in solo vertice religant. Quid hoc, *retro sequuntur?* Anne εἰς τ' ὀπίσω διώκουσι; Nugæ. Cornelij haud dubiè manus, *Apud Suenos vsque ad canitiem, horrentem capillum, retrorsum, ac sæpe in solo vertice ligant.* Ex illo *retrorsum* aut *retrouorsum* librarij *retro sequuntur* effinxêre. Notat Cornelius duplicem Sueuis capillitij ligaturam, *retrouorsum* siue relicinam, & *in vertice* siue in nodum. Sic Galli veteres Diodori Siculi lib. v. τὰς τρίχας ἀπὸ τῶν μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν ἢ τὸν τένοντα ἀνασπῶσι. *Capillitium à fronte in verticem & ceruices reuocant.* Taliter & Apuleij Miles. lib. j, Capillus *ponè versum coarctus.* rectè in membranis. *Ponè versum coactus.* Indidem. *Crines conglobatos in summum verticem nodus adstrinxerat.*

Præter nodum autem illum verticis, siue *capillum*, vt loquitur Tacitus, *in solo vertice religatum*, etiam capillus fronti propior, cirratus siue calamistratus siue calamistro vibratus Germanis, non calido vt Romanis, sed madido, dum rutilant scilicet capillos. De qua Germanorum calamistratione Iuuenal. Sat. xiii.

Cærula quis stupuit Germani lumina, flauam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?

Cornua, capillus cirratus & relicinus, vt bouis cornua. Pingit hoc Diodorus loco quem dixi. Gallos nempe priscos rutilare calcis ablutione capillum adsiduè, & in verticem reuocare, ita vt Satyrorum ac Panum specie sint. παχύνονται γὰρ, inquit, αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κατεργασίας, ὥστε μηδὲν τῆς τῶν ἵππων χαίτης διαφέρειν. Dico Latinè. *Crassescunt enim assidua rutilatione capilli, & à setis equinis non differunt.* Sic itaque & Germanis quorum ritus Gallicis gemini germani, capilli rutilatione adsidua hirti & crassi & relicini quasi cornua. Hos ex rutilatione cirros Germanicos, & Tertyllianus libro de virginib. velandis vt insigne gentis posuit. *Pennas garamantum, crobylos barbarorum, cicadas Atheniensium, cirros Germanorum.* Qui notas in Taciti Germaniam procudêre. *Cirros* eiusmodi malè ad *nodum* referunt.

Atqve *aliter tortis*] *Aliter*, contra. Nempe torti Sicambrorum capilli arte siue rutilatione & nodo: Æthiopum capilli natura, & ardore Solis, siue crispi. Æthiopes nempe ingenio cœli solique οὐλότριχες: Disserit Aristoteles cap. iij. lib. v. de ortu animal. Problem. iv. lib. xiv. Sic *Maurus retorto crine* epigr. xxxvi. lib. vi.

Vox *diuersa sonat populorum*] Sic, *populi voces*, epigr. xi. lib. iix. Hæ popelli adclamationes in spectaculis, vt Suetonij Claudio c. vii. *Feliciter.* Domitiano c. xiii. *Domino & dominæ feliciter.* Dionis Neroni ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων. Et Ὀλυμπιονίκα οὖα. Πυθιονίκα οὖα. Αὔγουστε. Αὔγουστε. Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ. Νέρωνι τῷ Ἀπόλλωνι, &c. *Olympionica oua. Pythionica oua. Auguste, Auguste. Neroni Herculi Neroni, Apollini*, &c. Indidem & anterius ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὐγουστεῖος, ὡς ὁ Πύθιος. μά σε Καῖσαρ. οὐδείς σε νικᾷ. *Formosus Cæsar, Apollo, Augustus vnus instar Pythij. Per te Cæsar. Nemo te vincit.* Et eiusdem Commodo κύριος εἶ, καὶ πρῶτος εἶ, καὶ πάντων εὐτυχέστατος, νικᾷς νικήσεις ἀπ' αἰῶνος. Ἀμαζόνιε νικᾷς. *Dominus es, & primus es. &*

A *omnium felicissimus. Victorias vinces siue reportabis. Aeternum Amazone vincis.* Interpungo enim. νικήσεις. Ἀπ' αἰῶνος Ἀμαζόνιε νικᾷς. Et Traiano Plinij Panegyr. *Formosus Cæsar. Fortissimus Cæsar.*

Hi Aurel. Cassiodoro *clamores mellisflui*, quia modulati siue Musici. Pingit hos eleganter Cassiodorus loco quem prædixi. Hinc & Plinius clamorem eiusmodi, concentum vocauit. Et C. Tacito annali xvi. hoc ita expressum, *Personare certis modis.* Dioni in Pertinace εὐρύθμως ἐκβοᾶν. Neque ineleganter Corippus de concentu hoc isto arenario lib. 2.

Disponunt cantus, modulos & cantibus addunt.

Est *vox tamen vna*] Ὁμοθυμαδόν. Vox diuersa & vna.

Vervs *patriæ pater*] Quia restituit Romam post incendium, vt prædixi. Quia expulit delatores.

B

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma mirabilem exterarum gentium ad vrbem, spectandorum ludorum cupiditatê, confluxum describit, & acclamationem continet, qua Cæsar vno ore Pater Patriæ appellatur in Amphitheatro. Sunt pænè omnia diligenter ab interpretibus explicata. Sed ne te in aliquibus decipiant hæc accipe.

1 Et qvi prima bibit.] Non loquitur de fontibus Nili, nam veteribus nunquam fuêre deprehensi; sed de extremo loco vbi primùm fluere deprehenditur Nilus, quo vlterius progredi haud poterant. Lusitanorum nauigatio auorum nostrorum memoriâ Nili caput inuenit, & veram causam inûdationis eius. Lege Ioannem Barretium doctissimum

C Lusitanum in suis decadibus, & sic accipe prima flumina deprehensi Nili. Nec habet locum aliquorum sententia qui existimant, per adulationem dictum à Martiale, quod gloriosum existimauerit Tito vel Domitiano inuentos esse suis temporibus hos fôtes: nam procul dubio non prima flumina, sed fontes ipsos nominasset, & forte sacrum Nili caput metu Phaëthontei incendij latens exeruisset ipse spectandum in amphitheatro.

2 Crinibvs *in nodum tortis venêre Sicambri.*] De Sicambrorum tortis crinibus communis locus: sed non communis correctio ex eorum more apud Iuuenal. Sat. 4. vers. 147. vbi legitur,

Tanquam de Chatis aliquid toruisque Sicambris.

Reponendum, *Tortis*. adiuuat ms. quem apud me seruo, qui sic habet.

3 Vox *diuersa sonat: populorum est vox tamen vna.*] elegans dicendi modus: cùm tot nationes idem acD clamare linguis diuersis significet. Garsias noster Lassus imitatus fuit Poetam dum eclogâ. 2. sub persona nemorosi, his verbis,

Cæsar con zelo pio, y con valiente
Animo, aquella gente despreciaua:
La suya conuocaua, i en vn punto
Vieras vn campo iunto de naciones
Diuersas i opiniones, mas de vn zelo.

Ad Cæsarem, quòd expulerit delatores. IIII.

Turba grauis paci, placidæq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,

Εἰς Καίσαρα, ὅτι εἰσαγγελεῖς ἐξώσατο. Δ.

Ἐχθρὶς ἀπραγμοσύνης, ῥᾳστώνη δῆμος ἀπηχθής,
Δυστυχίων κτεάνων ὃν δ' ἐπίβουλος ἀεί,

Γαιτούλοις δίδοται· τὸ δ' ἄξεν δ' οὐ σφε κε-
χάνδει·
Καὶ ἔστιν ὁ μηνυτὴς, ὃς φυγάδευσε, φυγάς.

Ἐνδίκως τῆς Ῥώμης φυγὰς ἔκπεσε· πᾶς τις ἀΐδακτος
Ἀντιλογιζέσθω τοῖς δαπανήμασι βίον.

A *Traducta est Getulis, nec cepit arena nocentes,*
Et delator habet, quod dabat, exsilium.

Exsulat Ausonia profugus delator ab vrbe:
Impensis vtinam principis annumeret.

* Ita Iunius scripsit, cum Tradita, quod in Gryphij editione legitur, induxit. Sed Gætulus & Græcè Γαιτοῦλος priores duas syllabas producit. Matt. l. 10. pag. 15. Tecum ego vel sicca Gætula mapalia Ponti. Verg. Æneid. 4. vers. 40. Hinc Gætulæ vrbes, & vers. 326. Captiam ducat Gætulus Iarbas. Idem Æn. 5. v. 51. Hunc ego Gætulis ver. 192. Gætulis Syrtibus vii. & v. 351. tergum Gætuli immane Leonis. Aldina editio habet, Traducta est Gyaris quam lectionem si vetusti codices comprobarent, retinendam esse censerem. Veruntamen iudicet lector.

DOMITIVS CALDERINVS.

TVRBA *grauis paci*] Initio principatus Domit. delatores grauissima pœna affecit: solitus dicere delatores, qui non castigat, irritat. Multi autem erant qui leuissima de causa & nonnunquam ficta accusabant: cum ex fisco eis daretur pars pecuniæ quà mulctabantur accusati: propterea Tranquil. appellat calumnias fiscales. Conuersus posteà princeps B ad auaritiam & crudelitatem non modò non puniebat delatores: sed etiam fouebat. nunc laudatur quòd eos expulerit: & inter cætera munera data pop. Rom. ait etiam vitam hominum esse adscribendam principi: quam sublatis delatoribus dedisse videbatur.

TVRBA] Delatorum.

GRAVIS] Molesta: quia paci aduersabantur, & quieti.

PLACIDÆ] Epitheton quietis.

MISERAS *opes*] i. opes miserorum ciuium. nam opulenti timebant delatores.

GETVLIS] Getuli Africæ populi. nam nocentes grauiore exilio mittebantur in Africam, mitiore Tybur, Præneste, & in insulas Campaniæ.

NEC *cepit arena nocentes*] i. qui puniendi erant in theatro puniebantur: vt, *Arena*) i. theatrum accipias. Cum autem mittendi essent in exilium pati. C f. supplicio, quo ciues olim afficiebantur, non sunt puniti in theatro: sed in nauigia impositi eiecti in exilium: quod Plin. multis versibus in Panegyrico testatur.

IMPENSIS *vti, princ. ann.*] Impensis. i. muneribus. tam præter alia munera, quæ tibi dedit princeps, dedit vitam: quoniam eiecit delatores, qui te vita priuabant. Malo tamen sentire hoc etiam epigramma scriptum in gratiam Titi Imperatoris: nam is delatores primum cæsos fustibus in arena, in asperrima insularum aduehi iussit. Sueton. in Tito: Inter aduersa temporum, & delatores, mãdatoresq; erant ex licentia veteri: hos assiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos: ac nouissimè traductos per amphitheatri arenam: partim subijci in seruos ac venire D imperauit: partim in asperrimas insularum auehi. Inde ait poeta: *Nec cepit arena nocentes.*

GEORGIVS.

TRADITA *est Getulis. nec cepit arena nocentes*] Ausim ego affirmare mendosum codicem haberi & pro Getulis, vt alias notauimus, Gethicis aut Gyaris legendum, quando in vtrunque locum relegarentur nocentes: nam nimis licenter contra rationem Græcam & vsum Latinorum primas syllabas poëta corripuisset: nulla metri necessitate coactus, est tamen qui corrigat Tradita Getulis, quam correctionem non improbamus, quanquam vt vera sic frequens lectio sit traducta, non tradita.

MARCILIVS.

TVRBA *grauis paci*] Expulit enim delatores Domitianus. Sueton. c. ix. Expulerat & ante Titus. Sueton. c. iix. Malè quidem Domitius interpres, & qui pronuper amphitheatra scripsère, hoc epigramma referunt ad Titum.

Bene autem delatores fiscales definit *turbam grauem paci*. Rebus enim pacatis siue in pace, hi tamen *grassantur* quasi latrocinio, *& violant pacem & turbant securitatem* lib. xiv. l. xxv. & l. penult. C. Theodos. *De petit. & vltro dat. & delat.* Rectéque C. Tacitus annali iv. *Delatores*, inquit, *genus hominum publico exitio repertum*. Et Synesius epist. cxxi. συκοφάνται κατοὶ δ᾽ ἀσορε τῆς χώρας. *Calumniatores fiscales, patriæ communes genij mali*. Et Constantinus A. l. ii. C. Theodos. eod. *Maximum vitæ humanæ malum delatorum exsecranda pernicies*. Et Valentinianus & Valens AA. lib. ij. C. Theod. eod. *Delatores humani generis inimicos*. Dico ad Iuuenal. Satyr. iv.

SOLLICITABAT *opes*] A possessoribus ad fiscum transferebat. *Solicitare, solo citare*, id est mouere. Festus. Dixeris &, *patrimonia deferebat*. vt lib. v. C. de delatorib.

TRADVCTA *est Gætulis*] Sic aliqui libri, errore manifestario. Alij, *Tradita Gætulis*, sensu nec idoneo. Alij *Traducta est Gyaris*, cui lectioni fidem facit Suetonius Titi c. iix. *Delatores*, inquit, *mandatoresque nouissimè traductos per amphitheatri arenam, partim subijci in seruos, ac venire imperauit: partim in asperrimas insularum auehi*. Asperrimæ illæ insularum, haud dubiè Gyarus & eiusdem sortis aliæ quas recenset L. Seneca consolatione Heluiæ cap. vi. vt Sciathus, Seryphus, Cosura. In has enim quia asperrimæ, siue C. Taciti verbis, *immites, & sine cultu hominum*, mos mittendi exsules. Iuuenal. Sat. x.

*Vt Gyaræ * clausus scopulis, paruaq; Serypho*.

* Gyari.

Vbi vetus interpres, *Insulæ*. inquit, *sunt angustæ exsulibus aptæ*. Et L. Seneca consolatione Heluiæ c. vi. *Deserta*, inquit, *loca, & asperrimas insulas Sciathum & Seryphum, Gyarum & Cosuram*. Deinde, *Nullum*, inquit, *inuenies exsilium*, &c. Asperrimas illas insularum, exsilia vocat, quia milliculati in has exsules. Et Iuuenal. Sat. iij.

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.

Vt si diceret, dignum exsilio & carcere. Gyari Iuuenali vt & nunc Valerio communiter & poëticæ insulæ omnes quæ receptacula exsulum. Frustra ille est, qui rescripsit in Iuuenale, βραχέσι

Aude aliquid breuibus, Gyaris &c.

Et breuia interpretatus loca maris vadosa. Nam *breues Gyari*, angustæ: vt bene vetus interpres. Sic *breuia* oppida Amm. Marcellino. *ædes breuissima* Spartiano in Seuero. & C. Tacito *Breues naues*. *Centusses. breues nummi ex ære*. Festus in *Centenaria*. & eius sortis alia quæ tirones ipsi notauerint facilè. Gyarum autem exsilijs frequentatum indicio & L. Piso est C. Taciti annali iij. sententiam de Silano in senatu dicit, *aqua atque igni Silano interdicendum, ipsumque in insulam Gyarum relegandum*.

NEC *cepit nocentes*] Non recepit. Quippe indignos, siue ne dignos quidem qui gladiatores aut

Ego vero freq. infr.

bestiam essent. Sed verius est Titum pro sua clementia exsilium eis indulgere voluisse.

ARENA] *Arena* propriè cauea amphitheatri, quoniam arena eam perspergere soliti, & quidem credibile, plerumque aurosa, qua & Auito sparsa itinera Ail. Lamprid. in Alagab.

Arenæ illa sparsio in amphitheatri, cauea, ne lubricaretur sanguine: vnde & pueri arenam illam rastris motitare soliti & renouare. Noster hic epigr. lxxv. lib. ij.

Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam rastris qua renouabat humum.

Arenam illam vocauit *humum sanguineam*, vt & his spectaculis inferius epigr. xi. *sanguineam arenam*, quia, Claudiani verbis dicam Panegyr. Theodori

-----Largo ditescit arena
Sanguine -----

Itaque & Prudent. lib. j. contra Symmach. *Funebrem cauea puluerem* dixit.

Quid puluis cauea semper funebris?

Hinc ergo iam liquet cur nomen *arena* vsurpatum pro amphitheatro vt hoc epigr. Et Ouid. fabul. lib. ij. Saluiani lib. vi. de prouid. D. Hieronymi epist. ad Marcell. Ail. Lamprid. Alagab. Alij.

Hinc & *arenaria fera*. Ammiani Marcellini lib. xxix. Et *arenarius* pro gladiatore, vt versu Lucilij quem Marcellus habet in *Quiritare*.

Concursans veluti arenarius, clareque quiritans

Lege *Concursans vt arenarius* &c.

Læuorsum venationis circensis scribæ cap. xxx. versum illum de venatore capiunt: restat eis Lucilius ipse cùm ait concursans. Concursatio militum & gladiatorum est. Sic in arena siue amphitheatri cauea *concurrentes* Aurel. Cassiodori epist. xlii. lib. v. Generatim quiqui in arena spectantur ij arenarij, vt toto iure ciuili. Speciatim autem & venatores amphitheatrales, dicti arenarij. Quemadmodum Iul. Firm. cap. x. lib. iix. opposuit *arenarios & gladiatores.* Sed proprijssimè quidem arenarij qui inermes cum feris commissi, aut & obiecti feris ad stipitem. De qua differitate vestibulo ipso & limine harum notationum dixi. Atque hac mente Firmicus loco quem prænotaui distinctim posuit, arenarios, & cum feris in cauea pugnantes,

Impensis vitam principis adnumeres.

Inter ea quæ princeps Domitianus tibi plurima impendit, numera & vitam siue salutem tibi datam, delationum nempe visco & retibus explicitam. Et *impensas* dixit, pecunias à Domitiano spectaculis impensas. His, inquit, adnumera & vitam tuam.

Propriatim autem & Sueton. Titi cap. iix. & nunc Valerius traducendi verbo vsi. Nam & si traducere est quoque educere, vt in glossis *Traducis* ἐξάγει. *Traductio* ἐξαγωγή. Magis tamen est vt respexerit ad ritum maleficos per amphitheatri caueam traducendi, vt spectaculo essent si in exsilium mitterentur vt hoc epigrammate, aut circumducendi si plectendi in cauea ipsa siue circulo amphitheatri, vt Eusebij Ecclesiast. histor. cap. j. lib. v. in epistola Ecclesiæ Lugdunensis, Attalus medicus quia Christianus, περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο Ῥωμαϊστί. Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός. Dico Latinè. *Circumductus per amphitheatri circulum, titulo eum pracedente, in quo scriptum Romanicè. Hic est Attalus ille Christianus.* Dixi, titulo præcedente, vt Suetonius Caij cap. xxxii. Sic Eusebij eiusdem lib. iix. ἐκπομπεύειν τῷ σταδίῳ.

Atque hoc epistola eadem est θεατρίζειν καὶ ἐκπομ-

A πεύειν τοῖς ὄχλοις. *Per theatrum ducere, atque ostentare popello.*

Sic & gladiatores alijque arenarij, Cassiodori verbo dicam, *pompati* per caueam vt gladiatores transeuntes Iulij Capitol. M. Antonino. Fabius siue is Postumius iunior est, decl. ix. *Iam ostentata per arenam periturorum corpora, mortis sua pompam duxerant.*

Et quoniam hæc pancarpia, & quasi demultu est, pergo & illud intexere. Pagella C. Taciti eadem post paullo mendam hodieque supinam cubare. *Capito*, inquit, *insignior infamiâ fuit, quod humani diuinique iuris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehonestauisset.* Membranæ. *Capito insignior e infamia fuit, quod humani diuinique iuris sciens, se, Rempubl. & bonas domi artes dehonestauisset.* Bellissima rescriptio. Triplicata infamia Capitoni, *Quod se* iuris auctorem & *Rempubl.* quippe de iure publi-
B cè responsitare solens, & *bonas demi artes*, ius ciuile & eloquentiam adulatione fœda dehonestauisset.

RAMIR. DE PRADO.

LAVDAT Titum, qui delatores vrbe exegerat: Esse autem Titum ex subiectis intelliges, quamuis Domitianus etiam idem præstiterit, vt Suetonius docet in eius vitâ, cap. 9. & Traianus vt C. Plin. in Panegyrico. *At tu Cæsar, quam pulchrum spectaculum pro illo nobis execrabili* (Neronis) *reddidisti? Vidimus delatorum agmen inductum quasi grassatorum, quasi latronum*, &c.

1 TRADVCTA *est Getulis.*] Notæ Chiliades emendationum, vt legatur *Tradita Getulis: tradita est Geticis; Gyaris & traducta*, & alia multa. verè meo & Raderi iudicio Lipsius in notis ad 2. lib. suum de Cruce, cap. 11.

C *Traducta est titulis, nec cepit arena nocentes.*

Quod traducti sint delatores præcedentibus, vel appensis collo titulis, vt ceteri damnatorum, & sic interpretor. Traducta est hæc turba per amphitheatri arenam: Eratque adeo ingens turba vt arena eam non caperet. Vbi nota huius verbi *traducere* reconditam, & à multis ignoratam significationem, ex cuius explicatione effulget fax ad multas tenebras discutiendas. Est enim *traducere* damnatum aliquem populo spectandum, ignominiæ causâ exhibere. Hispanè *sacar à la verguença.* Hic locus manifestus. *traducta est*, id est, per arenam ignominiæ causâ ducta. Nunc vide Suetonij locum de hac eadem re in Tito, cap. 8. *hos* (delatores) *assiduè in foro, flagellis ac fustibus casos, ac nouissimè traductos per Amphitheatri arenam: partim subijci in seruos, aut vanire imperauit.*
D *partim in asperrima insularum auehi.* Antiquior Suetonio Seneca accipiat lucem Epist. 109. de Attalo: *Cùm cœperat* (inquit) *voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam*, &c. vbi *traducere* eleganti metaphora ita reprehendere significat, vt turpitudinem nostrarum voluptatum tanquam in pompam duceret populo exsibilandam. Et Petronius in Satyrico, vbi Quartilla iuuenes rogauit, ne quod in Sacello Priapi viderât, vulgarent. Sic inquit, *protẽdo igitur ad genua vestra supinas manus petoque & oro, ne nocturnas Religiones iocũ risumque faciatis, neve traducere velitis tot annorum secreta, quæ vix nulli homines nouerunt.* id est, ne manifesta faciatis secreta & in pompam palam irridenda ducatis. Ab eadem mẽte intelligendus hic noster nunquam antea intellectus, lib. 3. epig. 74.

Desine si pudor est miseram traducere caluam.
Id est, tuis medicaminibus ridendam exhibere, & lib. 1. epig. 54.

Vna est in nostris tua Fidentine libellis
Pagina, sed certâ domini signata figurâ,
Quæ tua traducit manifesto carmina furto:

Id est, damnat publicâ plagij ignominiâ. & perspicuè magis hoc intelliges ex epig. 77. lib. 6.

Rideris, multoque magis traduceris, Afer,
Quàm nudus medio si spatiere foro.

Vbi iam non μεταφερτῶς, sed κυριωτέρως *traduceris*, id est, ignominiæ causâ per publica loca traheris, vt trahi videreris si nudus obambulares per forum. Hoc Græci significanter παραδειγματίζειν vocant, quod in exemplum damnati traducantur. Sic D. Mathæus cap. 1. sacri Euangelij de Iosepho, Ἰωσὴφ δὲ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι: vbi vulgata editio verè, vt omnia, interpretatur. *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere*, id est, publicæ ignominiæ exponere. quod diserte sequentia verba declarant, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν, *voluit occultè dimittere eam*. Illud enim λάθρα opponitur τῷ παραδειγματίζειν *traducere*, quæ publica erat ignominia & infamia toti vrbi manifesta, vt Propert. lib. 2. eleg. 15.

Nec sic per totam infamis traducerer vrbem.

A Sic Iuuenalis Satyra 7. vers. 16.

Altera quos nudo traducit Gallia talo,

Et Sat. 8. vers. 16.

Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum,
Squallentes traducit auos. ——

Et Sat. 11. vers. 30.

——*nec enim loricam poscit Achillis*
Thersites, in qua se traducebat Vlysses,

Quibus omnibus locis doctus vir Ioannes Britannicus Iuuenalis interpres, verè *traducere* ridendum exhibere interpretatur, & Martialem adducit testem in locis à me scriptis: sed hanc puram putam verbi vim non assequitur, de Titulis vel præconio, apud Iureconsultos mentio. Vide quæ congessêre Cujacius obseruationum lib. 8. cap. 7, & lib. 13. cap. 5. Ræuardus lib. 5. variorum. cap. 7. & Fornerius B rerum quotidianarum lib. 1. cap. 12.

2 Nec *cepit arena nocentes.*] Tantus erat delatorum numerus, vt cum traducerentur per arenã, vix arena ipsa Amphitheatri capacissima capere eos posset. Huic simile delatorũ spectaculum pulcherrima descriptione C. Plin. in Panegyrico Trajano dicto depingit, & eorum multitudinem innuit, cum agmen appellat. *Vidimus*, inquit, *delatorum agmen inductum*: Et paulò inferius *Classem* vocat *delatorum permissam omnibus ventis.*

Blanditur Cæsari. V.

Iunctam Pasiphaën Dictæo, credite, tauro
Vidimus; accepit fabula prisca fidem.
Nec se miretur, Cæsar, longæua vetustas:
Quidquid fama canit, donat arena tibi.

Θωπεύει τὸν Καίσαρα. E.

Πασιφάην πείθεσθ' ὑπὸ ... ταύρῳ
C Δέρκομεθα, πιστὸν ... πλάσμα παλαιγενέων·
Μὴ ... πολιῶν, Καῖσαρ, ... θαῦμα ...
Ὅσσα φάτις θρυλλεῖ, σοὶ ... ἔχει.

DOMITIVS CALDERINVS.

Ivnctam *Pasiph.*] Pasiphaë filia Solis, & vxor Minois Regis Cretæ amauit taurum, quoniam cum Minos pulcherrimum taurum consueuisset sacrificare Neptuno, mactauit deteriorem, iratum numen Pasiphaën in turpem tauri amorem compulit. cùm vellet concumbere cùm bellua, habuit bouem ligneam arte Dædali fabricatam, sub qua latens, coitu tauri potita est. Hoc spectaculum editum est à Domit. quod & si historia non tradidit, non potest tamen non videri verisimile, quoniam Tranquil. scrib. Neronem hoc spectaculi genus edidisse.

Accepit *fabula prisca fidem*] i. facta est verisimilis, & creditur vera.

Longæva *vet.*] i. antiquitas, quæ fabulas finxit.

Non *miretur*] Non extollat, quoniam tu omnia representas, & facis esse vera spectaculis.

Qvidqvid *fama canit, donat arena tibi*] i. Quascunque fabulas finxerunt, & canunt, tu repræsentas in theatris vera actione.

MARCILIVS.

Blanditvr *Cæsari*] Stultulè positum hoc lemma. Verum fuisset, De spectaculo Pasiphaes. Nam illud. *Blanditur Cæsari*, cupressus, aut lecythus, & quasi cothurnus est, in omnia huius segmenti epigrammata veniens, si velis. Itaque & sæpe adpingitur, vt epigr. seq. & epigr. xx. & xxiix.

Ivnctam *Pasiphaen*] Eiusdem sortis spectaculum & à Nerone datum. Sueton. Neronis c. xii. De Pasiphaës amore eleganter Lucian. lib. de Astrologia, eum referens ad amorem cognoscendi taurum, signum cæleste.

Nec *se miretur*] Sua esse aliqua miracula putet: nam hæc tua ista magis miracula, vt & Cæsaris arenæ *miracula* tribuit epigr. xxc. lib. iix. xxcv. lib. ix. Et peculiariter de Pasiphae *mirari* & *miraculum*. *Miracula* monstra. Marcell. in *Mira*.

RAMIR. DE PRADO.

D Lemma huius epigrammatis fuerat *de Pasiphaë* vt infra *de Laureolo, de Dædalo, de Leandro*, &c.

In his spectaculis nihil intentandum relinquebatur quo popellus posset deleniri, & priscas fabulas agebant in arena: Sed ita, vt, quæ in scæna ab spectatorum oculis tollebantur, indigna eorum adspectu, & digna geri intus, veluti cædes, vt Criticus Horatius in Arte præcepit.

Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palàm coquat exta nefarius Atreus.

Hic in arena repræsentabatur populo agentibus damnatis. Hoc igitur epigramma nefandum Pasiphaës cum tauro concubitum describit, in arena his amphitheatralibus ludis à Domitiano editum pro spectaculo. Obstupesces fortasse rei incredibili fœditate: sed ad Imperatorem fœdissimum, ad corruptissimos miserandi illius seculi mores oculos conuerte, desines mirari. Lege autem ad hanc rem

me authore Apuleium lib. 10. Metam. qui scenicos hosce ludos graphicè describit, & se in Asino latentem destinatum in theatro ad damnatæ mulieris concubitum narrat. Vbi multa de hoc prisco more non vulgaria disces.

I V N C T A M *Pasiphaën.*] Post nomen *tauro* appone Periodi notam, quod ibi absoluatur sententia. Est autem Apostrophe ad spectatores vel Lectores, quasi dicat: Vos qui lectis veteribus Poëtis fabulosum omnino concubitum illum existimabatis, & omnino ab his confictum, nec posse fœminam tauro coniungi, Credite iunctam fuisse verè Pasiphaën tauro: Nos enim id vidimus fieri posse, A cùm in arena damnata fœmina taurum receperit. Quo facto quæ fabula prisca fuit veræ historiæ fidem accepit. Est igitur ordo, Credite spectatores Pasiphaën iunctam fuisse tauro Dictæo. simile spectaculum iam præbuerat Nero. Suetonius in eius vita, cap. 12. *Inter Pyrrhicarum argumenta taurus Pasiphaën ligneo iuuencæ simulachro abditam iniit, vt multi spectantium crediderunt.*

N E C *se miretur.*] Id est, nec sibi nimium placeat quod iudicio suo ingeniosior nostris temporibus fuerit: nam ea omnia quæ prisci cogitatione sola finxerunt, nostro opere reapse acta exhibuerunt in arena tua.

Blanditur Cæsari. VI.

Belliger inuictis quod Mars tibi sæuit in armis,
Non satis est, Cæsar: sæuit & ipsa Venus.
Prostratũ Nemees, & vasta in valle leonẽ,
Nobile & Herculeũ fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam post tua munera, Cæsar,
Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

Θωπεύει τὸν Καίσαρα. ϛ.

B Θοῦρος Ἄρης ὅτι σοὶ χρυσέοις ἐν ὅπλοισι μέμηνεν,
Οὐχ ἅλις, ὦ Καῖσαρ· καὶ Κύπρις ὁπλομαχεῖ.
Τοῦ Νεμέης δμηθέντος ἐν ἀγκοίνῃσι λέοντος,
Τῶν θ' Ἡρακλείων ἦν ὁ φάτις ἱστορέων.
Σιγάσθω τὰ πάλαι· μετὰ γὰρ σὰ θεήματα, Καῖσαρ.
Ταῦθ' ὑπὸ θηλυτερῶν γινόμεν' λεύσσομεν.

DOMITIVS CALDERINVS.

B E L L I G E R] Domit. vt Tranquil. refert, edidit pugnas, non modò virorum, sed etiam mulierum, & venatores: cum nuper esset prostratus leo à muliere; Mart. blandiens principi ait prostratum leonem ab Herc. non esse ampliùs dignum admiratione, cùm in theatro Domit. fœmina idem peregit. Hanc venationem mulierum carpens Iuuenal. ait: ---- *Cum Mauia Tuscum*
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.
De eadem pugna Papin. in siluis:
Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Vt pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferúmque Phasim
Thermodontiacas calere turmas.

S Æ V I T *& ipsa Venus*] Non satis est quod tu edideris pugnas virorum in spectaculis, sed edidisti pugnas mulierum.

Nemea silua. N E M E E S] Nemea sil. inter Philontem, & agros iuxta Cleonas, vbi primo certamine leo ab Herc. est prostratus, Strab.

F A M A] Fabula.

P R I S C A] Prisca monumenta sileant.

M V N E R A] Postquam tu edis spectacula.

MARCILIVS.

B L A N D I T V R *Cæsari*] Altera cupressus. Fatuelle quiqui es, quin ita? *De venatione mulierum.*

Q V O D *Mars tibi sæuit*] *Tibi*, in specie figuráque tua. Vt in specie Augusti, si Horatio fides, grassatus Mercurius, oda ij. lib. j. in specie Alexandri Iupiter Amphictyonum decreto, & Apollinis oraculo, Socrates Ecclesiast. histor. c. xxiii. lib. iij.

S Æ V I T *& Venus*] Non viri tantùm, siue Martis clientes tibi venatores: sed & fœminæ Veneris clientæ, venatrices. Sueton. Domit. cap. iv. *Venationes gladiatorésque & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas sed & fœminarum.* Ne rectè aliter hic C locus in venatione circi cap. penult. Tangit & Iuuenalis Sat. j. Hic itaque nunc fœminæ Domitiano venatrices: vt & ante fuerant Tito. Dio in Tito. Et Neroni, Dio in Nerone. Etiam fœminæ Domitiano gladiatrices. Vt Suetonij loco antedicto, & Papinij Silua vlt. lib. j.
Hos inter fremitus, nouósque luxus,
Stat sexus rudis insciúsque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles &c.
Male ibi Saturnalia c. iv. lib. ij. rescripsere
-------- *nouosque lusus.*

Nec enim lusus antecessit, sed luxus, sparsio nempe missilium, siue nimbus, vt dictus epigr. lxxvii. lib. iix. Et prænotaui ad epigr. iij. Commissas à Domitiano mulieres notarum & Dioni in Domitiano. Καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νύκτας καὶ γυναῖκας συνέβαλε. *Fuit cùm & nonnas, & mulieres committeret.* Sed Dionis manu νάνους *nanos.* Nam & pumili ad gladium exhibiti Domitiano. Papin. Silua prædicta.
D *Hic audax subit ordo pumilonum;*
Quos natura breui statu peracto,
Nodosum semel in globum ligauit.
Edunt vulnera, conseruntque dextras,
Et mortem sibi qua manu minentur.
Ridet Mars pater & cruenta Virtus.
Casuraque vagis grues rapinis,
Mirantur pumilos ferociores.
Sic omnes criticæ mentes & manus hunc locum. Sed Papinij stilus.
Edunt vulnera conseruntque dextras,
En mortem sibi qua manu minentur:
Ridet Mars pater, &c.
Adclamatoriè & δεικτικῶς. *En mortem* &c.

Sed illæ Domitiani arenariæ Veneres, peculiariter cultu speciéque Amazonum versatæ in arena. Itaque Iuuenal. Sat. j. ----- *Mauia Tuscum*
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Et Papinius Sil. vlt. lib. j. de gladiatricibus Domitiani Saturnalitijs.

Credas, inquit, *ad Tanaim ferumque Phasin,*
Thermodontiacas calere turmas.

Ipsa] Significanter, ipsa Venus sæuit. Nec enim sæuitia & arena Veneri facit: sed amores & theatrum. Neque fœminas, sed viros bella & pugnæ decent. Itaque Iliade j. negat Iupiter Veneri data esse

——— πολεμήϊα ἔργα
——— *Facta impigra belli.*

Et Turnus Æneide vii.

Bella viri pacemque gerant ——— Ouid. lib. xii.
Bella relinque viris ———
Et vasta in valle leonem.

Scripsit, opinor, Valerius,

——— *Et vastum in valle leonem.*

Ad exemplum Maronis Æneide iix.

——— *Tu Cressia mactas*
Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.

Sic *vasti leones* Propert. lib. ii.

Fortean autem & sine articulo versum Valerius fecerat.

Prostratum vasta Nemees in valle leonem.

Otiosa nempe, *&*, articuli iteratio.

Vallis verò illa inter Mycænas & Nemeam. Diodor. lib. iv.

Nobile *& Herculeum opus*] Nobile hoc inter opera Herculis. Nam operosius cæteris, & prius. Hoc certamine aptus pellem leonis est, qua deinde tectus. Diodor. lib. iv. Sidonius Panegyr. Auiti. Sic & Theocriti ecl. xiii. opere hoc denotatus Hercules.

RAMIR. DE PRADO.

Lavdat Cæsaris venationes, easque cæteris omnibus præfert hoc nomine, quod quæ in fabulis Herculi omnium mortalium fortissimo tribuuntur, ea in his venationibus fœminæ transegerint.

1 Belliger, *&c.*] In venationibus ferarũ quibus frequenter præclaræ illæ belluæ, leones, vrsi, & aliæ venabulis transuerberantur, quo gratius esset populo spectaculũ, solebant venatores Deorũ habitũ induere, & præferre nomen, vt in aliis scenicis ludis. Disces ex Apuleio loco à me superius adducto. Adde eloquentissimum Arnobium extremo lib. 4. cõtra gentes, qui Deorum cultores reprehendit, quòd Venerem Dindymedem, Herculem, ipsumque Iouem, & ceteros Deos, tùm saltantes, tùm iocularibus cauillationibus petitos, & irrisos inducerent in theatra. Notatus item & fabulis iactatus Augustus teste Suetonio cap. 70. quod Deorum habitum in cœnam conuiuiis duodecim induisset. *Cœna quoque*

A (inquit) *eius secretior in fabulis fuit, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur: in qua Deorum Dearumque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum*, &c. vbi obiter morem tibi antiquum ostendam. Vt intelligas vim illius verbi *secretior*. Nam veteribus cœnæ luxuriosiores secretò parabantur, & in intima domus parte. Virg. 1. Æneid.

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur. ———

Et Catullus in nuptiis Pelei.

Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento;
Candet ebur folijs, collucent pocula mensis,
Tota domus gaudet regali splendida gaza.

Sed heus tu,

Quisquis eris; paulùm à turba seductior, audi:

Secretò tibi locum Iuuenalis à nemine adhuc intellectum, suauissimum epulum, exhibebo, Sat. 1.
B vers. 95. ——— *quis fercula septem*
Secretò cœnauit auus. ———

Non notat sui temporis luxuriam eo nomine, quod septem fercula secretò cœnarent: id enim, si eius temporis mores inspicias, sobrium esset. Legimus apud alios insanam conuiuandi luxuriam, quæ Iuuenali notissima: sed acutum est argumentum à maiori, vt aiunt. Aui nostri quando secretò cœnabant, quò hominum oculos vitarent, ne luxuriosi audirent, nunquam ita splendidi fuerunt, vt septem cœnarent fercula: Vos, non secretò, sed publicè innumera fercula cœnaris. illud autem Catonis de tribus ferculis in atrijs appositis vulgatissimum est, & si velis, adiunge Lampridium in Adriano *cibu* (inquit) *etiam castrensibus in propatulo libenter vtens.* & idem in Alexandro, *apertis papilionibus prandit atque cœnauit.* Domitiani ergo tempore non solum viri, sed etiam adulandi studio, fœminæ, & quod mirum magis matronæ, in arenam descendebant, munus hoc viris
C præripientes. Vulgatum illud Iuuenal. Sat. 1.

——— *Mænia Tuscum*
Figat aprum, & nuda teneat venabula dextra.

Suetonius in Domitiano cap. 4. non virorum modò, sed & fœminarum pugnas edidisse eum, scribit. Martis nomine hoc loco, vel Synecdochicῶς sæuos & armatos viros contra ferarum, in venatione, impetum intelligit, & eodem tropo armatas fœminas, vel venatores Martis habitum & venatrices Veneris armatæ speciem præ se ferentes. Veneris autem & non Dianæ, similitudinem referebant, quò mirabilius spectaculum esset, si præstaretur ab iis sub Veneris formâ, quod à Venere non poterat expectari. Est enim amplificatio à minori. Martem enim sæuire, minus est quàm sæuire Venerem ipsam, quæ *Martis*
D *soleret cohibere manus.*

Pœna Laureoli. VII.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
*Assiduam * nimio pectore pauit auem:*
*Nuda * Caledonio sic viscera præbuit vrso,*
*Non falsa pendens in cruce * Laureolus.*
Viuebant laceri membris stillantibus artus,
Inq; omni nusquam corpore corpus erat.

* al. Nodo.
* Sic lib. 10. Epigr. 25.
* Laureolũ scripsit Næuius poëta, teste Gellio, in qua Laureolus in crucem suffixus introducebatur. Iuuen. Satyr. 8.

Δίκη Λαυρεόλου. Ζ.

Οἷος ἐνὶ Σκυθικῇσι δετοῖς ὄχθοισι Προμηθεὺς
Πτηνὸν ἀεὶ σπλάγχνοις ἔτρεφεν αὐξομένοις,
Τοῖος ἰδεῖν ἄρκτῳ τὰ στήθεα γυμνὰ παρέσχε,
Προσδετὸς ὢν πλαστῷ Λαυρέολος σκόλοπι.
Ἔσφυζ' ἀσπαίροντα μέλη σταγόνεσσιν ἐπ' ἄρθροις,
Οὐδέν τ' ἦν ἐν ὅλῳ σώματι σῶμ' ἰδέειν.

Deniq; supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini iugulum foderat ense nocens:
Templa vel arcano demens spoliauerat auro;
Subdiderat sæuas vel tibi, Roma, faces.
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

A Ἢ τυχὸν αὐθόνας πατροκτονίης ἀπέτισεν,
Ἢ ἰδίου κτήτορα λαιμοτόμησ' ἐσφαγῆς·
Ἢ τάχα θεοσυλεῖς ἱερῶν ἀδύτων ἀπεσύλα·
Ἢ τάχα πυρκαϊὴν νυκτὸς ἔφηψε πόλει.
Ἦν ῥα παλαιμυθίων ἀγητίματα τῶν πρὶν ὑπέρβαλε
Δεῖλον, ἐν ᾧ, τὸ πάλαι πλάσμ', ἐφάνη κόλασις.

DOMITIVS CALDERINVS.

QVALITER *in Scyth.*] In spectaculis, comœdiæ, & nonnunquam tragœdiæ recitabantur, vt Tranquil. est author, qui cùm aliàs de hoc tradit, tum scrib. Caligulam egisse laureatum mimum, in quo actor ruina se proripiens sanguinem vomit. Tragœdia erat, quæ inscribebatur Laureolus à Laureolo, in eo introducebatur sublatus in crucem. B Domit. cùm multos afficeret supplicio, voluit non sine voluptate spectatorum, eos interire, iussitque recitari vera repræsentatione inter cæteras tragœdias, Orpheum, & Laureolum, ita vt damnati repræsentantes personam Laureoli non ficta cruce, sed vera penderent: & personam Orphei, ita vt non fictis mulierum manibus, sed à feris laceraretur. Cùm hæc olim recitata essent à Lentulo ciue Romano in theatro subeunte personam Laureoli, non veram vt nunc, sed fictam, clamat Iuuenal. debuisse illum interire vero supplicio, quo, scil. histronicam exerceat:

Laureolum velox benè Lentulus egit:
Iudice me, dignus vera cruce.

Ait igitur Poëta hunc, qui nuper sub persona Laureoli pendebat vera cruce, iussu Domit. superasse C scelera Laureoli fabulosi. quoniam s. id supplicium, quod in Laureolo fuit fabula, in ipso fuerit verum.

LAVREOLVS] Damnatus: qui subibat personam Laureoli, iussu Domitiani recitaris tragœdiam. Næuius Poëta scripsit in carcere Laureolum & Leõtem, vt Gell. scripsit.

VRSO *Caledonio*] id est Britannico. Caledonia sylua Britanniæ, ad quam arma Romana processerunt, vnde sæui vrsi mittebantur.

SCYTHICA *rupe*] id est caucasea. Prometheus enim religatus in caucaso monte fuit.

NIMIO *pe.*] id est, renascenti.

AVEM *assi.*] id est aquilam. Nota fabula. extat de Prometheo tragœdia Æschyli, quæ inscribitur Prometheus.

VIVEBANT] id est palpitabant.

STILLANTIBVS *membris*] manentibus cruore.

INQVE *omni nusquam corpore, corpus erat*] & nulla facies corporis erat in toto corpore.

GEORGIVS.

NON *falsa pendens in cruce Laureolus*] Inconstantia loquitur hic interpres: nam si ad Laureatum mimum hæc referuntur, vt testimonio Suetonij probare nititur, & ita esse nos sentimus. Dicat rogo, quo pacto tragœdia potuit esse, cùm Mimus, vt Grammatici tradunt, à tragœdia plurimum differat? Sed magis insanit dicendo Næuium scripsisse Laureolum & Leontem in carcere, cùm in noctibus Atticis legatur, fabulas eum in carcere duas scripsisse, Laureolum & Leontem, nihilque res Næuij enarrationem hanc iuuet. Sed vt à nobis dictum est in illud Iuuenalis:

Laureolum velox etiam benè Lentulus egit,
Iudice me dignus vera cruce.

Iosephus Iudæus necem Caligulæ scribens, mimum, quem Laureatum Tranquil. appellat, iudicem ait fuisse Laureolum, qui cruci suffixus fuit. De quo facto mimus confectus est, crebrò in theatris repræsentatus, & potissimùm sub mortem Caligulæ.

MARCILIVS.

POENA *Laureoli*] A Nerone, Domitiano, alijs, qui damnati in arenam essent, ità subinde adfecti pœna, vt eopse supplicio aliqua ex monimentis annalium historia, aut fabula ex poëtis repræsentaretur, vt nunc reus hic in arena discerptus sub persona Laureoli, iussu non Titi, vt voluere c. xi. lib. iii. de cruce: sed Domitiani: sic & infra epigr. seq. alius specie Dædali. Alius epigrammate xxi. tanquam Orpheus. Alius pro Leandro vt infra p. 25. Alius tanquam Mucius Scæuula epigr. xxx. lib. iix. epigr. xxv. lib. 10.

Etiam sine historia aut fabella, miseri aliarum quoque rerum specie in arena supplicio adfecti, vt à Nerone Christiani spectaculis nocturnis ita combusti, vt arderent pro cereis: Iuuenal. Sat. j. & ibi vetus interpres: C. Tacitus annali xv. Ex eoque Sulpicius Seuerus historiæ sacræ lib. ij.

Neque his personatis tantùm, sed & apertis supplicijs locus in spectaculis siue visorijs, vt viuicomburio, & id genus alijs. Plutarchi lib. de numinis sera vindicta. Tertylliani cap. x. De spectaculis. Philonis Iudæi in Flaccum. D. Hieronymi Catalogo in Polycarpo. Eusebij eccles. histor. cap. j. lib. v. in epistola ecclesiæ Lugdunensium.

Notat insuper loco antedicto Plutarchus reos in spectacula solitos mitti splendidè ad speciem & pompam subornatos, τοὺς κακούργους, inquit, ἐν τοῖς θεάτροις ἐν χιτῶσι διαχρύσοις καὶ χλαμυδίοις ἁλουργοῖς ἐνσεφασμένους καὶ συῤῥιχίζοντας. Dixeris Latinè. *Maleficos* D *in theatris, tunicis auro intextis, & sagulis caruleis, coronatos & saltantes pyrrhicham &c.*

QVALITER *Prometheus*] Quod Prometheo Caucasus, id huic Laureolo crux: & viceuersa Caucasus quasi crux Promethei. Ergo & Lucianus Deor. dial. Prometheum σταυρωθέντα vocauit, siue *crucifixum.* Et Tertyllianus cap. j. lib. j. aduersus Marcionem, *cruces Caucasorum* dixit. Et Manilius lib. v. de Andromeda scopulo adfixa, eam *cruce pependisse* ait.

Deinde quod Prometheo vultur, aut vt alij aquila: id Laureolo vrsus.

RELIGATVS] Vt Attius, in Prometheo, Ciceronis Tuscul. ij.

------ *Adspicite religatum asperis*
Vinctumque saxis -----

Religatus autem sic ibi Prometheus ad Caucasum

à Mercurio, si Seruio fides ad Eclog. vi. aut à Vulcano, vt Æschylus ipse in Prometheo, & Apollodor. lib. j. aut ab vtroque si Lucianus rectè in Deor. dialogis.

Atque hanc de Prometheo fabellam explicat Tullius v. Tuscul Seru. loco prædicto. Eandem aliter Strabo lib. xi. Aliter & interpres Apollonij ad ii. Argonaut. Aliter & Dio Chrysostomus in Diogene siue orat. de virtute.

IN *Scythica rupe*] In Caucaso. Nam hunc Scythæ accolunt. Interpres Æschyli ad Prometheum.

ASSIDVAM *autem*] Aquilam, vt Seruius loco antedicto, & Attius in Prometheo, Tullij ii. Tuscul. Vulturem verò, vt Petronius Arbiter apud Fulgent. lib. ii.

PECTORE *pauit*] Corde, vt Seruius indidem. Iecore, vt Attius Prometheo, & Petronius locis antedictis. Bene autem *pauit*, non *pascit*. Quippe solutus iam pœnis Prometheus. Catull. epith. Pelei, vbi de Prometheo.

Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ.

L. Lucian. Dial. Iouis & Promethei. Sed alij Prometheo & ad inferos pœnam illam statuunt. vt Aristoteles c. xiix. de poët. Horat. oda xiii. lib. ii.

NIMIO] Significanter, *Nimium pectus*, ex quo nimius cruciatus Prometheo: & nimium, siue adsiduum pabulum vulturi siue aquilæ, vt Æneide vi. Maro de Prometheo.

---- Fecundaque pœnis Viscera.

Nimium sæpe pro magno, & *nimis*, valde. Catullus epithal. Manlij

O nimis optato seclorum tempore nati.

Claudian. *O nimium dilecte Deo.*

Iul. Capitolin. Maximo & Balbino. *Nimia sanctitate ac verecundia.* pro, maxima. Marcellus Empir. c. xxii. Donatus in Andriam. Act. i. Sc. iii. Glossæ. *Nimis.* ἄγαν, λίαν, πάνυ, σφόδρα. Hæc pro vulgaria lectione, sed melius alij libri, *nudo pectore*. Nam Valerius ipse quasi opponens dicturus est, *Nuda Caledonio sic pectora, &c.*

SIC *Laureolus*] Sic maleficus hic sub nomine personáque Laureoli. Laureolus, nobilis olim latronum dux, de cuius in crucem acti supplicio celebratissimus Romæ, & identidem actitatus mimus. Suetonius Caij c. lvii. *Cum in Laureolo mimo, &c.* Iosephus originum cap. j. lib. xix. καὶ γὰρ μῖμος εἰσήχθη καθ' ὃν σταυροῦται λῃστὴς ἡγεμών. *Nam mimus inducitur, in quo dux captus crucifigitur.* Iuuenal. Sat. iix.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit.

Iudice me, dignus vera cruce ----

Vbi vetus interpres. *In ipso*, inquit, *mimo, Laureolo figitur crux.* Tertullian. c. xiv. aduersus Valentinian. *Quia nullum Catulli Laureolum fuerit exercitata.* D. Hyeronim. epist. ad Sabinianum. *Hac tibi ridicula forte videantur, qui comœdis & lyricis scriptoribus, mimis & Lentulis delectaris, &c.* Expressim itaque Catullo hunc mimum Tertullianus adscripsit: falsi sunt, qui arbitrati hanc tragœdiam esse Næuij.

PECTORA *præbuit urso*] Malefici in amphitheatro sic in crucem subinde acti, vt in capse cruce lacerarentur à bestijs, vt nunc Laureolus, martyres Lugdunenses Eusebij Ecclesi. histor. cap. j. lib. v. Mnestheus apud Vopiscum, in Aureliano. Artemidor. Dald. cap. xlix. lib. v. ἔδοξέ τις μεταμορφωθεὶς, ἄρκτου χεῖρας γενέσθαι· καταδικασθεὶς τὴν ἐπὶ θανάτῳ, προσδεθεὶς ξύλῳ, βορὰ ὑπὸ ἄρκτου. &c. *Visus sibi aliquis vrsimanus, siue vrsi manum habens: damnatus capitis cum bestijs pugnauit, & ligno deligatus, ab vrso discerptus est.*

A Crux illa, stipes ad quem deligati & ferarum morsibus expositi. Hos Fl. Vopiscus Aureliano, *ad stipitem surrectos homines*, vocauit Sueton. Nerone cap xxix. *ad stipitem deligatos.* Dio Nerone σταυροῖς προσδεδεμένους. *Crucib. alligatos.* Itaque vrbanè Tertyllian. lib. de pudicit. eiusmodi crucem vocat, *Stipitem leoni concessum.* Eusebius autem loco prædicto populariter, *lignum*, vbi de Blandina ἐπὶ ξύλου, inquit, κρεμασθεῖσα *in ligno suspensa.* Eodemque significatu mox *Crucem* dixit ἡ καὶ διὰ τοῦ βλέπεσθαι σταυροῦ σχήματι. *Quæ quòd specie crucis spectaretur &c.* Sic & Artemidor. Dald. cap. xlix. lib. v. προσδεθεὶς ξύλῳ *deligatus ligno*, id est, cruci.

PENDENS] Nam deligati ad stipitem altiusculè à terra, vt ferarum mordicibus adpeterentur. Itaque & canib. ac lupis subinde pabulum cruciarij, vt Apuleiasini lib. vi. *Patibuli cruciatum, cum canes & vultures intima protrahunt viscera.* Eoque Catullus ludens

B epigrammate in Cominium optans, *vorent* eius

Intestina canes, cætera membra lupi.

NON *falsa in cruce*] Non mimica, sed vera cruce. Qui mimum Laureolum actitarent, his mimica mors. Patet Suetonij Caio cap. lvii. & Iuuenal. Sat. iix. vbi de Lentulo & Laureolo, & Iosephi orig. cap. j. lib. xix. At iussu Domitiani latro hic, specie & nomine Laureoli in veram actus crucem, quippe dignus malo cruce, Nam latro hic. Latronibus autem crux pœna. Vt l. xxiix. §. penult. D. De pœnis. *Famosos latrones in his locis vbi grassati sunt, furca figendos compluribus placuit.* L. Seneca epist. vii. *Latrocinium fecit aliquis. Quid ergo meruit? vt suspendatur.* Petronius. *Imperator prouinciæ iussit latrones crucib. adfigi.* Apuleiasinus lib. iij. *Latronem istum, miserorum pignorum meorum peremptorem cruci adfigatis.*

C Sic & in literis sacris iuxta crucem dominicam, latrones in crucibus. Et salus ipsa ibi nostra in cruce tanquam latro. Nam & latronis dimissi vicem Christus ad crucem postulatus: patet in historia sacra. Et seruator ipse Matthæi c. xxvi. ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξήλθετε. *Prodistis tanquam ad latronem*, &c. Notauêre ad L. xxxiix. §. *Auctores.* D. eod. crucem Christo supplicium fuisse, vt seditionis auctori. Nam hoc ei crimen obiectari Lucæ cap. x. Sed illa criminatio reuoluitur ad latrocinium. Nam Iudaicæ gentis moribus ijdem plerumque & seditionum auctores & latrones, vt patet historia Iosephi.

Reposuit autem Tribunianus d. l. xxiix. §. pen. *Furcam* pro cruce, vt toto iure ciuili. Dico ad xii. tabulas. cap. lx.

INQVE *omni nusquam corpore corpus erat*] Ὀξύμωρον & epigrammaticè. vt epigr. lx. lib. vii.

Inque suo nullum limine limen erat.

D Eiusmodi & illa. *In Sicilia Siciliam quærere.* Tullius Verrina iii. Et, *Samnium in ipso Samnio requiri.* L. Florus cap. xvi. lib. j. Vult Valerius ita discerptum Laureolum vt nusquam aliqua species corporis pareret quale & illud Ammiani lib. xiv. *Qui ita euisceratus vt cruciatibus membra deessent.*

DENIQVE] ἐπιτελεστικῶς *Denique* Seru. ad Æneid. ii.

QVÆ *fuerat fabula*] In alijs mimi Laureoli actoribus mimicum supplicium illud: in hoc latrone verum.

RAMIR. DE PRADO.

LEMMA, non *de pœna Laureoli*, sed *de fabula Laureoli* esset scribendum. Iam superiori epigrammate monuimus damnatos in Amphitheatrum adagen-

das fabulas introductos. Ibi variis suppliciis afficiebatur, & verè lacerabatur, non fictis, vt in histrionia, cædibus, sed veris. Tertull. in Apologetico id docet. Hoc epigrammate describitur cuiusdam dånati miseranda dilaniatio, qui Laureolum egit. Est autem Laureolus Næuij Poëtæ, vbi Laureolus quidam in crucem agi fingebatur, vt testatur Agellius. Hic autem Laureolus fictus, cuius nefaria crimina hoc epigrammate notantur, Vrso Caledonio cruci suffixus objectus fuerat. Vulgatus autem hic crudelissimus mos ex Eusebio lib. 5. de præparat. Euangelica, & Tertulliano de pudicitia. Legendus etiam doctissimus Lipsius libris de Cruce.

1 TEMPLA *vel arcano demens spoliauerat auro.*] Notissimum est antiqua templa auro ornari solere, vel ex Suetonio. August. cap. 30. Vasaque dedicari ad vsum sacrorum aurea, Persius Sat. 2. vers. 68.

------at vos
Dicite Pontifices in sancto quid facit aurum;

Arcanum igitur aurum poteris interpretari, aurum quod ad sacrorum vsum in adytis templi custodiebatur. Sed probabilius multò existimo arcanum aurum dici priuatum aurum in templis, custodiæ causâ, à ciuibus depositum. Hoc enim mihi sonat *arcanum*, id est, reconditum ad arcendos fures. Solebant namque veteres in templis priuatam pecuniam deponere. Indicat hoc Romanum ærarium in Saturni æde constitutum: & Herodianus describens incendium quo Pacis templum absumptum est his verbis ex interpretatione Angeli Politiani. *Idem templorum omnium opulentissimum, egregieque munitum multoque ornatum auro & argento. Quippe vniuersi ferme suas illuc diuitias quasi in thesaurum congerebant. Ideoque per noctem debacchatus ignis multos ex opulētis egenos reddidit. Quapropter communem quidem iacturam publicè omnes, suā autem quique priuatim deplorabant.* & apud I C. in L. si quæ sunt. 5. Π. famil. hercisculd. iubentur cautiones hæreditariæ, quando ex iisdem partibus multi hæredes sunt, nec inter eos cōueniat apud quē potius esse debeant, in æde sacra deponi, & in l. 1. §. apud Iulianum 37. Π. depositi, vel cōtra, præcipitur, vt hæreditas in *aliqua æde*, id est, templo *deponatur, quando duo heredes de ea contendunt.* Ab hoc more tractum est apud Rhetores commune definitiui status exemplum, quod adducit Hermogenes lib. de Statibus, his verbis. *Vt priuatas pecunias ex loco sacro aliquis surripuit, cùm iubeat lex furem duplo condamnari, sacrilegus verò reus sit capitis. Hic vt sacrilegus fuerit, accusatur, ille se furem esse contendit.* Quā controuersiam dirimit Cicero lib. 2. de legib. sic scribens. *Sacrilego pœna est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. Quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos in delubro pecuniam dicitur.* & Atheniensis Clysthenes Iunoni Samiæ ciuis egregius, cū rebus timeret suis filiarū dotes credidit. Et Ephesios Dianæ tēplo pecunias deposuisse etiam testatur Dio Chrysost. oratione Rhodiacâ 31. cuius verba ex interpretatione Thomæ Naogeorgi hæc sunt, *Nostis*

A *haud dubiè Ephesios, apud quos multa sunt pecunia; partim priuatorum recondita in Diana templo, non solum Ephesiorum, sed & hospitum, & hominum vndecumque gentium, partim & populorum regumq; (deponūt autem omnes eò securitatis gratiâ.* &c,) Annibal item hoc deposito in commentum vsus fuit ad decipiendos Cretenses, vt ait Trogus Pompeius in epitome Iustini, lib. xxxii. in fine. *Admonitus* (Annibal) *à rege* (Antiocho) *in fugam versus Cretam defertur: ibi cum diu quietam vitam egisset, inuidiosumque se propter nimias opes videret, amphoras plumbò repletas in Diana templo, quasi fortuna sua præsidia, deponit: atq; ideo nihil de illo solicita ciuitate, quoniam velut pignus opes eius tenebat, ad Prusiam contendit, auro suo in statuis, quas secum portabat infuso, ne conspectæ opes vitæ nocerent.* In iudiciis etiam id vsu veniebat; deponebant enim litigatores apud Pontificem certam pecuniæ
B summam pro litis qualitate; quam pecuniam, quòd in sacro reponeretur, Sacramentum vocabant: author M. Varro lib. 4. de ling. Lat. in fine: *Ea*, inquit, *pecunia, quæ in iudicium venit in litibus, Sacramentum à sacro. Qui petebat, & qui inficiebatur, de alijs rebus vterque quingentos æris ad Pontificem deponebant: de alijs rebus item certo alio legitimo numero assiū. Qui iudicio vicerat suum sacramentū à sacro auferebat, victi ad ærarium redibant.* Hinc formulæ forenses Sacramento contendere, certare, prouocare alium, frequentissimè apud Ciceronem, & Val. M. lib. 7. cap. 8. §. 2. Adde quòd more Romano tabulæ omnes pactionum, fœderum, contractuum & testamentorum in delubris Deorum solebant custodiri, Æditui fidei commendatæ vt in l. 3. Π. de tabul exhibend. Vlpianus. *Si custodiam testamenti Aedituus susceperit.* & Papinianus in l. cum pater 77. §. donatio-
C nis 26. de legat. 2. *Donationis prædiorum epistolam, ignorante filio, mater in æde sacra verbis fidei commissi non subnixam, deposuit, & litteras tales ad adituū misit; instrumentum voluntatis meæ post mortem meam filio meo tradi volo.* Sed maior fiducia erat in virgines Vestales, quæ sacerdotes ceteros dignitate, & authoritate superabant, adeò vt Imperatores ipsi testamenta sua ipsis commendarent: Maximæ Virgini, præcipuè, quæ reliquis præerat. Suetonius in Iulio cap. 83. *Postulante ergo L. Pisone socero testamentū eius aperitur, recitaturque in Antonij domo. quod Idibus Septēbris proximus in Lauicano suo fecerat, demandaueratque Virgini Vestali Maximæ.* & in Augusto, cap. 101. *testamentum L. Planco C. Silio Coss. tertio Non. April. ante annum & quatuor menses quàm decederet factum, ab eo, ac duobus codicibus partim ipsius*
D *partim libertorum Polybij, & Hilarionis manu scriptū, depositumque apud sex virgines Vestales, cum tribus signatis æquè voluminibus, protulerunt.* Quod idem C. Tacitus lib. 1. Annal. testatur: *Nihil*, inquit, *primo Senatus die agi passus nisi de supremis Augusti, cuius testamentum illatum per Virgines Vestæ, Tiberium & Liuiam heredes habuit.* Et Plutarchus Marci Antonij Triumviri testamentum depositum apud Vestales scribit.

De Dædalo. VIII.

Dædale Lucano cùm sic lacereris ab vrso,
Quàm cuperes pennas nunc habuisse tuas.

Περὶ Δαιδάλου. Η.

Λευκανοῦ σ' ἄρκτοιο διασπαρόωντος ὀδοῦσι,
Ὡς εὔχοι' ἂν ἔχειν, Δαίδαλε, τὰ πτερά σου.

DOMITIVS

A

DOMITIVS CALDERINVS.

DÆDALE *Luc.*] Hic Dædalus obiectus fuit feris & laniatus, alludẽs ad nomen poëta ait Dædalum nunc optaſſe habere pennas, vt fabulæ finxerũt Dædalũ habuiſſe. Nam Dædalus Mitionis filius fuit Atheniensis, præclarus Architectura, & statuaria: Talum sororis filium interfecit inuidia ingenij, quoniam inuenerat figuli rotam, & ferram, damnatus ab Areopagitis, dicitur alis euolaſſe in Cretam, inde *δαίδαλος* ingeniosus.

LVCANO *urſo*] Ex Lucania vrſi mittebantur in theatrum, vt Var. ſcribit feritate & magnitudine inſignes.

MARCILIVS.

DE *Dædalo*] Meliùs de pœna Dædali, vt epigrammate antecedente, ita & hoc iſto mimica pœna verſa in legitimam.

Meliùs & hoc epigramma quinto iugatum fuiſſet, quia conſimilis vtrumque argumenti, & iunctæ fabellæ Paſiphaës & Dædali. Itaque & Domitianus ea ſpectacula videtur iunxiſſe vt & Nero Suetonij cap. xii.

AD *vrſo Lucano*] Vrſi propriatim Lucani, Varro iv. de ling. Lat.

QVAM *velles pennas tunc habuiſſe tuas*] Ne ſcilicet in ipſo periculo & conatu volandi decideres, vt Icarus, Suetonij Nerone cap. xii.

RAMIR. DE PRADO.

EIVSDEM eſt cum ſuperiore argumenti. Hic enim damnatus nomen, & pœnas Dædali coactus eſt induere, & ſe velut volaturus ex aliquo ſuperiori loco demittere, & cùm cecidiſſet accurrente Lucano vrſo laceratus eſt. Simile apud Sueton. in Nerone cap. 12. de volatu Icari. *Icarus primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipſumque cruore reſperſit.*

B

Ludit in ambiguo Poëta cùm in Dædalum fictũ inſultat, quòd tanquam verus Dædalus ſuas pœnas habere cuperet.

De Rhinocerote. IX.

Præſtitit exhibitus tota tibi Cæſar, arena,
Quæ non promiſit prælia, rhinoceros.
O quàm terribiles exarſit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

Περὶ Ῥινοκέρωτος. Θ.

Ἡ ῥ' ἀνεπαγγέλτους ἄθλους σοι, Καῖσαρ, ἀγῶνας
Ῥινοκέρως δι' ὅλου δεῖξε κυνηγεσίοις.
Ὡς φευκτὸν θύμηνε πυρούμενος! οἵη ἔην ῥὶς
Ἧι καὶ ταῦρος ὅλως ἔπλετο χορτοπαγής!

DOMITIVS CALDERINVS.

Rhinoceros. PRÆSTITIT *exhib.*] Rhinocerotem primus oſtendit in ſpectaculis Pompe. tùm Augu. Domit. animal eſt buxei coloris, inimicum elephanto, cuius aluum elimato cornu petit in pugna, nuper fuerat in theatro, & diu ſtupens ad pugnam, non poterat irritari, quòd ægrè ferebat Domit. tandem facto impetu in taurum, illum non ſecus extulit in altum, quàm ſi fuiſſet pila.

C

Exhibitus. EXHIBITVS] Datus in ſpectaculum: nam exhibere, eſt in ſpectaculum dare.

QVÆ *non prom. pr. rhinoceros*] Vel quia tùm pugnarat cùm elephanto: nunc autem cùm tauro pugnauit, vel quoniam non videbat poſſe irritari in pugna, quod placet.

PRONVS] Inclinato cornu, quod habet in naribus.

Pila. CVI *pila taurus er.*] Pilæ dicebantur veſtes in globum & ſpeciem pilæ collectæ, quæ obijciebantur cornibus taurorum, vt irritarentur. Rudis antiquitas homines è ſtramine formabat ad id opus, teſte Pediano, poſteà luxus in tantùm auctus eſt, vt veſtes purpureæ obijcerentur. Ouidius:

Haud ſecus exarſit, quàm circo taurus aperto:
Cùm ſua terribili petit irritamina cornu,
Phœniceas veſtes, eluſdque vulnera ſentit.

Iocans igitur poëta ait taurum, cui pilæ ſolent obijci: nunc fuiſſe pilam Rhinoc.

MARCILIVS.

DE *Rhinocerote*] Fuiſſet plenius lemma. De pugna tauri ac rhinocerotis. Eiuſdem verò argumenti epigramma poſt xxii. & item alterum liij. Lxiv.

CALDERINVS.

PRÆLIA *quæ non promiſit*] Quia non potuit aliquandiu à venatoribus irritari. Hi venatores, *amphitheatrales magiſtri.* De quibus poſt dicendi meta epigr. xxii.

RHINOCEROS] *Rhinocerotem*, inquit Feſtus, *quidam eſſe aiunt bouem Aegyptium.* Fortean autem ita rhinocerotes indigetati Romæ, quia triumpho Auguſti Ægyptiaco primitùs Romæ in ſpectaculis. Dio lib. liii. Sueton. Auguſti cap. xliii. At Plinius c. xx. lib. iix. ſpectatos rhinocerotes Romæ anteriùs, nempe ludis Cn. Pompeij.

Falſos autem Quirites in hac *ὀνομασία* liquet. Nam longiſſimè intereſt bos Ægyptius & rhinoceros. Liquet bouis Nilotici pictura, Leucippæ lib. ii. Itaque & Ælian. cap. xliv. & ſeq. lib. xvii. de animalibus ſeparat rhinocerotas à tauris Aethiopicis. Contrà Pauſanias lib. ix. rhinocerotes vocari ait tauros Aethiopicos.

D

Enimverò ne ſunt quidem rhinocerotes aliqui Aegypto, ſed Aethiopiæ. Itaque Lucilius in iv.

Rhinocerus velut Aethiopus ----

Priſcian. lib. vi. Integrior ex Nonio hic locus in Broncus. Lucil. Satyr. lib. iij.

Broncus nouit lanius, dente aduerſo eminulo, hic eſt Rhinoceros. Relego,

Bronců bouis lanius, dente aduerſo eminulo, hic eſt Rhinocerus velut Aethiopus ----

Reſcripſere alij. *Broncus enat.* Vt Iunius. Alij *Bronchũ bouillanus*, vt Turnebus. Alij, *Bronchũ nouus lanius*, vt Mercerus. Alij, *Branchus obit*, vt qui fragmenta edidère. Mera nugalia iſta quidem. At vrbaniſſimè Lucilius, vt adſolet, comparationem fecit bronci lanij bouem diſcerpentis cum rhinocerote

C

bouem lacerante. Nam lanio illi prominulus dens, vt cornu rhinoceroti, atque vt lanius ille in macello, sic rhinoceros in spectaculis bouem lacerat.

Sed pergo paucula & de rhinocerote. Peccat Isidor. cap. ii. lib. xii. rhinocerotem & monocerotem interesse non putans. Nam Dio quidem lib. liii. rhinocerotem esse ait figurâ elephanti. Artemidorus autem Strabonis lib. xvi. Consimilem esse sui siluestri siue apro.

Plenior historia rhinocerotis legere volenti est locis antedictis & Oppiani lib. ii. de venatione. Diodori lib. iij. Iul. Solini c. xxxiii.

Exarsit *in iras*] Proritatus à venatoribus siue magistris, vt post epigr. xxii. Vbi de hoc ritu dicendi campus.

Quantus *erat cornu*] Cornu quod in naribus extimis, à quo & nomen est inditum rhinoceroti. De qua originatione Dio lib. liii. Aelian. de animalib. cap. xliv. lib. xvii. Diodor. Sicul. lib. iii. Isidor. c. ij. lib. xii. De Cornu hoc, item Plinius c. xx. lib. iix. Solinus cap. xxxiii. Oppianus lib. ii. de venatione. Geographus idipsum Cornu, esse ait rhinocerotis nasum. lib. xvi. ἡ ῥὶς, κέρας σιμὸν στερεώτερον ὀστοῦ παντός. *Nasus, est cornu simum, osse quouis durius.* Et noster sic epigr. iv. lib. j. *Nasum* dixit.

Quantus autem *cornu*, vt Aeneide j. *Magnus armis.*

Cui *pila taurus erat*] Similiter de rhinocerote epigr. liii. lib. xiv.

Hic erit ille tibi cui pila taurus erat.

A Et posteriùs in his spectaculis epigr. xix.

Sustulerat raptas taurus in astra pilas, Et ep. xxii.

Iactat vt impositas taurus in astra pilas.

De his pilis Ascon. ad principium Cornelianæ. *Simulacra,* inquit, *effigiesque hominum ex fœno fieri solebant, quibus obiectis ad spectaculum prabendum tauri irritarentur.* Et quia his pilis tauri proritati Glossæ interpretant. *Pilæ ταυρείαι, ταυροκαθάπται.* Irritati nempe tauri pilis, vt leones atque vrsi mappa. L. Seneca cap. xxx. lib. iii. de ira. Vrbanè itaque lusit Valerius in pila & tauro. Tauri pilis proritantur, at rhinoceroti taurus ipse pro pila fuit. Neque dispar lusus Prologo Captiuorum Plautinæ.

Enimuero Di nos quasi pilas homines habent.

Tauris pilæ homines fenei: Diis pilæ homines ipsi.

Alius modi pilæ, de quibus Festus in *pilæ*. Alius & oscilla, Macrobij Saturn. cap. vii. lib. j. Alius & maniæ Festi in *Mania*.

B

RAMIR. DE PRADO.

Hoc Epigramma idem continet ac inferius 22. Rhinocerotem tardè irritatum, & præter spem in arenæ bestias irruentem, iactantemque taurum in sublime, vt taurus iactabat pilas. tanto fortior tauro, quantò taurus fortior pilis. De irritatione ad illud dicemus. Hoc idem epigramma facit cum epigr. 53. lib. 14. vbi Martialis ait, hunc Rhinocerota cui pila taurus erat, eundem fuisse ac ille, qui spectatus fuit in arena Domitiani.

De leone qui gubernatorem offendit. X.

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus:
Sed dignas tanto persoluit crimine pœnas,
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores:
Qui iubet ingenium mitius esse feris?

Εἰς λέοντα τὸν ἡμερωτὴν λωβήσαντα. ι'.

C

Ἀρμοστὴν κακῷ ὀδὰξ δηλήσατο λῖς ἀχάριστος,
Οὐδ' οὕτω γνωστῆς φείσατο δεξιτερῆς.
Ἀλλὰ δ' ἢ δίκην τολμήματος, ἄξια ποινῆς.
Χ' ὅστις τὰς πληγὰς οὐ φέρε, τόξα φέρει.
Ποίους δ' ἔοικ' ἐπὶ τοιοῦδ' ἄνδρας ἄνακτος
Τοῦ ἐπιτάσσοντος θηρσὶν ἀθωοτέροις;

DOMITIVS CALDERINVS.

Læserat *ingrato leo*] Mansuetus factus ductus est in theatrum: reuersus in pristinam feritatem lacerauit magistrum. Iussu Domit. telis confossus est: laudatur princeps, quòd humanos mores non modò velit esse in homine, sed etiam in fera.

Contemerare] Violare.

Tam *notas manus*] id est familiares.

Tulit *tela*] i. passus est tela, quia confossus fuit telis, iussu Domit. quòd magistrum violauerit.

Quos] Quales i. mitissimos, cùm velit feras habere.

Mitius *ingenium*] i. mores humanos.

MARCILIVS.

Læserat *leo*] *Læserat* nempe in proritatione, de qua dico ad epigramma xxii.

Perfidus] Significanter hoc *perfidus*, vt & epigr. lxxv. lib. ii. de leone —*Crudelis, perfide, prædo.* Sic enim lego. Nempe aliàs leo ζῷον φιλόστοργον, καὶ δίκαιον, καὶ φιλόστοργον πρὸς οὓς ἂν συνῇ. *Animal mite, iustum, & eorum, quibuscum degit, amans.* Aristot. in Physiognomicis.

D Ore *ingrato*] Et hoc leo ille contra ingenium suum. Nam leonum animi grati, vt in narratione A. Gellij de Androdo cap. xiv. lib. v. siue is Androcles, vt Aeliano de animalib. cap. xliix. lib. vii. Et in narratione de Elpide Samio Plinij cap. xvi. lib. iix. Sic gratus leo in magistrum suum, L. Senecæ cap. xix. lib. ii. De benefic. *Leonem*, inquit, *in amphitheatro spectauimus, qui vnum è bestiarijs agnitum, cum quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum.* Huiusmodi & Orsymanduæ Syrorum regis leo, de quo Tzetzes.

Magistrum] Hic *custos*, L. Senecæ epist. xxcv. Græcis λειοντοκόμος. Auctor Etymol. Idemque Mansuetarius, Lampridij Alagab. Iul. Firmic. cap. xvii. lib. iix. *Mansuetarij, qui vrsos, tauros, vel leones feritate deposita, humanis conuersationibus facient.* Glossa ἡμερωτής *Mansuetarius*; etiam elephanti magi-

strum siue ἀθλοθέτην Strabo dixit lib. xv.

TAM *notas manus*] *Notas*, in os eius sæpe insertatas. Itaque & significanter illud. *Laserat ore*. De hac manuum in os leonis insertatione est epigramma lxxv. lib. ii.

Verbera securi solitus leo ferre magistri,
Insertamque pati blandus in ora manum.

Papinius Silua v. lib. ii. mansueti laudes canens: neque hanc præterit.

Insertasque manus laxo dimittere morsu.

L. Seneca cap. iii. lib. j. de benefic. *Leonum ora à magistris impune tractantur*. Et epist. lxxv. *Leonibus magister manum insertat: osculatur tigrim suus custos*. Et cap. xxxi. lib. ii. de ira. *Adspice elephantorum iugo colla submissa, taurorum pueris pariter ac fœminis persultantibus terga impunè calcata, & repentes inter pocula sinúsque innoxio lapsu dracones, & intra domum vrsorum leonúmque ora placida tractantibus, adulantesque dominо feras*. Relege. *ora placida tractantes*. Et hoc quidem patet, illud cæcum est & latens, quod ait *intra domum*. Anne placidiora intra, quàm extra domum, siue foris vrsorum leonumque ora domini? annon ad currum iuncti M. Antonio leones? annon placida eis ora in spectaculis? Planissimè quidem cucurbita illa est *intra domum*. Qui cum velit pignus posuero ego L. Senecæ mentem manúmque esse, *intra damnum*. Siue innoxiè, siue ita vt nihil patiantur damni. Sic Tullij epist. iv. lib. iv. *Intra modum*. Rectè A. Gellius, *id est*, inquit, *non ad ipsum modum, sed retro paulum & citra modum*. cap. xiii. lib. xii. Similiter itaque *intra damnum*. Siue vt non veniatur ad damnũ, vt Tullij epist. iv. lib. iv. *intra modum*. *Id est*, inquit, A. Gellius cap. xiii. lib. xii. *non ad ipsum modum, sed retro paululum & citra modum*. Siue vt non veniatur ad modum. Horat. ad Pisones. *Intra spem veniæ cautus*, vt peruenire nihil opus ad spem veniæ. Vult Flaccus intellegi, intra spem veniæ cautum esse Menandrum, siue nihil peccare, ita nec opus ei sperare veniam. Plautum peccare, sed cum spe veniæ. Aricinæ mentes locum Horatij rescribillant. *Extra spem veniæ cautus*. Ipsi illi rescriptores extra spem veniæ incauti. Insultat his Anthonius Muretus Varijs c. v. lib. xiii. L. Florus cap. xi. lib. iv. *Nam pulchritudo Cleopatræ, intra pudicitiam principis fuit*. Pertingere non potuit ad principis pudicitiam, siue eò peruenire vt expugnaret principis pudicitiam. Fabius Declam. cclx. *Intra concessos adolescentiæ lusus*. Sed iam vt & nobis hæc intra modum sint, pergamus paucula de mansuetarijs. Manil. fine lib. v.

Non inimica feræ tali sub tempore natus
Ora feret: placidas reget in commercia gentes.

Sic vulgarij, sed benè in alijs,

Non inimica feræ tali sub tempore natis
Ora ferent: placidaque gerent commercia gentes.

Eo sidere natis feræ ora ferent non inimica, quippe mansuetarijs: & commercium gentibus illis siue seclis ferarum erit cum his magistris. Quod Iul. Firm. cap. xvii. lib. iix. dixit *vrsos, tauros, leones humanis conuersationibus sociari*. Vt & Manil. fine lib. v. Mansuetariorum artes pingens feras, inquit, *Iunget amicitia secum*. Conuersationis ferarum elegans pictura Valerij nostri epigr. cxlix. lib. j.

Vt docerent autem feras ita conuersari, & commercia gerere magistri siue mansuetarij, vsi verbis & herbis. Verbis, nempe adloquijs. Plin. c. xvi. lib. iix. *Mulceri adloquiis feras*. M. Manilius lib. iv. inter mansuetariorum officia recenset.

Exorare tigres. —— Et mox.

A *Cumque elephante loqui, tantamq; aptare loquendo*
Artibus humanis varia ad spectacula molem.

Herbarum autem quoque mansuetarijs auxilia fuisse, facilis coniectura ex Aeliani de animal. lib. ... cap. xxxiix. lib. j. C. Plinij cap. iv. lib. xxix. cap. xi. lib. xxvi. Vsi & rebus metallicis vt chalcantho. Plinius idem cap. xii. lib. xxxiv. *Nuper inuentum*, inquit, *vrsorum in arena & leonum ora adspergere illo: tantáque est vis in adstringendo, vt non queant mordere*.

Adde & palpandi & demulcendi vsos arte & illicio mansuetarios. Itaque Philostratus Apollonij lib. vii. leonum magistros ait debere nec verberare nec obsecundare, nam inde feris odium, hinc superbiam nasci, sed καταψῶντας ἐς εὐαγωγὰ ἤθη ἄγειν *demulcendo perducere ad morum facilitatem*. Et Manil. fine lib. v. inter mansuetariorum artes posuit.

—— *Palpare lupos*. —— Eleganter autem

B Corippus lib. iii. & ipso frequentis in cauea populi conspectu tigres aliasque feras quasi adtonitas & mansuetiores fuisse.

ET *qui non tulerat verbera*] *Non tulerat* cõtra nempe quàm leones mansueti, siue cicures. Nam his solitum pati verbera magistrorum, epigr. lxxv. lib. ii.

Verbera securi solitus leo ferre magistri.

Et epigr. cv. lib. j. iunctæ ad currum tigres, *Indulgent patientiam flagello*. Et L. Seneca epist. xli. *Leo ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus*. Ex patientia verò hac ista ferarum quas mansuetarij cicurauissent, stolones & hebetes dicti *cicuris* ingenij homines. D. Hieronymus lib. ii. aduersus Ruffinum. *Sed nos*, inquit, *simplices homines & cicures Enniani, nec illius sapientiam, nec tuam qui interpretatus es intelligere possumus*. Sic vulgarij. Sed scripsisse D. Hie-

C ronymum scilicet. *simplices homines, & cicurini, &c.* vetus Poëta Varronis vi. de ling. Lat. *Cicur ingenium obtineo*. Vbi Varro & subnotauit. Hinc Veturios dictos *Cicurinos*. At Tertyllian. cap. xxxvii. aduersus Valentinian. Cicurinum ingenium pro Capitali & sollerte dixit ironicè. *Accipe alia ingenia circurianiana insignioris apud eos magistri*. Sic libri vulgarij. Sed non nauci illud *circurianiana*, est; Vt neque criticæ rescribillationes. Nam alij lyncuriana, vt B. Rhenanus; alij cercuriana vt Latinus Latinius: alij cicuria Enniana, vt Pamelius, item Iunius, qui & de Ennianis ingenijs risiloquum illud. Simplicia & crassa ingenia, Enniana vocari. Quo pacto? Quia, inquit, Ennius Palingenesiam prædicauit. Hoc ergo nugamentum cui tam delirum probetur, dici recte ingenium Ennianum. Viden' lector indolem argumenti? At Tertyllianus ita: *Accipe alia ingenia cicurina insignioris apud eos magistri*. &c. Cicur aut mansuetum est, aut sapiens. Paccuuius. *Consilium cicur*.

D id est. *sapiens* Festus in *Incicorem*. Ita & *cicurinus* mansuetus & hebes, vt loco illo D. Hyeronimi: aut sapiens & capitalis, vt Tertylliano. Inscitia priscæ vocis Cicurinus peperit cicuria illa Enniana, & cicures Ennianos, de quibus & pompabiliter in venatione circensi est cap. xxi.

Et quia Tertylliano dari cœpta iam hæc opella est, pergo & notare hoc, etsi notum, ingenia Septimio esse, machinamenta, vt & *ingenia pœnarum* lib. de resurr. carn. cap. iix. Et *artium ingenia* cap. x. lib. de spectac. Et lib. de Pallio cap. iv. *Ingenia vestificina*, pro inuentis & molitionibus vestificum, magis quàm pro vestificibus ingeniosis. Ex eodem significatu hodiéque loquelariter *ingenia* pro machinis, & *ingeniatores* pro mechanicis, siue machinarijs. Sic & Apuleius Florida iv. cùm *ut ingeniatus ad astutiam*, explicem ego, tanquam ingenijs, siue machinis

instructus ad malitiam.

Qvos *decet esse hominum*] Vt L. Seneca c. xxxi. lib. ii. de ira. *Pudebit cum animalibus permutasse mores.*

RAMIR. DE PRADO.

Vndeqvaqve arripit occasioně Cæsaris laudandi. Euenerat forte vt leo magistrum occidisset: Leonem protinus vel necauit, vel iussit necari Domitianus. Laudat eum à iustitia, & argumento à minori docet, quantam seruari velit ab hominibus, cùm sæuitiam in brutis vindicet. Simile epigramma de noxio leone est 75. lib. 2. Ego hunc leonem existimo à Domitiano occiso, qui solebat venabulo huiusmodi feras transuerberare, vt constat ex epigr. 55. lib. 8. vbi ab eo leonem venabulo occisum esse narratur, vel sagittis configebat, vt constat ex Suetonio in eius vita cap. 19. *armorum*, inquit *nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varij generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectauere pleriq;. atque etiam ex industria ita quarũdam capita figentem, vt duobus ictibus quasi cornua effingeret.*

A

1 Et qvi *non tulerat verbera.*] Sic epigrammate supra citato.

Verbera securi solitus leo ferre magistri.

Ego hæc verbera existimo ad irritandam feritatem leonis impingi à magistro, sed de irritatione ferarum infra epigrammate 22.

2 Qvi *iubet ingenium mitius esse feris.*] Hemistichon desumptum ab Ouidio eleg. 10 lib. 1. vbi sic legitur; *Sumite in exemplum pecudes ratione carentes:*

Turpe erit ingenium mitius esse feris.

De Vrso. XI.

Præceps sanguinea dum se rotat vrsus arena,
Implicitam visco perdidit ille fugam.
Splendida iam tecto cessent venabula ferro,
Nec volet excussa lancea torta manu.
Deprendat vacuo venator in aëre prædam,
Si captare feras aucupis arte placet.

Implicitus.

B

Περὶ τῆς ἄρκτου. ια'.

Μέσφα κυλινδεῖται τρόχις ἄρκτος ἐν σταδίοισι,
Ρεμβόμενον ταχινῆς ἰξὸς ἐπέσχε φυγῆς.
Κείσθω ἀεργηλὴ νῦν αἰχμήεσσα σιγύνη,
Μήδ' ἐλαφρῆς κραδάοιτ' ἐκ χερὸς αἰγανέη.
Ἀγρὰς θηρεύσαις δι' ἠέρος εὔπορον ἄγρην·
Εἰ δόλῳ ἰξευτῶν θῆρας ἔδοξεν ἑλεῖν.

DOMITIVS

Præceps *sanguinea*] Nouitate venationis oblectatus est Domit. captis feris visco. Iubet poëta in assentationem, venatores petere aërem, & volucres, quod aucupis est, cùm aucupes petant feras.

Implicitam *visco perdidit ille fugam*] Quia non potuit fugere vrsus implicitus visco.

Arena *sangu.*] id est theatro sanguine conspersо multarum ferarum.

Tecto *ferro cess. venab.*] Reponantur & recondantur venabula in vagina, quoniam ijs opus non est: nam visco feræ capiuntur.

MARCILIVS.

De *vrso*] Neque hoc satis expressum. multimodis enim de vrso esse epigrammata possunt: sed hoc quidem peculiariter *de vrso, qui captus visco* nouo nouitio videlicet genere venationis.

Præceps *dum se rotat vrsus*] Significanter dictum *præceps, &, rotat.* Nam solentes vrsi præcipites in se caput volutare, atque ita se de retibus euoluere, quod ἐκκυλίεσθαι Plutarchus dixit in causis, Quæst. xxiix. Et volutationes siue rotationes illas περικυλινδήσεις vocat. Alia mente dictus *præceps aper.* Epigr. xv. lib. 1.

Implicitam *visco perdidit ille fugam*] Vrsus hic volutatione seu rotatione sua elapsus de reti, in paratum sibi viscum inuolutus est & captus. Insolens itaque hoc & inuisum ante spectaculi genus placitum Cæsari ostentare tunc, nempe vt posito in arena reti, euolueret se vrsus. visco autem caperetur.

Plebes tamen hoc versu rete accepit, ne rite illa quidem, vt neq; Marcellus in *viscum* recte viscũ esse rete in versiculis ex Varronis Terentij Parmenone.

Lepusculi timentis hoc quadrangulum
Dedit Diana, rete nexile, arcuas,
Viscum, sagenam, lineámque compedem.

CALDERINVS.

Bene ibi, *viscum, sagenam* &c. Vocat rete lepusculis capiendis viscum, sagenam, & lineã compedem, omnia tropicè & per similitudinem. Quod auiculis est viscum, quod piscibus verriculum, siue sagena, quod homini compedes: id lepusculis illud quadrãgulum. Nulla itaque hic palma illis qui ad Terentij Varronis iv. de lingua Lat. rescripsere *viscum fugela.* πηκτίδα & illud in aduersar. c. xix. l. xix. *viscũ, fugáq;* &c. Sic & arcuas figuratè dixit. nempe, quod leoni, vrso, ceruo, ἄρκυες id lepusculis quadrangulum illud Scriptor Etymologici. ἄρκυς εἶδος δικτύου ἐκ παχέος σχοινίου, ὃ ἱστᾶσι περὶ θῆρας λέοντος, ἢ ἄρκτου, ἢ ἐλάφου. Latinè. *Arcus retis quædam species, ex funiculo crasso, quam tendunt venatui leonis, aut vrsi, aut ceruorum.* Eleganter Apuleius lib. ludicror. *Abstemius est, immò scit quo rete leporem tenebat, lupum non teneri,* Marcell. in *Abstemius.*

C

Sed pergamus operam dare Valerio. huic quidem viscum est non rete, sed propriatim viscum quo capiuntur aues. Testis Valerius ipse in clausula epigrammatis. *Si captare feras aucupis arte placet.*

D

Expressit τὸ καινοπρεπὲς venationis Domitianicæ. Ante aues capi solitas visco: nunc capi feras. vt & Maro in Georgicis opposuit laqueos, & viscum, lib. 1.

Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Inuentum ——— Feræ sunt vel quadrupedes, vel aues. Illæ magis laqueo falluntur: hæ visco, ἰξῷ. Nugas ibi Marcellus in *viscus*, notans dictum viscus, pro viscere, & *visco* esse, *tractu visceris*, Bene Seruius inibi viscum refert ad aues. Auium hæc propriè captura. Plin. cap. xliv. lib. xvi.

Splendida *iam cessent*] Si fisco feras bestias vt aues capimus, pausa iam deinceps esto venabulis, telis, contificijs, lanceis.

Tecto *venabula ferro*] Sic & libri editi, & membranæ, item pleræque omnes. Sed quare venabulis *tectum ferrum*? Lolio victitauère non viden-

tes manum Valerij esse —— *recto venabula ferro.* A
Benè opposuit *rectum venabuli ferrum, lanceæ tortæ.* Venabuli ferro bestiæ rectâ figuntur: lancea torquetur. *Nec volet*, inquit, *excussa lancea torta manu.* Et Lucanus lib. j.

—— Tum torta leuis si lancea Mauri
Haereat —— Rectissimè itaque rescripseris, *recto ferro.*

At alia mente P. Virgil. Æneide iv. dixit

—— Lato venabula ferro. Nempe quia venabuli ferrum vtrinque pinnas habet, quas Iul. Pollux cap. iii. lib. v. πτέρυγας siue alas vocauit. Hinc & *sagittarum venabula.* Plinius dixit cap. ix. lib. iix. *Prætereuntibus sagittarum*, inquit, *venabula infigunt.* Nempe vt venabulorum, sic sagittarum ferro πτέρυγες siue alæ. Ne dixeris autem tectum venabuli ferrum esse Valerio, quia his alis quasi tectum sit. Nam ad epigrammatis argutias magis facit ἀντίθεσις quam expressi, *rectum venabuli ferrum, & lanceæ torta.* Ex mea illa mentione tecti ferri interpretati aliqui *tecto ferro*, aduersus rubiginem. Sed Poëta de venabulis agit, vt in ipsa venatura, siue actione venandi. Quorsum ergo tectum. Neque necesse imperare tectis vt cessent, quæ iam otiosa. B

NEC *lancea*] Venabulum & lancea in venatu arma præcipua. Itaque Plinius epist. vi. lib. 1. *Ad retia sedebam. Erant in proximo non venabulum, aut lancea, sed stilus & pugillares.* Hinc & duplex ratio feras in venatione figendi. Vna venabulo & cominus, altera eminus lancea aut hasta. Venabulo & cominus figuntur sues, vrsi, leones, pardi: lancea eminus cerui. Itaque Philostratus imaginibus. c. insulæ, opposuit ἐλαφηβόλους, siue *qui ceruos venantur*: & ἀγχεμάχους καὶ θρασεῖς, siue *cominus pugnantes & audaces.* Illis λόγχας, siue *lanceas* tribuit: his μαχαίρας καὶ κορύνας. *cultros venatorios & clauas.* Et Iul. Pollux c. iii. lib. v. notat bestias quæ figuntur venabulo ἀγχέμαχα θηρία vocari. nempe quod cum his pugnetur cominus. Sic & *cominus figere* dixit Iuuenal. Sat. iv. C

Profuit ergo nihil misero, quòd cominus vrsos
Figebat Numidas. Herodian. in Commodo dixit συστάδην μάχεσθαι. Spartianus in Caracallo, *contra stare.* Item. Excipere. *Excepit*, inquit, *apros frequenter: contra leonem etiam stetit.* Aliud est μάχεσθαι ἐξ ἀντιπάλου. aliud συστάδην, illud tantùm ex opposito pugnare: hoc autem excipere, & contra stare. Illud sine periculo fieri pote: hoc non item. Ergo apud Herodianum docetur Commodus ἐξ ἀντιπάλου μάχεσθαι, siue ex opposito: sed ita vt in arenæ ambitu esset siue peridromo & in tuto: at bestiarij pugnauère συστάδην. Dixi hoc discrimen & à principio vbi de venatione. Postmodò blenni exscripsère, sed turbidè. Et quod Herodianus de Commodo dixit, καὶ θηρίων ἐξ ἀντιπάλου μάχας ἐπαιδεύετο, vertère. *Discebat Commodus in plano contra leonem stare*, stupidè hoc illi quidem. Nec enim hoc discebat illa populi pestis, sed pugnare ex tuto. Itaque cùm spectaculorum dies iam esset, non pugnauit de plano, sed de superiore tutóque loco, & ambitu arenæ, vt post pagellas Herodianus aliquam multas ibi narrauit, quem locum exscriptores cum illo de Commodi exercitatione quasi cohærentem sarcinauere. Est D

A aliquid ex mente Lucilij videlicet,

Sarcinatorem esse summum, suere centonem optimè.

Non est autem συστάδην, siue de plano extra periculum. Itaque libro illo primo Herodianus opposuit συστάδην μάχεσθαι & ἐξ ἀσφαλοῦς βάλλειν. *de plano pugnare, & petere ex tuto.* Vbi de seditione populi in Cleandrum.

EXCVSSA *manu*] Lucan. lib. iii.

Iam non excussa torquentur tela lacertis.

RAMIR. DE PRADO.

NOVVM, & inauditum venationis genus describit, Vrsum visco captum more auis.

1 PRÆCEPS *sanguinea dum se rotat.*] Qui poterat præceps agi Vrsus in plana arena? Nam se rotare manifestum est ex Plin. qui lib. 8. cap. 36. scribit ad tegendum caput, quod ei inualidissimũ natura dedit, vt plagas declinet in orbem volutari appositis anterioribus pedibus, quos manus ipse appellat. Solue B nodum notione verbi τοῦ præceps propriè appositi. Præceps enim à capite dicitur, vt biceps & triceps. est autem Præceps demisso capite: vnde præcipitare ῥίπτειν ἐπὶ τὴν κεφαλήν. Hispanè *echar cabeça à bajo.* eadem proprietate infra epigrammate 15.

Ille & præcipitis venabula condidit vrsi.

2 IMPLICITAM *visco perdidit ille fugam.*] Elegãs Metonymia, quam quilibet ignorans reposuit implicitus. pro *fuga* intellige conatum fugiendi, & epitheton *implicitã* per metállepsin fugæ tribuitur, quod vrso fugienti conueniebat.

3 SPLENDIDA *iam tecto cessent venabula ferro.*] Marcilius *recto ferro* scripsisse Martialem testatur, oculatus scilicet testis. Sed cùm testem detestemur, Raderus nescio quæ inepta de coloribus comminiscitur & detectis venabulis. Si infecta coloribus, quî *splendida*? Ianus Gruterus audaculus rabula *terso* dicit se habere ad oram nescio cuius Codicis, & Melissũ quemdam legere *terto* prisca voce pro terso. liræ & nugæ egregiæ. Tu retine omnino *tecto ferro*, id est, cooperto sacculis scorteis, vel lineis, vt fit, quando venabulorum nullus vsus. *Cessent tecto ferro*, id est, tegatur ferrum, & cessent. Huius versus & sequentis interpretationem accuratissimam lege infra epigrãmate 23. C

Vltimo versu lege *Si captare feras*, estque elegãs Antitheton à permutato artificio aucupis cum venatoris artificio. Si (inquit) placet captare feras aucupis arte, placeat ergo venatorem aues deprendere. & vt antitheti lepòrem agnoscas, nota verbum captandi proprium esse aucupij, deprehendendi venationis. De priori nullus dubitauit: posterioris exempla cape. Apollinaris Sidonius, D

Inuentas agitare feras & fronde latentes,
Quærere, deprensas modo claudere cassibus arctis,
Nunc toto penetrare veru. ——

Isidorus l. 10. Quatuor, inquit, sunt venatorum officia, vestigatores, indagatores, alatores, pressores, vbi corrige prehẽsores. Eodem verbo vsus est Ouid. in epist. Phædræ,

Syluaq; prendendas præbeas alta feras.

A

De sue, quæ ex vulnere peperit. XII.

*Inter Cæsareæ discrimina sæua *Dianæ*
Fixisset grauidam cum leuis hasta suem,
Exsiliȝt partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus vt natis triste pateret iter.
Quis negat esse satum materno funere Bacchum? B
Sic genitum numen credite: nata fera est.

* Diana pro venatu accipere videtur.

Περὶ συὸς τραύματι ἔκτρωμα τικτούσης. ιβʹ.

Ἄθλου κοιρανίοιο κυνηγετικοῖς ἐν ἀγῶσι
Γληγείσης πλευρῇ τῆς συὸς αἰγανέῃ,
Ὀβρίκαλον λαγόνων βρέφος ἔκθορε μητέρος αἰνῆς.
Δυστράπελ' Εἰλείθυι', ἆρ' ἐστι τόδ' ἦν τεκέειν;
Πλείοσιν ἀσπασίως κ' αὐτὴ βλήεσσιν ὄλωλε,
Ὡς τ' εἴη λοιποῖς τοῖς τεκέεσσιν ὁδός.
Τίπτ' ἄρ' ἀπιστηθῇ Βάκχου μητροκτόνος ὠδίς;
Τὸν θεὸν οὕτω φύντ' ἴσατε· ὁ θὴρ γὰρ ἔφυ.

DOMITIVS CALDERINVS.

INTER Ca.] Sus grauida icta in venationibus editis à principe, emisit filios incolumes, ipsa mortua: nunc ait poëta, non esse mirandum, quòd canunt fabulæ Bacchum Deum natum mortua matre: quoniam iam fera ita nata est.

Cæsarea discr.] i. Cæsareæ venationis.

HASTA *leuis*] Quia si grauis fuisset percussisset filios.

EXILIIT *per*] id est exilierunt filiȝ.

LVCINA] Dea quæ præest parturientibus, & venientibus in lucem.

TRISTE *iter.*] i. vulnerum.

BACCHVS] Natus fuit Semele fulminata, nutritus intra femora Iouis: nota fabula.

MARCILIVS.

INTER *Cæsarea Diana*] Tropicè Diana pro venatione amphitheatrali. Nam Diana præses venationibus amphitheatri. Tertyll. c. x. lib de spectac. *Martem & Dianam vtriusq; ludi præsides nouimus. vtriusq;* nempe gladiatorum & venationum. Claudian. Panegyr. de consulatu Manlij Theodori.

Amphitheatrali faueat Latonia pompa.

Etiam noster epigram. sequente xiii.

Experta est numen moriens vtrinsque Diana.

Disertim autem Cassiodor. epist. xlii. lib. v. non cuiuis Dianæ sed Tauricæ venationes arenarias propriatim vult esse sacras. *Spectaculum*, inquit, *tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* &c. Relege, *teterrimum*. Quæ & in Festi litteris erratio in *Petrones*. Quem locum quia emendo, adpingam. *Petrones*, inquit, *rustici fere dicuntur propter vetustatem, & quod deterrima quaque ac prærupta ····· iam agri petra vocantur, vt rupices ydem.* Repono expleóque. *Petrones rustici fere dicuntur propter asperitatē. & quod teterrima quaque ac prærupta, etiam agri. petra vocantur, vt rupices ijdem.*

Nec Dianæ tantum, sed & Saturno venationes sacræ, vt in vestibulo ipso huius interpretamenti & quasi proludens de venatione, dixi. Lactantius c. xx. lib. vi. *Et primitus quidem venationes, quæ vocantur & munera, Saturno attributæ sunt.* Sic melius quam est Saturnalibus c. v. lib. i. aut venatione circensi c. vii. Nempe. *vocantur & munera*, generis sui nomine. Genus est munus, huic generi formę, gladiatores, venationes, naumachiæ, ludi theatrici. Dico ad epigr. sequens xxiv.

Ioui denique sacri venatus illi amphitheatrici, vt Tertyll. Apologet. c. ix. *Romæ*, inquit, *Iupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine: sed bestiarȳ inquitis.* Hæc nebula picta in pariete ad venationem circi c. vii. Sed alia Septimio mens. Venationes quidem Ioui non editas, sed Ioui Latiari homines immolatos. L. Tertyll. in scorpiaco c. vii. Minucius Felix in Octauio. Lactant. c. xxi. lib. i. C D. Athanasius orat. contra gentes. καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατιάριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον. *& prisci Quirites Iouem Latiarem victimis humanis coluêre.* Porphyr. lib. ii. περὶ ἀποχῆς ἐμψ. ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν, τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ, σφαζόμενον ἄνθρωπον. *Quin & nostro sæculo, quis nescit in magna ciuitate*, Romæ, *Iouis Latiaris festo die, immolari hominē?* nihil ea res ad amphitheatrum & venationem. Iunge quæ dixi ad epigr. vii. Neque D. Cypriani locus ex libro de spectaculis, de sacerdote cruorem iugulati hominis in faciem idoli iactante, facit venationes Ioui sacras fuisse. Apertissimus enim ille Cypriani sermo de ludis theatricis. Significantérque illud sacerdotis ministerium, *latrocinium* vocauit. Vide lector Cypriani locum, & ride rescribillantes, *patrocinio sacerdotis*. Benè quidem in venatione illa circensi cap. vii. differitas, mihi D prædicta anno xxciv. postdicta illis anno iic. Arenam ipsam Marti sacram fuisse, gladiatores Saturno, venationes Dianæ, sanguinem autem profusum Diti, ac dijs manibus. Nam his conueniens ea libatio, quippe Diis malis & propitiandis sanguine. Tangit Labeo D. Augustini cap. ii. lib. ii. de Ciuit. Dei.

Et quia in hunc me ludum vltrò aut dedi, aut dari siui, pergo & *punctatoriolam* illam *pugnam*. Cùm rectè ritéque Tertyllianum Apologetici cap. xxxv. vbi est, *schola bestiarum*, rescripsissem, anno xxciv. *schola bestiariorum*, venatio illa circi post anno iic. *parùm*, inquit, *scitè*. Immò enim & scitè & scienter, nisi & inscitus L. Seneca, qui ludum bestiariorum dixit ep. lxxi. vt prænotaui p. iiii. & nisi ex potiori parte rebus nomina poni æquum.

DISCRIMINA] Nam venatio φιλονείκως Iul. pollux cap. iii. lib. v. Hoc de rustica venatione ille, magis vero & conuenit in amphitheatralem.

CVM *lenis hasta*] Venabulo sues figuntur, vt prædixi ad epigr. superius: itaque & ipse de venabulis epigr. xxx. lib. xiv.

EXCIPIENT *apros*] Patet idem Tullij epist. j. lib. vii. ad famil. vt insolens itaque notat Valerius quod suem hasta confixerit.

GRAVIDAM *suem*] Lusit antitheto. *Lenis hasta, grauidam suem.*

EXSILIIT *partus*] Vt epigr. seq. xiv. *Nec iacuit partus*, &c.

OMNIBVS *vt natis*] Benè omnibus. Multipara enim. Plin. cap. li. lib. iix. vt & sus domestica. Aristot. cap. xxiix. lib. vi. historiæ animal.

A

Quis negat] Rectiùs, Quis neget, vt epigr. in Neronem Sueton. cap. xxxix. *Quis neget Aenea*, &c. Et Horat. oda xxix. lib. j.

RAMIR. DE PRADO.

HÆC tria epigrammata ita obuia cuique sunt, vt nulla indigeant obseruatione, præter ea, quæ ab interpretibus dicta: tantum obserua vberrimam Poëtæ copiam, qui vnius argumenti occasione de sue, quæ prægnans in arenam producta est, & icta venabulo, per vulnus peperisset, tria diuersa composuit epigrammata.

De eadem. XIII.

Icta graui telo, confossaque vulnere, mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quam certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens vtriusq; Dianæ,
Quaq; soluta parens, quaque perempta fera est.

B

Εἰς τὸ αὐτό. ιγʹ.

Αἰνόμορος πλεξέντι τυχὰς βληθεῖσα σιδήρῳ
Ὤλεσε σῦς ζωὴν, ἀντεδίδωκε δ' ἅμα.
Φεῦ, ὡς χειρὸς ἔην ἰθυσκόπου εὔστοχοι ἔξχος!
Ἦ ῥ' Εἰλειθυίης χεὶρ πέλεν ἥδε θεᾶς.
Διασῆς Ἀρτέμιδος δισσὴν θνήσκουσ' ἐπειρήσατο,
Πῆ μὲν ἀπολλυμένη, πῆ δὲ τεκοῦσα, βίην.

De eadem Scalig. Phaleucij.

Sus percussa leui, propinqua partu,
Vitam perdidit, & dedit, sibyna.
O quam certa fuit vibrantis hasta!
Hoc, Lucina, tuum fuit verutum.
Vim duplam à duplici tulit Diana,
Venatrice necem, obstetrice partum.

C

Εἰς τὸ αὐτό.

Σῦς πληγεῖσα θοῇ τυχὰς σιβύνῃ,
Ζωὴν ὤλεσ' ὁμοῦ τε, καὶ δέδωκε.
Φεῦ, ὡς εὔστοχος ἦν βαλόντος αἰχμή!
Εἰλείθυια, τεὸν τόδ' ἦν βέλεμνον.
Διασῆς Ἀρτέμιδος βίην ἐπεῖσε,
Θνήσκουσ' ἀγρέτιδος, τεκοῦσα μαίης.

DOMITIVS CALDERINVS.

ICTA *graui telo*] Idem argumentum de sue grauida.

PERDIDIT *& dedit vitam*] Perdidit quia mortua est. Dedit, quia peperit filios.

CERTA *dextera*] Quia percussit, vt voluit.

LVCINA] Dea quæ præest parturientibus, & venientibus in lucem: dicta siue à luco, quem habebat in æsquilijs Romæ, siue à luce, authores Var. & Plin.

NVMEN *vtriusque Dianæ*] id est Lucinæ, quæ præest parturientibus, & Dianæ, quæ præest venientibus.

ET *qua est sol.*] i. facta parens.

ET *qua per.*] id est mortua. nam Diana venationibus ferarum dat cædem.

MARCILIVS.

ICTA *graui telo*] *Graui telo*, hasta. Nam aliud leuius ex arcu πέμπομα. lib. ccxxxiii. D. De verb. sign.

CONFOSSAQVE] A Confosso dicti arbitrati *Confossiorem*, Plauti Bacchid. Sc. Meamne. Atque ita relatum in Aduersar. cap. xi. lib. xxiv. Sed bene libri veteres —*Confessiorem soricina nenia.* Magis fatentem se victum, quàm sorex qui captus. Propert. el. vi. lib. iv.

D

Hic referat sero confessum fœdere Parthum.

PARITER *vitam perdidit atque dedit*] ἐξυμῶρον, vt Plaut. Epid. Sc. Malè. *Perdidisti & reperisti me soror.*

QVAQVE *soluta parens, quáque perempta fera est*] Crebræ scriptoribus iterationes eiusmodi, vt Ciceroni epist. xix. lib. ii. & epist. xiix. lib. xv. ad Attic. T. Liuio lib. x. Plinio epist. v. lib. iii. Propert. lib. ii. eleg. *Prætor.* Mamertino Panegyr. Iuliani. Vopisco in Aureliano.

De sue prægnante. XIV.

Sus fera iam grauior, maturi pignora ventris
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec iacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

Περὶ συὸς ἐπιτόκου. ιδʹ.

Βεβλημένη τοκετοῖς σῦς ἀγρία ὥριμον ἄχθος
Ἐξέβαλ' ἐκ λυγρῆς ἄρτι τεκοῦσα βολῆς.
Οὐδ' ὃς ἔκειτο χαμαὶ, μητρὸς δ' ἄρ' ἔτ' ἔδραμε πιπτούσης.
Φεῦ, πόσον αἰφνιδίαις μῆχος ἔνεστι τύχαις!

DOMITIVS CALDERINVS.

SVS *fe.*] Idem argumentum.

MATVRI *ven.*] Quia erat prope partum & tempus pariendi, icirco maturi.

PIGNORA.] id est filios.

O quantum est su. ca. inge.] Poëta ait in rebus, quæ celeritate indigent, & subitæ sunt, quandam excellentem & peculiarem vim ingenij existere, sententia est Thucydidis, Subita ingenium experiuntur, & indicant: ita laudatur venator, qui suem, vt supra dictum est, tam commodè vulnerauit, vt vno momento & suem feram strauerit, & produxerit, in lucem fœtum.

MARCILIVS.

DE *sue pregnante*] Esse potuit meliùs. *De eadem.*

O *quantum est subuis cas. ing.*] Quàm multa fiunt casu, quæ nullo ingenio, nulla machina effici potuissent: Sic Plin. c. xvi. lib. iix. *Principatu Claudij casus rationem docuit, &c.*

De Carpophoro. XV.

Sũma tua, Meleagre, fuit quæ gloria famæ,
**Quantula Carpophori portio, fusus aper?*
Ille & præcipiti venabula condidit vrso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Strauit & ignota spectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuisse manus:
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum.
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.

*al. est quota.

Εἰς Καρπόφορον. ιε'.

Χλοῦνις ἀποσφαγμένος, σὸν ἀριστεῖον, Μελέαγρε,
Ποσσάτιον ἐστὶ μέρος Καρποφόρου καμάτων;
Ἄρκτῳ μὲν προπετεῖ προβλῆτα διῶσατο χαλκὸν
Πρώτην ἐν Ἀρκτῴοις κλίμασι γνωσθέντι.
Τῷ δ' ἀπιδεῖν δ' ἐσορηξε πελώριον ἶφι λέοντα,
Ηρακλέους παλάμης ἄξιον ἀντίπαλον.
Καὶ δὴ θοὸν στερεῷ μηκίστῳ πάρδαλιν ἕλκει.
Ἤδη ἄεθλα φέρων πρόσφατον ἔσχε μένος.

DOMITIVS CALDERINVS.

Carpophorus. SVMMA *tue.*] Duo Carpophori temporibus Do. fuisse leguntur. alter mango. i. puerorum diuenditor. alter iunior, fortitudine clarus. hunc Dom. non parum amauit, & fouit, quòd eius dextra in feris conficiendis oblectaretur. nam & princeps eodem studio tenebatur adeo, vt in secessu Albano centenas aliquando feras prostrauerit, in Carpophoro igitur laudando, Poëta Do. assentatur. ita enim nuper peregerat venationem in spectaculo, vt multis feris occisis: & accepto præmio fortitudinis adhuc vigeret, & recens videretur, quod præter aliorum morem contingit. Nam qui perfecto certamine præmium acceperunt fessi sunt: nec integras habent vires. Duo Meleagri fuerunt: alter de quo hic Mart. alter qui secutus Argonautas, Æetam regem in littore interfecit. Sunt qui eundem putent. Apollonius alium. (Meleagri.)

FVSVS *ap*] i. interfectus.

O Meleager aper fusus à te fuit summa tua gloria.] id est tu tantam ex apro consecutus es laudem, sed aper est portio, pars laudis Carpophori: qui non solum interemit aprum: sed vrsum leonem & pardum, & quod maius est, post confectam venationem, nam adhuc poterat: non erat defatigatus. Tres apri in portentis numerãtur. Erymantheus, quem Herc. sustulit. Aper in olympo Mysiæ: in cuius venatione cecidit filius Crœsi vulneratus ab Adrasto: vt Hero. & Aper Calydonius, quem interfecit hic Meleager. (Apri in portentis tres.)

CONDIT *ve.*] i. misit, & abscondit.

IN *vr. pra.*] i. irruenti contra se.

PRIMVS] i. qui principatum & feritate & magnitudine obtinebat.

IN *arce poli Arctoi*] In siluis Septentrionis. nam Septentrio maiores feras mittit, & sæuiores, quàm aliæ partes orbis. Hispania etiam dedit vrsum in spectaculo: sed eius feræ caput apud illos comburebatur: quoniam rabiem inesse putabant.

MOLE *ignota*] id est incredibili magnitudine.

DECVISSE *Her.*] i. parem esse: quia à nullo videbatur magis posse superari, quàm ab Hercule. nam Hercules accersebatur ad ea monstra: quæ ab alijs superari non poterant.

POTERAT.] i. adhuc habebat integras vires, absoluta venatione, & præmio donatus.

MARCILIVS.

QVANTVLA *Carpophori portio*] In aliis. *Est quota Carpophori portio*, vt epigr. lxvi. lib. v.

Ista tua Cæsar quota pars spectatur arena?

Carpophorus autem hic venator, siue confector ferarum. De quo sequitur epigr. xxiii. & xxiix. in his spectaculis.

VRSO, *primus in Arctoi*] Vrso qui primus in cœlo ad polum arctoum, siue arcticum, siue nostrum, vbi vrsæ duæ maior & minor. Fingit poëticè, in vrsis polaribus illis domicilia esse vrsorum maximorũ, deque his primum, siue maximum cælo demissũ in arenam Domitiani & interfectum à Carpophoro, vt epigr. lv. lib. iix. agens de leone in amphitheatrica Domitiani venatione confecto.

An magis herculeo Germanice misit ab astro,
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram?

Ausus hoc ita fingere Valerius, quia & iam olim aliqui commenti esse in luna οἰκήσεις ἄλλας, ποταμούς τε καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς, καὶ τὸν λέοντα τὸν Νεμεαῖον ἐκεῖθεν πεσεῖν. *Alterum habitandi locum, & flumina, & item alia quæ in terris. Et vero Nemæum leonem quoque inde lapsum in terras.* Achilles Tatius in Aratum c. de luna. Interpres autem Apollonij ad lib. α. Αρ. Anaxagoræ commentum hoc tribuit, qui lunam esse dixerit χώραν πλατεῖαν, ἐν ᾗ δοκεῖ ὁ Νεμεαῖος λέων πεπτωκέναι. *Latam regionem, ex qua videri & Nemæum leonem cecidisse.*

Plutarchus de philosoph. decretis c. xxiii. xxv. xxx. lib. 1. Tetigere & alij, vt Ælian. de animalib. c. vii. lib xii. Hyginus fabulis c. xxx. Germanicus Cæsar siue is Cassius Bassus tot in Arati Phænomena c. Leo. Laërtius in Empedocle.

Rapuêre hanc fabellam deinde Poëtæ, vt Seneca Hercule furente.

Sublimis altas luna concipiat feras.

Vt autem Martialis fingit vrsum cæli Polo, siue arce lapsum: sic & Claudianus Panegyrico Manlij Cos. vrsos arenarios cum vrsa cœlesti comparat vt his minore.

Conueniant vrsi magna quos mole ruentes
Torua Lycaonis Helice miretur ab astris.

Alia interpres Domitius sed proletaria,

ARCE *poli*] Polus arcticus, quasi arx cæli. Theo Alexandrinus ad Arati Phænomena ἄκρους vocari quasi ἄκρας καὶ κορυφὰς τοῦ κόσμου, vt apices & vertices mundi.

B IGNOTA *mole leonem*] *Ignota mole*, quasi non spectari solita in terris, sed quæ lapsa ex orbe lunæ, vt prædixi de leone Nemæo.

PORREXIT] Porrexit tropicè, pro confecit. Quia fera confecta & moriēs porrigit se, siue extendit. vt de in acie cæsis Homerus Iliade iv.

——παρ' ἀλλήλοισι τιτάσθην.
——*Sese porrectis in puluere iuxtim.*

Et Sophocles Γέροντα μέσῳ ἐκτανύσαι. T. Liuius lib. vii. de M. Manlio Torquato. *Et in spatium ingens ruentem porrexit hostem.* Catullus carmine ad ianuam, *Porrecto sene*, id est mortuo. Dixi ad A. Persij Satyr. iii. Hoc & martialis respexit epigr. xxcvii. lib. ix.

Tu langore quidem subito fictoque laboras,
Sed mea porrexit sportula Paulle pedes.

C Dicere vult, mortua est. Sic & Papin. Thebaide i. *Explicitum* serpentem dixit pro emortuo. Neque dissimiliter *Collocare sues* pro conficere. noster dixit epig. lxvi. lib. v.

LONGO *vulnere*] Quo transuerberauit totum, vt Commodus, Elephantum, de quo Æl. Lampridius. Sic bestia transuerberata. Tullij epist. 1. lib. vii. ad famil.

VOLVCREM *pardum*] Interpres Aristoph. in Plutum. Claudian. Panegyr. Cos. Manlij. Isidor. c. ii. lib. xii.

PRÆMIA *cùm laudis*] Præmia victoriæ, siue palmaria, siue corollaria. De his præmiis Aurel. Cassio. epist. xlii. l. v. *Sed vos quibus necesse est talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, vt hac miseris faciatis esse votiua.* &c. *Miseris*, venatoribus, siue D bestiariis nempe qui non damnati ad bestias. Sic & de venator. Symmachus epist. lvii. lib v. *Inepta est enim munificentia quæ præstatur indignis* &c. *Munificentia* nempe siue munitas in venatores. Ita quod

A Claudius Suetonij cap. xxi. *offert victoribus aureos.* Commune & gladiatoribus est, & bestiarijs. Vbi cùm ait Sueton. *Nec vllo spectaculi genere communior, Communior* intellige, comior. Communem pro eo dixêre, qui quanquam superior, tamen alijs comitate se parem facit. Cæcilius Cratino apud Priscian. lib. vi. —— *Modo fis obsequens.*

Hilaris, comis, communis, concordis, dum id quod petit potitur. Mamertinus Panegyrico Iuliani. *Semperque serijs imperatoribus gratia; communib. defuerit industria*, &c. Bene opposuit imperatores serios & communes. Serij enim maiestatis suæ retinentes: communes remittunt. Neque ineleganter D. Petrus Chrysologus Serm. cxxxvi. opposuit communem & singularem. *Diues humilibus se faciat esse communem, quem diuitiæ reddunt singularem.* Cornelius Nepos in Attico, *vt communis infimis, par principibus videretur.* Sex Aurelius Victor in Caracalla, & in Theodosio minore. Dixi ad Vespasianum Suetonij. Neque dissimiliter κοινὸν Attici dixere vt Phocylides. ἴσθι κοινὸς ἅπας ὁ βίος. —— *Esto vita tibi communis tota* —— Et Claudium, quem Suetonius in ludis communem fuisse ait, Dio dixit κοινὸν καὶ ἐπιεικῆ. Idémque κοινωνικόν. Glossæ *Communis* κοινωνικός. Herennius Philo legatione ad Caium ἴσος τι καὶ κοινωνικὸς εἶναι νομισθεὶς ὁ Γάϊος. *Ciuilis & communis existimatus Caius*, id est, æquans se & communicans cum ciuibus.

Sic communem accipi à Suetonio, in prælectionibus quotidianis publicè prænotata mihi anno xcv. postnotata deinde alijs ad Suetonij Claudium anno xcvi. & in venatione Circi, anno iic.

RAMIR. DE PRADO.

TRIBVS epigrammatis in hoc opere extollit puerum Carpophorum carum Domitiano hoc loco, & 1. epig. 23 & 27. quòd mirus esset excipiendis venabulo feris: Præsertq; cum Herculi, quòd plures pariter feras vna productione occidisset, nempe bis denas, quàm Hercules toto suo vitæ cursu, & exantlato hoc labore non remanserat exhaustis viribus; sed adhuc poterat.

1 QVANTVLA *Carpophori portio?*] Idem dictum per interrogationem, infra epig. 28.

Cæsaris hæc nostri pars est quota?

Et epigram. 66. lib 5.

Ista tua Cæsar quota pars spectatur arena?

Ouid. Metamorph. lib 9. vers. 69.

Pars quota Lernææ serpens eris vnus Echidnæ?

Iuuenal. Sat. 13. vers. 15.

Hæc quota pars scelerum?

Et Senecæ ad Lucil. inquit. *Et nos inter quos frequenter ista nunciantur, quota pars sumus.*

De Tauro. XVI.

Rapt⁹ abit media quod ad æthera taur⁹ arena:
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus:
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
*Cæsaris atque Iouis confer nunc * stemma iuuentus:*
Par onus vt tulerint; altius iste tulit.

Περὶ ταύρου. ιϛ'.

Ὅττι δινήεσσης γαίης ἄπο ταῦρος ἀνήχθη,
Οὐχ ἔργον τέχνης, ἀλλ' εὐσεβίης δὲ πέλε.
Εὐρώπην ταῦρος διαπορθμεύσας δι' ἅλμης·
Ἀλκείδην ταῦρος καὶ μετέωρον ἄγει.
Καίσαρος ἀλλήλοιν ταύρῳ σύμβαλλε, Διός τι·
Κ' ἦν βάρος ἴσον ἄειραν, ἦρεν ὅδ' ὑψότερον.

** Schema iuuencos, ita testiculè lepidè ianus Douza, viri natalibus, ita luce ingenii clarus iuuenis: vt dicat. Cōpone nunc inter se Tauros, Iouis & Cæsaris schema, id est figuram. Sicut enim mentitus Taurum Iuppiter Europen per mare vexerat: ita Domitianus Ioui æmulus, sub Tauri specie inter spectacula productus, Herculem in cœlū sustulit. Vtitur autem schematis voce, infra lib. 5. Epigr. 67.*

A

DOMITIVS CALDERINVS.

Raptvs *abit.*] Taurus qui per machinam vexit Domi. in altum: vt cœlo impositus videretur: nam cum futurum cœlum, & immortalitatem sibi ipsi vellet reputare: Tauro insidens superiores scenæ partes in speciem cœli confectas, petijt æmulatione Herculis: cuius nomen etiam sibi indiderat. Nam Alcides appellabatur: qui Taurum è Creta in Atticam ducens eius dorso insedisse dicitur. Cùm autem olim Iuppiter in formam Tauri conuersus Europen in Cretam vexisse feratur. Poëta ait maiorem laudem Tauri, qui nuper Alciden, id est Domitia. in cœlum vexerit: quàm illius, qui vexit Europen: quoniam & si par onus vtrique fuisse videatur: tamen hic altiùs tulit.

Opvs. *ar.*] id est non fuit hoc artificium, non scænicum & fabulosum, sed opus pietatis: quia piè, & verè factum fuit.

Raptvs.] Ex oculis spectatorum.

Alciden.] id est, Do. qui voluit appellari Alcides. Duæ laudes Tauri: altera quod tulerit Europen: altera quod tulerit Alciden.

Stemma.] Nobilitatem.

Confer.] Adæqua, & compara. alter sensus est, qui placet, vt intelligas Domitianum per mimum, æmulatione Iouis, qui olim se in taurum conuertit sumpta forma tauri, per machinam extulisse Her. cuius nomen imposuerat in cœlum: quemadmodum Iupiter taurus factus vexit Europen, vt sit sensus poëtæ, maiorem laudem esse Domit. qui tulerit Her. in cœlum: quem altiùs tulit, quam Iouis, qui vexit Europen incertam per æquora.

Cæsaris *atque Iouis*] Cæsaris in tauro vehentis Herculem: Iouis in tauro vectantis Europam.

Confer *nunc stemma*] Sic plebei, errore manifestario illi quidem. Voluit Ianus Douza.

——Confer nunc schema iuuencos. Refellit Valerius nôster subnectens *——altiùs iste tulit.*

Nec enim altitudo vectionis ad schemam tauri facit. Quouis pignore certem ego Valerij manum esse. *Cæsaris atque Iouis confer nunc scamma. iuuenci*
Par onus vt tulerint. altius iste tulit.

Tralatitiè scamma pro interuallo, siue spacio vectionis. Ioui scamma est fretus: Cæsari scamma intermedium, & quasi *intermetium* (τὸ μεταξὺ τῶν τερμόνων Glossæ) terræ & cœli amphitheatrici. Altiùs
B ergo scamma Cæsari.

Est verò scamma locus certaminis, siue stadium, siue curriculum. Græcanica illa vox, sed tanquam sua vsi Latini. Glossæ Isidori, *Scammata, arena vbi athletæ luctantur.* Meliùs ibi, *arenæ.* Glossæ Philoxeni *Scama.* σίκωμα. κόπρων. δεῖγμα. Lege *Scama.* σίκωμα, κοπρῶν. δεῖγμα. Et intellige triplicem huic voci significatum esse. Primum σίκωμα, siue septum, siue fossum castrense aut athleticum, vt glossis iisdem σκάμμα *Fossum.* V. C. Petrus Faber in Agonisticis cap.j. lib.ii. rescribit *Fossam.* Frustra. Nam veteris Romæ ciues olim *Fossam* castrorum magis dixere, noui Romani *Fossum.* aut *Fossatum.* vt Suidas Sedetum σέδετον explicat τὸ φοσσάτον id est, *Fossatum.* Σέδετα nempe nouis Romanis Sedes, siue castra. vt institutis. §. illis autem. De testam. mil. *In suis sedibus.*
C id est, castris hibernis ac æstiuis, Theoph. eodem §. ἐν τοῖς λεγομένοις σεδέτοις. Iocularia correctio est nuperi scripti de militia Romana Dialogo v. lib.v.p. lxiii. Suidæ illud σέδετον mutantis in σούδετον & volentis esse *sudetam.* vallum, à sudibus. Vt autem σέδετα, siue sedes pro æstiuis & hibernis, sic & fossatum pro castris, vt l. desertorem. §. is qui. D. De re milit. Constantin. tit.v.lib.vi. τοὺς ἐν φοσσάτῳ κλέπτοντας. *clepentes in fossato,* id est, castris. Prima itaque, vt dicere occœpi, scammatis notio est fossatum: ii. κοπρῶν, κοπρώδεια *Sterculinium.* Glossæ iii. δεῖγμα, siue Specimen. Quia in scammate spectati aththletæ.

Scammatis autem vocem pro Latina esse patet auctorum, vt Tertylliani, D. Ambrosij, D. Hieronymi, S. Petri Chrysologi, aliorum locis, quæ profert idem V. C. Petrus Faber Agonisticis cap.j.ii.v.
D lib.ii. Sed intactus ei locus D. Ambrosij alius, qui cap.xvi. lib.j. de offic. *Quid,* inquit, *epulari gestis, ante quàm stadium soluatur? Adhuc populus spectat, adhuc athleta in stemmate sunt, & tu iam otium petis?* &c. Corrupêre & hic blenni Scammatis nomen, vt & hoc epigrammate Valerij. Scripserat nempe Ambrosius. *Adhuc athleta in scammate sunt.* Vsus etiam Cælius Aurelianus Tardarum passionum cap. i. lib. ii.

Vt *scammatis,* sic & *schema* vox bucconibus illis malè accepta. vt apud Marcellum in *Petaurista,* & in *Sanniones.*

MARCILIVS.

De *tauro*] Tralatitium & hoc lemma. Dici potest expressiùs, *De tauro qui Herculem sustulit in cælum.*

Raptvs *taurus*] Raptus hic taurus, Domitianus latens in specie figuráque tauri, & in cœlum statuam subuectans Herculis, tanquam Herculi cœlum ipse donaret, non Iupiter; neque Iouis, sed Domitiani beneficio Hercules cœlum teneret.

Æmulus nempe Domitianus Herculis, vt epigr. lxvi. & civ. lib. ix. vbi adsentatoriè, & vt laudicœnum Poëtam decuit, Herculem ipsum Iouis filium, Alciden minorem vocat: Domitianum Alciden maiorem.

Et verò statuas etiam Domitiani ad effigiem Herculis factas liquet epig. lxv. & vno item alteróque sequente, & epigr. civ. lib. ix.

Media *arena.*] Ex amphitheatri cauea, de qua prædixi p. vii. Dioni in Commodo est τὸ τοῦ κύκλου ἔδαφος.

Ad *æthera*] Æthera siue cœlum accipe, fastigium amphitheatri, quæ Dioni ἀψὶς in Nerone, ὅτε δὴ, inquit, καὶ ἐλέφας ἀνήχθη ἐς τὴν ἀνωτάτω τοῦ θεάτρου ἀψῖδα. *Quo tempore & elephas in summum theatri fastigium euasit.* In hoc itaque tauri Domitianici spectaculo, amphitheatri fastigium illud effigiatum ad similitudinem cœli, eoque taurus Domitianus extulit Herculem.

Non dissimiliter Iuuenal. Sat. iv. dixit.

——Pueros ad velaria raptos. Adludit Ganymedis in amphitheatro rapti spectaculum.

Non *artis, sed pietatis opus*] Pietatis in Herculem diuinatum, siue ἀποθεούμενον.

RAMIR. DE PRADO.

Mancvm lemma repone, *De Tauro, Domitiani effigiem ex arena in cælum tollente.*

Hæc omnia per machinamenta fieri planissimum est. Hoc autem epigrammate descriptio spectaculi

cuiusdã continetur, quo taurus qui Iouem ea specie referebat, ligneus scilicet, Domitiani effigiem habitu Herculis, quem ipse affectauit, vt notum omnibus est, in cœlum efferebatur. Nec video quid in mẽtem venerit Iano Douzæ, qui existimauerit hoc tauro inclusum Domitianum Iouis æmulum; Herculem in cœlum sustulisse. Hoc enim adeò absurdum est, vt refutatione non egeat. Domitianus enim non æmulus Iouis sed Herculis fuit, imò se maiorẽ Herculem voluit existimari. vt constat epigr. 66. lib. 9. esserque durissimum, vt rectè Raderus dicit, tantum Imperatorem machinæ inclusum manifesto periculo se exponere, adeoque indigna pati.

1 NON *fuit hoc artis sed pietatis.*] Quasi dicat nullo artificio aut machinamentis hoc fieri potuisset, ni accessisset Iouis patris in filium Alcidem pietas, adeò vt pietas ipsa artem omnem superauerit. Non enim B hoc fuit artis solius, sed numinis quædam vis accessit arti, nata à pietate.

2 CÆSARIS *atque Iouis.*] Bene Douza confert nunc schema iuuencos, id est, confert hos duos iu- A uencos: schema Iouis, & schema Cæsaris, id est, speciem vtriusque transmutationis: nam Taurus qui Europen vexit, schema Iouis fuit vehendæ Europæ; hic autem Taurus schema item Iouis tollendo Cæsari, ideoque dicitur schema Cæsaris: sed Marcilij emendatio fortè magis arridebit, vt legatur.

——*iuuenci*

Par onus vt tulerint, altius iste tulit.

Illud autem *Scomma* Petri Colini pro quo pugnat Marcilius explodendum omnino.

3 PAR *onus vt tulerint.*] *Vt*, pro quamuis, hoc loco, vt aliis multis huius Poëtæ, & in aliis scriptoribus frequentissimè. Est autem cõcessio apta ad comparationem. Id est, fac tulerit par onus, quod reapse non tulerunt, altius iste tulit. Illud autem *altius* forte non intellectum, comparatur enim cum alto maris per quod vecta à Ioue Europe, & quamuis Iupiter tulerit Europen per altum, hic altius sustulit Herculem, luditque in verbis *altum*. Nam Iupiter per altum mare ibi, hic autem idem Iupiter per aëra altius ipso mari.

De supplice elephante. XVII.

Quod pius, & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modo, qui tauro tam metuendus erat;
Nõ facit hoc iussus, nulloq; docente magistro:
Crede mihi, numen sentit & ille tuum.

Εἰς ἐλέφαντα γονυπετοῦντα. ιζ'.

Γονυπετὴς ἐλέφας ὅτι σοι, Καῖσαρ, προσκυνέει
Ὁ πρώην ταύρῳ δεῖμα καὶ ἄρτι φόβος·
Αὐτοκέλευστος τοῦτο καὶ αὐτοδίδακτος ἐποίει.
Ἴσθι σαφ' ὡς σέβας σοῦ μιν ἐπῆλθε δίους.

DOMITIVS CALDERINVS.

C QVOD *pius.*] Elephas nuper in spectaculo adorauerat Domitian. nam elephanti, vt Plinius scribit, tantæ sunt docilitatis: vt non modo submittere genua & adorare: sed etiam regi porrigere coronas discant. poëta vult videri hoc factum esse, non domitoris industria, sed numine Domitiani, cuius sensu Elephas submiserit genua.

MARCILIVS.

QVOD *pius & supplex elephas*] Supplex elephantus, in genua subsidens, siue genua summittens, siue ingeniculus, siue genuarius. Hoc enim supplex, sub genu plicans γονυπετής. L. Seneca epist. xxcv. *Elephantem minimus Aethiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem.* Prorupere editiones habent, *minimus Aethiops:* veteres *minimus Aethiops.* Cui lectioni facit Nicetas in *Thacio* Angelo lib. iii. Μυρμηκάνθρωπος μελάγχρους τὸ τῆς γῆς μέγιστον ἄχθος διακυβερνῶν ἐλέφαντα. *Homullus formica non maior, atricolorius, gubernans maximum*, terrã onus *elephantem.* Plin. c. j. lib. iix. de elephantis agens. *Regem*, inquit, *adorant, genua summittunt, coronas porrigunt.* Neque dissimiliter apud Q. Curtium lib. iix. *elephas in genua procumbens.* Ælian. de animalibus cap. xxiiii. lib. xiii. Aurelius Cassiodor. epist. xxx. lib. x.

ADORAT] Adoratio fit genu flexo. Corippus lib. iii. ——*Ter poplite flexo* *Pronus adorauit.* —— Silius Ital. lib. xv. ——*Genibúsque salutant Summissi augurium*——.

De elephantorum adoratione Ælianus de animal. lib. c. xx. lib. xiij. Aristoteles animalium historiæ cap. xlvi. lib. ix.

Flectit autem elephas genu, non vt aliæ pecudes aut bestiæ, sed more humano. Depinxit Philosophus historiæ animal. cap. j. lib. ii. Et lib. de animal. ingressu.

NVLLOQVE] Sic proletarij libri omnes. Sed scripsisse Valerium scilicet, ——*vlloue docente.* Veriti opiliones, ne versus rueret, inscij sibilo illi vim esse augendi tempus syllabæ. Scire volenti delego Marium Victorinum. Et Sosipatrum lib. j. & obuia exempla omnibus poetarum paginis.

MAGISTRO] Neque iussus, neque doctrina magistri, sed numen tuum elephanto huic adorandi ritum expressit.

Magister autem elephanti ἐλεφαντηγωγὸς Iul. Pollux cap. x. lib. j. Aristoteli est ἐλεφαντιστὴς animalium historiæ cap. i. lib. ii. Straboni χειροτρόφοι καὶ διδάσκαλοι lib. xv. His autem magistris præfectus ἐλεφαντάρχης
D Iul. Pollux loco prædicto Terent. Eun. Act. iii. Sc. j.

——*elephantis quem Indicis prefecerat*, nempe rex.

DOCENTE] Discunt elephanti à magistris, eorumque iussis parent. Plin. cap j. lib. iix. cap. xlv. lib. x. tribuens elephantis imperiorum obedientiam, vt Ælian. εὐπείθειαν cap. xi. lib. ii. de animal. Docilitatem verò Aristoteles animalium historiæ cap. xlvi. lib. ix. Ælian. de animal. cap. xxii. lib. xiii. Martial. epigr. cv. lib. j.

SENTIT *& ille numen tuum*] In elephantis sensus religionis. Ælian. de animal. cap. xliv. lib. vii. cap. x. lib. iv. cap. xiii. lib. xvi. Plin. cap. j. lib. iix. Dio lib. xxxix. Strabo lib. xv. Oppian. lib. ii. de venat. Plutarc. de animal. sollertia. Arrian. lib. rer. Indicar. Solin. cap. xxiix.

Significanter verò *numen tuum* dixit, Deus enim

popello scelus hominis Domitianus. Patet Dionis Domitiano. Suetonij Domit. cap.xiii. Victoris Aurelij Domitiano, nostri huius epigrammate lxiix. lib. ix. epist. iix. lib. v. ep. xxix. lib. ii. epigr. xxxiii. lib. vii. Sic Iuuenal. Sat. iv. de Domitiano dixit,

—— *Dys aqua potestas.* Dico ad C. Suetonij Domitianum cap. xiii.

RAMIR. DE PRADO.

ELEPHANTVS in spectaculis hisce, qui feras exagitauerat ferociter supplex Cæsarem adorauit: hoc numini Cæsaris tribuendum dicit. Hoc epigrāma (vt Raderus scribit) per se lucet. difficultas in tertio tantùm versu.

1 NON *facit hoc iussus nulloque docente magistro.*] Placet sibi nimium Marcilius huius loci acuta emēdatione; iubet enim nos scire Valler. Martialem scripsisse, ——*vllove docente magistro.* Credamus oculato testi, & doctori subtili & delica- A to, qui opiliones vocat eos qui vulgatam retinent lectionem, & comminiscitur nescio quæ de syllabæ sibilo auctæ à Mario Victorino, Sosipatro Carisio, & obuijs Poëtarum exemplis petita: Proletarios libros omnes qui *nulloque* legunt, appellans. Vellem vt primæ classis aliquem scriptum manu adduxisset testem suæ emendationis. Ego verò existimo retinendam esse vulgarem scripturam, & mihi videor acutissimum Poëtæ sensum punctim sentire, & deprehendere. Non, inquit, Elephas facit hoc iussus a magistro aliquo, quemadmodum Elephantes ceteri, qui magistrorum iussu barbaro Reges adorant, vel aliquid aliud præstant. Nec facit hoc nullo magistro docente, id est, hoc aliquo docente magistro facit: Nam (crede mihi) numen tuum quod ille sentit vice magistri fungitur, & quod ceteri faciunt mortali magistro suadente, hic docente Numine tuo præstat. Sic intelligo. & ita dispungo, B

Non facit hoc iussus. nulloque docente magistro:
Crede mihi, numen sentit & ille tuum.

De tigride, & leone. XIIX.

Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris, ab Hyrcano gloria rara iugo,
Sæua ferum rabido lacerauit dente leonem:
Res noua, non vllis cognita temporibus.
Ausa est tale nihil siluis dum vixit in altis:
Postquam inter nos est plus feritatis habet.

Περὶ τίγριδος καὶ λέοντος. ιη'.

Ἡ πὶς ἐπιστάτεω λιχμάζετο χεῖρας ἀσινέας
Τίγρις, ἀφ' Ὑρκανῶν ζακλεὴς ἀίχος ὀρῶν,
Δειμαίω δυσμείλικτος ὀδὰξ ἐδάϊξε λέοντα,
Θαῦμα νέον, πολλῷ νώνυμον ἱστορίῃ.
Τοῦτ' οὐ τόλμησ' ὅτε δρυμοῖς ἐνδιάασκεν
Οὖσα δ' ἐν ἀνθρώποις ἔστ' ἀπηνοτέρα.

DOMITIVS C CALDERINVS.

LAMBERE *secu.*] Tigris data est in spectaculis ab August. Cæs. & nuper à Domit. mansuefacta: sed cùm leonem inspexisset, eum lacerauit. vult hoc poëta factum videri numine Domitiani, cuius vicinitate ausa sit id, quod in siluis non audebat.

SECVRI *magistri* :] non metuentis feritatem belluæ domitæ.

HYRCANO *iugo.*] Hyrcania Scythiæ pars est, quæ pantheris, pardis, tigribus abundat: Luca.

Quas nemore hyrcano matrum dum lustra sequuntur:
Altius cæsorum pauit cruor armentorum.

RARA *gloria,*] i. maxima gloria ferarum: quæ prima erat inter tigres magnitudine.

SÆVA] Reuersa ad feritatem.

TALE *nihil*] id est congredi cum leone.

INTER *nos.*] In Theatro. *Plus feritatis: numine Domitiani.*

MARCILIVS.

TIGRIS *consueta*] Τίγρις πεπωλευμένος *Tigris mansueta.* Ælian. de animal. cap. xiv. lib. xv. L. Seneca ep. xxci. *Leonibus magister manum insertat: osculatur tigrim suus custos,* &c.

De tigribus verò mansuetis, Varro iv. de ling. Lat. Dio lib. liv, Plin. cap. vii. lib. iix. Ælian. de animal. c. xiv. lib. xv.

L. Seneca tamen epist. prædicta, tigres ac leones propriè *non exsuere,* inquit, *feritatem sed summittere.*

LAMBERE *dextram*] Vt de vrso epigram. lxiv. lib. vi.

MAGISTRI] Vt magister leonis epigr. x. Mansuetarij magistri. Iam dixi ad epigram. x.

AB *Hyrcano iugo*] *Tigris ab Hyrcano iugo,* Scythica Papin. Thebaide v.

—— *Scythicos armenta per agros Hyrcanæ clausere leæ* —— siue vt alij libri, *feræ.* Nuperi ad Papinium interpretes rescripsere —— *Siccos armenta per agros.* Et quomodo, inquiunt, *Hyrcana lea in Scythia? nusquam factum* &c. Ita, *nusquam*? Quid Lactantio igitur interpreti Papinij tui faciemus, qui ad finem Thebaidis iv. *Hyrcanas* inquit esse *Scythiæ tigrides?* Scythas ego Papinij capio *veriùs*, siue australes ad fluuium Indum, à quo hi Indoscythæ, Dionysius in Periegesi, ad eumque Eustathius.

Neque tamen hoc isto Valerij nostri carmine interpretari necesse tigres *ab Hircano iugo*, Scythicas. Nam possunt esse Arabicæ. Vt Seruius ad Æneidem D iv. *Hyrcanas tigres* interpretatus *Arabicas.* Et Lactantius ad Thebaidem iix. *tigres Hircanas*, tigres ex *Arabia inhospitali.* Et Ammian. Marcellin. lib. xxiii. Hyrcanos esse populos Arabiæ, apud quos crebræ tigres. Et Seruius ad Æneid. iv. Hyrcaniam siluam esse Arabiæ.

RAMIR. DE PRADO.

LEMMA aptius fuisset, *de Tigride cicure ad feritatem subitò reuersa, viso leone.* Sumpta occasione à Tigride, quæ mansueta cùm esset, subitò exardescens in iras leonem lacerauit, sui temporis felicitatem tangit, quo, vel ipsæ feræ mansuetudine imbelles, feritate in superbos, & potentes vterentur.

1 RES *noua non vllis cognita temporibus.*] Adagium est *nouo more factum*, de quo consule Adagiographum.

2 POST-

2 POSTQVAM *inter nos est, plus feritatis habet.*] Non sentio cum iis, qui existimant carpi hoc loco à Poëta Romanorum crudelitatem, inter quos ferociores reddantur feræ. Hoc enim Domitiani tempore periculosum fuisset, qui crudelitatis nomine malè audiebat. Imò existimo in laudem Romanorum esse dictum, quorum Elogium erat Virgilianum illud,

A *Parcere subiectis & debellare superbos.*

SIC Tigris hæc dum fuit in syluis non lamberet dextram securi magistri, nec parceret minoribus animalibus, nec contra adoriretur fortiorem leonem. Nunc autem inter Romanos mutato more subiectis parcit, magistro scilicet, & exarmatis animalibus: debellat autem ferum superbumque leonem.

De elephante. XIX.

Qui modò per totam, flammis stimulatus, arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem, cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Περὶ ἐλέφαντος. ιθ'.

Ος πρὶν ἐπειγόμενος ταῖς λαμπάσι δείκελα ταῦρος
Χορτοπαγῆ δι' ὅλου ῥίψε κονίης ἀν,
Ὑψίους ἐκτέταται κερεῇ γλωχῖνι δαϊχθείς,
B Εὐμαρέως αἴρειν ὧδ' ἐλέφαντα δοκῶν.

DOMITIVS CALDERINVS.

QVI *modo,*] Ex superioribus Oui. versibus, quos adduximus, planum est tauros irritari: & cùm petunt aliquem deuitari eorum vulnera obiectis pilis & vestibus. nuper taurus in theatro petiit elephantum cornu: à quo prostratus est. Insultat poëta tauro mortuo: qui tádem potitus certo obstaculo, quod cùm pilas peteret, maximè quærere videbatur, occubuerit.

FLAMMIS,] Iracundia & irritatione. nam inflammatum ira decimus.

ARDORE *cor. po.*] id est, potitus ardore & vehementia cornuum, nam inuenit obstaculum. Appellat cornuum ardorem vehementiam tauri. Sic; vt pilæ tollebantur. C

OCCVBVIT] Extinctus est.

DVM *pu. el. tolli*] Iactari posse, Sic; veluti pilas obiectas.

Dionys. Afer de situ orbis. Philostr. lib. ii. de vita Apollonij. Dio Chrysostomus orat. de diuitiis. Ælian. de animal. c. xxxi. lib. iv. Statius Leucippæ lib. iv. Meliùs qui sequester & tanquam herciscundus fuerit, censens neque cornua illa esse neque dentes propriè, sed habere similitudinem rei vtriusque. A quo sensu non abit longè Pausanias & Aelianus loco prædicto. Romani quidem Pyrrhi regis bello cum visi primum eis elephanti, Lucas boues nominauere, quasi dentes illi cornua essent. Varro iix. de ling. Lat. Plinius cap. vi. lib. iix.

MARCILIVS.

FLAMMIS *stimulatus*] Nam proritari solitæ feræ cùm alijs modis, vt alia dicendi meta nobis ad epigramma xxij. tum ferro & igni. Eusebius Ecclesiast. histor. cap. vii. lib. iix. παρδάλεων, καὶ διαφόρων ἄρκτων, συῶν τε ἀγρίων καὶ πυρὶ καὶ σιδήρῳ καυτηριαζομένων, βοῶν παροξυνθέντων. Relege. συῶν τε ἀγρίων καὶ βοῶν πυρὶ καὶ σιδήρῳ καυτηριαζομένων, παροξυνθέντων. *Pardorum, & omnigenûm Vrsorum, suûmque siluestrium, & taurorum, flamma, ferroque quasi cauteris adactione prorsitatorum.* Inibi & de tauro amphitheatrico, non tangente Christi martyres, κυρίττων δὲ τοῖς ποσὶ καὶ τοῖς κέρασι τῇδε κἀκεῖσε χωρῶν, καὶ διὰ τὸν καυτῆρα ἐρεθισμοῖς θυμοῦ καὶ ἀπειλῆς πνέων εἰς τοὔπισω πρὸς τῆς θείας ἀνθείλκετο προνοίας. D *Calcibus autem petens, & cornua huc illuc ventilans, & quia cauterijs prorsitatus fuerat, iram & minas spirans, tamen retrorsum nutu diuino retrahebatur,*

CORNVTO *ardore*] Tropicè *Cornutus ardor,* ira cornuta, cornua irati elephanti.

Ex elephanti ore quæ exstant *cornua* esse aliqui dixere: alij *dentes. Cornua* vt nunc Valerius noster, & epigram. lxxiii. lib. i. Varro vi. de ling. Lat. Iuba apud Plinium loco prædicto. Pausanias lib. v. Oppianus lib. ii. de venat. Ælian. cap. v. lib. xiv. & c. xxxvii lib. ii. *Dentes,* vt communiter plerique omnes, & Herodotus apud Plinium cap. 3. lib. 8. Aristoteles cap. ii. lib. iii. de part. animal. cap. v. lib. ii. de histor. animal.

RAMIR. DE PRADO.

ELEGANS epigramma Tauri mortem depingens, sed fortè nemini visam. Legunt enim ferè omnes.

1 OCCVBVIT *tandem cornuto ardore petitus.*] Id est, transuerberatus dentibus elephanti, qui quidem verè cornua sunt Aristoteli. Sed hoc non ad rem. Ego existimo veram esse antiquarum editionum scripturam, vt Simonis Colinæi habet editio, anno CIƆ IƆ XXVIII. & fere omnes priores. Quam etiam lectionem illi qui Martialem cum interpretatione Domitij Cald. nuper ediderunt inuitis Domitij manibus ab eo extorserunt. Cùm enim ipse (potitus) edidisset, vt legitur in editione Veneta anni CIƆ IƆ X. & in suo commentario verè interpretatus esset: hi, quos dico, & Martialis verba & commentarium ipsum corruperunt. Legendum igitur est, *potitus cornuto ardore,* id est, toto conatu cornuum ardentium nisus est elephantum in altum tollere, & potitus est cornuto ardore, id est, cornuum suorum vehementiâ ipsâ victus est. Nec est insolens dicendi modus, sed frequentissimus Plauto,

Postquam natus tuus potitus est hostium.

Quam locutionem imitatus est I.C. Papinianus in l. quod si filius II. P. de cap. & postl. reuersis, *exinde sui iuris (filius) videtur fuisse ex quo pater hostium potitus est.* in quâ formulâ Grammatici docti subintelligunt nomen *Imperio* in sexto casu, vt potiri rerum. id est, potiri imperio rerum. Sic potitus hostium, id est, potitus hostium imperio, παθητικῶς, vt hic. Connisu ergo laxatis neruis & fracta ceruice concidit, quod fieri solet quando

tauri toris viribus molem aliquam conantur attollere. Audiui hoc Salmanticæ accidisse in publico spectaculo, vbi ferocissimus taurus dum quadratam quandam & immensam trabem, quæ solo infixa incudem fabri ferrarij sustinebat, vellet suppositis cornibus attollere, tanto nisu id conatus, vt quamuis trabem ipsam euoluerit, ipse retro fracta ceruice occubuerit. Hoc idem accidit, Martialis tauro, dum Indicam belluam tolli posse putaret. & hic est germanus huius epigrammatis sensus explicatus satis vltimo versu.

2 Dvm *facilem tolli sic elephanta putat.*] Nam si cornutus ille ardor ad elephanti cornua referatur, inepta erit Martialis ratio. Quamuis enim facilis esset tolli elephas, posset taurum ferire & transuerberare. Præterea nota dictionem illam *sic* nullo modo sensui cohærere posse, nisi supradictam lectionem constanter retineas, quæ dictio declarat Tauri conatum elephantis in altum tollendi expressum superius fuisse.

Assentatur Cæsari. XX.

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,
Promisit pariter Cæsar vtraque manu.
Non potuit melius litem finire iocosam.
O dulce inuicti principis ingenium!

Θωπεύει τὸν Καίσαρα. κ.

Αἰτούντων τὴν μὲν Μύρινον, τὴν δ' αὖθι Θρίαμβον
Τοῖς δ' ὑπέσχετο ἅπαξ καὶ διμαχαιρομάχοις.
Οὐκ ἐδύνατο κρεῖττον διαλῦσαι ἀγῶνα γελοῖον.
Φεῦ τῆς γενναίης ἡγεμόνος φύσεως!

DOMITIVS CALDERINVS.

Dvm *peteret.*] Domitianus inter cætera spectacula reuocauit in vsum munera quæstoria: vbi sua liberalitate fecit potestatem populo eligendi duo gladiatorum paria ex suo ludo: quæ nouissimè introducebantur aulico apparatu. Cùm autem pronuntiasset se vnum par daturum, quod populus vellet: alijque poscerent Myrinum gladiatorem, alij triumphum, ipse ductis manibus in partes dissidentes, promisit duo.

Non *potuit*] inquit poëta, *melius finire litem iocosam*, quàm tanta liberalitate, & magnificentia. alibi de Myrino: *nuper cum Myrino peteretur Missino laeso.*

GEORG. MERVLA.

Myrinvm.] Miror Myrinum gladiatoris nomen ab hoc exponi: & eo magis, cùm testem nullum afferat. Relinquit præterea senarium, quo epigr. festiuè claudit, intactum.

MARCILIVS.

Dvm *peteret*] Hæc populi petitio, siue postulatio qualis fuerit, patet Suetonio narrante Domitiani c. iv. *Quæstorijs*, inquit, *muneribus, quæ olim omissa reuocauerat, ita semper interfuit, vt populo potestatem faceret, bina paria è suo ludo postulandi, quæ nouissima aulico adparatu induceret.* L. Sueton. Titi c. iix. Talis itaque nunc populi petitio à Domitiano. Neque tamen primus Domitianus potestatem populo illam fecit postulandi. Postulat enim & à Caio *Tetrinium* populus, Suetonij c. xxx. Et *Palumbum* à Claudio. Sueton. c. 21. Postulauit & à Nerone, L. Senecæ epist. 7. Postulauit & à Traiano Plinij Panegyrico. Hinc gladiatores Postulatitij, L. Senecæ loco prædicto.

Bene in Saturnalibus nouis c. xvi. lib. ii. hæc notata gladiatorum differitas, Gladiatores Postulatitij: sed neque rectè obliuia illa, fuisse & Gladiatores cognomento *Equites* Galenus lib. 2. De compositione medicamentorum per genera. Μονομάχων τῶν καλουμένων ἱππέων. *Gladiatorum qui dicti Equites.* mentio & apud Dionem ludis Cæsaris lib. xliii. Neque planè Saturnalib. iisdem discreti gladiatores *Postulatitij*, & *Ordinarij*, Interest autem. Postulatitij à principe dati: Ordinarij à quæstore ipso, siue munerario. Hac mente iunxit L. Seneca epist. vii. *Hos*, nempe meridianos gladiatores, *plerique ordinarijs paribus & postulatitijs præferunt.*

Pars *hæc*] Partes cape factiones amphitheatrales, vt Aur. Cassiodori Var epist. 32. lib. 1. *Spectaculorum studia partésque.* Sic *studia* Amm. Marcellin. lib. 28. Donati ad Prolog. Hecyræ. Eadem *certamina* C. Tacito annali 1. Aurel. Cassiodoro epist. eadem. *Seditiones latæ theatri*, Ausonio in Eclogis *Lites iocosa*, vt Valerio nunc.

Mvrinvm] Epigram. 29. lib. 12.

Trivmphvm] Murinus & Triumphus gladiatores inter hæc venationum spectacula. Nam vt maior esset voluptas, soliti munerarij edere iunctim gladiatores & venationes. Itaque Sueton. Augusti cap. 43. vt insolens notatur, venatio, sine gladiatoribus. Et Claudij cap. 21. vt noua res gladiatores, sine venatione: *Gladiatoria*, inquit, *munera plurifariam, ac multiplicia exhibuit. Anniuersarium in castris Prætorianis sine venatione adparatúque, &c.*

Iunctim verò cum gladiatores & venationem darent, aliàs prius gladiatores, deinde venatio vt Dionis Tito, aliàs prior venatio, tum gladiatores vt Herodiani Commodo. Et quidem plerumque nihil aliud venatio, quàm gladiatorij muneris quasi mantisa & accessio, vt Dionis Seuero, Suetonij Tito cap. vii. Iulij Capitolini Antonino Pio, & M. Antonino. Potior enim & antiquior gladiatura illa, quàm venatio. Tertyll. c. x. lib. de spectaculis.

Promisit *vtrâque manu*] Etiam hæc amphitheatrica nouitas, promittere vtraque manu. Vtraque manu promittere, impensissimè promittere: vt Horatij epist. 18. *Vtroque pollice fauere*, impensissimè fauere, aut vtraq; manu, quia & duo gladiatores qui promittuntur. Vsitatè autem promissio dextræ tantùm. Tullius Cęsariana iii. *Istam, inquam, dexteram nõ tam in bellis, & in prælijs, quã in promissis & fide firmiorem.* Sic libri vulgarij, & verò etiam Priscianus c. 1. l. 3. qui & interpretatus, *Non tam in bellis firmiorem, quã in promissis & fide firmiorem.* Crudum illud ἀπὸ κοινοῦ. Neque me Fabius mouet, qui c. 3. lib. 9. Duo inter se comparatiua rectè committi ait, vt Catilin. 1. *Ne non*

hoc potius omnes boni seriùs, quàm quisquam crudeliùs factum esse dicat. Duo ibi comparatiua, hîc vnum: ibi ἀπὸ κοινοῦ, hîc non item. Membranis alia lectio est. *Non tam in bellis neque in praliis, in promissis & fide firmiorem.* Quæ & Prisciani in manuscriptis lectio est. Erratica illa scriptura, sanè: sed veræ lectionis eadem vestigium. Scilicet Tullij manum esse. *Istam inquam dexteram, notam in bellis & praliis, in promissis & fide firmiorem.* Quanquam nota spectata, firma tua dextera & firma in bellis, in promissis tamen firmior. *Firma dextera vt firmi duces exercitus.* Tull. epist. 2. lib. 1. ad Brutum.

A LITEM iocosam] Significanter, *iocosam.* Sæpè enim & seriæ lites pugnæque in spectaculis. vt Suetonij Tiber. c. 37. Nerone c. xxvi. C. Taciti annali 1. & 14. Eiusdem modi ἀντίθεσις Ausonij Eclogis

----Cuneatis hic lata theatri seditio----

RAMIR. DE PRADO.

HOC epigramma & per se patet, & satis superque est ab interpretibus expositum, quo benignitatem Cæsaris extollit, qui cum ab alia populi parte Myrinus; ab alia, Triumphus gladiator peteretur, vtrunque donauit.

Ad Cæsarem. XXI.

Quidquid in Orphæo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandáque silua cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
*Affuit immixtum * pecudum genus omne ferarum,*
Et supra vatem multa pependit auis.
Ipse sed ingrato iacuit laceratus ab vrso,
Hæc tamē vt res est facta, ita ficta alia est.

* *Pecori genus.* Non vt vulgò, *pecudum genus.* Contraria enim sunt *pecora* & *feræ*: hócque de immitibus & immansuetis, illud de cicuribus intelligendū, vt vult Caius lib. 2. ad Je. Aquil.

Πρὸς Καίσαρα κα'.

Εἴ τι παρ' Ὀρφείῳ Ῥοδόπη θηεῖτο θεάτρῳ,
B Πᾶν σοι, Καῖσαρ, ἰδεῖν δῶκε κυνηγέσιον.
Οὔρεα κινήθη, καὶ δάσκιον ἔδραμεν ἄλσος·
Οἷον ἔην Νυμφῶν Ἑσπερίδων τέμενος.
Φῦλα παρῆν θηρῶν ἀναμίγδην, καὶ βοτὰ πάντα
Πτηνὰ δ' ὑπὲρ ὠδοῦ κρατὸς ἐπηώρεια.
Ἀλλὰ διεσπαράχθη ἀχαρίστου κεῖτ' ἀπὸ ἄρκτου ἔκειτο·
Χ' ὡς τόδ' ἀληθὲς ἔην, ὡς τοῦτο πλαστὸν ἔφυ.

DOMITIVS

QVICQVID *in Orpheo*,] Recitata est Orphei tragœdia, vt suprà Laureolus, ita vt damnatus repræsentaret personam Orphei, qui dicitur laceratus fuisse Ciconū mulierum manibus. Describit actionem C huius tragœdiæ poëta: & ita ait veram fuisse laniationem in eo, qui nuper repræsentauit personam Orphei, vt de Orpheo fictum est. Orpheum scripsit etiā Lucanus. de quo Papinius in Nerone. *Et noster tibi præferetur Orpheus.*

EXHIBVIT.] Repræsentauit.

RHODOPE:] Thraciæ mons.

MIRANDA *silua*:] id est pulcherrima, vel miranda, quòd artificio veniret ipse, qui sub persona Orphei erat.

INGRATO *vrso.*] quia eius cantu non lenitus est.

HÆC *res*] de hoc Orpheo, ita vt vera est, ita ficta alia.

MARCILIVS.

AD *Cæsarem*] Tralatitium & hoc lemma: propriū fuisset, de spectaculo Orphei.

Multiplex in amphitheatrica venatione spectaculorum genus. Nam aut arenarij cum bestijs depugnauere, armati venabulo, aut telis, vt epig. 12. 15. 23. aut ipsæ inter se bestiæ dimicauere, vt epig. 9. 18. 19. xxii. aut homines obiecti bestijs, nempe ad crucem, siue stipitem deligati, & ferarum morsibus expositi, vt epig. 7. 8. 21. De his antedictum, in ritibus venationis. Obiectio autem illa bestijs velari solita specie aliqua historiæ, aut fabellæ, vt is quo de hoc epigramma, obiectus est vrso, Orphei specie inter siluas & feras canentis. Aliàs aliusmodi obiectiones, de quibus dixi ad epig. 7.

IN *Orpheo theatro*] Vt Ouid. fabulis l. xi. *Titulum Orphei theatri.* Orpheum theatrum non arte, sitne manu factum, sed natiuum. Conuallis nempe instar theatri, vt Aeneide v. *---Mediòque in valle theatri.* Papinius Thebaide 6. *----Et opaca theatri*

CALDERINVS.

Culmina--- L. Seneca Troade, Actu 5.

---Et cliuo leni
Erecta medium vallis includens locum,
Crescit theatri more.--- Conuallis nempe ipsæ instar theatri est: montium latera ceu gradus theatri: planicies verò in conualle, tanquam theatri cauea. Hinc C. Tacitus annali xii. *Montium edita in modum theatri.* Plinius c. 8. lib. 4. *Montes theatri modo inflexi.* Iustinus l. 24. *Media saxi rupes in formam theatri recessit.* Sic Parnassi latus vbi oraculum Apollinis, θεατροειδὲς Straboni l. 9. Elegans natiui & manufacti theatri comparatio est. T. Calpurnij Ecloga vii.

RHODOPE *spectasse*] *Spectasse*, quasi regina. Tangit nempe fabellam de Rhodopa regina in montem sibi cognominem versa. L. Ouid. fabular. l. 6.

MIRANDAQVE *silua cucurrit*] Hæc silua pegmatis, multùm illi dissimilis quæ in Pancarpia, de quo ipso iam quasi limine, acta res. Pancarpia, sine automatis. Hæc silua αὐτόματος eoque nunc *miranda.* Pan-D carpia, sine spectaculo arenarij: in hac Orphei spectaculum & quasi venatio. Aliquid tamen huic siluæ cū pancarpia commune. Nam vtrobi direptio ferarum. Mixtū itaque hoc genus. Frustra est liber de venatione circi c. 24. de vtroque genere agens nullo discrimine.

Nec verò melior illius centunculi lacinia est, vbi ex hoc epigrammate elici vult, antiquiorem esse quā à Probo & Gordiano seniore pancarpiæ originem. Vt enim ostendi propriatim hoc epigram. pancarpia non est. Mitto iam παρέργως illud Antiochi Epiphanis regis pompam capientis pro illa Ptolemæi Philometoris ex Athenæi 5. Ferarum quidem quas in pompa illa rex ostentauit, non pancarpię, vt liber ille circensis voluit, sed ferculorum magis specimen exhibent. Neque facit ei Apuleius Gordiano maior, neque bella ibi a pancarpiæ historia, ad tesseras & missilia procursio.

QVALE *nemus Hesperidum*] Silua illa Domitia-

ni mimica, splendens aureis pomis, cuiusmodi poma Hesperidum. De Hesperidum pomis Diodor. Sicul. l. 4. Interpres Apollonij ad 4. Argonaut. Athenæus lib. 3. Tzetzes in Theogoniam.

ADFVIT *inmistum pecudum*] Sic vulgarij omnes, at Valerij nostri manus.

Adfuit inmistum pecori genus omne ferarum.

Feris nempe cicuria, siue pecora mista, laciente vtraque Orphici carminis dulcedine. Iam olim obseruatum hoc mihi, liguriuêre post alij.

INGRATO *ab vrso*] *Ingrato* aduersus Orpheum, cuius carmine delectatus: aut *ingrato*, surdo, vt Propert. el. 17. l. 1. ---*Ingrato littore vota cadunt.*

Respicit Orphei fabulam Poëta noster. Orpheus non ante discerptus quàm exaudiri desitus. Ouid. lib. 11. ---*Tum denique saxa*

Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.

RAMIR. DE PRADO.

HOC epigrammate spectaculum depingitur ex machinis & ex rebus veris compactum. Scopuli, sylua, & feræ, hæc omnia ligna puto fuisse affabrè conficta: aues volantes, verè damnatus ipse, & vrsus eum dilanians, omnia vera. Rectè hoc loco Marcilius Iulium Cæsarem Bulengerum perstringit, qui cap. 24. lib. de Venatione Circi existimat siluam hanc mirandam, è cryptis subterraneis subitò natam fuisse: quod sequitur etiam Raderus: nam ex verbis Poëtæ contrarium colligitur. Quid? quod ratio ipsa suadet nobis ire in alia omnia. Hoc enim spectaculum ad exprimendam ad viuum Orphei fabulam fuit exhibitum: in fabula Orphei non fingebantur arbores illæ è terra erumpere, sed veras eas syluas esse, & arbores ipsas, quæ altis infixæ radicibus terræ inhærebant, vi cantus Orphei omnino euulsas, & canentem secutas. Vnde absque vlla dubitatione

A existimo syluam hanc ad hoc spectaculum paratam fuisse in arena, & in ipsis arborum truncis latuisse homines, qui dato signo reperent cum arboribus. Idemque dicendum de scopulis & feris illis. De hoc epigrammate doctissimus Lips. lib. de Amphitheat. cap. 10.

1 AFFVIT *immixtum pecudum genus omne ferarum.*] Reponit Raderus suo iure (loco *pecudum*) *pecori*, quod ea compositio clarior ei, & intellectus commodior videatur: & Ianus Gruterus probat adducto intempestiuè epigr. 73. lib. 9.

Sidera si possent, pecudesque, feraque moueri.

Apage à tanta temeritate, non enim temerè deprauandi sunt scriptores veteres; si hæc ingruit tempestas demersos subitò ignorantiæ fluctibus experiemur. Tu retine antiquam lectionem quæ digna est acutissimo Poëta. vocat enim pecudes feras illas belluas, quod, vt pecudes pastorem, sic ille canentem Orpheum sequerentur. quasi diceret, *Affuit genus omne ferarum*, ita vt eas feras pecudes diceres: Nam in fabula Orphei non legimus domesticos quadrupedum greges, vt oues, boues, equos secutos eum fuisse, sed feras ipsas: neque illud patiebatur mythologia quam explicuit Horatius in arte,

B

Siluestres homines sacer interpresque Deorum,
Cædibus & cultu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob id lenire tigres rabidósque leones.

Quid enim admirandum diuina illa Orphei vox effecisset, si greges domesticos, opilionis & bubulci vocem sequi assuetos, canentem eum sequerentur?

2 MVLTA *pependit auis.*] Crediderim ex cacuminibus arborum suspensam fuisse retem tenuissimam: quæ volantes aues profugere vetaret; itaque viderentur in aëre supra canentem Orpheum suspensæ.

C

De Rhinocerote. XXII.

Sollicitant pauidi dum rhinocerota magistri,
Séque diu magnæ colligit ira feræ:
Desperabantur promißi prælia Martis:
Sed tamen is redijt cognitus antè furor.
*Namque grauem gemino cornu sic extulit * vrsum,*
Iactat vt impositas taurus in astra pilas.

* Quia hoc loco Vrum legendū sit, deducto literæ S. incremento, nihil ambigo cum Iano Douza meo. quę tauri feri genus est, magnitudine paulo infra Elephantum, testimonio Cæsaris: vt dicat. Vrū, quamuis gemino, neq; ingenti cornu munitū, à Rhinocerote, cui vnum est in naso non magnū, facilè confectum atque elatū fuisse, tanto maiore miraculo.

Περὶ Ρινοκέρωτος. κβ´.

Ὡς τ̃ ῥινοκέρωτ᾽ ἀχλυῶς ἐρέθιζον ἀμορβοὶ,
Νωθεῖς εἰς ὀργὴν θηρὸς ἐσσομένου,
Πᾶσ᾽ ἦν προσδοκίμων αἰεμώλιος ἐλπὶς ἀγώνων
Ἀλλὰ δ᾽ ὁ πρόσθ᾽ οἶστρημ᾽ ἦλθε παλινδρομίῃ,
Οὕτω γὰρ διπλόῃ βοιῶν ἄγελον ἆρε κεραίῃ,
Ὡς ταῦρος λικμᾷ δείκελα χορτοπαγῆ.

DOMITIVS CALDERINVS.

SOLLICITANT] De Rhinocerote, & vrso.

DVM *ira feræ colligit se*,] id est, dum imflammabantur.

DESPERABANTVR *prælia.*] A magistris, quia nō sperabāt posse irritari ad pugnam Rhinocerotem.

GEMINO *illu.*] i. forti & vehementi. Virgi. *gemino dentalia dorso.* Vel quoniam rhinoceros habet duo cornua: vt apud Pausaniam solum legi: quorum alterum insigni magnitudine ex naribus extat: alterum supernè erumpit, exiguum quidem, sed validissimum.

MARCILIVS.

SOLLICITANT *pauidi dum Rhinoc. mag.*] Sollicitare accipe proritare in pugnam. Proritatę bestiæ à magistris multifariam. Vt tauri pilis, vrsi & leones mappa, L. Seneca c. 30. l. 3. de ira. Adhibiti & flāmarū, & ferri cauteres, vt prædixi ad epig. 19. Narrat etiam Cardinalis Baronius, Ann. 2. Vsi & flagellis. Sozome-

D nus Eccl. hist. c. 23. μάστιξι δυσήχοις εἰς θυμὸν προκαλοῦνται τοὺς θῆρας, οἱ ἀεὶ τὰ τοιαῦτα θέατρα ποιοῦντες. *Flagellis horrisonis ad iram prouocant feras, hi quorum hic theatricus labor.* Proritatę item plagis & stimulis. Papinius Thebaide v. *Vt fera, quæ placidè rabiem desueta magistro*

Tardius arma mouet, stimulisq; & verbere crebro,
In mores negat ire suos---

Hæ proritandi artes adhibitæ, cum bestię ad pugnā, aut lacerationem obiecti in arena lentæ essent. Nam eueniebat identidem vt bestiæ, aut à pugna, aut à sibi obiectis temperarent, vt cum Maricus Boius Galliarum Deus bestijs obiectus, de quo C. Tacitus hist. l. 2. *Captus, inquit, eo prælio Maricus, at mox feris obiectus, quia non laniabatur, stolidum vulgus inuiolabilem*

credebat, donec spectante Vitellio interfectus est, &c. In alios itaque feræ interdum lentiusculæ: at in Christi martyres obiectos sæpe quasi cicures. Deique nutu his abstinuêre, vt apud Eusebium Pamphili Eccl. hist. c. 1. l. 5. in epist. Ecclesiæ Lugdunensis. Et c. 7. lib. 8. D. Hyeron. Catalogo. vbi S. Ignatius bestiis obiiciendus veretur, *ne sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus suum adtingere*. Plurimaque exempla in martyrologiis.

Ergo ne in obiectos lentæ essent bestiæ, sæuire docebantur a magistris. D. Cæcilius Cyprianus, siue quiqui scriptor illius libri de spectaculis. *Ad pœnam*, inquit, *hominis fera rabida nutritur in deliciis, vt sub spectantium oculis crudelius insaniat: erudit artifex belluam, quæ clementior fortasse fuisset, si non illam magister crudelius sæuire docuisset*.

Adhibiti verò bestijs stimulandis magistri, ne flacente bellua, fex illa populi, moram suæ voluptatis aliquam pateretur. Hinc iræ & clamores in martyres, cum eis bestiæ parcerent, vt D. Hieronymi Catalogo in Polycarpo. De voluptate autem plebeculæ scelestæ illa Tertyllian. c. x. De spectac. c. ix. Apologetici. Saluian. Massiliens. l. vi. de prouidentia.

MAGNÆ *feræ*] De qua magnitudine Artemidorus, Strabonis lib. xvi. Plinius c. xx. lib. iix. Solinus cap. xxxiij.

IRA *se colligit*] Nam solitæ irasci bestiæ paullatim, vt suo quasi penicillo taurorum iram pingit Herennius, Philo Iudæus libro, De mutatione nominum. Placet adpingere illum hîc locum, quia vt pronuper editus, vapidè se habet: Ἐν γε μὴν ταῖς θηριομαχίαις, οὐ διώκουσιν οἱ ταῦροι τοὺς ἀντιπάλους ἀνταποκτεῖναι· ἀλλ' οὖ μάλα ἀθλητικῶς, ἐμμέτρως τὸν αὐχένα χαλάσαντες, ἐκ πλαγίου ἐκκλίναντες, καὶ ἐκπεριστρέψαντες ἀνταπεφάνθησαν, πτωχεύουσι ἔπειτα, ἔργων ἐχόμενοι. Τὸ δὲ προάγωμεν, ὥσπερ ἐκάλεσαν, οἷς ὀνομαθείησαν ἔθος, ὁρμὴν εἶναι πρὸς ὁρμὰς ὑπαρχούσας. Lego. ἔργου ἐχόμενοι. Et ὁρμὴν εἶναι πρὸ ὁρμῆς. Hoc primum deinde sic interpretor. *In venationibus quidem non e vestigio tauri aduersarios suos transfigunt: sed decenter sanè in eos ire soliti, & honestè ceruicem inflectere, & altrinsecus obliquare, & tornum planè, siue tauricum tueri, ac tum demum adgredi, & opus siue pugnam ordiri. Hâc prolusionem* ἐρυσιν, *id est, tractum, dixêre qui fingere soliti vocabula, quasi quæ sit petitio ante petitionem*.

Ἐρυσιν tractum dico, vt Plaut. Amphitruone, Sc. j.

Quid si ego illum tractim tangam vt dormiat?

----*Tractim*, inquit Marcellus Plautinum illud interpretans, *sensim, id est, diutinè, longo tractu*. Carisius autem lib. ii. *Tractim, Plautus Amphitruone, vbi Sisenna pro lentè, inquit, non vt Maro pro iugiter*, iv. *Georgic. Tractimque susurrant, inquit*. Lenta itaque illa taurorum prolusio, significanter dicta ἔρυσις, siue tractus.

PRÆLIA *Martis*] Venatio arenaria, prælium Martis. Culti enim Mars in arenis, Venus in theatris, Mineruæ in Gymnasijs, Neptunus in Circis, Mercurius in palæstris. Saluian. Massiliens. l. vi. Tertyll. c. x. lib. de spectac. Hinc & arena Martia epig. lxxv. lib. ii. Dixi & à principio, vbi de venatione.

SED *tamen ii redyt*] Valerij manus.

Sed tamen ei redyt---- Ei μονοσυλλάβως antiquè, pro eï. Nam ei biuocalem pro eï olim scripsere. Notat Priscian. c. xi. lib. vii. Hinc & *im*, pro eum. vt in capite legis xii. quod A. Gellius profert c. xiii. lib. xv. *Im*, pro eum ibi vt rectè Macrobius Saturn. c. 4. lib. 1. Glossæ. *Im* αὐτόν. *Im, eum* τὸν αὐτόν.

COGNITVS *ante furor*] Antecognitus, epigrammat. ix.

NAMQVE *grauem vrsum*] Exerrant qui legendũ

A suspicati, *vnum*. Ratio illis quia non vnus, sed vnis duo cornua. Irrita ratio illa, Nec enim vrsum nunc Valerius, sed rhinoceroti geminum cornu adtribuit.

Neque rectè Angelus Politianus. Miscellaneis c. lvi. Cornu à Valerio dictum pro Cornus; vt Propert. eleg. xii. ----*Et reddere pinu Cornua*---- id est *pinui*, L. Priscian. c. 30. lib. 7. Censet autem Politianus hanc Valerio mentem esse: Rhinoceros vrsum qui grauis poterat esse gemino cornui, siue tauro, sustulit non minus facilè, quàm taurus iactitat pilas. Immò enim ille Valerij sensus. Rhinocerus gemino suo, siue vtroq; cornu, sic vrsum extulit, vt taurus pilas, &c. Quemadmodum autem grauis vrsus patet narratione Aristotelis c. 5. lib. 8. historiæ animal. Solini cap. 29. Aeliani de animal. c. 9. lib. vi.

GEMINO *cornu*] Rhinoceroti geminũ cornu est, vnum grande in naribus, alterum minusculum in humeris, sine armis. Patet in pictura rhinocerotis apud

B Gesnerum, & Ianum Pierium Hieroglyphicis lib. ii. c. de Rhinocerote. Vbi & huiusce rhinocerotis sic taurum cornu gemino iactantis, ex Domitiani nummo effigies. Atq; ita cornu gemino spectari hodieq; rhinoceroras, liquet nauigationibus Indicis. Disertim & Pausanias l. 9. Εἶδον δὲ καὶ ταύρους, τοὺς τε Αἰθιοπικοὺς, οὓς ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι ὀνομάζουσι ῥινόκερως, ὅτι σφίσιν ἐπ' ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ ἐν ἑκάστῳ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα, ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς, οὐδ' ἀρχὴν κέρατα ἐπί. Dico Latinè. *Vidi & tauros Aethiopicos, quos ex figura corporis rhinocerotas dixere, quia in extima eis nare, suum cuique cornu, & item aliud desuper minusculum. At in capite non vlla eis cornua*. Ecce rem. cornu illud minusculum ὑπὲρ αὐτὸ, siue superius maiore, cornu est illud in armis, siue humeris rhinocerotis.

Hæc taliaque mihi sic prænotata iam olim anno

C xxciv. exstitit post anno iic. suauiludius ita scribillãs in farragine venationis circensis c. 19. *Marcilius vir eruditus à Pausania discedit, vt in humero rhinocerotis cornu collocet. Calderino Frigido authore*. At ego neq; à Pausania discedo, neque in humero, sed humeris cornu illud breue colloco, vbi & natura ipsa. Quid ergo frigutit? An illa ei verruca in oculis, ne rectè indigetari humeros elephanti sed armos? Ita? Tullius ergo malus auctor Latinitatis qui ii. de nat. Deor. *Bubus*, inquit, *vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda*. Ouid. 1. fabular.

---- *Quædam imperfecta, suisque*

Trunca vident humeris---- Iam illud quàm mimicè; Calderinus Frigidus auctor. At ille non frigidè meritus de Martiale, & suo vituperoni Sophoclium illud ex Antigona retulerit eleganter. Mi homo Θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις.

In frigidâ, es calente corde, resculâ.

D RAMIR. DE PRADO.

Admirandum Rhinocerotis robur post irritationem exponit hoc epigrammate, qui tauris ipsis pro pilis vteretur.

1 SOLLICITANT *pauidi*.] Irritari & sollicitari feras in arena vulgare omnino est stimulis, igne, flagellis, pilis, mappis, pannis rubris & alijs multis. Seneca lib. 3. de Ira cap. 30. *Taurum color rubicundus excitat*, vbi anteà legebatur *tantum*, emendauit Petrus Ciaconius, cuius codex apud me est summo in pretio, vt debent esse apud omnes bonos omnia viri illius, cum quo nullus seculi nostri mortalis comparandus. Irritabantur Tauri pilis per ordinem in arena dispositis, & numerabantur effigies illæ laneæ secundum locum, prima, secunda & tertia. & prima quæ primum impetum, & ardorem illum cornutum

toleraret vilibus pannis erat confecta. Disce vtrumque ex nostro Poëta lib. 3. epigram. 43. in Candidum de sua toga,

At me quæ passa est furias & cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.

Vbi nota furias & cornua tauri ἐν διὰ δυοῖν dictum, vt augeret attritionem togæ suæ, quæ ad primos tauri impetus videretur fuisse exposita. Sed hoc melius & salsius innuit acutissimo epigram. 86. l. 10.

Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

Id est, ita pannosus incedit, vt prima pila esse videatur. Rubei autem coloris fuisse pannos, quibus obsitæ erant pilæ colligo ex Ouid. l. 12. metamorph. vers. 102. *Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto,*

Cum sua terribili petit irritamina cornu
Phœniceas vestes, elusáque vulnera sentit.

Irritamina vocat pilas, explicatque esse Phœniceas vestes.

2 NAMQVE *grauem gemino.*] De tota controuersia huius versus: Vtrum legendum sit *Vrum*: Vtrum Rhinoceros geminum habeat cornu, omnes omnium sententias prolixè adducunt Marcilius, & Raderus. Tu liberè iudica de ijs.

De Carpophoro. XXIII.

*Vide Turneb. l. 17. c. 2.

*Vide Plin. l. 8. c. 15. Pausan. in Phoc. Oppian. l. 2. Cyneget.

Dorica quàm certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori.
Ille tulit geminos facili ceruice iuuencos.
*Illi cessit atrox bubalus atque * bison:*
Hunc leo cùm fugeret præceps in tela cucurrit:
I nunc, & lentas corripe turba moras.

Εἰς Καρποφόρον. κγʹ.

Οἵην ἀσχετίην ἰθύνει Δωρίδος αἰχμῆς
Καίτοι χεὶρ ἔτι νέου Καρποφόρου παλάμη!
Αὐχένι μὲ κούφῃ διδοὺς ἀπεδέξατο ταύρους,
Εἶξε δ' οἱ ἀγρότερος βούβαλος, εἶξε βίσων.
Τοῦδε λέων, ὅτ' ἔφευγεν, ἀπόρουσεν ἔμπεσεν ἔγχει.
Ἀμβολίας ἴθι δὴ μέμφεο, δῆμε πίπτων.

DOMITIVS CALDERINVS.

DORICA,] Laudatur Carpophorus, quòd ita stantes feras superauerit: vt nuper leo perterrefactus eius dexteram fugiens, coniecerit se in venabula aliorum potius, quàm voluerit eum expectare.

DORICA] Dorienses Althemene duce in Cretam venerunt per tempora Troiana: & condiderunt. x. vrbes. Tertium genus hominum fuit: qui Cretam habitarunt: vnde Cretenses Dorici.

DORICA ve.] i. sagittas Cretenses: nam è Creta optimi calami ad sagittarum vsum.

TE. *Car.* id est, adhuc iuuenis.

FACILI:] Facilè succisa.

BISON] Animal quod mittit Germania, deforme quidem prolixitate iubarum, & reliquo corpore, sed ferum.

BVBALVS.] Vtrumque intelligit. nam ex Hercynia sylua mittuntur vri, specie & colore similes bobus, magna velocitate, & magnitudine paulo infra elephantum. neque homini, neque feræ inspectæ parcunt, foueis capiuntur, ijdem bubali dicuntur, quamuis Pli. accuset imperitum vulgus: quòd bubalos appellet: cùm in Africa vri reperiantur: aut nulla, aut exigua similitudine cum bobus.

CORRIPE] Tolle lentas moras.

TVRBA] Spectatores consueuerunt pugnantem feram plausu excitare ad fugam: monet eos Poëta nullum esse remedium feræ Carpophoro pugnanti. nam & stantem sternit: fugientem adeo perterret, vt ruat in tela aliorum.

MARCILIVS.

DORICA *venabula*] *Dorica*, Græca. vt *classis Dorica*. id est, Græca, versu veteris Poëtæ apud Sosip. lib. iv. *Dorica castra*, id est, Græca, Æneide vi. *Dorica crimina* Papinius lib. vii. Thebaid. *Doricus hostis*, Iuuenal. Satyr. iv. *Dorica Ancon*. Sidon. Apollinar. Panegyr. Maioriani. *Sermo Doricus*, id est, Græcus, Auson. ad Paullin. epist. xxii.

Venabula autem Dorica, siue Græca, quia inuentor venabuli Piseus homo Græcus, Plin. cap. lvi. l. iix. Sic malim quàm vt est in aduersarijs cap. ii. lib. xvii. Dorica venabula esse Laconica. quia Spartani, siue Lacones dediti in studio venationis.

CARPOPHORI] Rectè, Carpophori; vt cum admiratione.

ILLE *tulit*] Tanquam Milonis scilicet æmulus, & vincere volens. Milo per stadium olympius vnum iuuencum tulit. Athenæus lib. x. Carpophorus per amphitheatri caueam duos iuuencos tulit.

Miloni ergo nunc anteponit Carpophorum, vt & aliâs Herculi ep. xxiix. in his spectaculis, & epig. lxvi. lib. v.

Alij ne rectè interpretati, tulit geminos iuuencos, interfecit, vt in aduersarijs.

ATROX *bubalus*] Bubalum accipe vrum, Glossæ βούβαλος, *Vrus*, *Bos siluestris*. Lege, *Bos siluestr.* Glossis ijsdem *Vros* Βοῦς γερμανὸς. Antiquè *Vros* pro *Vrus*, L. Plin. cap. xv. lib. iix. Solin. cap. xxiii. Agathias lib. j. Ex his liquet bubalos capi pro vris. De vris item Cæsar vi. belli Gallici. Oppian. lib. ii. de venatione. Seru. ad ii. Georg. Macrob. Saturn. cap. iv. lib. vi.

ATQVE *bison.*] Sic bubalos & bisontes iunxit Plinius & Solin. loco antedicto. Bisontes & vrus L. Seneca in Hippolito. Plin. c. x. lib. xxiix. Pausaniæ autem lib. x. sunt βίσωνες Oppiani lib. ij. βίσωνες, Dioni in Seuero βίσωνες, qui esse ait βοῶν τι εἶδος βαρβαρικόν. *Boum genus quoddam barbaricum.* Oppianus autem nomen eis factum esse à Bistonide regione Thraciæ, vbi plurimum hoc genus.

Τοὺς καλέουσι βίσωνας, ἐπεὶ πάτρης παρὰ βιστονίδος σφετέρης---- Nihil necesse legere βίσωνας, ο enim liquescit. L. Paulus Diaconus de gest. Langobard. c. iix. lib. ii.

HVNC *leo cum fugeret*] Significantia in verbo *fugeret*. Nec enim fuga conueniens leoni.

PRÆCEPS] Amplius hoc quàm fugisse. At leo, aut non fugit, aut non fugit præceps, sed ὑποχωρεῖ βάδην dissimulanter ac pedatim. Homer. Iliade xvi. L. Aristoteles c. xliv. l. ix. historiæ animal. Plinius c. xvi. l. iix. Ælian. de animal. c. xxxiv. l. iv. Solinus c. xxx.

In *tela*] Vt de leæna pro catulis pugnante Plin. loco antedicto. Claudian. Panegyrico Theodori.

Obuia fulminei properent ad vulnera pardi.

I *nunc,& lentas corripe turba moras*] Eò refer quod fex popelli spectatrix, nullam voluptatibus suis moram fieri patiebatur, iramque suam testari solita clamoribus, si quis arenarius lentior. Dixi ad ep. xxii.

RAMIR. DE PRADO.

EVndem Carpophorum laudat, quem 5. epig. 15. & 1. 27.

1 Dorica *quam certo.*] Rectè Turnebus lib. 17. cap. 7. *Dorica*, Laconica interpretatur, quod Spartani Dorienses essent. Laconica verò venabula celebrata à veteribus. Sed fortè vt aliàs legitur, Norica scripsit Poëta. In Noricâ prouinciâ affabrè omne armorum genus cudi vulgatum est, & Noricosenses celebres Horatio Ode 16. lib. 1. carm.

——*quas neque Noricus*

Deterret ensis. ——

Et in carmine seculari Ode 17.

Modo ense pectus Norico recludere.

Et noster inf. lib. 4. epigr. 55.

Sano Bilbilim optimam metallo,

Quæ vincit Chalybásque Noricósque,

Et ferro Plateam suo sonantem.

2 Ille *tulit geminos facili ceruice iuuencos.*] Verè Turnebus loco citato interpretatur *tulit*, id est, sustulit, quicquid Marcilius reclamet. Nàm quamuis absque dubio prætulit Carpophorum Miloni Crotoniatæ, qui vnicum taurum sustulit: elegantissimus est Poëtæ in verbo lusus cum à tollendi in altum significatione, ad tollendi de medio sensum traducat hoc verbum. Germanus iocus apud malè falsum Poëtam illum qui epigrammate Neronem Imperatorem notauerat apud Suetonium in eius vita, c. 39.

Quis neget Aenea natum de stirpe Neronem:

Sustulit hic matrem: sustulit ille patrem.

Sed difficultatis vis in illo est, *facili ceruice*, vbi ceruicem omnes interpretes fregerunt, & doctissimus etiam Turnebus cum his. Nec te obtundam recensendis eorum sententijs: ego *facili ceruice* ad iuuencos ipsos refero, nec sentio cum Turnebo ceruicem eam minimè duram & repugnantem fuisse; sed quæ facile ferrum admiserit. Id enim subfrigidum est. Vt mentem meam tibi aperiam facilius, hæc non inutilia præmittam. Primo, venabulo non eminus feriri bestias solere, sed cominus: contrà lancea vel hasta, non cominus sed eminus. innuit noster supra epigr. 11.

Splendida iam tecto cessent venabula ferro:

Nec volet excussâ lancea torta manu.

Vbi *lanceam tortam ab excussa manu volare*, iactum lanceæ significat. Dubitas de venabulo? eximet facilè scrupulum epigr. 30. lib. 14. cuius lemma est, *venabula.*

Excipient apros, expectabúntque leones

Intrabunt vrsos, sit modo firma manus.

Hinc intelligendus pulcherrimus Peligni Poëtæ locus, quem expende quæso lib. 8. Metamorph. vers. 414. vbi Meleagri de confecto apro narrat historiam,

At manus Oenidæ variat, missisque duabus.

Hasta prior terra, medio stetit altera tergo:

Nec mora; dum sæuit, dum corpora versat in orbem,

Stridentémque nouo spumam cum sanguine fundit,

Vulneris author adest, hostémque irritat ad iram,

Splendidaque aduersos venabula condit in armos.

A Vbi animaduerte Meleagrum iecisse eminus prius lanceam in aprum, & dum is se rotaret, & funderet spumam nouo sanguine (i. tunc primum effuso, nam in ipso apro quem nemo antea tetigerat, nouum fuit sanguinem effundere) adest author vulneris Meleager, id est, accedit idem ipse qui hastam eminus tergo eius infixerat, & arrepto venabulo accurrit ad eum cominus conficiendum, tantâ constantiâ, vt aduersum aprum adoriretur: id enim significat illud, *venabula condidit in armos aduersos*: quod maioris vel audaciæ vel fortitudinis est, quàm si auersum aprum à tergo esset adortus. Quid? quòd aprum ipsum irritauit ad iram pungens cum venabuli cuspide, vt præceps ferretur in eum, & is aduersum exciperet. Sic accipe illud,

—— *hostémque irritat ad iram.*

Vides Meleagrum hastâ eminus percussisse aprum: venabulo vero cominus fudisse? vbi differentiam

B perspicuam cernis inter vtrúmque telum. De venabulo solo expende pulcherrima verba eiusdem Poëtæ eodem libro, vers. 403.

Ibat in aduersum (aprum) *proles Ixionis hostem*

Pirithous, valida quatiens venabula dextra:

Cui procul Aegides; O me mihi charior, inquit,

Pars animæ consiste meæ: licet eminus esse

Fortibus: Ancæo nocuit temeraria virtus.

Vbi illud, *ibat in aduersum hostem*, est, ibat vt aduersum aprum cominus venabulo feriret. Itàque eum admonet Theseus, vt consistat, & eminus sit. Deinde nota hunc Carpophorum non laudari à Martiale, quòd tela eminus iaceret in feras, sed quod eas venabulo exciperet, & cominus sterneret: quod maioris roboris esset, & maioris animi: & hac de causâ hoc epigramma ex tribus, quæ sunt de laudibus Carpophori orditur ab eo versu:

C *Dorica quam certo venabula dirigit ictu.* Nam *venabula* ad pugnandum cominus sunt, vt dixi, & *ictus* non est iactus, sed vulneris inflictio, & *dirigere* est rectè regere, non iaculari: vt superiori epigr. 15. *Ille & precipiti venabula condidit vrso*, quod fuit excipere vrsum in se ruentem. Etsi omnia horum epigrammata, verba, & exempla expenderis, deprehendes facilè hunc excipere feras, non autem in eas iaculari, ideo leo huius epigrammatis fugiebat Carpophorum, quando in aliorum tela incurrit, quod cominus peteretur, & punctim feriretur à Carpophoro. Vt igitur extollat Carpophori fortitudinem, qua ceteros bestiarios superabat cominus eum feras conficientem describit: cum eminus esse fortibus etiam liceret, vt rectè Theseus Pirithoo dixit loco citato,

——*licet eminus esse* *Fortibus.* ——

D Quid igitur est? *facili ceruice*, inquis. cuius interpretationi tam multa apparasti? audies. tauri qui facillime quoquo versum ceruicem mouent difficillimè, & periculosè feriuntur, facilius, qui segnes sunt. Quare loco supracitato audacia Meleagri his verbis notatur.

—— *dum corpora versat in orbem.*

Vt igitur audacissimum ostenderet Carpophorum addidit illud epitheton iuuencis, quòd facili essent ceruice, id est, mobili, versatili in quancumque partem, non stabili, directâ & pertinaci, vt alibi de fronte Masclionis epigr. 12. lib. 5.

Quod nutantia fronte pertinaci

Gestat pondera Masclion superbus;

Et hac felicitate ceruicis summum poterat subire periculum Carpophorus. Iuratus affirmarem hoc idem sensisse Martialem.

A

De naumachia Domitiani. XXIV.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
*Cui lux prima sacri muneris * ipsa fuit:*
Ne te decipiat ratibus naualis Enyo,
Et par vnda fretis, hîc modò terra fuit.
Non credis? spectes, dum laxent æquora Martem;
Parua mora est dices, hîc modò pontus erat.

* Ista non inscitè lanus Douza legendum hariolatur, vt sensus sit: qui ante hunc diem in vrbe non fuisti.

Περὶ ναυμαχίας Δομιτιανοῦ·

Ὅστις ἀπ' ἐσχατιῶν ἐπιδημεῖς ὄψιμος ἵστωρ,
Ἦμαρ τοῦδ' ἄθλου πρῶτον ἔπηλυς ἰδών·
Μήτε σε ναυμαχίης τὰ θεώρεια, μήτε πλανάτω
Κῦμ' ἰσάμιλλον ἁλὸς· γήπεδον ἄρτι τόδ' ἦν.
Δυσπιστεῖς; ἀνέχου, μέχρις Ἄρεα πόντος ἀνήσῃ·
Οὐ μετὰ δηρὸν ἐρεῖς· ἄρτι θάλασσα τόδ' ἦν.

DOMITIVS CALDERINVS.

SI QVIS ADEST.] Inter cetera theatri munera Dom. edidit Naumachiam, vt scribit Tranquillus, effoso lacu iuxta Tyberim, quam spectauit inter imbres, & niues: vnde exit illud epigramma.

Aspice quàm densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, inque sinus.

Pugna fuit propè iustarum classium, excitatis vndis in speciem penè fluctuum maris. Monet aduenam spectatorem, vbi vndæ tantopere concitantur, fuisse paulo antè terram, quod si ei credibile non sit: expectet tantisper, dum cesset Naumachia. Videbit enim ita quiescere fluctus, vt etiam sit miraturus, quo pacto in tam exiguo lacu, tantæ essent procellæ paulo antè, & vtrúnque tandem crediturus miraculum.

SI *quis se. spe.*] Incepta iam pugna, & inceptis ludis.

LVX] Dies Naumachiæ.

FVIT *pri. in vr.*] Id est, si ante hunc diem non fuisti in vrbe.

ENYO.] Furor belli.

RATIBVS.] Classe.

PAR *fre.*] Id est pelago: id est ne putaueris hîc esse mare.

ÆQVORA LA.] Id est dum pugna naualis absoluitur: Cùm videbis sedatos fluctus, dices hîc paulo antè erat pelagus: & ita credes vtrúnque miraculum.

MARCILIVS.

DE *naumachia Domitiani.*] Hæc naumachia edita in amphitheatro. Suetonius Domitiani c. iiij. Errant qui accipiunt de naumachia edita in lacu, de qua Dio in Domitiano, Sueton. loco antedicto.

CVI *lux ipsa.*] Meliùs, *Cui lux ista.* Nam multæ luces, siue dies sæpe muneris vnius. Vt muneris editi à Tito dies centum, Dio in Tito. Et venationes editæ per dies quinque, Sueton. Iulio c. xix. Venationes binæ per dies quinque, Tullius epist. i. lib. vij. ad famil. Et Augusti munus per multos dies. Dio lib. li. Adiungit Dio ibi, ὥσπερ εἰώθει, *vt adsolet*, notans ritum illum muneris, & venationis, multiplicari dies.

Hinc illæ differitates Suetonij Claudio c. xxi, Vt, munus, aut esse *iustum & legitimum*, nempe cum venatione: aut inlegitimum, *sine venatione adparatuque.* Item illa, munus, aut esse ordinarium & multorum dierum: aut exordinarium, & *breue, diei vnius vel paucorum.* Breue eiusmodi munus à Claudio dictum *sportula.* Breue nempe hoc munus quasi *sportula*, & quasi *condicta & subita cœnula*, vt loquitur Claudius: Longum & legitimum munus tanquam cœna recta.

SACRI *muneris.*] Sacri Cæsarei, aut sacri Marti. Res omnes Cæsarum sacræ, vt nemo nescit. Adsentatiunculæ illius principium à Tiberij sæculo. L. Sueton. c. xxvii.

Munus autem accipe nunc vt generica vox illa & complectens gladiatores, venationes, ludos scænicos, &, vt hoc epigramm. naumachiam. Quippe idem munerarius, siue munerator, eodem munere solitus dare & gladiatores & venationem & ludos. Itaque Tullius pro Murena cum dixisset, *amplissimum munus*, id explicat, *ludorum elegantiam, & scænæ magnificentiam.* Vitruuius Proœmio lib. x. *Nec solum id vitium in ædificiis, sed etiam in muneribus, quæ à magistratibus foro gladiatorum, scænisque ludorum dantur, &c.* Hinc & *functio theatralis* pro munere, Symmachi epist. xiv. lib. x. Ne rectè in Saturnalibus c. vii. lib. i. persuasi nomine muneris, præter gladiatores & venationes nihil venire.

NAVALIS *Enyo.*] Bellum nauale, siue naumachia, vt epigramm. xxxii. lib. vi.

--- *Belli ciuilis Enyo*, Bellum ciuile.

HIC *modò terra fuit.*] Hîc, in cauea amphitheatri. Hæc naumachia edita sic à Domitiano ad exemplum Titi fratris, de qua Dio in Tito. Edidit consimilem & Nero, Dio in Nerone.

Implendi autem caueas & siccandi rationem L. Seneca tangit epist. xc. vbi de Circo. Qui, inquit, Euripos subito aquarum impetu complet, aut siccat.

NON *credis.*] Meliùs interrogatoriè, *Non credis?*

DVM *laxent æquora Martem.*] Mari in caueam immisso, Mars amphitheatralis quasi adstrictus vinculis, siue impeditæ pugnæ gladiatorum: rursus autem aquâ emissâ, laxatus quasi vinculis Mars, siue iterum gladiatoribus copia pugnandi.

RAMIR. DE PRADO.

AVGET admirationem naualis spectaculi; siue Titi, siue Domitiani, vtérque enim spectaculum hoc edidisse fertur, quo aquâ per tubos in Amphitheatrum immissâ, naualis pugna repræsentabatur: & rursus subito emissa, & siccata area exhibebantur terrestria spectacula. Suetonius Tito tribuit cap. 7. & etiam Domitiano cap. 4. de vtro Poëta intelligat incertum.

A

1 Et *par vnda fretis: hic modò terra fuit.*] Duplex miraculum, & quod paulo antè sicca fuisset Amphitheatria area: & quòd nunc tantum aquæ influxisset, vt fretum referret.

Expectes *dum laxent æquora Martem.*] In aliquibus legitur *lassent.* vt τὸ Martem referatur ad Naualem pugnam, quod non probo. Nam naualis pugna Neptuno dicabatur: Venatio Dianæ: gladiatores, Marti, & Saturno. *Laxent*, igitur, *æquora Martem* intelligo. Locum dent æquora Marti, quem nunc constringunt, ne in arenam prodeat. Quid? quod colligo ex Suetonio in Tito dicto cap. 7. Gladiatores post nauale spectaculum datos. Verba eius sunt, *Dedit & nauale prælium in veteri Naumachia, ibidem & gladiatores.*

Ex quo loco non male posset quis affirmare hoc nauale spectaculum à Tito exhibitum. Sed ego ἀπι-χεμαι, nam etiam in Domitiano dicto cap. 4. idem auctor nauale prælium in Amphitheatro commisisse Domitianum scribit: & vtrúmque huic epigrammati aptari potest. Æquè enim mirabile est Naumachiam exsiccatam subito gladiatoribus exhibendis post nauale prælium: atque Amphitheatrum repletum ad Nauale spectaculum. E contrario prælium nauale exhibitum Florentiæ in nuptialibus festis Magni Hetruriæ Ducis retulit Monsauocrius. cum enim magnates variis præliis in area Pitiæ basilicæ dimicassent, inibi laxatis quibusdam fontium aut castelli alicuius tubis par vnda fretis visa est, vbi mox erat terra ratibusque *naualis Enyo.*

3 Dices; *Hic modo pontus erat.*] Id est, tute fatebere aliquid iuxta mirabile, ac illud quod ego dixi, *Hic modò terra fuit.* quo credibile fiet quod tu non credebas.

B

De Leandro XXV.

Quod nocturna tibi Leandre pepercerit vnda,
Desine mirari: Cæsaris vnda fuit.

Cùm peteret dulces audax Leander amores,
Et fessus tumidis iam premeretur aquis;
Sic miser instantes affatus dicitur vndas:
Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

Περὶ Λεάνδρου.

Νυκτερινὸν, Λείανδρ', ὅτι σοῦ πεφιδέσατο κῦμα,
Οὐδὲν θαυμαστόν· Καίσαρος ἦν πέλαγος·

Πάντολμος Λείανδρος ἑὴν ποθέων ἐπὶ νύμφην,
Ὑψι κορυσσομένοις κύμασι θλιβόμενος·
Δύσμορος ἀντιβίων οὕτω προσέειπε θάλασσαν·
Φείδου σπευδομένου, κλύζε με νοστιμένον.

C

DOMITIVS CALDERINVS.

Qvòd *nocturna.*] Fabula Leandri natantis ad Hero amicam representata est in theatro: sed tamen; hic qui representabat fabulam, euasit: quamuis in ea sit, Leandrum submersum esse fluctibus.

Nocturna *vn.*] i. aqua quam natasti nocturno tempore, Cæsaris vnda fuit: propterea pepercit: At vnda Neptuni non pepercit Leandro.

MARCILIVS.

De *Leandro.*] Fabellam de amorib. Heronis ac Leandri legere volenti est Ouidij epistolis, & Musæi carmine, quiqui ille. Fabulam vocat Seruius ad iii. Georg.

Exhibiti autem hi amores à Domitiano in naumachia, spectaculo nocturno ad lychnuchos, perinde vt & venationes edidit & gladiatores. Sueton. c. iiij. Nocturnum autem hoc in cauea Leandri spectaculum, quia & Leander olim νύχιος, inquit Musæus, νηκτήρ, *Nocturnus natator.*

Nocturna *vnda.*] ἐννύχιον κῦμα. Paull. Silentiarius epigramm. in Leandrum. Antholog. libr. vii.

Desine *mirari.*] Etsi mirandum, vel quia tempestas mota ingenio, siue automatis in cauea, vt in mari solita moueri à natura: vel quia sceleratus hic Leandri personam sustinens, dignus perire mimica illa tempestate.

Cæsaris *vnda fuit.*] Itaque clemens vt & Cæsar ipse. Vt epigr. cv. lib. 1.

Sed norunt cui seruiant leones.

Cvm *peteret dulces.*] Alterum hóc & longè diuersum epigramma est à superiore. Illud in eum qui Leandri persona velatus enauit ex aqua naumachiæ: hoc verò in historiam, siue tabellam de amorib. Heronis ac Leandri. Vtrumque epigramma tituli vicem adpositum in Domitiani naumachia.

Esse igitur hoc xxvi. epigramma numero debuit, cum titulo, *In eundem.* vt prima editione rectè mihi hæc partitio facta, quam tamen hactenus veteres dubitauêre sequi, quorum opera editus Martialis.

Parcite *dum propero.*] Similiter Ouid. epist. Leandri, & noster hic epigr. cxxci. lib. xiv.

RAMIR. DE PRADO.

D

Leandrum hunc ad amicam euntem ita execratus est Raderus Religiosus sacerdos, vt à suo codice & commentario libro miserum iuuenem amandarit. Vtilis sanè homini honestas, quâ se grauissimo onere leuauit totò suo opere. Nam quoties aliquid subimpudiculum offendit, silentio transmittit. Huiusmodi autem epigrammata apud hunc Poëtam subtiliora & obscuriora sunt. Age, vir honestissime, qui sciebas ea esse inhonesta? quod legeram, inquis. Cur legisti vir tantæ sanctimoniæ, & si legisti cur nobis inuides eam lectionem? Ego verò pati non possum superciliosos istos Censores qui nequitias Martialis nobis adimunt, sibi reliquunt. Satius fuisset, sanctissime vir, vt totum Martialem intactum reliquisses, ne scilicet purissimæ manus deligendis epigrammatibus & interpretandis inquinarentur. Sed te relinquamus, & interpretemur huiusmodi epigrammata amicis nostris, qui solent spectare Floralia. Interim

secede Cato tertius è cœlo lapsus. A

1 QVOD *nocturna tibi Leandre.* Non sentio cum Marcilio Leandrum hunc damnatum fuisse: nam periisset procul dubio in ea natatione. Sed natatorem qui histrionicè Leandrum agebat, & incolumis per commotas Amphitheatri vndas ad ripam euasit: comparátque Domitiani clementiam cum sæuitia Neptuni Helesponti: namque aqua non pepercit vero Leandro, quòd esset Neptuni: hæc autem pepercit Leandro ficto, quod Cæsaris vnda esset. & finitur epigramma hoc disticho. Sequens vero tetrastichon aliud est multò diuersum ab eo, vt rectè Marcilius notauit, quamuis non primus. Est autem sequens epigramma à luxuriante Poëtæ ingenio profectum superioris occasione, qui sibi adeò placuit illo antitheto,

Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Vt eandem antithesin vel potius partem eius posteriorem repetiuerit lib. 14. epigr. 181. B

Mergite me fluctus cum rediturus ero.

Nitidissimus autem & elegantissimus Hispanus Poëta Garsias Lassus epigrammate quodam Hispanico eandem sententiam expressit, quod vt laudes omne apponam,

Passando el mar Leandro el animoso
En amoroso fuego todo ardiendo,
Esforço el viento, i fuese embra veciendo
El agua con vn impetu furioso
Vencido d'el trabaio presuroso,
Contrastar à las ondas no pudiendo,
I mas del bien, que alli perdia muriendo;
Que de su propria muerte congoxoso.
Como pudo esforço su vôz cansada.
I à las ondas hablo d'esta manera,
Mas nunca fue su voz d'ellas oida.
Ondas pues nos' escusa que yo muera,
Dexadme alla llegar, i à la tornada
Vuestro furor executa en mi vida.

De natatoribus XXVI.

Lusit Nereïdum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.
Fuscina dēte minax, nexu fuit ancora curuo:
Credidimus remum, credidimúsq; ratem:
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum,
Latáque perspicuo vela tumere sinu.
Quis tantas liquidis artes inuenit in vndis?
Aut docuit lusus hoc Thetis, aut didicit. C

Περὶ νηκτῶν κϛ´.

Νηρεΐδων δ' ὅλου πελάγευς χορὸς ἐψιάσατο
Σχήμασι ποικίλλοις χεύματα πλωτοδαποῖς·
Ἐν γὰρ εἶκτο τρίαιν', ἀγκύρα τ' ἀγκυλοχηλής·
Ταρσοὺς ἠρέχαμεν, καὶ σκάφος εἴδομεν·
Καὶ Διδύμων ἄστρον, τερπνὸν ναύτῃσιν ὄνειαρ,
Ἱστία τ' ἀχερὰ πνεύματι τεινόμενα·
Τίς μέσῳ ἐν πελάγει τόσα μήσατο παίγνια τέχνη;
Τοιαῦτ' ἢ ἐδίδαξ' ἡ Θέτις, ἢ ἔμαθε.

DOMITIVS CALDERINVS.

LVSIT *Nerei.*] Assentatur principi. Nam cùm Domi. maximè studuerit, vt eius Naumachiæ classes iustæ, & veræ viderētur, scribit omnia ita repræsentata, ac si in mari res gesta esset veris classibus, tantique artificij fuisse hoc spectaculum, vt ipsa Thetis, aut docuerit hanc pugnam, aut didicerit: quasi innuat, ope mortali non potuisse perfici.

DOCILIS *cho.*] id est, doctæ puellæ repræsentantes Nereides magna docilitate, & ingenio.

TOTO *æquore.*] i. tota Naumachia.

PINXIT.] Id est, distinxit, & circunscripsit incessu.

FVSCINA.] Tridens Neptuni & anchoram, & remos credidimus esse veros, adeò omnia fuerunt bene repræsentata.

SIDVS *Lacon.*] Significat Castorem & Pollucem: qui prospera signa sunt nauigantibus: Ioue concedente eorum meritis: vt Diod. & Higin. scripserunt, eorū ortu occidit Helena, sidus tēpestuosū & minax: vt scripsit Pli. Hora. *Sic fratres Helenæ lucida sidera.*

PERSPICVO.] i. aperto.

MARCILIVS.

ESSE debuit numero, xxvii.

DE *natatoribus.*] Qui specie Nereidum, Neptunique lusêre in Domitiani naumachia.

VARIO *ordine.*] Strophis in dextrorsum, antistrophis læuorsum, epodis autem chori stantis, siue quiescentis. Strophæ denotantes orbis octaui cōuersionem, Antistrophæ motum stellarum errantium, qui orbis octaui conuersioni est contrarius. Epodi verò terræ quietem. Eā de re interpres Pindari, & Demetrius Triclinius commentario de versibus Sophocli.

FVSCINA *dente minax.*] Natator specie Neptuni cum fuscina. Deliri, qui de retiariorum fuscina suspicati.

NEXV *fuit ancora curuo.*] Cape de vnco ancoræ, vt Æneide i. *Vnco non alligat ancora morsu.* D Sosipater lib. i. *Vncum sacrum* dixit pro ancora sacra. Et alius apud Plutarch. lib. De virtute morali, ἀγκυρον ἀγκύλας.

CREDIDIMVS *remum.*] Credidimus remum & ratem esse, non res mimicas vt erant: sed veras.

ET *gratum nautis sidus.*] Vt Homerus, siue quiqui est hymno Dioscurorum.

— ναύταις σήματα καλά.

LACONVM.] Castores Lacones Festus in Pilea.

THETIS, *aut docuit, aut didicit.*] Aut docuit vt Poëta: aut didicit vt histrio. Poëta docet; discit scænicus. Interpres Terent. ad Hecyram.

RAMIR. DE PRADO.

AVSIM affirmare hoc epigramma hactenus à ne-

mine intellectum, eorum dico quorum mihi scripta videre contigit, qui permulti sunt, qui omnes in his aquis fluctuantes, mirandum in modum se torquent, nec proficiunt hilum. Ego non te torquebo adducendis illorum interpretationibus, sed ne viuam, ni, si meam perceperis, possis eos omnes ridendos propinare.

1 LVSIT *Nereidum docilis chorus.*] Hæ Nereides iuuenes erant natatores habitu Nympharum. dicitur id agmen chorus, quòd multi essent: Nec est quod cum Marcilio infelici exitu ad Tragœdiæ chorum confugias, & eruditis auribus obtrudas vulgatissimum illud de Strophis, Antistrophis & Epodis: *Docilem* vocat *chorum* hunc, id est, doctum & natandi peritum.

2 ET *vario faciles ordine pinxit aquas.*] *Faciles aquas*, dixit facta collatione cum natatoribus hisce peritissimis, quibus facillimum erat aquas secare. *Pinxit vario ordine aquas*, quòd variis nexibus complicati hi natatores varias rerum figuras in aquæ superficie exprimebant, & veluti pictas oculis repræsentabant: & hîc est scopulus ad quem ceteri omnes naufragium fecerunt, non animaduertentes perspicuè his verbis sententiam nostram à Poëta manifestari: hic enim chorus pinxit aquas vario ordine. Nam quemadmodum quæ pinguntur obiiciuntur oculis ad viuum: ad eundem prorsus modum hi natatores varias rerum species oculis obiecerunt. hoc si acriter animaduertas, affulgebit tibi mira lux ad cetera quæ

A sequuntur.

3 FVSCINA *dente minax.*] Ille ipse Chorus sic dispositus fuit, vel tota, vel aliqua eius pars, vt ipsa natantium dispositio fuscinam, vel tridentem in aquâ repræsentaret, & turbato hoc ordine, rursus ita diffusus fuit ille ipse chorus, vt anchoræ speciem effingeret in aqua. Itaque aduerte me interpretari chorum ipsum fuisse fuscinam, & eundem mox fuisse anchoram, id est, natantium dispositione & iunctura, effictam fuisse fuscinam, confictam anchoram. Ride nunc, si sapis, glaciem illam interpretum natatorem quendam exhibentium cum *fuscinâ* & alium cum *anchora*. Quid enim hoc admirabilem illam natationem reddidisset: Hoc dignum Poëtæ celebratione, & prædicatione: cùm id quiuis ex pueris nostris natando posset perficere, vt fuscinam vnus, anchoram alter ferret.

4 CREDIDIMVS *remum, credidimusque ratem.*]
B Eadem luce hæc facilè perspicies; connexi inter se, & compacti ita sunt natatores, vt effingerent nauiculam, & cruribus, vel brachiis effingerent remos, quibus ipsa nauicula videretur impelli. Quin etiam aliqui supra alios ascendentes, nauiculæ malum, & antemnas ipsas effingebant. Quorum vestes inflatas vento, velorum præberent species; & supra antemnas lumina: quædam forte vitris inclusa posuerunt, quæ sidera Castoris, & Pollucis esse viderentur. Cetera perspicua sunt.

Blanditur Cæsari XXVII.

Sæcula Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,
Iam nullum in monstris orbe fuisset opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem,
Arcas Mænalium non timuisset aprum.
Hęc armata manus hydræ mors vna fuisset,
Huic percussa foret tota Chimæra semel.
Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros:
Soluere & Hesionem solus, & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus est
Bis denas pariter perdomuisse feras.

Θωπεύει τὸν Καίσαρα. κζ.

C Εἰ τὸν Καρποφόρον γείνησε παλαίφατος αἰών,
Καῖσαρ, τῶν τεράτων οὔτις ἂν ἔσχε λόγος·
Τὸν ταῦρον Μαραθών, Νεμέη σκιόεσσα λέοντα,
Μαίναλος Ἀρκαδίης οὐκ ἂν ἔτρεσσε κάπρον.
Τοῦ που δεξιτερῇ μόρος ἂν πέλεν ἀθρόος Ὕδρης.
Καί κε μιῇ πληγῇ πέφνε Χίμαιραν ἅπαξ.
Καὶ μόνος ἂν πυρίπνοους δίχα Κολχίδος ἔκταμε ταύρους·
Μοῦνος ἂν Ἡσιόνην λῦσε καὶ Ἀνδρομέδην·
Ἀλλ' Ἡρακλῆος περιφερέσθω δωδεκάεθλον·
Μεῖζον ἔφυ, καθελεῖν δώδεκα θῆρας ἅπαξ.
D

DOMITIVS CALDERINVS.

SÆCVLA *Car.*] Laudatur iterum Carpophorus, quòd solus plures feras interfecerit, quàm omnes, qui monstra domuisse dicuntur.

NVLLVM *opus.*] i. nullus labor fuisset hominibus in monstris.

TVLISSET.] Natus esset.

MARATHON.] Vrbs est non procul ab Athenis, ad quam Hercules abegit taurum ex Creta, amatum à Pasiphaë: quem taurum illic postea domuit Theseus. Plutar. & Diod. testes.

MARATHON *non timuisset.*] Quia cum aprum Carpophorus interfecisset.

ARCAS *Ma.*] De apro Erymantheo intelligit: quem Hercules interfecit.

MÆNALIVM.] Mænalus mons Arcadiæ.

NEC *armata manus hydra.*] Hydram lernæ intelligit, quam octo capita habêtem Hercules oppressit.

VNA *mors.*] Vno certamine superasset hydram, quod Hercules non potuit.

CHIMÆRA.] Monstrum (quod Lyciæ montem interpretamur) domitum à Bellero, filio Glauci.

SEMEL.] Vno ictu.

IGNIPEDES.] Tauri euomentes ignem custodiebant vellus aureum, eos superauit Iason ope Medeæ.

SINE *Colchide.*] i. sine ope Medeæ: quod non potuit Iason.

HESIONE.] Filiam Laomedontis obiectam monstro marino, & deuinctam saxo liberauit Hercule, cum illac pugnaret vnà cum Argonautis.

ANDROMEDEN.] Cephei filia fuit regis Æthiopum monstro data: eam liberauit Perseus pactus eius nuptias. Hæc erat in Ioppe portu: Plin. Ouid. Prop.

EXOLVIT *duris cantibus Andromedam.*] Pariter eodem certamine Hercu. xij. perdomuit. At Carpophorus. xx. ergo plus egit.

MARCILIVS.

MARTIALI hoc xxiix.

BLANDITVR *Cæsari.*] Rectiùs fuisset, De Carpophoro, vt & epigr. xxiij.

NON *Marathon taurum.*] Male vulgarij de Minotauro accepère, nam est de tauro Marathonio, de quo Tullius iiij. Tuscul. Pausanias lib. i. Plutarch. in Theseo.

NEMEE *frondosa.*] *Frondosa* quia lucus ei vicinus in quo leo Nemeæus. Strabo lib. iix.

LEONEM.] Ex luna monstrorum parente lapsum. Dixi ad epigramm. xv.

HYDRA *mors vna.*] Non multiplex, vt Herculi, siue non renata ei capita essent, vt cum secaret eam Hercules

TOTA *Chimæra semel.*] Vnicâ plagâ, siue triformis, aut semel, quia triplex: non autem multis, vt Bellerophonti Chimæra, & quæ ter interfici potuerit.

IGNIPEDES *tauros.*] Aliis Poëtis æripedes illi tauri, siue spiritu quidem igneo, pedibus autem aheneis. Ouid. lib. vii.

Ecce adamanteis Vulcanum narib. efflant
Æripedes tauri --- Et epist. Medeæ.
Iungis & æripedes in adusto corpore tauros.
Quorum terribilis spiritus ignis erat
Aere pedes solidi --- Valerius Flaccus, siue is C. Balbus est Argonaut. lib. viij.
--- *Dares æripedes in prælia tauros.*

Appollonius Argonaut. lib. iii.

Ταύρω χαλκόποδε, στόμαθι φλόγα φυσιόωντε. Ergo si fortean Valerius *ignipedes* dixit, pro celerrimis, vt Virgil. xi. Æneide de Camilla.

---- *Pernicibus ignea plantis.*

Aut cum scripsisset Valerius noster *æripedes*, Critica plebes fecit *ignipedes*. *Aeripedes* autem celerissimos, vt Virgilij Æneide vi. *Aeripedem ceruam.* Vbi tamen Grammaticorum filij admonent διαιρετικῶς esse Æripedem pro aëripedem. Diomedes c. v. lib. ii. Priscian c. i. lib. xvii. Sosipater lib. iiii. Item Apronianus, alij.

AT Homerus principio Iliadis v. de Neptuni equis agens, distinguit ἵππω χαλκόποδε, equos æripedes, & ὠκυπέτας, siue celeres. Vbi Eustathius χαλκόποδας interpretatus στερεόποδας solidungulos, & ἠχόποδας vngulisonos. At Prudentius etiam pro χαλκόποδας, dixit *æripedes*, non vt alij *æripedes*.

PATET nunc ergo iam alios esse *æripedes*, alios aëripedes: & turbare illos, qui hanc varietatem neglegunt, vt Brodæus Miscell. c. xxix. lib. ii.

VINCERE *sine Colchide.*] Significanter, *sine Colchide*, id est, Medea. Nam turpe viro seruari à puella. Valer. Argonaut. viij.

Qui modo virgineis seruari cantib. Idas Flebat --

SOLVERE & *Hesionem solus.*] At Hercules non potuit solus, sed cum socio Telamone. Iul. Hygin. fabulis c. xxcix. At Straboni lib. xiii. & Apollodoro lib. iii. mentio hic nulla Telamonis. Seruius verò liberationem illam Hesionæ, fabellam esse ait, ad Æneid. i.

ET *Andromedam.*] Persei hoc opus, sed cum capite Medusæ. Ouid. fabul. lib. iiij. Apollodor. lib. ii. Cæsius Bassus in Arati Phænom. qui creditus Germanicus Cæsar. D. Hieronym. epitaphio Paullæ.

HERCVLEÆ *laudis.*] Mitto Theseum, Meleagrum, Bellerophontem, Iasonem, Perseum, ipsius Herculis ærumnas si numeres, plus est quod præstitit Carpophorus.

BIS *denas pariter perdomuisse feras.*] Sic vulgarij, sed meliùs bis senas. Refert enim ad xii. ærumnas Herculis. Et pariter cum dicit intelligi vult vna ærumna, siue labore, non vt Hercules paullatim, & ærumnis xii. Stultula dubitatio est in libro de venatione Circi c. xxviij. hoc velit Martialis, vna plaga bis senas feras confectas à Carpophoro, an eodem die. Et prius illud *verius*, inquit, *esse crediderim.* Imò enim verius vno die muneris, quasi vno labore, siue ærumna. Itaque dixit, *perdomuisse.* Pergit liber ille venatorius exorbitare. *Nec minor*, inquit, *est dubitatio in verbis Claudiani Panegyrico Manlij.*

Audaces legat ipsa viros qui colla ferarum
Arte ligent, certóque premant venabula visu.

Quid sit colla ferarum ligare, nisi forte iugari ad iugum à mansuetarijs accipias, aut iniectu sagi capite obuoluto mitescere, & vincula pati, quod verius arbitror. Hæc liber ille *aneis squamosas pisceis plumatos* scilicet: Nam Claudianum quidem si roges, scripsisse ita vt plebecula nunc habet, negabit: sed

Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte legant, certóque premant venabula nisu.

LEGANT, scmpe ictui destinent, lectísque certo, neque exerrante, aut vacillante nisu imprimant venabula. *legere*, quod plebi mirare, mirer. Itaque & Marcellus *legere*, inquit, *videre. Hoc & aquilegi* Rescribe. *Hinc & aquilegi.* Vult aquilegos dictos, quia legunt, siue vident, siue oculis vestigant aquã, Rectius hoc quàm idem alibi. *Aquilex, aquam colligens.*

LEGERE itaque, videre tanquàm scopum, siue σκοπεῖν. Bonum factum, sic & rescribere hunc Claudiani locum supra in c. De venatione. Σκοπεῖν illud Virgilio *speculari.* Æneide x.

RAMIR. DE PRADO.

HERCVLIS hi labores noti etiam iis qui nondum ære lauantur: sed pugna omnium cominus fuit ab Hercule pugnata, vt videas verum esse, quod superius scripsit de Carpophoro cominus semper feras conficiente, epigramm. 15. & 23. Hic extollit eum, facta comparatione cum Herculis laboribus.

Laus

A

Laus Augusti. XXVIII.

Augusti laudes fuerant committere classes,
Et freta nauali sollicitare tuba.
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in vndis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.
Vidit in æquoreo feruentes puluere currus,
Et domini Triton ipse putauit equos.
Dũq; parat sæuis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quidquid & in circo spectatur, & amphitheatro,
Diues Cæsarea præstitit vnda tibi.
Fucinus, & pigri taceantur stagna Neronis:
Hãc norint vnam sæcula Naumachiam.

Αὐγούστου κλέος. κη'.

Αὐγούστου κλέος ἦν, συμβαλλέμεν ναύμαχα δοῦρα,
Τὴν θ' ἅλα σάλπιγξιν σεῖσαι ἐγερσιμάχοις.
Καίσαρος ἡμετέρου πόση μερίς; ἡ Γαλάτεια,
Χ' ἡ Θέτις ἀγνώστους θῆρας ἐν ὕδασ' ἴδον.
Εἶδον ζεννυμένους δίφρους ἁλὸς ἐν σταδίοισι·
Δεσποσύνους Τρίτων μώνυχας ἤισκεν ἰδεῖν·
Ἤδη καὶ νηυσὶ κρυεροῖς ἔντυνεν ἀέθλοις
Νηρεὺς, πεζεύειν κύματ' ἀπηνάμενος.
B Ὅσσα παρέσχεν ὁρᾶν Ἱππόδρομος, ἠὲ θέατρον,
Τῶνδε ποιεῖ, Καῖσαρ, σοὶ ἴσον ἀφνειὸν ὕδωρ.
Φύκινος, ἠδ' ἀργοῦ λίμναι σιγῶντο Νέρωνος·
Τῆσδε μιῆς αἰὼν ναυμαχίης ἀΐοι.

DOMITIVS CALDERINVS.

AVGVSTI *laudes.*] Anteponitur Naumachia Domit. classi Augusti: qua superatus est Antonius: quoniam non modo sit pugnatũ, sed etiam nymphæ, & alia maris numina repræsentata: & præterea ludi editi, qui in terra solent spectari. Iubet igitur poëta omissa Naumachia Claudij: quæ olim erat celebris, & Neronis vnam hanc celebrari. Placet, vt potiùs intelligas de vera pugna aduersus Antonium, quam de Naumachia, quam edidit Augustus. vel certè de exercitatione classium Augusti in Lucrino lacu intelligit, vbi tota hyeme copias ad bellum Siculum, authore Tranquillo, exercuit.

QVOTA *pars est hæc.*] Quasi dicat minima pars eorum, quæ vidimus admiratione digna.

TRITON.] Salaciæ & Neptuni filius: & eiusdem numinis tubicen ferarum: quia in mari edidit lusus ferarum, & venationes.

DOMINI.] Neptuni solum erat in mari: in quo ludi, & venationes exercebantur.

IRE *pedester.*] Placet tamen, vt intelligas eas feras natasse: quoniam Tranquil. scrib. ita factum esse in Naumachia Neronis.

SÆVIS *ratibus.*] Quæ illic erant.

DIVES.] Plena ludorum.

IN *circo.*] aliquando dabantur ludi.

FVCINVS.] Claudius edidit pugnam naualem in Fucino Marsorum lacu: Ita, vt renuentes pugnare, ex littore, nunc adhortationibus: nunc minis, in certamina impulerit: repræsentato etiam Tritone tubicine, emergẽte ex medio lacu, per machinã. Classis Rhodia, & Sicula congressæ sunt: author Suet.

FVCINVS.] Naumachia Claud.

PIGRI *Nero.*] Nero dedit Naumachiam aqua marina inducta: in qua natarunt feræ.

PIGRI.] Quia nulla exercitatio fermè in illis fuit, præsertim si conferatur Naumachiæ Domitiani.

MARCILIVS.

Hæc à plebe numeratio, Martiali autẽ, hoc ep. xxix.

LAVS *Augusti.*] Ita Blennus hic, quiqui ille Grammatici sublingio, qui titulos his epigrammatis fecit, vt quid principium huius epigrammatis est, *Augusti laudes*, lemma fecerit, *Laus Augusti.*

SIC alius huic geminus germanus epithalamium Catulli de nuptiis Pelei indigetauit *Argonautica*, quia principio epithalamij, mentio Argonautarum est.

AVGVSTI *laudes.*] Ediderat Augustus olim naumachiam, de qua Sueton. Augusti c. xliii. Tacit. an- C nali xii. huic anteponit Valerius noster Domitiani naumachiam, quam is dedit *effoso & circumstructo iuxta Tiberim lacu* Sueton. Domit. c. iv. Dio Domit. qui ait ἐν καινῷ τινὶ χωρίῳ, &c. *in nouo quodam loco*, intelligens scilicet de nouiter *effoso & circumstructo lacu.*

COMMITTERE *classes.*] Dilogia. *Classes*, vel in naumachia, vel in pugna Actiaca.

NAVALI *tuba.*] Tuba in naumachiis, vt Æneide v. Naualis autem tuba propriè classicum. L. Asc. in Diuin.

VIDIT *in vndis.*] Cape de venatione quam edidit Domitianus in aqua naumachiæ, vt & anteriùs Domitiano Titus. Dio in Tito. Et ante Titum Nero, Dio in Nerone, & Sueton. c. xij.

Edoctæ à magistris, siue mansuetarijs feræ natan- D tes, in aqua pugnare similiter vt in arena. Dio in Tito. καὶ τὸ θέατρον ἐξαίφνης ὕδατος πληρώσας, εἰσήγαγε καὶ ἵππους, καὶ ταύρους, καὶ ἄλλα τινὰ χειροήθη, δεδιδαγμένα πάνθ' ὅσα ἐπὶ τῆς γῆς πράττειν, καὶ ἐν τῷ ὑγρῷ. Dico Latinè. *Etiam theatrũ desubito impleuit aqua, & introduxit equos & tauros, aliaque id genus cicuria, edoctaque facere in aqua perinde omnia, vt in terra.* Eiusdem ferè sortis & venatio Carini de qua Calpurn. Ecl. vii.

Nec nobis tantum siluestria cernere monstra
Contigit, æquoreos ego cum certantibus vrsis,
Spectaui vitulos, & equorum nomine dignum.
Sed deforme pecus quod in illo nascitur amni,
Qui sata riparum venientib. inrigat vndis.

ET *Thetis & Galatea.*] Natatrices sub persona Thetidis, & Galateæ.

IN *æquoreo puluere.*] In puluere excitato in pontibus quib. aqua instrata, vt in his equi decurrerent tanquam in circo. Eiusmodi pontes in munere Claudij apud C. Tacit. annali xij.

E

E t *Triton.*] Sic Triton argenteus in Claudij naumachia. Sueton. c. xxj. A

Ipse.] Significanter, *ipse*, nempe cui notissimi equi Neptunini, quippe filio Neptuni ac tubicini. Ouid. fabul. lib. 1. Neptunus,

Caeruleum Tritona vocat---&c.

Domini] Neptuni, qui Tritonis dominus, siue pater. Romanicè dominum pro patre dixit. Romae patres salutari à liberis suis domini, vt Suetonij Aug. c. liij. Martial. epigr. xxcvj. lib. i. Ail. Lamprid. epist. Diadumeni.

Pvtavit *equos.*] Equis Neptunus inuehitur, quos pingit Homerus Iliade xiij. Papinius Thebaide ii. Legend. Eustath. ad Homeri locum antedictum. Etiam Fluuijs, equi sui ad currum vt Albinouani cōsolatione ad Liuiam. ii. Hippopotami.

Sed equos intellige marinos, siue hippocampos, vt rectè Philostrat. in imaginibus.

S aevis *ratibus*] Liburnis. Horat. oda penult. Li. ---*Ferocior saeuis liburnis.*

Nerevs] Aliquis specie Nerei instruens aciem naumachiae, non pedester, sed eques, equo si forte innatante aquis.

Dives *Caesarea*] Rescribe. Caesareo, diues. Sic epigramm. i. *Caesareo amphitheatro.*

Fvcinvs] Metonymicè, Fucinus pro Claudii naumachia edita in Fucino lacu. Dio lib: liix. Suet. Claud. c. xxi. C. Tacit. lib. xii. Plin. c. xv. lib. xxxvi.

E t *stagna*] Metonymicè *Stagna Neronis*, Neronis naumachiae. Neronis duae naumachiae. Hinc illud L. Senecae epist. lxx. *Secundo naumachia spectaculo.* Ac Dio quidem in Nerone, expressim duas eius memorat naumachias: Suetonio autem c. xii. mentio vnius tantùm.

Iam illud Valerius noster dixit vituperanter *stagna Neronis*, vt & Papin. lib. iv. Siluar. *Paludes,*

Inducis Nero sordidas paludes.

A t in laude vndam parem fretis, aut Pontum dixisset, vt laudans Domitiani naumachiam epigr. xxiv. Et aequor epigr. xxvii.

Pigri *Neronis.*] Bene ad stagna iunxit nomen pigri. Nam etiam stagnum, aqua stans & quasi pigra. Lucan. lib. v. ---*Dum se torpentibus vnda*

Excutiat stagnis ---Silius Ital. lib. ix.

Lenta paludosae proscindunt stagna Rauennae.

Propert. el. vlt. lib. iv. *Paludes vnda lenta.*

Piger autem Nero, quia οὐ φιλοτεχνήματος, ὁ τῇ σχολῇ χαίρων. *Refugiens negotia, & gaudens quiete.* Dio Nerone. Sueton. Nerone c. xlii. Et quia non auxit imperium. Sueton. c. xviij.

Ἀστεϊσμὸς in nomine Neronis. Nero enim Sabinum nomen denotans fortem ac strenuum A Gell. c. xxi. lib. xiii. Sueton. Tib. c. 1. Vrbanè itaq. dictus *Nero piger.* Sic Nero ipse nomen suum tangit Suetonij c. xlix. οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει, &c.

RAMIR. DE PRADO.

Ebrivm lemma, *Lam Augusti.* melius fuisset *Augusti laudes.* quod sic incipiat epigramma, vt mos est Iurisconsultorum. Repone, *De Naumachia Caesaris.* Et semel te admonebo, ne fidas Lemmatis quòd à Grammatistis ignaris plerúmque conficta sint vsq; ad libr. 13. cuius & 14. Lemmata apposita sunt ab ipso Martiale, vt idem ipse monet, epigr. 3. lib. 13.

Addita per titulos sua nomina rebus habebis:

Praetereas, si quid non facit ad stomachum.

Et epigramm. 2. lib. 14.

Lemmata si quaeris cur sint adscripta? docebo:

Vt si malueris, lemmata sola legas.

Sed de epigraphis corruptis in omnibus ferè auctoribus longum esset disputare. Isti scioli improbè faciunt, qui in alieno libro ingeniosi sunt, sed nō improbe facerent, si ingeniosi essent. In hoc epigr. Naumachiae ludos à Tito commissos, de quibus Suet. c. 7. describit, eósque praefert Augusti praelio Nauali.

1 Vidit *in aequoreo feruentes puluere currus.*] Epitheto proprio vsus est, & imitatus veteres. Virgilium 3. Georg. v. 107. ---*volat vi feruidus axis.*

Et 11. Aeneid. v. 195. ---*feruentésque rotas.*

Horatium lib. 1. carm. ode. 1.

---*metaque feruidis euitata rotis.*

C Sic corrigo Manilii locum, lib. 4. qui sic legitur,

At quibus in bifero centauri corpore sors est

Nascendi concessa, libet coniungere currus:

Ardentes & equos ad mollia ducere frena.

Interpungo, --*libet coniungere currus Ardentes.*--

Vt illud epitheton nomini currus aptetur, non equis. Cetera, quae pertinent ad huius epigramm. explicationem satis sunt ab interpretibus consarcinata.

XXIX.

Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset & aequalis Mars vtriusque diu,
Missio saepe viris magno clamore petita est:
Sed Caesar legi paruit ipse suae.
Lex erat, ad digitum posita concurrere palma.
Quod licuit, lances, donaque saepe dedit.
Inuentus tamen est finis discriminis aequi.
Pugnauere pares; succubuere pares.
Misit vtrisq; rudes, & palmas Caesar vtrisq;
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc, nullo nisi te sub principe Caesar,
Cum duo pugnarent, victor vterque fuit.

ΔΔΠΙΙΙΙ.

Ὡς εἷλκεν δηρὸν Πρίσκος καὶ Βῆρος ἀγῶνα,
Ἔπλετο δ' ἰσοπαλὴς ἀμφοτέροισι μάχη,
Πᾶς ὅμαδω θορυβῶν ἄφεσιν τοῖς ἀνδράσιν ᾔτει.
Καῖσαρ δ' σφετέρης εἴχετο συνθεσίης.
D Σύνθημ' ἦν, λαχμῷ λιχανῷ τὸ βραβεῖον ὀμόργειν.
Σκεύεα δ', ὅσσ' ἐξῆν, δῶρά τε πόλλ' ἐδίδου.
Εμπης δ' ἀμφιβόλοιο τέλος ἐξεῦρεν ἀέθλοις·
Ἰσόπαλοι μάρναντ'· ἥττηντο ἰσόπαλοι.
Πέμψ' αὐτοῖς ῥάβδους, καὶ νικητήρια Καῖσαρ·
Εὔστοχος ἠνορέη τοῦτ' ἀπένεικε γέρας·
Οὐ συνέβη τόδε, Καῖσαρ, ἐπ' ἄλλου, πλὴν σεῖ, ἄνακτι·
Διαοῖν μαρναμένοιν, τὼ δύο νίκος ἔφυ.

RAMIR. DE PRADO.

Bene meritus est de editione sua Raderus qui politissimum epigramma quod Iosephus Scaliger in Catalectis primus publicauit, si non Martialis, Martiale certe dignum, hoc loco apposuit. Cumulasset hoc beneficium Raderus, si id intellexisset. Sed quia hoc præstare non potuit, veram interpretationem apponam.

Dederat populo Cæsar, siue Titus, siue Domitianus vnum par nobilium gladiatorum, Priscum & Verum. Hi commissi inter se, cùm vterque strenuus esset æquo Marte, longo temporis spatio pugnarũt. Populus miseratione commotus, quæ promior est in fortes, quàm in ignauos, teste Cicerone, missionem vtrique à Cæsare flagitabat. Erat autem missio quoties victus gladiator eripiebatur victori, nec sinebatur, occidi, vt verè Lipsius sentit lib. 2. Saturn. cap. 21. sed Cæsar legem suam voluit potius obseruare quàm concedere populo hanc missionem. Erat autem lex ab ipso Cæsare in hoc ipso certamine his duobus gladiatoribus scripta, Ne alteruter ad positam palmam concurreret, antequam alter se victum esse fateretur. *Nec enim*, ait vetus Poëta, *Vicit qui victor est, nisi qui victus esse fatetur.* Hæc confessio fiebat à victo per digiti sublationem: nam tollere digitum, est se victum fateri, vt epigr. 64. l. 5. *Nam mea* (supellex) *iam digitum sustulit hospitibus*, id est, iam se victam fatetur esse. Videndum Adagium, Tolle digitum. Hoc significatur disertè illo versu.

Lex *erat ad digitum posita concurrere palma.*] Hinc restituo Latinæ linguæ parœmiam hactenus à nostris ignoratam, *pugnare ad digitum*. id est, sine spe missionis quo ad vsque gladiatorum alter digitum

A tollat, id est, victum se fateatur. Illud enim (*ad digitum*) est vsque ad sublatum digitum. Quintil. lib. 8. cap. 5. *Contra eandem sororem gladiatoris, cuius modò feci mentionem*, *At Digito pugnaui.* vbi omnes operæ Criticæ (*ad digitum mihi pugna est*) reponunt. Sed paulò ante ἐν τῷ τοιῷ sororis gladiatoris eiusdem. *Erat*, inquit, *dignus, vt haberes integram manum. Sic enim auditur vt depugnares.* Viden' verborum scopulos? Quid monstri aluerunt, & obtruderunt nobis operæ typographicæ? Non intellecto Adagio nostro, misere locum hunc deformarunt. Agebat in ea Declamatione gladiator quidam cum sorore talionis, quòd ei pollicem dormienti recidisset, ne deinceps ad ludum, à quo sæpius a sorore redemptus fuerat, reuerteretur. illa per τόμα (quòd est quando ea quæ non dicuntur intelligi volumus tectisque verbis significamus.) *Erat* (inquit) *dignus vt haberes integram manum. Sic enim ad digitum depugnares.* Et ita
B omninò legendum est, Significat vulgari sensu, *depugnares*, ne tibi digitus amputaretur: sed recondito sensu *depugnares* cum compare gladiatore vsque ad digiti sublationem. Quamuis autem Cæsar suæ legis iure obstrictus, missionem non concessit hisce gladiatoribus; tamen iisdem ipsis sæpe in ipso pugnæ spatio dedit lances, id est, edulia (ex iis quæ fortè populo parata erant) vt reficerent vires, & dona, vt excitarentur ad ipsam pugnam. quod salua lege licuit hi tamen simul mutuis vulneribus cecidere vulnerati: ita vt pugnare amplius non possent, sed remanserunt viui. Et Cæsar qua erat benignitate, vtrique misit rudes, quod erat signum perpetuæ missionis, & vtrique palmas, quod erat signum præsentis victoriæ. Hic locum habuit gratum Poëtæ acumen,

Cum duo pugnarent, victor vterque fuit.

XXX. C ΔΔΔ.

Concita veloces fugeret cum dama molossos,
Et varia lyncas necteret arte mora,
Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti
Constitit, & prædam non tetigere canes.
. . . .
Hæc intellecto principe, dona tulit.
Numen habet Cæsar, sacra est vis, sacra potestas:
Credite: mentiri non didicere feræ. D

Πρὸξ κερόεσσα, κύνες πόδας ὠκέες ὥς μιν ἤλαυνον,
Ἠδ' αὐτοῖς σκολιαῖς εἶλεν ἐλέφαιρε τέχναις,
Ἡγεμόνος παρὰ ποσσὶ γονυσαμένη, οἷα προσοίκτις·
Ἔστη· τῆς δ' ἄγρης οἱ κύνες οὐκ ἔθιγον·
. . . . .
Τὴν δ' εὗρε χάριν, Καίσαρος αἰσθομένη.
Καῖσαρ ἔχει τι σέβασμα, σέβας ἴστε· τὸ κράτος αὐτοῦ
Ἱερόν· αἱ θῆρες ψεύδεος εἰσ' ἀδαεῖς.

Ad Cæsarem XXXI.

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat Cæsar qui placuisse tibi.

Πρὸς Καίσαρα λα'.

Ἵλαθι αἰφνιδίοις. οὐκ ἄξιος αὖ δυσαρεστεῖν
Ἔστ' ὁ σοὶ ἀρέσαι, Καῖσαρ, ἐπισπεύδων.

Alterum.

Cedere maiori, virtutis fama secunda est.
Illa grauis palma est, quam minor hostis habet.

Ἄλλο.

Μείζονι εἴκειν, ἀρετῆς πέλε δεύτερον ἆθλον.
Ἀντιπάλῳ δ' εἴκειν ἥσσονι, μεῖζον ἔφυ.

RAMIR. DE PRADO.

Hæc duo postrema epigrammata duobus Distichis contenta aut corrupta, aut Martiale indigna sunt.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER PRIMVS.

SVMMA.

Quoniam iam animum ad ſcribendum appellere Val. Mar. decreuerat, & epigrammaton hoc ipſum opus, cùm ſtatuiſſet in lucem emittere id ſibi negocij credidit ſolùm dari, vt nequid ſuis in libellis tradi ſperaret, quo quiſpiam de ſe bene ſentiens, conqueri poſſet: Ludere enim (ſalua infimarum perſonarum reuerentia, quod ne à priſcis quidem obſeruatum eſt, quàm plurimis) ſe affirmat. Si quis autem nimis ſuperciliosus adunco naſo, laſciuiam, ac petulantem verborum damnandam cenſeat licentiam, meminiſſe debeat improbè facere, qui in alieno libro ſimplicitate gaudente, ingenioſè cenſuram agit. Et quippe dignus eſſet qui excuſaretur, ſi omnium primus ipſe Poëta extitiſſet, qui in hoc ſcribendi genere, manum appoſuerit. Verùm cùm eruditi quàm plurimi id ipſum fecerint, vt & Catullus, Marſus, Pedo, ac Getulicus: immeritò, ac temere Naſutuli illi veluti Cimmeriis obuoluti tenebris, id damnandum putant, quod luſui poetarum permittendum foret. Itaque hoſce Catones, cenſet author non admittendos in theatrum ſuum. Quibus tamen ſi ingreſſus patuerit, ſpectatores, haud naſuti cenſores ſe præbere ſciant: Ceterùm iure ſuo poëta feciſſe aſſerit, ſi ad quod animum adiungere ſtatuiſſet, conferat ſe.

SPERO me ſecuturum in libellis meis tale temperamẽtum, vt de illis queri non poſſit, quiſquis de ſe bene ſenſerit, cùm ſalua infimarum quoque perſonarum reuerentia ludant, quæ adeò antiquis auctoribus defuit, vt nominibus non tantùm veris abuſi ſint, ſed etiam magnis. At mihi fama viliùs conſtet, & probetur in me nouiſſimum ingenium. Abſit à iocorum noſtrorum ſimplicitate malignus interpres, nec epigrammata mea ſcribat. Improbè facit, qui in alieno libro ingenioſus eſt. laſciuam verborum licentiam, id eſt epigrammatõ linguam excuſarem, ſi meum eſſet exemplum: ſic ſcribit Catullus, ſic Marſus, ſic Pedo, ſic Gætulicus, ſic quicunque perlegitur. Si quis tamen tam ambitioſe triſtis eſt, vt apud illum in nulla pagina Latinè loqui fas ſit, poteſt epiſtola, vel potius titulo cõtentus eſſe. Epigrammata illis ſcribũtur, qui ſolent ſpectare Florales. non intret Cato theatrũ noſtrũ; aut ſi intrauerit, ſpectet. Videor mihi meo iure facturus, ſi epiſtolá verſibus clauſero.

DOMITIVS CALDERINVS.

SPERO *me ſecuturum.*] Scribit hoc nunc, vt demum ſit editurus librum, & hæc epiſtola appoſita eſt libro confecto.

QVISQVIS *de ſe bene ſenſerit.*] Id eſt, quicunque ſibi conſcius non ſit, & ſit vir bonus, nõn poterit de me conqueri.

VERIS *nominibus.*] i. nudis nominibus.

CONSTET *mihi fama vilius.*] Id eſt, detur mihi fama viliore genere ſcribendi.

NOVISSIMVM.] i. hoc vltimum ſcribendi genus, & infimum, quia tantum in iocis verſatur.

MALIGNVS *interpres.*] i. abſit, qui omnia interpretatur in malam partem.

SI *meum eſſet exemplum.*] i. ſi ego eſſem primus, qui in hoc genere ſcriberẽ, & eſſem exẽplũ poſteris.

NON *intret Cato theatrum noſtrum.*] Reprehenditur ſub perſona Catonis ille, qui cœpit legere Epigrammata, & ſtatim damnat propter laſciuiam: nam qui accedit ad ea legenda, ita eum oportet eſſe certi, & conſtantis animi, vt non offendatur eorum laſciuia, immò, inquit, allectus es ad hæc legenda propter laſciuiam, perſta igitur.

RAMIR. DE PRADO.

CONTINET hæc epistola Martialis mentem; qui nullo epigrammate quemquam læserit, nec vero nomine quemquam appellarit in illis epigrammatis, quibus aliquod vitium taxat, & excusat lasciuam verborum licentiam huius Poëmatis propriam. Est autem epistola elegantissima & miri artificij.

1 DE *se bene senserit.*] rectè Domitius, à quo non rectè deuiat Raderus, dum existimat, de aliis bene rectéque existimauit, significari: nam *quisquis de se bene senserit*, significat, quisquis peccata, quæ sub fictis nominibus à me reprehendentur, nulla ratione ad se pertinere existimabit, sicque de me non poterit queri. Sed si sibi conscius fuerit eius criminis, quod ego reprehendo, & noluerit se scire & mores suos cognoscere (*hominem* enim *pagina nostra sapit.*) succensebit forte. nam vt inquit Seneca, epist. 43 *Mala conscientia etiam in solitudine anxia atque sollicita est.* De Iugurtha Salustius loquens in eiusdem bello. *Rursus*, inquit, *cœpit flectere animum suum, & ex mala conscientia digna timere.* Sed vide in hunc sensum epigramm. 93. lib. 9. obscurissimum de Athenagora.

2 VT *nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis.*] *Nomina vera*, appellat nomina propria virorum aut feminarum: & quamuis videatur hæc vox magis idonea & propria ad hanc notionem, non est tamen. Sed quæ est, inquis? *Vocabulum* illud enim à noscendo quasi nouimen: hoc autem à vocando, quod proprium est & prius. Sed nota pulcherrima exempla veterum. Ciceronis lib. 1. de nat. Deorum. *Chaldei non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati*: & ibidem, *res vtiles & salutares Deorum esse vocabulis nuncupatas.* Apuleius Metamorph. libr. 2. *Hic, vt pote viuus quidem, sed tantum sopore mortuus, quod eodem mecum vocabulo nuncupetur, ad suum nomen ignarus resurgit.* Et Seneca epigramm. 59. cuius initium. Quanta verborum, cùm τὸ ὂν fuisset interpretatus, *quod est*, addit. *Sed multum interesse video, cogor verbum pro vocabulo ponere.* Eodem modo Tacitus Annal. libr. 1. *Eadem*, inquit, *magistratuum vocabula*: & idem lib. 13. *Ceterum infracta paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem liberta, cui vocabulum Acte fuit.* Martianus item Capella bonus Latinitatis author, primo secundo libro de Philologia conquirente ex nuptiali numero an sibi Mercurij coniugium expediret, inquit, *Moxque nomen suum Cylleniique vocabulum.* Et paulò inferiùs de eadem Philologia, *suum quoque vocabulum per septingentos viginti quatuor numeros explicatum*, &c. Vbi vides, quod prius dixerat *nomẽ suum*, synonymικῶς deinde *vocabulum suum* appellasse. Sic etiam Imp. Iustinianus in l. 1. Cod. de nouo Cod. faciendo. *Vno autem*, inquit, *codice sub felici nostri Numinis vocabulo componendo.* Et Vlpianus in l. 4. ꝑ. 1. de legat. *Si quis in fundi vocabulo errauit* (id est, in nomine proprio fundi.) *Et Cornelianum pro Semproniano nominauit*: Et paulò post. *Rerum enim vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia.* Hinc intelliges eiusdẽ Vlpiani verba in l. Natura 4. ꝑ. de præscr. verb. *Natura enim conditum est, vt plura sint negotia, quàm vocabula.* Quæ significant plura esse negotia, quàm quę nominibus propriis possint appellari. Nec intelligas cum Accursio pro negotiis *actiones*: interpretatur enim *Vocabula, scilicet actionum.* Si igitur plura sunt negotia quàm vocabula negotiorum, &

A vocabula negotiorum interpretatur, vocabula actionum, intellexit Accursius nomine negotiorum, *actiones* tantum ibi comprehendi, deceptus superiori textu in l. Nam cum, quæ de nominibus actionum agebat. Hæc autem lex præcedentium eius est ætiologia, & ideò vniuersim est accipienda: Et negotia (quæ Græcè πράγματα) res omnes significant. Sunt ergo plures res quàm quæ possint propriis vocabulis notari: vt plures actiones quàm vocabula actionum: plures cõtractus, quàm vocabula contractuum; quæ vtraque sub actionem vnam veniunt, *Præscriptis verbis*: Et plura crimina quàm vocabula & propria nomina criminum. Vnde natum est nomen cuiuscumque criminis vocabulo carentis, vt crimen Stellionatus vocetur noto titulo in Pandectis, cuius rationem discimus ex Plinio, lib. 30. cap. 10. *Quoniam*, inquit, *nullum animal fraudulentiùs inuidere homini tradunt: inde Stellionum nomen aiunt in maledictum translatum.* B Hoc testimonio Plinij, intelligimus fraudulentos homines, *Stelliones* vocitatos olim, & hac de causa, *Stellionatus crimen*, id dici, quod vocabulo caret, quo facilius homines decipiuntur & in fraudem incidunt, cùm nec cogitantes his fraudibus capiatur. Quod nõ accidit in aliis deceptionib⁹ quę notæ sũt vocabulis suis, & quæ possũt facilè præuideri.

3 AT *mihi fama vilius constet.*] Id est, nõ tanti mihi sit argutum videri in epigrammatis meis, vt id velim lædendis aliis comparare. Idẽ testatur, lib. 7. epigr. 11.

Vt mea: nec iustè quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet. Et paulò post.
Ludimus innocuis verbis. —— Et lib. 10. epigr. 3.
Cur ego laborem notus esse tam praue,
Cùm stare gratis cum silentio possim.

Vbi *gratis* posuit per amplificationem, est enim magis, quàm vilius.

C 4 ET *probetur in me nouissimum ingenium.*] *Nouissimum* interpretatur Raderus tardissimum & stupidissimum: stupidè me hercle. Dixerat Poëta, fama mihi vilius constet, quam antiquis auctoribus cõstitit, qui lædendis magnis viris, eam sibi apud vulgus compararunt: Nunc addit *hoc*, id est, comparare famam vilius, ingeniosa res est, & noua nulli ante cognita. Hoc igitur ingenium nouissimũ volo in me probari.

5 ABSIT *à iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres.*] Et ne hanc ingenij laudem amittam, absit interpres malignus, qui mihi eam præripiat, nec sinat vilius mihi constare.

6 NEC *epigrammata mea scribat.*] Malignus interpres posset inscribere, id est, vbi ille fictis nominibus vtitur, subscribere vera earum personarum, ad quas vitia reprehensa possent quoquo modo pertinere: Hoc vetat fieri, & improbitatis accusat eum, qui hoc facturus sit. Quod, vt ego interpretor, attigisse videtur Iurisconsultus in l. Cornelia. 5. §. eadem pœna 10. ꝑ. de iniuriis, dũ inquit: *Eadem pœna, & Senatusconsulto tenetur is, qui ἐπιγράμματα aliudve quid, sine scriptura in notã aliquorum produxerit.* Quid enim τὰ ἐπιγράμματα significare possunt, quã inscriptiones, quas hic noster merito suggillat & reprehendit? Præsertim quũ in aliis ἐπιστολὴν legatur. i. lẽma, titulum. Quid? quòd si aliter intelligãtur hæc verba, nullo modo sequentia, *emendum vẽdendumve curauerit*, aptare potes. *Improbe*, inquit, *facit qui in alieno libro ingeniosus est.* Frustra Petr⁹ Nãnius, li. 9. c. 4. τὸ *scribat*, interpret.

7 AMBITIOSE *tristis.*] Ambitiosum Latinè affectatum significat. noster lib. 6. epigr. 80.

Vt noua dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus,
Miserat hibernas ambitiosa rosas.

Et lib. 12. epigr. 67.

Est autem amplificatio summa suæ gloriæ, quòd viuus eâ fruatur: Nam rarò viuentes, excellentes viri laudantur. Caussam Horatius prudenter reddit, epist. 1. lib. 2.

Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.

Et ode 24. lib. 3. carm. ---*quatenus heu nefas,*
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Et Ouidius extrema elegia vltima lib. 1. Seneca, lib. 6. de benefic. cap. 8. *Non referam tibi Socratem, Chrysippum, Zenonem & ceteros magnos quidem viros: Maiores tamen, quia in laudem vetustorum inuidia non obstat.* Et Plinius Iunior prudenter Septimum Clarum monet, vt opera Popeij Saturnij legat, & addit: *Neque debet operibus eius obesse, quod viuit.* & Suetonius, Othonem, ait in eius vita, cap. vlt. incolumem grauissimè fuisse omnes detestatos, mortuum verò laudibus tulisse. Et hic noster elegantissime, lib. 5. epigr. 13.

Esse quid hoc dicam viuis quod fama negatur, &c.

Et epigr. 14. eiusdem libri eadem sententia dixit.

Quódque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.

Viuus igitur eam famam consecutus sum, quam vel mortui rarò.

Ad Lectorem, vbi libri venales. II.

Qui tecum cupis esse meos vbicúmq; libellos,
Et comites longæ quæris habere viæ;
Hos eme, quos arctat breuibus membrana tabellis:
Scrinia da magnis, me manus vna capit.
Ne tamen ignores vbi sim vænalis, & erres
Vrbe vagus tota: me duce, certus eris.
*Libertum * docti Lucensis quære Secundum*
Limina post Pacis, Palladiúmque forum.

* Vide Turneb. lib. 18. cap. 1.

DOMITIVS.

QVI *tecum*] Docet hos, vbi sint libelli sui vænales.

QVOS] Libellos.

MEMBRANA *arctat*] i. qui exiguo volumine sunt compacti.

SCRINIVM] Vetustissimum verbum, i. capsa erat in qua res preciosiores seruabantur, & Mithridates epistolas grauiores, & Darius vnguenta seruarunt.

DA *ma.*] Id est repone magnos libellos in scrinijs.

ME *manus vna capit*] Libri qui possunt capi vna manu, Enchiridia dicuntur.

VBI *sim venalis*] i. vbi sint venales libri mei.

SECVNDVM] Secundus scriba fuit Otho. authore Plutarcho, qui mortuo principe, cùm ad tempora Domi. superuixisset iuncta familiaritate cum Mart. eius carmina, priusquam ederentur, legebat tanquam censor. Alibi Mart. *Quod si legeris ista cum diserto, Sed nunquid simus improbi.*

SECVNDO] Quòd autem dicat se venalem apud Secundum, non mirum, Nam bibliopolæ erant apud antiquos doctissimi, librósque nouos ab authoribus rogabant, vt non minus censores essent, quàm venditores: non placet intelligas de Plin. Secundo.

A

LIBERTVM] Grammatice in libertis maximè floruit.

LIMINA *pacis*] id est, post templum pacis, quod condidit Domi. propè porticum Liuiæ,

PALLADIVMQVE *forum*] id est post forum, iuxta quod erat templum Palladis, vt inquit Papinius. potes & de foro nuper condito à Domi. intelligere, quod postea Neruæ est appellatum.

RAMIR. DE PRADO.

Certiorem facit lectorem vbi sit libellos suos inuenturus venales.

B

1 QVÆRIS *habere.*] Græca phrasis ζητεῖς ἔχειν, *vis habere.* A verbo *quæro* hac notione sumto, dicimus Hispani, *querer, quieres tener.*

2 COMITES *longæ viæ.*] Publius Syrus Mimorum scriptor, in fragmentis Poëtarum Henr. Stephani: *Comes facundus in via pro vehiculo est.*

Comites igitur longæ viæ, lector sumet libellos hos facundos. Sic intelligendus Quintiliani locus, quem audiui à M. Baltasaro de Cespedes, mihi multis nominibus venerando, linguæ Latinæ Cathedræ summo moderatore, præceptore meo: cuius auspicijs hoc onus meis humeris imponere sum ausus, & ijsdem ad maiora in dies me conferam (cuius etiam ingenitam nobilitatem, acre iudicium, summam prudentiam, & rerum omnium cognitionem, meritò suspicio, & vehementer miror) audiui, inquam, ignoratum à Ferdinando Pintiano, (vulgus Græcum commendatorem appellat,) Rhetoricæ, Græcæque linguæ Salmanticensi professore, locus est cap. 4. l. 1. vbi Fabius inter alia Grammatices encomia; eam dulcem Secretorum Comitem appellat. Referebat Pintianus, hoc dictum ad notas & tectam scribendi rationem, qua, secreta ne vulgentur, solent inuolui (*cifram communiter dicunt*) quòd & eius pingendæ & explicandæ normam, Grammatica præscribat: Sed fallebatur, vir alioqui veteribus comparandus: Respexit enim Quintilianus ad poëtarum expositionem, quod proprium est Grammaticæ munus, qua graues viri amplissimis negotijs impediti, quoties se expediunt & secreta petunt, oblectari solent, & animum remittere comitibus libris.

C

3 QVOS *arctat breuibus membrana tabellis.*] Id est qui membranis arctissimis tabellis cooperti, & adaptati sunt. Scribebant enim antiqui in membranis; & libri tabellis, vel citreis, vel alterius materiei includebantur.

4 SCRINIA *da magnis.*] Scrinia à secernendo dicta, quòd ibi secernerentur res, quæ seruabantur. Erant autem capsæ, seu arculæ librorum & scriptorum. Horat. Sat. 1. lib. 1.

D

Iam satis est, ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes.--- Et Ep. 1. lib. 2.
---*vigil calamum, & chartas & scrinia posco.*

Seneca epistola 27. *cum dixisset Sabinus centenis millibus constare sibi singulos seruos, Minoris, inquit, totidem scrinia emisses.* & hic noster infra Epigram. 67.

Quas (curas) nouit vnus, scrinioque signatas
Custodit ipse virginis pater charta.

Et lib. 4. Ep. 33. ad Sosibianum.

Plena laboratis habeas cum scrinia libris.

Et lib. 6. Epigramm. 66. de nugis suis.

Quas & perpetui dignantur scrinia Sili.

Hinc Iurisconsulti Scriniarios vocant Scriniorum principis, vel magistratus præpositos, & magistros, vt in lib. vlt. Cod. de peculio castrensi: Et Alexand. Imp. vt refert Lampridius, suum Vlpianum magistrum scrinij appellabat. itaque *scrinia da magnis*, id est ingentia librorum volumina repone in scrinijs. *me manus vna capit. Me*, hoc est libellos meos, vsitata metonymia, qua auctores pro operibus ponuntur, vt lego Ciceronem, id est opera Ciceronis, sic lib. 14. epigr. 190.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,

Hoc est Liuij historia, & lib. 11. epig. 12.

Te potare decet gemma, qui Mentora frangis.

Id est vasa Mentoris manu fabricata. *Manus vna capit.* Commendat libellos à facilitate gestandi, quod manu possint gestari. ἐγχειρίδιον Græci vocant; libellum exiguum, quem manu versamus. Manuale recentiores dicunt Latinè.

5 V B I *sim venalis*] id est, vbi sint mei libelli venales, eadem Metonymia.

6 L I B E R T V M *docti Lucensis*] Bibliopola erat is Secundus. Erant autem Bibliopolæ, cum Poëtis necessitudine coniuncti, quod Poëtæ his carmina sua dabant exscribenda à librarijs, & vendenda. Bibliopolæ inuicem Poëtarum opera celebrabant. Ridiculus hoc loco Domitius qui putat hunc Secundum eruditum esse oratorem ab epistolis Othonis Imp. de quo Plut. in Othone, quem existimo esse Secun- A dum, quem lib. 5. epigr. 81. disertum, & doctum appellat, & cuius lima poliri vult sua scripta. Cùm hic libertus dicatur, ille verò nobilis fuerit orator, cui Quintil. lib. 12. cap. 10. elegantiam tribuit orationis, & quem in libro de causis corruptæ eloquentiæ loquentem inducit. Quibus cognominem Cæcilium quendam Secundum legimus, lib. 7. epigr. 83. Domitius nullum nouit Secundum, præter oratorem illum, & Plinium, admonetque ne de Plinio Secundo intelligamus. Quasi verò is libertus fuerit; aut Secundi cognomen non sit frequentissimum in Romana historia familijs multis, vt Attiliæ, Aufidiæ, Gabiniæ, Iuliæ, Petroniæ, Pomponiæ, Pliniæ, Publiæ, Salustiæ, Turciæ, & quam commemoraui Cæciliæ. Hic silet vbi opus fuerat latrare adlatrator Georgius Merula. Turnebus lib. Aduersar. 18. cap. 3. vult hoc loco Secundum non esse nomen proprium. Existimat enim libertorum alios primos, & alios secun- B dos fuisse, quod alteri apud Patronum priorem locum, alteri proximum obtinerent. Adducit verba antiquæ cuiusdam inscriptionis: F E C I T S I B I E T P E T I Æ C O L L I B E R T Æ P R I M Æ V X O R I. Nec videt vir doctissimus τὸ P R I M Æ ad τὸ V X O R I referri.

7 L I M I N A *post Pacis.*] Viciniam, vbi habitabat Secundus, describit. Pacis templum fuit foro proximum. Palladium appellabatur forum Romanum ab æde Palladis, quæ in eo fuit: quod etiam Latinum, siue Latium dicebatur.

Ad Catonem. III.

Nosses iocosæ dulce cùm sacrum Floræ,
Festósque lusus, & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato seuere venisti?
An ideo tantùm veneras, vt exires?

Εἰς Κάτωνα γ.

Γνοὺς δ᾽ ἂν ἡδοίης τὴν πανήγυριν Φλώρης,
C Τρυφήν θ᾽ ἑορτῆς, καὶ τὸ δημοτῶν στρῆνος,
Πῶς εἰς θέατρον εἰσίδους, Κάτων σεμνέ;
Μῶν οὐχ ἴδης δ᾽ ἄλλο, πλὴν ἵν᾽ ἐξέλθοις;

DOMITIVS CALDERINVS.

N O S S E S] Alloquitur seueros homines sub persona Catonis, vt hunc suum librum non aperiant, si ipsum perlegere noluerint, vt Cato fecit, qui ex theatro recessit, ne meretricibus nudis impedimento esset, quo minus ludi florales fierent. Legitur de Catone, qui cùm ludi in honorem Floræ Deæ celebrarentur à meretricibus nudis, ingressus est theatrum. Quem cum mulieres viderunt, se nudare noluerunt, tanti viri authoritate permotæ. Cato nunc admonitus ab Cotta recessit ex ipso theatro, cui mulieres nudæ probari non poterant. Mart. igitur vult suum librum, si aperitur, etiam à seueris hominibus perlegi constanter, cum in eo permulta bona sint.

I O C O S A] Propter meretrices nudas, quarum iocis plurimi risus excitabantur.

CHRISTOPH. COLERVS.

N O S S E S *iocosæ*] Hoc epigr. in editione Iunij Plantiniana tertio loco malè poni aio, cùm debuerit primo. Arguunt verba Martialis, quibus epistolam claudit. *Non intret Cato theatrum nostrum, aut si intrauerit, spectet. Videor mihi meo iure facturus, si epistolam versibus clausero.*

RAMIR. DE PRADO.

H O C epigrammate clausit Martialis epistolam præfixam huic libro: itaque in ceteris vulgatis editionibus præter hanc Plantinianam primum est. & hac historia Catonis, & suggillatione intempestiuæ & affectatæ eius seueritatis personatos quosdam Censores taxat, qui liberiora carmina eo sumunt in manus, vt confestim cum supercilio deponant, honestatis laudem ab eorum reprehensione aucupantes, cùm antequam sumerent scirent esse inhonesta.

D 1 I O C O S Æ *dulce sacrum Flora.*] Floralia quæ in Romano Kalendario veteri in 4. Kalend. Maias incidunt, deinde translata sunt ad ipsum mensem Maium, ludi sunt notissimi, & à multis auctoribus celebrati, Plinio, Plutarcho, Macrobio, & ab Ouidio latissimè, lib. 5. Fastorum. Celebrabantur ab impudicissimis meretricibus quippe; cùm ipsa Flora fuerit meretrix. Lactantius lib. 1. *Colebantur ergo illi ludi cum omni lascinia conuenientes memoria meretricis. Nam præter verborum licentiam quibus omnis obscænitas effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc Mimorum funguntur officio, & in conspectu populi vsque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur.* Ab hac mente dicit infra epigr. 36.

Quis Floralia vestit? ----

D. etiam Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei, cap. 26. Multa de hac impudicitia scribit. Cùm igitur Cato,

qui impudicum Floralium morem non ignorabat, hos ludos, quos Mætius Aedilis faciebat, spectaret: Populus, vt Mimæ nudarentur, postulare erubuit. Quod cum ex Fauonio vnà sedente cognouisset Cato, discessit è theatro. Quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus priscum morem iocorum in scenam reuocauit. Hæc iisdem ferè verbis Valer. Max. lib. 2. cap. 10. *Dulce sacrum* appellat, quod populo esset gratissimum. *Iocosam Floram* propter iocos & vulgi licentiam in ijs ludis. Ouid. 5. Fastorum,

Mater ades florum ludis celebranda iocosis.

Et paulò post:

Quærere conabar quare lascinia maior
His foret in ludis, liberiórque iocus.

In hoc autem huius Poëtæ acumen cernere licet, quod quam historiam ceteri ad augendam Catonis maiestatem adducunt, eam ipse in eius reprehensionem detorquet. Meminit eius historiæ & Seneca epist. 97.

2 AN *ideo tantum veneras vt exires.*] Imitatus est hoc Sidonius epist. 5. lib. 1. his verbis, *Brixillum dein oppidum dum succedenti Aemiliario nauta decedis Venetus remex, tantum, vt exiremus, intrauimus.*

Ad librum suum. IIII.

In Argileto propepatium Bibliopolia stabant. *Argiletanas * mauis habitare tabernas,*
Cùm tibi parue liber scrinia nostra vacent.
Nescis, heu, nescis dominæ fastidia Romæ:
Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Rhonchi. *Maiores nusquam * ronchi, iuuenésque senésque,*
Et pueri nasum rhinocerotis habent.
*Audieris cùm grande sophos, dum basia * captas.*
v. iactas.
Ibis ab excusso missus in astra sago.
Sed tu ne toties domini patiare lituras,
Néve notet lusus tristis arundo tuos.
Aetherias lasciue cupis volitare per auras:
I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

DOMITIVS.

ARGILETANAS] Librum alloquitur iam exiturum, monetque eum peruenturum ad censuram multorum, nullámque esse causam, cur exeat, nisi quòd forte cupit lituras, & crebras emendationes domini euitare. Argiletum propè Palatium erat locus dictus, vel à morte Argi. vt Virg. placet, vel ab Argilla, quæ est terræ genus, quæ illic fodiebatur, vt Varro addit: ibi erant tabernæ bibliopolarum, vt in suburra tonsorum. De his Hora. hæc ait.

Nulla taberna meos habeat, vel pila libellos.

DOMINÆ *Roma*] Epithetum Romæ est.

TVRBA *Mar.*] id est turba Romanorum, qui habuere originem à Marte.

NIMIVM *sapit*] Nimium acris est censuræ.

RONCHI] Dicuntur strepitus, qui fiunt, & oriuntur ex corrugatione narium, ficto nomine ab ipso A sono, eo autem vtimur deridentes. Sunt qui putant à verbo Græco trahi, quoniam illi rostrum appellant ῥύγχος.

MAIORES *nusquam ronchi*] i. nusquam sunt maiores derisores, quàm Romæ.

Et pueri nasum rhinocerotis habent] Hoc est producunt mentum, & rostrum in tantam longitudinem, ac si esset cornu rhinocerotis.

BASIA *iactas*] i. dum iactas te habere basia.

AVDIERIS *cum grande sophos*] id est cum verbis laudatus fueris, nam illi dicuntur audire grande sophos, qui laudantur, vt alibi:

Quod tam grande sophos clamet tibi turba rogata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est,

Tractum ab adulatione Græca. Græci enim cùm primùm alicuius scripta vel legerint, vel audierint, statim assentando subijciunt σοφῶς, i. doctus est. Persi. quoque genere neutro protulit *pegaseum melos.* Sophos.

B AVDIERIS *grando sophos*] i. cùm illa simulata & derisoria adulatio secuta fuerit.

SAGVM] Est vestis militaris, & grossioris villi. Romæ iuuenes per lasciuiam, quod Tranquil. & Iuuen. indicant, quos continebant supposita veste, in aerem iaculabantur. Id Nero & Otho aliquando egerunt. Sagum.

EXCVSSO] Iactatione, maiorem exprimit agitantium, & tollentium aliquem.

GEORG. MERVLA.

ET *pueri nasum rhinocerotis habent*] Pueriliter de naso puerorum hoc dictum est, nam quo pacto mentum, & rostrum in tantam longitudinem producere poterant pueri, vt cornu rhinocerotis assimilarent. Quin potius sic exponas, pueri crispantem nasum, atque repandum ita formant, in derisum videlicet, vt videantur imitari rhinocerota, qui (vt Soli. ait) C in nare cornu vnicum, & repandum habet. Hæc ille. Rhinocerot.

RAMIR. DE PRADO.

Alloquitur librum suum, vt solet ferè in omnibus libris, & fingit eum velle ab scrinijs Poetæ in vulgus se proripere, ne toties lituras patiatur & emendationes: & reuocare conatur à proposito, Romanorum risus & maledicentiam describens.

1 ARGILETANAS *mauis habitare tabernas.*] Argiletus, vel Argiletum locus erat Romæ, in quo erant multæ opificum tabernæ, & Bibliopolia: Sutores item vt lib. 2. epigr. 7.

Argique letum multus obsidet sutor.

Tabernæ Romæ per pilas designabantur: nam cuique tabernæ sua pila apponebatur; & cum pilæ D essent faciliores prospectu, quam tabernæ, per pilas tabernæ numerabantur, testis magnus Catullus, epigram. 32.

Salax taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila.

Quo significat nonam tabernam esse à Castoris templo. Horat. lib. 1. Sat. 4.

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos.

Id est, libri mei non sint venales, neque intus in taberna nidis, vel pluteis repositi: neque foris in pilea omnibus expositi. Mauult igitur liber hic habitare Argiletanas tabernas, quàm Martialis scrinijs includi.

2 NESCIS, *heu, nescis.*] Diacopa, quæ affectum assecuerantis exprimit. Verbum *nescis* recondita notione positum hic est. non enim significat simpli-

citer ignoras, sed non cognoscis, quòd non sis expertus fastidia Romæ. Capella primo quarto libro. *Nimirum, inquit Bromius, qui facetior est Deorum, eámque penitus nesciebat.*) *Hæc autem ex arenis Libyæ anhelantis adducitur.* Loquitur de Dialectica, quæ specie feminæ inducitur, quã Bacchus nesciebat, id est, non cognoscebat: & nota hoc loco quàm propriè & vere vulgatus interpres sacræ scripturæ multis in locis vsurpet hoc verbum in hac significatione, vt Matthæi cap. 25. vers. 12. *Amen dico vobis, nescio vos,* quod Græcè est, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς. & Marci cap. 14. vers. 71. *Ille autem cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum quem dicitis,* vbi pro *nescio* est in Græco οὐκ οἶδα. Vnde *nescium* passiuè sumitur aliquando pro ignoto, vt Plautus Rudente, Act. 1. Scæna vlt. *Quæ in locis nescijs, nescia spe sumus.* Id est, in locis ignotis, dubia & incerta spe.

3 DOMINÆ *Roma.*] Expressit illud Virg. lib. 1. vers. 286.

Romanos rerum dominos gentemque togatam.

----dominantis mœnia Romæ, dixit Silius l. 3.

Dominus autem nobile nomen est, vt apud Græcos κύριος, vt patet ex lib. 3. epigr. 1.

Plus sane placeat domina qui natus in vrbe est.

Et lib. 6. epigram. 86.

Setinum, dominaque niues, densique trientes.

Et Ouid. in epist. Phædræ,

Regnat, & in dominos ius habet ille Deos.

Iuuenal. sat. 3. vers. 33.

Et præbere caput domina venale sub hasta.

Et hic lib. 14. epigramm. 1.

Synthesibus dum gaudet eques dominusq; senatus.

Vnde disco verum Etymon huius nominis *Curia*, vbi Senatus cogebatur, quod ducitur à Græco nomine κύριος, & significat κυρίαν ἐκκλησίαν, id est *dominam concionem.* Nec audias Grammaticorum delitamenta, qui in Etymis semper insaniunt, deducuntque hoc nomen a *Cura* quod *in Curia curis agitentur Senatores,* sed dominus Senatus in dominam cogebatur concionem.

4 MARTIA *turba.*] Id est, Romani à Marte originem trahentes, quod is pater Romuli fuerit, sic lib. 2. epist. 75. *Martiam arenam* pro Romana dixit, & lib. 5. epigr. 19. *Martiam Romam.*

5 MAIORES *nusquam rhonchi.*] Supple sunt. Rhonchum appellant Greci nasi sonum, qui emittitur stertendo, vt lib. 3. epigr. 82.

Nos accubamus, & silentium rhonchis
Præstare iussi, nutibus propinamus.

Hinc fit, vt irrisionis & subsannationis signum sit, quòd eo significemus adeò ineptum esse alterius dictum aut factum, vt stertere velimus, ne audiamus, aut videamus illud. hac significatione legitur lib. 4. epigram. 87.

Nec rhonchos metues malignicrum.

6 IVVENESQVE *senesque & pueri.*] Per ætatum diuisionem expressit, quod vno verbo poterat. *cuncti, omnes,* vel, *vniuersi.*

7 NASVM *Rhinocerotis.*] Nasus dicatus est subdolæ irrisioni, vt scribit Plin. lib. 11. cap. 37. puto quòd nasi corrugatione naturâ habitus irridentis exprimatur. Pers. sat. 1. vers. 55.

Rides, ait, & nimis vncis
Naribus indulges. ----

Hinc adagium, *naso suspendere,* id est irridere. Hinc nasuti, irrisores dicuntur, vt lib. 13. epigr. 2.

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus.

Vnde quod irrisores acre iudicium plerumque habent, nasus pro iudicio acri vsurpatur. l. 1. epig. 42.

A *Non cuicunque datum est habere nasum.*

Et nasutus pro homine Critico & aliorum Censore lib. 12. epigr. 37.

Nasutus nimium cupis videri.

Vt ergo significaret acerrimum iudicium Romanorum omnium, & subdolam eorum irrisionem, & subsannationem, nasum rhinocerotis dixit illos habere: cum id animal fortissimum habeat nasum, nempe cornu munitum & armatum, & quo possit vel taurum & vrsum sublimes iactare, vt supra in spectaculis, epigr. 9.

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.

Et 22. *Namq; grauem gemino cornu sic extulit vrsum,*
Iactat vt impositas taurus in astra pilas.

8 GRANDE *Sophos.*] *Sophos*, aduerbium Græcum est σοφῶς, Latinè *sapienter.* Eratque frequentissima acclamatio eorum, qui recitantis scripta laudabant, vel B oratores audiebant. adulatoria plerumque & empta, vel pecunia, vel cena. infra epigr. 50.

Mercetur alius grande, & insanum σοφῶς.

Et epigram. 67.

Non sex paratur, aut decem Sophôs nummis.

Et lib. 6. epigram. 48.

Quod tam grande Sophôs clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cena diserta tua est.

Grande Sophôs vocat clamatum contenta voce, & sæpe *tergeminum* vocauit: lib. 3. epig. 46.

At tibi tergeminum mugiet ille Sophôs.

Vbi in verbo *mugiet*, quod boum proprium est, expressit insanam vocis contentionem. dicebant Latinè *Euge belle.* Pers. sat 1. vers. 62.

Sed rectè, finémque, extremumque esse recuso
Euge tuum, & bellè.

Dicebant item *Benè, Præclarè, Festiuè,* vt inquit C Cic. lib. 3 de orat. & alijs exclamationibus laudabant scripta, vt lib. 2. epigr. 27.

Effetè, grauiter, ci. d. nequiter, euge, beatè.

Sed de ambitione recitantium, & adulatione acclamantium, & plaudentium, multa elegantissimè Horatius ad finem Poëticæ, & Persius loco citato, vbi videndus est Theodorus Marcilius, qui multa de hisce acclamationibus congerit, & erudite & diligenter.

9 DVM *basia captas.*] Dum ambis gratulationes & basia: nam basiabant veteres quos probabant, & quibus plaudebant (vt etiamnum hodie moris est inter Venetos) Ideo libros Poëtarum gratos, basiabant. de his basiationibus inf. epigr. 77.

----at circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras basia sola crepant.

Et lib. 4. epig. 49. ad Flaccum,

Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.

Id est, osculantur manibus ad os admotis: sed de D basiationibus salutantium aliàs multis in locis dicemus.

10 AB *excusso missus in astra sago.*] Sagum militaris vestis nota, sed & stragulum crassum. Plin. lib. 16. cap. vlt. in fine, de visco. *Sacerdos candida veste cultus arborem scandit: falce aurea demetit, candido id excipitur sago.* Ab hoc Hispanè forte *Sayal*, quasi sagale, ex quo saga fiant. *Ibis missus in astra ab excusso sago,* id est pendes pœnas tuæ credulitatis: iidem enim qui te basiarunt, traducent & irridebunt; metaphora sumtâ ab iis, qui irridendi causa hominem, vel canem procaciter sago plurium manibus distento in sublime iactant, ludibrio habentes. quod factitasse Othonem testis est Suetonius cap. 2. in eius vita: hodiéque Hispani id faciunt, vocantq; *mantear.* *In astra* per hyperbolem dixit, vt multis in locis.

11 TRISTIS *arundo.*] Ex arundine Ægyptia, calami scriptorij fiebant, lib. 14. epigr. 38.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Et eodem lib. epigram. 209.

---inoffensa curret arundo via.

Et Apuleius in principio lib. 1. Metamorph. *Modo si papyrum Aegyptiam, in argutia Nilotici calami inscriptam, non spreueris inspicere.* Et vt ait Plin. lib. 16. cap. 36. *Chartis seruiunt calami Aegyptij maximè cognatione quadam papyri,* fiebant & sagittæ vt lib. 10. epigram. 15. & Plinius dicto lib. & cap. *Tristem* dixit *arundinem:* vel ob atramentum, vel ob lituras quæ eâ fiebant, quod censura omnis seuera sit, tetrica & tristis, vt supra dictum est in Epistola. Et Horat. sat. 1. lib. 2. tristem versum appellat satyram qua seuere mores alieni taxantur, his verbis,

Quanto rectius hoc, quam tristi lædere versu
Pantolabum scurram, Nomentanúmque nepotem.

12 ÆTHERIAS *volitare per auras.*] Id est, prodire in vulgus, & in hominum manus peruenire.

13 LASCIVE.] Hic propriè positum. Est enim *lasciuum* quod Hispanè dicimus *trauieso ingueton*, vt lib. 14. epigr. 75.

A *Ludite lasciui, sed tantum ludite serui.*

Horat. lib. 1. sat. 3. in fine,

----vellunt tibi barbam Lasciui pueri:

Sic Virgil. Capellam appellat lasciuam: & hic noster lib. 13. epig. 39. hædos lasciuos vocat, & infra ep. 45. *Lasciuos leporum cursus.*

Et Virgil. Galateam lasciuam puellam dicit, quæ malo petebat iuuenem, & se cupiebat ante videri. Hinc natum est, vt hoc nomine vtamur pro libidinoso & inhonesto, vt idem epigr. 5.

Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

Causa quod Venerem proxime præcedit semper Iocus, & cùm amantes ad jocos deueniunt, propinqui maxime sunt Veneri; nec vlla certior ad eam via quàm per jocum, quod prudentissimus Horatius bellè insinuauit nobis, lib. 1. carm. ode 2.

Siue tu mauis Erycina ridens,
Quam Iocus circumuolat & Cupido.

Vides *Cupidinem*, id est, amoris ardorem, qui amantes stimulat, & B *Iocum*, qui viam aperit, & pudorem abstergit, *Venerem* ipsam, id est, actum Venereum circumuolitare. quod nobis apertè indicat pictura relata ab auctore epigrammatum orbis, quam hic exprimendam curauimus.

MORAVIÆ PROVINCIÆ
GERMANIAE MAG

Epigramma repertum à Conrado Celte in gemma signatoria, aureæ cruci insertum in Monasterio Ritisch, iuxta Olmuntz, mense Iulio, Anno Domini M. D IIII.

LASCIVI igitur dicti sunt inhonesti, quod lasciuia coniuncta sit cum actis Venereis. Sic Catullus epigr. 17. ad Aurelium,

Prædicare cupis meos amores,
Nec clam: nam simul exjocatis vna.

Et Ouid. lib. 3. de arte. *jocos* res Venereas appellauit,

Cum custode foris, tunica seruare puella,
Celent furtiuos balnea multa jocos.

Quid? quod *ludendi* verbum subputidum est, & lasciuæ significationis. Liuius Andronicus apud Festum in *adfatim, adfatim edi, bibi, lusi:* Quod expressit Sardanapalus in epigram. apud Athenæum, lib. 12. Ἐγὼ ἐβασίλευον, καὶ ἄχρι ἑώρων τοῦ ἡλίου φῶς, ἔπιον, ἔφαγον, ἠφροδισίασα. Catullus in Hymenæo:

Ludite, vt lubet, & breui Liberos date.----

Ouidius lib. 1. Amor. eleg. 8.

Ludunt formosæ, casta est, quam nemo rogauit.

Et lib. 2. de Arte:

Ludis, sed furto soletur culpa molesto. Et lib. 3.
Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.

Propertius item:

Turba Menandreæ fuerat, nec Thaidos olim,
Tanta in qua populus lusit Erichthonius.

Et putissimæ impuritatis auctor Petronius in Satyrico. *Ipse pater veri, doctúsq; Epicurus in arte*
Lusit, & hoc vitam dixit habere telos.

Sic intelligo epigram. 45. lib. 6.

Lusistis; satis est: Lasciui nubite cunni.

Et lib. 11. epist. 105.

Tu tenebris gaudes, me ludere teste lucerna.

Quod sequenti versu declarat,

Et iuuat admissa rumpere luce latus.

Ad Cæsarem. V.

Contigeris nostros Cæsar si fortè libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.
Consueuere iocos vestri quoque ferre triũphi,
Materiam dictis nec pudet esse ducem.
*Qua * Thymelen spectas, derisorémque Latinum,*
Illa fronte precor carmina nostra legas.
Innocuos censura potest permittere lusus:
Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

* Latinus & Thymile mimica arte nobiles Domitiano in delicijs fuere. Iuuen. 1. à trepido Thymele submissa Latino.

DOMITIVS.

CONTIGERIS] Primo epigrammate Cæs. alloquitur, ne videatur conscius morum illius scripsisse lasciua, rogátque vt & hilari fronte legat, qua soleat mimos spectare: & vt ne talem authorem iudicet, qualis est pagina.

SVPERCILIVM] i. grauitatem, & superbiam.

CONSVEVERE *iocos vestri quoque ferre triumphi*] Non debes damnare iocos nostros lasciuos, quoniam in vestris triumphis est iocorum licentia, nam milites triumphantem sequentes, incondito carmine multa iocularitet canere solebant, non modo in alios, sed in ipsum principem, vt Cæsariani in Cæs. Gallias subegit Cæsar, Nicomedes Cæsa. & ferre æquo animo.

MATERIAM *dictis*] i. argumentum iocis: nam de ipso duce aliquando iocantur.

DVCEM,] Principem.

Thymele. THYMELE] Mulier fuit, quæ prima saltationem docuit: vnde & thymele apud Græcos Latinè significat histrionicam. inde datum nomen vxori.

Latinus. LATINI *mimi.*] Latinus fuit mimus Domit. qui aut recitandis diei fabulis, vt scribit Tranquillus, cœnanti principi: aut iocis, & nonnunquam pulsatione Thymeles risum prouocabat.

ILLA *fronte.*] i. libera & soluta curis.

INNOCVOS] Non scelerati authoris: vita enim verecunda est.

RAMIR. DE PRADO.

Alloquitur Domitianum Imp. & excusat ei lasciuiam librorum tanquam Censori, & orat vt posita Censoria seueritate eos legat.

1 CONTIGERIS *forte.*] Μέσως modestiæ causa.

2 TERRARVM *dominum pone supercilium.*] Supercilium pro fastu & seueritate vsurpari, manifestum est ex Plin. lib. 11. cap. 37. & 52. Inde adagia Supercilia tollere, ponere, contrahere. vocat autem supercilium Domitiani terrarum dominum, quòd eo terrarum orbis gubernaretur. Sic lib. 9. epigr. 81. Palatinum supercilium pro fastu Imperatoriæ domus. Nutum appellat Virgil. 6. lib.

Sic ait, & totum nutu tremefecit Olympum.

Quo expressit frequens illud Homericum,

ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

A Veteres etiam superciliosos vocabant, qui fastuosi & seueri erant. Sic lib. 11. epigr. 2. supercilium Catonis pro seueritate ponit,

Triste supercilium, durique seuera Catonis
Frons. ---- Hinc prisca supercilia vocat Virgilius in Copa, siue, quis alius eius poëmatij auctor, *Ah pereat, cui sunt prisca supercilia.*

Et Seneca in Hippolyto. act. 2. in choro,

Quàm grata est facies torua viriliter,
Et pondus veteris triste supercilij.

3 CONSVEVERE *iocos vestri quoq; ferre triumphi.*] Inter multa & varia quæ in Romanis triumphis accidebant, illud meo iudicio mirabilius, quod in summo omnium honore quo die Imperator suorum laborum maximum præmium capiebat, eo ipso & in ipsa triumphi pompa per iocum à militibus ipsis, dicterijs, conuicijs & omne genus probris differebatur. B Quicquid enim contumeliosum de Imperatore quondam rumor sparserat, id in eum audientem effutiebant ea pompa. Hæc carmina licentiæ plena & procacitatis, triumphalia appellabant: Quorum extat celebre exemplum apud Suet. in Iulio, cap. 49. vbi ponit carmina contumeliosa quæ milites in Cæsarem ilocalariter canebant. *Iocos* dixit, id est, dicteria & sales.

4 MATERIAM *dictis*, &c.] Id est, non pudet ducem dicteriórum & proborum, quæ in eum milites iactant, & eorum, quæ de se dicuntur. Dictum, quãuis commune sit verbum ad omnia quæ dicuntur, proprie ad salsa dicta accommodatur. Cæsar apud Cic. 2. de Orat. ad Q. fratrem. *Dicere aiunt Ennium flammam à sapiente facilius ore in ardente opprimi, quàm bona dicta teneat: hæc scilicet bona dicta quæ salsa sunt:* Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine, & Dicacitatis etiam etymō nos docens, ait Quintil. lib. 6. cap. 4. C *Dicacitas sine dubio à dicendo, quod est omnis generi commune, ducta est: Propriè tamen significat sermonem cum risu aliquo incessentem.*

5 QVA *Thymelem spectas derisoremque Latinum.*] Thymele & Latinus Mimi erant Domitiano gratissimi: Iuuenal. Sat. 1. vers. 36.

---- & à trepido Thymele summissa Latino.

Vnde coniectantur vulgò Thymelen vxorem fuisse Latini: sed de ea apud nullum scriptorem, præter Poetas, memini me aliquid legisse. De Latino Suet. in Domitiano cap. 15. de Asceletarionis Mathematici cadauere à canibus discerpto: *idque ei, inquit, cœnanti à mimo Latino, qui præteriens forte animaduerterat, inter ceteras diei fabulas referretur.* De hoc alias, & de Paniculo multa. Orat igitur vt qua fronte mimos spectat, eâdem carmina sua legat. *Latinum* autem appellat *derisorem*, vt lib. 13. ep. 2. per hyperbolen,

Et possis ipsum tu deridere Latinum.

Vide & de Latino & Thymele, doctam Angeli Politiani aduersus Merulam disceptationem, lib. 7. epistolarum, epistola ad Guarinum.

D 6 INNOCVOS *censura potest permittere lusus.*] Suscepit Domitianus censuram, vt author est Suet. in eius vita, cap. 8. & quod magis mirere seuerissimè exercuit morum correctionem. Excusat ergo Poëta lusus suos Censori, quòd innocui sint: nam famosa scripta quibus aliqui notarentur aboleuerat Domitianus cum auctorum ignominia.

7 LASCIVA *est nobis pagina.*] Et ideò lusus innocui sunt. Latinè tantùm loquuntur versus, & prætextata continent verba.

8 VITA *proba est.*] Commendat se Censori, & morum correctori. Sic lib. 11. ep. 16 cùm dixisset se velle nequiorem edere libellum, addidit:

Mores

Mores non habet hic meos libellus.

Sic enim lego cùm Douzā id est, quamuis lasciuus sit is, mores mei sancti sunt. De hac excusatione multus Raderus, qui Catullum ad Aurelium Furiū, Ouid. 2. Inst. Hadrianum Imperatorem in epitaphio Voconi hoc versu,

Lasciuus versu, mente pudicus erat.

Et Apuleium in Apologia 1. pro se in primo, & alios plures congerit: ego addo hunc versum adducere Ausonium in epistolā affixa in fine Centonis nuptialis, & ei, auctorem præfigere Plinium Iuniorem; licet aliqui voluerint pro Plinio Martialem substituere, quod probare non audeo, cùm videam Plinium carmina lasciua scripsisse, vt ipse testatur, lib. 7. epist. 4. & potuisse à duobus eiusdem æui, & amicitia coniunctis hunc versum vsurpari.

Ad Marcum. VI.

Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis:
Vis, puto, cum libro, Marce, natare tuo.

Idem Græcè.

Ναυμαχίην σοὶ ἐγὼ, σὺ δ' ἐμοὶ ἐπιγράμματ' ἔδωκας·
Νήχεσθαι μέμονας σῆς μέτα, Μάρκε, βίβλου.

DOMITIVS.

Do *tibi Naumachiam*] Distichon est fictum ex persona Cæsaris respondentis Martiali mittenti librum, & dicentis esse intempestiuum cùm occupatus sit in edenda Naumachia, nisi forte velit carmina aquis mandari, hoc enim sæpè dicitur à Mar. cú vult ostendere carmina sua non esse legenda: in tertio,

Cursorem sexta tibi Rufe remisimus hora:
Carmina quem madidum nostra tulisse reor,
Non aliter mitti debuit iste liber.

Do *tibi naumachiam*] Id est, edo naumachiam.

Vis *natare cum tuo libro*:] Vis inquit, hic mergi cum tuo carmine: cùm sis intempestiuus.

RAMIR. DE PRADO.

Fingit Poëta Domitianum accepto libro hoc sibi disticho respondisse: in spectaculo tum forte naumachiæ, de quo satis multa in spectaculis epigr. 24. & 28. & fingit Domitianum subitarum exiguitate doni, vel intempestiuitate temeritatis arguere Poëtam, quòd quo tempore naumachiam exhibeat, tradat ei mala carmina, quæ olim, vel comburebantur, vel aquis macerabantur, vt constat epigr. vlt. lib. 3. & lib. 4. 10. l. 9. 59. & l. 14. 196. & dicémus ad epigr. 54. lib. 5. posset Martialem simul cum libro suo aquis mergere.

De Leone Cæsaris. VII.

Aethereas aquila puerum portāte per auras,
Illæsum timidis vnguibus hæsit onus:
A *Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,*
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ maiora putas miracula? summus vtriq;
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Iouis.

Idem Græcè.

Παῖδα διηέριον πτηνοῦ φορέοντος ἄβλαπτον
Φειδομένοις ὀνέφυ τοῖς ὀνύχεσσι βάρος.
Κοιρανέοις δ' ὑπόγνιος ἄγρη παρηῦτε λέοντας,
Πτὼξ τ' ἀδεῶς παίζων εἴσι διὰ στομάτων.
Ὁπποτέρη δ' ἆρα μείζων; μέγας ἔγγυός ἐστιν
B Ἀμφοτέραις· ἡ μὲν Καίσαρος, ἡ δὲ Διός.

DOMITIVS.

Aetherias *aquila*] Ludebant lepores in ore leonis illæsi: comparat aquilam leoni, & Ganymedem leporibus.

Onvs] Ganymedes.

Vngvibvs *timidis*] Ne læderent Ganymedem.

Exorat *leones*.] Id est orando impetrat veniam, & vitam.

Qvæ *maiora miracula putas*] Aquilæ, an leonis. quòd vtrunque potuit fieri, quia hæc sunt miracula.

Svnt *Cæsaris, illa Iouis*] & vterque Deus est, nam
C Domitianus Deus voluit appellari: author Tranquillus.

RAMIR. DE PRADO.

Inter spectacula quæ Domitianus edidit, & ferarum venationes, hoc fuit mirabile, quod leones accumbentes adaperto rictu ludentes & discurrentes lepores recipiebant, & illæsos remittebant. In quem lusum varie adeò lusit hic noster Poëta, vt hoc libro legantur octo epigrammata, præter hoc eiusdem argumenti: sunt autem infra 15. 23. 45. 46. 49. 52. 61. 105. In quo ingenij vbertatem possis admirari.

1 Aetherias *aquila*.] Comparat hos leonum & leporum lusus, cum raptu Ganymedis: & innoxios vngues aquilæ, cum innoxijs dentibus leonum. *Puerum*, Ganymedem Trois Regis filium, quem adamatum Iupiter ab Aquila rapi iussit, & Deorum poculis ministrum fecit.

2 Timidis *vnguibus*.] Sollicitis ne Ganymedem
D læderent. *Onus* corporis Ganymedei. De hac Aquila est epigr. 56. lib. 5.

3 Sva *Cæsareos exorat præda leones*.] Exorare est orando aliquid impetrare, lib. 11. ep. 61. *Exorare Dei, si vos tam magna liceret*. & apud Terentium mille locis. Ab hac mente per metaphoram *exorat leones sua præda*, id est, ab ijs impetrat, ne lædatur. Eadem significatione, lib. 4. ep. 54. dixit,

Lanificas nulli tres exorare puellas Contigit.

Cæsareos appellat *leones*, quos Cæsar Domitianus in arena exhibuit.

4 Lvdit *in ore lepus*] Idem appellauit *lasciuos leporum cursus* epigr. 45. De his verbis *lasciuus* & *ludere* satis dictum supra epigr. 4.

5 QVÆ *maiora miracula* ?] Metonymicῶs pro, quod maius miraculum ? Nam subiungit, *summus vtrique auctor adest*, id est, vtrumque miraculum suũ habet authorem summum.

6 HÆC *sunt Cæsaris, illa Iouis*] Comparat Domitianum cum Ioue, quem alibi multis in locis appellat Iouem, vt lib. 8. ep. 15. & lib. 9. epigr. 40. & 88. se namque ipse Domitianus, Dominum & Deum vocabat, vt latiùs diximus lib. 5. ep. 8. & l. 10. ep. 72.

Ad Maximum de Columba Stellæ. VIII.

Stellæ delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam.
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tantò Stella meus tuo Catullo,
Quantò passere maior est columba.

DOMITIVS.

STELLÆ *delicium*] Stella Poëta Patauinus amauit Violantillam Neapolitanam, quæ cùm amisisset columbam, quàm habebat in delitijs, & fleret, præbuit argumentum Stellæ conficiendi operis de morte columbæ, quod opus columba inscribitur. Testatur hoc Venus apud Papinium de Stella loquens. *Hic nostra desleuit fata columba*: anteponit Martialis columbam Stellæ, id est, opus.

PASSEREM *Catulli*] Nam Catullus defleuit passerem amicæ mortuum carmine, quod Passer inscribitur.

VERONA] Patria Catulli.

MEVS] Mihi amicus.

RAMIR DE PRADO.

LARVNTIVS Stella Poëta Patauinus, de quo plurima apud Martialem mentio in multis epigrammatis, clarus prosphonesi, & poëmatijs Papinij Statij summi Poëtæ, luserat longo poëmatio de Columba sua, ad Catulliani passeris imitationem. Hoc opus commendat Martialis hoc epigrammata, præfertque illud mollissimo & elegantissimo Catulliano de passere Epigrammati, vt assentetur Stellæ, qui erat ditissimus, vt constat ex multis Epigrammatis, ac præcipue ex lib 8. ep. 78. & lib. 12. ep. 3. & Martialem muneribus subinde subornabat, vt lib. 7. ep. 35. scribit autem ad Maximum vel Veronensem, vel Catulli amatorem.

1 STELLÆ *delicium mei columba.*] Metonymicῶs *columba* pro opere de colũba, causa pro effectu. Hoc poëma simul cum ceteris Stellæ non extat.

2 VERONA *licet audiente*] Amplificatio ab asseuerationis fiduciâ, quod Veronensibus vniuersis ciuibus Catulli audientibus id dicturus sit.

3 VICIT *passerem Catulli*] Metonymicῶs item. id est, poemation de passere. Appellat autem *passerem* duo illa mellitissima epigrammata Catulli, alterum, quo passerculi nequitias describit: alterum quo mortem deflet. & credo id temporis sic vulgariter nominari illa poëmata, vt lib. 11. ep. 7. dicemus. Videor autem subolere Martialem aliquantulum detrahere Catullo, cùm quod omnes Poëtæ viuentes molestè ferrent in suam inuidiam laudari veteres, quod fere accidit: & id Horatius cum indignatione

A queritur lib. 2. epist. 1.

Indignor quidquam reprehendi: non quia crassè
Compositum, illepidéve putetur: sed quia nuper.

Et in Arte. ---. *quid autem*

Cæcilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Virgilio Varioque.

Tum quod præ se Catullum contemnebat, vt colligi potest ex dicto lib. 1. ep. 7. in illis verbis ad Dindymum, *Donabo tibi passerem Catulli.*

Id est, donabo tibi poëma, quod Catulli passerem possit vel æquare, vel superare; & l. 10. ep. 103. *tenuem* appellat, & se ei æquat. Sic enim scribit laudans se ipse, & iactans suæ Bilbili gloriam suam.

Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.

4 TANTO *Stella meus tuo Catullo*] Comparatio à proportione, tantò, maior Poëta est Stella Catullo; quantò maior est columba passere. Hic autem Columbam & passerem propriè accipe.

B TVO] Dixit quod hic Maximus forte Veronensis fuit, vel Catulli admirator. Passeris huius Catulliani meminit, lib. 4. ep. 14. & lib. 7. ep. 13. & 14. & 77. Iuuenal. sat. 6. vers. 8.

---*haud similis tibi Cynthia, nec tibi cuius*
Turbauit nitidos extinctus passer ocellos.

De hoc passere satis est à multis confutata obscœna opinio Politiani.

Deciani dogma laudat. IX.

Quòd magni * *Thraseæ, consummatiq; Catonis* ———— * De Thrasea Tacitus lib. 6.
C *Dogmata sic sequeris,* * *talis vt esse velis,* ———— * Saluus.
Pectore nec nudo strictos incurris in enses,
Quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum, facili * *redimit qui sanguine famam:* ———— * *Facili sanguine*] Facilis sanguis eius qui singulos artus suos fortunæ prodigendos dat, quæstu atq; compendio gloriaturum. Gell. lib. 2. c. 27. N. R.
Hunc volo, laudari, qui sine morte potest.

Idem Græcè.

D Ὅττι τό, τε Θρασέα μεθέπεις, τό, τε δόγμα Κάτωνος,
Ὥστ' ἀφορμεῖσθαι τῆλδε σῶος ἐθέλειν·
Κ' οὐ ξιφέων ἀκμαῖσιν ἀπηντᾷς στήθεϊ γυμνῷ,
Ὅ, ῥα θέλοιμι ποιεῖν σ', ὦ Δεκιανέ, ποιεῖς.
Μισῶ, ὃς εὐτελέος ψυχῆς ὠνήσατο δόξαν·
Αἰνῶ, ὃς αἰνεῖσθαι νόσφι μόρου δύναται.

DOMITIVS.

QVOD *magni Thraseæ*] Decianus laudatur, qui grauitatem stoïcam secutus, & virtutem summum bonum bonum iudicans, exitus Thraseæ, & Catonis non probat, quorum vterque stoïcum se professus, morte laudem quæsiuit. Pulchrius, inquit, est laudari ob vitam, quã ob mortem. Thraseas temporibus Neronis, ex libro, quem Munatius edidit de rebus Catonis, incensus est studio stoïcę disciplinæ, adeo vt cũ

damnatis à Nerone solutis venis moreretur, magna constantia suorum fletum compescuerit, libaritque sanguinem Ioui liberatori. Patauinus fuit. Posteà Lunius rusticus, quoniam eius laudem ediderat, & appellauerat sanctissimum, damnatus est à Domitiano. Cato Antipatro Tyrio præceptore vsus, stoïcam disciplinam hausit. Vticæ, ne in potestatem Cæsaris veniret, sibi mortem consciuit. Sic ea moderatione.

SEQVERIS *dogmata*] i. disciplinam.

CONSVMMATI *Catonis*] i. perfecti.

VT *velis esse ferum*] id est vt velis laudem ex bene acta vita, non ex morte.

FACILI *sanguine*] Facilitate mortis. Plus enim est bene agere in vita, quàm se interficere: nam hoc cuiuslibet, & in promptu est.

GEORGIVS.

DOGMATA] Si nostros scriptores paulo diligentiùs reuoluisset Domitius, profectò quid dogmata Latini interpretentur, & in primis Cicero in Academicis philosophorum decreta conquirens, atque exponens ait. Dogmata Latinè appellari decreta. Seneca in vij. epistolarum moralium, cùm differre docet decreta philosophorum à præceptis.

DOGMATA] Latinè interpretantur decreta, scita, consulta, atque placita, vnde Plutarchus Græcè, quæ alij dogmata dicunt, ille ἀρέσκοντα, hoc est, Latinè placita dixit. Idem de dogmate Platonis, & sentit, & interpretatur Apuleius. Sunt enim Dogmata decreta quædam, quæ vt Cicero ait, nefas est prodere, & quibus non stantibus, philosophorum sectæ, nec vim, nec locum seruant, ad quod alludens hic Poëta, grauiore morsu Papillum lacerat, hoc modo.

Tu qui sectarum causas, & pondera nosti,
Dic mihi præcidi Papile dogma quod est.

Solet enim festiuus Poëta nonnihil de Philosophia sumptum in sua epigrammata transferre, dicerem quo pacto differrent decreta à præceptis, nisi alibi à nobis hoc tractatum foret.

RAMIR. DE PRADO.

DECIANVS hic quem etiam inf. epigr. 40. extollit, poëtarum Stoicæ sectæ studiosus, quis fuerit mihi non satis liquet, nec plena onomasticis fides, quæ Emeritensem fingunt. Hic eum laudat, quod cum Catonis & Thraseæ Pæti constantiam imitetur, fortius faciat, cùm sibi non inferat manus. Catonis exitus vulgatissimus est, & notissimus: de Thrasea Pæto, & eius nece Tacitus lib. 16. Suet. in Nerone cap. 37. & Domit. cap. 10. Fuit hic Catonis imitator, & Stoicæ philosophiæ assertor, gener Cæcinæ Pæti. de quo inf. epigr. 14. diximus. *Magnum* dicit quod Neroni maximè restiterit: & magnæ fuerit eo miserrimo tempore auctoritatis. Constantiam eius prouerbialiter laudat lib. 4. 9. 54.

Ditior Crispo, Thrasea constantior ipso.

1 CONSVMMATIQVE *Catonis*] *Consummatum Catonem* appellat, id est, omni virtutum genere perfectissimum.

2 DOGMATA.] Id est, instituta, & viuendi rationem.

3 TALIS *vt esse velis.*] Vt velis in eorum numerum adscribi ob constantis animi fortitudinem. Sed malo legere, vt in alijs exemplaribus, *Saluus vt esse velis.* vt nolis tibi mortem consciscere, vt fecit Ca-

A to, ne Cæsaris victoris vultum subiret, & Thrasea Neronis iussu.

4 PECTORE *nec nudo*, &c.] Nec in gladium incumbis, & tibi manus infers.

5 QVOD *fecisse velim.*] Id est, places cùm sic te geras.

6 NOLO *virum facili.*] Non placet ille nec virum existimo, qui facili negotio sibi mortem conciscit, vt famam fortis, & constantis aucupetur. Videtur Martialis hanc sententiam ab Aristotele desumpsisse qui lib. 3. Eth. ad Nicomachum, eum, qui se ipse occidat, vt paupertatem, molestiam, aut quippiam aliud mali effugiat, non fortem, sed timidum, & ignauum existimat. Est namque mollis, & effeminati animi laboriosa, & molesta fugere, nec mortem quod honesta sit, sed vt euitet malum aliquod, oppetere. Et rursus lib. 5. in fine, *Ei*, inquit, *qui*

B *se ipse occidit. ignominia quædam irrogatur.* Est hæc Aristotelis sententia multorum suffragijs comprobata. Lucanus enim,

----fortissimus ille est
Qui promptus metuenda pati: si cominus instent
Et differre potest.----

Q. Curtius. *Fortium virorum est magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. Sæpe tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignaui.* Hic noster lib. 11. ep. 57.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Et Val. Maximus lib. 3. cap. 2. §. 6. in externis, de Theramene qui hausto veneni poculo se interemit, ait. *Profectò est supplicio se liberare tam facile supplicium perpeti.* Seneca item scribit epist. 24. *His adijcias & illud eiusdem notæ licet, tantam hominum imprudentiam esse, imò dementiam, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem.*

C 7 LAVDARI *qui sine morte potest.*] Eum ego probo, qui summâ constantiâ toleret mala, & aduersis se obijciat, ita vt fortissimus ab omnibus iudicari possit, nec morte se à periculis, & malis eripiat, quod mollis animi est.

Iocatur in Cottam X.

Bellus homo & magnus vis idem Cotta videri,
Sed qui bellus homo est Cotta, pusillus homo est.

Idem Græcè.

D Κόττα δοκεῖν ἐθέλεις καλός ἠδ' ἅμα τις μέγας τε· *Accedit ad Homericum Nirei praconiũ, Il. 6.*
Ἀλλὰ καλός τις ἐὼν καὶ ἀλαπαδνὸς ἔφυ.

DOMITIVS.

BELLVS *homo*] Bellus diminutiuum à bono, magnus & bellus non conueniunt. Deridet Cottam, qui volebat dici bellus, cùm magnus esset, cum magno enim minimum non conuenit.

RAMIR. DE PRADO.

Lusus petitus à proprietate nominis, nam *bellus* diminutum est à *bonus*. Hic Cotta volebat videri à

bellus, id est formosus, & salsus, & omnia bellissimè agens. Nam lib. 3. epigr. 62. in Cotilum quid sit *bellus homo* ex opinione vulgi explicat multis verbis. & lib. 2. epigr. 7. in Attalum cum multa bellè eum facere dixisset,

Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.

Vbi perspicuè *bellum* hypocoristicῶs insinuat à bono deriuari.

Est autem *bellus*, idem quod Hispani dicunt *lindo*. quod verbum à limite Latino deducunt: & id quod suis limitibus absolutum est, *lindo* appellant. Sic *alindar* dicunt agrum, aut domum confinem alteri esse. & etiam dicunt *lindo alindado*. & quamuis ea sit propria significatio ex loquendi consuetudine, ad omnia quæ bona sunt accommodatur id verbum, dicimusque *linda muger, lindo sermon, linda casa*. Sic Latinè *bella femina, bella oratio, bella domus*, nec paruitatem eo nomine, vt postulat diminutio, sed perfectionem significamus. Sic *bellum* dicebat *hominem*, qui ad omnia erat idoneus. Cotta *bellus* volebat videri, & subinde iactabat se *bellum* esse, & *magnum* item. Martialis à verbi proprietate lusit in eũ. *bellus* idem est, quod Hispanicè *bonito*, quod verbum de rebus pusillis semper dicitur (Gallicè *beland, mignon, beau fils*) Cotta igitur, si bellus homo sit, non magnus homo est, sed pusillus.

De Gemello, & Maronilla. XI.

Petit Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, & instat, & precatur & donat.
Adeòne pulcra est? immo fœdius nil est.
*Quid ergo in illa petitur & placet? * tussit.* C

* Pul. leg. tussis.

DOMITIVS.

PETIT *Gemellus*] Damnat & carpit Gemellum auaritiæ, quòd vellet ducere Maronillam vetulam propter diuitias.

TVSSIT] id est citò moritura est.

TVSSIT] Verbum respondentis Martialis.

RAMIR. DE PRADO.

Ambiebant pauperes & cupidi homines nuptias feminarum, quæ opibus pollebant; sed ex ijs magis expetebantur vetulæ, quæ morti propinquiores existimabantur. quò testamento, earum heredes relicti citiùs ad opimam pecuniam peruenirent: & item illæ, quæ desperatis morbis laborabant. De prioribus Iuuenalis satyr. 1. vers. 39.

Cum te submoneant qui testamenta merentur,
Noctibus in cœlum quos euehit optima summi
Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ.

De posterioribus hic noster facetissime, lib. 2. epigram. 26.

Tussim autem existimabant signum esse deploratæ valetudinis. Horat. lib. 2 sat. 5. ---si quis
Forte coheredum senior male tussiet, huic tu
Dic ex parte tua, seu fundi, siue domus sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere.

Itaque tussientes vetulas ceteris præferebant, quòd eas morti propinquiores esse crederent. quæ tussis sæpius hosce heredipetas fallebat, vt lib. 5. 40.

Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.

A Et lib. 2. epigr. 26. vt dictum est.

Hic ergo Gemellus vel, vt in alijs legitur, Venustus, omnem lapidem mouebat quò Maronilla sibi nuberet: poterat id fieri propter excellentem feminæ pulchritudinem. Respondet Poëta nihil illa fœdius fuisse. Quid igitur hominem alliciebat? Respondet ἀπροσδοκήτως, *tussit*, vel vt alijs *tussit*. id est morti propinqua est ob desperatum morbum.

Ad Sextilianum potorem. XII.

*Cùm * data sint equiti * bis quina numismata, quare*
Bis decies solus Sextiliane bibis?
B *Iam defecisset portantes calda ministros,*
Si non potares Sextiliane merum.

* Cum data sint] Ferpicuum hoc Epigramma, si conferas & componas cum 85. huius lib. in eũdem Sextilianum. N.R.
* Scil. lege sumptuaria in cœnam.

DOMITIVS.

CVM *data*] Ebrietatem Sextiliani equitis accusat, de quo paulò post.

SEXTILIANE *bibis*] Equites inter iudices numerabantur lege Cornelia. Legibus primum cautum fuit, ne suprà C in conuiuijs consumere liceret, inde priuatim præscriptum est equitibus, cùm Chium, & falernum, & reliqua vina reiecta moderatione Cæsaris, & Crassi in magnum precium peruenissent, ne suprà x. numismata equestri epulo impendere possent, nunc Sextilianus bis decies numismata solus bibebat.

CALDA] Antiqui vtebantur in mensa, & gelida, C & calida aqua. Iuue. *Gelida, calidaque minister.*

RAMIR. DE PRADO.

Densissimas tenebras hoc loco Heraldus offendit, sed offundit densiores. Discusserat eas anteà Hadrianus Turnebus lib. 18. cap. 30. cuius interpretatio verissima ad summam, quamuis aliqua habeat discussione digna quæ non sunt huius loci. Illud vulgatum de Sumptuaria lege exibilandum hoc loco: nam *bis quina numismata*, id est, decem sextertij, Equitibus Romanis in hoc spectaculo viritim à Cæsare elargita sunt, qui non se addixit legi Sumptuariæ. Sed hæc *bis quina Numismata*, quæ hoc loco data sunt à Principe, centum quadrantes pendent, quæ vulgaris erat, & irrisa sæpe à Poeta nostro sportula. Quæ summa hoc loco pro congiario data est Equitibus. Vnde lib. 3. epigram. 7. irrisorie eandem summam pro sportula datam congiarium appellat.

Centum miselli iam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi.

D Et hæc pecunia erogabatur equitibus, non ad bibendum tantùm (quis enim sobrius eques Romanus vnis spectaculis centum vini quadrantes haurire non erubuisset?) sed ad edulia, & bellaria emenda, quæ venum circumferebantur inter equites, vt vulgò apud Athenienses in theatro vbi edebatur, quod in exemplum adducit Aristoteles Ethic. lib. 10. ad Nicomachum cap. 5. his verbis, *Quod ijs vsu venit qui in theatro edunt bellaria. Id enim faciunt tum maxime, cum imperiti ignobilésque concertant.* Vbi Eustathius Græcus Aristotelis interpres scribit obseruatum esse suo æuo Constantinopoli: Et plebeculæ Romanæ venalia erant cicer frictum, & frictæ nuces (Horatij testimonio in arte.)

Nec si quid fricti ciceris probat, & nucis emptor
Aequis accipiunt animis, donántue corona.

Quos scilicet dixerat antea

----quibus est equus, & pater, & res:

Id est equites, patritij, & locupletes, qui quidem, cicer & nuces non emebant, quæ aliquando ab editoribus gratis donabantur, vt Horatius innuit lib. 2. sat. 3.

In cicere, atque fabâ bona tu perdasque lupinis,
Latus vt in circo spatiere, aut aeneus stes.

Et Persius sat. 5. vers. 177.

---Vigila & cicer ingere large
Rixanti populo.----

Est igitur Martialis reprehensio sic concipienda. Si equiti cuiuis decem sextertij ad emẽdum panem, edullia, & bellaria, & etiam ad bibendum dantur, cur tu Sextiliane adeò intemperanter te geris, vt solus bibas viginti sextertios? Illud enim *bis decies* duplicatum significat numerum superiorem bis quina B Numismata.

* Cùm duo sint, reciprocum hoc Epigramma conferas & componas cum 81. huius lib. in eũdem Sextilianum. N.R.

* Scil. legi fuit posita in cenam.

1 IAM *defecisset portantes calda ministros.*] Non obtundam te agitata multis controuersijs à doctissimis viris quæstione: Vtrum veteres calidam aquam, vel solitariam, vel mero infusam in delitijs habuerint, lege doctissimum Lipsium 1. lib. electorum cap. 4. & repugnantem eruditissimum medicorum Hieronymum Mercurialem variarum lib. 1. cap. 8. & si vacat de eâdem te peritissimum medicum Myconium Barcinocensem qui de frigida potione diligentissime Hispano sermone scripsit. Inficiari non possumus in delitijs fuisse, confirmantibus id multis veterum testimonijs, quæ adducuntur à Lipsio dicto loco: quibus adde locum notatu dignum Clementis Alexandr. lib. 2. pædagogi cap. 3. *Argenteorum & aureorum gemmeorumque poculorum irritus est vsus, & inutilis, vt qui sit visus solum deceptio. Nam siue eis ca-*A*lidum mixtum liquorem infuderis, excalefactorum vasorum molesta est tractatio.* Hactenus Clemens ex interpretatione Gentiani Herueti. Est item verum quod Mercurialis docet, vt colligere potes ex epigr. 86. lib. 6. datam eam potionem medicamenti loco præcipuè lassis, commotisque; vt Plutarchus de tuenda valetudine affirmat, & ego confirmo pulcherrimo Tibulli testimonio lib. 1. eleg. 10. de Fortunato & beato rustico.

Ipse suas sectatur oues, at filius agnos,
Et calidam fesso comparat vxor aquam.

Quamuis etiam attigisse videtur Poëta morem antiquum. Solebant namque veteres ex itinere fessi aquâ calidâ se fouere, atque lauare. Plautus in Epidico, sce. Male morigerus,

----abi intrò, ac iube huic aquam calefieri.

Vbi Epidicus monet Stratippoclen, vt iubeat aquam calefieri ad lauandam virginem peregrè venientem. & in Bacchidibus scen. 1.

---- aqua calet, eamus hinc intro, vt laues:
Nam vt in naui vecta es, credo timida es.

Et in Truculento scen. piscis ego credo,

Sed obsecro hercle Astaphium, i intro, ac nuncia
Me adesse. tu i properè, & suade iã vt satis lauerit.

Ceterum quod antiquitus in aqua calida potanda, hodiéque id vsu venire videmus, in aqua niue refrigerata: cùm omnibus sit in delicijs, & eadem solet aliquando ægris ministrari à medicis. quod olim etiam factitasse Medicos constat: Nam Galenus 7. Methodi, memorat se interdum stomachi, ac membrorum intemperiem aqua niuibus refrigerata curasse. Hinc lux Suet. in Claudio cap. 40. *Dum*, inquit, *de quæstore quodam candidato inter caussas suffragationis suæ posuit, quòd pater eius frigidam ægro sibi tempestiuè dedisset.* vbi aqua frigida ægro data. De hoc eodem bibone infra dicemus epigrammate 27.

De Regulo. XIII. C

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canáque sulfureis Albula fumat aquis,
Rura nemúsq; sacrũ, dilectáq; iugera Musis
Signat vicina quartus ab vrbe lapis:
Hic rudis æstiuas præstabat porticus vmbras,
Heu quàm penè nouũ porticus ausa nefas!
Nam subitò collapsa ruit, cùm mole sub illa
Gestatus biiugis Regulus esset equis.
*Nimirum * tenuit nostras fortuna querelas,* D
Quæ par tam magna non erat inuidiæ.
Nunc & damna iuuant: sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare deos.

* Id est, impedijt. Alij, timuit, legunt.

Περὶ Ῥηγύλου. ιγ.

Ἧι τεῖχος εἰς ψυχρὰς τὴν Τίβουρος ἐξίπτας,
Λευκά τ' ἀναβλύζει νάματα θειοβαφῆ·
Ἔνθα γύας ἱερὰς, καὶ Μουσῶν δάπεδον ἄλσος,
Σημεῖον πόλεως ἄρχε τέταρτον ἔχει·
Τῇδε θέρους σκιερὰς ἕδρας αἴθουσα παρεῖχεν,
Ἡ μικροῦ ποιεῖ τλῆσα νεοχμὸν ἄγος·
Ἤριπεν ἐξαίφνης γὰρ, ὑπὸ στέγης, ἦντε δὲ αὐτῆς
Ῥήγυλος ἐξ ἡμιόνων ἦγε δίιπποις ὄχοις.
Ἦ ῥα Τύχη μομφὰς ἡμῶν φθόνον οὐκ ἀνέμεινε,
Τοσσατίοιο μένους ἄξιον οὖσα βεβαιωμένη.
Τὰ βλάβη ὠφελέει· τοῦ κινδύνου ἐστὶν ὄνασθαι.
Ὀρθὰ πεσὰς ἐοῦσ' οὐκ ἂν ἔδειξε θεούς.

DOMITIVS CALDERINVS.

ITVR *ad Herculei.*] De hoc Regulo multa apud Plin. in epist. & nonnunquam cum eius reprehensione, hic causidicus habebat ad quartum lapidem, & nemus, & porticum: in qua cùm gestaretur paulò pòst statim eo egresso corruit, vnde inquit Regulum fuisse curæ dijs.

GELIDAS *ar.*] Tibur est cœli frigidissimi.

HERCVLEI) Quia Hercules Tiburi colebatur.

CANA *Albula*] Albulæ aquæ in agro tiburtino, quæ maximè vulneribus medentur, vt Plin. & Strab. de his Papin. *Iunctis fornacibus amnis,*

Rides anhelantes vicino flumine lymphas.

Qui Albulam hoc loco, pro Tiberi accipiunt, falluntur.

RVDIS] Non elaborata, & polita.

ÆSTIVAS *vmbras*] id est ipsa æstiua.

QVAM *penè*] Quàm quasi. A

NIMIRVM] Si non corruit, dum illic erat Regulus.

TIMVIT *fortuna querelas*] Quia fortuna non potuisset sustinere nostram inuidiam, & querelas nostras, qui amamus te.

SVNT *tanti pericula*] Sensus est, placet factam esse iacturam in porticu collapsa, nam periculum ipsum, quod Regulus euaserit aperto testimonio, quòd sit curæ Dijs, tanti est faciendum, vt iactura porticus placere debeat.

STANTIA *tecta probare*] i. si tecta porticus stetissent, non poterant ostendere Deos esse, quibus curæ erat Regulus.

RAMIR. DE PRADO.

Nobile epigramma eiusdem est cum inferiori 83. argumenti. de hoc Regulo Plinij Nepotis æmulo, B multa apud ipsum vulgatissima. Gaudebat celebrari à Poëta, quem crediderim munusculis Martialem subornare solitum. Quæ liberalitas multa peperit epigrammata, notissima in hisce libris.

1 QVÆ *par tam magna non erat inuidia.*] Simile de Plutone, epigr. 46. lib. 7.

Non tulit inuidiam taciti regnator Auerni.

Recte cetera in hoc epigrammate sunt ab Heraldo, Radero, & alijs explicata. Sequens verò vltimű distichum existimo à nemine intellectum fuisse. Priori versu est elegans antitheton, *Nunc & damna iuuant.* Damna namque pro iactura posuit, quam fecit Regulus in ruina porticus; cuius reædificatio plurimo constare oportuerat. *Iuuandi* verbum recondità & abstrusa significatione, *quæstum* facere significat. Probat pulcherrimum Martialis epigramma 57. lib. 5. C

Irasci tantum felices nostis amici,
Non belle facitis, sed iuuat hoc facere.

Id est, hoc facere vobis quæstui est. Non credis? vide idem lib. 12. epigr. 13.

Genus, Aucte, lucri diuites habent iram,
Odisse quam donare vilius constat.

Non lac lacti similius, quam hoc epigramma superiori. *felices* dicit illud, hoc *diuites*, quod idem est, vt lib. 2. epigram. 30.

Quippe rogabatur felixque vetusque sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.

Hoc *genus lucri habent*: illud *iuuat*. Si secus interpreteris, dic mihi quid insulsius esse poterat priori D epigrammate? *Non belle facitis, sed iuuat*, id est, delectat vos irasci. probat ergo ingeniosè quomodo iuuet, & genus lucri sit irasci illis verbis:

Odisse, quàm donare, vilius constat.

Sic etiam epigrammate 108. infra hoc verbum *iuuat* accipiendum.

In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci;
Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

Id est, quæstui est. Vnde insulsam notabis huius verbi explicationem apud Horat. Sat. 1. lib. 1.

Quid iuuat immensum argenti pondus & auri,
Furtim defossa timidum deponere terra?

Quam adducit vetus Commentator, dum inquit, *Cum, tanto studio, pecuniam quæras, quid te delectat eadem non vti, sed humi defossam seruare?* Viden' quomodo tota gratia acutissimi Poëtæ pereat, non intellecta vna vocula? An existimas auarum defossa pecunia non delectari? imò hoc fine pecuniam congerit, vt in eadem Satyra de auaro numos cõtéplante,

----- Populus me sibilat? at mihi plaudo,
Simul ac nummos contemplor in arca.

Sed nota acumen subtilissimi Poëtæ. Dixerat omnem lapidem moues, dum ne sit te ditior alter: & subiungit; *Quid te iuuat* defossa grãdis pecuniæ summa? *iuuat*, id est ditat, locupletat. Quo dicto stultitiæ redarguit auarű, qui cùm ditissimus esse cupiat, id faciat, quo nulla ratione diues esse potest.

Est ergo, vt dixi, pulcherrima antithesis *damna iuuant*, quæ potius solent sua natura detrimentum afferre: causam autem adiungit per Epiphonema. *Sunt ipsa pericula tanti.* id est, adeò timentur pericula, vt si quis ea euaserit nullum damnum putet damnum, imò in lucro maximo ponat.

2 STANTIA *non poterant tecta probare Deos.*] Non intelligo vt vulgus interpretum *probare* esse Deos; id enim ridiculum est: sed *probare*, id est probos esse ostendere, qui magni Reguli curam habebant, & superstitem esse curabant, vt dixit compare epigrammate 83. infra, B

Quis curam neget esse te Deorum?

Et lib. 2. epigr. 91. ad Cæsarem Domitianum eadem sententia vsus est,

Rerum certa salus, terrarum gloria Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos.

Vbi omninò lego, *manos credimus esse Deos*, id est bonos. Nam antiqui *manum* dicebant bonum: vnde *mane*, quod bona sit ea lux præ tenebris noctis præcedentis: & *Dij manes*, Grammaticorum obseruatione vulgata. Bonus autem, & probus idem: Sic probare, id est bonum fateri, vel ostendere. Hispani bellè hic exprimimus: idem enim est *yo os probare esto*, atque, *yo os hare bueno esto*. Libro etiam 5. epigr. 1.

Sospite, inquit, *quo gratum credimus esse Iouem.*

Grati comprehensione Iouis bonitatem intelligit, vt contra *ingrati* nomine iniquitatem omnem, vt apud C Publium Mimographum,

Maledicta omnia dixeris, cum ingratum hominem dixeris,

Lippis, & tonsoribus notum, miseros illos veteres à prosperis vel aduersis euentibus rerum Deos bonos vel malos existimasse. Testimonia ociosus lege hoc loco apud Heraldum: Sed ne te fallat eius interpretatio, qui existimat *probare* hic significare *μνῆμα*, quod supra iam admonui.

De Arria, & Pæto. XIIII.

D *Casta * suo gladiű cùm traderet Arria Pęto,* * Vide Cornel. Tacit. lib. 16.
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides, vulnus, quod feci, nõ dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

DOMITIVS.

CASTA *suo*] Duæ Arriæ fuerunt, altera mater, altera filia, mater damnato Pæto marito, fodit corpus gladio, eundemque ipsi tradens, hac voce memorabili vsa dicitur. *Vulnus, quod feci, non dolet, sed dolet, quod tu facies*, quod verbum & fortis, & pij animi, mandatum est monumentis, & epistola Plin. Et hoc carmine filia vxor fuit Pæti Thraseæ, quæ morituro marito exemplum matris meditabatur, vt Tacitus scribit, sed Thraseæ verbis destitit, de matre, nunc loquitur.

SI *qua fides*] Id est, si mihi credere potes.

RAMIR. DE PRADO.

A EGREGIÆ, & selectæ matronæ Romanæ factum describitur elegãtissimo hoc & grauissimo epigrammate. Historia notissima est. Laudes celebratæ ab eloquentissimo Plinio Iuniore multis in locis. Radeæ rus egregiam nanauit hoc loco operam.

Ad Cæsarem. XV.

Delicias Cæsar, lusúsque iocósque leonum
Vidimus: hoc etiam præstat arena tibi,
Cùm prensus blando toties à dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.
Vnde potest auidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen esse tuus dicitur, ergo potest.

Πρὸς Καίσαρα. ιε.

Τερπωλὴν ἴδομεν, Καῖσαρ, καὶ παῖγμα λεόντων.
Ἔργα σοι παρέχει τοῖα κυνηγέσιον.
Εὖτ' ἀπὸ μειλιχίοιο λαγωὸς πάλιν ἔσσυτ' ὀδόντος,
Καὶ τρέχεν οἰγομένων αὖθι διὰ στομάτων.
Καὶ πόθεν αἱμοχαρὴς ἄγρης φείδεσθαι ἑτοίμης
Θὴρ δυνάται, καί, ἄναξ (σὸς γὰρ ἔφυ) δύναται.

DOMITIVS.

DELICIAS *Cæsar.*] Laudatur Clementia Cæsaris in leone, qui cùm Cæsaris sit, parcit lepori.

LVSVS, *& iocos.*] Quoniam feræ non cædebantur à leone.

BLANDO *dente.*] Non lædenti.

VAGVS.] Liber, & solutus.

VNDE *potest.*] i. quomodo potest parcere leporibus?

POTEST *parcere.*] Quia refert clementiam tuam Cæsar.

RAMIR. DE PRADO.

DE hoc supra epigr. 7. & existimo hoc spectaculo Domitianum sibi nimium placuisse, quæ causa fuit cur Poëta noster nouem epigrammata de eodem scripserit hoc libro.

Ad Iulium XVI.

*O mihi post nullos, Iuli * memorãde sodales:*
Si quid longa fides, canáque iura valent.
Bis iam penè tibi consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non benè distuleris, videas quæ posse negari,
Et solùm hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curæque, catenatique labores.
Gaudia non remeant, sed fugitiua volãt.
Hæc vtráque manu, complexúq; assere toto:
Sæpè fluent imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam.
Sera nimis vita est crastina: viue hodie.

* Pal. *numerande.*

DOMITIVS.

O *mihi post nullos.*] Iulium sodalem ætate ingrauescentem hortatur ad otium, & virtutem cum voluptate, nam vera vita apud Mart. nihil aliud est, quàm dare operam virtuti, cum honesta voluptate, neque expectandum esse ait: cùm labantur dies, & incertum sit, quid vesper serus vehat, vt Var. scrib.

B O *mihi post nullos.*] i. ô Iuli inter primos meos sodales.

LONGA *fides.*] Longa amicitia.

IVRA *cana.*] i. antiqua familiaritas.

IAM *tibi instat bis trigesimus consul.*] i. iam nactus es lx. annum: antiqui terminabant vitam, lx. annis.

TVA *vita numerat paucos dies.*] i. parum dedisti operam otio, & virtuti, & relaxationi animi, i. paucis diebus vixisti.

NON *benè distuleris.*] i. non sapienter facis, & differs.

CATENATI *labores.*] i. in speciem catenæ coniuncti & perpetui.

EXSPECTANT.] Non abeant.

ASSERE.] Vendica tibi.

C SÆPE *fluunt sic.*] i. asserta, & vendicata gaudia sæpè fluunt, adeò gaudia sunt inconstantia.

VIVAM.] Differre vitam.

IMO *sic quoque lapsa sinu.*] i. dum loquor amisimus tempus vitæ & voluptates. Persius,

Fugit hora, hoc quod loquor, inde est.

Quasi dicat poteramus has horas non perdere.

CHRISTOPH. COLERVS.

GAVDIA *non remanẽt.*] Vetus editio. *Gaudia non remanent.* Rectiùs: nam ideò fugitiua dicuntur, vt & libro 7.

Viue velut rapto, fugitiuaque gaudia carpe:
Perdideris nullum vita reuersa diem.

RAMIR. DE PRADO.

D HÆC adhortatio Epicurea frequentissima est, vt lib. 2. ep. 59. & 90. lib. 4. ep. 54. lib. 5. epigr. 21. 60. & lib. 7. ep. 46. & 64. & lib. 8. ep. 44. & 77. Sodalem se fuisse Iulio triginta & quatuor annos testatur lib. 12. ep. 34. ob id longam fidem dicit, probatæ scilicet amicitiæ, *& cana iura,* id est vetera sodalitatis.

1 ET *numerat paucos vix tua vita dies.*] Eadem sententia scribit lib. 6. epigramm. 70. multos versus de valetudine Cottæ senis, qui omnes, & hæc sententia desumta sunt à Seneca lib. de breuitate vitæ cap. 3. *Tua* inquit, *vita numerat paucos,* &c. id est, paucos dies, quamuis sexagenarius sis, vixisti: nam non est viuere vita, sed valere, sed quietum esse, sed indulgere genio: sed bene viuere, vt inquit Terentius,

---Vixit dum vixit bene.

Et Arbiter lepôrum hoc sensu dixit in satyris,

Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus,

Ergo viuamus, dum licet esse bene.
Contra ingeniosè Ouid. lib. 1. de ponto eleg. 5.
Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Nestore maior ero.
Quam sententiam secutus Plinius Iunior lib. 4. epist. 24. ad Valentem suum ait: *Si computes annos exiguum tempus, si vices rerum, æuum putes.*
2 NON *bene distuleris videas quæ posse negari.*] Id est continuò tibi eripi posse voluptatem, cùm vita in eadem ipsa eripit tibi possit, nec certa voluptas sit vlla præter eam quæ præteriit. Hic enim est sensus sequentis Pentametri;
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
3 CATENATIQVE *labores.*] Quod quasi catena alii aliis ligati sint, & cohærentes; ita vt vno excepto multi subsequantur. Quò respexit Garsias Lassus à me laudatus, & laudandus sæpe, in ecloga 3. sub principio, his verbis.
Mas la Fortuna de mi mal no harta,
Me affige, i d'vn trabaio en otro llena, &c.
Prudens est Hispanorum votum, & Adagium, *Bien vengas, mal, si vienes solo.*
4 GAVDIA *non remeant.*] Omninò legendum, *remanent*, quod indicat sequens comma, *Sed fugitiua volant.* nam possunt fugitiua volare, & remeare subinde, sed non remanere.
5 SÆPE *fluent imo sic quoque lapsa sinu.*] Endiadis est, quamuis gaudia recondas in unum sinum, ex eo labentur & fluent sæpe.

Ad Auitum XVII.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit Auite liber.

* Sunt mala plura; In libro edendo saltem seruari debet temperamentum, quod in melle vendendo proposuit Apicius doctus gulæ artifex Epim. 15. Mel malum inquit, bonu fatis ad vendendum, si vnam partem mali & duas boni simul miscuerit. N. R.

Πρὸς Ἄουιτον.
Ἐνθάδε πολλὰ μὲν ἐσθλά, μεμιγμένα, πλεῖστα λυγρά.
Ἔγνως· οὐδ᾽ ἄλλως γίνετ᾽, Ἄουιτε, βίβλος.

DOMITIVS.

SVNT *bona.*] Dicit se nullo genere epigrammatis abstinere, vt librum expleat, in quem sensum dixit. *Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis.* Aliter n. in iustam magnitudinem non venit.
ALITER] i. nisi omni genere epigrammatum congesto.
NON *fit liber.*] Non crescit iusta libri magnitudo.

RAMIR. DE PRADO.

SIMILE epigramma est 80. ad Lausum lib. 7.
Triginta toto mala sunt epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

Ad Titum XVIII.

Cogit me Titus actitare caussas,
Et dicit mihi sæpè, magna res est.
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

Περὶ Τίτου.
Αἴ γ᾽ εἴργει Τίτος ὡς συνηγορεῖν με,
Φήσας πολλάκι, παμμέγ᾽ ὧδε χρῆμα.
Χρῆμ᾽ ἔστι Τίτε γηπόνου μέγιστον.

DOMITIVS.

COGIT *me.*] Respondet Tito hortanti, vt declamaret potiùs, quàm scriberet epigrāmata, quoniam declamare esset res magna: negat hoc Martialis, cùm etiam coloni sciant agere causas, quasi velit ostendere pauciores scribere epigrammata, quàm agere causas.
RES *magna est, quam facit colonus.*] Quia coloni sciunt agere causas, vt interrogando legas, nam quòd affirmando legant alii, non placet.

RAMIR. DE PRADO.

Dupliciter interpungunt hoc epigramma: legunt enim, cum interrogatione vltimum versum alij, & explicant. Est ne magna res, Tite, quam præstare colonus potest? Quasi dicat. Sæpe coloni robusti bonis lateribus, vastâ voce, tabulæ fiunt, & causas actitant. Mihi non placet id vitæ genus sequi, quod quilibet è populo sequi potest, vt dicit epigrammate 3. lib. 5.
Hoc ego tuque sumus, sed quod sum non potes esse:
Tu quod es, è populo quilibet esse potest.
Alij subtilius absque interrogatione legunt, vt sit illusio quædam quâ respondet Tito, & ludat in ambiguitate, *Res magna est*, id est magna pecunia est, quam colonus excolendo agro congerit. Vel *res magna est*: id est improbus labor, quo subiectus est colonus serendo, vt metat, & metendo, vt serat, vt scribit Fauorinus apud Stobeum cuius verba latine reddita sic sonant: *Aiunt amatorium quendam à patre terram colere coactum, laqueo finiuisse vitam, cùm in tabella scripsisset, agriculturam esse rem infinitam, & nunquam absolui: serendum enim, vt metamus: & metendum vt seramus: absurdo rei circulo.* Quod retulit Robertus Titius lib. 5. controuers. locorum cap. 23. etiam Virgil. eodem sensu scripsit li. 2. Georg. v. 400
——redit agricolis labor actus in orbem.
Tu vtramuis explicationem elige.

Ad Tuccam XIX.

Quid te, Tucca, iuuat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facilè est: scelus est iugulare Falernum,
*Et dare Campano toxica * sæua mero.*
Conuiuæ meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam pretiosa mori.

* v. Vinaceo.

DOMITIVS.

QVID *Tucca.*] Auaritiam Tuccæ carpit, qui cùm Phalernum haberet, miscebat in vino vaticano

vilissimo, & in hoc iocatur, Vinum vaticanum est vappa: vallis Vaticana iuxta ædem Petri.

A

D*e nobis facilè est*] i. iugulare nos, quos fortasse odisti, facilè est, & ferendum.

A*mphora*.] Vas est hoc loco, alibi est genus mensuræ, vt dicitur Cæsar centum phalerni amphoras die sui triumphi dedisse conuiuis. *Cadus*, eodem modo, vt & idem dicitur dedisse centum cados vini Chij.

RAMIR. DE PRADO.

Sordidam hanc Tuccæ rusticitatem facetissime irridet Martialis, & ad ea, quæ congesta ab aliis sunt, illud forte à nemine animaduersum, adiunge. Hic iugulari falernum, mori, & veneno necari non minimo scelere: Nam satis notum est dici per metaphoram; sed per eandem dici de vino viuere, quod contrarium est, ignotum. Nec illud tibi obtrudam vulgatissimum, *ferre ætatem bene*, quod dicitur de iis, qui cùm senes sint, iuuenes apparent: Sed pulcherrimum exhibeo tibi Petronij locum. *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in ceruicibus pittacia erãt affixa cum hoc titulo*, FALERNVM OPIMIANVM ANNORVM CENTVM: *dum titulos legimus complosit Trimalcio manus, & Heu, inquit, ergo diutius viuit*. Vides viuere diserte dictum de vino.

1 D*e nobis facile est*.] Elegans dicendi formula id est, facilis est nostri iactura, nam forte absque scelere poteras nos iugulare, & scelus est iugulare falernum.

Ad Aeliam. XX.

Si memini, fuerãt tibi quatuor, Aelia, dentes:
Exspuit vna duos tussis, & vna duos.
Iam secura potes totis tussire diebus;
*Nil * istic, quod agat, tertia tussis habet.*

*V. tibi quod tollat

RAMIR. DE PRADO.

P*er* se lucet facetissimum epigramma. Quatuor dentes reliqui tribuuntur à Poëta his cadauerosis vetulis ad deformitatem ostendendam. Sic epigrammate 92. lib. 3.

Cum tibi trecenti Consules vetustina,
Et tres capilli, quatuorque sint dentes.

Vide quæ ibi notauimus & lib. 2. epigr. 41.

Ad Cæcilianum. XXI.

Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata,
Solus boletos Cæciliane voras,
Quid dignum tanto tibi ventre, guláque precabor?
** Boletum, qualem Claudius edit, edas.*

Tacitus li. 12.

DOMITIVS.

D*ic mihi*.] In Domitium Cæcilianum scribit, eiusdem nominis fuit vir amicissimus Thraseæ, hic vocatis conuiuis boletos solus edebat, cius inhospitalitatẽ carpit poëta, imprecatúrque, vt par est tanto ventri, & gulæ, vt talem edat boletum, qualem edit Claudius, quo venenato extinctus fuit, de quo Iuuenalis. *Post quem nil amplius edit*. Boletus in gulæ irritamenta venit nouissimis temporibus, propterea alibi scribit Martial. *Boletos mittere difficile*. Plinius appellat nouissimum irritamentum gulæ. Quod autem dicit de Claudio, sequitur historiam etiam editam à Tranquillo, qui Claudium scribit venenato boleto esse extinctum. Tacitus tradit veneno necatum ab Agrippina, opera Locustæ, & mysterio Haloti prægustatoris, demùm auxilio Xenophontis medici.

B

T*urba vocata spectante*.] i. spectantibus conuiuis imprecabor, vt edas talem boletum, qualem edit Claudius, quo periit.

RAMIR. DE PRADO.

A*mo* Poetam hunc multis de causis, sed præcipuè quod vrbanitatis magister sit diligentissimus. Odi superciliosos qui existimant hominem obscenum esse. Dispeream si quid in eo obscenum offendi. Omnia enim eo fine scribit, vt nos risu, & subsannatione à vitiis, & à rusticitate morum deterreat; & quæ Stoicorum princeps Seneca, magna sententiarum & verborum pompâ, docet, hic facetiis gratissimis nobis exhibet, Horatij sententia omnibus præferendus quòd vtile miscuerit dulci. Est autem summa rusticitas conuiuij dominum meliores cibos sumere, quam conuiuas. Ab hac vt abhorreamus multa epigrammata conscripsit in eos, qui preciosiores cibos, meliora vina sibi quàm conuiuis apponi iubebant, quæ suis locis explicabimus: Et Iuuenalis hos insectatur multis versibus Sat. 5. qui denique petit, vt idem omnes cœnent, elegantibus hisce verbis, ——*solum*,

C

Poscimus vt cœnes ciuiliter.

S*ed* nota hoc loco factum summi Principis Iulij Cæsaris, quod refert Suetonius in eius vitâ, cap. 48. *Domesticam*, inquit, *disciplinam in paruis, ac maioribus rebus diligentes adeò seuerèque rexit, vt pistorem alium, quàm sibi, panem conuiuis subijcientem, compedibus vinxerit*. Nam qui conuiuis alios quàm sibi cibos apponi iubet, videtur iis eos, quos attingere dedignatur, conuiuis obiicere potius, quàm apponere.

D Plinius in Panegyrico, Traiano laudi tribuit æqualitatem in conuiuiis seruatam. *Nec ieiunus*, inquit, *& inanibus plenus ipse eructans* (legerem & ructans) *non tam apponis, quàm obijcis cibos, quos dedigneris attingere*. Præterea nota, vina etiam ab iis lurconibus, & rusticis diuersa apponi solita, & aliam itidem aquam potasse conuiuas. de vino noster lib. 4. epigr. 86.

Nos bibimus vitro, tu myrrha Pontice: quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Vtrumque probat Iuuenal. Sat. 5. vers. 51.

Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam.

A

De Porsena, & Mucio Scæuola. XXII.

Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contemto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior decepta fama est, & gloria dextra:
Si non errasset, fecerat illa minus.

Idem Græcè.

Ὡς διὰ λάτρειαν ἀμύρτιν ὀρεξαμένη βασιλῆος
Κείρ, αὐτὴν εἰς πῦρ ῥίψε καησομένην·
Ἀντίπαλος δ᾽ οὐ τλῆσ᾽ οἰκτίρμων πλεῖες οὕτω
Θαῦμα, καὶ ἁρπάσας ἔξαγεν ἄνδρα πυρός.
Μούκιος ἣν ἔτλη καίειν χέρα, πῦρ ἀθερίζων,
Ταύτην Πορσίννας οὐχ ὑπέμεινεν ὁρᾶν.
Σφαλλομένης παλάμης μεῖζον κλέος ἐστὶ καὶ εὖχος
Εἰ δὲ κατωρθώκει, ῥέξ᾽ ἂν ἐλαττότερον.

DOMITIVS CALDERINVS.

B

DVM *peteret regem.*] Tangit historiam Porsenæ, & Scæuolæ, quæ nota est.

REGEM] Porsenam.

SATELLITE] id est, scriba: nam Scæuola credidit se percussisse Porsenam.

INIECIT *se sacris focis.*] id est, iniecit se igni, qui ad aras sacras erat.

HOSTIS *pius*] Porsena.

SATELLITE] i. scriba occiso. Dionysius nescio quid addit nouum monumentis, sed nihil ad hunc locum: hæc historia repræsentata est in theatro, & propterea scribitur epigramma. Alibi idem apertiùs de hac eadem historia repręsentata.

RAMIR. DE PRADO.

HOC epigramma elogium est veri Mucij Scæuolæ. Nam quod legitur, lib. 8. epigr. 30. & lib. 10. epigr. 25. ad fictos Scæuolas pertinent, datos populo in spectaculis: de quibus dicemus suis locis. Notissima est historia, & magnificè narrata à Liuio lib. 2. & à Seneca ep. 24.

1 SED *tam sæua pius miracula non tulit hostis.*] Nota elegantem Epitherorum Hypallagen. Nam hostis sua natura sæuus, miracula pia: transtulit Epitheta: miracula dixit sæua, & hostem pium.

2 SI *non errasset, fecerat illa minus.*] Id est, Esto. occidisset Mucius regem forte, qui superérant obstinato animo lecto Imperatore in obsidione permansissent vsque ad vrbis expugnationem. Effecit error, vt Porsena auditâ Mucij oratione, timuerit, & abscesserit. Ergo minus fecisset hæc dextra occidendo regem, quàm errando.

C

De leone, & lepore. XXIII.

Quid nunc sęua fugis placidi lepus ora leonis?
Frangere tam paruas non didicere feras.
Seruantur magnis isti ceruicibus vngues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus,
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

* Non malè sentit, qui legit *non sæua.* propter *Placidi* quod sequitur: vtraque tamen lectio probari potest.

Idem Græcè.

Τίπτε, σκαιὲ λαγωὲ, φεύγεις στόμα πρηῢ λέοντος;
Θῆρας κατακλᾶσαι τοσίχον οὐκ ἐδάη.
Τοιαῦται μεγάλοις ἀνακεῖνται αὐχέσ᾽ ἀκωκαί.
Αἵματος οὐ λιτοῦ γλίχεται ἥδε ζῆλος.
Κῦρμα κυνῶν πτὼξ ἐστ᾽, οὐδ᾽ ἀρκεῖ χάσματι λαβρῷ.
Οὐκ ἂν παῖς Δᾶος Καίσαρος ὅπλα τρέσαι.

DOMITIVS CALDERINVS.

QVID *nunc sæua.*] Idem quod suprà de leone, & lepore.

NON *timeat*] Sensus est. Leones non sæuire in vilem prædam, & imbecillem: exemplo Cæsaris Domitiani, qui generosi, & alti animi: ne in hostem quidem paruum, & infimum arma mouet.

DACVS *puer*] i. hostis puer: nam Dacos domuit, quasi dicat, in hostes debiles Cæsar non sæuit.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad leonem, ad lepores, vt sæpe hoc eodem libro, in quo nota *frangere* dictum de leporibus propriè, vt libro 1. epigrammata 50. rumpere.

D

Leporémque forti callidum rumpes equo.

Et libro 12. epigrammata 14.

——sæpius illis.
Prisce, datum est Equiti rumpere quàm leporem.

Et eod. verbo vtitur epigrammata 52. de iisdem leporibus,

Et quæ non cernunt, frangere colla volunt.

Id est, dilaniare: & Solinus lib. 20. *Apud hos,* inquit, *populos nati canes omnibus feris anteponuntur, frangunt tauros, leones perimunt.*

Ad Cottam. XXIV.

Inuitas nullum, nisi cum quo Cotta lauaris,
Et dant conuiuam balnea sola tibi.
Mirabar quare nunquã me Cotta vocasses,
Iam scio me nudum displicuisse tibi.

DOMITIVS.

INVITAS *nullum*] Cotta habebat balnea, & eos inuitabat, quos in balneis mentulatos inspexerat. Volebat enim subagitari. hi autem iuuenes mentulati, qui alios subagitabant, Drauci dicebantur, à verbo Græco, quasi agentes, *δράω*, Latinè ago. Neque mirandum est in his seruatam esse vocem Græcam, quoniam, & in his qui patiuntur seruata est, B nam Pathici appellantur à *πάσχω*: quod est patior. Mentulati autem ab his, qui volebant subagitari, ex balneis eligebantur, vt alibi. *Oculis deuorantibus draucos*, hoc est, quàm auidissimè intuebatur, & optabat.

SCIO *me nudum displicuisse tibi*] quoniam vidisti me non satis mentulatum, vt tibi præstare operam possim.

RAMIR. DE PRADO.

SVB persona Cottæ, molles & effeminatos sui temporis homines taxat, qui bene vasatos è balneis ad conuiuia; è conuiuijs ad lectum educebant, fiebâtque strenuorum huiuscemodi militum in balneis delectus. Seneca quæst. natur. li. 1. cap. 16. de Hostro C quodam profligatissimæ obscœnitatis homine. *In omnibus*, inquit, *balneis agebat ille delectum, & aperta mensura legebat viros.* vbi mutoniati fiebat maximus plausus. vt lib. 9. epigr. 34.

Audieris in quo. Flacce, balneo plausum,
Mutonis illic esse mentulam scito.

Sic enim malo, quàm *Mathonis*, vel *Morionis*. Muto enim ille dicebatur, quod magnum haberet fascini pondus, quasi totus esset mentula, quæ ipsa muto vocabatur. Horat. sat. 2. lib. 1.

Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret hæc animus.---

Quo loco imitatus est teste Porphyrione Lucilium, qui lib. 8. satyr. sic scripserat,

At laua lachrymas mutone absterget amica.

Sic enim lego non *à laua*, nec *iam laua*, vt alij ex vetere scriptura corruperunt: inde mutoniati dicti sunt, bene vasati: & lib. 3. epigr. 73.

Dormis cum pueris mutoniatis.

DE eodem plausu est elegantissimus apud Petronium locus de adolescente quodam in balneo lauante. *Illum autem*, inquit, *ingens frequentia circumuenit cum plausu, & admiratione timidissima. Habebat enim inguinum pondus tam grande, vt ipsum hominem laciniam fascini crederes.* Quæ vltima verba sic intellige. Erat tantus Priapus, vt homo ipse appendix eius, vel lacinia esse videretur. Id est, multò breuior erat homo, quam suus ipsius fascinus. De delectu locus in Lampridio in vita Heliogabali, *Romæ*, inquit, *deniq; nil eget aliud nisi emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent, eosque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui posset.* Ii autem emissarii non alio quàm per balnea discurrebant. Ideo idem ipse quo posset conditiones bene vasatorum cognoscere, lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, & simul & palam populo exhibuit, vt Lampridius testatur. Et

A ille effeminatus inf. epigrammata 97. eosdem auidè spectabat in balneo.

Vna lauamur, aspicit nihil sursum;
Sed spectat oculis deuorantibus Draucos,
Nec otiosis mentulas videt labris.

1 IAM *scio me nudum displicuisse tibi.*] Fatetur Martialis se bellà hac supellectile non satis instructum esse, quod disertis verbis prodit lib. 7. epigr. 54.

Lingua non mihi (nam proba & pusilla est)
Sed quæ de Solymis venit perustis;
Damnatum modo mentulam tributis.

Ob hoc se huic Cottæ displicuisse dicit nudum. idem dicit Gallæ, epigr. 50. lib. 3.

Et semper vitas communia balnea nobis,
Numquid Galla times ne tibi non placeam?

Eadem autem querela, quod non inuitaretur ob eandem penuriam, est lib. 3. epigr. 27. in Gallum.

Ad Decianum. XXV.

Adspicis incomtis Illum Deciane capillis,
Cuius & ipse times triste supercilium.
Qui loquitur Curios, assertorésque Camillos
Nolito fronti credere, nupsit heri.

Pal. Vates. Sed recepta lectio magis placet.

DOMITIVS.

ASPICIS *incomtis*] Notat barbatum cynædum, qui cùm Socraticus vellet videri, & asper, subagitabatur: hoc genus hominum carpit Iuuenal. & Socraticos cynædos appellat, quo loco interpretando, nescio quid multi garriant.

SVPERCILIVM] i. grauitatem.

ET *ipse*] Qui ei stoïcæ disciplinæ, vt alibi de eodem: Quod magni Thraseæ, &c.

RAMIR. DE PRADO.

EST hoc epigramma in cynædos, qui molliciem dissimulantes, se rigidos, & seueros ostentabant.

1 ADSPICIS *incomtis illum.*] Aliqui volunt illum *δεικτικῶς* accipi, quòd alibi illi cuiusdam mentio sit. Ego malo [illegible], *incomtis capillis*. Sunt qui volunt se nimium viros videri, quod epigrammate 36. lib. 2. *turbare capillos* dixit, & epigr. 57. lib. 7. *Hirsutum* appellat talem virum. Quo epigrammate duo Disticha vltima sunt simillima huic.

D 2 TRISTE *supercilium.*] De *τὸ triste*, vide in epistola huius libri, n. 7. *Loqui Curios, & Camillos*, velut dicto epigrammate *Fabios & Quintos*. *Numas, Ancos*, vt epigr. 28. lib. 1. prouerbialiter dicitur, & significat grandia, & seuera verba proferre digna his antiquis, & bonis viris. Sic Iuuenal. sat. 2. vers. 3.

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Et hic lib. 7. epigr. 67.

Hæc ego vel Curio, Fabricióque legam.

3 NOLITO *fronti credere.*] Id est, supercilio, & tristitiæ frontis. Sic Iuuenalis horum fronti fidem adhibendam esse negat, ead. sat. 2. vers. 9.

Fronti nulla fides. quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? ----

4 NVPSIT *heri.* Vulgaris obscœnitatis formula, id est, muliebria heri passus est. quanquam verè corruptissimo illo seculo nupsere cynædi. Notum de Nerone. Sueton. in eius vita, cap. 28. & 24. Et Seuerus Sulpicius in 2. sacræ historiæ de Nerone ipso.

Post etiam (inquit) Pythagoræ cuidam in modum solemnium coniugiorum nuberet, inditumque Imperatori flammeum, dos, & genialis thorus, & fasces nuptiales: cuncta denique quæ in feminis non sine verecundia conspiciuntur spectata. De Heliogabalo, Lampridius, & Clemens Alexandrinus hoc vitium eleganter taxat his verbis ex versione Gentiani Herueti, lib. 3. pædag. cap. 3. *Homines patiuntur muliebria, & feminæ præter naturam viros agunt & nubunt, vxoresque ducunt feminæ.* Quod etiam vitium, & impudentissimum facinus velle hic noster lib. 12. epigr. 42. de Callistrato & Afro reprehendit: Et Satyricorum Princeps Iuuenalis hanc eandem turpitudinem notat vrbanissimè, sat. 2. v. 134.

Primo Sole mihi peragendum in valle Quirini,
Quæ causa officij? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. liceat modo viuere: fient.
Fient ista palàm, cupient, & in acta referri:
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt & partu retinere maritos.

Vbi illud *cupient & in acta referri*, est habere liberos, quia statim ac nascebantur à parentibus in acta publica referebantur. Apuleius: . . . . . *pater natum tibi filium ceterorum more professus est.* Et Iulius Capitolinus in Gordianis, *Filium Gordianum nomine Antonini, & signo illustrauit, cum apud Præfectum ærarij more Romano professus filium publicis actis eius nomen insereret.* Et idem in M. Aurelio, *Inter hæc liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud Præfectos Aerarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri intra tertium diem, nomine imposito:* quod fiebat, vt de paterno iure constaret: ad hereditates, legata, & caduca capienda, & etiam ius trium liberorum. Id Iuuenalis idem conceptis verbis, sat. 9. vers. 82.

Nullum ergo meritum est ingrate, ac perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. foribus suspende coronas,
Iam pater es: dedimus quod famæ opponere possit:
Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commoda præterea iunguntur multa caducis,
Si numerum, si tres impleuero. ---

Et cum liberi referrentur in acta, referebantur etiam & parentes. Colligo ex Scæuola in L. Imperatores. §. mater grauida. ff. de Probationib. *Mulier grauida repudiata filium enixa absente marito, spurium in actis professa est. Spurium*, id est, vulgo conceptum, absque patre certo. Ergo cum parentes erant certi, referebantur eorum nomina in acta cum nominibus liberorum, & ideo dixit Iuuenalis,

---*cupient & in acta referri.*

Quorum verborum sententiam esse, hanc satis notat illud verbum *interea*, id est, dum non referuntur in acta, quod est, dum non pariunt, & liberos non habent: Nam eò dementiæ cynædi isti deueniebant, vt existimarent posse concipere, & beneficia, ac medicamenta ad id comparabant: quod paulo post in eadem sat. 2. versu 140. facetè scripsit.

---*steriles moriuntur, & illis*
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Et in eod. supra dicto epigramm. 42. lib. 12. de Callistrato & Afro hoc innuit noster his verbis.

Dos etiam dicta est: nondum tibi Roma videtur
Hoc satis? expectas: nunquid & vt pariat.

Hoc idem crimen quod viri viris nubant seuerissime vindicat Imp. Constantini & Constantis ad po-
A pulum constitutio l. cum vir 31. cod. ad leg. Iul. de adulter. de cuius legis variâ lectione est à nostris Criticis Iurisconsultis summis cõtrouersiis agitata quæstio, quam breuiter, & eruditè Dionysius Gothofredus in suis glossis discidit, quem adi: Et quemadmodum hoc Martialis loco & aliis vt Suetonii de Nerone cap. 29. *nubere* est muliebriter se gerere, & muliebria pati: Sic lib. 8. epigr. 12.

--- *vxori nubere nolo mea.*

Id est nolo vxori meæ subditus esse, sic etiam Pomponius, vt est apud Nonium in *Nubere. Sed meus frater maior postquam vidit me inde eiectum domo, nupsit posterius dotatæ vetulæ varicosæ Afræ. Nubere* in eadem significatione qua noster epigrammate superiori, & quod hic *locupleti*, Pomponius *dotatæ* dixit. Quod acumen non pupugit plumbeum cor putidi illius Grammaticuli Nonij Marcelli. vt *Nubere vxori* est vxori subditus esse, ita & duci virum ab vxore idem significat, lib. 10. epigr. 79.

B *Custodes das Polla viro, nec accipis ipsa:*
Hoc est vxorem ducere Polla virum.

Ad Faustinum. XXVI.

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiæ damnẽt Pandionis arces,
Nec sileant nostri, prætereántque senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famã,
Téque piget curæ præmia ferre tuæ?
C *Post te victuræ, per te quoque viuere, chartæ*
Incipiant: cineri gloria sera venit.

DOMITIVS.

Ede tuos.] Hortatur Faustinum, vt edat suos libros compositos, & assequatur laudem, cùm possit viuens eam assequi.

Opus *cultum docto pectore*] i. ingenio tuo.

Quod *opus nec damnent arces Cecropiæ, nec nostri nec Græci*] Hoc est opus à Græcis, & à Latinis, laudandum.

Cineri *gloria sera.*] Ex sententia Epicuri, qui omnia soli vitæ tribuit.

D RAMIR. DE PRADO.

Adhortatio Faustino missa, vt suos libros edat, qualis Plinii Secundi ad Octauium & Arrianum. Est epigramma perspicuum. quartus versus non satis liquet.

1 Nec *sileant nostri, prætereántque senes.*] Senes dixit quod Faustini opera, multæ & bonæ frugis essent, qualia solent probare senes: sed quid est, *prætereant?* præteritum hoc ab interpretibus, qui non subodorarunt verbi elegantiam, & proprietatem. Est *præterire* hoc loco, non attingere omnino. Qua metaphora exhibebo tibi suauissimum gustum, cum Horationi loci exacta interpretatione: est in arte,

Centuriæ seniorum agitant expertia frugi,
Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes.
Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Elegantissima est allegoria desumta à suffragijs populi,

puli, quibus magistratus creabantur: nam suffragiorum tabellæ colligebantur in septis per pontes à diribitoribus: deinde congerebantur in mensas, & secernebantur per nomina candidatorum: & tabulis quibusdam cereis tot puncta signabantur sub cuiusque nomine, quot suffragia candidatus habuisset: Et qui plura tulisset puncta, is vel Consul, vel Prætor, vel alius magistratus creabatur, & præconis voce publicabatur. Dicebant autem *agitari* eum à populo, qui paucissima puncta tulisset: ita vt repulsam pateretur, prælato alio competitore. *Præteriri* verò eum, qui nullum omninò punctum & suffragium tulisset. De hoc verbo quod huius loci est accipe testimonium Ciceronis pro Cn. Plancio. *Nunc tantum disputo de iure populi, qui & potest, & solet nonnunquam dignos præterire: nec si à populo præteritus, quem non oportuit, à iudicibus condemnandus est, qui præteritus non est.* & eiusdem in Tusculanis. *Cum bonus vir suffragiis præteritur, non ille à vano populo repulsam fert,* &c. Liuij lib. 22. *Nec cuiquam eorum præter Terentium Cos. erat mandatus honos, quem iam non antea gessisset, præteritis aliquot fortibus, ac strenuis viris.* Valer. Maxim. lib. 9. cap. 3. §. 6. de ira. *Age quàm euidenter se in pectore vniuersi P. R. gessit eodem tempore, quo suffragijs eius dedicatio ædis Mercurij, M. Plotonio primipili Centurioni data est, præteritis Consulibus.* Sed hi omnes propriè loquuntur de suffragijs, metaphoricè Seneca lib. 4. de benef. cap. 10. *Ideo locupletem, sed indignum præteribo; pauperi viro bono dabo.* & Iurisconsultus in L. de ventre præterito, ff. de liber. & posthum. & hic noster lib. 7. epigr. 85.

Quod sum præteritus vetus sodalis.

Respexit igitur Horatius ad hunc ritum, cùm dixit *poemata*, quæ nullâ vtilitate ad delectationem solam comparantur, agitari à senibus, & dixit *centuriæ seniorum*, quòd magistratus centuriatis comitijs crearentur. Iuuenes autem præterire austera poemata, in quibus vtilia solummodo, & non delectantia inueniuntur: Illum autem Poetam, qui miscuisset vtile dulci, cunctorum suffragiis probari, quod est *ferre omnia puncta.* Sic Apollinaris epist. 9. lib. 1. *cui si examinis tui quoque puncta tribuantur,* &c. & ep. 19. lib. 3. *ideoque plus debeo, quia gloriæ punctum quod dictioni negares, das amicitiæ*: id est, suffragium. Nec possum me continere, quin nunc misceam vtile dulci, & legem tibi explicem hoc loco non intellectam hactenus ab aliquo, & quod mirere magis, à magno Cuiacio lib. 3. obseruat. cap. 2. ignoratam. Ea est L. laudabile, cod. de aduocat. diuers. iudic. *laudabile vitaque hominum necessarium aduocationis officium, maximè principalibus præmiis oportet remunerari: Idcóque iubemus viros clarissimos fisci pro tempore patronos fori tuæ celsitudinis solemni die festiuitatis Calendarum Ianuariarum, ipsius tantummodo anni per quem tale peragunt officium, inter spectabiles sacri nostri consistorij Comites diuina nostræ serenitatis manu punctis consequi solatia.* Hæc enim vera lectio est, nō puncti vel pūctos. Est autē *punctis consequi solatia*, dari iis mercedes suæ aduocationis cōmuni cōsēsu, vt dicitur L. Iubemus. anteriori; *Et solatia sibi communi consensu deputata per idem biennium consequi.* quæ eadem verba repetuntur in L. petitiones: cod. tit. quod in Basilicis τὸ pactum vocatur, id est ea merces, quæ punctis & omnium consensu assignata erat patronis fisci. Vnde æstuans Cuiacius voluit fingere nouam lectionem in hac lege, & scribere *Solatia pacti.* & Gothofredus excutiens omninò, *puncti solatia* cùm legat, interpretatur *punctum seu mercedem honoris*, quod ipse iuratus fateretur non intelligere.

A 2 CINERI *gloria sera venit.*] Argutatur suo more Raderus, & Epicureum fingit Martialem, & dānat impietatis, vt animam mortalem credat ex hoc loco. Nugæ: Sed hortatur Faustinum, vt viuens sentiens sua fruatur famâ & gloriâ, quod ipse de se testatus supra est epigrammate 1.

Ad Sextilianum. XXVII.

*Sextiliane bibis, quantum*ⁿ *subsellia quinq;* h. e. quini equites.
Solus: aqua toties ebrius esse potes.
Nec consessorum vicina numismata tantùm,
*Aera sed à cuneis vlteriora*ᵒ *petis.* v. bibis
Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis,
Vua nec in Tuscis nascitur ista iugis.
B *Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,*
Egerit & nigros Massica cella cados.
A caupone tibi fæx Laletana petatur,
Si plus quàm decies, Sextiliane, bibis.

DOMITIVS.

SEXTILIANE *bibis*] In Sextilianum bibacem, in quem etiam suprà scripsit.

SVBSELLIA.] Sedes erant, & ad id alludit, quoniam erat iudex, nam equites inter iudices numerabantur.

BIBIS *quantum quinque subsellia*] i. quantum quinque tui collegæ.

C CVNEVS] Multitudo in spectaculo, quæ ordine non sedeat. Iuuen. sat. 6. *Cuneis an habeant spectacula totis Quod securus ames.* Hîc accipit cuneum, pro ea multitudine quæ stat ante subsellia iudicum.

PRÆLIS *pelignis*] i. non habes, nec petis vinum pelignum, quod pessimum est. alibi, *Massica peligni mittūt turbata coloni. Non tu, libertus, sed bibat illa, tuus.*

VINI *opimi*] i. vini opimiani: vinum opimianum dictū est à L. Opimio consule, qui eo anno gessit consulatum, quo Gracchi seditionibus popularibus interierunt: nam eo anno cœli temperie, quæ coctura dicitur, magna vini copia, & præstantia, quod vinum in cc. annos seruatum est, redactum in speciem mellis tantæ æstimationis, vt amphora centenis nummis veniret. Adhibebantur alijs medicamenta, vt opimiana viderentur. Alibi Mart. *Felix autumnus opimi.* Cicer. in Oratore: & Plinius authores.

MASSICA *cella*] De phalerno intelligit, quod nigrum est, quod massicum dicitur ab eodem.

D *De Sinuessanis venerunt massica prælis.*

LALETANA] Prouincia est Hispaniæ, quæ vinum turbidum, & vappam mittit, quamuis non procul sit à Tarracone, quæ habet optimum vinum, vel *fæx Laletana*, hoc est, pete vinum laletanum, nam eius erat magna copia, quod Plinius scribit. Laletana, inquit, copia, Tarraconēsia elegantia superant. Mendosa est dictio in codice Plinij recentiore, Lusitana, pro Laletana.

GEORGIVS.

AERA *sed à cuneis*] Vitruuius cuneos suppositos cellis in theatro tradit, ita vt non minùs alti semipede sint in ea parte, quæ spectat ad scenam. suntq; sedes in theatris, de quibus alibi idem sic ait. Cunei spectaculorum in theatro ita diuidātur. & Virgilius. *Hunc plausus hiantem; Per cuneos geminatus enim.*

RAMIR. DE PRADO.

IAM dictum epigrammáte 12. de hoc Sextiliano. Raderus existimat eum profecisse in bibendo, quod epigrammate 12. bis tanto ceteris equitibus potarat, hic hausit quantum bis quinque possent. Ego non existimo hoc verum: Sed vtrumque epigramma de eadem potione compositã esse affirmo: Nam, vt ibi dictum est, bibebat duas sportulas, quæ non dabantur Equitibus ad potionem tantùm, sed ad emenda edulia, fructus, vel bellaria: quorum omnium, & vini pretium in potu tantùm consumebat hic bibo. Hic autem dicit eum bibere quantum *subsellia quinque*, id est, quantum quini Equites: ita vt quod quini Equites vini haurire possent, hic solus consumeret, non integras quinas sportulas, sed ex ijs quantum à quinque Equitibus in vinum erogaretur. Sicque constat satis, vt esse possit idem haustus vini in vtroque epigrammate,

1 AQVA *toties ebrius esse potes.*] Plin. lib. 14. cap. vlt. *Inuentum est*, inquit, *quemadmodum aqua quoque inebriaret.* postquam dixerat, *Est, & Occidentis populis sua ebrietas fruge madida.* & paulò post. *Aegyptus quoque è fruge sibi potus similes excogitauit.* Potuit igitur Martialis hoc intelligere de ea aquâ, quâ fruges ad inebriandum macerantur. Sed quid mirum si ea aqua mira solertia vitiorum ad ebrietatem medicaretur? Quid, inquam, mirum si inebriaret Sextilianum? Ego non existimo de aqua hac intelligi, sed de aquâ, qua vinum diluitur: propterea quod superiori ep. 12. dixerat hunc merum bibere. Nunc autem dicit *aqua toties ebrius esse potes.* id est, vel vino aqua diluto inebriari posses toties bibendo.

2 NEC *concessorum.*] Sic in Plantiniana editione errore manifesto, & iam à multis emendato *consessorum*, id est eorum, qui tecum sedent.

3 ÆRA, *sed à cuneis vlteriora petis.*] Metalepsis, *æra vlteriora à cuneis.* id est, æra à cuneis vlterioribus, id est à gradibus, vel inferioribus, vel superioribus. Cunei enim gradus sunt descendenti inferiores vlteriores, ascendenti superiores vlteriores sunt. Hic autem *Numismata* non intelligas sportulas integras, quarum vnaquæque bis quina numismata continebat, vt est in superiori epigrammate: sed summam aliquam reliquam ex decem nummis, quæ cuique dabantur postquam illi Equites iam parce bibissent, quam vniuersam solus Sextilianus cõsumebat, quod significauit disertè non expresso *Numismatum* numero, & sequenti versu cùm dixit *æra* tantum, de cuneis diserte Lips. de Amphitheatro, cap. 12.

4 TESTA *sed antiqui felix siccatur Opimi.*] Est antitheton cum vilissimo Peligno, Thuscoque vino, & cum Laletana fæce. felix namque testa diues est, & preciosa, vt supra *amphora preciosa*, epigr. 19. Sic dicuntur *felices arbores*, quæ fructum ferunt, quod preciosæ sint, & diuites; & contrà *infelices*, quæ fructus non ferunt, & *hortus felix*, lib. 13. epigr. 20. qui varias habet opes, vel lib. 10. 48.

Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.

De voce *felicis*, dictum est ad epigr. 13. huiusce libri num. 1.

Ad Procillum. XXVIII.

Hesterna tibi nocte dixeramus,
Quincunces, puto, post decem peractos,
A *Cœnares hodie, vt Procille, mecum.*
Tu factam tibi rem statim putasti,
Et non sobria verba subnotasti,
Exemplo nimiùm periculoso.
Μισῶ μνήμονα συμπότην * προ͂ κιλλε. * Procille.

DOMITIVS.

HESTERNA *nocte*] Incaluerat mero Mart. hesterna nocte, inuitauitque Procillum ad cœnam sequentis diei. Procillus venerat cœnaturus, dimittitur hoc epigrammate: ait n. poëta nimiùm periculosum esse exemplum, si ebriorum verba pondus habeant, & authoritatem denique versu Græco, ait, se odisse compotorem memorem verborum, quæ inter pocula exciderint: Nota figuratè scelus temporum suorum: nam poculo, & vino, nonnunquam B extorquebantur hæreditates, & testamentorum falsæ significationes, quod alibi apertiùs indicat.

POST *decem peractos quincunces*] Quincunx est genus mensuræ.

PERACTOS] Exhaustos, id est, postquam biberamus decem quincunces.

TV *factam rem tibi statim putasti*] Id est, tu statim putasti esse factam, & paratam cœnam.

VERBA *non sobria*] Id est, ebria.

SVBNOTASTI] Tractum à notarijs, qui in fidem, & obsignationem, verba aliena scribunt. *Exemplo nimium periculoso*, id est hoc esset nimiùm periculosum exemplum, si quæ ab ebrio excidunt, essent notanda.

Μισῶ μνήμονα συμπότην προ͂κιλλε] Id est, ô Procille, odi memorem compotorem, hoc est, qui tenet me- C moria, quæ medio vini calore iactantur.

RAMIR. DE PRADO.

EST facetissima illusio in hoc epigrammate, nam est expostulatio cum Procillo quòd fuerit memor compotor, quasi de re seria. quod eò deuenit, vt excluderet eum à conuiuio, quod ipse spe iam deuorauerat. Concluditur epigramma veteris Poëtæ versiculo, à Luciano in Symposio, & à Plutarcho relato. In quo de voce μνήμονα, sitne διφθόγγῳ proferenda μνάμονα, quæstio est satis futilis, in qua sibi placet Heraldus.

1 TV *factam tibi rem statim putasti.*] Notum adagium est, id est magnum tibi lucrum existimasti ex mea vocatione tibi prouenisse. Hoc enim est *rem fa-* D *cere*, multùm lucrari Horat. lib. 1. epist. 1.

Is ne tibi melius suadet, qui, vt rem facias, rem
Si possis rectè: si non quocunque modo rem.

Et hic lib. 2. epigr. 26.

Iam te rem factam, Bithynice, credis habere,
Erras, blanditur: Nænia non moritur.

Existimabat Bithynius se iam iam heredem ex ingenti pecunia fore vetulæ & tussientis vxoris.

2 ET *non sobria verba subnotasti Exemplo nimium periculoso.*] Seneca lib. 1. de Clementiâ, cap. 26. *omnia*, inquit, *mœsta, trepida, & confusa sunt*, (loquitur de crudelitate) *voluptates ipsæ timentur, non conuiuia secura ineunt, in quibus lingua solicite etiam ebrijs custodienda est:* Sed clarius, & copiosius, lib. 3. de benef. cap. 26. *Sub Tyberio Cæsare fuit accusandi frequens, & pene publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantiũ. Nil erat tutum: Omnis sæuiendi placebat*

accusso. Et post hæc verba exempla aliquot subiungit huiusce rei. Plinius etiam iunior in Panegyrico Traianum laudat, quòd non ipse, vt alij Imperatores solebant, plenus veniret ad conuiuium spectaturus, & adnotaturus conuiuas suos. *Non enim*, inquit, *ante medium diem distentus, solitaria cenâ, spectator, adnotatórque conuiuis tuis imminet.* Ob hoc ergo noster dixit, *Exemplo nimium periculoso.*

De Acerram. XXIX.

Hesterno fœtere mero, qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

DOMITIVS.

HESTERNO] Carpit Acerram, quòd semper in lucem biberet. Vnde, inquit, qui putat Acerram fœtere mero hesterno, errat, nam semper bibit in lucem.

RAMIR. DE PRADO.

Παράδοξον per illusionem: videtur enim belle excusare Acerram, & acrius accusat. Multus Martialis in huiusmodi lusu.

1 IN *lucem.*] Quemadmodum reprehendebantur illi qui ante nonam toros frangebant, vt apud Iuuenalem Marius, sat. 1. vers. 49.

Exul ab octaua Marius bibit. &c.

Et dicemus ad l. 4. epigr. 8. num. 2.

Eodem modo illi, qui conuiuia & compotationes in lucem protrahebant intemperantes habebantur, epigrammata 9. lib. 7.

In lucem cenat Sertorius, Ole quid ad te?

Ad Fidentinum. XXX.

Fama refert nostros te Fidentine libellos,
Non aliter populo, quàm recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua; vis, hæc eme, ne mea sint.

DOMITIVS.

FAMA *refert*] Fidentinus versibus Martialis volebat videri poëta, quos recitabat, tanquam suos. Mart. eum monet, vt eos emat, ne sint sui. Iocatur alibi. *Nam quod emas, possis dicere iure tuum.*

RAMIR. DE PRADO.

INVEHITVR in plagiarium Fidentinum, quemadmodum in alios multos. Esset enim latissimus communis locus si de plagiariis, & carminum furibus hîc esset dicendum. Vltimum Distichon continet lusum in ambiguo in *mea* & *tua* frequentissimum. Huic poëtæ plenæ exemplorum paginæ. Cetera perspicua, & per se nota.

A

De Diaulo medico. XXXI.

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.
Cœpit, "quod poterat, clinicus esse modò.

"Quo poterat, Clinicus esse modo, Iustus Lipsius Epistolicarum quæst. lib. 1. epist. 5.

DOMITIVS.

CHIRVRGVS *fuerat*] Chirurgus est medicus vulnerarius.

VESPILLO] Est ille qui effert corpora ad sepulturam, à vespere dictus, quoniam maiores ea hora sepeliebantur. Distichon à quo sit intellectum non video, vt alia multa, sed puto hunc esse verùm sensum. Hippocrates incenso templo Æsculapij instituit medicinam, quæ clinice vocatur, vt Varro in rebus diuinis scrib. Qui eam exercebant clinici di-

B cebantur. Alibi Martialis. *Sota clinici filia labula.* Ea medicina sumpsit nomen ἀπὸ τῆς κλίνης, quòd est lectus, & quoniam lectus tàm cadauerum est, quàm ægrotantium, non ineptè dicitur, qui effert cadauera.

CLINICVS] Clinici medici erant in maiore precio, quàm chirurgi.

DIAVLVS] Prius erat: Chirurgus nunc factus erat vespillo. Iocans Martialis ait ex chirurgo Diaulum factum esse clinicum: sed non potuisse aliter esse clinicum, quàm elatione cadauerum, vt ridendo dicat Diaulum factum esse vespillonem, vt se quoque clinicum profiteatur: nam qui efferunt cadauera, clinici quoque possunt appellari.

COEPIT *quo poterat clinicus esse modo*] Quia aliter non poterat, cum careret doctrina medici cli-

C nici.

RAMIR. DE PRADO.

SVBTILIS iocus in Diaulum chirurgum, qui arte chirurgicâ relictâ, se ad libitinam contulerat, & vespillo factus cadauera sepeliebat. De medicorum generibus pleni medicorum libri, præcipua apud eos facultas clinica est, de cuius origine Plin. libro 20. cap. 1. disserit, eamque tribuit Hippocrati, quamuis alij de hoc ambigant, sed tamen clinice præstantissima, cui ceteræ subiectæ: sic ophthalmici id est ocularij medici, chirurgi & ceteri inferiores clinico, & quasi administri. Auebant inferiores quocunque modo possent ad Clinicen ascendere. Dicta Clinica est à κλίνη id est lecto, in quo

D ægri decumbunt, quos clinici visunt, & quos lex, si duas. §. Grammatici. ff. de excusationibus περιοδευτὰς appellat, & circulatores, quos alibi circitores dicunt, vt est in veteri glossario, titulo de medicina. *circitura*. περιοδία à circumeundo, quòd ad visendos ægros circumeant. cùm alibi circitorum nomen conueniat iis, quibus vestes distrahendæ, & circumferendæ committuntur, vt l. cuicunque. 5. §. sed etiam 4. ff. de institor. actione. Appellatur etiam Græce κλίνη feretrum, sandapila, vel lectus, quo mortui efferuntur, & ab hac mente fingit Martialis Clinici nomen per iocum. Cum igitur Diaulus Chirurgus esset, & ob tarditatem ingenii vel ætatem non posset ad clinici dignitatem ascendere, factus est vespillo, & à lecto mortuorum quos efferebat clinicus, quoquo modo euasit.

De Encolpo. XXXII.

Hos tibi Phœbe vouet totos à vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor.
Grata Pudēs meriti tulerit cùm præmia pili,
Quam primū longas, Phœbe, recide comas.
Dum nulla teneri sordent lanugine vultus,
Dumque decent ' fusæ lactea colla ' iubæ: ' fusæ ' Comæ
Vtq; tuis longū, dominúsq; puerq; ' fruatur v. fruantur.
Muneribus, tonsum fac citò, serò virum.

DOMITIVS.

Hos *tibi Phœbe*] Encolpus puer erat Auli Pudentis centurionis. Centuriones autem proxima dignitate, primipilares creabantur. Vouerat puer crines suos Phœbo, cùm primùm Dominus factus esset primipilaris, rogat Phœbum poeta, vt auditis pueri precibus citò faciat primipilarem Aulum Pudentem, vt puer iam tenera ætate tonsus, colla candida Domino seruet, & ostendat, sed tamen faciat eum serò virum. Ita fiet, vt Aulus vtatur munere Phœbi diu, & ipse etiam puer, quia & hic fiet statim primipilaris, ille serò vir. Ita Aulus erit diu primipilaris, puer diu mollis.

Encolpvs] Nomen fictum, κόλπος Latinè sinus id est, amplectendus.

Vovet.] Antiqui vouebant crines, & barbam Phœbo, & posteà in pixidem mittebant: ita egit Nero, ita Earinus apud Papin. Æsculapio.

Pvdens] i. Aulus Pudens.

Grata *p.*] i. primipilatum, quòd erat votum Encolpi pueri.

Fac *citò tonsum.*] Vt Pudens fiat primipilaris.

Serò *virum*] id est, serò adultum, vt Pudens optat.

RAMIR. DE PRADO.

Votvm continet hoc epigramma Encolpi pueri, serui & amasij Pudentis Centurionis, quo vouerat crines Phœbo, si dominus, & amator eius ad primipilarem dignitatem eueheretur, cuius voti reus factus, abscidit comam lib. 5. epigr. 49.

1 Hos *tibi Phœbe.*] Phœbo consecrari primam comam notissimum ex Plutarch. in Theseo, cuius moris exempla multa congerit Hadrianus Iunius commentario de coma cap. 4. *Totos* dixit *crines à vertice*, quo expressit mirum pueri desiderium, & propensam in dominum voluntatem: non enim voluit comæ partem aliquam, quam poterat ab auriculis aut mento tondere, sed à vertice, vt tota concideret.

2 Tonsvm *fac citò, serò virum.*] Est elegans antithesis, quòd optat tonsum, & non virum. Nam pueri quoad excedebant ex ephebis, intonsi & comati erant, flectebántque ad decorem capillos, & torquebant, quod Martiali non placebat, vt epigrammate 42. lib. 4.

——mollésque flagellent
Colla coma: tortas non amo Flacce comas.

Vbi vide, quæ diximus ad numerum 5. Quinetiam, & calamistris inurebantur, & cirrati incede-A bant. Vnde pro pueris *cirratos* dicunt Poëtæ. Persius sat. 1. vers. 43.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?

At iam puberes tondebantur. Optat igitur Poëta vt citò Encolpus tonsus fiat, primipilarem assequutus demum dignitatem. Serò vero fiat vir, quo dominus eius amore diu fruatur. de Voce *viri* diximus ad lib. 4. epigr. 42. n. 10.

Ad ' Sabidium. XXXIII. v. Sanidia

Non amo te ' Sabidi, nec possum dicere v. Sanidi.
quare,
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

B

RAMIR. DE PRADO.

Notvm epigramma, sed verba fortasse non intellecta. *Non amare* dicebant veteres pro *odisse*. Testis germanus Ciceronis Quintus lib. aureo de petitione Consulatus ad Marcum fratrem: verba sunt, *Qui sine causa non amant, eos aut beneficio aut spe, aut significando* (lege omninò significans) *tua erga illos studia futura, delinies: dans operam, vt de illa animi prauitate ducas.* Hæc ille. Dic sodes, *Non amare* est ne animi prauitas? Ergo *non amare* odisse est. Hic noster disertis verbis, lib. 2. epigr. 55.

Vis te Sexte coli: volebam amare.
Parendum est tibi: quod iubes, coleris:
Sed si te colo, Sexte, non amabo.

Id est, odio habebo. & est ratio, quia non dixisset Poëta, *nec possum dicere quare*, nisi τὸ *non amo*, τὸ *odi* significaret: Nam cum amare sit ardentissimo amo-C re in aliquem ferri, non opus est, vt sint causæ, quibus non amemus, immò ad amandum debent esse multæ, & iustæ, & graues: quod significauit Quintus frater superioribus verbis, *qui sine causa non amant*, & ad non amandum vulgari significatione, nulla est maior causa, quàm non esse causam amandi.

1 Nec *possum dicere quare.*] Id est, huius odij mei nullam possum assignare causam, quòd absque causa oderim te. Quod videmus quotidie vsu venire, & quosdam homines odio prosequamur, quod tota eorum natura, forma, vultus, mores, nostræ naturæ aduersentur. Habet autem, & hoc duplicem sensum: vel odi sine causa, quod in sacris dicitur, *gratis* psal. 34. versu 19. Heb. ps. 35. חנם de quo conquerebatur sanctissimus ille Rex, quod *animi prauitatem* D appellauit Quintus frater: Et in hoc sensu illa verba, *nec possum dicere quare*, nil aliud significant, quàm nullam possum mei in te odij causam proferre, cùm deberem iustam aliquam causam assignare, cur te oderim, & sic, gratis te odi. quod Hispani eleganter dicimus, *quiero te mal de valde*. & contrà, *quiero te bien de valde*. Alius sensus est, quo innuit aliquod summum esse in Sabidio flagitium, quod nefas sit, id est, non possit dici. Videor autem subodorare id flagitium esse, quod Sabidius impuri oris, suspicari me facit epigramma 17. lib. 3. quod cum scriblitam ardentem, secundis mensis allatam, nemo tangeret, hic idem Sabidius terque, quaterque buccis suis sufflauit. & remisso ardenti calore, nemo ex conuiuis ausus est tangere, quod insufflata ab hoc impuro homine, fortè cunnilingo, vel fellatore, conuiuiis virus fuit.

De Gellia. XXXIIII.

Amiſſum non flet, cùm ſola eſt Gellia, patrẽ:
Si quis adeſt, iuſſæ proſiliunt lachrymæ.
Nõ dolet hic, quiſquis laudari Gellia quærit.
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

DOMITIVS.

AMISSVM.] Gellia lugebat patrem tantùm cùm aderant teſtes. Mart. inquit eam non lugere: ſed eſſe ſtudium laudis, & velle laudari.

IVSSÆ *lachrymæ.*] Ab Gellia. Iuuenal. *In ſtatione parata: ʒuo iubeant manere loco.*

NON *luget quiſquis*] inquit. Martial. non luget, qui cupit laudari, ſed is verè luget, & dolet, qui luget clàm, & ſine teſte.

RAMIR. DE PRADO.

PERSPICVVM eſt hoc faceriſſimum epigramma, & acumen ſummum huius Poëtæ perſpicere potes in multis, & quod contrarium facientem Gallam ob viri obitum reprehendit etiam & irridet, lib. 4. epigr. 58. vide Senec. epiſt. 99. in medio.

Ad Leſbiam XXXV.

Incuſtoditis, & apertis Lesbia ſemper
*Liminibus, peccas, nec tua * furta tegis.*
Et plus ſpectator, quàm te delectat adulter:
Nec ſunt grata tibi gaudia, ſi qua latent.
At meretrix abigit teſtem velóque ſeráque:
*Raráque, * ſi memini, fornice rima patet.*
*A Chione ſaltem, vel * ab Helide diſce pudorem:*
** Abſcondunt ſpurcas * hæc monumenta lupas.*
Numquid dura tibi nimiùm cẽſura videtur?
Deprendi veto te Lesbia, non futui.

* Pal. facta ſed minus appoſitè.
* Summœni placet impẽſiùs.
V. alaudæ. al. Laide.
Vide Turneb lib. 13. cap 19. v. & rectiùs.

DOMITIVS.

INCVSTODITIS] Accuſat Leſbiam, quòd vellet ſpectari, dum futueretur.

PECCAS] Futueris.

TVA *furta*] Stupra, & adulteria. Tibullus, *Celari vult ſua furta Venus.*

LATENT] Abſcondita ſunt.

MERETRIX] Quæ eſt turpior mœchare mouet ſpectantes.

SERA] Quia oſtium claudit.

SVMMOENI] Summœnium locus in vrbe ad muros, circum lupanaria, vnde meretrices dicebantur vxores ſummœnianæ mœchari. Plura in commentarijs, in Iuuenal. diximus eo loco: *Et ad circum iuſſas proſtare puellas.* Mœniani autem dicebantur, qui ex loco edito, quem Mœnianum dicebant, ſpectabant. Tranquillus: Pauci ex proximis Mœnianis.

A LAIDE] Laïs nobile Græciæ ſcortum, cuius coitum ob pretij magnitudinem Demoſthenes recuſauit, nota illa voce: Non emo tanti pœnitere, reliquis nomen dedit. Ʀaïdis autem antiquitùs tumulus erat Corinthi, inſcripta leæna arietem prioribus pedibus ſuſtinente. Alterùm eiuſdem monumentum in Theſſàlia, quò Hippoſtratum eſt ſecuta, eius amore capta, ab Hiccaro patria in Siciliam abducta fuit cùm puella eſſet, capta inſula ab Athenienſium duce Nicia, diuendita Corinthi, meretrices omnes forma ſuperauit, author Pauſanias.

CHIONE.] Nomen meretricis, à candore ſumptum, nam χιὼν ſignificat niuem. Hæç tamen nigra erat, vt alibi Iuuen. *Et dubitas alta Chionem deducere ſella.*

MONVMENTA] Cellæ inſtar monimentorum.

DEPREHENDI] In adulterio, Non verò
B te futui.

GEORGIVS.

SVMMOENI] Hæc ego non crediderim, atque eo magis cùm nec authorem afferat hæc dicentem, & Mœnianum, vnde dictionem componit, à Mœnio deriuet, cuius prima producitur. Horat. *Mœnius vt rebus maternis, atque paternis.* Etenim hic fuit ille Mœnius, qui poſt bona patris abſumpta, columnam ſibi reſeruauit, vnde ludos ſpectaret.

RAMIR. DE PRADO.

Ingenioſè deſumtum epigramma ab Ouidio lib. 3. Amorum, eleg. 13. quam lege.

1 INCVSTODITIS.] Id eſt, ſine Ianitore Solebant
C enim Ianitores ſerui ad valuas ſtare. Ouid. lib. 1. Amorum eleg. 6. Dominæ Ianitorem multis verſibus alloquitur.

2 APERTIS *liminibus.*] Poterant fores non cuſtodiri, & tamen eſſe clauſæ: ſed vtroque furorem Leſbiæ expreſſit magis.

3 NEC *tua furta tegis.*] Notum eſt furta, furtiuos ſignificare Veneris actus, vt lib. 6. epigrammate 39. de filiis Marullæ ex adulterio conceptis,

Materna produnt capitibus ſuis furta.

Et lib. 7. epigrammate 73. ad Mercurium,

Sic tibi laſciui non deſit copia furti

Eodem ſenſu *furtiuam noctem*, vocat Ouid. libro 1. Amorum, eleg. 11.

Inque miniſterijs furtiua cognita noctis.

Noctis furtiua, id eſt, deſtinatæ Veneris furtis, & lib. 3. de arte amandi,

Cùm cuſtode foris tunicam ſeruante puella;
Celent furtiuos balnea multa iocos?

D 4 NEC *ſunt grata tibi gaudia ſi qua latent.*] Huiuſce rei cauſam reddit, Ouidius lib. 3.

Quæ venit ex tuto minus eſt accepta voluptas:
Vt ſis liberior, Thaide, finge metus.

5 AT *meretrix abigit teſtem veloque ſeraque.*] Hoc erat in Lupanari, vbi cellæ inſcriptæ erant nominibus meretricum, vt eſt apud Iuuenalem, ſat. 3. de Meſſalina ſe publicè proſtituente, verſ. 122.

Et cellam vacuam, atque ſuam mox nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ.

Quò etiam reſpexit Seneca pater 2. controuerſ. *Deducta eſt in lupanar, accepiſti locum, precium eſt conſtitutum, titulus inſcriptus eſt.* Tertull. de pudicit. li. 1. *ſub ipſis libidinum titulis.* Et hic lib. 11. epigr. 46,

Intraſti quoties inſcripta limina cellæ,

Seu puer arrisit siue puella tibi:
Contentus non est foribus veloque seraque.

Hoc velum ex centonibus conficiebatur, & cento appellabatur: erantque plurimi centones in lupanari, tàm in quaque cella, quàm in ipsa maiori lupanaris ianuâ. Disco id ex veteri Iuuenalis Scholiaste ad illum locum sat. 6. vers. 121.

Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Veteri, inquit, *centone, vt velo ex pannis facto.* legerem ibi *Veteri velo ex pannis facto.* quod ipse scripserat.

Suffragatur locus elegantissimus Petronii in Satyrico, *Et subinde*, inquit, *vt in locum secretum venimus, centonem anus vrbana iniecit, & hic, inquit, debes habitare. Cùm ego negarem me cognoscere domum, video quosdam inter titulos, nudasque meretrices furtim conspatiantes: Tarde imò sero intellexi me in fornicem esse deductum. Execratus itaque aniculæ insidias, operui caput, & per medium lupanar fugere cepi in aliam partem*, vbi lege, *Centonem anus vrbana reiecit*, id est, sublatum reiecit à tergo, vt intraremus. Hispanè, *becho la antepuerta.* Eiusmodi velis cubiculorum ianuæ tegebantur, Lampridius in Heliogabalo, *qui subito militum strepitu exterritus in angulum se condidit: obiectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit.* Quo loco illa verba, *quod in introitu erat cubiculi*, meritò tanquam glossema expungunt P. Faber & Casaubonus. Hæc autem vela eo ponebantur ne scilicet per forium rimas inspicere possent curiosi quid intus ageretur. Iuuen. sat. 9. vers. 105.

---claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollite lumen
E medio, &c.

Epictetus libro 3. dissert. 22. *ceteri parietibus, ianuis, velis teguntur. Ego sub dio, in propatulo ago, omnium oculis, & inquisitioni expositus, Deo me probo.* Eadem ratione in aulis principum ante portas erant cancelli ligneâ operâ, & ad ostium pendebat velum. Ostendo id ex Sidonio Apoll. lib. 1. epist. 1. de Theod. rege, *Pellitorum turba satellitum ne absit, admittitur: ne obstrepat, eliminatur: sicque pro foribus immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis.* Vnde Iulian. in l. cetera 43. §. sed etsi cancelli. ff. de legatis. 1. cancellos, & vela cõiunxit his verbis. *Sed etsi cãcelli sint, vel vela legari poterunt.* In scholiis antiquorum Grammaticorum aut Rhetorum antiquorum erat ante auditorium proscholion, quod ab auditorio distinguebatur velo, vel centone. Id patet ex veteribus colloquiis puerorum vtráque linguâ scriptis, quæ excusa sunt cum glossariis antiquis: ibi enim puer narrat, vt perueniens ad scalas gradus ascenderit, compositè vt decet, & in proscholio pileum posuerit, & composuerit capillos, & sic introierit in auditorium subleuato centone. Hinc apud Impp. nata formula, *leuato velo causas cognoscere:* id est, apertis foribus, omnibusque admissis. Honorius & Theodosius in l. de submersis. cod. de naufragiis, & apud ecclesiasticos scriptores obseruatum reperio, cum res maiori examine indigebat, vel criminale iudicium esset, iudices velum tribunali prætendere solere. testimonio est Clemens Romanus, qui lib. 2. Apostolicarum constitutionum cap. 56. Sic inquit ex interpretatione Bonij. *Aspicite mundana iudicia, quorum potestati videmus tradi homicidas, adulteros, veneficos, sepulcrorum perfossores, latrones: De quibus cum quæsinerunt præfecti iudicio ab ijs, qui illos in iudicium adduxerunt, demum interrogant eos, An illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent cum multo consilio, & velo interiecto.* Hinc intelli- A ge Imp. Constantini verba in l. de officio rectoris prouinciæ, cod. Theod. *non sit venale iudicis velum, non ingressus redemti, non infame licitationibus secretarium:* Vbi obiter notabis locum hunc in quo iudices sedebant & causas examinabant secretarium vocari, quia hisce velis à turba & populo secernebantur, l. 3. c. de offic. diuers. iudicum, cum al. multis. Cetera vide apud Lipsium ad lib. 13. annalium Taciti, & Casaubonum ad Hist. August.

7 RARAQVE *Summœnij, fornice rima patet.*] Erat idem lupanar in Summœnio, ideò *Summœnianas* appellat publicas lupanaris meretrices alibi: nec intelligas, alias esse meretrices superioris versus: & alias huius: Sed in eodem lupanari meretrix abigit testem, veloque seraque & ipso fornice rara rima est quâ possit aliquis curiosus eliminare quid ibi fiat.

8 A *Chione saltem, vel ab Elide disce pudorem.*] Chione & Elis, vel Lades vt alias, prostibula erant procul B dubio Martialis tempore notissima.

9 ABSCONDVNT *spurcas & monumenta lupas,*] Bene, & verè à Turnebo lib. 13. c. 19. explicatum est, has esse, quas lib. 3. epigr. 93. hic idem *bustuarias mœchas* appellauit, quæ vilissimo precio prostituebantur seruis, & infimis hominibus extra vrbem, ad sepulchra, & monumenta.

10 CENSVRA.] Pro quacunque reprehensione sumitur, sic Ouid. vnde hanc sententiam desumsit, Martial. elegia prædicta.

Nec te nostra iubet fieri censura pudicam:
Sed tamen, vt tentes dissimulare rogo.

11 DEPREHENDI *veto.*] *deprehendendi* verbum solemne est, de iis qui in aliquo crimine & re turpi, deprehenduntur. Senec. epist. 43. *Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subito aspici.* Et ideo de iis, qui in adulterio C deprehendebantur, Horat. lib. 1. sat. 2. in fine.

Deprendi miserum est, Fabio vel iudice vincam.

Et sat. 4. ——*deprensi non bona est fama Treboni.*
Et lib. 2. sat. 7. --*quid si me stultior ipse*
Quingentis drachmis deprehenderis.

Ouid. lib. 1. amorum, eleg. 9.

Mars quoque deprehensus fabrilia vincula sensit.

Hinc Iuuenali lux, sat. 6. vers. 182. de mœcha in complexibus serui, aut equitis iacente.

---clames licet, & mare cœlo
Confundas, homo sum. Nil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos à crimine sumunt.

Est notissimus iocus ex ambiguo, quem refert Quintilianus lib. 6. c. 4. ad finem. quidam enim interrogatus qualem existimas deprehensum, respondit tardum. Et Cicero ad Atticum P. inquit, *Clodius deprehensus domi Caij Cæsaris*, & Vlp. in L. Palam. 45. §. quæ in adulterio. ff. ad l. Iul. de adulter. sæpe D hoc verbo deprehensa vtitur, & ibidem deprehensio eadem mente dicitur.

Ad Cornelium XXXVI.

Versus scribere me parum seueros,
Nec quos perlegat in schola magister,
Corneli quereris: sed hi libelli,
Tamquam coniugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere.
*Quid si me iubeas * Thalassionem*
Verbis dicere non Thalassionis? Vide Turneb. lib. 11. cap 17.

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est iocosis,
Ne poßint, nisi pruriant, iuuare.
Quare deposita seueritate,
Parcas lusibus, & iocis, rogamus:
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

DOMITIVS.

VERSVS *scribere*] Cornelius conquerebatur, Martialem scribere versus parum seueros, & impudicos, qui non possent legi in scholis.

PARVM *seueros*] Hoc est impudicos, hi libelli huiusmodi, quales ego scribo, non possunt placere sine pruritu.

THALASSIONEM] Deus nuptiarũ, qui ita à Romanis est appellatus, apud Græcos Hymenæus, cuius laudes canebantur versu lasciuo. Ait Mart. eiusdem laudes non posse cantari, nisi versibus suis, numini dicatis.

QVID *si iubeas me dicere Thalasionem*] id est celebrare epithalamion.

FLORALIA] Florales ludi celebrantur à nudis, magna licentia, de quibus suprà.

QVIS *Floralia vestit*] i. quis petit, vt ludi florales fiant nudis. quasi diceret nemo.

STOLATVM *pudorem*] Stola (vt Porphyrio, & Marcellus scribunt) matronæ vtebantur ad imos pedes, quàm instita assuta ambibat, de matronis. Papin.

Stola mixta laborat. Horat.
Sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegit instita veste. Ouid.
Et quid ab hac omnes rigida submouimus arte,
Quas stola contingi, sumptáque vitta vetat.

STOLATVM *pudorem*] id est pudorem conuenientem matronæ: ita nec tu debes aliquid præscribere iocis meis.

PRVRIANT] i. libidine lasciuiant: nam pruritus libidinis propriè est.

CASTRARE] id est auferre verba libidinosa: nam vt Priapum decet esse benè mentulatum, & non castratum (in quo sola mentula est in admiratione) ita libelli huiusmodi debent habere pruritum, & lasciuiam, qua sola placent.

GALLO *Priapo*] id est castrato: nam Galli sacerdotes erant castrati.

RAMIR. DE PRADO.

Excusat epigrammaton linguam, id est verborum lasciuam licentiam, quam præteritione excusauit in epistola, exemplo multorum, qui ante se epigrammata scripsêre. Nunc autem ipsa Poëmatis naturâ, quæ id videatur postulare, nec placitura epigrammata sint, nisi prætextatis verbis componantur.

1 NEC *quos prælegat in schola magister.*] Sic lego cum multis qui iamdiu hunc locum emendarunt. Solebant seuera carmina, vt Tragœdiæ, & Epopœię, prælegere magistri in scholis, lib. 8. epigr. 3. sic loquitur Musa ad Martialem,

An iuuat ad Tragicos soccum transferre cothurnos?
Aspera vel paribus bella tonare modis?
Prælegat vt tumidus rauca te voce magister.

Mos erat enim apud ludimagistros, non solum A discipulis suis ea prælegere, quæ vetustate Poëtarum commendabantur, & iam mortuis auctoribus censebantur: sed etiam ea, quæ amici sui quique nobilissimi in lucem emittebant. Pers. sat. 1. versu 43.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendis?

Et Tullius ad Q. fratrem: *Alterum est de Caluenti Marij oratione quod scribis: miror tibi placere me ad ipsum rescribere: præsertim cùm illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero: meam in illum pueri omnes tanquam dictata perdiscant.*

2 QVID *si me iubeas Thalassionem.*] Thalassio carmen erat solemne conuiuijs Fecenninis iocularitet plenum, quod in nuptijs cani solebat: dicatum Thalasso Deo boni in nuptijs ominis, lib. 12. ep. 42.

Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.

Seneca in Medea, Choro 1.

Festa dicax fundat conuicia Fescenninus.

B Hoc carmen sua habebat verba lasciua, & aperta, & dominantia, vt ait Horatius, quæ ab ipsa carminis formulâ abesse non poterant, nec pro illis honestiora & tectiora substitui. Est igitur Poëtæ acuta comparatio Quemadmodum ineptus esses, si Thalassionem recantare iuberes verbis non Thalassionis, id est honestis: ad eundem modum ineptus, qui me epigrammata iubes scribere linguâ non epigrammatωn: & addit continuo alias comparationes duas, scilicet Floralium ludorum, de quibus late supra epigr. 3. n. 1. dictum est, & habitus meretricum, & matronarum. Matronæ stolâ induebantur, quod non erat permissum meretricibus: Nam hæ togam gestabant. Probant id epigr. 39. lib. 2. de Mœcha,

Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

Et lib. 6. epigr. 64.

Sed patrie ad speculum tonsi, matrisq; togatæ
Filius.---- Et lib. 10. epigr. 52.
Thelin viderat in toga spadonem,
C *Damnatam Numa dixit esse mœcham.*

Et de hoc multa mentio apud Horatij, Tibulli & Iuuenalis commentatores. Dicit autem *stolatum pudorem*, pro stolâ pudicâ matronarum, quæ meretricibus non permittebatur.

3 NEC *possunt nisi pruriant iuuare.*] Eodem sensu doctissimus Poëtarum Catullus ep. 16.

Qui tum denique habent salem, ac leporem
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare possunt,
Non dico pueris, sed ijs pilosis,
Qui duros nequeunt mouere lumbos.

4 NEC *castrare velis meos libellos.*] Idem iubebat, sed minacibus verbis Catullus dicto epigrammate,

Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusque vestras
D *Non horrebitis admouere nobis,*
Pedicabo vos, & irrumabo.

Admouere manus dixit quod Martialis *castrare.* hoc autem impetrauit facetissimus Poëta à Cornelio, & ab omnibus sanæ mentis hominibus, sed non potuit nostro seculo ab aliquibus malè feriatis impetrare, qui lepidissimos libellos epigrammatωn castrauerunt, & pro sua virili parte curarunt ne purissimæ Latinitatis monimenta viuerent.

5 GALLO *turpius nihil est Priapo.*] Prouerbialiter extulit hanc sententiam, & perseuerauit in metaphorâ, eadem formula vsus, lib. 11. ep. 75.

Drauci nata sui vocat piscinam
Collatus cui gallus est Priapus.

Gallum Priapum castratum appellat. Vocabantur castrati Galli, quòd matris Deum sacerdotes, qui

Galli proprio vocabulo nuncupabantur, essent omnes castrati.

Ad Lucanum, & Tullum. XXXVII.

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent:
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quòd pro fratre mori vellet vterque prior.
*Diceret, infernas * & qui prior isset ad vmbras,*
Viue tuo frater tempore, viue meo.

* si quis prior.

Idem Græcè.

Εἴ ποτε σοὶ, Λουκανὲ, καὶ εἴ σοὶ, Τύλλε, δοθείη,
Οἷη τοῖς Λήδας μοῖρα Λάκωσι πέλει·
Εἴη κ' ἀμφοτέροις ἀγάπης ἔρις ἥδε κρατίστη,
Ὥστ' ἄλλου σπεύδειν ἄλλον ὑπερθανέειν·
Καί κε λέγοι καταβὰς ὁ πρότερος εἰς ἀΐδας,
Ζῆθι τὸ σὸν, ζῆσον τοὐμὸν, ἀδελφὲ, μέρος·

DOMITIVS.

SI *Lucane tibi*] Laudat amorem Lucani, & Tulli fratrum, quem anteponit amicitiæ Pollucis, & Castoris. Castor & Pollux interierunt: cùm Lynceus, & Idas Spartam oppugnarent: Alij scribunt Castorem tantùm extinctum in bello Lacedæmoniorum versus Athenienses. Aliam fabulam tangit Ouidius in Fastis: illud autem, Homero authore, inter omnes conuenit, Pollucem concessisse vitam dimidiam fratri mortuo, vt alternis diebus viuerent, vt alij tradunt, vt senis mensibus vicissim. Hyginus quidem scribit Castoris, & Pollucis sydera alternis diebus lucere.

LEDÆI] Castor, & Pollux filij Ledæ, quæ Lacena fuit.

RAMIR. DE PRADO.

Extollit Poëticè amorem, & pietatem inter Lucanum & Tullum fratres, rarum exemplum, quod omnibus seculis,

— — fratrum quoque gratia rara est.

Vt ait Ouid. 1. Metamorph. Lucanus tamen decessit prior, vt constat ex epigr. 52. lib. 9. quod est de his ipsis. infra verò epigr. 94. eadem pæne de Fabricio & Aquino dicuntur à Poëta.

Ad Bassam. XXXVIII.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Bassa: bibis vitro. cariùs ergo cacas.

DOMITIVS.

VENTRIS *onus*] Aureo vase vsos esse Romanos, non tam frequens est historia, quàm argenteo. Conqueritur enim Plinius fœminas lauari vase ar-
A genteo, & eandem metalli materiam seruire cibis, & sordidis. Messala autem orator scribit Antonium aureis vasis ad probra etiam vsum esse.

BASSA] Purgabat ventrem, & dimittebat aluum vase aureo: & vitreo bibebat. iocatur Martial. & carpit Bassam cariùs cacare, quàm bibere.

ONVS *ventris*] id est stercus.

MISERO *auro*] Quia stercori seruiebat.

RAMIR DE PRADO.

Præposteram fœminarum luxuriam hoc epigrammate taxat sub nomine ficto Bassæ, quam nominat etiam multis in locis. De eadem luxuria conqueritur Plinius, lib. 33. cap. 12. quod argenteis vasis, quæ ad cibos comparantur ad sordes etiam abutantur, his verbis. *Iam vero pædagogia ad transitum virilitatis*
B *custodiantur argento. fœminæ lauentur, & nisi argentea solia fastidiant, eademque materia, & cibis, & probris seruiat.* Sed eleganter Alexandrinus Clemens Pædagog. lib. 2. cap. 3. exagitat hunc abusum ex interpretatione Gentiani Herueti, *Sellæ autem*, inquit, *argenteæ pelues, & acetabula, scutellæ & catini, & præterea vasa aurea, & argentea, nonnulla quidem ad ciborum ministerium, alia verò ad alios vsus, quos me pudet dicere*, & circa finem Capitis de eadem re. *Res est autem planè ridicula, & digna maximè, quæ ludibrio habeatur, argentea vrinæ receptacula, & vitreas matulas viros inferre, & has, quæ sine ratione sunt diuites. mulieres, ex auro excrementorum facere receptacula, vt ne egerere quidem eis liceat absque superbia. Vellem quidem eos per totam vitam, aurum stercora existimare.* Eadem ratione & hic epigr. 12. lib. 11. exagitat Sardanapalum, quod vasa à Mentore fabricata in matulam mœchæ suæ conuerterat.
C
Tepotare decet gemma qui Mentora frangis,
In scaphium mœcha, Sardanapale, tua.

Miserum aurum appellat ob vsum indignum & demissum ad contumeliam, vt olim Apostolus dicebat. *alia vasa facta in honorem, & alia in contumeliam ab eodem figulo.*

1 CARIVS *ergo cacas.*] Irrisione dictum est, vt dicitur *carius habitare aliquis*, qui nimio precio conducit domum.

Ad Fidentinum. XXXIX.

Quem recitas, meus est ô Fidentine libellus:
Sed malè cùm recitas, incipit esse tuus.

DOMITIVS.

D
QVEM *recitas*] Fidentinus recitabat versus Martial. sed cùm recitabat propter raucitatem, & quia malè recitabat, incipiebant esse eius versus, & libellus, quoniam ipse malos solebat facere.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad plagiarium Fidentinum quem etiam exagitat infra epigr. 51.

1 QVEM *recitas.*] Parecbasin de recitatione longissimam adducit Raderus vndique congestam, lib. 10. epigr. 60. sed exquisitiora in hac re multa ab eo prætermissa, quale illud est exquisitissimum, apud Plin. secundum lib. 9. epist. 34. *Sed puto me non minus male saltare, quàm legere:* Nam cum dixisset se velle

familiaribus amicis recitare per libertum subiungit: *Ipse nescio, quid illo legente interim faciam: Sedeam defixus & mutus, & similis ocioso: An, vt quidam, quæ pronuntiabit, murmure, oculis, manu prosequar. Sed puto*, &c. vbi saltare est idem, quod Græcis ὀρχεῖσθαι, id est exprimere verborum sensus, quibusdam motibus corporis Iuuenalis sat. 6. vers. 63.

Chironomo ledam molli saltante Batyllo.

Vbi vtrumque coniunxit *Chironomon*, & *Saltare*: nam *Chironomos* Græcis dicitur is, qui manuum & digitorum motibus exprimit aliquid. Exempla inuenies apud Lucianum περὶ ὀρχήσεως. hi autem Chironomi à Theatro ad conuiuium euocabantur, vbi ad symphoniam aues, & reliqua obsonia scissorio gladio diuidebant. Petronius, *ad Symphoniam gesticulatus lacerabat obsonium.* Iuuenal. sat. 5. vers. 121.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem videas, & Chironomonte volanti
Cultello. Vbi caue credas Lipsio lib. 2. Saturn. cap. 2. qui structorem eundem Chironomonta saltantem intelligit: hisce namque versibus duo sunt diuersi: structor alter: & alter Chironomon saltans. *Saltare* igitur in prædicta Plinij epist. nil aliud est quàm χειρονομεῖν, quod in Theatris à Pantomimis fiebat. Hic Fidentinus ita malè recitabat, vt tota carminum Martialis venustas periret omninò, & quamuis ea carmina Martialis essent legitima, recitatione prauâ desinebant esse auctoris sui, & incipiebant esse Fidentini recitantis. Contrario sensu eleganter Plinius iunior epist. 15. lib. 3. molli & suaui recitationi tantum tribuit, vt suspicetur sibi ab ea imponi, & iudicium eius acre quoquo modo impediri. Verba eius sunt: *Videor iam nunc posse rescribere opus esse pulchrum, nec supprimendum, quantum æstimare potui ex ijs, quæ præsente me recitasti: si modo mihi non imposuit recitatio tua: legis enim suauissimè, & peritissime. confido tamen me non sic auribus duci, vt omnes aculei iudicij mei illarum delinimentis refringantur: hebetentur fortasse, & paululo retundantur.*

Ad Decianum. XL.

Si quis erit, raros inter numerandus amicos,
*Quales prisca fides, famáque nouit * anus:*
Si quis Cecropiæ madidus, Latiaque Mineruæ
Artibus, & vera simplicitate bonus,
Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos:
Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Decianus erit.

* v. Anus. Famam anum vocat antiquitatem, quomodo chartam anus Catullo ad Manlium, & sicut anus Plin.

DOMITIVS.

Si *quis erit*] Laudat Decianum de quo suprà.

Doctvm *artibus Cecropiæ, & Latiæ Mineruæ.*] id est doctus artibus Græcis, & Latinis.

Ore *arcano*] Qui clàm precantur deos, mala imprecantur. Persius. *Dic clarè non audiat hospes.*

Dispeream] Adiurantis est.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad Decianum, de cuius laudibus, supra epigram. 9.

A 1 Raros *inter numerandus amicos.*] *Raros* dicit quod rarissimum sit, & pæne singulis seculis vix vnum amicorum par, spectandum orbi propositum sit. De quo communi loco, vide plura apud Ciceronem in Lælio. Ideò subiungit,

Quales prisca fides famaque nouit anus.

Nam *prisca fides* temporis antiquitatem denotat, vt apud Virgilium in 9. vers. 79.

----*Prisca fides facto: sed fama perennis.*

Id est quamuis factum antiquissimum sit, eius fama per omnia secula perdurabit. Eadem sententia de raritate amicorum, infra epigr. 94.

Famaque quod raro nouit, Amicus erat.

2 Si *quis Cecropiæ madidus Latiaque Mineruæ.*] Id est Græcis, & Latinis literis eruditus. eadem dicendi formula vsus est lib. 4. epig. 23.

Qui si Cecropio satur lepôre,
Romana sale luserit Mineruæ.

B 3 Madidvs.] Artibus imbutus & eruditus, quod alibi dixit,

Iure madens, varióque togæ limatus in vsu.

Lib. 7. epigr. 50. & epigr. 68. eod. libro,

Cuius Cecropia pectora voce madent.

4 Dispeream.] Similis execratio est epigr. 5. lib. 2. sed alijs verbis ad eundem Decianum.

Ne valeam si non totis Deciane diebus, &c.

Et lib. 4 epigr. 31. ad Hippodamum.

Ne valeam, si non est res gratissima nobis.

Et *ne viuam*. vt lib. 10. ep. 12.

Ne viuam nisi te, Domiti, permitto libenter.

Et contra in affirmationibus iurabant, *Ita viuam.* cuius iuramenti extat elegans exemplum apud Valerium Maximum lib. 9. cap. 13. §. 3. de Iunio Bruto, his verbis. *Nam à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus: non solùm ceruicem* C *gladio subtraxit: verum etiam constantius eam prabere admonitus, ipsis his verbis iurauit: Ita viuam dabo. O fati cunctationem ærumnosam! ô iurandi stolidam fidem!* Quæ verba, quam stolida sit Stephani Pighij legentis, *Ita vt viuam*, emendatio, satis aperte indicant.

Ad Liuidum. XLI.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas, Liuide, nemo tibi.

D

Idem Græcè.

Ὃς συνάγεις τὰ πρόσωπα, καὶ ἄσμενος οὐ τάδ' ἐπέγνως,
Πᾶσι σὺ μὲν, μηδ' εἷς, Βάσκανε, σοὶ φθονέοι.

DOMITIVS.

Qvi *ducis vultus*] In inuidum cui imprecatur, vt nunquam inuidiæ causa desit. idem imprecatur Ouidius in Ibidem.

Invideat *nemo tibi*] Nam cui nemo inuidet, is miserrimus est.

RAMIR. DE PRADO.

Male in Plantinianis liuidus hic κυριακῶς scribitur littera maiuscula. Est enim mobile nomen omnibus inuidis, commune & in quemuis eorum scriptum

QVAM *penè*] Quàm quasi.

NIMIRVM] Si non corruit, dum illic erat Regulus.

TIMVIT *fortuna querelas*] Quia fortuna non potuisset sustinere nostram inuidiam, & querelas nostras, qui amamus te.

SVNT *tanti pericula*] Sensus est, placet factam esse iacturam in porticu collapsa, nam periculum ipsum, quod Regulus euaserit aperto testimonio, quòd sit curæ Dijs, tanti est faciendum, vt iactura porticus placere debeat.

STANTIA *tecta probare*] i. si tecta porticus stetissent, non poterant ostendere Deos esse, quibus curæ erat Regulus.

RAMIR. DE PRADO.

Nobile epigramma eiusdem est cum inferiori 83. argumenti. de hoc Regulo Plinij Nepotis æmulo, multa apud ipsum vulgatissima. Gaudebat celebrari à Poëta, quem crediderim munusculis Martialem subornare solitum. Quæ liberalitas multa peperit epigrammata, notissima in hisce libris.

1 QVÆ *par tam magna non erat inuidiæ.*] Simile de Plutone, epigr. 46. lib. 7.

Non tulit inuidiam taciti regnator Auerni.

Recte cetera in hoc epigrammate sunt ab Heraldo, Radero, & alijs explicata. Sequens verò vltimũ distichum existimo à nemine intellectum fuisse. Priori versu est elegans antitheton, *Nunc & damna iuuant.* Damna namque pro iactura posuit, quam fecit Regulus in ruina porticus, cuius reædificatio plurimo constare oportuerat. *Iuuandi* verbum recondita & abstrusa significatione, *quæstum* facere significat. Probat pulcherrimum Martialis epigramma 37. lib. 3.

Irasci tantum felices nostis amici,
Non belle facitis, sed iuuat hoc facere.

Id est, hoc facere vobis quæstui est. Non credis? vide idem lib. 12. epigr. 13.

Genus, Aucte, lucri diuites habent iram,
Odisse quam donare vilius constat.

Non lac lacti similius, quam hoc epigramma superiori. *felices* dicit illud, hoc *diuites*, quod idem est, vt lib. 2. epigram. 30.

Quippe rogabatur felixque vetusque sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.

Hoc *genus lucri habent*: illud *iuuat*. Si secus interpreteris, dic mihi quid insulsius esse poterat priori epigrammate? *Non belle facitis, sed iuuat*, id est, delectat vos irasci. probat ergo ingeniosè quomodo iuuet, & genus lucri sit irasci illis verbis:

Odisse, quàm donare, vilius constat.

Sic etiam epigrammate 108. infra hoc verbum *iuuat* accipiendum.

In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci;
Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

Id est, quæstui est. Vnde insulsam notabis huius verbi explicationem apud Horat. Sat. 1. lib. 1.

Quid iuuat immensum argenti pondus & auri,
Furtim defossa timidum deponere terra?

Quam adducit vetus Commentator, dum inquit, *Cum tanto studio pecuniam quæras, quid te delectat eadem non vti, sed humi defossam seruare?* Viden' quomodo tota gratia acutissimi Poëtæ pereat, non intellecta vna vocula? An existimas auarum defossa pecunia non delectari? imò hoc fine pecuniam congerit, vt in eadem Satyra de auaro numos contẽplante,

---- Populus me sibilat? at mihi plaudo,
Simul ac nummos contemplor in arca.

Sed nota acumen subtilissimi Poëtæ. Dixerat omnem lapidem moues, dum ne sit te ditior alter: & subiungit, *Quid te iuuat* defossa grãdis pecuniæ summa? *iuuat*, id est ditat, locupletat. Quo dicto stultitiæ redarguit auarũ, qui cùm ditissimus esse cupiat, id faciat, quo nulla ratione diues esse potest.

Est ergo, vt dixi, pulcherrima antithesis *damna iuuant*, quæ potiùs solent sua natura detrimentum afferre: causam autem adiungit per Epiphonema. *Sunt ipsa pericula tanti.* id est, adeò timentur pericula, vt si quis ea euaserit nullum damnum putet damnum, imò in lucro maximo ponat.

2 STANTIA *non poterant tecta probare Deos.*] Non intelligo vt vulgus interpretum *probare* esse Deos; id enim ridiculum est: sed *probare*, id est probos esse ostendere, qui magni Reguli curam habebant, & superstitem esse curabant, vt dixit compare epigrammate 83. infra,

Quis curam neget esse te Deorum?

Et lib. 2. epigr. 91. ad Cæsarem Domitianum eadem sententia vsus est,

Rerum certa salus, terrarum gloria Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos.

Vbi omninò lego, *manos credimus esse Deos*, id est bonos. Nam antiqui *manum* dicebant bonum: vnde *mane*, quod bona sit ea lux præ tenebris noctis præcedentis: & *Dij manes*, Grammaticorum obseruatione vulgata. Bonus autem, & probus idem: Sic probare, id est bonum fateri, vel ostendere. Hispani bellè hic exprimimus: idem enim est *yo os probare esto*, atque, *yo os hare bueno esto.* Libro etiam 5. epigr. 1.

Sospite, inquit, *quo gratum credimus esse Iouem.*

Grati comprehensione Iouis bonitatem intelligit, vt contra *ingrati* nomine iniquitatem omnem, vt apud Publium Mimographum,

Maledicta omnia dixeris, cum ingratum hominem dixeris,

Lippis, & tonsoribus notum, miseros illos veteres à prosperis vel aduersis euentibus rerum Deos bonos vel malos existimasse. Testimonia ociosus lege hoc loco apud Heraldum: Sed ne te fallat eius interpretatio, qui existimat *probare* hîc significare *πειρᾶν*, quod supra iam admonui.

De Arria, & Pæto. XIIII.

*Casta * suo gladiũ cùm traderet Arria Pæto,*
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides, vulnus, quod feci, nõ dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

* Vide Cornel. Tacitũ lib. 16.

DOMITIVS.

CASTA *suo*] Duæ Arriæ fuerunt, altera mater, altera filia, mater damnato Pæto marito, fodit corpus gladio, eundemque ipsi tradens, hac voce memorabili vsa dicitur. *Vulnus, quod feci, non dolet, sed dolet, quod tu facies*, quod verbum & fortis, & pij animi, mandatum est monumentis, & epistola Plin. Et hoc carmine filia vxor fuit Pæti Thraseæ, quæ morituro marito exemplum matris meditabatur, vt Tacitus scribit, sed Thraseæ verbis destitit, de matre, nunc loquitur.

SI *qua fides*] Id est, si mihi credere potes.

RAMIR. DE PRADO.

Egregiæ, & selectæ matronæ Romanæ factum describitur elegantissimo hoc & grauissimo epigrammate. Historia notissima est. Laudes celebratæ ab eloquentissimo Plinio Iuniore multis in locis. Raderus egregiam nauauit hoc loco operam.

Ad Cæsarem. XV.

Delicias Cæsar, lusúsque iocósque leonum
Vidimus: hoc etiam præstat arena tibi,
Cùm prensus blando toties à dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.
Vnde potest auidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen esse tuus dicitur, ergo potest.

Πρὸς Καίσαρα. ιε.

Τερπωλὴν ἴδομεν, Καῖσαρ, καὶ παίγμα λεόντων.
Ἑψία σοι παρέχει τοῖα κυνηγέσιον.
Εὖτ᾽ ἀπὸ μειλιχίοιο λαγωὸς πάλιν ἔσσυτ᾽ ὀδόντος,
Καὶ τρέχεν οἰγομένων αὖθι διὰ στομάτων.
Καὶ πόθεν αἱμοχαρὴς ἄγρης φείδεσθαι ἑτοίμης
Θὴρ δυνάται; καὶ, ἄναξ (σὸς γὰρ ἔφυ) δύναται.

DOMITIVS.

Delicias *Cæsar.*] Laudatur Clementia Cæsaris in leone, qui cùm Cæsaris sit, parcit lepori.

Lvsvs, *& iocos.*] Quoniam feræ non cædebantur à leone.

Blando *dente.*] Non lædenti.

Vagvs.] Liber, & solutus.

Vnde *potest.*] i. quomodo potest parcere leporibus?

Potest *parcere.*] Quia refert clementiam tuam Cæsar.

RAMIR. DE PRADO.

De hoc supra epigr. 7. & existimo hoc spectaculo Domitianum sibi nimium placuisse, quæ causa fuit cur Poëta noster nouem epigrammata de eodem scripserit hoc libro.

Ad Iulium XVI.

*O mihi post nullos, Iuli * memorāde sodales:* (* Pal. numerande.)
Si quid longa fides, canáque iura valent.
Bis iam penè tibi consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non benè distuleris, videas quæ posse negari,
Et solùm hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curæque, catenatique labores.
Gaudia non remeant, sed fugitiua volāt.
Hæc vtráque manu, complexúq; assere toto:
Sæpè fluent imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam.
Sera nimis vita est crastina: viue hodie.

DOMITIVS.

O *mihi post nullos.*] Iulium sodalem ætate ingrauescentem hortatur ad otium, & virtutem cum voluptate, nam vera vita apud Mart. nihil aliud est, quàm dare operam virtuti, cum honesta voluptate, neque expectandum esse ait: cùm labantur dies, & incertum sit, quid vesper serus vehat, vt Var. scrib.

O *mihi post nullos.*] i. ô Iuli inter primos meos sodales.

Longa *fides.*] Longa amicitia.

Ivra *cana.*] i. antiqua familiaritas.

Iam *tibi instat bis trigesimus consul.*] i. iam nactus es lx. annum: antiqui terminabant vitam, lx. annis.

Tva *vita numerat paucos dies.*] i. parum dedisti operam otio, & virtuti, & relaxationi animi, i. paucis diebus vixisti.

Non *benè distuleris.*] i. non sapienter facis, & differs.

Catenati *labores.*] i. in speciem catenæ coniuncti & perpetui.

Exspectant.] Non abeant.

Assere.] Vendica tibi.

Sæpe *fluunt sic.*] i. asserta, & vendicata gaudia sæpè fluunt, adeò gaudia sunt inconstantia.

Vivam.] Differre vitam.

Imo *sic quoque lapsa sinu.*] i. dum loquor amisimus tempus vitæ & voluptates. Persius,

Fugit hora, hoc quod loquor, inde est.

Quasi dicat poteramus has horas non perdere.

CHRISTOPH. COLERVS.

Gavdia *non remanēt.*] Vetus editio. *Gaudia non remanent.* Rectiùs: nam ideò fugitiua dicuntur, vt & libro 7.

Viue velut rapto, fugitiuaque gaudia carpe:
Perdideris nullum vita reuersa diem.

RAMIR. DE PRADO.

Hæc adhortatio Epicurea frequentissima est, vt lib. 2. ep. 59. & 90. lib. 4. ep. 54. lib. 5. epigr. 21. 60. & lib. 7. ep. 46. & 64. & lib. 8. ep. 44. & 77. Sodalem se fuisse Iulio triginta & quatuor annos testatur lib. 12. ep. 34. ob id longam fidem dicit, probatæ scilicet amicitiæ, *& cana iura*, id est vetera sodalitatis.

1 Et *numerat paucos vix tua vita dies.*] Eadem sententia scribit lib. 6. epigramm. 70. multos versus de valetudine Cottæ senis, qui omnes, & hæc sententia desumta sunt à Seneca lib. de breuitate vitæ cap. 3. *Tua* inquit, *vita numerat paucos*, &c. id est, paucos dies, quamuis sexagenarius sis, vixisti: nam non est viuere vita, sed valere, sed quietum esse, sed indulgere genio: sed bene viuere, vt inquit Terentius,

--- Vixit dum vixit bene.

Et Arbiter lepôrum hoc sensu dixit in satyris,

Si erimus cuncti postquam nos auferet Orcus,

Ergo viuamus, dum licet esse bene. A

Contra ingeniosè Ouid. lib. 1. de ponto eleg. 5.

Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Nestore maior ero.

Quam sententiam secutus Plinius Iunior lib. 4. epist. 24. ad Valentem suum ait: *Si computes annos exiguum tempus, si vices rerum, æuum putes.*

2 N o n *bene distuleris videas quæ posse negari.*] Id est continuò tibi eripi posse voluptatem, cùm vita in eadem ipsa eripit tibi possit, nec certa voluptas sit vlla præter eam quæ præteriit. Hic enim est sensus sequentis Pentametri;

Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.

3 C a t e n a t i q v e *labores.*] Quod quasi catena alii aliis ligati sint, & cohærentes; ita vt vno excepto multi subsequantur. Quò respexit Garsias Lassus à me laudatus, & laudandus sæpe, in ecloga 3. sub principio, his verbis.

Mas la Fortuna de mi mal no harta, B
Me afflige, i d'vn trabaio en otro llena, &c.

Prudens est Hispanorum votum, & Adagium, *Bien vengas, mal, si vienes solo.*

4 G a v d i a *non remeant.*] Omninò legendum *remanent*, quod indicat sequens comma, *Sed fugitiua volant.* nam possunt fugitiua volare, & remeare subinde, sed non remanere.

5 S æ p e *fluent imo sic quoque lapsa sinu.*] Endiadis est, quamuis gaudia recondas in unum sinum, ex eo labentur & fluent sæpe.

Ad Auitum XVII.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit Auite liber.

* *Sunt mala plura;* In libro edendo saltem seruari debet temperamétum, quod in melle vēdendo proposuit Apicius doctus gulæ artifex Epim. 15. *Mel malum inquit, boni facito ad vēdendum, & vnam partem mali & duas boni simul misceto.* He. R.

Πρὸς Ἄουιτον.

Ἐνθάδε πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πλείονα λυγρὰ
Ἔγραψ'· οὐδ' ἄλλως γίνετ', Ἄουιτε, βίβλος.

DOMITIVS.

S v n t *bona.*] Dicit se nullo genere epigrammatis abstinere, vt librum expleat, in quem sensum dixit. *Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis.* Aliter n. in iustam magnitudinem non venit.

A l i t e r] i. nisi omni genere epigrammatum congesto.

N o n *fit liber.*] Non crescit iusta libri magnitudo. D

RAMIR. DE PRADO.

S i m i l e epigramma est 80. ad Lausum lib. 7.

Triginta toto mala sunt epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

Ad Titum XVIII.

Cogit me Titus actitare caussas,
Et dicit mihi sæpè, magna res est.
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

Πρὸς Τίτον. ιη'.

Αἰεὶ λέγει Τίτος ὡς συνηγορεῖν με,
Φήσας πολλάκι, παμμέγ' ὧδε χρῆμα.
Χρῆμ' ἐστιν Τίτε γηπόνου μέγιστον.

DOMITIVS.

C o g i t *me.*] Respondet Tito hortanti, vt declamaret potiùs, quàm scriberet epigrámata, quoniam declamare esset res magna: negat hoc Martialis, cùm etiam coloni sciant agere causas, quasi velit ostendere pauciores scribere epigrammata, quàm agere causas.

R e s *magna est, quam facit colonus.*] Quia coloni sciunt agere causas, vt interrogando legas, nam quòd affirmando legant alii, non placet.

RAMIR. DE PRADO.

Dupliciter interpungunt hoc epigramma: legunt enim, cum interrogatione vltimum versum alij, & explicant. Est ne magna res, Tite, quam præstare colonus potest? Quasi dicat. Sæpe coloni robusti bonis lateribus, vastâ voce, rabulæ fiunt, & causas actitant. Mihi non placet id vitæ genus sequi, quod quilibet è populo sequi potest, vt dicit epigrammate 3. lib. 5.

„ *Hoc ego tuque sumus, sed quod sum non potes esse*
„ *Tu quod es, è populo quilibet esse potest.*

Alij subtilius absque interrogatione legunt, vt fit illusio quædam quâ respondet Tito, & ludat in ambiguitate, *Res magna est*, id est magna pecunia est, quam colonus excolendo agro congerit. Vel *res magna est*: id est improbus labor, quo subiectus est colonus serendo, vt metat, & metendo, vt serat, vt scribit Fauorinus apud Stobeum cuius verba latine reddita sic sonant: *Aiunt amatorem quendam à patre terram colere coactum, laqueo finiisse vitam, cùm in tabella scripsisset, agriculturam esse rem infinitam, & nunquam absolui: serendum enim, vt metamus: & metendum vt seramus: absurdo rei circulo.* Quod retulit Robertus Titius lib. 5. controuers. locorum cap. 23. etiam Virgil. eodem sensu scripsit li. 2. Georg. v. 400

„ ——— *redit agricolis labor actus in orbem.*

Tu vtramuis explicationem elige.

Ad Tuccam XIX.

Quid te, Tucca, iuuat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facilè est: scelus est iugulare Falernum,
*Et dare Campano toxica * sæua mero.* * v. Vina cædo.
Conuiuæ meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam pretiosa mori.

DOMITIVS.

Q v i d *Tucca.*] Auaritiam Tuccæ carpit, qui cùm Phalernum haberet, miscebat in vino vaticano

vilissimo, & in hoc iocatur, Vinum vaticanum est vappa: vallis Vaticana iuxta ædem Petri.

DE *nobis facilè est*] i. iugulare nos, quos fortasse odisti, facilè est, & ferendum.

AMPHORA.] Vas est hoc loco, alibi est genus mensuræ, vt dicitur Cæsar centum phalerni amphoras die sui triumphi dedisse conuiuis. *Cadus*, eodem modo, vt & idem dicitur dedisse centum cados vini Chij.

RAMIR. DE PRADO.

Sordidam hanc Tucceæ rusticitatem facetissime irridet Martialis, & ad ea, quæ congesta ab aliis sunt, illud forte à nemine animaduersum, adiunge. Hic iugulari falernum, mori, & veneno necari non minimo scelere: Nam satis notum est dici per metaphoram; sed per eandem dici de vino viuere, quod contrarium est, ignotum. Nec illud tibi obtrudam vulgatissimum, *ferre ætatem bene*, quod dicitur de iis, qui cùm senes sint, iuuenes apparent: Sed pulcherrimum exhibeo tibi Petronij locum. *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in ceruicibus pittacia erãt affixa cum hoc titulo*, FALERNVM OPIMIANVM ANNORVM CENTVM: *dum titulos legimus complosit Trimalcio manus, & Heu, inquit, ergo diutius viuit.* Vides viuere diserte dictum de vino.

1 DE *nobis facile est.*] Elegans dicendi formula id est, facilis est nostri iactura, nam forte absque scelere poteras nos iugulare, & scelus est iugulare falernum.

Ad Aeliam. XX.

Si memini, fuerãt tibi quatuor, Aelia, dentes:
Exspuit vna duos tussis, & vna duos.
Iam secura potes totis tussire diebus;
*Nil * istic, quod agat, tertia tussis habet.*

*v. tibi quod collas

RAMIR. DE PRADO.

PER se lucet facetissimum epigramma. Quatuor dentes reliqui tribuuntur à Poëta his cadauerosis vetulis ad deformitatem ostendendam. Sic epigrammate 92. lib. 3.

Cum tibi trecenti Consules vetustina,
Et tres capilli, quatuorque sint dentes.

Vide quæ ibi notauimus & lib. 2. epigr. 41.

Ad Cæcilianum. XXI.

Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata,
Solus boletos Cæciliane voras,
Quid dignum tanto tibi ventre, guláque precabor?
** Boletum, qualem Claudius edit, edas.*

Tacitus li. 12.

A DOMITIVS.

DIC *mihi.*] In Domitium Cæcilianum scribit, eiusdem nominis fuit vir amicissimus Thraseæ, hic vocatis conuiuis boletos solus edebat, eius inhospitalitatẽ carpit poëta, imprecatúrque, vt par est tanto ventri, & gulæ, vt talem edat boletum, qualem edit Claudius, quo venenato extinctus fuit, de quo Iuuenalis. *Post quem nil amplius edit.* Boletus in gulæ irritamenta venit nouissimis temporibus, propterea alibi scribit Martial. *Boletos mittere difficile.* Plinius appellat nouissimum irritamentum gulæ. Quod autem dicit de Claudio, sequitur historiam etiam editam à Tranquillo, qui Claudium scribit venenato boleto esse extinctum. Tacitus tradit veneno necatum ab Agrippina, opera Locustæ, & mysterio Haloti prægustatoris, demùm auxilio Xenophontis medici.

B TVRBA *vocata spectante.*] i. spectantibus conuiuis imprecabor, vt edas talem boletum, qualem edit Claudius, quo periit.

RAMIR. DE PRADO.

AMO Poetam hunc multis de causis, sed præcipuè quod vrbanitatis magister sit diligentissimus. Odi superciliosos qui existimant hominem obscenum esse. Dispeream si quid in eo obscenum offendi. Omnia enim eo fine scribit, vt nos risu, & subsannatione à vitiis, & à rusticitate morum deterreat; & quæ Stoicorum princeps Seneca, magna sententiarum & verborum pompâ, docet, hic facetiis gratissimis nobis exhibet, Horatij sententia omnibus præferendus quòd vtile miscuerit dulci. Est autem summa rusticitas conuiuij dominum meliores cibos sumere, quàm conuiuas. C Ab hac vt abhorreamus multa epigrammata conscripsit in eos, qui preciosiores cibos, meliora vina sibi quàm conuiuis apponi iubebant, quæ suis locis explicabimus: Et Iuuenalis hos insectatur multis versibus Sat. 5. qui denique petit, vt idem omnes cœnent, elegantibus hisce verbis, ———*solum,*

Poscimus vt cœnes ciuiliter.

SED nota hoc loco factum summi Principis Iulij Cæsaris, quod refert Suetonius in eius vitâ, cap. 48. *Domesticam*, inquit, *disciplinam in paruis, ac maioribus rebus diligentes adeò seuerèque rexit, vt pistorem alium, quàm sibi, panem conuiuis subijcientem, compedibus vinxerit.* Nam qui conuiuis alios quàm sibi cibos apponi iubet, videtur iis eos, quos attingere dedignatur, conuiuis obiicere potius, quàm apponere. D Plinius in Panegyrico, Traiano laudi tribuit æqualitatem in conuiuiis seruatam. *Nec ieiunis*, inquit, *& inanibus plenus ipse eructans* (legerem & ructans) *non tam apponis, quàm obijcis cibos, quos dedigneris attingere.* Præterea nota, vina etiam ab iis lurconibus, & rusticis diuersa apponi solita, & aliam itidem aquam potasse conuiuas. de vino noster lib. 4. epigr. 86.

Nos bibimus vitro, tu myrrha Pontice: quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Vtrumque probat Iuuenal. Sat. 5. vers. 51.

Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam.

A

De Porsena, & Mucio Scæuola. XXII.

Dum peteret regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contemto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior decepta fama est, & gloria dextra:
Si non errasset, fecerat illa minus.

Idem Græcè.

Ὡς διὰ λάτρεω ἁμαρτὸν ὀρεξαμένη βασιλῆος
Κεὶρ, αὐτὴν εἰς πῦρ ῥίψε καιομένη·
Ἀντίπαλος δ' οὐ τλῆσ' οἰκτίρμων νηλεὲς οὕτω
Θαῦμα, καὶ ἁρπάσας ἔξαγεν ἄνδρα πυρός.
Μούκιος ἣν ἔτλη καίειν χέρα, πῦρ ἀθερίζων,
Ταύτην Πορσίννας οὐχ ὑπέμεινεν ὁρᾶν.
Σφαλλομένης παλάμης μεῖζον κλέος ἐστὶ καὶ εὖχος
Εἰ δὲ κατωρθώκει, ῥέξ' ἂν ἐλαττότερον.

DOMITIVS CALDERINVS.

B

Dvm *peteret regem.*] Tangit historiam Porsenæ, & Scæuolæ, quæ nota est.

Regem] Porsenam.

Satellite] id est, scriba: nam Scæuola credidit se percussisse Porsenam.

Iniecit *se sacris focis.*] id est, iniecit se igni, qui ad aras sacras erat.

Hostis *pius*] Porsena.

Satellite] i. scriba occiso. Dionysius nescio quid addit nouum monumentis, sed nihil ad hunc locum: hæc historia repræsentata est in theatro, & propterea scribitur epigramma. Alibi idem apertiùs de hac eadem historia repręsentata.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma elogium est veri Mucij Scæuolæ. Nam quod legitur, lib. 8. epigr. 30. & lib. 10. epigr. 25. ad fictos Scæuolas pertinent, datos populo in spectaculis: de quibus dicemus suis locis. Notissima est historia, & magnificè narrata à Liuio lib. 2. & à Seneca ep. 24.

1 Sed *tam sæua pius miracula non tulit hostis.*] Nota elegantem Epithetorum Hypallagen. Nam hostis sua natura sæuus, miracula pia: transtulit Epitheta: miracula dixit sæua, & hostem pium.

2 Si *non errasset, fecerat illa minus.*] Id est, Esto, occidisset Mucius regem forte, qui supererant obstinato animo lecto Imperatore in obsidione permansissent vsque ad vrbis expugnationem. Effecit error, vt Porsena auditâ Mucij oratione, timuerit, & abscesserit. Ergo minus fecisset hæc dextra occidendo regem, quàm errando.

C

De leone, & lepore. XXIII.

* Non malè sentit, qui legit *non sæua.* propter *Placidi* quod sequitur: vtraque tamen lectio probari potest.

**Quid nunc sæua fugis placidi lepus ora leonis?*
Frangere tam paruas non didicere feras.
Seruantur magnis isti ceruicibus vngues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus,
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

Idem Græcè.

Τίπτε, σκαιὲ λαγωὲ, φεύγεις στόμα πρηῢ λέοντος;
Θῆρας καταχλάσαι τοσάτιχον οὐκ ἔδαεν.
Τοιαῦται μεγάλοις ἀνακεῖνται αὐχέσ' ἀκωκαί.
Αἵματος οὐ λιτοῦ γλίχεται ἥδε δίψος.
Κῦρμα κυνῶν πτὼξ ἐστ', οὐδ' ἀρκεῖ χάσματι λαβρῷ.
Οὐκ ἂν παῖς Δᾶος Καίσαρος ὅπλα τρέσαι.

DOMITIVS CALDERINVS.

Qvid *nunc sæua.*] Idem quod suprà de leone, & lepore.

Non *timeat*] Sensus est. Leones non sæuire in vilem prædam, & imbecillem: exemplo Cæsaris Domitiani, qui generosi, & alti animi: ne in hostem quidem paruum, & infimum arma mouet.

Dacvs *puer*] i. hostis puer: nam Dacos domuit, quasi dicat, in hostes debiles Cæsar non sæuit.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad leonem, ad lepores, vt sæpe hoc eodem libro, in quo nota *frangere* dictum de leporibus propriè, vt libro 1. epigrammata 50. rumpere.

D

Leporémque forti callidum rumpes equo.

Et libro 12. epigrammata 14.

——sæpius illis.
Prisce, datum est Equiti rumpere quàm leporem.

Et eod. verbo vtitur epigrammata 52. de iisdem leporibus,

Et quæ non cernunt, frangere colla volunt.

Id est, dilaniare: & Solinus lib. 20. *Apud hos,* inquit, *populos nati canes omnibus feris anteponuntur, frangunt tauros, leones perimunt.*

Ad Cottam. XXIV.

Inuitas nullum, nisi cum quo Cotta lauaris,
Et dant conuiuam balnea sola tibi.
Mirabar quare nunquã me Cotta vocasses,
Iam scio me nudum displicuisse tibi.

DOMITIVS.

INVITAS *nullum*] Cotta habebat balnea, & eos inuitabat, quos in balneis mentulatos inspexerat. Volebat enim subagitari. hi autem iuuenes mentulati, qui alios subagitabant, Drauci dicebantur, à verbo Græco, quasi agentes, δράω, Latinè ago. Neque mirandum est in his seruatam esse vocem Græcam, quoniam, & in his qui patiuntur seruata est, B nam Pathici appellantur à πάσχω: quod est patior. Mentulati autem ab his, qui volebant subagitari, ex balneis eligebantur, vt alibi. *Oculis deuorantibus draucos*, hoc est, quàm auidissimè intuebatur, & optabat.

SCIO *me nudum displicuisse tibi*] quoniam vidisti me non satis mentulatum, vt tibi præstare operam possim.

RAMIR. DE PRADO.

SVB persona Cottæ, molles & effeminatos sui temporis homines taxat, qui bene vasatos è balneis ad conuiuia; è conuiuiis ad lectum educebant, fiebàtque strenuorum huiuscemodi militum in balneis delectus. Seneca quæst. natur. li. 1. cap. 16. de Hostro quodam profligatissimæ obscœnitatis homine. *In omnibus*, inquit, *balneis agebat ille delectum, & aperta mensura legebat viros.* vbi mutoniati fiebat maximus plausus. vt lib. 9. epigr. 34.

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum,
Mutonis illic esse mentulam scito.

Sic enim malo, quàm *Mathonis*, vel *Morionis*. Muto enim ille dicebatur, quod magnum haberet fascini pondus, quasi totus esset mentula, quæ ipsa muto vocabatur. Horat. sat. 2. lib. 1.

Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret hæc animus.---

Quo loco imitatus est teste Porphyrione Lucilium, qui lib. 8. satyr. sic scripserat,

At laua lachrymas mutone absterget amica.

Sic enim lego non *à laua*, nec *tam laua*, vt alij ex vetere scriptura corruperunt: inde mutoniati dicti sunt, bene vasati: & lib. 3. epigr. 73.

Dormis cum pueris mutoniatis.

DE eodem plausu est elegantissimus apud Petronium locus de adolescente quodam in balneo lauante. *Illum autem*, inquit, *ingens frequentia circumuenit cum plausu, & admiratione timidissima. Habebat enim inguinum pondus tam grande, vt ipsum hominem laciniam fascini crederes.* Quæ vltima verba sic intellige. Erat tantus Priapus, vt homo ipse appendix eius, vel lacinia esse videretur. Id est, multò breuior erat homo, quam suus ipsius fascinus. De delectu locus in Lampridio in vita Heliogabali, *Romæ*, inquit, *deniq; nil egit aliud nisi emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent, eosque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui posset.* Ii autem emissarii non alio quàm per balnea discurrebant. Ideo idem ipse quo posset conditiones bene vasatorum cognoscere, lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, & simul & palam populo exhibuit, vt Lampridius testatur. Et

A ille effeminatus inf. epigrammata 97. eosdem auidè spectabat in balneo.

Vna lauamur, aspicit nihil sursum;
Sed spectat oculis deuorantibus Draucos,
Nec otiosis mentulas videt labris.

1 IAM *scio me nudum displicuisse tibi.*] Fatetur Martialis se bellâ hac supellectile non satis instructum esse, quod disertis verbis prodit lib. 7. epigr. 54.

Lingas non mihi (nam proba & pusilla est)
Sed quæ de Solymis venit perustis,
Damnatum modo mentulam tributis.

Ob hoc se huic Cottæ displicuisse dicit nudum. idem dicit Gallæ, epigr. 50. lib. 3.

Et semper vitas communia balnea nobis,
Numquid Galla times ne tibi non placeam?

Eadem autem querela, quod non inuitaretur ob eandem penuriam, est lib. 3. epigr. 27. in Gallum.

Ad Decianum. XXV.

Adspicis incomtis Illum Deciane capillis,
Cuius & ipse times triste supercilium.
Qui loquitur Curios, assertorésque Camillos Pul. Vator. Sed recepta lectio magis placet.
Nolito fronti credere, nupsit heri.

DOMITIVS.

ASPICIS *incomtis*] Notat barbatum cynædum, qui cùm Socraticus vellet videri, & asper, subagitabatur: hoc genus hominum carpit Iuuenal. & Socraticos cynædos appellat, quo loco interpretando, C nescio quid multi garriant.

SVPERCILIVM] i. grauitatem.

ET *ipse*] Qui ei stoïcæ disciplinæ, vt alibi de eodem: Quòd magni Thraseæ, &c.

RAMIR. DE PRADO.

EST hoc epigramma in cynædos, qui molliciem dissimulantes, se rigidos, & seueros ostentabant.

1 ADSPICIS *incomtis illum.*] Aliqui volunt illum ϰεϰαλῶς accipi, quòd alibi illi cuiusdam mentio sit. Ego malo δειϰτιϰῶς, *incomtis capillis.* Sunt qui volunt se nimium viros videri, quod epigrammate 36. lib. 2. *turbare capillos* dixit, & epigr. 57. lib. 7. *Hirsutum* appellat talem virum. Quo epigrammate duo Disticha vltima sunt simillima huic.

D 2 TRISTE *supercilium.*] De τὸ *triste*, vide in epistola huius libri, n. 7. *Loqui Curios, & Camillos*, velut dicto epigrammate *Fabios & Quintos. Numas, Ancos*, vt epigr. 28. lib. 1. prouerbialiter dicitur, & significat grandia, & seuera verba proferre digna his antiquis, & bonis viris. Sic Iuuenal. sat. 2. vers. 3.

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Et hic lib. 7. epigr. 67.

Hæc ego vel Curio, Fabricióque legam.

3 NOLITO *fronti credere.*] Id est, supercilio, & tristitiæ frontis. Sic Iuuenalis horum fronti fidem adhibendam esse negat, ead. sat. 2. vers. 9.

Fronti nulla fides. quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? ----

4 NVPSIT *heri.* Vulgaris obscœnitatis formula, id est, muliebria heri passus est. quanquam verè corruptissimo illo seculo nupsere cynædi. Notum de Nerone. Sueton. in eius vita, cap. 28. & 24. Et Seuerus Sulpicius in 2. sacræ historiæ de Nerone ipso.

Post etiam (inquit) *Pythagora cuidam in modum solemnium coniugiorum nuberet, indutumque Imperatori flammeum, dos, & genialis thorus, & fasces nuptiales: cuncta denique quæ in feminis non sine verecundia conspiciuntur spectata.* De Heliogabalo, Lampridius, & Clemens Alexandrinus hoc vitium eleganter taxat his verbis ex versione Gentiani Herueti, lib. 3. pædag. cap. 3. *Homines patiuntur muliebria, & feminæ præter naturam viros agunt & nubunt, vxoresque ducunt feminæ.* Quod etiam vitium, & impudentissimum facinus velle hic noster lib. 12. epigr. 42. de Callistrato & Afro reprehendit: Et Satyricorum Princeps Iuuenalis hanc eandem turpitudinem notat vrbanissimè, sat. 2. v. 134.

Primo Sole mihi peragendum in valle Quirini,
Quæ causa officij? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. liceat modo viuere: fient.
Fient ista palàm, cupient, & in acta referri:
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt & partu retinere maritos.

B Vbi illud *cupient & in acta referri*, est habere liberos, quia statim ac nascebantur à parentibus in acta publica referebantur. Apuleius: . . . . . *pater natum tibi filium ceterorum more professus est.* Et Iulius Capitolinus in Gordianis, *Filium Gordianum nomine Antonini. & signo illustrauit, cum apud Præfectum ærarij more Romano professus filium publicis actis eius nomen insereret.* Et idem in M. Aurelio, *Inter hæc liberales causas ita muniit, vt primus iuberet apud Præfectos Ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri intra tertium diem, nomine imposito:* quod fiebat, vt de paterno iure constaret: ad hereditates, legata, & caduca capienda, & etiam ius trium liberorum. Id Iuuenalis idem conceptis verbis, sat. 9. vers. 82.

C *Nullum ergo meritum est ingrate, ac perfide, nullum,*
Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. foribus suspende coronas.
Iam pater es: dedimus quod famæ opponere possit:
Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commoda præterea iunguntur multa caducis,
Si numerum, si tres impleuero.---

Et cum liberi referrentur in acta, referebantur etiam & parentes. Colligo ex Scæuola in L. Imperatores. §. mater grauida. ff. de Probationib. *Mulier grauida repudiata filium enixa absente marito, spurium in actis professa est. Spurium*, id est, vulgo conceptum, absque patre certo. Ergo cum parentes erant certi, referebantur eorum nomina in acta cum nominibus liberorum, & ideo dixit Iuuenalis,

D *---cupient & in acta referri.*

Quorum verborum sententiam esse, hanc satis notat illud verbum *interea*, id est, dum non referuntur in acta, quod est, dum non pariunt, & liberos non habent: Nam eò dementiæ cynædi isti deueniebant, vt existimarent posse concipere, & beneficia, ac medicamenta ad id comparabant: quod paulò post in eadem sat. 2. versu 140. facetè scripsit.

---steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Et in eod. supra dicto epigramm. 42. lib. 12. de Callistrato & Afro hoc innuit noster his verbis.

Dos etiam dicta est: nondum tibi Roma videtur
Hoc satis? expectas: nunquid & vt pariat.

Hoc idem crimen quod viri viris nubant seuerissime vindicat Imp. Constantini & Constantis ad populum constitutio l. cum vir 31. cod. ad leg. Iul. de adulter. de cuius legis variâ lectione est à nostris Criticis Iurisconsultis summis cõtrouersiis agitata quæstio, quam breuiter, & eruditè Dionysius Gothofredus in suis glossis discidit, quem adi: Et quemadmodum hoc Martialis loco & aliis vt Suetonii de Nerone cap. 29. *nubere* est muliebriter se gerere, & muliebria pati: Sic lib. 8. epigr. 12.

--- vxori nubere nolo mea.

Id est nolo vxori meæ subditus esse, sic etiam Pomponius, vt est apud Nonium in *Nubere. Sed meus frater maior postquam vidit me inde eiectum domo, nupsit posterius dotatæ vetulæ varicosæ Afræ. Nubere* in eadem significatione qua noster epigrammate superiori, & quod hic *locupleti*, Pomponius *dotatæ* dixit. Quod acumen non pupugit plumbeum cor putidi illius Grammaticuli Nonij Marcelli. vt *Nubere vxori* est vxori subditus esse, ita & duci virum ab vxore idem significat, lib. 10. epigr. 79.

Custodes das Polla viro, nec accipis ipsa:
Hoc est vxorem ducere Polla virum.

Ad Faustinum. XXVI.

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus:
Quod nec Cecropiæ damnẽt Pandionis arces,
Nec sileant nostri, prætereántque senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famã,
Téque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque viuere, chartæ
Incipiant: cineri gloria sera venit.

DOMITIVS.

EDE *tuos.*] Hortatur Faustinum, vt edat suos libros compositos, & assequatur laudem, cùm possit viuens eam assequi.

OPVS *cultum docto pectore*] i. ingenio tuo.

QVOD *opus nec damnent arces Cecropiæ, nec nostri nec Græci*] Hoc est opus à Græcis, & à Latinis, laudandum.

CINERI *gloria sera.*] Ex sententia Epicuri, qui omnia soli vitæ tribuit.

RAMIR. DE PRADO.

ADHORTATIO Faustino missa, vt suos libros edat, qualis Plinii Secundi ad Octauium & Arrianum. Est epigramma perspicuum. quartus versus non satis liquet.

1 NEC *sileant nostri, prætereántque senes.*] Senes dixit quod Faustini opera, multæ & bonæ frugis essent, qualia solent probare senes: sed quid est, *prætereant*? præteritum hoc ab interpretibus, qui non subodorarunt verbi elegantiam. & proprietatem. Est *præterire* hoc loco, non attingere omnino. Qua metaphora exhibebo tibi suauissimum gustum, cum Horationi loci exacta interpretatione: est in arte,

Centuriæ seniorum agitant expertia frugi,
Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes,
Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci.

Elegantissima est allegoria desumta à suffragijs populi,

puli, quibus magiſtratus creabantur: nam ſuffragiorum tabellæ colligebantur in ſeptis per pontes à diribitoribus: deinde congerebantur in menſas, & ſecernebantur per nomina candidatorum: & tabulis quibuſdam cereis tot puncta ſignabantur ſub cuiuſque nomine, quot ſuffragia candidatus habuiſſet: Et qui plura tuliſſet puncta, is vel Conſul, vel Prætor, vel alius magiſtratus creabatur, & præconis voce publicabatur. Dicebant autem *agitari* eum à populo, qui pauciſſima puncta tuliſſet: ita vt repulſam pateretur, prælato alio competitore. *Preterire* verò eum, qui nullum omninò punctum & ſuffragium tuliſſet. De hoc verbo quod huius loci eſt accipe teſtimonium Ciceronis pro Cn. Plancio. *Nunc tantum diſputo de iure populi, qui & poteſt. & ſolet nonnunquam dignos præterire: nec ſi à populo præteritus, quem non oportuit, à iudicibus condemnandus eſt, qui præteritus non eſt.* & eiuſdem in Tuſculanis. *Cum bonus vir ſuffragiis præteritur, non ille à vano populo repulſam fert,* &c. Liuij lib. 22. *Nec cuiquam eorum præter Terentium Coſ. erat mandatus honos, quem iam non antea geſſiſſet, præteritis aliquot fortibus, ac ſtrenuis viris.* Valer. Maxim. lib. 9. cap. 3. §. 6. de ira. *Age quàm euidenter ſe in pectore vniuerſi P. R. geſſit eodem tempore, quo ſuffragijs eius dedicatio ædis Mercurij, M. Plotonio primipili Centurioni data eſt, præteritis Conſulibus.* Sed hi omnes propriè loquuntur de ſuffragijs, metaphoricè Seneca lib. 4. de benef. cap. 10. *Ideo locupletem, ſed indignum præteribo; pauperi viro bono dabo.* & Iuriſconſultus in L. de ventre præterito, ff. de liber. & poſthum. & hic noſter lib. 7. epigr. 85.

Quod ſum præteritus vetus ſodalis.

Reſpexit igitur Horatius ad hunc ritum, cùm dixit *poemata*, quæ nullà vtilitate ad delectationem ſolam comparantur, agitari à ſenibus, & dixit *centurias ſeniorum*, quòd magiſtratus centuriatis comitijs crearentur. Iuuenes autem præterire auſtera poemata, in quibus vtilia ſolummodo, & non delectantia inueniuntur: Illum autem Poetam, qui miſcuiſſet vtile dulci, cunctorum ſuffragiis probari, quod eſt *ferre omnia puncta.* Sic Apollinaris epiſt. 9. lib. 1. *cui ſi examinis tui quoque puncta tribuantur,* &c. & ep. 19. lib. 3. *ideoque plus debeo, quia gloriæ punctum quod dictioni negares, das amicitiæ*: id eſt, ſuffragium. Nec poſſum me continere, quin nunc miſceam vtile dulci, & legem tibi explicem hoc loco non intellectam hactenus ab aliquo, & quod mirere magis, a magno Cuiacio lib. 3. obſeruat. cap. 2. ignoratam. Ea eſt L. laudabile, cod. de aduocat. diuerſ. iudic. *laudabile vitæque hominum neceſſarium aduocationis officium, maximè principalibus præmiis oportet remunerari. Ideóque iubemus viros clariſſimos fiſci pro tempore patronos fori tuæ celſitudinis ſolemni die feſtiuitatis Calendarum Ianuariarum, ipſius tantummodo anni per quem tale peragunt officium, inter ſpectabiles ſacri noſtri conſiſtorij Comites diuina noſtræ ſerenitatis manu punctis conſequi ſolatia.* Hæc enim vera lectio eſt, nõ *puncti* vel *pũctos.* Eſt autẽ *punctis conſequi ſolatia*, dari iis mercedes ſuæ aduocationis cõmuni cõſẽſu, vt dicitur L. Iubemus, anteriori; *Et ſolatia ſibi communi conſenſu deputata per idem biennium conſequi.* quæ eadem verba repetuntur in L. petitiones: cod. tit. quod in Baſilicis τὸ pactum vocatur, id eſt ea merces, quæ punctis & omnium conſenſu aſſignata erat patronis fiſci. Vnde æſtuans Cuiacius voluit fingere nouam lectionem in hac lege, & ſcribere *Solatia pacti.* & Gothofredus excutiens omninò, *puncti ſolatia* cùm legat, interpretatur *punctum ſeu mercedem honoris*, quod ipſe iuratus fateretur non intelligere.

A 2 CINERI *gloria ſera venit.*] Argutatur ſuo more Raderus, & Epicureum fingit Martialem, & dãnat impietatis, vt animam mortalem credat ex hoc loco. Nugæ: Sed hortatur Fauſtinum, vt viuens ſentiens ſua fruatur famâ & gloriâ, quod ipſe de ſe teſtatus ſupra eſt epigrammate 1.

Ad Sextilianum. XXVII.

Sextiliane bibis, quantum subſellia quinq; h. e. quinque equites.
Solus: aqua toties ebrius eſſe potes.
Nec conſeſſorum vicina numiſmata tantùm,
Aera ſed à cuneis vlteriora petis. v. bibis
Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis,
Vua nec in Tuſcis naſcitur iſta iugis.
B *Teſta ſed antiqui felix ſiccatur Opimi,*
Egerit & nigros Maſsica cella cados.
A caupone tibi fæx Laletana petatur,
Si plus quàm decies, Sextiliane, bibis.

DOMITIVS.

SEXTILIANE *bibis*] In Sextilianum bibacem, in quem etiam ſuprà ſcripſit.

SVBSELLIA.] Sedes erant, & ad id alludit, quoniam erat iudex, nam equites inter iudices numerabantur.

BIBIS *quantum quinque ſubſellia*] i. quantum quinque tui collegæ.

CVNEVS] Multitudo in ſpectaculo, quæ ordine C non ſedeat. Iuuen. ſat. 6. *Cuneis an habeant ſpectacula totis Quod ſecurus ames.* Hic accipit cuneum, pro ea multitudine quæ ſtat ante ſubſellia iudicum.

PRÆLIS *pelignis*] i. non habes, nec petis vinum pelignum, quod peſſimum eſt. alibi, *Maſſica peligni miſerũt turba ta coloni. Non tu, libertus, ſed bibat illa, tuus.*

VINI *opimi*] i. vini opimiani: vinum opimianum dictũ eſt à L. Opimio conſule, qui eo anno geſſit conſulatum, quo Gracchi ſeditionibus popularibus interierunt: nam eo anno cœli temperie, quæ coctura dicitur, magna vini copia, & præſtantia, quod vinum in cc. annos ſeruatum eſt, redactum in ſpeciem mellis tantæ æſtimationis, vt amphora centenis nummis veniret. Adhibebantur alijs medicamenta, vt opimiana viderentur. Alibi Mart. *Felix autumnus opimi.* Cicer. in Oratore: & Plinius authores.

MASSICA *cella*] De phalerno intelligit, quod nigrum eſt, quod maſſicum dicitur ab eodem.

D *De Simueſſanis venerunt maſſica prælis.*

LALETANA] Prouincia eſt Hiſpaniæ, quæ vinum turbidum, & vappam mittit, quamuis non procul ſit à Tarracone, quæ habet optimum vinum, vel *fæx Laletana*, hoc eſt, pete vinum laletanum, nam eius erat magna copia, quod Plinius ſcribit. Laletana, inquit, copia, Tarraconẽſia elegantia ſuperant. Mendoſa eſt dictio in codice Plinij recentiore, Luſitana, pro Laletana.

GEORGIVS.

AERA *ſed à cuneis*] Vitruuius cuneos ſuppoſitos cellis in theatro tradit, ita vt non minùs alti ſemipede ſint in ea parte, quæ ſpectat ad ſcenam. ſuntq; ſedes in theatris, de quibus alibi idem ſic ait. Cunei ſpectaculorum in theatro ita diuidũtur: & Virgilius. *Hunc plauſus hiantem; Per cuneos geminatus enim.*

occasio. Et post hæc verba exempla aliquot subiungit huiusce rei. Plinius etiam iunior in Panegyrico Traianum laudat, quòd non ipse, vt alij Imperatores solebant, plenus veniret ad conuiuium spectaturus, & adnotaturus conuiuas suos. *Non enim*, inquit, *ante medium diem distentus, solitaria cenâ, spectator, adnotatórque conuiuis tuis imminet.* Ob hoc ergo noster dixit, *Exemplo nimium periculoso.*

De Acerram. XXIX.

Hesterno fœtere mero, qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

DOMITIVS.

HESTERNO] Carpit Acerram, quòd semper in lucem biberet. Vnde, inquit, qui putat Acerram fœtere mero hesterno, errat, nam semper bibit in lucem.

RAMIR. DE PRADO.

Παράδοξον per illusionem: videtur enim belle excusare Acerram, & acrius accusat. Multus Martialis in huiusmodi lusu.

1 IN *lucem.*] Quemadmodum reprehendebantur illi qui ante nonam toros frangebant, vt apud Iuuenalem Marius, sat. 1. vers. 49.

Exul ab octaua Marius bibit. &c.

Et dicemus ad l. 4. epigr. 8. num. 2.

Eodem modo illi, qui conuiuia & compotationes in lucem protrahebant intemperantes habebantur, epigrammata 9. lib. 7.

In lucem cenat Sertorius, Ole quid ad te?

Ad Fidentinum. XXX.

Fama refert nostros te Fidentine libellos,
Non aliter populo, quàm recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua; vis, hæc eme, ne mea sint.

DOMITIVS.

FAMA *refert*] Fidentinus versibus Martialis volebat videri poëta, quos recitabat, tanquam suos. Mart. eum monet, vt eos emat, ne sint sui. Iocatur alibi. *Nam quod emas, possis dicere iure tuum.*

RAMIR. DE PRADO.

INVEHITVR in plagiarium Fidentinum, quemadmodum in alios multos. Esset enim latissimus communis locus si de plagiariis, & carminum furibus hîc esset dicendum. Vltimum Distichon continet lusum in ambiguo in *mea* & *tua* frequentissimum. Huic poetæ plenæ exemplorum paginæ. Cetera perspicua, & per se nota.

A

De Diaulo medico. XXXI.

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus.
Cœpit, ᵃ *quod poterat, clinicus esse modò.*

ᵃ Quo poterat, Clinicus esse modo. Iustus Lipsius Epistolicarum quæst. lib. 1. epist. 5.

DOMITIVS.

CHIRVRGVS *fuerat*] Chirurgus est medicus vulnerarius.

VESPILLO] Est ille qui effert corpora ad sepulturam, à vespere dictus, quoniam maiores ea hora sepeliebantur. Distichon à quo sit intellectum non video, vt alia multa, sed puto hunc esse verùm sensum. Hippocrates incenso templo Æsculapij instituit medicinam, quæ clinice vocatur, vt Varro in rebus diuinis scrib. Qui eam exercebant clinici dicebantur. Alibi Martialis. *Sota clinici filia labula.*

B Ea medicina sumpsit nomen ἀπὸ τῆς κλίνης, quòd est lectus, & quoniam lectus tàm cadauerum est, quàm ægrotantium, non ineptè dicitur, qui effert cadauera.

CLINICVS] Clinici medici erant in maiore precio, quàm chirurgi.

DIAVLVS] Prius erat: Chirurgus nunc factus erat vespillo. Iocans Martialis ait ex chirurgo Diaulum factum esse clinicum: sed non potuisse aliter esse clinicum, quàm elatione cadauerum, vt ridendo dicat Diaulum factum esse vespillonem, vt se quoque clinicum profiteatur: nam qui efferunt cadauera, clinici quoque possunt appellari.

COEPIT *quo poterat clinicus esse modo*] Quia aliter non poterat, cum careret doctrina medici clinici.

C

RAMIR. DE PRADO.

SVBTILIS iocus in Diaulum chirurgum, qui arte chirurgicâ relictâ, se ad libitinam contulerat, & vespillo factus cadauera sepeliebat. De medicorum generibus pleni medicorum libri, præcipua apud eos facultas clinica est, de cuius origine Plin. libro 20. cap. 1. disserit, eamque tribuit Hippocrati, quamuis alij de hoc ambigant, sed tamen clinice præstantissima, cui ceteræ subiectæ: sic ophthalmici id est ocularij medici, chirurgi & ceteri inferiores clinico, & quasi administri. Auebant inferiores quocunque modo possent ad Clinicen ascendere. Dicta Clinica est à κλίνη id est lecto, in quo

D ægri decumbunt, quos clinici visunt, & quos lex, si duas. §. Grammatici. ff. de excusationibus περιοδευτὰς appellat, & circulatores, quos alibi circitores dicunt, vt est in veteri glossario, titulo de medicina. *circitura*. περιοδία à circumeundo, quòd ad visendos ægros circumeant. cùm alibi circitorum nomen conueniat iis, quibus vestes distrahendæ, & circumferendæ committuntur, vt l. cuicunque. 5. §. sed etiam 4. ff. de institor. actione. Appellatur etiam Græce κλίνη feretrum, sandapila, vel lectus, quo mortui efferuntur, & ab hac mente fingit Martialis Clinici nomen per iocum. Cum igitur Diaulus Chirurgus esset, & ob tarditatem ingenii vel ætatem non posset ad clinici dignitatem ascendere, factus est vespillo, & à lecto mortuorum quos efferebat clinicus, quoquo modo euasit.

De Encolpo. XXXII.

Hos tibi Phœbe vouet totos à vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor.
Grata Pudēs meriti tulerit cùm præmia pili,
Quam primū longas, Phœbe, recide comas.
Dum nulla teneri sordent lanugine vultus,
Dumque decent ' fusa lactea colla ' iubæ:
Vtq; tuis longū, dominúsq; puerq; ' fruatur
Muneribus, tonsum fac citò, serò virum.

' fusæ ' Comæ. v. fruantur.

DOMITIVS.

H o s *tibi Phœbe*] Encolpus puer erat Auli Pudentis centurionis. Centuriones autem proxima dignitate, primipilares creabantur. Vouerat puer crines suos Phœbo, cùm primùm Dominus factus esset primipilaris, rogat Phœbum poeta, vt auditis pueri precibus citò faciat primipilarem Aulum Pudentem, vt puer iam tenera ætate tonsus, colla candida Domino seruet, & ostendat, sed tamen faciat eum serò virum. Ita fiet, vt Aulus vtatur munere Phœbi diu, & ipse etiam puer, quia & hic fiet statim primipilaris, ille serò vir. Ita Aulus erit diu primipilaris, puer diu mollis.

E n c o l p v s] Nomen fictum, κόλπος Latinè sinus id est, amplectendus.

V o v e t.] Antiqui vouebant crines, & barbam Phœbo, & posteà in pixidem mittebant: ita egit Nero, ita Earinus apud Papin. Æsculapio.

P v d e n s] i. Aulus Pudens.

G r a t a *p.*] i. primipilatum, quòd erat votum Encolpi pueri.

F a c *cito tonsum.*] Vt Pudens fiat primipilaris.

S e r ò *virum*] id est, serò adultum, vt Pudens optat.

RAMIR. DE PRADO.

V o t v m continet hoc epigramma Encolpi pueri, serui & amasij Pudentis Centurionis, quo vouerat crines Phœbo, si dominus, & amator eius ad primipilarem dignitatem eueheretur, cuius voti reus factus, abscidit comam lib. 5. epigr. 49.

1 H o s *tibi Phœbe.*] Phœbo consecrari primam comam notissimum ex Plutarch. in Theseo, cuius moris exempla multa congerit Hadrianus Iunius commentario de coma cap. 4. *Totos* dixit *crines à vertice,* quo expressit mirum pueri desiderium, & propensam in dominum voluntatem: non enim voluit comæ partem aliquam, quam poterat ab auriculis aut mento tondêre, sed à vertice, vt tota concideret.

2 T o n s v m *fac cito, serò virum.*] Est elegans antithesis, quòd optat tonsum, & non virum. Nam pueri quoad excedebant ex ephebis, intonsi & comati erant, flectebántque ad decorem capillos, & torquebant, quod Martiali non placebat, vt epigrammate 42. lib. 4.

——mollesque flagellent
Colla comæ: tortas non amo Flacce comas.

V b i vide, quæ diximus ad numerum 5. Quinetiam, & calamistris inurebantur, & cirrati incedebant. Vnde pro pueris *cirratos* dicunt Poëtæ. Persius sat. 1. vers. 43.

A

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?

A t iam puberes tondebantur. Optat igitur Poëta vt citò Encolpus tonsus fiat, primipilarem assequutus dominum dignitatem. Serò vero fiat vir, quo dominus eius amore diu fruatur. de Voce *viri* diximus ad lib. 4. epigr. 42. n. 10.

Ad ' Sabidium. XXXIII.

v. Sauidio

Non amo te ' Sabidi, nec possum dicere quare,
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

v. Sauidi.

B

RAMIR. DE PRADO.

N o t v m epigramma, sed verba fortasse non intellecta. *Non amare* dicebant veteres pro *odisse.* Testis germanus Ciceronis Quintus lib. aureo de petitione Consulatus ad Marcum fratrem: verba sunt, *Qui sine causa non amant, eos aut beneficio aut spe, aut significando* (lege omninò significans) *tua erga illos studia futura, delinies: dans operam, vt de illa animi prauitate ducas.* Hæc ille. Dic sodes, *Non amare* est ne animi prauitas? Ergo *non amare* odisse est. Hic noster disertis verbis, lib. 2. epigr. 55.

Vis te Sexte coli: volebam amare.
Parendum est tibi: quod iubes, coleris:
Sed si te colo, Sexte, non amabo.

Id est, odio habebo. & est ratio, quia non dixisset Poëta, *nec possum dicere quare,* nisi τὸ *non amo,* τὸ *odi* significaret: Nam cum amare sit ardentissimo amo-

C

re in aliquem ferri, non opus est, vt sint causæ, quibus non amemus, immò ad amandum debent esse multæ, & iustæ, & graues: quod significauit Quintus frater superioribus verbis, *qui sine causa non amant,* & ad non amandum vulgari significatione, nulla est maior causa, quàm non esse causam amandi.

1 N e c *possum dicere quare.*] Id est, huius odij mei nullam possum assignare causam, quòd absque causa oderim te. Quod videmus quotidie vsuuenire, & quosdam homines odio prosequamur, quod tota eorum natura, forma, vultus, mores, nostræ naturæ aduersentur. Habet autem, & hoc duplicem sensum: vel odi sine causa, quod in sacris dicitur, *gratis* psal. 34. versu 19. Heb. ps. 35. חנם de quo conquerebatur sanctissimus ille Rex, quod *animi prauitatem*

D

appellauit Quintus frater: Et in hoc sensu illa verba, *nec possum dicere quare,* nil aliud significant, quàm nullam possum mei in te odij causam proferre, cùm deberem iustam aliquam causam assignare, cur te oderim, & sic, gratis te odi. quod Hispani eleganter dicimus, *quiero te mal de valde,* & contrà, *quiero te bien de valde.* Alius sensus est, quo innuit aliquod summum esse in Sabidio flagitium, quod nefas sit, id est, non possit dici. Videor autem subodorare id flagitium esse, quod Sabidius impuri oris, suspicari me facit epigramma 17. lib. 3. quod cum scriblitam ardentem, secundis mensis allatam, nemo tangeret, hic idem Sabidius terque, quaterque buccis suis sufflauit. & remisso ardenti calore, nemo ex conuiuis ausus est tangere, quod insufflata ab hoc impuro homine, fortè cunnilingo, vel fellatore, conuiuis *virus* fuit.

De Gellia. XXXIIII.

Amissum non flet, cùm sola est Gellia, patrē:
Si quis adest, iussæ prosiliunt lachrymæ.
Nō dolet hic, quisquis laudari Gellia quærit.
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

DOMITIVS.

AMISSVM.] Gellia lugebat patrem tantùm cùm aderant testes. Mart. inquit eam non lugere: sed esse studium laudis, & velle laudari.

IVSSÆ *lachrymæ.*] Ab Gellia. Iuuenal. *In statione parata: Quo iubeant manere loco.*

NON *luget quisquis*] inquit. Martial. non luget, qui cupit laudari, sed is verè luget, & dolet, qui luget clàm, & sine teste.

RAMIR. DE PRADO.

PERSPICVVM est hoc facetissimum epigramma, & acumen summum huius Poëtæ perspicere potes in multis, & quod contrarium facientem Gallam ob viri obitum reprehendit etiam & irridet, lib. 4. epigr. 58. vide Senec. epist. 99. in medio.

Ad Lesbiam XXXV.

Incustoditis, & apertis Lesbia semper
*Liminibus, peccas, nec tua * furta tegis.*
Et plus spectator, quàm te delectat adulter:
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.
At meretrix abigit testem velóque seráque:
*Raráque, * si memini, fornice rima patet.*
*A Chione saltem, vel * ab Helide disce pudorem:*
** Abscondunt spurcas * hæc monumenta lupas.*
Numquid dura tibi nimiùm cēsura videtur?
Deprendi veto te Lesbia, non futui.

* Pal. facta sed minus apposité.

* Summœni placet imprẽsiùs.

V. a laude. al. Laide.

Vide Turneb. lib. 15. cap. 19. v. & rectiùs.

DOMITIVS.

INCVSTODITIS] Accusat Lesbiam, quòd vellet spectari, dum futueretur.

PECCAS] Futueris.

TVA *furta*] Stupra, & adulteria. Tibullus, *Celari vult sua furta Venus.*

LATENT] Abscondita sunt.

MERETRIX] Quæ est turpior mœchare mouet spectantes.

SERA] Quia ostium claudit.

SVMMOENI] Summœnium locus in vrbe ad muros, circum lupanaria, vnde meretrices dicebantur vxores summœnianæ mœchari. Plura in commentarijs, in Iuuenal. diximus eo loco: *Et ad circum iussas prostare puellas.* Mœniani autem dicebantur, qui ex loco edito, quem Mœnianum dicebant, spectabant. Tranquillus: Pauci ex proximis Mœnianis.

A LAIDE] Laïs nobile Græciæ scortum, cuius coitum ob pretij magnitudinem Demosthenes recusauit, nota illa voce: Non emo tanti pœnitere; reliquis nomen dedit. Laïdis autem antiquitùs tumulus erat Corinthi, inscriptá leæna arietem prioribus pedibus sustinente. Alterùm eiusdem monumentum in Thessalia, quò Hippostratum est secuta, eius amore capta, ab Hiccaro patria in Siciliam abducta fuit cùm puella esset, capta insula ab Atheniensium duce Nicia, diuendita Corinthi, meretrices omnes forma superauit, author Pausanias.

CHIONE.] Nomen meretricis, à candore sumptum, nam χιὼν significat niuem. Hæc tamen nigra erat, vt alibi Iuuen. *Et dubitas alta Chionem deducere sella.*

MONVMENTA] Cellæ instar monimentorum.

DEPREHENDI] In adulterio, Non verò
B te futui.

GEORGIVS.

SVMMOENI] Hæc ego non crediderim, atque eo magis cùm nec authorem afferat hæc dicentem, & Mœnianum, vnde dictionem componit, à Mœnio deriuet, cuius prima producitur. Horat. *Mœnius vt rebus maternis, atque paternis.* Etenim hic fuit ille Mœnius, qui post bona patris absumpta, columnam sibi reseruauit, vnde ludos spectaret.

RAMIR. DE PRADO.

Ingeniosè desumtum epigramma ab Ouidio lib. 3. Amorum, eleg. 13. quam lege.

1 INCVSTODITIS.] Id est, sine Ianitore Solebant
C enim Ianitores serui ad valuas stare. Ouid. lib. 1. Amorum eleg. 6. Dominæ Ianitorem multis versibus alloquitur.

2 APERTIS *liminibus.*] Poterant fores non custodiri, & tamen esse clausæ: sed vtroque furorem Lesbiæ expressit magis.

3 NEC *tua furta tegis.*] Nótum est furta, furtiuos significare Veneris actus, vt lib. 6. epigrammate 39. de filiis Marullæ ex adulterio conceptis,

Materna produnt capitibus suis furta.

Et lib 7. epigrammate 73. ad Mercurium,

Sic tibi lasciui non desit copia furti

Eodem sensu *furtiuam noctem*, vocat Ouid. libro 1. Amorum, eleg. 11.

Inque ministerijs furtiuæ cognita noctis.

Noctis furtiuæ, id est, destinatæ Veneris furtis, & lib. 3. de arte amandi,

Cùm custode foris tunicam seruante puellæ,
Celent furtiuos balnea multa iocos?

D 4 NEC *sunt grata tibi gaudia si qua latent.*] Huiusce rei caussam reddit. Ouidius lib. 3.

Quæ venit ex tuto minus est accepta voluptas:
Vt sis liberior, Thaide, finge metus.

5 AT *meretrix abigit testem veloque seraque.*] Hoc erat in Lupanari, vbi cellæ inscriptæ erant nominibus meretricum, vt est apud Iuuenalem, sat. 3. de Messalina se publicè prostituente, vers. 122.

Et cellam vacuam, atque suam mox nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ.

Quò etiam respexit Seneca pater 2. controuers. *Deducta est in lupanar, accepisti locum, precium est constitutum, titulus inscriptus est.* Tertull. de pudicit. li. 1. *sub ipsis libidinum titulis.* Et hic lib. 11. epigr. 46.

Intrasti quoties inscripta limina cellæ,

Seu puer arrisit siue puella tibi:
Contentus non est foribus veloque seraque.

Hoc velum ex centonibus conficiebatur, & cento appellabatur: erantque plurimi centones in lupanari, tàm in quaque cella, quàm in ipsa maiori lupanaris ianuâ. Disco id ex veteri Iuuenalis Scholiaste ad illum locum sat. 6. vers. 121.

Intrauit calidum veteri centone lupanar.

Veteri, inquit, *centone*, *vt velo ex pannis facto.* legerem ibi *Veteri velo ex pannis facto.* quod ipse scripserat.

Suffragatur locus elegantissimus Petronii in Satyrico, *Et subinde*, inquit, *vt in locum secretum venimus, centonem anus urbana iniecit, & hic, inquit, debes habitare. Cùm ego negarem me cognoscere domum, video quosdam inter titulos, nudasque meretrices furtim conspatiantes: Tarde imò sero intellexi me in fornicem esse deductum. Execratus itaque aniculæ insidias, operui caput, & per medium lupanar fugere cepi in aliam partem*, vbi lege, *Centonem anus urbana reiecit*, id est, sublatum reiecit à tergo, vt intraremus. Hispanè, *hecho la antepuerta*. Eiusmodi velis cubiculorum ianuæ tegebantur, Lampridius in Heliogabalo, *qui suborto miluum strepitu exterritus in angulum se condidit: obiectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit.* Quo loco illa verba, *quod in introitu erat cubiculi*, meritò tanquam glossema expungunt P. Faber & Casaubonus. Hæc autem vela eo ponebantur ne scilicet per forium rimas inspicere possent curiosi quid intus ageretur. Iuuen. sat. 9. vers. 105.

--claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollite lumen
E medio, &c. Epictetus libro 3. dissert. 22. *cæteri parietibus, ianuis, velis teguntur. Ego sub dio, in propatulo ago, omnium oculis, & inquisitioni expositus, Deo me probo.* Eadem ratione in aulis principum ante portas erant cancelli ligneâ operâ, & ad ostium pendebat velum. Ostendo id ex Sidonio Apoll. lib. 1. epist. 1. de Theod. rege, *Pellitorum turba satellitum ne absit, admittitur: ne obstrepat, eliminatur: sicque pro foribus immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis.* Vnde Iulian. in l. cetera 43. §. sed etsi cancelli. ff. de legatis. 1. cancellos, & vela cõiunxit his verbis. *Sed etsi cãcelli sint, vel vela legari poterunt.* In scholiis antiquorum Grammaticorum aut Rhetorũm antiquorum erat ante auditorium proscholion, quod ab auditorio distinguebatur velo, vel centone. Id patet ex veteribus colloquiis puerorum vtrâque linguâ scriptis, quæ excusa sunt cum glossariis antiquis: ibi enim puer narrat, vt perueniens ad scalas gradus ascenderit, compositè vt decet, & in proscholio pileum posuerit, & composuerit capillos, & sic introierit in auditorium subleuato centone. Hinc apud Impp. nata formula, *leuato velo causas cognoscere*: id est, apertis foribus, omnibusque admissis. Honorius & Theodosius in l. de submersis. cod. de naufragiis, & apud ecclesiasticos scriptores obseruatum reperio, cum res maiori examine indigebat, vel criminale iudicium esset, iudices velum tribunali prætendere solere. testimonio est Clemens Romanus, qui lib. 2. Apostolicarum constitutionum cap. 56. Sic inquit ex interpretatione Bonij. *Aspicite mundana iudicia, quorum potestati videmus tradi homicidas, adulteros, veneficos, sepulcrorum perfossores, latrones: De quibus cum quæsiuerunt præfecti iudicio ab ijs, qui illos in iudicium adduxerunt, demum interrogant eos, An illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent cum multo consilio, & velo interiecto.* Hinc intelli-

A ge Imp. Constantini verba in l. de officio rectoris prouinciæ, cod. Theod. *non sit venale iudicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium:* Vbi obiter notabis locum hunc in quo iudices sedebant & causas examinabant secretarium vocari, quia hisce velis à turba & populo secernebantur, l. 3. c. de offic. diuers. iudicum, cum al. multis. Cetera vide apud Lipsium ad lib. 13. annalium Taciti, & Casaubonum ad Hist. August.

7 RARAQVE *Summæni, fornice rima patet.*] Erat idem lupanar in Summœnio, ideò *Summœnianas* appellat publicas lupanaris meretrices alibi: nec intelligas, alias esse meretrices superioris versus: & alias huius: Sed in eodem lupanari meretrix abigit testem, veloque seraque & ipso fornice rara rima est quâ possit aliquis curiosus eliminare quid ibi fiat.

8 A *Chione saltem, vel ab Elide disce pudorem.*] Chione & Elis, vel Lades vt alias, prostibula erant procul
B dubio Martialis tempore notissima.

9 ABSCONDVNT *spurcas & monumenta lupas.*] Bene, & verè à Turnebo lib. 13. c. 19. explicatum est, has esse, quas lib. 3. epigr. 93. hic idem *bustuarias mœchas* appellauit, quæ vilissimo precio prostituębantur seruis, & infimis hominibus extra vrbem, ad sepulchra, & monumenta.

10 CENSVRA.] Pro quacunque reprehensione sumitur, sic Ouid. vnde hanc sententiam desumsit, Martial. elegia prædicta.

Nec te nostra iubet fieri censura pudicam:
Sed tamen, vt tentes dissimulare rogo.

11 DEPREHENDI *veto.*] *deprehendendi* verbum solemne est, de iis qui in aliquo crimine & re turpi, deprehenduntur. Senec. epist. 43. *Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subito aspici.* Et ideo de iis, qui in adulterio
C deprehendebantur, Horat. lib. 1. sat. 2. in fine.

Deprendi miserum est, Fabio vel iudice vincam.

Et sat. 4. ——*deprensi non bona est fama Treboni.*
Et lib. 2. sat. 7. *--quid si me stultior ipse*
Quingentis drachmis deprehenderis.

Ouid. lib. 1. amorum, eleg. 9.

Mars quoque deprehensus fabrilia vincula sensit.

Hinc Iuuenali lux, sat. 6. vers. 182. de mœcha in complexibus serui, aut equitis iacente.

---- clames licet, & mare cælo
Confundas, homo sum. Nil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos à crimine sumunt.

Est notissimus iocus ex ambiguo, quem refert Quintilianus lib. 6. c. 4. ad finem. quidam enim interrogatus qualem existimas deprehensum, respondit tardum. Et Cicero ad Atticum P. inquit, *Clodius deprehensus domi Cay Cæsaris*, & Vlp. in L. Palam. 45. §. quæ in adulterio. ff. ad l. Iul. de adulter. sæpe
D hoc verbo deprehensa vtitur, & ibidem deprehensio eadem mente dicitur.

Ad Corneliùm XXXVI.

Versus scribere me parum seueros,
Nec quos perlegat in schola magister,
Corneli quereris: sed hi libelli,
Tamquam coniugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere.
*Quid si me iubeas * Thalassionem*
Verbis dicere non Thalassionis?

Vide Turneb. lib. 21. cap. 17.

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est iocosis,
Ne possint, nisi pruriant, iuuare.
Quare deposita seueritate,
Parcas lusibus, & iocis, rogamus:
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

DOMITIVS.

VERSVS *scribere*] Cornelius conquerebatur, Martialem scribere versus parum seueros, & impudicos, qui non possent legi in scholis.

PARVM *seueros*] Hoc est impudicos, hi libelli huiusmodi, quales ego scribo, non possunt placere sine pruritu.

THALASSIONEM] Deus nuptiarū, qui ita à Romanis est appellatus, apud Græcos Hymenæus, cuius laudes canebantur versu lasciuo. Ait Mart. eiusdem laudes non posse cantari, nisi versibus suis, numini dicatis.

QVID *si iubeas me dicere Thalasionem*] id est celebrare epithalamion.

FLORALIA] Florales ludi celebrantur à nudis, magna licentia, de quibus suprà.

QVIS *Floralia vestit*] i. quis petit, vt ludi florales fiant nudis. quasi diceret nemo.

STOLATVM *pudorem*] Stola (vt Porphyrio, & Marcellus scribunt) matronæ vtebantur ad imos pedes, quàm instita assuta ambibat, de matronis. Papin.

Stola mixta laboras. Horat.
Sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegit instita veste. Ouid.
Et quid ab hac omnes rigida submouimus arte,
Quas stola contingi, sumptáque vitta vetat.

STOLATVM *pudorem*] id est pudorem conuenientem matronæ: ita nec tu debes aliquid præscribere iocis meis.

PRVRIANT] i. libidine lasciuiant: nam pruritus libidinis propriè est.

CASTRARE] id est auferre verba libidinosa: nam vt Priapum decet esse benè mentulatum, & non castratum (in quo sola mentula est in admiratione) ita libelli huiusmodi debent habere pruritum, & lasciuiam, qua sola placent.

GALLO *Priapo*] id est castrato: nam Galli sacerdotes erant castrati.

RAMIR. DE PRADO.

Excusat epigrammaton linguam, id est verborum lasciuam licentiam, quam præteritione excusauit in epistola, exemplo multorum, qui ante se epigrammata scripsêre. Nunc autem ipsâ Poëmatis naturâ, quæ id videatur postulare, nec placitura epigrammata sint, nisi prætextatis verbis componantur.

1 NEC *quos prælegat in schola magister.*] Sic lego cum multis qui iamdiu hunc locum emendarunt, Solebant seuera carmina, vt Tragœdiæ, & Epopœiæ, prælegere magistri in scholis, lib. 8. epigr. 3. sic loquitur Musa ad Martialem,

An iuuat ad Tragicos soccum transferre cothurnos?
Aspera vel paribus bella tonare modis?
Prælegat vt tumidus rauca te voce magister.

Mos erat enim apud ludimagistros, non solum A discipulis suis ea prælegere, quæ vetustate Poëtarum commendabantur, & iam mortuis auctoribus censebantur: sed etiam ea, quæ amici sui quique nobilissimi in lucem emittebant. Pers. sat. 1. versu 43.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendis?

Et Tullius ad Q. fratrem: *Alterum est de Caluenti Marij oratione quod scribis: miror tibi placere me ad ipsum rescribere: præsertim cùm illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero: meam in illum pueri omnes tanquam dictata perdiscant.*

2 QVID *si me iubeas Thalassionem.*] Thalassio carmen erat solemne conuiuijs Fescenninis iocularitèr plenum, quod in nuptijs cani solebat: dicatum Thalasso Deo boni in nuptijs ominis, lib. 12. ep. 42.

Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.

Seneca in Medea, Choro 1.

Festa dicax fundat conuicia Fescenninus.

B Hoc carmen sua habebat verba lasciua, & aperta, & dominantia, vt ait Horatius, quæ ab ipsa carminis formulâ abesse non poterant, nec pro illis honestiora & tectiora substitui. Est igitur Poëtæ acuta comparatio Quemadmodum ineptus esses, si Thalassionem recantare iuberes verbis non Thalassionis, id est honestis: ad eundem modum ineptus, qui me epigrammata iubes scribere linguâ non epigrammatωn: & addit continuo alias comparationes duas, scilicet Floralium ludorum, de quibus late supra epigr. 3. n. 1. dictum est, & habitus meretricum, & matronarum. Matronæ stolâ induebantur, quod non erat permissum meretricibus: Nam hæ togam gestabant. Probant id epigr. 39. lib. 2. de Mœcha,

Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

Et lib. 6. epigr. 64.

Sed patris ad speculum tonsi, matrisq; togatæ
Filius.--- Et lib. 10. epigr. 52.
Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

C Et de hoc multa mentio apud Horatij, Tibulli & Iuuenalis commentatores. Dicit autem *stolatum pudorem*, pro stolâ pudicâ matronarum, quæ meretricibus non permittebatur.

3 NEC *possunt nisi pruriant iuuare.*] Eodem sensu doctissimus Poëtarum Catullus ep. 16.

Qui tum denique habent salem, ac leporem
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare possunt,
Non dico pueris, sed ijs pilosis,
Qui duros nequeunt mouere lumbos.

4 NEC *castrare velis meos libellos.*] Idem iubebat, sed minacibus verbis Catullus dicto epigrammate,

D *Si qui forte mearum ineptiarum*
Lectores eritis, manusque vestras
Non horrebitis admouere nobis,
Pedicabo vos, & irrumabo.

Admouere manus dixit quod Martialis *castrare.* hoc autem impetrauit facetissimus Poëta à Cornelio, & ab omnibus sanæ mentis hominibus, sed non potuit nostro seculo ab aliquibus malè feriatis impetrare, qui lepidissimos libellos epigrammatωn castrauerunt, & pro sua virili parte curarunt ne purissimæ Latinitatis monimenta viuerent.

5 GALLO *turpius nihil est Priapo.*] Prouerbialiter extulit hanc sententiam, & perseuerauit in metaphorâ, eadem formula vsus, lib. 11. ep. 73.

Drauci nata sui vocat pisinnam
Collatus cui gallus est Priapus.

Gallum Priapum castratum appellat. Vocabantur castrati Galli, quòd matris Deum sacerdotes, qui

Galli proprio vocabulo nuncupabantur, essent omnes castrati.

Ad Lucanum, & Tullum. XXXVII.

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent:
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quòd pro fratre mori vellet vterque prior.
*Diceret, infernas * & qui prior isset ad vmbras,*
Viue tuo frater tempore, viue meo.

* Si quis prior.

Idem Græcè.

Εἴ ποτε σοί, Λουκανέ, καὶ εἴ σοί, Τύλλε, δοθείη,
Οἵη ζεῖς Λήδας μοῖρα Λάκωσι πέλει·
Εἴη κ' ἀμφοτέροις ἀγάπης ἔρις ἥδε κρατίστη,
Ὥστ' ἄλλου σπεύδειν ἄλλον ὑπερθανέειν·
Καί κε λέγοι κατάβας ὁ πρότερος εἰς ἀΐδας,
Ζῆθι τὸ σόν, ζῆσον τοὐμόν, ἀδελφέ, μέρος·

DOMITIVS.

SI *Lucane tibi*] Laudat amorem Lucani, & Tulli fratrum, quem anteponit amicitiæ Pollucis, & Castoris, Castor & Pollux interierunt: cùm Lynceus, & Idas Spartam oppugnarent: Alij scribunt Castorem tantùm extinctum in bello Lacedæmoniorum versus Athenienses. Aliam fabulam tangit Ouidius in Fastis: illud autem, Homero authore, inter omnes conuenit, Pollucem concessisse vitam dimidiam fratri mortuo, vt alternis diebus viuerent, vt alij tradunt, vt senis mensibus vicissim. Hyginus quidem scribit Castoris, & Pollucis sydera alternis diebus lucere.

LEDÆI] Castor, & Pollux filij Ledæ, quæ Lacena fuit.

RAMIR. DE PRADO.

Extollit Poëticè amorem, & pietatem inter Lucanum & Tullum fratres, rarum exemplum, quod omnibus seculis,

— — fratrum quoque gratia rara est,

Vt ait Ouid. 1. Metamorph. Lucanus tamen decessit prior, vt constat ex epigr. 52. lib. 9. quod est de his ipsis. infra verò epigr. 94. eadem pæne de Fabricio & Aquino dicuntur à Poëta.

Ad Bassam. XXXVIII.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro,
Bassa: bibis vitro. cariùs ergo cacas.

DOMITIVS.

VENTRIS *onus*] Aureo vase vsos esse Romanos, non tam frequens est historia, quàm argenteo. Conqueritur enim Plinius fœminas lauari vase argenteo, & eandem metalli materiam seruire cibis, & sordidis. Messala autem orator scribit Antonium aureis vasis ad probra etiam vsum esse.

BASSA] Purgabat ventrem, & dimittebat aluum vase aureo: & vitreo bibebat, iocatur Martial. & carpit Bassam cariùs cacare, quàm bibere.

ONVS *ventris*] id est stercus.

MISERO *auro*] Quia stercori seruiebat.

RAMIR. DE PRADO.

Præposteram fœminarum luxuriam hoc epigrammate taxat sub nomine ficto Bassæ, quam nominat etiam multis in locis. De eadem luxuria conqueritur Plinius, lib. 33. cap. 12. quod argenteis vasis, quæ ad cibos comparantur ad sordes etiam abutantur, his verbis. *Iam vero pædagogia ad transitum virilitatis custodiantur argento, fœmina lauentur, & nisi argentea solia fastidiant, eademque materia, & cibis, & probris seruiat.* Sed eleganter Alexandrinus Clemens Pædagog. lib. 2. cap. 3. exagitat hunc abusum ex interpretatione Gentiani Herueti, *Sella autem*, inquit, *argentea pelues, & acetabula, scutellæ & catini, & præterea vasa aurea, & argentea, nonnulla quidem ad ciborum ministerium, alia verò ad alios vsus, quos me pudet dicere*, & circa finem Capitis de eadem re. *Res est autem planè ridicula, & digna maximè, quæ ludibrio habeatur, argentea vrinæ receptacula, & vitreas matulas viros inferre, & has, quæ sine ratione sunt diuites, mulieres, ex auro excrementorum facere receptacula, vt ne egerere quidem eis liceat absque superbia. Vellem quidem eos per totam vitam, aurum stercora existimare.* Eadem ratione & hic epigr. 12. lib. 11. exagitat Sardanapalum, quod vasa à Mentore fabricata in matulam mœchæ suæ conuerterat.

Tepotare decet gemma qui Mentora frangis,
In scaphium mœcha, Sardanapale, tua.

Miserum aurum appellat ob vsum indignum & demissum ad contumeliam, vt olim Apostolus dicecebat. *alia vasa facta in honorem, & alia in contumeliam ab eodem figulo.*

1 CARIVS *ergo cacas.*] Irrisione dictum est, vt dicitur *carius habitare aliquis*, qui nimio precio conducit domum.

Ad Fidentinum. XXXIX.

Quem recitas, meus est ô Fidentine libellus:
Sed malè cùm recitas, incipit esse tuus.

DOMITIVS.

QVEM *recitas*] Fidentinus recitabat versus Martial. sed cùm recitabat propter raucitatem, & quia malè recitabat, incipiebant esse eius versus, & libellus, quoniam ipse malos solebat facere.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad plagiarium Fidentinum quem etiam exagitat infra epigr. 51.

1 QVEM *recitas.*] Parecbasin de recitatione longissimam adducit Raderus vndique congestam, lib. 10. epigr. 60. sed exquisitiora in hac re multa ab eo prætermissa, quale illud est exquisitissimum, apud Plin. secundum lib. 9. epist. 34. *Sed puto me non minus male saltare, quàm legere:* Nam cum dixisset se velle

familiaribus amicis recitare per libertum subiungit: *Ipse nescio, quid illo legente interim faciam: Sedeam defixus & mutus, & similis ocioso: An, vt quidem, qua pronuntiabit, murmure, oculis, manu prosequar. Sed puto*, &c. vbi saltare est idem, quod Græcis ὀρχεῖσθαι, id est exprimere verborum sensus, quibusdam motibus corporis Iuuenalis sat. 6. vers. 63.

Chironomo ledam molli saltante Batyllo.

Vbi vtrumque coniunxit *Chironomon*, & *Saltare*: nam *Chironomos* Græcis dicitur is, qui manuum & digitorum motibus exprimit aliquid. Exempla inuenies apud Lucianum περὶ ὀρχήσεως. hi autem Chironomi à Theatro ad conuiuium euocabantur, vbi ad symphoniam aues, & reliqua obsonia scissorio gladio diuidebant. Petronius, *ad Symphoniam gesticulatus lacerabat obsonium*. Iuuenal. sat. 5. vers. 121.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem videas, & Chironomonte volanti
Cultello. Vbi caue credas Lipsio lib. 2. Saturn. cap. 2. qui structorem eundem Chironomonta saltantem intelligit: hisce namque versibus duo sunt diuersi: structor alter: & alter Chironomon saltans. *Saltare* igitur in prædicta Plinij epist. nil aliud est quàm χειρονομεῖν, quod in Theatris à Pantomimis fiebat. Hic Fidentinus ita malè recitabat, vt tota carminum Martialis venustas periret omninò, & quamuis ea carmina Martialis essent legitima, recitatione prauâ desinebant esse auctoris sui, & incipiebant esse Fidentini recitantis. Contrario sensu eleganter Plinius iunior epist. 15. lib. 3. molli & suaui recitationi tantum tribuit, vt suspicetur sibi ab ea imponi, & iudicium eius acre quoquo modo impediri. Verba eius sunt: *Videor iam nunc posse rescribere opus esse pulchrum, nec supprimendum. quantum æstimare potui ex ijs, quæ præsente me recitasti: si modo mihi non imposuit recitatio tua: legis enim suauissimè, & peritissime. confido tamen me non sic auribus duci, vt omnes aculei iudicij mei illarum delinimentis refringantur: hebetentur fortasse, & paululo retundantur.*

Ad Decianum. XL.

Si quis erit, raros inter numerandus amicos,
*Quales prisca fides, famáque nouit * auos:*
Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Mineruæ
Artibus, & vera simplicitate bonus,
Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos:
Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Decianus erit.

* v. Anus. Famam anum vocat antiquitatem, quomodo chartas anus Catullo ad Manlium, & sicut anus Plin.

DOMITIVS.

SI *quis erit*] Laudat Decianum de quo suprà.

DOCTVM *artibus Cecropiæ, & Latiæ Mineruæ.*] id est doctus artibus Græcis, & Latinis.

ORE *arcano*] Qui clàm precantur deos, mala imprecantur. Persius. *Disc clarè non audias hospes.*

DISPEREAM] Adiurantis est.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad Decianum, de cuius laudibus, supra epigram. 9.

A 1 RAROS *inter numerandus amicos.*] *Raros* dicit quod rarissimum sit, & pæne singulis seculis vix vnum amicorum par, spectandum orbi propositum sit. De quo communi loco, vide plura apud Ciceronem in Lælio. Ideò subiungit,

Quales prisca fides famaque nouit anus.

Nam *prisca fides* temporis antiquitatem denotat, vt apud Virgilium in 9. vers. 79.

----Prisca fides facto: sed fama perennis.

Id est quamuis factum antiquissimum sit, eius fama per omnia secula perdurabit. Eadem sententia de raritate amicorum, infra epigr. 94.

Famaque quod raro nouit, Amicus erat.

2 SI *quis Cecropiæ madidus Latiæque Mineruæ.*] Id est Græcis, & Latinis literis eruditus. eadem dicendi formula vsus est lib. 4. epig. 23.

Qui si Cecropio satur lepôre,
Romana sale luserit Minerua.

B 3 MADIDVS.] Artibus imbutus & eruditus, quod alibi dixit,

Iure madens, variòque togæ limatus in vsu.

Lib. 7. epigr. 50. & epigr. 68. eod. libro,

Cuius Cecropia pectora voce madent.

4 DISPEREAM.] Similis execratio est epigr. 5. lib. 2. sed alijs verbis ad eundem Decianum.

Ne valeam si non totis Deciane diebus, &c.

Et lib. 4 epigr. 31. ad Hippodimum.

Ne valeam, si non est res gratissima nobis.

Et *ne viuam*. vt lib. 10. ep. 12.

Ne viuam nisi te, Domiti, permitto libenter.

Et contra in affirmationibus iurabant, *Ita viuam*. cuius iuramenti extat elegans exemplum apud Valerium Maximum lib. 9. cap. 13. §. 3. de Iunio Bruto, his verbis. *Nam à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus: non solùm ceruicem* C *gladio subtraxit: verum etiam constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis iurauit: Ita viuam dabo. O fati cunctationem ærumnosam! ô iurandi stolidam fidem!* Quæ verba, quam stolida sit Stephani Pighij legentis, *Ita vt viuam*, emendatio, satis aperte indicant.

Ad Liuidum. XLI.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas, Liuide, nemo tibi.

D

Idem Græcè.

Ος συνάγεις τὰ πρόσωπα, καὶ ἄσμενος οὐ τάδ' ἐπίγνως,
Πᾶσι σὺ φθονέοις, μηδ' εἷς, Βάσκανε, σοὶ φθονέοι.

DOMITIVS.

QVI *ducis vultus*] In inuidum cui imprecatur, vt nunquam inuidiæ causa desit. idem imprecatur Ouidius in Ibidem.

INVIDEAT *nemo tibi*] Nam cui nemo inuidet, is miserrimus est.

RAMIR. DE PRADO.

Male in Plantinianis liuidus hic κυριακῶς scribitur littera maiuscula. Est enim mobile nomen omnibus inuidis, commune & in quemuis eorum scriptum

est epigramma, & in lemmate melius legeretur *in liuidum*, id est, in inuidum. A

1 QVI *ducis vultus.*] Vulgata formula, id est, te tristem, & seuerum ostendis. Seneca integram phrasim posuit epist. 58. incipit, *Cum Bayis deberem. Itaque*, inquit, *vultum adducet ad tristitiam*. & lib. 6. de benefic. cap. 4. *Si cum daret suspirauit, vultum obduxit*, vbi legendum est omnino non *abduxit*, vt in editione Romana, sed *adduxit*, & deest, *ad tristitiam*. D. Hieronymus ad Rusticum: *Testudineo Grunnius ad dicendum incedebat gradu, & per internalla quadam vix verba carpebat. & tamen cum mensa posita adducto supercilio, contractis naribus, duobus digitulis concrepabat.* Sic hoc loco *ducis vultus*, id est, ducis vultus ad tristitiam. eadem phrasi vsus est Suetonius de Tiberio, cap. 68. *Incedebat*, inquit, *ceruice rigida & obstipa adducto fere vultu*, id est, *tristis & seuerus*: Quod declarauit seqq. verbis, *plerumque tacitus, nullo aut rarissimo etiam cum proximo sermone, &c.* B

In Cæcilium. XLII.

Vrbanus tibi Cæcili videris.
Non es, crede mihi. quid ergo? verna es
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Vide Turneb. lib. 14. cap. 41.
Qui pallentia sulphurata, fractis
Permutat vitreis: quod otiosæ
Pallentia sulphurata] Sic in l. 55. D. de leg. III. Sulphurata de ligno, Alumettes. Vide epigr. 10. & 57. lib. 13. N.R.
Vendit qui madidum cicer coronæ:
Quod custos, dominúsque viperarum:
Quod viles pueri Salariorum:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis:
Quod non optimus Vrbicus poëta:
Quod de Gadibus improbus magister:
al. improbus.
Quòd bucca est vetuli loquax cinædi:
Vide Turneb. l. c. 17. al. improbis. v. dicax.
Quare desine iam tibi videri,
Quod soli tibi, Cæcili, videris:
Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
Galbæ. Iuuenal. sat. 5.
Posses vincere Sextium Caballum.
Non cuicumque datum est habere nasum.
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille, sed Caballus.
v. Tectius. Sed malim. Sextius.

DOMITIVS.

VRBANVS] Nimiùm: Cæcilium, qui vrbanus volebat videri insulsis iocis, carpit: ostendit quidem iocari, sed non vrbaniùs, quàm qui seruili dicacitate ludunt, quare non debet is sibi videri: quòd ipsi soli videtur, & alijs minimè. Vrbani dicuntur faceti, ciuili ioco, ab vrbe.

AMBVLATOR] Nam viliores personæ trans Tiberim habitabant.

VERNA *ambulator trans Tiberinus.*] Manlius Verna scurra Transtiberinus fuit, authore Porphyrione, aut accipias Verna pro cognomine, sed magis placet distinguas, & dicas. Verna est similis Vernæ, vt alibi: *Vernaculorum dicta, sordidum dentem: & fœda linguæ probra circulatricis.* In quo aduertendum quod dixit hîc ambulatorem: dixisse illîc circulatricem, nam vernæ solent scurriliter iocari.

SVLPHVRATA *vasa*] De huius permutatione meminit Iuuen.

Et iam rupto poscentem sulphura vitro.

Nam quod nonnulli de glutino in versu Iuuenalis, aiunt, falsum est: & Papin.

Quique comminutis commutat vitreis gregale sulfur.

CICER] De lupino potes intelligere, qui aqua calida madidus vendebatur, quod genus leguminis, & pueris, & otiosis emitur.

CORONÆ] Multitudini.

SALARIORVM] Salarij dicuntur, qui salsamenta vendunt.

TOMACLA] Pro tomacula. Iuuenalis.

Candiduli diuina tomacula porci. Dicuntur à frequenti incisione, nam τέμνω significat incido. Hoc genus cibi seruile habebatur, in luxu autem ex porcis erant abdomina, testiculi, vuluæ. sincipitia verrina, quæ censoris legibus aliquando fuerunt interdicta.

MAGISTER] Id est, Mango Gaditanarum puellarum. alibi: *Nec de Gadibus improbis puellæ Vibrabant sine fine prurientes Lasciuo docili tremore lumbos.* Harum etiam meminit Papinius in Saturnalibus.

DICAX *vetuli*] id est exoleti. Nam exoleti dicaciores esse solent actæ ætatis impudentia.

GALBAM] Galba temporibus Augusti vrbanitate cum Sarmento certauit. Sarmenti, Horatius in satyra, & Plutarchus in Antonio meminerunt, scurræ, ambo erant. alibi: *Ille suo infœlix Cæsare Galba.* Iuuenalis: *Quod nec Sarmentus iniquas*

Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

CABALLVS] Scurra peritissimus fuit, gratúsque iocorum vrbanitate: hi tamen scilicet Galba, & Tectius Caballus, scurrilitate potius, quàm dignitate vrbanitatis placuerunt. C

NASVM] Ad iudicandum.

STOLIDA *procacitate*] Ille qui impudenter iocatur.

NON *est Sextius, sed Caballus*] Alludit cum nomine Caballi: brutúmque hic accipit.

TECTIVS] Ita habet codex antiquus. Texius alij. Afferreque posse videntur illud Iuuenalis,

Quamuis iurato Neruam tibi credere Tecti.

Nam Tectius, Trebius est dictus: alij legunt Sexti. vt sit datiuus. Sextij præterea oratoris meminit Eusebius.

GEORGIVS.

MADIDVM *cicer coronæ*] Domitius, cicer pro lupino exponit, quasi non frequentissimè in vrbibus Italiæ madefactum cicer vendi videmus, & non dicat Horat. *Si quid fracti ciceris probat & nucis emptor.* Saltem si aliquam historiam attulisset, qua fretus affirmaret cicer pro lupino intelligi debere. D

NASVM] Vnico verbo rem subtilissimi, & per quam subdoli ioci se explanare putauit Cald. cuius interpretatio nō multùm abest à sensu Galeoti Narniensis, qui habere nasum pro sagaci intelligentia accipit: Nos verò sentimus, habere nasum, cum propriè dici, qui venusta quadam, & subdola irrisione alium derideat, nec vnquam aliter nasum, & nasutum scriptores vsurpant. Apuleius in Metamorphosi: Contorta, & vituperanti nare discessit? Persius de Horatio: *Callidus excusso populum suspendere naso:* & idem Horat. *Naso suspendis adunco*, sed & in quibusdam annotationibus hic Domitius velut se correcturus, adducit verba Plinij: quæ in Galeotum le-

guntur, & ita se implicat, vt manifestè cognoscatur A errorem suum potius dissimulare, quàm defendere, vel magis ignorasse, quid salis habeat hendecasyllabus ille: *Non cuicunque datum est habere nasum,*
Ludit qui stolida procacitate.

N O N *est Sextius, ille sed Caballus.* Adeo confusa est Domitij expositio, vt facilius sit ex ipsis poëtæ verbis, quàm ex enarratione sensum aliquem aucupari. Nam ex verbis ipsis hoc elici potest. Qui incommodè, & illepidè iocatur, is non Sextius: sed Caballus erit, quasi ad hominem duorum nominum alludat, quanquam puto hic subesse historiam: vt in alio opere diximus, Sextili videlicet, cuius inuenusta dicta, & in libro de oratore Cic. carpit, & in epistola ad Volumnium suis salibus inseri conqueritur, nisi forte magis ad Sextium declamatorem, atque oratorem acerrimum aspexit, qui sibi tantùm arrogaret, vt orationes suas disertissimorum virorum orationibus præferret, adeoque sectabantur discipuli, vt illius declamationes ediscerent, Ciceronis verò orationes non legerent, cuius scholam cùm olim Senex intrasset, atque ex consuetudine sua Sextius diceret, si Trax essem, Fusius essem: si Pantomimus essem, Bathyllus. Si equus, Melison. Exclamauit Senex, si Cloaca esses, magna esses. Ergo ad hunc Sextium referre possumus sententiam poëtæ, qui insipido ioco vtentem non velit Sextium appellari, sed Caballum, vt poëta alludens ad verba Sextij, qui dixit, si equus essem, Melison essem.

CHRISTOPH. COLERVS.

N O N *est Sextius ille, &c.*] Nihil est ineptius hac lectione. Sestius vetere consuetudine scriptum erat, pro Sextius: vnde aliquis cautes fecit, Cestius.

RAMIR. DE PRADO.

Epigramma in eos qui in facetijs modum non C seruant, nec iudicium adhibent vt nec vrbanitatem à scurrilitate & vernilitate seiungant, quod iudicium difficillimum esse docet latè Cicero 2. de Oratore ad Quintum frat. & etiam in officijs. Argutè Martialis Cæcilium hunc, qui se vrbanum existimabat comparat cum multis scurris, vt discat tandem qui fiet.

1 V E R N A *es.*] De vernularum importuna licentia, & scurrilitate multa sunt apud Horatium, Senecam, & hunc auctorem à multis in communes locos congesta, vt eruditè fecit Douza ad Petronium lib. 1. cap. 11.

2 H O C *quod Trans tiberinus ambulator.*] Non cõtinuò pro ambulatore intelligas habitatorem trans tiberinum, & ideo Iudæum, quòd Iudæa plebecula trans Tiberim habitauerint. Nam etiam trans Tiberino habitabant, & alij multi, & etiam laxis ac magnificis ædibus, vt lib. hoc epigr. 109.
Est tibi, sitque precor, multos crescatque per annos,
Pulchra quidem, verùm trans Tiberina domus.

Et Horat. lib. 1. Sat. 9.
—trans Tiberim cubat is supra Cæsaris hortos.

Ego ambulatorem trans Tiberinum cum intelligo, qui sulphurata vænum circumferebat per transTiberinam regionem: vbi inter habitatores ab vrbe remotiores liberius dicax erat.

3 Q V I *pallentia sulfurata fractis permutat vitreis.*] De hac permutatione idem lib. 10. epigr. 3.
Quæ sulphurato non sit empta ramento,
Vatiniorum proxeneta fractorum.

Statius item Papinius lib. 1. sylu. in Kal. Decemb.
Hic plebs scenica, quique comminutis
Permutat vitreis gregale sulfur.

Qui mos permutandi sulphurata fractis vitreis hodiéque viget Valentiæ, & Barcinonæ, quòd illa fragmenta vitrea in fornacibus vbi conflatur vitrum recocta liquescant, & ex ijs iterum possint integra vitrea vasa fabricari. Turnebus lib. 24. cap. 43. existimat hæc sulphurata à Iudæis vendi, quod disertte potest probari falsum ex epigrammate 57. lib. 12. vbi enumerans Martialis multos, & varios vrbis strepitus, qui eum cogebant rusticari, & in villa somnum quærere, Iudæos & hos venditores sulphuratorum diuersos enumerat his verbis,
A matre doctus nec rogare Iudæus,
Nec sulphuratæ lippus institor mercis.

Vbi vides diuersos esse strepentes rogatores Iudæos, & sulphuratorum institores.

4 Q V O D *otiosa Vendit, qui madidum cicer corona.*]
B *Otiosam coronam* plebiculam intelligit feriatam in theatro vel Circo sedentem ad spectandum: tunc enim in otio est, nec negotijs occupatur. de qua re vide epigr. 12. hôc libro. *Madidum* autem *cicer* crudum est, & maceratum aqua: nam variè condiebatur cicer. Varro sexagesimo, *Qui nobis ministrarunt pueri diebus festis cicer viride.* Et Plautus *coctum* seu *tostum cicer* nominat. Est igitur, *Frictum, Tostum, Coctum, Madidum, Tepidum.* Forsan garuances verdes, antequam maturescant esui aptum. Ego *Viride* intelligo frictum vili oleo quod viride est. *Frictum,* quomodocumque frictum. *Tostum*, cinere vel gypso, vt apud nostrates vulgò. *Coctum*, aqua. *Madidum* maceratum, & crudum. *Tepidum* ad differentiam madidi calidum.

Ex his omnibus condituris madidi ciceris vilior gustus, vilius pretium. Hodieque Valentiæ & Barcinonæ, lupini aqua macerati vulgò vænales circumferuntur, & pauperculæ plebi in delicijs sunt. Ij igitur, qui madidum cicer plebeculæ vendebant vilissimi institores habebantur, & dum omnium dicterijs expositi, se procacitate & impudicis dictis vindicabant.

5 Q V O D *custos dominusque viperarum.*] Erant Romæ olim, vt & nunc, agyrtæ, & circulatores ad imperitæ plebis oblectationem nil non tentantes, & etiam apud alias nationes, præcipuè apud Græcos, qui hisce imposturis delectabantur, vt Athenis apud Apuleium, lib. 1. Metamorph. *Et tamen*, inquit, *Athenis proximo, & ante Poecilem porticum isto gemino obtutu circulatorem respexi, equestrem spatham preacutam mucrone infesto deuorasse*, & deinde multa subiungit de his circulatoribus. Sed hæc verba leuiter corrupta sic lego: *Et tamen Athenis proximo ex ante Poecilem porticum, &c. Ex ante* dixit more prisco, vt est a-
D pud Ciceronem, *Ex ante diem kal.* Sic legendum apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 8. vbi de Saturnij æde agit. *Habet*, inquit, *aram ex ante scenaculum* pro *cenaculum*, vbi antiqua lectio erat, *habet aram & ante se cœnaculum*, vel *ante Senatulum*. Deinde expungo illud comma inter verbum *Equestrem & Spatham.* Nam τὸ *equestrem* ad spatham non ad circulatorem referendum. Est enim spatha equestris gladius. Circulatorem equestrem quis vidit? Qui impostores vsque ad vltima secula Romani Imperij viguerunt. Nam Aurelius Prudentius, in supplicio Rom. Martyris, hymno 10. περὶ στεφάνων, hęc scribit:
Ignosco fatuis, hæc tamen vulgaribus,
Quos lana terret discolor in stipite:
Quos sæpe falsus circulator decipit.

Quæ verba ideo adduxi, vt à nemine adhuc inte-

lecta tentarem explicare. In primis lege *salsus circulator*, nam *falsus* non recipit Latina consuetudo: in animatis enim & personis *falsus* est ille qui se fingit esse quod non sit, & *falsus propheta, falsus amicus*: qua acceptione falsus circulator esset qui se fingeret circulatorem, cùm tamen non esset: quod est contra sensum horum verborum. Lego igitur *salsus* quod visus, & suis imposturis, & procacibus dictis excitaret. Illud autem difficillimum est,

Quos lana terret discolor in stipite.

Hoc à me sæpe visum in nostris circulatoribus, tibi vt potero describam. Sunt duo bacilli æquales, & ita complanati vt æqualiter iungantur inter se, quorum quilibet interius foramen habet tanquam tubulum vsque ad extremitatem, remanentibus solidis duobus digitis. Ea autem parte qua desinunt illi Canaculi, fiunt transuersa foramina ad latus vtriusque baccilli; & per eos Canales inserunt cordas quasdam laneas, vel sericas, quarum extremitates exeunt per illa transuersa foramina. Hæ autem duæ chordæ discolores sunt: ita, vt vna sit alba, altera verò rubea, & ad extremitatem inferiorem ita colliguntur, vt continua sit vna chorda ex diuersi coloribus, ex vna parte extrahunt chordam albam. In altero foramine transuerso alterius baccilli, eminet tantum extremitas rubeæ chordæ. Proponunt igitur illam chordam pendentem albam, quam existimant terminari in eo foramine transuerso alterius bacili, & dicunt. *Si apprehensa illa extremitate extrahant illam chordam & extendant se effecturos, vt quæ alba sit reddatur rubra.* Apprehensa igitur illa extremitate, extrahunt chordam, quæ, cùm per eam partem quæ per canaliculum illius baccilli demissa est, rubra fit, exit rubra. Nihilominus tamen quantum extrahitur de chorda rubra, illa tantum abscondatur de altera alba quæ pendebat: Existimat imperitum vulgus immutari chordæ colorem illa abstractione, cùm partes illæ chordarum inter se colligatarum æqualiter dimittatur per canaliculos ad inferiorem bacillorum partem, ita vt extracta vna æqualiter altera abscondatur: & rursus cùm tota rubea ab vna parte pendet, apprehensa albæ extremitate iterum extrahunt albam, se rubea æqualiter abscondente, & hoc est quod significant verba Prudentij, quem locum doleo non intellexisse Victorem Giselinum in commentario eius: nam refert ad licia diuersa colore maleficis nota, vt est apud Virgilium in Pharmaceutria,

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Licia circumdo.-----

Quid enim hæc cum lana discolore in stipite? sic igitur hic locus interpretatus: nunc animaduertere oportet. Ex ijs circulatoribus aliqui serpentes collo implicitas brachijs, & manibus circumferebant: vel innoxias, & absque veneno: vel noxias, contra quarum venenum se medicamentis muniebant, vel assuescebant, ne eos læderent, quas tamen habebant vænales ad medicamenta, vel venena conficienda. Hi autem sunt de quibus Paulus loquitur L. in circulatores, vlt. ff. de extraordinar. criminib. Cuius verba sunt, *In circulatores qui serpentes circumferunt, & proponunt; si cui ob eorum metum damnum datum est, pro modo admissi actio dabitur.* Et hic lib. 7. ep. 86.

Si gelidum collo nectit Glacilla Draconem.

Cum igitur hi circulatores visendi & admirandi cunctis incederent per vrbem omni pudore deposito procaces erant, & dicteria scurrilia iaciebant in quemuis.

6 QVOD *viles pueri Salariorum.*] *Salarios* appel-

A lat, qui salsamenta vendebant, qui pueros salsamentorum diribitores habebant procaces, & dicaces, vt fere sunt omnes qui in tabernis negotiantur. De quibus pueris loquitur etiam epigr. 87. lib. 4. quos dicit in pluteis tabernæ solere scribere.

Si damnauerit, ad salariorum
Curras scrinia, protinus licebit,
Inuersa pueris arande charta.

Horum sales non vrbani, sed scurriles sunt.

7 QVOD *fumantia.*] Coqui viles circuibant popinas, carnes & alia edulia vendentes, & tomacula, quæ tarcimina quædam erant ex carnibus minute concisis, admixtis ouis, & salsamentis. Hæc ferebant in ollis coopertis quò calida essent. Ideò dixit *fumantia*, id est vaporem ex se emittentia. *raucum* dixit coquum, quod ij, qui vænalia circumferunt per vrbem, vel clamore, vel vino rauci plerumque sunt:
B & ij etiam scurriliter solebant cum emptoribus iocari. Vetuit Claudius vt est apud Dionem in principio eius vitæ, ne aqua calida & carnes elixæ venderentur. *Cauponum*, inquit, *tabernas in quas coeuntes potabant demolitus est, edixitque ne quis carnem elixam aut aquam calidam venderet, in quosdamque contra delinquentes animaduertit.* Et Nero teste Suetonio cap. 16. & Vespasianus Xiphilino interdixerunt, ne quid in popina cocti, præter legumina & olera væniret.

8 QVOD *non optimus Vrbicus Poëta.*] Assentior Turnebo qui lib. 3. c. 17. ad illud Iuuenal. sat. 6.

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ.

Non sentit, vt Britannicus. Vrbicus nomen esse proprium, sed commune actoris Atellanarum. Erant autem Atellanæ fabulæ Tragœdiarum exodia ad exhilarandum populum, vt fiebant olim Satyri. Hispani in comœdijs vocamus *entremeses.* Erant hæ A-
C tellanæ, fabulæ vrbanissimis iocis refertæ, quo risus excitaretur, & ideò authores earum dicebantur *Vrbici* quasi *Vrbani.* Ideo Poëta hoc loco non absolute dicit Cæcilium assimilari *Vrbico Poëta*, sed *non optimo Poëta Vrbico*: vt hodiéque videmus apud nostrates aliqua exodia comœdiarum vrbanissima, & multi artificij, alia verò insulsa, & ineptissima.

9 QVOD *de Gadibus improbus magister.*] Elegerim *improbus*, vt lib. 5. ep. 79.

Nec de Gadibus improbis puella.

Notissimum est Gades nostrates olim per totum orbem doctas saltatriculas misisse, quæ vibrantes lasciuos lumbos docili tremore, vt eodem loco dicit, mire spectantes delectabant. Vnde lib. 14. ep. 203. cuius lemma, *Puella Gaditana.* sic ait:

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, vt ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Statius item Papinius lib. 1. sylua. in Kal. Decemb.

D *Hoc plaudunt grege ludia tumentes,*
Illic Cymbala, tinnulaque Gades,
Illic agmina confremunt Syrorum.

Vbi legerim. *Ludia trementes.* ex dicto epigr. 79. l. 5. & lib. 14. ep. 203. & ex Iuuenale sat. 11. vers. 161.

Forsitan exspectes, vt Gaditana canoro,
Incipiat prurire choro, plausuque probata,
Ad terram tremulo descendant clune puellæ.

Virgilius item in Copa, siue alius eius Poëmatij auctor, de Syrisca:

Copa Syrisca caput Graia redimita mitella
Crispum sub Crotaso docta mouere latus.

Crispum latus, id est, crissans & tremulum. Apuleius, *Nam dextera* (inquit) *ferebat æneum crepitaculum: cuius per angustam laminam in modum balthei recuruatam traiectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio*

brachia tergeminos ictus, reddebant argutum sonum. Hinc crispitudo, Arnobius lib. 2. ad medium, *Vt prairent obscœnis numerositer, & scabillorum concrepationibus sonoris, quibus animarum alia lasciniens multidudo, incompositos corporum dissolueretur in motus, saltitaret, & cantaret, orbes saltatorios verteret, & ad vltimum clunibus, & coxendicibus subleuatis lumborum crispitudine fluctuaret.* Has ad quæstum circumducebant Gaditani qui eas docebant.

Edere lascinos ad Batica crusmata gestus.

Vt lib. 6. epigr. 71. Cumque ipsi puellas hasce circumferrent, perfricta fronte fuisse necesse est & scurrili dicacitate.

10 QVOD *bucca est vetuli loquax cinadi.*] Profligatissimæ impudentiæ cinædi erant, & ad eam impudentiam, quæ per se loquax est, si accederet senectus, quæ garrulitate se iactat, importunissima loquacitate obtundebāt omnium aures. Ideò dixit vetuli cinædi. Bucca verò quamuis turpe verbum sit in fellatoribus, vt lib. 2. epigr. 28. B

Calda Vetustina nec tibi bucca placet.

Hoc loco nihil tale suspicatus est poëta; sed de loquacitate, & scurrilitate loquitur: ideò adiecit *bucca loquax*, & prouerbiale illud dictum vulgatissimum, *Quicquid in buccam.* Quod Hispani dicimus, *lo que le viene a la boca*, pro sermone temere prolato, absque vlla cogitatione & consideratione.

11 QVARE *desine*, &c.] Est conclusio qua monet Cæcilium à φιλαυτία discedat: de quo elegantissimum est Catulli de Suffeno ad Varum ep. 22. Est facetissima illusio: Nam stolidus hic Cæcilius Galbam se, & Sextum Caballum posse vincere existimabat, qui scurræ erant, & non vrbani, & Ironicōs taxat hominis stoliditatem, qui nec vrbanitatem ab scurrilitate, nec vrbanos à scurris discernebat. Et cum loqueretur cum eodem ipso, non explicans hos duos scurras esse, persistens in eadem Ironia. C

Non cuique, inquit, *datum est habere nasum.* De naso supra epigr. 4. satis multa.

12 LVDIT *qui stolida procacitate*, &c. Hic *caballus* est, id est quadrupes bellua, non *Sextius Caballus*; quem tu vrbanissimum existimas.

De Porcia. XLIII.

Coniugis audisset fatum cùm Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor: D
Nondū scitis, ait, ° mortem non posse negari.
Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

° v. [illegible] coniunctim legit, *mortem non posse negari credideram satu hoc vos docuisse patrem.* qu. dicat, inutilis etiam satis mortem impediri nō posse in homine mori certo.

DOMITIVS.

NON *est Sextius ille, &c.*] Vxor Bruti, qui Cæsarem interfecit, filia Catonis, audita morte viri Bruti, poposcit ferrum, vt sibi mortem consciscerent, quod cùm ab amicis prohiberetur, ipsa clàm sumptis carbonibus, & obstructo ore extincta est: hoc genus mortis tradiderūt, authores Plutarch. Nicolaus Philosophus & Valer. quamuis alij aliter mortuam scribant, & inusitatum læti genus carmine prosequatur Poëta.

BRVTI] Qui cecidit in Philippicis.

MORTEM *non posse negria*] Cuipiam. Idem dixit A Cato pater huius, moriturus, si caput inquit parieti illisero, aut spiritum præclusero, facilè mori possum: & docuit, quoniam deceptis custodibus se interemit.

ET *docuisse, hoc*] Scilicet mortem non posse negari alicui. Nunc deridet Martial. eos, qui putant tantum posse mori ferro.

RAMIR. DE PRADO.

Serium epigramma de gloriosa Porciæ Vticensis Catonis filiæ, & Bruti (qui Cæsarem percussit) vxoris morte. Nota historia ex Plutarcho, Valer. Maximo & aliis sexcentis.

1 MORTEM *non posse negari.*] Id est, non posse impediri: quod probat continuo sui patris exemplo, qui cum sibi manus intulisset impeditus ab amicis se siuit ligari, & oblata viuendi spe, cùm somni simulatione insisset eos abire, solutis vinculis vulneris, inserta per illud manu viscera abstraxit. B

CREDIDERAM SATIS HOC VOS DOCVISSE PATREM.] De morte Catonis supra adducti auctores: inter quos videndus Seneca epist. Solicitum te esse 24. *vltima*, inquit, *illa nocte Platonis librum legentem Catonem posito ad caput gladio, duo hac in rebus extremis instrumenta prospexerat, alterum vt vellet mori, alterum vt posset.* Tibi non oscitanter transeundum illud est, POSITO AD CAPVT GLADIO: est enim ex antiquo more cuius non erit iniucunda narratio atque cognitio: Quam altiùs paulò repetam, vt rei pulcherrimæ auctario subleuatus, Lector, nugas nostras æquiore animo feras. Primùm omnium veterum auctorū testimoniis constat in cubiculis seruata quædam fuisse summa Religione, veluti imagines (vt Larium quæ cubiculares vocabantur: liquido id constat ex Sueton. in Augusto, cap. 7. cuius verba adscribam, *Thurinum cognominatum* Augustum. *satis certa probatione tradiderim nactus puerilem imagunculā eius aream veterem, ferreu, ac pane iam exolescentibus literis hoc nomine inscriptam, qua dono à me principi data inter cubiculares colitur.* Inter eas enim imagines eorū etiā: quos amarent collocabāt. Idem auctor in Caligula de Germanici liberis, c. 7. *Duo*, inquit, *infantes adhuc rapti vnus iā puerascēs insigni festinitate, cuius effigiem Augustus in cubiculo suo positam quotiescunque introiret exosculabatur:* Et Plin lib. 35. *Iidem. & vultus Epicuri per cubicula gestant, ac circumferunt.* Lares autem in cubiculo cum his imaginibus custodiri apposito custodiæ puero, idem auctor in Domitiano sic docet, cap. 7. *Puer cura larium cubiculi ex consuetudine assistens interfuit cadi.* Cuius ministerij, Macrobius etiam sub fin. lib. 1. Saturnal. meminit. Fuere etiam inter has imagines eorum Deorum simulachra quæ thori genialis curam haberent, August. de Ciuit. Dei, lib. 6. cap. 9. *Parcatur humana verecundia, peragat cetera concupiscentia carnis & sanguinis procurato secreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum? quādo & paranymphi inde discedūt.* Deinde in eodem cubiculo gladius etiam religiosè seruabatur. Tacitus l. 15. Annalium de Sceuino coniurationis in Neronem reo. *Is raptus*, inquit, *per milites, & defensionem orsus. ferrum cuius argueretur olim religione patria cultum, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti subreptum respondit.* Præterea gladiū pendentem in cubiculo asseruabāt. Quintil. in pariete palmato. *Habueras adolescens gladiū in cubiculo suo semper, siue antequā in hāc fortunā* (cæcitatis) *incideras paratū, siue quia cacitatis misera solatiū est habere rē videtiū.* Et paulò post, *Cur ergo, inquis gladiū tuū in cubiculo tuo habebas? Quia habuerā sēper:*

quia vsurus illo non eram. Lege omnino (quanquam) A & continuo, *Ante gladium illum familiarem oculis tuis feci, ante omnibus seruulis notum pependi in cubiculo, tanquam testis conscientiæ meæ palam in medio negligenter, sic vt subtrahi posset. Non illum conscientia trepida velauit. Tam notus in cubiculo fuit quam cæcitas Domini.* Tādem pendebat gladius hic ad caput. Vnde apud Virgil. 6. Aeneid. vers. 523. sic Deiphobus,

Egregia interea coniux arma omnia tectis
Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem.

Et 7. lib. de Turno,

Arma amens fremit: arma toro, tectisque requirit.

Vbi illud thoro requirere arma & subducere ensem à capite idem existimo. & Plutarch. in Catone fere idem quod Seneca, ἀνέλαβεν εἰς χεῖρας τῶν Πλάτωνος διαλόγων τὸν περὶ ψυχῆς, καὶ διεξελθὼν τοῦ βιβλίου τὸ πλεῖστον, καὶ ἀναβλέψας ὑπὲρ κεφαλῆς· ὡς οὐκ εἶδεν κρεμάμενον τὸ ξίφος. i. *Sumpsit in manus Platonis Dialogum de anima, & postquam percurrisset maiorem libri partem, &* B *suspiciens super caput, vt non vidit suspensum ensem,* &c. Et in sacris Biblijs Iudith, c. 13. vers. 8. *Et cum hæc dixisset accessit ad columnam quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius qui in ea ligatus pendebat exoluit. cumque euaginasset illum,* &c. Vbi in Græco est, καθεῖλε τὸν ἀκινάκην, eratque Persicus gladius. quem Olophernes gestabat, & cum isset cubitum, suspenderat ad caput. de acinace Herodotus in Polymnia, Περσικὸν ξίφος, τὸν ἀκινάκην καλέουσι. In quibus omnibus vides suspensum ad caput gladium, vt ad manum esset si quid occurrisset. & notandum etiam aliquos solitos esse sub puluino ad idem pugionem abscondere, vt est apud Suet. in Domitiano, cap. 17. *Puer qui curæ Larium cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat se iussum à Domitiano ad primum statim vulnus pugionem puluino subditum porrigere ac ministros vocare, nec ad caput quicquam excepto capulo, & præter ea omnia clausa reperisse.* Dixerat autem in Othone, cap. 11. *Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione* C *arripuit duos pugiones. & explorata vtriusque acie cum alterum puluino subdidisset foribus apertis.* &c. Quod Latini dicunt ad caput, Nos Hispani dicimus, *à la cabejera*: hodiéque hunc morem obseruamus, vt ad caput ponamus enses cùm dormimus.

2 I NVNC.] Insultantis formula, quâ vsus est etiā lib. spect. ep. 23.

I nunc, & lentas corripe turba moras.

In Mancinum. XLIV.

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et positum est nobis nil here, præter aprum. D
Non quæ de tardis seruantur vitibus vuæ,
Dulcibus aut certant quæ melimela fauis.
Nō pira, quæ * *lenta pendēt religata genesta,* (*v. longa.*)
Aut imitata breues punica mala rosas.
Rustica * *lactantes nec misit fiscina metas,* (*v. Lactētes.*)
Nec de Picenis venit oliua cadis.
* *Nudus aper, sed & hic minimus, qualisque necari* (*Nudum aprum intelligo nullis condimētis imbutum, cuiusmodi fuisse piper & garum talerno mistū, è septimo libro huius auctoris discimus.*)
A non armato pumilione potest.
Et nihil inde datum est, tantùm spectauimus omnes.
Ponere aprum nobis: sic & arena solet.
A *Ponatur tibi nullus* * *aper post talia facta:* (*Hic apro obiectus fuit Domitiani iussu.*)
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

DOMITIVS.

BIS *tibi triceni*] Mancinus. lx. conuiuas in hospitali ostentatione elusit: nam his vocatis aprum apposuit, nullo alio ferculorum genere addito, nec quicquam inde distribuit, ait Mar. qui inter conuiuas fuerat, spectatum aprum fuisse in mensa, vt in arena solet spectari, nam & arenæ spectatores, præter oculorum voluptatem, nihil ex feris habent. Imprecatur igitur, ne ipsi vnquam aper apponatur, sed ipse apponatur tali apro, quali fuit laniatus Charidemus.

HERE] Antiqui pro heri.

VVÆ] Duracinæ, quæ duritie acini dictæ sunt, hæ vt Columella, & Plinius docent, aut suspensæ asseruantur, aut ollis conditæ vinaceis circumfumantibus: B de his in disticho:

Non vtilis cyathis, & inutilis vna Lyæo,
Sed non potanti me tibi nectar ero.

MELIMELA] Poma quædam mustea dicebantur, quòd celeriter mitescerent, eadē nouissimis temporibus dicta sunt melimela, à mellis sapore.

CERTANT *fauis*] Sapore & dulcedine.

NON *pira*] Pira ampulacea potes intelligere, nam hæc optimè seruabantur.

LONGA *religata genesta*] i. longis vinculis.

GENESTA] Genesta, virgulta dicuntur, vnde pendentes fructus seruabantur, vt hîc.

PVNICA *mala*] i. granata mala.

IMITATA *breues rosas*] Quæ citò occidunt, vel breues, quoniam minores rosæ maioris coloris sunt, an à similitudine magis. quia vt rosæ erumpunt ex folijs, ita mala punica, quæ optima sunt, cùm mitescunt, aperiantur.

FISCINA] A ferendo dicta est, vt placet Varr. C notum instrumentum.

METAS] Pro lacte coagulato accepta forma, vt puto metarum, nam meta in ludis, instar rotundæ columnæ surgebat, in quam speciem lac coagulatum mitti videmus.

OLIVA *de cadis Picenis*] Picenæ oliuæ & Fidicinæ cibis optimè seruabantur: tamen transmarinæ præstant: in distichis.

Hæc quæ Picenis venit subducta tapetis
Inchoat, atque eadem finit oliua dapes.

NVDVS *aper*] Aper mensis Romanis appositus est, exemplo Rulli, qui primus aprum integrum dedit conuiuis. Pater Rulli fuit, in quem inuectus Cicero pro lege Agraria. Iuuenalis.

Quanta est gula, quæ sibi totos Ponit apros.

D Posteà, & bini, & terni onerarunt mensas.

NVDVS] Sine alijs rebus.

PVMILIONE] Nanos Græci, Latini dixerunt pumiliones. nani dicuntur in delitias venisse Romanorum, quorum pugnam edidit Domitia. in spectaculis. Papinianus in Satur.

Hic audax subit ordo pumilionum.

INDE *da.*] Ex apro tantùm est appositum.

TALIA *facta*] i. tale scelus.

CHARIDEMVS] Damnatus à Domitia. dentibus apri discerptus est.

GEORGIVS.

AVT *imitata breues punica mala rosas*] Imitari mala punica rosas dixerim, quoniam, germinat primo, vt scribit Plinius, rosa, inclusa granato cortice, quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigiato

paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit in calicis medio sui stantis, vix tantùm complexa luteos apices. Quem ordinem, atque morem, dum florescunt mala punica imitantur, maturescentia item ruborem quodammodo rosarum referre videntur, nec statim languescunt rosæ, sed diutiùs durant. Hæc ille.

METAS] Non memini me legisse talem metam in ludis surgere, præterea quis vnquam dixit rotundam columnam? quæ ferè oblonga manet. Sed & Plinius, figuram metalem mucrone semper deijci, & inuerso turbini similem, scribit: qua forma etiam ætate nostra rustici, lac coagulatum in vrbes deferunt. hæc ille.

RAMIR DE PRADO.

Reprehendit rusticam Mancini auaritiam, & sordes, qui conuiuas multos parcè, & illiberaliter excepit, apro tantum apposito, & eo minimo. Enumeratque per negationem ferè omnia, quæ solent in conuiuijs, apros, aues, & alias carnes comitari, & veluti vestire.

1 NON *quæ de tardis seruantur vitibus vua.*] Collige ex hoc versu famelicum hoc conuiuium hyberno tempore fuisse: nam enumerantur fructus, qui seruari solent: velut vuæ, pira, melimela, punica mala. Vuæ non omnes, sed paucorum generum seruabantur: veluti Duratinæ, Purpureæ, Ollares, quas sic appellat Martialis, lib. 7. epigr. 19.

Illic & vua collocantur Olares.

Sic dictæ quod in ollis seruarentur. Horat. sat. 4. l. 2.

---Venucula conuenit ollis.

Rectius Albanam fumo duraueris vuam.

Quæ omnes non vini causa habebantur, & communi vocabulo à Græcis τρώξιμοι appellantur, vt est in L. qui fundum 205. ff. de verb. sign. & Poëta lib. 13. epigr. 22. de vuis Duracinis.

Non habilis cyathis, & inutilis vua Lyæo,
Sed non potanti me tibi nectar ero.

Et Plinius idem scribit quem ad hæc omnia consule, lib. 14. cap. 1. & Ouid. Metamorph.

---sunt poma grauantia ramos,
Sunt auro similes longis in vitibus vuæ,
Sunt & purpureæ, tibi eas seruabit & illas.

Vbi purpureas nominat, quæ sic vocabantur à colore purpureo, vt apud Horat. lib. Epod. od. 2.

Certantem & vuam purpuræ.

Dixit autem *de tardis vitibus*, propterea quod in eisdem vitibus asseruabantur fere ad vitium putationem, vt lib. 3. epigr. 58.

Hic post Nouembres imminente iam bruma,
Seras putator horridus refert vuas.

Nam id erat proprium, vt nunc est in Italia, vitium putandarum tempus. Admonet me hic locus difficultatis cuiusdam apud Virgilium, quæ potest attentum quemuis lectorem torquere, vt me diu torsit. Est locus eclog. 2. vers. 70. vbi Corydon se ipse increpat, quod amore Alexis ductus, multa quorum vsu indigeret prætermiserat. versus est:

Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est.

Conqueritur quod inceperat putare in vlmo vitem, & semiputatam reliquerit non sine magno vitis damno. Concionatur hoc loco, vt solet fere in omnibus, religiosus Pontanus, & quamuis diuino se gerit more, humano humanè errat: communemque locum nobis obtrudit, de operibus inceptis, & non perfectis. Ad populum phaleras, scilicet. Percontarer ego libenter ab eo qui fieri posset, vt Corydon tantum temporis anteuertisset putationem? Nam

A initio eclogæ tempus per multos versus assignat earum querelarum, quas fundit in ecloga,

Nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant,
Nunc virides etiam occultat spineta lacertos,
Thestylis & rapido fessis messoribus æstu.

Et multa præterea, quæ media æstate, hæc facta fuisse demonstrant, & deinceps violas nominat, & flores bene olentes a Nymphis adduci, se pollicetur daturum pruna, & in eodem versu frondosam appellat vlmum: Quomodo hoc tempore iam erat semiputata vitis? Hoc loco Zoilus forte de Virgilio triumphasset: sed Gordium hunc nodum sic dissolue. Illud *semiputata*, non ad putationem referas, sed ad foliorum denudationem. Vites enim, quæ vlmis maritabantur, vt optima esset vini coctura, solebant frondibus denudari, vt radijs solis valentius maturarentur. Hoc cœperat Corydon facere, & reliquerat B dimidiatum opus; conqueriturque de sua negligentia, qua timet fore, vt vuæ sub folijs latentes acerbæ remaneant. Quod innuit Epitheto Vlmi, quam *frondosam* nominat: Eam namque & vitem ipsam integram reliquit frondibus obtectam. hoc autem nociuum est vuis. Virgilius Georg. 2. vers. 409.

---Bis vitibus ingruit vmbra,

Et ideo eligebantur arbores minus frondosæ ad vites maritandas, de qua electione scribit Plin. lib. 17. cap. 23. vbi vlmum præfert ceteris, excepta atinea, quæ propter nimiam frondem non est vtilis huic rei, & alijs, quæ ibi enumerat: vt intelligas Corydonis damnum esse, quòd vlmus non esset spoliata suis frondibus. Sed dices *putare vites*, non esse folijs nudare, sed secare ferro inutilia sarmenta, & fingere putando ad fructus ferendos: Sed scias putandi verbum omninò significare καθαίρειν, id est purgare C quomodocunque fit, vt *putare lanam*, quod Græci dicunt κροκοδίζειν. Latini propriè carrere. Plautus Menechmis.

Inter ancillas sedere iubeas lanam carrere.

Galli *carder*, & inde *escardeurs*: vnde nos Hispani *cardar* & *cardadores*, & *carduus*, qui aptus carrendæ lanæ; & *carmen*, ferreum instrumentum ad hoc artificium: Quod Iuuenalis expressit per periphrasim. sat. 7. vers. 224.

Qui docet obliquo lanam deducere ferro.

Putare igitur *lanam* est κροκοδίζειν, Titinnius Fullon.

Date pensam lanam, qui non reddet tempori
Putatam, recte facite, vt mulctetur malo.

Et Tibullus eleg. 6. lib. 1.

Tractáque de niueo vellere ducta putat.

Inde in Glossis veteribus ξάντρια, *pulatrix* corrupte, lege putatrix. Hinc aurum putum purum, id D est, igne purgatum, sic enim accipio illud purum ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quod eo elemento summa fiat cuiusque rei purgatio, sic per hyperbolem in sacris, *igne me examinasti*, id est vehementer purgasti, & Ouidius,

Scilicet, vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Putum autem, id est putatum, quamuis ego crediderim à *puto putandi* verbum deductum. *putum* autem à verbo *poto*, quasi habile vt potetur. Metalepsis enim ab *u* ad *o*, & contra frequentissima est. debet autem esse purissimum id, quod potandum est. Vnde Hispani dicimus, cùm rem aliquam tenuissimam, & purgatissimam significare volumus, velut lintea, & vela, *tan delgado, tan limpio que se podia beber*. Vide etiam Varronem de lingua Latina, lib. 5. verbo, *Disputatio*.

Ex quibus omnibus intelligendum ac corrigendum puto doctissimum Catullum in epig. 65. de nuptijs Pelei & Thetidos, vbi sic inquit. V

Rura colit nemo: mollescunt colla iuuencis.
Non humilis curuis purgatur vinea rastris,
Non glebam prono conuellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram.
Squalida desertis rubigo infertur aratris.

Qui versus quemlibet attentum lectorem monebunt, vel tantum nullam congruam sententiam elici posse, nisi transmutantur. Ego verò transmutationem apponam, & explicationem qualiscumque erit, assignabo. Ait ergo neminem rura colere, ideóque mollescere colla iuuencis: nec taurum conuellere glebam prono vomere. Ideóque rubiginem squalidam inferri aratris desertis, & denique vineam humilem, id est, non maritatam vlmis in cacumina prorepentem nec purgari curuis rastris. Nec vmbram arboris frondosi maritatæ viti nocentem attenuari falce. Hunc sensum ex versibus ita compositis elicies liquidò. B

Rura colit nemo, mollescunt colla iuuencis,
Non glebam prono conuellit vomere tellus,
Squallida desertis rubigo infertur aratris:
Non humilis curuis purgatur vinea rastris,
Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram.

2 DVLCIBVS *aut certant quæ melimela fauis.*] De melimelis plurima mentio, quod dulcissima essent. Ideo Græci earum vocabulum ex melle composuerunt, quod omnia dulcia mellis vocabulo significant, imitatione Hebræorum, quibus דבש *debes*, id est *mel*, cuncta dulcia designat, vt ficus, vuas, dactylos. Vnde illud Exodi 13. *de terra fluente lacte, & melle*, interpretantur Rabbini, terram abundantem lacticinijs pecorum, & fructibus dulcibus stirpium. Qua significatione aliquando accipiunt Græci Medici vocabulum *μέλι*. C

3 AVT *imitata breues Punica mala rosas.*] Non intelligas Punica mala breuitate temporis imitari rosas, sed figura potius, & colore. nam *βαλαύστιον*, rosis assimilatur. Illud autem *breues* veluti per antithesim posuit; non per simile.

4 TANTVM *spectauimus omnes.*] Metaphora desumpta à Theatro, vbi apri spectaculo exhibebantur. Eadem metaphorâ vsus est supra epigr. 21. de Cæciliano sordido Conuiuatore,

—— turba spectante vocata
Solus boletos, Cæciliane, voras.

Et sequenti versu persistit in metaphorâ,

Ponere aprum nobis sic & arena solet.

Et est lusus in verbo *ponere*, quod frequentissime ferculorum appositionem apud hunc Poëtam significat, vt epigr. sequenti, & mille alijs in locis. Quod magis miraberis de vino conuiuis exhibito, dicitur hoc verbo, vt lib. 4. epigr. 69. D

Tu Setina quidem semper vel Massica ponis,
Pamphile. Et lib. 7. epigr. 78.
Ipso consule conditum, sed ipse
Qui ponebat, erat, Seuere, consul.

Et lib. 13. epigr. 123.

Fumea Massiliæ ponere vina potes.

Petron. in satyrico de conuiuio Trimalcionis. *Dum titulos*, inquit, *perlegimus, composuit Trimalcio manus, & heu, inquit, ergo diutius viuit! verum est, vinum opimianum præsto, heri non tam bonum posui, & multò honestiores cœnabant.* Sed non est cur mirère: Pocula enim vino plena in mensis vnicuique conuiuæ ponebantur, vt diximus ad lib. 2 epig. 1, n. 4.

Ad Stellam. XLV.

Lasciuos leporum cursus, lususq; leonum,
Quòd maior nobis charta, minórque gerit.
Et bis idem facimus: nimium si Stella videtur
Hoc tibi: bis leporem tu quoque pone mihi.

DOMITIVS.

LASCIVOS] Iocatur cum Stella. ait enim, si multis versibus, & paucis scripsi lusus leonum, & idem bis feci, potes me punire, vt apponas mihi bis leporẽ.

MAIOR *charta*] Id est, multa carmina.

BIS idem] Repetitis epigrammatibus, nam hoc argumento sæpè scripserat.

RAMIR. DE PRADO.

De lusibus leporum in leonum rictibus dictum est supra epigr. 7. 15. & 23. & dicetur infra in aliis. Miserat Martialis ex tam multis epigrammatis huius argumenti ad Stellam, forte ea quæ ex omnibus selegerat potiora, tanquam ad hominem emunctæ naris, & simul cum illis, misit hoc epigramma, per prolepsim, excusans se, quòd occasionem præberet Stellæ satietatis: Nam quemadmodum ipse, lib. 3. epigr. 50. in Ligurinum, quod importune inter cœnandum ad quinque vsque libros legeret; *Putidus est*, inquit, *toties si mihi ponis aprum.* Sic idem putabat in se Stellam dicturum.

1 LASCIVOS.] De hoc verbo vide multa sup. epigrammate 4. numero penultimo.

2 QVOD *maior nobis charta, minorque gerit.*] Non est quod torquearis cum Radero, quid significent hæc, nec arioleris spectaculorum librum mancum esse, & intercidisse epigrammata huius argumenti; hoc enim est magno conatu magnas nugas agere. *maior minórque charta*, pro quacunque charta posuit, id est, omnibus in chartis, vt Hispani dicimus *no dexo papel chico ni grande, que no escriuiesse.* quamuis omnes chartæ sint æquales. vel si mauis argutari, dic ex infinitis hisce epigrammatis misisse Stellæ illud longissimum 105. & alterum ex his hexastichis. Ideò subiungit, & *bis idem facimus*, quod quando hoc epigramma misit, forte bina tantum huius argumenti scripserat: deinde, vt erat lasciuientis ingenij ad fastidium vsque id prosecutus est.

3 BIS *leporem tu quoque pone mihi.*] Illud *quoque* ad bis referendum est de leporina carne, quam grati saporis veteribus esset: alias dabitur commodior dicendi locus.

De libro suo. XLVI.

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potiùs τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

DOMITIVS.

EDITA *ne breuibus libellis*] Id est, paucis carminibus, nam liber paucorum versuum facilè interit.

DICATVR *potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος*] Certũ itaque est, nõ modò bis eadem scribere alijs versibus, quemadmodũ feci de lepore, sed etiam vti ijsdem versibus, si opus fuerit: vt Homerus inculcat, *τὸν δ' ἀπαμειβόμενος*: decretum mihi est agere hoc, vt iustam, & integram libri magnitudinem absoluam: in quem fermè sensum, illud distichon exijt. *Sunt bona, &c.* Puto

hos duos versus debere hærere superioribus. τὸν δ' ἀπαμειβόμενος, significat, huic autem respondens, quod Virgilius interpretatus est, quem contrà.

RAMIR. DE PRADO.

Excusat breuitatem suorum libellorum, & obiter commendat se lectori quod non eadem sæpe repetat Homeri exemplo, qui eisdem verbis millies eandem rem inculcat, nulla verborum varietate distinguens poëma. Comma autem hoc Græcum tertio quoque versu inuenies apud Homerum, quo innuit poëta se posse si vellet longiores scribere libros: Sed abhorrere se ab hac battologia. Prior versus subobscurus est, cuius hic est ordo. Ne charta edita pereat mihi breuibus libellis, id est, ne hæ chartæ ob libellorum breuitatem excidant facile, & pessum eant: potius quàm hæc chartarum iactura fiat, repetamus eadem vsque ad fastidium.

Ad Ædilum. XLVII.

Cùm dicis propero, fac, si facis, Aedile: läguet
Protinus, & cessat debilitata Venus,
Exspectare iube: velociùs ibo retentus.
Aedile, si properas, dic mihi, ne properem.

DOMITIVS.

CVM *dicis propero*] Ædili cinædi consilium, & morem reprehendit, & impudicitiam, quia in coïtu iubebat pædiconem properare, consuluit Martial. si citò cupit absolui rem, hortetur potiùs ne properet, quia ita peraget velociùs.

LANGVET] Cadit mentula.

PROPERO] i. habeo negocium.

FAC *si facis*] Verba Ædili increpantis frigidum pædiconem, id est, si vis facere, fac, & propera.

RAMIR. DE PRADO.

Lemmá huius epigrammatis varium est in varijs editionibus, aliæ habent *ad Aedilam*, & aliæ ad Aedilum. Ianus Gruterus in sua illa inaniter gloriosâ editione, quam mille amplius locis serio correctis, vt ipse dicit, locupletauit, Metamorphosin quandam se gloriatur effecisse, non consulto Mercurio, aut Venere, & ex fœmina virum exhibuisse nobis, sed cinædum. Ego quamuis veteres reclament codices, Aedilam scio fœminam esse: Nec quod lib. 9. epigr. 58. in Hedylum iocatur Martialis continuò, ille idem est de quo hic loquitur: Nam quæ hoc epigr. continentur, nulla ratione viro possunt accommodari.

1 CVM *dicis propero.*] *Properare* obscœnum verbū est, significat ad voluptatis metam quò dirigitur, celerrimus ille Veneris cursus pertingendam currere. Ouid. lib. 2. de arte amandi, vers. 717.

Crede mihi Veneris non est properanda voluptas,
Sed sensim tarda perficienda mora.

Et vers. 727.

Ad metam properate simul: tunc plena voluptas
Cum pariter victi, fœmina virque iacent.

Ex quibus locis existimauerim conflasse Martialem hoc epigramma quo petit ab Aedila, ne equum qui hanc bigam gubernat, satis sua sponte currentem, intempestiuè impellat, quòd hac re futurum sit, vt debilitetur & cesset à cursu: Nam quamuis ipsa ad metam perueniat, non obstat quò minus absoluat is cursum suum.

2 FAC *si facis.*] Turpiculum etiam verbum Ouidio citato ab Heraldo. Eodem Petronius vtitur in Satyrico de quodam puero, *Interposita minus hora pungere me manu cepit & dicere, Quare non facimus? Tum ego toties excitatus plane vehementer excandui, & reddidi illi suas voces, Aut dormi, aut ego iam dicam patri.* & desumitur origo à Græcis qui ποιεῖν dicunt, idem est perficere, vt in Iulio Capitolino, & in supra allegato Ouidij loco.

Sed sensim tarda perficienda mora.

Et elegans iocus est apud hunc lib. 3. ep. 79.

Rem peragit nullam Sertorius, inchoat omnes,
Hunc ego cum futuit non puto perficere.

Id est resoluere, vt inquit Ouid. lib. 2. de arte, versu 683.

Odi concubitus qui non vtrimque resoluunt.

3 EXSPECTARE *iube.*] Desumptum ab eodem Ouidio lib. 2. de arte, vers. 689.

Me voces audire iuuat sua gaudia fassas.
Vtque morer meme sustineamque rogent.

De Diaulo medico. XLVIII.

Nuper erat medicus, nūc est vespillo Diaulus:
Quod vespillo facit, fecerat & medicus.

Idem Græcè.

Πρώην ἰητρὸς, θαπτὴς νῦν ὁ Δίαυλος.
Ῥέζ' ἰητρὸς, ὅπερ δρᾷ θαπτὴς ἐών.

RAMIR. DE PRADO.

De hoc eodem sup. epigr. 31. dictum est, & est aliud epigramma 74. lib. 8. eiusdem argumenti.

1 QVOD *Vespillo facit, fecerat & medicus.*] Ludit in subaudito verbo efferendi, vel extollendi: Nam vespillones mortuos efferunt; mali medici viuos efferunt, hoc est occidunt, vel tollunt de medio.

De leone & lepore. XLIX.

Rictibus his tauros non eripuere magistri,
Per quos, præda fugax, itque, reditq; lepus.
Quódque magis mirū, velociùs exit ab hoste,
Cùm nil à tanta nobilitate refert. 'alij legunt, Nec nihil à tanta nobilitate.
Tutior in sola non est cùm currit arena,
Nec cauea tanta conditur ille fide.
Si vitare canū morsus, lepus improbe, quæris:
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Idem Græcè.

Θηροκόμοι τούτου στόματος ταύρους ἐρυμύκους
Οὐ ῥύσαντο, δι' οὗ ῥέμβος ὕποι λαγωός·
Ὅσπερ ἀεὶ, μέγα θαῦμα, θοώτερος ἔσσυτ' ἀπ' ἐχ-
Οὐδὲν ἐπαυρίσκων ἤθεος εὐγενέος. (θροῦ.
Οὐ ψαχάων σαδίοισι σαώτερός ἐστ' ἐν ἐρήμοις,
Οὔ μιν ἐν πιστῶς ὧδε κάκευθεν ὀπή.
Εἰ τὸ κυνῶν, λαγὲ, δῆγμα διωκόντων ἀλέασθαι
Δίζῃ, προσφυγὴν χάσμα λέοντος ἔχεις.

DOMITIVS.

RICTIBVS *his tauros*] Domitores leonum non potuerunt eripere tauros, & lepores eunt, & redeunt libere.

HOSTE] Ex ore leonis.

NEC *nihil*] Id est, aliquid refert ex nobilitate leonis, cùm celerior inde exeat, nam videtur inde sumpsisse vires.

SOLA *arena*] Vbi non sunt feræ.

FIDE] Securitate, & numine: id est, non est tutior in cauea, vbi seruabatur, quàm in ore leonis, quòd cùm mirum sit, dedit acumen versui.

RAMIR. DE PRADO.

Crambe repetita, quæ magistros solet occidere: Nam ad satietatem vsque de his leporibus hoc libro: sed si æquus fueris iudex, potius ingenij copiam miraberis: quodque enim per se epigramma selectissimum est, sed *Putidus est toties si mihi ponas aprum.* Hoc epigramma per se lucet.

Ad " Licianum, de Hispaniæ locis. L.

Vir Celtibêris non tacende gentibus,
Nostræque laus Hispaniæ,
Videbis altam " Liciane Bilbilim,
Equis, & armis nobilem,
" *Sterilemq; ca[...]m niuibus, " effractis sacrũ*
" *Vada Veronem montibus.*
Et delicati dulce " Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
" *Tepidum natabis lene Congedi vadum,*
Mollésque nympharum lacus.
Quibus remissum corpus adstringas breui
Salone, qui ferrum gelat.
Præstabit illic ipsa figendas propè
Voberta " prendenti feras.
Aestus serenos aureo franges Tago
Obscurus vmbris arborum.
Auidam " rigens Dircenna placabit sitim,
Et Nemea, quæ vincit niues.
At cùm Decẽber canus, & bruma impotens
Aquilone rauco mugiet,
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuámque Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, & " vernos apros,
Leporémq; forti callidum rumpes equo:
Ceruos relinques villico.
Vicina in ipsum sylua descendet focum
Infante cinctum sordido.
" *Vocabitur venator, & veniet tibi*
Conuiua clamatus propè.
" *Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,*
" *Olidæque vestes murice.*
Procul horridus " Liburnus, & querulus
Imperia viduarum procul. (cliens:
A *Non rumpet altum pallidus somnum reus,*
Sed mane totum dormies.
Mercetur alius grande, & insanum sophôs:
Miserere tu felicium,
Veróque fruere non superbus gaudio,
Dum Sura laudatur tuus.
Nõ impudenter vita, quod reliquũ est, petit:
Cùm fama, quod satis est, habet.

' v. Licinianum. Vide Turneb. lib. 25. cap. 24.
' v. Liciniane.
' v. Senémq; Catum in veteri meo codice, quẽ Anglia suppeditauit, manifesta scriptura est, quã Turnebus etiam de suo exẽplari profert, *Senemq; Catum niuibus*, vt Catus, mõs sit editus, alta niue obrutus, & vt ita dicam, nimio senio candens. Sequẽtem deinde vocem.
' Diffindo, vt sit, & *fracta*.
' f. & fractis Vadaueronem.
' v. Boteti, ita habet vetustus codex, cùm tamen Bottrodi oppidi istius meminerit in Celtiberia siti, quod à Tiberio Graccho dirutũ refert Polybius.
' lego, *Tepide natabis*, alioqui otiosum alterum fuerit epithetum, & fini prioris vocis initium sequentis accreuisse, verisimile est.
' alij scribũt, prandenti.
' v. recens Decreta.
' v. Vernas.
' v. Venabitur vocatus.
' Lunati calcei nobilitatis gestamina. Philostrat.: μηνοειδὲς ὑποφέρειν σύμβολον εὐγενείας. Vide Iunij adag. In Astragalis nobilitas.
' *Olidæ v. m.*] Infra ad illud, *Sindone tinctus olet*, ep. 15 lib. 11.
' Præconis nomẽ apud Iuuenalem.

DOMITIVS.

VIR *Celtiberis*] Licianum virum Celtiberum proficiscentem in Hispaniam, tædióque vrbis se referentem ad otium, carmine prosequitur trimetro iambico, & dimetro, repetitáque locorum illorum

B amœnitate, fastus vrbanos accusat, & probat Liciani consilium.

NON *tacende*] Id est, celebrande à me, qui Celtiber sum, & à tuis popularibus.

NOSTRÆ *Hispaniæ*] Patriæ.

BILBILIM *altam*] Edito loco conditam & bellicosam.

SACRVM *vada*] Habentem aquas sacras, & multas.

VERONEM] Fluuium. Vero fluuius est Celtiberiæ, vt Ptolemæus, & Verones populi, vt Strabo: Inepti homines legerunt, vadaueronem, coniuncta dictione, cùm duæ sint. Vada nota significatione, & Vero fluuius.

EFFRACTIS *niuibus*] i. deliquatis niuibus.

BOTRODI] Oppidum est pascuis, & syluis amœnum.

C POMONA] Dea fructuum, propter vbertatem pomorum, quæ illic sunt. *Tepida lene Congedi vada.*

LENE] Leniter.

CONGEDVS] Fluuius.

REMISSVM *corpus*] i. resolutum.

SALONE] Salo, fluuius est, cuius aquis temperatum ferrum optimum est. Corpus relaxatur aquis calidis, frigidis astringitur.

VOBERTA] Sylua, & villa.

FRANGES] Acerbus. Illece fons nobilis nomine prouinciæ, vnde portus Illecetanus,

NEMEA] Fons qui frigiditate superat niues.

MVGIET] Insonabit.

D TARRACONIS] Tarraco nobile oppidum, & vino, & præstantia virorum, portu tamen caret.

LALETANIAM] Laletania prouincia est, corrupto verbo apud Strabonem.

APROS *vernas*] Natos illic, & ante ianuam.

RVMPES] Superabis laxando equo.

FORTI] Id est, veloci.

LVNATA *nusquam pellis*] i. nusquam videbis nobiles, nam calceis lunatis vtebantur nobiles. Iuuenal. *Nobilis & generosus appositam nigræ Lunam subtexit alutæ.* Formam autem Lunæ gestabant nobiles, vt Castor scribit, indicantes post mortem, Lunam fore sub pedibus, præterea multæ causæ afferuntur, sed hæc maximè placet, quam Plutarch. exponit in quæstionibus, quòd scil. fuerit id institutum Euandri, & Arcadum, qui cùm à Luna se oriundos dicant, & lunares appellentur, ortũ indicant calcei figura, quemadmodum nobiliores Romani secuti sunt, declarantes se ab Euandro recta stirpe oriundos.

LIBVRNVM] Genus vehiculi erat, & præco liburnus, hic pro præcone. Iuu. sat. 4. *Primus clamante liburno, Currite, iam sedit, rapta properabat ab olla.*

CLIENS *querulus*] Quia semper queruntur clientes. A

PALLIDVS] Timore.

MERCETVR] i. emat alius laudem, & sapientiam.

MISERERE IN *felicium*] i. istorum, qui se putant felices.

SVRA] Causidicus fuit, & amicus Martialis. Palphurius Sura dicebatur, cuius meminit Tranquillus in vita Domitiani, & Plinius in epist. & Martialis alibi.

NON *impudenter*] Sensus est. Non immeritò otium debet suas partes vendicare, cùm fama suas partes est assecuta, & ita laudat Licianum, qui cùm sit famam assecutus, meritò otium, & quietem petit.

CHRISTOPH. COLERVS.

TEPIDA *natabis lene congedi vadum*. Verissimè, contra varietatem omnem lectionum, Cuiacius obseruat. *Lenis* paruula nauis est. B

PRÆSTABIT *illic ipsa figendas propè Voberta prendenti feras*] Sic malo, quàm *prandenti*. Verbum venatorium est, *Prendere*. Alibi noster.

——*Vacuo deprendit in aëre prædam*. Sidon. *Inuentas agitare feras, & fronde latentes. Quærere, deprensas modò claudere cassibus arctis. Nunc torto penetrare veru*. Isidorus lib. 10. *Quatuor sunt venatorum officia, Vestigatores, Indagatores, alatores, pressores*. Ego legerim *Prensores*. Vt vetus mos scribendi, librarijs os subleuerit.

LVNATA *nusquam pellis, & nusquam toga, Olidaque vestes murice*.] Num hoc verè & rectè ad lunatos calceos nobilium referant, addubito. Mihi placet legere. *Lanata nusquam pellis*. Lanatam pellem in lautiorum hominum delicijs numeratam fuisse puto. Bellum quidem gestamen, posterioribus quoque sæculis non insusitatum, vel aulicis. Sidonius lib. 1. epist. 2. *Circumsistit sellam comes armiger, pellitorum turba satellitum, ne obsit, admittitur*. Vlpianus sub lanæ appellatione contineri lanatam pellem docet ff. l. 70. de legat. & fideicom. §. 8. Et hinc quoque satis apparet, solemnem vsum fuisse pellis lanatæ. C

RAMIR. DE PRADO.

Lemma emendandum sic. *Ad Licianum de vita rustica*. illud enim de locis Hispaniæ ab aliquo sciolo additum. Ad Licianum ad Celtiberos suos proficiscentem mittit hoc epigramma, & depingit ea omnia loca, quæ visurus est, vt eum inuitet eorum amœnitate proposita ad vitam rusticam, & genialem.

1 VIDEBIS *altam Bilbilim*.] Satis colligitur ex hoc epitheto quod iam diu à viris doctis est animaduersum, & præcipue à Hieronymo Curita Annalium Aragoniæ fidissimo & eruditissimo scriptore, & qui iam in Itinerarium Antonini doctissima edidit commentaria, Oppidum in Celtiberia, quod vocatur *Calatanid*, non esse antiquam Bilbilim, quod hoc nostrum in plano sit. Bilbilis autem alta, & in acri monte sita, quare lib. 10. epigr. 20. dixit, D

Pendula quod patria visere tecta libet.

2 EQVIS *& armis nobilem*.] Legendum omninò *aquis*, cùm quòd Bilbilitanorum equorum nulla vsquam mentio: tum quòd Salonis aquæ durando ferro ad cudenda arma nobilissimæ, vt infra:

Salone qui ferrum gelat. Et lib. 4. epigr. 55.

Armorum Salo temperator ambit.

Et lib. 14. epigr. 33.

Pugio quem curuis signat breuis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Et Iustinus lib. 44. Bilbilim fluuium nominat ferrum durantem, quem Barrerius in Salonem iuxta bilbilim exonerari tradit. Sed ego credo Iustinum *Bilbilim* appellasse Bilbilis fluuium, cuius nomen non curauit quærere.

3 STERILEMQVE *caunm*.] Per scrupea, & salebrosa loca versari debet, qui de his locis diligentem susceperit disquisitionem. Ego nil addam tam multis, quæ commentatores, & Geographi, & Critici congesserunt. Illud *Botrodi nemus*. non in *Boleti nemus*, quòd lib. 12. epigr. 18. ad Iuuenalem *Botrodum Plateamque*, nomina crassiora apponat.

4 ÆSTVS *serenos aureo franges Tago, Obscurus vmbris arborum*] Quòd sit auriferus, Tagus, omnes auctores, & experientia nunc docet. Sic noster lib. 10. epigr. 96. & lib. 12. ep. 3. auriferum vocat, vt diuitem lib. 10. epigr. 16. Et quòd arborum vmbris sit opacus, etiam Iuuenal. demonstrat his verbis, sat. 3. vers. 54.

——*tanti tibi non sit opaci Omnis arena Tagi.*

5 ET *vernos apros*.] In veteri *vernas* legitur, & multò melius; nam vernos non conuenit occidi in bruma, & *vernas lupos* appellat lib. 10. epigr. 30. qui domesticam piscinam natant. Lipsius lib. 4. poliorceticôn 4. dialogo 1. legit *veros*, ad differentiam domesticorum, id est, in suburbanis syluis pastorum, quos aliquando caueis includebant, vt melius saginarentur, lib. 9. epigr. 90.

De cauea fugiat ne male pastus aper.

Ego subtiliorem, retenta hac lectione, rationem redderem, quòd Romæ ambitiosi illi conuiuatores, vel parcentes sumtui, vel quòd veros apros non inuenirent, imponebant sæpe conuiuis, pro vero apro porcum apponentes. De quo conqueritur eleganter Martialis difficilimo illo epigrammate 22. lib. 8.

Inuitas ad aprum, ponis mihi Gallice porcum,
Hybrida sumsi das, Gallice, verba mihi.

Quod suo loco emendatum, & explicatum leges: cùm igitur hæc querela communis esset, eorum omnium, quibus hac in re verba dabantur, felicitati assignat Liciniano quod veros apros, & sibi, & conuiuis mactaturus sit.

6 LEPOREMQVE *forti callidum rumpes equo*.] De verbo *rumpendi*, supra diximus epigrammate 23.

7 CERVOS *relinquis villico*.] Non relinquet ceruos villico, quòd leporina præstantior esui sit, quàm ceruina, vt pueriliter sensit Raderus: Nam venatoribus hisce non mercenariis, non præda ipsa, sed venatio cordi est, & lepus difficilius capitur, & maiori celeritate ad eum insectandum opus est. Qui cursus celerrimus mirè delectat venatorem; & eadem ipsa capiendi difficultas: nam iidem ipsi lepores tanto studio, & animi contentione conquisiti, occisi deinceps sordescunt, & vilescunt, vt aliqui tangere nolint appositos, Horatius sat. 2. lib. 1.

——*leporem venator vt alta*
In niue sectetur, positum sic tangere nolit.

Nil enim aliud quærit, quàm cursus, & insectationis voluptatem. Hac de causa monebat, lib. 12. ep. 14. Priscum, ne hac ductus voluptate præceps curreret eques,

Parcius vtaris moneo rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.

Ceruos igitur nō tā captu difficiles, nec qui cursu capiantur, & ideo non tantam adferant voluptatem, relinquas villico. Nam nisi sic intelligamus, inepta sententia esset, quod gratior caro cuiuscumque feræ

captæ, vel à villico poterat apponi Liciniano, nec relinqueret ceruos villico comedendos, sed captandos.

8 VICINA *in ipsum sylua descendet focum.*] Syluæ propinquitatem ad focum in felicitate numerat Poëta, epigr. 58. lib. 3.

Et larga festos lucet ad lares sylua.

Et epigr. 18. lib. 12.

Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus Iliceti.

De foco diximus infra epigrammate 93. n. 4.

9 FOCVM *Infante cinctum sordido.*] *Sordido infante,* id est incomto, quales fere rustici, vt infra epigrammate 56.

Sordidáque in paruis otia rebus amat.

Vocat autem *infantes sordidos,* discinctos & incomtos, vernulas. Sic lib. 4. epigr. 66.

Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.

Vbi *rusticam turbam* opponit delicatis è Græcia seruulis, vt hoc loco *infantes sordidos. Cinctum focum,* dixit, vt lib. 3. epigr. 58.

Cingunt serenum lactei focum vernæ.

Et Horatius lib. 1. Epod. ode 2.

Positósque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares.

Et Tibullus lib. 2. eleg. 1.

Tunc nitidus plenis confisus rusticus areis,
Ingeret ardenti grandia ligna foco.
Turbaque vernarum, Saturi bona signa coloni,
Ludit, & ex virgis extruet ante casas.

10 VOCABITVR *venator*] Alias legitur, *venabitur vocatus,* & meliùs: sed hoc sensu *vocatus,* idem est quod conuiua, supra epigrammate 48.

Bis tibi triceni fuimus Mancine vocati.

Vocandi enim verbo cenatorium est; vel absolutè positum, vt inf. lib. 2. epigrammate 37.

Cras te Caciliane non vocaui.

Et lib. 5. epig. 49.

Non cenat quoties nemo vocauit eum. Et epig. 51.
Ceno domi quoties, nisi te, Charopine, vocaui.

Vnde intelliges difficilem locum Horatij lib. 2. carm. od. vlt.

—— non ego pauperum
Sanguis parentum; non ego, quem vocat
Dilecte Macenas, obibo.

Vbi *quem vocas,* non est coniungendum cum *dilecte,* sed *dilecte Macenas*, coniunctum. id est, quem ô dilecte Mæcenas ad cenam soles vocare, vt lib. 1. sat. 6.

Nunc quia Macenas tibi sum conuictor.

Extat elegans locus apud Senecam, lib. 3. de benefic. c. 26. vbi, cum narrasset Paulum Prætorium virum liberatum à Maronis cuiusdam calumnia, diligentia, & fide serui sui, subiungit. *Si quis hunc seruum vocat, & illum conuiuam vocabit.* vbi verbum *vocabit* ambiguè positum, id est, vocabit conuiuam, cum inimicum, & calumniatorem vocare deberet: vel vocabit conuiuam, id est, ad conuiuium adducet. Inde dicebantur *vocatores,* serui, qui dominorum iussu amicos ad conuiuium cogebant, vt lib. 7. epigr. 85.

Iam dices mihi vapulet vocator.

Inde dicuntur *Vocationes,* inuitationes ad cœnam Catullus epigrammate 48.

— mei sodales Quærunt in triuijs vocationes?

Venabitur igitur conuiua, & hic conuiua non veniet tibi per vocatorem procul accersitus; sed à te ipso clamatus tua ipsius voce, & loco proximo, & inter cenandum ipsa tua mensa poterit venari, quemadmodum tu prandens *Voberta* feras, figere potes. ideò dicit *venabitur vocatus.* Nam alias poterat venari, etsi non esset conuiua tuus. Quid? quod epigrammate 44. supra citato, *vocati* illi sunt, qui iam discumbunt. & Suetonius in Caligula, cap. 39. *Comperterat,* inquit, *prouincialem locupletem ducenda HS. numerasse vocatoribus, vt per fallaciam conuiuio interponeretur: Nec tulerat moleste tam magno æstimari honorem cœnæ sua.* Seneca lib. 3. de ira, cap. 37. *Mimus honorato loco positus irasci cepisti conuiuatori, vocatori, ipsi qui tibi praferebatur.* & Plin. li. 35. cap. 10. *Vocatores suos ostendenti, vt diceret à quibus inuitatus.*

11 ET *veniet tibi.*] *Veniet* absolutè dictum ad cœnam significat, vt epig. 84. lib. 12.

Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus dicas tadia mille, veni.

Et epigramma 51. lib. 6.

Irascar, licet vsque voces, mittasque, rogésque.
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

Et lib. 8. epigr. 67.

Mane veni potius, nam cur te quinta moretur?
Aut cur non sero, Caciliane, venis?

12 OLIDÆQVE *vestes murice.*] Dibaphum male olere testatur, ep. 4. lib. 4. nam cum multa enumeret malè olentia, quibus tetrum Bassæ odorem assimiletur. *Quod bis,* inquit, *murice vellus inquinatum.* Teter autem odor proueniebat ex lotio, quo temperabatur purpura, testis est Plinius lib. 9. cap. 39. his verbis. *In conchyliata veste cetera eadem sine buccino, praterque ius temperatur aqua, pro inuiso humani potus excremento, dimidia & medicamina adduntur.* dixerat autem ante de tinctura purpuræ: vnde colligo in ea lotium indi solere. Ius autem appellat hoc loco, temperaturam illam tincturæ, quàmuis Budæus lib. 2. de asse, non *ius,* sed *vis* legat, quod non multum repugnabo: nam extrema verba eam lectionem adiuuat, *Sic igitur laudatus ille pallor saturitate frandata.* Ideo lingentem Philænem delectari vestibus murice tinctis scribit, non ductam colore, sed odore, quod is referat olidi illius barathri halitum lib. 9. ep. 63.

13 NON *rumpet altum pallidus somnum reus.*] Supra dixerat, *querulus cliens,* nunc autem *pallidus reus.* Diuersi hi sunt, nam cliens toto tempore patrono vtitur ad negotia sua; reus autem in ipsa *diu,* & causa. Eadem hæc duo coniunxit Seneca lib. de breuit. vitæ cap. 3. *Dic* (lege diu) *quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum Resp.* (lege omnino reus) *quantum cliens abstulerit.*

14 SED *mane totum dormies,*] Plin. Iunior lib. 7. ep. 3. *Quousque regnabis. Quousque vigilabis cum voles? dormies quamdiu voles?* & est locus communis frequens Martiali.

15 GRANDE, *& insanum Sophôs.*] De hac acclamatione vide supra epigr. 4. n. 8.

16 DVM *Sura laudatur tuus.*] Hunc Liciniam Suram suorum versuum laudatorem, & in Auentino monte ad Dianæ habitantem nominat, lib. 6. ep. 64. De quo etiam mentio, est apud Ælium Spartianum in Hadriano. erat causarum patronus, & Romæ agebat causas. Illud autem superiori versu *non superbus* non interpretor cum Radero, non ambies honores, & magistratus: Id enim, præterquam quòd alienum est ab eius verbi notione, ineptissimum est: Sed *non superbum* intelligo, non elatum, non fastosum, non ceteros contemnentem. Nam illi, qui se ab vrbibus, strepitus & occupationes negotiorum fugientes, in rura, & agros se contulerunt, non putant ceteros, qui in mediis aulis negotiis distenti remanserunt præ se homines esse. Ideò supra dixit,

Miserere tu felicium.

Id est, dole felicium vicem, qui securo tuo otio non possunt perfrui, non autem eos contemnas. Vltimum Distichon sic intellige. Quoad vsque aliquis ad iustam laudem, famam, & gloriam perueniat, non est à laboribus, & negotiis cessaturus: At verò cum eò peruenerit, relictis negotiis, iure suo reliquum vitæ tempus potest viuere; nec impudens iudicandus est, si, cùm iam totum vitæ tempus famæ vixerit, reliquum sibi viuat.

Iliad. v. μίστυλλόν τ' ἄρ' ἄλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

Iocus ex Homero in cocum. LI.

Si tibi Mistyllus cocus, Aemiliane, vocatur;
Dicetur quare non Taratalla mihi?

DOMITIVS.

Si *tibi Mistyllus*] Æmilianus coquum suum appellauerat Mistyllum, à μιστύλλω, quod est tenuiter incido: versus est Homeri in Iliad. *Cuius initium est*, μίστυλλόν τ' ἄρ' ἄλλα, quem locum ita transtulit Virgilius, *Pars in frusta secant.* Alludens igitur ad initium carminis Homeri, ait si tu appellas coquum Mistyllon, ego deinceps appellabo Taratalla, quod in carmine sequitur. *Secabant autem alia*, hoc, est, secabant in frusta alia. sed iocus est ex voce dictionum Homeri, quæ ita subsequuntur, Mystillon Taratalla. in Iliad. & Odyssea, idem est carmen.

RAMIR. DE PRADO.

Notissimvs iocus ex Homero; sed non est in cocum, vt in epigraphe scribitur, sed in Æmilianum eius dominum, qui Mistyllum vocauerat cocum, nõ alia causa, quam quod apud Homerum lib. 1. Iliad. legerat μίστυλλον τ' ἄρα τ' ἄλλα, id est, *secabant sane & alia.* & taxat Æmilianum, quòd non alia occasione ductus, hoc nomen indiderat coco, neque erat potior ratio cur primum illud Homeri verbum vsurpasset quam sequentia, quæ sunt τ' ἄρ' τ' ἄλλα, ex quibus confingit Martialis nomen, non minus sono ipso festiuum. quam μίστυλλον: nam nomina, quæ desumuntur à Græca lingua parcè ab ea in Latinam sunt detorquenda, id est, ad Latinam consuetudinem, cũ aliqua conuenienti ratione accommodanda, vt præcepit Horatius, bene Martiali notus, in arte.

Et noua fictaque nuper habebunt verba fidem: si
Græco fonte cadant parcè detorta.

Et hæc fuit huius loci occasio. Sed ego profectò Æmilianum potius existimo argutum hominem, & facetum fuisse, & non sine causa nomen imposuisse hoc coco suo: Nam quoties vocabat cocum suum, *Mistulle*, dicebat, qui erat vocandi casus nominis eius, & etiam imperantis vox verbi μιστύλλω, quo facetus esset iocus, vt quoties vocaret cocum, imperaret etiam vt secaret, vel scinderet obsonia. Est simile nomen apud Latinissimum Petronium in satyrico impositum scissori à Trimalcione, cuius authoris verba, quod aurea verè sint, vt cetera eius operis, libenter transcribam. *Non minus & Trimalcio eiusmodi methodo latus. Carpe*, inquit, *processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus lacerauit obsonium, vt putares Darium hydraule cantante pugnare. Ingerebat nihilominus Trimalcio lentissima voce, Carpe. Ego suspicatus ad aliquam vrbanitatem toties itera-*

A *tam vocem pertinere, non erubui eum, qui supra me accumbebat, hoc ipsum interrogare. At ille, qui sæpius eiusmodi ludos spectauerat, Vides, inquit, illum, obsonium carpit? Carpus vocatur, itaque quotiescumque dicit Carpe, eodem verbo & vocat & imperat.* Poterat igitur hic cocus Æmiliani, scissoris officio fungi, & eodem loco, quo Trimalcionis Carpus, quoties vocabatur, scindere iubebatur. Et acutè Martialis subsequentia, verba in vnum conflauit, vt cùm Mistyllus imperatus suo nomine cœpisset aliquod obsonium scindere *Taratalla* nomine, & alia item secare & carpere imperaretur. Nec mirum videatur cocum scissoris officio fungi, id enim colligere potes ex Ælio Lampridio in Heliogabalo, in nefandis eius pestis nuptiis, assumto Aurelio Zotico Smyrneo marito & Domino. Lampridij verba sunt, *Nupsit & coiit, vt & pronubum* (lego *pronubam*) *haberet, clamaretque, concide magire:* hic enim Zoticus, vt testatur Dio in

B excerptis, de artificio quod pater exercuerat, dictus est *magirus*, quæ vox cocum significat. Erant igitur ea verba, si sonum expectares imperantis coco vt scinderet obsonium, reapse autem imperabat præcidere, vel percidere: quæ omnia verba obscenæ notionis sunt, vt diximus ad lib. 2. ep. 72. n. 1. Colligo ergo coqui officium esse, etiam scindere obsonia: confirmari potest idem ex loco Iuuenalis, sat. 9. vers. 107. male accepto, quà ab interpunctione in hac editione vltima, quà ab interpretibus illum non intelligentibus. Iuuenalis verba sunt,

Quo tamen ad cantum Galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet, & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri Carptores.

Estque expungendum comma inter illa duo verba

C *Archimagiri. Carptores*, vt est in bono codice manuscripto, quem ego seruo, & in veteribus excussis. Erant enim *Magiri*, aliqui carptores, quos hic Archimagiros vocat, quod superioris, quam reliqui coqui, ordinis erant. vt in prægustatoribus, quorũ duo genera obseruo: alterum, quod ad mensam stabat: alterum genus eorum, qui in coquina residebant: & vtrumq; genus prægustatorum nomine vocabatur. Sic in Carptoribus venit, qui communi etiam cum coquis nomine appellabantur. Solebant etiam hi Archimagiri dominos monere de hora prandii vel cenæ, ex culina cui præerant: Sidonius Apollin. lib. 2. epist. 9. *Ecce & ab Archimagiro aduentat, qui tempus instare curandi corpora moneret. Quem quidem nuntium per spatia Clepsydræ horarum incrementa seruantem, probabat competentes ingressum, quinta digre-*

D *diens. Prandebamus breuiter*, &c.

Ad Leporem. LII.

Non facit ad sæuos ceruix, nisi prima, leones:
Quid fugis hos dentes ambitiose lepus?
Scilicet à magnis ad te descendere tauris,
Et, quæ non cernunt, frangere colla velint.
Desperanda tibi est ingentis gloria fati:
Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.

Idem Græcè.

Ωμοβόροισι λέουσ' οὐχ ἥρμοσε πλὴν μέγας αὐχήν.
Τίπτε καταπτώσσεις τούσδε, λαγωέ, δάκη;

Ἡ ῥ' ἀπὸ τῆς πλατάνου ἐπί σου καταβαίνεις ἔλσιν A

Κλεῖσαι, τὴν ὅσσοις οὐχ ὁρόωσι, δίφρον,

Γείναις ἀπόελπε μόρου κλέος· οὐ δυνάσαι γὰρ

Τύμπου ὑπ' ἀντιπάλου λιτὸν ἔλωρ θανέειν.

DOMITIVS.

Non *facit*] De lepore iterùm ambitioso, qui quærit laudem ex pugna cum Leone,

Non *facit*] Non conuenit, & placet.

Nisi *prima*] Id est, maxima. *Ingentis fati*, Id est, mortis à leone.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertuntur ad eundem ludum lepores iidem illi, de quibus epig. 7. 15. & 23. dictum est, quæ consule.

B

Quinctianum facit assertorem. LIII.

Commendo tibi, Quinctiane, nostros,
Nostros dicere si tamen libellos
Possim, quos recitat tuus poëta,
Si de seruitio graui queruntur,
Assertor venias, satisque præstes,
Et, cùm se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manúque missos.
Hoc si térque, quatérque clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

DOMITIVS.

Commendo] Ad Quintianum conqueritur de recitatione suorum carminum, qua Fidentinus volebat videri poëta, quem appellat plagiarium, qui liberos libellos, & emissos pro suis, tanquam seruos vendat. Plagiarius est, qui hominem liberum, pro seruo vendit cuius rei pœna erat sancita lege Fannia.

Præstes] Defendas, & tuearis, est verbum legis.

Plagiarto] Qui liberos libellos à nobis manumissos pro suis tenet, & quasi in seruitutem trahit.

RAMIR. DE PRADO.

Artificiosum epigramma est, & totum allegoricum; nam persistit ab initio ad finem in metaphora desumta ab assertione, & vindictâ libertatis: Rogatque Quintianum, vt plagiarium poetam, absque dubio Fidentinum, plagij reum faciat, quòd versus Martialis liberos iam, & à domino manumissos compingat in seruitutem.

1 Nostros *dicere si tamen libellos Possim, quos recitat tuus Poëta.*] Hæc correctio non eò pertinet, quò putat Raderus, quòd subrepta iure quidem nostra sint, re autem & vsu, furis, sed ad malam Fidentini recitationem, qua bonos, & pulchros Martialis versus, ita malè legendo deformaret, vt vix idem author suos agnosceret, vt dictum est supra epigrammate 39.

Sed malè cùm recitas, incipit esse tuus.

A 2 Assertor *venias.*] Notum est neminem posse de liberali causa agere sine assertore; & quemuis assertorem esse posse, qui in libertatis fauorem si semel causa cecidisset, iterum ac tertio poterat de eadem agere. L. 1. Cod. de assertore tollendo. & hæ actiones, assertiones persusoriæ vocabantur, auctore Iacobo Cujacio ad L. 13. ff. de excusationib. qui verè emendat Tranquillum in Domitiano, cap. 8. vbi legebatur, *Ne semper se persuasorijs assertionibus accommodarent.* Quam lectionem tenet mordicus Torrentius. Sed Cujacium sequitur Casaubonus. Quintil. lib. 5. cap. 2. Assertionem secundam, appellat secundam actionem in causa liberali, ad quam prima, vt præiudicium adsumitur, & cùm hæ assertiones ter quaterve fierent, ideò dixit,

Hoc si terque quaterque clamitaris.

3 Impones *plagiario pudorem.*] Id est, acclamatione tua plagiarius ipse pudore victus cedet. De crimine plagij, locus lippis & tonsoribus notus.

Ad Fidentinum. LIIII.

Vna est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura,
Quæ tua traducit manifesto[°] *carmina furto:* [° v. crimina. Ita Turneb. lib. 15. c. 24.]
Sic interpositus vitio contaminat vncto
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus:
Sic Aretina violant cristallina testa:
Sic niger, in ripis errat cum fortè Caystri,
C *Inter Ledæos ridetur coruus olores:*
Sic vbi multisona feruet sacer Atthide lucus,
Improba Cecropias[°] *effundit pica querelas.* [° v. offendit.]
Indice non opus est nostris, nec[°] *vindice libris.* [° v. Iudice.]
Stat contrà, dicitque tibi tua pagina, fur es.

DOMITIVS.

Vna *est in nostris*] Fidentinus insertis carminibus Mar. versus edebat, volebátque videri poëta, vt suprà. Ait autem poëta dignosci versus Fidentini, peiorésque videri vicinitate carminis Mart. quod per multas similitudines, & exempla ostendit.

D Signata] Quasi stigmate.

Domini] Quia versus tui cognoscuntur inter meos. nam peiores sunt: tractum ab opificibus, quorum opera, signo impresso, dominum profitentur.

Tradvcit] Accusat.

Bardocvcvllvs] Vestis erat Gallica, grossioris fili, facta compositione ex bardis, qui poëtæ sunt Gallicani, & Cucullo: Cucullus enim vestis grossior, capiti etiam tegẽdo apta. Bardi item dicuntur stulti apud Gallos, vt possis accipere Bardocucullum vestem Gallicam fuisse plebis, & viliorum hominum, vt in distichis.

Gallia Sanctonico vestit te Bardocucullo:
Cercopithecorum penula nuper erat.

Lingonicvs] Gallicus, nam Lingones sunt populi Galliæ.

Tyrianthina] Vestes pretiosissimi erant coloris: compositum est à Tyriis, quæ purpuræ e-

rant, & Ianthinus. Ianthinæ autem dicebantur violaceæ, vt vno verbo dixerat Mar. Tyrianthinas, quas Plin. purpura violacea tinctas scribit.

VRBICA *tyrianthina*] Id est, vrbanas vestes.

ARETINÆ *testa*] Aretium in Italia testis, Surrentum calycibus terram aptam habebant, vt Samus vasis cibariis, author est Plinius: alibi in distichis: *Aretina nimis spernas ne vasa monemus:*

Lautus erat Thuscis Porsena fictilibus.

SIC *ridetur*] vt deridentur tua carmina inter mea.

CAYSTER] Fluuius Asiæ, qui multas aues deferens præter Asiam paludem labitur, & Ephesum abluit, illic multi sunt cygni. Virg. *Atque Asia circum Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.*

LÆDEOS *olores*] Ledæos, quoniam Iupiter in forma cygni cum Leda concubuit. Papin. *Amyclæos* dixit: *Amyclæos ad frena citauit olores.*

QVÆRELAS *Ce.*] Philomelæ lugentis filium.

ATTHIDE] Philomela, quæ Atthica & tragœdia est apud Græcos Philoclis, cuius meminit Macrob. ea complexa Philomelę fabulam Atthis inscribitur, hoc est, Philomela filia Pandionis Atheniensis.

FERVET] Celebratur.

INDICE] Tu non eges accusatore aliquo, quoniam versus tui coniuncti meis indicant te furem, index conscius rei socios accusat, atque id clàm, accipitur nonnunquam pro delatore.

VINDICE] vindices qui vindicant, i. asserunt aliquem è seruitute, vt hic de carmine, quod Fidentinus pro suo possidebat, cùm esset liberum, vnde suprà Plagiarius est dictus.

RAMIR. DE PRADO.

Eundem Fidentinum plagiarium insectatur hoc epigrammate, qui furto subreptis carminibus Martialis aliqua addebat de suo, quò furtum dissimularet, cuius argumenti est epigramma 100. lib. 10.

1 QVÆ *tua traducis manifesto carmina furto.*] De notione verbi traducendi, vide multa supra epigr. 4. spectaculorum, n. 1.

2 SIC *interpositus vitio contaminat vncto.*] Inualuit hæc Turnebi emendatio lib. 23. cap. 25. sed magis arridet Raderi, qui legit (*villo*) potuitque facilè ex *villo* fieri *vilis*, quæ lectio est obsoletorum codicum. *Villo*, igitur, *vncto*, si legas, bellè congruit lectio sententiæ: Nam Lingonicus bardocucullus crassissimus erat longis villis, & sordidus oleo & interpositus purpureis, & hianthinis vestibus pexatis, & delicatissimi coloris, poterat suis sordibus eas inficere, & commaculare.

3 CECROPIAS *offendit pica querelas.*] Improba pica. id est, non probata ob cantum. vide quæ diximus ad epigr. 97. huius libri n. 3.

4 STAT *contra.*] Sic Seneca, *Conscientia stat contra.* & Iuuenal. sat. 3. vers. 290.

Stat contra, starique iubet, parere necesse est.

Metaphora desumta à subselliis iudiciorum, vbi patroni aduersi sedebant, accusator contra defensorem: & quando dicebat accusator stabat, notissimum id ex omni Antiquitate. Cicero prima oratione, quā pene puer pro Sexto Roscio Amer. habuit. *Credo ego vos iudices mirari quid sit, quòd cum tot summi oratores hominésque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim,* &c. Et in eadem oratione de Capitonibus, *quorum alterum in subselliis accusatorem sedere video.* *Stare*, igitur, *contrà*, est surrexisse, vel accusatorem, vel defensorem ad dicendum. Absoluta autem, vel accusatione, vel defensione, ius erat oratori sedere.

A Ideò postquam dixerat, finiebat hoc verbo *Dixi*: ne videretur sedere contra morem, antequàm absolueret orationem.

5 FVR *est.*] Formula intentionis eius, qui furti accusat. Persius sat. 1. vers. 99. *Fur es, ait Pedio.*

Deinde subiungit depulsionem Pædij, qui existimabat se omnino intentionem accusantis propulsare, si antithetis, & verborum aliis figuris vteretur. ideo dicit, *--Pedius quid? Crimina rasis Librat in antithetis, doctus posuisse figuras Laudatur.*

De amicorum iudicio. LV.

Si quid Fusce vacas adhuc amari:
Nam sunt hinc tibi, sunt & hinc amici,
B *Vnum, si superest locum rogamus.*
Nec me, quòd tibi sum nouus, recuses.
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tantùm inspice, qui nouus paratur,
An possit fieri vetus sodalis.

DOMITIVS.

SI *quid Fusce*] Puto ad Corn. Fuscum hoc scriptum epigramma: qui præfectus cohortium prætorianarum in Dacis occubuit, magna erat apud Dom. authoritate: alibi. *Ille sacri lateris custos, Martisque togati.* Et Iuuenal. *Qui vulturibus seruabat viscera Dacis.* Fuscum hunc rogat, vt se ascribat numero suorum amicorum, neque aspernetur quamuis nouus C sit, nam in parando amico inspiciendum est, non an sit nouus, sed an fieri possit vetus amicus, hoc est, an sit permansurus in fide: quasi velit indicare multos, qui Fuscum amare videbantur, sequi fortunam potiùs, quàm officium.

VNVM *locum*] In amicitia, in tanta amicorum multitudine.

SI *adhuc vacat amari*] Id est, si aliqua parte tibi locus vacuus est, vt ameris & à me.

HOC] Quia scilicet noui fuerunt.

RAMIR. DE PRADO.

Præfero veterem inscriptionem *ad Fuscum*, quamuis non erit absurdum, si vtramque coniungas. Est epigramma selectæ sententiæ desumtum ex libro Ciceronis de amicitia, qui nouas amicitias ita demum admittendas esse docet, si tanquam in herbis non fallentibus, in iis fructus appareat. Cetera perspi- D cua per se sunt.

Ad Frontonem de voto vitę suæ. LVI.

Vota tui breuiter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ Fronto, togæque decus:
Hoc petit, esse sui, nec magni, ruris arator,
Sordidáque in paruis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
*Et matutinum * portat ineptus aue:* * Vide Turneb. lib. 18. cap. 15.
Cui licet exigui nemoris rurisque beati
Ante focum plenas " explicuisse plagas? " expositas

Et piscem tremula salientem ducere seta,
Flauáque de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
Et sua non emtus præparat oua cinis?
Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto:
Viuat & vrbanis [*] *albus in officijs.*

[*] *Albus in officijs*] Vetus interpres Iuuen. ad illud, & Sat. 10. *Nunc ad frena Quiritem. In candida toga*, inquit, *officium facientem*. N. A.

DOMITIVS.

VOTA *tui*] Faustus Vrbanos damnat, laudans otium, infelicésque putat, qui vrbis tædia possunt ferre.

FRONTO] Huius meminit Tacitus, quem non modo Domit. temporibus, sed & Neronis, fuisse testatur, & apud Iuuen. *Frontonis platani.*

CLARVM *militia & toga*] i. Fronto vir præclarus, & domi, & foris.

VOTA] Hæc sunt, optat habere rus paruum, quod ipse amet. Iuuen.

Vitæ bibentis amans, & culti villicus horti.

OTIA *sordida.*] Carentia luxu, & splendore.

FRIGORA *saxi Spartani*] i. ædes potentiorum ornatas marmore laconico, quod & pretiosissimum, & viriditate cunctis hilarius, vt scribit Plin.

PICTA] Nam vena perinde ac pictura distinguitur marmor Laconicum, vel certè quoniam cùm Phrygio coniungebatur ad colorum, & picturæ varietatem. Papin.

Vixque locum Eurote viridi, quem regula longa
Symnada distinctam variat. Et Plin. 35.

natur. Histor. scribit inuentum etiam esse, vt marmora pingerentur, de quo is loquitur poëta, ita intelligens de omnibus ædibus potentiorum; potes & de porticu Octauiæ intelligere, in qua Batrachus & Saurus Lacones templa struxerunt magna spe, & vt eorum nominibus porticus dicaretur, quod non sũt assecuti, sed tamen se artifices fuisse declarantes, ranam, & lacertam in epistyliis sculpserunt: vt rana Græcè Batrachum indicaret, & lacerta Saurum.

AVE] i. summo mane salutat, nam Romani sũmo mane salutabantur à clientibus, & vilioribus personis. Iuuen. *Sollicitus, ne*

Tota salutatrix iam turba peregerit orbem.

QVISQVAM] Est ne aliquis, qui hæc præferat. id est, domos frigidissimas marmoribus.

CVI *licet*] Id est, qui potest.

CADO *rubro*] à calore testæ, & cadi in distichis.

Si spumet rubrâ conchis tibi pallida testa.

PINGVIS] Sine curis.

INÆQVALES *mensas*] Sine ordine.

ET *cui non emtus cinis*] i. focus non emtus, nam ligna emebantur, vt Iuuen. meminit. *Et panis, fumúsque domi.*

ALBVS] Sollicitus, & anxius, alibi timentem, & anxium dixit.

RAMIR. DE PRADO.

Communem locum de vita rustica, id est beata, & quieta, continet hoc epigramma, qui frequens est apud Martialem, & in quo multus est Horatius. Paucula in eo sunt quæ obseruatione indigeant. Scribit Poëta ad Frontonem, cuius meminit Iuuenal. sat. 1. vers. 10.

Frontonis platani, conuulsaque marmora clamant.

1 SORDIDAQVE *in paruo otia rebus amat.*] *Sordida otia*, incomta, sine cultu, & cura vrbana; Virgilii imitatione, qui ecloga 2. sordida appellat rura,

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere ceruos.

Quod expressit noster parodicῶς, lib. 10. ep. 96.

Et repetam satura sordida rura casa.

Sic *toga rara.* lib. 10. ep. 47. Eadem mente discincta otia appellat, Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 9.

Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus.

Vbi discincta est neglecto cultu, & sordido, vt diximus supra epigr. 50. n. 8. *Paruis rebus*, rusticas intelligit, quæ vrbanis vilescunt.

2 QVISQVAM *picta colit Spartani frigora saxi.*] *Picta frigora* per Metalepsim dixit pro *frigora saxi picti.* & eleganter *colit frigora*, irrisoriè de adulatoribus & matutinis salutatoribus, qui in atriis Laconico marmore crustatis, mane ambulabant expectantes intromitti salutatum, & deducere amicum magnum anteambulones. De his est elegans apud Papinium locus, lib. 1. Thebaid. vers. 144.

Et nondum crasso laquearia fulua metallo,
Montibus, aut alte Grayis effulta nitebant,
Atria, congestos vix explicitura clientes.

Quem desumere potuit à Virgilio, lib. 2. Georg. vers. 461.

Si non ingentem foribus domus alta superbis,
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam:
Nec varios inhiant pulchra testudine postes.

3 ET *matutinum portat ineptus aue.*] De salutatoribus communibus amicis multi loci. Sed quare hoc loco vocat *ineptum salutatorem*? an quia, vt Cicero de orat. dicit, *ineptus est qui se ostentat, & multus est in aliqua re.* Qui se magnis amicis ostentabant multi erant, quod intempestiua salutatione, & osculis vexabant potentes; aut quia per totam vrbem discurrebant, vt eleganter Manil. lib. 5.

Instar erit populi totaque habitabit in vrbe,
Limina peruolitans. ——

4 ANTE *focum plenas explicuisse plagas.*] Hunc locum sic intelligo. ante focum, quem vt supra epigr. 50. vicina sylua struxit, infante cinctum sordido explicare plagas alitibus vel leporibus aut cuniculis plenas, quas, vel ipse rure adducat; vel venator, aut auceps, quod quidem suauissimum est. Sic locutus est Virg. in voto Mopsi. eclog. 5.

Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho,
Ante focum si frigus erit, si messis in vmbra.

5 ET *piscem tremula salientem ducere seta.*] Ouid. Metamorph. fere eisdem verbis,

Et calamo salientes ducere pisces.

Pulchrè hanc piscandi voluptatem expressit, lib. 10. epigr. 30.

Nec seta longo quærit in mari prædam,
Sed à cubiculo, lectuloque iactatam
Spectatus altè lineam trahit piscis.

6 PINGVIS *inæquales onerat cui villica mensas.*] Tenuioris fortunæ homines mensas inæqualibus pedibus habebant: vide quæ notauimus ad lib. 2. ep. 43. n. 4.

7 VIVAT *& vrbanis albus in officijs.*] Ego aliter atque Lipsius, Domitius, & Turnebus, hunc locum expono. *Albus* enim intelligo in vmbra, & otio degens, vt lib. 10. epigr. 12.

Et venies albis non cognoscendus amicis.

Quod sequenti statim disticho exposuit,

Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

Nam qui rusticantur fusco colore sunt: qui vero in vrbe, & otio degunt albi: Sic lib. 3. epigr. 57.

Non

Non segnis albo pallet otio campo.

A *Albus*, igitur, ironicῶς dixit, quasi delicatus & pulcher, non denigrata facie viuat in vrbanis officiis id est, in illis salutationibus & anteambulationibus, quæ amicorum inferiorum officia sunt.

Ad Cauponem. LVII.

* Continuis vexata] Vide ep ad Ouid. lib. 9. Ep. 100. N. R.

Continuis vexata madet vindemia nimbis:
Non potes, vt cupias, vendere caupo merum.

DOMITIVS.

CONTINVIS] Hoc epigramma scripsit autumnali tempore inter multos imbres iocans, ait enim vinum ita iam mixtum esse, vt caupo, qui nunquam vendit merum, sed semper miscet, etiam si velit, non possit merum. i. purum vendere, expones ipse.

VT *cuperes*] i. etiam si cuperes vt alibi idem velit. i. si etiam velit, vel (quod magis placet) hoc distichon dicitur in cauponem Rauennatem, in quem alibi.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Rauenna,
Cùm peterem mixtum, vendidit ille merum.

ET subijciatur hoc distichon post illud: & insultet poëta cauponi, Qui iam non poterit vendere merum, vt cuperet.

RAMIR. DE PRADO.

Caupones quos malignos vocat Horatius sat. 5. lib. 1. insectantur Poëtæ veteres sæpe: eorum facetissimam irrisionem continet hoc epigrammata: quòd continuis imbribus madefacta vindemia, eorum auaritiæ fecerit satis, cùm non sit iis necesse aquam, vt solent, vino miscere. Est autem iocus ab ironia, *Non potes, vt cupias*, id est, quamuis cupias, *vendere merum*. Certum autem, nunquam cauponem id cupiturum. vinum autem collectum ex madenti vua aquam vocat, l. 9. ep. 100.

Centum Coranus amphoras aqua fecit.

Ad Flaccum LVIII.

Qualem Flacce velim, quæris, nolímue puellam?
Nolo nimis facilem, difficilémque nimis.
Illud quod medium est, atque inter vtrumque probamus,
Nec volo, quod cruciat, nec volo, quod satiat.

Πρὸς Φλάκκον. νη.

Οἵαν Φλάκκε θέλω ζητεῖς ἀθέλω τε κούρην.
Οὐ λῶ ἄγαν ἁπαλήν, οὔτ' ἄγαν χαλεπήν.
Ὅ,τι μέσον φίλον ἐστὶν ἐν ἀμφοτέροισι κελεύσαν.
Οὐ λῶ τειρόμενον, οὐδὲ κόρον κατέχον.

DOMITIVS.

QVALEM] Laudat mediocritatem, vult. enim puellam, quæ non sit nimis facilis, nec nimis difficilis.

CRVCIAT] Id est, retinendo me. ' v. De puero & Mangone.

RAMIR. DE PRADO.

Epigramma est eiusdem argumenti ac epigr. 38. lib. 4. ' Vide Budæum lib. 1. de asse.

Galla nega: satiatur Amor, nisi gaudia torquent,
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

Quod etiam dixit eodem lib. 4. epigr. 82. ' v. secum

Negare iussi, pernegare non iussi.

'De pueri pretio. LIX.

B *''Millia pro puero centũ me mango poposcit:*
Risi eo: sed Phœbus protinus illa dedit.
Hoc dolet, & queritur de me mea mentula ''mecum,
Laudatúrque meam Phœbus in inuidiam,
Sed sestertiolûm donauit mentula Phœbo
Bis decies; hoc da tu mihi, pluris emam.

DOMITIVS.

MILLIA *pro puero*] In Phœbum Draucum, qui conductus ad Hispidos rem fecerat, nuper emerat magno pretio puerum, quem Mar. ob æstimationis magnitudinem non ausus est mercari. C

MANGO] Mangones custodes & venditores puerorum à Græcis Hippocomi, ab equis tantùm ordinandis, nos Mangones à manu & ago. id est, polire, quod & rebus omnibus conuenit, & mangones faciunt, vt cariùs vendant. Plato in Gorgia. & Quintil. authores, vnde mangonizare expolire dicimus, & propriè in rebus, quas vendibiliores facere volumus. Plinius, fundum mangonizatum dixit: & Varro piscinas.

SED *Phœbus*] Et Phœbi cuiusdam liberti meminit Tacitus, sed alius hîc est.

HOC] Quod non emerim.

MECVM] Tacitè conqueritur.

IN *inuidiam meam*] i. meum contemptum, & D odium, verba Mar. ad mentulam.

DA *tu hoc*] Vt quidam xx. sextertia opera tua, vt ego pluris emam, quòd non erat benè mentulatus: poeta alibi;

Iam scio me nudum displicuisse tibi.

RAMIR. DE PRADO.

HOC epigrammate ingenuè fatetur Martialis pusillum esse pondus suum, de quo supra dictum est epigrammate 24. num. 1. ad hoc autem fingit lepidam narratiunculam de puero vænum ducto, pro quo centum millia nummum poscebat mango, & inducit expostulationem, quod eam pecuniam pro puero non enumerasset, quam Phœbus bene vasatus, protinus penderat: & purgat se Martialis respondens, quod pondus nihil sibi dedisset, quemadmodum Phœbo suum bis decies puero delargita.

1 LAVDATVR *meam Phœbus in inuidiam*.] Id est, vt ego inuideam, & contemnar, laudatur Phœbi liberalitas. A

2 SED *sestertiolum bis decies.*] *Sestertiolum* pro sestertiolorum patrij casus, ironicéque autem vsus in tam ingenti pecunia diminutiuo nomine.

3 DONAVIT *mentula Phœbo.*] Poëtæ Satyrici hunc communem locum copiosè tractant de mutoniatis, quibus vetulæ ingentem pecuniam testamentis legabant, corúmque noctes plurimi emebant. Iuuenal. sat. 1.

---qui testamenta merentur Noctibus.

Et paulò post,

Vnciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem,
Partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.

Vnde colligitur,non solum appeti ab impuris hisce vetulis mutones, sed etiam pusillas mentulas, quamuis non eodem pretio comparentur. Et non solum vetulæ hunc delectum faciebant, sed molles cynedi. B Idem Iuuenalis sat. 9. versu 33.

———nam si tibi sydera cessant
Nil faciet longi mensura incognita nerui.

4 HOC *da tu mihi.*] Id est, eandem pecuniæ summam mihi elargire, & formosum puerum pluris emam, quàm Phœbus. Ad hanc eandem querelam alludit, lib. 9, epigr. 3.

Et queritur de te mentula læsa nihil.

Id est, in nulla re à te læsa, sed voti compos in omnibus facta.

Ad Flaccum de sportula. LX.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centũ
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea C
Grylli:
Tam malè cùm cœnem, cur bene Flacce
lauor?

DOMITIVS.

DAT *Baiana*] Dabantur sportulæ à diuitibus cùm alijs clientibus, tum his, qui vnâ lauabantur, quas sustulit Domitia. & iussit non sportulam clientibus: sed cœnam eadem mensa dari. Suetonius in Domit. Sportulam publicam sustulit, reuocata cœnarum rectarum consuetudine. Nero autem sublatis cœnis, olim sportulam instituerat, sed scribente hæc poëta nondum Domit. eas sustulerat: sportula hæc ex bal- D neis centum quadrantes, sublatis sportulis balneorum, clamat Mart. præ lætitia.

Centum Miselli iam valet quadrantes
Anteambuloni congiarium lassi.
Quos balneator diuidebat Elixus,
Regis superbi sportulæ recesserunt.

SPORTVLA *Baiana*] Sportula quæ in balneis dabatur.

BAIANA] Quasi optima lauatione. Nam Baijs optimæ aquæ ad lauandum.

ISTA *fames*] Id est, centum quadrantes & parua ista sportula, quæ me non satiat esurientem.

INTER *delitias*] Inter delicatas lauationes.

LVPVS *& Gryllus*] Balnea habebant meritoria, & publica pauperibus accommodata.

RAMIR. DE PRADO.

Huius epigrammatis inscriptio futura fuisset, *ad Flaccum de secessu Baiano*: nam,vt ego existimo, cum aliquo potentiori Martialis secesserat in Baias, vbi sportula dabatur communis, id est, centum quadrantes, qui valent centum nostros marauatinos: ideò conqueritur, quòd exspectatio in eo secessu eũ forte fefellisset. Existimabat enim se excipiendum cena recta, & incidit in sportulam inter Baianas balneorum delicias, quam sportulam famem appellat, vt potentiores, qui eam diuidebant amicis famem vocat, epigr. 7. n. 3. lib. 3.

Quid cogitatis ô fames amicorum?

1 REDDE *Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli.*] Mauult male cum cenet, male lauari in balneis mercenariis & infamibus, qualia erant Lupi, & Grylli. Lupi balneum ventis infestabatur: Ideo id *Aeoliam* nominat, epigr. 14. lib. 2. quo eodem *tenebras* vocat Grylli, vt hoc loco *balnea tenebrosa*.

2 TAM *malè cum cœnem*, &c.] Malè cœnato nullæ sunt gratæ deliciæ, & vnguenti, epigr. 12. lib. 3.

Res salsa est, bene olere & esurire.

De lepore, & leone LXI.

Intres ampla licet torui lepus ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat,
Quod ruet in tergum, vel quos ° procumbet v. procumbet.
in armos,
Alta iuuencorum vulnera figet vbi?
Quid frustra nemorum dominum, regemq;
fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera.

Idem Græcè:

Εἰ καὶ χάσμα, λαγωὸς, εἰσδυίῃς εὐρὺ λέοντος,
Ἤδη ὁ θὴρ δοκέει τὸ στόμ' ἔρημον ἔχειν·
Εἰς τὸν ὀσφύος νῶτα, τίνων ἐπιδράξεται ὤμων,
Ποῦ βάθος ἐς ταύρων βάψῃ ὀδόντας ὅλους,
Τίπτε μάτην σκύλλεις δρυμῶν πρύτανιν καὶ
ἄνακτα,
Θῆρα γὰρ οὐκ ἄλλον βόσκεται, ἢ λογάδα.

DOMITIVS.

INTRES *ampla*] Id est, magna.

VACVO *dente*] Quia nihil haberet intra dentes; vt neque armos, neque tergum habeas in quæ ruat.

VBI *figet vulnera iuuencorum*] Id est, quia solet figere in iuuencis & tauris.

RAMIR. DE PRADO.

Absoluitur tandem hic jocus leporum & Leonum, hoc epigrammate, quamuis aliquid superest elegantissimo epigrammati sequenti 105. Sed ea omnia quæ in hoc continentur, lucent satis ex superioribus epigrammatis eiusdem argumenti. Nec aliquid habet hoc diuersum ab illis præter lasciuientis ingenij copiam.

Liciniano. Ad * Licianum, scriptores vnde. LXII. A

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est.
Censetur Apona Liuio suo tellus:
Stelláque, nec Flacco minus.
Apollodoro * *plaudit imbrifer Nilus,* (* gaudet.)
Nasone Peligni sonant,
Duósque Senecas, vnicúmque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent iocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te * *Liciane gloriabitur nostra,* (* al. Liciniane, vt potiùs.)
Nec me tacebit Bilbilis.

DOMITIVS.

Verona] Trimeter & dimeter iambicus, assignat suam patriam poëtis, vt Canium, Decianum, Licianum & se Hispanos celebret.

Docti *vatis*] Catulli.

Syllabas] Numeros & versus. Catullus Veronæ natus est, vt Eusebius. Ipse tamen dicit Sermionem peninsulam lacus Benaci in agro Veronensi esse sibi patriam. Virg. natus in Andeuicino, vt Euseb. testatur, iuxta Mantuam, vnde emendauimus deprauatum Silij carmen in octauo.

Mantua musarum domus, atque vbera cantu.

Euecta Andino, nam Achiuo & Aonio mendosè erat scriptum pro Andino, ita enim carmen Virgilianum Andinum dixit Sil. ab Ande patria poëtæ, vt Virg. *Chalcidicum Euphronis*, & *Siculum Theocriti cecis.*

Apponi] Apponum locus iuxta Patauium, vbi nunc balnea: meminit Hosti. Claudianus.

Censetvr] In pretio est, nam qui erant in censu, nobiles, qui non, ignobiles: vnde censeri, in pretio esse.

Stella] Non Parthenopeïus, vt quidam malè interpretati Papinium, aiunt: sed Patauinus poëta fuit. nam versus de Neapoli ad Violantillam refert Papi. quemadmodum docuimus, cùm siluas interpretaremur. *At te*, id est, Violantilla *nascentem gremio mea prima recepit Parthenope.*

Flacco] Valerio Flacco: alibi,

Flacce Antenoreis spes & alumne laris.

Apollodoro] Apollodori vj. fuerunt, primus Atheniensis Comicus: alter Gelosus, cuius comœdiæ erant Philadelphi Sisyphus: tertius Tarsensis tragicus: quartus Atheniensis. Item grammaticus discipulus Aristarchi: quintus Pergamenus rhetor, præceptor Calidij, & Augusti: & hic sextus, quem nominat Martia.

Nasone] Natus in Pelignis Naso. Item meminit alterius Corn. T.

Emerita] Augusta dicebatur oppidum Hispaniæ.

Bilbilis] Ciuitas in Celtiberia patria Martial.

GEORGIVS.

Emerita *Deciano*] Plin. citeriorem Hispaniam in conuentus tres diuidit, Emeritensem, Pacensem, & Scalabolitanum, in quibus essent coloniæ, municipia, & oppida veteris latij: Emeritámque coloniam fuisse, nec municipium, nec oppidum, quando hæc inter se plurimum differant. Dionys. verò tradit quo tempore Cæsar Augustus Cantabris, & Asturibus deuictis, in Italiam rediret, finito bello Cantabrico reliquisse milites, qui suprà ætatem forent, atque concessisse ipsis, vt in Lusitaniam Augustam Emeritam conderent, appellata à conditoribus & Augusto.

RAMIR. DE PRADO.

Licinianum Bilbilitanum Poëtam ciuem suum ad posteritatis, & gloriæ spem erigit hoc epigrammate, adducendis multis Poetis, & alus scriptoribus, qui patriam suam item gloriosam reddiderunt.

1 Verona *docti syllabas amat vatis.*] Doctum vatem appellat Catullum, & eodem epitheto ornat plerique, inter quos Tibullus lib. 3. eleg. 7.

Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.

B Existimo ab elaborata, & perfecta elocutione, & obseruatione diligentissima antiquitatis. *Syllabas* pro numeris poeticè posuit: nam per Synecdochen cùm constent numeri ex syllabis, syllabæ pro numeris rectè vsurpantur, & eodem tropo vocabula ipsa vocantur syllabæ. Cuius notionis ignoratio obscurissimum reddidit locum Plinij secundi, in initio præfationis in libros de rerum natura, qui locus quod sciam à nemine adhuc explicatus est, verba Plinij hæc sunt. *Namque tu solebas, Meas esse aliquid putare nugas, vt obiter emolliam Catullum conterraneum meum (agnoscis & hoc castrense verbum.) Ille enim vt scis, permutatis prioribus syllabis duriusculum se fecit, quam volebat existimari Veraniolis suis & Fabullis.* hæc ille: vbi illud, *permutatis prioribus syllabis* torsit multos, qui ad nescio quas antiquas scribendi rationes C confugerunt, vel ad numerorum, & pedum permutationem: corrumpentes apud Catullum hæc verba, à Plinio adducta existimantes non posse apud eum authorem sic legi, quod apud hunc emollita legantur. Sed mehercule nugas agunt. Hic enim *syllabis permutatis*, est, vocabulis permutatis. & illud *prioribus* poterat admonere Plinium non emolliuisse hæc verba Catulliana, sed alia, quæ initio præfationis permutata leguntur. Sic enim inquit. *Libros naturalis historiæ, nouitium Camœnis Quiritium tuorum opus*, vbi emolliuit Catullum, qui in eo epigrammate, quod hoc loco citat, primo scilicet omnium, sic ait,

Cui dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum.

Vbi pro *lepido nouo libello*, Plinius dixit *opus nouitium* quod seruile nomen modestius est, quam illud. *Arida modo pumice expolitum*, mollit Plinius his verbis, D *natum apud me proxima fœtura:* Hoc est Catullum emollire, id est modestioribus vti verbis, ac ille vsus fuerit. Dura enim est modestis auribus gloriosa sui iactãtia, & laus: vnde eodem sensu doctissimus poeta Ausonius ad Paulinum sic ait. *Dein non illud Catullianum, Cui dono lepidum nouum libellum: sed amusoteron* (lege omninò, μαλακώτερον) *& verius: cui dono illepidum rudem libellum*, vbi μαλακώτερον, vt verè emendat Scaliger, mollius significat: ex quibus summa lux accessit Plinij verbis in densissimis tenebris huc vsque sepultis. Syllabas verba significare manifestum ex L. 1. Cod. de formulis & impetrationib. subl. cuius verba sunt, *Iuris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes, cunctorum actibus radicitus amputentur.* vbi *aucupatione syllabarum*, intellige notationem conceptorum verborum, quibus formulæ continebantur, vt manifestè *ostenditur* ex L. in fraudem fisci 45. §. quoties 7. ff. de iur. fisci, vbi

manu commentariensis descripta, acta & formulæ litigatoribus traduntur, vt ad verbum proferantur: Quòd si quis aliter protulerit, cadit causa. Hinc in Scholis Iurisconsultorum tritum est sermone prouerbium, *Qui cadit à syllaba, cadit à causa.* quod veteres *excidere*, vel *cadere formulâ* dicebant, vt est apud Sueton. in Claudio, cap. 14. & apud Senecam, ep. 49. *Mus incipit*, &c. *Quid enim aliud agitis, cum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam vt formula cecidisse videatur*, & lib. 2. de Clementia, cap. 2. *Plura ponere est tutius, ne vna definitio parum rem comprehendat, & vt ita dicam, formula excidat.* Et apud Quintil. declamat. 260. *Sit tolerabile formulâ errare.* Quod Quintilianus nepos, lib. 7. cap. 3. sic protulit: *Nam etiam est periculosum, cum si gno in verbo sit erratum, tota causa cecidisse videamur.*

2 CENSETVR *Apona Liuio suo tellus.*] Verbum *censendi* eleganter à lustro ad alias res transfertur: sed fortè non capiunt omnes verbi vim. Censebantur illi, qui profitebantur apud Censores, nomen, genus, Tribum, vxorem, liberos: Sed propriè censebantur re familiari, & pecuniæ summa: Hæc enim propriè census vocabatur; vt census Equestris erat ad quadringenta millia nummum HS. Itaque dicebatur census quis, vel quadraginta, vel quinquaginta, vel alia summa: & vocabantur capite censi illi qui nullam pecuniam in censum referebant: pauperculi scilicet, & qui capita solum Reipublicæ offerebant, quos alio nomine *proletarios* appellabant, quòd ad prolem tantùm generandam vtiles viderentur. Cum igitur alicuius bona significare volebant, dicebant: *Hic censetur quadringentis, ille sexcentis*, & sic de aliis. Hinc natus est dicendi elegantissimus modus: *hic censetur virtute, ille censetur pulchritudine*: sic eleganter Manilius, lib. 1. de Cicerone,

—— & censu Tullius oris Emeritus cælum.

Id est, qui ob oris suauitatem, dignus est, qui in cœlum efferatur, vel viribus, vel alia quauis re. Quod Hispani elegantissimè multis modis efferimus hoc modo dicimus, *este haze cuerpo de hazienda de la Musica que sabe*, aut *este haze caudal de la Musica que sabe.* Ex his intelliges locum ex L. 1. de Iust. & Iure. ff. *Videmus etenim cetera quoque animalia istius iuris peritia censeri.* Quæ verba transtulit Iustinianus in suas Institutiones titulo de Iure natur. gent. & ciu. §. 1. Vbi nomen illud *peritia* est retinendum, nec imperitè transmutandum in *perita.* Significat enim non solùm homines huius iuris cognitionem in censum referre posse, verumetiam cetera animalia. Quod perspicuè Theophilus in paraphrasi institutionum explicat his verbis, ὁρῶμεν γὰρ, οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ ζῶα ἐν τοῖς ἡμῖν τὸν νόμον ἀναγεγραμμένα. Eadem formula dixit Vlpianus in L. 1. ff. ad muncipal. & de incol. *nisi fortè priuilegio aliquo materna origo censeatur.* Est pulcherrimus locus apud Senecam, epist. 77. incipit Inimicitias: *In cane*, inquit, *sagacitas prima est, si inuestigare debet feras: cursus, si consequi, audacia, si mordere & inuadere. Id in quoque optimum est* (legerim ex v. c. optimum esse debet) *cui nascitur, quo censetur.*

3 IMBRIFER *Nilus.*] Non erat quod ambitiosè hoc loco Raderus ἀπορίαν proponeret, cur imbrifer vocaretur Nilus, cùm omnium scriptorum consensu, aut numquam, aut rarò imbres cadant in Ægypto. nam satis per se epitheton illud *imbrifer* Nilo adiunctum, significat Nilum imbrium vice fungi in Ægypto. Quid? quod notissimæ illæ Nili inundationes imbres appellantur à bonis authoribus. Ouid. lib. 2. de arte, vers. 648.

Dicitur Aegyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atque annis sicca fuisse nouem.

Vbi libenter legerem rigantibus, vt quamuis vocet imbres: in epitheto tamen *rigantibus* satis notet fluminis illius inundationem.

4 DVOSQVE *Senecas vnicumque Lucanum.*] Hi sunt tres domo Cordubenses, duos Senecas, Declamatorem, cuius extant excerpta controuersiarum inter opera Senecæ philosophi excussa: & ipse Philosophus eius nepos: & Lucanus nepos Philosophi. Illud autem,

Et docti Seneca ter numeranda domus.

Lib. 4. epigr. 40. quamuis ingeniosè posset ad hos tres ex eadem domo detorqueri. Ego existimo illud, *ter numeranda*, significare multum numeranda & celebranda, vt suo loco dicemus.

B 5 GAVDENT *iocosæ Canio suo Gades.*] Caue putes cum Radero *iocosas Gades* dici, quòd Canius iocosus esset; nam quamuis talis erat Canius, vt constat ex epigr. 70. huius libri, & epigr. 20. lib. 3. & aliis: non tamen Canius faceret iocosas Gades, sed ipsæ eædem iocosæ erant suâ naturâ, quarum ciues choreis & saltationibus mirè dediti erant, vt dictum est ad illud,

Quod de Gadibus improbis magister. epigr. 42.

5 NEC *me tacebit Bilbilis.*] Modestè vsus est figura *Litote*, quòd de se diceret. Est autem in hoc epigrammate mira varietas, & còpia, quam poteris per te ipse expendere. *Veronam* dixit *amare vatis sui carmina*, quòd Veronenses deditissimi Catullo fuêre. *Mantuam felicem Marone* dicit, quòd ab eodem Poëta ob agrorum diuisionem infelix fuerat dicta,

C *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.*

Aponam tellurem. i. Patauium *censeri* dicit *Liuio Historico, Stella, & Valerio Flacco Poetis.* nec caret hoc amplificationis artificio: nam cum Patauium vrbs esset agrorum fertilitate, & rerum omnium felicissimo prouentu ditissima, non censetur bonis, & copiis suis: sed his tantum scriptoribus, quibus se feliciorem existimat, quàm diuitiis suis.

Nilum, id est, Ægyptum *plaudere* dicit, quòd ea gens plausibus dedita esset sistrorum, & crepitaculorum, quibus sonitibus comitabantur Isidem Deam, vt est apud Ouid. 10. Metam.

Te Dea, te quondam, tuaque hæc insignia vidi,
Cunctáque cognoui, sonitum comitésque facésque
Sistrorum. --- Et Tibullus ad Deliam,
Quid tua nunc Isis mihi Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu.

D Eodem plausu excipiebant etiam nobiles viros ad se venientes. Vnde Statius lib. 3. syluarum in Propemptico *Metij Celeris.*

Nunc Regina Phari numenque Orientis anheli
Excipe multi sono puppem Mareotida sistro.

Pelignos Synecdochicῶς Sulmonem. *Sonare* dicit *Nasone* quod totus ille tractus irriguus sit, & multis aquarum canalibus, & fluuiis defluentibus vndique sonet, ad quorum littora Nasonis carmina sonabant, vt etiam est apud Virgilium de Hyla ecloga 6. vers. 44.

— Hylam nautæ, quo fonte relictum
Clamassent, & littus Hyla, Hyla omne sonaret.

Nam in ripis quoties clamatur repercussus in

plana aquæ superficie sonus ad aures redditur maior. A

Cordubam facundam appellat, quòd solum illud sua natura semper Poetas produxit, qui, quamuis Latinis authoribus non vsquequaque satisfacerent, erant tamen Poetæ. Nec de Senecis, & Lucanis intelligas: nam multis ante seculis erant ibi Poëtæ, vt constat ex Cicerone in Orat. pro Archia, *qui* (inquit de Metello Pio) *vsque eò de suis rebus scribi cuperet, vt etiam Cordubæ natis Poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet*: cumque facundiæ proprium sit loqui, ideò dixit, loquitur Seneca.

Gades iocosas vocat, qua diximus de causa. Ideò adiungit *gaudent*, quòd iocis gaudeamus: quibus subiungit, *Ameritam gaudentem* etiam *Deciano* ob gentis similitudinem, cùm in eadem Hispania ambæ vrbes sint.

Bilbilim gloriari Liciniano dicit, quod Celtiberi natura gloriosi sint & elati. Hæc placuit animaduertere, vt obserues quanta cum cura, & diligentia scribebantur hæc à veteribus, & quàm meritò maximi fiebant suo tempore, & nunc à doctis fiunt. B

De Læuina casta, & ad Baias adultera. LXIII.

Casta, nec antiquis cedens Læuina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa viro.
Dum modò Lucrino, modò se permittit Auerno,
Et dum Baianis sæpè fouetur aquis:
Incidit in flammas, iuuenémq; secuta, relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.* C

*v. Thymele.

Idem Græcè.

Σώφρων, οὐδὲ πάλαι σεμναῖς εἴκουσα Σαβίναις
Λαβίνη, στρυφνοῦ τ' ἀνδρὸς ἀτεγκτοτέρη,
Συχνάκι Λυκρίνῳ, καὶ Ἀόρνῳ ἐνεψιόωσα,
Καὶ θερμοῖς Βαιῶν ὕδασι θαλπομένη,
Ξείνῳ ἔρωτι δάμη, τὸν τ' ἀνδρα λιποῦσα, νέῳ μὲν
Ἕσπετο· Πηνελόπη δ' ἦλθεν, ἀπῆλθ' Ἑλένη. D

DOMITIVS.

CASTA *nec Lauina*] Venerat castissima vxor, sed dum vagatur modò Bais, modò ad Lucrinum, in adulteri amorem incidit, quem secuta est, relicto coniuge: ait ergo poëta Læuinam venisse castissimam, sed abiisse meretricem, atque ita ridet vrbis mores, quos Satyra insectatur Iuuen. vbi ait. Et rusticam mulierem theatralibus ludis facilè corrumpi posse. Sabinæ, & Patauinæ mulieres habitæ sunt exempla castitatis, de Patauinis, Plinius in epist. Penelope vxor Vlyssis, quæ castissima, cuius pudicitia à procis non potuit corrumpi.

HELENE] Meretrix.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma per se satis lucet, & ad id commentarij libri permulta: tantùm locum Senecæ de luxuria Baijs legibus soluta apponam. Est epist. 52. his verbis. *Itaque de secessu cogitans numquam Canopum elidet* (lego *eliget*, vt paulò post) *Non tantum corpori sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus) quamuis neminem Canopus esse frugi vetet: Nec Baias quidem quæ diuersorium vitiorum esse ceperunt*, &c.

Ad Celerem LXIV.

Vt recitem tibi nostra rogas epigrammata. nolo.
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

RAMIR. DE PRADO.

Perstringit Celerem Poetam ob nimiam recitandi cupiditatem, qui subinde rogabat Martialem, vt ei aliquid recitaret, quò posset occasionem sumere suorum recitandorum. *Non audire*, scilicet nostra: *Sed recitare*, scilicet tua. Similem sententiam habes, lib. 5. epigr. 74. & lib. 7. epigr. 2.

Ad Fabullam ambitiosam. LXV.

Bella es, nouimus: & puella, verum est:
Et diues, quis enim potest negare?
Sed dum te nimium Fabulla laudas,
Nec diues, neque bella, nec puella es.

RAMIR. DE PRADO.

Gloriosam Fabullam reprehendit hoc epigrammate, quòd se nimium laudaret à forma, ab ætate, & à fortunis. Sed hæc omnia videbatur sibi adimere nimia illa iactantia, & prædicatione. De hac eadem fortè est epigr. 79. lib. 8. De nomine *bella* supra epigr. 10.

Ad Cæcilianum, de genere & declinatione ficus. LXVI.

Cùm dixi, ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos, Cæciliane, iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

DOMITIVS.

CVM *dixi ficus*] Ostendit ficum duo significare, & morbum, qui nascitur ex nimio pruritu, & fructum, sed tantùm genere differre, quoniam pro fructu sit generis fœminini, pro morbo masculini. Hoc epigrammate vtitur testimonio Prisci. licet à nostris redarguatur.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma est Grãmaticis crux, ideo fœdata ab iis Epigraphe, additis ineptis verbis, *De genere*

& declinatione ficus, quæ omnino expungenda sunt. Res sic se habet. Ficus feminini generis, secundæ & quartæ declinationis, promiscuè significat & arborem, & fructum eiusdem arboris, vt bene probat Laurentius Valla, cap. 4. lib. 1. elegantiarum: Sed ficus secundæ declinationis pro morbo nescitur cuius sit generis. Nam ex hoc epigrammate non potest constare in quo nulla huius morbi mentio, vt liquet ex sequentibus.

Cæcilianus irrisit Martialem quod ficus quarta declinatione protulisset, existimans esse tantum secundæ: ideò dicit,

——rides quasi barbara verba,
Et dici ficos, Cæciliane iubes.

Cui Martialis respondet, & arborem & fructum esse posse quartæ declinationis,

Dicemus, inquit, *ficus quas scimus in arbore nasci*;
Dicemus ficus, Cæciliane, tuos.

Sic enim omnino legendum est, non *ficos*, vt ostenderet iterata voce perperam *ficus* à Cæciliano reprehendi. Vltimus hic versus non est ab aliquo (quod sciam) intellectus, quamuis à Galeoto Martio aliquid dictum est, quem perperam, & Ascensius, & Theodoricus Vallæ expositores reprehendunt. Verus sensus hic est, *Tuos*, id est, familiam tuam dicemus *ficus*, quod ficosi omnes sint. Qua turpitudine notauit aliam familiam, lib. 7. epigr. 70.

Ficosa est vxor, &c.

Sed *ficum* appellari ficosum hominem probat, epigr. 52. lib. 4.

Gestari iunctis nisi desinis, Aedile, capris:
Qui modo ficus eras, iam Caprificus eris.

Et lib. 12. epigr. 33.

Vt pueros emeret Labienus vendidit hortos,
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

In illo *ficum* appellat Ædilum quod ficosus esset, in hoc *ficetum* appellat puerorum familiam, quorum quisque *ficus* erat, id est ficosus. Constat igitur decepi Grammaticos qui ficum pro morbo ex hoc loco nobis obtrudunt *generis masculini*.

Ad furem de libro suo. LXVII.

Erras, meorum fur auare librorum,
Fieri poëtam posse qui putas tanti
Scriptura, quanti constat, & tomus vilis.
Non sex paratur, aut decem sophôs nummis.
Secreta quære carmina, & rudes curas,
"Quas nouit vnus, scriniòque signatas — Tomi] Nomenclatore vide.
Custodit ipse virginis pater chartæ,
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest liber notus.
Sed pumicata fronte, si quis est nondum,
Nec" vmbilicis cultus, atque membrana: — "Vmbili.
*Mercare tales ab eo, * nec sciet quisquam.*
Aliena quisquis recitat, & quærit famam;
Non emere librum, sed silentium debet.

DOMITIVS.

ERRAS] In Celerem & Fidentinum hoc potest dictum videri, quorum vterque poëtæ carmina pro suis vsurpabat, vt suprà questus est poëta.

TOMVS] Grossior papyrus est, vt & ex lino vel farciendum tomentum appellamus, cùm enim conficeretur papyrus, deligebantur subtiliores partes, quæ pretiosæ, modò Augustanæ, modò Fanianæ, modo aliter dictæ sunt, grossiores partes abscissas tomos appellabant, nam τέμνω Latinè incido.

SOPHOS] Laus doctrinæ, nam Græci doctum eo verbo laudant, σοφὸς, id est, doctus: hanc vocem neutro genere protulit Martial.

QVÆRE *carmina secreta.*] Quæ non cognoscuntur mea, nam deprehenderis.

CVRAS *rudes.*] Id est, nouos versus.

PATER *chartæ virginis.*] Id est, author. Charta virgo dicebatur, quæ nondum edita erat, vt & virgo quæ nondum peperit.

CHARTÆ *virginis*] i. noui libelli nondum editi.

MENTO *duro*] Hoc alibi Martialis, vbi indicat chartam, quæ à frequenti lectore habetur in manibus horridam fieri mento: hoc est fieri pilosam, & barbatam, dum vsu atteritur. In distichis.

Ne toga barbatos faciat vel penula libros.

QVÆ *nondum inhorruit mento*] i. quæ nondum vsu attrita barbam emisit, nam horrere pilis dicimus, & horrere mento, i. emittere barbam.

RAMIR. DE PRADO.

Inuehitur in plagiarium suorum librorum, qui existimabat Poëtam fieri posse recitandis pro suis carminibus Martialis: monetque, vt quæ nondum ipse vulgauerat, emat, quamuis maiori pretio, si velit sua furta non deprehendi.

1 FVR *auare.*] Non vocat auarum ob furtum librorum, non enim eos hic furabatur; sed nomen Poëtæ volebat acquirere vili pretio, quanti scilicet emebantur epigrammata libelli, ideò auarum vocat.

2 TOMVS *vilis*] Non est quod Merulam in Domitium, & Vitellium in Merulam audias, obtundent enim nihil intelligendo. *Volumen* de quouis libro dicitur, tracto nomine à more prisco. Solebant enim scripta vna facie in chartis, vel membranis exarari, deinde in spiram colligebantur, inde à voluendo dictum est *volumen*, quod nomen retentum deinde in libris aliter conglutinatis. *Tomus* à verbo τέμνω dicitur, id est pars, vel frustum abscisum à maiori corpore, quæ quidem pars si inuolueretur, in spiram vocari posset volumen. Itaque potest aliquod esse volumen, & tomus; quando propter amplitudinem librorum in aliquot volumina eos diuidimus, vt inquit Plin. in epistolis. *Libri tres in sex volumina propter amplitudinem diuisi.* Sic liber primus Bibliothecę Diodori Siculi *duobus voluminibus* constat, quæ Diodorus ipse τμήματα & μερίδας vocat. Potestque esse volumen, & non tomus, vt si sex Persij satyras in vnum volumen redigas, erit volumen, & non tomus, cum integrum opus, & non abscissum contineat. essèque potest tomus, & non volumen, propriè sumptum, id est, non inuolutum vt volumen, sed conglutinatum vt libri nostri. Hac diuisione dirimes Grammaticorum prælia. *Vilis* hoc loco parui pretij significat, vt diximus in epistola ad illud: *At mihi fama vilius constet.* n. 3.

3 NON *sex paratur, aut decem Sophos nummis.*] Id est tanti, quanti constant libelli mei. De acclamatione recitantium dictum est satis ad epigramm. 3. huius libri.

4 SECRETA *quære carmina.*] Proprie hoc loco ponitur hoc nomen *secreta*, id est, separata ab omni-

bus alijs, quæ vulgata iam sunt; à ſecernendo ducto vocabulo, à quo ducitur etiam & ſcrinium, de quo ſequenti verſu.

5 Et *rudes curas.*] egregiè hîc ſe ridendum propinauit Raderus. exiſtimauit enim, *rudes curas*, eſſe carmina impolita, qualia prodire poterant ab authore rudi, & ignaro. Sed os hominis! qui elegantiſſimum Poëtam, & acutiſſimum ſæpe facit ineptum. Accipe verum ſenſum. *Rudes curas* dixit, ob excellentem metaphoram, qua ſequenti verſu vſus eſt, cùm appellat *chartam virginem*, Virgines enim, & puellas viro immaturas, vel nondum virum paſſas, rudes appellabant, vt lib. 7. ep. 94.

Hoc me frigore baſiet nec vxor,
Blandis filia nec rudis labellis.

Propertius item, epigr. 3 lib. 4.

Hacne marita fides, & pactæ ſunt mihi noctes,
Cum rudis vrgenti brachia victa dedi?

rudem filiam appellat virgunculam, & lib. 7. epigr. 30. rudem coitu hœdum, dicit *fœtum rudem querulæ capellæ*, & lib. etiam 9. epigr. 73.

Concordem ſociat, ſed rudis agna feram.

Et lib. 6. epigr. 42.

Nec fontes Aponi rudes puellis.

fontes rudes ſcribit, id eſt, intactos à puellis, quia in illis fęminæ lauari non poterant. Et Ouid. in epiſtolis. *Et rudis ad partus, & noua miles eram.*

Rudes igitur curas, id eſt, ea carmina quæ nondum in vulgus prodiere.

6 Qvas *nouit vnus.*] Ludit in voce *nouit*, cùm de virginibus loqueretur. Nouit enim eas vnus pater, nec adhuc vir eas nouit.

7 Scrinioqve *ſignatas.*] de ſcrinijs, ſupra ad epigr. 3. n. 4. *Signatas*, id eſt clauſas & diligenter cuſtoditas. nam quamuis reapſe, quæ diligenti cuſtodiæ commendabantur, ſignabantur annulo ſignatorio, nihilominus tamen, quæ ſimpliciter claui tantũ claudebantur, dicebantur, ſignata: & claues ſignare Plinius, lib. 33. cap. 1. *Nunc rapiendæ comparantur epulæ, pariterque, qui rapiant eas, & claues quoque ipſas, ſignaſſe non eſt ſatis.* Sic noſter epig. 79. lib. 14. de flagris.

Ludite laſciui, ſed tantum ludite ſerui,
Hæc ſignata mihi quinque diebus erunt.

Id eſt, clauſa, & cum cura cuſtodita. vt videre eſt in l. cum pater, 77. §. pater plurib. ff. de legat. 2. vbi ſic legitur, *Pater pluribus filijs heredibus inſtitutis, moriens claues, & annulum, cuſtodiæ cauſa, maiori natu filiæ tradidit. & liberto eidem filiæ, qui præſens erat, res, quas ſub cura ſua habuit, adſignare iuſſit.* &c. vbi illud *adſignare iuſſit*, interpretatur doctiſsimus Cuiacius, verè, annulo obſignatas præbere adſeruandas Sed elegantiam Poëtæ eſt operæ pretium obſeruare: nam *ſignatas* curas, idem eſt quod virgines. Patet ex Lucilio lib. 29. ſatyrarum. *Primum Chryſi cùm negat ſignatam reddere*, Quod fragmentum eſt apud Nonium c. 2. verbo *ſignatam. Signatam*, inquit, *integram virginem vetuſtas voluit dicere.* Plautus, *Tam à me pudica eſt quam ſi ſoror ſiet, & ſignata virgo.* Cùm igitur chartam vocaturus eſſet virginem, copiæ, & varietatis rationem habens, *ſignatas* dixit *curas*, & etiam luſit in verbi ambiguitate, *ſignatas*, id eſt, clauſas: *ſignatas*, id eſt virgines.

8 Virginis *pater chartæ.*] Virgines curæ virgini chartæ committendæ erant. *Virginem chartam* vocat, quæ nondum in manum viri alicuius conuenerat, quamuis Marcellus Empiricus, cap. 8. *chartam virginem* appellet eam, in qua nihil ſcriptum ſit. & & eandem Vlpianus in lib. 52. §. 4. ff. de leg. 3. *puram* vocat, quo epitheto vſus eſt Ouidius, ſignificare volens chartam, in qua occultæ notæ ſcriptæ eſſent, quæ viſu non perciperentur lib. 3. de arte amandi, verſ. 629. his verbis.

Fallit & humiduli quæ fiet acumine lini,
Et feret occultas pura tabella notas.

Hac eadem ratione, *togam puram* Romani dicebant eam, quæ non erat prætexta, & apud Ælium Lampridium *pura mantilia* dicuntur, quæ non erant clauata.

9 Pater.] Id eſt, carminum author, id autem more Græco, nam cum non habeant vocem vllam Græci, quâ authorem alicuius ſcripti dicant, patrem appellant, vt in epitome Athenæi, initio ſtatim Α-θήναιος μὲν ὁ τῆς βίβλου πατὴρ & eſt phraſis Hebraica: אב enim patrem, & authorem cuiuſque rei ſignificat. Et perſeuerat in eleganti metaphora: nam patres, nubiles filias cuſtodiunt, quoad vſque maritentur.

10 Qvæ *trita duro non inhorruit mento.*] Facilè interpreteris verſum hunc ſecutus Domitium, & vulgarem interpretationem. *Duro mento*, aiunt, id eſt barba. nam cùm libri ſinu vel manibus tenentur, ſolent chartæ ſordida quadam lanugine inhorrere. Adiuuat hanc interpretationem epigramma 84. lib. 14. vbi de manuali ſic inquit,

Nec toga barbatos faciat vel penula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Vides hic *barbatos libros*, fieri attritu veſtium, quo villi quidam & pili ſolent innaſci chartis. Sed hoc loco alia omnino lucet ſententia. *Charta*, inquit, *quæ non inhorruit*, id eſt nondum ſordidata fuit mento duro, id eſt mento, & barba lectoris. Nam cum Romani ferè omnes barbam raderent, mentum durum appellauit raſam barbam, quæ tamen breuiſsimis pilis ſubeuntibus, dura & aſpera eſſet. Eſt autem hoc commune omnibus, qui libellos exiguos in manu tenent, vel lectione feſsi, vel aliqua cura ſuſpenſi nata, vel ex lectione, vel ex alia re, libellum mento applicent, quò fit, vt ſordeſcat. Conceptis verbis id dicit Poëta, lib. 10. epigr. 93.

Vt roſa delectat, metitur quæ pollice primo,
Sic noua nec mento ſordida charta iuuat.

Vbi loquebatur de carminibus nondum vulgatis, ſed recens cultis toga purpurea. Eſtque elegans ſimilitudo: nam quemadmodum roſa, quæ primo, id eſt recens metitur pollice, neque adhuc naribus admota eſt, ita vt flaccęſcat: ſic charta noua, & recens, quæ nondum mento applicita fuit, iuuat, & delectat.

11 Mvtare *dominum non poteſt liber notus.*] Alluſit ad plagiarios, qui alienos ſeruos, vel nouitios, vel non notos, ſupprimebant; & quemadmodum ſeruus notus non poterat latere, quouis obuio eum cognoſcente; ſic liber notus non poteſt mutare Dominum, id eſt auctorem.

12 Nec *vmbilicus cultus.*] Vmbilici per Synecdochen cornua ſignificant: nam vnum volumen vnicũ habebat vmbilicum, & duo cornua: quòd vt ſemel intelligas, nec tranſuerſum ducant interpretes, memineris quid ſupra diximus eſſe volumen, quod cum complicabatur in ſpiram in medio, ita vt chartæ extrema æquaret, caudex quidam, vel rotundum lignum inſtar oſtorij, ponebatur, ſuper quod facilius membranæ inuoluerentur. quibus in volumen complicatis in medio vtrinque apparebat lignum illud, & ideo dicebatur, ſimilitudine quadam, vmbilicus: & cum is non aſſueretur membranis, niſi opere iam abſoluto, hinc natum prouerbium, *Ad vmbilicum perducere*, id eſt abſoluere librum. Et cum capita il-

lius caudicis, ex vtraque parte paululùm prominerent, solebant affigi his rotunda quædam capitula cornea, ossea, vel eburnea, ornatus causâ, quæ plerumque coloribus pingebantur. Hæc capitula *Cornua* vocabantur. Ouid. 1. trist. eleg. 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Vocabantur autem voluminis *frontes*, extremitates complicatæ in orbem membranæ, in quarum medio erant cornua, & quodque volumen duas habebat frontes, vt idem author versu sequenti docet.

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes.

Solebant enim extremitates illæ æquari pumice, vt supra dixit, *pumicata fronte*, & idem epig. 118.

Rasum pumice.----

Et lib. 4. 10. & vulgarum illud Catulli.

Arida modo pumice expolitum.

Ab hoc vmbilico, qui, vt dixi, caudex erat rotundus, & in quoque volumine vnicus erat dicuntur volumina, *Codices*: nam caudex, & codex; vt aula, & olla; Claudius; idem sunt. Quoties igitur vmbilici, numero multitudinis, de vnico libro dicuntur, intellige cornua, quę, quod in medio apparerent, vmbilici vocabantur; & quod in fronte cornua. Sic hoc loco, & lib. 3. epigr. 2.

Et frontis gemino decens honore.
Pictis luxurieris vmbilicis. Et lib. 4. 91.
Iam peruenimus vsque ad vmbilicos.

Et lib. 5. ep. 6.

Nigris pagina creuit vmbilicis.

Et lib. 8. ep. 61.

Nec vmbilicis quod decorus, & cedro.

At contrà vmbilici numero multitudinis, per eandem synecdochen pro vmbilico & caudice, interiori sumsit dicto, lib. 5 epigr. 6. dum scribit creuisse paginam, id est, volumen nigris vmbilicis, id est nigro caudice: quod idem absque tropo numero singulari expressit lib. 2. epigr. 6.

Quid prodest mihi tam macer libellus,
Nullo crassior vt sit vmbilico.

Id est, tam breui, & charta membrana scriptus, vt non potuerit ei caudex vllus, & vmbilicus adaptari.

Ad Chœrilum. LXVIII.

Liber homo es nimium dicis mihi Chœrile semper,
In te qui dicit Chœrile, liber homo est.

DOMITIVS.

LIBER] Liber significat hominem liberi animi, qui nemini parcit, & liber significat hominem sine negocijs. Hac verbi allusione deridet Chœrilum.

NIMIVM *liber homo*] i. nimium liberi animi, qui nemini parcis.

IN *te qui dicit Chœrile, liber homo est*] i. sine negocijs, quia non es dignus reprehensione alicuius, sed omnino contemnendus.

RAMIR DE PRADO.

Irridet Chœrilum, qui subinde querebatur parrhesian, id est, nimiam loquendi libertatem Martialis, cui respondet vere liberum eum esse, qui in Chœrilum dicat: ludens in vocis ambiguitate, cùm priori versu dicacem significet: posteriori solutum ab omni

A cura, & negotio, vt esset, qui in obscurissimum hominem aliquid diceret indignum, vel maledicentia, vel salibus. Quæ sententia est epigrammatis 61. lib. 5. & epigr. 62. lib. 12. vbi negat Martialis indignos illos esse, qui suo stilo perstringantur.

De Rufo, & Næuia. LXIX.

Quidquid agit Rufus, nihil est, nisi Næuia Rufo,
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit, vna est
Næuia. si non sit Næuia, mutus erit.
B *Scriberet hesterna patri cùm luce salutem,*
Næuia lux, inquit, Næuia numen, aue.* *v. Lumen.
Hæc legit, & ridet demisso Næuia vultu.
Næuia non vna est, quid vir inepte furis?

DOMITIVS.

QVIDQVID *agit Rufus*] Meretricio amore ardebat. Næuia erat quæ amabatur, torquebatque Rufum, dum precio corrupta, modò hunc, modò illum sequebatur. Deridet poëta Rufum, qui non aliter de Næuia loquebatur, & cogitabat, quàm si speraret se voto potiturum. Ait enim, non est vna, sed est multiplex, dum multis seruit, vt non posit sperare se vnum habiturum illam in potestate. Eodem est argumento infrà epigramma, vbi Rufum frustrà expectantem Næuiam deridet.

C QVIDQVID *agit Rufus*] Quidquid agebat Rufus, loquebatur de Næuia.

PROPINAT] Propinabant amico, cùm ad poculum conuiuam inuitabant: vt illud Iuuen. sat. 4.

Quando propinat Virro tibi. Propinabant item, cùm amico absente nominato; bibebant. Socrates apud Plat. Hoc poculum Critiæ propino.

VNA *est*] In ore Rufi.

DEMISSO *vultu*] i. conniuentibus oculis.

NON *vna est*] Sed publica & multiplex, conducitur enim à multis.

RAMIR. DE PRADO.

Rufi cuiusdam, ob Næuiæ vxoris amorem furentis, describit ineptias, qui nihil aliud quàm Næuiam nocte dieque sonabat. Simile huic epigrammati, est D illud Papinij in epithalamio,

Asteris & vatis totam cantata per vrbem:
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu:
Quantum non clamatus Hylas.

1 SI *tacet hanc loquitur.*] Elegans antithesis, qua significatione voluit Rufum, vel tacitum, gestu ipso, & motu insanum in Næuiam amorem significare.

2 VNA *est Næuia.*] Id est nihil aliud loquitur, aut spirat, quàm vnicam Næuiam.

3 SI *non sit Næuia mutus erit*] Eandem sententiam protulit, de Sextiliano, *Tantos, & Tantas* subinde dicente, lib. 6. ep. 54.

----Iunget vix tria verba miser.

4 NÆVIA *non vna est.*] Lusit in ambiguitate verbi *vna*: supra enim dixerat *vna est Næuia*, id est, de Næuia sola loquitur Rufus. Nunc *vna non est*, quia duplex est, id est, vxor duorum. quod colligo ex epigr. 90. lib. 7.

Mœchum Gellia non habet, nisi vnum.
Turpe est hoc magis, vxor est duorum.

Quod nemo (quòd sciam) hactenus intellexit. Lux à Seneca Philosopho, cuius verba sunt. 3. de benef. cap. 16. *Infrunita, & antiquata est, quæ nesciat matrimonium vocari vnius adulterium.* Si ergo adulterium vnius, matrimonium vocatur, continuò adulteri eius dicetur ea fœmina vxor. Erat autem iam veri mariti vxor. Ergo vxor, est duorum, quod turpe magis est, quàm si duos haberet adulteros; tunc enim vna esset mariti veri vxor: illa autem, quæ vnicum haberet adulterum, vxor vocabatur eius, & illud adulterium matrimonium, vt honesto nomine culpam illã, quam minimam Romanæ fœminæ ducebant, obtegerent. Vnde lib. 3. epig. 92.

Vt patiar mœchum rogat vxor, Galle, sed vnum.

Nam videbatur vxor petere honesta, cùm vnicum adulterum peteret, quod erat veluti matrimonium. Næuia igitur, *non vna est*, id est vxor duorum est. quo significabat adulterum habere Næuiam. Ideò subiungit, —*quid vir ineptè furis?*

Quasi diceret ineptus es marite, qui vxoris adulterium nondum odoratus es: & insano amore vxorem tuam, tanquam castam prosequeris.

Eadem loquendi formula est apud suauissimum Poëtam Propertium lib. 1. eleg. 13. vltimo disticho,

Quæ tibi sit felix, quoniam nouus incidit error,
Et quodcumque voles, vna sit ista tibi.

Quod miror doctissimum Scaligerum non intellexisse, cùm dicat simile hoc esse illi Martialis dicto ad Ouid. lib. 1. ep. 106.

Et quicquid voluit, testa vocatur anus.

Non enim precatur Gallo habilem ad quoscumque vsus vxorem, sed castam, & pudicam: sicque interpretare. *vna sit ista tibi*, id est non adultera, nec multiplex: *quodcumque voles*, id est quod tibi optandum maxime est, & est quodcunque tu voles, id est desiderabis. Ex his omnibus intelligendus est difficilis Ciceronis locus in epist. famil. lib. 9. ep. 22. vbi Stoïcorum opinionem referens asserentium, nec in re, nec in verbo obscœnitatem esse: dum in re conatur probare, eam non inueniri, ait: *Quæ mulier vna? Quid inquam est, vsurpata duplex cubile?* quibus verbis rem obscœnam sermone tecto & inuoluto significari constat, & idem esse, *Quæ mulier vna, ac vsurpata duplex cubile.* aliter enim hæc verba, *Quæ mulier vna?* rem obscœnam non significarent.

Ad Maximum. LXX.

*Cœpit Maxime *Pana, quæ solebat,* — * Terentos locus in Cãpo Martio Diti Sacer, vbi Panos ridentis simulacrum visebatur. vide huc libri tertij epigr. 20.
Nunc ostendere Canium, Terentos.

DOMITIVS.

Coepit *Maxime Terentos*] Locus in campo Martio dictus: quòd ara ditis patris, & Proserpinæ ibi terra conderetur: historiam habes apud Valerium Maximum, quomodo sit dicatus, huius loci meminit & Pap. *Aut instaurati peccaueris ara Terenti.* Alibi etiam Martial. Terrestria numina, vt Bacchus, Pan, Satyri, Fauni in delubro Plutonis collocabantur, qui terræ Deus est, quemadmodum cœlestia in templo Iouis, marina in templo Neptuni. Statua itaque Panos erat ad Terentum iuxta aram Ditis: Canius perpetuo risu agitabatur, quod Martial. alibi iocando indicat, vbi post longas interrogationes, quid ageret Canius, subdidit, ridet. Pan, & Satyri risu perpetuo lasciuiunt, cùm velit itaque ridentem Canium deridere, ait: non ostendi amplius in Terento statuam Panos, quæ, vt dixi, habitu ridentis figurabatur: sed Canium, qui æquè ridet, ac Pan.

RAMIR. DE PRADO.

Canium continuò risu distentum comparat hoc epigrammate cum Pane Deo, qui ridentis imagine visebatur apud Terentum in campo Martio. Nam cum nihil aliud Canius vnquam ageret, quam ridere, vt facetè Poëta, lib. 3. epigr. 20. scribit, nulla cum re poterat aptius conferri, quam cum ridente simulachro: sed distichon male est in omnibus libris interpunctum. Sic distingue,

Cepit maxime, Pana quæ solebat,
Nunc ostendere Canium Terentos.

Ordo autem est, ô Maxime, Terentos cepit nunc ostendere Canium, quæ solebat Pana, scilicet ostendere.

Ad librum. LXXI.

Vade salutatum, pro me liber ire iuberis
Ad Proculi nitidos officiose Lares.
Quæris iter dicam: vicinum Castora canæ
Transibis Testæ, virgineámque domum.
Inde sacro veneranda petes palaria cliuo,
Plurima quà summi fulget imago ducis.
**Nec te detineat miri radiata Colossi,* — * Vide Turneb. l. 17. c. 2
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hàc, quà madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus,
Protinus à læua clari ° sub fronte Penates, — ° clari tibi.
Atriáque excelsæ sunt adeunda domus.
Hàc pete, ne metuas fastus, liménque superbum:
Nulla magis toto ianua poste patet.
Nec propior quàm Phœbus amat, doctæque sorores,
Si dicet, quare non tamen ipse venit?
° Sic licet excuses, quia qualiacumq; leguntur — ° Scilicet.
Ista, salutator scribere non potuit.

DOMITIVS.

Vade *salutatum*] Tædio lustrandæ vrbis, ad peragendas salutationes, mittit librum, quem suo nomine iubet salutare Proculum amicum, simul nunciare causam, quare ipse non salutet.

Pro *me*] Meo loco.

Lares] Ædes Proculi.

Castora] Id est, templum Castoris, & Pollucis, quod in foro erat, & quamuis geminis fratribus esset dicatum, vnius tantùm Castoris dicebatur.

Vestæ] Templum Vestæ non procul erat à palatio, quod ex verbis Papin. cognoscitur, loco illo,

Pulchrius an tacita vigilet face Troilus ignis,
Atque exploratas iam laudas Vesta ministras.

Domum *virgineam*] Id est, templum Palladis,

quod erat iuxta palatium. Papinius de statua Domitiani, *Laua Tritonia virgo Non grauat.*

SACRO *cliuo*] Colle.

SVMMI *ducis*] Domitiani. De statua equestri intelligit, de qua Papinius in prima sylua: Mirus colossus radians & splendens.

QVÆ *molles gaudet*] i. gloriatur.

OPVS *Rhodium*] Id est, colossum: qui erat. lxx. cubitorum altitudine, opus Charis: multa Plin. de hoc.

LYÆI] Bacchi.

PICTO *stat Corybante Tholus*] Id est, templum Cybelis.

STAT] Erectum est.

CORYBANTE] Sacerdote. Putà Castrato, vel *Picto*) varietate vestium.

IANVA *patet*] Apertis foribus nulla ianua benignior, & hospitalior est, & præsertim doctis.

PROPIOR] Nulla est vicinior.

QVAM] Domum Phœbus, & musæ amant.

SIC *licet excuses*] Id est, sic potes me excusare.

SALVTATOR] Quia si Martialis esset occupatus in salutandis amicis, non scriberet hæc.

QVALIACVNQVE] Quasi dicat, melius putat scribere carmina in otio, quàm salutare.

RAMIR. DE PRADO.

Summo artificio excusat se Proculo, quòd ad eum manè salutandum non veniret. Mittit autem hoc epigramma simul cum aliquo libro, hoc fortè primo, vel alio quouis: libroque imperat, vt pro se Proculo dicat Aue. Eiusdem est argumenti epigramma 109. infra, & epigram. 25. lib. 11. reliqua perspicua sunt in illo versu,

Protinus à laua clari sub fronte Penates.

Legerem libenter cum veteri libro,

----clari tibi fronte Penates.

Vt sit, protinus clari Penates excelsæ domus sunt adeundi tibi, *à laua fronte*, id est à sinistra ædium parte.

Ad somnum. LXXII.

Næuia sex cyathis septem Iustina bibatur
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi somne veni.

DOMITIVS.

NÆVIA *sex*] Sodalitium est, & solutus potus, quem cùm antiqui agebant coronati, numeratis literis nominum amicarum, tot cyathos hauriebant. Papini. hunc morem tetigit. Horat. apertius in carminibus. Porph. interpres cumulatissimè: nunc cauillatur in meretrices, quarum perfidiam indicat. Ita enim bibit, ac si aliqua pollicita esset se venturam, cùm nulla veniat, multis trientibus siccatis somnum petit. Næuia habet sex literas, ex diphthongo. Bibamus sex cyathos in honorem Næuiæ.

TV *mihi somne*] Poëtæ somnum aliquando carmine aduocant, vt Ouidius & Papinius.

RAMIR. DE PRADO.

Ad somnum inuocandum hoc epigramma compositum fuit à Poëta, & priscum morem exprimit in

A eo antiquorum, qui in honorem Imperatoris, amici, aut amicæ, tot cyathos bibebant, quot essent in eorum nomine litteræ. constat hoc etiam epigr. 51. lib. 8. & 95. lib. 9. & 37. & 95. lib. 11.

1 NÆVIA *sex cyathis.*] Contenti omnes fuerunt huc vsque hoc prisco more intelligendo, & forte nemo, vt ipsus erat, intellexit. Existimant enim, ita, petenti cyathorum numerum æqualem nominis literis, propinari, vt singulatim totidem cyathi ei in manus traderentur, & toties biberet, quot essent cyathi: sed hoc ineptum esset, cùm cyathus exiguus esset haustus, & mora fieret longa exhauriendis tot minimis poculis. Ego sic interpretor, & meo iudicio verè. Pocula ipsa diuersa erant inter se, ita tamen, vt aliud tres cyathos, aliud quatuor, aliud quinque, & sic deinceps caperet: & erant ita minora, quæ duos cyathos, & etiam quæ vnum, vt quisque suo arbitrio, vel minoribus, vel maioribus, vteretur: semper tamen ad certam mensuram fiebat, quò quisque sciret

B vini modum. Itaque sex cyathis bibebatur Næuia, hoc est vnico poculo, quod capiebat sex cyathos, qui *Semis* dicebatur. Iustina bibebatur vnico poculo, quod septem cyathos capiebat, qui *Septunx* vocabatur, vt dicto epigrammate 51. lib 8.

Si dubia est Septunce trahat.

Lycas poculo quinque cyathorum, qui *Quincunx* appellabatur, vt lib. 2. ep. 1.

Te conuiua leget in isto quicunce.

Lyde poculo quatuor cyathorum, qui *Triens* vocabatur, cuius plena sunt epigrammata. Ida poculo trium, qui *Quadrans* erat. Est etiam poculi octo cyathorum mentio, ep. 37. lib. 11. nomine *Bessis.*

Quincunces, & sex cyathos, bessemque bibamus.

Erat autem facetissimus iocus: nam cum quisque petebat amicæ poculum, statim reliqui coniectabant

C ex numero cyathorum, quî vocaretur amica ea, cuius nominis literæ pares essent cyathis.

2 ET *quia nulla venis, tu mihi somne veni.*] Allusit ad veterem morem, quo ad somnum conciliandum poscebatur vltimum poculum, Mercurio tanquam Somni Præsidi consecratum. Athenæus lib. 1. Deipnosoph. (*post cœnam*, inquit, *cum iam cœtus dissolueretur, libabant antiqui Mercurio, non vt posteritas Ioui Teleo, quoniam Mercurius somno præest.* & eius nomine hoc poculum inscriptum erat, quod ποτήριον ἑρμοῦ, vel ἑρμῆς dicebatur teste Polluce, lib. 6. cap. 15. qui Hermen vltimam potionem scribit vocatam ex Homero Odyss. H. Pocula autem apud Græcos sa-

D cra, tria erant, Γεγραμμένα ποτήρια nuncupata. Primum Διὸς Σωτῆρος, Iouis Seruatoris. Secundum ἀγαθοῦ δαίμονος, Boni Dæmonis. Tertium Ἑρμοῦ, Mercurij quod vltimum exhauriebatur in Mercurij honorem, vt Apollonij Scholiastes ille doctissimus, lib. 1. docet. Mercurium autem Præsidem esse somni, satis constat ex Virgilio, & Ouidij fabula de Argo, & quod in lectorum fulcris effigies eius sculpi solebat, quæ ἑρμῖνες dicebantur, vt docet author etymologici in voce ἑρμὶς, & Suidas in ἑρμῖνες: cui etiam libabant, vt iucunda immitteret somnia, vt scribit Didymus ad odysseã Ψ. & colligitur ex Heliodoro, lib. 3. vide infra epigram. 107.

Ad Fidentinum. LXXIII.

Nostris versibus esse te poëtam
Fidentine putas, cupisque credi?

Sic dentata sibi videtur Aegle,
Emptis oßibus, Indicéque cornu:
Sic, quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hac & tu ratione, qua poëta es,
Caluus cùm fueris, eris comatus.

DOMITIVS.

NOSTRIS *versibus*] Ægle caret dentibus, & dentata videbatur, emptis dentibus eburneis.

INDICOQVE *cornu*] Id est, ebore, vel elephante indo.

MORO *cadente*] Moro præmaturo.

CERVSSATA] i. candidata. Ceruisa & Ochra, inter colores fictitios ponuntur à Plin. hinc pallor, & candor, vel statuis, vel mulieribus parabatur.

B PLACET *sibi*] i. videtur candida.

HAC *ratione*] Id est alienis crinibus emptis, poteris videri comatus.

RAMIR DE PRADO.

Insectatur sæpius plagiarium Fidentinum, & irridet, quod emptis Martialis versibus, & recitandis pro suis, existimaret se Poëtam creditum iri: comparat autem eius gloriosam stultitiam, cum Ægles edentulæ vanitate, quæ emptis facticijs dentibus, & ori insertis existimabat se dentatam vere esse. Vtebantur enim, & antiqui hoc fuco, vt fractum os artificio reficerent, & forte quod hodieque fit facticios dentes auro vinciebant, vt & proprios quando non satis firmi erat, quod & firmitati, & conseruationi conducat aurum. Vnde cum cautum esset lege Decemvirali ne aurum in sepulchris cõderetur cum cadauere his verbis, *Neue aurum addito*, ijdem Decemviri aurum, quo dentes vinciuntur, his verbis exceperunt, *Si quoi auro dentes vincti essent astim cum illo sepelire, vrereue se fraude esto*. quas leges apponit Cic. lib. 2. de legibus in fine. Sic Lucianus, Τέτταρας ἔτι λοιποὺς ὀδόντας ἐχούσας χρυσίῳ δὲ τούτους ἐνδεδεμένους, id est, quatuor iam reliquos dentes habere auroque hos vinctos. *Emptis ossibus*, dixit, *Indicoque cornu*, quòd ex his duabus materijs, ossibus scilicet & ebore, fiebant hi dentes.

1 CALVVS *cum fueris eris comatus.*] Notum est adagium, *Caluus comatus*, ad eos irridendos, qui, quæ ex se non habent, fuco, & imposturis habere videri volunt.

Ad Cæcilianum. LXXIV.

Nullus in vrbe fuit tota, qui tangere vellet
Vxorem gratis Cæciliane tuam,
Dum licuit: sed nunc positis custodibus, ingens
Turba fututorum est, ingeniosus homo es.

DOMITIVS.

NVLLVS] Cæcilianus habebat vxorem, quam nolebat ab vllo tangi, & erat turpis, adhibuit custodes, ac si esset pulchra, eum deridet, quia conduxit fututores, cùm adhibuit custodes, nam à custodibus conductis futuebatur.

DVM *licuit*] i. dum poterant: idem notat Iuuen. A sat. 6. *Pone seram, cohibe, sed quis custodiet ipsos Custodes? cauta est, & ab illis incipit vxor.*

GRATIS] Hoc verbum indicat de custodibus conductis intelligendum, qui iam non gratis futuunt, cùm sint mercede conducti, alter sensus non placet, vt dicas illud, *Nitimur in vetitum, &c.*

RAMIR. DE PRADO.

Argutissimum epigramma est, quo perstringit Cæcilianum, qui cùm deformem haberet vxorem, zelotypia tactus, repente eam custodibus sepsit: Quàm autem deceptus fuerit hac cautione, ironicῶs & irrisoriè declarat.

1 QVI *tangere vellet vxorem gratis.*] Non significat non fuisse tactam; sed non gratis, propterea quod ipsa pretium tangentibus soluebat: qui mos anuum & deformium erat, epigr. 74. lib. 7.

Vis futui gratis, cum sis deformis anusque,
Res perridicula est, vis dare, nec dare vis.

Et lib. 11. epigr. 63.

Lesbia se iurat gratis numquam esse fututam,
Verum est: cum futui vult, numerare solet.

2 DVM *licuit.*] Argumentum est hoc ambiguè positum, vel dum licuit eam fœdare gratis, vel dum licuit vxor tua vænalis.

3 Sed *nunc positis custodibus, ingens Turba fututorum est.*] Ne existimes eam violari à custodibus; sed ingentem turbam excitatam fuisse ad desiderium vetitæ feminæ: *Nitimur enim in vetitum omnes, cupimusque negata.* Cùm igitur illa ante proposito pretio vix vnum inueniret, hoc mariti artificio ingens turba sese offerebat: ideo subiungit, *Ingeniosus homo es:* nam, vt dicuntur ingeniosi, qui artificijs excogitandis rem suam familiarem augent: sic Cæcilianus ingeniosus C fuit, quòd & auxit numerum vxori, & lucratus sibi est quod illa antea amasijs impendebat. Quibus argutijs ironicῶs significari vult Cæcilianum ipsum optasse, vt vxor fœdaretur, & hoc artificio id quod optabat ingeniosè esse consecutum.

Ad Paulam. LXXV.

Mœchus erat: poteras tamen hoc tu Paula negare.
Ecce vir est. numquid Paula negare potes?

DOMITIVS.

MOECHVS *erat*] Paula cùm olim haberet virum, D faciebat sui copiam adultero, nunc sublato viro, nupsit ei, qui olim erat adulter. Accusat Martialis vtrumque Paulæ factum, & quod olim adulterum haberet, & quòd nunc necato coniuge eum habeat virum.

MOECHVS *erat*] Qui tibi est nunc vir.

NVNQVID *potes hoc negare?*] Quasi velit innuere, quòd interemerit virum, vt mœcho nuberet, vt infrà de Proculina.

Non nubis Proculina, sed fateris, vel potiùs: Nunquid potes negare te scilicet futui ab isto, quod olim cùm esses mœcha negabas.

RAMIR. DE PRADO.

Insectatur Paulam, quòd viuente marito mœchum habuisset. id autem subtili probat coniectura, quod mortuo marito nupsit illi, quem mœchum suspicabantur. Non enim nuptura fuisset, nisi dudùm

consuetudine, quæ ei cum illo antè fuerat: ideo ait A ante coniugium negari illud potuisse. post coniugiũ nequaquam. quod, veluti confessio criminis, fuisset matrimonium: vt constat etiam ex epigr. 22. lib. 6. in Proculinam, quæ mœcho nupserat,

Non, inquit, nubis Proculina, sed fateris.

Et Virgil. lib. 4. de Didone post nuptias Æneæ, sic ait:

Nescia furtiuum Dido meditatur Amorem,
Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Et Ouid. Metamorph.

Coniugiumque vocas, speciosaque nomina culpæ
Imponis Medea tuæ?

De Lino. LXXVI.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum,
Qui mauult: mauult perdere dimidium. B

DOMITIVS.

DIMIDIVM], Iocatur in Linum non restituentem mutuum.

CREDERE] Mutuo dare, quasi dicat idem est donare Lino, quod credere, quando id non reddit.

RAMIR. DE PRADO.

LINVS numquam mutuum soluebat, adeò, vt idem esset dare ei mutuum, ac donare. Qui aliquam pecuniam ei dabat mutuo, totam perdebat. Præstat igitur donare dimidium eius, quod mutuo petit; sic enim fiet, vt dimidium illud tantum perdas. Sed hoc consilium docet Martialis, quî eludatur epigram. 76. lib. 4.

Millia misisti mihi sex bis sena petenti,
Vt bis sena feram bis duodena petam.

Poterat, igitur Linus petere duplum eius, quod volebat, cuius dimidium compleret optatam summam.

Ad Flaccum. LXXVII.

O mihi curarum precium non vile mearum,
Flacce Antenorei spes, & alumne Laris.
Pierios differ cantúsq; ["] chorosque sororum:
Aes dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minerua:
["] Hæc sapit, hæc omnis fœnerat vna deos.
Quid possent ederæ Bacchi dare? Palladis arbor D
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & serta, lyrásque deorum
Nil habet, & magnũ semper inane sophôs.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permessidos vnda?
Romanum propius, diuitiusque forum est.
Illic æra sonant: at circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

["] v. Cantus cytharamq;

["] *Hæc sapit*] Phædrus l. 3. fab. 16. *O nata merito sapiens dicere omnibus.* Alludit enim Martialis ad eam Phædri de Minerua fabulam. Videsis. N. R.

DOMITIVS.

O *mihi curarum*] Ad Valerium Flaccum scribit, ingemiscens nullum esse præmium musis: sed in iudicijs tantùm, & causidicis pecuniam versari.

NON *vil*] Id est, magnum.

CVRARVM] Cogitationum, & versuum.

ALVMNE] Qui nutritus est.

LARIS *Antenorei*] id est. vrbis Antenoreæ, Patauij, fuit enim Patauinus, alibi:

Censetur Apona Liuio suo tellus:
Stellaque nec Flacco minus.

Quint. Multùm inquit, nuper in Flacco amisimus. Huius extant octo Argonauticorum libri, ad reditum vsque heroum: reliquis vel amissis vetustate, vel poëtæ morte interceptis: totum effinxit in his Apollonium Rhodium, non modò argumento, sed singulis interdum versibus, vt ego ex Apollonij quatuor libris facilè animaduerti.

DIFFER] Intermitte.

Ex *istu*] Musis.

ÆS] Pecuniam.

ARCA *Mineruæ*] Loquitur nunc de causidicis, qui in foro versantur ob ingentem pecuniam, quod alibi repetit:

Nam si falciferi defendere templa tonantis,
Sollicitisque reis vendere verba velis.

An de foro palladio, quod supra dixit conditum à Domitiano: hoc magis placet, quam quod alij dixerunt, Mineruam tulisse leges, & proptereа nominari hîc à poeta in iudicijs, vna verò sententia mihi probatur, vt alludat ad arcam palatinam: id est, imperatoris, nam Pallas numen erat Domitiani, vt dicat poëta. eos tantùm qui assentando palatia frequentant, nummos habere.

C ARCA *Mineruæ*] i. arca Domitiani.

FOENERAT *omnes Deos*] i. adeo diues est, vt possit dare nummos in fœnus omnibus Dijs.

ARBOR *Palladis nigra*] A fructu.

INCLINAT *comas*] Fructu suo.

SOPHOS] Laudem sapientiæ.

SEMPER *inane*] i. sine fructu.

PERMESSVS] Fluuius, & Olmeus ex Helicone in vnum permixti in Copaidem lacum delabuntur, vt Strab.

BASIA] i. laudes inanes, de quo suprà:

Dum basia iactas.

CREPANT] Strepunt: tractum est à meretricibus, quod *cathedras* dixit.

STERILES] Nullum fructum afferentes, nam cathedræ & in schola poetarum erant, & modulatoris fortè, & huiusmodi ludi. Horat.

Discipulorum inter iubeo plorare cathedras.

D Quasi dicat, libri nostri tantùm basiantur, in quem sensum videtur superiùs locutus.

DVM *basia iactas.*] id est, dum gloriabundus Basia vænaris.

RAMIR. DE PRADO.

Valerium Flaccum Argonauticω̃ scriptorem deterret à Poëtices studio, & conatur ad oratoriam facultatem trahere petitis argumentis à sola vtilitate.

1 PIERIOS *differ cantus.*] *Differ*, id est, suspende in aliud tempus, cum rationes tuæ nunc efflagitent, vt facias rem.

2 ÆS *dabit ex istis nulla puella tibi.*] i. nulla, ex nouem istis tuis Musis, tibi pecuniam suppeditabit.

3 NVMMOS *habet arca Mineruæ.*] Nec intelligas, hoc

hoc de foro Romano, iuxta quod Mineruæ templũ; nec de Minerua Domitiani, vt Perotus argutatur, sed sic accipe. *Arcam habere* dicuntur opulenti & diuites: in ea enim pecunias deponebant, vt lib. 2. epigr. 4. vbi sextus ille fenerator queritur se nũnos non habere in arca.

Et quadrans mihi nullus est in arca.

Et epigr. 30. eiusd. libri,

Et cuius laxas arca flagellat opes.

Et lib. 3. epigr. 40. & lib. 8, epigr. 44. & lib. 9 epigr. 4. de arcâ Iouis. & lib. 10. ep. 14. Sic Horat. sat. 1. de Auaro, ---- *at mihi plaudo*

Ipse domi simulac nummos contemplor in arca.

Paulus item Iurisconsultus in L. Offilius. 97. ff. de leg. 3. *Pone,* inquit, *in condito centies aureos esse, qui in vsum sumi solerent: diceres totum quod esset relictum in arca deberi.* & idem in lege, Si certos. 37. de verborũ obligationibus. Cõtra verò paupertatis signum erat. *Non habere arcam,* Catullus ep. 23. ad Furium.

Furi, cui neque seruus est, neque arca.

Et ep. sequenti,

Nec seruum tamen ille habet, neque arcam.

Hinc arcarij serui, quibus domini pecunia, & eius cura commissa. Scæuola I.C. in L. Thais. 41. §. vltimo. ff. de fidei commissarijs libertatibus: *Stichum* (inquit) *rationibus redditis manumitti volo. Stichus arcarius probante domino nomina fecit,* &c. & in sacris litteris Esther. cap. 3. v. 9. vulgatæ editionis, interpres hoc nomine vsus est: sic enim inquit, *Et decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ.* Quod vnico verbo gazophylacij septuaginta interpretes expresserant. καὶ ἐγὼ διαχαράξω εἰς τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ βασιλέως ἀργυρίου τάλαντα μύρια. Erant etiam arcarij publicæ pecuniæ, quos Græci οἰκονόμους appellant. In eadem editione vulgata, in epistola D. Pauli ad Romanos cap. 16. n. 23. *Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis:* quod Græcè est, ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως, sic accipiendus est titulus in C. lib. 10. de susceptoribus præpositis, & arcarijs. & lib. 1. C. de his, qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperant. & l. 3. præcepit. c. de canone largitionalium titulorum. Sic dicit Mineruæ arcam numos habere, hoc est oratores, & causarum patronos ingentem pecuniam lucrari, Poëtis autem nil præter plausum, & basia præberi. De basijs supra epigr. 4. & dicemus alibi vberius. *Cathedras* verò Gymnasiorum subsellia interpretor Hor. serm. 1. sat. 10.

Discipulorum inter iubeo plorare cathedras.

Quibus idem epitheton tribuit Iuuenalis ac noster, sat 7. vers. 202.

Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ.

De Charino. LXXVIII.

Pulchrè valet Charinus, & tamen pallet.
Parcè bibit Charinus, & tamen pallet.
Bene concoquit Charinus, & tamen pallet.
**Sole vtitur Charinus, & tamen pallet.*
Tingit cutem Charinus, & tamen pallet.
Cunnum Charinus lingit, & tamen pallet.

* *Sole vtitur*] Insolatur. ἡλιάζεται, Vet. Cod. N.R.

DOMITIVS.

PVLCHRE *valet*] De Charino cunnilingo.
PARCE *bibit*] Temperatè.
CONCOQVIT] Digerit.

A ET *tamen pallet*] Quasi velit ostendere Charinum affectantem noua remedia, ad colorandam faciem, tentatis omnibus alijs, lingere cunnum, atque ita poëta in ea cauillatur.

RAMIR. DE PRADO.

Charinum cunnilingum insectatur hoc epigrammate, quem morbum, in eo etiam notat, epig. 30. l. 4. enumerat autem ea omnia, quæ ad corpus colorandum sunt accommodata, vt ficta admiratione tandem cunnilingum eum esse ostendat: integram valetudinem: parcum potum; nam qui largè bibunt, solent vel hydropisi, vel alio morbo pallere: bonam concoctionem; nam crudi pallidi sunt: Solis vsum, qui colorabat; vnde *colorarij* dicebantur qui cutem curabant ad Solem, teste Cornuto ad illud Persij sat. 4. ---- *curata cuticula Sole.*

B *Chromatiarij* (inquit) *dicuntur colorarij, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole.* Seneca epistola 87. *At nunc blattaria* (sic lege à blattis lucifugis non *balctaria.*) inquit, *vocant balnea, si qua non ita aptata* (fortè *apta*) *sunt, vt totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi lauantur, simul, & colorantur* &c. Et Cicero lib. 2. de oratore ad Quintum frat. Antonium sic inducit loquentem. *Vt cum in Sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, vt colorer: Sic cum istos libros ad Misenum* (*nam Romæ vix licet*) *studiosius legerim, sentio orationem meam illorum cantu quasi colorari.* Vbi non possum mirari satis Ciceronis magnos emendatores nostri seculi, Victorios, Manutios, Lambinos, Gothofredos, & alios, qui manifestum mendum in illis vltimis verbis non sunt subodorati. Quid enim quæso est *cantu colorari orationem*? si dixisset modulari, aut aliud simile, non fuisset C mirum: Sed quæ tandem acyrologia, & metaphora? Error non ferendus in eloquentiæ parente & sole.

---- *Solem quis dicere falsum Audeat?*

Tu omninò lege loco illius vocis *cantu, tactu,* vt perseueret in eleganti Solis metaphora Antonius. Solis enim calor, tactus dicitur. Idem Cicero lib. de nat. deorum. *Et is eius* (*Solis*) *tactus est, vt non tepefaciat solum sed etiam comburat.* Hoc eodem Solis exemplo vsus est Seneca, ep. 19. his verbis. *Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur.* Hanc autem in Sole vnctionem & corpori siccitatem, acquirere docet Arnob. lib. 1. & cuti colorem s. d. ex quibus D omnibus eiusdem Ciceronis locus intelligendus est, lib. 1. epist. 9. vbi sumta comparatione aliptarum, sic inquit *Sed vellem non solum salutis meæ quemadmodum medici, sed etiam vt aliptæ virium, & coloris rationem habere voluissent.* Hunc autem solem, quem bibebant vncti, nitidum, & vnctum vocat, cui assum opponit. l. 12. ad Atticum, ep. 6. *pro isto* (ait) *asso Sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, à te nitidum solem, vnctumque repetemus.* Enumerat etiam vncturam cutis; nam qui colorari volebant, vngebantur oleo ad solem, & aliquando ad ignem. Celsus lib. 1. c. 2. *exercitationem rectè sequitur modo vnctio, vel in Sole, vel ad ignem* &c. Persius Sat. 4

At si vnctus, cesses, & figas in cute Solem.

Vsus est autem verbo *tingendi,* pro vngendi verbo, Persij imitatione, qui sat. 3. vers. 44.

Sæpe oculos memini tingebam paruus olim.

Quem etiam imitatus est lib. 2. ep. 59.

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

Quod rarum existimo esse. Vel si mauis, intellige tinctum cutis de fuco, & medicamine faciei, quo

molles solebant vngere cutem. Tertullianus lib. de A pœnitentia cap. 11. *Num ergo in coccino & Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, & puluerem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri vel æris vnguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas vrgeat*, (vbi lege omnino vigeat) Quid enim esset *vrgeat*. cùm petatur cerusa illa, & minium ad genas, & labia distinguenda? Hoc fugit Pammelium. & idem Tertullianus de *pallio*, cap. 4. de Achille puero. *adhuc sustinet pingere, vel stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, colum demulcere, aurem quoque foratu effeminatus.* vbi forte legendum *cutem*, (vt in nostro epigrammate) *tingere*. Hic verò Carinus, etsi purpurissata facie esset, pallebat tamen, quia morbosi vt experimur in fœminis, malo illo corporis habitu purpuram ipsam qua tinguntur decolorant, & veluti pallidam reddunt. Herodotus ex versione A. B Politiani lib. 5. Heliogabali luxum describens, tincturam tamen cutis Heliogabali notat, *ipse identidem aurigans, aut saltans conspiciebatur, quippe ne latere quidem sua patiebatur flagitia: procedens etiam in publicum pictus oculis, genisque purpurissatis, faciemque suapte natura formosam indecoris coloribus inficiens.* & de Sardanapalo Atheneus, lib. 12. *Hoc rex*, inquit, *cum vix annuisset ac permisisset: admissus Medus, vt eum aspexit cerussa oblitum, muliebriter vestitum cum pellicibus carminantem purpuram, ac cum illis sedentem pedibus porrectis, & in altum sublatis, tinctis fuco supercilys, muliebri stola indutum, rasa barba, leuigata pumicis attritu facie, colore quàm lactis candidiore, picturatis oculis*, &c. Hunc enim tinctum oculorum lasciuiam Iustinus vocat, lib. 1. his verbis, *Inuenit (* Arbactus *) eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu cum mollitia corporis, & oculorum lasciuia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem.* & C tandem noster concludit, *Cunnum Charinus lingit, & tamen pallet.* Qui locus explicatur à doctissimo Medicorum Hieronymo Mercuriali, lib. 4. variarũ lect. c. 13. vbi scribit explicans difficilem Galeni locum, lib. 10. de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 1. fellatores à Græcis λεσβιάζοντας, Cunnilingos verò φοινικίζοντας appellari, quòd purpureo colore menstrui labia gestarent tincta, quod hyperbolicõs dicebatur, quemadmodum & Catullus de fellatore dixit,

- — de mulsa labra notata fero.

Cum igitur hic Charinus nil non faceret quò coloraretur, mirum erat hominem pallere,

De Festo. LXXIX.

Indignas premeret pestis cùm tabida fauces,
Inque ipsos vultus serperet atra lues:
Siccus ipse genis flentes hortatus amicos,
Decreuit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame.
Sanctam Romana vitam sed morte peregit,
Dimisitque animam nobiliore " *rogo.* ["via.]
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest: huius Cæsar amicus erat.

Idem Græcè.

Εὖτε νόσος ποτέοντα περίασθμια θλῖβε, καὶ ἤδη
Ὄψιν ὅλην λάχνη εἷρπ' ἐπιλοσσχόμενος,
Παρφάμενος γνωτοὺς ἀριδάκρυας αὐτὸς ἄδακρυς
Φῆστος ἔγνω διαβὰς εἰς ἀΐδαο, θανεῖν·
Οὐδ' ἐμίηνε ποτῷ καθαρὸν στόμα φαρμακόεντι,
Οὔτε πολυχρονίῃ τὸν μόρον εἵλκε πεινῇ·
Ῥωμαίῃ σεμνὴν βιότην σφρήγισσε τελευτῇ,
Καὶ γενναιοτέρῳ πότμῳ ἀφῆκε πνοήν.
Τοῦδε μόρον τιμᾶν δύναται περὶ μέζονα Κά-
τωνος
Αἰών. τοῦδε φίλος Καῖσαρ ἐτύγχανεν ἐών.

DOMITIVS.

INDIGNAS] Laudatur mors Festi, qui cùm morbo insanabili laboraret, correptis etiam faucibus, decreuit mori: priùs autem amicos consolatus mortem sibi consciuit: gratus erat Domitiano, vt nullo metu imperatoris videatur se interfecisse: propterea maiore laude dignus fuit, quàm fuerit Cato: qui cùm se interfecerit, videtur id egisse metu Cæsaris, cuius erat hostis.

PESTIS *tabida*] Contagiosa, morbus ille fuit, quem Plin. mentagram appellat.

SICCIS *genis*] Non flens.

NEC *tamen*] Id est, non sumpsit venenum: vt multi affecti tædio aduersæ valetudinis.

LENTA *fame*] Id est, inedia: vt Silius tædio morbi, & Portius Latro declamator tædio quartanæ.

SANCTA *morte*] Id est, sanctitate mortis se Romanum præstitit.

VIA *nobiliore*] Id est ferro, quàm veneno, aut inedia, alibi legitur *rogo*.

CÆSAR *huius amicus erat*] Idcirco præferenda mors huius morti Catonis, qui inimicus Cæsaris erat.

RAMIR. DE PRADO.

Epitaphium continet Festi cuiusdam amici Domitiani Imperatoris, qui cum fœdissimo mentagræ morbo laboraret, sibi ipse intulit manus.

1 NEC *tamen obscuro pia polluit ora veneno.*] Placet D Ianus Guillielmus lib. 3. verisimilum, cap. 19. qui legendum putat *palluit*, vt apud Virgil. de Cleopatra veneno peritura,

-— pallentem morte futura.

Adde & rationem, quòd impropriè *polluit* dixisset poëta *ora veneno*, quæ iam mentagra, & atra illa lue satis essent polluta. Obscurum appellauit venenum, id est secretum, & quod intimus præcordijs noceat.

2 AVT *torsit lenta tristia fata fame.*] Mira huius supplicij amplificatio, cum dicat fata ipsa tristia, id est mortem, fame torqueri. Sic Liuius, lib. 21. vltimum supplicium humanorum appellat *famem*, his verbis: *Licuit si voluissemus ad Erycem clausos, vltimo supplicio humanorũ fame, interficere.* Salustius in ep. Gn. Põpeij ad Senatum, ex l. 3. histor. dum inquit, *Nil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, P.C. quem contra ætatem proiectum ad bellum sæuissimum cum*

exercitu optimè merito, quantum est in vobis fame (miserrima omnium morte) confecistis & Ammianus Marcell. lib. 17. *Fames*, inquit, *ignauissimum mortis genus.*
3 SANCTAM *Romana vitam, sed morte peregit.*] *Romanam mortem* vocat, quæ ferro quæritur. Id enim maioris animi roboris esse existimabant, cum ignauissimus quisque veneno se possit facilè perimere. Hanc mortem multi ex illustribus illis Romanis aperiuerunt: Lucretia, Catones, Scipiones, Fabij, Bruti, Pæti, Thraseæ, & celebris Arria, de qua supra.
4 DEMISITQVE *animam nobiliore rogo.*] Nil muto, non enim placet, *loco* nec *via*: Quid enim esset nobiliore via? Sed *rogum* metonymicῶs pro nece ipsa posuit.
5 HVIVS *Cæsar amicus erat*,] Id est, non se hic Cæsaris odio, vt Porcius Cato, interemit, ne scilicet subire tyranni, vt ipse dicebat, vultum cogeretur: nam erat eius amicus Domitianus, cui his verbis blāditur Martialis, vt Traiano Neruæ lib. 11. ep. 6.

Ipse quoque infernis reuocatus Ditis ab vmbris
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

Id est, Cæsaris amicus, qui partes eius sequatur; nam Cato Cæsarianas partes nunquam probauit, vt grauissime Lucanus de eo cecinit lib. 1.

---- quis induat arma
Scire nefas: magno se iudice quisque tuetur.
Victrix causa Dijs placuit: sed victa Catoni.

Quibus verbis Catonem Dijs æquauit, quæ maxima est auctoritatis eius amplificatio.

Ad Attalum. LXXX.

Sēper agis caussas, & res agis Attale semper.
Est, non est, quod agas, Attale semper agis.
Si res, & caussæ desunt, agis Attale mulas.
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

DOMITIVS.

SEMPER *agis*] In curiosum, & semper aliquid agentem Attalum.
AGIS *causas*] i. declamas.
AGIS *res*] i. agis negocia.
AGIS *mulas*] Id est, ducis mulas. Horat.

Festinat calidus mulis, gerulisque redemptor.

AGAS *animam*] Id est, morere, & expira: nam Gellius scribit his verbis, Hortensius cùm has scripsi animam agebat, id est, moriebatur. Liu. de veneno senatus Campani: Hi cum animam egissent, & omnes tamen priusquam hostibus aperirentur portæ, expirarunt. Hîc Liuius accepit, ac si dixeret anxiè animam diu agitauerunt.

RAMIR. DE PRADO.

Insectatur ardelionem Attalum, vt lib. 2. ep. 7. quod semper ambitiosè occupatus vellet videri: estque lusus in vsu vario verbi *agendi*, cuius proprietas cū ea sit, vt significet aliquid ante se ducere, vt oues, capras, mulas, vel asinum, quod veteres *minare* dicebant, quo verbo vsus est doctissimus Ausonius epig. 66. de bucula Myronis.

Ageret iuuencas, cùm pastor domum suas
Suam relinquens, me minabat vt suam.

Et eodem verbo sacrorum Bibliorum interpres, multis in locis vsus est. Cum inquam hæc sit verbi
A agendi proprietas, ad causas, ad res, ad animam, & ad alia multa, vt ad Comœdias, & ad Tragœdias, transfertur.
1 AGAS *animam.*] Id est pereas. Hispani dicimus *echar el alma* eadem phrasi.

Ad Canum. LXXXI.

Sportula Cane tibi suprema nocte petita est.
Occidit, puto, te Cane, quòd vna fuit.

RAMIR. DE PRADO.

Cani auaritiam, qui multas sportulas colligere solebat, taxat hoc epigrammate, qui suprema vitæ nocte sportulam petiuit, & perijt, contracto dolore ex hoc, quod vnica fuerit ea sportula, nec ad alias rapiendas grauatus morbo potuit accedere.
B

Ad Sosibianum. LXXXII.

E seruo scis te genitum, blandéque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

DOMITIVS.

E seruo] Reprehendit Sosibianum, quòd patrem appellaret dominum, & hic Sosibianus erat libertus. Seruus, & dominus, correlatiua, sed tamen Sosibianus id agebat, volens blandiri patri, quemadmodum dominum, & regem apud hunc poëtam sæpè legimus.

RAMIR. DE PRADO.

Obscurum epigramma, & quod torsit omnes in-
C terpretes, intactum tamen, & non intellectum omnes reliquerunt; sed planissimus est meo iudicio sensus. Patres appellari dominos à filijs insolens erat eo tempore; sed vel per irrisionem: vel per blanditias solebant serui à dominis, domini vocari, vt lib. 5. ep. 58.

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere,
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

Hic igitur Sosibianus cùm patrem suum audiret à communi domino appellari dominum, eodem nomine ipsum patrem vocabat, & sic blandè fatebatur patrem suum esse seruum.

De Regulo LXXXIII.

D
Hæc quæ puluere dissipata multo,
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet absoluta casu.
Testis nam modò Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesserátque.
Victa est pondere cum suo repentè,
Et postquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ, Regule, post metum querelæ,
Quis curam neget esse te deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

Idem Græcè.

Ἐν πολλῇ κόνει ἡ σὴ ῥιφθεῖσα,
Μακρὰν ῥυσμὸν ἐρφτίων ἀπλῶτα,
Ποίῳ πτώματι κεῖται ἠμύουσα;
Ἀκμὴν ταύτῃ ὑπὸ Ῥήγουλος γέγηθεν
Αἰώρης ἐλάσας ὄχημ' ἀπῆλθε.
Βεῖθε δ' ἀχθομένη δίδουσιν ἄφνω·
Χ' ὡς μηδὲν περὶ δεσπότῃ τρέουσα
Πτῶσ' ἤρκεσεν ἀσφαλὴς ἀθῴῳ.
Τόσσου, Ῥήγουλε, κινδύνου μετ' αὐτὸν,
Τίς σ' οὐκ ἀθανάτων μέλημα φαίη,
Πτῶσις οὗ χάλεν ἀβλαβὴς ἐτύχθη;

DOMITIVS.

HÆC *quæ puluere*] De porticu Reguli, quæ cecidit statim cùm inde Regulus discessisset.

POST *metum*] id est, postquam dij ostenderunt querelas hominum se metuere, si mortuus esses.

RAMIR. DE PRADO.

Eiusdem argumenti est cum epigr. 13. superiori ad quod multa diximus.

1 EN *quanto iacet absoluta casu.*] Metaphora à Iudicijs: nam rei absoluebantur. & quasi dicat hanc porticum fortuna, & Deorum iudicio à crimine obruendi Reguli absolutam fuisse. dicit absolutam tanto casu, ludens etiam in verbo *casus*, quod & ruinam, & successum rei significat.

2 SECVRO *ruit incruenta damno.*] Id est, postquam iactura illa saluo domino futura erat, cùm præter porticum dirutam, non vltra processurum erat damnum.

3 TANTÆ, *Regule, post metum querelæ.*] Ordo est, ô Regule, quis negat te esse curam Deorum post metum tantæ querelæ. id est, postquam iam omnes securi sunt eius damni, quod deberet ingentes querelas contra fortunam excitare, vt supra dixerat,

Nimirum timuit nostras Fortuna querelas.

* De Manneia. LXXXIV.

*Sic infrà lib. 5. epigr. 14. & lib. 11. epigr. 61.

Os, & labra tibi lingit Manneia catellus:
*Non miror, * merdas si libet esse cani.*

* *Mer. si libet esse cani.*] Turpi fimo, & stercore, canes pasci ostendit Phædrus lib. 11. Fab. 76. N.R.

DOMITIVS.

OS, *& labra*] In Manneiam, cuius os fœtidum ob fellationem erat.

ESSE] Comedere.

RAMIR. DE PRADO.

Oris, & labiorum Manneiæ spurcitiam notat hoc epigrammate. quòd lingeret catella; quippe hoc animal lambendis immundicijs delectatur.

De Quirinali. LXXXV.

Vxorem habendam non putat Quirinalis,
Cùm vult habere filios, & inuenit.
Quo possit istud more? futuit ancillas,
Domúmq; & agros implet equitibus vernis:
Pater familiæ verus est Quirinalis.

RAMIR. DE PRADO.

Salse notat Quirinalem equitem Romanum, qui cœlebs cum esset, se omnibus ancillis suis miscebat, ex quibus permultos suscipiebat liberos. Est autem facetus hic iocus in ambiguitate illius nominis, *pater familias*, sic enim dominum modesto & blando nomine veteres appellabant, quo ipso debitæ in seruos benignitatis admoneretur. Seneca ep. 47. *Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? Dominum patrem familiæ appellarunt, seruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares.* Et Tertullianus in apolog. *Gratius (inquit) est nomen pietatis, quàm potestatis: & iam familiæ magis patres, quàm Domini vocantur.* Sed hic verum dicit patrem familias Quirinalem; quòd eius familia ab eodem nata esset.

1 ET *inuenit Quo possit istud more?*] Dele interrogandi notam, quæ est in editionibus Plantinianis: elegantius enim per affirmationem legetur.

2 DOMVMQVE, *& agros implet Equitibus vernis.*] Libidinem notat Quirinalis, qui non solùm domesticas ancillas, & vrbanas: sed etiam villicas, & agrestes inibat: ex quibus magnum prouentum habebat puerorum. Est autem elegans antitheton in illo *Equitibus vernis*, nam Equites serui esse non possunt, nec serui Equites.

De Mario. LXXXVI.

Venderet excultos colles cùm præco facetus,
Atque suburbani iugera pulchra soli:
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
Vendere: nil debet, fænerat immò magis.
Quæ ratio est igitur? seruos vbi perdidit omneis,
*Et pecus, & fructus, * nō amat inde locum.*
Quis faceret pretiū, nisi qui sua perdere vellet
Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

* *Non amat inde locum.*] Nemo libeter recolit, qui læsit, locum Phæd. lib. 1. Fab. 8. N.R.

DOMITIVS.

VENDERET *excultos*] Faceti præconis ingenium laudat, qui cùm nuper venderet agrum Marij, ne ille videretur ob inopiam vendere, attulit causam, quare venderet, & eam causam, vt nemo fecerit pretium.

INDE) Ob eam causam.

FACERET *pretium*) Offerret aliquid.

HÆRET *Mario*) Non emitur ab vllo.

RAMIR. DE PRADO.

Facetum epigramma de faceto præcone, qui cùm Marij cuiusdam suburbanum venderet, sub specie excusantis Marij paupertatem, noxium eum locum, & pestilentem publicauit. quo effectum est, vt nemine pretium faciente miser Marius cogeretur tenere prædium sua iactura, & noxiâ.

1 PRÆCO *facetus.*) De facetijs, & dicacitate præconum multa veterum testimonia, celeberrima Ciceronis in oratione pro Quintio, Sextio, Næuio, & secūdo de oratore, & item in Bruto de Granio præcone. Erant enim impunè dicaces & liberrimi. Hic autem præco confinxit vitium huius loci: nam re vera

erant pulchra iugerà, & suburbana, sed mentitus per iocum.

2 Nil *debet. fœnerat imò magis.*] Hæc fuit præconis facetia, & iocus. Voluit enim videri officiosè facere, ne aliquis existimaret Marium (vt reapse erat) oppressum ære alieno vendere suburbanum, & ideò id minoris liceret. Cúmque sublata causa aliam deberet adiungere, addidit eam quæ emptores omnes fugauit.

3 Qvæ *ratio est igitur.*] Hinc elice veterem morem à paucis, aut quod sciam, à nemine obseruatum, præcones per quos res vænibant, solere caussas & rationes quibus domini tales res vendebant contenta voce proferre; quamuis vitia rei vendendæ non solebāt narrari, id enim stultum dicit fore Cicero officiorum lib. 3. his verbis, *Quid verò stultius, quam venditorem eius rei quam vendat, vitia narrare? quid autem tam absurdum, quam si domini iussu, ita præco prædicet,* DOMVM PESTILENTEM VENDO? Sed ita erant hi præcones dicaces, & insulsi, vt ducerent iocum & vrbanitatem esse vænalis rei vitia proponere, vt Noster hic narrat, & Apulei. lib. 8. metamorph. his verbis, *Tunc præco diruptis faucibus, & raucà voce saucius in meas fortunas ridiculos construebat iocos: Quem ad finem canterium istum vanni frustra subijciemus, & vetulum, extritis vngulis debilem, & colore deformem, & in hebeti pigritia ferocem, nec quidquam amplius, quam ruderarium cribrum.*

4 Sic *Mario noxius hæret ager.*] *Noxius* non ob confictam præconis caussam; sed quod Mario cupienti pecunias cogere ex suburbano, ad æs alienum persoluendum, cùm eo premeretur, noxius erat ager necessariò retinendus, & colendus.

De Nouio Microspico. LXXXVII.

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Nouius potest fenestris.
Quis non inuideat mihi, putétque
Horis omnibus esse me beatum,
Iuncto cui liceat frui sodale?
Tam longè est mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non conuiuere, nec videre saltem,
Non audire licet, nec vrbe tota
Quisquam est tam propè, tam proculq; nobis.
Migrandum est mihi longius, vel illi.
Vicinus Nouio, vel inquilinus
Sit, si quis Nouium videre non vult.

DOMITIVS.

Vicinvs *Nouius*] Nomen est fœneratoris in annalibus, nomen diuitis, & amici apud Martialem, cui cùm nunc vicinus esset, eius consuetudine vti non poterat, ait ergo qui sit vicinus Nouio oportere migrare, si eum velit videre, si nolit opportere esse vicinum, & contubernalem: duorum Nouiorum meminit Porphyrio.

Cvi *liceat*] Qui possit.

Terentianvs] Sodalis Mart. gerebat consulatum in Ægypto.

Tam *procul*] Consuetudine.

A Est *migrandum*] id est, oportet me, vel illum longiùs abire, si volo videre.

Inqvilinvs] Est qui in aliena domo conducta cum domino habitat.

RAMIR. DE PRADO.

Epigraphe huius epigrammatis varià est in varijs libris. in veteribus impressis legitur *de Nouio Microspio:* in alijs *Micropsigo,* in alijs *Microspico:* alij habent *Micropsycho,* quod probat Raderus, quia significat parui, & pusilli animi hominem. Ego elegerim *Microspico;* & existimo confictum nomen à Martiale ex Græco μικρὸς, & Latino *specio,* quod raro hic appareret. Idem esset *Micropsopo* confictum ex duobus Græcis. Notat hominem nunquam domi suæ commorantem, nec vicinis vnquam visum, id autem vrbanissimè, & facetissimè.

1 Tam *longè est mihi quàm Terentianus, Qui nunc* B *Niliacam regit Syenen.*] Hunc præfectum Aegypti Martialis amicum ob commune Poëtices studium, existimarunt aliqui esse politissimum illum de re metrica scriptorem, qui hodiéque extat. Ego non crediderim, quod ille Maurus fuerit natione, libertus forte alicuius Terentiani. hic autem eques, saltem Romanus, ex familia Terentia in aliam per adoptionem translatus, quod notat cognomen illud, ea terminatione. qui mos erat Romanis, vt adoptatis in aliquam familiam, suæ familiæ nomen ita detortum, pro cognomine haberent, vt Publius Cornelius Scipio Aemilianus, qui è familia Aemilia in Corneliam adoptatus commigrauerat.

Ad Fesceniam. LXXXVIII.

C *Ne grauis hesterno fragres, Fescenia, vino,*
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes ientacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cùm venit à barathro.
Quid quod olet grauiùs mistum [a] *diapasmate virus,*
Atque duplex [b] *animæ longius exit odor?*
Notas ergo nimis fraudes, deprensaq; furta
Iam tollas, & sis ebria simpliciter.

[a] Vide Iunij Nomenclatorem.

[b] *Animæ odor*] Titinnius Fullonibus: *Interea fætida anima nasum oppugnas.* Et de inferiore gutture Plautus Aulul. Scæn. Postquam obson. *ne quid animæ forte amittat dormiens.* Alludit ad gulam follis qui in veteribus Gloss. exponitur θύλακος καμίνου, ἀσκός. Follex. N.R.

D

DOMITIVS.

Ne *grauis*] Fescenniæ impudentiam accusat, quæ vt cælaret odorem vini deuorabat odores Cosmi, sed ita mixtus fœtor vini odoribus largiùs olebat. Consulit ergo, vt omissis medicamentis simpliciter fateatur ebrietatem.

Lvxvriosa] Prodiga, quæ oblectaris luxu Cosmi.

Pastillos] Pastilli dicuntur grandiores pillulæ, atque id præsertim in re vnguentaria. Plin. cùm de scabie loquitur, ita ait: Et de eius medicamentis teritur in mortario, deinde in pastillos diuiditur.

Fragres] Ne emittas malum odorem.

Ientacvla] Leuiora prandia dicta sunt, & quæcunque imparatis mensis apponebantur ganeata. Mart. vsus est pro pane dulciario apto ientaculis: in distichis: *Surgite iam vendit pueris ientacula pistor.*

Extremo *barathro*] i. insimo stomacho.

Diapasmate] Diapasmata & malagmata differūt, vt Plin. author est, quod diapasmata dicūtur vnguēta

ex ficcis odoribus: Malagmata dicuntur fæces vnguentorum.

VIRVS] Venenum, & malus odor.

GRAVIVS] i. peiùs olet: vel virus. i. vitium quia (vt apud Silium expofuimus in epiftola ad Alexandrum) venenum pro vitio accipitur.

ANIMÆ] Id eft fpiritus.

RAMIR. DE PRADO.

Ebriam Fefceniam irridet, quòd hefternum vini fœtorem voratis paftillis diffimulare contendebat, quo remedio grauior odor prodebatur. Simile epigramma eft 4. lib. 5.

1 NE *grauis hefterno fragres Fefcenia vino.*] Id eft, hefterna potatione, quæ largiffima fuit, cùm duraret in fequentem diem: fic de Acerra fupra epigr. 29.

Hefterno fœtere mero qui credit Acerram
Fallitur, in lucem femper Acerra bibit.

Et Cicero 2. Philipp. vomitum Antonij poftquam defcripferat fubiungit. *Tu iftis lateribus, ifta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippia nuptijs haufifti, vt tibi neceffe fuerit vomere poftridie.*

2 PASTILLOS *Cofmi*] De Cofmo myropola multa mentio apud hunc Poëtam. Paftilli τρόχισκοι Græci funt, de quibus Celfus, lib. 5. c. 17. diminutum nomen à pane: nam panis forma fiunt, vt teftatur Feftus: fùntque maffulæ quædam rotundæ. & planæ ex pulufculis odoratis, & melle admixto confectis: apud nos ex faccharo fiunt, quos Hifpani vocamus *paftillas de boca.*

3 ATQVE *duplex animæ longius exit odor.*] *Animam* vocabant halitum. fic *fœtere alicui animam* dicebant: Vnde *bene*, vel *male animati*, pro ijs, quibus halitus fœtebat, vel bene olebat. Hinc quæfitus iocus à Varrone in Bigarmo, vt eft apud Nonium verbo *Cepe: Aui*, inquit, *& atavi noftri, cùm allium ac cepe eorum verba olerent: tamen optimè animati erant.* Ludit in τῷ *animati*; vult enim fignificare, etfi veterum verba, allium ac cepe olerent, dum loquerentur halitu illo fetido: tamen fortes & ftrenuos effe: cum illa verba, *bene animati*. aliter interpretata, i. *bene olentes*, contrarium à fuperioribus notant. & cùm diapafmatis odor longius effet exiturus, deberet fecum vehere vini odorem, quò facilius Fefceniæ ebrietas proderetur.

4 DEPRENSAQVE *furta.*] Nota quodcumque vitium, aut fcelus, quod cum curâ tegitur, appellari furtum. Sic Latinè *furtum fieri* dicitur, quod clam, & occultè fit.

5 SIS *ebria fimpliciter.*] Elegans formula Martiali familiaris, qua fibi placere fignificat, vt crimina abfque technis, & fallaciarum inuolucris, fiant, lib. 6. epigr. 7. *Offendor mœcha fimpliciore minus.*

Ad Alcimum. LXXXIX.

Alcime, quẽ raptũ domino crefcentibus annis,
Labicana leui ceſpite velat humus:
v. Pario. *Accipe non* " *Phario nutantia pondera faxo,*
Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis vmbras,
Quæque virent lachrymis " *humida prata meis.* v. rofcida.
Accipe chare puer noftri monumẽta " *doloris,* v. laboris.
Hic tibi perpetuo tempore viuit honor.
A *Cùm mihi fupremos Lachefis* " *peruenerit annos:* forti pe neutit.
Non aliter cineres mando iacere meos.

Idem Græcè.

Ἄλκιμε, παῖδ' ὃν ἔτι τῷ δεσπότῃ ἁρπαχθέντα
Γῆς Λαβικηνῆς βώλως ἐπημφίασε,
Λάζευ οὐ Παρίης ὄγκους λίθοιο, νεκροῖσιν
Οἷς πόνος ὑλέματος τεῦξε μινυνθαδίοις·
Πύξους δ' κλαδαρὰς, φυλλάμπελά τε σκιόεντα,
Καὶ λειμῶνας ἐμοῖς δάκρυσιν ἰκμαλέους.
Λάζευ, φίλιε κοῦρε, πόνων μνημεῖον ἐμεῖο·
Ἐνθάδε σοὶ τιμῆς αἶσα τέθηλεν ἀεί.
B Ὁππότε μοι Λάχεσις διεκκλώσῃ λοίσθιον ἦμαρ,
Οὐκ ἄλλως κέλομαι λείψανα κεῖσθαι ἐμά.

DOMITIVS.

ALCIME] Epitaphium Alcimi pueri, cui tumulum confecrat inter buxos, vineas, & in medijs pratis, optat fibi tales fepulchri honores cùm morietur.

LABICANA) Labicum erat in via Latina, non procul ab vrbe, oppidum vetuftum, vt fcribit Strabo: finitimum erat pictis, & picti poculi, fide quibus mihi videtur Virg. locutus cùm ait: *Et picta fcuta Labici*, quod refert Seruius de Labico nufquam extat. Via labicana à porta æfquilina, authore Strabone, incipit: vbi Alcimus erat fepultus.

ACCIPE *non Phario faxo*] Phario ita codex habet antiquus, & ita legendum eft, nam de Syenite lapide Ægyptio, qui poftea pyrrhopœcilos eft dictus, intelligit, vnde obelifci, tumulis regum erigebātur: obe-C lifci lapides acuti in fpeciem radij folaris, vnde obelifci dicti, ὀβελίσκος radium, & fagittam fignificat. Pario non legendum eft: quoniam nec fcriptio probat, nec vllus eft vfus, non enim è marmore Pario erigebantur lapides fepulchris, de quibus videtur fenfiffe poëta.

SAXA *micantia*] id eft, obelifcum, qui videtur micare in aëre.

FACILES] Non prementes grauiter tumulum, & terram: in alio codice legitur, *Fragiles.*

ACCIPE] Hæc loca & pignora noftri doloris.

VIVET *perpetuo*] Quia non finientur hæc, vt obelifcus.

PERVENERIT] i. cùm expleuerit fatalem curfum.

D RAMIR. DE PRADO.

Epitaphium eft ad fepulchrum Alcimi ferui Martialis in ipfo ætatis flore rapti, quem in agro Labicano fepelierat.

1 LABICANA *leui cefpite velat humus.*] Contegebantur cadauera humo in planis fepulchris condita, vel terrâ, vel arenâ, vel cefpite. Commune votum erat, vt quodque horũ leue effet. notiffima formula per fingulares litteras fepulchris infcripta S. T. T. L. *fit tibi terra leuis*, cui adiungit nofter,

---- mollique tegaris arena.

Lib. 5. ep. 30. hic *leuem* dixit *cefpitem* eadem notione, quod epigr. 35. lib. 5. per negationem dixit,

Mollia nec rigidus cefpes tegat offa. ——

Ex quibus locis colligitur cefpitem folere congeri

ia sepulchris: quod confirmat etiam Iulianus Imperator in L. pergit 5. Cod. de sepulchro violato, his verbis, *Pergit audacia ad busta defunctorũ, & aggeres consecratos; cùm & lapidem hinc mouere, & terram euertere, & cespitem euellere proximum sacrilegio maiores nostri semper habuerint.*

2 ACCIPE *non Phario nutantia pondera saxo.*] Vide ad epigr. 1. num. 5. Spectac. quæ notauimus.

3 SED *fragiles buxos.*] Non intelligo coronas ex foliis buxi, & vitis, vt Raderus sentit. Quî enim dixisset Poëta de coronis factis ex foliis vitis, *Opacas palmitis vmbras?* sed sic accipe. Sepulchra designabantur in agris, & in fronte ponebatur scriptio, quæ contineret latitudinem, & longitudinem soli sepulchro destinati; quod spatium soli sacrum erat. Horat. sat. 8. lib. 1.

Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti,
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.

In hoc spatio erigebantur tumuli, obelisci, pyramides, arcus & alia sepulchralia ædificia. Alij arbores ponebant, quæ crescentes locum monumenti opacarent: quod sibi optabat Propert. lib. 2. eleg. 13. his verbis,

Deinde vbi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes paruula testa meos.
Et sit in exiguo laurus super addita busto,
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.

Vnde perspicuè colligitur seri solere has arbores, quòd felicibus Manibus perpetuas, & virentes arbores conuenire existimabant: ideo eligebant Buxos, Cupressos, Laurus, quæ numquam amittunt folia: quò respexit Iuuen. sat. 7. vers. 208. cùm dixit,

Di maiorum vmbris, tenuẽ, & sine pondere terram,
Spirantésque crocos, & in vrna perpetuum ver, &c.

Quod idem obseruabatur in floribus, quos etiam serebant iuxta sepulchra: quem morem, tanquam aliud agens, tangit Persius, sat. 1.

Nunc non è tumulo, fortunatáque fauilla
Nascentur violæ?

Hosque flores etiam eligebant fortius durantes, quod colligo ex Plinij cap. 11. lib. 21. de potho. *Duo (inquit) genera huius, vnum, cui flos hyacinthi est: alterum candidius, quæ ferè nascitur in tumulis, quoniam fortius durat.* Quæ vltima verba subobscure transtulit ex Theophrasto, in fine lib. 6. Historiæ plantarum: vbi Græca sic Latinè sonant, *Quo vtuntur circa tumulos, quòd & fortius durat.* Hîc autem Martialis buxos, & vites inseuit in honorem Alcimi, & eius sepulchro signauit modum agri in pratis quibusdam, quæ per hyperbolen rigari lachrymis suis dicit.

4 ACCIPE *chare puer nostri monumenta doloris.*] Retineo *doloris*, non *laboris*, vt Scaliger legit in Catullum p. 93. Non enim Poëta epitaphium hoc laboris monumentum appellasset; nec erat quòd in eo conscribendo iactaret laborem suum: hæc enim accipienda sunt de carminibus hisce, de sepulchro & insitis arboribus: ideò subiungit.

HIC *tibi perpetuo tempore viuit honor.*] Sic enim lego, non *vincit*, quòd de viuacitate, & perpetuitate suorum carminum auguratur Poëta, vt lib. 10. ep. 2.

At chartis nec furta nocent, nec secula prosunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Et Plin. in epist. ad Priscum, lib. 3. Martialem de suis carminibus bene sperasse scribit, *Aeterna (inquit) quæ scripsit non erunt fortasse, ille tamen scripsit tanquam futura.* Et Propertius, lib. 3. eleg. 2. ad amicam scribit, quot erunt in libello suarum laudum,

A tot futura esse formæ eius monumenta;

Fortunata meo si qua est celebrata libello,
Carmina erunt formæ tot monumenta tuæ.

5 NON *aliter cineres mando iacere meos.*] Hoc etiam ad honorem epitaphij refero, id est, non aliter velim sepeliri, quàm cum epitaphio celeberrimi alicuius Poetæ.

Ad Cinnam. XC.

Garris in aurem semper omnibus Cinna.
Garris & illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis ploras.
Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas.
Adeóne penitus sedit hic tibi morbus,
B *Vt sæpè in aurem Cinna Cæsarem laudes?*

DOMITIVS.

GARRIS] In Cinnam, cui detrahendi morbus adeò insederat, vt ne Cæsarem, quod apertè posset, laudaret: id autem clam agebat, & in aurem alterius non modò maledicentia, sed omne verborum genus admouebat.

TVRBA *teste*] i. præsentibus aliis.

MORBVS] Garriendi.

SEDIT] Fixus est.

RAMIR. DE PRADO.

Cinnam carpit non obtrectatorem, & adulatorem vt existimat Raderus, sed eum, cui is sederat morbus, vt semper in aurem proximo garriret. Iudicat
C autem doctè Lipsius totum hoc epigramma natum esse à quodam ioco Scauri, qui de Iunio Othone Declamatore, qui tecto quodam, & suspicioso dicendi genere, vbi minime opus esset, vteretur, aiebat illum acta in aurem legere: cùm acta publica, & vulgata omnibus essent.

1 SEDIT *hic tibi morbus.*] Morbus pro vitio, vt in plurimis locis: habe vnicum Manilij, lib. 5.

Natura pudet, atque habitat sub pectore cæco
Ambitio, & morbum virtutis nomine vitant.

Sedit dixit, communi notione; id est, firmiter placet. Virgilius, lib. 7. Æneid. vers. 611.

Hæc, vbi certa sedet patribus sententia pugnæ.

Et lib. 11. vers. 550. —— *omnia secum*
Versanti subito vix hæc sententia sedit.

Imperator Iustinianus de Vsuris in principio, *Nobis melior sententia sedit.* Vnde nostri cùm aliquem significare volunt suæ sententiæ tenacem, dicunt. *Asentosele esse, no ay sacarselo de la cabeça.*

D 2 V T *sæpe in aurem Cinna Cæsarem laudes?*] Artificiosè reprehendens Cinnæ morbum, detorquet repræhensionem in Cæsaris laudem, quasi innuere velit, nihil tam publicum esse debere, quàm eius laudationem: cùm & ea, quæ ad Cæsaris periculum pertinerent, nefas esset secretò dicere, vel reticere. Est in hanc sententiam celebre Vlpiani iudicium in L. si quis. 6. ff. de pœnis. vbi præcipit quid agendum sit, quando aliquis damnatus, iam morte mulctandus, dicat se aliquid habere, quod ad salutem Principis pertineat: Enumeratis enim variis iudicum consuetudinibus in hac re, tandem præcepit non esse hos damnatos audiendos, sed pœna exequenda, quod magis existimet esse puniendos, qui tandiu conticuerũt, quod pro salute Principis habere se dicere iactẽt.

Ad Bassam tribadem. XCI.

Quòd nunquam maribus iunctam te Bassa videbam,
Quódque tibi mœchũ fabula nulla dabat:
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexus, non adeunte viro:
Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis:
At tu, prô facinus, Bassa, fututor eras.
Inter se geminos audet committere cunnos,
Mentitúrque virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum Thebano ænigmate monstrum:
Hîc, vbi vir non est, vt sit adulterium.

DOMITIVS.

QVÒD *nunquam*] In Bassam tribadem. Tribades dicebantur mulieres, quæ alias fricabant, de his pluta infrà dicemus. Iuuen. illarum libidinem accusat.

- Frictum crissantis adorat.

TVRBA *tui sexus*] i. mulieres.

OBIBAT *omne officium*] Persiciebat.

FVTVTOR] Erat tribas.

PRODIGIOSA] Portentosa libido.

COMMENTA] i. fecisti dignum monstrum.

ÆNIGMATE *Thebano*] i. par monstrum Thebano ænigmati. Ænigma Thebanum proposuit Sphynx Oedipo, quis esset qui priùs quatuor pedibus, mox duobus, postremò tribus, respondit Oe-
C dipus esse hominem, * author est duobus, vt dicatur adulterium vbi non est vir, hoc est mirandum.

RAMIR. DE PRADO.

Bassam tribadem facete carpit confessione erroris sui, quod existimasset castissimam esse feminam, quia nunquam ad eam vir adiret: sed semper cum feminis esset: postea verò compertum est tribadem esse.

1 BASSA *fututor eras.*] Est auxesis in nomine *fututor* adiuncto feminæ, quam fututricem par erat appellare; sed appellat fututorem, vt turpitudinem eius magis notet. Estque hoc tribadibus peculiariter tributum à Martiale, vt de iis *futuere* dici possit: nam cùm *futuo* sit à verbo φυτεύω, id est planto, vel semino, solum de maribus cum feminis in vasis naturalibus. nam ibi solum generatio fieri potest: Sed cùm tribades mares in illa turpitudine imitentur, de his *futuere* dicitur: sic Martial. epigr. 69. lib. 7.

D *Ipsarum tribadum tribas Philæni,*
Rectè quam futuis vocas amicam.

Vbi est elegans iocus in ambiguitate verbi *rectè*, quod potest adiungi verbo *futuis*, vt sit non præposterè, sed per naturalia: & cum verbo *vocas*, id est, ritè, & tuo iure vocas amicam, vt viri quas futuunt, amicas vocant.

2 DIGNVM *Thebano ænigmate monstrum.*] Metalepsis, id est, dignum ænigma Thebano monstro: quamuis *monstra facere*, vt hic comminisci dixit Catullus epig. 105.

Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

Sic enim legit doctissimus Scaliger, non *cum caupone*, vt antea legebatur; & notat *facere monstra* hellenismum esse, id est, τερατολογεῖν vel τερατεύειν.

A 3 HIC *vbi vir non est, vt sit adulterium.*] Hoc est epigrammatis acumen: in hac enim repugnantia, & contrarietate rerum, inest monstrum factum à Bassa.

Ad Lælium. XCII.

Cùm tua non edas, carpis mea carmina Læli.
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

RAMIR. DE PRADO.

Admonet Lælium ne iniustè secum agat, quod sine talione carpat sua carmina: monétque, vt vel desinat carpere; vel sua edat, quò possit idem ei reprehendere.

B Ad Mamurianum. XCIII.

Sæpe mihi queritur non siccis Cestus ocellis,
Tangi se digito, Mamuriane, tuo.
Non opus est digito: totũ tibi Ceston habeto,
Si deest nil aliud Mamuriane tibi.
Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati,
Nec curtus Chiones, Antiopésue calix:
Cærea si pendet lumbis, & trita lacerna,
Dimidiásque nates Gallica palla tegit;
Pasceris & nigræ solo nidore culinæ,
Et bibis immũdã cum cane pronus aquam:
C *Non culum digito; neque enim est, qui non cacat olim,*
Culus, sed fodiam, qui superest, oculum.
Nec me zelotypũ, nec dixeris esse malignum.
Denique pædica, Mamuriane, satur.

DOMITIVS.

SÆPE *mihi*] In Mamurium pauperem captum amore Cesti pueri Mart.

GRABATI] Grabatum lectum vilissimum.

CVRTVS] Mutilatus, & fractus.

CHIONE, *& antiope*] Meretrices, quarum calices sunt semper immundi.

CERÆA] Flaua, colore amisso.

GALLICA *palla*] Non tamen Galli omnes vtebantur breuibus vestibus, vt Strabo.

NON *culum fodiam*] Quoniam adeo pauper, vt
D cùm non edas, culus non faciat officium suum.

SATVR] Prius exple stomachum, & postea pædica: quasi dicat, magis tibi necesse est reperire cibum, quàm puerum. Eodem verbo, & sensu vsus est Catullus in passere. *Aureli pater esuritionum*, &c.

RAMIR. DE PRADO.

Acerbe inuehitur in Mamurianum pauperem, qui puerum Cestum de stupro appellabat subinde.

1 TANGI *se digito.*] obscœnus ritus ad pelliciendos cinædos, tangere eorum posteriora impudico digito, id est medio exerto, & duobus proximis curuatis, ita vt speciem tunc præberet manus Priapi: Hanc digitorum positionem obscœnam esse docent multa veterum testimonia, Tranquilli in Caligula,

cap. 56. de Cassio Chærea eius occisore: *quem*, inquit, *Caius seniorem, iam vt mollem & effœminatum denotari omni probro consueuerat, & modò signum petenti, Priapum aut Venerem daret: modo ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre formatam, commotamque in obscœnum modum.* Et Lampridij in Heliogabalo. *Nec enim vnquam verbis pepercit infamibus: cum & digitis impudicitiam ostentaret, nec vllus in conuentu & audiente populo esset pudor.* Hoc autem digito ad posteriora admoto, significari promptum esse ad pædicandum eum quem tangebat, ex hoc epigrammate colligo: Nam minatur Martialis Mamuriano, non talionem, sed maiorem pœnam, & ait: *Non culũ digito fodiam, sed oculum.* Hinc est vt molles, & cinædos hac digiti medij extensione notarent, vt colligitur ex his quæ diximus ad epigr. 1. n. 1. cùm non solum ad irrisionem: Sed etiam ad infamiam, & mollitiem alicuius denotandam id fieret, vt in illo epigrammatis 28. lib. 2.

Rideto multum qui te, Sextile, cinædum
Dixerit, & digitum porrigito medium.

Id est si te, Sextile, cinædum aliquis vocauerit, tu eandem contumeliam illi obiice, & repende sublato medio digito, quæ nota cinædi est: & perspicuè magis, id probat nuper adductus locus Suetonij. Hispani vehementius id probrum iaciunt, quam antiqui; nam illi ea digiti ostensione idem significabant ac si dicerent *Pædicabo te*; cùm Priapum solum ostenderent: Nostrates autem, inserto pollice inter medium digitum, & indicem, ita vt emineat & appareat medius pollex, reliquis digitis in pugnum contractis, idem innuũt, ac si dicerent *Pedicaui iam te*, propterea quod illa digitorum positio nates repræsentat inserto Priapo in podicem, quem positum digitorum *Higa* vulgò appellant, quamuis prisca lingua *puguer* vocant à πυγὴ, id est natibus. Vnde tractus est mos, vt quemadmodum veteres ad fascini remedium suspendebant pueris in collo Priapulum; nostri suspendant, hanc quam vocant Higam. Et itẽ quemadmodum illi ad fascinum auerruncandum matutinâ saliuâ puerorum oculos, & labella perungebant, digito medio in hanc turpiculam figuram exerto, vt constat ex Persio sat. 2.

Ecce auia, aut metuens Diuum matertera, cunis
Exemit puerum, frontémque, atque vda labella
Infami digito & purgalibus ante saliuis
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.

Sic & nostrates ad inhibendum oculum fascinantem, quando puerum, aut puellam, aut feminam eximiæ pulchritudinis sibi charam, vident, porrigunt in eam illam *higam*.

2 Non *opus est digito.*] Id est, non est, quod digito puerum tangas; significans, te velle eum pædicare.

3 Totum *tibi Ceston habeto.*] Id est, non solum concedo, quod digito solicitas; sed totum, & integrum puerum, vnde colligo etiam quod suprà dixeram.

4 Sed *si nec focus est, &c.*] Est parasceue ad epiphonema contentum vltimo versu epigrammatis; & describit summam Mamuriani egestatem imitatione Catulli in illo celebri epigrammate contra Furium, 25. quem locum etiam sumsit amplificandum epigr. 57. lib. 11. pene ad verbum. Focus signum erat locupletis domus, vt epigr. 47. lib. 10. inter beatæ vitæ adiuncta, focum perennem enumerat, & lib. 10. epigr. 96.

——tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.

Et Catullus citato epigrammate scribit Furio i-
A gnem non esse, & in eodem, quod Martialis addiximus. *Et tristis nullo qui tepet igne focus.*
Vide etiam quę notauimus ad epigr. 50. huius lib. n. 7.

5 Nec *curtus Chiones, Antiopesve calix.*] Hæ meretrices erant, vel notæ omnibus, vel Martiali, quibus imposuit hæc ficta nomina: notatque huius paupertatem, cui nec calicem, qualem hæ meretrices ad obscœnos vsus habebant, possideret ad bibendum. Erat enim mos meretricibus post coitum lauari, quod etiam & honestiores feminæ solebant facere. Inde conuitium Ciceronis in orat. pro Cœlio in Claudiam Pub. Claudij sororem, in celebri illa idolopœïa Appij Claudij: *Ideo, inquit, aquam adduxi, vt ea tu inceste vtereris?* adduxerat autem aquæductu in vrbem aquam nomine Claudiam, & Ouid. in celebri illa eleg. 7. lib. 3. Amorum vbi narrat se [illegible] laborasse per totam noctem, versu vlt. inquit,

Dedecus hoc sumta dissimulans aqua.

B Et hic lib. 2. epig. 50. ex hoc more facetum sumsit iocum in Lesbiam.

Quod fellas, & aquam potas, nil Lesbia peccas:
Qua tibi parte opus est Lesbia sumis aquam.

Habebant ad hunc vsum curtos quosdam calices, vt constat ex epigrammate in Zoilum 81. lib. 3.

Curtaque Leda sobrius bibat testa.

Habebant etiam seruulos qui aquam in his vasis ministrabant, quos vocabant *Baccariones a baccario* aquario vase. glossarium, *Baccario* ποδονιπτήρ: Et etiam *aquariolos*, ab hoc ministerio nominabant, vt est apud Festum in excerptis Paulj: & Apuleius apologia 2. *hisce*, inquit, *an litis, aquariolus iste vxoris suæ ira extumuit*, &c. Et Tertul. Apologet. cap. 43. *lenones perductores aquarioli.* Ælius Lampridius in vita Commodi, aquarioli officium significat his verbis. C *Auriga habitu currus rexit, gladiatoribus coniunxit, aquam gessit, vt lenonum minister.* Vnde Arabe corruperunt vocabulum Hispanis vsurpatum *alcaguete*, pro gerulo verborum amantium inter se, & eo qui conciliat amatori voluntatem, & amorem Dominæ.

6 Cærea *si pendet lumbis, & trita lacerna.*] *Ceream* dixit pro sordidissima, quæ sudore sit veluti incerata: sudoris enim congelati in veste, vel in alia re, species est cæræ. Sic de abolla Cinici cuiusdam lib. 4. epigr. 53.

Cerea quem nudum tegit vxor abolla grabati.

Et sic accipiendum est illud Iuuenal. sat. 10. vers. 55.

Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Id est, precando prehendere Deorum genua, quamuis aliter interpretari hæc verba rectè possunt: D qui habitus erat misericordiam implorantium; sed toties, vt manu sudore genibus impresso sæpe, & siccato, deinde genua viderentur incerata: & per hyperbolen dixit *incerare*, pro *precari* prehensis genibus, vt Hispani dicimus, *roer los santos*, pro osculari eorum imagines, quæ osculis & tactu attenuantur, quamuis æneæ sint, vt eleganter cecinit Lucretius lib. 1. *---tunc portas propter aena*

Signa, manus dextras ostenduñt attenuari.
Sæpe salutantum tactu præterque meantum.
Hæc igitur minui cum sint attrita videmus.

Et non solum dextras osculabantur, & osculis attenuabant, vt hoc loco (quamuis in alijs libris non *dextras*, sed *extras* legitur) sed & mentum, & rictus, vt est apud Ciceronem de Herculis simulachro Agrigentino, lib. 4. in Verrem, *Ibi est ex ære simulachrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius, vsque eo iudices, vt rictus eius, ac men-*

rū paulo sit attritius, quod & in precibus & gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. Dixit igitur, *cerea lacerna*, id est, sudore incerata. Hæc autem inceratio reddebat frigidissimam vestem Vnde intelliges, epigr. 54. lib. 4.

Sordida cum tibi sit, verum tamen Attale dicit,
Quisquis te niueam dicit habere togam.

7 Pasceris & *nigræ solo nidore culinæ.*] Hyperbole huius patris esuritionum, quòd solo nidore pasceretur. Culinam autem dicebant rapere hos lurcones, vt epigr. 45. lib. 5.

--- captus es vnctiore cœna,
Et maior rapuit canem culina Iam te.---

Iuuenalis sat. 5 ibi.

Captum te nidore suæ putat ille culinæ.

Et *canes* item appellabantur: sed parcius hoc loco; non enim canem Mamurianum, sed canis compotorem sequenti versu vocat, qui pronus aquam immundam bibebat cum cane, id est, vt canis. Nam antea dixerat non esse ei nec *curtum* quidem *calicem pronum* autem dicit *bibere*, quòd vel extremæ egestatis esset, vel summæ auiditatis: qui locus me admonet vt Gedeonis sacram historiam Iudicum 7. nó vulgariter intellectam illustrem in præsentia, quæ sic se habet. Cum Gedeon triginta & duo millia virorum coëgisset in Madianitas, admonitus est à Deo, vt liberam faceret iis, qui vellent, abeundi potestatem. Abierunt viginti duo millia, qui prælium pertimescebant; cumque remanerent decem millia adhuc, Dominus præcepit multos abiici ni finito prælio possent viribus suis victoriam partam esse iactare. Hoc igitur signum datum Gedeoni est, *Qui manu lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberent cum altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proyciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.* Volebat Dominus seclusis fortissimis, maximum & periculosissimum bellum cum timidissimis conficere. Cùm igitur Madianitæ vltra flumen considerent, qui cum Gedeone cis flumen erant sitibundi ad aquas accurrunt. Ex quibus qui proximum hostem timebant pene stantes manu aquam in os ingerebant: ceteri verò nil hostem timentes, genibus in ripa flexis, proni haustu securi sumebant aquam. Illi priores timidi erant, quòd notatur similitudine canum: nam canes bibituri ex aliquo fluuio, si præsenserint ibi animalia esse à quibus cauendum sit, raptim & currentes lambitare solent: Vnde natum Prouerbium, *Tanquam canis è Nilo*, de iis, qui properantes, ac currentes aliquid faciunt, quod hoc facere canes apud Nilum Ælianus, lib. 1. de varia historia refert: & Plin. lib. 8. cap. 40. timentes scilicet Crocodilos, hippopotamos, & alias feras. Posteriores autem fortiores, qui nil territi, flexis genibus in aquam ipsam os immergebant, quos Gedeon abire iussit, & cum solis illis trecentis timidis prælium commisit. Idem hoc Iosephus, lib. 5. cap. 8. plane sentire videtur. Solet enim Deus omnipotens miranda facta per vilissima instrumenta sæpe operari.

8 Sed *fodiam qui superest oculum.*] Argutè luscum Mamurianum ostendit, cum dicat *oculum, qui superest*, quòd ex duobus altero amisso alter supererat: hæc autem verba minantis, vt lib. 3. ep. 92.

Vt patiar mœchum, rogat vxor, Galle: sed vnum
Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos.

Et Plautus in Aulularia Scen. *Ex, inquam:*

Oculos herclè ego istos, improba, effodiam tibi.

Et in Captiuis, Scena, *Miser homo est.*

A *Nam herclè ego huic dici si liceat, oculos effodiā lubēs.*

Et in Trinummo:

Oculum ego tibi effodiam, si verbum addideris. Oculum autem *effossum* dicebant veteres, *effusum*, vt apud Velleium Paterculum de prælio Pharsalico, cuius verba sunt. *Aciem Pharsalicam, & illū cruentissimum Romano nomini diem, tantumque exercitus profusum sanguinis, & collisa duo inter se Respubl. capita, effusumque alterum Romani Imperij lumen, tot talesque Pompeianarum partium cæsos viros, non recipit enarranda hic scripturæ modus.* Quo loco illud *effusum* proprium & Latinissimum possessione exturbare conati sunt parum considerati Censores. Manutius primum elegantiarum auceps, qui olim *effusum lumen* Latinæ linguæ rationem respuere se probare scripsit, quamuis timidè intactum reliquerit locum. Titius deinde lib. 9. locorum controuersorum, cap. 9. secutus eum, quem tacet Douzam, *effossum* vel *offusum* reponit:

B sed frustra est, qui cum alios temere subinde reprehendat, ignorauit Latinissimum dicendi modum quem Iulianus retinuit in edicto perpetuo, laudante Vlpiano in L. item quæritur. 5. §. item Iulianus. ff. locati. cuius verba sunt: *Si sutor puero parum bene facienti forma calcei tam vehementer ceruicem percusserit, vt ei oculus effunderetur, ex loco esse actionem patri eius.* Et idem Vlp. in L. sed etsi quemcumque. 5. §. vlt. Ad legem Aquil. *Puero discenti ingenuo filiofam. parum bene facienti, quod demonstrauerat, forma calcei ceruicem percussit, vt oculus puero perfunderetur.* vbi vides in eadem re ab eodem Iuliano desumta pæne iisdem verbis *effundere*, & *perfundere* in ead. notione. Vnde emendo celebrem Pauli legem, Vulneris. 8. ff. de iniurijs. *Vbi vulneris*, inquit, *magnitudo atrocitatem facit.*

C *& nonnunquam locus vulneris: veluti oculo percusso* (lego *perfuso*) non enim percussio leuissima poterat atrocitatem facere, nisi inflictum oculo vulnus oculum perfunderet. & hinc coniecturam facio corrigendum locum esse in Institut. ff. de iniuriis. §. atrox. vbi atrocem iniuriam definiens Iustinianus ex legib. in tit. de iniuriis contentis, ex eod. Paulo sic ait: *Nonnunquam & locus vulneris atrocem iniuriam facit: veluti si in oculo quis percussus fuerit.* emendo *veluti si in oculo, qui perfusus fuerit.* quasi voluerit Iustinianus explicare Paulum, qui, vt dixi, non quamuis oculi percussionem atrocem iniuriam iudicauit, nisi ex ea perfusio consequeretur.

9 Deniqve *pædica Mamuriane satur.*] Desumtum hoc est, vt pæne totum epigramma, à Catullo ex ep. 21. vbi Aurelium patrem esuritionum insectatur, quòd pædicare cuperet suos amores: vbi ait,

D *Atqui, si id faceres satur, tacerem.*

De Aquino. XCIV.

Fabricio iunctus fido requiescit Aquinus,
Qui prior Elysias gaudet adisse domos:
Ara duplex primi testatur munera pili:
" Plus tamen est titulo, quod breuiore legis. v. inscripta
" Functus vterque sacro laudatæ fœdere vitæ, inductus
Famáque quod raro nouit, amicus erat.

DOMITIVS.

Fabritio *iunctus*] Epitaphium Aquini, & Fabritii, quorum vterque primipilaris fuerat, & quod

rarò solet accidere collegis, amarunt inter se.

Qui] Fabritius, ne lugeret amicum mortuum, gaudet se priorem mortuum esse.

Testatur *munere primipili*] Quia vterque fuit primipilaris.

RAMIR. DE PRADO.

Epitaphium est Fabritij, & Aquini, qui eodem tumulo siti erant, quapropter in epigraphe reponerem, *De Fabricio, & Aquino*, quia ibi erat vterque duplici erecta ara cum inscriptione cuiusque: erant ambo primipilari honore insigniti, rarum amicorum par.

1 Qui *prior Elysias gaudet adisse domos.*] Eadem sententia amplificata est exemplis supra epigr. 37.

2 Munera *pili.*] Voce *munera* multitudinis numero significauit vtrumque primipilarem fuisse.

3 Plus *Tamen est titulo quod breuiore leges*.] Retineo hanc lectionem: nam vetus quæ est inscriptum, non arridet. *Titulo breuiore*, dixit ob vltima verba epigrammatis, *Amicus erat*, quod præfert cuiuis honori, & muneri.

4 Functus *vterque sacro, &c.*] In veteri est *iunctus*, sed expungitur hæc lectio Martialis copia, qui priore versu hoc nomine erat vsus. itaque retineo *functus*. Nec illud *sacro fœdere*, refero ad amicitiam, sed ad mores sanctos, quos appellat *sacrum fœdus laudata vita*: videntur enim qui sic viuunt, cum virtute fœdus pepigisse.

5 Famaque *quod rarò nouit.*] De raritate amicorum, & vt vix singula secula singulis paribus censeantur, satis disertè Cicero in Lælio. Hinc poteris obseruare solere amicos eodem sepulchro claudi, vt coniuges, amantes, & amasij.

Ad Æglen fellatricem. XCV.

Cantasti malè, dum fututa es, Aegle.
Iam cantas benè, basianda non es.

DOMITIVS.

Cantasti] In Æglen fellatricem, quam suprà anum esse indicauit: Sic dentata tibi videtur Ægle, simul hoc ostendit olim cùm iuuenis esset malè cantabat, nam coïtu raucescebat, nunc benè cantat, quòd indicat eam fellare & abstinere coïtu, propterea os fœtere ait poëta,

Basianda *non es*] Alibi quoque fallacem esse ostendit.

RAMIR. DE PRADO.

Obscœnum epigramma, sed quod ausim affirmare à nemine adhuc intellectum; nam abstinentiam à coitu ex mala voce bonam facere nunquam probauerint, vt concedam libenter ex bona nimio coitu fieri malam: sed Poetam cantasse male dicit, id est, insuauem, & absonam habuisse vocem feminam hanc, dum commiscuit se viris; nunc autem cum desierit hoc, suauem habere vocem. Ego argutissimum epigramma sic accipio. Hæc Ægle dum copiá sui faceret, quamuis corporis causa quæreretur à multis, nihilominus tamen, vt fama ferebat, malè cantabat. Deinde cum ætate progressa, iam hoc officio non vteretur, vocabatur à multis irrumanda sub specie cantilenæ; cumque illi, quos ipsa fellaret, turpitudinem celare vellent, dicebant se vocare femi-

A nam vocis causâ. sicque increbuit hæc opinio eam bene cantare, non quod cantaret, sed quod hoc nomine aliam culpam prætexerant illi. Argute igitur Martialis *basianda*, inquit, *non es, cùm bene cantas*, quo innuit eam fellatricem esse, & ob eam spurcitiam ab eius osculis esse abstinendum.

Ad Helium. XCVI.

Quòd clamas semper, quòd agentibus obstrepis Heli,
Non facis hoc gratis: accipis, vt taceas.

DOMITIVS.

Quòd *clamas*] Hoc potest videri dictum in Helium causidicum, qui magna voce in foro causas agebat, vt perterriti aduersarij eius acrimonia, data pecunia eum corrumperent, vt taceret: quòd de Demosthene legitur, qui corruptus pecunia, causam quam priùs agebat in sequenti die deseruit inuoluto collo fascia, dicens se Synanche laborare, & ita Demosthenes acceperat, vt taceret.

RAMIR. DE PRADO.

Facetissimum est hoc epigramma in Helium pessimum causidicum, quem cum nemo patronum ascisceret, ipse se vltrò causis ingerebat, & agentibus magna voce obstrepebat, quo illi offensi importunis clamoribus, & quod causæ impedirentur, solebant hominem precio placare, ne clamoribus obtunderet iudices, & agentes. Estque vrbanissima negatio Martialis, quo aliud mordacius subiungat; negat enim eum gratis clamare, quod reapse facit, vt subiiciat paradoxon illud & ridiculum ab inexpectato,
C *accipere vt taceat*, cùm ceteri omnes acciperent, vt loquerentur. Similem iocum adducit Quintilianus lib. 6. c. 3. de risu. *Belle interim*, inquit, *subijcitur pro eo quod neges, aliud mordacius, vt Iunius Bassus querente Domitia, quod incusans eius sordes, calceos eam veteres diceret vendere solere, non mehercule, inquit hoc vnquam dixi, sed emere te solere.*

2 Accipis *vt taceas.*] Quæ ignominia maior est, ac si diceret gratis eum patrocinari. Adagium est celebre. *Arabius tibicen.*

Ad Scazontem, de fellatore quodam. XCVII.

Si non molestum est, téque non piget Scazon:
Nostro, rogamus, pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic, vt audiat solus.
D *Amator ille tristium lacernarum,*
Et Bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystináque mulierum vocat vestes,
Natiua laudat, habeat & licet semper.
Fuscos colores; * *Galbanos habet mores.*
Rogabit, vnde suspicere virum mollem.
Vnà lauamur: adspicit nihil sursum:
Sed spectat oculis deuorantibus draucos:
Nec otiosis mentulas videt labris.
Quæris quis hic sit? * *excidit mihi nomen.*

* Galbinos, id est, molles & effeminatos. Turneb. lib. 17. cap. 8.

Vide Lipsij lib. 1 ep. 11. 5

DOMITIVS.

S*i non est*] Scazon genus carminis est, quod iambis constat, sed in penul. pede habet trocheum vbi quia præterit leges iambici carminis, claudicare dicitur à verbo Græco σκάζω, quod significat claudico. Meminit Ausonius epigrammate: *Claudósque Scazones.* & Pli. ad Tranquillum: Cauças ne eos ipsos scazones inuenias, alloquitur carmen suum poëta.

M A T E R N V S] Vir doctiss. cuius meminit Plin. in epist. & Cornelius in Dialogo.

A M A T O R *ille*] De cinædo Socratico loquitur, de quo suprà. *Aspicis incomptis.*

B Æ T I C A T V S] i. habens pannum non tinctum aheno. i. sui coloris, nam ad Bætim flu. Hispaniæ oues habent lanam subrutuli coloris, ex qua vestes confectæ, nullo alio colore tingebantur. Mart. in Distichis vbi lacernæ Bæticæ loquuntur:

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno
Si Tyriæ placeant, me mea tinxit ouis.

L E V C O P H Æ A T V S] Panni leucophæi, dicebantur albi, nullo medicamento coloris abhibito, sed à lana ipsa albescentes. Plin. cùm de rubeta loquitur, iecur eius alligatur in panno leucopho.

C O C C I N A T O S] i. gerentes vestes tinctas cocco.

A M E T H Y S T I N A S] Vestes amethystini coloris. Amethystinus color à colore lapidis sumptus est: erat autem lapis purpureus ebrietatem arcens: fiebat etiam Tyri Amethystus.

N A T I V A] i. pannos natiui coloris.

F V S C O S] Sordidos.

G A L B A N O S] Galbani fœm. ge. dicuntur apud Græcos. Nos neutro protulimus pro veste, & quidem pretiosa. Iuuen. *Et galbana rasa.* Galbanum itē frutex est apud Plin. sed hîc de veste. Est metaphora, nam ait poëta, quamuis corpus tegat vestibus natiui coloris, tamen habet mores coccinatos, amethystinos, & galbanos. i. luxuriosos.

S P E C T A T] Aspicit clam frequenter.

D R A V C O S] Mentulatos, quos sibi optat ad opus, cætera duo epigrammata sunt clara.

GEORGIVS.

L E V C O P H Æ A T V S] Vbi solertis hominis ingenium? vbi illa literarum Græcarum cognitio, qua se cæteros superare iactat? vbi plurima illa, & diligens lectio, & assidua obseruatio, ex qua recondita & aliis ignorata se enarraturum pollicetur? An huic homini non suboluit dictionem esse Græcam & compositam? Nonne leucon, Græcè album, phæon verò medium inter album & nigrum? ex quibus leucophæus fit, qua voce vtitur Pollux, vbi colores enumerat hoc modo, ξανθόφαιον, φλογόφαιον, λευκόφαιον, μελάμφαιον: hoc est, xanthophæon, phlogophæon, leucophæon, album, & nigrum est. Apud Græcos hæc non obseruauerit: At Plinius colorem quendam spinæ, leucophæon appellat. Victruuius de coloribus scribens, qui virtute aquarum in animalibus progenerantur, hæc ait, Fontes, & flumina sunt, quorum potu, pecora quamuis alba sint, alijs locis procreant vellera leucophæa, aliis locis pulla, aliis locis coccino colore, ita proprietas coloris cumini in corpus, progenerat intinctam cuiusque generis qualitatem, igitur quòd in campis Troianis proximè flumen armenta ruffa, & pecora leucophæa nascuntur, ideò flumen id Ilienses Xantum appellauisse dicuntur. Ex his cognoscimus natiuum colo-
A rem esse leucophæon ex albo & obscuro: & illud Plinij trigesimo naturalis historiæ legendum esse panno leucophæo, non leucopho.

RAMIR. DE PRADO.

Satyricum vere epigramma est Scazonte versu cōposito; fingit in eo Poëta se Scazontem rogare, vt pauca verba ingerat Materno amico suo in aurem, quem dum nominare non vult, nihilominus nominat. Est eiusdem pæne argumenti, ep. 25. supra.

1 D i c a s *in aurem sic vt audias solus.*] Maxima secreti commendatio per ironiam facta, *dicas in aurem* & quòd ea, quæ in aurem dicuntur possunt contenta voce dici, addit, *sic vt audias solus.*

2 Q v i *Baticatus.*] Id est, pullis lacernis indutus: nam Bæticus color pullus est Nonius. *pullus color est, quem nunc Hispanum, vel natiuum dicimus.* Cumque
B iuxta Bætim natiuæ oues frequentius nascerentur, Bætium Noster pro Hispano colore posuit. Vnde existimo pullum colorem, quasi purum dici, id est natiuum. Cuius coloris duo genera sunt apud nos, vt quotidiano experimento deprehendimus: alterum rutilum, subflauum aurei coloris, quod etiam Plinius, lib. 8. cap. 48. indicat his verbis, *Hispania nigri velleris præcipuas* (oues) *habet. Pollentia iuxta Alpes canis. Asia rutili, quas Erithræas vocant: item Bætica.* Hinc lib. 12. epig. 100. de Bæti fluuio,

Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Et lib. 9. epigr. 62.

Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo.

Alterum verò magis fuscum, & qui ferreum, vel ferrugineum refert. qui non adeò splendet, ac prior quamuis apud Nostrates maiori in pretio sit, & etiā apud veteres. Ostendet tibi id Virgilij locus, à nemine quod sciam, adhuc animaduersus, is est, lib. 9. de
C Arcente, vers. 581.

Stabat in egregijs Arcentis filius armis
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera.

Ferrugine Ibera, pro veste ferruginei coloris Bætici vel Iberi. has quas diximus aureas oues concupiuit Hercules, vt est in fabulis, & à Geryone, qui eas possidebat vi extorsit. Hinc, flauos capillos Erotij puellæ laudans, lib. 5. epigr. 38. sic ait,

Quæ crine vincit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitellam.

Et lib. 14. epigr. 133. cuius lemma, Lacernæ Bæticæ.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aëno:
Sic placeant Tyria, me mea tinxit ouis.

3 Q v i *coccinatos non putat viros esse.*] Delicatiores, & lautiores habebantur, qui purpurâ vterentur, non tamen continuò molles, & effeminati. Nam quod
D Seneca ep. 115. *Lacernas coloris improbi* appellat *purpureas*, vt sentit Lipsius lib. 1. elect. c. 13. quòd insolens ille color Senecæ temporibus, & audax, non tamen inde colligi potest purpuratos effeminatos haberi: *improbum* enim significat non probatum ab omnibus. Sic *laborem improbum* appellauit Virgil. id est vulgò improbatum: *improbam picam* dixit supra ep. 54. id est non probatam ob cantum, vt idem Virgilius, lib. 1. Georg. vers. 119. *improbum anserem.* Attamen nota Martialis acumen, qui quod apud Senecam legerat *improbum colorem*, pro purpureo, ideo epigr. 16. lib. 10. *Tyrion improbam* vocauit, hoc est, quæ improbos mitteret colores, & non probatos mollitiei causâ,

Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aëno.

Et Plinius lib. 9. c. 41. *Rursum absolutus inebriatur Tyrio, vt sit ex vtroque nomen improbum, simulque luxuria*

luxuria duplex. Quæ loca miror latuisse doctissimum Lipsium in explicatione illius Senecæ loci.

4 NATIVA.] Quæ non sunt artificio tincta, quales sunt vestes Bæticæ de quibus, supra n. 1. & Iuuenalis sat. 12. vers. 40.

Atque alias (vestes) quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adiuuat aer.

Id Græci αὐτοφυῆ dicunt, vt est in L. si cui 70. ff. de leg. 3. & in ead. L. §. versicoloribus. ita etiam legitur, *purpuram autem & coccum quoniam nil natiui coloris sunt, contineri arbitror.* Sic lib. 9. ep. 62. de Bæticis ouibus,

Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo.

Qui color natiuus nomine caret, vt testatur Plinius, lib. 8. cap. 48. de Ouibus, *Colorum*, inquit, *plura genera, quippe cum desint etiam nomina eis, quas natiuas appellant.*

5 LAVDAT.] Lipsius lib. 1. electorum, cap. 13. legit *laudet*, & placet.

6 GALBANOS *habet mores.*] Docte hunc locum Læuinus Torrentius explicat in Galba Suetonij, cap. 3. qui Galbana ferebant, Galbanati dicebantur, & delicati habebantur, lib. 3. epigr. 82.

Iacet occupato Galbanatus in lecto.

7 VNDE *suspicer virum mollem.*] *Mollis* appellatione cinædi comprehenduntur à Martiale, lib. 2. epigr. 84.

„ *Mollis erat, facilisque viris Pæantius Heros.*

Et lib. 3. epig. 72.

Dormis cum pueris mutoniatis,
Et non stat tibi Phœbe, quod stat illis:
Quid vis me rogo, Phœbe, suspicari?
Mollem credere te virum volebam,
Sed rumor negat esse te cinædum.

Voce illa *cinædi* explicauit, quid esset *mollis*, & apud Sueton. in Caligula, cap. 56. vbi scribens Caligulam denotare volentem Cassium Chæream cinædum, & effeminatum, in signum Priapum aut Venerem dedisse eidem petenti, hoc verbo mollis vtitur: ait enim; *Quem Caius seniorem iam, vt mollem, & effeminatum denotare omni probro consueras*, &c.

8 VBI *lauamur.*] Balnea petere molles, vt dilectum facerent draucorum, dictum est sup. epigr. 24. in principio.

9 SED *spectat.*] Placet Iani Guillielmi emendatio qui verisimilium 5. cap. 19. *despectat*, legit. eadem medicina facienda epigrammati 64. lib. 11.

Spectas nos Philomuse cum lauamur.

Et legendum *despectas*, cùm idem sit argumentum vtriusque epigrammatis.

10 OCVLIS *deuorantibus.*] Prouerbialiter dictum per hyperbolen, id est, nimiam auiditatem præ se ferentibus. Eadem formula vsus est, lib. 9. epig. 60. de Mamurra pædicone.

Inspexit molles pueros, oculisque comedit.

Inde natus prouerbialis dicendi modus, *Oculos pascere*. Terentius in Phorm. act. 1. scen. 2.

„ *Restabat aliud nisi oculos pascere.*

Et hic noster lib. 4. epigr. 78.

„ *Tunc ego non oculos, sed ventrem pascere veni.*

Et nos Hispani eodem vtimur dicendi modo *apacentar la vista*: Gallicè *repaistre les yeux*, quem eleganter, vti solet, his verbis expressit Garsias Lassus ecloga 2. sub persona Nemorosi,

El lleno de alboroço y alegria
Sus ojos mantenia de pintura.

11 NEC *otiosis mentula vides labris.*] Prouerbialiter etiam dixit, *non otiosis labris*: sed vt Apuleius, inquit, *vndantibus labris*, quo habitu auiditas significatur. Sic Iuuenal. sat. 9. vers. 35. ad Draucum quendam,

„ *Quamuis te nudũ spumanti Virro labello Viderit.*

„ Quam formulam Iuuenalis exprimimus Hispani cùm dicimus, *Que se le hinche a alguno la boca de agua.* Galli Equites proprie exprimunt, *luy faire venir l'eau en la bouche*, quando quis audit, vel videt aliquid maxime appetendum: metaphora forsan ab equis ducta.

Ad Næuolum caussidicum. CXVIII.

Cùm clamant omnes, loqueris tu Næuole semper,
B *Et te patronum, caussidicúmque putas.*
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes: Næuole dic aliquid.

Πρὸς Ναίολον. ϟη'.

Φωνούντων πάντων, λαλέεις ὦ Ναίολ' ἑκάστοτε,
Καὶ σε σοφιστὴν φὴς, ἠδὲ δικηγόρον ἄφ.
Ὧδε τίς οὐκ ἂν ἔην ποτ' ἐπισβόλος ἢ ἀγορητής·
Ἤδη πᾶς σιγᾷ, Ναίολε εἰπέ τι νῦν.

RAMIR. DE PRADO.

C Irridet Næuolum imperitum rabulam, qui vt se clientibus ostentaret, loquebatur tantum dum ceteri clamarent; dúmque intelligi non possent quid diceret, & hac ratione placebat sibi: cumque ceteri tacerent, ipse, ne verbum quidem, proferebat, hac arte disertus quilibet esse posset, si hoc esset esse disertum. Prouocat igitur eum Martialis, vt tacentibus ceteris dicat aliquid. Primus versus non admodum placet, vt legitur in vulgatis: arrident magis appositæ in margine Plantinianæ editionis emendationes, quibus melior lectio sic habet,

„ *Dum clamant omnes loqueris hinc Næuole tantum.*

Nam illud *semper* non significaret, tacentibus aliis, tacuisse etiam Næuolum. Illud autem *tu* non videtur ab emuncta Poëtæ nare positum.

D

Ad Flaccum. XCVIII.

Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat,
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.

Πρὸς Φλάκκον. ϟθ'.

Κλητεύει κάμνων Διόδωρος Φλάκκε ποδάγρᾳ.
Τῷ δὲ δικηγόρῳ οὐ δοὺς τι χειράγραν ἔχει.

RAMIR. DE PRADO.

FACETVS lusus per correctionem quod Diodorus quidam podagra laboraret, & litigans nil persolueret patrono; hunc non esse pedum mor-

bum dicit Poëta, sed manuum, quæ chiragra dicitur: & hic manuum morbus metaphoricè dicitur; ille pedum vere: nam vitium quodvis per metaphoram morbum appellant fere omnes nationes, & Latini vt diximus supra epigr. 90. n. 1. facetissime Hispani dicimus, quando aliquam insaniam præ se ferentem, videmus. *No tiene el mal en los pies, sino en la cabeça.* Manus verò cum instrumenta largitionis sint, largas esse cùm damus: contractas verò, cùm parci sumus, dicimus. Diogenes, vt est apud Laertium, ἔλεγε δὲ καὶ δεῖν τὰς χεῖρας ὅτι πρὸς φίλους ἐκτείνειν μὴ συγκεκαμμένοις τοῖς δακτύλοις. Id est. *Dicebat manus ad amicos non complicatis digitis extendi oportere*, quod hoc loco Raderus adnotauit, desumens ex Petro Nanio suppresso eius nomine.

Ad Calenum auarum. C.

Non plenum modò vicies habebas:
Sed tam prodigus, atque liberalis,
Et tam lautus eras Calene, vt omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit vota deus, precésque nostras
Atque intra, puto, septimas Kalendas
Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
At tu sic quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abîsti
In tantam miser esuritionem,
Vt conuiuia sumtuosiora,
Toto quæ semel apparas in anno,
Nigræ sordibus explices monetæ,
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbea selibra.
Quid dignum meritis precemur istis?
Optamus tibi millies, Calene.
Hoc si contigerit, fame peribis,

DOMITIVS.

NON *plenum*] In Calenum, qui cùm priùs pauper esset liberalis, nunc adeptus centies milia factus erat auarus, tantæ auaritiæ, imprecatur Mart. vt millies millia habeat, quoniam si id contigerit, præ auaritia abstinebit cibo.

SEPTIMAS *calendas*] i. septem menses.

MORTES] Mortuorum hæreditates.

NIGRÆ *monetæ*] Nigra moneta dicebatur ex ære, vt fulua ex auro, neque probanda sententia illorum, qui putarunt Flauios, id est, Vespasianum, & liberos signasse monetam fuluam, nam longè ante eorum tempora P. Decius tribunus militum donatus obsidionali corona, mactauit taurum, & dedit centum fuluos.

SEMEL *in anno*] Natali suo.

SELIBRA *plumbea*] Repetit, quod dixit, monetam nigram: cùm tamen nulla ex plumbo fuerit percussa, dixit plumbeam, vt deprimeret.

SELIBRA] Genus ponderis. i. vt libra seruatis hîc nominibus in numero pecuniæ, quoniam

A priùs argentum & aurum appendebatur. Veruntamen libripendes dicebantur, qui pendebant; vt Varro docet.

RAMIR. DE PRADO.

Vulgare vitium multis epigrammatis emendare conatur Martialis: Est enim meo iudicio omnium efficacissima reprehensio vitiorum eorundem irrisio. Sunt eiusdem argumenti epigrammata infra 104. & lib. 4. 51. & lib. 6. 79. Est autem id vitium quod ad ampliorem fortunam elati homines angustius & parcius viuunt, & qui in tenuissima re liberales erant in summis diuitiis sordidi fiunt.

1 NON *plenum modò vicies habebas.*] Id est vicies centena millia numum H S. Hispanè *veinte quantos de marauediz. Non plenum*, id est, non iustum, vel non rotundatum: Sic enim loquitur,

B Hor. ep. 6. lib. 1.

Mille talenta rotundentur, totidem altera: porrò
Tertia succedant, & quæ pars quadret aceruum.

Plenum centies, dixit lib. 5. epig. 71.

2 SED *tam prodigus, atque liberalis, & tam lautus eras.*] Prodigum non posuit hoc loco, sed pro largitate & effusione liberalem dixit propria significatione: lautum intelligit in conuiuiis in excipiendis amicis & hospitibus cum splendore.

3 OPTARENT *tibi centies amici.*] Commune votum erga largos & liberales. Centies centena millia numum H. S. Hispanicè, *cien quentos de marauediz.*

4 AT *tu si quasi non foret relictum: Sed raptum tibi centies.*] Alget sententia. Quid enim est raptum tibi centies, quomodo raptum quod non

C erat antea? leuissima literarum transpositione restitues acumen suum Poëtæ: pro *raptum*, lege *partum*. Est enim antithesis familiaris huic Poëtæ inter relictum & partum sic ep. 47. lib. 10. de vit. beata.

Res, inquit, non parta labore, sed relicta.

Estque acutissimus sensus: Quod in iis quæ relicta nobis sunt, liberaliores, simus quam in iis quæ nobis labore, & sudore constant, quod hæc soliciti & laboris memores retinemus, illa vt quæ nihili nobis constant, largiter profundimus. Sic Aristot. 2. Rhetoric. eos qui à maioribus suis relictas habent opes, liberaliores esse dicit, quàm eos qui labore proprio illas sibi compararunt, cum antea pauperes essent, quod rudiores diuitiarum sint, verumque earum vsum qui in libe-

D ralitate positus, ignorent: Vnde magis relictis, quam partis rebus gaudemus semper: Pers. sat. 6.

--- Vis tu gaudere relictis?

5 IN *tantam miser esuritionem.*] Id est, auaritiam & sordes quibus familiaris est esuritio. Est autem hoc verbum vsitatum Catullo, à quo desumsit id Martialis.

6 NIGRÆ *sordibus explices monetæ.*] Nigram monetam æream appellat: nolebat enim hic aurum aut argentum in amicorum conuiuiis profundere. *Sordibus* dixit quod ea moneta sordeat: Sic lib. 12. ep. 57. nummularij mensam sordidam vocat, quæ vilem monetam contineret; qua numeranda manus & mensa sordent: Idque dicitur per contemtum. Explicare autem conuiuia quid sit, forte multi ignorabunt: Eadem pæne dicendi formula vsus est infra epig. 104.

Explicat & cœnas vnica mensa duas.

Egò ſic accipio. Auarus iſte, quæ multò ante tempore apparabat, hæc magnifica ſuo iudicio conuiuia, quicquid poterat ad ea ſeruare condebat, & deinde promebat in menſas; hoc vocat explicare conuiuia, id eſt, ita ſtruere vt ea quæ complicauerat & aſſeruauerat ante explicauerat, & promeret in iis: Ideo hoc verbo mirè rem hanc ſignificante vſus eſt Poëta, & hac dicendi formula, nemini, quod viderim, vſurpata, præter elegantiſſimum Petronium Arbitrum, cuius verba ſunt. *Vtrumque tamen tanquam non agnoſcerem, fabulam tacui, & cœnæ ordinem explicui;* Sunt enim verba Encolpi, *qui antea initiauerat Eumolpum ſecum; ſupraque ille ipſe dixerat. Imo, inquam ego, ſi eiuras hodiernam bilem, vna cœnabimus, mando adiculas cuſtodi cœnulæ officium.* Et paulò poſt, *& iam plena nox erat, mulierque cœnæ mandata curauerat.*

7 SEPTEM *veteres tui ſodales.*] Eſt Emphaſis in numero, quod non auſus fuiſſet Muſarum numerum implere, quemadmodum lautiores, qui etiam illum conuiuarum numerum ſuperabant: vt apud Horat. lib. 1. ſat. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Eſt etiam emphaſis in verbo *tui*: Non enim erant ſodales tantum inter ſe, ſed omnes huius Auari. Eſt & in verbo *veteres*, quibus maior habenda eſt reuerentia. Vetuſtas enim vt in vino, ſic in amicis commendatur: Obuia paſſim in Martiali exempla; ſed illuſtrius ſupra epigr. 55. quod vide: Sic conqueritur lib. 7. epigr. 85. ſe præteritum à Sexto natali die, cúmque dixiſſet,

Eſſem cum tibi, Sexte, non amicus.

Subiungit deinde,

Quod ſum prateritus vetus ſodalis?

8 CONSTEMVS *tibi plumbea ſelibra.*] Id eſt ſelibra monetæ plumbeæ quam ſupra vocat nigram. Romæ verò non cudebatur plumbeus nummus, ſed irriſoriè plumbeum appellat æreum, vt lib. 10. ep. 74.

Centum merebor plumbeos die toto.

Id eſt, centum quadrantes pro ſportula qui ærei erant. Sic Plautus in Trinum.

Cui ſi capitis reus ſit, nunquam credam nummum plumbeum.

Appellabant autem plumbeum veteres, quod in quoque genere deterius erat, vt lib. 10. epigr. 49. de vino Sabino, ſibi à Cotta in auro propinato.

Quiſquam plumbea vina vult in auro? Et epigr. 94.

Nec furem plumbea mala timent.

Antitheticῶs dixit plumbea mala, cùm Alcinoi aurea poma nominaſſet, vt in ſuperiori illud in auro: Contra ponitur plumbeo vino: quæ erant precioſiora, aurea vocabunt.

9 HOC *ſi contigerit fame peribis.*] Elegans argumentum à proportione æqualitatis ſumitur: nam ſi conſecutus centies abiit hic in ſummam eſuritionem, conſecuturus millies peribit fame.

De Afra vetula. CI.

* *Mammas, atque tatas habet Afra: ſed ipſa tatarum*
Dici, & mammarum maxima mamma poteſt.

DOMITIVS.

MAMMAS] Hoc dictum eſt in Afram, quæ puellæ verbis vtebatur, & mammam matrem, tattam patrem appellaret, cùm ipſa eſſet anus. Perſi.

At iratus mamma lallare recuſas.

MAXIMA *mammarum:*] Abauia, & omnino anus. Cato de liberis educandis. Cùm cibum ac potionem, buas, ac papas, docent, & matrem mammam, patrem tatam.

RAMIR. DE PRADO.

IRRIDET meritò Afram putidam vetulam; quæ quod patrem & matrem haberet, ſe puellam venditabat, & matrem, mammam: patrem vocabat tatam, more pupullarum. Hæc autem fictitia nomina ſunt; quibus infantuli vtuntur edocti à nutricibus: ſed quæres qui dixerit Martialis mammas atque tatas habet? Nam vnicam mammam habitura erat Afra, & vnicam tatam. Reſpondent fortaſſe, vocabat ſenes, mares; & fœminas, tatas & mammas. Apage: non dixit Poëta, vocat: ſed, habet. Tu ſic ſolue nodum. Hæc habebat duas matres & duos patres. Quid, inquis, hoc monſtri eſt? Nutricium veteres patrem, nutricem matrem appellabant. Conſtat id liquido, ex l. 1. §. vlt. ff. de obſequio parentibus præſtando. Vbi Vlpianus ſic, *Indignus militia iudicandus eſt qui patrem & matrem a quibus ſe educatum dixerit, maleficos appellauerit.* Hic enim non de parentibus illa nomina patris & matris accipienda ſunt: Quid enim addidiſſet, *à quibus ſe educatum dixerit?* aut quid opus fuiſſet hac confeſſione educationis, ſi notam maleficij naturalibus parentibus inuſſiſſet; nonne hoc ſufficiens eſſet ad malitiæ indignitatem, quamuis non eſſet educatus ab illis? Idem affirmat D. Hieronym. ep. 1. his verbis, *Nutricius, ſecundus poſt naturalem pietatem pater*, (legerem libentius, *poſt naturalem parentem pater.*) Sed audi Nonium, *matrem veteres etiam nutricem dici volunt:* Plautus in Menechmis,

Ita forma ſimili puer vt mater ſua
Non internoſſe poſſet, qua mammam dabat:
Non adeò mater ipſa qua illos pepererit.

Virgil. Æneid. lib. 8.

Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuiſſe lupam, geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem.
Impauidos illam tereti ceruice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Vbi vides matrem lupam, non quæ pepererat; ſed quæ mammas dabat. Pædagogos etiam Papas vocabant, quod erant parentum vice, vt docet Iſidorus in gloſſis, & vetus Scholiaſtes Iuuenalis. Pædagogi etiam Papæ nomine, etiam à pueris balbutientibus vſurpato, vt tata. Cùm igitur Afra patrem & matrem nutricium, & nutricem haberet, mammas atque tatas habebat: ſed ipſa adeò erat vetula, vt omnium patrum & omnium matrum maxima mater, id eſt, abauia eſſe poſſet, quod per hyperbolen irriſoriè dictum eſt.

De Afro Demetrio. CII.

Illa manus quondam ſtudiorum fida meorum
Et felix domino, notáque Cæſaribus:
Deſtituit primos virides Demetrius annos:
Quarta tribus luſtris addita meſſis erat.

Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Vreret implicitum cùm scelerata lues,
Cauimus; & domini ius omne remisimus ægro:
Munere dignus erat conualuisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, méque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

DOMITIVS.

ILLA *manus*] Demetrium, cui epigrammata sua dictabat, deflet amissum: ait tamen se prosecutum esse morientem, quo potuit munere, hoc est libertate, nam ex seruitute ipsum manumisit. B

ILLA *manus*] Demetrij.

FIDA *meorum studiorum*] Quia excipiebat carmina.

NOTA *Cæsaribus*] Tito & Domitia. quibus epigrammata mittebantur, placet enim aliquid scriptum fuisse ad Titum, quamuis nihil in opere legamus præter Naucissum.

DESTITVIT *virides annos*] i. iuueniles. Multi Demetrij fuerunt: Nepos Antiochi, Demetrius Calcedonius orator. Alius Bizantinus philosophus. Tertiùs statuarius. Quartus Aspondius Apollinis discipulus. Quintus Calatianus scriptor. Sextus Bisantinus. item Septimus sophista, Octauus Trametinus appellatus Ixion. Nonus Cyrenæus. Decimus Septimus, & multi præterea, inter quos poëta quidem iambicus, hîc verò nomen serui.

MESSIS *quarta*] i. quartus annus, i. natus erat C xix. annum.

CAVIMVS] Prouidimus.

FAMVLVS] Seruus, quia manumisimus.

CVM *lues*] Morbus.

IVS *domini remisimus*] i. donauimus libertatem.

MVNERE *meo*] Libertatis.

SVA *præmia*] Libertatem.

ME *patronum*] Nam serui manumissi, authore Dionysio, dominos à quibus fuerant manumissi, patronos voce Romana appellabant.

ITVRVS *liber*] id est, donatus libertate.

RAMIR. DE PRADO.

Deflet immaturam Demetrij famuli amanuensis mortem, & simul ætatem eius, & narratiunculam de data libertate apponit.

In epigraphen illud forte ex epigraphe superioris epigrammatis irrepsit: nam hic puer vnde A- D fer?

1 ILLA *manus.*] Manus posuit per metonymiam pro seruo amanuensi, cuius characteres quibus depingebat Martialis epigrammata, placebant Cæsaribus ad quos illa mittebantur.

2 NE *tamen ad Stygias.*] Similis manumissio Glauciæ pueri facta à Meliore quodam eius Domino: & lib. 6. ep. 29. & Plin. Iunior epist. 16. lib. 8. *Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam & quidem Iuuenum: Solatia duo nonnumquam paria tanto dolori: sed tamen solatia. Vnum facilitas manumittendi. Videor enim non omnino immaturos perdidisse quos iam liberos perdidi.*

Ad Lycorim. CIII.

Qui pinxit Venerem tuam Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Mineruæ.

DOMITIVS.

QVI *pinxit*] Venus iudicio Paridis superauit Mineruam, & Iunonem pulchritudine, nunc Venus fuit malè picta. ait poëta pictorem voluisse blandiri Mineruæ, ne scilicet pulchrior videretur.

BLANDITVS *est Mineruæ*] Quia depinxit deformem Venerem, gessit morem Mineruæ, cum qua olim contendit de forma.

RAMIR. DE PRADO.

Apertus iocus in deformis Veneris imaginem, cùm dicat pictorem blanditum fuisse Mineruæ, quæ de formæ pulchritudine litigauerat olim cum Venere, & causa ceciderat. Pictores autem, Mineruæ clientes sunt. Idem iocus & hæc clientela exprimitur, lib. 5. ep. 41.

Pinxisti Venerem, colis Artemidore Mineruam,
Et miraris opus displicuisse tuum.

Ad Scæuolam. CIV.

Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebat nondum Scæuola factus eques:
Qualiter ô viuam, quam largè, quámque beatè!
Riserunt faciles, & tribuere Dei.
Sordidior multò post hoc toga; pænula peior:
Calceus est sarta térque, quatérque cute.
Déque decem plures semper seruantur oliuæ,
Explicat & cœnas vnica mensa duas;
Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli.
Asse cicer tepidum constat, & asse Venus,
In ius, ô fallax, atque inficiator, eamus:
Aut viue, aut decies Scæuola redde deis.

DOMITIVS.

SI *dederint superi*] Scæuolæ auaritiam accusat, qui cùm olim nondum haberet quadringenta sestertia, optans diuitias à Dijs, pollicebatur se forre liberalem, modò decies centena haberet: nunc eas opes assecutus viuebat auarè, & tenuiter.

NONDVM *factus eques*] i. cùm nondum haberes legitimum censum equestrem. i. quadringenta sestertia.

FACILES] Exauditis precibus.

POST HÆC] i. post paratas diuitias.

PÆNVLA] Vestis contra imbres.

DE *decem*] Sex seruantur.

DVAS *cœnas*] Id est, vna & eadem mensa, & vesceris, & reliquias seruas in alteram, & sequentem mensam.

VEIENTANI *rubelli*] Aut hîc deprauatum est nomen, aut apud Plin. Hoc enim genus vini rubelli non à Veientanis, & Nomentanis mitti scribit, vbi vuæ sunt rubentes, quas (vt ipse author est) nonnulli dixerunt rubellas, quæ nimiam fæcem habent, propterea ait Mart.

FÆX *crassa*] Deprauatus est Plinij codex, Veienti nascebatur. Horatius: *Veientanumque rubellum*, Idem Persius.

CICER *tepidum*] & madidum

INFICIATOR *& fallax*] idest, qui decepisti Deos, & qui depositum negas, nam inficiator est, qui negat depositum.

VIVE] Splendidè, & delicatè: suprà,

Hoc fortuna placet posthumus imposuit.

RAMIR. DE PRADO.

Epigramma est eiusdem argumenti cum superiore Centum de Scæuola, qui cùm nondum plena quadraginta haberet, decies optabat; quam pecuniam B consecutus, ad sordes & auaritiam delapsus est.

1 DICEBAT *nondum Scæuola factus Eques.*] Placent antiqui Codices Francisci Modij, qui vt ipse testatur, lib. 1. ep. 33. habent,

Dicebas nondum Scæuola iustus Eques.

Illud enim (*Iustus*) propriè dicitur de Equite, qui iustum habet quadringentorum summam ad Equestrem censum, epigr. 67. lib. 4.

Vt posset Domino plaudere iustus Eques.

2 RISERVNT *faciles & tribuere Dei.*] Risus in Diis, benignitatis & concessionis signum: Sic lib. 11. epigr. 7. de Roma,

Risisti: licet ergo, nec vetamur,

Risu enim quis videtur annuere, vt lib. 6. epigr. 82. C

Subrisit modicè lenique nutu,

Me quem dixerat esse non negaui.

Et lib. 8. epigr. 56.

Risit Tuscus eques, paupertatémque malignam,
Reppulit, & celeri iussit abire fuga.

Hunc autem versum imitatione desumsit à Virgilio ecloga 3.

——sed faciles Nymphæ risere sacello.

3 DEQVE *decem plures*, &c.] Id est, maior pars de decem, quæ ad minus sex continebat.

4 EXPLICAT *& cœnas vnica mensa duas.*] Vnica mensa est vnicum ferculum, nam epulæ ipsæ mensæ appellantur. Sic frequens est dicendi modus, bellaria secundis mensis sunt grata. Virgil. lib. 1. Æneid.

Postquam prima quies epulis mensæque remotæ.

Vbi mensæ pro obsoniis vel epulis posuit; nam deinde subiungit, D

Dixit, & in mensa Laticum libauit honorem.

Non igitur mensæ remotæ fuerant, sed epulæ, quibus onerabantur. hoc autem imitatione Græcorum dicunt Latini: nam Pollux apud Græcos τραπέζας vocari τὰ σιτία testatur. Quid autem sit, duas cœnas explicare, diximus supra epigr. 100. De ferculis verò ab vna ad aliam & aliam cœnas reseruatis, admonet epigramma 48. lib. 10. de Perne tres cœnas explicante,

——cœnisque tribus iam Perna superstes Addetur.

Et Iuuenalis de sordido quodam homine loquens sat. 14. vers. 127.

Ipse quoque esuriens, neq; enim omnia sustinet vnquã
Mucida cærulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio seruare minutal
Septembri, nec non differre in tempora cœnæ

A *Alterius concham æstiuam cum parte Lacerti*
Signatam, vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectiui numerata includere porri.

Et lib. 3 epigr. 57. hæc ferculorum in crastinum reseruatio, notatur his verbis,

Nec auara seruat crastinas dapes mensa.

5 ASSE *cicer tepidum constat.*] De cicere tepido dictum est sup. epig. 42.

6 ET *asse Venus.*] Per Miosin dixit *asse*, nam plebeïa Venus gemino constat asse, lib. 2. epigr. 53.

Si plebeïa Venus gemino tibi vincitur asse.

7 INius *ô fallax atque inficiatur eamus.*] Quid sit fallax obuium cuiuis, fallax fuit iste quod promiserat se large beatéque victurum, & postea ad summas sordes & esuritionem se ipse redegit: sed quid illud *inficiator?* quid inficiabatur iste? inficiabatur quidem ipso viuendi genere se decies à Diis accepisse: nam cum ea pecuniæ summa lautum & liberalem reddere debuisset, cùm sordidus & auarus appareret, si nõ verbo reapse & opere negabat eam pecuniam consecutum esse.

8 AVT *viue.*] Satis dictum de hoc verbo supra ep. 17.

De Spectaculo C V.

Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quod lupata cerui,
Quod frenis Libyci domantur vrsi;
Et, quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris;
Turpes esseda quod trahunt bisontes:
Et molles dare iussa quod choreas,
Nigro bellua nil negat magistro:
Quis spectacula non putet Deorum?
Hæc transit tamen, vt minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et securior est in ore præda,
Laxos cui dare, peruiosque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes.
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cum modo venerint iuuencis.
Hæc clementia non paratur arte,
Sed norunt cui seruiant leones.

Idem Græcè:

Τὴν ζεύγλην ὅτι δὴ φέρει τραχήλῳ
Στικτῷ πάρδαλις, ἀγρίαι τε τίγρεις
Θυμῷ τλήμονι μάστιγαν ἀνέχει,
Τὰ χρυσοῦ ἔλαφος χαλινὰ δάκνει,

Φιμὸς τὸν Λίβυν ἄρκτον οἰακίζει,
Οἷον τὸν Καλυδῶνα φασ' ἐσελκεῖν,
Κάπρος πείθεται εὐστρόφοις λεπάδνοις,
Εἰδεχθής τε βίσων ὄχοις ἀγει,
Εὐπειθής τ' ἐλέφας ὑγρὰς χορείας
Κινεῖται κατὰ τὴν κέλευσιν Ἰνδοῦ·
Τίς ταῦτ' οὐ δοκέοι θέαμα θεῖον;
Τοῖς δ' εἰς ὑποδμώων καταφρόνησιν
Τιθὰς ὅστις ἴδοι λέοντας ἄγρας,
Οὓς πτώσσουσα φυγὴ λαγῶν ἐγείρει,
Ὧν θὴρ δράττεται ἀφεὶς, φιλεῖ δ' ἀλύοντας·
Τοῖς δ' ἐστὶ σκέπας ἀσφαλὲς τὸ χάσμα,
Οἷς λευκὸν γένυος κύτος δέδοικεν
Χαίρει φειδομένους χαλῶν ὀδόντας·
Θήρην αἰδόμενος μικρὴν σπαράττειν
Τῶν ταύρων στερεοῖς τὰ σώματ' ἄρτι·
Τέχνη μὲν τόδε τέρας οὐ πορίζει·
Ἀλλ' οὐ δοῦλος ἔφυ, λέων συνῆκε.

DOMITIVS.

PICTO] Notus lusus leporum & leonum.

PICTO *collo*] Nam picti sunt pardi maculis.

INDVLGENT *patientiam*] i. ferunt æquo animo flagella.

LVPATA] Frænos aureos.

CALYDON] Oppidum in Ætolia, vbi Meleager interemit aprum.

BIZONTES] Animalia iubata in Germania sunt.

BELLVA *nigra*] Elephas.

LAXOS *rictus*] Aperta ora, & peruia.

TENERE] Comprimere.

CVI] Cæsari mitissimo, & clementissimo.

RAMIR. DE PRADO.

Vltimum est epigramma de leonibus leporum lusu gaudentibus: sed elegantissimè scriptum per comparationem aliorum spectaculorum, hoc præferens ceteris omnibus.

1 IMPROBÆQVE *tigres indulgent patientiam flagello.*] Improbas tigres dixit, quod ferocissimum id animal sit & difficilimè cicuretur. Illud autem *indulgent patientiam*, notandum est vehementer, quod summa & proprietate & elegantia dictum sit à Poëta: Non enim significat quod cuiuis sese obuium offert, id est, patienter flagella sustinent propter metum aut fatigationem, vt Seneca elicit, ep. 4. de leonibus: *Aliter leo aurata iuba nitet dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur.* Sed sic accipe, indulgere dare est, vel facere aliquid tua voluntate, quod alias poteras negare, si velles: sic hæ tigres cùm possent contra flagellatores insurgere, & flagella non pati sua voluntate & reuerentia Cæsariani Numinis, eam patientiam indulgebant flagello quod postea dicturus erat Poëta:

Quis spectacula non putet Deorum?

Et statim eadem sententia,

Hac clementia non paratur arte:
Sed norunt cui seruiant leones:

Et lib. spectaculorum, epigr. 17. de elephante,

Non facit hoc iussus, nullóque docente magistro,
Crede mihi: numen sentis & ille tuum.

A Vbi vide quæ notauimus.

2 NIGRO *bellua nil negat magistro.*] Afri serui elephantorum magistri erant fusco ipsi vt bellua colore: sic epigr. 77. lib. 6.

Quęque vehit similem bellua nigra Libyn.

Cetera huius epigrammatis liquent ex epigrammatibus superioribus eiusd. argumenti, 7. 15. 23. 45. 46. 49. 52. 61.

Ad Ouidium. CVI.

In Nomentanis, Ouidi, quod nascitur agris;
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosa mores, nomenque senecta,
Et quicquid voluit testa vocatur anus.

B Idem Græcè.

Γινόμενος πεδίοις ἐνὶ Νωμεντανοῖσι πιθάκνῃ,
Οἶνος γηραλέῳ καὶ τῇ δεξαμένῃ,
Στρυφνὴν πουλυετὴς ἀπὸ γήραος ἴχνη λῦσε
Καὶ πίθος ἴσχε γέρων οὔνομα πᾶν ὅ, τι οὖν.

DOMITIVS.

IN *Nomentanis.*] Vinum Nomentanum nouum pessimum est, vetus optimo cuique vino conferendum: vt vel Falernum, vel Chium, vel Setinum possis commodè, ac rectè appellare: de nouo in Distichis.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum,
Si te quintus amat, commodiora bibes.

C Nomentanum agrum neglectum ad decem lapides. Acilius Stenelius, & Palæmon grammaticus, sua industria in summam fertilitatis laudem excoluerunt.

QVIDQVID *voluit testa anus.*] Hoc est, vetus potest cum quouis certare, alibi de falerno. Quod vis nomen habere potest.

RAMIR. DE PRADO.

Commendat Nomentanum vinum vbi ipse agrum habebat, vetustate tamen ad perfectam cocturam adductum.

1 EXVIT *annosa mores nomenque senecta.*] Mores, id est, asperitatem & ingratum saporem; nomen quod male audiret id vinum annosum, tamen & vetus nullus appellaret Nomentanum.

2 ET *quicquid voluit testa vocatur anus.*] Similis sententia, epig. 117. lib. 13. cuius lemma, Mamertinum scilicet vinum.

D *Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta*
Si detur, quodvis nomen habere potest.

Scribebant in amphoris vinariis Consules quorum anno fingebantur, vt vini ætas deinceps perciperetur; quamuis etiam post factas amphoras puras adititij tituli his supponerentur, vt dictum est ex Petronio supra epigr. 19. & vulgatum illud est Horatij ad amphoram cum inscriptione à figulo apposita. *O natam mecum Consule Mario.*

Dicit igitur Martialis ad tantam bonitatem Nomentanum vinum media vetustate peruenire, vt amphoræ eius quicunque titulus possit conuenire: ita vt vel possit subscribere, Opimianum vinum vel Falernum centum annorum, vel alium quemuis titulum.

Ad Rufum. CVII.

Interponis aquam subinde Rufe,
Et si cogeris à sodale, raram
Diluti bibis vnciam Falerni.
Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Næuia, sobriásque mauis
Certæ nequitias fututionis?
Suspiras, retices, gemis: negabit.
Crebros ergo bibas licet trientes,
Et durum iugules mero [a] *pudorem.*
Quid parcis tibi Rufe? dormiendum est.

DOMITIVS.

INTERPONIS *aquam*] Deridet Rufum frustrà expectantem Næuiam, de qua suprà, parcebat enim vino, vt diutiùs posset expectare. [a] v. dolorem.

SVBINDE] Frequenter.

DILVTI] Mixti vini.

SOBRIAS *nequitias*] i. sobrium coitum.

NEGAVIT] Quasi diceret eum abstinere vino, cùm amica non esset ventura.

RAMIR. DE PRADO.

Est epigramma hoc de eodem Rufo & Næuia, de quibus sup. epigr. 69. Hic Rufus erat vxorius, & vxor Næuia impudica, & forte negabat viro sæpiusculè: & quando promittebat, existimabat Rufus summam sibi paratam felicitatem. Cœnabat cum Martiale, & nolebat merum bibere, quod merum existimetur Veneris eneruare vires, dilutum autem accendere: volebatque Rufus in eo prœlio constare sibi vt maiorem caperet sobrius voluptatem. Ex hac potione coniectatur Martialis promissam Rufo à Næuia noctem, & deinde ex suspirijs, silentio & gemitibus coniectatur negatam esse. Admonet igitur vt frequentibus vtatur poculis, nec parcat sibi, quod dormiendum sit, & non futuendum illi.

1 DILVTI *bibis vnciam Falerni.*] Fran. Modius, epist. 33. ad Posthum. ex c. v. legit *lymphati*, & amplectitur quod apud Horatium, lib. 2. carm. ode 11. legatur *restinguere pocula lympha*: sed ego non admitto epitheton hoc vt nimis Poëticum, in epigrammate adeo proprio sermone conscripto: sed retinenda est vulgata lectio.

2 POLLICITA *est tibi beatam noctem Næuia.*] Familiaris Latinis dicendi modus, promittere noctem, negare noctem, pascisci noctem, vti nocte, vt honestè concubitus significetur: Ouid. lib. 1. Amorum, eleg. 8.

Sæpe nega noctem: capitis modò finge dolorem.

Et eadem elegia paulò ante,

Qui quia pulcher erit poscet sine munere noctem.

Et eleg. 11. eiusdem libri,

Inque ministerijs furtiua cognita noctis.
Vtilis, & dandis ingeniosa notis.

Petron. in satyr. *Ego autem nactus occasionem vindicta Eumolpum excludo, redditaque scortillo vice sine æmulo scilicet, & cella vtor & nocte.*

3 NEGABIT.] Rectè Fransciscus Modius eodem loco legit, *negauit*: & corruptum esse locum, pro-

A pter affinitatem literarum *b.* & *v.* consonantis. Est enim hic Poëtæ coniectura qua diuinat repulsam Rufi ex suspirijs, reticentia & gemitu.

4 ET *durum iugules mero pudorem.*] Omninò legendum *dolorem*, vt est in veteri Codice, id est, molestiam & tristitiam contractam ex repulsa; & est elegans dicendi modus: Quam sententiam alijs verbis expressit Horatius, ep. 5. lib. 1. de ebrietate,

Sollicitis animis onus eximit.

Et lib. Epodũ, ode 9.

Curam metumque Cæsaris rerum iuuat,
Dulci Lyæo soluere.

Hinc Bacchus Liber dictus quia liberat à curis. Est elegans locus apud Senecam, lib. de tranquill. vitæ, cap. vlt. *Nonnunquam*, inquit, *& vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos; sed vt deprimat curas, trudit enim curas, & ab imo animo mouet, & vt morbis*

B *quibusdam, ita tristitiæ medetur: Liberque non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed quia liberat seruitio curarum animum, & asserit, vegetiorem audacioremque in omnes conatus facit.*

5 DORMIENDVM *est.*] Id est, non est tibi coëundum: Somnus enim vicarius erat congressus cum vxore: deficientibus enim amicis, quæ vel negabãt vel fallebant, inuocabatur Somnus: sup. epigrammate 72.

Et quia nulla venit; Tu, mihi, Somne, veni.

Vide quæ ibi notauimus.

Ad Lucium Iulium. CVIII.

Sæpe mihi dicis, Luci, clarißime Iuli,
Scribe aliquid magnũ; desidiosus homo es.
C *Otia da nobis: sed qualia fecerat olim*
Mæcenas Flacco, Virgilióque suo.
Condere victuras tentem per sæcula [a] *curas,*
Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci:
Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

DOMITIVS.

SÆPE *mihi*] Ad L. Iulium sodalem affert causam, quare non scribat aliquid magnum, quia nullum scilicet sit præmium, nec otium. [a] v. chartas.

ALIQVID *magnum*] Id est nolo versari in epigrammatibus.

FLACCO] Horatio.

D MOECENAS] Aluit Flaccum, & Maronem.

IVVAT] Quia cum fructu est.

CHRISTOPH. COLERVS.

CONDERE *victuras tentem per sæcula chartas*] Sic lego, non *curas*. Rarò adeò vera & intaminata Martialis vocabula in ipso contextu inuenias, sed dici caussa, in margine hærent. Sic lib. 3. epig. 20.

Vtrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?

RAMIR. DE PRADO.

Respondet Lucio Iulio amico suadenti, vt aliquod magnum opus scriberet, epopeiam scilicet vel Lyrica & Dithyrambica, vt Virg. & Horatius scripserũt: Respondet, inquam, se otia desiderare, & non quæ-

cunque, sed qualia olim Mœcenas Horatio & Virgilio dederat, quos notissimum est à Cilmo Mæcenate fuisse locupletatos.

1 Et *nomen flammis eripuisse meum*] *Flammis*, intellige, rogi & funeris sui, id est, superuiuam meis cineribus: sic Horat. ode vlt. lib. 3.

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam, &c.

Et noster epigr. 2. lib. 10.

Pigra per hunc fugies ingrata flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.

Et Propert. lib. 3. eleg. 2.

At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet. ingenio stat sine morte decus.

2 Pingve *solum lassat, sed iuuat ipse labor.*] De iuuandi verbo supra epigr. 13. satis multa. Eadem acceptione hic sumendum est *iuuat*, id est, quæstui est, loquebatur enim de diuitijs, quæ erogatæ Poëtis, & quas sibi optabat ad otia consequenda.

Ad Gallum. CIX.

Est tibi, sitque precor, multos crescátque per annos,
Pulchra quidē, verum Trāstiberina dom⁹.
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus:
Factus in hac ego sum iam regione senex.
Migrandū est, vt mane domi te Galle salutē:
**v. est. *v. aula.* *"Es tanti vel si longiùs" illa foret.*
Sed tibi non multum est, vnū si præsto togatū:
Multum est, hunc vnū si mihi: Galle nego.
**v. te sæpiùs. *v. dicet a- ueto, liber.* *Ipse salutabo decima, " vel seriùs hora:*
Mane tibi pro me" dicat auere liber.

DOMITIVS.

Est *tibi, sitq;*] Ad Gallum, cui pænè idem scribit, quod scripsit Proculo, se scilicet non iturum ad salutandum, sed missurum manè librum, & post decimam se iturum.

Transtiberina] Procul.

Vispanas *laurus*] Porticus Romæ, quæ Vispana dicebatur, cuius meminit Tacitus, huius nemus, & lauros spectabat Martialis à fenestra.

Es *tanti*] Precij: hoc officium vt te salutem.

Non *est multum*] Si veniō comes, & me præsto comitem: sed multum est si me mihi ipsi nego, vt amitto tempus, id est, non vaco litteris, & veræ vitæ.

RAMIR. DE PRADO.

Excusat se Gallo quod non mane ad eum salutandum eat, & dicit librum quem mittit vicariam operam præstaturum, seque iturum ad cœnam: Causatur autem domuum distantiam.

1 At *mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.*] Vipsanas laurus, id est, porticum Marci Vipsani Agrippæ, in cuius regione via lata habitabat Martialis. *Cœnacula* sua dixit irrisone: Non enim credibile Equitem Romanum in cœnaculis habitasse: sunt namque cœnacula supremæ domus partes, quæ plerumque pauperibus locabantur, & ad ea scalis altis ascendebatur: Sic alibi infra epig. 118.

Scalis habito tribus, sed altis.

Cœnaculorum multa mentio in Pandectis, præci-A pue titulo, de his qui effuderunt vel deiecerunt. vbi l. Si vero supra cœnaculariam exercere quid sit, fortè ignotum. Est cœnacularij mentio l. solutum. §. solutam. ff. de pignerat. act. significatque ibi cœnacularius is, qui ab eo qui totam domum à domino conduxit cœnaculum. Hic autem si id cœnaculum vel eius partem alijs locabat dicebatur cœnaculariam exercere, quod colligo ex ipsis Vlpiani verbis in l. Si verò. *Nam etsi quis (inquit) cœnaculariam exercens ipse maximam partem cœnaculi, solus tenebitur.* & paulò post. *Sed si quis cœnaculariam exercens, modicum sibi hospitium retinuerit, residuum locauerit pluribus: omnes tenebuntur, quasi hoc cœnaculo habitantes, vnde deiectum effusumue est.* Vbi perspicuè cœnacularium cœnaculum solum conducere: quòd si alijs locasset, cœnaculariam exercere dicebatur. Habitasse autem & conduxisse cœnacula pauperes, bellè docuit Vlp. in d. l. solutum eodem §. illis verbis: *Plane in eam dūtaxat* B *summam, inuecta mea, & illata tenebuntur, in quam cœnaculum conduxi: Non enim credibile est, hoc conuenisse, vt ad vniuersam pensionem insulæ friuola mea tenerentur*, friuolorum enim nomine intelligebant veteres, pauperum curtam supellectilem: Vnde Iuuenalis sat. 3. vers. 97.

Viuendum est illic, vbi nulla incendia, nulli
Nocte metus: Iam poscit aquam, iam friuola transfert
Vcalegon, tabulata tibi iam tertia fumant.

De aqua est pulcherrimus locus in l. nam salutem. §. vt curam ff. de off. Præf. vigilum. Vt curam adhibeant omnes inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendij casus oriatur, præterea vt aquam vnusquisque in cœnaculo habeat, iubetur admonere. Hic autem pauper quem Iuuenalis irrisorie Vcalegonem appellat, habitabat in cœnaculo, & 74.

2 Sed *tibi non multum est, vnum si præsto togatum.*] Togam enim anteambulones in honorem amici ma-C gni sumebant, epigr. 57. lib. 2.

Quem grex togatus sequitur & capillatus.

Et lib. 11. epigr. 25.

Hoc quisquam ferat, vt tibi tuorum
Sic maior numerus togatulorum.

Comitatus togatorum, honorificus erat: in dial. de causis corruptæ eloquentiæ, qui Quintiliano tribuitur, hæc verba sunt de oratorum honore. *Iam verò qui togatorum comitatus & egressus? quæ in publico species? quæ in iudicijs veneratio?* &c. Et ad illud in vita beata, epig. 47. lib. 10. *toga rara*, locum istum fusius tractabimus.

3 Mvltvm *est hunc vnum se mihi Galle nego.*] Eleganter hunc locum persequitur multis verbis, lib. 11. ep. 25.

4 Ipse *salutabo decima vel serius hora.*] Legitur D in veteri Codice, *te sæpius hora.* decima hora erat hora cœnæ, lib. 4. epig. 8.

Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum:
Temperat ambrosias cùm tua cura dapes.

Si verò retineas *Sirius*, significabit cœnas diuitiorum longiusculas esse, & ad multas horas. Veniam igitur vel ipsa cœnæ hora, vel iam dimidia cœna, quando caletur mero, & poscitur maioribus poculis.

5 Mane *tibi pro me dicat auere liber.*] Id est, pro me sit liber ipse salutator, dum ego componendis versibus mane domi maneo. nam salutator nil scribere possum, vt supra epigr. 71.

Sic licet excuses quia qualiacumque leguntur
Ista, salutator scribere non potui.

De catella Publi. CX.

Issa est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbæ,
Issa est blandior omnibus puellis.
Issa est carior Indicis lapillis.
Issa est deliciæ catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiámque gaudiúmque.
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Vt suspiria nulla sentiantur.
Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit vlla:
Sed blando pede suscitat, toróque
Deponi rogat, & monet lauari.
Castæ tantus inest pudor catellæ.
Ignorat venerem: nec inuenimus
Dignum tam tenera virum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam,
Vt sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabella:
Aut vtrámque putabis esse veram,
Aut vtramque putabis esse pictam.

DOMITIVS.

ISSA *est*] Publius in delitijs habebat catellam, de qua alibi. *Publius exiguæ si flagrat amore catellæ.*

ISSA] Insula in Illyrico est, vnde non procul erat Melita, vt Strabo scribit: & Plin. delicati mittebantur canes, vnde canes melites dictos putat Callimachus, vt non incommodè hanc catellam meliteam possis appellare.

NEQVIOR] Lasciuior.

SENTIT *tristitiam, & gaudium*] i. mœret, & gaudet, ac si haberet sensus humanos.

DESIDERIO *ventris*] Scilicet, emittendi.

RAMIR. DE PRADO.

Est hoc epigrammate magnus quidem Poëtæ conatus in describenda catella Publii, & eiusdem laudanda pictura: quo forte sibi, vt mihi visus est, Catulli passerem, Stellæ columbam, Papinij psittacum superasse: quas aues procul dubio hæc catella deformauit.

1 ISSA *est passere nequior Catulli.*] Primo statim versu ostendit Poëta, quàm sibi placuerit hæc catellæ descriptio, cùm non eam comparauerit cum passere viuo; sed cum epigrammate & poëmate Catulli: nam si de naturali passere loqui vellet, non Catulli, sed Lesbiæ passerem diceret. *Nequior* autem accommodatum verbum est ad lusus lasciuos, qui nequitiæ appellantur, vt lib. 4. epig. 42.

Nequitias tellus scit dare nulla magis.

2 PVRIOR *osculo columbæ.*] Prouerbialiter dictum de re pura, non autem simpliciter dictum: nam & A artificium in hoc suboleo Poëtæ, quod voluerit insinuare purius esse hoc epigramma Stellæ poëmatio, quo puellam depingebat. De Psittaco Papinij nullam heic fecisse mentionem non miror; nam nescio qua de causa hic magnum Poëtam Statium omninò in omnibus suis libris prætererit, & supra epigr. 62. quo Poëtas insigniores recenset, qui suo tempore florebant, Papinium viuum non putauit: Vellem ab aliquo docto viro huiusce rei causam doceri.

3 SENTIT *tristitiamque gaudiumque.*] Ne intelligas significare Poëtam tristari catellam & gaudere: hoc enim cum sit omnibus bestijs commune, non esset in Issa laudandum: sed sentit hos affectus in Publio hero; nec cùm tristis est intempestiua festiuitate ei obstrepit, nec cùm gaudet desistit à festiuitate.

4 COLLO *nixa cubat.*] Placet Franciscus Modius B qui ex veteri codice legit *nexa*, ep. 33. lib. 1.

5 VT *suspiria nulla sentiantur.*] *Suspiria* posuit pro respiratione, quæ si crassior sit & vehementior, ronchus appellatur.

6 GVTTA *pallia non fefellit vlla.*] Elegans metaphora, quasi pallia paciscerentur cum catella ne mingeret, quòd si faceret falleret pallia: id non commisit catella, nec fefellit pallia gutta vlla.

7 HANC *ne lux rapiat suprema totam*] Ingeniosa hyperbole exprimendo sine pingendæ catellæ, qua excellentiam picturæ & imitationis declarat, quod ea pars Issæ, quæ oculis cernebatur, esset in ipsa pictura longo tempore post eius mortem duratura bene.

8 VT *sit tam similis sibi nec ipsa.*] Franciscus Modius eodem loco ex membranis emendat hunc locum, cùm reponat pro *Ipsa*, *Issa*. Est enim elegan- C tior affirmatio, & ea repetitio tergemina vocis *Issæ* maiorem habet venustatem.

Duo posteriores versus eiusmodi sunt, vt ausim affirmare in simili argumento, nullos inueniri similes.

Ad Velocem. CXI.

Scribere me quereris Velox epigrãmata lõga.
Ipse nihil scribis: tu breuiora facis.

D Idem Græcè.

Ἀργ' ἐπιμέμφεαι ὅτι γράφω ἐπιγράμματα
μακρά·
Αὐτὸς δ' οὔτι γράφων, ὧδε γράφεις βραχέα.

RAMIR. DE PRADO.

Multorum querela fortè Romæ erat, epigrammatum longitudinem accusantium, & breuissima requirentium: sic Poëta Cosconium ob hoc carpit, lib. 2. epigr. 77. & lib. 3. epigr. 82.

Vt faciam breuiora mones epigrammata Cocles:
Fac mihi quod Chione: non potui breuius.

Et lib. 10. epig. 59. reprehendit etiam præproperum & festinantem lectorem,

Consumpta est vno si lemmate pagina transis,
Et breuiora tibi non meliora placent.

Sic aliqui vt breuitate placerent, scribebant disticha, vt d. epigr. in Cosconium,

Sed tu Cosconi disticha longa facis.

Et epigr. 29. lib. 8.

Disticha qui scribit, puto vult breuitate placere.
Quid prodest breuitas dic mihi, si liber est?

Cùm igitur Velox idem quereretur, respondet Poëta ipsum breuiora facere quòd nulla scribat.

Ad Regulum. CXII.

v. laborū. *Cùm tibi sit sophiæ par fama, & cura* ** *deorum,*
v. suo. *Ingenio pietas nec minor ipsa* ** *tuo.*
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum:
Et qui miratur, Regule, thura dari.

DOMITIVS.

CVM *tibi sit*] Regulus causas agebat, cùm mittat ad eum epigramma Martial. ait non esse reprehendendum, quod interpellat occupatum in causis publicis, nam cùm Regulus non minùs habeat ingenij, vt libris possit delectari, quàm pietatis, qua vtitur in causis defendendis, non ineptè ei mittitur libellus.

MINOR *pietas*] Id est, cum habeas, & ingenium.

SOPHIÆ] Doctrinæ.

RAMIR. DE PRADO.

Mittebat Martialis epigrammatῶν librum ad Regulum, & simul thuris forte libellam: posset quis dona mirari tam humilia, tam opulento viro: Excusat Martialis munerum tenuitatem eorundem significatione; liber namque sapientiæ studioso mitti debet, thus verò Deos colenti, quibus sæpe thure faciendum est. Cùm igitur Regulus sapientiæ fama & pietatis opinione clarus esset, conueniens fuit hæc munera ei mitti.

In Priscum. CXIII.

* Vide Cornelij Vitelij annotationes in Georgium Merulam.

* *Cùm te non nossem, dominum, regemque vocabam:*
Cùm bene te noui, iam mihi Priscus eris.

Idem Græcè.

Κοίρανον ἄγνωστόν σ' ἔτι μοι καὶ ἄνακτα κάλεσσα·
Ἤδη δ' Ἀρχαῖον γνωστὸν ὅλως καλέω.

DOMITIVS.

CVM *te*] Ludit in Prisco nomine proprio, quod iocando accipit appellatiuè, ait enim, salutabam te antea Prisce, & appellabam te dominum & regem, volens aliquid impetrare, quoniam non noueram te auarum: nunc quòd mihi es cognitus, eris mihi Priscus, id est, te non colam, & te proprio nomine appellabo.

GEORGIVS.

CVM *te non nossem dominum, regémque vocabam*] Parùm eruditè enarratur hoc distichon, historiam enim latentem continet: scribit Seneca ad Lucillium, solitos fuisse priscos, quoties homini ignoto occurrerent, eum dominum, & regem appellare. Ad

A quem morem respiciens poëta, iocatur in Priscum, cuius nomen cùm ignoraret, non vulgari, sed honorifica appellatione dominum appellabat: posteaquā autem nomen eius nouit, iam Priscum vocabit, innuens videlicet honorabiliùs nomen eum amisisse, posteaquam cognitus fuit. Non tamen negauerim latentem morsum aliquem contineri qui tamen ab ea, quam diximus, consuetudine pendet.

RAMIR. DE PRADO.

Vrbana cuiusdam Prisci reprehensio est, & correctio Poëtæ, qui errore & ignorantia sordium huius hominis, cùm eum non nouisset, dominum honoris causâ Regemq; salutabat, vt Olum, lib. 2. epig. 68.

Quod te nomine iam tuo saluto,
Quem Regem dominum prius vocabam, &c.

B At verò postquam bene nouit, suo nomine vocabat. Lusus est in illis verbis, *iam mihi Priscus eris*, in quibus est ambiguitas: Non enim dixit vocabo te Priscum: sed eris mihi Priscus, id est, priscis temporibus natus, & tanquam Prisci illi qui multis seculis nos præcesserunt mihi non cognitus: Non me fugit quæ Gruterus congerit ad Senecæ ep. 3. quem, si vacas, vide.

Ad lectorem. CXIV.

Quæcunque lusi iuuenis & puer quondam,
Apinásque nostras, quas nec ipse iam noui,
Malè collocare si bonas voles horas,
Et inuidebis otio tuo lector:
C *A Valeriano Pollio Petes Quincto,*
Per quem perire non licet meis nugis.

DOMITIVS.

QVÆCVNQVE] Docet vbi eius Epigrammata emi possint.

INVIDEBIS *otio*] Quòd nolles terere tempus.

APINAS] Apinæ dicuntur res tenues, & vilissimæ, alibi Martialis:

Sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius istis:

Alij apinas dictas putant ab apino fructu, qui cortice fragili est, vt scribit Plinius. Alij ex prouerbio ludicro, quod erat apud antiquos. Apina, & Metaicra vrbibus deletis, cùm enim rem vilissimam, & nullius momenti volebant significare, apinam dixere, propterea ait Plin. Apinam euersam in ludicrum verterunt. Illud sanè constat rem exilem, & vilissimam D esse.

PER *quem non licet*] i. qui non sinit meas nugas perire, sed excipit, & edisceit.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma scriptum erat vt affigeretur fronti alicuius libelli, aut potius omnium libellorum simul scriptorum. quo admonetur lector vænales esse Poëtæ libros apud Quinctum Pollium Valerianum Bibliopolam.

INVIDEBIS *otio tuo Lector.*] Id est, si otij tui te ceperit inuidia & odium, ita vt malè id occupatum velis.

2 APINASQVE *nostras.*] Adagium, *tricæ apinæque*, quo etiam vtitur, ep. 1. lib. 14.

Ad Faustinum. CXV.

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fænius, & breue rus, vdáque prata tenet.
Condidit hîc natæ cineres, nomenq; sacrauit,
Quod legis Antullæ, dignior ipse legi.
v pater iisset vi. *Et Stygias æquum fuerat* " *patrem isse sub vmbras:*
v. Quod " *Sed quia non licuit, viuit, vt ossa colat.*

DOMITIVS.

Hos *tibi*] Epitaphium Antullæ in nemore consecrato à Fænio Telesphoro eius patre.

Dignior *ipse*] Pater, qui esset mortuus.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma & sequens 117. eiusdem sunt argumenti. Hoc scribitur ad Faustinum Telesphori vicinum, quo narrat Poëta Fænium Antullæ filiæ totum agellum in sepulchrum consecrasse, ibique filiæ ossa condidisse.

1 Nomenque *sacrauit.*] Quia sepulchra sacra erant, & inscriptiones tumulorum Dijs manibus fiebant: & aliquando addebatur sacrum. *Sacrauit*, igitur *nomen*, id est, sacrauit hoc rus filiæ nomine.

2 Dignior *ipse legi.*] *Dignior* dixit propter naturæ ordinem, qui requirit vt parentes ante filios discedant: Quando secus accidit, dicitur fieri turbato naturæ ordine, vel fatis malè iudicantibus: vt in L. nam etsi. ff. de inoff. testam. *Turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus quàm liberis piè relinqui debet.* & in inscriptione vrnæ Papiniani I C. inuentæ Romæ a quodam rustico, vt testatur Hieronymus Magius, lib. 2. miscell. cap. 11.

ÆMILIO PAVLO PAPINIANO PRÆFECTO PRÆTORIO IVRISCONSVLTO, QVI VIXIT ANNOS XXXVI. DIES X. MENSES III. PAPINIANVS HOSTILIVS EVGENIA GRACILIS TVRBATO ORDINE IN SENIO HEV PARENTES FECERVNT.

Posteriori formula in Moguntina inscriptione legitur, testante Godescalco Stevvecho in lib. 10. Apuleij quæ talis est,

L. SPERATI DESIDERATI ADVLESCENTIS SPEI ET PIETATIS INCOMPARABILIS SPERATI HERMODORVS ET IVLIANA PATRES MALE IVDICANTIBVS FATIS SVPERSTITES POSVERVNT. quem sensum explicat sequens versus,

Et Stygias æquum fuerat patrem isse sub vmbras.

In Procillum. CXVI.

Quædam me cupit inuide Procille
Toto candidior puella cycno,
Argento, niue, lilio, ligustro:
Sed quandam volo nocte nigriorem
Formica, pice, graculo, cicada.
Iam suspendia sæua cogitabas:
al. viuis. *Si noui bene te Procille,* " *viuis.*

DOMITIVS.

Quædam] In Procillum inuidum.

Ligustrum] Flos candidus.

Graculo] Graculi sunt aues, quæ gregatim volant, vt Var. & Fabius dicti à voce, quam edunt.

Suspendia *sæua cogitabis*] Præ inuidia.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet Procillum quendam inuidum, cùm dicat se cupi à puella candidissima; sed amare aliam nigerrimam. Audito illo priori summam capiebat Procillus molestiam, ita vt præ mœrore se esset suspensurus, audito verò posteriori respirauit. Nam inuidi tristantur alterius bono (erat autem bonum amari à tam candida puella) lætantur vero alterius malo, eátque malum deperire adeo nigram puellam.

Iam *suspendia sæua cogitabis.*] Melius in nouis editionibus *cogitabas*, quod habent etiam & veteres Colinçi, cui verbo adderem libenter interrogationis notam. Suspendia autem inuidorum esse colligo ex hoc loco & ex epigr. 76. lib. 4.

Causa est iam subiti nouique voti,
Pendentem volo Zoilum videre.

2 Si *noui bene te.*] Communis formula, *Si bene me noui, si bene te noui, si bene illum noui.*

Melius autem est (*viues*) quàm (*viuis*) id est, non suspendes te cùm videas me non frui illa oblata felicitate candidæ puellæ; sed delapsum esse in hanc miseriam nigerrimæ amicæ.

De Antulla. CXVII.

Hoc nemus æterno cinerum sacrauit honore,
Fænius, & culti iugera " *pauca soli.* v. pulchra.
Hoc tegitur citò rapta suis Antulla sepulchro:
Hoc erit Antullæ mistus vterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellū:
Perpetuò dominis seruiet iste suis.

RAMIR. DE PRADO.

Est alterum epigramma de Fænio & Antulla. *æterno*, dixit, *cinerum honore sacrauit*, quod sepulchra in æternum sacra essent. Nota autem sacrasse & iugera pauca culti soli vel (vt in veteribus legitur) pulchra, id est, sacrauit totum agellum, vt supra dixit, hortos, breue rus, & prata.

1 Cito *rapta suis.*] Quòd immatura morte, & turbato mortalitatis ordine decessit.

2 Hoc *erit Antullæ mistus vterque parens.*] Veteri more quo amici, coniuges, & denique omnes qui inter se insigni amore fuissent, vnico sepulchro clauderentur. Apuleius lib. 8. *Tunc propè familiares miseræ Charites accuratissime corpus ablutum munita sepultura. ibidem marito perpetuam coniugem reddidere.* Val. Maxim. lib. 4. cap. 6. de M. Plaucio, super vxore Orestilla mortua in gladium incumbente, *quem*, inquit, *amici sicut erat togatum & calceatum corpori coniugis iunxerunt, ac deinde subiectis facibus vtrumque vna cremauerunt: quorum ibi factum sepulchri Tarenti etiam nunc conspicitur, quod vocatur* ΤΩΝ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ. Similem casum de crematis coniugibus duobus Rabirij parentibus, narratur epigr. 71. lib. 10.

Bis sex lustra tori nox mitis & vltima clusit,
Arserunt vno funera bina rogo.

Iason item apud Valerium Flaccum lib. 5.

Quod tamen externis vnum solamen in oris
Restat, ait, caras humus hac non diuidet vmbras:
Ossaque nec tumulo, nec separe conteget ima;
Sed simul vt iuncti venistis in aequora fatis.

Strabo lib. 14. Paridis & Oenones idem sepulchrũ esse scribit, & Suet. in Augusto cap. 17. narrat eum Antonio & Cleopatræ communem sepulturæ honorem tribuisse, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussisse. apud Hebræos etiam hoc fuit in more, vno coniuges sepulchro claudi, vt vel vnico ex multis constat testimonio D. Lucæ in actis Apostolorum cap. 5. num. 10. εἰσελθόντες δὲ οἱ νεανίσκοι, εὗρον αὐτὴν νεκράν, καὶ ἐξενέγκαντες ἔθαψαν πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς. Id est, *intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & efferentes sepelierunt ad virum suum.* Thracum item consuetudine, decedente aliquo, vxor ex pluribus quas sibi coniunctas habuerat dilectior ex amicorum iudicio cultius ornata, ad eius tumulum efferebatur quò contegeretur, simulac cum viro: reliquis mœrentibus vxoribus, veluti magno illo Amoris vinculo solutis. & Tullius in Tusculanis lib. 1. ferè eundem morem Indorum refert. apud Græcos item memoriæ proditum est, vt cùm aliqui magna familiaritate mutuo inter se vtebantur, vno pallio viui se operirent, ac in morte eodem loco tumularentur in signum indissociabilis amicitiæ.

3 PERPETVO *dominis seruiet iste suis.*] Pulchra quidem sunt quæ adducit Raderus de monumentis quæ sequerentur vel non sequerentur. Tu tamen caue sis existimes hoc sepulchro inscriptum esse heredes non sequi; non enim de hoc loquitur Poëta: nam ineptum esset quod subiungit,

Perpetuo dominis seruiet.——

Quod si heredes sequeretur, dominus etiam seruiret, quòd heredes domini sint: Sed non loquitur hoc loco de monumento, sed de toto agello monumento consecrato: Ne, inquit, aliquis speret agellum hunc comparare sibi vel pretio, vel donatione, vel alia acquisitionis causa, propterea quod hinc alienari nihil potest, cùm totum consecratum sit, nec pars vlla relinquetur profana, quæ possit ad alium transire; sicque perpetuò dominis suis qui hunc agellum consecrarunt seruiet ipse.

In Lupercum. CXVIII.

Occurris quoties, Luperce, nobis:
Vis mittam puerum subinde dicis,
Cui tradas epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam.
Non est, quòd puerum Luperce vexes.
Longum est, si velit ad Pyrum venire,*
Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quæris, propiùs petas licebit:
Argi nempe soles subire letum.
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & inde totis.
Omnes vt citò perlegas poëtas.
Illinc me pete nec roges Atrectum:

*Nomen est regionis, in qua Martialis habitabat.

A *Hoc nomen dominus gerit tabernæ.*
De primo dabit, alteróue nido
Rasum pumice, purpuráque cultum
Denarijs tibi quinque Martialem.
Tanti non es, ais. sapis, Luperce.

DOMITIVS.

OCCVRRIS] Lupercus auarus volebat gratis habere epigrammata Martial. Poëta arguto ioco cum ludit. Luperci cuiusdam meminit Tacitus in bello aduersus Batauos.

AD *Pyrum*] Locum vbi habitabat Martial. potes ad pilam legere: Quod infrà indicat.

Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ:

Sed placet ad Pyrum, vt regio ad malum punicum B dicebatur, authore Suetonio in Domitiano.

FORVM *Cæsaris*] Non Domitiani, sed Augusti, in quo Archesilaus victor dicauit Venerem genitricem.

NIDO] Alio verbo dixit Horat.

Nulla taberna meos habeat, vel pila libellos.

Infrà Mart. *Hos nido licet inferas, vel imo.*

RAMIR. DE PRADO.

Lupercus quidam auarus & sordidus subinde Martialem interrogabat, An vellet mitti ad se puerum cui traderet libellum epigrammatωn, mutuo, quem lectum remitteret statim, Excusat Martialis longum interuallum à Luperci ad suam domum, & indicat vbi hi libelli sint vænales.

1 ET *scalis habito tribus, sed altis.*] Irrisoriè hoc dicit Martialis vt supra dictum est, epigr. 109, sed notanda vehementer illa particula, *sed*, quæ cum sua C natura aduersam sententiam ab eo quod dictum est, vel saltem mollientem significet, vt si dicas, Est quidem stultus, sed optimis moribus; Est deformis fœmina, sed honesta: à Martiale per iocum παραδόξως vsurpatur, cùm augere vult superius dictum, vt sic: Est deformis, sed impudica: Est stultus, sed prauis moribus. Estque iocus ab inexpectato, vt poteris per te mille locis notare, vt lib. 2. epig. 41.

Et tres sunt tibi Maximina dentes,
Sed plane picéique buxeique.

Et lib. 9. ep. 42.

Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens.

Quod semel animaduersum poteris facilè legendo obseruare: apud alios etiam auctores idem inuenitur, vt elegans illud Apuleianum de fœmina asi- D no succumbente.

Recepit (inquit) *me, sed totum.*

2 ARGI *nempe soles subire letum.*] Tmesis, qualis etiam est lib. 2. ep. 17.

Argique letum multus obsidet sutor.

De Argileto supra epig. 4.

3 ILLINC *me pete ne roges Atrectum.*] Omninò lego, *me roges Atrectum.*

4 DE *primo dabit alterove nido.*] Erant capsæ in pluteis bibliothecarum distinctæ numeris, quas metaphoricè nidos vocabant; ordine autem pretiosiores præcedebant; Sic vt ostenderet suorum libellorum apud Atrectum æstimationem de primo vel secundo nido daturum dixit; quos autem parui faciebant libros in vltimis nidis ponebant: Patet hoc ex epigrãmate 16. l. 7. ad bibliothecã Iulij Martialis,

Hos

Hos nido licet inseras vel imo.
Septem quos tibi misimus libellos.

5 RASVM *pumice purpuraque cultum.*] De hoc librorum cultu diximus supra pag. 67.

6 TANTI *non es ais! sapis Luperce.*] Ironica confessio qua non tam libri sui futilitatem, quàm sordes Luperci notat. Eundem sensum habes lib. 4. ep. 72.

Aes dabo pro nugis, & emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam, tam fatuè, nec ego.

Ad ᵛ Cæcilianum. CXIX.

v. Seditianum.

Cui legisse satis non est epigrammata centum,
Nil illi satis est ᵛ Cæciliane mali.

v. Seditiane.

A

RAMIR. DE PRADO.

Concludit librum, & simul excusat eius longitudinem ironicè, quasi postularet aliquis ab eo vt plura adderet epigrammata, dicit satis esse centum. Dixit perfectum numerum quamuis sint centum decem & nouem.

1 NIL *illi satis est Cæciliane mali.*] Allusit ad celebre dictum Callimachi Cyrenensis Poëtæ, quem Grammaticum propter humanarum literarum professionem appellat ille qui excerpta ex Athenæo scripsit initio libri tertij. *Callimachus*, (inquit) *Grammaticus magnum librum æqualem dicebat esse magno malo.*

Finis primi Libri Epigram. Martialis.

M

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER SECVNDVS.

SVMMA.

Martialis ſcribit hanc epiſtolam ad Decianum Emeritæ Auguſtæ Luſitaniæ oppidi ciuem. Quem & loquentem fingit hunc in modum. An tibi ô Martialis non facimus ſatis, ſi tua epigrammata lectitamus. Quid igitur epiſtola opus eſt? Quid hoc dices quod epigrammatis exprimere non valeas. Scio cur id facias, Tragœdos imitatus, epiſtola, vice prologi, vteris. Sed tua epigrammata cùm ipſa per ſe ſatis aperta ſint, curione, i. præcone, & quaſi interprete non indigent. Noli ergo epigrammatum iocos, & dicacitatem epiſtola velare, ac excuſare. Quæ parum præſidij aduerſus obtrectatores præſtat. Reſpondet Martialis. Verum profectò dicis, ô Deciane, longam nimis epiſtolam ſcripturi eramus. Non parum tibi lector debebit. Cui labore legendæ epiſtolæ adempto è veſtigio legere epigrammata tua cauſa licebit.

QVID nobis, inquis, cum epiſtola? parum ne tibi præſtamus, ſi legimus epigrammata? quid hîc porrò dicturus es, quod non poſſis verſibus dicere? Video quare tragœdi epiſtolam accipiant, quibus pro ſe loqui non licet: epigrammata *Curione non egent, & contenta ſunt ſua, id eſt, mala lingua. In quacumque pagina viſum eſt, epiſtolam faciunt. Noli ergo, ſi tibi videtur, rem facere ridiculam, & togam ſaltanti inducere perſonæ. Denique videas, an te delectet contra retiarum ferula. Ego inter illos ſedeo qui protinus reclamant. Puto me hercule Deciane, verum dicis, Quid, ſi ſcias, cum qua, & quàm longa epiſtola negotium fueris habiturus? itaque quod exigis, fiat. Debebunt tibi, ſi qui in hunc librum inciderint, quòd ad primam paginam non laſſi peruenient.

* Vide Turnebum l. 15. cap. 8.

Vide Turn. l. 18. cap. 13.

DOMITIVS CALDERINVS.

QVID *nobis, inquis*] Val. Mart. Deciano ſuo amico ſecundum librum mittit, eum introducit cõſulentem, cur epiſtolam epigrammatis pręponat, cuius authoritate commotus exit in carmen omiſſa epiſtola.

QVARE *tragœdi*] Horum mos erat vti prologo, quem hîc Decianus appellat epiſtolam: ratio erat, quia eo prologo, quo alloquebantur ſpectatores, nonnulla dicebant, quæ paulò pòſt occupatione fabulæ dicere non poterant, inde eſt quod ait.

ACCIPIANT *epiſt.*] Vtantur prologo.

LOQVI *pro ſe*] Quia cùm ſpectatoribus ſuo nomine non poſſunt poſteà agere ob occupationem.

CVRIONE] Miniſtro, epiſtola ſuorum ſenſuum. Curio miniſtrum ſignificat.

SVA *lingua*] i. ſatis pro ſe loqui poteſt ſine Curione, i. miniſtro.

FACIVNT *epiſtolam*] i. poſſunt vti prologo, quod non faciunt tragœdi.

NOLI *ergo*] Hic eſt ſenſus, quemadmodum ſimimus rem ridiculam facit, non eſt velandus toga, ita & epigrammata ſi ſuos iocos præſtant, non ſunt velanda epiſtola.

PERSONÆ *ſaltantis*] i. mimo.

RETIARIVM *ferula*] Ea pueri vapulabant, & ſenum greſſus iuuabantur: ea infirmiſſimum eſt virgultum, vnde prouerbium apud antiquos erat, in eos qui tenui, & exiguo præſidio aduerſus optimè inſtructum pugnabant, eos pugnare ferula contra gladiatorem, hoc ait Decianus: Non eſt quòd cogites ſi malè ſcripſiſti te fore tutum aduerſus obtrectatores hac epiſtola, nam hoc eſſet pugnare ferula contra gladiatorem, quaſi dicat, iſta epiſtola aduerſus

obtrectatores paruum præsidium præstat: vel, gladiatores cùm non placebant, virgis cæsi explodebantur ex theatro, quod Horat. in satyra docet interprete Porphyrione. Sit igitur sensus: Vide an verbera, quibus retiarij cùm non placent, afficiuntur, te delectent, quasi dicat, si tu offendes nos ista epistola, exploderis cæsus ferula, vt retiarius, & ego non te defendam, immò vnà cum alijs clamabo protinus in te.

RECLAMANT] Tractum à spectatoribus, qui statim reclamant, si quid ineptè dixeris.

QVID] i. quid diceres si scires quàm longa epistola vsuri eramus.

PAGINAM] Epigrammaton.

GEORGIVS.

EPIGRAMMATA *Curione non egent*] Non satis expediuit sententiam Poëtæ, nam ministrum theatralem legimus apud Eusebium Cæsa. interprete Rufino, Curionem eum fuisse, qui ad populum, iubente prætore, aut alio magistratu aliquid vulgaret, conuenitque verbis poëtæ huiusmodi expositio, quòd scil. epigrammata non indigeant voce aliena, sed per se ipsa se aperiant, & manifestent.

RAMIR. DE PRADO.

IOCOSA & vrbanitate plena hæc epistola est, scripta ad Decianum, de quo plurima libro superiori mentio. Inducit primo limine per Ethopœiam Decianum loquentem & reprehendentem Martialem, quòd epistolam epigrammatis præfixerit; quòd superuacuum id sit, quòd ridiculum, quòd inefficax ad defensionem, quòd omnium reprehensioni expositum. Deinde fingit longissimam esse epistolam: postremò ioculariter & per παράδοξον eam absoluit, paucissimis verbis.

1 PARVM *ne tibi præstamus si legimus epigrammata?*] Dissuasio est à molesto; quòd molestum futurum sit legere epigrammata, si ei labori addatur & epistolæ lectio.

2 QVID *hic porrò dicturus es, quod non possis versibus dicere?*] A superuacuo; quòd epigrammata, vt inferius dicit, in quacunque pagina visum sit, epistolam facere possint.

3 VIDEO *quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet.*] Tragœdia Poëma dramaticum est, siue repræsentans: in quo non licet Poëtæ ex sua persona aliquid loqui: ideò tragœdi accipiunt, id est, adiungunt, vel præfigunt suis tragœdijs epistolam, qua opus illud tueantur, vel aliquid significent necessarium ad eius intelligentiam, vel de aliqua re admoneant lectorem. Id autem fieri à tragœdis manifestum est ex hoc loco; & fortè tempore Martialis extabant multæ Latinæ tragœdiæ, quibus præfixæ erant hæ præfationes, vel epistolæ: nobis cum iniuria temporis nullas reliquerit Latinas, præter eas nouem, quæ Senecæ nomine circumferuntur, in quibus nulla est epistola aut præfatio, nihil tale possumus alijs testimonijs affirmare: Græci quidem qui hodieque extant Æschylus, Sophocles, & Euripides nil tale habent.

4 EPIGRAMMATA *Curione non egent.*] Erat Curio quasi theatralis præco, qui iussu Principis vel populi edicebat populo iussa, quæ si à Principe emanarent, edicta vocabantur; & id dicebatur monere populum edicto: hoc faciebat Curio. Plin. lib. 4. ep. 7. *Scripsit publicè vt è Curionibus eligeretur vocalissimus aliquis, qui legeret cum populo:* Et Trebellius in Gallienis. *Ille per Curionem dici iussit,* TAVRVM TOTIES

A NON FERIRE DIFFICILE EST. Et ibidem: *Mirantibusq; cunctis rem tam ridiculam, per Curionem dici iussit, imperauram fecit, & passus est.*) Vbi in vtroq; loco lego, *edici iussit*, vt seruetur formula Romani sermonis. Hi Curiones forte epistolam, vel præfationem tragœdi scriptoris populo recitabant: quamuis de hoc more nihil memini me legisse, præter id quod ex hoc loco colligi potest. Vide quæ de hoc nomine, *Curionis*, congessit Buleng. de Theatro, lib. 1. cap. 46. post Scalig. ad Festum, verbo *Curiales*.

5 ET *togam saltanti inducere personæ.*] Prouerbialiter dictum est, quod sic intellige: Toga proprius Romanorum cultus; Virgil. lib. 1. Æneid.

Romanos rerum dominos gentemque togatam.

Quem versum vsurpauit hic lib. 14. epigr. 124. cui subiungit hunc pentametrum:

Ille facit magno qui dedit astra patri.

Sumebatur toga ad res serias. Exuebatur vti ludicris, B vt in Saturnalibus, quibus pænulæ sumebantur. Vnde locus in Carisianum, lib. 6. epigr. 24.

Nil lascinius est Carisiano,
Saturnalibus ambulat togatus.

Sumebant & syntheses depositis togis, vt l. 14. epig. 1.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusq; senatus.

Saltantes personæ ridiculæ sunt & ioculares, quibus indecens esset aptare togam, quemadmodum meretricibus stolam. sup. lib. 1. epigr. 92.

Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Quòd stola matronarum habitus esset, toga autem meretricum. Suetonius in Calig. cap. 54. cum palla & tunica talari saltasse Caligulam docet, cùm indutos togis saltare prohibitum fuisset. Hoc igitur loco per saltantem personam epigrammata intelligit, quę plurimum ridicula sunt; per togam, epistolam vel prosphoneticam, vel apologeticam, quæ seria esse debet. Noli ergo, inquit, rem ridiculam facere, qui iocosis C epigrammatis serias adiungas epistolas.

6 DENIQVE *videas an te delectet contra retiarum ferula.*] Est dissuasio, ab inutili & inefficaci: propterea quòd debilis defensio est epistola contra epigrammaton calumniatores. Retiarius contra Myrmillonem tridente acutissimo agebat, Myrmillo se contra retiarium longo ense defendebat, cuius ictibus reprimebat retiarij & impetus, & retium insidias; quo tamen retiarius Myrmilloni negotium facessebat. Quod si Myrmillo contra retiarium ferula infirma & fragili vteretur, malè se defendere posset. Est igitur allegoria: Vide, an te contra retiarium ferula delectet vti, id est, vide, an contra maledicos & mordaces velis epistolio te munire. De Myrmillone & retiario vide numum argenteũ, qualem apud me inter alios seruo.

7 EGO *inter illos sedeo qui protinus reclamant.*] Per- D seuerat in eadem arenariorum allegoria: nam qui spectabant certamen, vel gladiatorum, vel Myrmillonis & retiarij, statim ac vterlibet cœperat aduersarium vincere, reclamabant: *Occide, vre, verbera.* Seneca ep. 7. *Si latrocinium fecit aliquis, si occidit hominem, ille meruit vt hoc pateretur. Tu quid meruisti miser vt hoc spectes: Occide, vre, verbera.* Sic enim lego locum illum malè acceptum ab operis typographis. Et idem epist. 37. *Eadem honestissimi huius & turpissimi auctoramenti verba, vri, vinciri, ferroque necari.* Vbi emendo, *vri virgis, ferroque necari.* Nam hæc verba per parodiam desumpta sunt ab Horatio, lib. 2. Sermonum, sat. 7. *Quid refert vri virgis, ferroq; necari:*

Auctoratus eas, aut turpi clausus in arca?

Et Petronius: *In verba Eumolpi sacramentũ iurauimus vri, vinciri, verberari, ferroque necari, & quicquid*

aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animosque religiosissimè addicimus. Nā auctorati gladiatores in hæc tria verba iurabāt; quod sacramentum exigebat populus ab vtroque aduersario his reclamationibus. Significat ergo, ne existimes me, cum te videam à retiario malè mulctari, te defensurum esse. Nam potius sedeo inter illos, qui protinus reclamant, id est, cum te videro ab obtrectatoribus lacerari tenui epistolio tantum defensum, non te defendam, immò potiùs eorum maledicentiam adiuuabo.

8 QVID *si sciat*, &c.] Παράδοξον est, quo videtur innuere longam se epistolam velle subtexere, quam statim finit paucissimis verbis sequentibus, quæ per se liquent.

Ad librum suum. I.

Tercētena quidem poteras epigrāmata ferre:
Sed quis te ferret, perlegerétque liber?
At nunc succincti quæ sunt bona disce libelli.
Hoc primum est, breuior quod mihi charta perit,
Deinde quòd hæc vna peragit librarius hora,
Nec tantùm nugis seruiet iste meis.
Tertia res hæc est, quòd si cui fortè legeris,
Sis licet vsque malus, non odiosus eris.
Te conuiua leget misto[a] *quincunce: sed antè,*
Incipiat positus quàm tepuisse calix.
Esse tibi tanta cautus breuitate videris.
Hei mihi, quàm multis sic quoq; longus eris.

[a] quincunc. quinq; Cyathis.

DOMITIVS.

TERCENTENA] Alloquitur librum, cui dicit se adhibuisse breuitatem, vt nullo tædio perlegatur, quod vt assequi possit, vt in manus veniat calente mero, tamen se vereri, ne ita quoque longus videatur.

AT *nunc disce*] Docet commoda breuis libelli.

TERTIA] i. tertium commodum.

SI *cui*] Si ab aliquo.

MIXTO] Infuso.

QVINCVNCE] Sic in ista breuitate.

HEI *mihi*] Ah quàm à multis non legeris.

RAMIR. DE PRADO.

Excusat libri huius breuitatem, qui nonaginta & tria habet epigrammata, cùm posset ipse plurima addere. Enumerat deinde vtilitates breuioris libelli. & vltimò conqueritur hunc vel ita breuem aliquibus visum iri longum.

1 TERCENTENA *quidem.*] Numerum posuit finitum pro infinito; lusitque deinde in verbo, *ferre*, quod priori versu portare vel capere, posteriore pati & tolerare significat.

2 AT *nunc succincti.*] Metaphora, qua significamus expeditum aliquem, vt de milite ad prælium parato. Qui autem succincti sunt, breuiores sunt in his quæ faciunt. Inde dixit *succincti*, pro breuioris.

3 BREVIOR *quod mihi charta perit.*] Hęc per modestiam dicuntur à Poëta, quasi necesse sit chartas epigrammatis exaratis perire, leuiorque iactura chartarum sit in paucis quàm in pluribus epigrammatis. Sic lib. 6. epigr. 64.

A *Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.*

Et Iuuenal. Sat. 1.

----peritura parcere chartæ.

4 NEC *tantum nugis seruiet iste meis.*] Melius in veteribus excusis,

----- seruiet ille meis.

5 TE *conuiua leget misto quincunce.*] Hæc est quarta & vltima ratio, qua præfertur breuior libellus longiori; quòd non interrumpat compotationem, nec temperatura potus eius lectione corrumpatur. Estque grandis hyperbole, quales multæ sunt familiares huic Poëtæ. Dicit enim adeò breuem esse libellum hunc, vt misto quincunce, id est, infuso vino in poculum, datóq; poculo conuiuæ posito parumper in mensa, antequam tepescat, id est, aliquid remittat de frigiditate, poterit conuiua legere librum hunc. Quod vt intelligas, nota priscum morem veterum in poculis. Hæc implebantur vino ea mensura qua quis petebat, vt lib. 1. dictum est epigr. 72. & hoc dicebatur miscere, quamuis merum esset. quod liquet ex epigr. 6. lib. 8.

B

Hic scyphus est in quo misceri iussit amicis
Largius Aeacides, & bibit ipse merum.

Vbi Æacides iussit misceri amicis largius merum, & ipse bibit. & lib. 13. epigr. 108.

Misceri decet hoc a Ganymede merum.

Iuuenalis Satyr. 5. vers. 60.

----nescit tot millibus emptum
Pauperibus miscere puer.

Dixit autem, *quincunce*, pro quouis poculo. Dabantur igitur conuiuis pocula à pincernis vino plena: illi autem vel protinus hauriebant, vel deponebant in orbibus, hoc est, rotundis mensis, quæ iungebantur triclinio. Porrigi à ministris pocula manifestum est C ex hoc Poëta, lib. 9. epig. 26. cùm enim dixisset:

Dantem vina tuum quoties aspeximus Hylum,

Tertio disticho subiungit:

Auertam vultus tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat?

Et lib. 11. epig. 12.

Tolle puer calices, tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu.

Quod miror negasse doctissimum P. Ciaconium l. de triclinio, cui ego non negarem aliquando ab ipsis ministris posita esse pocula. inde ponere vinum antiquos dicere solitos diximus ad lib. 1. epigr. 45. quia pocula eodem plena ponebantur. Sed vtcunque ponebantur in orbibus, ponebantur coram eo qui ea iusserat miscere. Hinc queritur Helene Paridis lasciuiam, qui pocula ipsi apposita sumebat amoris testificandi causa.

D *Et modo suspiras, modo pocula proxima nobis*
Sumis.——

Et ne citrei orbes, qui auro contra vænibant, circulis poculorum macularentur, lintea ijs superponebant. lib. 14. epigr. 138.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Sed ante linteorum vsum ob hanc eandem causam, machinulas quasdam ligneas imponebant mensæ, super quibus statuebantur lagenæ, has *incitegas* appellabant. Paullus ex Festo. *Incitega machinula in quâ constituebatur in conuiuio vini amphora, de qua subinde deferrentur vina.* Hæc machinula quamuis à Græco deduci potest, Græci enim ἐγγυθήκην vocant, tamen dicitur ab integendo, cui verbo, vt multis alijs per epenthesin addebant syllabam *ci*, vt dicerent *incitegere*, quemadmodum dicebant *reciprocum*, pro, *reprocū*. *reciperare*, pro *reparare*. *concipilare*, pro *cōpilare*.

Sed crescente luxuria has machinulas abiecerunt, & instrauerunt mensis citreis gausapa, vt probat distichon Martialis supra positum. Ex hoc etiam Festi loco colligo morem à paucis obseruatum in conuiuijs, solere in orbibus amphoram vel lagenam vino plenam statui, vt inde ministri conuiuis subministrarent. Cum igitur conuiuæ mistus esset quincunx, & ipse acceptum à ministro posuisset in orbe antequam hauriret, poterat breuissimum hunc libellum totum perlegere, nec tamen eo breuissimo temporis spatio vinum porrectum frigidum positum tepesceret; & hunc existimo esse verum huius loci sensum. Ex quo obiter colligere est, in conuiuijs fuisse frequentes recitationes carminum. Vnde multi sales inuenti à Martiale in eos, qui miseros conuiuas recitandis carminibus obtundebant, vt in Ligarium lib. 3. epig. 44. & 50. & Persius sat. 1.

----ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.

6 ESSE *tibi tanta cautus breuitate videris.*] Cauere proprium iurisconsultorum verbum, & officium: ipsi enim alijs cauent, id est, prouident, ne illis vel iuris ignorantia, vel actionum non curantia aliquid damni accidat. Cicero ad Trebatium. *Cum tu multa mihi & meis cauisses.* Cautus igitur is est, qui præmunitus ad quoduis damnum futurum, ne sibi lædat, est.

Ad Cæsarem Domitianum II.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quódq; Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cũ patre triumphos:
Quæ datur ex * *Dacis laurea, tota tua est.*

* v. Chattis. De Dacis magis probo. Nã Decebale Dacorum regẽ vicit. Dion Nicenus. Cattis legẽdum, vide Lipsium l. 1. Epist. 5.

DOMITIVS.

CRETA] Domit. post duplicem triumphum de Dacis populis Germaniæ, Germanici cognomen assumpsit, Septembrémque mensem appellauit Germanicum, quòd eo incepisset bellum, hoc cognomẽ anteponit Mart. laudi Metelli, qui à Creta deuicta, Cretensis dictus, & cognomini Scipionis Africani, cui Africa victa nomen dedit, denique triũphis, quos Vespasianus, & Titus duxerant ex Iudæis, quoniam non solus Vespasianus, aut Titus, sed vterque arma illis intulerat, triumphi verò Germanici solus sit possessor, & dominus Domit. à Creta Metellus Creticus dictus est. Ouid. in Fastis.

RHENO *domito*] i. populis Germanis: nam Germanicus frater Tyberij inde cognomen assumpsit.

ET *puer*] Quo pacto debuit dici Germanicus Domit. puer vicit ne Germanos? nimirum est ex historia, vel vt intelligas eum patrem secutum esse, quiante susceptum imperium duas validissimas Germaniæ gentes deuicit, penetrauitque vsque in Britanniam, vel quod magis placet, quoniam cùm iuuenis esset adhuc vnà cum Antonio, & Mutiano, Batauos Germaniæ populos in leges, & ditionem coërcuit. Batauí autem habent insulam in Rheno ad centum millia passuum. De hac historia Silius:

At tu transcendens Germanice facta tuorum
Iam puer, auricomo performidate Batauo.

A Illic tamen Britanno legimus, quod nihil refert, nam codices plerique habent Batauo, & eadem fuit expeditio.

IDVMÆOS] Ex Iudæis quasi dicitur, Iudæi fuerunt victi armis fratris, & patris, at solus vicisti Germaniam.

RAMIR. DE PRADO.

Celebrat Dacicam victoriam, & triumphum quem egit Domitianus solus, cuius laurea tota eius fuit, nec cum alio communicata: amplificat hoc argumentum à comparatis, enumeratis ijs qui præcipua cognomenta ex prouincijs deuictis compararunt.

1 CRETA *dedit magnum.*] L. Metellus triumphauit de Cretensibus expugnatis, & appellatus est Creticus, illustri cognomento.

2 MAIVS *dedit Africa nomen.*] P. Cornelius Scipio Africanus dictus est ob euersam Carthaginem, &
B vniuersam Africam in prouinciæ nomen redactam. Maius nomen Africani fuit, quod tertiam orbis, non minimam partem Romano Imperio subegit, quam Metelli, qui insulam non maximam.

3 NOBILIVS *domito*, &c.] Nobilius nomen Germanici, acquisiuit primus omnium Drusus Liuiæ ex Nerone filius, ab Augusto adoptatus, pater Germanici Cæs. qui Drusus obijt in Germanica expeditione; ne te fallat Raderus, qui suo more fallitur, cum existimet Germanicum Cæsarem, qui fraude Pisonis interijt, esse primum cui Germanici nomen obtigit; non enim is fuit, sed eius pater Drusus, vt patet ex lectione 1. lib. Annal. Cornel. Tacit. Sed poteris dubitare, quomodo hoc loco dicat nobilius nomen tributum à Germania, an nobilius nomine ab Africa desumpto, Germania præ Africa angulus quidem est ignobilis. Deinde cur non assignet eum cui Germa-
C nici nomen obtigit domito Rheno: cùm Metellum Cretæ, Scipionem Africæ superiori distucho accommodarit: Sic soluo nodum: Nobilius nomen non dixit, quod maioris esset dignitatis & auctoritatis, sed quod magis notum; eo quod pluribus fuerit accommodatum. Nam cognomenta ex victorijs sumpta non communicabantur filijs & heredibus. Metelli namque filij non sunt dicti Cretici, nec Marcelli Syracusani. At verò Germanici nomen semel & primò acquisitum à Druso, continuò tributum est, eius filio Germanico, & deinde Claudius, Nero, Galba, Otho, Vespasianus, Titus, & tandem Domitianus adhuc iuuenis hoc cognomentum assumpserunt; vt constat ex veteribus numis, etsi non reportassent nouas ex Germanis victorias: quamuis Domitianus, vt testatur Tranquillus cap. 2. non necessaria expeditione in Germaniam profectus, nomen Germanici aptauerit sibi. Sed credo ferocem illam gentem passim insur-
D rexisse aduersus Romana præsidia, præbuisseque his omnibus Imperatoribus victoriæ occasionem, vnde Germanici nomen assumerent. Nobilius igitur dixit, quod Africani nomen in solo victore cognitum fuit, & Cretici in solo Metello illo triumphatore, & sic in reliquis omnibus: at verò Germanici nomen in quàmplurimis fuerit nobilitatum, & hac de causa non assignauit proprium victorem qui hoc nomen acquisierit. Ideò subiungit Iudaïcum triumphum Vespasiani patris communem fuisse cum Tito fratre, quod testatur Sueton. cap. 2. in Domit. Vt tandem concludat lauream de Dacis maiorem esse, quod eius solius sit, & cum alio nullo communicata.

4 QVÆ *datur ex Dacis.*] Lipsius lib. 1. epig. 5. contendit Cattis legendum esse. ego Dacis magis probo; vnde Dacici nomen assumpsit Domitianus, vt

patet ex nummis. Quod argutatur Heraldus de lan- A
tea Ioui Capitolino data, laudo, sed huc non facere existimo.

Ad Sextum. III.

Sexte, nihil debes, nil debes, Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis soluere, Sexte, potest.

Idem Græcè.

Οὐδὲν ὀφείλεις, Σέξτ', οὐδὲν νημερτὲς ὀφείλεις·
Εἰ γὰρ ὀφείλει τις, τιμῆσαι δύναται.

DOMITIVS.

SEXTE] Sextus iactabat se nihil cuiquam debere. Mart. hominis iactantiam ioco subsannat, aitque se id credere, quoniam is tantùm debet, qui potest B soluere.

RAMIR. DE PRADO.

Eludit Sextum quendam, qui gloriabatur se nihil debere, cum vt deberet non esset soluendo: Concedit enim id, & deinde subiungit rationem, qua vrgeat vehementer Sextum, cùm dicat eum soluere non posse: Qui enim soluere non potest, suum fecit, quod mutuò accepit. Ex suo autem nihil debet quis. Eleganter epigr. 105. lib. 9. ad Phœbum.

Quod tibi non possum soluere Phœbe, meum est.

In Amianum. IV.

O quàm blandus es, Amiane, matri!
Quàm blanda est tibi mater, Amiane!
Fratrem te vocat, & soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Quare non iuuat hoc, quod estis, esse?
Lusum creditis hoc, iocúmque non est
Mater, quæ cupit esse se sororem;
Nec matrem iuuat esse, nec sororem.

DOMTIVS.

O quàm blandus] Amianus habebat rem cùm matre.

QVAM] Blanditur tibi mater.

NOMINA *nequiora*] Id est, hæ blanditiæ placent.

NEC *sororem*] Sed vxorem.

RAMIR. DE PRADO.

Aspergit Amianum quendam incesti cum matre concubitus suspicione: desumit coniecturam à nominibus, quibus se hi mutuò appellabant: fratrem cum mater, is sororem matrem vocabat.

1 FRATER *te vocat, & soror vocatur.*] Fratris & sororis naturæ honestissima nomina turpicula tegendi criminis causa facta sunt. Amicos fœminæ fratres vocabant, amicas viri sorores. Tibull. lib. 3. eleg. 1.

Hæc tibi vir quondam nunc frater mitto Neæra.

Et hic noster, lib. 12. epig. 20.

Quare non habeat Fabulla quæris
Vxorem Themisen, habet sororem.

Et lib. 10. epigr. 65.

Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem.

Quid quod & Cinædos tecto nomine fratres appellabant? Petronius in Satyrico: *Si non fastidis*, inquit, *fœminam ornatam, & hoc primum anno virum expertam concilio tibi, ô iuuenis, sororem. Habes tu quidem & fratrem; neque enim me piguit inquirere. Sed quid prohibet & sororem adoptare?* & in toto opere Cinædos ille Giton frater appellatur: Ideò hæc vocat nomina nequiora.

2 MATER, *quæ cupit esse sororem.*] Elegans Epiphonema, & conclusio totius sententiæ vbi priori versu τὸ *sororem*, sumitur obscœna significatione posteriori, propriâ.

Ad Decianum. V.

Ne valeam, si non totis, Deciane, diebus,
Et tecum totis noctibus esse velim:
Sed duo sunt, quæ nos distinguunt, millia passûm.
Quatuor hæc fiunt, cùm rediturus eam.
Sæpe domi nõ es: cùm sis quoque, sæpe negaris:
Vel tantùm caussis, vel tibi sæpe vacas.
Te tamen vt videam, duo millia non piget ire.
Vt te non videam, quatuor ire piget.

DOMITIVS.

NE *valeam*] Iuerat salutatum Decianum sæpenumero, qui ad duo millia passuum distabat, sed ille, vel alijs negocijs occupatus negabat se esse domi, vel aberat. ait poëta sibi non esse molestum ire duo C millia passuum, vt eum videat, sed sibi graue esse ire quatuor, & eum non videre, amittereque laborem.

NE *valeam*] Id est, peream.

VACAS *tibi*] Indulges otio.

RAMIR. DE PRADO.

Excusat se, quòd non videat sæpius Decianum, & simul eum accusat, quòd sæpè negetur esse domi. causatur longam locorum intercapedinem: & tandem eleganti antitheto concludit Epigr.

1 NE *valeam*] Formula de qua lib. 4. epigr. 31. vt dispeream, de quo iureiurando supra dictum est l. 1. D epigr. 40.

2 TOTIS *Deciane diebus & tecum totis noctibus esse velim.*] Prouerbialis Hyperbole pro multo temporis spatio vsurpata. Sic apud Horat. in arte:

----vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurnâ.

Quod Hispani imitamur, dicimúsq; *de dia y de noche.*

3 SED *duo sunt quæ nos distingunt millia passûm.*] Fortè hyperbolicôs dictum, & fortè verè & Latinè. Nam in vrbe adeò lata probabile est fuisse intercapedinem tantam: & cùm perseueret in eodem spatio signando, inclino in hanc sententiã, vt verũ spatium sit.

4 VEL *tantum causis, vel tibi sæpè vacas.*] Illud tantùm significat, hunc caussidicum, quando meditabatur orationes suas, solere excludere salutantes, & etiam quando ibi vacabat, id est, quando vel lauabat, vel cœnabat, vel ludebat.

5 TE *tamen vt videam.*] Acutissima & elegantissima antithesis in *videam*, &, *nõ videam*, *duo millia*, & *quatuor millia*, *non piget*, & *piget*. Est autem acuta & pungens sententia, si qua alia apud hunc auctorem.

A

Ad Seuerum. VI.

I nunc, edere me iube libellos,
Lectis vix tibi paginis duabus.
Spectas * ἐσχατοκολλικὸν *Seuere,*
Et longas trahis oscitationes.
Hæc sunt, quæ relegente me solebas
Rapta scribere, sed Vitellianis.
Hæc sunt singula, quæ sinu ferebas
Per conuiuia cuncta, per theatra.
Hæc sunt, aut meliora, si qua nescis.
Quid ** *potest mihi tam macer libellus,*
Nullo crassior vt sit vmbilico
Si totus tibi triduo legatur?
Numquam deliciæ supiniores.
Lassus tam citò deficis viator,
Et cùm currere debeas Bouillas,
Iter iungere quæris ad Camenas,
I nunc, edere me iube libellos.

* τὸ ἐν ἐσχάτῳ κόλλῳ γεγραμμένον.

** al. prodest.

DOMITIVS.

I *nunc*] in delicatum, & seuerum lectorem, quẽ duabus paginis fessum dicit iam oscitare, & spectare vltimam partem libri, propterea eos sibi malè consulere, qui iubent, vt epigrammata, quæ olim recitabat, & habebantur in admiratione, redigat in libellos, & emittat.

OSCITATIONES] i. distractiones oris, quod est signum fastidientis.

SPECTAS ἐσχατοκολλικὸν] i. vltimam paginam, & finem libelli.

VITELLIANIS] Vitelliani erant pugillares, quibus res amatoriæ, & lasciuæ scribebantur. In distichis.

Nondum legerit hos licet puella:
Nouit quid cupiant vitelliani.

RAPTA] Raptim.

HÆC *sunt singula*] Redacta in librum.

MACER] Breuis.

SVPINIORES] i. ignauiores, numquam vidi maiorem ignauiam.

BOVILLAS] Bouillæ venienti ex Aricia occurrunt, paulò citra locum, vbi erat templum Bonæ Deæ, ea via celeberrima erat & sacris Aricinis, & amœnitate locorum celebrem fuisse ostendit Iuuen.

Dignus Aricinos, qui mendicaret ad axes.

Propterea poëta sumpsit metaphoram à viatore cursuro Bouillas. Pædianus autem. Ædes camœnarum erat ad portam Trigeminam condita, vt alij annales habent, à Fuluio nobiliore, vt alij ab Octauio tibicine.

ITER *iungere quæris*] Iter iungunt hi, qui per interualla quiescunt in cursu.

CAMOENAS] Ad ædem musarum.

BOVILLAS] Inquit cursurus vis subsistere ad portam. Ædem autem camœnarum primus Numa erexit, author Liuius in primo ab vrbe, & Plutarchus.

RAMIR. DE PRADO.

Fastidiosum Seuerum quemdam notat, quòd præpropera festinatione vix degustato libello, ad finem quam primùm peruenire cupiebat, quem etiam perstringit leuiter lib. 5. epigr. 81.

1 I*nunc*] formula indignantis & alterius factum reprehendentis, vt supra lib. 1. epigr. 43.

I nunc & ferrum turba molesta nega.

Et lib. 10. epigr. 96.

I cole nunc reges: quicquid non præstat amicus,
Cum præstare tibi possit Auite, secus.

2 SPECTAS ἐσχατοκόλλιον,] Scaliger in Tibullum ἐσχατοκόλλιον diminutiuè legi vult, quod sit contraria pars τοῦ πρωτοκόλλου, in libris in quibus κόλλα sunt scapi vel partes adglutinatæ. Ego vt vera ea omnia concedam, non tamen mutarem vulgatam lectionem, vt sit ἐσχατοκολλικὸν id quod in vltimo κόλλῳ scriptum est.

B *Spectas*. nam subinde finem libri spectare impatientis est & nimium properantis.

3 RAPTA *scribere, sed Vitellianis.*] illud sed paradoxon, est, vt diximus, supra lib. 1. epigr. Nam Vitelliani elegantiores pugillares erant, in quibus res lasciuæ & elegantes scribebantur: vt lib. 14. epig. 8.

Nondum legerit hos licet puella,
Nouit quid capiant Vitelliani.

4 HÆC *sunt singula quæ sinu ferebas.*] Ex singulis epigrammatis iunctis simul libellus fit. Est igitur absurdum, singula per se magni facere, simul autem omnia collecta fastidire & abiicere. Sinu autem ferre vel gestare formula est vsitatissima apud veteres, pro charum habere, vt ex sinu illius, vel illius esse, pro ex intima familiaritate: hic autem & propriè, & etiam hac notione vsurpatur. Sic lib. 3. epig. 2. ad librum suum.

C *Faustini fugis in sinum?*

Et epigr. 5. ad eundem, Iulio Cereali missum.

Est illi coniux, quæ te manibúsque sinuque
Excipiet, vel si puluerulentus eas.

Et lib. 6. epigr. 61.

Méque sinus omnis, me manus omnis habet.

Quid? quod multa in sinum condebant quæ secum portare erat necesse, Petronius in Satyrico. *Ego quoque sinum meum saxis onerabo, vt quotiescumque cœperis à te exire, sanguinem tibi à capite mittam:* & alibi *illa de sinu licium protulit varij coloris, filis intortum, ceruicémque vinxit meam.* & alibi: *duas institas ancilla protulit de sinu, alteráque pedes nostros alligauit, altera manus.* quo loco legunt aliqui, *sura*: sed malè: non enim diceret latinissimus auctor, protulit de sura: sed, soluit: & Horatius lib. 2. sat. 3.

——*nucésque*
Ferre sinu laxo donare & ludere vidi.

D Pecunia item sinu condebatur. Noster lib. 4. ep. 51.

Postquam bis decies tribuit Dea cæca, sinumque
Ruperunt nummi, factus es, ecce pedes.

Et lib. 5. epigr. 16.

Et fiet vario sordidus ære sinus.

Et Ouid. lib. 1. eleg. 10. cum nudum dixisset amorem, subiungit,

Quid puerum Veneris pretio præstare iubetis?
Quo pretium condat, non habet ille sinum.

Hinc natum prouerbium: *vacuo sinu remittere.* id est, pauperem, inopem, & vacuum, vt lib. 10. epig. 78.

Felix aurifera colone terra
Rectorem vacuo sinu remittes.

Et *implere sinum*, id est, diuitiis abundare. Seneca lib. 6. de benef. cap. vltim. *plurium sinum, ac domum implere,*

5 PER *conuiuia cuncta per theatra.*] In conuiuiis, porticibus & theatris locum habebant Epigrammata lasciua, & homines etiam faceti. Sic lib. 7. epigr. 75. in Philomusum facetum hominem: A

Quòd te diripiunt potentiores,
Per conuiuia, porticus theatra.

6 NVLLO *crassior vt sit vmbilico.*] Supra de hoc dictum est epigr. 67. lib. 1.

7 SI *totus tibi triduo legatur.*] Omninò legendum *toto*, id est, Quid mihi prodest edidisse paruulum libellum, quem intra horam posses perlegere, si tamen triduum totum consumis in eo perlustrando.

8 NVMQVAM *delicia supiniores.*] Iohannes Britannicus vir non indoctus ad illud Iuuenalis sat. 1.

Et multum referens de mecenate supino.

Mollem delicatum ac negligentem dicit significari Cilnium Mæcenatem, quod ego concedam libenter, sed adducit locum hunc & interpretatur supiniores molliores, quod non concedam. Hoc enim loco supiniores segnes significat, & oscitanter sumtas: nam delitiæ alacriter sunt percipiendæ.

9 LASSVS *tam citò deficis viator.*] Elegans allegoria, cuius versum tertium iam dudum emendauit Iosephus Scaliger in Propertium, lib. 2. & legit.

Interiungere, id est, à iugo soluere equos vel boues cibi capiendi & lassitudinis vitandæ causa, vt lib. 3. epigr. 67.

Exarsitque dies, & hora lassos
Interiungit equos meridiana.

Et Seneca eleganter per metaphoram vsus est eadem voce epist. 83. *Consuetudinem*, inquit, *meam nosti, breuissimo somno vtor, & quasi interiungo: satis est mihi vigilare desiisse.* Camenæ namque inter vrbem & Bouillas erant.

In Attalum. VII.

Declamas bellè: caussas agis, Attale, bellè.
Historias bellas, carmina bella facis.
v. numeros. *Componis bellè mimos, epigrammata bellè,*
Bellus grammaticus, bellus es astrologus.
Et bellè cantas, & saltas Attale bellè.
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cũ facias, facis attamen omnia bellè.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

DOMITIVS.

DECLAMAS] In Attalum, qui artes omnes attingebat, nulla erudiebatur, Mart. quærit quomodo debeat appellari, cùm pariter omnes artes attingat, & ita vt nullam assequatur & ediscat, vt ab ea possit accipere nomen. Ficto igitur nuper verbo dicit eum debere appellari Ardelionem, nam Ardeliones sunt, qui studio quodam ardent in rem omnẽ, & nullam prosequuntur.

DECLAMAS] Declamare est fictè orare ad exercitationem.

MIMOS] Poëmata qualia scripserunt Laberius, Publius, Philistio, in his solus risus quærebatur, hi poëtæ Mimographi dicuntur.

ARDELIO] Nomen studij, & non doctrinæ ab ardendo, id est, festinando. Ardeliones ad omnia festiui, & curiosi: sed, vt dixi, nouitate nominis iocatur.

RAMIR. DE PRADO.

Attalum irridet, qui sibi in omnibus placebat, belleque se omnia gerere iactabat. De qua voce iam suprà lib. 1. epi. 10. dictum est, & plura Martialis lib. 3. epig. 62.

1 MAGNVS *es Ardelio.*] lib. 4. epig. 79.

——deformius Afer
Omninò nil est ardelione sene.

Prouerbialiter ardeliones vocantur illi, qui magna ostentatione nil agentes, omnia volunt videri facere. Est enim ardelio ex auibus vncunguibus quædam, quæ sæpissimè per multum temporis spatium alis quatiens, in aëre veluti pendet, nec progreditur aliquò. Hispani *cernicalo* vocamus, à verbo nostrate *cerner*, quod significat surfures à farina separare & discriminare: sic dicimus de his qui in nihilo agendo occupatissimi sunt: *Cerner y no hechar harina.* id est, B multum operæ ponere, nil tamen proficere aut efficere. Magnus Ardelio, id est, multum ardelioni similis. Imitamur hoc Hispani, & dicimus esse aliquem *gran gallina, gran zorro.* id est, simillimum gallinæ, simillimum vulpi.

Ad lectorem. VIII.

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis,
Siue obscura nimis, siue Latina parum:
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi.
Quòd si non illum, sed me peccasse putabis:
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
C *Ista tamen mala sunt; quæ si manifesta negamus,*
Hæc mala sunt: sed tu non meliora facis.

RAMIR. DE PRADO.

Excusat errores suorum epigrammatũ, & causatur in ijs librariorum festinationem, suam etiam non curantiam, quam libenter fatetur; & manifestò male esse sua non inficiatur, sed tamen se esse solum huius generis scriptorem affirmat.

1 NON *meus est error, nocuit librarius illis.*] In hoc errore Radarus toto errat cœlo: existimat enim librarium hunc sua præpropera festinatione adeò Martialem vrsisse, vt ipse nimis properaret, sicque multa non dato ad emendandum spatio, obscura & parum Latina inculcasse: quod quidem manifestò falsum est. Non enim dixisset Martialis, *non meus est* D *error*: nam quamuis librarij festinatione parùm considerate scripsisset epigrammata, haberet erroris aliquam quidem excusationem, suus tamen esse error. Qui igitur dicere poterat, *Non meus est error?* Quid quòd librarij serui erant bibliopolarum? bibliopolæ Poëtas vrgebant: non librarij: erant enim librarij, qui transcribebant Poetarum carmina in multa exẽplaria, quæ bibliopola in taberna venderet: sed vt pensum absoluerent, solebant nimis properare, & interrumpere voces ipsas, versus aliquando integros præterire, transmittere alios, & loco mutare. Vnde obscuritas & Latinitatis corruptio sæpè consequebatur. & hic est verus horum carminum sensus.

2 TVNC *ego te credam cordis habere nihil.*] Aut ego nihil cordis habeo, aut hic versus non est à Martiale

sic scriptus. Quis enim vel mediocriter in hoc Poeta versatus non intelligit alienum hunc sensum esse à summa eius vrbanitate? Nam infinitis prope Epigrammatis iocum captat à sui irrisione & contemtu. Adde quod si Lectorem dicet nihil cordis habere, quod existimet se peccasse, non autem librarium, qui poterat sequenti versu obiectioni illi: *Ista tamen mala sunt*, respondere, *quasi nos manifesta negemus?* Quæ lectio germanissima est ex Aldina & Colinça editionibus. Si manifestum est esse mala tua carmina cur me stultum appellas, quod errores tuos non librario, sed tibi imputem? Ausim affirmare Martialem sic scripsisse:

Num ne ego te credam cordis habere nihil?

Id est, si dixeris me peccasse, te cordatum & sapientem iudicabo. Eodem sensu supra lib. 1. epig. penult. in Lupercum, cum dixisset apud Attrectum venalem esse suum librum denariis quinque, subiungit:

Tanti non es, ais? sapis Luperce.

3 HÆC *mala sunt, sed tu non meliora facis.*] Satis vrbanè se laudat, cum Epigrammatarium Poetam se solùm legi dignum vocet, nam cùm alloquitur lectorem non nominatum, omnes quotquot sunt comprehendit.

De Næuia. IX.

v. nil dabit. *Scripsi, rescripsit nil Næuia. " non dabit ergo?*
Sed puto, quod scripsi, legerat. ergo dabit.

DOMITIVS.

SCRIPSI] In Næuiam iocus est, nam dare absolutè apud Mart. modò est dare pretium, modo dare coitum, vt illud res perridicula est. Vis dare scil. coitum, nec dare vis: scil. pretium: exigebat pretium Mart. à Næuia pro coitu.

NON *dabit ergo*] Scil. coitum interrogatiuè, immò dabit, sc. pretium, vt emat à me coitum, quasi dicatur, si voluerit à me coitum, omnino soluet, aliter enim nolo.

RAMIR. DE PRADO.

Ex Ouidio desumpta sententia, quemadmodum alia multa ab eodem: Nam lib. 1. de arte amandi, scribit bene sperandum esse de puella, quæ quamuis initio inexorabilis esse videatur, per gradus tamen, quos habet negotium istud, tandem deueniat ad legendam epistolam, ab amatore missam: & deinde rescribat, quo facto tandem victa succumbat. verba eius sunt:

Legerit, & nolit rescribere: cogere noli.
Tu modo blanditias fac legat ipsa tuas,
Quas voluit legisse, volet rescribere lectis:
Per numeros veniunt ista, gradúsque suos.

Fingit igitur se Næuiæ scripsisse, illam verò rescripsisse nihil.

1 NON *dabit ergo?*] Respondet daturam proculdubiò, quòd literas ad se scriptas legerat.

In Postumum. X.

v. quòd das. *Basia dimidio, " quæ das mihi Postume labro,*
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium;
A *Vis dare maius adhuc, & inenarrabile munus?*
Hoc tibi habe totum Postume dimidium.

DOMITIVS.

BASIA *dimidio*] Postumus malè olebat, conscius huius rei dimidio labro oscula dabat occurrentibus amicis. Mart. dicit se non ægrè ferre si dimidio tantùm labro osculatur, sed se facere potestatem, vt dimidium adimat.

POSTVMVS] Nomen fictum est apud poëtam, vt indicat:

Quis sit Postumus in meis libellis Non dicam.

LICET *demas*] Potes demere, hoc etiam dimidium, & id facere patiar.

B

RAMIR. DE PRADO.

Nomine ficto Posthumi, eius molestas basiationes hoc epigrammate & infra 12. 21. 22. & 23. insectatur.

1 BASIA *dimidio quæ das mihi Posthume labro.*] magis arridet vetus lectio, *quod das*, &c. Sequitur enim, *laudo*.

2 DIMIDIO *labro.*] erat fortè delicatulorum basiatorum, vnum labrum protrahere, & eius dimidia parte alterius os contingere. Quod etiam dicitur epigrammate 22. inf. Laudat igitur Posthumum quòd non vtroque labro basiaret, quod ob fœditatem oris, vel spurcitiem fellandi vel lingendi esset intolerabile, Concedit deinde, vt ab hoc dimidio demat dimidium, & tantum quarta labri parte osculetur. Vnde colligo basiationem dimidio labro non esse signum arctæ necessitudinis, sed fieri tantum cum iis, C qui leuiter cogniti erant. Concedit enim Martialis eam basiationem, & superaddit minorem etiam dimidia parte sufficere. Addit tandem ab inexpectato, inenarrabile donum sibi futurum, si hoc totum dimidium sibi habeat, nec se vlla ratione contingat.

In Selium. XI.

Quod fronte Selium nubila vides Rufe,
Quod ambulator porticum terit serus,
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus,
Quod pæne terram tangit indecens nasus,
Quod dextra pectus pulsat, & comã vellit:
D *Non ille amici fata luget, aut fratris.*
Vterque natus viuit & precor viuat.
Salua est & vxor, sarcinæque, seruique:
Nil colonus, villicúsque decoxit.
Mæroris igitur caussa, quod domi cenat.

DOMITIVS.

QVÒD *fronte*] Ad Rufum cœnipetam, ita habet inscriptio antiqua, id est, sectantem, & petentem alienam cœnam.

NVBILA] Torua & mœsta.

PORTICVM *serus*] i. serus terit porticum.

PIGER] Torpens.

TACET *quidem lugubre*] Quiddam insigne luctus.

INDECENS] Turpis terit terram demisso vultu. ita enim est habitus lugentis.

DECOXIT] Decoquere, si absolutè dicatur, est fugere ob æs alienum, si cum accusatiuo; significat penitùs consumere, tractum à rebus quæ consumuntur coctione.

RAMIR. DE PRADO.

Cœnipetam Selium hoc epigrammate & seqq. 14. & 27. multis modis irridet, vt Monogenem lib. 12. epigr. 84. quamquàm doleret, quòd a nemine vocaretur.

1 QVOD *ambulator porticum terit serus.*] inf. epi. 14.
Si quis ibi serum carpat amicus iter.

2 LVGVBRE *quiddam quod tacet piger vultus.*] Elegans dicendi modus; vultus tacet, id est, tacendo præ se fert lugubre quiddam & mœstum. Sic dixerat supr. lib. 1. epig. 69. de Rufo.
---Si tacet hanc loquitur.

B

Piger, dixit, quia mœstus pigro similis & lento.

3 QVOD *pene terram tangit indecens nasus.*] Et nasi naturalem enormitatem in Selio, & habitum etiam pudore correpti ob neglectum ostendit: nam pudibundi, cùm præ pudore oculos demittunt, in faciem eminentem nasum adspiciunt, & longiorem se habere videntur. Hunc habitum exprimunt Itali, qui significantes aliquem illusum & pudibundum remansisse, aiunt: *restò con vn palmo di naso.* & Galli dicunt: *il demeura auec vn pied de nez.* Item inferiores Germani: *hy heeft eenen langhen nuese:* Est hyperbole, quòd terram pænè tangat. Hic habitus in sacris literis peculiari forma exprimitur: dicitur enim vultus concidere eius, qui pudibundus est, vt Genesis 4. vers. 5. *Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus eius*, & alijs innumeris in locis. Quod Hispani qui multos habemus Hebraismos, exprimimus iisdem verbis, cum dicimus: *Cayo se le la cara de verguença.* Huc respexit D. Orientius Illiberitanus Episcopus, cuius poëmata nuper ad nos adducta, à Martino Antonio Delrio, doctissimo viro Societatis IESV sacerdote, Louanij ab eo reperta, & exemplo curauimus illum Salamanticæ typis mandare, dum Disticho 213.

Pendula quæ mærent rugis deformibus ora
Protulerant vanum conspicienda decus.

Vbi dixit, *pendula ora*, vt exprimeret habitum mœrentium, quem exprimit Horatius in arte poëtica, agens de decoro personarum his verbis:

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit & angit.
Post effert animi motus interprete lingua.

Mœroris igitur causa, quòd domi cœnat, melius & verius editio Colinæi.

MOERORIS *igitur causa quæ est? domi cœnat.*] Hisce enim lurconibus cœnare domi, velut summa calamitas est, qua occasione finxit lib. 5. epig. 79. domicœnii nomen,
Si tristi domicœnio laboras.

In Postumum. XII.

Esse quid hoc dicam, quòd olent tua basia myrrham,
Quódque tibi est nunquã non alienus odor?
A *Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Postume, semper:*
Postume non benè olet, qui bene semper olet.

DOMITIVS.

MYRRHAM] Suauissimi odoris arborem habet vt nonnulli dixere in eadem sylua cum thure, & cùm alia vnguenta ex diuersis rebus constarent, sola myrrha habebatur pro vnguento.

NON *alienus*] i. semper habes odorem alienum, & accersitum.

HOC *mihi suspectum*] Quia non benè olet semper, quia non habet bonum odorem, & naturalem, erat enim fellationis vitio olidum, sed id odoribus emendabat.

RAMIR. DE PRADO.

Posthumum, cui fœtebat anima, & accitis odoribus id dissimulare conabatur, taxat hoc epigrammate, quem eundem sup. epi. 10. & infra epig. 21. 22. 23. insectatur.

1 POSTHVME *non bene olet, qui bene semper olet.*] Elegans epiphonema, & lusus in verbo, *bene olet*: priori loco, *bene olere* ex se significat, posteriori *bene olere*, ex acquisitis odoribus. Sic lib. 6. epig. 55.

Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quàm bene olere, nil olere.

Ad Sextum. XIII.

C *Et iudex petit, & petit patronus.*
Soluas censeo, Sexte, creditori.

Idem Græcè.

Καὶ συνήγορος αἰτέει, κριτής τε·
Τίνειν δ᾽ ἐγὼ κέλομαι, φίλε, δανειστῇ.

DOMITIVS.

ET *iudex*] Cauillatur in Sextum, qui adeò gloriatur illa iactantia, se nihil cuiquam debere, vt iustis etiam creditoribus ambagibus litium rem creditam negaret, nunc in litigantem aduersus creditorem iocatur, & ait poeta. Sexte dum vnum creditorem D vis subterfugere, tres habes, nam & iudex petit, & patronus & creditor: fuerit prudentius creditori soluere: vt duos deuites, quàm vnum subterfugere, vt in tres incidas.

RAMIR. DE PRADO.

Sanum litigantibus in turpi causa consilium: & obiter taxat iudices, qui à litigantibus pecuniam extorquent, quasi dicat, Maior erit iactura pecuniæ, si auiditati Iudicis & patroni satisfacturus sis, solue absque lite creditori.

Ad Paulinum, de Selio. XIV.

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties iam videt esse domi.

Currit ad Europen, & te, Pauline, tuósq;
Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum septa petuntur,
Si quid Phyllirides præstet, & Aesonides.
Hinc quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Aßidet & cathedris mæsta iuuenca tuis.
Inde petit " *centum pendentia tecta columnis,*
Illinc Pompeij dona, nemúsque duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Aeoliámq; Lupi:
Nã thermis iterũ cunctis, iterúmq; lauatur;
Omnia cùm fecit, sed renuente deo.
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, pérque tuam, vector lasciue, puellam,
Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

"De Vipsana porticu intelligit Calderinus.

DOMITIVS.

NIL *intentatum*] In Selium cœnipetam, qui loca vrbis vbi hominum conuentus esse solerent, discurrebat, vt ab aliquo inuitaretur, poëta iocatur dum singulis in locis anxium, & sollicitum cœnæ, ostendit.

EVROPE] Ex omnibus vrbis locis campus Martius habitus dignus est, authore Strabone, in quo præclarissima picturarum, aliorúmque ædificiorum opera collocarentur, vel loco saltem vicino. Non procul igitur à campo Martio, erat fabula Europes picta in porticu, quemadmodum vecta est à Ioue verso in taurum, eratque propè locus buxo consitus exercitationi, & cursui aptissimus. Alibi Mart.

Sed curris niueas tantùm propè virginis vndas:
Aut vbi Sidonio taurus amore calet.

ACHILLEOS *pedes*] i. celeritatem tuorum pedum, nam Achilles hoc epitheto frequenti carmine celebratur ab Homero, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, velox pedibus Achilles. Stultè alij exponunt pedes Achilleos. i. carmina de Achille, amici igitur Pauli currentis Selius velocitatem laudabat, vt ita venaretur cœnam.

SINE *fine*] Suprà quàm decebat.

SI *nihil fecit*] Si nihil potuit assequi.

PHYLLIRIDES] Chiron Phyllirę, & Neptuni, qui erant in fabula argonautarum pictus.

ÆSONIDES] Iason filius Æsonis. Argonautæ picti erant in campo Martio in amœnissimo Porticu, & ambulatione, quæ multis frequentabatur: alibi Mart.

An spatia carpit lentus argonautarum.

MEMPHITICA] Isis templum habuit Romæ proximum ei campo, qui erat coniunctus campo Martio. Iuuc. sat. 6. *Calidásque petitas*
A Meroë potabit aquas, vt spargat in ade
Isidis, antiquo qua proxima surgit ouili.

Sacra autem illa celebrantur magna hominum frequentia, & indè sæpè numero scortationes, & lenocinia parabantur.

MEMPHITICA] Ægyptia, quia de Ægypto.

IVVENCA] Isis, quæ olim iuuenca fuit.

A MOESTA] Epitheton Isidis propter mortem mariti Osiridis.

CENTVM *columnis*] Porticum vipsanam intelligit, vt alij Pompeianam. Versus sunt Ouidij & plures propter illud: historia tradit hanc fuisse ingenti sumptu ædificatam, & nobilem inter cætera ornamenta, industria Antiphili pictoris, qui illic pinxit Cadmum, & Europen.

DONA *Pompeij*] Hi maximè ornarunt vrbem ædificiis, Pompe. Iulius Cæsar, Augustus, & eius familiares Octauia: Pompeius theatrum struxerat præter porticus, & multas inambulationes.

DVPLEX *nemus*] Quid garriunt nonnulli de curia Pompeij, nonne vel Strabonis verba sunt satis, qui scribit hortos nemorosos circa hæc loca fuisse, vt intelligas.

NEMVS *duplex*] i. latum: vel verba Liuij, quod magis placet, qui scribit locum in vrbe fuisse, qui B dicebatur inter duos lucos, & quidem amœnum.

NEC *spernit*] i. descendit.

FORTVNATI] N.P.

ÆOLIAM] i. balnea ventosa.

RENVENTE *Deo*] i. non fauente.

BVXETA] Loca consita buxis ad Europam porticum. Buxetum dictum est, vt quercetum, cornetum, ilicetum, fagutal à fago: Vndè fagutalis Iupiter.

TEPIDA] Quia post meridiem illic inambulabant ad exercitationem. alibi.

An delicata sole rursus Europa
Inter tepentes post meridiem buxos.

VOCA *ad cœnam*] id est, adime vitam Selio: nam si cœnabit cum Ioue, discedet è vita, quod vrbaniter dicit, cùm aliud dicere videatur.

C

RAMIR. DE PRADO.

Describit Paulino Selij cœnipetæ summam in quærendis vocationibus diligentiam, & celebriora vrbis loca nominat, vbi maximus ciuium concursus fieri solebat, vt inde conuiuatorem inueniret: quæ omnia loca notissima sunt, tum per se, tum etiam omnibus commentarijs, nec est quod in re manifesta immoremur. Hi enim cœnipetæ hanc ponebant operam in captandis cœnis. Sic Catullus epigr. 48. indignatus, quòd spurci illi duo Porcius & Socration luxuriosè conuiuarentur, & sui sodales vix haberent, quo famem leuarent, inquit:

Vos conuiuia lauta sumtuose
De die facitis, mei sodales
Quærunt in triuiis vocationes.

D 1 INDE *petit centum pendentia tecta columnis.*] De hoc dictum est sup. epi. 1. lib. spectaculorum, n. 5.

2 NEC *Gryli tenebras Aeoliamque lupi.*] vide quæ diximus lib. 1. epig. 60.

3 AD *Europes tepida buxeta recurrit.*] Cur *tepida*, dixerit, explicat lib. 3. epi. 20.

Inter tepentes post meridiem buxos.

4 AD *cœnam Selium tu rogo, Taure, voca.*] Quasi dicat: si tecum cœlestis Taure cœnet Selius, morietur. Allusit ad morem Græcorum, qui dicebant apud inferos cœnaturos eos, qui morituri essent. Cicero lib. 1. Tusculan. Quæst. *Quid ille Dux Leonidas dicit? pergite animo forti Lacedæmonij, hodie apud inferos fortasse cœnabimus.* loquitur autem de gloriosa illa Spartanorum apud Thermopylas cum Xerxe pugna, quam Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. de fortitudine in externis, §. 3. decerpsit: vbi sic Leonidæ retulit dictum: *Sic prandete commilitones tanquam apud inferos cœnaturi.* & subiungit statim explicans

hanc formulam Valerius. *Mors erat denunciata, Lacedamonij perinde, ac si victoria esset promissa, ductori intrepidè paruerunt.* Idem refert Plutarchus in Laconicis. Imitamur hoc prouerbium Hispani, cum dicimus: *fuesse acenar con Dios.* id est, obijt.

In Hermum. XV.

Quòd nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis, Herme, non superbè.

Idem Græcè.

Οὐκ ἄλλῳ ᾧτινι σὸν σκύφον προπίνειν,
Ποίησας κατ᾽ μοῖραν, οὐ πρὸς ἄγαν.

DOMITIVS.

QVÒD *nulli*] Potes accipere Hermi calicem fuisse venenatum: vel quod magis placet, os fœtidum fuisse ob fellationem, nam hoc sensu solet in fellatorem iocari, vt in Sabidium, cuius flatu ait escam merdam esse factam: hic nulli propinabat calicem, quod videbatur superbi hominis, sed eum humanè agere scribit Mart. ne perdat compotorem veneno, vel fœtore potius animæ ex fellatione.

RAMIR. DE PRADO.

Vrbane spurcum notat Hermum, cum videatur eum laudare, & suspicionem superbiæ remouere, quod calicem suum nemini propinaret; poterat enim hoc superbum videri: humanè tamen dicit factum, ne scilicet compotores habitu fœtido & spurco offenderentur, quod acutè lectori relinquit inferendum. Habebant autem veteres peculiares quique calices, illi siquidem qui honoratiores erant: sic legimus Heroicis temporibus vsitatum: Vnde celebratissimus ille Nestoris Pylij calix, duobus fundis & columbis argenteis ornatus, & epig. 6. lib. 8.

Hi duo longæuo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet.

Et deinde Achillis scyphum enumerat:

Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Aeacides, & bibit ipse merum. & mox:
Hac propinauit Bytiæ pulcherrima Dido
In patera, Phrygio cum data cœna viro est.

Vnde etiam collige, solere iis, quos chariores habebant, vel honorare volebant, calices suos propinare: & colligitur etiam ex hoc eodem epigrammate, & ex notissimo propinandi amicis more apud Gallos, de quo infinitis locis extat mentio apud veteres scriptores, quod fiebat post exhaustum poculum, mittendo calice illi, cui propinabant & quem nominabant. Locupletissimus testis huius moris Cicero lib. 1. Tuscul. Quæst. circa finem de Theramene, *qui* (inquit) *cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum, venenum vt sitiens obbibisset, reliquum sic è poculo eiecit, vt id resonaret, quo sonitu reddito, ridens, Propino*, inquit, *hoc pulchro Critiæ qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conuiuiis solent nominare cui poculum tradituri sint.* Quod idem narrat Valer. Maxi. lib. 3. cap. 2. §. 6. in externis. Cumque potionem exhaustam ab eo dixisset, subiungit: *Quódque ex ea superfuerat iocabundus illisum humo clarum edere sonum coegit, reddénsque seruo publico, qui eam tradiderat, Critiæ*, inquit, *propino, vide igitur vt hoc pocu-*

A *lum ad eum continuò perferas.* Quem morem à Græcis acceptum Romani paulùm immutarunt; non enim calicem solùm, sed & vinum calici infusum libatum propinabant, & in orbem circumferebatur: ad quem morem respexit Virgilius extremo primo lib. Æneid. vers. 733.

Hic regina grauem gemmis auroque poposcit,
Impleuitque mero pateram.

Et paulò post.

Dixit, & in mensa Laticum libauit honorem,
Primáque libato summo tenus attigit ore:
Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.
Post alij proceres.

Et Varro lib. 4. de ling. lat. idipsum declarat his verbis: *Præterea in poculis erant pateræ, eo quod pateant latius ita dicta. Hisce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ causa, cùm magistri fiunt, potio cir-*
B *cumfertur.* Et Plautus in Persa: *Age, circumfer mulsum bibere, Da vsque plenis cantharis.* Lucianus in mercede conductis. Hinc Synesio fax ep. 32. ὡς μὴ διαχυθείη τῷ καθάρματος κορδακίζοντος ἐν τῇ τοῦ ποτηρίου περιφορᾷ. id est, vt non exhilaretur scelerato saltante in poculi circumlatione. Hoc est quod respexisse videtur Pontifex in dist. 44. cap. 10. dum inquit: *singuli singulum bibere faciant, & maximè vltra tertiam vicem poculum non contingant.* & Ouid. idem innuit in arte. & aliis in locis. & etiam amatori residuum poculi dabant, vt Plautus, Horatius, Petronius & alii probant. Superbi verò nec calicem suum aliis propinabant, nec porrectum ab illis gustabant, quod eleganter Iuuen. sat. 5. versu 127. reprehendit.

——Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula: quis vestrum temerarius vsque adeóque?

C 1 HVMANE *facis.*] Eadem formula vsus est lib. 12. ep. 55. de Ægles cunilingæ basiis, vbi humanitatis causam, quam non hic explicat, disertè ponit,

Humanè facit hoc tamen, sed vnum est:
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Aegle.

In Zoilum. XVI.

**Zoilus ægrotat: faciunt hanc stragula febrē:* * Vide Turnebum, lib. 23. cap. 18.
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
*Quid torus à Nilo, quid * sindone tinctus olenti?* * Sidone. Calderinus legit. Mart. lib. 14. pag. 154. Ebria Sidonus. Vide Cornelii Vitellii annotationes in Georgium Merulam.
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
D *Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omneis.*
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

DOMITIVS.

ZOILVS] Zoilus vt opes lecti ostentaret, se ægrotum simulabat: ait Mart. non opus esse medico ad leuandum morbum, sed vilioribus stragulis.

STRAGVLA] Vt Varro scribit, edicebantur omnia quæ lecto sternebantur.

COCCINA] i. stragula tincta cocco.

TORVS] Lecti ornamentum erat ex lino. Maximi pretij habebatur si ex illo gosipio lino Ægyptio esset confectus: nam linum illud candore, & subtilitate præstat.

TINCTVS]

TINCTVS] Non placet cinctus, nam cinctus, non est lecti ornamentum, sed vestis muliebris, nunc poëta de stragulis loquitur. Legatur ergò vel tinctus; vt repetas torus, hoc est, quid faciat torus tinctus.

SINDONE *olenti*] i. purpura: vel tigus, nam tigus ornamenti genus erat appellatione barbara, author Var. Sindon est genus lini subtilissimi, vt legas quid tigus faciet confectus sindone lino subtilissimo.

OLENTI] Scil. benè.

MACHAONAS] Medici dicti à Machaone filio Æsculapij.

SVME *mea stragula*] Quoniam ea nôles ostentare, sunt enim vilissima, & ita fies sanus, hoc est non simulabis te ægrotare.

GEORGIVS.

SINDONE, *olenti*] Tibi non credo, qui pleráque omnia vanissimè effutis, nisi scriptorem dederis, qui hæc dicat: inuenio apud scriptores Græcos, in primis apud Libanium, sindonem pro velo subtilissimo accipi. In quam significationem venit illud Euangelij, vbi narrat corpus Domini inuolutũ fuisse sindone.

RAMIR. DE PRADO.

Zoili animi morbum irridet, qui ostentandæ supellectilis causa corporis morbum simulabat: eundem carpit, lib. 5. epig. 80. quod actum simulans, subinde in cœna mutaret vestes. Eiusdem argumenti est ep. 59. lib. 6. de Baccara hibernas tempestates & frigora optante, vt gausapinas vestes sumere posset.

1 FACIVNT *hanc stragula febrem.*] Imposuit nobis audax Grãmaticus Valla, qui lib. 6. inelegantiũ elegantiarũ c. 46. Vlpianum doctissimum Iurisconsultum fingit scripsisse, instrato omne vestimentũ contineri, quo amicimur, Labeone teste; & subiungit Vlpianum videri intellexisse, stragulã vestem esse vestimentum hominis, quo amicitur, quale est Græcorũ pallium; se verò non meminisse stragulã vestem reperiri in hoc sensu, sed in opertoriũ lectorum potius, vbi dormiebant & discumbebant. Raderus autẽ ad Vallæ lapsum labitur etiã, cæcorum more. Neuter viderat Vlpiani verba: & quod mage mireris, Alexãder ab Alexandro, qui geniales scripsit dies, eodẽ errore alia via lapsus est: vult enim Vlpianũ defendere, cum magis offendat: nam sudat multũ, vt probet stragulæ vestis nomine, hominis vestimentum intelligi, quod Vlpianus nũquam somniauit. Lege attentè verba *L. instratum 45. ff. de verb. significatione.* vbi contrarium omninò affirmat Vlp. nã cùm *L. 43.* verbo *victus*, vestem quoq; contineri ex Labeonis sententia docuisset, ita scribit, hac L. 45. *Instratũ omne vestimẽtum contineri, quod iniyciatur, Labeo ait. Neq; enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium περίστρωμα:* in victum ergo vestẽ accipiemus, non stragula, instratu omnem stragulã vestem. vbi docet vestis nomine absolute significari eam qua amicimur: si verò voluerimus id quòd in stratum continetur, significare, nõ dicemus absolutè, *vestem*, sed *vestem stragulã*; vt pallium absolutè est quo cooperimur, pallium autem περίστρωμα, quod sternimus. Explicat se ipse Vlpianus in L. quæsitum 12. §. proinde 28. ff. de instructo, & instrumento legato. Proinde inquit, *si fundus sit instructus, legatus, & supellex continebitur, quæ illic fuit vsui, ipsius gratia & vestis non solum stragula, sed quæ ibi vti solebat,* Vbi nota dubitasse summa cũ ratione Vlpianum, an vestis, qua amiciebatur dominus fundi, cederet legato, cùm non esset ipsa in vsum fundi. Nã stragulas vestes notũ est esse in vsus ipsius fundi: Ideò adiecit vestẽ non solum stragulam, quæ id omne est quod in stratum continetur, vt supra dictũ est, sed e-

A tiam vestem absolutè dictam, quæ est, qua amicimur, & qua ibi vti solebat dominus fundi, cedere legato. Quod clarius infra. §. idem respondit 41. expressit. *Idem* (inquit) *respondit theriacam quoq; & cetera medicamenta, quæ secessus causa dominus ibi habuit, & vestẽ propter secessum ibi depositam instructo fundo legato inesse.* Melius igitur fuisset Alexandro Neapolitano mẽdacij Vallam arguere, quam eius mendacium defensionis nomine fulcire, contra Vlpianum contrariam sententiam, vt probauimus, asserentem. Ex dictis obiter notare poteris in fundis habere veteres depositas vestes, quibus in secessu vterentur. Nam Romæ togati incedebant, togam verò deponebant in secessibus. Vnde lib. 10. epigr. 47. de vita beata,

——*Toga rara, mens quieta.* Et lib. 4. epigr. 66.
Idibus & raris togula est excussa Calendis.
Et lib. 12. epi. 18. *Ignota est toga, sed datur petenti*
Rupta proxima vestis è cathedra.

B Hoc igitur loco stragula, tapetia & aulæa & vestes, quibus sternebatur cubans Zoili lectus, nomine stragularum intelliguntur. De iisdem lib. 14. ep. 147.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.
Et sequenti epigrammate, de lodicibus,
Ludo stragula ne toro paterent,
Iunctæ nos tibi venimus sorores.

2 SI *fueris sanus coccina quid facient?*] Ludit in nomine *sanus*: significat enim & qui valet & qui mente constat. Eodem voto festiuè vtitur lib. 6. epigr. 84.

Octaphoro sanus portatur Auite Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Auite, furis.

3 QVID *sindone tinctus olenti?*] *Tinctus* substantiuum nomen, id est, tinctura: Est autem Hypallage, *tinctus olenti sindonè*, id est, bis tincta murice, quæ grauiter olebat ex tinctura purpuræ. Sic lib. 1. ep. 50.

--*olidaque vestes murice.* Vbi vide quæ in hunc

C sensum notaui. Sindon autem hîc quid sit, à multis video ignorari. Sindon hæc, de qua Martialis, vestis erat Tyria à Tyro aut Sidone, vnde nomen traxit, aduecta, subtili bombice & delicato contexta. Hanc vestem sumebant frequenter, qui pila desiētant ludere, aut post balnea, lib. 4. epigr. 19. de Andromide, *Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres;*
Non sic in Tyria sindone tutus eris.

Vocabimus igitur sindones (vt nunc solum de nomine & forma earum agamus, nam ex varia materia texebantur, quod alibi) Hispanicè *ropas de leuantar*, non autem *sabanas*, vt vulgus credit. Sic sentio cum * Maldonato, Serrario, & aliis. Ex sacris literis idem colligo. Iudicum cap. 14. dixit Samson: *proponam vobis problema; quod si solueritis mihi intra septem diès conuiuij, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas. Si autem non potueritis soluere, vos dabitis mihi triginta sindones, & eiusdem numeri tunicas.* Vides hîc sindones accipi pro palliis, aut vestibus coo-

D perientibus tunicas inferiores; & in fine capitis vtrasque vestes appellat sic: *descenditque Ascalonem & percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit ijs qui problema soluerant.* & Isayas c. 3. inter varia & preciosa ornamenta mulierũ sic infert: *& mutatoria, & palliola, & linteamina, & ac°, & specula, & sindones, & vittas, &c.* Et Dominus noster IESVS CHRISTVS mortuus inuolutus sindone linea, & alba sepultus est, Matth. 24. *& accepto corpore Ioseph inuoluit in sindone munda.* & Marci 15. *Ioseph autem mercatus sindonẽ, & deponens eum inuoluit sindòne.* At Romani induti toga deferebantur, vt li. 9. ep. 58.

Et pallens torga mortui tribulis. & Iuuen. sat. 3. v. 117.
Pars magna Italiæ est si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus.

*Maldonati ad cap. 14. Diui Marci num. 51. Serarius ad ca. 14. Iudic. quæst. 16. n. 1. in 4. resp. qui Abulensem citat ad suam cõfirmandam sententiam. Cardinalis Baronius anno Christi 34. pag. mihi 154. & 161. Episcopus Hieronymus Olon° in paraphra si. Isa. cap. 3. Franciscus Lucas Burg. ad cap. 14. D. Marci. Michael de Palacio 10. 3. lib. 1. in Isayam. Bayfius de re vestiaria cap. 15 Petrus Ciaconius de Triclinio pag. 40.

Cui addere possumus huius ritus mẽtionem in nostro iure ciuili. Nam Paulus L. filius familias ff. de in rẽ verso, inquit, *filius familias togã emit, mortuo deinde eo pater ignorans & putans suam esse, dedicauit eam in funus eius.* & paulò inferiùs: *atquin si filio pater togam emere debuit, in rem patris res versa est, non tunc quo funerabatur, sed quo tẽpore emit.* & Vlpianus, in l. & si quis 14. ff. de religios. & sumptibus funerum, §. impensa 4. *impensa peregre mortui, quæ facta est, vt corpus perferetur, funeris est, licet nondũ homo funeretur: ideq; & si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum* (legit Cuiacius, *commundandum*) *factum, vel si quid in marmor vel vestem collocandam.* (alias *elocãdam*) vbi vides vestem in funeris impensa. & Scæuola in l. si plura. vltima eiusdem tituli. *Et cui vestimenta legantur, si in funus erogata, viilem actionem in heredem dandam placuit & priuilegium funerarium.* Illa enim verba, *in funus erogata,* sunt de hoc Romanorũ iure intelligenda. Sed dices quid cõmune habet sindon, amictoria vestis cum decumbente in lecto? Soluo nodum, quem quæris in scirpo: Vestes quibus ornabantur, solebant in lecto, super stragula sternere pauperes, togulas: diuites verò & delicati sindones purpureas & vestes alias. De togulis est epig. 57. li. 11. de paupere Cheræmone,

Et breuis atque eadem nocte diéque toga.

Die sc. amicta, nocte strata supra lectum, & li. 4. ep. 53 de Cynico. *Cerea quem nudũ tegit vxor abolla grabati.* De vestibus delicatis hoc epigramma testimonio, cũ hic vanus preciosæ supellectilis ostentator sindonem strauerat lecto. & eodem epigrammate 57. lib. 11.

Constringatque tuos purpurâ texta toros.

Vbi pro *texta* togam intelligo purpureã prætextam. & ep. 63. lib. 9. *Tinctis murice vestibus, quòd omni*

Et nocte vtitur, & die Philenus.

Fœminæ item sternebant pallia lectis. constat id ex Iuuenale sat. 6. vers. 234. *——tunc corpore sano*

Aduocat Archigenem, onerosaque pallia iactat.

Id est, simulat febrim, & quasi æstu fatigata reijcit à lecto pallia. Notandum obiter palliũ virorum fuisse indumentũ, à Græcis ad Romanos translatum, simile nostrorum Sacerdotũ pallium, quod Hispani vocamus MANTEO. Hinc palliatæ comœdiæ, in quas Græci inducebantur: cõtra togatas, in quas Romani. Erat etiam & fœminarum cultus, sed aliâ figurâ & vsu, nam eo pallio fœminæ operiebant tunicas, & in conuiuijs lasciuiæ causâ, tunicatæ, & pallio coopertæ cubabant. Vnde Noster cùm Silæ futuræ vxori leges præscribens inquit, lib. 11. ep. 24.

Ad cœnam venies: sed sic diuisa recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis. & epi. 28.

Esse verò diuersa vtraque pallia constat perspicuè ex I.C. Vlpiano *in l. vestis.* 23. §. 2. ff. *de auro & argẽto legato.* vbi enumerans muliebria vestimẽta, & in iis pallia: vt etiam Scæuola in *l. Titia.* 38. §. 1. eiusdem tituli, inquit: *Muliebria sunt, quæ matrifamiliæ causâ sunt comparata, quibus vir non facilè vti potest sine vituperatione: veluti stolæ, pallia, &c.* ergò muliebria pallia diuersa à virilibus. Inde palliolatæ incedebant mulierculæ, lib. 9. epigr. 33.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Ad eũdem modum Hispani fœmineum pallium vocamus MANTEO DE MVGER. quod fœminæ nostræ auro intextum sternunt lecto ægrotantes. Vnde soluo difficillimum in hac ead. lege nodum, qui difficultate sua deterruit doctissimos quosque viros coëgitque dissimulare. Enumerat Vlpianus inter peculiaria mulierum vestimenta, pallia & pænulas, quibus vir sine vituperatione non vtatur. Subiungit deinde: *Cõmunia sunt quibus promiscuè vtitur mulier cum viro, veluti si eiusmodi penula palliumue est, & reliqua huiusmodi, quibus sine reprehensione vel vir vel vxor vtatur.* Quomodo vir sine reprehensione vtetur pallijs & pænulis quæ numerata sunt supra inter muliebria vestimenta? Aliquam prætulit facem sed exiguæ lucis quicunq; Pandectis Florentinis addidit vocem illam [*eiusmodi*] duabus lineis interclusam. Ego sic me expedio. Pallia & penulæ quibus fœminæ vtebantur, diuersa erant figura à palliis & pænulis virilibus, sed viri non poterant honestè muliebribus vti: fœminæ verò honestè poterant virilibus, quemadmodum olim promiscuè togis vtebantur, & hodieque nostræ fœminæ & palliis & togis virilibus in Hispania vtuntur, absque reprehensione, vel noctu, vel iter facientes, aut ægrotantes, aut ad pluuiam, aut ad frigus arcendum. Ideò adiunxit ille nescio quis vocem [*eiusmodi*] quasi diceret si ea forma pallia & pænulæ sint, vt viris conueniant & continuò feminis.

Ad Amianum. XVII.

°Tonstrix Suburæ faucibus sedet primis, ad tonsor.
Cruenta pendent quà flagella tortorum,
Argique letum multus obsidet sutor,
Sed ista'' tonstrix, Amiane, non tondet. tonsor.
Non tondet inquam. quid° ergo facit: radit. v. iglur.

DOMITIVS.

TONSTRIX] In tonstricem quandam, quæ nõ solùm tondebat, sed pecunia homines radebat, grãdem enim coitus mercedem poscebat.

QVA *pendent flagella*] Nam illic erant flagella eorum, qui puniebant alios. Horat.

Metuens pendentis habenæ tortores,

Qui damnatos flagris afficiebant.

OBSIDET *sutor*] In Argileto erant multæ sutrinæ.

RAMIR. DE PRADO.

Notat auaram mœcham tonsoris cuiusdam, quæ adolescentis pecunias corradebat: ludit autem in nominibus eius artificij. Tonsorum enim est & tondere & radere, vt ait Vlp. in L. *item Mela* 11. in principio. ad Leg. Aquil. *& sic serui, quem tonsor radebat, gula sit præcisa adiecto cultello,* &c. Et Græci detonsionẽ, qua crines radebantur & barba, σκάφιον: illam verò qua seruabantur ad honestatem & decorem & pilli, κῆπον appellabant. Non tondebat igitur, sed erat vxor tonsoris, sed radebat non capillum aut barbam, sed pecunias.

Priores tres versus consumit in descriptione loci, vbi hæc tonstrix habitabat, ad ingressum scilicet suburræ, vbi solebant verberari sontes, & tortores; flagella ibi suspendebant, propeque Argiletum, vbi tabernæ sutoriæ, vt dictum sup. lib. 1. epigr. 118.

Vltimo versu legit Heraldus, *inquis*, vbi legitur *inquam*, sed vtrumque admitto.

Hæc tonstrix occasionem nacta erat suarum nequitiarum, à conuentu adolescentum, qui in tonstrinis conueniebant, & ibi otiosi sedebant, prætereuntes & accedentes ad tonstrinam inspicientes: patet id ex Phormione Terentij, actus 1. scen. 2.

Nos otiosi operam dabamus Phædriæ
In quo hæc discebat ludo, ex aduersum ei loco
Tonstrina erat quædam, hic solebamus fere
Plerumque eam operiri, dum inde iret, domum.

Interea dum sedemus illic, &c.

Vnde apud Plautum in Amphitheatr. 4. scen *Naucratem quem*. Amphythruo enumerans quæ percurrisset loca ad inueniendum Naucratem, ait:

Nam omnes plateas perreptaui, gymnasia, myropolia.
Apud emporium atq; in macello, in palæstra atq; in foro,
In medicinis, in tonstrinis, apud omnes ædes sacras.

Et in Epidico Act. 2. Scen. St tacete.

Periphanem per omnem vrbē quem defessus sū quærere.
Per medicinas, per tōstrinas, in gymnasio atq; in foro.
Per myropol a, & lanienas, circumque argentarias.

Theophrastus item in characteribus ethicis, cap. 11. περὶ βδελυρίας coniunxit hæc duo tonstrinam, & myropolium, vera hominum ociosorum conciliabula; his verbis. ἢ διατρίβειν περὶ τὰ κουρεῖα, ἢ μυροπώλια, &c. Hinc παροιμιακῶς dictum κουρικὴ λαλιά, vt apud Polybium qui lib. 3. scripta falsa, qualia Chæreæ & Solyli, reprehendens, sic inquit: οὐδὲν γὰρ δοκεῖ πλέον ἔχειν οὐ τῆς ἱστορίας, ἀλλὰ κουρικῆς ἢ πανδήμου λαλιᾶς ἐμοί γε δοκεῖ ... τάξιν ἔχειν ἢ δύναμιν. Plura vide apud Adagiographum. Adag. *notum lippis, & tonsoribus*.

In Maximum. XVIII.

Capto tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas [a] *aliam. iam sumus ergo pares,*
Mâne salutatum venio: tu diceris isse
Antè salutatum. iam sumus ergo pares.
Sū comes ipse tuus, tumidiq. anteābulo regis:
Tu comes alterius: iam sumus ergo pares.
Esse sat est seruum: iam nolo vicarius esse.
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

[a] al. alias.

Idem Græcè.

Αἰδέομαι, θηρευσάμενος σὸν Μάξιμε, δεῖπνον·
Ἄλλο σὺ παπταίνεις. ἐσμὲν ἄρ' ἰσοπαλεῖς.
Ἠοῖ εἶμ' ἀσπασόμενος. σὲ δέ φασιν ἵκεσθαι
Ἀσπασόμενόν γ'. ἐσμὲν ἄρ' ἰσοπαλεῖς.
Εἶμ' ὀπάων σου, καὶ πρόδρομος βασιλῆος ἀγαυοῦ.
Ἄλλου ὀπηδὸς σύ. ἐσμὲν ἄρ' ἰσοπαλεῖς.
Εἶναι δοῦλον ἅλις μοι. ἐμὲν οὐκ ἐθέλω * ὑποδούλος.
Μήποτ' ἄνακτ' ἐχέτω, Μάξιμ', ἄνακτα μέγαν.

* Sic interpretor, vicarium seruum qui ab ordinario distinguitur à IC. instit. 21. de legatis §. 37. Si quis ancillas. ex l. 4. De pecu. leg.

DOMITIVS.

CAPTO] In Maximum, qui volebat esse dominus Mart. cùm ipse alijs seruiret.

CAPTARE] Est blanditijs & seruilibus officiis aliquid quærere, vt scurræ, & alij.

ANTEAMBVLO] Dicitur qui ambulat ante dominum honoris gratia, hoc est vsus verbo Tranquillus, quod perrarò inuenies, atque haud scio an vsque præterque in vita Vespasiani, vbi scri matrem solitam appellare eum anteambulonem fratris.

VICARIVS] Id est, nolo vices serui sustinere. i. nolo esse secundus seruus. Nam qui aliis seruiunt seruientibus, sunt seruorum vicarij.

REX] i. dominus: nam rex apud Horat. Iuuen. & hunc poëtam dicitur, qui colitur à clientibus, vt patronus seruorū. Vnus L. Columella, præter hos poëtas in prooemio, hoc verbo ita vsus est, quàm regis inquit somnos aucupari.

RAMIR. DE PRADO.

Vrbane valere dicit Maximo, cuius cliens fuerat, & cautam reddit, quod Maximus ipse cliens esset alterius; & cœnipeta etiam: quo nomine parem dicit vtrumque esse, & tandem concludit non debere clientem alterius esse, qui vult habere clientes.

1 CAPTO *tuam, pudet heu, sed capto*] Elegans cōfessio suæ turpitudinis: nā cœnipetæ egregiè ab ipso taxantur superioribus epigrammatis, in Selium & alijs, quæ videbimus infra.

2 IAM *sumus ergo pares.*] Frequens Martialis in his repetitionibus, vt li. 1. epig. 78 & alijs multis, quæ Raderus diligenter adnotauit.

3 TVMIDIQVE *anteambulo regis.*] Ne te fallant, qui hoc nomen vnius formæ esse putant. Videbis enim ex carminis ratione duas esse formas, quod ex *o* & *a* supprimatur per synalœpham illud *e*, quod in nomine vnius formæ fieri non poterat. Hac voce vsus est etiam lib. 3. epig. 7.

4 ESSE *sat est seruum: iam nolo vicarius esse.*] Est vicarius in familia seruus, sub alterius serui potestate ex domini voluntate constitutus. Vide, si vacat, Rodiginum, li. 25. c. 23. Eadem sententia dicit infra ep. 32.

Non bene crede mihi seruo seruitur amico,
Sit liber dominus qui volet esse meus.

5 QVI *rex est, regem Maxime non habeat.*] Notissimum est, reges àpriscis appellari potentiores amicos, sic suprà lib. 1. epig. 113.

Cum te non nossem, dominum regémque vocabam.

Et lib. 3. epigr. 7.

Regis superbi sportula recesserunt. Et lib. 5. epig. 20.
Luxuria est, tumidique vocant hæc munera regis.

Et epigrammate 23.

Rex nisi dormieris non potes esse meus.

De quo loco multa Heraldus, cui adiunge Senecam in Hercule furente primo choro.

—Ille superbos Aditus regum duráque fores
Expers, omni colit.——

Et Columellam in præfatione lib. 1. de re rustica. *An honestius duxerim mercenarij salutatoris aucupium, circumuolitantis limina potentiorum, somnúmque regis sui rumoribus inaugurantis.*

Ad Zoilum. XIX.

Felicem fieri credis me, Zoile, cœna:
[a] *Felicem cœna, Zoile, deinde tua?*
Debet Aricino conuiua recumbere cliuo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

[a] Argutior hæc lectio est, quàm Gallicana, quæ habet, cœnam zoile dando tuam.

Idem Græcè.

Ζωΐλε σῷ δείπνῳ με δοκεῖς ὀλβίζειν· ...
Δείπνῳ γ' ὀλβιζόμενον Ζωΐλε δεῖπνε τεῷ,
Αἰτίζων [b] μάλα πάντας ἐποιχόμενος γε προσαίκτης,
Ὅν σου ὀλβίζει Ζωΐλε δεῖπνον ἔθη.

[b] Homerica parodia ex qua Od. 17. qua status mend ci exprimitur.

DOMITIVS

FELICEM] In Zoilum simulantem aduersam valetudinem, vt suprà dictum, & accipientem amicos mensa, quæ ægrotantibus solet parari.

DEBET] Oportet eum esse ægrotum, qui tecum cœnet, nam conuiua ad cliuum Aricinum est mendicus corpore læso.

QVEM *tua cœna felicē facit*] i. cui placet tua cœna, &

ea se putet felicem: nam cibis quidem lautis erat parata, sed ij solent dari ægrotantibus. Vndè cauillatur cœnam eam esse aptam ægrotis, & eos qui ægroti mendicant ad cliuum Aricinum, se putaturos felices ea cœna.

RAMIR. DE PRADO.

Contumeliosè carpit Zoilum, qui felicem credebat eum, quem ad cœnam vocaret: adeóque sordidam esse cœnam dicit, vt nullum liberum hominem beare possit; sed rogatores dignos Zoili conuiuio tantùm esse: De cuius Zoili molesto fastu est longum & elegans epigramma lib. 3. 81.

1 DEBET *Aricino conuiua recumbere cliuo.*] in cliuo Aricino frequêtes erant mêdici & rogatores; Iuuen.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Lusit autem in verbo *recumbere*, nam recumbebant rogatores, & recumbebant etiam conuiuæ.

De Paullo. XX.

Carmina Paullus emit, recitat sua carmina Paullus.
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

RAMIR. DE PRADO.

Plagiarium Paulum excusando carpit, qui, cum carmina emeret, vt sua recitabat: nam emtione res sunt emtoris. Sic suprà lib. 1. ad Fidentinum, epig. 30.

Si dici tua vis, hac eme, ne mea sint.

In libris Ciceronis eandem hanc homonymiam explicat Seneca, lib. 7. de benef. cap. 6. & hic Noster lib. 6. epigr. 12. Fabullam eodem loco perstringit.

Iurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla. numquid Paule peierat?

In Postumum. XXI.

Basia das aliis, aliis das, Postume, dextram.
Dicis, vtrum mauis, elige? malo manum.

DOMITIVS.

BASIA] i. malo manum quàm basia, quia malè olent.

RAMIR. DE PRADO.

De hoc epigrammate dictum est sup. epig. 10. Nec intelligas cum multis manum dari basiandam: hoc enim Imperatores soli facere poterant, & quidem inuidiosè: fastuosi enim & elati Imperatoris erat, manu non osculo excipere. Sueton. in Domit. c. 12. *ab iuuenta minime ciuilis, animi confidens etiã, & tũ verbis tũ rebus immodicus, Cinadi patris cõcubina ex Istria reuersa, osculúmque vt assueuerat efferenti, manum prebuit.* & Plin. in Panegyrico ad Traianum. *Iam quo assensu senatus, quo gaudio exceptus es, cum candidatis, vt quemque nominaueras, osculo occurreres? deuexus quidem in planum, & quasi vnus ex gratulantibus, te mirer magis, an improbem illos, qui effecerunt, vt istud magnum videretur, cum velut affixi curulibus suis manum tantum, & hanc cunctanter & pigrè & imputantibus similes promererent?* Hinc Senecæ lux Epist. 47. cuius initium, *Libenter*, qui delicatos suggillans seruorum alienorum osculantes manum, eosdem ait se deprehendere: vt significet alienos seruos ab his debeatis venerari, tanquam egregios viros summósque

A Imperatores. Intellige igitur manum tangendam & præbendam his dari, velut fidei & amicitiæ pignus. Ouid. de remed. amoris.

Sed felix vt ames, non omni porrige dextram:
Sunt expertori toxica damna suo.

Sic câdidati prehendebant ciuium manus in campo: Vnde prehensare dicebantur petitores. Horatius li. 1. ep. 6.

Si fortunatum species & gratia prastat,
Mercemur seruum, qui dictet nomina, lauum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Vbi, *trans pondera*, intelligo de his, qui vel carnes, vel pisces, vel aliud quid quod ponderaretur, populo vendebant: qui erant *trans pondera*, hoc est, trans lances & stateras sedentes. quibus magni illi Senatores, qui prensabant, admoniti à nomenclatoribus, dextras porrigebant. quod fuit dictum ab Horatio, B vt indignitatem ambitionis ostenderet. Hæc autem manuum porrectio, si libenter fieret honori, si cunctanter & pigrè, non item, tribuebatur. Idem Horatius lib. 1. sat. 9. in descriptione garruli.

Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu. Quid agis dulcissime rerum?

De eodem. XXII.

Quid mihi vobiscum est, ô Phœbe, nouémque sorores?
Ecce nocet vati Musa iocosa suo.
Dimidio nobis dare Postumus antè solebat
C *Basia, nunc labro cœpit vtroque dare.*

DOMITIVS.

QVID] Ob illud epigramma:

BASIA *dimidio. Cœpit vtroque dare*] Vt illud vlciscatur.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma liquet per se & ex epig. 10. supra.

De eodem. XXIII.

Non dicam, licet vsque me rogetis,
Quis sit Postumus in meo libello.
D *Non dicam. quid enim mihi necesse est,*
Has offendere basiationes,
Quæ se tam benè vindicare possunt?

DOMITIVS.

NON *dicam*] Non dicam nomen Postumi, & quis sit, quia potrit vindicare sub specie amicitiæ, dando basia mihi quæ malè olent.

RAMIR. DE PRADO.

Dicit Posthumi nomen confictum esse à se, neque esse verum, vt promisit in epist. 10. libri, quæ iam explicata supra extat. Causam autem cùm reddat, cur verum nomen huius ficti Posthumi non proferat, eum magis lædit, cum dicat has offensas basiationes posse se bene vindicare, scilicet basiando, vt faciebat Linus quidam descriptus facetissimo epig. 94. lib. 7.

In Candidum. XXIV.

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiórque reo.
Si iubeat patria damnatum excedere terra,
Per freta, per scopulos exulis ibo comes.
Dat tibi diuitias. ecquid sunt ista duorum?
Das partẽ. multũ est. Candide, das aliquid?
Mecũ [v] *ergo miser es. quòd si Deus ore sereno*
Annuerit? felix, Candide, solus eris.

[v] vetis ergo miser.

DOMITIVS.

S i *det.*] In Candidum, de quo alibi: Candide κοινόφιλον. Is amplissimis verbis pollicitabatur se forè omnis aduersæ fortunæ comitem: Martial. poëta ait se nolle amicum, qui tantùm in calamitate sit comes, sed eum, qui si factus fuerit diues, det aliquid.

T r i s t e m *reatum*] Si fueris reus.

R e o] Scil. te.

E x v l i s] Tui.

D a t] Fortuna: hoc est, si fortuna dat.

P a r t e m] i. dimidium.

M v l t v m *est*] i. posses dicere nimium esse dare dimidium.

D a s *aliquid*] Interrogatiuè, quasi dicat, non.

RAMIR. DE PRADO.

Conqueritur non respondere sibi Candidum mutuo amore & necessitudine, quod paratus Martialis sit ad omnem aduersam fortunam cum eo tolerandam, ipse autem de prospera nihil communicet cum ipso. Eundem hunc, tanquam gloriosum officij iactatorem carpit infra epigr. 43.

1 S q v a l l i d v s *hærebo, pallidiorque reo.*] De vestis mutatione in reatu, tam rei ipsius, quam propinquorum & amicorum, disseruit latè Lipsius lib. 1. Electorum c. 13. sed his hoc addere potest. Non esse permissum lege, imò prohibitum, vestem sordidam rei nomine in publico habere, capillumue submittere, nisi ita coniunctus esset affinitati, vt inuitus in reũ testimonium dicere cogi non possit. iisdem verbis habetur in l. *vestem.* 39. ff. *de iniurijs*, & mirum videri possit sub titulo de iniuriis hác legem contineri, cum in ea nec verbum sit vllum de iniuria. Vnde, quemadmodum ex aliis infinitis Pandectarum locis colligere possumus, fragmenta illa sæpè manca & absque delectu in titulos esse congesta; & verò Venuleius, è cuius libris sumtum est fragmentum illud de publicis iudiciis, agebat in quibus iniuria erat, quemquam sordidatum rei gratia adesse. Probatur hoc ex Vlpiano *l. item apud Labeonem* 15. §. *generaliter*. 27. eod. tit. cuius verba sunt: *Hæc autem ferè sunt, quæ ob infamiã alicuius fiunt, vt puta ad inuidiam alicuius, veste lugubri vtitur, aut squallida, aut si barbam demittat, vel capillos submittat.* Hinc illud Senecæ 10. declamationũ 1. *Sordidatus es, non queror, sed si sordes tuæ inuidiam mihi concitant, queror.* & Sidon. Apollin. lib. 1 ep. 7. *& ab industria squallidi præripuissent reo debitam miserationem sub inuidia sordidatorum.*

2 P e r *freta per scopulos exulis ibo comes.*] per freta & scopulos prouerbialiter dicitur, id est, per loca periculosa & difficilia. Exulis autem comitem ire, signũ arctæ & raræ amicitiæ. lib. 7. epig. 43. de Ouidio Maximi Cæseni comite.

A *Aequora per Scyllæ magnus comes exulis isti,*
Qui modò noluerat Consulis ire comes.

Et epigrammate sequenti de iisdem.

Hunc nuper Siculas secutas vndas:
O nullis Ouidi tacende linguis!
Spreuisti Domini furentis iras.

Et lib. 12. epi. 25. cùm obijceret Thelesino veteri sodali auaritiam & sordes, qui non credebat Martiali pecuniam, nisi dato agello pignori, inquit:

Ecce reum Carus se detulit, adsit agellus.
Exilij comitem quæris? agellus eat.

3 Q v ò d *si Deus ore sereno Annuerit.*] De verbo *annuendi*, vide quæ collexit Brissonius de formulis l. 1. & quæ perperam fuisset hîc transcribere: rogabant enim Deos vt annuerent.

4 F e l i x *Candide solus eris.*] id est, te relinquam, & tuæ amicitiæ renunciabo deinceps, cum nolis opes tuas mecum communicare.

B

Ad Gallam. XXV.

Das nũquã, semper promittis, Galla, rogãti:
Si semper fallis, iam rogo, Galla, nega.

DOMITIVS.

D a s *numquam*] Galla meretrix, quæ non stabat promissis, vnde inquit, si semper contrarium facis, nega mihi, & dabis.

RAMIR. DE PRADO.

Faceta antistrophe in Gallam, quæ semper promissa fallebat, promittebat enim se daturam roganti, deinde non dabat: rogat igitur vt aliquando neget, quod futurum sit vt det.

Ad Bithynicum. XXVI.

C *Quòd querulũ spirat, quòd acerbum Næuia tussit,*
Inque [v] *suos mittit sputa subinde sinus:*
Iam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras, blanditur Næuia, non moritur.

[v] v. tuos.

DOMITIVS.

Q v ò d *querulum*] Propter tussim Bithynicus sperabat Næuiam morituram, quoniam tussi vehementiùs agitabatur, sed fallitur, quoniam Næuia meretrix ita solebat blandiri.

S p i r a t] Anhelat.

B l a n d i t v r] Scil. tibi auaro, nam tu caperis iis blanditiis, cùm inde speres citò morituram.

D RAMIR. DE PRADO

Lib. 1. epigr. 11. de argumento huius epigrammatis dictum est, de his scilicet, qui vetularum ægrotantiũ nuptias ambiebant, vbi de tussi satis dictum. Irridet nunc Bithynicum, qui hæc signa in Næuia propinquæ mortis esse sibi persuaserit, cum tamen ipsa blãdiretur ei, & gratificaretur querula spiratione, frequenti tussi & sputò in sinus misso.

1 I a m *te rem factam.*] Formula, vt lib. 1. epigr. 29. vbi de ea dictum est. & lib. 6. epigr. 60.

De Selio. XXVII.

Laudantem Selium cœnæ cùm retia tendit;
E *Accipe siue legas, siue patronus agas.*

v. Effectè. quid si Affectè?

Effœtè, grauitèr, citò, nequiter, euge, beatè.
Hoc volui, facta est iam tibi cœna. tace.

DOMITIVS.

LAVEANTEM *cœna cum retia tendit*] i. cum captat cœnam.

ACCIPE] Audi.

EFFOETE] Plenè.

FACTA *est iam tibi cœna*] Quia cœnabis mecum.

HOC *volui*] Te dicere, verba eius, qui laudatus est à Selio.

TACET] Lege, non *tace*. Ita habet codex antiquus, i. cùm audit Selius cœnam sibi esse paratam, statim silet, quasi assecutus quod volebat, & timens ne loquendo, ostendat.

RAMIR. DE PRADO.

Satis agitatus Selius iste cœnipeta, supra est, epig. 11. & 14.

1 ACCIPE *siue legis siue patronus agis.*] Acclamantium officia præstabantur recitantibus carmina, vel historias, vel declamationes, hæc enim recitatio legendo fiebat. Persius sat. 1.

Sede legens celsa liquido cum plasmate guttur.
Ac obile colluerit, patranti fractus ocello.

Et Plin. lib. 9. epist. 34. *Cogito ergo recitaturus familiaribus amicis, experiri libertum meum. Hoc quoq; familiare, quod elegi non bene. sed melius scio lecturum, si tamen non fuerit perturbatus. Est enim tam nouus lector, quam ego Poeta.* Vide quomodo recitaturus legebat, quod clarè dixerat initio epist. *Audio te male legere duntaxat versus, orationes enim commodius.* Et Suet. in Augusto, *multa varij generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio recitauit, sicut rescripta Bruto de Catone. Quæ volumina cum iam senior ex magna parte legisset, fatigatus Tiberio tradidit perlegenda.* & in Claudio cap. 41. *In principatu quoque & scripsit plurimum, & assidue recitauit per lectorem.* Ex quibus locis colligo id, quod antea dixi, recitationem non memoriter sed lectione fieri: & deinde auctores solere aliqua vrgente causa impeditos, quo minus per se ipsos legere possent, lectorem aliquem sibi sufficere: præsentibus tamen & audientibus iisdem ipsis recitabant Lectores. Eædem acclamationes fiebant patronis in caussæ defensione vel accusatione: & hoc significat, *siue patronus agis.* hoc officium petentibus præstabatur à non amicis, vt lib. 10. epigr. 70.

Nunc consul, Prætor retinet, reducésque choreæ:
Auditur toto sæpe Poeta die.
Sed nec caussidico possis impune negare,
Nec si te Rhetor, Grammaticusve rogent.

2 EFFOETE] De his acclamationibus supra diximus lib. 1. epig. 4. Hæc autem, *effœte*, male accepta fuit à nostris Criticis, & quod non intellecta, relecta statim & mutata. Nec desunt suffragatores libri veteres, tanquam mortui testes. Heraldus mutat *effecte*, alij *affecte*, id est, perfecte. Ego nil muto: effœta etiam illa dicuntur, quæ omnino iam fœtum emiserunt: per metaphoram, *effœte* dicitur id, quod ita dicitur, vt nihil amplius dicendum reliquerit in ea re, quasi diceret: ita bene & perfecte, vt nihil supra dici possit.

3 HOC *volui.*] Verba sunt recitatoris vel patroni respondentis Selij acclamationibus.

4 FACTA *est iam tibi cena.*] Eadem notione hoc dicitur, ac ea formula de qua superiori epigrammate *rem factam habere.*

5 TACE.] Legerem libentius, *tacet*, quod verbum Poëtæ est notantis Selij auiditatem cenæ, qui statim ac factam sibi cenam audiuit, tacuit.

In Sextillum. XXVIII.

Rideto multùm, qui te, Sextille, cinædum
Dixerit, & digitum porrigito medium.
Sed nec pædico es, nec tu Sextille fututor.
Calda Vetustina nec tibi bucca placet.
Ex istis nihil es fateor, Sextille. quid ergo es?
Nescio: sed tu scis, res superesse duas.

DOMITIVS.

RIDETO] In Sextillum masturbatorem, & fellatorem, is contracta fronte, & stoico supercilio nolebat videri mollis. Mart. iocatur, & quasi videatur assentari, ait Sextillum non debere vereri quòd aut cinædus, aut pædico, aut fututor, aut cunnilingus habeatur: sed tamen duas res superesse, quæ vel ab hispido, & seuero possint effici, hoc est fellare & masturbari.

RIDETO] i. derideto illum qui te appellauerit cinædum.

PORRIGERE *digit. med.*] Erat indicium contumeliæ, nam digitus ille infamis dicebatur, seu verpus quoniam eo Iudæi delapsa intestina recondebant; Iuuen. *Mediumque ostenderet vnguem*, Id est, Medium digitum.

CALDA *bucca*] i. vulua, quia non es cunnilingus.

DVAS *res*] i. fellatione, & masturbatione. Masturbari à verbo Græco tractum est, nam Græci *μαστροπεύειν* dicunt lenocinio & blanditijs conciliare: Vnde masturbari dixerunt Latini pro eo quod est virilia impudenter tractare.

FELLARE] Ab hœdis & agnis tractum, qui fellare dicuntur vbera matris cùm lac sugunt, hoc verbo vsus est Var. in re ru. in agnis. Solinus frequentatiuo. scil. fellito, in hædis. & Plin. Dicitur autem nō à fele animali, quod sentire est ridiculum: sed à verbo Græco *φηλᾶν*, quod est os contaminare, interprete Suida testimonio Aristophanis, quod est potius os oblinere.

RAMIR. DE PRADO.

Sextillum notat, quod fellator & cunnilingus esset. distichum primum explicatum iam & affatim supra lib. 1. epigr. 1. & 93. cetera sic intelligentur. Impuritatis sex sunt scelera: primum, cinædum esse: secundum, pædiconem: tertium, fututorem: quartum, irrumatorem: quintum, fellatorem: sextum, cunnilingum. Negat Sextilium quatuor habere priora, & dicit eum scire duos superesse, hoc est, fellandi & lingendi turpitudinem. primo disticho cinædus continetur. tertio versu pædico & fututor quarto irrumator. Vltimo disticho hæc quatuor negantur, & res duæ quæ supersunt, obiiciuntur Sextillo, id est, fellare & lingere. Eodem sale perfricat Coracinum quemdam, lib. 4. epigr. 45.

Ad Rufum. XXIX.

Rufe, vides illum subsellia prima terentem,
Cuius & hinc lucet sardonychata manus.
Quæque Tyron toties epotauere lacernæ,
Et toga non tactas vincere iussa niues:

Cuius olet toto pinguis coma Marcelliano,
Et splendent vulso brachia trita pilo.
**Non "extrema sedet lunata" lingula plăta,*
Coccina non læsum † cingit aluta pedem,
Et numerosa linunt stellătem splenia frontem.
Ignoras quid sit? splenia tolle, leges.

* al. ligula. v. non hesterna. Hæc vetust manuscripti codicis lectio, vt vetustã nobilitatẽ significet haud heri, aut nuper natam. Vide Adag. nostrã sat. saginem sibi, In Astragalis nobilitas. " Non hesterna, sedet] Ludit Martialis in nebulonem qui nobiliũ numero inseri cupiebat. Et gemmis quidem ornatus, pretiosis vestibus indutus, vnguentis delibutus, cõtus ac politus erat: Verum ne hesterna quidem lingula lunata sedebat planta, nec læsum pedem aluta coccina tegebat. Cæterũ inscriptum fronti habebat epigramma numerosis inductum splenijs, scilicet, seruus stigmatias erat. Frustra hi versus in Animaduers. tentati sunt. N. R.

DOMITIVS.

RVFE] In eum, qui ex seruili conditione peruenerat ad equestrem dignitatem, insigniaque equestria gerebat, poëta facetè iocatur, ait enim si nescis quis ille sit, qui indutus, & pictus est equestribus insignibus, amoue splenia, & ornamenta illa: legésque in fronte quid sit, & apertè alludit ad picturam, nam dicimus perlegere oculis ea quæ picta sunt, vt apud Virgilium: hic autem habebat notas legendas in fronte, i. stigmata.

ILLVM *tenentem prima subsellia*] Nam inter subsellia iudicum equites sedebant, vt suprà dictum est, & Plin. & Strab. sunt authores.

SARDONYCHATA *manus*] Id est, habens annulum ligatum Sardonyche, & hoc est signum equitum, qui annulo donabantur. Sardonyche autem gemma in maxima fuit authoritate, annulo præsertim Polycratis, qui cum ab Herodoto, & à Latinis nostris memoriæ sit commendatus, gemmam Sardonychem habuisse scribitur: dicitur & Sardonychus. Iuuenalis: *Gemmáque princeps Sardonychus.*

CVIVS *tyron epotauere lacernæ*] Id est, cuius lacernæ toties tinctæ sunt. Primùm tantum bis tingebantur purpuræ dicebanturque dibaphæ, qualibus vsus est Lentulus Spinther primus, postea sæpiùs tinctæ fuerunt maiore honore, & impendio. Et vides illum cuius lacernæ lucent bis tinctæ.

LACERNÆ] Super induebantur togæ.

TOGA] Cœa, quæ ex Cœa insula confecta erat. Vtebantur etiam viri: vincebantur tamen albedine à mulieribus bombicem Assyriam gestantibus.

PINGVIS] Vncta.

MARCELLIANO] Vnguento confecto à Marcello: nam vnguenta aut à locis sumunt appellationem, vt Rhodia, & Mendesia: aut à magistris, vt Cosmiana, & Marcel. aut à succis immixtis, vt nardi nardina, opobalsama.

VVLSO *pilo*] Nam euellebant pilos vt molliores viderentur: vnde & instrumentum appellarunt volsellas: vt Varro.

LINGVLA] Vinculum erat calciamenti, quam alij dixerunt lingulum. Lingula præterea aliud significat, quod in distichis declarabitur, pro vinculo calciamenti Pompeius posuit, & vsus est Iuuenalis.

Lingula dimittetur.

SEDET] Apposita est.

NON *hesterna*] Non heri, sed singulis horis coccinata.

PLANTA *lunata*] i. calceis lunatis, quod erat nobilitatis indicium, vt suprà dictum est.

ALVTA *coccina*] Pellis rubens.

PINGIT] Aptè format, & pedem non lædit.

SPLENIA] Sunt qui lenia dicant: id verbum est apud Poëtam in distichis, & apud Festum: sed placet vt splenia legatur. Erant autem panni bombicini, odoribus, & vnguento perfusi. Vides inquam illum, cui splenia numerosa, i. per numerum, & ordinem composita.

A LINVNT] Oblinunt.

STELLANTEM *frontem*] i. radiantem, quia videbatur radiare, vel notis insignitam. Amoue splenia, quæ cooperiunt stigmata, & notas: & alludit ad hominem pictum notis.

LEGES] Cognosces esse seruum.

GEORGIVS.

RVFE *vides illum subsellia prima tenentem*] In subsellijs, quæ propriè, vt Pedianus ait minorum erant; cùm tribunalia maiorum essent iudices sedebant trifariam, aliquando diuisi, nam & ordo senatorius & equestris, & item tribuni ærarij iudicabant, aliquando tamen iudicia penes senatores solos, interim penes equites fuere. Cur autem ad explanationem primorum subselliorum, inter subsellia iudicum equites sedere dicat, non intelligo, ego autem dixe-
B rim.

SVBSELLIA *prima tenentem*] Equitem fuisse, qui iudicaturus prima subsellia, mollis, & ornamento molliore ornatus frequentaret, hæc ille.

SPLENIA *tolle leges*] Confictam à Calderino & commentitiam diffinitionem sentio, vtporè quæ nec ab etymologia nominis procedat, nec vetere authore nitatur. Splenium tamen Plin. in naturali historia scribens de medicina oculorum ait. Neve autem sub ala ad hunc vsum indicitur, quoniam suo calore vtilior est: super imponi oportet splenium è melle decoctum: hic scriptor splenium non innuit esse pannum bombycinum odore, & vnguento perfusum, sed de melle confici splenium docet. Ego contenderim splenium esse dictionem Græcam. Nam Iulius Pollux in 2. lib. splenium tradit appellari caput splenis, hic splenia velut per similitudinem dicuntur facta ex panno laneo, siue lineo, quæ ad curam corporis
C super-imponi solent.

RAMIR. DE PRADO.

Describit fastum liberti cuiusdam, ad Senatoriam dignitatem euecti, qui cùm notatus fronte & signatus, stigmatiam Græci vocant, esset spleniis frontem contegebat; & simul tacite carpit infamiam sui seculi, quod tales admitteret Senatores; de qua re Iuuenalis sat. 1. latius.

1 RVFE *vides illum subsellia prima tenentem.*] Non est audiendus Calderinus, qui ad iudicium subsellia hoc refert. Nãneque in ijs prima sunt aut postrema; nec Martialis si hic stigmatias Iudex fuisset, intactum eius officium & fastum iudicialem præterijsset. Sed omnino intelligendum est de subsellijs in Orchestra, in quibus Senatores sedebant spectantes in theatro, non loco aut ordine, sed quòd dignitate cetera præcederent. Quid? quod in ipsa Orchestra iste
D fastuosus prima occupabat subsellia; quemadmodum de Manneio ficto Equite, in facetissimo illo epigr. 14. lib. 5.

Sedere primo solitus in gradu semper.

Nam quamuis Equites in quatuordecim ordinibus sedebant, hic tamen primum gradum occupabat. Codices multi habent, *terentem*, multi, *tenentem*. Ego potius vltimam lectionem amplecterer, *tenere* enim imperiosam quandam indicat possessionem, vt *tenere* Galliam, Hispaniam.

2 QVÆQVE *Tyron toties epotauere lacernæ.*] Dibaphæ purpureæ erant huius lacernæ: id dictum eleganti metaphora verbi. *epotauere*, & metonymia verbi *Tyron*, pro purpura ex Tyro allata. Eæ autem lacernæ delicatiorum erant, præcipuè in theatralibus spectaculis.

3 Et *toga non tactas vincere iussa niues.*] Elegantissimè dictum: verbum autem *iussa*, significat à fullonibus dealbatam fuisse togam illam: in fullonica autem sic dealbabantur vestes, vt vel æquare, vel vincere niues viderentur. Est hoc manifestum ex sacra Euāgelij historia: nam Matthæus 17, cap. nu. 2. in transfiguratione Domini. *Et splenduit*, inquit, *facies eius, sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* Quod idem Marcus sic expressit c. 9. num. 3. *Et vestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis, velut nix. qualia fullo non potest super terram candida facere.* Inde dicti erant petitores candidati, non quod candida toga soli vterentur, quæ communis ferè omnium erat: sed quod ita cretata, splendens, & candida eorum esset toga opera fullonica, vt oculorum aciem præter cetera perstringeret, & ab hoc splendore vestis Candidati dicebantur.

4 Non *extrema sedet lunata lingula planta.*] Senatorij calcei lunati, quamuis nigri. Horatius lib. 1. sat. 6.

Nam vt quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Et Iuuenalis, sat. 7. vers. 192. de Quintiliano,

Adpositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Quamuis ad luxuriam aliqui Senatorios hos calceos cereos, galbos, hederaceos, coccinos, solebant inducere; vt hîc sequenti versu,

Coccina non læsum cingit aluta pedem.

Sed negotium facessit hoc loco, quid sit, *non extrema lingula* Hadrianus Iunius emendauit, *non externa.* id est, non nupera, vt dictum sit à Poëta ad inuidiam concitandam contra hunc, qui iam diu nobilitatem fuisset adeptus: Sed stulta omninò hæc esset sententia: nam antiqua nobilitas minori inuidiæ subiecta est, quàm recentior. Ideo Heraldus meliori iudicio legit, *cuique hesterna*, id est, recenti, non hesterno die ei concessa, vt dixit Persius hesternos Quirites, nouissimos ciues Romanos, qui vel pridie ante sui heri mortem libertate donati erant, sat. 3. vers. 106.

Hesterni capite induto subiere Quirites.

Sed vterque meo iudicio toto aberrauit cœlo: non enim animaduerterunt Senatoriam dignitatem non in lingula, sed in lunula calcei significari. Luna autem iam notatur à Martiale, cum dicat, *Sedet lunata planta. lingula* verò in calceis erat fibula aurea vel argentea, quam delicatiores auream & gemmatam gestabant. Retineo igitur antiquam lectionem, *&* *non extremam lingulam* interpretor inter primas numerandam & multis pretiosiorem, dictum per liptotem, id est, contrarij negationem, vt non indoctus pro docto.

Non læsum, hoc loco *pedem* intelligo suffultum in ipso calceo linteis tenuissimis, vel bombycinis delicatissimis, ne pes soleæ duritie offenderetur.

5 Et *numerosa linunt stellantem splenia frontem.*] De splenijs, quæ erant centones quidam ex lino vel serico, quæ fasciola fronti alligata continebantur madefacta vnguentis, vel medicamine aliquo ad capitis dolorem, vel oculorum morbum, multi multa dixerunt inter quos videndus Theodorus Marcilius ad Persij sat. 1. & plurima eorum apud Martialem mentio, quare non amplius addam de ijs. *Numerosa* interpretor grandia. Nam hic frontis notas tegere cupiens, latis vtebatur splenijs, quas etiam passis capillis & in frontem promissis tegebant alij. Colligo id ex Petronio, cuius sunt verba, *Simul vt notæ quoque literarum non adumbratæ comarum præsidio totæ ad oculos legentium accederent.* Et easdem ipsas Ausonius, epigr. 15. & 16. Sed literæ vel singulatim

A scriptæ, vel per compendia & notas: id autem fiebat in fronte, & etiam per totam faciem. Quæ pœna erat fugitiuorum, & notum epigramma antiquis, quamuis nobis ignotum inscribebatur. Petronius; *Impleuit Eumolpus frontes vtriusque ingentibus literis, & notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Vnde indicebantur serui stigmatitij, inscripti lib. 8. epigr. 75.

Quatuor inscripti portabant vile cadauer.

Et literati, Plautus in Casina. *Si hic literatus me sinat, quod bonum, atque fortunatum mihi sit.* & fronte notati, vt epigr. 21. lib. 3.

Proscriptum famulus seruauit fronte notatus.

Sic Seneca, lib. 3. de Ira: *Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis.* De notis Vlpianus intelligendus in L. 1. π. de fugitiuis. §. Tandiu 8. *Custodiuntur autem tandiu,*
B *quandiu ad Præfectum vigilum, vel ad Præsidem deducantur, eorumque nomina & notæ, & cuius se quis esse dicat, ad magistratus deferantur, vt facilius agnosci & percipi fugitiui possint. Notæ* autem verbo etiam cicatrices continentur. Illa vltima verba sic accipienda sunt: aliquando domini irati non compungebant notis seruorum frontes, sed deformabant cicatricibus. Patet hoc ex Vlp. L. locum. π. de vsufr. *Quamuis vsufructuarius nec contrarijs quidem ministerijs, nec inusitatis artificium serui corrumpere possit, nec seruum cicatricibus deformare, quod præcipue fiebat in seruis Aethiopicis fortasse, quòd in nigro colore non poterant perspicue literarum imprimi.* Colligo id ex Petronio. Nam cùm Eucolpus suaderet, vt ad euitandum periculum se atramento inungerent, & fierent nigri, inquit, *Ita tanquam serui Aethiopes, & præsto tibi erimus, & permutato colore imponemus inimicis.* Respondet
C Gyton refutans sententiam illam, *Age, numquid & labra possumus tumore teterrimo implere, numquid & crines calamistro conuertere? numquid & frontes cicatricibus scindere?* Quæ omnia signa necessaria erant, vt verè serui Æthiopes viderentur. Damnati etiam in metallum, qui tam erant serui quàm liberi, vt cōstat ex Imperatoris Gordiani edicto. L. metalli. C. de pœnis, solebant in facie notis depingi. Probo id ex Imperatoris Constantini prohibitione. L. si quis. cod. tit. de pœnis: *Si quis*, inquit, *in metallum fuerit pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in eius facie scribatur, cum & in manibus & in suris possit pœna damnationis vna inscriptione comprehendi, quò facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, minime maculetur.* Notandum etiam est inscriptiones in suris, vti in cruribus fieri. Claudianus lib. 2. in Eutrop.

D *——pars compede suras*
Cruraque signati nigro lucentia ferro
Iura regunt.

Et in manibus ad tyronum imitationem, qui in manibus scribebantur, ne si militiam subterfugerent, latere possint. Ostenditur ex Aëtio celeberrimo medico, cuius Græca verba sic Latinè sonant: *Stigmata vocant inscriptiones in facie, vel in alia quauis corporis parte, qualia sunt militum in manibus.* & D. Gregorius. lib. 2. ep. idem docet scribens, *Ne quis manu signatus ante expletam militiam, in monasterijs reciperetur.* Idem fiebat & in brachijs, vt probatur in L. Stigmata 3 Cod. de fabricensib. *Stigmata, hoc est, notæ publicæ fabricensium brachijs ad imitationem tyronum infligantur, vt hoc saltem modo possint latitantes agnosci.* Imperator verò Zeno in L. decernimus. Cod. de aquæ ductu. iubet aquarios, vel aquarum custodes, quos hydrophylacas nominant, & suo felici nomine sin-

gulis membris impresso signari. Ex quibus omnibus colligere possimus seruos signari solere in facie, in suris, in brachijs, & in manibus. Sicque Plin. lib. 18. cap. 8. Queritur quod viatores suo tempore serui essent, his verbis. *At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* vbi damnatas manus intellige inscriptas & stigmatis compunctas.

6 LINVNT.] Dixit, id est, vngunt vnguento vel medicamine. Sed quid sit *Stellantem*, dubitaui diu, quamuis Domitius stellis vel notis insignita indicat, & Iuretus ad Symmachum, lib. 4. epist. 2. idem affirmet & multa adducat testimonia, quibus probet hāc significationem. Sed mea sententia indignum esset Martialis acumine, qui epigramma ioco ab inexpectato, & τῷ ἀδοξήτῳ clausurus, aculeum in præcedenti versu ostendisset. nam si splenio texisset notatam stigmatis frontem, iam superuacuum esset idem dicere sequenti versu. Præterea *Stigmatias* seruus literis notabatur domini nomen exprimentibus, vel aliud quid, quod seruitutem testaretur, ideo dixit:

---- *splenia tolle leges.*

Stellæ non leguntur. Lego libentissimè cum doctissimo Lipsio *stillantem frontem*, id est, fluentibus & decidentibus stillis vnguenti Marcelliani, vel eius quo madefacta splenia erant.

In Caium. XXX.

Mutua viginti sestertia fortè rogabam,
Quæ vel donanti non graue munus erat.
Quippe rogabatur felixque, vetúsque sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi, diues eris, si caussas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai, non peto consilium.

DOMITIVS.

MVTVA] In Caium Auarum, qui cùm ab eo rogaret mutuum, Martialis consuluit vt ageret caussas, si volebat esse diues: vel etiam. i. non modo non debuit mihi recusare in mutuum, sed etiam non esse molestum nimis si donasset.

FLAGELLAT] Arctat, & continet. alibi in eundem: *I, tibi dispereas, Gaure: pusillus homo es.*

RAMIR. DE PRADO.

Reprehendit Caium, vt illiberalem & parum sibi in amicitia respondentem, a quo cùm petijsset exiguam pecuniæ summam, ipse conabatur Martiali persuadere vt causas ageret: Sic rem facturus monet eum, vt det quod petit, non autem consilium, quod non petit. Nam ridiculum est non petenti consilium dare vel vtile; vt lib. 5. ep. 20.

Iam dudum tacito rides Germanice naso,
Vtile quod non vis do tibi consilium.

Iocus hic desumptus a Seneca, ep. 45.

1 MVTVA *viginti sestertia.*] Ex hoc loco conatur Agricola persuadere sestertium generis neutrius eandem summam esse, ac sit sestertius generis masculini, qui valet decem nostros marauetinos. Sic enim agit: *Si viginti sestertia essent viginti millia nummum HS. quæ faciunt apud Nostrates ducenta millia marauetinorum, qui poterat Martialis adiungere,*

Quæ vel donanti non graue munus erat,

Cum ingens sit pecunia. Sed refellitur ab omnibus

A Agricola, & exsibilatur, tanquam angusti animi & ignarus antiquæ illius opulentiæ & magnificentiæ. Erant enim Romanorum ingentes & incredibiles opes, si cum pauperie nostra conferantur: nec est mirum exiguam eam eo felici tempore summam Martiali videri: Quid? quod adiungit:

Quippe rogabatur Felixque vetusque sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.

De Felici supra dictum est lib. 1. epigr. 13. & de veteri sodali item lib. x. ep. 37. de arca etiam lib. 1. ep. 77. & eadem formula, qua hic vsus etiam est lib. 5. ep. 13.

Et libertinas arca flagellat opes.

Dicitur autem arca flagellare opes, quando inferiori parte omnino plena & pene cumulata, superiores postes, qui arcam claudunt, pecuniam ipsam tāgunt & premunt. Vide Turnebum, lib. 21. cap. 4.

B Ad Martianum. XXXI.

Sæpe ego Christinam futui. det quàm bene, quæris?
** Supra quod fieri nil, Mariane, potest.*

* *Supra quod nil*] Ancipiti Martialis ioco inest nequitia, quam nolo clarius declarate. N. R.

DOMITIVS.

SÆPE *ego Christillam*] Codex antiquus habet Christinam.

QVAM *bene det*] Iocatur hoc dare bene, cùm enim ille interrogat, intelligit quàm humaniter det, hic respondet, intelligit dare largiter. id est largo femore.

SVPRA *quod fieri nil Mariane potest*] i. non posset dare largiùs.

C RAMIR. DE PRADO.

FACETE & recte Christinam notat non placentem in actu Venereo.

1 SÆPE *ego Christinam futui.*] De hoc verbo iam admonuimus, lib. 1. ep. 41. proprium esse coitus naturalis, quando vir & fœmina propria generationis instrumenta coniungunt & copulant, rarissimum est aliter hoc accipi. Quòd si animaduertisset Robertus Titius, lib. 3. Controuers. locorum, cap. 19. non tam sibi in putida illa huius epigrammatis explicatione D placuisset. Vult enim Christinam hanc significari hoc loco fellatricem, quod est omninò a vero alienum, quamuis in eodem capite duos illos ex Priapeia locos bene & docte interpretatus est, nec eum sua laude fraudabo: nil tamen ad nostrum epigramma.

2 DET *quam bene quæris?*] Dandi verbum turpiculum esse iam antea admonuimus, & ex mille locis sequentibus colligetur.

3 SVPRA *quod fieri nil Mariane potest.*] Difficilis locus, & quod sciam, à nemine intellectus, quem sic accipio. Acumen eius est in ambiguitate illius formulæ, *Supra quod fieri nil potest.* Significat enim in communi sermone, nihil melius esse posset. *facere* autem & *fieri* obscœna verba sunt, vt probauimus lib. 1. epi. 47.

Cum dico propero, fac si facis Aedile &c.

Cum igitur videatur Poëta significare ita bene dare Cistinam, vt nihil supra significauit ex ambiguo ita male dare, vt supra, id est, iterum facere non possis. ita vt si semel eam facias, non possis iterum.

In Ponticum. XXXII.

Ionius ex veteri codice *Est* reposuit, quod etiam Aldinum: habet exemplar: in Calderini verò & Gryphij editione est, abest, & h, consonans est in *his*. ''v. Lauronia.

Lis mihi cùm Balbo est, tu Balbum offendere non vis
*Pontice, cùm Licino * hic quoque magnus homo est.*
Vexat sæpè meum Patrobas cōfinis agellum:
Contra libertum Cæsaris ire times.
Abnegat & retinet nostrū'' Laronia seruū.
Respondes, orba est, diues, anus, vidua.
Non bene, crede mihi, seruo seruitur amico.
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

DOMITIVS.

LIS *mihi*] Epigramma est in Ponticum, qui volebat videri dominus, cùm multis seruiret, multosque timeret.

CVM *Balbo*] Balbus erat ditissimus, ficto tamen nomine à Martiale: nam quicunque hîc nominantur supra tempora Domit. fuerunt.

LICINO] Licinus ditissimus fuit, siue intelligas tonsorem: de quo illud distichon.

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:
Pompeius nullo: credimus esse Deos.

Siue is sit de quo Persius.

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittis in ades.

Hic ponitur pro diuite.

PATROBAS] Alio verbo reperi Patrobum paulùm inuersis syllabis nunc à poëtatis fuit libertus Nero. qui tanto studio palæstræ tenebatur, vt arenam à Nilo vsque iuberet sibi afferri in theatrum, qua spargeretur. Plin. author est.

CONFINIS] Qui habet agros vicinos mihi.

VEXAT] i. semper arripit mihi aliquid.

LARONIA] De qua Iuuenal.

Non tulit ex illis toruum Laronia quendam.

Hæc diuitias, & hominum gratiam cùm esset vidua, & orba, assecuta est, vt quoties nominatur, potens, & diues, introducatur, vt hoc loco.

ABNEGAT] Depositum.

ORBA] i. Caret filijs.

DIVES, *anus, vidua*] i. omnia hæc faciebant spem hæreditatis Pontico.

SIT *liber*] Nulli seruiat, quòd dixit superius, Esse sat est seruum, & non vicarium.

RAMIR. DE PRADO.

Ponticum, qui ab alijs coli volebat, carpit vrbanè, quòd liber non esset, sed multis ambitiosè seruiret, fingitque multa negotia, in quibus operam suam recusabat Ponticus patronus adhibere, veluti litem cum Balbo & Licinio, iurgium de agelli finibus cum Patroba, causam plagij cum Laronia.

1 ORBA *est.*] De muneribus missis, senibus atque viduis dicemus infrà lib. 4. ep. 56. Nunc verò in lucrum orbitatis vide quæ Tacitus in hæc verba lib. de moribus Germanorum, *Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto senectus gratiosior, nec vlla orbitatis pretia.* Et Seneca lib. de consolatione ad Martiam, *in ciuitate nostra plus gratia orbitas confert, quàm eripit, adeòque senectutem solitudo quæ solebat destruere, ac potentiam ducit, vt quidam odia* A *filiorum simulent, & liberos eiurent, & orbitatem manu faciant*, vbi legendum ex emendatione Christophori Choleri pro [*ac potentiam*] *agmen potius*.

Hæc qua selecta: cætera plebis habes.

2 SIT *liber, dominus qui volet esse meus.*] Vt sup. ep. 18. eand. sententiam.

In Philænim. XXXIII.

Cur non basio te, Philæni? calua es.
Cur non basio te, Philæni? rufa es.
Cur non basio te, Philæni? lusca es.
Te qui basiat, hic, Philæni, fellat.

DOMITIVS.

B CVR] Poëta vult, ostendere Philænim habere vultum similem Priapo, qui caluus, rufus, luscus est, & hæc non aliam habebat frontis imaginem, propterea qui eam basiabat non dabat oscula, sed videbatur fellare, hoc est ore mentulam tractare.

PHILÆNI] Nomen meretricis, ductum à meretrice, in quam Philocrates poëta scribit.

CALVA] Mentula quæ calua est sine capillis.

RAMIR. DE PRADO.

Luscam Philænim irridet hoc Epigr. vt epigr. 65. lib. 4. & quòd nolit eam basiare, vt etiam dicit lib. 10. epi. 23. tres causas in hoc reddit, quod calua sit, quod rufa, quod lusca.

1 CALVA *es*] Caluæ fœminæ deformes habentur, vt etiam viri. quod ex multis locis constat.

2 RVFA *es.*] Rufus color in fœminis nullius veneris est.

3 LVSCA *es.*] Cum fere omnis pulchritudo in C oculis sita sit, oculorum defectus multùm eas deformat.

4 TE *qui basiat, hic Philæni fellat.*] Acuta nimis facetia est: alludit enim ad pondus, caluum, rufum, & luscum, vt etiam nominatur lib. 9. epig. 38.

Et sit lusca licet, te tamen illa videt.

Et cum fellare dici possit basiare: è conuerso, qui Philænim basiauerit, fellare dici potest.

In Gallam. XXXIV.

Cùm placeat Phileros, tota tibi dote redemptus,
Tres pateris natos, Galla, perire fame.
D *Præstatur cano tanta indulgentia cunno,*
Quem nec casta potest iam decuisse Venus.
Perpetuam Di te faciāt Philerotis amicam.
O mater, qua nec'' Pontia deterior. ''Pontias. Forte Medeā intelligit.

DOMITIVS.

CVM *placeat*] In Gallam, quæ Phileroti prostabat, cui omnia bona dederat à priore marito relicta, vnde factum erat, vt tres filij prioris mariti fame perirent, ait poëta, eam nihilo meliorem esse Pontia: quæ duos filios veneno necauit, cùm hæc tres patiatur fame perire: de Galla alibi.

Munera post septem nupsit tibi Galla virorum.

Fuit item Atria Galla, cuius meminit Tacitus.

FAME] Collata omni pecunia.
PHILEROS] Adulter.
REDEMPTVS] Ad coitum pretio conductus.
TOTA *dote*] Quam habebat sub priore marito.
INDVLGENTIA] Adeò indulgens tuo cunno.
CASTA *Venus*] Legitimus coitus. i. quem etiam legitimus coitus non deceret.
DI *te perpetuam*] Phileros veneficus erat, & coniuges omnes necabat veneno. Alibi.

Septima iam Phileros vxor tibi conditur agro,
Plus nulli Phileros quem tibi reddit ager.

Quasi igitur prædicens futurum interitum Gallæ Mart. à Philerote venefico optat ex commiseratione, vt sit perpetua, id est longo tempore amica Phileroti.
PONTIA *deterior*] Quæ duos necauit. De Pontia, Iuuenal.

Tu ne duos vna sæuissima vipera cœna.

Tu ne duos? sunt qui afferant testimonium ex epigrammate vetusto, quo illa scelus fatetur. Fuit altera Pontia, quam Octauius amauit ardentissimè, necauitque sagitta, cùm non obsequeretur, nec posset abduci à fide coniugij.
DETERIOR] Quia tu pateris tres perire fame.

RAMIR. DE PRADO.

Gallam luxuriosam anum insectatur, quæ tota sua dote redemerat Philerum seruum, & cum eo consuetudinem habebat, patiebaturque tres natos suos ex defuncto marito famè perire.
1 PRÆSTATVR *casto tanta indulgentia cunno.*] Quod Veneris gratia impendebant viri obscœnis, præstare dicebantur, Poëticè & irrisoriè: vt sup. lib. 1. epi. 59. Quod autem fœminæ, dicebatur præstari: eiusdem baratro, vt hoc loco, & lib. 10. epi. 90. Casto cunno dixit, pro vetulo Sic Horatius lib. 1. sat. 2.

——mirator cunni Cupiennius albi.

2 QVEM *nec casta potest iam decuisse Venus.*] Id est, iam te non decebat virum, nedum amicum habere.
3 PERPETVAM *Di te faciant Philerotis amicam.*] Hæsit mihi multo tempore aqua in hoc versu: nec video ab aliquo huc vsque intellectum, intactum video à plerisque. Quem ego sic intelligo vt optet Martialis eam quamprimum mori. Nam hoc pacto perpetua futura esset amica Philerotis, vt quæ iunctæ matrimonio moriuntur, semper nominantur vxores eorum, quorum fuerant tempore mortis, quæ fortè si vixissent diutius, possent à viris repudiari, & vxores esse desinerent. sic ista Galla nisi statim moriatur poterit non amica esse Philerotis, quod iurgia & iræ inter eos intercedere possint, quæ discessus sint causa. Perpetua igitur amica erit interueniente morte, nam aliter esse non potest perpetua. Quid? quod fortè hic Phileros erat idem atque ille elator vxorum, de quo lib. 10. epig. 43.

Septima iam Phileros tibi conditur vxor in agro,
Plus nulli Phileros quam tibi reddit ager.

4 O *mater qua nec Pontia deterior.*] In veteri, est Pontica, vt sit Medea quæ liberos trucidauit, & prouerbio locum dedit de iniquis matribus, vt dicatur, mater deterior Medea. Sed Iuuenalis sat. 6. vers. 637.

——sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paraui.

Et potuit Martialis prouerbium sumere à venefica sui temporis matre. Ego vtrumuis probauerim.

A

Ad Phœbum. XXXV.

Cũ sint crura tibi simulẽt quæ cornua Lunæ,
*In * rhytio poteras Phœbe lauare pedes.*

* Athenæus l. 11. ῥυτὸν poculũ esse ait cornu assimile, incuruatũ ad modũ Græcæ literæ υ. in veteris codicis margine adiecta erat ista lectio *in vrino*, sed ab indocto, vt opinor. *Imbricio* Perottus legit: Calderinus in cõmentarijs, In rhidio. nã rhidium Geometriæ dimensionis vas ab angusto fundo in oris latitudinem exiẽs. Idem l. [illegible] obseruationũ in diuersos inquit. Est etiam in Achiuorũ solũ protensũ longius promontorium in falcis figuram incuruatum: vndè & Drepanũ. i. falcem appellãt: nimirum, vt ego suspicor, ad hanc falcem alludit Martialis. De hac lectionum varietate iudicet eruditior.

DOMITIVS.

CVM *sint*] O Phœbe cùm habeas curua crura, tu potes lauari in rhydio. Nam rhydium Geometriæ dimensionis vas, ab angusto fundo in oris latitudinem exiens, vel alludit ad Phœbum, & Lunam: de hoc alibi dictum est à nobis. Libet addere alteram sententiam. Imbricium canale est in tectis, quo aqua effluit, vt Festus scribit. Iocans igitur Poëta ait. Cùm Phœbus habeat vara, & obtorta in exteriorem partem, crura, ita vt pedes coniungantur, quod in eiusmodi nominis hominibus videmus, eum posse loto pedes abluere commodè: appellat autem imbricium effluentem vrinam, tanquam ex canali. Alibi.

B

Incipit in medios meiere verpa pedes.

Ita legere: Imbricio poteras.

GEORGIVS.

CVM *sint crura*] In hac expositione ita varius est, vt tum sibi non constet, tum Poëtæ mentem inuoluat, dum scribit nunc rhidium, nunc imbricium legi posse, ego autem quæ inuenerim atque obseruauerim à Græcis scriptoribus dicta, iam proferam, primumque dicam rhytium esse legendum. Est autem dictio Græca, & vasis genus significat. Id quod Eustharius in 23. Iliados tradit enarrans κοιλόχρυσον ἱππίου αἷμα: inde rhyton & per diminutionem rhytion, dicit vas fuisse incuruum, & esse simillimum cornui, atque ab alijs κέρας: hoc est, cornu appellari. Meritò ergo Mart. Phœbum, cuius crura cornibus lunæ per quàm similia erant, monet, vt pedes in rhytio lauet. Demosthenes quoque contra Mydiam rhyti mentionem facit. Miror que hunc interpretem Græcos authores non adiuisse: sed parum diligenter, de vi & Etymologia Græcarum dictionum hic loquitur, quemadmodum in hemitriteo facit, cuius originem, & significationem diligentiùs hac in parte excuterem, nisi alibi de hac febre disseruissem.

C

RAMIR. DE PRADO.

Irrisio quædam est à comparatis sumpta. Phœbus enim quidam varus erat, distortis cruribus & talis coeuntibus, quæ crura similia esse dicit cornibus Lunæ: itaque posse Phœbum in Rhytio lauari. Rhytum notum est genus esse poculi cornu simile: ita tamen vt figuram Y referret. constat ex Athenæo l. 2. cap. 1. 5. & 16. inde Rhytium diminutiuum.

D

In Pannicum. XXXVI.

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos.
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.
Nolo virum nimiùm Pannice, nolo parum.
Nunc tibi crura pilis, & sunt tibi pectora setis
Horrida: sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

DOMITIVS.

PECTERE] In Cinædum Socraticum, cuius generis homines multo carmine insectatur. qui sint cinædi socratici. Iuuenal.

Hispida membra quidem, & dura per brachia seta.

MITRARVM] Mitris vtebantur Phrygij, & molles homines. quod Phrygio obijcitur apud Virgilium.

Et tunica manicas, & habent redimicula mitræ.

NEC *sit tibi barba*] Id est, nec pendeant redimicula mitrarum. Virgil. in 4.

Mæonia mentum mitra, crinémque madentem.

Iuuenal.

Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Potes ergo ita accipere, id est, nec pendeant tibi redimicula mitrarum, vel non sit tibi barba mollium hominum, qui mitris vtuntur, quod placet.

REORVM] Id est, prolixam, qualem rei habent.

NIMIVM *virum*] i. horridum.

NEC *parum virum*] Sed volo teneas medium.

VVLSA *mens*] i. amans mores luxuriosos, & mentem mollem, vt suprà cùm perstaret in metaphora, dixit Galbinos habes mores. i. luxuriosos.

RAMIR. DE PRADO.

Carpit Pannicum quemdam, vt mollem virum, qui nimium vir videri volebat, turbatis capillis, horrida barba, sordida cute, cruribus & pectore setosis.

1 PECTERE *te nolim.*] Mallem, *flectere*: nam pexus non est nimius in homine cultus, flexus verò fœminarum est, vel virorum mollium. Sic l. 3. epig. 62. in Cotilum bellum & mollem.

Bellus homo est flexos qui dirigit ordine crines.

Et epigrammate 65. lib. 10.

Inflexa nitidus coma vagaris.

Sic Spartianus comam Hadriani Imperatoris nimium cultam notauit, quod ad pectinem flexa esset in fine vitæ eius. Hi flexus fiebant calamistris igne candentibus. Vnde formula, *calamistris inurere*, & huius cultus ministri *ciniflones*, vel *cinerarij*, quod in cinere calefacerent calamistra. Sic Arnobius lib. 2. *Nec in formas erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem.* Quem locum corruptum emendauit D. Scaliger, & legendum præcepit, *Nec ij fornis erubescerent calamistris vibrare masculorum cæsariem*, vt sit fornis calamistris, id est, calidis. nam fornum calidum vocabant veteres, inde fornucapes, quæ postea forcipes, quod forna, id est, calida caperent.

2 SED *nec turbare capillos.*] Aliud est extremum, turbare capillos more ferarum, quod alienum est ab hominis humanitate.

3 SPLENDIDA *sit nolo. sordida nolo cutis.*] Splendida cutis vel vnguentis vel fuco fiebat. Sic sup. l. 1. de Catino, epi. 78.

Tingit cutem Catinus & tamen pallet.

Contrarium autem est sordida cutis.

4 NEC *tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.*] Barbam mitrarum intelligo barbam mitras gestantium, vt Phrygi olim, vt apud Virgil. 4. Æneid. Iarbas Æneæ sic obijcit:

Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus.

Et lib. 9. obijciunt Rutuli Troianis mitras:

Et tunica manicas, & habent redimicula mitræ.

Barbari enim illi summo cultu barbas nutriebant. Contra est reorum barba: nam rei sordidati turbato

A capillo, & promissa in pectus barba incedebant. Vnde Seneca epi. 78. *Cæsar, cum illum transeuntem per Latinam viam vnus ex custodiarum agmine, demissa vsque in pectus vetere barba rogaret mortem, nunc enim, inquit, viuis.* vbi nota, *custodiarum* vocem pro custoditis positam esse: vt Sueton. in Calig. cap. 27. *cùm ad saginam ferarum munere preparatarum carius pecudes compararentur, ex noxijs laniandos adnotauit, & custodiarum recognoscens nullius inspecto elogio, stans tantummodo intra porticum mediam à caluo ad caluum duci imperauit.*

5 NVNC *tibi crura pilis, &c.*] Mollium erat crura depilare. ep. 62. lib. 5.

Crura gerit nullo qui violata pilo.

Et dicto epigr. 65. lib. 10.

Leuis dropace tu quotidiano,
Hirsutis ego cruribus, genisque.

B Et lib. 12. epigr. 38.

Ore tener, latus pectore, crure glaber.

Vbi legerim, *leuis pectore.* Nam de effœminato homine loquitur, cui non erant pilosa pectora, vt contra de his viris Virgilius.

Barba viros hirtæque decent in corpore setæ.

Et in hoc epigrammate sequenti commate:

—& sunt tibi pectora setis Horrida.

Potuitque facilè corrumpi ex vsitata à multis scriptura. Scribunt namque *læuis* priori syllaba cum diphthongo, & ex *e* factum est *t*. Denique notandum est, pumice molles se leuigare solere, & crura: vt apud Ouid. lib. 1. de arte amandi, vers. 508.

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Et Manilius lib. 5. Astronomicῶν de mollibus.

Pumicibusque cauis horrentia membra polire.

De manu apud Nostrum lib. 5. epig. 42.

C *Et pumicata pauperes manu monstras.*

Et de lumbis apud Iuuenalem sat. 8. vers. 16.

Si tenerum attritus catinensi pumice lumbum,

Et etiam nuce ardenti, vt de Augusto docet Suet. cap. 68.

6 MENS *est Pannice vulsa tibi.*] Elegantissima κατάχρησις, cum de mente quæ neque hirsuta neque vulsa sit, vulsa dicatur. Est etiam Metonymia, per vulsam mollem & effœminatam intelligit, sumpto signo pro re significata & consequenti.

In Cæcilianum. XXXVII.

Quicquid ponitur hinc, & inde verris:
Mammas suminis, imbricémque porci,
D *Communémque duobus attagenam,*
Mullum dimidium, lupúmque totum,
Murenæque latus, femúrque pulli,
Stillantémque alica sua palumbum.
Hæc cùm condita sunt madente mappa;
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otiosa turba,
Vllus si pudor est, repone cœnam.
Cras te Cæciliane non vocabo.* *cf. vocabo

DOMITIVS.

QVIDQVID] In Cæcilianum qui inuitatus à Martial. præ auaritia, & ingluuie multa ex mensa subrepta domum mittebat, aut poëta se non parasse

eas

eas res in sequentem diem, sed in præsenti mensa, & se velle eum conuiuam hodie non cras.

VERRIS] Rapis ex omni parte.

SVMINIS] Porcini. Nam sumina ingenuæ gulæ habebantur, & abdomina, quorum adeò fuit auidus Publius mimorum poeta, vt post libertatem nunquam sine abdomine cœnauerit. De sumine, in distichis.

Esse putas nondum sumen; sic vbere largo
Effluit, & vino lacte papilla tumet.

IMBRICEM] i. lumbum, nec ineptè fortassè intellexeris de ea parte, quæ aprunos dicebatur. Ea manebat in medio discerpto apro inter partes.

ATTAGENAM] Auis ionica Attagena, quæ cùm soleat canere, capta obtumescit, masculino genere protulit Horatius.

Non Afra auis: non attagen Ionicus:

Inter raras aues habebatur, Martialis.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.

MVLLVM] Mullus piscis lautæ olim mensæ.

LVPVM] Laneum, intelligit captum inter duos pontes, olim enim obtinebat principatum inter pisces. Laneus à candore & mollitie carnium. Idem Horat. in sermonibus.

ALICA] Genus præstantissimi tritici erat, quòd Leborini potissimum campi ex Campania mittebát, & incognita ætate Pompeij ab alendo dicta.

STILLANTEM] Præ pinguedine.

SVA *alica pastum.*] i. madente cibo, & pinguedine ciborum.

NOS *turba otiosa*] i. nos otiosi.

NON *vocaui te cras*] i. nolo te conuiuam cras, sed hodie: caue verbum vocas, & scribas vocabo pro vocaui: nam ex hoc existit Epigrammatis iocus, quod ait, *Non vocaui te cras.* i. cœnam paraui vt edas hic, non vt serues in crastinum.

RAMIR. DE PRADO.

Cæcilianum gulosum & impudentem conuiuam mensam omnes euertentem facetè & describit & reprehendit.

1 QVICQVID *ponitur hinc & inde Verris.*] Aptissima vsus est metaphora. Nam qui solum verrit, nihil in eius superficie relinquit.

2 MAMMAS *suminis.*] Notissimum quid sit apud antiquos *sumen.* & quod habitum in delitijs. Persius sat. 1. ——*calidum scis ponere sumen.*

3 IMBRICEMQVE *porci.*] Id est, vertebram demptis costis: *Spinam* vocamus Hispani.

4 COMMVNEMQVE *duobus attagenam.*] Collige ex hoc loco aliquod ferculũ, vt auem, integrum apponi solitum inter duos. Nam ea quæ vel parua erát, vel diuidi commodè poterant, singulatim apponebátur, vt constat ex epig. 19. lib. 7. de illo guloso Sáctra, qui per fraudem ter poscebat apri glandulas, quater lumbum, & vtramque coxam leporis, & duos armos, neque erubescebat peierare de turdo, id est, falsò iurare sibi non esse appositum.

5 HÆC *cum condita sunt madente mappa.*] Mos erat ad conuiuia mappas singulos ferre, ac præcipuè eos qui aliquid de alienis epulis domum ferre volebant. Constat ex eodem Sanctræ epigrammate, & lib. 12. epigr. 29. de Hermogene fure.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantile è mensa surripit Hermogenes.

Vnde colligo à domino conuiuij non apponi mappas: & in eod. epigr. vltimo disticho.

Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit vnquam.

A Et Catullus idem scribit de Asinio Marrucino mapparum etiam fure. epigr. 12.

Marrucine Asini manu sinistra
Non bellè vteris, in ioco atque vino,
Tollis lintea negligentiorum.

6 CRAS *te Cæciliane non vocabo.*] Iamdiu Domitius & Modius, *vocaui*, reposuerunt arguto sensu & vero. De verbo *vocandi* vide quæ diximus ad illud *venabitur vocatus.* epig. 50. lib. 1.

In Linum. XXXVIII.

Quid mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus.
Hoc mihi reddit ager, te, Line, non video.

B

DOMITIVS.

QVID *ager Nomentanus*] Olim erat incultus, authore Plin. miranti Lino, & rogáti quid ex eo haberet, respondit quod illum non videat, quia molestus erat Mart. & id satis amplum fructum præstabat.

RAMIR. DE PRADO.

Facetum responsum ab inexpectato Lino quærenti, quem fructum capiebat ex Nomentano agro, & fortè irridenti Martialem, quòd agrum haberet in sterili illo solo, Respondet hunc maximum fructum se capere, quod dum rusticatur in eo agro, non videt Linum.

1 QVID *mihi reddat ager.*] Verbum *reddendi* solũ est de agris & prædijs dictum, quæ dicuntur reddere, hoc est, fructum dominis exhibere. Inde redditus, quem Hispani *renta* appellant, & reddere *rentar.* Eodem verbo vsus est lib. 10. epi. 43.

Septima iam Phileros tibi conditur vxor in agro,
Plus nulli Phileros, quam tibi reddit ager.

C

De muneribus mœchæ. XXXIX.

Coccina famosæ donas, & ianthina mœchæ.
* *Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.* * Vide Turneb. l. 16. c. 19.

DOMITIVS.

COCCINA] Mulieres in adulterio deprehensæ cogebantur prodire in publicum toga indutæ, ostendit hoc alibi Martial. iocans de Spadone:

D

Thelin viderat in toga spadonem
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Si aliter intelligas nullus est sensus dignus Martial. & ignoras hunc morem fuisse apud antiquos, quod potuit te docere Horat. interprete Porphyrione eo versu,

Quid interest in matrona, ancilla peccésue togata.

Porphyrio. Togatæ autem in publicum procedere cogebantur fœminæ adulterij admissi conuictæ: idem etiam interpretatur Acron ijsdem quibus Porphyrio, quamuis alias addat opiniones. Iuuen. ex sententia Martial. loquens, vt est à nobis expositum, ita ait:

——*Est mœcha Labulla,*
Damnetur, si vis, etiam Carphinia: talem
Non sumet damnata togam.

O

Ait igitur cùm vestes mittas mœchæ famosæ, earumque magnificétia cupias placere: nulla est, quæ aptiùs mitti possit, quàm toga, notans scil. hominis imprudentiam, qui mœchæ famosæ matronales vestes mitteret, & morem antiquitatis, quo togatæ mœchæ ducebantur in publicum.

RAMIR. DE PRADO.

Matronarum cultus stola, meretricum toga, mœchæ ad supplicium toga indutæ ferebantur, lib. 10. epigram. 52.

Thelin viderat in toga spadonem.
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Et Iuuenalis sat. 2.

Damnetur si vis etiam Calphurnia, talem
Non sumet damnata togam.

Et lib. 6. epigr. 64.

Sed patru ad speculum tonsi matrisque togata
Filius.

Et Horatius sat. 2. lib. 1. *——quid interest in matrona, ancilla, peccesve togata?*

De qua re etiam scripserunt Brissonius select. antiq. lib. 1. cap. 14. & Lips. ad annales Taciti lib. 2. & Heraldus heic.

Dicit igitur mœcham hanc famosam potius morte dignam, quàm preciosis vestibus. Id autem significat vrbanè illis verbis,

Vu dare quæ meruit munera, mitte togam.

Quam scilicet sumat damnata ob adulteria.

In Tongilium. XL.

Vri Tongilius malè dicitur hemitritæo.
Noui hominis mores: esurit, atque sitit.
Subdola tenduntur crassis[v. nunc] modò retia turdis,
Hamus & in mullũ mittitur, atq; lupum.
Cæcuba[saccentur, legit Turn. l. 17. cap. 18 & l. 23. c. 24.] siccẽtur, quæq; annus coxit Opimi:
Condantur parco fusca Falerna vitro.
Omnes Tongilium medici iussere lauari.
O stulti, febrem creditis esse? gula est.

DOMITIVS.

VRI] Hemitritæum est genus febris tertianæ, vt Celsus exponit, cap. 8. l. 3.

TONGILIVS] Erat gulosus, & vt bene cœnaret, simulabat ægrotationem.

SVBDOLA] Dolosa.

ANNVS *Opimi*] Vinum Opimianum, quoniam L. Opimio cons. fuit temperies cœli, quæ coctura dicitur, authore Plinio, idcirco coxit.

PARCO *vitro*] Exiguo vase, quali vtuntur ægrotantes.

RAMIR. DE PRADO.

In gulosum Tongilium morbum simulantem inuehitur facetissimè, qui causatus hemitritæum, quicquid esculenti & poculenti appetebat, impudenter flagitabat ab amicis.

1 VRI *hemitritæo.*] Morbus hic, vt scribit Lucius Serenus, lib. 1. cap. 24. non habebat Latinum nomen, quamuis posteriores Medici semitertianam febrem vocarunt deinceps. de qua re lege doctissimum Mercurialem, lib. 1. Var. lect. cap. 24.

A

2 SVBDOLA *tenduntur crassis modo retia turdis.*] Elegans Metaphora ab aucupibus sumpta, qui retia tendunt ad captandas auiculas. Sic iste gulosus morbi simulatione captabat turdos crassos ab amicis. Eademque metaphora à piscatu sumpta vtitur sequenti versu,

Hamus & in mullum mittitur atque lupum.

3 CÆCVBA *siccentur.*] Satis de hoc loco contendit Turnebus, lib. 17. cap. 18. & lib. 23. cap. 24. legendum esse *saccentur*, vbi multa de saccis vinarijs, quibus vina refrigerari & liquari solebant. Ego non multò repugnarem, si quis lectionem veterem vellet retinere; ita vt *siccentur* sit, exhauriantur. & sit hypallage, siccentur vina, id est, siccentur amphoræ cæcubi vini & Opimiani. Sic lib. 1. ep. 27. de Sexciliano bibone.

Testa sed antiqui felix siccatur Opimi.

B

4 CONDANTVR *parco fusca Falerna vitro.*] *Parco vitro* dixit, quod, cum Falernum vinum preciosum esset, non poterat peti amplo vase, & præterea erat indomitum, nec poterat largè sumi: aut si mauis refer ad verba petentis, qui extenuabat petitionem, cum parcum appellabat vitrum, vt vulgò fieri solet.

5 OMNES *Tongilium medici iussere lauari.*] Mirabile nostris temporibus medicamentum, sed vsitatissimum priscis in febribus.

6 GVLA *est.*] Eadem conclusio in simili argumento est lib. 11. ep. 87.

Non est hac tussis Parthenopae, gula est.

In Maximinam. XLI.

C

** Ride, si sapis, ô puella, ride,* [*Vide Philippi Beroaldi annotationes in Martialem centuria prima.]
Pelignus, puto, dixerat Poëta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Quamuis[v. Verum vt.] dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi, tu puella non es.
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes.
Sed planè piceique, buxeique.
Quarè si speculo, mihique credis,
Debes non aliter timere risum.

D

Quàm ventum Spanius, manumq; Priscus[v. Crispus.]:
Quàm cretata timet Fabulla nimbum.
Cerussata timet Sabella Solem:
Vultus[v. finge tuos.] indue tu magis seueros,
Quàm coniux Priami, nurúsque maior.
Mimos ridiculi Philistionis,
Et conuiuia nequiora vita,
Et quidquid lepida procacitate
Laxat perspicuo labella risu.
Te mœsta decet asidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem,
Et tantum tragicis vacare Musis.
At tu, iudicium secuta nostrum,
Plora, si sapis, ô puella, plora.

DOMITIVS.

RIDE] In Maximinam, quæ cùm anus esset, & iam paucos haberet dentes, & eos quidem rubiginosos: risu, & blanditijs imitabatur puellas, quasi secuta Ouidij præceptum in arte, qui ait, puellas risu nonnunquam conciliari. poëta consulit ne accipiat illud tanquam sibi dictum, cùm potiùs risu offendat, quàm blandiatur, & suum secuta consilium ploret potius, quàm rideat.

PLANS *picei*] Id est penitus coloris picei: ac per hoc nigri.

SPANIVS *& Priscus*] Elegantiorũ nomina sunt, quorum cùm alter numeros crinium & ordinem affectaret, ventum timebat: alter cùm politioribus vestibus vteretur, manu nolebat tangi. Alibi de homine bello: *Pallia vicini, qui refugit cubiti.*

CRETATA *Fabulla*] De hac Fabulla suprà locutus est Poëta, quam nunc cretatam dicit: non à terra creta, vt puto. nam creta non præstat cutem muliebrem nitidiorem, sed propter terram Chiam, quæ si Plin. credimus, vultui accommodatissima est, quod autem dicit Fabullam, cùm est cretata, timere aquã, ratio est, quoniam authore eodem terra Selinusia in speciem cretæ lactei est coloris, & eundem præstat vsum, quem terra Chia, sed aqua celerrimè abluitur.

CERVSSA] Inter ficticios colores est, admittit mirum in modum calorem, vt sole, aut igni calefacta torreat: timet solem ob calorem, quo fucus torretur. *Indue vultus magis seueros.*

HECVBÆ] Quæ vxor Priami introducitur à poëtis mœsto & seuero vultu.

NVRVS] Id est Andromache.

MIMI] Poëmata sunt, ex quibus solus risus quæritur, tantæ olim authoritatis in ludis, vt cùm Laberius poëta bene egisset mimum suum: donatus sit annulo aureo, & ductus sessum in quatuordecim, author Tranquil. Macrob. meminit: appositis etiam versibus Laberij ex proœmio mimi.

PHILISTIO] In hoc genere magnam laudem est assecutus, claruit temporibus Augusti, authore Eusebio. Is mimum dedit, qui inscriptus est Philogelõ, id est, studiosus risus, adeóque ipse risisse dicitur, vt extinctus sit. Plura apud Græcos ex Suida.

VITA *mimos*] Cùm recitantur in theatro mimi, ne cogaris ridere: & item vita conuiuia, vbi sunt moriones, qui concitabant risum.

LAXAT] Aperit. Virgil. *Laxátque fores.*

RISV *perspicuo*] i. aperto, vt perspiciantur dentes.

MOESTÆ *matri*] Hecubæ, dum de ea agitur fabula.

LVGENTI *virum*] Andromache.

FRATREM] De Electra intelligere potes, quæ introducitur flens Orestem apud Euripidem.

VACARE *tragicis musis*] i. spectare mimos tragicos in quibus nihil est præter luctum.

CHRISTOPH. COLERVS.

MIMOS *ridiculi Philistionis*] De hoc Sidonius, nescio qua epistola.

RAMIR. DE PRADO.

Maximinam vetulam pene edentulam monet, ne in risus soluatur, ita vt oris deformitatem prodat, sed potius serijs & luctuosis rebus intersit, vt fle- A tum non risum edat.

1 RIDE *si sapis ô puella, ride*] Absque dubio carmen est Phalecium alicuius Poëtæ, qui hodieque non extat. Ouidij fuisse docet sequens versus:

Pelignus puto dixerat Poëta.

Nam quamuis alij possent præter Ouidium Pelìgni Poëtæ esse, tamen hac periphrasi solus Ouidius intelligitur. Domitius existimat sententiam tantùm, non verba ab Ouidio esse desumpta; in lib. 3. de arte amandi, p. 273. sed tamen Martianus Capella in Satyrico hunc eundem versum Peligno iuueni tribuit. Genus verò carminis suasit Beroaldo fuisse desumptum ex Ouidij Medea, & idem argumentum dedit Politiano Beroaldi refutandi, quòd Phaleucium carmen alienum sit à cothurno Tragico, tribuitque hunc versum epigrammatis Ouidij, quæ nusquam apparent. Nam de Medea etsi non extet, est certissimum B Quintiliani testimonio. Versum esse vt ponitur à Martiale, arguit parodia vltimo epigrammatis huius versu,

Plora, si sapis, ô puella plora.

2 SED *non dixerat omnibus puellis.*] Hæc sententia vere desumpta est ex loco Ouidij sup. citato, qui puellas pulchro ore, dentibus albis monet vt rideant. Cõtra autem deformi ore, nigris dentibus, ne rideant; ideò non dixit omnibus puellis.

3 ET *tres sunt tibi Maximina dentes.*] Oris deformitatem augebant tres dentes nigro pallore. *Tres* autem dixit ad augendam paucitatem, quemadmodum sup. epi. 20. lib. 1. quatuor dicebat dentes, & infrà l. 3. epigr. 92. totidem dentes & tres capillos: vbi me ipsum vide.

4 DEBES *non aliter timere risum.*] Satyrico stylo C obiter perstringit spanium, qui flexis capillis ventum timebat, vel fortè caluam diductis ad frontem capillis tegebat, & ne flante vento redirent ad suum locũ capilli, nuda relicta calua timebat ventum, vt Marinus lib. 10. epigr. 83. quem sic alloquitur,

Raros colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitida, Marine, Calue.
Campum temporibus tegis comatis.
Sed moti redeunt iubente vento,
Redduntúrque sibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt.

Perstringit etiam & Priscum, qui manum timebat, quòd forte composita veste refugiebat tangentes, vt Hortensius olim, & de homine bello, lib. 3. epigr. 63.

Pallia vicini qui refugit cubiti.

Vel forte gipsatis manibus fugiebat alterius manum contactum: Nam amici manus dextras iungere so- D lebant in salutationibus, vt supra dictum est, epigram. 21.

5 MIMOS *ridiculi Philistionis.*] Id est, Mimos ridiculos Philistionis. Mimorum duo genera. alij fuere ridiculi, & obscœni, alij graues ethologi Vlpian. 2. Olynth. οἱ μῖμοι σώφρονος πάντες σπουδαῖοι εἰσι. ἄλλοι δὲ μῖμοι γελοῖοι. id est, mimi Sophronis Poëtæ graues sũt: alij autem mimi ridiculi. Sed propriè mimi erant ridiculi & obscœni. Diomedes, lib. 3. *Mimus est sermo cuiuslibet motus sine reuerentia, vel factorum cum lasciua imitatio.* Ouid.

Scribere si fas est imitantes turpia mimos.
Quid si scripsisses mimos obscœna iocantes?

De Philistione Eusebius, & Sidonius Apollinaris, & alij multi.

6 TE *mæsta decet assidere matri.*] Ineptum existimo quod Domitius sentit, *mæstam matrem* hîc Hecubam intelligi, lugentem virum Andromachen, lugentem fratrem suum Electram: Ego communiter

existimo dictum, suadereque Maximinæ, vt mœstis omnibus assideat: Nam his Tragicis personis, quas Domitius dicit, non poterat Maximina assidere, nec dixisset postea.

7 Et *tantum Tragicis vacare Musis.*] Quod de lectione Tragœdiarum dictum puto. *Assidere*, autem dixit, quòd solemnis esset mos lugentium mortuos, sedere: Probant multa veterum testimonia. Tibull. lib. 2. eleg. 7.

Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo.

Et Propertius, lib. 3. eleg. 14.

Affert huc vnguenta mihi, sertisque sepulchrum
Ornabat custos, ad mea busta sedens.

Et in sacris literis Ezechielis, cap. 8. *& ecce mulieres sedebant plangentes Adonidem.* & Matth. cap. 27. *Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria sedentes iuxta sepulchrum.* Sic lib. 7. epig. 57.

Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum.

In Zoilum. XLII.

Zoile quid solium subluto podice perdis?
Spurcius vt fiat, Zoile, merge caput.

DOMITIVS.

Zoile] Zoilus non est recens nomen apud Mart. est & nomen tutoris apud Liuium, & oratoris apud Strab. & apud Victruuium calumniatoris Homerici. Hic de eo loquitur qui erat fellator.

Solivm] Vas erat in Thermis, quo lauabantur, qui nolebant in thermis sudare. Huius meminit sæpenumerò in medicina Celsus, tanto olim luxu factum est, vt esset argenteum quo mulieres lauabātur. Fastidiebant enim solia nisi essent argentea.

Perdis] Contaminas.

Vt *spurcius sit merge caput*] Quo fellabat, nam lingua fellatrix erat spurcior inguinibus, cùm ea sæpiùs vteretur ad libidinem, quàm inguine.

RAMIR. DE PRADO.

Zoilum spurcum fellatorem, vel cunilingum, vel vtrumque notat, quòd in solio podicem demergeret, idque consulto & conspurcaret, admonetque vt caput mergat, quò fiat vt spurcius reddatur solium.

1 Solivm.] Vas esse solium lauationi accommodatum, quod habebatur in balneis, notissimum est, & præterea ligneum fuisse: deinde gliscente fœminarum luxuria argenteum fieri solitum notissimum est, præcipuè ex Plinio, lib. 33. cap. 12. sed qua forma fuerit fabrefactum video ignorari, & à nemine quod viderim inquiri. Nam solium diuersum erat à labro. Labrum namque vas erat longum & amplum, capax cuiusque iacentis hominis: sed solium existimo dictum à similitudine solij regij, quod erat vas amplo & lato ore; ita vt sedentes immissis intus cruribus pertingente aqua vsque ad genua, lauari vel foueri possent: Illi scilicet qui nollent in labris mergi, neque vt aqua ventrem & stomachum ablueret. Id videor probare ex hoc epigrammate. Quæ enim esset Martialis reprehensio, si Zoilus sublueret podicem in eo vase, in quo solerent iacentes demergi? Et præterea ex epigr. 70. infra quod concludit hoc versiculo,

Ante hic mentula quam caput lauetur.

Quod epigramma eiusdem est cum hoc argumenti. A Sed clarius ex epigram. 81. lib. 6.

Iratus tanquam populo Charideme lauaris,
Inguina sic toto subluis in solio.

Si vas illud esset vt labrum, quid posset Charidemus alijs nocere, submersis inguinibus. Sed relictis coniecturis manifesto deprehenditur hoc ex M. Catone, lib. de re Rust cap. 10. vbi enumerans Cato, quæ necessaria sunt ad instruendum agrum, enumerat labra ad multos vsus, sed præcipuè labrum eluacrum vnum, solium vnum, & eadem verba repetit 11. cap. labrum autem eluacrum appellat ad lauandum & eluendas sordes.

Ergo solium non erat vas, in quo totum corpus submergeretur. Patet id etiam ex loco Cornelij Celsi: *interpositus duabus horis in solium aquæ calidæ resupinus demittendus est, sic vt à genibus ad vmbilicum aqua pertingat.* Ergo necesse fuit, vt hic æger genibus B flexis demitteretur in solium: Aliter enim non posset aqua à genibus ad vmbilicum pertingere: nam solium ipsum, quod fiebat ad crura solum lauanda, sedentes recipiebat, pertingente aqua vsque ad genua. Erat igitur necessarium, vt in genua procumberet quis, siue inguina vel ventrem lauare vellet. Probat id etiam locus Suetonij in Augusto, cap. 82. *At quoties neruorum causa, marinis Albulisque calidis vtendum esset, contentus hoc, vt insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo, Duretam vocabat, manus ac pedes alternis iactaret.* vbi notandum verbum *insidens*, & præterea iactationem illam manuum & pedum non posse fieri, nisi sedendo: & clarius percipitur ex Petronij Satyrico, vbi Eumolpus narrat, vt fuerit è balneo eiectus ob importunam narrationem; eius verba sunt: *Nam & dum lauor, pene vapulaui, quia conatus sum circa solium sedentibus carmen recitare. At postquam e balneo, tanquam de theatro, eiectus sum, circuire* C *omnes angulos cœpi. & clara voce Encolpum clamitare.* vbi sedentes fuisse dicit circa solium, idque in balneo. Et Iulius Paulus. lib. 3. sentent. Tit. 6. §. 88. de mundo muliebri disserens, sellam balnearem enumerat inter alia: vbi non video dubitasse aliquem, aut quæsiuisse quæ sit sella balnearis. Ego existimo solium esse. Nam sellarum in balneo nulla vnquam mentio. Vlpianus in L. argento 25. D. de auro & arg. legat. §. ornamenta. 10. in eodem muliebri mundo lauationem ponebat: existimo esse eandem cum sella balneari Pauli, & solio nostro.

In Candidum. XLIII.

'*Candide* κοινὰ φίλων, *hæc sunt tua Candide* πάντα.
D *Quæ tu magniloquus nocte, diéque sonas.*
Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso,
Vel quam seposito de grege " *Parma dedit.*
At me quæ passa est Furias & cornua tauri,
Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoridæ Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina nostra tribus.
Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testa fagina mensa mihi.
Immodici tibi flaua tegūt * *chrysēdeta mulli:*
Concolor in nostra cammare lance rubes.

'' κοινὰ φίλων hæc sunt tua semper Candide κοινὰ, & plus habet gratiæ versus primus e teculo absolutus, & eodē clausum carmē. 'In manuscripto lectio est ambigua mihi, propter implicitum literarum tractum, Creta; an Acerra legendū sit. Creta Ouidi ferax fuit, & Acerra oppidū Campaniæ Clani amne notū. * Vide Turneb. l. 14. c. 2.

Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo.
At mihi succurrit pro Ganymede manus.
Ex opibus tantis veteri, fidóque sodali
Das nihil, & dicis Candide κοινὰ φίλων.

DOMITIVS.

CANDIDE] In Candidum, qui Martialis volebat videri amicus, vsurpabátque sæpenumerò prouerbium Græcorum. φίλων κοινὰ πάντα: id est, omnia amicorum communia: tamen nihil præstabat.

QVÆ] Verba. i. omnia communia.

TOGA *galeso*] Ex lana: nam præstantissima illîc est lana apud Galesum flu. Tarentinum. Lacedæmones condiderunt Tarentum duce Phalanto.

SEPOSITO *grege*] i. electo.

EST *passa cornua tauri*] i. lacerata cornibus tauri, quæ in theatro iactabantur.

PILA] Pilæ erant effigies laneæ, quæ suspendebantur in compitis dijs inferis, vt illi contenti eiusmodi imaginibus viuis parcerent, nam tot erant effigies, quot circa compita liberi, serui, mulieres habitabant: inde tractum est, vt vestes quæ obijciebantur tauris in theatro pilæ dicerentur, quoniam petebantur à tauris tanquam effigies hominum, & illis laceratis, qui obiecerat, non lædebatur: vel pilæ dictæ, quòd in globum, & speciem pilarum conuolutæ iactabantur. Vestes iactari solitas suprà Ouid. versu ostendimus. Pila prima hoc loco accipitur pro effigie lanea compitali. Ait igitur Mart. adeò vilem esse vestem suam, vt ne pilæ quidem compitali conueniret, nam illis imaginibus deteriores vestes induebantur, iccirco suam illis comparat.

PRIMA] Dicitur, quoniam in principijs viarum, id est, compitis pendebat. Alibi, eum qui malè, pila lusit, senem ait factum primam pilam, id est, pannosum, hoc magis placet, quàm quod sequitur, pilam accipi pro parte pontis, ad quam solebant petere obolum mendici, non placet inquam, quoniam syllaba negat: nam pila in ponte producitur: pila hîc corripitur.

TERRAM *Cadmi*] i. Tyron.

AGENOREAS] Tyrias, & purpureas.

LIBYCOS *orbes*] i. mensas citreas, nam Atlas mōs Libyæ citro abundat, vnde mensæ fiebant tanti pretij, vt quæ fuerant Galli Asinij dicantur emptæ xi. libris. Mulieres obijciebant earum luxum maritis, cū mariti eis margaritas exprobrabant. Orbes dicuntur, quoniam ex orbibus dimidiatis fiebant tanto artificio, vt ne commissura quidem cerni possit. In his mensis vtebantur Romani pedibus eburneis, propterea dentes elephantini tale habent distichon:

Grandia taurorum portant, qui corpora quærunt:
An Libycas possint sustinuisse trabes.

Id est mensas citreas.

DENTIBVS *Indis*] i. elephantis, quia ex India elephanti mittebantur.

TESTA] Pedibus terrenis, & fictilibus.

MVLLI] Pisces erant magni pretij, duas libras fermè non excedebant, quamuis in mari rubro ab L. Muciano ter Cos. testimonium sit lxxx. librarum mullum captum fuisse, quod rarissimum est.

CHRYSENDETA] Erant lances grandiores auro obliti.

IMMODICI] Maximi.

FLAVA] Propter aurum.

CAMMARI] Cammarus genus locustæ cibi vilissimi, quod ostendit Iuuen.

A *Sed tibi dimidio constrictus cammarus ouo,*
Ponitur exigua feralis cœna patella.

CONCOLOR] Eiusdem coloris cum lance.

GREX] i. pueri, qui astant mensæ tuæ.

ILIACO *ci.*] Ganymedi.

RAMIR. DE PRADO.

Candidum quemdam magnificè liberalitatem laudantem, & Pythagoricam sententiam subinde vsurpantem, πάντα κοινὰ τῶν φίλων, nihil autem amicis largientem taxat vrbanissimè; & docet distributione eleganti non esse bona & delitias Candidi amicis communes. & contentione facta inter Candidi opulentiam & suam paupertatem, ostendit eum verbo tenus, non reapse esse liberalem.

1 CANDIDE κοινὰ φίλων.] Notissimum Adagium est, quod lege apud adagiographum,

Amicorum omnia sunt communia.

B 2 AT *me quæ passa est*, &c.] De hoc disticho dictum est satis, ad lib. spectaculorum, epigr. 22.

3 TV *Lybicos Indis suspendis dentibus orbes.*] De orbibus citreis ex Libya Romam adductis & in magno pretio habitis, qui eburneis pedibus fulciebantur, latus instituti posset communis locus, sed quòd notissimus sit (vel ex nostro Poëta, Plinio. lib. 13. cap. 15. & Paulo I C. in L. si sterilis. 21. §. quamuis. ff. de action. empti) prætermittetur. Tantùm dicam notandam esse illam dicendi phrasim: *suspendis orbes Indis dentibus*. vbi *suspendere* fulcire est, & ea quæ sic fulta sunt pendere dicuntur. Prioris formulæ exemplum est in Topicis Ciceronis: *Eius operis vitio, quod ita ædificatum est, vt suspendi non possit*. de qua & posteriori satis multa à nobis suprà dicta sunt ad lib. spectacul. epigr. 1. n. 5. Erat verò opulentiæ argumentum hoc Libycos orbes ebore suspensos possidere, epigr. 23. lib. 9.

Credis ob hoc me Pastor opes fortasse rogare.

C Et paulò post:

Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes.

4 FVLCITVR *testa fagina mensa mihi.*] A vili mensæ materia auget paupertatem suam, & quod fulciatur testa, inæqualem significat; qualis erat pauperum, vel eorum, qui modico contenti rura sua habitabant, vt supra lib. 1. epigr. 56.

Pinguis inæquales onerat cui villica mensas.

Et Ouid. Metam. 8.

----mensa succincta tremensque
Pontanus: mensæ sed erat pes tertius impar.
Testa parem fecit.——

5 IMMODICI *flaua tegunt chrysendeta mulli.*] *Chrysendeta*, lances auro & gemmis distinctæ opulentorum suppellex, de quibus multa Martialis multis in locis. Mullus autem quanto in pretio haberetur, D notissimum est vel ex conquestione Tiberij Cæsaris apud Sueton. cap. 34. Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse, tresque mullos triginta millibus nummûm væniisse grauiter conquestus. Et Plin. lib. 9. cap. 17. Octo millibus mullum emptum ab Asinio Celere scribit. & Iuuenalis de Crispino.

----mullum sex millibus emit.

Immodici verbo mira opulentiæ amplificatio continetur: nam mulli bilibres magno in pretio erant; propterea quod id pondus rarò excedebant. Plin. eodem locô, *Ex reliqua nobilitate & gratia maxima est & copia mullis, sicut magnitudo modica, binásque libras ponderis rarò admodum exuperant, neque in viuarijs piscinisque crescunt.* & Noster lib. 11. epigram. 50.

Nunc vt emam grandemve lupum, mullumve bilibrem.

Vbi *bilibrem* coniunxit cum grandi lupo, vt donum amplificaret. Quamuis Plinius eod. libro, c. 18. mullum in mari rubro captum octuaginta librarum scribat Licinium Mutianum prodidisse, sed non tam grandes inueniebantur in suburbanis littoribus. Maximum omnium existimo fuisse quatuor pondo & ad selibram, de quo Seneca ep. 95. facetam narrationem apponit, cum scilicet Tiberio Cæsari missum, eius iussu delatum in macellum & venditum, cumque ipse Tiberius prædixisset fore, vt aut Apicius eum, aut P. Octauius empturus esset: *Licitati ambo sunt, vicitque Octauius: cùm quinque sestertys emisset piscem, quem Cæsar vendiderat, ne Apicius quidem emerat.* Deinde Martialis tempore librarum quatuor inueniebantur, vt lib. 10 epigr. 31.

Nam bene cœnasti mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœna pompa caputque fuit.

6 A t *mihi succurrit pro Ganymede manus.*] De hac obscœnitate dicemus, lib. 9. epigr. 42. & lib. 11. 74.

7 E x *opibus tantu veteri fideque sodali.*] Emphasis est in nomine veteri, vt diximus supra.

In Sextum. XLIV.

Emi seu puerum, togámve pexam,
Seu tres, vt puto, quatuorve libras.
Sextus protinus ille fænerator,
Quem nostis veterem meum sodalem,
Ne quid fortè petam, timet, cauétque,
al. sic. *Et secum," sed vt audiam, susurrat,*
Septem millia debeo Secundo,
Phœbo quatuor, vndecim Phileto,
Et quadrans mihi nullus est in arca.
O grande ingenium mei sodalis!
Durum est, Sexte, negare, cùm rogaris.
Quantò durius, antequam rogeris!

DOMITIVS.

E m i *seu*] Sextus amicus Martialis erat fœnerator, & quoniam dubitabat ne aliquid Mart. posceret dicebat se debere multis.

T o g a m *pexam*] Duo genera togarum, altera pexa, altera rasa dicebatur: potes & accipere togam pexam, id est, rasam, sed non placet: magis placet vt toga pexa dicatur villi crassioris. Vndè pexati dicuntur hac toga induti.

L i b r a s] Argenti.

C a v e t] Prouidet.

S e c v m] Intra labia: sed ita susurrant, vt possim audire.

P h o e b o] Phœbus libertus, apud Tacit. & Phœbus balnea habebat, vt apud Iuuen. hic alius erat.

GEORGIVS.

T o g a m v e *pexam*] Tum dubia, tum pugnantia loquitur, etenim pexũ maximè repugnat raso, præterea quis nisi vanissimus diceret togam pexam esse villi crassioris, quando toga illa dicatur confecta ex lana, quæ pilum contexta non emittit qualem Istria, & Liburni tractus progenerant, quæ cùm lino propior, quàm lanæ sit, pexis alienam vestibus causam tradit

A Plin. & nostris quoquè temporibus vulgus eam vestem rasam appellat.

RAMIR. DE PRADO.

Carpit Sextum fœneratorem, vt sordidum & illiberalem, qui petitionem Poëtæ, quam timebat, solebat, anteuertere, enumeratis creditoribus suis & ingenti ære alieno, quo se premi cõquerebatur. Hoc autem sordidorum esse hominum docet Aristoteles, l. 2. Rhetor. ad Theodectẽ; vbi cum enumeret ea, quæ pudorem cuiuis possunt incutere, hoc addit, *Quando suspicio est aliquem à nobis mutuò esse petiturũ, ab eo ante mutuo petere, aut aliquid facere, vnde possit à petitione ille retardari.* Seneca etiam lib. 1. de benefic. c. 1. hoc vitium reprehendit his verbis: *Quis enim nostrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut semel? Quis non, cum aliquid à se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industriá non inuenientibus exitum,* B *occasionem petendi abstulit, & varijs artibus properantes necessitates elusit?* &c. Idem hoc est Sexti vitium. Desumpsit fortasse occasionem fingendi hanc narratiũculam Martialis ex his locis: Solet enim grauissima quæque ex magnis scriptoribus sumpta ad iocos & risum detorquere.

1 E m i *seu puerum togamve pexam.*] *Pexa toga* opponitur *rudi*, quæ pexa non erat, sed crasso & impolito filo contexta. Vnde Martialis locus in Fabianum, lib. 3. epigr. 36.

Hoc merui Fabiane toga tritaque meaque,
Et nondum credas me meruisse rudem.

Et lib. 7. epigr. 85.

Nec leuis toga, nec rudes lacerna.

Aliquando *pexa* opponitur *trita*, id est, laceræ, & iam sine villo, vt inf. epigr. 58.

C *Pexatus pulchrè mea rides Zoile trita.*

Quam Festus *decotem*, vel vt Lipsius lib. 1. elect. c. 13. emendat, *decutem* appellat, quod esset sine flocco & quasi sine cute. Erat igitur *pexa* vestis tenuissimo filo, è lana selecta, quam pectebant, vt villosa desuper esset. Vnde Plin. lib. 8. cap. 48. Istriæ Liburniæq; lanam pexis vestibus ineptam dixit, quod pilo propior quam lanæ sit. Intellexit Lipsius d. lib. 1. elect. cap. 13. *pexam* opponi *tritæ*; Sed intellexit male apud Persium, sat. 5. in illis verbis,

----pexusque togamque recenti.

Verbum *pexi*, sumi pro *pexato*; & non iniuria reprehenditur à Theodoro Marcilio in eundem Persij lo- D cum, quamuis reprehensionis ratio ineptior sit ipsa re reprehensa; dicit enim, ineptiret hoc ita ponens Persius: sequitur enim, *---- togaque recenti.*

Si toga recens etiam pexa illa; non est necesse togam recentem esse pexam: potest enim esse rudis & recens, & potest esse pexa & trita. *pexus* autem apud Persium significat pexo capillo & nitido, vt apud Ciceronem in Catilinam: *quos pexo capillo nitidos videtis.*

2 S e v *tres vt puto quatuorve libras.*] Heraldus, quẽ sequitur Raderus, *computo* legit, loco duarum vocum, *vt puto*, seu *vel puto*, & existimat summam esse aliquã pecuniæ, quam Martialis secum audiente Sexto forte computabat. argutum nimis, sed ineptum commentum: loquitur enim Poëta de emptionibus suis, vel pueri vel togæ, vel argenti. Illud autem, *vt puto*, interponitur dubitationis causa, quando non succurrit memoriæ recepta. Hispani dicimus, *Si no me engagno a lo que pienso.* Libras autem intelligit argenti facti: est enim familiaris Martiali dicendi modus, vt argenti selibram, lib. 7. epigr. 85.

3 QVEM *nostis veterem meum sodalem.*] Est emphasis in veteri sodale, vt sup. epigr. 43. diximus, qui & diues erat: diuitiarum argumentum fœnus: vt sup. lib. 1. epigr. 77. de Minerua,

Hac sapit, hac omnis fœnerat vna deos.

Et epigram. 86.

---nil debet, fœnerat imò magis.

Ex arca etiam colligitur diuitem esse, vt diximus sup. ad epigr. 77. lib. 1. nec ipse negabat sibi arcam esse; dicit enim:

Et quadrans mihi nullus est in arca.

4 O *grande ingenium mei sodalis.*] Ironicῶς dixit *ingenium*, ne diceret sordes & auaritiam: sic supra lib. 1. epigr. 74. de Cæciliano fatuo Zelotypo,

--ingeniosus homo es.

5 DVRVM *est.* &c.] Elegans Conclusio acerba auari reprehensione comprehensa, quòd preces & petitionem Poëtæ sordide anteuertisset Sextus.

Ad Glyptum. XLV.

Quæ tibi non stabat, præcisa est mentula Glypte.
Demens cum ferro quid tibi? gallus eras.

DOMITIVS.

QVÆ *tibi*] Glyptus nomine ficto significat succisum: hic fecerat se sacerdotem Cybelis amputata mentula.

CVLTRO *Samio*] i. testa, nam sacerdotes Cybelis eo cultro vtebantur, nam si alio vsi fuissent perniciosum erat: nunc poëta dicit cultrum illum fictum ferrum, quoniam culter non fit temere, nisi ex ferro: & hoc fecit Glyptus postea quàm desijt arrigere.

QVÆ *non stabat*] Id est, quæ non arrigebatur.

GALLVS *eras*] Quia non poteras arrigere, & iccircò castratus.

RAMIR. DE PRADO.

Faceta Glypti irrisio, qui cum iamdiu arrigere desiisset, tandem Cybeles sacerdos factus præcidit mentulam; id tanquam superuacaneum reprehendit Poëta, cum iam ipse suo pondere non vteretur, poterat præcisum existimare.

1 QVÆ *tibi non stabat.*] Eadem formula vtitur, epigr. 73. lib. 3.

Dormis cum pueris mutoniatis,
Et non stat tibi, Phœbe, quod stat illis.

Et lib. 11. epig. 26. *Stare Lino desit mentula.*

Et epigr. 28.

Ferreus es, si stare potest tibi mentula Flacce.

A quo verbo deduxit iocum vlt. versu, epigr. 75. li. 3.

Qua non stat, magno stare Luperce tibi?

2 GALLVS *eras.*] Galli dicebantur, quibus amputatus esset Priapus. Cybeles sacerdotes Galli dicebantur, propterea quòd omnes execti.

In Næuolum. XLVI.

Florida per varios vt pingitur hybla colores,
Cùm breue Sicaniæ ver populantur apes:
*Sic tua * appositis perlucent ** præla lucernis:*
Sic micat innumeris arcula synthesibus.

* v. compositis. al. suppositis. ** v. prata lacernis.

A *Atque vnâ vestire tribũ tua vellera possunt,*
Appula non vno quæ grege terra tulit.
Tu spectas hyemem succincti lentus amici,
*Prô scelus, & lateris frigora * * tuta times.*
Quantũ erat infelix pannis fraudare duobus!
*** Non metuas mortem Næuole, sed tineas.*

* v. trita: tute, Lips. lib. 5. epist. 6. ** v. Quod tenuis, non te. Junij animaduers. lib. 1. c. 8. consule.

DOMITIVS.

FLORIDA] In Næuolum auarum, qui vestes patiebatur, quas multas habebat, tineis consumi potiùs, quàm amico vnam vellet donare.

HYBLA] Est vrbs Siciliæ, quæ postea dicta Megara, condita à Doriensibus, authores Thucydides, & Strab. & item mons vbi thymi flores varij sunt, & multi, quos depastæ apes mel optimum conficiunt.

B PRÆLA] Appellat præla ea vela, & tabulas: quibus vestes pressæ tenentur à similitudine præli vinarij: alibi idem.

BREVE *ver*] Id est, vernos flores citò interituros.

TVA *vellera*] Id est, tuas vestes.

TOTAM *tribum*] Id est, omnes, qui sunt in tribu, non solum vnum amicum.

LENTVS *spectas*] Id est, sine miseratione. Lenti enim dicuntur spectare, quando non mouentur ad miserationem, vel iracundiam. Propertius.

Hostibus eueniat lenta puella meis.

Lentitudo est vacuitas iræ, quàm Græci ἄοργησίαν dicunt, sed Gellius cap. vlt. l. 1. non putauit posse dici Latinè.

HYEMEM] i. frigus.

C FRIGORA *trita*] i. tritarum lacernarum: legitur etiam tuta.

FRAVDARE] Vt adimas duas vestes, fraudare non te, sed tineas.

QVID *renuis*] Dictum per interpositionem quasi Mart. esset dicturus fraudare te, & propterea iam renueret Næuolus, dicit non fraudare te, sed tineas à quibus tuæ vestes corroduntur.

DVOBVS *pannis*] i. lacerna, & toga: nam his duabus vtebantur Romani, præterquam in ludis. Augustus dedit negocium ædilibus, ne quem in circo paterentur consistere nisi togatum depositis lacernis.

GEORGIVS.

FLORIDA *per varios vt pingitur Hybla colores*] Montem esse Hyblam adhuc non legi, authorémque desidero, qui id tradat.

D

RAMIR. DE PRADO.

Arguit Næuolum Auaritiæ, quod sodali ex innumeris vestibus, nullam largiretur pœnè nudo & algenti,

1 CVM *breue Sicania.*] Idem versus est lib. 9. epi. 14.

Cum breue Cecropiæ ver populantur apes.

2 SIC *tua appositis prælucent præla lacernis.*] Nam vestes quò nitidiores essent, prælis solebant premi. lib. 11. epi. 9.

De Pallatinis domina quod serica prælis.

Id est, serica Augustæ prælis Palatinis inclusa: & Seneca de Tranquillitate vitæ, lib. 1. cap. 1. *Placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, non ponderibus, aut mille torminibus splendere cogentibus expressa.* Et Ammianus Marcellin. lib. 28. *Deinde cum à Syluani lauacro, vel Mammea aquis ventitant sospitalibus, vt quisquam eorum egressus tenuis-*

simi se terserit linteis, solitis pressorijs vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat.

3 SIC *micat innumeris arcula synthesibus.*] Arculæ vestium erant repositoria, vt patet ex superiori Senecæ loco, & ex Horatio, lib. 2. sat. 3.

——cui stragula vestis
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca.

Synthesis, hoc loco communiter accipitur pro quauis veste: accommodatur quidem aliquando ad cœnatoriam vestem; vt epigr. 80. lib. 6.

Vndecies vna surrexti Zoile cena,
Et mutata tibi est synthesis vndecies.

Et vltimo versu,

Frigus enim magnum synthesis vna facit.

4 SPECTAS *hyemem succincti lentus amici*] *Lentus*, dixit, pro tardo ad misericordiam: *succincti* verò significat pœne nudi, & quasi ad iter capessendum, vel ad opus accincti.

5 ET *lateris frigora tuta times.*] *Latus* appellat sodalem: vt lib. 6. ep. 68.

Inter Baianas raptus puer occidit vndas,
Eutychus ille tuum, Castrice, dulce latus.

Pro *tuta* in Veteri est *trita*, vt sit metonymia, *frigora trita*, id est, frigora à tritis lacernis prouenientia, quamuis Lipsius *tute* legit, non malè.

6 NON *metuas mortem Næuole, sed tineas.*] Corruptissimus versus variè à diuersis emendatus. Veriorem Lectionem existimo esse:

Non metuas, non te Næuole, sed tineas.

Hoc acutissimo sensu:

Quantum erat infelix pannis fraudare duobus,
Non metuas, non te Næuole, sed tineas. Nam cum tot habeas vestes, vt iis nulla ratione vti possis per totum vitæ cursum, non fraudabis te veste aliqua, sed tineas, à quibus vestes tuæ corrodendæ sunt. Cumque dixisset, *pannis fraudare duobus*, succurrit statim per iocum Næuoli suspicioni, & timori, qui existimaret velle Martialem se aliqua veste fraudare illis verbis: *Non metuas*: non enim volo te fraudari, sed tineas.

In Gallum. XLVII.

Subdola famosæ, moneo, fuge retia mœchæ,
Leuior ô conchis Galle Cytheriacis.
Confidis natibus? non est pædico maritus.
Quæ faciat duo sunt: irrumat, aut futuit.

DOMITIVS.

SVBDOLA] Mœcha dabat pueris quos maritus pædicabat: & hæc erat Thelesina, de qua infrà,

Vxorem nolo Thelesinam ducere.

CONCHIS *cytheriacis*] Conchæ cytheriacæ dicuntur Venereæ, & Veneri dicantur: & non à loco accipias cythera, quoniam Venus è spuma maris nata concha vecta est ad littus. Venus apud Papin.

Digna fuit nostra considere concha.

Et duæ illæ conchæ, quæ tenuerunt nauem planam ventis, quæ mittebantur à Periandro, edicto, vt nobiliores mares castrarentur, dicatæ fuere apud Venerem Gnidiam. Concha igitur cytheriaca non à loco dicta, sed à Venere. Proper.

Inda cauis aurum mittit formica metallis,
Et venit è rubro concha erycina mari.

LEVIOR] Id est, politior conchis. Ouid.
Leuior assiduo detritis æquore conchis.

A IRRVMAT] Irrumare non tractum est à rima, sed à ruma, quod significat mamillam. Vnde agni dicuntur subrumari, quando rumas lingunt, author Pompeius. Est autem mentulam tanquam mamillam ori inserere.

GEORGIVS.

QVÆ *faciat duo sunt, irrumat, aut futuit*] Abeat directus hic expositor cùm huiusmodi interpretatione turpissima, ego quàm tectissimis verbis potero, quid irrumare sit aperiam, à rima componi dicimus i, in u, propter cognationem soni immutata: ex circunstantijs autem rem cognoscendam tradit poëta, cùm his verbis Thaida alloquitur:

Quid me Thais senem subinde dicis.
Nemo est Thais senex ad irrumandum.

RAMIR. DE PRADO.

B Monet Gallum cinædum, ne famosam mœcham sectetur, ne à marito comprehensus patiatur irrumationem. Similis argumenti est epigr. 60. infra.

1 LEVIOR *ô conchis Galle Cytheriacis.*] *Conchas Cytheriacas* appellat, quod venereæ sint: nam Venus nata ex concha. Plautus in Rudente: *Te ex concha natam esse autumant, caue tu harum conchas spernas.* Hinc Hispani appellamus conchas *Veneras* ab eâdem Venere.

2 CONFIDIS *natibus.*] Sic epigrammate allegato.

Supplicium tantùm dum puerile times,

3 NON *est pædico maritus*] id est, non gaudet natibus, quibus tu confidis ei soluturum.

Ad Rufum. XLVIII.

C *Cauponem laniúmque, balneúmque,*
Tonsorem, tabulámque, calculósque,
Et paucos, sed vt eligam, libellos:
Vnum non nimium rudem sodalem,
Et caram puero meo puellam,
Et grandem puerum diúque leuem:
Hæc præsta mihi, Rufe, vel Bitontis,
Et thermas tibi habe Neronianas.

DOMITIVS.

CAVPONEM] Optat pauca in otio in loco etiam rusticano contemnens vrbana ædificia.

D CAVPO] Venditor vini.

TABVLAM *& calculos*] Lusorios.

PAVCOS *libellos, sed vt eligam*] i. electos diu.

LÆVEM] Politum, & serò virum, suprà, vel etiam in Bitonto oppido vilissimo Apuliæ.

HABE] Fruere.

THERMAS] Thermæ Neronianæ erant in maxima admiratione, id est, habe tibi ædificia vrbana quæ alij exoptant. Papin.

Fas sit componere magnis
Parua Neroniana, nec qui modo lotus in vnda:
Hic iterum sudare neget.

Erant inquam hæc præsertim in admiratione.

RAMIR. DE PRADO.

Beatam vitam non loco, sed commoditatibus contineri docet.

1 TABVLAMQVE *calculósque.*] Hendyadis, id

est, tabulam calculorum, tabulam lusoriam, de qua lib. 11. epigr. 17. A

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

2 VNV*m non nimium rudem sodalem.*] Non optissimum, apud quem non liceat ineptire aliquando, sed non nimium rudem, vt de vita beata inf. epigr. 90. *Sit non doctissima coniux.*

3 ET *caram puero meo puellam.*] Namque hoc haberet puerum morigerum & quietum.

4 ET *grandem puerum diuque leuem.*] *Grandem*, ad domestica ministeria, *leuem*, ad pædicandum.

5 HÆC *præsta mihi Rufe vel Bitonti.*] Sic lego, *Bitontum* enim vile & obscurum Apuliæ oppidum, & quemadmodum in amœnis locis solemus malis vrgeri; vt lib. 4. epigr. 60. —— *cum mors*
Venerit, in medio Tybure Sardinia est.
Sic contrà in obscuris & sterilibus locis quoties nobis suppetunt bona, iucundam transigimus vitam. B

6 ET *thermas tibi habe Neronianas.*] Erant enim hę thermæ Neronianæ, ceteris amœniores; vt lib. 7. epigr. 33. —*Quid Nerone peius?*
Quid thermis melius Neronianis?

De Thelesina. XLIX.

Vxorem nolo Thelesinam ducere. quare?
Mœcha est. sed pueris dat Thelesina. volo.

RAMIR. DE PRADO.

Huius epigrammatis acumen facile percipitur ex epigr. superiori 47. & inferiori 60. Vxorem Thelesinam ducere recusat, quod mœcha sit, deinde certior factus eam mœchari cum pueris, cupit eius nuptias, vt scilicet pueros deprehensos possit pædicare. Sic lib. 10. epig. 40.

Semper cum mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo,
Irrupi Lupe. non erat cinædus.

Est elegans fabella in Apuleij Asino de pistore, qui puerum latentem vxoris suæ mœchum asini illius aurei indicio deprehendit, quem continuò in cubiculum arreptum pædicauit.

In Lesbiam. L.

Quòd fellas, & aquam potas, nil, Lesbia, peccas.
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

DOMITIVS.

QVOD] In Lesbiam iocatur, quæ aquam bibebat, & fellabar.

NON *peccas*] Id est, non erras, quia tu fellas, & polluis ora: ideo rectè facis si potas aquam.

QVA *parte opus*] Quia opus est, vt bibas, & abluas os quo fellas.

RAMIR. DE PRADO.

Facetus in Lesbiam iocus, quæ fellatrix erat, & eadem sicca & abstemia. Acumen epigrammatis in ambiguitate est illius verbi, *sumis aquam.* Sumere enim aquam potare significat. Apuleius de Asino aureo lib. 9. *vt aqua recentis oppletam peluim offerrent potui meo, ac si intrepidus & more solito sumens aquis allubescerem:* & præterea id quod veteres feminæ faciebant, vt post coitum pudenda lauarent, idque dicebatur aquam sumere; vt dictum iam est lib. 1. epigr. 96. & quia spurcum huius Lesbiæ os cum fututricum pudendis comparari poterat, quæ aqua abluebantur, ideò dixit: *nil Lesbia peccas. cum idem facis, quod facturæ sunt fututrices.*

In Hylum. LI.

Vnus sæpè tibi tota denarius arca,
Cùm sit, & hic culo tritior Hyle tuo:
Non tamen hunc pistor, non auferet hunc tibi caupo;
Sed si quis nimio pene superbus erit.
Infelix venter spectat conuiuia culi,
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

DOMITIVS.

VNVS] Carpit Hylum, qui vitio animi, cùm pauperrimus esset, & solum denarium haberet, eum pædiconi dabat.

HVNC *pistor*] Quia non emis panem.

CAVPO] Quia non emis vinum.

SI *auferet tibi*] Si quis habebit magnum penem: Nam vis pædicari.

RAMIR. DE PRADO.

Hylum pathicum insectatur quòd pauperrimus cùm esset, bene vasatos quærebat, & ijs, si quam pecuniolam habebat, largiebatur, & ipse tame peribat. C

1 VNVS *sæpè tibi tota denarius arca.*] De arca diximus sup. ad lib. 1. epig. 77.

2 ET *hic culo tritior Hyle tuo.*] Trita moneta vilior erat, ideò laudata aspera, quòd noua; nec manuum tritura leuior. Quare Imperator Nero in collatione publica exegit ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum obryzum, quæ verba Suetonij sunt in eius vita, cap. 44. Persius sat. 3.

Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Vtile nummus habet.

Seneca epi. 19. *Sed mouebis mihi controuersiam, si te noui; nec voles quod debeo, nisi in aspero & probo accipere:* quod videri potest desumtum ex Theophrasti ethicis characteribus cap. 4. περὶ ἀγροικίας, cuius verba sunt: Καὶ τὸ ἀργύριον δὲ παρά τῳ λαβὼν ἀποδοκιμάζει, λίαν μὲν λυπρὸν εἶ[ναι], καὶ ἕτερον ἅμα ἀλλάττεσθαι. i. & argentum quod ab aliquo acceperit, quasi tenuè nimis solet reijcere, & postulare, vt alio id sibi mutetur. & cap. 21. περὶ μικροφιλοτιμίας. de homine inepte ambitioso, & qui laudis cupidine laborat, sic idem inquit. καὶ ἀποδιδοὺς μνᾶν ἀργυρίου, καινὴν ποιῆσαι ἀποδοῦναι. i. & dans minam argenti, facit dare nouam, dicebatur & asper nummus Græcis albus. glossæ, Ἄσπρον λευκόν, asprum idem ἀσπρότης asprittudo, candor, quod asperi nummi iidem & candidi, necdum tritura manuum decolorati. Sic Apuleius l. 9. Asini aurei: *Demonstrat ei nouitate nimia candentes solidos aureos.* Hinc glossæ Aspratum κόλλυβον, quod fortè hæc fuerit colybi origo, intertrimentum pecuniæ, vt paruum illud additamentum collybi, pro eo quod ex nummis deteritur, solueretur creditori. Deinde κόλλυβος commune no-

men factum est ad omnem argenti permutationem significandam. Pollux lib. 3. cap. 9. ἀργυρείου ἀλλαγή, οἱ καλούμενοι κόλλυβοι. nam in omni permutatione considerari debet pecuniç diminutio, qua ab ipsamet pecunia, qua à loco. à loco, quod eius mutatione pro regionũ qualitate pecuniæ pretium immutetur: ab ipsa pecunia, vel quòd detrita, vt dictum est, vel quòd non probi nummi, nam in ipsa cusione adulterabatur argentum æris mixtione, vel aurum. Vnde ærosa pecunia dicebatur, quæ ære permixta erat. Vt in l. *creditor*, 102. ff. *de solutionibus*, quam solebant quæstores ad libellam exigere, vt deprehenderent, num proba esset. Liuius lib. 32. *Carthaginenses eo anno argentum in stipendium impositum primum Romam aduexerunt, id quia probum non esset, Quæstores renunciauerant, experientibúsque pars quarta decocta erat, pecunia Romæ mutuò sumta intertrimentum argenti suppleuerat.* Vbi intertrimentum significat defectus ille argenti in ea pecunia, quæ erat ærosa: quo nomine generatim pro quouis damno vtitur Iurisconsultus. l. vlt. §. vl. *de pignerat. act. simul cum intertritura.* quòd idem significat, & omnia à verbo *tero.* Vnde Varro detrimentum deducit lib. 5. de ling. lat. quòd res tritæ damnum accipiant. à quacumque autem causa nummi diminuti sint, reprobi vocantur, vt in l. *eleganter* 24. §. *qui reprobos.* dicto tit. *de pig. act.* quibus aduersantur probi, vt est in loco supra citato Senecæ, & Liuij. & apud I. C. in l. *Titius* 24. ff. *de pecunia constituta*, & aliis. Est etiam de aspero nummo mentio apud Nostrum, lib. 12. epi. 55. vbi puellam auaram præ basiatione, asperum nummum petere dicit his verbis.

Aut libram petit illa Cosmiani,
Aut binos quater à noua moneta.

Vbi nouam monetam pro aspera ponit, vt fecerat lib. 4. epig. 28.

Et centum nummos noua moneta.

Et vidimus sup. in vltimo loco Theophrasti.

Vt igitur miseram Hyli paupertatem augeret, denarium solum dicit habuisse non asperum & nouum sed tritum & penè decutem. & tritiorem dicit denarium: solet enim Cinædos hoc epitheto notare vt lib. 9. ep. 58.

Culus tritior Hedyli lacernis.

3 INFELIX *venter spectat conuiuia culi.*] *Spectandi* verbo vtitur Martialis, ad significandum conuiuas nihil comedentes sup. lib. 1. ep. 44.

Et nihil inde datum est, tantum spectauimus omnes.

Ideò subiungit.

Et semper miser hic esurit, ille vorat.

Nam *vorare* dicit eum quemadmodum lib. 12. epig. 76. dixit, *Secundum pastas glandes nates habere.*

De Dasio. LII.

Nouit° *lictura Dasius numerare: poposcit*
Mammosam Spatalen, pro tribus illa dedit.

° v. loturas.

DOMITIVS.

NOVIT] Spatale meretrix erat, habebat mammas tantæ magnitudinis, vt duæ puellæ viderentur, propterea Dasius magister balneorum iussit soluere pro tribus. Laudatur Dasius, quod sciuerit numerare eos, qui in balneo erant, nam quamuis Spatale sola esset, duabus mammis duarum locum occupabat.

PRO *tribus*] Nam Spatale, & duæ eius mammæ trium locum occupabant, risus est, quòd vna pro tribus soluerit propter mammas.

RAMIR. DE PRADO.

Non minus difficilè quam breue epigramma; hoc est, Ego ingenuè fateor me non satis eius sensum assequi. Dicam tamen quod succurrit. Hic Dasius balneo præpositus pretium exigebat ab ijs, qui lauare volebant. Erat iam lotura Spatale ita mammosa vt locum in balneo pro tribus videretur occupare. Dasius ab ea tres poposcit quadrantes, hoc enim erat balinearum pretium, vt testatur Horatius sat. 3. in fine.

——dum tu quadrante lauatum Rex ibis.

Cicero pro Cœlio. *Nisi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori; Spatale continuò tres quadrantes persoluit.* Simile illud est de numerosa Labieni calua li. 1. epi. 50.

Vidissem modò forte cum sedentem,
Solum te Labiene tres putaui,
Calua me numerus tua fefellit, &c.

Vel fortè nequior huius epigrammatis sensus: quod scilicet hic Dasius mulierosus esset, & meretrices sectaretur, cumque tres appeteret meretrices, vna Spatale contentus est, quæ pro tribus dedit, nam futuit eam Dasius, pædicauit & irrumauit. Itaque Dasius hic peritus huius meretricij negotij, nouit bene meretrices numerare, qui pro tribus vnicam Spatalen poposcit: Nunc ad hunc sensum verba qui accommodentur, doceamus.

Loturas appellat meretrices, quæ quidem post coitum aquam sumebant, vt dictum est epig. superiori 50. *Poscere*, obscœnum verbum, id est, petere aliquid obscœnum, vt epigr. 69. lib. 9.

—illud puerile poposci.

Dare, notissimum verbum est, obscœnitati aptum. *Pro tribus* significare id, quod diximus, patet ex epi. 33. lib. 9. vbi cum facilem & morigeram se velle amicam diceret, hæc verba subiungit,

Hanc volo quam redimit totam denarius alter:
Hanc volo quæ pariter sufficit vna tribus.

Vbi illa verba, *Quæ sufficit vna tribus*, sic intelligo: quæ vna sufficit tribus obscœnitatibus, futuitioni, pædicationi, & irrumationi, & his verbis explicuit quid significaret illud verbum *totam superaris*, id est, eam, quæ duobus denarijs emta nil neget. Esse autem aliquas fœminas eo infelici adeò perditas, quæ nihil negarent, ex dicto epi. 69. lib. 9. quod poteris legere, constat, & illud omnibus modis largam epigrammatis 66. lib. 12. de his obscœnitatibus interpretare. Sed ego libentius sic interpungerem:

Nouit loturas Dasius, numerare poposcit
Mammosam Spatalen, pro tribus illa dedit.

Quod sic interpretor, Dasius nouit meretrices, & ideò Spatalen mammosam & deformem poposcit, id est, iussit *numerare*, id est, soluere futuitionis precium, quod faciebant deformes, vt lib. 11. ep. 63.

Lesbia se iurat gratis nunquam esse fututam,
Verum est, cum futui vult, numerare solet.

Illa verò dedit pro tribus, id est, soluit triplum pretium & functa est triplici munere Venereo, vt dictum est.

In Maximum. LIII.

Vis fieri liber? mentiris, Maxime, non vis:
Sed fieri si vis, hac ratione potes.

Liber eris, cœnare foris si, Maxime, nolis:
Veientana tuam si domat vua sitim:
Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse:
Si tua non rectus tecta subire potes:
Hæc tibi si vis est, si mentis tanta potestas,
Liberior Partho viuere rege potes.

DOMITIVS

VIS *fieri*] Maximus libertus fuit Parthenij, ad quem non inanis fuerit coniectura si intellexeris hoc scriptum. Is iactabat se velle liberum fieri, cùm tamen nesciret discedere ab aulicis, & fastu palatino, docet poeta quomodo possit liber fieri, si animum scilicet composuerit ad frugalitatem, qua viuat contentus.

HAC *ratione*] Hoc pacto.

NOLIS] i. si nolis alienam cœnam captare.

VEIENTANA *vina*] De fæce vini rubelli intelligit, de qua suprà dictum est.

DOMAT *sitim*] i. si aspernaris Falernum.

CHRYSENDETA] Vasa aurea.

CINNÆ *miseri*] Qui hoc genere ambitus cruciatur.

TOGA *nostra*] Tali quali ego sum indutus, id est, vili.

VINCITVR] Domatur: hoc est, si potes vili scorto esse contentus, & non sectari stolatas mulieres.

NON *rectus*] Nam pauperes habent tecta vilissima, & humilia, quæ cernui intrant.

PARTHO] Duæ erant tribus apud Parthos, quarum altera Assinium, altera Magorum dicebatur: qui, vt scribit Appianus, libertatem populis promittebant, seruitutémque propulsaturos morte, inde fiebat, vt nullo fœdere eorum pax sanciri posset, nemini enim seruire patiebantur.

RAMIR. DE PRADO.

Docet Maximum, qua ratione possit esse verè liber, quod se cupere subinde iactabat: quamuis nolebat ea facere, quæ ad veram libertatem consequendam essent necessaria.

1 LIBER *eris, cœnare foris si Maxime non vis.*] Eadem sententia est epigrammatis 11. lib. 9.

Cœnes, Canthare, cum foris libenter
Clamas, & maledicis, & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & gulosus esse.

Et Iuuenal. sat. 5. vers. 161.

Tu tibi liber homo, & regis conuiua videris:
Captum te nidore suæ putat ille culinæ:
Nec male coniectat. Quis enim tam nudus, vt illum
Bis ferat? Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro.

Vbi liberum Poëta esse negat illum, qui cœnas regum insectatur, & culinæ eorum nidore capitur.

2 SI *plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.*] *Plebeiam* appellat *Venerem* eleganti Metonymia, pro ea quæ demenda est plebeia, & populari meretrice, & quæ cuiuis persoluenti precium pateret. Solebant enim in Lupanari pretia designari meretricum, quæ quidem exigebant ante coitum. Iuuenalis de Claudia Messalina, quæ Lycislæ habitum mentita in lupanari prostabat, sat. 6. lib. 1. &

Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit.

Et Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 10.

Stat meretrix certo cuiuis mercabilis ære.

A Hoc autem pretium à lenonibus in cellæ scriptione notabatur; quod si virguncula primo prostitueretur deflorationis pretium signabatur, & deinde ceteri concubitus diuersa pecuniæ summa. Est elegans locus in historia Apollonij Tyrij, *Puella prosternit se ad pedes: miserere virginitatis meæ, nec prosternas hoc corpus sub tam turpi titulo. Leno vocauit villicum puellarum, & ait. Ancilla exornetur, scribatur ei titulus, qui cum Tarsiam deflorauerit, mediam libram dabit, postea populo patebit ad singulos solidos.* Erat autem forte Martialis tempore duorum assium pretium summœnianis mœchis constitutum; & hoc diuersum fiebat pretium, pro loco vel qualitate fœminæ. Nam epigr. 33. lib. 9. duo denarij pretium sunt meretricis grauioris, & quæ nil negasset, vt patet ex illo versu,

Hanc volo quam redimit totam denarius alter.

3 SI *tua non rectus tecta subire potes.*] id est, si velis in B cœnaculis habitare, atque altis scalis, sed angustis ascendebatur, ita vt procerus quiuis incuruus subire deberet.

4 HÆC *tibi si vis est, si mentis tanta potestas.* Excelso quodam & forti animo opus est ad diuitias & delicias contemnendas.

5 LIBERIOR *Partho viuere Rege potes.*] Prouerbialiter dictum est: Parthorum enim Reges nemini subiecti erant, seq. regum reges appellabant.

In Linum. LIV.

Quid de te, Line, suspicetur vxor,
Et qua parte velit pudiciorem,
Certis indiciis satis probauit;
C *Custodem tibi quæ dedit spadonem.*
Nil nasutiùs hac, maligniúsque est.

DOMITIVS.

QVID *de te*] In Linum, qui cùm draucos sequeretur, vxor dedit puerum Spadonem custodem, ne posset ab eo pædicari.

SATIS *probauit*] ostendit.

CERTIS *indicijs*] i. veris & apertis argumentis.

NASVTIVS] Nasuti dicuntur, qui habent iudicium & astutiam.

MALIGNIVS] Quia dedit Spadonem non bene mentulatum qualem cupis. Alibi quoque eundem fellare, ait: *Pædicatur Oros, fellat Linus.*

GEORGIVS.

NIL *nasutius hac, maligniúsque est*] Cur in xeniis D cùm ait idem poeta:

Nasutus sis vsque licet: sis denique nasus.

Interpretaris: Nasuti dicuntur qui grauiore censura subsannant aliena: simile monstro videtur tam inconstanter præcipere.

RAMIR. DE PRADO.

Facete taxat cinædum, cui vxor custodem dedit spadonem, ne scilicet ab eodem custode possit pædicari. Eundem iocum repetit, lib. 10. epigr. 69.

Custodes das Polla viro, nec accipis ipsa:
Hoc est vxorem ducere Polla virum.

Erat enim rarum, & ridiculum videri poterat viro dari custodem ab vxore, cum contra vsu venit, vt vxori à viro daretur.

Ad Sextum. LV.

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum est tibi: quòd iubes, colêris.
Sed si te colo, Sexte, non amabo.

DOMITIVS.

VIS *te, Sexte*] Sextus communi familiaritatis consuetudine vixerat cum Martiale, nunc nihil dabat, aut si aliquid, dabat sportulam, & tantum, quantum diuites solebant clientibus suis dare: ait poëta sibi in animo fuisse amare Sextum, id est, æquali fœdere & amicitia eius rebus vti, nunc cùm sportulam tantùm accipiat, facturum quod iubet Sextus, qui non amari velle videbatur, sed coli.

VIS *coli*] Vis me tibi esse clientem.

VOLEBAM *amare*] i. volebam amice viuere tecum.

SI *te colo*] i. si ero cliens.

NON *amabo*] Non prosequar te amore, cùm nil des, nisi quod clienti datur.

RAMIR. DE PRADO.

Dictum est iam de hoc epigr. lib. 1. epigr. 33. Estque tacita reprehensio cuiusdam Sexti fastuosi & superbi hominis, qui magnus amicus esse volebat, & coli ab aliis: non autem amari vt æqualis.

1 VIS *te, Sexte coli.*] cultus quilibet disparitatem secum fert conditionum: nam cultor timeat necesse est, ne cultum offendat. timor cum amore non conuenit; vt ait Seneca ep. *libenter* 47. *Non potest Amor cum timore misceri.* & idem ostendit Tragicum illud vetus dictum: *Oderint dum metuant.* adductum à Cicerone in Orat. pro Sextio, & 1. Philipp. & etiam lib. de offic. 1. quod scribit Tranquillus Imperatorem Caligulam iactasse, subinde cap. 30. vbi tragicum dictum appellat, & quamuis nesciamus à quo Tragico sumtum sit. Seneca lib. 1. de ira, cap. vlt. Syllano tempore scriptum dicit his verbis, *Quid ergo? non aliqua voces ab iratis emittuntur, quæ magno emissæ videantur animo, veram ignorantibus magnitudinem? qualis illa dira & abominanda: Oderint dum metuant. Syllano scias seculo scriptam.* & idem lib. 2. de Clementia, cap. 2. *Illud mecum considero, multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam peruenisse, celebresque vulgo ferri. vt illam: Oderint dum metuant.* De qua sententia multi ex veteribus multa, quibus ostenderunt, quàm fallantur tyranni, qui eam sequuntur. Nam ipsi coguntur in miserrimo vitæ statu, hoc est, in ipso timore semper versari: præclareque Publius ille mimographus:

Necesse est vt multos timeat quem multi timent.

Et eleganter Seneca in Oedipo, act. 3.

Timet timentes, metus in auctorem redit.

Et Cicero in hac eadem sententia, lib. 2. de offic. *Etenim*, inquit, *qui se metui volent à quibus metuuntur eosdem metuant ipsi necesse est.* & Salustius, siue quis alius est, qui ad Cæsarem scripsit de republica ordinanda, oratione. 1. ait, *Neque (arbitror) quenquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat.*

2 SED *si te Sexte colo, non amabo.*] Notandus est ambiguus sensus in voce, *non amabo*: significat enim, non te amore prosequar, vt ego volebam, & te prosequar odio, quo dignus es, cum tuo fastu & superbia, de formula, *non amare*, pro *odisse*, consule d. epigr. 33. lib. 1.

A Non enim fieri potest vt te colam & amem: nam hoc soli Deo accidere potest, vt colatur & ametur: ceteri si coluntur, amari non possunt quod in ipso cultu timor sit. Seneca d. ep. 47. *Hoc qui dixeris, obliuiscatur id dominis parum non esse, quod satis est Deo; qui colitur & amatur*, &c.

De vxore Galli. LVI.

Gentibus in Libycis vxor tua, Galle notatur
Immodicæ fœdo crimine auaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia: non solet illa
Accipere omnino. quid solet ergo? dare.

DOMITIVS.

B GENTIBVS] Galle tua vxor dicitur esse auara, & spoliare prouinciam. sed mendacia sunt, quia solet dare, scil. coitum, nam dare absolutè, modò pretium dicitur, modò coitum: hîc coitum, quod vrbanè dictum, cùm ad libertatem muneris videatur referre.

RAMIR. DE PRADO.

Acerba illusio in Gallum, forte Libyæ Prætorem, cuius vxor mœcha erat: fingit autem notatam auaritiæ crimine fuisse, & respondet ei falsò id accidisse, quod non auara alienarum opum fuerit, sed potius sui corporis prodiga.

1 NON *solet illa Accipere omnino. quid solet ergo? dare*] Lusus est in verbo *dare*. Est enim contrarium *τῷ accipere. accipere* autem significat capere pecuniam pre-

C tio alicuius rei, vt sup. lib. 1. epigr. 96.

Non facis hoc gratis, accipis vt taceas.

Dare autem de fœminis obscœnum est verbum, id est, viris gratificari & morigerari, vt 16. epigr.

——vis dare nec dare vis.

*In fictum diuitem. LVII.

Hic quem videtis gressibus vagis lentum,
'' Amethystinatus media qui secat septa;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus alpha pænulatorum:
D *Quem grex togatus sequitur, & capillatus,*
Recénsque sella, linteisque, lorisque:
Oppignerauit ad modò Claudij mensam
Vix octo nummis anulum, vnde cœnaret.

* v. De Microspico diuite.

'' Vide Basium de re Vestiaria li. 5.

DOMITIVS.

HIC] In Saufeilum, quem paulò pòst nominabit eodem fermè argumento. Is comitatu, sella, & insignibus conductis etiam fœnore se patronum agebat.

SECAT *media septa*] i. hic amethystinatus, qui ambulat per media septa, quæ erant in campo Martio, vel medios cancellos, qui sunt circa subsellia.

VAGIS *gressibus*] i. temerè inambulans.

PVBLIVS *meus*] Mihi non placet vt intelligas, Publium habuisse multos lacernatos secùm, sed multas lacernas vestes.

CODRVS]

CODRVS] Cremitius fuit historicus, de quo Suetonius in Augusto: Debes hîc alium Codrum accipere.

ALPHA] Id est, princeps pænulatorum, qui multas pænulas habebat. Pænula vestis, qua & serui & clientes vtebantur aduersus nimbos: alibi,

Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

TOGATVS *grex*] i. grex anteambulonum, nam toga indumentum erat anteambulonis.

CAPILLATVS] Id est, grex seruorum, quod Iuuenal. aptè distinxit:

Respicit hoc primum, qui litigat, an tibi serui
Octo, decem comites, an post te sella togati
Ante pedes.

RECENS] Noua sella.

LINTEIS] i. loris, nam sella lora, & lintea habebat. Iuuenal. *Conducit sellam puluinar.*

OPPIGNERAVIT *annulum*] Insigne equestre, vt illud, Iuuenal.

Post cuncta nouissimus exit annulus.

CLAVDII] Fœneratoris.

RAMIR. DE PRADO.

Ventosum quemdam notat, qui fastum & diuitias cum ostentare vellet, nihil tamen haberet, vnde fastum & comites posset sustentare. Est forte hic Saufellus ille, de quo infra epigr. 74.

1 HIC *quem videtis gressibus vagis lentum.*] Tardus incessus grauitatis & dignitatis signum.

2 AMETHYSTINATVS *media qui secat septa.*] Id est, qui amethystinis vestibus, sed conductis ornatus, per media septa ambulat vagus. Erant enim septa, vbi populus suffragium ferebat, sed quando comitia non erant, in ipsis septis erant mercatores res pretiosas & delicatas vendentes, vbi solebant semper ferè omnes diuites adesse: ostenditur id manifesto ex epigr. 60. lib. 9.

In septis Mamurra diu multùmque vagatus
Hic vbi Roma suas aurea vexit opes.

Et per totum epigramma. & præterea lib. 10. ep. 80.

Et gemitus imo promit de pectore, quod non
Tota miser coëmat septa, feratque domum.

3 NON *ipse Codrus alpha pænulatorum.*] Numerum & ordinem notant Græci Alphabeticis litteris. Sic α appellant primum, β, secundum. ω. vltimam. In sacris Literis: *ego sum α & ω principium & finis.* Hic autem Codrus lacernas omnium preciosissimas gestabat, quem fingit Poëta sibi subiratum, epig. 27. lib. 5. quod eum α dixerit pænulatorum, quod epigramma sic concludit:

Dicas licebit beta me togatorum.

4 QVEM *grex togatus sequitur & capillatus.*] De togatis diximus, lib. 1. epi. 109. Capillatus grex puerorum nobilium est, vt epigr. 62. lib. 10.

Ludi magister parce simplici turba:
Sic te frequentes audiant capillati.

Nutriebant enim comam ingenui pueri, & aliquando cirris insigniebantur. Sic Persius sat. 1.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse,
Pro nihilo pendas!

Capillos namque nutriebant vsque ad pubertatem, vnde *capillati* pueri imberbes dicebantur. Petronius, *Videmus senem caluum tunica vestitum russea, inter pueros capillatos ludentem pila.* & alibi: *Aquam poscit ad manus, digitósque paullulum aspersos in capite pueri tersit.* & Noster lib. 3. epi. 58.

Et pædagogo non iubente, lasciui
Parere gaudent villico capillati.

Hinc Pers. sat. 3. v. 54. indetonsam appellat iuuentutē

A *——quibus indetonsa iuuentus*
Inuigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

5 RECENSQVE *sella.*] De gestatoriis sellis vide Lips. Elect. 1. cap. 19. affatim differentem:

6 OPPIGNERAVIT *admodò Claudij mensam.*] Fortè hic Claudius est idem trapezita, de quo lib. 12. epig. 57. *Hinc otiosus sordidam quatit mensam Neroniana nummularius massa.*

Erant namque Nerones ex familia Claudia. Erat autem signum extremæ & deploratæ egestatis, annuli vel venditio vel oppigneratio. Iuuenal. sat. 11. v. 42.

Talibus à dominis, post cuncta nouissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Et se annulum detracturos dicebant, cum omnia sua profusuros esse pollicebantur in alicuius fauorem. Sueton. in Iulio cap. 33. *Nam cum in alloquendo exhortandóque sæpius digitum læuæ manus ostentans, affirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem* B *suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi, extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire pro dicto accepit, quod visu suspicabatur promissúmque ius annulorum cum millibus* cccc. *fama distulit.* Sic Hispani dicimus in simili re, *vender hasta la camisa.*

In Zoilum. LVIII.

Pexatus pulchre rides mea, Zoile, trita.
Sunt hæc trita quidem, Zoile: sed mea sũt. Vide Turneb. lib. 5. c. 14

DOMITIVS.

PEXATVS] Pexati dicuntur toga pexa induti, qua vtebantur hyeme villo densiore, Propterea lanæ C Istriæ, & Lyburnæ, vt Plin. scribit: cùm potiùs sint similes pilis, quàm lanæ, nō sunt aptæ pexis vestibus.

PEXATVS] i. tu habens vestes pexas.

MEA *sunt*] Quas verò tu habes conduxisti à fœneratore.

RAMIR. DE PRADO.

De hoc epigrammate dictum est sup. epi. 44. Carpit Zoilum, quòd pretiosis conductis vestibus fastuosus incederet, irrideretque Martialem trita toga indutum: fatetur quidem tritam esse, sed suam & non conductam.

De cœnatione micæ. LIX.

Mica vocor, quid sim cernis: cœnatio parua.
D *Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.*
Frange toros: pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse Deus. *Dememinisse, Caldeiniveteristissimus codex & Aldina editio. id est, oblinisci.

dem Græcè

Μίκκη ἐγὼ, τί πέλω ᾖ, βλέπεις· μικρὸς εἰλαπινάων
Οἶκος· ἀνακτόρεον τὸν θόλον ἔνθεν ὁρᾷς·
Ἀνάπιο, οἰνοπόταζε, ῥόδον λαβὲ, χρίεο νάρδῳ·
Αὐτὸς μιμνήσκεσθαι τοῦ θανάτου σε θεός.

P

DOMITIVS.

MICA *vocor*] Domit. ædificauit cœnationem auream, authore Eusebio, quam à paruitate micam appellauit. In laudem principis hortatur poëta conuiuas ad risum, & vnguantum ex relaxatione, quoniam ipse Deus, id est, Domit. delitias parauerat, tanquam viuere iuberet, verbum est in fine epigrammatis dememinisse, hoc est obliuisci. Ita habet codex vetustissimus: cùm manu librariorũ hactenus legerim meminisse: neque me hoc ostendit nouum verbum apud Mart. cùm domicenium sit, & multa quæ ipse finxit. At si legis te meminisse, quod placet ita leges, vt illud Persij:

Viue memor lethi, fugit hora:
Hoc quod loquor Inde est.

Et illud Virgil.

Mors autem vellens viuite ait venio.

MICA *vocor*] Loquitur cœnatio.

THOLVM *Cæsaris*] Id est, ædes Cæsareas.

EX *me*] Cùm me vides, vides tholum Cæsareum.

FRANGE *torum*] i. accumbe, nam torus lectus erat apud antiquos à torno, vt placet Varr. quoniam in promptu erat. Sternebantur ergo tori, qui frangebantur, hoc est confundebantur cum sederent discumbentes.

CAPE *rosas*] Quia in conuiuiis erant sparsi rosis.

NARDO] Id est, vnguento nardino, quod idem appellabatur foliatum.

MEMINISSE *mortis*] i. dare opera voluptatis, quàm diu potes, cùm citò sis moriturus.

RAMIR. DE PRADO.

Encomium cœnationis cuiusdam, à Domitiano constructæ, quam ipse propter eius exiguitatem, micam auream vocauit.

1 EX *me Cæsareum prospicis esse tholum.*] Quî sit hic tholus Cæsareus prorsus ignoro. Nam tholus commune nomen est ad omnia cacumina in ædificijs rotunda forma fastigiata. Sic Varro de re rustica, tholum appellat ædificium rotundum, columnatum: huiusmodi erant Romæ infiniti. Si coniecturæ locus est, existimauerim micam hanc ita esse exædificatam, vt ex ipso triclinio prospiceretur aliquis tholus ædificij, quod sepulchrum alicuius præteriti Imperatoris contineret; & ausim affirmare esse Mausoleum D. Augusti: quod quidem ex eius ruderibus, & modo ædificij cõiectare nunc possumus, in tholum desinebat, quo viso admonebantur conuiuæ suæ sortis, & naturæ imbecillitatis; quod breuis æui essent, & citò morituri. Nam si Augustus qui viuus inter Deos relatus fuerat, & Deus habitus, condebatur illo sepulchro, quî posset inferioris sortis homo properam non expectare mortem? Hæc autem mortis memoria ethnicos illos ad vitæ lautitias excitabat, vt diximus affatim lib. 1. epigr. Itaque existimo totam vim huius epigrammatis in prospectu tholi sitam esse: & illum Deum Augustum significare, cuius erat tholus. Et iuratus dicerem hunc esse verum Martialis sẽsum, & epigram. 65. lib. 5. gemellum huius esse, vbi cum eadem continuatur exhortatio ad delitias, clauditur epigramma hoc disticho:

Iam vicina iubent nos viuere Mausolea,
Cum doceant ipsos posse perire Deos.

Quis non dicat Martialem seipsum explicare voluisse? Quamuis sciã hæc aliter accipi à doctissimo Scaligero lib. 2. Ausonianarum lectionum cap. 26. qui existimat tholum Cæsareum eundem esse, in quem ipsa mica fastigiabatur. Sed hoc ipsius Latinitatis ratio non admittit nam si tholus ipse bona pars est eius ædificij, qui diceret Martialis ex hac mica prospici

A tholum? Præterea idem magnus vir subiungit ex ipso micæ tholo pendere cranium humanum, quod mortis conuiuas ipsos admoneret. Crederem libenter oculato testi Scaligero, sed ipse nec auritus est; nã neque videri potuit micam hanc, tot seculis iam dirutam: nec ad illam cranij suspensionem probandam auctorem aliquẽ adducit. Cætera quæ ipse scribit de cranijs, vel laruis adductis per cõuiuia, sic aptis, vt earum articuli, vertebræq; in omnem partem verterẽtur, vt conuiuæ humanæ cõditionis admoniti largius genio indulgerẽt, doctissime vt alia etiam multa, quæ de imagine circumlata per triclinia ab aliis adducuntur, & a Lips. lib. 1. Satur. cap. vlt. libenter probo, exosculor, & addo cap. 8. dist. 44. in decreto. vbi hunc morem peruenisse pænè incorruptum videtur vsq; in illud tempus Christianorum. cuius cap. verba sunt. *Nec laruas dæmonum ante se ferri consentiat [presbyter vllus] quia hoc diabolicum est. & sacris canonibus prohibitum.* Sed non existimo ad hoc Epigramma vlla

B ratione hæc pertinere.

1 FRANGERE *toros.*] id est, libenter in thoris reside. Hac formula vtitur epigr. 8. lib. 4.

Imperati structos frangere nona toros.

2 TINGERE *nardo*] *tingere* pro *vngere* ratum esse diximus iam supra lib. 1. epi. 78.

In Hylum, LX.

Vxorem armati futuis puer, Hyle, tribuni,
Supplicium "tantum dum puerile times. v. fisti nec puer Hyle.
Væ tibi, dum ludis: castrabere, iam mihi dices,
Nõ licet hoc. quid, tu quod facis, Hyle, licet?

C

DOMITIVS.

VXOREM] Hylus puer, habebat rem cum vxore tribuni, quod eo licentiùs ceperat agere, quoniam nuper fuerat lata lex a Domitiano, ne mares castrarentur, sed fierent spadones, vt essent in delitiis.

ARMATI *tribuni*] Tribunus enim armatus est.

SVPPLICIVM *puerile*] i. pædicationem.

VÆ *tibi, dum ludis*] i. dum temere agis, & ludis: quia castraberis.

NON *licet*] Lata lege à Domitiano, qua mares castrari prohibuit, de hac lege Pap. in Lar. & apud Tranq. Domit. c. 7.

QVOD *facis*] Nec licet mœchari, nam Domitianus tulit legem ne liceret mœchari. Sueton. author: nam adulteria compescuit. Ita & Hylus carpitur, qui

D spe pædicationis erat adulter, vt alibi de Thelesina; & duæ Domitiani leges enarrantur.

RAMIR. DE PRADO.

De hoc epigrammate iam suprà epi. 47. aliquid diximus. Monet Hylum puerum, vt discedat ab vxore armati Tribuni, nec natibus confidat, nam quamuis castrari mares vetuisset Domitianus, vetuerat etiam & adulteria.

1 VXOREM *armati futuis puer Hyle Tribuni.*] *armatum Tribunum* dixit, vt ostenderet Tribunum militarem. Tribuni plebis, Tribuni ærarij & alij multi distinguebantur a militaribus, quòd militares inquã, latus parazonio cingerent. Erat autem parazonium latus quidem gladius mucrone obtuso, de quo lib. 14. epig. 32.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma Tribunitium, cingere digna latus.

2 SVPPLICIVM *tantum dum puerile timet.*] Sic omninò legendum, non autem *puer Hyle*. Est verò puerile supplicium pædicatio.
3 DVM *ludis.*] De verbo *ludendi* diximus sup. lib. 1. epig. 4.
4 CASTRABERE] respexit ad morem antiquum. Pœna enim fuit frequens apud Romanos Mœchis irrogata, à maritis castrari: Plautus in Pœnulo scena, *satis spectatum.*

MI. *Quid agis?* SY. *facio quod manifesto mœchi haut ferme solent.*

MI. *Quid est?* SY. *refero vasa salua.* vbi ludit in voce *vasa*. *Vasa* enim etiam testes significant, vnde *bene vasati*, pro *mutoniatis*. vt diximus ad lib. 1. epigr. 33. De hac etiam pœna locus est apud Valer. Max. li. 6. cap. 1. *C. Accienus à Vibieno. Item Pontius à P. Cernio deprehensi castrati sunt.* quod mariti non inconsultò faciebant: Ea enim parte eis peccatum erat. Hinc iocus est epig. 85. lib. 3. vbi Martialis irridet maritum quendam, qui mœcho absciderat nares, cũ debuisset potius partem secare, qua offensus erat.
5 IAM *mihi dices, Non licet hoc*] Domitianus edicto vetuerat castrari mares, non hominum charitate; sed odio fratris Titi, & vt eum mortuum in inuidiam adduceret. Testis Xiphilinus è Dione in vita Domitiani, cuius verba ex interpretatione Gulielmi Blanci hæc sunt. *Quas ob res etsi Edrinum Eunuchum amabat, tamen quod Titus exectos quoque dilexerat, vetuit in eius contumeliam, ne qui in posterum intra fines Romani Imperij castrarentur.* Suetonius etiam in Domitiani vita, cap. 7. meminit eiusdem edicti. Poëta etiam lib. 6. epig. 2. Eadẽ hæc tam castrationem marium, quam adulteria prohibita fuisse a Domitiano. per totum epigramma docet: & de castratione sola innuit, lib. 7. epi. 7. & 9. & Papinius lib. 4. Syluarum in vita Domitiani, vbi Domitiani laudes enumerat. *Qui fortem* (inquit) *vetat interire sexum*,

Et Cæsar prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ.

Quod idem narrat & Ammianus lib. 18. Domitianũ imitati sunt & alij Imperatores, hominum generi proinde consulentes, vt Hadrianus testante Vlpiano in l. Cornelia. 4. §. vlt. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & Paulus Iurisconsult. lib. 5. sentent. tit. 23. §. 13.
6 HYLA *licet?*] id est, adulterari non licet, quod caueatur eodem edicto.

In maledicum. LXI.

Cùm tibi vernarent dubiâ lanugine malæ,* — *Pulmam Cod. tenera.
Lambebat medios improba lingua viros.
Postquam triste caput fastidia vespillonum,
Et miseri meruit tædia carnificis:
Vteris ore aliter, nimiéque ærugine captus,* — * v. miseráq; ærugine.
Adlatras nomen, quod tibi cumque datur.
Hæreat inguinibus potiùs tam noxia lingua.* — lam.
Nam cùm fellaret, purior illa fuit.

DOMITIVS.

CVM *tibi*] Hoc dictum in maledicum, qui cùm esset iuuenis, & fellaret, postea in tantam fellationis libidinem venerat, vt mortuis non parceret, affectus tædio fellationis maledicebat omnibus.

A VENARENT *malè*] Id est, pullularent, & cùm primum cœpisti sentire libidinem.

MERVIT] i. potuit tandem assequi fastidia vespillonum.

TÆDIA *carnificis*] i. poscebas domnatos, reiectus à vespillonibus.

VTERIS *ore aliter*] Quia non fellas, sed maledicis.

RVBIGINE] Id est, liuore.

QVIDCVNQVE *datum est nomen*] Maledicis, & bonis, & malis. Sequens epigramma est clarum.

RAMIR. DE PRADO.

Acerbè inuehitur in maledicum quemdam, qui cum antea fellator esset, deinde maledicentia famosus factus fuerat.
1 CVM *tibi vernarent dubia lanugine malæ.*] id est, antequam ex Ephebis excessisses. Legendum autem B omninò est *dubia*, vt lib. 12. epig. 42.

Tam dubia est lanugo tibi, tam mollis, &c.

Mutata est vox *dubia* in *tenera* ab ijs qui non intellexerunt quid esset *dubia*. Illud dubium dicitur, quod dubitari potest, sit necne. Deducitur à vocibus, *duo* & *via*, quamuis *v* in *b* cognatum immutetur. Cum enim duæ viæ sunt, hæremus nescientes, vtram capessamus Hinc dubium illud dicitur, quod nos reddit ancipites. Sic, *dubia lanugo* ea est, quæ vix oculis percipitur. Vnde intelliges difficilè illud epitheton epigr 76. lib. 3. de Bætico sarcophago:

Et pulpam dubio de petasone voras.

Significat enim *dubius petason*, de quo dubitari possit putridus sit, nec ne.
2 LAMBEBAT *medios improba lingua viros*] Periphrasis fellationis, vt lib. 3. epi. 81.

Hæc debet medios lambere lingua viros.

C 3 POSTQVAM *triste caput, &c.*] Hæc per summum contemptum dicta sunt: lambebat enim abiectissimos homines, & ab ijs etiam fastidiebatur.
4 NIMIAQVE *ærugine captus,*] id est, in teterrimum delapsus vitium: Nam quemadmodum ferrũ, quod ærugine capitur, quod eadem formula Hispani dicimus (*tomarse de orin*) omnino corrumpitur; sic qui aliquo inficitur vitio, ærugine capi dicitur.
5 ADLATRAS *nomen quod tibicunque datur.*] id est, latras ad quodcunque tibi datur nomen.
6 NAM *cum fellaret, purior illa fuit.*] Mala vel impura lingua dicitur maledica, impurus homo, impurum os, impura lingua dicitur de fellatore & cunilingo. Est igitur iocus in voce *purior*, nam lingua eius, cùm fellaret, non erat adeo impura & mala, quamuis esset impurissima. Est elegans iocus ex hac ambiguitate lib. 3. epi. 79.

De nullo quereris, nulli maledicis Apici,
Rumor ait linguæ te tamen esse malæ.

D De homine impuro. Est ex ambiguo etiam iocus lib. 9. epig. 67.

Ad cœnam inuitant omnes te Phœbe cinædi,
Mentula quem pascit, non puto purus homo est.

Et epigr. 69. *puram puellam* appellat eam, quam ipse non irrumasset.

Sed mihi pura fuit, tibi non erit Aeschyle si vis,
Accipe & hoc munus condicione mala.

Petronius sic intelligendus est in satyrico; *Quibus ego auditis intentans in oculos Aeschyli manus, & quid dicis, inquam, muliebris patientiæ scortum, cuius nec spiritus purus est?* Et paulò post: *Non taces nocturne percussor. qui ne tu quidem cum fortiter faceres cum pura muliere pugnasti.*

In Labienum. LXII.

Quòd pectus, quòd crura tibi, quòd brachia vellis,
Quòd cincta est breuibus mẽtula tõsa pilis:
Hoc præstas Labiene tuæ, quis nescit, amicæ:
Cui præstas culum, " quem, Labiene, pilas?

'Quod Pul. Cod. habet Cum vellis culum, cui Labiene facis.

RAMIR. DE PRADO.

Labienum pathicum vrbanè perstringit, ea occasione, quòd crura, pectus, brachia & pondus velleret. Videri hoc poterat amicæ causa facere; sed interrogat cuius causa culum depilet, quod facere non poterat, nisi pædiconum causa.

1 QVOD *pectus, &c.*] Molles depilari solebant, & præcipuè pectore, vt suprà diximus ad epig. 36.

In Milichum. LXIII.

Sola tibi fuerant sestertia, Miliche, centum,
Quæ tulit è sacra, Læda, redemta via.
Miliche luxuria est, si tanti diues amares.
Non amo, iã dices: hæc " mage luxuria est.

" Quoque.

DOMITIVS.

SOLA *tibi*] Melichus sexcenta Sextertia, quæ sola habebat, dedit Ledæ meretrici, quamuis eam non amaret. Mart. in eo docet, quid sit luxuria: inquit, si esses diues, & tantùm dedisses meretrici, quam amares, esset luxuria: nunc dicis te non amare, & hæc est luxuria, scil. non amare omnino, cùm dederis C. sestertia, quasi velit ostendere luxuriã esse extremum quiddam, non magis in effundendis diuitiis aliquo affectu, sed etiam cùm eas effundas, non tangi aliqua voluptate.

TVLIT] Abstulit.

REDEMPTA] Reducta.

SI *dines amares tanti*] i. si propter amorem diues tantum dares.

HÆC *luxuria*] Cùm dederis diuitias, & eam non ames.

RAMIR. DE PRADO.

Luxuriosum Melichum describit, & luxuriæ crimine damnat eleganti dilemmate; qui cum centum sestertia sola haberet, è sacra Via Lædam pulcherrimam seruam totidem sestertiis emit. tantam pecuniam impẽdere in amatam seruam luxuria est. Quod si dixeris Meliche te non amare, maior luxuria erit.

1 QVÆ *tulit è sacra Lada redemta via*] Falsò hic putant Domitius & Heraldus hanc Lædam meretricem fuisse, & hanc pecuniam à Melicho amatore ei datam. Est enim intelligendum de serua emta, vt epi. 71. lib. 6. *Vendidit ancillam, nunc redimit dominam. Redimere* enim *emere* est, vt eodem lib epig. 60.

Et redimunt soli carmina docta coci.

Cicero in Anton. *Pompeio* (inquit) *sua domus patebit eámque non minoris, quàm emit Antonius redimet, redimet inquam Cn. Pompey domum filius.* & apud iurisconsultos pluribus in locis. hinc Vectigalium emtor *redemtor* appellatur ab iurisconsulto Alfeno in l. Cæsar. in princip. ff. de Publicanis & vectigalibus, & etiam apud Imperatorem Constantinum. l. 1. de officio rectoris prouinciæ, c. Theodos. *Non sit venale iudicis velum, non ingressus redemti, non infame licitationibus secretarium.* Quid? quod tanta pecunia vix poterat cum meretrice consumi, & si cum meretrice consumta fuisset, quam frigidum esset dubitare an amasset Melichus eam. Quæ enim causa poterat intercedere prÿter amorem tantæ cum meretrice expensæ pecuniæ? De serua poterat dubitari, vtrum vel formæ causa, vel ministerij emeretur. & præterea via sacra vendebantur serui, vt aliæ res.

3 SI *tanti diues amares*,] Nam impensis solis centum sestertiis, quæ Melichus possidebat, iam pauper erat factus: pauperi autem amare turpe est; vt sup. l. 1. epi. 93. *Denique pædica Mamuriane satur.* Et Saluianus Massiliensis Episcopus lib. 7. de prouidentia Dei in princip. luxuriosos pauperes his verbis insectatur. *Criminosior quippe est luxuriosa paupertas, & maioris est inuidiæ miser nugator.* & inferius: *Adde autem quod hac, vt dixi, faciunt iam senes, adde quod pauperes. Vtrumque enim sceleris augmentum est: minus siquidem prodigiosum est peccare iuuenes, peccare locupletes, &c.*

In 'Taurum. LXIIII.

'v. in Laurẽ.

Dum modò caussidicum, dum te modo rhetora fingis,
Et non decernis 'Taure, quid esse velis:
Peleos, & Priami " transit vel Nestoris " ætas,
Et fuerat serum iam tibi, desinere.
Incipe, tres vno perierunt rhetores anno,
Si quid habes animi, si quid in arte vales.
Si schola dãnatur, fora litibus omnia feruẽt:
" Ipse " potest fieri " Marsya causidicus.
Eia agè, rumpe moras. quo te " spectabimus vsque?
Dũ, " quid sis, dubitas, iã potes " esse nihil.

'v. Laure. " v. transit. " v. annos. " Cælius Rhod. lib. 18. cap. 11. " Vide Turneb. lib. 22. cap. 12. " Marsya causa " v. dicetur Apollinis Appo'lin. Carm. 13. N. R. " v. potes. " v. spectabimus " v. quis. " Esse nihil, videtur dixisse pro mori.

DOMITIVS

DVM *modo*] Taurus item fuit præter hunc, de quo scripsit Martial. temporibus Neronis: cuius abneptẽ Statiliam Messalinam duxit princeps vxorem, hic dicebat se multa facturum.

FINGIS] Componis, & instituis te ad causas agendas.

PELEOS] Frater Nelei patris Nestoris fuit Pelias: alter patruus Iasonis, de quo hîc sentit.

IAM *tibi desinere*] i. tamdiu dubitasti, quid esses, vt si hactenus exercuisses aliquam artem, & iam nunc desineres, serum videretur, non modò serum est ad incipiendum, sed ad desinendum.

SI *quid animi*] Ingenij.

SI *schola damnatur*] Si non vis profiteri.

MARSYA] Qui cùm contendit vincitur, tractum à fabula. Is Marsya, qui semper vincitur in causidicis.

IAM *potes esse nihil*] Deliberando quis sit, consumpsit ætatem omnem, & iam non es aptus alicui arti.

RAMIR. DE PRADO.

Reprehendit vrbanè Taurum quemdam cunctabundum, & de vitæ fine diu deliberantem, qui modo se ad Rhetoris, modo ad causidici munus cogitatione applicabat, nunquam tamen manus operi admouebat. Dicit in hac dubitatione cunctantem eum futurum forte vt mors occupet.

1 *Et fuerat serum iam tibi desinere*] id est, si opportuno tempore alicui ex his duobus muneribus te addixisses, iam diu deberes ab vtrolibet feriari, essetq; serum nunc id relinquere.

2 *Si schola damnatur.*] id est, si Rhetoris officium non arridet tibi: Rhetores namque ij sunt, qui in ludo Rhetorica præcepta discipulos docent.

3 *Ipse potest fieri Marsya causidicus.*] id est, ea est causidicorum inopia & solitudo, vt ipse Marsya saxeus, & in foro stans posset caussas habere. Hic enim legitimus est Poëtæ sensus. Nam suprà dixit de paucitate Rhetorum.

——tres vno perierunt Rhetores anno.

Præterea muneris huius facilitatem notat, vt fecerat sup. lib. 1. epig. 18.

Cogit me Titius actitare causas,
Et dicit mihi sæpe, magna res est.
Res magna est Tite, quam facit colonus.

Et etiam tarditatem Tauri satyricè designat, quasi dicat: quamuis rudis & saxeus sis, ne desperes, nam ipse Marsyas fungi potest hoc munere.

In Saletanum. LXV.

Cur tristiorem cernimus, Saletanum?
An caussa leuis est? extuli, inquis, vxorem.
O grande fati crimen! ô grauem casum!
Illa, illa diues mortua est, Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidisset hoc tibi, Saletane.

DOMITIVS.

Cvr] Saletanus erat auarus, cui mortua vxor erat, & plorabat.

Extvlit] Ad funus.

Secvndilla] Ab ordine nomen duxit, vt vt apud Iuuenal. Quintil.

Grande *crimen fati*] Id est, gaude culpa mortis. Gaudebat Saletanus morte vxoris, quamuis dolere videretur, & cùm bene optare videatur Mart. imprecatur: nam optat viuam vxorem, aduersus votum mariti, qui mortuam lætabatur: erat enim locupleratus.

RAMIR. DE PRADO.

Ironicè & irrisoriè illudit Saletanum, quod fictò ob vxorem mortuam dolore tristior incedebat, à qua tamen decies centena millium numum dotis acceperat.

1 Extvli, *inquis, vxorem.*] Refert Saletani respondentis verba.

2 O *grande fati crimen!*] Quod in veris doloribus accidebat, hîc in ficto fingit Poëta: fortunam enim & fatum & Deos ipsos accusabant veteres, vt sup. lib. 1. epi. 13.

Nimirum timuit nostras fortuna querelas.

Et apud Tacitum lib. 2. Annalium: *commota plebs in Deorum iaciebat.*

3 Centena *decies quæ tibi dedit dotis?*] Ex Iuuen. loco sat. 10. vers. 335,

——& ritu decies centena dabuntur Antiquo.

Vbi glossæ veteres sic habent: *Dos scilicet secundum morem.* Colligunt aliqui hanc fuisse summam antiquæ dotis. Adiuuant hanc opinionem authoritate Taciti Annali. lib. 2. vbi cum narrasset Domitij Pol-

A lionis filiam captam esse in virginem Vestalem, posthabita Fonteij Agrippæ filia, addit: *& Cæsar quamuis post habitam decies sexterty dote solatus est.* & ex Seneca: *Beatiores istos putas, quorum Pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi à senatu in dote æs graue acceperunt.*

Et Martialis lib. 11. epi. 24.

---decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis, dixi.

Addere possent verba Vlpiani iurisconsulti in l. cum de in rem verso, de vsur. Sed miror lapsos esse in re adeò manifesta, nec vellem doctissimum Lipsium in hanc opinionem inclinasse: Nam Iuuenalis locus sic accipiendus est: vt illa verba *ritu antiquo* non ad summam, sed ad dotis dictionem referantur: quod glossæ clarè innuunt, & Senecæ locus contra illos est, nam Pantomimæ, quæ Senecæ tempore decies sestertium dotis accipiebant, opponuntur veteribus

B Scipionibus, quorum filiæ exiguam pecuniæ summam in ære graui à senatu sumebant nomine dotis. Vlpianus verò (vt Tacitus) loquitur de personis certis, & de dote certa, quæ fuit eius summæ: nec poterant rei ipsi quæ acciderat vel addere vel demere, sicque non est verum solennem esse eam pecuniæ summam in dotibus. Nam possent mille authores laudare, apud quos maior vel minor dotis summa reperitur. Sufficiat idem Martialis epig. 38. lib. 5.

Ducenties accepit, & tamen viuit.

Et Iuuenalis idem sat. 2. de fictis Gracchi nuptiis, in quibus ad verarum nuptarum ritû dos dicebatur, ait,

Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini.

Præterea quis adeò stupidus est, vt existimet apud aliquam nationem fieri posse, vt sit constituta, & certa, & solennis dotis summa: Cum Respub. ex di-

C uitibus & pauperibus constet, & quisque pro sua facultate dotem dicat filiabus suis. Sed existimo hanc dotis summam in incertis personis exempli causa, pro dote signatam, & vt rectè admonuit Heraldus, pro maxima dote positam, vsurpatam fuisse ex communi loquendi more: Nam quoties multam pecuniam significare volebant, per Synecdochen decies centena dicebant, vt mille homines pro multis. Horat. sat. 3. lib. 1. in princ. de Tigellio Sardo Cantore,

-- decies centena dedisses
Huic parco paucis contento quinque diebus.
Nil erat in loculis.

Ideo Seneca loco sup. scripto, cùm notaret Pantomimas summa & maxima dote nubere, decies cétenis sestertijs nubere dixit. Itaque *decies centena* non est solum solennis summa in dotibus, sed ad maximas dotes & ad maximas qualque pecuniæ summas exprimendas ea verba iculariter vsurpantur, quod vel lem doctissimum Lipsium animaduertisse.

D 4 Nollem *accidisse hoc tibi Saletane.*] Faceta ironia totius epigrammatis est. illud enim,

O grande fati crimen, ô grauem casum!

Ambiguè dictum. Sonat enim conquestionem veram sortis Saletani, qui amiserat vxorem: sed re vera conquestio est indignantis Martialis, quod tam grádem pecuniæ summam hereditate accepisset. Eodem modò intelligendus hic versiculus. Sonat enim, nollem vt vxorem amisisses: sed reuera est, nollem vt sic locuples effectus sis.

In Lalagen. LXVI.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Anulus, incerta non bene fixus acu.

*Hoc facinus Lalage] Iuuen. Sat. 6. Disponit crinem laceratis ipsa capillis, &c. N R. *Plecusa] Nomen ornatricis. Πλέκουσα, à componendis & nectendis crinibus. Sic apud Iuuenalem d. Sat. Psecas, ab eo quod Græci dicūt, ψεκάζειν Vetus Interpres ad vers. 489. N R. *v. iam. *Salamandræ sane contacta loca depilantur Plinius lib. 10. c. 67.

"Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, vlta est; A
Et cecidit sectis icta" Plecusa comis.
Desine" tam Lalage tristeis ornare capillos,
Tangat & insanum nulla puella caput.
Hoc" salamandra notet, vel sæua nouacula nudet,
Vt digna speculo fiat imago tuo.

DOMITIVS.

VNVS] Tanta erat insolentia mulierum, vt cùm deformes essent, adhiberentque ancillas, quæ crines componerent, offensæ, dum se in speculo inspicerent, vel naso, vt Iuuenal ait: vel aliquo alio frontis vitio, pulsarent ancillas: totus hic locus apud Iuuenal. satyr. 6. est illic.

TAVREA] Hic Lalage ponitur, illic Psecas, hic Plecusa: imprecatur insolentiæ mulieris aptum supplicium, vt est in fine.

ANNVLVS] Cincinnus: ita apud Iuue.
Altior hic quare cincinnus?

PECCAVERAT] Non erat in ordine.

NON *bene fixus*] Sustentatus.

INCERTA *acu*] Extra locum posita, nam acu vtebantur: in distichis,
Figat acu tortas, sustineátque comas.

LALAGE] Nomen mulieris fictum, quod priùs vsurpauit Horat. significat autem loquacem.

HOC *facinus*] Id est, hunc errorem.

PLECVSA] Nomen ancillæ fuit, fuit vna inter ministras Dianæ, vt est in Metamorph. Ouidij, dicta à pleco, quod est plico.

COMIS *ect.*] i. laceratis. Iuuenal.
Laceratis ipsa capillis, Nuda humeros, Plecas infelix.

TRISTEIS *capillos*] Non est culpa capillorum.

SALAMANDRA] Animal est figura lacerti, cuius ore vomitur sanies lactei coloris, qui omni parte corporis pilos decutit, si fuerit admota. Dixit autem *notet*, id est, nota & macula colores inficiat, quoniam non modo decuriuntur pili, sed etiam supposita cutis in maculas vitiliginis mutatur, author Plin.

SÆVA *nouacula*] Culter tonsorius est: nouacula sæua, vt dolorem, incutiat.

DIGNA *speculo fiat imago tua*] i. vt fiat digna verberibus, nam speculo ipso pulsauerat ancillam: id genus pulsationis in risu erat apud antiquos. Iuuen.
——Pul, an dum vertice raso
Prabebis quandoque caput.

RAMIR. DE PRADO.

Morosam depingit matronam, quæ comta à serua ornatrice, cum animaduertisset in vnico anulo cirrorum peccatum fuisse, ira accensa, eodem speculo quo id animaduerterat in *Plecusam* ornatricem animaduertit tanta sæuitia, vt sectis comis, & fracto capite misera Plecusa ceciderit.

Totum per se liquet: & præterea perpulchrè omnia Heraldus est interpretatus, quem consule.

Illud *vt digna speculo fiat imago tuo.* de caluitie, quā imprecatur Lalagæ, intelligendum est: quicquid enim *depilatum* est, *caluum* appellat Martialis, vt sup. epigr. 35. Philænum caluam assimilari dicit mentulæ, innuens mentulam caluam esse, id est, depilatam. Sic speculum caluum erit & simile cranio Lalages.

In Postumum. LXVII.

Occurris quocūq; loco mihi, Postume, clamas
Protinus, & prima est hæc tua vox, quid agis?
Hoc," si me decies vna" conueneris hora, *v. mihi si. *v. Cum veneris.
Dicis, habes puto tu, Postume, nil quod agas.

RAMIR. DE PRADO.

Molestam Posthumi importunitatem ab otio profectam notat, qui quoties Martialem conueniebat, semper quid ageret, interrogabat. hoc dicit inde esse, quod Posthumus ipse nihil haberet, quod ageret: Nam quamuis erat communis formula eorum B qui se salutabant, vt notat Brisson. lib. 8. de formul. non tamen fiebat ciuiliter, nisi semel in die.

Ad Olum. LXVIII.

Quòd te nomine iam tuo saluto,
Quem regem, & dominum priùs vocabam,
Ne me dixeris esse contumacem.
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges & dominos habere debet,
Qui se non habet, atque concupiscit,
Quod reges dominique concupiscunt C
Seruum si potes? Ole, non habere,
Et regem potes, Ole, non habere.

DOMITIVS.

QVOD *te*] In Olum quem priùs salutauerat dominum, & posteà salutauerat nomine proprio.

CONTVMACEM] Superbum.

REDEMI *pilea*] Id est, redemi libertatem, nam manumissi raso capite sumebant pilea.

SARCINIS *rede.*] Quibus scil. contentus viuo liber, quasi dicat contentus meis sarcinis, non indigeo domino, sed viuo liber.

QVI *se non habet*] i. qui non potest imperare animo suo.

QVOD *concupiscunt domini & reges*] i. diuites, nam D diuites ampliores cupiunt opes.

SI *potes non habere seruum*] i. si potes esse contentus nullo ministerio serui, poteris carere domino, nam qui vult diuitias, habet dominum, & assentando seruit, vt habeat diuitias.

RAMIR. DE PRADO.

Artificiosè reprehendit voluntariam seruitutem salutantium & assectatorum, qui vt à magnis amicis impetrarent diuitias, iis solebant adulari: De quibus plurima est apud hunc Poëtam mentio, sed nihil hoc epigrammate vrbanius: fingit autem se sponte sua ab hac seruitute, quam impenderat, Olo vindicasse.

1 QVOD *te nomine iam tuo saluto.*] Salutare proprio nomine æqualium erat, vel superiorum, ad cōciliandam vel confirmandam gratiam. Vnde candidati, qui petitores erant magistratuum, plebeculam proprij nominis salutatione demulcebant. Hinc pro-

fectum mirabile illud *nomenclatorum* (quos etiam monitores vocabant) ministerium, de quo passim apud authores veteres mentio est, & dicemus plura ad epigrammata 22. & 55. lib. 5. Sic Horatius: gratiæ conciliandæ instrumentum nomenculatorem existimat. Scribit enim saty.

Si fortunatum species, & gratia præstat:
Mercemur seruum, qui dictet nomina, lauum
Qui fodiat latus, & cogat trans pōdera dextram
Porrigere.

Nominare enim aliquid nomine proprio, argumentum est memoriæ illius, quam non retinemus eorum quos non amamus. Vnde Principes aliqui ad hominum gratiam comparandam, memoria retinebant singulorum nomina. Ex qua re immortales laudes reportabant. D. Augustus, vt de illo scribit Sueton. Patres in Curia salutauit sedentes, & quidem nominatim singulos, nullo submonente; & quod magis mireris, de Nerone scribit idem: *Omnes ordines subinde ac memoriter salutauit.* & de optimo Principe Traiano scribit Plinius in Panegyrico hæc verba: *Gratum erat cunctis, quod Senatum osculo exciperes, vt dimissus osculo fueras. Gratum quod Equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares. Gratum quòd tantum, non vltro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes.* Quod esset æqualium salutatio, nomine proprio facta, probari potest ex epigrammate 113. lib. 1.

Cùm te non nossem, dominum regemque vocabam,
Postquam te noui, iam mihi Priscus eris.

Sed clarius ex hoc ipso, nam quando Olum colebat, regem & dominum vocabat. Nunc autem cum se ab ea seruitute vindicasset, proprio salutabat nomine. Id etiam perspicuè ex epig. 88. lib. 6. colliges:

Mane salutaui vero te nomine casu,
Nec dixi dominum Caciliane meum.
Quanti libertas constet mihi, tanta requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

De nomine regis, vide plura ad epigr. 18. hoc eod. libro.

2 TOTIS *pilea sarcinis redemi.*] Notissimum est epigramma; *ad pileum vocare*; Consule adagiographum, vbi plura congerit in hunc locum communem.

3 TOTIS *sarcinis.*] Id est, sarcinulas meas vendidi, vt corrasa inde pecunia possem sportulæ tuæ supplere vicem. Vide adagium, *cum sarcinis enatare.*

4 QVI *se non habet.*] Is dicitur se habere, qui cupiditates suas coërcere potest. Vide adagium: *Qui se non habet, Samum postulat.*

5 SERVVM *si potes Ole non habere.*] Salutatores illi & anteambulones solebant à fastuosis illis regibus & dominis suis sportulam accipere, quibus seruum alebant, pensionem domus persoluebant, emebant vestes, & etiam Veneri faciebant satis, vt constat ex epigr. 30. lib. 3. & epig. 26. lib. 4. sexaginta nummis se togulam non emere dicit, & ideò Posthumi seruituti renunciare. Idem dicit lib. 9. epigr. 103. & Iuuenal. sat. 1.

Sed cum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient Comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis fumusque domi.

Qui igitur his omnibus valedicere potest, liber esse poterit. Nam qui his rebus & gulæ præcipuè addictus est, liber esse non potest: vt epig. 11. lib. 9.

Liber non potes & gulosus esse.

Hæc omnia vidimus probata, sup. epig. 53.

In Classicum. LXIX.

Inuitum cœnare foris te Claßice dicis.
Si non mentiris, Claßice, dispeream.
Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire.
Cùm cœnaret, erat tristior ille, domi.
Si tamen inuitus vadis, cur, Claßice, vadis?
Cogor, ais? verum est, cogitur & Selius.
En rogat ad cœnam, Melior, te Claßice rectam.
Grādia verba vbi sunt? si vir es, ecce nega.

DOMITIVS.

INVITVM] Classicus volebat videri inuitus cœnare foris.

APICIVS] Quod tu agis & Apicius agebat, non est recens exemplum. M. Apicius, de quo plura in Selium diximus, nepotum, id est, gulosorum omnium altissimus gurges fuit. Is cùm audiuisset grandiores caricas nasci in Libya, nauigauit illuc, sed cùm falsum deprehendisset, detestatus Libyam & Libycos iussit gubernatorem soluere è portu, ita vt Libyam amplius cernere non posset: hic priùs indicauit linguam Phœnicopteri esse optimi saporis. Plin. l. 13.

COGOR] Ab amicis, inquit Classicus, respondet Mart.

VERVM *est, cogitur & Selius*] Quia libido vestra cogit vos. Attidius melior temporibus Domit. tantæ elegantiæ fuit in mensa: vt nitidus meruerit appellari. Papin.

Stat quæ perspicuas nitidi Melioris opacet
Arbor aquas.

RECTA *cœna*] Dicebatur suo ordine, & apparatu ad differentiam sportulæ, nam hæc opponuntur recta cœna, & sportula, vt apud Sueton. in Domit. cap. 7.

GRANDIA *verba nega*] Quia dicebas te ire inuitum.

VIR *es*] i. si tanta est tui animi potestas, vt possis tibi ipsi imperare, vt alibi exposuimus:

Non scribas Laberi virum putabo.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet facetè nebulonem quendam cœnipetam, sed qui recusantis specie semper ad cœnam vocatus ibat. fingit cogi ad cœnam rectam à Meliori, & monet vt si vir sit, constanter neget se iturum, ne scilicet inuitus eat. Hi namque parasiti his vtebantur imposturis, quas eleganter detegit Sidonius, l. 3. epist. 3. *Irrittat*, inquit, *quoties non vocatur, sed sic quoque leuitate parasitica inuitetur excusans*, &c.

1 IPSE *quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire.*] Argumentum à minori: Si ditissimus & luxuriosissimus Apicius gaudebat ad cœnam ire, cur tu pauper & qui domi non sis cœnaturus, non gaudebis? Est autem hoc argumentum fictum à Martiale; & hæc fictio ei familiaris. Sic lib. 7. ep. 41. fingit Alcinoo multos poma dedisse,

Alcinoo nullum poma dedisse putas?

2 SI *tamen inuitus vadis, cur Classice vadis?*] Firmum argumentum; nam si potes non ire, non ibis, si inuitus vadis: & est parasceue ad sequentem Classici responsionem.

3 Cogor *ais? verum est, cogitur & Selius.*] Elegans lusus in verbo *cogitur*. *Cogi* enim dicitur is qui contra voluntatem suam aliena vi aliquid facit: & *cogi* dicitur, adduci ad aliquam rem quamuis propria voluntate. Sic Seius de cuius diligentia qua curabat ad cœnam vocari, dixerat satis, sup. ep. 11. 14. & 27. sua voluntate cogebantur ad cœnam. Apud Terentium in Andria, act. 4. Scen. 1. Carinus ironicõ; perstringit Pamphilum, quod Philumenam quã dixerat odisse vxorem cuperet his verbis,

C. scio cum patre altercasti dudum, & is nunc propterea tibi
Succenset, nec te quiuit hodie cogere illam vt duceres.

Et paulò inferius:

C. scio tu coactus tua voluntate es.

4 Si *vir es, ecce nega.*] Virum appellat noster eum, qui vel gloriam, vel diuitias, vel voluptates contemnit. Itaque hoc loco, *si vir es*, id est, si conuiuia & lautiores epulas potes contemnere, dic te nolle ad cœnam ire. Sic de gloria supr. lib. 1.

Nolo virum facili redimit qui sanguine famam.

Et de ingenij laude. lib. 6. epig. 14.

Versus scribere qui potest disertos
Non scribat, Laberi, virum putabo.

In Cotilum. LXX.

Non vis in solio priùs lauari
Quemquam Cotile. caussa qua, nisi hæc est?
Vndis ne fouearis irrumatis.
Te primus licet abluas, necesse est,
Antè hîc mentula, quàm caput, lauetur.

DOMITIVS.

Non] Accusat imprudentiam Cotili, qui ne contaminaretur aquis contaminatis ablutione mentularum: nolebat quenquam ante se lauari, cùm tamen ante ipse mentulam lauaret, erantque aquæ irrumatæ, quibus lauabatur. nam ijs mentulam lauerat.

Fovearis] Laueris.

Irrvmatis] Contaminatis aquis ablutione mentularum, nam irrumas eas cùm mentulam priùs demittas in solium, id est, vas aquarum plenum, in quo se loturi ad vmbilicum vsque obruti aquis stabant. Ita igitur priùs inguina lauabantur, quàm caput, vnde aquæ antequam abluerent caput, erant mentula irrumatæ.

RAMIR. DE PRADO.

Cotilum fellatorem alios fastidientem. & qui nolebat quemquam prius in solio lauari, notat & docet spurciorem eum esse, quam quemuis alium.

1 Non *vis in solio prius lauari.*] De solio diximus sup. ep. 42.

2 Vndis *ne fouearis irrumatis.*] Facete vocat aquas irrumatas, quæ mentulam abluerint & contraxerint sperma.

3 Te *primus licet abluas, necesse est, Ante hic mentula. quam caput lauetur.*] Obscurior locus si attentiùs legeris, quem sic explico. Cotilus formidabat aquas irrumatas: ne igitur irrumatæ sint, lauet ipse primus. sed hac lege vt potius obscœnas partes quam caput in solio abluat: quod fellantes os habent spurcum; adeo vt si aliquem basiauerint, eum sordibus inficiant. Sic lib. 11. epigr. 96. admonet Flaccum:

Incideris quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere Flacce caput.

Est igitur sensus, *licet*, id est, quamuis tu primus abluas te, necesse est, ne irrumentur aquæ ante, id est, potius hîc lauetur pondus tuum, quàm caput.

Ad Cæcilianum. LXXI.

Candidius nihil est te, Cæciliane: notaui
Si quando ex nostris disticha pauca legis,
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.
Hæc mihi das, tanquam deteriora legas:
*Vt collata magis placeant mea? credimus * illud.*
Malo tamen recites, Cæciliane, tua.

* v. illud

DOMITIVS.

Candidivs *nihil est*] Id est, nihil est alienius ab inuidia. ironia est.

Deteriora] Carmina mea.

Tva] Quia nihil scribis, ita inuidum eludit.

RAMIR. DE PRADO.

Cæcilianum veteratorem callidum carpit facetissime, qui quoties aliqua carmina Martialis legeret, continuò ea cum similibus Marsi vel Catulli versibus comparabat, tanquam si Martialis carmina illis præferret. Dicit malle se, vt Cæcilianus recitet sua, quam illorum veterum Poëtarum. Totum autem epigramma per ironiam contextum est.

1 Candidvs *nihil est te.*] Candidus ille dicitur, qui ingenue & absque inuidia iudicat. Erat autem communis Poëtarum querela, quod homines inuidia moti vetera præsentibus præponebant, & opera viuorum Poëtarum reprehendebant non alio nomine, quàm quòd noua essent. Tractat hunc locum eleganter Horat. lib. 2. epist. 1. ad Augustum, quæ tota versatur fere in hoc argumento, sed præcipue illa carmina,

Indignior quicquam reprehendi, non quia crasse
Compositum, illepidene putetur: sed quia nuper
Nec veniam antiquis, sed honorem & præmia poscit.

Et hic Noster epig. 69. lib. 8.

Miraris veteres Vacerra solos.
Nec laudas nisi mortuos Poëtas.

Et vide quæ diximus ad epigr. 1. lib. 1 Ironicωs igitur candidissimũ dicit Cæcilianum, quod præferat Martialis viui carmina Marsi & Catulli mortuorum poëmatis, quod maligni non fecissent.

2 Hæc *mihi das tanquam deteriora legas.*] Fateor ingenuè me diu de huius carminis sensu dubitasse: nam si illud, *deteriora* ad mea carmina referas, est omninò contraria sententia: Nam sequenti versu statim subiungit,

Vt collata magis placeant mea.

Si *deteriora* qui possunt magis placere? si verò, *deteriora* referas ad carmina Catulli & Marsi, non potest conuenire. Hic enim notandum est Martialis carmina legi à Cæciliano, Marsi verò aut Catulli recitari memoriter ad illam contentionem & collationem; & quoties in hoc epigrammate *legendi* verbum est, intelligi de carminibus Martialis: *recitandi* verò verbum de versibus aliorum. Non igitur potuit illud

deteriora intelligi de veterum poëmatis: propterea quod *legendi* verbum in his ponitur. Nodum hunc neminem video sensisse adhuc, nedum soluisse. Ego leui immutatione sic expedio. Loco illius vocis *deteriora*, repone *dexteriora*, id est, meliora; & refer ad *mea* vt sit sensus. *Hæc mihi das*, id est, has recitationes in meam gratiam suscipis, & mihi præstas tanquam dexteriora sint mea carmina, quæ tu legis.

3 VT *collata, magis placeant mea?*] Amouenda est interrogationis nota. Est enim explicatio superioris hemistichij. *Tanquam dexteriora legas.*

4 CREDIMVS *illud.*] Ironicos etiam dictum, id est, credo te eo fine & animo veterum poëmata recitare.

5 MALO *tamen recites Cæciliane tua.*] Facete hoc ambiguo sensu dictum. id est, malo me honorari prælatus tibi, quam Marso & Catullo. Sed re vera malo, vt tua pessima carmina recites, in meorum contentionem, quam elegantissima illa Marsi & Catulli: Hoc enim procul-dubio mea magis placebunt.

In Postumum. LXXII.

Hesterna factum narratur, Postume, cœna,
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
*Os tibi * præcisum, quanto non ipse Latinus*
Vilia Panniculi percutit ora sono:
Quódque magis mirum est, authorem criminis huius
Cæcilium tota rumor in vrbe sonat.
Esse negas factum. vis hoc me credere, credo. C
Quid? quod habet testes, Postume, Cæcilius.

*Percisum, Aldinum exemplar. & Turn. lib.7. cap.11. percidere enim est batuere, tundere.

DOMITIVS.

HESTERNA] Verecundis, & tanquam alienis verbis accusat Postumum, quòd fellauerit Cæcilium, abutens ambiguitate verbi, nam percidere est incidere, & lacerare, vt suprà,

Percisa est tibi mentula Glypte:

Et præcidere est pædicare, tractum à perciso, nam percisum & omasum sunt duo intestina, authore Marcello. Qui vellat videtur percidere, id est, pædicare os alterius.

O *Postume*] Narratur os tibi fuisse percisum, id est, te fellasse, cùm sub ambiguitate verbi videatur intelligere os fuisse tibi incisum.

SONO] Perstat in metaphora.

PANNICVLI] Mimi.

CÆCILIVM] Grandem & hispidum.

QVOD *mirum*] Quasi dicat mirum est cùm tam seueræ frontis sit, eum esse fellatorem: hoc dicat cùm aliud videatur intelligere.

HABET *testes*] Ambiguum est: intelligit enim testiculos, quasi dicat potuit percidere os, & irrumare, cùm videatur dicere pro testimonijs: ita & illud Virgil. *Magnus ita testibus agetur.*

RAMIR. DE PRADO.

Posthumum Pathicum irridet ironicôs, quòd hesterna cœna fuisset à Cæcilio quodam pædicatus. Est totum epigramma artificiosa verborum ambiguitate confictum, & ironiæ etiam sale conspersum.

A 1 OS *tibi præcisum.*] Turnebus, lib.7. cap.11. monet legendum esse, *percisum*; quod apud Plautum in Casina legatur, *Percide tu os, quod es batue tonde.* Nam *præcide*, inquit Turnebus, aliud est & turpitudini affine, immò vero obscœnissimum. Sic, *os tibi percisum*, in Martiale legendum est, non *vt obtinet, præcisum.* Idem est secutus Iosephus Scaliger in Catalecta Virgilij: *Ad incitandum*, inquit, *risum*, *histriones sibi os percidi & batui alapis patiebantur.* Martialis,

——os tibi percisum est, &c.

Eandem lectionem probat Gruterus in hunc locum, & authoritate antiquarum membranarum fulcit. Ego fateor *percussum os*, *præcisum & percussum*, Latinè dici, & idem esse. Nam de *perciso* planum est ex dicto loco Plauti: *de percusso*, hoc idem epigramma, quarto versu, & Iurisconsultus Vlpianus in L. Prætor. 7. §. vlt. in fi. ff. de iniurijs probant. Præcisum autem germana significatione idem est, quod perci-
B sum: Sed tamen modestiæ causa tributum est summæ obscœnitati pathicorum. & *præcidi* dicuntur, qui pædicantur, vt lib. 4. ep. 48.

Præcidi gaudes, præcisus Papile ploras.

Et lib. 12. epigr. 35.

Dicere præcisum te mihi sæpe soles.

Et alijs multis in locis. Hoc igitur verbo necessariò vti debuit Poëta, cum tota vis epigrammatis in verborum ambiguitate sita sit, sicque. *os tibi præcisum est*, significat sono verborum os tibi est percussum, sed ex mente Poëtæ irrumatus es: nam cum pathici natibus præcidantur, fellatores præciduntur ore.

2 QVANTO *non ipse Latinus vilia panniculi percutit ora sono.*] De Latino diximus ep. 5. lib. 1. cui Panniculus minister erat ad risum conciliandum, & sinebat se alapis percuti à Latino. lib. 5. ep. 62.

O quam dignus eras alapis Mariane Latini,
Te successurum credo ego Panniculo.

Et Tertullianus de spectaculis: *Insuper contumelijs alaparum sic os obijcit, quasi de præcepto domini ludat.* & Cyprianus, *ictibus infelix facies locatur, vt infelicior venter saginetur.*

Iuuenalis etiam reprehendens Romanorum lasciuiam, qui in agendis fabulis sicuti mimi alapis se percutiebant, ait sat. 8. vers. 191.

——ridere potest, qui
Mamercorum alapas,

Hinc putat Scaliger dicto loco, natum esse prouerbium, *os præbere alieni*, pro morigerari. Sed maior in prouerbio Hyperbole: Nam *præbere os*, est offerre ir-
D rumationi, vt leno ille apud Terent. in Eunuch.

qui hodie vsque os præbui.

Id est, permisi tantum, non vt me irrumaret adolescens ille. *Sonum* autem ambiguè dixit etiam: Est enim alaparum sonitus in percussione oris, & reapse intelligit Martialis tumultum & risum eorum, qui irrumationi affuerunt.

3 CÆCILIVM *tota rumor in vrbe sonat.*] Est hic etiam faceta quidem ambiguitas, sed latens, & nemini, quod sciam, adhuc animaduersa in voce (*rumor*) Nam cum irrumatio à ruma ducatur, vtitur Martialis frequentissimè, quoties de irrumatione agit, hac voce, vt hoc loco vides, & lib. 3. epigr. 33.

Mollem credere te virum volebam,
Sed rumor negat esse te cinædum.

rumor, id est, fama. Sed rumor, id est, irrumatio, & epigram. 79.

De nullo quereris, nulli maledicis Apici,
Rumor ait lingua te tamen esse malæ.

rumor eodem modo accipiendus est. & ep. 86.

Narrat te rumor Chione numquam esse fututam.

4 ESSE *nega factum.*] Est etiam in voce *factum* ambiguitas. Est enim *facere* obscœnum vt sup. dixi lib.1.ep. 47.

5 QVID *quod habet testes Posthume Cacilius.*] Perspicua est in voce *testis*, ambiguitas, & perspicuus lusus. Similis est Plauti in Amphitryone.

Al. *mihi quoque assunt testes qui illud, quod ego dicam, assentiant.* Am. *qui testes?*
Al. *testes.* Am. *Quid testiculare.*

In Lyrim. LXXIII.

Quid faciat vult scire Lyris? quòd sobria fellat.

RAMIR. DE PRADO.

Acutissima Lyris fellatricis, & eiusdem ebriæ reprehensio, ficta interrogatione & responsione concepta. Est autem versus subobscurus. Fugit enim tanta subtilitas oculorum aciem. Argutissimam sententiam eius, *quod sobria*, sic concipe. *Vis scire quid faciat Lyris? fellat quod & facit sobria.* Ergo perpetua fellatrix est: nam cum sobria fellet, & nunc idem faciat, quod facit sobria: Ergo ebria nunc est & etiam fellat. Fieri autem non potest vt non sit vel ebria, vel sobria, ebria facit idem quod sobria: ergo semper fellat. Notat igitur eam duobus vitijs, fellatione perpetua & ebrietate præsenti.

In Saufellum. LXXIV.

Cinctum togatis pòst, & antè Saufellum,
Quanta reduci Regulus solet turba,
At alta tonsum templa cùm reum misit,
Materne cernis? inuidere nolito.
Comitatus iste sit precor tuus numquam.
Hos illi amicos, & greges togatorum,
Fusciculenus præstat, & Fauentinus,

DOMITIVS.

CINCTVM] In Saufellum, quem suppresso nomine superiùs etiam notauit. Is conducta Sardonicè, vt ait Iuuen. agebat. Plin. meminit Materni in epistolis.

CINCTVM] Circundatum circum, quia habeat anteambulones, tanta cinctus est, quanta Regulus causidicus. Is enim obtinebat magnum nomen, qua æmulatione Plin. nonnihil scribit liuidè.

REDVCI] Deducere est è domo in forum comitari, reducere è foro domum.

REVM *tonsum*] Cùm effecit, vt aliquis reus liberaretur, qui tondebatur liberatus.

AD *alta templa*] Et vadit ad persoluenda vota.

NVNQVAM *sit tuus*] i. habeas tamen comitatum, qui conductus est.

FVSCICVLENVS, *& Fauentinus*] Nomina sunt fœneratorum. erant comites & togati, quasi dicat fœnore istam turbam alit.

RAMIR. DE PRADO.

Est hoc epigramma eiusdem argumenti ac superius 57. Depingit in eo fastuosum incessum & comitatum Saufelli cuiusdam, qui fœneratoribus suis oppignerauerat, vt anteambulones suos conuiuio exciperet. Inscribitur epigramma ad *Maternum*, nobilem Poëtæ tempore Oratorem, de quo plurima mentio apud Plinium iuniorem, & in eo Dialogo qui de causis corruptæ eloquentiæ tribuitur Quintiliano.

1 CINCTVM *togatis.*] De comitatu togatorum, vide quæ diximus ad lib. 1.epi.109.

2 QVANTA *reduci Regulus solet turba.*] De Regulo multa legere potes apud Plinium, de eius facultate dicendi deque mala mente & malo animo. Nostri Poëtæ amicus erat fortè, quod in eum benignus, cùm adeò diues esset. De eo sup. epigrammata legisti tria, lib.1.

3 AD *alta tonsum templa cum reum misit.*] Solere reos & barbam & capillum promittere, diximus sup. epi. 36. Cum verò absoluerentur, tondebant capillum, radebant barbam, exuebant lugubres vestes, vngebantur & comebantur, & Ioui Capitolino gratias acturi ascendebant Capitolium. Ideò metonymicōs *tonsum reum* dixit, pro liberato à iudicio. Tūc rei amici gratulabundi patronum, qui amicum liberauerat, comitabantur & reducebant domum. Legi autem in editione Iunij *sola turba*, pro *solet turba*, operarum manifestus error.

De leone. LXXV.

Verbera securi solitus leo ferre magistri,
Insertamque pati blandus in ora manum,
Dedidicit pacem, subito feritate reuersa,
Quanta nec in Libycis debuit esse iugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam rastris quæ renouabat humū,
Sæuus & infelix furiali dente peremit:
Martia non vidit maius arena nefas.
Exclamare libet, crudelis, perfide, prædo,
A nostra, pueris parcere, disce lupa.

Idem Græcè.

Κηδεμόνος μὲν πρόσθε λέων μάστιγας ὑπέτλας,
Καὶ χεῖρ' ἀβλαβέος εἰς στόμα δεξάμενος,
Εἰρήνην ἀπέφηνε, πάλιν δ' ἔδραμ' ἄγριον ἦθος,
Οἷον ἂν ἐν Λιβυκοῖς ἔτρεφεν ἐν ξυλόχοις.
Ὄχλου γὰρ δύο παῖδε νεηγενέος, ὅς τὸ θεᾶξου
Αἱματόεν λίστροις ἐξομάλιζε πέδον,
Σχέτλιος, ἀγριόμενος λυγρῷ κυνηγέσιον δαΐξεν·
Οὐκ ἴδε μεῖζον ἄγος τοῦδε κυνηγέσιον.
Ἄγριε, φωνήσωμεν, ἀπηλεές, ὠμέ, λυκαίνης,
Φείσασθαι παίδων, μάνθαν' ἀφ' ἡμετέρης.

DOMITIVS.

VERBERA] In leonem, qui cùm mansuefactus videretur, repente ad feritatem reuersus, duos pueros qui vertebant glebas arenæ discerpsit: aptè exclamat in hunc Martial.

SECVRI *magistri*] Nihil metuentis.

FERRE] Æquo animo.

DEDIDICIT] Exuit.

TANTA *feritas est ei reuersa*] Quanta non debuit esse feris in syluis Libycis.

SANGVINEAM *humum*] i. theatrum cruentum cæde feratum.

MARTIA *arena*] Romanorum theatrum in quo multi solent necari.

A lupa nostra] Quæ non modò pepercit Romulo, & Remo, sed nutriuit. Loquitur de fera, quæ aluit Romulum, & Remum: eius imago ænea cum pueris erat in comitio. Plutarchus & Plin. authores sunt.

RAMIR. DE PRADO.

In spectaculis epigr. 10. vbi de leone, qui gubernatorem offendit, scribit Martialis huius epigrammatis argumentum contentum etiam est, vbi de verberibus, quibus feræ à magistris vapulabant, irritationis vel emendationis causa dictum à nobis est.

1 INSERTAMQVE *pati blandus in ora manum.*] De inserenda manu ori leonum lusus causa, vide Senecam lib. 1. cap. 3. de benefic. & epist. 86. & Noster spectac. lib. ep. 18.

2 SANGVINEAM *rastris quæ renouabat humum*] Theatri arena sanguine & humano & ferarum tincta erat, in spectacul. epi. 11. de vrso.

Præceps sanguinea dum se rotat vrsus arena.

Vnde theatrales ministri solebant pueros mittere cum rastris, quæ arenam versarent, quo maculæ illæ sanguineæ versa arena delerentur, quod præstabant duo illi pueri à furioso leone interempti. Hoc officium vet sandæ arenæ rastris apud Græcos fuit inter præludia, quibus præparabantur athletæ iuuenes ad cetera certamina: & pictores, sculptoresque eosdem rastrum, seu rutrum tenentes effingebant. Probat v- C trumque celebris Festi Pompeij locus, cuius verba sunt. *Rutrum tenentis iuuenis est effigies in Capitolio ephæbi, more Græcorum arenam ruentis exercitationis gratia, quod signum Pompeius Bithynicus ex Bithynia supellectilis regiæ Romam deportauit.* Et inter athletas maxima erat contentio, quis socium suum superaret in puluere palæstrico versando, quod παρορύττειν Græci dicunt.

3 MARTIA *non vidit maius arena nefas.*] Raderus existimat *Martiam* dici *arenam*, quia gladiatorum prælia sic committebantur, vt iusti sæpè belli speciem præferrent.

Cur non dicitur etiam *Diana*? cum in ea frequentiores essent venationes? *Martiam* dixit, pro Romana, vt sup. lib. 1. epi. 4. *Martiam turbam*, pro Romana turba, propterea quod vltimo versu exemplum erat adducturus benignitatis, qua præditæ erant Romanæ feræ, cum diceret: D

A nostra pueris parcere disce Lupa.

Id est, ab ea Lupa Romana, id est, in hoc solo enutrita, quæ Romulo Remoque vbera præbuit, tantum abfuit, vt puellos illos laniaret, disce mansuetudinem.

4 EXCLAMARE *libet.*] Vtitur hac eadem apostrophes formula, lib. epi. 31.

Exclamare libet, non est hoc improbe, non est Piscis.

De Mario. LXXVI.

Argēti libras, Marius, tibi quinque reliquit.
Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

DOMITIVS.

ARGENTI] Nonnulli codices habent Isse, vt sit proprium nomen, quod non displicet: sensus est, Marius colebatur ab amico; qui nihil tamen dabat, & ipse hereditatem Marij captabat, moriens Marius, rebus iam omnibus distributis, addidit in extrema parte testamenti se relinquere sex libras argenti huic amico, quod legatum cùm malè esset, poëta iocatur in captatorem Marij, & ait eum non debere irasci, nam plus accepit, quàm dederit.

Nihil, inquit, *dabas Mario:*

MARIVS *dedit tibi verba*] Iocatur ex verbis quę opponit. Nil dare, & dare verba, nam cùm idem sit, tamen dare verba videtur esse aliquid, si vocem audias, non sensum.

RAMIR. DE PRADO.

B Est elegans iocus in quendam, cuius nomen ignoramus, captatorem & heredipetam, qui Marium quendam neglexerat incultum, à quo hereditatem aut legatum nunquam expectauit. Is autem Marius sua sponte quinque argenti libras verè ei testamento reliquit. Iocatur igitur Martialis ab inexpectato Marium huic captatori verba dedisse, propterea quod legatum illud præter spem ei accidisset. Verba autem nobis dant illi, qui id faciunt, quod nobis præter spem est. Quemadmodum ergo si aliquis ex ijs, quos hic heredipeta captabat & muneribus colebat, moriens nihil ei reliquisset, dedisset verba: Eadem ratione hic Marius, cui nihil ipse dederat, quinque illis argenti libris relictis verba dedit, cum id præstitit quòd omninò præter spem ei accidit: luditque in verbo *dandi*, vt & Ouid. lib. 2. de arte amandi, vers. 166.

Cum dare non possem munera, verba dabam.

In Cosconium. LXXVII.

Cosconi, qui longa putas epigrāmata nostra,
Vtilis vngendis axibus esse potes.
Hac tu credideris longum ratione colossum,
** Et puerum Bruti dixeris esse breuem.* * Vide Plin. lib. 34. c. 8. & infrà in Apophor. Epig 171. l. 14.
Disce, quod ignoras; Marsi, doctiq; Pedonis,
Sæpe duplex vnum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis:
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

DOMITIVS.

COSCONI] Cosconium carpit, qui non ratione, sed numero censebat versus, & epigrammata, vel longa, vel breuia, docétque Poëta multorum versuum epigramma, si bene compositum sit, non posse videri longum, sed disticha Cosconij malè composita esse longa.

VTILIS *vngendis axibus*] Quia viam quamcunque putabis esse longam, & ita valdè vnges rotas, & axes in via breui, vt spatium celeriùs superes. Plin. de quodam emplastro: Antiqui maximè axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum vtebantur: sic si tu iudicabis epigrammata esse longa multitudine carminum, ita breuem viam putabis esse longam.

HAC *ratione*] Qua tu censes epigrammata mea esse longa, ita dices colossum esse longum, qui longus esse non potest, cùm habeat proportionem suam.

PVER *Bruti*] Pulcherrimus fuit, sed exiguæ staturæ, vt non debeat videri paruus, cùm haberet suorum membrorum suam proportionem: in distichis,

Gloria tam parui non est obscura sigilli:
Istius pueri Brutus amator erat.

Plin. Apollodorus puerum fecit, quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustrauit.

DVPLEX *pagina*] Id est, paginæ habent vnum epigramma, Marsus, & Pedo duabus paginis vnum tàtùm opus absoluunt, an hoc dicitur quod placet, qui quamuis duabus paginis inferant varia epigrammata, tamen adeò rectè componunt suauitate multa epigrammata, vt vnum iudicari possint.

IGNORAS] Non animaduertis epigrammata, in quibus nihil est superflui: non debent videri longa, sed tua disticha, quia habent verba inania, & incomposita, longa esse videntur.

RAMIR. DE PRADO.

Ineptum quendam Censorem, Cosconium nomine irridet, quod sua epigrammata longa putaret, & defendit se cum dicat longa & breuia epigrammata, non à numero versuum, sed à subiecta materia esse vocanda. Illa enim breuia dicenda sunt, quamuis sint longissima, in quibus nihil superfluum est: illa verò longa, quamuis disticha aut monosticha quibus aliquid demi posset. Verè Plinius lib.5. epist.6. *Vides*, inquit, *quot versibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Aeneæ, Achillis ille describat, breuis tamen vterque est, quia facit quod instituit.* Et paulò inferius de villæ descriptione, quam instituerat in illa epistola. *Non epistola*, (inquit) *quæ describit, sed villa quæ describitur, longa est.* Quod imitator eius Sidonius sic expressit, epi.2. lib.2. in fine. *Quapropter bonus arbiter & artifex lector, non paginam quæ spatia describit; sed villam quæ spatiosa describitur, grandem pronunciabunt.*

1 VTILIS *vngendis axibus esse potes.*] Decepit Raderum Domitius, qui existimat dixisse Martialem, *auriga esse potes, potius quam Poetarum censor.* Nam aurigæ curruum axes subinde vngunt, vt facilius currant rotæ. Sed frigida esset hæc comparatio Poetæ. Quid? quod aurigæ non adeò despecti erant eo tempore, immò populi fauorem possidebant, & ingentem pecuniæ vim suo artificio lucrabantur, vt est in epi.74. lib.10.

Cum Scorpus vna quindecim graues hora
Feruentes auri victor afferat saccos.

Ad quod epigramma locum hunc tractabimus. Interpretare igitur:

Vtilis vngendis axibus esse potes,

Id est, stolidissimus & stultissimus es: nam crassum & pingue dicebant veteres, pro stulto, & inepto; & rudi, sic lib.9. epigr. 23.

Credis ob hoc me Pastor opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassaque turba rogat.

Vbi *crassa turba* est ignarum vulgus. Sic prouerbiū: *crassa Minerua*, vel *rudi Minerua aliquid fieri*, pro non accurata ratione, sed vulgariter & rudi modo. Sic Cicero in oratione pro Archia, Poëtas Cordubenses pingue quiddam sonare dixit, & peregrinum, id est, carmina incondita, & à quibus Romanæ aures abhorrere possent. Sic lib.8. epi. 56. de Virgilio, qui viso Alexi Galateæ fuerat oblitus.

Excidit attonito pinguis Galatea Poëtæ.

A *Pinguis*, id est, rustica. & Horatius sat.3.

——probus quis
Nobiscum viuit, multum est demissus homo illi.
Tardo cognomen pinguis damus.

Id est, stultum vocamus. qui etiam lib.2. ep.2. in fine, versus impolitos & prauè factos, pingue munus vocat.

Nec prauè factus decorari versibus opto,
Ne rubeam pingui donatus munere.

Ab hac mente vocabant Romani *Gordos*, Hispana voce eos, quos stultos volebant appellare. Hæc autem vox nobis crassos & obesos sonat. testis est Quintilianus lib.1 cap.5. cuius hæc sunt verba: *& gurdos, quos pro stolidis accipit vulgus, ex Hispania duxisse originem audiui.* vbi legendum est, *gordos*; Sic enim Hispani hanc vocem proferimus, hodiéque Gotholani *gort* vocant stultum. Est igitur elegans Metonymia producta vsque ad metalepsin: Nam axes vnguine vnguntur, vnguen autem extrahitur ab animalibus

B obesis: obesi homines stulti sunt. Si ergo vtilis es ô Cosconi vngendis axibus, pinguis, obesus, & ob id, stultus es.

2 HAC *incredideris longa ratione Colossum.*] Erat longissima omnium statua Palatini Colossi, adeò vt in Prouerbium abijsset: *longior Colosso.* vt lib.8. ep.60.

Summa Palatini poteras æquare Colossi,
Si fieres breuior, Claudia, sesquipede.

3 ET *puerum Bruti, &c.*] De sigillo Bruti lege Plin. lib. 34. cap. 8. Est etiam distichon in Apophoretis lib.14. epi. 171.

Gloria tam parui non est obscura sigilli,
Istius pueri Brutus amator erat.

De quo etiam lib.9. epig. 51. respondens Gauro, qui cum suggillabat, quòd breuissima opera scriberet:

C *Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona viuum,*
Tu magnus luteum, Gaure, giganta facis.

4 DISES *quod ignoras.*] Imbiberat vulgus hanc opinionem; Epigrammata sola breuitate placere. lib.8. epig.29.

Disticha qui scribit puto, vult breuitate placere.
Quid prodest breuitas, dic mihi, si liber est.

Et lib. 3. epig. 83.

Vt faciam breuiora mones, Epigrammata, Cordes,
Fac mihi, quod Chione. non potui breuius.

Quod tamen Martialis non probat, & licere epigrāmata longa scribi contendit, contra Tuccam, lib.6. epig.65. Idem nunc probat authoritate Marsi, & Pedonis in quorum operibus sæpè vnum epigramma duas paginas complebat, contra morosos homines, qui breuitatem in epigrammatis solummodo exigebant, & quod magis mirere etiam in tragœdijs, vt

D innuit Iuuenal. sat.1.

——impune diem consumpserit ingens
Telephus: aut summi plena iam margine libri
Scriptus, & in tergo necdum finitus Orestes?

Erat autem Marsi & Albinouani summa id temporis authoritas.

5 NON *sunt longa quibus nil est quod demere possis.*] Nam vt dictum est, breuia illa sunt à quibus nil demi potest. Sic li.14. epi. 198.

Delitias parua si vis audire catellæ,
Narranti breuis est pagina tota mihi.

Ad Cæcilianum. LXXVIII.

Aestiuo serues vbi piscem tempore, quæris?
In thermis serua, Cæciliane, tuis.

IDEM

Idem Græcè.

Ζητεῖς ἰχθὺν ποῦ σώσῃς ὅτε νῦν θέρος ἐστί·
Ἐν θερμοῖς σῶσον Καικιλιανὲ τεοῖς.

DOMITIVS.

ÆSTIVO] Cæcilianus thermas ædificauerat, quæ erant nullius caloris: in eas iocatur poëta.

IN *thermis tuis serua*] Quæ sunt frigidissimæ non modò hyeme, sed etiam æstate.

RAMIR. DE PRADO.

Faceta irrisio thermarum Cæciliani, quæ adeò frigidæ erant, vt ipso æstatis tempore, pisces possent sua frigiditate à corruptione vindicare. Fingit igitur interrogari à Cæciliano, vbi possit commodè piscem æstiuo tempore seruare: Respondet ab inexpectato, in thermis tuis potes.

In Nasicam. LXXIX.

Inuitas tunc me, cùm scis Nasica vocatum:
Excusatum habeas me, rogo: cœno domi.

DOMITIVS.

INVITAS] O Nasica tu vocas me ad cœnam, cùm scis me ab alijs vocatum, tu non vis me venire. Propterea non egebas aliqua excusatione, vel quod Martiàlis inuitet se, cùm dicat non esse inuitatum, sed domi cœnare vt possit ire.

RAMIR. DE PRADO.

Carpit fallacem & subdolum nebulonem Nasicam, qui diligenter vocationes eius obseruabat, & cum ab aliquo vocatum ad cœnam Poëtam intelligeret, continuò eum inuitabat, quod sciret non iturum. Deprehendit Martialis veteratoris huius artes, & irrisoriè anteuertit eius inuitationem, iubetque vt se habeat excusatum, quòd domi cœnet, innuens fictè ab eo semper inuitari.

I COENO *domi.*] Est iocus à paradoxo, & inexpectato: Siquidem excusatio non in domicœnio, sed in lauta inuitatione fit.

De Fannio. LXXX.

Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hîc rogo, non furor est, ne moriare, mori? * v. Hos.

DOMITIVS.

HOSTEM] Hoc non magis dictum est in Fannium, quàm in Catonem, Annibalem, & Neronem, & multos, qui idem fecerunt: de Fannio Cepione loquitur, qui deprehensus in coniuratione aduersus Augustum, sibi mortem consciuit.

RAMIR. DE PRADO.

Fannius Cepio, qui in Augustum coniurauerat, cùm proscriptus percussores fugeret, se ipse interemit. Hunc appellat furorem Poëta, quod se, ne occideretur occidit, & mortem morte redemit: de quo facto dictum est sup. lib. 1. epigr. 9.

In Zoilum. LXXXI.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
*Cùm tamen hæc tua sit, Zoile, * sandapila.*

* v. Sandapila est, e vetusti codicis fide & quidem arguto sensu, quo Zoilo noua lectica stultè glorioso, nomini alioquin strigoso, viuo cadaueri, cui animæ reliquũ vix quidquam erat paulò pòst hexaphoro lecticam fore ominatur.

DOMITIVS.

LAXIOR] Zoilus amplam lecticam sibi confecerat: maximæ lecticæ dicebantur octophora, quibus delicati, & maximi viri vtebantur: hoc verbum apud Ciceronem est & Tranq. in Calig. cap. 43. quem scribit adeò delicatè discessisse nonnunquam, vt octophoro veheretur, aliæ lecticæ hexaphora dicebãtur, quod à sex seruis veherentur, de quo periphrasticõs Iuuen. est locutus, cùm ait:

Cùm iam sexta ceruice feratur
Hinc atque inde patens.

SANDAPILA] Erat feretrum viliorum tantummodo cadauerum, quamuis legamus Domit. sandapila elatum fuisse, Suet in Domit. cap. 17. nam huiusmodi homines mortui apud poëtam dicuntur pauperes, scilicet & ignaui, & alibi:

Non debes fieri mortuus hexaphoro,

Et alibi. *Vis sine febre, mori.*

Alibi. *Hoc rogo, dic, non est, Cinna, perire citò.*

RAMIR. DE PRADO.

Indignatio hæc est in Zoilum, qui vna lectica laxissima fastuosus incedebat, cum omnium indignatione. vrbana permissione concedit Poëta, vt Zoili lectica hexaphoris lecticis, quæ laxissimæ erant, laxior esset, dummodo eadem mortuus efferretur. Nã cum antea *lecti, qui lege perscriptus erat, ad mortuos efferendos, qui feretrum vel sandapila dicebatur, vterentur lectica, ad posteros hic mos traductus fuit. Narrat Agellius lib. 10. c. 3. Tiberium Gracchum sic scripsisse in quadam oratione. *Quanta libido, quãtaque intemperantia sit hominum adolescentum, vnum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato: is in lectica ferebatur, ei obuiã bubulcus de plebe Venusina aduenit, & per iocum cum ignoraret, qui ferretur, rogauit num mortuum ferrent. vbi id audiuit, lecticam iussit deponi, stuppisque quibus lectica deligata erat, vsque adeò verberari iussit, dum animã efflauit.* Et Cicero Philippica 2. superbiam Antonij, qui fastidiret ab Aquinatibus videri, reprehendens, *At*, inquit, *iste operta lectica latus est per oppidum vt mortuus.* & lib. 6. ep. 77.

Inuidiosa tibi quam sit lectica requiris,
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Vnde colligere potest honestiores solum ferri ad rogum lectica, & lib. 9. epigr. 3.

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ,
Nondum sandapila pondus amicus erit.

Ad Ponticum. LXXXII.

Abscissa seruum quid fingis, Pontice, lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

RAMIR. DE PRADO.

Insectatur Ponticũ, forte mollem virum, qui seruũ Draucum pædiconem suum fecerat, vt se mutum

Q

Hoc est, quod conqueritur his verbis. Plin. ad frigidæ potus vas petitur in nubila, id est, in niues. Id fuit inuentum Neronis, propterea ipse quasi peculiari inuento carens: ingemiscit apud Tranquil. Hæc est decocta Neronis, nunc erant Saturnalia, mittebantur xenia, i. hospitalia munera amicis: Mart. Mittit colum niuarium hoc epigrammate. Colum niuarium erat saccus ex vimine pannoue, vnde vinum, aut aqua decocta attenuabatur, vt esset frigidior: de hoc plura in distichis. Plin. Hi niues, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt, seruatur algor æstibus, cogiturque, vt alienis mensibus nix algeat, decoquunt alias, quas mox & illas hyemant.

TEMPORE *Saturni*] In Saturnalibus.

CVSTODIA] Tegimen.

CLAVSA] Septa, & compacta leui vimine.

TOGA *rasa*] Æstiuo tempore vtebantur.

SI *quereris*] Non conuenire, hoc vas coctæ quod mittitur, appellabatur colum niuarium, id est, in quo depositis niuibus refrigerabantur decocta.

RAMIR. DE PRADO.

Vrbana valde togæ petitio est. Mittebat vitream ampullam tenuissimo vimine supertextam, ad frigidam aquam, vel potionem aliam custodiendam, quæ solum vtilis esset æstiuo tempore. Mittebatur autem Saturnalibus ipso Decembri mense. Excusat intempestiuitatem muneris, & docet qui possit amicus eam leuem iniuriam alia simili vindicari, vt mittat sibi non pexam & villosam togam aptam hyberno tempore, sed rasam, quales sumebantur æstiuo tempore.

1 NIVEÆ *custodia copta.*] Argutè nimis *coptam*, pro cocta reposuerunt veteres libri, & Critici nostri retinuerunt: quod *copta* placentæ genus sit, cui contusæ species, aut legumina commiscebantur. Et Hadriano Iunio in notis non satis recoctus in arte videtur fuisse, qui *cotum* voluit legi, qui fuit Domitius. Ego ineptissimum puto *coptam*, legi; De qua dicemus lib. 14. ep. 68. nam si placenta est cui miscebantur species contusæ, quo modo appellabitur niuea & apta æstiuo tempori? & quomodo placenta vase vimineo seruabatur? Hæc omnia decoctæ niui refrigeratæ procul dubio conueniunt.

2 RASAM *tu mihi mitte togam.*] *Rasa toga* est consentanea æstatis tempori, quemadmodum & detrita. Inter *rasam* autem & *detritam* hoc interesse existimo: quod *trita* est ea, quæ vetustate villum amisit, cum antea fuisset villosa vel pexa, vt diximus ad illud,

Emi seu puerum togamve pexam.

Epigr. 44. huiusce libri.

Rasa autem ea est, quæ à sua textura nullum habet eminens villum, quam lêuem appellat, lib. 7. ep. 85.

Nec lênis toga, nec rudes lacernæ.

Et qualis est pannus ille, qui nostro seculo Florentiæ præcipue, & iam multis alijs in locis texitur, quem Hispani *Raja* vocamus, paulò deflexo vocabulo à tela rasa. Has togas rasas diui Augusti nouissimis temporibus cepisse docet Plinius ex Fenestella lib. 8. Natur. Hist. cap. 48. De detritis vestibus æstate vsitatis, est elegans locus Artemidori in Oneirocriticis, cap. 3. lib. 2. *Vestitus*, inquit, *consuetus omnibus bonus est, & qui iuxta anni tempus commodus existit. Aestatis enim tempore lintea & vestimenta detrita gestare sibi videri, bonum vtique fuerit & sanitatis signum: hyeme verò lanea, eaque noua:* De rasis est Iuuenalis locus, sat. 2. vers. 97.

Cærulea indutus scutulata aut galbana rasa.

A *Villosæ* etiam radi solebant, quemadmodum hodieque fit in omnibus pannis, & villis illis pro tomento vtebantur. Mart. lib. 14. ep. 159.

Oppressa nimium vicina est fascia pluma,
Vellera Lingonicis accipe rasa sagis.

Cuius epigrammatis lemma est, Tomentum Lingonicum.

Ad Classicum. LXXXVI.

Quòd nec carmine glorior supino,
*Nec retro lego, * Sotaden cinædum,*
Nusquam, Græcula, quòd recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Atys
Mollem debilitate Galliambon,
B *Non sum, Classice, tam malus poëta.*
Quid si per glaciles vias Petauri
*Inuitum iubeas subire * Ladam?*
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palæmon:
Me raris iuuat auribus placere.

* De Sotade lib. 14. ἦρξε δὲ σωτάδης πρῶτος τῦ κιναιδολογεῖν. I primus incœpit Cinædica & lasciua scribere carmina.

* Ladas Cursor. vide Solinum. Pausaniam Corinth. & Laconi. Catullum, & infrà lib. 10.

DOMITIVS.

QVOD *nec*] In Palæmonem scribit, qui vt lectores carminum illecebris alliceret, versus magno labore componebat, & affectabat in his nouitatem numerorum, nam modò scribebat sotadicū carmen: modò inserebat verba Græca, modò Galliambum edebat, ait poëta insani esse hominis laborare in io-
C cis, & quærere remotiores numeros, vt nouitatis Venere, & lepore delectet, se negligere huiusmodi laborem, neque velle quærere multitudinem lectorum tantis laboribus, & tam morosa cura.

TAM *malus*] Proptereà malus poëta, quòd non glorior.

CARMINE *supino*] i. molli, & eneruato.

SOTADEN *cinædum*] Oratio cinædica originem habuit à Cleomacho pugile, qui in cinædi cuiusdā, & ancillæ, quæ à cinædo alebatur amorem incidit, cinædicosque mores, & orationem est imitatus. Sotades primus elaborauit hoc scribendi genus, posteà Alexander Ætolus, sed hi pura tantum oratione: postea Lysias cantum adhibuit. Ennius hoc genus carminis vsurpauit. *Cypria boui merendum*: Dictum
D carmen à Sotade authore.

CINÆDVM] Ea de causa, quā diximus de Cleomacho suprà, hoc carminis genus cùm poëta dânet, vrbaniter iocatur, se scilicet non legere retrò carmen cinædicum, alludens, quòd cùm cinædicum sit, antè non debet legi.

CINÆDVM *Sotaden*] i. non vtor eo carmine, quo Sotades author orationis cinædicæ vsus est.

ECHO *græcula*] i. vox Græca inserta, nam inserebant poëtæ verba Græca carmini, vt maior esset lepos, id tanquam nimiùm molle reprehenditur in Lucilio. Pitholaus Rhodius non probatur, quòd sæpius Græculas voces inseruit: hoc agit Mart. sed rarò, & aptè.

ECHO *Græcula*] i. reboatio, & pronunciatio græcula.

CHOLIAMBON] In carmine iambico magna est

acerbitas, quali vsus est Bibaculus infensus in primis Catoni Grammatico. Archilochus eodem genere vsus est, postea fuit excogitatum à mollioribus poëtis, vt disfracto rigore iambico, alterum genus institueretur, quod iambicum erat, sed fractum, vnde dictum est χωλίαμβον claudus iambicus.

Atys] Vt alij sentiunt nomen proprium poëtæ est, quod nusquam reperi: sed vt puto Atys hic puer amatus à Cybele, ponitur pro molli, & eneruato poeta nam & ipse mollissimus fuit, sectis testibus, quod alibi indicat Martial. cùm ait:

Et concubino mollior Celeneo.

De eodem carmine Persius:

Claudere sic versum didicit Berecyntius Atys.

Petavri] Dicti agiles homines à πέτασθαι, quod est volo: hi per circulos se immittunt, nascunturque sub delphine, vt Maternus scribit. Marcellus petauristas appellat, & alios esse putat, sed Materni interpretatio cum Martiale conuenit.

Lada] Cursor fuit Alexandri velocissimus. Sensus est poëtæ: Possum esse bonus poëta, etiam si non sector numeros Sotadicos, & Choliambicos, quemadmodum Lada cursor omnino velocissimus erat, etiam si non immitteret se in circulos, quod poterant agere petauri. De Lada scribit Solinus in collectaneis, & eiusdem meminit Cato.

GEORGIVS.

Nec *retro lego, Sotaden cinædum, &c.*] Ebrij hominis, vel in totum desipientis verba videntur, vix enim intelligo ad quid pertineat Cleomachi pugilis, Sotadis & Alexandri Ætoli de Strabone reperita historia, nec item quæ sit vrbanitas, aut quod ioci acumen. Si hoc pacto iocatur poëta se non legere retro carmen cinædicum, alludens, quòd cùm cinædicum sit, antè non debet legi: nisi fortè rem impudicissimam significare vult hic interpres, id quod tantùm abest à sensu poëtæ, quantum Calderinus ab obscœno sermone nunquam absuit. Quod sic esse iam docebo ex maximis, & clarissimis tam Græcis, quàm Latinis scriptoribus. Quintil. in nono oratoriarum institutionum (Plerique enim ex commissuris corũ, vel diuisione, pedes fiunt, quò fit vt ijsdem verbis alij, atque alij versus fiant) ait: Memini quendam nõ ignobilem poëtam ita iussisse,

Astra tenet cœlum, mare classes, area messes.

Hic retrorsus fit Sotadeus. Dionys. Halicarn. de cõpositione scribens, reciprocum hunc versum Sotadicum ait, & docet versus quosdam Homer. posse recurrere, nunc in seipsos: nunc in alios secundum positionem pedum. Diomedes grammat. de Sotadicis, in hunc modum tradit: Trimeter heroïcus est reciprocus versus apud neotericos.

Nolo liber tua prædicentur acta,

Acta prædicentur tua liber nolo:

Versus Sotadicus est ex vtraque, sed durus, vt posset ad recursum conuenire Sotadico, reciprocus alter huiusmodi est:

Esse bonus si vis, cole diuos, optime Pansa:

Pansa optime, diuos cole, si vis bonus esse.

Hic in procursu hexameter esse, in recessu Sotadicus: reciproci generis metrum inuenerunt ocia curiosa, de quo versu item plura Seruius in centimetris. Reciprocus heroïcus in Sotadicum est, quoties in fine scansionis Sotadicum facit. Sotadicum constat trimetro acatalectico trochaico, vt est:

Ire cupis si vis mala vites somnia quæso:

Quæso somnia vites mala vis si cupis ire.

A Reciprocus iambicus in elegiacum est, quoties à fine scansionis elegiacum facit: vt est,

Micant nitore tecta sublimi aurea,

Aurea sublimi tecta nitore micant.

Dicit ergo poëta se scribere non Sotadicos versus, qui procurrentes vnius generis sint, recurrentes vero aut retrouersi diuersum, aut idem metrum conficiant.

Mollem *debilitate Galliambon*] Hic imploro dictos omnes, tam Græcos quàm Latinos, vt illi suis vocibus, hi verò festiuo poëtæ opem ferant, quando non peruersa, sed impudentissimè falsa hic temerarius grammaticus in iacturam bonarum literarum præcipiat. Galliambus Græcè dicitur non excogitatus à mollioribus poëtis iambicus versus, sed vt Ephæstion author est, quòd in vltimo pede habeat exitum claudum, nam cùm rectus iambicus super vltimam basim iambo, aut pyrrichio terminetur, & tria

B tempora habeat Galliambus, & hipponacteus dicatur, spondæum sumit, cuius temporibus videatur superabundantem basim habere: sed hic attendite diligenter, studiosi, quæ iam dicam, choliambum hac in parte minimè legendum est, qui & idem scazon dicitur, & mordax est, vt apud Martial. legimus, sed Galliambon, de cuius versus genere grammatici ita disseruerunt. Diodor. Galliambon metrum quod apud Mecœ. tale est: *Ades inquit ô Cybele,* Simile est illi. Vice veris & Fauoni: inferius comma superiori simile esset, nisi amisisset vltimam syllabam, Galliambon aliud ex hoc ipso factum ei simillimum esset, nisi quòd vt eneruatius fieret, & mollius, secunda, aut tertia, ab vltima syllaba in duas breues geminata est: Et factum talè latus horreat flagello: Comitum chorus vlulet; si esset sic, Comitum chorus vlulet, esset illi simile: Fera montiũ dea.

C Cæterùm huic metro, quod eneruatum dicimus, simile est illud neotericum, quod est tale: Rutilos recide crines, habitum cape viri: hoc est simile illi, de quo paulò antè disputaui, quod fuit tale: Latus horreat flagello comitum, qui chorus vlulet. Ser. de eodem, Galliambicon constat dimetro iambico acatalectico, & anapæsto, vel spondæo cum duobus iambis. vt est, Tenera recrispat aura tremulos sinus freti. Contra sententiam suam poëta diceret, si choliambon legerimus, quando plurima epigrammata claudo iambico conficiat, videaturque respondere petenti Claudio, cur commata Sotadica, aut Galliambum molle, & eneruatum non conficiat. Cæcus ni-

D mirum in hoc epigrammate Calderinus fuit, aut magis insanissimus.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet Critica censura errorem multorum, qui existimant magnum quiddam præstari ab his, qui difficillima scribunt Poëmata: non ob reconditam eruditionem, non ob accuratam elocutionem, sed tantùm ob intortos quosdam numeros & coactos, quibus nihil est in Poesi laboriosius. Quod videmus nec Græcos nec Latinos celebres Poetas vnquam tentasse. Est enim puerilis quidam labor in his nænijs collocatus, quas Poeta appositissimè nugas difficiles appellat, & ineptias studio & labore compactas.

1 Qvod *nec carmine glorior supino.*] *Supinum carmen* intelligo, de quo Sidonius, lib. 9. epist. 14. versus scilicet qui metro stante sic recurrunt, vt neque literis motis, nec transpositis, vt ab exordio ad terminũ, sic à fine releguntur ad summum, qualis est:

Roma tibi subitò motibus ibit Amor, & illud:
Sole medere pede, ede perede melos.
Qui retrò lecti ead. verba continent & eundem rythmum. Supinum enim est id, quod retrò it. Ouid. de Ponto eleg. 5.
Flumina quæ in fontes cursu reditura supino.

2 Nec *retrò lego Sotaden cinædum.*] De Sotadæo versu plurima sunt apud Rhetoricos scriptores, & præcipuè apud doctissimum Terentianum Maurum, de quibus non est nunc disputandi locus. Scripsit hic Cinædica, vt tradit Strabo, lib. 14. Ideò vocat Sotaden cinædum metonymicῶς, posito Sotade, pro carmine eo, cuius Sotades inuentor fuit. Aliqui autem mali otio abutentes solebant heroicos versus scribere, ita compactis vocibus, vt, si retro non per litteras, vt superiores, sed per voces legerentur, Sotadici fierent qualis est hic:
Astra tenet cœlum, mare classes, area messes.
Erat Sotadicus retrò sic lectus:
Messes area, classes mare, cœlum tenet astra.

3 Nusquam *Græcula quod recantat Echo.*] De Echo & carmine ita concepto, vt ex vltima carminis syllaba, vel ex duab. vltimis fiat vox integra apta sensui, quæ contineat vel responsionem vel interrogationem. Vide Politianum in Miscellan. cap. 22. Quæ nugæ adeò nostratibus placuerunt, vt passim in ijs se exercuerint, & exempla sint innumera in vernaculis cantilenis. Dixit autem *Græculam*, per contemptum: quod Græci huiusmodi rerum sint architecti, vt dixit Iuuenal. sat. 3. vers. 78.
Græculus esuriens in cœlum iusseris, ibit.

4 Nec *dictat mihi luculentus Atys Mollem debilitare Galliambon.*] Non video, qui possit hoc loco non intelligi politissimum illud Catulli poematium, de Aty Galliambico carmine scriptum, cuius initium est:
Super alta vectus Atys celeritate maria.
Num. 64. & id ponit pro quouis Galliambo cuius subdifficilis est compositio. De versu Galliambo videnda sunt, quæ scribit Terentianus Maurus de metris.

5 Quid *si per graciles vias Petauri.*] De *Petauro*, quid esset & qua figura, obscura omninò ratio est, cum ne vestigium quidem eius rei hodie extet. Machinamentum fuisse, quo homines rotarentur, certũ est ex Iuuenale, & ex alijs rebus, quas congerit Hyeron. Mercurialis in doctissimo libro de arte gymnastica 3. cap. 8. & qui se exercebant, petauristæ vocabãtur; funambulorum proculdubio genus, qui ad eam rem non viribus, non corporis agilitate, sed arte quadam & exercitata industria opus habent. Est igitur Poëtæ comparatio aptissima. Ladas cursor erat velocissimus, de quo infr. lib. 10. epigr. 100. Et Cicero, l. 4. ad Herennium. *Quasi si quis ad Olympiacum venerit cursum, & steterit, vt mittatur, impudentesque illos dicat esse, qui currere ceperunt, ipse intra carceres stet, & narret alijs quomodo Ladas, aut Boius cum Sicyonijs cursitarit.* cuius etiam meminit Iuuenal. saty. 13. vers. 97. Hic sua velocitate non posset in Petauri machina subeunda vti, quod id artificium à se esset omnino alienum, nec in eo vnquam fuisset exercitatus. Quid? quod molestè ferret per illos exiguos Petauri gradus suum cursum retardari? Eadem etiam ratione summi Poëtæ, quiingenij præstantia ad res magnas scribendas apti sunt, dolerent se minutijs illis & subtilibus ineptijs detineri, nec ad eas aut apti natura aut vsu facti essent.

6 Turpe *est difficiles habere nugas.*] Hoc distichon celebre continet epiphonema: Cuius sententiæ causa totum epigramma susceptum est.

A

7 Scribat *carmina circulis Palæmon.*] Ego non existimo hunc esse Quintum Rhemmium Palæmonem, celebrem Romæ Grammaticum, nec malum Poëtam, qui Romæ docuit, cuius vitam scripsit Suetonius in libello de Claris Grammaticis: sed esse aliũ Martialis tempore, vero vel ficto nomine vulgarem Poëtam, & qui per circulos auram captabat, recitandis carminibus popularem. Circuli namque sunt plebeiorum hominum conciones, quod in circulum coëant ad videndum vel audiendum aliquem canentem, recitantem, vel manibus operantem. quos ob hoc circulatos appellabant, vt dictum est sup. lib. 1. epig. 42. Sic lib. 10. epigr. 62. ad ludi magistrum,
Nec calculator, nec Notarius velox
Maiore quisque circulo continetur.
Et Quintil. lib. 6. cap. 4. in fine ait: *Vrbanus homo erit cuius multa bene dicta responsaque erunt, & qui in sermonibus, circulis, conuiuijs, item & in concionibus, omni denique loco ridiculè commodéque dicet.*

B

Hos circulos κύκλους appellant Græci, & eas artes quæ valent ad vulgus oblectandum, ἐγκυκλοπαιδείας, vt Aristoteles in proœmio Topicorum, cum eius artis vtilitates recenseat, dicit vtilem esse ad ἐγκυκλοπαιδείαν, id est, ad circulares hominum congressus. quam vocem Quintilianus secutus, eius sonum eò deflexit, vt encyclopediam diceret, omnium artium & scientiarum absolutissimum circulum, & perfectam earum omnium cognitionem; qui posteros omnes in eundem induxit errorem, vt contra veterum acceptionem, id nomen pro re honorificentissima vsurparent, cum veteres pro triuialibus disciplinis id sumerent. Hæc igitur difficilia carmina ignarum vulgus solet admiratione afficere, & in circulis ab eo celebrari. A quibus dicit Martialis se abhorrere & raris auribus, id est, eruditis & teretibus quæ raræ sunt, placere.

C

[a] In Phœbum. LXXXVII.

Dicis, amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem sub aqua, [b] Phœbe, natantis habes.

DOMITIVS.

Dicis] Deridet Phœbum, qui dicebat puellas ardere sui amore, cùm habeat os nantis sub aqua, iocatur, cùm ardore & aqua hic erat pallidus & turgidus.

RAMIR. DE PRADO.

Scomma est in Phœbum, vel si mauis cum Iunio in Sextum, qui enormi quadam facie & vasta cum esset, qualis apparere solet eius qui sub aqua natat, ita sibi placebat vt bellas puellas diceret sui amore ardere, quod, quam eum fallar, acutè antithesi illa demonstrauit,

D

Ardere puellas, & eum sub aqua natare.
Nam qui sub aqua natant, flammam accendere ex se non possunt. Est aliud in hunc eundem scomma lib. seq. epi. 88.

[a] v. Ad Sextum. Hoc licet Epigrãma continuo videatur alteri, quod sub ijsdem terijs sequitur, ac propterea Phœbo vtrúque à nonnullis tribuatur: meo tamen animo in diuersos (vt iam manuscriptæ mẽbranæ fidẽ dissimulem, quod Sextũ hic nominat) scripta videntur, vt nimirũ hoc loco pandã & tumidam Sexti faciem traducat, eò quòd sub aqua ægrotantomnia ex auctoritate Philosophi: illic verò perstringat si non Vespasianũ, Phœbum saltem. In illius veluti nitentis vultũ scurræ iocus memoratur à Tranquillo non infacetus. Dicturũ, sc. vbi ille ventrẽ exonerare desiset. Hæc mea coniectura siue sententia, si doctorũ auribus approbari mereatur, pretium operæ me fecisse putarim.
[b] v. Sexto cacantis.

In Mamercum. LXXXVIII.

Nil recitas, & vis, Mamerce, poëta videri.
Quidquid vis esto, dummodo nil recites.

DOMITIVS.

NIL] Mamercus malè scribebat.

DVMMODO *nil recites*] i. ne offendas nos tuis ineptijs.

RAMIR. DE PRADO.

Perstringit vanum quendam Mamercum, qui gloriosè Poëtam se subinde iactabat, cum tamen nihil vnquam recitaret. Cuius ingenio ita diffidit, vt molestum eum fore, si aliquid recitet, affirmet, & eleganti concessione & permissione quicquid velit esse, ei concedit, dummodo nihil recitet.

In Gaurum. LXXXIX.

Quòd nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quòd scribis, Musis, & Apolline nullo,
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
Quòd vomis, Antoni: quòd luxuriaris, Apici:
Quòd fellas, vitium dic mihi cuius habes?

DOMITIVS.

QVOD] Gaurus gaudet ebrietate. Cato Vticensis, cuius virtus, vt Horat. scribit nonnunquam incaluit mero, quamuis Plutarch. id velit videri accidisse, non Catonis ebrietate, sed magna negociorum cura.

NVLLO *Apolline*] i nullis musis, id est, sine gratia Apollinis. & musarum.

HOC *Cicer.*] Quia malè scribebat carmina.

QVOD *vomis Antoni*] Antonius accusatur à Cicerone, quòd vomuerit in senatu multis vicibus.

LVXVRIARIS] Nam Apitius multas myriadas, vt Græci scribunt, luxu consumpsit.

QVOD *fellas*] Quasi dicat, in multis alijs vitijs habes authores, in fellatione, quem habes? ita iocatur in turpem hominem.

RAMIR. DE PRADO.

Insectatur Gallum fellatorem, idque facetissima illusione, cum alia eius vitia clarorum virorum exemplo excuset, fellationem autem nullo modo, nullo exemplo significat posse se excusare. Eodem sale adspergit Pannicum cinædum lib. 9. epi. 48.

1 VITIVM *Gaure Catonis habes.*] Notissimum hoc ex omni antiquitate Vticensem Catonem, qui ceteros mortales sui sæculi authoritate superauit, nimis vino indulsisse: lege Plutarchum in eius vita.

2 HOC *Ciceronis habes.*] Eloquentiæ Romanæ principem Ciceronem inuita Minerua poëma condidisse Critici veteres sui temporis, & nostri item recentiores iudicarunt. Notissima est vel ex eius orationibus in Antonium irrisio celebris illius carminis,

O fortunatam, natam me Consule Romam.

De quo Iuuenal. sat. 10. versu 120.

Ingenio manus est, & ceruix cæsa, nec vnquam
Sanguine caussidici maduerunt rostra pusilli.
O fortunatam, natam me Consule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poëmata malo,
Quam te conspicua diuina Philippica famæ.

Vbi vides Ciceronem occisum esse ab Antonio, abscisso capite, & dextera manu, quod Philippicas O-

A rationes in M. Antonium scripsisset, sed præcipuè secundam ex ijs, diuinam & conspicuæ famæ orationem. Quod si tam pusillus fuisset Orator, vt fuit Poëta. & ita ridendas orationes, vt ridenda poëmata scripsisset, securus fuisset ab Antonij gladijs.

3 QVOD *vomis, Antoni.*] Celebris est Antonij vomitus ex diuina Philippica; vbi illud nequissimum leuitatis genus diuinitus amplificat Cicero his verbis. *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauseras, vt tibi necesse esset in pop. Rom. conspectu vomere postridiè. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu verò Pop. Romani negotium publicum gerens. Magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum & totum tribunal impleuit.*

4 QVOD *luxuriaris, Apici*] De Apicij luxuria plena

B sunt omnia. dicemus de eo ad lib. 3. epi. 22.

5 QVOD *fellas, vitium dic mihi cuius habes?*] Elegans Paradoxon, quo iugulat Gaurum fellatorem.

Ad Quintilianum. XC.

Quintiliane, vagæ moderator summe iuuentæ,
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ,
Viuere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam: properat viuere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere cēsus,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantia fumos
Tecta iuuāt, & fons viuus, & herba rudis.
C *Sit mihi verna satur: sit nō doctißima cōiux:*
Sit nox cum somno: sit sine lite dies.

DOMITIVS.

QVINTILIANE *moderator*] Nam, vt ipse scribit xxiij. annos erudiendis iuuenibus impendit. Docuit etiam nepotes Domitiani. Primus Romæ mercedem publicam è fisco accepit, vt scribit Euseb.

VAGÆ *iuuenta*] Iuuentutis.

ROMANÆ *toga*] Nobilitatis, & iuuentutis.

PROPERO *viuere pauper*] quòd spretis diuitijs indulgeo animo.

NEC *inutilis annis*] Inutiles annis dicuntur, qui nullam partem annorum in vera vita, id est, animi relaxatione, & quiete ponunt.

D NEMO *viuere satis properat*] i. adeò anni labuntur citò, vt non possimus videri nimiùm properare ad veram vitam, id est, quietem: quasi dicat nemo potest reprehendi, quòd nimiùm temporis velit dare quieti.

IMAGINIBVS] Imagines maiorum, qui aliquid præclari gesserant, collocabantur in atrio, vt apud Silium exposuimus.

RVDIS *herba*] i. herba sine vllo condimento, vel imparatus hortus.

VERNA] Seruus, id est, habeam tantummodo vnde possim alere seruum.

CONIVNX *non doctißima*] Et Iuuenal. doctam coniugem scribit, molestam, quæ voluit Palæmonis artem.

SIT *nox*] Ita descripta est Epicuri vita, quam poëta maximè probat.

RAMIR. DE PRADO.

Quinctilianum summum Rhetorem suo tempore certiorem facit de voto suo, & simul excusat otium suum & delitias, quòd non sit pecuniæ cupidus.

1 QVINCTILIANE, *&c.*] Ipsemet Quintilianus fatetur se Romæ per 23. annos Romanam iuuentutem Rhetorica docuisse, postquam à Galba ex Hispania Romam adductus fuit, vt constat ex Eusebio in Chronico olympiade 211. & eundem etiam Calaguritanum appellat, olymp. 217. vrbis fuit magister primus, qui stipendia meruit à fisco.

2 GLORIA *Romanæ Quintiliane togæ.*] Ex his verbis non colligitur Quintilianum natum fuisse Romę: Nec est quod interpreteris cum Radero gloriam Romanæ togæ appellare Quintilianum, quòd togatam iuuentutem Romæ docuerit: sed hoc dicit Poëta, quod esset ciuis Romanus: fuit etenim & senator, vt constat ex sat. 7. Iuuenal. à quo dicitur,

Felix & sapiens & nobilis & generosus.

Et subiungit statim:

Adpositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Quibus verbis significat eum, non solum Romanum ciuem fuisse, sed etiam ad senatoriam dignitatem euectum.

3 VIVERE *quod propero pauper.*] Properat viuere, qui genio indulget: vt lib. 1. epig. 16.

Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Pauper, dixit, quod pauperes debent attentiores esse in rem familiarem augendam, quàm diuites, qui viuere & delitiari securè possunt.

4 NEC *inutilis annis.*] id est, ætate florente & ad tolerandos labores apta: inutiles enim senes dicuntur. Sic Anchises 2. Æneid.

Iam pridem inuisus Dijs & inutilis annos
Demoror.

5 DIFFERAT *hoc patrios, &c.*] Permissio qua ostendit se nulla pecuniæ cupiditate teneri neque ambitione: prius vitium illis verbis exprimit:

——patrios optat qui vincere census.

Posterius, illis verbis:

Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Nam maiorum eorum, qui magistratus togæ vel militiæ gesserant, imagines per atria disponebantur, vt lib. 5. epig. 21.

Nec nos atria, nec domus potentum,
Nec lites tetricas, forúmque triste
Nossemus, nec imagines superbas.

Et quò plures imagines essent, eò nobilior familia censebatur. Hinc prouerbialiter dicitur: *fumosis maiorum imaginibus illustris.* dicunturque fumosæ imagines, quod picturæ veteres vetustate ipsa, vel in fumo denigrentur: & quò vetustiores imagines, eò honoratiores. Notissimus Iuuenalis locus est:

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictósque ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus Aemilianos?
Et Curios iam dimidio humerosque minorem:
Coruinum, & Galbam auriculis nasoque carentem.

Et paulò post.

Fumosos equitum cum dictatore magistros.

6 M *E focus, &c.*] De foco, vt esset felicis domus & abundantis signum, sup. lib. 1. epig. 93.

7 [illegible]T *nigros non indignantia fumos tecta.*] id est, non laquearia auro incrustata, vel variata coloribus, quæ ne fumo corrumpantur cautio est, sed tecta humili contignatione compacta, quæ quamuis fumo infuscentur, nulla iactura sit.

8 ET *fons viuus.*] id est, natura ipsa scaturiens con-

A quisitis longo labore & sumtu aquæductibus: nec tubis ad voluptatem ex metallis fabrefactis:

9 HERBA *rudis.*] id est, gramina ipsa sponte nascentia, & viuis cespitibus innixa, non ordinaris myrtetis, aut alijs frondibus, arte mira varijs nexibus tortuosa: vt dixit lib. 3. epig. 58. de villa Faustini.

Baiana nostri villa Basse, Faustini
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonsilique buxeto,
Ingrata lati spatia detinet campi:
Sed rure vero, barbaroque lætatur.

10 SIT *mihi verna satur.*] Famuli saturi alacres seruiunt, non conqueruntur, non inuident. sic lib. 3. epig. 58. *Vescuntur omnes, ebrioque non nouit Satur minister inuidere conuiua*

11 SIT *non doctissima coniux.*] Amici sui Iuuenalis imitatur sententiam, conceptam multis versibus: sat. 6. vers. 446.

B *Non habeat matrona tibi quæ vincta recumbit*
Dicendi genus, &c.

Quam sententiam concludit his verbis:

——solœcismum liceat fecisse marito.

Quæ verba facetè detorsit Noster lib. 11. ep. 20. ad insatiabilem Gallæ pruritum.

Quæris cur nolim te ducere Galla? diserta es.
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

12 SIT *nox cum somno, sit sine lite dies.*] Sæpè queritur Martialis sibi obstrepi dormire volenti, sed præcipuè longissimo epigrammate 57. lib. 12. & lib. 9. epigr. 70. & aliis multis in locis. felicitati igitur assignat noctem cum somno, vt in voto vitæ beatæ, lib. 10. epigr. 47. *Somnus qui faciat breues tenebras.* & ibidem litibus liberari exoptat cùm dicit,

C *Lis numquam ——* Et lib. 5. epig. 21.
Nec lites tetricas nec forum Nossemus.

Ad Cæsarem Domitianum. XCI.

Rerum certa salus, terrarum gloria, Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos:
Si festinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos:
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt esse trium.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
D *Hæc fuerint nobis præmia, si placui.*

Idem Græcè.

Εὖχος τοῦ κόσμου, τῶν ὄντων, Καῖσαρ, ἔρυμα,
Οὗ πιθόμεσθα πέλειν σῳζομένοιο θεούς·
Εἴ σου τοὺς ὄσσους αὐτοσχεδίοιο πόνοιο
Βιβλί' ἀναγνόντος θέλξαν ἀοιδαὶ ἐμαί·
Ὦ, ῥα τύχη κώλυσε, δοκεῖν ποίησον ἔμ' εἶναι,
Ὥστε κλείζεσθαι παιδογόνον τριάδος.
Εἴ γ' οὐκ ἤρεσά σοι, τόδε μοι παραμύθιον ἔστω·
Εἰ δέ σοι ἤρεσ', ἐμοὶ ταῦτ' ἐπίχειρα πέλοι.

DOMITIVS.

RERVM] Petit à Domitiano ius trium natorum, quod qui habebant, cùm aliquid populo viritim di-

uidebatur, his dabatur portio pro tribus liberis alendis, in lege agraria teſtatur hoc Appian. Hoc ius inſtitutum eſt in monumentum, & laudem, authore Dionyſio, trium Horatiorum, qui tergemini pugnauerunt aduerſus Curiatios Albanos pro Imperio Romano. Claudius etiam dedit mulieribus ius quatuor natorum.

QVO *ſoſpite*] i. ſano, & ſaluo.

FORTVNA *vetat*] Quia non habebat tres filios.

CREDAR] Quia non erat: & Plin. ſcribit ſe à competitore ſuperatum, quòd ille ius trium natorum haberet præter alia ornamenta, nam qui id ius habebant, anteponebantur carentibus liberis.

RAMIR. DE PRADO.

Eſt petitio ad Cæſarem Domitianum iuris trium liberorum: Erat enim Martialis orbus, & ea commoda quæ trium liberorum parentes ex lege Papia habebant, capere non poterat vt à tutela, vel cura poſſet excuſari, vt in albo Decurionum poſſet æquari patri habenti filios, ex conſtitutione Imperator. Diocletiani & Maximiani, relata in L. in albo C de Decurion. lib. 10. & vt poſſet omne legatum capere, ſcribi heres, & caduco frui, quod marito exprobrat mœchus apud Iuuenalem ſat. 9. verſ. 87.

Iura parentis habes propter me ſcriberis heres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commoda preterea iunguntur multa caducis,
Si numerum, ſi tres impleuero. iuſta doloris
Nauole cauſſa tui.

Præterea ex lege Papia, qui liberos non haberent non poterant vxoribus ſuccedere, niſi deducta decima bonorum parte, vt docet Vlpian. tit. 15. *Vir & vxor inter ſe decimam matrimonij nomine capere poſſunt, &c. Si verò ius haberent trium liberorum, neceſſariò in omnia bona ſuccedebant.* Hoc igitur ius petit à Domitiano, tanquam munus ſuorum carminum, quibus ſæpè Imperator fuerat delectatus.

1 SOSPITE *quo magnos credimus eſſe Deos.*] Iam diximus ſup. lib. 1. epig. 13. videri nobis hoc loco legendum *manes*. Nam ſi retineas *magnos*, difficulter poteris aptare ſenſum illi verbo, quod Raderum mirè torſit hoc loco.

2 QVOD *fortuna vetet fieri, &c.*] Hæc eſt formula huius iuris petendi, vt annotat doctiſſimus Antonius Auguſtinus libro de legibus & ſenatuſconſultis in lege Papia Poppæa.

3 HÆC *ſi diſplicui. &c.*] Elegans dilemma & diſtichon celebre multorum vſurpatione, cui petitioni aſſenſus eſt Domitianus, & præmij loco ius quod petebat tribuit, vt conſtat ex ſeq. epi. & ex epi. 95. lib. 3. & ex 27. lib. 4. De iure trium liberorum eſt mentio lib. 8. epi. 31. & lib. 9. epi. 68. & facetiſſima illuſio de Munna, in cuius auditorio mira erat à diſcipulis ſolitudo, quem dicit ius trium diſcipulorum petiiſſe, quod ius nuſquam erat. Sed irriſionis gratia confingitur à Poëta.

Iura trium petijt à Cæſare diſcipulorum,
Aſſuetus ſemper Munna docere duos.

Eſt epig. 60. lib. 10.

Ad vxorem. XCII.

Natorum mihi ius trium roganti
Muſarum pretium dedit mearum,
A *Solus qui poterat. valebis vxor.*
Non debet domini perire munus.

Idem Græcè.

Παίδων τελοπαπίων ἐμοὶ δίκαιον
Αἰτιοῦντ᾽ ὤπασεν, ὡς ἐμῶν ἄεθλον
Μουσάων, δυνατὸς μόνος· γυνὰι σύ
Καῖρ᾽ οὔ μοι γέρας ἀργὸν ἔμμεναι χρή.

DOMITIVS.

O *vxor iam valebis*] Id eſt, diſcedes.

MVNVS *domini non debet perire*] Quia debeo eſ-
B ſe contentus munere Cæſaris, & non debeo quærere amplius liberos.

RAMIR. DE PRADO.

Impetrauerat petitum Ius à Domitiano, conceſſerat Imperator id pretium Muſarum. Valedicit vxori, cum iam ſit omnia Iura patrum, Principis benignitate conſecutus.

1 VALEBIS *vxor.*] id eſt, morere, vt ego hereditatem à te capiam munere Imperatoris, quod munus perire non debet, vt dicit ſequenti verſu.

2 NON *debet domini* (ſic enim lego, non *domino.*) *perire munus.*] Hæc enim eſt huius verbi *valere*, ſignificatio. Nam in funere poſtquam præfica illud verbum *ilicet*, id eſt, ire licet, alta voce pronuntiauerat, qui comitati funus erant, demum abituri ex-
C tremum vale dicebant hoc modo: *Vale, vale, vale. Nos te ordine quos natura permiſerit ſequemur.* Sic hoc verbum accipiendum eſt, lib. 5. ep. 67.

Sic erit æternum Pontiliane vale.

Id eſt, tibi valedicam, vt mortuo, & in æternum à te recedam. Varro de L. Latina ſcribit ideo mortuis ſalue & vale dici; non quod valere & ſalui eſſe poſſint, ſed quod ab his recedamus, eos numquam viſuri. Sed planius noſter huius verbi vim expreſſit, lib. 9. epigr. 8.

Iam ſatis eſt: non vir Afer auere, vale

Id eſt, ſi non vis ſalutari, morere. Eſt elegans narratio apud Plutarchum περὶ ἀδολεσχίας, de Fabio illo Maximo, Marciæ marito, qui cum vxori Cæſaris Auguſti conſilio de reuocando ab exilio Agrippa poſthume nepote Marciæ aperuiſſet, & illa Liuiæ, idque reſciſſet Auguſtus, venientem eum de more mane & ſolitum illud dicentem Auguſto *Aue Cæſar*, reſalutauit his verbis, *Vale Fauni*: quod cùm
D ille intelligeret, domum reuerſus manus ſibi intulit. Vel *valebis vxor*, id eſt, à me diſcedes: malo enim Ius trium liberorum ab Imperatore conceſſum, quàm verus liberorum fieri pater: ex te peribat illud Ius liberorum agnatione. Ex qua re finxit facetiſſimum iocum in Dentonem quemdam, id ius à Cæſare petentem, lib. 8. epig. 31. cuius vltimum diſtichum eſt:

Nam dum tu longe deſerta vxore, diuque
Tres quæris natos, quatuor inuenies.

Et Seneca apud Lactantium, lib. 1. de falſa religione, cap. 16. *Cur Iupiter deſijt liberos tollere? vtrum ſexagenarius factus eſt, & illi Lex Papia fibulam impoſuit, an impetrauit ius trium liberorum.*

Ad Regulum. XCIII.

Primus vbi est, inquis, cùm sit liber iste secundus?
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mauis, Regule, primum:
Vnum de titulo tollere iota potes.

DOMITIVS.

PLVS *pudoris*] i. si in medium non venit.

RAMIR. DE PRADO.

Prolepsis est ad Regulum, ad quem misit librum A hunc secundum, qui dubitare poterat cur secundus esset, cum primus nondum in lucem prodiisset: vt etiam videbis ad ep. 1. lib. sequentis. Respondet timidiorem esse primum hoc secundo.

1 VNVM *de titulo tollere iota potes.*] Hoc disticho ostendit nullum seruari in epigrammatis ordinem. Nam cum quodque epigramma opus per se sit, quemadmodum constat ex superiori epigrammate 77.

——Marsi doctique Pedonis
Saepe duplex vnum pagina tractat opus.

Vbi vnum opus, vnum epigramma dicitur: Non sunt inter se apta & colligata, vt vnum ab alio pendeat: quilibet ex his libris primus, quilibet vltimus esse potest. Itaque facetè Regulum monet, vt si velit hunc fieri primum, vnum iota de duobus, quæ titulo præfiguntur, ad significandum binarium numerum, tollat, & erit primus liber.

Finis libri secundi Epigramm. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER TERTIVS.

SVMMA.

Martialis Romanos ciues pertæsus, cùm ab illis nihil acciperet emolumenti Roma profectus in Aemiliam concessit. Vbi hunc tertium librum edidit, ac inde Romam transmisit. Cuius primum epigramma est ad lectorem, in hanc sententiam, Gallia illa, quam à Romana toga, togatam appellant, mittit tibi hunc, qualiscumque est, librum. Quo si priorem magis probas, illud meminisse debes, hunc quoque esse meum, priorémque ideò fortasse placere, quòd Romæ sit editus, hic verò in Gallia Cisalpina.

AD LECTOREM DE LIBRO GALLICANO. I.

HOC tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ nomine dicta togæ.
Hunc legis, & laudas librũ fortasse priorem.
Illa, vel hæc mea sunt, " *quæ meliora putas.*
Plus sanè placeat, domina qui natus in vrbe est.
Debet enim Gallum vincere verna liber.

" Duza per interrogationem legendum autumat, hoc modo, quæ meliora putas?

DOMITIVS.

Hoc tibi, *quidquid id est*] Longo tædio vrbis discesserat Martialis in Galliam Cisalpinam vnde hunc librum mittit, nam quod ait secundo versu:

Gallia Romana nomine dicta toga.

Ego de Gallia Cisalpina intelligo ob tertium epigr. ex quo satis discitur inde mitti librum. Primùm lectorem alloquitur, & indicat vbi liber sit compositus, neque se mirari ait: si fortasse plus placeat superior, qui compositus fuerat in vrbe, quoniam quæ domi nascuntur gratiora sunt externis.

Romanæ *togæ*] Alludit ad Galliam togatam, quæ ab Ancona incipit, cum vt puto velit indicare Galliam Cisalpinam.

Tv *legis hunc*] Nam hunc mittebat librum in vrbem.

Liber *verna*] i. natus domi in vrbe.

Vincere *Gallum*] i. qui mittitur ex Gallia.

Vincere] Gratia superare.

RAMIR. DE PRADO.

A Hoc epigramma & sequens præfationem continet huius libri, & hoc indicat, vbi liber scriptus sit. in secessu scilicet Poëtæ, qui Roma in Galliam Cisalpinam profectus fuerat, quæ Galliæ pars togata vocabatur; quòd in ea togis, velut Romæ vterentur Galli. Dicitque maiorem gratiam habiturum superiorem librum, quòd scriptus Romæ fuerit, quàm hic, qui peregrinus aduenit.

1 Gallia *Romana nomine dicta toga.*] Romanam togam dicit, quòd proprius esset Romanis is cultus: Vnde gens Romana togata appellatur à Principe Poëtarum, lib. 1. Æneid. vers. 286.

Romanos rerum dominos gentémque togatam.

Induebantur itaque hi Galli Romano vestitu, vnde togati dicti sunt.

2 Hvnc *legis & laudas librum fortasse priorem.*] B Priorem librum appellat secundum, superiorem qui potest, inquis, cum tres sint? Respondeo hoc tempore nondum vulgatum fuisse primum, sed secundum prodiisse prius, vt constat ex epigr. superiori vltimo lib. 2. Cumque adhuc premeretur primus, duo tantum noscebantur Poëtæ libri, hic & superior. Ideò dixit priorem. Nam si de primo intellexisset, prohiberetur Latinitatis ratione appellare priorem: Prior enim de eo dicitur, qui præcedit inter duos tantum, quemadmodum de duobus dici non potest primus, sed prior.

3 Illa *vel hæc mea sunt, quæ meliora putas.*] Duza existimat legendum cum interrogatione hunc versum, deceptus illa particula *vel*, quæ disiunctim cõiungit duo, vt sit velut Zeugma propositum Lectori, *vel illa quæ priori libro continentur, vel hæc quæ posteriori sunt mea, quæ putas meliora?* vt respondentem lectorem argueret ignorantiæ, quòd eiusdem auctoris opera non agnosceret, & vnum alteri præferret. Sed hoc inepta sententia prolatum esset à

Poëta, nec est explicatum sequentibus versibus. Retineo igitur veterem scripturam, vt sine interrogatione legam, & sic interpretor, *Illa quæ tu meliora putas, mea sunt, vel hæc mea sunt*: vbi *vel* habet vim argumenti à minori vt cùm dicimus, *hic occidet vel patrem suum.*

4 Plvs *sane placeat Domina qui natus in vrbe est.*] Dominam vrbem κατεξοχικῶς appellat Romam. de quo Epitheto diximus ad lib. 1. ep. 3.

5 Debet *enim Gallum vincere verna liber.*] Vernas appellabant seruos, qui nati domi erant, de quibus diximus, sup. lib. 1. ep. 42. Vernam igitur nominat priorem librum Romæ natum: hunc autem Gallum, quod scriptus esset in Galliis.

Ad librum suum. II.

Cuius, vis fieri libelle munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram citò raptus in culinam
** Cordyllas madida tegas papyro,*
Vel turis piperisque sis cucullus.
Faustini fugis in sinum? sapisti.
Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris vmbilicis.
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index,
Illo vindice nec Probum timeto.

* κορδύλας. Plinius lib. 9. Athen.

DOMITIVS

Cvivs] Alloquitur librum, & hortatur eum, vt sibi paret patronum aduersus obtrectatores, & laudat Faustinum.

Cvivs *vis fieri munus*] Id est, cui vis mitti. Imitatio Catulli;

Cui dono Lepidum nouum libellum.

Vindicem *parare*] i. defensorem.

Tegas *cordillas*] Hi versus sunt apud Persium aliis numeris.

Scombros metuentia carmina, nec thus.

Cordillæ iidem pisces sunt qui thymni, nam thymni simul ac nati sunt, matrem sequuntur, autumno redeuntes ex ponto in magnum mare, cordillæ dicuntur, cùm se immerserint cœno, pelamides: πηλὸς enim Latinè cœnum, post annum appellantur thymni.

Cordyllas] Pisciculos.

Papyro *madida*] Nam neglectæ papyri in hūc vsum adhibebantur, siue scriptæ essent, damnatis carminibus, siue non scriptæ, sed tunc erat illud genus papyri, quod emporeticum, dicitur deprauata dictione apud Plin. amphoreticum.

Cvcvllvs] Tegmen thuris, & piperis venditi.

Favstini] Alibi meminit.

Sapisti] Optimum cepisti consilium.

Cedro] Oleo cedrino, quod seruabat chartas.

Lvxvrieris] i. luxuriosè orneris vmbilicis pictis.

Index] Titulus: coccum mittebat Gallia præcipuum, licet Pisidia & aliæ prouinciæ mitterent,

A vnde vestes coccinæ fiebant præcipuo colore ingenti pretio.

Illo *vindice*] Patrono Faustino.

Probvm] Probum posuit pro seuerissimo castigatore: nam M. V. Probus emendandis libris, soli, nec vlli alij grammatices parti deditus, reliquit non mediocrem syluam obseruationum sermonis antiqui.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc epigramma vrbanam, & sane Poëticam huius libri Prosphonêsin, ad Faustinum amicum suum, à quo si recipiatur, dicit securum esse posse à criticorum morsibus. Quam sententiam eandem expressit aliter, lib. 4. epigr. 87.

1 Festina *tibi vindicem parare.*] *Vindex* is dicitur, qui alterius causam suscipit vindicandam & defendandā. Sic scriptores in prosphonêsi eos ad quos B libros suos mittunt, vindices sumunt ad sui defensionem. Hoc nomine vsus est, sup. lib. 1. epigr. 54.

Indice non opus est nostris nec vindice libris.

Id est, nullo cognitore meorum librorum opus est, nec assertore, vt ibi superiori epig. 53. assertorem allegat sibi Quintilianum in causa libertatis.

2 Favstini *fugis in sinum.*] Illa voce *sinum*, fauorem Faustini significat Poëta, vt diximus sup. lib. 2. epigr. 6.

3 Cedro *nunc licet*, &c.] De librorum veteribus ornamentis & picturis diximus, sup. ad lib. 1. ep. 67. quæ per quinque sequentes versus complectitur omnia Poëta, quo significat Faustino vindice & defensore libellum hunc magni æstimandum iri, nec fore vt timeat cordyllas, aut piper, & fore vt habeat: *Nec scombros metuentia carmina, nec thus*, vt ait Persius, sat. 1.

4 Illo *vindice nec Probum timeto.*] Doctissimus C Casaubonus ad librum Suetonij de Claris Grammaticis existimat hunc Probum esse M. V. Probum Berytium Phœnicem, qui Romæ floruit sub Nerone, vt constat ex Chronicis Eusebij, qui, vt colligitur ex eodem Suetonio, emendationi librorum deditus fuit. & ideò criticótatos fortè, sed alias legitur probrum, quod fortasse aptius est: nam Grammaticum illum nō audimus Martialis tempore celebrem fuisse fama; nam superesse non poterat, verum, vt idem Suetonius affirmat, idem ipse animaduerterat se contemni, magisque opprobrio legentibus quàm gloriæ & fructui esse.

In mulierem deformem. III.

D *Formosam faciem nigro medicamine * velas:* * v. Celsus.
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede deam verbis tibi dicere nostris,
Aut aperi faciem, vel tunicata laua.

DOMITIVS.

Formosam] In mulierem, quæ rugas medicaminibus cælabat vultus, corpus deforme lauabat. faciebat hoc, vt formosa videretur, cùm tamen ipsum corpus proderet faciem esse deformem.

Lædis] Aquas lauando.

Deam] Aquarum.

Aperi] Detege faciem nigro medicamine, vt videamus an sis formosa.

AVT *tunicata laua*] Ne corpus quòd cernimus non formoſum, doceat faciem eſſe deformem. A

RAMIR. DE PRADO.

Irridet ſtultam fœminam pulchra facie & fœdiſſimo corpore. quæ cum tegere corpus & aperire faciem debuiſſet, contra celabat faciem & nudum corpus oſtendebat.

1 FORMOSAM *faciem nigro medicamine velas.*] Non eſt veriſimile ſic legendum eſſe. Quo enim modo medicamine ad lauandam inungeret faciem, & quidem nigro: deinde inſolens dicendi modus eſt, *velare medicamine*, obtegere, inungere, operire dici poſſet. Ego legerem libenter *nigro velamine celas.* Quorum vltimum verbum eſt in veteri Codice: hæc enim fœmina ſubligar adoptauerat ori quod Chione fellatrici ſuadet, lib. 3. epig. 86.

Si pudor eſt, transfer ſubligar in faciem.

2 IPSAM *crede Deam verbis tibi dicere noſtris.*] Pro Dea, intellige aquam, cui Numen ineſſe credebant veteres: vnde appellatæ Lymphæ vel Nymphæ aquæ: hoc autem colligebant ex perennitate ſcaturiginis, quam exiſtimabant abſque numine eſſe non poſſe. Hinc fontes ipſos ſacros vocabant. epigr. 57. lib. 4. *Ergo ſacri fontes, & litora ſacra valete.* Et etiam aquam ex iis ſalientem. Horatius, ode 1. li. 1. B

Nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Sic fluminibus Dij ſui aſſignabantur, & expiationis vim habere credebant, vndas fluminis, & fontes. Virgil. lib. 2. Æneid.

Tu genitor cape ſacra manu patrioſque penates,
Me bello ex tanto digreſſum & cæde madentem
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero. Et Perſius, ſat. 2. verſ. 16.
Hæc ſanctè vt poſcas, Tyberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas. C

Et Iuuenal. ſat. 6.

Ter matutino Tyberi mergetur, & ipſis
Verticibus timidum caput abluet.

Ouid. 4. faſtorum.

Bis caput intonſum fontana ſpargitur vnda.

Tibull. El. 1. lib. 2.

Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Illiſque fluminibus ſacrificabant, vt Diis; Strabo, lib. 15. de Perſia & Perſarum moribus. *Aqua*, inquit, *ſacra peragunt hoc modo; in lacum, vel flumen, vel fontem venientes ſcrobem faciunt, ibique hoſtiam iugulant*, &c. Neque verò Perſas ſacrificaſſe tantum fluminibus, ſed Romanos etiam legimus. Eſt Plutarchi teſtimonium in Lucullo, qui ſcribit Lucullum Euphratem fluuium tranſiturum, pro tranſitu ei fluuio Taurum immolaſſe, quæ hoſtia & fluminum, D quia Neptuni, erat. ei namq. fiebat Tauro nigro, quod maris eius coloris eſſe videretur. vt enim alij, ſic etiam aquarum niger aliquando eſt color. Virg. initio 5. Æneid.

——*fluctuſque atros Aquilone ſecabat.*

Vnde emendationem Fornerij rerum cottid. lib. 1. cap. 15. ad l. 1. §. Imbre. ff. de aqua & aquæ pluuiæ arcendæ, calculo albo ſignandam duco, dum pro *increſcit*, [*nigreſcit*] legit. Sed tamen propria fluminum hoſtia apud Perſas equus erat, & quidem albus. Herodotus Halicarnaſſeus in Polyhymnia deſcribens iter Xerxis in Thraciam, ſic inquit: *Hinc meridiem verſus ad ipſum ſtrymona, ad quem Magi mactatis equis candidis litauerunt. His & alijs compluribus medicamentis in flumen factis per nouem vias Hedonorum iêre, &c.* Hinc intelliges locum Cornelij Taciti Annalium lib. 6. vbi cum narraret perueniſſe ad Euphraten Vitellium cum Tiridate Perſa: ſcribit *Sacrificantibus cum hic more Romano ſuóue taurilia daret, ille equum placando amni adornaſſet, nunciauere accolæ Euphraten nulla imbrium vi ſponte in immenſum attolli.* Qui locus negotium faceſſit doctiſſimo Lipſio, qui ſcribit Soli à Perſis equo fieri, idque rectè ex Ouidio, Iuſtino, Xenophonte, Pauſania probat. At de amne nihil ſibi lectum fatetur. Sed fuit hoc in magno viro μνημονικὸν ἁμάρτημα, vt patet ex locis à nobis adductis.

Ad librum ſuum. IIII.

Romam vade liber. ſi, veneris vnde, requiret
Corneli referas me licet eſſe foro.
Cur abſim, quæret breuiter: tu multa fatere.
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.
** Si quando veniet, dicet: reſponde, poëta*
Exierat: veniet, cùm citharœdus erit.

* Ita habet vetus codex alii legunt Quando venit, dicet, tu reſpondero, vt vitent (credo) offendere de Imperatiuo ſecundæ regulam.

DOMITIVS.

ROMAM] Alloquitur librum; duæ erant viæ Æmiliæ: altera quæ Flaminiam excipiebat, de qua hîc loquitur. Altera, quam ſtrauit Scaurus, per Piſas, & Lunam in Sabatios vſque.

FORVM *Corneli*] Mutato nomine nunc Imola dicitur.

FATERE *multa*] i. nimis multa paucis verbis.

VANÆ *togæ*] Vel variæ, quia vt ſcribit, inter togatos ambulabat, id eſt, inter ambulones, ex quo nihil accipiebat, quod eſſet libero homine dignum, & propterea togam vanam dixit, vel vanæ togæ Romanorum togatorum, quia vani, & nullius emolumenti erant in clientes, placet prior ſententia.

EXIERAT *poëta*] i. quoniam erat poëta exiuit.

VENIET *cùm citharœdus erit*] Redibit, quia citharœdi in pretio ſunt Romæ, non poëtæ. Ita figuratè tempora ſua notat.

RAMIR. DE PRADO.

Loquitur cum libro ſuo, quem Romam mittit, & continet epigramma iuſtam quandam Poëtæ indignationem. Queritur enim de Romanorum faſtidio & de corrupto eorum iudicio, qui eo tempore cytharœdos longè præferebant Poëtis.

1 CVR *abſim quæret breuiter, tu multa fatere.*] Male diſpunctus verſus, diſpunxit Modius, & placet ita:

Cur abſim quæret, breuiter tu multa fatere.

Eſt enim elegans antitheſis in *breuiter*, & *multa*. Quod ſi illud *breuiter* coniungas cum *quæret*, inepta erit ſententia, quî enim poterat ſcire Martialis an Roma breuiter vel prolixe eſſet quæſitura? Illud autem *Multa*, Emphaſim demonſtrat ſequentis verſus, illorum ſcilicet verborum,

——*vanæ tædia togæ.*

Nam in vanitate togatorum multa ſunt quæ ferri non poſſint.

2 RESPONDE, *Poëta Exierat, veniet cum cytharœdus erit.*] In his verbis totum fel huius epigrammatis eſt, quod eo tempore cytharœdi pluris fiebant, quàm ceteri artifices. quod idem queritur Iuuenalis, ſat. 3. multis verſibus: Eratque ea ars pecunioſa, vt lib. 5. epig. 75.

Artes diſcere vult pecunioſas?
Fac diſcat cytharœdus aut choraules.

Et Sueton.

Et Sueton. in Vespasiano cap. 19. ingentem pecuniæ vim donatam Terpno Diodoroque cytharœdis ab eod. Vespasiano testatur.

Ad eundem. V.

Vis commendari, sine me cursurus in vrbem,
Parue liber, multis? an satis vnus erit?
Vnus erit, mihi crede, satis, cui nō eris hospes,
Iulius, aßiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc adeas, primiq; in limine tecti,
Quos tenuit Daphnis, nūc tenet ille Lares.
Est illi coniux, quæ te manibúsque, sinúque
Excipiet, vel si puluerulentus eas.
Hos tu seu pariter, siue hanc, illúmue priorē
Videris, hoc dices, Marcus, auere iubet.
Hoc satis est. alios cōmendat epistola. peccat
Qui commendandum se putat esse suis.

DOMITIVS.

VIS *commendari*] Ad librum iterum.

AN *vnus multis satis erit*] Hospites dicuntur amici externi, propterea ait: Tu non eris Iulio amicus externus, sed popularis, & ex ipsa vrbe.

NOMEN *in meo ore*] Quia eum sæpè celebro carminibus meis.

PRIMI *in limine tecti*] Domus nostræ, quia vicinus erat Iulius Mart.

DAPHNIS] Græcè, Latinè laurus. Mart. Lauros habuit vicinas ad porticum Vipsanum, quòd dixit.

At mea vipsanas spectant cœnacula lauros.

Propterea vicinum hominem, qui domui suæ lauretum illic olim habebat, ficto nomine appellat Daphnidem. Daphnis præterea olim fuit Mercurij, & Nymphæ filius, qui & ipse ita est appellatus, quoniam in sylua laurorum in Sicilia esset natus. Is amisit oculos, cùm ebrius immemor minatum Nymphæ, si cum aliqua alia rem haberet, regis filiam stuprasset.

HOS *pariter*] Iulium, & vxorem.

RAMIR. DE PRADO.

Est alia prosphonesis huius libri, ad Iulium Cerealem amicum suum, concepta per apostrophen ad eundem libellum, quem rogat, velitne multis an vni tantum commendari. Respondétque ipse vni tantum esse Iulio: docet qua ad eius domum sit iturus, vbi habitet, excusátque eleganti sententia defectum literarum.

1 CVI *non eris hospes.*] id est, eris familiaris. Quod vltimo versu magis explicat, cum dicat Iulium & coniugem eius suos esse. hospites autem non vocabant suos.

2 ASSIDVVM *nomen in ore meum.*] quod quàm plurima in toto opere epigrammata sunt, in quibus fiat de Iulio mentio.

3 PRIMIQVE *in limine tecti, quos tenet Daphnis, &c.*] Obscurus locus. Quid enim est, *in limine primi tecti*? cum non dixisset, qua regione, qua via habitaret Iulius, & in ea vicinia illud primi tecti limen esset. Sensit difficultatem Domitius, & finxit vicinum fuisse Iulium Martiali, & contiguas ambas domos esse, & ideò dixisse *primi tecti*, quasi prioris nostræ A domus, id est, quam habitabamus Romæ, antequam ad Cornelij forum venissemus. Ducitur hæc coniectura; quòd Martialis habitabat ad Vipsanam porticum, vbi erat Lauretum, vt dixit sup. lib. 1. ep. 109.

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

Cumque hic dicat Daphnem possedisse domum illam, Daphnis autem laurum significet, hinc colligit domum Cerealis ad Lauretum Vipsanæ porticus, in ea Martialis vicinia sitū fuisse, sed quam multa peccet paucis verbis, & quam decipiatur etiam Raderus, qui eum sequitur, paucis obserua. Primum si hic liber fingitur natus in foro Cornelij, qui nunquā Romam viserat, qui poterat non admonitus scire, vbi dominus eius Romæ habitauerat: Deinde erat vnicum Romæ in porticu Vipsana Lauretum. Nonne notissimum est fere totam consitam esse Lauris? quas vnico triumpho populabātur omnes? Præterea quid illud monstri est, tenere Iulium eos lares quos Lauretum antea tenuerat? Quis vnquam somniauit B Lauretis, Pinetis, aut Populetis, aut aliis arbustis Lares tribui? Lares à Religione habitantium in domibus originem traxēre. Lauri non dicuntur habitare. Esset enim absurda locutio. Tandem quæ Latinitatis ratio patitur vt dicturus Martialis in domo quam Romæ habitabamus, diceret, *in limine primi tecti.* Si duas habitasset, diceret potuisset, *in limine prioris tecti.* Sed *primi* qui poterat? & dicturus iuxta domum nostram priorem, quî dicit *in limini primi tecti*? Diceresne Latinè habitat aut tenet domum in ædibus meis? dicturus iuxta ædes meas Locum sic intelligo. Iulius Cerealis habitabat in prima statim domo ingredientibus Romam ab Æmilia via, hanc appellat limen tecti primi: quod si non ita esset, descripsisset suo more regionem, viciniam & viam, vt fecit lib. 1. epig. 71. à C foro autem Cornelij, quæ hodie Imola dicitur, per Æmiliam viam nulla erat Romam vsque erratio, sed recta ibatur. Ingresso vrbem Iulii domus prima occurrebat. Eius autem ædes prior possederat Daphnis quidam, fortè diues aliquis libertus. Viri enim nomen proculdubio Daphnis est, non Laureti.

4 MANIBVSQVE *sinuque excipiet.*] id est, tanquam carum amplectetur & fouebit, de quo dictum est lib. 2. epi. 5. & 6. epig. 2.

5 PECCAT *qui commendandum se putat esse suis.*] Aurea sentētia, quam aureis verbis prosequitur breui & eleganti epistola 57. lib. 1. Symmachus, *Incivilis enim iudicatur is, qui iis quibus amore & alijs necessitudinibus est coniunctus, quàm diligentissime se commendat.*

D

Ad Marcellinum. VI.

Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias,
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.
Imputat ætherios ortus hæc prima parenti:
Libat florentes hæc tibi prima genas,
Magna licet dederit iucundæ munera vitæ,
Plus numquam patri præstitit illa dies.

DOMITIVS.

LVX *tibi*] Marcellinus die natali patris, deposuit primam barbam, ait Mart. duplicem esse causā celebrandi diei, quòd eo & pater natus sit, & filius deposuerit primam barbæ lanuginē: nā lanugo hæc depo-

nebatur magna celebritate conuiuiorum, & ludorum, & indicium erat vitæ initæ virilis ætatis.

Hæc prima] Hoc die natus est pater tuus.

LIBAT] Id est, decedit, quia deposuisti primam barbam.

ILLA *dies*] Licet dederit iucundam vitam patri, quia eo natus est, nunquam præstitit amplius, quàm quod reddidit te virum.

VEL *patria*] Accipe absolutè, vt dicat nullus pater plus accipit ab eodem die, vt & natalem suum celebret, & depositam filij lanuginem.

RAMIR. DE PRADO.

Marcellinum donat huius epigrammatis munere, vt celebret diem decimum quintum Kalend. Iunias, natalem eius patris, & in quo ipse Marcellinus primam barbam deposuit, testimonium virilitatis, pluris æstimandam esse diem hanc à Marcellini patre, ob barbæ depositionem, quam ob natalem suum affirmat.

1 TVIS *bis celebranda sacris.*] Celebrabant filij diem natalem parentum, & contra parentes filiorum. Dies autem depositionis barbæ, vel tyrocinij celebris erat Romanis, & solemnis per totum vitæ cursum. Duplicatis igitur sacris ait celebrandum esse diem alteris, ob patris natalem, alteris ob tyrocinium proprium.

2 IMPVTAT *æthereos ortus hæc prima parenti.*] Poëticè dictum *natalem diem* nota, vt apud Persium, sat. 2. vers. 1.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponet candidus annos.

3 LIBAT *florentes hæc tibi prima genas.*] id est, hac die primam barbam deposuisti. Vulgaris ac notissima veterum consuetudo deponendæ barbæ multis testimoniis confirmata à Criticis nostris: vt ex Suetonio in Nerone, cap. 12. de depositione solemni barbæ Neronis. *Gymnico* (inquit) *quod in septis edebat, inter Buthysia apparatum barbam primam posuit, conditámque in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecrauit.* Et Petronius in satyr. de Trimalcione, *Præterea grande armarium in angulo vidi, in cuius ædicula erant lares argentei positi, Venerisque signum marmoreum, & pixis aurea nõ pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant*: Vide Lipsium ad 14. Annal. C. Taciti: sed adiunge pulcherrimum ex Suetonio locum eidem rei confirmandæ, in Caligula, cap. 10. *Vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tyberio, vno atque eodem die togam sumsit, barbamque posuit, sine vllo honore, qualis contigerat tyrocinio fratrum eius.* Vbi nota non solere eodem die & sumi virilem togam, & deponi barbam: Nam aliquando imberbes togam sumebant, sumta toga deducebantur à cognatis ad forum; & hic dies tyrocinij dicebatur. Laudatissimum Luculli tyrocinium fuit, qui quo die togam virilem sumsit, accusatorem patris sine iudicio afflixit; vt refert Plutarchus in eius vita.

De sportula. VII.

Centum miselli iam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi,
Quos diuidebat balneator elixus* (*Vide Turnebum lib. 30. cap. 30.)
Quid cogitatis ô fames amicorum?
A *Regis superbi sportulæ recesserunt.*
Nihil stropharum est: iam salariũ dandũ est.

DOMITIVS.

CENTVM] Domitianus sportulas sustulit, Suet. in eo c. 7. dabantur autem centum quadrantes pro sportula his qui vnà lauabantur, quod suprà indicauit. *Dat Baiana mihi*, Lætus Mart. & insultans diuitibus, qui exigua sportula, interdum cibo comites conducebant, ait eos non debere amplius sperare comites exiguo cibo, sed esse recto & legitimo salario opus.

ELIXVS] Decoctus aquis balneorum.

O *fames amicorum.*] i. ô diuites, qui cogebatis amicos esurire tenui sportula.

QVID *cogitatis regis superbi.*] i. diuitis, vt suprà.

Tumidóque anteambulo regi.

B STROPHARVM] Potes legere, id est, alimentorum, quasi dicat, amplius non dantur cibi in sportulam, quod non placet, lege stropharum, nam Strophæ, præstigiæ, & occultæ fraudes sunt, vt appellet sportellam strophas, quasi rem fallacem, & cuius dulcedine multi decepti tempus frustrà terebant. Plin. in epistolis hoc verbo vtitur. Hic, inquit, dixi distrophas facis, & alibi Mart.

Iam stropha talis abit.

RAMIR. DE PRADO.

Insultat diuitibus sui temporis, qui togatorum greges adducebant allectos sportula centum quadratum, occasione sumta ab edicto Domitiani, qui vt scribit Sueton. cap. 7. Sportulas publicas sustulit, reuocata cœnarum rectarum consuetudine. & ita
C Neronis edictum obliterauerat, qui vt Suetonius scribit, in eius vita, cap. 16. publicas cœnas ad sportulas redegerat. De eadem re infr. ep. 11. & epig. 30.

Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis.

Et epi. 60. *Sportula quod non est, prosit, edamus idem.*

1 CENTVM *miselli iam valete quadrantes.*] Centum quadrantes sportulam complere Martialis tempore testatur ipse, lib. 1. epig. 60.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum.

Et lib. 6. ep. 88.

Quanti libertas constet mihi tanta requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Et lib. 10. ep. 74. ——*quandiu salutator*
Anteambulones, & togulatos inter
Centum merebor plumbeos die tota. & seq. epigr.
Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum.

D Sed aliquando diuitis voluntate augebatur sportula, vt faciebat Diodorus ille, qui natali suo largiebatur tricenos nummos, lib. 10. ep. 27.

Attamen quotidiana erat huius summa, quam diximus. Iuuenal. sat. 1.

——*densissima centum*
Quadrantes lectica petit, &c.

Vnde defraudantes genium solebant subducere pensionem domus, seruorum alimenta, & alia quæ enumerauimus ad epigr. 68. lib. 2.

2 ANTEAMBVLONIS *congiarium lassi.*] De anteambulonibus dictum est lib. 2. epigr. 18. & quare sportulam congiarium appellet: vide supr. lib. 1. epig. 12.

3 QVOS *diuidebat balneator elixus.*] Alludit ad illud epigrammatis 60. lib. 1. vbi in Baiis præbebantur centum quadrantes pro sportula: *elixus* autem dixit quasi balnei calore & vapore coctus.

4 O *fames amicorum.*] Amicos diuites famem amicorum inferiorum vocat, quod centum quadrantes tantum largirentur ad omnem victum & cultum; vt dictum est sup. epig. 60. lib. 1.

5 R E G I S *superbi sportula recesserunt.*] Intelligit Neronem, quem etiam regem appellat, sup. lib. spectac. ep. 2. *Inuidiosa feri radiabant atria Regis.* Nero autem, vt dixi, cœnas rectas ad sportulas redegerat.

6 N I L *stropharum est.*] Ignotum est hoc loco cur strophas dicit, vbi enim strophæ sunt in sportula? Centum dabantur quadrantes, centum petebantur, nihil hic stropharum. Sed reconditus & subtilis est horum verborum sensus; & mos quidem à nemine hactenus animaduersus. Potentiores illi diuites, qui pauperum togatorum operas conducebant, quique pro sportula diuidebant centum, vt dictum est, quadrantes: hoc appellabant conuiuium, & hos sportularios conuiuas: quid? quod per vocatorem eos cogebant & inuitabant. Constat hoc ex epig. 26. lib. 12.

Nec venit ablatus clamator verna lacernis,
Accedit gelidam seruus ad auriculam,
Et rogat vt cœnes secum Laterius, inquit,
Viginti nummis non ego malo famem?

Hinc liquet sensus obscurissimi illius epigrammatis 68. li. 4. *Inuitas centum quadrantibus, & bene cœnas:*
Vt cœnam inuitor Sexte an vt inuideam?

Vnde colligo, primum inuitari sportularios. Deinde interesse spectatores cœnæ illius diuitis, à quo sportulam accipiebant. Nam hic Sextus inuitabat ad sportulam, & coram inuitatis lautè & opiparè cœnabat: miselli autem illi spectatores deuorantes fercula oculis tantùm inuidebant regi cœnanti. Hoc conqueritur Martialis, se vocari ad cœnam nomine, reapse verò ad inuidendum. Eratque notissimum quot nummis quisque horum potentiorum inuitaret, lib. 9. epig. 103.

Denarÿs tribus inuitas, & mane togatam
Obseruare iubes atria Basse tua.

Et communis loquendi formula: ille tot denariis, hic tot quadrantibus inuitat. Quod idem dicebatur & conuiuari, vt colligitur ex duobus locis Suetonij: priori, in Augusto, cap. 74. *Conuiuabatur*, inquit, *assiduè neque vnquam nisi recta, non sine magno ordinum hominumque delectu.* Ergo alij non recta, sed sportula conuiuabantur: posteriori in Vespasiano, cap. 19. *Sed & conuiuabatur assiduè, ac sæpius recta* (sic enim est legendum) *ad dapsile vt macellarios adiuuaret.* Vnde facetè Claudius munus illud gladiatorum, quod in septis extraordinarium & breue dierumque paucorum, appellabat sportulam: quia primum daturum se dixerat, velut ad subitã condictáq. cœnulam inuitare se populum, vt inquit Suetonius cap. 21. Dicit igitur iam imposturam illam diuitum periisse, qui inuitare, conuiuari, & habere conuiuas dicebantur, cum tamen nullus apud eos cœnaret. Sed sportulis datis dimitterentur omnes cõuiuæ: has appellat strophas, & nihil iam stropharũ esse gaudet.

7 I A M *salarium dandum est.*] Verbum Græcum ἀλάριον, id est, *σιτηρέσιον*, id est, victum vnius diei & sic appellat cœnam rectam: quod Romani cœna sola in diem pascebantur.

* Interpres cæcutire hic videtur, cũ sugilletur ab authore Quincti insania, qui amore cæcus luscam amicam, ipse oculis abutẽs adamaret.

In Quinctum. VIII.

* *Thaidus Quinctus amat. quam Thaida?*
Thaida luscam.
Vnum oculum Thais non habet, ille duos.

A

DOMITIVS.

T H A I D A] Cùm luscam & deformem possit amare.

I L L E] Non habet duos oculos, nam cæcus est.

RAMIR. DE PRADO.

Cæcitatem Quinti non oculorum, sed ipsius animi irridet hoc epigrámmate. Amabat enim Thaida meretricem luscam, quam nemo nisi cœcus amare posset: Illa, inquit, vno caret oculo. Quinctus verò duobus. Estque iocus à proprietate ad metaphoram. Illa namque propriè vno carebat oculo: hic verò metaphoricè duobus. Vide proximum epigr. 11.

In Cinnam. IX.

B *Versiculos in me narratur scribere Cinna.*
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

RAMIR. DE PRADO.

Perstringit Cinnam detractorem suum, qui versiculos subinde contra eum scribebat. Negat scribere Cinnam, quod eius carmina à nemine legantur. Is enim scribere dicitur, cuius scripta leguntur & cognoscuntur. Illa verò, quæ nullus nouit, non scripta dici possunt. Sic lib. 6. ep. 64. in detractorem,

Audes præterea, quos nullus nouerit in me
Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.

In Philomusum. X.

C *Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina*
Menstrua, pérq; omnes præstitit illa dies,
Luxuriã premeret cũ crastina semper egestas;
Et vitÿs esset danda diurna tuis;
Idem te moriens hæredem ex asse reliquit;
Exhæredauit te Philomuse pater.

Idem Græcè.

Σοὶ Φιλόμουσε πατὴρ συνέταξεν χίλια διπλᾶ.
Ἐμμηνῶ, εἰς πάντ' ἄρ' ἤματα πάντα πόρε·
Σεῖο δ' ἀτασθαλίαις ἔνδεια ἐφέσπετο λυγρή,
D Καὶ λαγνείη σοῦ χρῆσεν ἐφημερίων·
Εἶτα θνησκόμενος γε πατήρ σ' ἐπίκληρον ἔλειπε·
Ὧδ' ἀπεκληρώσατό σ' ὦ Φιλόμουσε, πατήρ.

Ἀποκλήρωσις heredis exheredati, remanet in ἐπικλήρῳ ἀποκλήρῳ.

DOMITIVS

C O N S T I T V I T] Philomusus prodigus erat, & à patre accipiebat duo millia singulis mensibus, ne consumeret hæreditatem vna prodigalitate, postea pater moriens constituit hæredem & non reliquit duo millia in toto asse, ergo pater exhæredauit, quia non dabit amplius singulis mensibus duo millia per omnes dies quoad vixit: vel exhæredauit, quia tantum dedit, vt nihil moriens relinquere potuerit, quod placet.

E G E S T A S *crastina*] i. cũ vno die tantũ cõsumeres

vt in sequenti nihil superesset.

Ex *asse*] Tota hæreditate in qua non erant duo millia.

Pater *exheredauit*] Quia non dabit amplius duo millia singulis mensibus, vt dabat: sed cùm viuus illa daret, tunc se exhæredabat, quia nihil inde superfuit.

RAMIR. DE PRADO.

Argutissimum epigramma in Philomusum quendam nepotem, cui pater menstruam pensionem cōstituerat, eamque subducta ratione per singulos dies præbebat, quo effectum est, vt vniuersa patris pecunia pæne absumeretur: ita vt mortis tempore fere nihil, aut parum haberet rei familiaris. Hæredem extremis tabulis filium ex asse reliquit: facetè Martialis exhæredasse dicit, quod nihil reliquisset. Estque iocus in ambiguo: Nam *nihil tibi reliquit*, intelligi potest eò, quòd te exhæredauit, & idem, *nihil tibi reliquit*, quòd iam omnia consumserat.

1 Constitvit *Philomuse pater tibi millia bina.*] Si illud millia bina sestertia sint, efficitur summa duorum computorum nostratium, quæ ad menstruam pensionem non est credibile fuisse filio à patre constituta, quamuis Romanorum opes immensæ id temporis erant: sed si modestius agamus, & bina millia nummum sestertiûm masculina capias, constituunt viginti millia marauetinorum nostratium. Sed vtramuis summam intelligas, idem erit sensus. Nam vel opulentissimus erat Philomusi pater, & ei bina millia sestertia menstrua constituerat, vel non adeò diues, & duo millia sestertiûm masculinorum dabat filio menstrua. Quicquid horum sit, exhausta eius est res familiaris his impensis, ita vt moriens nihil filio relinquere potuerit.

Ad Quinctum. XI.

Si tua nec Thais, nec lusca est, Quincte, puella:
Cur in te factum distichon esse putas?
*Sed simile est aliquid: pro Laide, Thaida * dixi.*
Dic mihi, quid simile est, Thais, & Hermione?
Tu tamē es Quinctus: mutemus nomē amātis,
Si nō vult Quinctus, Thaida Sextus amet.

* Palm. eod. dixi.

RAMIR. DE PRADO.

Succensuerat Martiali Quinctus quidam, ob superius nonum epigramma, quod diceret se scommate notari. Amabat ipse Quinctus Hermionen quamdam. Refutat igitur Poeta irrisoriè Quincti accusationem, hoc modo: Si tua puella, ô Quinte, nec Thais vocatur, nec lusca est, cur existimas distichon illud in te esse factum? Si puella tua Lais vocaretur aliquid poterat videri simile, quod Thais & Lais affinia quodammodo nomina sunt. Sed si tua puella vocatur Hermione, quid simile habet cum Thaide? At dices tu, Quinctum notasti, eo disticho, & ego Quinctus sum. Mutemus amantis nomen. Nam cum ego ludam semper nominibus fictis, quid interest Quinctum vocem an Sextum, Thaidis amatorem? sit amator Sextus: sicque tota lis dirimi poterit.

A

In Fabullum. XII.

Vnguentum fateor bonum dedisti
Conuiuis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere, & esurire.
Qui non cœnat, & vngitur Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

Idem Græcè

Χθὲς μῦρ' ἀχειλιπὲς ἔδωκας, ὦ τάν,
Σοῖσιν δαιτυμόνεσσιν, οὔτι τέμνεις·
B Γεινῆν, ὧ δ' ἄρα ὄζειν, πικρόν τι.
Οὐ δειπνῶν εἰ ἀλείφεταί τις, οὗτος
Ἤδη φαίνεται ἀτρεκὲς νέκυς μοι.

DOMITIVS.

Vngventvm] Corpus mortuorum lauabatur. Ennius.

Tarquinii corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Et Virg.

Corpúsque lauant frigentis & vngunt:

Tum Fabullus acceperat conuiuas, vt vngerentur, vt moris erat.

Sed *nihil scidisti*] Ad comedendum.

Salsa] Perfaceta est.

Mortvvs] Quia mortui vnguntur, & non comedunt.

C

RAMIR. DE PRADO.

Fabullum nimis elegantem conuiuatorem carpit, qui cum optimo vnguento hesterna cœna conuiuas vnxisset, eos tamen famelicos dimiserat. Salsa irrisione hos conuiuas mortuis comparat, qui inunguntur, & non cœnant.

1 Sed *nihil scidisti.*] Conuiuale verbum, scindebantur enim obsonia, vt conuiuis diuiderentur: qui verò nihil scindebat, nihil diuidebat. infr. epigramm. 93.

Esse negas coctum leporem poscisque flagella,
Mauis Rufe coquum scindere, quàm leporem.

Hic bellus conuiuator obsonia non scindebat, sed integra iubebat tolli à mensa, vt sequenti epigrammate: fortè vt iisdem cœnas alias explicaret, vt diximus ad lib. 1. epigr. 100. & 104. de scissoribus autem & carptoribus ciborum diximus affatim, sup. lib. 1. epig. 51.

D 2 Re*s salsa est bene olere & esurire.*] Est amarulenta irrisio, quàm fames extorserat Poëtæ: similis est sup. lib. 1. epigr. 60.

Tam male cùm cœnem, cur bene Flacce lauor?

3 Qvi *non cœnat & vngitur Fabulle. Hic verè mihi mortuus videtur.*] De vngendis cadaueribus defunctorum communis locus. Vide quæ hic Raderus cumulat, & adde in Iure nostro Macrum Iurisconsultum in L. funeris 37. P. de religios. & sumtibus funerum: *Funeris sumtus ille*, inquit, *accipitur, quicquid corporis causa, veluti vnguentorum erogatum est.* & Vlpianum, in L. & ideo 7. de in rem verso. §. illud. 3. cuius verba sunt: *Illud plane verū est, quod Labeo scribit. Si odores & vnguēta seruus emerit, & ad funus erogauerit, quod ad dominū suū pertinebat videri in rē Domi-*

ni versum. sic Sanctus Orientius episcopus Illyberitanus de cadaueribus defunctorum resurgendis.

Non modò. quæ tumulis benè condita saxa reseruant,
Aut aridum solidans puluis odórque tenet.

Vbi vide, quæ notauimus.

In Næuiam. XIII.

Dum non vis leporem, dum non vis carpere nullum,
Et plus quàm patri, Næuia, parcis apro:
Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit. numquam sic ego crudus ero.

DOMITIVS.

DVM] Crudus significat cibum non coctum. Crudus item significat hominem, qui bene non concoxit. In hoc iocatur Martialis: accusat auaritiam Næuiæ.

PARCIS] Abstines ab apro.

RVMPIS] Laceras. Hoc pacto, non apponendo aliquid.

NVNQVAM *ero sic crudus*] i. nunquam accidit, vt bene non concoxerim nihil edendo. Iocatur in hoc verbo crudus.

RAMIR. DE PRADO.

Liquet epigramma ex superiori, & ex his, quæ diximus de scissoribus, & de seruandis ad alias cœnas explicandis, & ex dicto epigrammate 93. inf. Hæc Næuia, ne scinderet & carperet ea, quæ apponebantur, caussabatur coqui negligentiam, & obsoniorum cruditatem. Salse dicit Poëta: *Numquam sic ego crudus ero*: *Crudus* enim his dicitur, qui non concoquit cibos. Noster lib. 12. ep. 77.

Ebrius & crudus nil habet agricola.

Et Horatius lib. 1. epist. 6. in fi.

——crudi tumidique lauemur,
Quid deceat, &c.

Sic Iuuenal. sat. 1. vers. 143.

Et crudum pauonem in balnea portas.

Id est, quem stomachus non concoxit. & Persius, sat. 2. vers. 65.

——non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres.

Qui verò non comedit, crudus esse non potest.

De * Tucio. XIV.

v. Tuscio.

Romam petebat esuritor " Tucius, *v. Tusclus.*
Profectus ex Hispania.
Occurrit illi sportularum fabula:
A ponte rediit Muluio.

RAMIR. DE PRADO.

Quidam Tucius sportularum fiducia Romam petebat: existimabat enim se sola sportula posse Romæ viuere, vt dicemus infr. ep. 30. & dictum etiam est, lib. 2. ep. 68. & cùm ab Hispania, vsq. iam ad Miluium pontem in via Flaminia, qui mille passus ab vrbe distat, peruenisset, occurrit illi sportularum A fabula, quam ego fabulam non sentio cum Radero esse, de tenuitate sportularum, vt ipse contendit. Hoc enim notissimum erat nationibus omnibus. quibus innotuerant importuna illa officia, quæ anteambulones præstabant regibus, & centum quadrantibus hæc omnia à miseris togatis locari: Sed fabulam sportularum intelligo esse Domitiani edictum, quo sportulæ sublatæ fuerant, eo tempore reuocata cœnarum rectarum consuetudine, vt sup. dictum est epig. 7. Cum igitur hic Tucius videret cœnis rectis nullam crepare pecuniam, existimauit se viuere Romæ non posse, vt cogitauerat, si sportula daretur, & rediit in Hispaniam.

De Codro. XV.

B *Plus credit nemo, quàm tota, Codrus in vrbe.*
Cùm sit tam pauper, " quomodo cæcus amat? Quomodo cæcus amat.

DOMITIVS.

PLVS *credit*] Credere est mutuo dare pecuniam. Cicero, per amicos tuos, qui ei credidissent. Credere item est habere fidem. Iocatur in hoc Martialis.

CREDIT] Mutuo dat, fallit lectorem ambiguitate verbi, lector acceperat credere pro dare pecunias mutuo. Martialis acceperat credere pro adhibere fidem: nam cæcus qui amat, multum credit.

CVM *sit tam pauper quomodo?*] Interrogatio est quomodo mutuet, respondet *Cæcus amat*, iccirco multum alijs credit.

C

RAMIR. DE PRADO.

Codrum cæcum irridet, qui amabat puellam, quam audierat formosam esse, vt Asper ille ep. 49. lib. 8.

1 PLVS *credit nemo.*] Totus lusus positus est in huius verbi ambiguitate. *Credere* namque est pecunias alicui commodare, vnde creditores debitoribus opponuntur. Nemo, inquit, plus credit in tota vrbe, quàm Codrus: mirabile hoc videri poterat: cum pauperrimus esset. Respondet alia verbi credendi significatione, Cæcus amat, quam formosam audit & credit esse.

In Cerdonem. XVI.

Das gladiatores, sutorum regule Cerdo,
Quódque tibi tribuit subula, sica rapit.
D *Ebrius es: nec enim faceres id sobrius vnquã,*
" Vt velles corio ludere, Cerdo, tuo: al. satis est.
Lusisti " satis: sed te, mihi crede, memento v. Velles tu.
Nunc in pellicula Cerdo tenere tua.

DOMITIVS.

DAS] Prouerbium erat apud antiquos in eum, qui rem tentaret suprà vires, *teneto te intra pelliculam.* Hoc vsurpat Horatius in sermonibus, & nunc dicitur à Martiale in Cerdonem aptissimè, nam Cerdo ad tantas peruenerat opes, vt gladiatorum munus ederet in theatro de quo alibi:

Frange miser calamos, & rumpe Thalia libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

CERDO] Cerdones, à lucro dicti: nam κέρδος apud Græcos, lucrum apud nos significat.

REGVLI] Princeps sutorum.

SICA] Id est, gladiatorum.

CORIO *tuo*] i. pelle tua.

LVDERE] Dare gladiatores.

IN *tua pellicula*] i. intra tuam artem. Iuuenal.

Quondam hi cornicines, & municipalis arena
Perpetui comites, notaque per oppida buccæ.
Munera nunc edunt, &c.

RAMIR. DE PRADO.

Sutorem Bononiensem quemdam iusta indignatione suggillat, quòd gladiatorum munus exhiberet; quem Bononiensem esse constat ex ep. 58. huius libri, & succensuisse Martiali ob hæc scommata discimus ex epig. 98.

1 DAS *gladiatores sutorum Regule Cerdo.*] Constat non esse muneris exhibendi omnibus æquam potestatem. Extat enim apud Tacitum lib. 4. Annal. senatusconsultum, quo cautum est, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minus quadringentorum millium res esset, qui census equestris erat. & Suet. in Claudio cap. 28. *& Harpocram*, ait, *suspexit, cui lectica per vrbem vehendi, spectaculáque publica edendi ius tribuit.* Erat autem hîc Harpocras libertus, cuius generi non permittebatur id ius. Eadem est apud Iuuenalem indignatio, sat. 3.

Quondam hi cornicines & municipalis arena
Perpetui comites, nostraque per oppida bucca.
Murena nunc edunt & verso pollice vulgo
Quemlibet occidunt populariter.

Et Persius sat. 4. vers. penult.

Respice quod non est, tollat sua munera cerdo.

2 QVODQVE *tibi tribuit subula sicca rapit.*] Elegans Antithesis: quæstum subula facis, quem sicca tibi extorquet è manibus.

3 VT *velles corio ludere cerdo tuo.*] Elegans allusio in lusu & corio, *ludere*, id est, ludos exhibere, *Corio tuo*, id est, impensis & ea pecunia, quam ex corio contraxeras.

4 NVNC *in pellicula cerdo tenere tua.*] Adagium lege; *Se intra pelliculam continere:* quod ab Apologo Asini leonis pelle contecti natum, detorquetur salsè à Poëta in cerdonem: tene te intra pelliculam tuam, *id est*, contine te intra terminos tui artificij, & conditionis, neque velis id facere, quod soli potentes & nobiles viri faciunt.

In Sabidium. XVII.

Circumlata diu mensis scriblita secundis,
Vrebat nimio sæua calore manus:
Sed magis ardebat Sabidi gula, protinus ergo
Sufflauit buccis terque, quaterque suis.
Illa quidem tepuit, digitósque admittere visa est:
Sed nemo potuit tangere, merda fuit.

*v. Inscripta * Perottus scriblita Calepinus in vocabulo Intritum, legit, intrita: in scriblita verò scriblita. Lectori docto, & vetustis exemplaribus instructo, iudicium relinquo.

Idem Græcè.

Δινῶ περιδινηθεὶς ἐπιδορπιδίοισι τραπέζαις,
Σφοδροτέρῃ θέρμῃ χεῖρας ἔκαιε πλακοῦς·
A Ἀλλ' ἡ Σαβιδίου στόμα καίετο· ἐκφυσήσας δὲ
Δίς τ' ἐνεφύσησεν, τρίς τε γνάθοισιν ἑαῖς·
Καὶ ὃς ἀπεψύχθη μὲν, ἀφῆς τ' ἀνέχεσθαι ἔδοξεν·
Ἀλλ' οὐδεὶς ἔτλη (σκῶρ ἐτέτυκτο) θιγεῖν.

DOMITIVS.

CIRCVMLATA] Dictio hæc deprauata est in nouis codicibus omni ex parte, in vetustissimis non omninò, nam vetusti codices sic habent, scritiita, quod ita emendandum censeo scriblita, nam scriblita, authore Varrone in Menippea, est genus cibi liquidioris. Varro, Impone in scrupea scriblitam, hoc magis placet quàm aut intrita, aut sportita, quoniam, vt mihi videtur, voces sunt, altera inusitata, altera non conueniens, neque si sequimur elementa B vetustiorum codicum in hoc verbo aptè coagmentari possunt, tamē si placet, sportita est poculum sorbile, & cibus sorbilis. In Sabidium scribitur fellatorem, & malè olentem, cuius flatu scriblita allata mensis malum cœpit odorem: à scriblita fit scribilitare, quod est infirmus, & nutantibus gressibus insistere.

SECVNDIS *mensis*] Id est, inter bellaria.

CIRCVMLATA *diu*] Quia calebat.

VREBAT *manus*] Conuiuarum, ita vt non posset tangi.

MERDA *fuit*] Propter anhelitum Sabidij fellatoris, malè oluit, vt merda. Antiquus codex, vt dixi, ita habet.

Circumlata diu mensis scribitita secundis.

C Sed qui malè emendarunt, inuerterunt, pro scriblita, vel sportita, vel intrita scribentes. His commentariis aliorum ineptias dissimulaui, quod licuit vbique. Nam neque tam damno libenter aliena, quàm mea omnibus probare studeo: cuius consilij adhuc me non pœnituit, quamuis lacessitum scriblita legendum existimo. Nam scriblita, quod ex antiquis codicibus facilè apparet, est placentæ genus, quod docet Cato his verbis in re rustica, Scriblitam sic facito, in baltheo tractes caseum. Ad eundem modum facito: vti placentam sine melle, coquitóque. Ita leges:

Circumlata diu mensis scriblita secundis.

GEORGIVS.

CIRCVMLATA *diu mensis intrita secundis*] Quis D te hoc docuit bone vir? hoc à nobis profectò impudens plagiarie surripuisti. Nam in præfatione Plautinæ correctionis in eos inuecti fuimus. Qui ibi scriblitæ legebant sublitè fecerunt, sed cùm iam manifestè tenearis, sententiam meam proferam, hoc est non minus verè & commodè intritam hîc legi posse, quàm scriblitam, quando apud Columellam & Donatum intrita legatur, ab interendo deductum nomen, vnde Terent.

Tu etibi hoc intriuisti, totum exedendum est.

RAMIR. DE PRADO.

Narratiuncula quadam faceta Sabidij cuiusdam oris fœditatem notat, cui fœtebat anima, fortè quod cunnilingus, vel fellator: nam cum scriblita quædam secundis mensis apposita fuisset, neque esset aliquis, qui eam tangeret, propterea quod arderet, terque quatérque sufflauit ipse, quo facto tepuit quidem illa, sed nemo voluit tangere, quod halitu eius conspurcata fuisset. Eadem sententia epig. 93. lib. 7.

1 CIRCVMLATA *diu mensis scriblita secundis.*] Mirum est quàm Andabatarum more pugnent Domitius & Merula hoc loco; & laureolam quærant in mustaceo, vel nodum in scyrpo. Est antiquis notissimum bellarium secundis mensis apponi solitum scriblita: integrum nomen scribilita est. vt legitur apud Plautum in prologo Pœnuli.

Dum ludi fiunt, in popinam pedissequi
Irruptionem facite, nunc dum occasio est,
Nunc dum scribilita æstuant, occurrite.

Sed κατὰ συγκοπὴν, scriblita à Poëtis metri causa dicitur, quam facere docuit M. Cato lib. de re rustica, cap. 78. his verbis: *Scribilitam sic facito, In balteo tractes caseum, ad eundem modum facito, vti placentam, sine melle:* vbi nota diuersam esse scribilitam à placenta. Cuius confectionem docuerat idem Cato, cap. 76. Vnde Petron. in satyr. describens mirabile illud repositorium in conuiuio Trimalcionis, de signo Libræ sic loquitur. *Super libram stateram, in cuius altera parte scriblita erat* (lege *scribilita*, & sic emenda etiam M. Catonis literam) *in altera placenta.* Inde scriblitarij ab Afranio dicuntur, huius edulij confectores his verbis.

Pistori cur non, cur non scriblitario,
Vt mittat fratris filio lucunculos.

Alij legunt, *Stribilita*, ἀπὸ τοῦ στρεβλοῦν, quod est torquere, ideo, quod in circuitu torqueatur restis in modum. Vnde nos *Tortam* dicimus.

In Maximum. XVIII.

Perfrixisse tuas quæsta est præfatio fauces.
Cum * *te excusaris, Maxime, quid recitas?*

*v. tu excusaris.

DOMITIVS.

PERFRIXISSE] Idem sensus est verborum Catonis in Albinum scribentem historiam, nam Albinus se excusauit, quod Græcus homo scriberet Latinam historiam, maluisti inquit deprecari culpam, quàm ea carere. Agel. lib. 11. cap. 8.

PERFRIXISSE] Nimio frigore factas raucas. Iuuenalis. *Et si perfrixit bene cantas:* Hic malus erat recitator.

RAMIR. DE PRADO.

Faceta irrisio est ineptæ cuiusdam Maximi excusationis, qui recitaturus raucitatem excusauit, cum posset recitationem ipsam excusare. Ad hoc argumentum pertinet distichon lib. 4. epi. 41. & aliud lib. 6. epigr. etiam 41.

1 PERFRIXISSE *tuas questa est præfatio fauces.*] Ex frigiditate raucitas vocis subsequitur, præfationem autem appellat id quod à recitaturo, antequam opus inciperet, vel ad captandam auditorum beneuolentiam, vel ad aliqua vitia excusanda dicebatur, idque versibus alterius generis ab opere recitando. Colligo hoc ex præfatione satyrarum Persij, quæ præfatio primæ satyræ tantum est, in qua cum * recentem passim Poëtarum numerum carpere proposuisset, & eos Poëtas reprehenderet, qui potentiorum adulatione, inuitis Musis & Apolline nullo versus consarcinabant sonitu quodam verborum inani, nulla subiecta scientia neque sententia, per prolepsim occupat opinionem auditorum, qui poterant existimare eum esse ex subitariorum Poëtarum numero: idque facit diuersis carminibus ab ijs, quibus vsus est in satyris. Hoc igitur intelligit nomi- A ne præfationis, qua Maximus hic raucitatem excusauerat.

2 CVM *te excusaris Maxime, quid recitas?*] Excusatio totum opus remouet, vel differt. Qui habitus excusatus est, non est cur recitet, poteratque hic finita excusatione à sede illa celsa, quam conscenderat recitaturus, descendere, & auditorum concionem soluere.

De Vipera in ore vrsæ. XIX.

Proxima centenis ostenditur vrsa columnis,
Exornant fictæ qua a *Platanona feræ,*
Huius dum patulos b *alludens tentat hiatus*
Pulcher Hylas, teneram mersit in ora B *manum:*
Vipera sed cæco c *scelerata latebat in ore,*
Viuebatque anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit, ô facinus, d *falsa quod vrsa fuit?*

a Platanon platanis cōsitus locus apud porticum Vipsanam
b v. alludere.
c celata.
dausa.

Idem Græcè.

Παςάδος ἄγχι σάο' ἑκατονςύλου ἄρκτος ὁρᾶται,
Ἣι πλατανὼν ψύχεις θηρσὶν ἐπιςέφεται,
Ἧς ὡς ἐψιόων πείραζε τὸ χάσμα, καθῆκε
Κοῦρος Ὕλας ἁπαλὴν χεῖρα κατὰ στόματος·
C Ἀλλὰ λάθρη καὶ ὄπιπ φώλευεν ἔνεδρος ἔχιδνα,
Ἄρκτου ἀπὸ ψυχῆς τ' ἔπνεε λυγροτέρης·
Οὐδὲ δόλων ἐπαΐων κόρος, πρὶν ὀδόντι χαραχθεὶς
Φθῖσθαι· φεῦ τοῦ ἄγους, πλαστὴ ὅτ' ἄρκτος ἔην!

DOMITIVS.

PROXIMA] Platanon locus erat platanis consitus, vt Daphnon lauris, hic erat iuxta porticum Vipsanam, habebat feras marmoreas miro sculptas artificio, cùm puer nuper manum immisisset in os D vrsæ marmoreæ, illic delitescentis viperæ morsu perijt.

COLVMNIS *centenis*] Porticus Vipsanæ.

FICTÆ] Feræ marmoreæ: legitur alibi Pictæ.

TENTAT] Palpando experitur.

MERSIT] Immisit.

IN *cæco ore*] i. intra os latebat.

VIVEBAT] Ducebat spiritum.

ANIMA *deteriore*] Id est flatu, & spiritu venenato.

O *facinus*] Simul deplorat necem pueri, & vitam feræ marmoreæ admiratur.

FALSA] Quia non erat marmorea, vt videbatur. Falsa res est, quod videtur, quasi dicat, erat vipera cùm videretur vrsa.

RAMIR. DE PRADO.

Est flebilis quædam narratio casus cuiusdam, quo perijt pulchellus puer, quem Hylam vocat, quem casum ego existimauerim fictum à Martiale, quãuis

potuerit verus esse. Ludebat Hylas puer apud Vipsanam porticum, vbi fictiles feræ ad ornamentum positæ erant, apertis rictibus, in quarum hiatus ludibundus puer manum immittebat: fortè accessit ad vrsam quandam, in cuius ore casu latebat vipera viua, quæ irritata pueri manu eum acriter momordit, ita vt immisso veneno occideret.

1 PROXIMA *centenis ostenditur vrsa columnis*] Domitius Vipsanam porticum intelligit, vt sup. lib. 2. epi. 14. de Sellio.

Inde petit centum pendentia tecta columnis.

Quod ego verum existimo.

2 EXORNANT *ficta qua Platanona fera.*] Non possum satis mirari Iulium Cæsarem Bulengerum, qui lib. de venatione Circi, cap. 21. somniat hanc esse picturæ cuiusdam descriptionem, eamque picturam expressam esse è rei veritate: quia spectacula ad memoriam pictura exprimebantur, vt est apud Capitolinum in Gordianis, & Trebellium in Carino. Et fingit monstrum quoddam Thebano ænigmate dignũ, ingenio aut arti tribuendum, quod in ora ferarum indebant angues & viperas, quæ feris essent innoxiæ, bestiarijsque nocerent. & ad hoc figmentum confirmandum adducit hoc epigramma, in quo corrupte legerat;

Exornant picta qua Platanona fera.

Quid facias illo? iubeas miserum esse libenter, & Anticyras nauigare. Lege tu, *ficta*, vt est in correctioribus codicibus, ne decipiaris cum Bulengero. Platanon autem locus est Platanis consitus, vt Daphnon lauris, vt est lib. 10. ep. 76.

Disposuit Daphnona suo Torquatus in agro.

Et lib. 12. epigr. 50.

Daphnonas platanos ac aerias Cyparissos,
Et non vnius balnea solus habes.

3 VIVEBATQVE *anima deteriore fera.*] Eleganter & verè Poëticè, nam si viueret fera, insertam manum procul dubio morderet: ficta mordere non poterat: sed hæc ficta viuebat, non sua, sed deteriore viperæ anima, quæ nocentius multò momordit.

4 DVM *perit ò facinus ausa quod vrsa fuit.*] Corruptus versus, qui sic lectus languet. Est in veteri *falsa*, non meliore sensu, sed ab eo sic emendarem:

Comperit & facinus ausa quod vrsa fuit.

Id est, exeunte vipera ab ore feræ, visa est ipsa sua sponte fateri scelus illud.

" De Canio. XX.

*De Canio Gaditano lege epist. Valerij ad Rufinũ inter Hieronymiana.

Dic Musa, quid agat, Canius, meus Rufus?
Vtrum ne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?
An æmulatur improbi iocos Phædri?
Lasciuus elegis, an seuerus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis,
An otiosus in schola poëtarum,
Lepôre tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi.
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ Sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulátue liber acribus curis?
" *Stertitne thermis, an lauatur Agrippæ;* *al. Titi.
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An æstuantes iam profectus ad Baias
Piger Lucrino nauiclatur in stagno?
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

DOMITIVS.

DIC *Musa*] De Canio, & in eum iocatur. qui nulla alia re magis occupatus erat, quàm risu, de quo suprà. *Caput maximè Pana qui solebat.*

CHARTIS *victuris*] i. immortalitati.

ACTA *temporum Claudianorum*] Id est Claudij, & eius maiorum. Hanc historiam scripsit Plin. sed non extat.

FALSVS *scriptor an*] Laudat eà, quæ nonnulli scriptores adulantes Neroni laudarint, hæc duo interrogauit, quoniam & Neronis, & Claudij memoria inuisa erat Domitiano.

ÆMVLATVR] Imitando in numeros ducit. Phædrus eximiæ formæ à Plat. introducitur in eo dialogo, qui ita inscribitur. vbi longa oratione & Phædri verbis de amoribus disputatur.

LASCIVVS *elegis*] i. lasciuiens in elegis.

AN *seuerus*] Scribit in heroïco carmine.

AN *versatur horridus in cothurnis sophocleis*] i. tragico carmine.

SCHOLA *poëtarum*] Locus vbi poëtæ recitabant.

LEPORE *Attico*] Id est Attica puritate, & elegantia.

HINC] A schola poëtarum.

TERIT *porticum*] Deambulat in porticu.

AN *carpit spatia*] Id est, an deambulat in porticum argonautarum in campo Martio.

AN *rursus*] Quia illuc sæpe accedebat.

TEPENTES *buxos*] i. inter buxetum, i. deambulatne in porticu Europæ.

TITI *thermis*] Nam Titus thermas construxerat.

AN *lauatur*] In thermis Agrippæ.

TIGILLINI *impudici*] Nam per impudicitiam Tigillinus multa à Nerone est consecutus, quem ad omne corruperat. Ipse obscuris parentibus fœda pueritia, turpi senecta apud aquas Sinuesanas perijt iussu Othonis muliebriter, nam secuit fauces nouacula.

TVLLI *& Lucani*] Duorum fratrum, de quibus suprà,

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur.

POLLIONIS *Quartum*] Quartum nomen proprij loci amœni est ad quartum lapidem.

IN *æstu*] In æstiuo tempore.

NAVICVLATVR] i. nauigatur, nam nauiculae est otiosa cymba vehi.

RIDET] Ita antè notatur:

Caput maxime Pana qui solebat.

Ita suspensum hactenus lectorem in risum prouocat.

RAMIR. DE PRADO.

Canium Poëtam perpetuò ridentem descripsit lib. 1. epi. 70. vbi eum Panos statuæ comparat, perpetui

risus specie conflatæ. Hoc epigrammate longa quadam suspensione concepta, per interrogationem Musæ factam, cum semper ridere testatur, vltimo versiculo addita Musæ responsione. De hoc Canio præter epigramma allegatum, est mentio eodem li.1. ep.62.& infrà hoc 3.lib.ep.63.

1 VTRVM *ne chartis tradit ille victuris.*] Id est, habentibus Genium, vt lib.6.epig.60.

Victurus Genium debet habere liber.

Eadem formula vsus lib.11. epi.4.

At quàm victuras poteramus pangere chartas.

Et suprà lib.1.epigram.108.

Condere victuras tentem per sæcula curas.

Vbi vetus Codex habet *chartas.*

2 AN *quæ Neroni falsus adstruit scriptor?*] Fortè hic Canius Rufus soluta vel ligata oratione susceperat Claudij dominatum describere, & Neronis res gestas, quas scriptores metu vel odio falsas scripserant, vt testis est Tacitus in prooemio Annalium his verbis. *Tiberij, Caijque & Claudij ac Neronis res florentibus ipsis, ob metum falsæ, postquam occiderant, recentibus odijs compositæ sunt.* Quæ igitur falsus scriptor Neroni tribuit, hic tradit chartis victuris. Caue verò ne cum Radero verbum, *æmulatur*, in sequenti versu positum in hoc intelligas: Esset enim ineptissimus sensus.

3 AN *æmulatur improbi iocos Phædri.*] Poëta hic Phædrus fabularum Æsopicarum scriptor, cuius quinque libros P. Pithoeus primus edidit, & doctorum manibus hodiéque teritur.

4 AN *in cothurnis horridus Sophocleis.*] Quamuis Æschylus fuerit primus, qui magniloquentiam docuerit, vt testatur Horatius in Arte:

Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Et, *componere verba Aeschyleo cothurno* dicatur Propert. lib.2. eleg.33.

Desine & Aeschyleo componere verba cothurno.

In prouerbium tamen abijt *Sophocleus cothurnus.* quòd Sophocles cæteros Tragicos dictionis grauitate longè superauerit. Virgil.ecloga 8. vers.10.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Quod imitatus est Martial.lib.5.epi.31.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno.

Est autem cothurnus metonymicōs orationis sublimitas, quòd Tragici sublimiores sint ceteris Poëtis, & actores Tragœdiarum cùm referrent Heroes cothurnati incedebant, quò proceriores viderentur: fingebant enim veteres Heroas illos mortales homines corporis proceritate superare. Hinc Poëtæ sublimes, quamuis non tragœdi, cothurnati vocantur. Noster lib.5. epigr.5.

Grande cothurnati pone Maronis opus.

Et lib.7. epigr.62.

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis.

Quid autem sit cothurnus non omnibus video liquere; est genus calceamenti, quo crura vsque ad genua tegebantur, & sub pede insuebantur soleæ multæ è subere compactæ, obtectæ corio, quæ staturæ bonam addebant partem, eoque calceamento, vt dixi, vtebantur Tragici, ad referendos vel Deos, vel Heroas. Quæ inuentio Æschyli Poëtæ fuit, vt patet ex loco Horatij suprà adducti. Hinc intelliges pulcherrimam Senecæ comparationem epistola 77. incipit. *Inimicitias mihi, &c. Nemo ex istis* (inquit) *quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptrum & chlamydem in scena fabulæ assignant, cum præsente populo elati,* (lege *late*) *incesserant, & cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt.* Virgilius hoc calceamentum tri-

A buit virginibus Tyrijs, 1.lib. Æneid.

——haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram
Purpureoque altè suras vincire cothurno.

Qui locus à nemine, quod sciam, hactenus intellectus fuit. neque eius difficultas est in eo, quod Scaliger dubitat, quo modo venatrix, cui currendum sæpè est, & incedendum per montes & rupes, possit calceata cothurno incedere: nam altum fuisse negare non possumus; cum id conuincant Plin. ep.7. l.9. & Iuuenal. sat.6. vers. 505.

——breuiorque videtur
Virgine Pygmæa nullis adiuta cothurnis.

Ad quod respondet Raderus, Veneris ibi calceos κατὰχρηστικῶς fuisse cothurnos dictos, nec tragicos fuisse, sed pro calceamento quouis positos: quod non est mirum errasse Raderum Germanum hominem, &
B qui veros cothurnos numquam viderat, quales nos habemus in Hispania, præcipuè in Salmanticensi tractu, vbi fere omnes rusticæ fœminæ cothurnis calceantur, & eorum vsu delectatæ facilitate summa currunt, incedunt per aspera loca nullo impedimento. Quo quidem responsum est vere Scaligeri dubitationi, sed mallem, aliud maius dubitasset Scaliger, quod ego dubito. Conabatur eo in loco Venus diluere Æneæ filij opinionem, qui existimauerat eam esse aut Dianam, aut aliam Nympham, protuleratque hæc verba:

O quam te memorem Virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. O Dea certè
An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis vna.

Respondet Venus se non esse Deam, & virginibus Tyrijs morem esse pharetram gestare, quod suprà dixerat Poëta:

C *Virginis os habitumq; gerens & virginis arma Spartana.*

Quo dicto negat se Dianam esse, quod poterat arcu & pharetra decepisse Aeneam. Illud autem, quod gestaret cothurnos, more cæterarum: quod est argumentum, vt probet se non esse Deam, an Deæ, vel Nymphæ incedebant cothurnatæ vt Diana pharetrata? Nodum sic dissolue. Aeneas viderat Venerem venatricis habitu & statura proceriore, quam humana esse solet. Ad quod tacitè respondet Venus, quasi dicat, Ne me existimes ob staturæ proceritatem Deam esse, aut Nympham: Obserua hanc proceritatem non esse mihi à natura, sed additītiam propter cothurnos quibus calceata incedo. Suetonius Tranquillus in Augusto, cap. 73. scribit, eum calceamentis altiusculis vt procerior, quam erat, videretur, vsum fuisse. Quem vsum forte didicit a Iulio patre, qui testante Dione lib. 43. vtebatur pedum tegmine
D fulmentato & Puniceo, vt Albani Reges olim: quod genus suum ad hos referebant, propter Iulium, à quo gens Iulia: & Caligulam solitum gestare cothurnos probat idem Suetonius in eius vita, cap.52. Vnde patet Reges & grauiores viros altiusculis calceamentis vsos fuisse, grauitatis causa, vt de Indis Arrianus, & de Persis Xenophon tradiderunt. Acron etiam in satyram 6. Horatij lib.1. notat omnium Senatorum altiores fuisse calceos.

5 AN *otiosus in schola Poëtarum.*] Hic *schola* non propriè sumitur. Nullus enim Romæ hoc tempore locus destinatus Poëtis, sed communiter accipiendum pro quouis hominum conuentu ad recitaturos Poëtas audiendos.

6 AN *spatia carpit lentus Argonautarum?*] Porticū Argonautarum intelligit, vbi otiosi solebant poë-

tarum versus spaciantes relegere, vt constat ex epig. A
1. lib. 11. Hæc ipsa est porticus Iasonis, de qua sup. lib. 2. epig. 14.

Si nihil Europe fecit, tum septa petuntur,
Si quid Phylliridès praestet & Aesonides.

Et lib. 11. epigram. 1.

Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel prima dominus leuis carina.

In hac porticu mirificè depicta erat historia Argonautarum. Moris erat apud Romanos historias, fabulas & alia multa in porticibus depingere. Spartianus scribit res bello gestas à Seuero depictas in porticu fuisse. Et Petron. in satyr. *Interrogare*, inquit, *ego atriensem cœpi, quas in media* (scilicet porticu) *picturas haberent. Iliada & Odysseam, inquit.* Sic ludorum magnificentiam, ne memoria intercideret, in porticibus etiam depingebant. Vopiscus in Carino. *Memorabile maximè & Carini & Mameriani hoc habuit* B
imperium, quod ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus.

Inter tepentes post meridiem buxos.

Sic lib. 2. epi. 14.

Lotus ad Europes tepide buxeta recurrit.

7 STERTITNE *thermis an lauatur Agrippa.*] Melior lectio aliorum codicum, *Titine thermis.* Erant enim thermæ Titi Imperatoris, de quibus dictum lib. spectaculorum epigr. 2.

Hic vbi miramur velocia munera Therme.

8 AN *impudici balnea Tigillini.*] Lege, *Tigellini*, qui est Sophonius Tigellinus, de quo & eius impudicitia C. Tacitus lib. 14. Annal. *Imposuit cohortibus Sophonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus.* Et paulò pòst: *Validior Tigellinus in animo Principis ex intimis libidinibus assumptus.* C
Et libro Historiar. 1. *Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta.* cuius vitam etiam breuiter describit vetus scholiastes Iuuenalis ad versum:

Pone Tigellinum——— 155. sat. 1.

9 AN *rure Tulli fruitur atque Lucani.*] Fratres hi erant summa inter se charitate coniuncti, vt constat ex epig. 37. lib. 1.

* In crudelem Dominum. XXI.

*v. De domino & famulo.

Proscriptum famulus seruauit frōte notatus.
Non fuit hæc, domini vita, sed inuidia. D

Idem Græcè.

Στιγματίας δοῦλος χρισθέντ᾽ ἀπέλυσεν ἄνακτα·
Ἦν φθόνος, οὐ φάος ἦν κοιρανίοιο βίος. *

Hic παραχαμματισμὸς venustior est, quàm in archetypo Rom.

DOMITIVS.

PROSCRIPTVM] Antium Restionem proscriptum.

FAMVLVS] Quem ipse in compedibus, & frōte notatum habebat, secutus est fugientem, alijs seruis diripientibus bona domini. Is collocauit dominum in loco abdito & aluit. Senem in quem inciderat, interemit coniecitq; in rogum ardentem: ostendit his qui venerant ad Restionem capiendum illuc ardere.

PROSCRIPTVM] Restionem.

INVIDIA] i. infamia domini quòd fuerit seruatus ab eo seruo, quem ipse habebat in compedibus, quem fronte signauerat. Historia est apud Macrobium in Saturnalibus.

RAMIR. DE PRADO.

Pulcherrima de Antio Restione proscripto narratio est apud Valer. Max. lib. 6. cap. 8. §. 7. quam etiam persequitur eleganter Macrobius lib. saturn. 1. cap. 11. vnde petere poteris.

1 FRONTE *notatus.*] De notis seruorum iam dictum est sup. ad lib. 1. ep. 29.

2 NON *fuit hæc domini vita, sed inuidia.*] Id est, non tam seruatus est à seruo ad vitam, quam ad inuidiam & omnium odium, qui indignabantur, quod à seruo tam indignè ab eo accepto esset in summo vitæ discrimine seruatus.

De Apici. XXII.

Dederas, Apici, bis tricenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi [a] laxum.
Hoc tu grauatus, ne famem & sitim ferres,
Summa venenum potione [b] duxisti.
[c] Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

a v. lusu pro lusum vel laxum, hoc est, non compressū, sed aliquando plus habens. ὡς ἀσπόρ.
b Ducere pro bibere. Cic. l. 1. Tuscul & Hora. in carm. Vide Iunij animaduersa.
c v. Nullum.

DOMITIVS.

DEDERAS] Apicius habebat septem millia, sex consumpserat luxu, & cùm adhuc centum superessent, veritus ne posset explere gulam ea pecunia, venenum bibit: quod fortasse à multis poterat laudari tanquam fortiter fecisset, ad quod Mart. ait nihil potuisse fieri gulosius, nam cùm cæteri vndas sectentur propter gulam, ipse quod plus est, bibit venenum gulæ causa.

TV *grauatus*] Quod solum, scil. centum superessent.

FERRES *famam & sitim*] i. tanquam laborares fame & siti, bibisti venenum.

GEORGIVS.

DEDERAS *Apici bis tricenties ventri*] Seneca noster & Dion Græcus historicus adeundi erant ab homine vtriusque linguæ, vt de se ipse iactat, erudito, vt luxuriosum hoc factum Apicij certius, & copiosiùs explanaret. Senec. Consol. ad Helbiam matrem sic ait. Apicius nostra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando Philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit, cuius exitum nosse operæpretium est. Cùm sestertium millies in culinam congessisset, cùm tot congiaria principum & ingens Capitolij vectigal singularibus comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primùm coactus inspexit. superfuturum sibi sestertium centies computauit, & velut in vltima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui centies sestertium egestas fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere, non animi. Sestertium centies aliquis extimuit: & quod alij voto petunt, veneno fugit. Dion ferè eadem quæ Seneca de morte Apicij tradit, nisi quòd ducentas, & quinquaginta myriadas superfuisse ei dicat, subductis rationibus. Ausimque affirmare id esse centum sestertia, quod ducentas quinquaginta myriadas vocat.

RAMIR. DE PRADO.

Apicij luxuria abijt in prouerbium Tiberij Cæsaris tempore, quo & ipse vixit, qui helluones omnes longo interuallo superauit. Hic cum sexcenties luxurians absumpsisset, videretque sibi centies superesse, veritus ne egestate & fame opprimeretur venenum bibit. Acutissimè Martial. nihil gulosius ab eo factum dixit, quàm, quod venenum sumpserit, timens ne deesset pecunia, qua gulæ faceret satis. Est celebre hoc mirandum Apicij factum Senecæ amplificatione ad Heluiam, cap. 10. & narratione Dion. lib. 57.

*v. Cenipetam auarū.

In* inuitatorem. XXIII.

Omnia cùm retro pueris opsonia tradas:
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

DOMITIVS.

OMNIA] In eum, qui opsonia apposita conuiuis retrò porrigebat pueris, si inquit Martial. in animo tibi est retrò porrigere opsonia, debes & mensam parare pueris, non nobis.

A *pedibus*] Lecti vbi discumbunt pueri: serui enim ad pedes discumbebant. Alibi retroflexus ad pedum turbam, id est, ad seruos, & alibi. Ad pedes implet lagenam, id est, ex mensa seruorum.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc distichon indignationem Poëtæ in auarum inuitatorem, qui obsonia omnia pueris ad pedes retro stantibus tradebat, nil conuiuis relinquens. Poteras inquit vti compendio, & mensam à pedibus ponere vbi fercula apponentur rapienda pueris tuis, nec videnda conuiuis. Locum vt intelligas, obserua triclinium tres lectos habuisse ita dispositos, vt vnum complecterentur alij duo, referrentque formam Π. maiusculæ: In medio orbis collocabatur ad ponendas dapes, qui orbis mensa dicebatur, vt inde conuiuæ recumbentes in lectuli triclinijs possent sibi desumere, quod libuisset. Cum igitur hic omnia obsonia statim ac ponerentur in mensa, traderet pueris retrò, ait satius fuisse, vt à pedibus collocaretur. De seruis autem retrò stantibus in conuiuijs dicemus latè, ad epigram. 82. huius libri.

*v. hernioso.

De* Tusco haruspice. XXIV.

Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras,
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.
Quem, Tuscus, mactare Deo cùm vellet haruspex,
Dixerat agresti fortè, rudique viro;
Vt citò testiculos peracuta falce secaret,
Teter vt immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia sacris.
Occupat hanc ferro rusticus, atque secat

A *Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,*
Talibus & fibris numina prisca coli.
Sic modò qui Tuscus fueras, nunc Gallus aruspex,
Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.

DOMITIVS.

VITE *nocens*] Erat aruspex, qui volebat immolare caprum Baccho, sed quoniam carnes hirci fœtent, nisi castrentur, iussit vt rusticus resecaret testes capri.

APPARVIT *hernia aruspicis*] Rusticus eam resecuit.

STABAT] Vt mactaretur, & placeret Deo.

ROSA] Corrosa vite.

B ARVSPEX *Thuscus*] Qui è Thuscia venerat: nam è Thuscia venerat aruspicina.

TETER *odor*] i. nocens odor hircorum.

HERNIA] Pellis testiculorum. Iuuenal.

Quibus incendi frigidus aeuo
Laomedontiades, & Nestoris hernia possit.

ARAS *virides*] E cespite.

RVSTICVS] Secuit herniam aruspicis, putauit hunc esse ritum sacrorum.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc epigramma facetissimam de Thusco haruspice narratiunculam, qui cum mactaret hircū ad Bacchi aras cuidam agresti viro falcem præbuit, iubens vt testiculos hirci amputaret, cúmque ipse cum hirco luctaretur, ostendit ingentem quandam C herniam, quam rusticus confestim falce secuit, existimans id ad sacra pertinere.

1 VITE *nocens rosea.*] Legendum *rosa*, quod caper hoc vni nocens, Baccho mactabatur, quòd vitem roderet. Ouid. lib. 1. fast. Ennij Poëtæ versus Græcos imitatus, quos παρῳδικῶς adducit Suetonius in Domitiano cap. 14. sic ait:

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

De qua re, & de vino fundi solito capitibus stantium ad aras victimarum lege pulcherrimam obseruationem Angeli Politiani in miscellan. c. 26.

2 STABAT *moriturus ad aras.*] Communis sacrorum formula multis exemplis à Barnaba Brissonio firmata, sed breuiter & eruditè de toto sacrorum ordine disseruit Franciscus Santius Brocensis, Rhetoricæ & Græcæ linguæ apud Salmanticenses Do-D ctor, vir (dubio procul) immortalitate dignus, quem mihi contigisse Magistrum in his humanioribus literis semper gloriabor, in scholijs ad sat 6. Persij.

3 TETER *vt immundæ carnis abiret odor.*] Victimæ mares mactatæ antequam excoriarentur, castrabantur, vt docet Festus in solitaurilia. hic autem causam affert, cur illud fieret, vt scilicet immundæ illius partis teterrimus odor non offenderet nares.

4 SVPER *aras virides.*] Virides dixit, propter herbas, quas aris sternebant, liquidum ex Terentio in Andria, sce. 4. act. 4.

—*Ex ara hinc sume verbenas tibi,*
atque eas substerne.

Vbi Donatus: *verbena quasi herbena redimicula sunt ararum.* & paulò inferiùs: *Verbena sunt omnes herbæ frondésque festa ad aras coronandas.*

5 Sic *modò qui fueras Thuscus nunc Gallus aruspex*] A Aruspicina ab Hetruria accita Romam. hic aruspex Thuscus erat, quod hoc sacrorum genus priscum, adducti ex Hetruria sacerdotes exercebant. Galli verò Cybeles erant sacerdotes, qui omnes secti erant, vt dictum est sup. ad lib. 2. ep. 45. Est igitur lusus in transmutatione sacerdotij, & in ambiguitate nominis Galli: significat enim & Cybeles sacerdotem, & castratum.

6 Dum *iugulas hircum, factus es ipse caper.* Nota hic acriter differentiam inter hircum & caprum, quòd hircus non castratus sit, caper verò castratus hircus, quamuis hæc confundantur.

Ad Faustinum. XXV.

Si temperari balneum cupis feruens
Faustine, quod vix Iulianus intraret:
Rogo ° * *lauet vti rhetorem Sabineum.*
Neronianas is refrigerat thermas.

° lauet, alij. Roga lauet. * v. lauetur hic rhetor Sabineus. Rogo lauet vti, legit Calderinus. Rogo lauet vti, alij, Rogo lauetur rhetorem Sabineum. Aldina habet editio. Iudicium, lectori defero.

DOMITIVS.

Si *temperari*] Iocatur in Sabineum rhetorem, qui tantum ventum emittebat podice, vt posset refrigerare balnea calidissima. Iulianus amabat balnea tepida.

RAMIR. DE PRADO.

Iocus est in Sabineum Rhetorem frigidissimum in dicendo, quem ait hyperpolicȏs posse feruens balneum refrigerare: estque iocus in ambiguitate à frigore aëris ad orationis frigus, traducta significatione. Sic dicimus frigere alicuius orationem, & aliquem in dicendo refrigerari. Suet. in Claudio c. 41. *Et cum primum frequenti auditorio commisisset, agrè perlegit refrigeratus sæpè à seipso.* C vide adagium, *Ialemo frigidior*, & quæ notauimus ad lib. 4. epig. 2.

1 Rogo *lauet vti Rhetorem Sabineum.*] Variè legitur hic versus. Ex omnibus lectionibus ego hanc elegerim vt molliorem,

Roga lauetur hic Rhetor Sabineus.

2 Neronianas *is refrigerat thermas.*] Thermæ & balnea à calore laudabantur, contrà frigida reprobabantur. lib. 2. 78. thermæ verò Neronianæ ceteras calore & commoditate superabant, quas laudat li. 2. epi. 48. vbi vide quæ notauimus. Est igitur amplificatio frigiditatis huius Rhetoris, qui calidissimas Neronis thermas refrigerare possit: quod Domitius ad ventris flatum retulit. Existimo somniasse pedentem Sabinum. Hadr. Iun. cent. 2. prouerbialiter accipit hæc verba. adag. 50. D

In Candidum. XXVI.

Prædia solus habes, & solus, Cãdide, nũmos:
Aurea solus habes, myrrhina solus habes:
Maßica solus habes, & Opimi Cacuba solus:
Et cor solus habes, solus & ingenium.
Omnia solus habes: hoc me puto velle negare:
Vxorem sed habes, Candide, cum populo.

DOMITIVS.

Prædia] In Candidum qui nihil dabat amicis, & volebat omnia solus habere, de quo suprà est conquestus, *Candide κοινὰ φίλων*: Sed non habebat vxorem solus, cui insultat hoc epigrammate.

Solus *habes*] i. nihil ex his das amicis, sed solus omnibus tuis rebus vteris præter vxorem. Iuuenal.

Gentis vitio nunquam partitur amicum.

Solus *habes*] Myrrhina vasa mittebantur ab Oriente, & à nonnullis locis Parthorum, sed præcipua ex Acarnania erant distincta maculis: nonnulli dixerunt myrrhinum esse humorem concretum sub terra, vnde hæc vasa ducebantur.

Massica] Falernum.

Cæcuba *optima*] i. vina opimiana.

RAMIR. DE PRADO.

B Candidum, quem iam sup. lib. 2. epig. 43. suggillauerat, nunc acriter perstringit, quod vxorem haberet adulteram, populoque communem, & philautiæ vitium in eo notat, quod solet omnibus esse odiosum, sua enim ita laudabat, vt cetera contemneret.

1 Et *cor solus habes.*] *Habere cor*, prouerbialiter dicebant eum, qui prudentiam aut fortitudinem haberet. sequenti epigrammate. *Et mihi cor non est.* Hinc *cordati* dicuntur sapientes: & apud Ennium:

Egregiè cordatus homo Catus Aeliu' Sextus.

Et à corde etiam apud Nostrates appellamus *cuerdos* sapientes. Scipionem etiam Nasicam veteres propter singularem sapientiam corculum vocauerunt. Contra verò stultos non habere cor dicebant, & item fortunas omnes, vt est apud Plautum act. 1. sce. 1. in Cistellaria. Si. *At mihi cordolium est.*

Gy. *quid id? Vnde tibi est cordolium? commemora obsecro? Quod neque ego habeo, neque quisque alia mulier, vt perhibent, viri.* Et in milite Sc. *cohibete.*

Eam des, quæ sit quæstuosa, quæ alat corpus corpore,
Cuique sapiat pectus: nam cor non potest quod nulla habet.

Vbi lege, *cor dolium*, duabus formis. Est autem *dolium* Epitheton cordis, vt apud Lucilium, crucium, epitheton vini quod cruciat, sic dolum quod dolet: & eadem ratione in Pœnulo scen. *Negoti sibi.*

——ibi tibi

Eris cordolium, si quam ornatam melius conspexeris.

Erat igitur hoc commune sexus illius conuitium: Vnde pectus illis pro corde tribuebant, non cor.

2 Hoc *me puto velle negare.*] Melius alias, *Hoc non puto posse negare*, vt sit irrisoria quædam concessio, quę fidem adstruat sequenti scommati.

Vxorem sed habes Candide cum populo.

Id est, communem, vt sup. lib. 1. ep. 69.

Nauia non vna est.——

In Gallum. XXVII.

Nunquam me reuocas, ° *venias cùm sæpe vocatus:*
Ignosco, nullum si modò, Galle, vocas.
Inuitas alios: vitiũ est vtriusq;. quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

° v. Cum sis prior ipse vocatus.

DOMITIVS.

Nunquam] Idem fermè sensus est superioris epigrammatis.

Inuitas

Inuitas nullum nisi cum quo Cotta lauaris.

REVOCAS] Ad cœnam.

INVITAS *alios*] i. draucos.

MIHI *non est cor*] Decepit lectorem, nam videtur dicere mihi non est cor, hoc est prudentia, quia te inuito, cùm intelligat, non est animus ad te prædicandum.

NEC *tibi pudor*] Fallit item lectorem: videtur enim dicere, quia me non inuitas, at intelligit, quia vis pædicari.

RAMIR. DE PRADO.

Expostulat cum Gallo inurbanitatis caussâ, quod sæpe inuitatus numquam Poëtam reuocasset: in vtrumque culpam confert: in se, quod cor non habeat, ad prætereundum Gallum: in Gallum, quòd cum inuitet alios, Gallum prætereat.

In Nestorem. XXVIII.

Auriculam, Mario, grauiter miraris olere.
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.

DOMITIVS.

AVRICVLAM] In Nestorem fellatorem, qui cùm garriret in auriculam Marij malè olebat auricula propter grauem odorem Nestoris. Alibi eodem sensu de ampulla vnguenti in cunnilingum qui cùm eam olfecisset, dixit Poëta factum esse garrum.

RAMIR. DE PRADO.

Notat facetè spurciciem oris Nestoris cuiusdam, qui Mario auriculam grauiter olere querebatur, & per paradoxon causam reddit huius graueolentiæ: quod scilicet ipse Nestor Mario garriat semper in auriculã: poterat autem Nestori anima fœtere, quod vel fellator, vel cunnilingus esset. De garritu in aurem dictum est iam supra lib. 1. epigr. 90.

In Zoilum. XXIX.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

DOMITIVS.

HAS] In Zoilum scrib. qui ex seruili conditione peruenerat ad equestrem dignitatem.

SATVRNE *tibi*] In Saturnalibus, vt Apollodorus scribit, Saturnus qui toto anno fuerat in compedibus soluebatur. Papinius in Saturnalibus vocat Saturnum. *Saturnus mihi compede lex soluta:* Cùm Martialis velit ostendere Zoilum fuisse seruũ, nunc in Saturnalibus scrib. distichon, quo ait Zoilum dicare compedem Saturno.

DEDICAT *tibi has cathenas, cum gemina compede*] Quas appellat annulos priores, sed nunc habet annulos equestres, nam Zoilus ex seruo factus erat eques. At catenæ fuerant ei fugitiuo priores annuli. Reorum autem vincula cùm soluti essent, & seruorum dicabantur Saturno, ea ratione qua suprà dictũ de compedibus Saturni.

RAMIR. DE PRADO.

Conficta est quædam dedicatio anathematis seruilis Zoili cuiusdam; qui ex Ergastulario elatus fue-

A rat ad Equestrem dignitatem eo composita vt Zoilum seruilis conditionis admoneret. Solebant enim serui libertatem adepti, vinculis soluti, annulos ferreos seu compedes Saturno, velut anathemata dedicare; quod is Deus in compedes olim à filio coniectus, adeptus deinde libertatem, seruos in clientelam suam visus sit accepisse, & eorum libertatis veluti auctor & protector, cuius caussâ Romæ in compedibus visebatur, vbi scribit Verrium Flaccum fateri se huius rei caussam ignorare, quam Macrobio Apollodori lectio sic suggessit. Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & solui ad diem sibi festum, id est, mense Decembri, atque inde prouerbium dictum: *Deos laneos pedes habere.* Hinc etiam natum est, vt per Saturnaliorum dies serui libertatem adipiscerentur, & ceteri pileati incederent tanquam serui recens liberti facti. Vtriusque rei sunt testimonia apud hunc nostrum, lib. 11. ep. 7.

B *Vnctus falciferi senis diebus,*
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso.
Permittis puto pileata Roma.

Et lib. 14. epigr. 1.

Synthesibus dum gaudet eques Dominusq; Senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Et eiusd. lib. 14. ep. 79. *flagra* est lemma,

Ludite lasciui, sed tantum ludite serui:
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Et Seneca, ep. 18 cuius initium est, *December est mensis. Si te bene noui, arbitri partibus functus, nec per omnia nos similes esse pileata turba voluisses, nec per omnia dissimiles.*

1 ANNVLOS *priores.*] Ludit in annulorum nomine: sunt enim annuli ferrei seruorum compedes, & sunt annuli in signe equestris dignitatis. Notat au- C tem Zoilum Equitem esse Romanum, cum dicat annulos priores: Nam si annuli priores sunt illi ferrei, necesse est vt alij sint posteriores, homini verò libero, nulli annuli competunt præter equestres. Sed apertum est testimonium Equestris Zoili dignitatis, lib. 11. ep. 38.

Zoile quid tota gemmam præcingere libra
Te iuuat, & miserum perdere Sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus,
Non eadem digitis pondera conueniunt.

Esse denique annulum Equestris dignitatis insigne notissimum est, & inde quæsitus à Nostro salsissimus iocus, lib. 8. ep. 5.

Dum donas Macer annulos puellis,
Desisti Macer annulos habere.

Ad Gargilianum. XXX.

D

Sportula nulla datur: gratis conuiua recũbis.
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Vnde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ?
Vnde datur quadrãs? vnde vir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te viuere summa:
Quòd viuis, nulla cum ratione facis.

DOMITIVS.

SPORTVLA] Ad Gargilianum, quem, extrema inopia laborantem, interrogat quomodo viuat, quãuis, inquit, dicas te viuere summa cum ratione,

S

tamen adeo es inops, vt viuendi nullam rationem habeas.

NVLLA *sportula datur*] Quia sublata est à Domit. nam Domit. sportularum vsum ad rectas cœnas redegit.

TV *recumbis conuiua gratis*] i. sine vlla alia mercede, nam qui olim sportulam accipiebant, nunc vnà cœnabant cum diuitibus, sed nulla alia mercede data.

VNDE *est togula*] Harum vsum ad rectas cœnas redegit, id est, vnde habes togulæ pretium.

VNDE *vir es Chiones*] i. vnde habes vt soluas coitum meretricis. Iuuenal.

Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Licet dicas te viuere cum summa ratione, id est, moderatione, intelligebat Gargilianus.

QVOD *viuis*] Quia erat indignus vita in tanta inopia. iocus est, nam ratio moderationem significat, vt Gargilianus accipiebat, & causam, vt Mart. accipit.

NVLLA *facis cum ratione*] i. nullam habes viuendi causam, in tanta inopia deberes potiùs mori.

RAMIR. DE PRADO.

Dictum est sup. lib. 2. epig. 68. miseros hosce sportularum captatores, ex centum sportulæ quadrantibus genium fraudantes, cellæ pensionem & vestes subtrahere, seruum alere & Veneri etiam satisfacere. Sublata Domitiani edicto sportula, hi omnes in deteriorem conditionem sibi visi sunt incidisse, vt esuritor ille Tucius, de quo sup. epi. 14. qui à ponte Miluio redijt in Hispaniam audita sportularum fabula. Arguit igitur Gargilianum quemdam temeritatis, quòd sublata sportula Romæ viuere perseuerabat.

1 GRATIS *conuiua recumbis.*] Quod sublata sportula iam non conductus pretio, vt antea, sed gratis recumberet: Nec vocaretur ad cœnam venalis, vt inf. epigr. 60. in Ponticum,

Cum vocor ad cœnam non iam venalis vt antè.

Esse autem hos sportularios conuiuas & per vocatorem solere cogi dictum est sup. ad epigr. 7. huiusce libri.

2 ET *fusce pensio cellæ.*) Hoc expressit Iuuenalis eleganti metonymia, sat. 1. versu 120.

Et panis fumusque domi.——

Nam per fumum domi fuscam fumo domum intelligit, id est, fumosam.

3 VNDE *datur quadrans? Vnde? Vir es Chiones!*] Male acceptus versus ab interpunctione. Domitius sic interpungit: *Vnde datur quadrans? Vnde vir es Chiones?* Colinei editio, A. M. DXXIIX. vnicam habet in fine interrogationem; quam lectionem ego prætulerim ceteris. Qui Domitij interpunctionem sequuntur, vt Heraldus sic interpretantur. *Vnde datur quadrans?* id est, ad lauandum. nam pauperes quadrante lauabantur. Constat ex Horat. sat. 3. lib. 1. in fine. ——*dum tu quadrante lauatum*

Rex ibis.

Et Iuuenalis, sat. 6. versu 445.

Cadere Syluano porcum, quadrante lauari.

Vnde Seneca, ep. 87. de balneo: *Cur*, inquit, *exornaretur res quadrantaria, & in vsum, non oblectamentum reperta.* Sic Cicero pro Cœlio, perstringens sororem illam Clodij, quæ quadrantaria dicta fuit, quòd cùm pretio exciperet iuuenes, quidam facetus pro aureis nummis quadrantes in eius loculos immiserat. *Nisi forte* (ait) *mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris erat balneatori:* quo scommate notauit Clodiam, illa quadrantariæ appellationis infamia. Ego verò non existimo hanc lectionem & interpretationem veram esse. Nam quamuis negare non possum quadrante lauari pauperes, non concedam quadrantis solo nomine intelligi quadrantem illum, qui dabatur balneatori, cùm id nullo exemplo possit confirmari. Ideo vt dixi, præfero Colinei interpunctionem, sicque interpretor: *Vnde datur tibi quadrans? Vnde*, id est, à quo quadrante *sis vir Chiones* quadrantariæ meretricis? vt obiter perstringat etiam Chionem, in quo allusit ad historiam Clodiæ supra adductam. Nec intelligas vilium harum meretricum pretium esse quadrantem solum. verum persolui his solere non argento, sed quadrantibus, & minus quã valeret sestertius nummus, qui argenteus erat, & valebat decem nostros marauetinos. As verò quatuor valebat quadrantes, geminóque asse persoluebatur plebeia Venus, vt diximus sup. ad epigr. 53. lib. 2. ad illum versum:

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

Id est, si quatuor quadrantibus redemeris plebeiam & vulgatam meretricem. Dixit autem: *Vnde datur quadrans?* per Synecdochen, id est, vnde deducis octo quadrantes, quibus Chione facias satis, quæ non prostat argento, sed ære. Hinc enim tractum est per iocum nomen Clodiæ, de qua loco Ciceronis supra allegato, quam Plutarchus dicit ab adolescente delusam, qui pro argenteis nummis quadrantes æreos in eius loculos immisisset. Vnde, vt ipse ait in Ciceronis vita, κουαδρανταρία nuncupata est, quod Latinè sonat quadrantaria; quod nomen non impositum fuit de nouo Clodiæ: erat enim iam antiquum vilium meretricum cognomentum, vt constat ex illo Cæcilij ænigmate, apud Quintilianum, lib. 8. cap. 6. *Quadrantariam Clytemnestram in triclinio Coam, in cubiculo Nolam.* De cuius explicatione lege Brodæum, lib. 3. Miscellan. cap. 24. de quo ante scripserat Cælius Rhodiginus, lib. 18. antiq. lectionum, cap. 16. & Andreas Alciatus, lib. 2. parergõn, cap. 12.

1 CVM *ratione licet*, &c.] Lusus est in ambiguitate. *Ratio* namque priori versu & parsimoniam & computationem rectam significat, posteriori verò caussam. Hispano more, dicimus namque, *con mucha razon.* dicturi, non sine caussã. hac etiam formula vsus est S. Orientius in libello illo aureo, quem edidi, propè finem.

Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,
Quæ brutis etiam cõ rõne datur.

Vbi eleganter, vt solet, Delrius meus, illas litterarum notas *cõ rõne* interpretatur. & legi debere monet, *cum ratione.*

Ad Rufinum. XXXI.

Sunt tibi, confiteor, diffusi iugera campi,
Vrbanique tenent prædia multa Lares:
Et seruit dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, minores.
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

DOMITIVS.

SVNT *tibi*] In Rufinum qui obscœnis artibus, & vili ministerio peruenerat ad ingentes diuitias, & quasi suæ conditionis oblitus, amicos iam cœperat aspernari, monet Mart. eum non oportere

efferri diuitijs, cùm ampliores Didymus spado, & Philomelus citharœdus sint consecuti: quasi dicat, & si diues sit, non tamen eius conditionem mutari, & aboleri potuisse.

MVLTA *iugera*] i. habes multos campos.

VRBANI] i. tuæ ædes occuparunt multa iugera soli amplitudine sua, contrà Martialis de casa sua:

Et casa iugeribus non onerosa suis.

NVMEROSVS *debitor*] i. habes multos debitores obæratores.

AVREA *mensa*] i. honesta vasis aureis.

DIDYMVS] Spado fuit, qui supposita alijs vxore ingentes diuitias est adeptus. Alibi:

Si spado Didymus, & Corresus non esset.

PHILOMELVS] Citharœdus, nam φίλος amicum significat, μέλος cantum, alibi latiùs meminit.

RAMIR. DE PRADO.

Conatur reprimere Ruffinum ob diuitias nimis superbientem, quas dicit amplas quidem esse, sed non accedere ad libertinorum opes: quo simul eius arguat stultitiam, qui ea re glorietur, quàm multò magis abiectissimi homines erant consecuti. epigrāma per se liquet.

1 VRBANIQVE *tenent prædia multa Lares.*] Radetus sic interpretatur: *habes suburbana prædia non pauca:* aliena à Poëtæ mente sententia: voluit enim significare laxas & magnificas habitare ædes Rufinum, quæ multorum prædiorum instar essent. Nam prædia vrbana notissimum est significare omnia ædificia, vt constat ex L. Vrbana prædia 198. ff. de verb. sign. *Lares* igitur *Vrbani*, id est, domus, quam in vrbe possides, *tenent prædia multa*, id est, occupant multa ædificia.

2 ET *seruit dominæ numerosus debitor arcæ*] Id est, fœneras multos. De voce dominæ dictum est sup. lib. 1. epigr. 4. & de arca. lib. 2. ep. 77.

3 AVREA *mensa.*] Vel propter coronam auream additam mensæ, vel auream dixit, pro pulcherrima quales erant citreæ.

4 PLVS *habeat Didymus, plus Philomelus habet.*] Nomina Græca indicant libertos hosce fuisse. Didymi meminit, lib. 12. ep. 43. Philomelus autem fortè cytharœdus tempore Martialis. De libertinis opibus dicemus ad lib. 5. ep. 13.

In Matriniam. XXXII.

Non possum vetulam, querer*is, Matrinia: possum*
Et vetulam: sed tu mortua, non vetula es.
Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia sed si
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

(marg.: * v. An. ** v. quæris.)

DOMITIVS.

NON *possum*] In Matriniam decrepita ætate, quæ Mart. accusabat, quòd se vetulam non posset subagitare.

POSSVM] Concumbere cum vetula.

TV *mortua es*] Adeò extremæ ætatis es, vt mortua videaris.

HECVBAM *si nondum erit canis*] i. possum concumbere cùm Hecuba antequam conuersa foret in canem: & item cùm Niobe, antequam in saxum. quasi dicat, tu non anus es, sed aut canis, aut saxum, deposita mulieris figura.

RAMIR. DE PRADO.

Conuitium est in Matriniam vetulam, quæ querebatur, quòd Poëta non virum egisset cum ea. Excusat hoc cum dicat eam non vetulam, sed iam mortuam, iam cineres.

1 NON *possum vetulam quereris Matrinia?*] In veteribus legitur,

An possim vetulam queris Matrinia?

Sed ego prætulerim vulgatam lectionem: colligo veram esse ex responsione Poëtæ, quæ se purgat, quod in eo certamine ante victoriam occubuisset. Erat enim intempestiua hæc purgatio; si Matrinia tantum interrogasset eum vtrum posset.

2 POSSVM *Hecubam, possum Nioben.*] Tot filiorum matres necesse est vetertimas esse: has igitur enumerat per Synecdochen pro omnibus vetulis.

3 SED *si Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.*] Notissima fabula ex Metamorphosi Ouidiana, de Hecuba in canem, lib. 13. cum Polymnestori Thraciæ regi ob occisum Polydorum filium oculos eruisset, & à Thracibus lapidibus impeteretur, in canem est conuersa. significat igitur se vetulas posse quidem, sed si nondum nimia vetustate fœminarum formam exuerint.

Qualem puellam velit. XXXIII.

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est.
Extremo est ancilla loco: sed vincet vtrâque,
Si facie nobis hæc erit ingenua.

DOMITIVS.

INGENVAM] Ait Mart. in puella optanda non tam habere rationem nobilitatis, & conditionis, quā formæ, & inquit. non tam opto puellam ingenuæ conditionis, quàm formæ. Ingenui dicuntur, quorū maiores non seruiuerunt nec ipsi.

INGENVAM] i. ingenuæ conditionis.

LIBERTINA] Libertinus dicitur, qui habuit maiores seruos, ipse liber: & secundo loco opto libertinam, postremo ancillam, sed serua vtramque vincet, & libertinam, & ingenuam, si fuerit pulchra, ex Epicuri sententia est proxima voluptate tangi, contempta inani laudis & specie.

RAMIR. DE PRADO.

Ancillam ingenuā facie se præferre cæteris omnibus dicit: id autem per ἀπροσδόκητον: nam cum dixisset se ingenuam malle, & ea deficiente libertinam, extremo loco ancillam si ea ingenua facie sit. Vtrâque vincet apud me, inquit. ingenua facies in pretio. Vnde Propertius inter laudes suæ puellæ ingenuum colorem enumerat, lib. 1. eleg. 4.

Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita dicere veste licet.

Cætera per se satis liquent.

Ad Chionem. XXXIV.

Digna tuo cur sis, indignaq; nomine, dicam.
Frigida es, & nigra es: nō es, & es: Chione.

DOMITIVS.

DIGNA *tuo*] Chion significat niuem, vnde hæc mulier dicta est Chione: ait Martial. eam quidem esse Chionem, quia frigida est, vt nix, sed non esse Chionem, quia nigra est, & non candida, vt nix.

FRIGIDA] Scil. in coitu, nam blanditias non habebat.

RAMIR. DE PRADO.

Iocus in Chionem petitus à significatione nominis. Chione namque Græcè niuem significat. Dicit igitur hanc partim dignam, partim indignam hoc nomine: digna quod frigida sit, indigna quod nigra sit.

De piscibus sculptis. XXXV.

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

DOMITIVS.

ARTIS] Phidias sculptor Atheniensis claruit minoribus simulachris sculpendis.

TOREVMA] Toreumata dicuntur vasa sculpta, laudantur pisces hoc disticho in vase sculpto.

Adde aquam natabunt:

Adeò bene sunt sculpti, & laudat præstantiam sculpturæ.

RAMIR. DE PRADO.

Laudat toreuma mirè in phiala elaboratum. Erāt autem pisces quidam quos dicit addita aqua nataturos, idque hyperbolicῶs, vt etiam inf. ep. 41. de lacerta Mentoris

1 ARTIS *Phidiacæ toreuma clarum.*] Non quod à Phidia fabrefacti fuerint hi pisces, sed quod toreuticen, id est, artem conficiendorum toreumatum is inuenerit, quam in summo habitam fuisse pretio Plin. lib. 35. cap. 10. docuit.

In Fabianum. XXXVI.

Quod nouus, & nuper factus tibi præstat amicus;
Hoc præstare iubes me, Fabiane, tibi.
Horridus vt primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum:
Lassus vt in thermas decima, vel serius hora
Te sequar, Agrippæ, cùm lauer ipse Titi. Li. v. lauē.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Vt sim tiro tuæ semper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga, tritáque, meaque,
Vt nondum credas me meruisse rudem.

DOMITIVS.

QVOD] Ad Fabianum amicum veterem, quem & si iamdiu coluerat, tamen non habebat mitiorem.

PRÆSTARE *hoc tibi*] i. officia quæ exigis à nouo amico.

HORRIDVS] Incultus: nam qui properabant A ad salutandum non poterant se colere. Iuue. Ligulam dimittere.

AGRIPPÆ] M. Agrippa habebat thermas.

THERMAS *Titi*] Vespas. quas celeriter extruxit.

PER *xxx. Decembres*] i. xxx. annos.

VT *semper tiro*] i. nouus miles.

TOGA *mea trita*] Et consumpta, & mea, quàm nunquam meruisti.

MERVISSE *rudem*] Tractum est à gladiatoribus: nam gladiatores ingrauescente ætate rude donabantur, vt apud Horat. in epist. & Iuuenalis. Qua rude accepta non cogebantur ampliùs pugnare: sed publica alebantur pecunia. Sensus est. Putas me non demeruisse rudem, vt me alas sine officio.

RAMIR. DE PRADO.

Expostulat cum Fabiano iniuriarum, quod cum vetus esset amicus, easdem cogeretur, quas sodales B noui præstare operas anteambulonis.

1 HORRIDVS *vt primo semper te mane salutem.*] Horridus frigore matutino, vt solebant antelucani salutatores frigore corripi, vt sup. lib. 1. ep. 56.

Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portas ineptus, Aue.

Ad eund. modum Persius hic sat. 1.

——calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

De antelucanis salutatoribus Iuuen. sat. 5. vers. 20.

——sollicitus ne
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem,
Sideribus dubijs, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Boote.

2 PER *mediumque trahat me tua sella lutum.*] Ante C ambulonum, qui diuitum sellas sequebantur, incōmoda multa erant. hoc in primis, quod sæpe per lutum occupante viam lectica eundum ijs esset, li. 10. ep. 10. *Lecticam sellamque sequar? nec ferre recuso*
Per medium pugnas, sed prior ire lutum.

Et lib. 12. ep. 26.

At mihi quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre patique lutum.

Alia multa enumerat Iuuenal. sat. 3. versu 239. & sequentibus multis, & quædam referuntur epigr. seq. 46. vbi se excusat, quod non possit operam togatam præstare Candido.

3 LASSVS *vt in thermas, &c.*] Hic intelligit Raderus queri Martialem, quod cogeretur lauari cum Fabiano in thermis Agrippæ, cum ipse soleret lauari in Titi æque bonis aut etiam melioribus. Sed ineptum D nobis hæc interpretatio obtrudit Martialem, & nimis ineptè delicatum, qui quereretur, quod simul cum amico potenti lauaret, & præferret vsitatorum balneorum vsum, amicitiæ Fabiani. Iustior est multo Fabiani conquestio. Queritur enim, quod iam lassus hora decima, vel serius quando iam cœnandum esset cogeretur sequi Fabianum in thermas Agrippæ, quo ibi relicto, quod simul lauari per fastum amici potentis non liceret, properabat ipse ad Titi thermas, quæ longo spatio distitæ erant à thermis Agrippæ.

4 HOC *per triginta merui Fabiane Decembres.*] Ter repetit quatuor versibus seqq. verbum *merendi*, quod militare est; quod seq. versu tyronis nomen ab ead. origine desumptum esset vsurpaturus.

Per Decembr. annos intelligit, per Synecdochen nec sine Emphasi: quod cùm arguat Fabianum auaritiæ, Decembres nominat, quibus mensibus solebant patroni clientibus munera dare, Saturnalibus scilicet tempore brumæ, vt scribitur, ep. 71. lib. 8.

5 HOC *meriti Fabiane toga tritaque meaque.*] Ne intelligat Lectorem trita toga à Fabiano Martialem donatum fuisse, adijcit illud, *meaque.* magni enim amici clientibus tritam togam munere dabant, vt Persius ait loco sup. citato, sat. 1.

——horridulum trita donare.

Et Horat. lib. 1. epist. 19.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

6 VT *nondum credas me meruisse rudem.*] Locus est in ambiguitate, quam non vidit in hoc loco Raderus: Nam de rude qua donabantur gladiatores, communis est acceptio, & notissimus omnibus locus. Sed hic intellexit etiam Martialis non meruisse rudem, id est, togam rudem, saltim de qua diximus sup. ad lib. 2. ep. 44. poterat Raderus admoneri præcedenti versu, quo dixerat se præstitisse operas Fabiano toga sua & trita.

In irascentes amicos. XXXVII.

Irasci tantùm felices nostis amici.
Non bellè facitis; sed iuuat hoc facere.

DOMITIVS.

IRASCI] Irato Fabiano ex superiore epigrammate ait Martial. amicos diuites, vel sine causa solere irasci pauperibus, non quia id sit honestum, sed quoniam vtile est. Nihil enim posteà dant.

FELICES] Diuites.

NOSTIS] i. tantùm scitis irasci.

IVVAT *hoc facere*] Quia nihil posteà datis amicis, quibus estis irati.

RAMIR. DE PRADO.

Est reprehensio diuitum, qui irarum occasionem quærunt, ne officia inferiorum amicorum munerentur, quod Tacitus lib. 4. annalium grauiter notat his verbis: *pro gratia odium redditur.* De huius epigrammatis explicatione diximus multa ad lib. 1. epigram. 13.

Ad Sextum. XXXVIII.

Quæ te caussa trahit, vel quæ fiducia Romã,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Caussas, inquis agã Cicerone [v. disertior.] *disertius ipso,*
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus caussas, & [v. Marcus.] *Ciuis: vtrumque*
Noras: sed neutri pensio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangẽtur carmina nobis:
Audieris, dices esse, Maronis, opus.
Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis,
Sunt tibi, Nasones, Virgiliosque vides.
Atria magna colã. vix treis, aut quatuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? suade. nam certum est viuere Romæ.
Si bonus es, casu viuere, Sexte, potes.

DOMITIVS.

QVÆ *te caussa*] Interrogat Sextum quare veniat in vrbem, & ostendit bonum virum nihil certi habere vnde viuat.

TRIPLICI *foro*] Triplex enim forum erat in vrbe, Latinum, Romanum, & vetus: nec potest alludere ad tria fora dicendi, quibus oratores vtuntur, nam prior sententia melior est, & planè confirmata.

TOTA *neutri*] Hoc est, potuisset toto credi pensio domus, vel tota, id est, neuter tantùm habuit, vt totam pensionem soluere posset.

HINC] Ex causis.

PANGENTVR *carmina*] Id est, componam carmina.

GELIDIS *lacernis*] i. tritis lacernis.

ATRIA *magna*] Magnorum principum.

ISTA *res*] Colere atria.

CERTVM *est viuere Romæ*] i. decreui & constitui viuere Romæ.

CASV] Fortuna, & non certo instituto, nam boni viri officium in precio non est, nec certum bono viro præsidium est, sed malis. Mali igitur certo præmio viuunt, boni pendent ex casu, vt aliquid assequantur, nam bonarum artium nullum est certum præmium.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc epigramma Satyram aduersus Romanos corruptos mores, qua ostendit Romæ nullum esse bonis viris locum. eiusdem argumenti est epig. 5. lib. 4. fingit Sextum quemdam decreuisse Romæ viuere; id dissuadet, quod neque causas agere, neque carmina componere, neque potentiores colere, alicuius ei futurum sit vtilitatis.

1 ATQVE *erit in triplici par mihi nemo foro.*] Triplex forum; vetus Romanum vnum, alterum Caij Iulij Cæsaris, tertium Augusti, in quibus caussæ agebantur: de quibus copiosè Alexander Neapolitanus, lib. 2. c. 12. & Marlianus in topographia vrbis, lib. 3. cap. 24. & Noster lib. 7. epigr. 64.

Lis te bis decima numerantem frigora bruma
Conterit vna tribus, Gargiliane, foris.

Et lib. 8. epigr. 44.

Foroque triplici sparsus ante equos omneis.

Papinius Statius, lib. siluar.

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

2 EGIT *Atestinus*, &c.] Nomina ficta pauperum caussidicorum.

3 SED *neutri pensio tota fuit.*] Pensio ἐνοίκιον est. id est, ea pecunia, quæ pro mercede habitationis ædiũ alienarum soluebatur; vt constat toto tit. ff. Locati & conducti, & hic noster lib. 12. epig. 32.

Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat vxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater, ingenti:
Furias putaui nocte Ditis emersas.

4 OMNES *gelidis quicunque lacernis.*] Gelidæ lacernæ paupertatis signum. Sic infr. lib. 7. ep. 91.

Esse queror gelidásque, mihi tristésque lacernas.

Diciturque per metonymiam, quia trita vel sordida, vt lib. 1. ep. 93. diximus, faciliùs frigus admittunt.

5 SVNT *tibi. Nasones, Virgiliosque vides.*] Lego, *sunt ibi.* id est, Romæ.

6 ATRIA *magna colam.*] Atria potentiorum erãt, vbi clientes & salutatores expectabant magnum amicum, vt diximus ad lib. 1. ep. 56.

7 PALLET *cetera turba fame.*] Nam qui aridam sportulam tantum capiebant à diuitibus, egregiè fame peribant. Sic supra potentes illos qui sportulam donabant, famem appellar amicorum; vt ad l.1.epig. 60. late diximus, & ad epig. 7. huiusce libri.

8 SI *bonus es casu viuere Sexte potes.*] Qui subnixi aliquo præsidio pecuniæ viuunt, cum ratione viuūt: sciunt enim iam vnde viuant. Sic supra epig.30. Gargilianum decipi docet, quod nulla cum ratione viuat, quamuis is existimet se cum summa viuere: qui verò nullo subsidio suffultus viuit, casu viuit. Significat igitur Sextum si bonus sit, posse viuere casu; & ex consequenti posse fame perire. *Si bonus es*, inquit, nam si malus sis, certa cum ratione viuere potes, vt dicitur lib.4. ep.5. vbi suadet Fabiano, ne Romam petat. *Qui nec leno potes, nec commissator haberi:* Nec alia crimina perpetrare, vnde sceleratis suppetunt pecuniæ: quam sententiam Iuuenalis eleganter sub Vmbricij persona persequitur multis versibus: sat. 3. à versu 41.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio, &c.

De Lycori. XXXIX.

Iliaco similem puerum, Faustine, magistro
Lusco Lycoris amat. quā benè lusca videt!

RAMIR. DE PRADO.

Amatores turpium personarum cœci appellantur à Poëta, quòd ob nimiam turpitudinem non offendantur; vt sup. epigr.8.

Thaida Quinctus amat, quam Thaida? Thaida luscam.
Vnum oculum Thais non habet, ille duos.

Contra verò, qui pulcherrimas amant, bene videre dicuntur: vt hoc loco Lycoris lusca formosissimum amabat puerum: *Optimè vides, quamuis vno oculo capta sit.*

1 ILIACO *similem puerum Faustine magistro.*] Legendum omninò *ministro*, qui Ganymedes est Iouis minister, quem lib. 11. ep. 105. Dardanium ministrum vocat,

Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Ioui.

Et lib.2.ep.43. Iliacum vocat cinædum,

Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo.

In Thelesinum. XL.

Mutua quòd nobis ter quinquaginta dedisti
Ex opibus tantis, quas grauis arca premit:
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus,
" Tum magnus, quòd das: immo ego, quòd recipis. "Tu n'

DOMITIVS.

MVTVA] Thelesinus magnus volebat videri, cùm diues ter quinquagena mutua dedisset. Martial. ait eum non esse magnum virum, quòd det mutuo, sed esse magnum virum, quòd restituat: quasi dicat plus esse, quòd à paupere ter quinquaginta restituātur, quàm quòd dentur mutuo à diuite.

QVOD *recipis*] Quia restituo diuiti: hinc nostra A sententia confirmatur, vt pusilli à Martiale dicantur, qui nihil dant amicis: *Gaure pusillus homo es*, nam hic volebat magnus videri, quia daret.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet Thelesinum quemdam, qui magnam rem se præstitisse existimabat, quòd mutuam dedisset Poëtæ pecuniæ summam, & se magnum ob id reputabat. Respondet Martialis maiorem se esse, qui debitum illud soluat, cum pauper sit, & honestè posset decoquere.

1 TER *quinquaginta dedisti.*] Legitur alias, *ter quinquagena*, eodem sensu.

2 QVAS *grauis arca premit.*] Idem est *premere*, quod supra dicit lib. 2. ep. 30. flagellare. de arca dictum est sup. lib. 1. ep.77.

3 ESSE *tibi magnus Thelesine videris amicus.*] Magni amici sunt, quos sup. lib.2.epig.18. reges appellat, B Hispani señores. Iuuenalis sat.1 vers.33.

——post hunc magni delator amici.

4 TVM *magnus quod das.*] Alias legitur, *Tu magnus quod das:* sed melius, *Tu n' magnus quod das?*

5 IMMO *ego quod recipis*] Nam si tu magnus fuisses, id nomen dono mihi dedisses: ego magnus, qui pauper soluo, vt tu recipias.

De lacerta cælata. XLI.

Inserta phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta viuit, & timetur argentum.

DOMITIVS.

INSERTA] Mentor argenta cælando maximè C claruit. Plin. Iuuenal. *Rara sine Mentore mensa*, Id est, sine poculis Mentoreis, Laudatur artifex qui sculpsit lacertam in poculo argenteo.

INSERTA] i. insculpta phialæ. Plin. de Stratonico sculptore: Quique satyrum in phiala grauatum somno collocauisse veriùs, quàm cælasse dictus est Stratonicus.

DVCTA] Effictà.

VIVIT] Adeò bene sculpta est.

ET *timetur argentum*] Quia tam benè sculpta lacerta est, vt viua videatur, & nocitura.

RAMIR. DE PRADO.

Simile est superiori epigr. 35. Erat in phiala ad viuum excusa lacerta quæ spirare videbatur, & ideo timeri poterat quamuis argentea.

1 MENTORIS *manu ducta.*] Id est, Mentoreo artificio fabrefacta: quemadmodum, lib.9. epigr.60. D

——& si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.

Ducta autem proprium est cælatorum & sculptorū verbum. Virgil. lib.6. Æneid. versu 847.

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus.

In Pollam. XLII.

Lomento rugas vteri quod condere tentas
Polla: tibi ventrem, non mihi" labra linis. "Labra linire, accipio pro decipere, & (quod Plautus ait) os sublinire.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum.
Quod tegitur, maius creditur esse" malum. "v. autem.

DOMITIVS.

LOMENTO] Lomentum de farina fabæ hoc loco intelligo. De candido præterea medicamine quod ex argento fiebat, lomentum dicebatur: author est Plin.

POLLA] Hoc medicamine linebat ventrem, vt puella videretur: potes, inquit, expolire ventrem lomento, vnde alij fortasse qui cunnilingi sunt, allici possunt ad cunnum tuum lingendum, ego autem non viscabo illic labra, non enim sum cunnilingus. De lomento in distichis. Propterea consulit Martial. vt lomentum omittat. Alibi idem est sensus.

NON *linis labra mihi*] Hoc est, non propterea ego illic admouebo labra vbi linerentur, & viscarentur.

RAMIR. DE PRADO.

Pollam quamdam frustrari docet suo labore, quæ scissuras ventris lomento tegebat, cum id potius suspicionem maioris deformitatis moueret in animis spectantium.

1 LOMENTO *rugas vteri, &c.*] Vtile esse ad hoc lomentum docet, lib. 14. epi. 60. quod fieri solebat & creta, vt est apud Petron. *Inter rugas malarum tantum erat creta vt putares detectum parietem nimbo laborare.*

2 TIBI *ventrem non mihi labra linis.*] Communis huius loci interpretatio, *labra linire*, pro *decipere*, vsurpatum affirmat, vt *os sublinire*, apud Plautum, vt sit sensus tibi ventrem linis, sed hoc fuco non me decipis, qui sciam quam fœdis sulcis vteri aratum habeas vterum, vt inf. ep. 70.

Aut sulcos vteri prodere nuda times.

Hanc verò dicendi formulam Nonius Marcellus originem duxisse à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, scribit, Quos enim aliis ridendos propinare volebant, dormientes per iocum liniebant colore aliquo, vel fuligine. Virgilius in Sileno ait Deum illum à iuuenibus comprehensum, & ligatum moris facie pictum esse ab Ægle Naiade.

——— *iamque videnti*

Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Et Anterastilis in Pœnulo Plauti inquit:

Stulta soror es ma..s quam volo, an vero pulchra videre obsecro,

Si tibi illic non os oblitū est fuligine. & Petr. in sat. *Ancilla*, inquit, *totam faciem eius fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra humerosque sopitionibus pinxit*, vbi Duza pro *sopitionibus*, legit *cipionibus*: Sed Gruterus lib. 2. susp. cap. 3. Emendat *sopitis titionibus*, id est, extinctis, qui carbones facti denigrare possunt. Schoppius lib. 1. verisimilium cap. 7. *sopitis titionibus*, legit, vt referatur ad Ascilton, ad quem etiam refertur illud *non sentientis*. Ego Gruteri lectionem prætulerim. De his autem iocosis in dormientes contumeliis multa leguntur apud veteres scriptores. Suetonius de Clodio cap. 8. narrat eum his ludibriis obnoxium fuisse, præcipuè in conuiuiis. *Solebant*, inquit, *& manibus stertentis socci induci, vt repentè expergefactus faciem sibi confricaret.* Hinc igitur natum existimant hunc dicendi modum, *labra linire*. Sed ego existimo aliam esse huius formulæ originem: ductam enim puto metaphoram à vasis, quibus amaræ potiones & medicamenta exhibebãtur à medicis, quorum labra solebant illini melle, vt eius dulcedine decepti ægrotantes potionem haurirent, & quod eo melle ægrotantium labris illitis decipiebantur ipsi. Inde tractum censeo hoc prouerbium, quamuis pa-

A rœmiographus sequatur Nonium Marcellum. Hanc rem Graphicè, vt solet omnia, describit Lucretius Carus, hisce elegantissimis versibus.

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes

Cum dare conantur prius oras pocula circum,

Contingunt mellis dulci flauóque liquore:

Vt puerorum ætas improuida ludificetur

Labrorum tenus, interea perpotet amarum

Absinthi laticem, deceptaque non capiatur;

Sed potius tali facto recreata valescat.

Vbi expende verba illa, *ludificetur Labrorum tenus.* Quæ significant illiniri labra fallaci illo melle. Manet hodiéque hoc adagium apud nostrates, dicimus enim, *vnto me los labros.* id est, decepit me. Apud Græcos etiam hunc fuisse morem constat ex comparatione Themistij, in oratione qua Nicomedenses ad Philosophiam exhortatus est. *Imitandi*, inquit, *nobis sunt sapientiores medici: qui pharmaca ea, quæ a-*

B *mariora sunt, circumlito prius melle poculo bibenda prabent.* Attamen doctissimus Scaliger ad 4. Propertij lib. multò aliter hæc legit, & intelligit hunc versum, sic enim emendat:

Polla tibi ventrem non nihil atra linit.

Atrasque ait vocitare ab Atticis eas ancillas, quæ dominis erant in delicijs, quas in veteribus inscriptionibus delicias & delicium vocabant dominæ. Ego assensum sustineo, & suspiciens tanti viri auctoritatem, eius sententiam non ausim taxare, quamuis leuissima existumem coniectura prolatam.

3 SIMPLICITER *pateat vi.. tum fortasse pusillum.*] Simpliciter, id est, sine fuco aliquo: vt lib. 1. ep. 88.

——— *sis ebria simpliciter.* Et lib. 6. epig. 7.

Offendor mœcha simpliciore minus.

4 QVOD *tegitur, maius, creditur esse malum.*] In veteri codice est, *nefas*: non aliena lectio à dictione

C Martialis: nam infrà epigr. 72. *de eadem*, ferè de eadem re ait:

Nescio quod maius suspicor esse nefas.

In Lentinum. XLIII.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito coruus, qui modo cycnus eras.
Non omnes fallis: scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

DOMITIVS.

MENTIRIS] Lentinus canus tinxerat capillos, ait Martial. eum quidem posse fallere aspectum hominum, sed non posse decipi senectutem, vel Proserpinam, quæ exacta ætate detrahet medicamina il-

D la nigra eius capiti. Ingeniosè medicamen illud poëta appellat laruam.

MENTIRIS *iuuenem*] i. simulas te esse iuuenem.

TAM *subito coruus*] id est, niger tanquam coruus.

PERSONAM] Quam medicamine simulas.

DETRAHET] Nam & si videris iuuenis, cùm senex fueris, morieris. Hominum aspectus falli potest, naturæ lex non potest.

RAMIR. DE PRADO.

Tingentem canos Lentinum quendam irridet, quòd hoc fuco iuuenem assimulabat, interminatus non euasurum hac stropha mortem.

1 CORVVS, *qui modò cycnus erat.*] Metonymia, id est, tam subitò coruo similis, qui modò cycno similis erat.

2 SCIT *te Proserpina canum.*] Qui morti propinqui erant, credebantur ab antiquis tonderi a Proserpina, & his quasi primitiis Orco initiari, nec aliter diem suum obire posse. Hanc causam difficilis mortis in Didone affert Virgilius lib. 4.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem subitóque accensa furore:
Nondum illi flauam Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygióque caput damnauerat Orco.

Dixerat enim antea.

Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilesque obitus Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexosque resolueret artus.

Sic Horat. lib. 1. ode 28.

Mixta senum ac iuuenum densantur funera, nullum
——saeua caput Proserpina fugit.

Nam qui moritur, velut Orci victima est, quia antequam pecudes in sacris immolarentur, capitis eorum setæ ferro secabantur. Virg. 6. Æneid.

Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima.

Quod admonet Macrobius desumtum esse ex Homero. ἀρχὰς ὦν κεφαλῆς τρίχας τάμνει (?) Ergo, inquit, Proserpina scit te canum, & iam maturum morti, ne existimes te posse eius cultrum effugere. Sanctissimus & antiquissimus Alexandrinus Clemens lib. 3. pædagogi, cap. 3. hanc sententiam eandem vsurpauit, reprehendens eos viros, qui se fœminarum ritu comunt, his verbis, ex interpretatione Gentiani Herueti. *Pilos autem tingere & canos vngere, ac coloribus oblinere. quibus perditi Androgyni effœminatique homines vtuntur, muliebrésque pexus omninò dimittendi sunt, putant enim se sicut serpens posse senium capitis exuere, dum seipsos pingentes transformant, ac renouant. Sed etsi pilos callidè circumscribant, rugas tamen non effugient: sed neque mortem latebunt, etsi tempus per artem ementiantur.*

3 PERSONAM *capiti, &c.*] Tinctus ille capillorum eleganter capitis persona dicitur, & quemadmodum persona detracta detegitur, & cognoscitur facies, ita & remoto fuco capillorum, cognosceris iam senex & Orco mactandus.

In * Ligurinum. XLIV.

* v. Ligurinum poëtā.

Occurrit tibi nemo quòd libenter,
Quòd quacumque venis, fuga est, & ingens
Circa te, Ligurine, solitudo:
Quid sit scire cupis? nimis poëta es.
Hoc valde vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
*Nec sic scorpius * improbus timetur.*
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, & legis sedenti:
Currenti legis, & legis cacanti.
*In thermas fugio: sonas * ad aurem.*
*Piscinam peto: non * licet natare,*

* Impius, erat in textu: sed in margine, ascriptum, improbus.
* v. in aurem
* v. finis.

A *Ad cœnam propero, tenes euntem.*
Ad cœnam venio: fugas sedentem.
Lassus dormio: suscitas iacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir iustus, probus, innocens timeris.

DOMITIVS.

OCCVRRIT] Accusatur Ligurinus quòd malè & intempestiuè recitet: adeo vt cùm bonus vir sit, ea sola de causa fugiatur ab hominibus.

QVACVNQVE *venis est fuga*] id est, quacumque venis omnes fugiunt.

QVID *sit scire*] id est, cupis scire causam.

NIMIS *poëta es*] Scilicet nimiùm vis videri poëta recitando.

PERICVLOSVM] Quia molestum omnibus.

B DYPSAS] Genus serpentis, cuius morsus hominem siti necat.

MEDIO *sole*] Ex plaga meridionali, quia illic sunt grauiora venena, vel perusta medio sole quoniam perpetuo apricatur.

SCORPIVS *improbus*] Venenosus.

PISCINA] Locus erat domi vbi frigida lauabantur. Docet hoc Cicer. Latiorem, inquit, piscinam voluissem, vbi iactata brachia non offenderentur.

VIR *iustus*] hoc enim vnum vitium occupat omnes.

RAMIR. DE PRADO.

Importunos & acerbos recitatores exagitat Poëta multis locis, sed præcipuè Ligurinum hoc epigrammate & sequenti, & etiam infr. 46. Est autem hoc epigrammate hyperbolyca quædam amplificatio, C quales multæ & familiares huic Poëtæ, quo nomine apud Seueros Criticos malè audit. Omnia autem in eo per se liquent: illud animaduersione dignum, vbi legitur:

Ad cœnam venio, fugas sedentem.

Corruptè legi: suprà enim dixerat,

Et stanti legis, & legis sedenti.

Nec est adeò verborum inops, vt post quatuor versus repeteret idem verbum. Quod si intelligas sedentem ad cœnam, absurdum est: Nam veteres non sedentes, sed recumbentes cænabant. Vnde absurdior est emendatio Raderi, qui legit, *ad cœnam sedeo.* Tu omnino lege:

Ad cœnam venio, fugas edentem.

Fuitque facilis loci corruptio, ex sibilo verbi *fugas* intellexit enim librarius dictante alio ex eo sibilo *sedentem*, pro *edentem*. Quo vitio corrupti fuerunt innumeri auctorum loci.

2 VIR *iustus, probus, innocens timeris.*] Elegantis-D sima sententia, pro Iustitia: namque probitas & innocentia potius appetuntur, quàm fugiantur aut timeantur. Tu autem importuna recitatione cum his virtutibus possis commendari & amari, fugeris ab omnibus. Horatius in arte ad finem mirè extulit recitatorum importunitatem, grauissimis verbis & sententiis.

De eodem. XLV.

Fugerit an mensas Phœbus cœnamque Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.

Illa quidem lauta est; dapibúsq; instructa superbis:
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombũ, mullúmue bilibrẽ:
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

DOMITIVS.

FVGERIT] In fabulis dicitur Solem auertisse cursum, ne sceleratam Thyestæ cœnam inspiceret: vt filij appositi ab Atreo fratre fuerunt.

FVGIMVS] Ne cogar audire te recitantem.

TACE] i. nihil recites. alibi poëta in cœna iucunda pollicetur non affuturum crassum volumen.

RAMIR. DE PRADO.

Eiusdem est cum superiore argumenti, quo renunciat cœnæ Ligurini, quod acerba & molesta recitatione conuiuas enecet: quod latius sequenti epi. 49. persequitur.

1 FVGERIT *an mensæ, &c. ignoro:*] Notissima fabula huius cœnæ, quam Phœbus dictus est noluisse spectare. *Ignorandi* autem verbum, pro dubitandi posuit.

2 MVLLVMVE *bilibrem.*] Vide quæ notauimus de mullo ad ep. 43. li. 2.

3 TACE.] lib. 5. epi. 79. Turanium ad cœnam inuitans, cum ei se multa appositurum, tandem pollicetur abfore recitationes.

Nec crassum (inquit) *dominus leget volumen:*

Et lib. 11. itidem epi. 53. inuitans Iulium Cerealem, inquit:

Plus ego polliceor, nihil recitabo tibi,
Ipse tuos nobis relegas licet vsque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

Recitabant domini vt hisce in locis, vel per lectorem, vt Plin lib. 1. ep. * testatur. *Audisses Comœdum vel lectorem* (loquitur de cœna) *vel, quæ mea liberalitas est, omnes.* & lib. 3. epi. 5. de Plinio secundo auunculo: *Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus, super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronuntiasset, reuocasse, & repeti coëgisse, huic auunculum meum dixisse. Intellexeras nempe? cùm ille annuisset. Cur ergò reuocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus.* Et Corn. nepos in vita Attici. *Neque vnquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est, vt non minus animo, quam ventre conuiuæ delectaremur.* Quem morem apud multos bonæ notæ auctores inuenies.

Ad Candidum. XLVI.

Exigis à nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor: illle feret.
° In turbã incideris, cunctos vmbone repellet:
Inualidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in caussis narraueris, ipse tacebo:
At tibi ° tergeminum mugiet ille sophos.
A *Lis erit, ingenti faciet conuicia voce:*
Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?
Quidquid libertus, Candide, non poterit.

* Vide Turneb. lib. 15. cap. 19

° Id est maximum clamabit sophos. Turneb. lib. 23. cap. 32.

DOMITIVS

EXIGIS] Ad Candidum amicum, quem cùm non comitaretur Mar. mittebat ei libertum: ait poëta plus in ea re. i. comitando ei libertum posse præstare, quàm ipse valeat: quoniam ipse sit ad seruilia munera ineptus, ait tamen se omnia ei præstiturum, quæ libertus præstare non poterit, hoc est laudem, & immortalitatem.

OPERAM *togatam*] i. togati hominis, nam anteambulones erant togati.

VMBONE] i. obiecto corpore suo pro vmbone.

B MVGIET] i. clamando sæpè te laudabit.

LIS *erit,*] si habebis litem.

FACIET *conuitia*] Clamabit in aduersarium tuum.

QVICQVID] immortalitatem propter meos versus.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad eundem Candidum, quem vt illiberalem taxauerat, sup. lib. 2. epigr. 24. & 43. & hoc eodem lib. epig. 26. eumque vt impudentem reprehendit, qui seruiles operas ab amico exigeret: ait mitti à se libertum, maiúsque hoc esse quam si ipse iret in eius comitatu: pollicetúrque se præstaturum id, quod homine libero dignum sit; & quod libertus præstare non possit.

1 EXIGIS *à nobis operam sine fine togatam*] Exigendi verbum propriè in pecore sedem habet, agere namque est minare pecus: *inigere,* agere in aliquem lo-
C cum, veluti in stabula, cuius oppositum est *exigere:* id est, extrahere pecus à stabulis. Hinc transfertur ad significationem vulgò notam, vt sit quod Hispani dicunt *cobrar;* id enim est pecunias aut rem aliquam à debitore extrahere. Eadem mente significat eiicere: nam qui exigit pecus, eijcit illud ab eo loco. Vnde dicebant Romani ab exactis regibus, id est, à die quo iecti fuerunt, siue à regifugio. Eadem ratione dixit Terentius, *exigere Comœdias,* id est, eas explodere à Theatro, antequam spectarentur, vt est in prologo Andriæ. cuius verba obiter emendabimus.

Fauete, adeste æquo animo & rem cognoscite,
Vt pernoscatis, & quid spei sit reliquum,
Post hac quas faciet de integro Comœdias;
Spectandæ an exigendæ sint vobis prius

vbi lege: *vt pernoscat is---*

D vt τὸ is ad Poëtam referatur; & sit sensus, vt pernoscat Poëta quid sibi à vobis expectari possit, an Comœdiæ, quas deinceps facturus sit, sint spectandæ à vobis & admittendæ, an priusquam spectentur, explodendæ & exibilandæ. Exigis ergo, id est, petis & quasi tuo iure flagitas à nobis togatam operam, id est, officia togatorum anteambulonum.

2 VIX *ego lecticam subsequor, ille feret.*] sup. epi. 36.

Per mediumque trahat me tua sella lutum.

vbi vide quæ à me adnotata sunt.

3 IN *turbam incideris.*] Iuuenal. sat. 3. vers. 243.

----nobis properantibus obstat
Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro.
Alter at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, plantâ mox vndique magna

Calcor, & indigito clauus mihi militis hæret.
Vbi vides anteambulonum incommoda, vbi in turbam incidunt Reges lectica vecti.

4 CVNCTOS *vmbone repellet.*] Per metaphoram irrisoriè vmbonem appellat, liberti vel cubitos vel ventrem, cuius oppositu obuios repellere poterat: *vmbo* enim est quicquid extumidum prominet. Vnde pars illa, quæ in Romano clypeo, instar dimidij oui, eminebat, vmbo appellabatur, & per Synecdochen totus clypeus dicebatur vmbo. Virgil. lib. 10.

Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma,
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.

Et Sidonius.

Hanc fulcit rutilus spatioso circite lauū Vmbo latus.

Sic Suetonius in Iulio cap. 68. in fine de Acilio Cæsaris milite, *transiliuit,* inquit, *in nauem vmbone obuios agens.*

5 INGENVVMQVE *latus*] Ingenuum latus, inualidum appellat, quod ingenui hominis vires modicæ sint, vt quæ non sint oneri ferendo. Sic lib. 10. epigr. 47. *vires ingenuæ, salubre corpus,* id est, vires quæ homini ingenuo sufficiant.

6 TERGEMINVM *sophos.*] id est, maximum, vt diximus ad lib. 1. ep. 4.

7 ESSE *pudor vetuit fortia verba mihi.*] *Pudor*, id est, ingenuus rusticitatis metus, qui prohibet clamationem: est enim rusticorum voce alta loqui: quod docuit politissimus philosophorum Theophrastus in characteribus ethicis, cap. 4. περὶ ἀγροικίας, vbi inter alia rusticitatis argumenta enumerat καὶ μεγάλῃ τῇ φωνῇ λαλεῖν. vnde Tranio initio Plautinæ Mostellariæ Grumionis vociferationi sic respondet: *Quid tibi malum hic ante ædes clamatio est? An ruri censes te esse? abscede ab ædibus, Abi rus, abi directè.*

De Basso. XLVII.

"Capena grandi porta quà pluit gutta, — *"Aquæ" enim ductus erat super Capenam portam, Probo teste.*
Phrygiæque matris" Almo quà lauat ferrū, — *" Almone fluuiolo Cybeles sacra, & instrumenta sacrorum abluebat sacerdos Ouidius, 4 Fastor.*
Horatiorum quà viret sacer campus,
Et qua pusilli feruet Herculis fanum,
Faustine, plena Bassus ibat in rheda,
Omneis beati copias trahens ruris.
Illic videret frutice nobili caules,
Et vtrumque porrum, sessilesque lactucas,
Pigróque ventri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus grauem " turdis, — *Vide infra lib. 10. epig. 51.*
Leporemque læsum Gallici canis dente,
Nondumque victa lacteum faba porcum,
Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta feno cursor oua portabat,
Romam petebat Bassus: immo rus ibat.

DOMITIVS.

CAPENA *grandi*] Ridet Bassum euntem ex vrbe onustum fructibus rusticanis, nam rus sterilissimum emerat solius amœnitatis precio, quamuis inquit censeam eum venire in vrbem, non venit, sed vadit rus, nam rusticarum rerum copiam in rus afferebat, quæ à rure in vrbem solent deferri.

PLVIT *grandi gutta*] Propter fontes, vnde & fon-
A tanalis dicta est, & fontanalia. i. sacra fontium illic fiebant coronatis puteis, & fontibus, author est Pompeius. illic erat præterea saxum, quod cùm Romani vellent impetrare pluuias à Ioue, in vrbem ferebant, dicebatúrque manalis, author Festus. Iuuen. *Madidámque capenam.*

ALMO] fluuius est ad portam Capenam quo simulachrum Cybeles lauabatur à sacerdotibus.

Et Lotam paruo reuocant Almone Cybelem.

Luc. Lauabantur præterea cultri Samij, quibus galli furentes inter se digladiabantur, quamuis essent Samij, tamen à poëta ferrum dicitur: vt supra etiam.

Demens cum ferro quid tibi.

Cum de cultro Samio loqueretur.

HORATIORVM] Horatij tergemini ob pugnā aduersus Curiatios ad hanc portam sepulti nomen dederunt, vt porta Capena tergemina esse diceretur.

B HERCVLIS *fanum*] illic erat templum Herculis, author Macrob. quem nunc pusillum appellat, quoniam Domit. appellabatur Hercules maior: alibi. *Maior quæ gesseris audi.*

Hoc est Dom. Herc. maior.

FERVET] Celebrat.

ILLIC] In Rheda.

CAVLES] Caulis Pompeianus proceriore frutice est gratus ob teneritatem.

VTRVMQVE *porrum*] Sectiuum, & capitatum.

SESSILESQVE *lactucas*] Lactucæ in tanto precio fuerunt, vt homines in Valeria familia lactucinij sint dicti. Lactuca autem à lacte est dicta, quoniam quæ dicebatur meconis, sola enim fuerat in vsu, ea habet copiam lactis, tertium lactucarum genus sessile dicitur, siue Laconicum.

C PIGRO *ventri*] Quia betæ laxant aluum. Betæ apud antiquos verna dicebatur, & autumnalis, Græci candidam & nigram dixerunt.

GALLICI *canis*] nam Gallici canes velocissimi sunt & ex lupis concipi putantur, author Pli.

LACTEVM] Lactantem.

NONDVM *victa faba*] Cuius dens non poterat corrodere fabam.

NEC *feriatus*] i. ociosus, nam & ipse aliquid ferebat.

RVS *ibat*] Damnat villam: nam Bassus rus emerat, in quo nil erat præter lauros, in hoc infra deridet, *Baiana nostri*, & deridet Bassum, quæ cùm rus iret, rusticana illuc ferret secum: vt ostendat villæ sterilitatem.

RAMIR. DE PRADO.

D Irridet Bassum, quod villam suburbanam sterilem omninò coleret, & ex vrbe in eam ea omnia, quæ ex villis in vrbem deportari solent, importabat. hanc villam inf. comparat cum fructuosissima Faustini villa, epigr. 57.

1 PHRYGIÆQVE *matris Almo quà lauat ferrum.*] Cultros intelligit Gallorum Cybeles sacerdotum. Ouidius in fastis.

Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam, sacraque lauit aquis.

2 ET *qua pusilli feruet Herculis fanum,*] Pusillum Herculem assentatoriè. Nam Domitianus se Herculi comparabat: Itaque Martialis Domitianum magnū Herculem vel maiorem, Alcidem autem pusillum, vel minorem nominat, vt constat ex epi. 65. 66. & 67. lib. 9. & etiam 104. *feruet*, dixit vel ob frequentiam salutantium Deum, vel ob æstum & calorem Solis.

3 PLENA *Bassus ibat in rheda.*] Rhedam appellat etiam carrucam versu antepenult. *Plenaque rheda*, dixit propter res multas quas secum portabat. Vrbanè Iuuenalis Mathonis pinguedinem irrisit illis versibus, sat. 1,

Caussidici noua cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso.

4 OMNES *beati copias trahens ruris.*] Faceta irrisio cum ab vrbe in rus diuitis ruris traheret copias. Hanc sententiam expressit Symmachus lib. 1. epist. 5. his verbis. *Namque hic vsus in nostram venit ætatem, vt rus quod solebat alere, nunc alatur.* Idem dixit lib. 10. epig. 96. *Pascitur hic, ibi pascit ager.*
Et eodem lib. ep. 58.
Dum suburbani, dum iugera pascimus agri.

5 ET *vtrumque porrum.*] Sectiuum & capitatum, de quibus in xeniis epig. 17. & 18.

6 ILLIC *coronam pinguibus grauem turdis.*] De turdorum corona est epig. 51. in xeniis. Erant namque turdi in orbem dispositi, corona fortè è vimine facta: De hac eadem Ouidius lib. 1. Amorum vers. 269. *Quin etiam turdóque licet missáque corona,*
Te memorem dominæ testificere tuæ.

7 LEPOREMQVE *læsum Gallici canis dente.*] Leporarii canes gallici appellantur, vnde apud nos Hispanos *galgos* parum immutato nomine.

8 NONDVMQVE *victa lacteum faba porcum.*] Id est, porcellum adhuc lactentem; qui nondum fabam gustauerat. *vincere* enim *fabam*, mandere est & dentibus frangere.

9 SED *nec fano cursor oua portabat.*] Cursores serui vocabantur, qui in itinere faciendo vel deambulando per vrbem, rhedam vel equos, pedites præcedebant in comitatu, quos Galli. *Laquays*, & inde nos Hispani, *Lacaios*, vocamus. Suetonius in Nerone capit. 30. *Numquam carrucis minus mille iter fecisse traditur, soleis mularum argenteis:* (lego, *argentibus*) *canusinatis mulionibus, armilata & phalerata cum mazacum turba atque cursorum.* Et Seneca, epist. 87. cuius initium *naufragium. O quam cuperem* (inquit) *illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via diuitibus, cursores & Numidas.* & ep. 124. *Omnes iam sic peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen cursorum antecedat.* & Petron. in satyr. *hinc inuolutus coccina gausapa lecticæ impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor, &c.*

10 ROMAM *petebat Bassus.*] Affigenda est hic interrogationis nota. Poterat enim videri Bassus hoc ruris apparatu Romam ire. Respondet per paradoxon, immo rus ibat.

De Ollo. XLVIII.

Pauperis exstruxit cellā, sed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

DOMITIVS.

PAVPERIS] Ollus vt ædificaret, empta cella pauperis extructis ædibus pauper factus est. Mart. ait eum nunc habere cellam pauperis.

NVNC *cellam pauperis habet*] Quia prædia vendidit ipse iam pauper.

RAMIR. DE PRADO.

Faceta est Olli cuiusdam irrisio, qui cum domum ædificaret, per miôsin ironicōs se pauperis cellam exstruere subinde dicebat lætabundus, quòd magni-
A ficas ædes & mollissimam habitationem fabrefaceret. Non potuit autem opus perficere, nisi venditis prædiis, quibus alebatur: remansitque elegantissima ædificata domo, & destitutus omni re familiari: cúmque in ea domo deinceps habitaret, verè pauperis cellam habere dicit Poëta, cum antea ipse id per iocum prædicaret. Est autem iocus desumtus à metaphora ad proprietatem verbi, vt sup. lib. 1. ep. 85. de Quirinali:
Paterfamilias verus est Quirinalis.
Sic hoc loco Ollus, qui per miosin dicebat se pauperis cellam quamdam exstruere, nunc cum in eadem cella factus pauper habitet, verè pauperis cellam habet.

In inuitatorem. XLIX.

B *Veientana mihi misces, tibi Massica potas:*
Olfacere hæc malo pocula, quàm bibere.

DOMITIVS.

VEIENTANA] Hic queis inuitauerat miscebat conuiuis Veientana, & ipse Massica potabat.

OLFACERE] Malo olfacere in mensa tua quàm bibere.

RAMIR. DE PRADO.

Perstringit impudicum inuitatorem, qui diuersa vina ponebat, preciosa sibi, meram fecem conuiuis: tantumque hæc duo vina inter se distabant, vt dicat se malle inuitatoris pocula olfacere, quàm siccare sua.

C 1 VEIENTANA *mihi misces*] de verbo *miscendi* affatim dictum est sup. epig. 1. lib. 2.

2 TIBI *Massica potas.*] Suspectus mihi locus de mendo. Non enim subolet Martialis phrasim, *potas tibi Massica*, libenter emendassem, *tibi Massica ponis.* Nam ponere vina & obsonia tritissimum est, vt dixi ad lib. 1. epi. 44. Præterea confirmat meam cōiecturam id quod sequitur: Quî enim poterat pocula iā ab inuitatore exhausta olfacere, posita sic poterat? Sed tamen à veteribus membranis destituti Hispani assensum cohibere in his cogimur.

2 OLFACERE *hæc malo pocula quam bibere.*] Neque hunc locum existimo incorruptum: *Bibere* enim *hæc pocula* non memini me apud Latinos legisse. Deinde de poculis eius, qui cum loquitur, non dixisset Martialis hæc pocula, sed ista pocula. Ego libenter emendarem, *hic*, ex quo Aduerbio facilè potuit librarius falli vt scriberet, *hæc*. Nam veteres id per diphthongum *ei* scribebant, *heic*, & ex similibus
D literarum antiquarum ductibus fieri potuit, *hæc*. si sic legeris, planus erit sensus. mâlo hîc, id est, apud te, ad tuam mensam olfacere pocula, quam bibere Veientanum vinum.

In Ligurinum. L.

Hæc tibi non alia est ad cœnam caussa vocandi,
Versiculos recites vt, Ligurine, tuos.
Deposui soleas, affertur protinus, ingens
Inter lactucas, oxygarúmque liber.

Alter perlegitur, dum fercula prima morantur.
Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.
Et quartum recitas, & quinctum denique librum.
Putidus est toties, si mihi ponis aprum.
*Quod si nō** *scōbru scelerata poemata dones:*
Cœnabis solus jam, Ligurine, domi.

*cum scombris.

DOMITIVS.

HÆC] Ad Ligurinum, de quo supra, qui inuitabat, vt tantùm recitaret carmina sua.

ORIGANVM] Herba est, quæ post vicesimum diem pullulat: initio mensæ dabatur.

MORANTVR] Feruntur.

SECVNDA *mensa*] id est nondum secunda mensa venit: & tertius liber recitatur, iòcatur eum secundo.

APRVM] Si toties apponis mihi aprum, ego fastidirem.

EST *putidus*] Putidum putabo.

SCOMBRI] Pisces erant sulfurei coloris: ex Hispania præsertim mittebantur cucullo papyraceo.

SCELERATA] Quia molesta.

GEORGIVS.

DEPOSVI *soleas*] &c. Hic ignorans quid esset oxygarum, dixit, & interpretatus est origanum, nec animaduerterit quantitatem syllabę. Nam origanum Græca est dictio, corripitque primam, & secundam producit, vt apud Nicandrum legimus, cuius versus de theriacis subijciam, [illegible] Oxygarum verò acutum garum, hoc est ex aceto contectum, interpretamur, & in principio mensæ apponi solebat: vt apud Athenæum legitur.

RAMIR. DE PRADO.

Iam sup. ep. 44. & 45. explicatum est huius argumentum. Hic Ligurinus nullam aliam ob caussam conuiuas cogebat apud se, quam vt recitaret, cui minatur forè vt solus cœnet domi.

1 DEPOSVI *soleas.*] Cœnaturi ante accubitum excalceabantur, ne scilicet stragula lecti luto calceorum conspurcarent. Terentius in Heautontimorumeno Act. 1. scen. 1.

Adcurrunt serui, soccos detrahunt: video alios festinare, lectos sternere, cœnam adparare. à balneo autem cum ad cœnam pergerent, soleas aptabant pedibus, quas deponebant cœnaturi: Eas autem asseruabant seruuli à pedibus stantes vt lib. 12. epig. 89.

Bis Cotta soleas perdidisse questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

& lib. 14. ep. 65.

Defuerit si fortè puer soleásque libebit
Sumere, pro puero proderis ipse tibi.

Et lib. 8. ep. 59.

Si nihil inuasit puerum, tunc arte dolosa
Circuit, & soleas surripit ipse suas.

Exire autem soleatos è balneo probat epig. 84. li. 12.

Colliget & referet lapsum de puluere follem,
Et si iam lotus, iam soleatus erit.

Nam etiam in thermis vbi lauabantur, exercebantur etiam pila, vt lib. 14. epig. 163.

Redde pilam; sonat æs thermarum. ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum?

A Et Papin. lib. 1. siluar. in poëmate cui lemma Balneum Etrusci.

Quid nunc strata solo referam tabulata? crepantis
Auditura pilas vbi languidus ignis inerrat,
Aedibus & tenuem voluunt hypocausta vaporem?

Erat autem insolens negotium post lauationem aptatis soleis iterum ludere: nam lusus pilæ erat ante lauationem lib. 7. ep. 31.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Preparat.

Et dicemus ad lib. 4. epig. 8. Sic Petron. Trimalcionem illum lautissimum senem describit omnia insolenter, & præter hominum morem facientem, & inter alia soleatum pila ludere dicit, id est, post lotionem his verbis: *Nec tamen pueri nos, quanquam erat operæ pretium, ad spectaculum duxerant, quam ipse paterfamilias qui soleatus pila sparsina exercebatur.*

2 INTER *lactucas oxygarúmque liber.*] Inchoari
B cenam lactucis præter antiquissimum morem, quo cenam claudebant, testimonio est epig. 14. lib. 13.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Et quod Martialis de lactucis singulatim edidit, de omnibus acetariis etiam intelligendum est, quas mēsas frigidas appellabant. Plutar. 8. sympos. 9. *Mensa frigida vocata, quòd antè ostrea eluc crudum habent, vt dixit Plato, à cauda ad os translata pro vltimo ordinem habent.* Hunc autem præposterum ordinem taxat Seneca more suo epist. 115. his verbis: *Deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex nouitate & soliti ordinis commutatione captatur, vt ea quæ claudere solent, cena prima ponantur, vt quæ aduenientibus dabantur, exeuntibus dentur. Cum assueuit animus fastidire quæ ex more sunt, & illa pro sordidis solita*
C *sunt.* Quem locum Senecæ si animaduertisset doctissimus Mercurialis, non asseruisset lib. 4. variarum, cap. 11. hanc immutationem cœpisse Plutarchi tempore & Martialis: cum Seneca ambos ætate præcesserit.

3 PVTIDVS *est toties si mihi iungis aprum.*] id est, putidus erit mihi aper, si toties apponatur, quoties tu librum recitas. Est autem auxesis propter aprum, qui erat in antiquis delicijs. Iuuenal. sat. 1. vers. 139.

——*sed quis feret istas*
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

De verbo *ponendi*, ad lib. 1. ep. 44. diximus latè.

4 QVOD *si non scombris scelerata poëmata dones.*] Persius sat. 1.

Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus.

D 5 COENABIS *solus iam Ligurine domi.*] Cœnabis, inquit, domi solus, vbi magister conuiuii hoc tibi sumis, vt recitando eneces conuiuas: soli .n. inuitatores domi suæ poterant conuiuis recitare, non autem in domo aliena. Videor hunc morem confirmare posse ex hoc loco & etiam ex aliis adductis, sup. ep. 45. ad illud, *Tace.* & ex eod. ep. cum dicat de mensa Ligurini.

——*fugimus nos Ligurine tuam.*

Non fugituri alienam te præsente, quod ibi non recitares. Sic Persius sat. 1. de diuite recitationis gratia cogente conuiuas, *cui rancidulum quid balba de naro locutus*, inquit,

Assensere viri, nunc non cinis ille Poëta
Felix. non leuior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant conuiuæ.

Et paulò inferius de eodem diuite pauperculum laudatorem ad cœnam vocante, & lacernula subornante ait:

——*calidum*

—— calidum scis ponere sumen.
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et verum inquis, amo, verum mihi dicite de me.

A & non potius curiose indagare, vt videret an sibi experiri expediret.

Ad Gallam. LI.

Cùm faciē laudo, cùm miror crura manusq;
Dicere Galla soles, nuda placebo magis.
Et semper vitas communia balnea nobis,
Nūquid Galla times, ne tibi non placeam?

DOMITIVS.

CVM] Galla formosa volebat videri, dicebátque se posse placere magis nudam, eius vanitatem redarguit Mart. vrbanitate.

RAMIR. DE PRADO.

Gallam quamdam vt fatuam deridet vel suggillat, vt mendacem & gloriosam, quæ cum faciem, crura manusque, quæ oculis patebant, laudaretur, nudam se magis placituram dicebat, sempérque communia balnea, vbi Martialis lauaretur, vitabat. ironicōs interrogat Martialis numquid vereatur ne is ei displiceat.

1 ET *semper vitas communia balnea nobis.*] Mirabilis, si nostrorum temporum honestatem spectes, videbitur fœdus hic antiquorum mos, qui communia viris & fœminis balnea habebant, & nullo nuditatis pudore promiscuè lauabantur, lib. 7. ep. 34.

Sed nudi tecum iuuenésque senésque lauamur.

Loquiturque cum matrona. Res hæc digna visa est lege regi, vt ait Horatius. Plutarchus queritur turpissimum hunc morem Græcos à Romanis accepisse in vita M. Catonis. Dio lib. 49. Agrippam primum Romæ publica balnea exhibuisse communia viris & fœminis scribit: Sapientissimus Imperator Hadrianus conatus hanc consuetudinem tollere, vt Dio testis est, & etiam Ælius Spartianus in eius vita. *Lauacra*, inquit, *pro sexibus separauit.* Sed vel non obtinuit, vel non diu, lex Hadriani: Nam M. Anton. Philosophus de eadem re legem tulit & lauacra mixta submouit, auctore Iulio Capitolino, quæ lex seruata vsque ad Heliogabalum, qui eam sustulit: quam retulit Alexander Seuerus: vtrumque Ælius Lampridius in eius vita testatur. *Balnea*, inquit, *mixta Romæ exhibere prohibuit, quod quidem iam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiserat.* Hæc vltima prohibitio spreta etiam adeo, vt & Christiani prisci eumdem morem vsurparent. nam in Constitutionibus, quæ Clementinæ dicuntur, cauetur, vt viri balneis virilibus, mulieribus mulieres vtantur, cap. 6. & 9. lib. 1. & Decretis Synodalibus obscœnus hic mos prohibitus, vt in Concilio Laodiceno Can. 30. & post illud Concilium promiscuè Clerici & monachi cum laicis simulque cum fœminis lauabantur. Lege quintam Synodum in Trullo, can. 77. vbi Balsamon, vt apparet, *post hanc Synodum*, inquit, *Clerici quidam & monachi & laici cum fœminis lauantur.* Iustinianus Imperator Nouel. 117. inter legitimas diuortii causas recenset, si mulier non impetrata a marito venia cum viris lauet: vt videas quàm pertinaciter durauerit fœdissimus ille mos.

2 NE *tibi non placeam.*] iustam habebat Martialis causam displicendi feminis, quod malè vasatus esset, vt diximus sup. ad lib. 1. epigr. 24. huc respexit hoc loco. Erat autem ineptum Gallam id timere,

Ad Tongilianum. LII.

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
Abstulit hanc nimiùm casus in vrbe frequens.
Collatum est decies: rogo non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

DOMITIVS.

EMPTA] Tongilianus ducentis nummis emptam
B domum amiserat incendio, mos erat apud Romanos, vt vrbis damno affectus ob aliquod incendium pecuniam afferrent, nunc Tongilianus decies centena acceperat, cùm tantùm ducenta amisisset in domo cremata: nonnulli domos comburebant, vt collata pecunia plus aliquid lucrarentur. Iuuenalis.

—— & merito iam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.

CASVS *nimium frequens*] i. incendium, quòd sæpe accidit in vrbe.

COLLATVM *decies*] Quia habes decies centena.

RAMIR. DE PRADO.

Tongilianus domum emerat millibus ducentis sestertium, quæ cum igni esset absumta amici eius certatim, veluti symbolas contulerunt, vt ædificationem adiuuarent. Ex quibus summa ingens accre-
C uit Tongiliano, id est, decies sestertium. Argutè Poëta non iniuria ait posse videri Tongilianum incendisse suam domum, vt eam pecuniæ summam lucraretur. Est eadem sententia, sed amplificata apud Iuuenal. sat. 3. de Asturicio quodam, quam sic concludit.

—— & merito iam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.

Vter autem ab vtro sumserit, cum eodem tempore floruerit vterque, incertum mihi.

1 CASVS *in vrbe frequens.*] frequentia fuisse Romæ incendia, constat ex toto epigrammate ad Vulcanum 7. lib. 5. & Iuuenalis idem ead. sat.

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, vt non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sæuæ
Vrbis, &c.

D

Ad Chloën. LIII.

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibusque cruribusque,
Et mammis, natibusque clunibusque:
Et, ne singula persequi laborem,
Tota te poteram, Chloë, carere.

DOMITIVS.

ET *vultu*] Pœnitet poëtam habuisse rem cum Chloë, cum tam malè dederit, aitq; melius sibi fuisse masturbari, quàm subagitare tale scortum.

TOTA *te poteram Chloë carere*] i. poteram masturbari melius.

RAMIR. DE PRADO.

Indignatio in Chloën, quæ singula sua membra subinde laudabat, séque pulchritudine cæteris feminis antecellere prædicabat, existimans Martialem eius amore vri. Eam se spernere testatur, cum dicat posse carere singulis illis tam laudatis membris, & ipsa tota.

Ad Gallam. LIV.

Cum dare non poßim, quod poscis Galla, rogantem:
Multò simpliciùs, Galla, negare potes.

RAMIR. DE PRADO.

Detergit Gallæ fallaciam, quæ ne Poëtæ petenti & solicitanti daret, poscebat ea, quæ ipse præstare non poterat: hoc autem reapse negare erat, non simpliciter, sed artificio quodam: simplicius dicit potuisse negare.

1 MVLTO *simplicius*] de hoc nomine *simplicius*, dictum est, sup. ad lib. 1. epigr. 88.

In Gelliam. LV.

Quòd quacumque venis, Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa vitro:
Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.
Sic puto posse meum, sic bene olere canem.

DOMITIVS.

QVÒD *quacumque*] Gellia volebat videri bene olere multis vnguentis, cum alioquin esset turpis. Mart. inquit aliud exigitur a te, exigitur enim forma.

COSMVM] vnguentarium.

CINNAMA *fusa*] lapsa per terram.

NVGIS *peregrinis*] id est rebus fucosis externis.

SIC] eo pacto quo tu oles.

RAMIR. DE PRADO.

Gelliam nimium sibi placentem, quòd exoticis odoribus quacumque incedebat, omnium ad se cõuertebat oculos, monet ne sibi ob hoc placeat: nam quiuis canis hoc artificio potest bene olere.

1 COSMVM *migrare putamus.*] de Cosmo vnguentario multa apud hunc Poëtam mentio. Dixit autem per hyperbolen, *putare migrare Cosmum*, id est, quocumque tu vadis, deferri vnguẽtarias Cosmi arculas.

2 NOLO *peregrinis placeas tibi Gellia nugis.*] peregrinis dixit, *id est*, à te externis, & tibi additītiis; nugas autem appellat vnguenta, quemadmodum omnia, quibus sine incommodo carere possumus: sic versus nugas vocat sæpè.

3 SIC *puto posse meum.*] lege,
Scis puto posse meum sic bene olere canem.

De cisterna Rauennate. LVI.

Sit cisterna mihi, quàm vinea, malo Rauẽnæ:
Cùm poßim multo vendere pluris aquam.

A DOMITIVS

SIT *cisterna*] Rauenna inter paludes condita laborabat penuria aquarum, copiam habebat vini: pluris aqua vendebatur, quàm vinum.

MALO] id est, magis opto.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma & subsequens, cauillum mordax in Rauennam continet, quæ cum in mediis paludibus aquoso nimium solo sita sit, mira est in ea siccitas potabilium aquarum; quia cum maris æstus augescente Luna eam vrbem alluat, tum salsedine sua, tum vligine soli & cœno, vicientur omninò aquæ. Quam rem graphicè depinxit Apollinaris Sidonius, ep. 5. lib. 1. & salse ep. 8. eiusd. libri de eadem Rauenna, *Sitiunt viui, natant sepulti.* & vsus est etiam a-
B lia Antithesi carmine nono:
Vndosa petijt sitim Rauennæ.
Mauult igitur Martialis cisternam sibi Rauennæ esse, quam vineam: cùm pluris ibi potabilis aqua quam vinum veniret.

De caupone. LVII.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Rauẽnę:
Cùm peterem mixtum, vendidit ille merũ.

DOMITIVS.

CALLIDVS *caupo*] venditor vini.

C IMPOSVIT *mihi*] id est decepit me.

MISTVM *vinum*] id est, dilutum vinum, nam carior erat aqua. Lege Strab. de paludibus illis, & de vinetis.

RAMIR. DE PRADO.

Ab eadem siti Rauennate petitus est iocus. Callidus enim caupo poscenti Poëtæ mixtum, merum vendidit, quòd aqua ibi pluris fieret quàm vinum.

De villa Faustini, ad Bassam. LVIII.

D *Baiana nostri villa, Basse Faustini*
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduáque platano, tonsilique buxeto
Ingrata lati spatia detinet campi:
Sed rure vero, barbaróque lætatur.
Hic farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa flagrat testa senibus autumnis.
Hic post Nouembres, imminẽte iam bruma,
Seras putator horridus refert vuas,
Truces in alta valle mugiunt tauri,
Vitulúsque inermi fronte prurit in pugnã.* *ad pugnam
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeique pauones,
**Noméq; debet quæ rubentibus pennis,* *Phœnicopterus.

Et picta perdix, Numidicaque guttata,
Et impiorum phasiana Colchorum.
Rhodias superbi fœminas " *premunt galli,* (ℓ. produnt)
Sonántque turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cæreus turtur.
Auidi sequuntur villicæ sinum porci,
Matrémque plenam mollis agnus exspectat.
Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares sylua.
Non segnis albo pallet otio caupo:
Nec perdit oleum lubricus palæstrita.
Sed tendit auidis rete subdolum turdis,
Tremuláue captum linea trahit piscem,
Aut impeditam caßibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus " *vmbellas,* (ℓ. Vrbanos.)
Et pædagogo non iubente lasciui
" *Parêre gaudent villico capillati,*
Et delicatus opere fruitur eunuchus:
" *Nec venit inanis rusticus salutator.*
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metámque lactis, Saßinate de sylua.
Somniculosos ille porrigit glires,
Hic vagientem matris hispidæ fœtum,
Alius coactos non amare capones.
Et " *dona matrum vimineo ferunt texto*
Grandes proborum virgines colonorum.
Facto vocatur lætus opere vicinus,
Nec auara seruat crastinas dapes mensa,
Vescuntur omnes, ebrióque non nouit
Satur minister inuidere conuiuæ.
At tu sub vrbe poßides famem mundam,
Et turre ab alta prospicis " *meras laurus,* (ℓ. moros.)
Furémque Priapo non timente securus
Et vinitorem farre pascis vrbano,
Pictámque portas otiosus ad villam
Olus, oua, pullos, poma, caseum, mustum.
Rus hoc vocari debet, an domus " *longè.*

Parere, nempe in submittendo capillitio: id quod adultior ætas facticabat, vt Douzæ meo assentior, quòd affinis sit locus infrà lib. 12. Epig. 18. ibi, Dispensat pueris, &c. ℓ v. Non. Douza legit, Oua, sic alibi, Raucæ cortis aues, & oua matrum. Sic Iuuenal Oua adsunt ipsi cum matribus. forte longè: et ad copiam rerum, quas suppeditabat, referatur.

DOMITIVS.

BAIANA] Villam emerat Faustinus, in qua rerum rusticarum nulla copia desiderabatur: nam omnia affluebant. Inuidiosè poëta singula munera commemorat, vt tanto magis villam Baßi rideat, in qua nihil præter arbores steriles, & amœnas visebatur, adeò vt quoties in villam se conferret Bassus, quę à rure essent petenda, illuc afferret, derisus est superiore epigrammate.

BAIANA] Domus rusticana ad Baias.

OTIOSIS *myrtetis*] i. sterilibus, vel otiosis ad otium, id est, requiem comparatis.

PLATANO *vidua*] i. sterili sine fructu. Platani erant in vsu apud Romanos, vel in villa, vel in hortis vrbanis, ad vmbras inambulationum, quem vsum

A docuerunt Athenæ. Illic enim primùm visæ sunt platani, xxxvij. cubitorum vmbris luxurientes in philosophorum otio. Propterea Iuuenalis cùm de recitatione poëmatum loqueretur ait:

Frontonis platani, conuulsáque marmora clamant:

Quoniam, vt suprà dictum est, earum arborum vmbræ ad otium literarum primùm sunt inuentæ.

BVXVS] In delitias venerat Romanorum: adeò tonsis folijs, vt in varias animalium formas redigeretur, propterea appellatur tonsilis.

INGRATA] Sterilia.

SPATIA] Solum latum, & amplum: sensus est, Villa Faustini non est ordinata, vt occupet magnum spatium sola amœnitate.

VERO *rure*] id est, vera rusticitate.

BARBARO] Inculto, horrido.

HIC] In villa Faustini.

FARTA *Ceres*] id est, congesta.

B FRAGRAT] bene olet.

TESTA] Antiqui seruabant vuas, & fructus in testis, vt Plinius, Var. & Columella scribunt.

AVTVMNIS *senibus*] Maturis fructibus.

PVTATOR] Vitium.

SERAS] Tardas. id est, vuas duracinas, & serotinas, quia serò maturescunt.

IMMINENTE *bruma*] id est, incipiente hyeme.

PRVRIT] Ardet in pugnam.

FRONTE *inermi*] Nondum cornutus.

CORTIS] Cors, vel coors est spatiũ illud domi vbi seruátur altilia, tamẽ hoc pro parte domus profertur per syncopam. Var. neutrum profert figuratum.

ANSER *argutus*] Clangore, quod epitheton meruit excitatis vigilibus Capitolij: anser autem in corte seruabatur ob iecur, nam vt alij Scipio, vt alij Metellus, vt nonnulli M. Sestius primus docuit iecur

C anseris optimi esse saporis.

GEMMEI *pauones*] i. picti in speciem gemmarum, quos gratos esse dixit Horat.

Quoniam mulio vænierant auro,
Et picta pandunt spectacula cauda:

Deridens vanitatem gulæ Romanæ.

DEDIT *nomen*] i. quæ sortita est nomen à pennis rubentibus, auis hæc est phœnicopterus, nam φοινικόπτερος Latinè significat purpuram, & alam, habet enim alas purpureas. huius linguam esse gratissimi saporis & cibi, primus ostendit Apitius: à Celso inter mediocres aues numeratur.

PERDIX *picta*] Maculis distincta.

NVMIDICÆQVE *gutta*] i. gallinæ Numidicæ guttatæ, de quibus Papin.

Quas vdo Numida legunt sub Austro. In distichis.
Ansere Romano quamuis satur Annibal esset,
Ipse suas numquam barbarus edit aues.

D Illud dicitur, quoniam hæ aues in Cannas fuerant assumptæ nouissimis temporibus: eædem dicuntur Meleagrides, si Plin. credimus, sed Colu. distinguit, aitque Numidicas habere cristam rubram, Meleagrides cæruleam, cum dicitur Afra auis hæc intelligitur. Iuue. sat. 11. *Nec latus Afra nouit noster tirunculus,* Horat. *Non Afra auis, non attagen Ionicus.* Erant autem gallinæ hæ guttis distinctæ.

COLCHORVM] Colchi patria Medeæ, propterea impij dicuntur impietate Medeæ.

PHASIANA] Phasiani à Phasi fluuio Colchorũ.

RHODIAS *fœminas*] Gallinæ Rhodiæ præstantiores aliis habebantur.

GALLI *premunt*] Calcant: peristereones, i. turres columbarum.

GEMIT] Gemere propriè columbi est.

TVRTVR *cereus*] i. pinguis.
PORCI *auidi*] Esurientis.
VILLICÆ] Mulieris.
PLENAM] Plenis vberibus redundantem lacte.
LVTEI] Sordidi.
LARGA *sylua*] Copia lignorum.
LVCET] Ardet, conijcitur in focum.
ALBO *otio*] Sine labore & controuersia, vel albo ab effectu, quia reddit hominem album curis: vt suprà, *Viuat in vrbanis albus & officijs.*
PALÆSTRITA] Palæstritæ erant qui ludebant palæstra, & vngebantur, & habebantur in familia.
NEC *perdit oleum*] Aliquid agit.
SVBDOLVM *rete*] i. dolosum, quia retia ad dolum tenduntur.
AVIDIS *turdis*] Cupidis ciborum, vt intelligat eos falli esca.
TRAHIT *piscem*] Linea, filo, & hamo, nam ea dicuntur linea & lineosa.
CASSIS] Galea, sed hoc loco instrumentum lineum, quo feræ capiuntur.
IMPEDITAM] i. captis pedibus.
FACILIS] Non magni laboris, & curæ.
HILARES] Amœnas.
PÆDAGOGO] i. non indigentes pædagogo, vt vrbani pueri.
EVNVCHVS] Qui item erat in familia delicatus.
FRVITVR *opere*] Aliquid agit etiam ipse.
INANIS] Sine muneribus, vt in vrbe.
CANA *mella*] Albentia.
CVM *ceris*] Cum fauo.
METAMQVE *lactis*] i. lac coagulatum in recentem caseum.
SASSINATE] Sassina patria Plauti lacte abundabat. Silius: ——*Sassina diues lactis.*
SYLVA *Sassinate*] Id est, è pascuis Sassinæ.
GLIRES] Dormiendo crescunt.
HISPIDÆ *matris*] i. hœdum filium capellæ.
CAPONES *non amare coactos*] i. castratos.
TEXTO *vimine*] canistro: alij legũt, *Texto vimineo.*
GRANDES *virgines*] Adultæ.
PROBORVM] Simplicium.
DONA *matrum*] Verbum est rusticanæ puellæ, quæ munera matris semper affert, placet magis exponas oua gallinarũ, vt etiã alibi apud hunc poëtam.
FACTO *opere latus*] nã gestire facto opere, rustici est.
CRASTINAS *mensas*] Contrà illud:
Explicat & cœnas vnica mensa duas.
OMNES *vescuntur*] Non reiectis seruis, vt in vrbe fit, quod laudat etiam in Saturnal. Domit. Papin.
Vna vescitur omnis ordo mensa.
MINISTER *satur*] Hic in villa.
NON *nouit inuidere*] Quoniam & ipse satur est. Iuuen. de seruo in vrbe.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem.
AD *tu*] Ad hoc spectant, quæ suprà dicta sunt.
FAMEM] villam sterilem.
MVNDAM] Lautam, & amœnam.
LAVRVS *meras*] i. solas lauros esse sine fructu.
FVREM] Quia nihil est quod eripi possit.
VINITOREM] Villicum: noluit dicere villicum quia villa non erat.
FARRE *vrbano*] Allato ex vrbe.
OTIOSVS] Relaxatus curis.
PICTAM] Non naturalem.

RAMIR. DE PRADO.

Luculentam continet hoc epigramma Faustinæ villæ descriptionem, in qua omnia erant ad fructum
A & vtilitatem comparata: quæ villa cõfertur cum facili Bassi suburbano, in quem Bassum est ep. 97.

1 NON *otiosis ordinata myrtetis.*] id est, non dispositis in ordinem myrtis. *otiosis*, id est quæ nullum fructum ferant.

2 VIDVAQVE *platano.*] id est, infructuosa: sumta metaphora à viduis fœminis, quæ nõ gignũt liberos.

3 TONSILIQVE *buxeto.*] tonderi arbores aliquas applicitas lignis vel cannis hodiéque videmus, & in varias formas coaptari. Plin. lib. 12. cap. 2. hanc artem primum Cn. Manlium Equitem Romanum inuenisse testatur.

4 INGRATA *lati spatia detinet campi.*] ingrata, id est, sterilia, quæ nihil reddunt domino, more ingratorum hominum. sic intellige in vita beata, lib. 10. ep. 47. --- *Non ingratus ager.*
Gratus enim est, qui non solum quæ accepit, sed etiam maiora reddit. qua comparatione elegantissima vsus est Cic. 1. officiorum his verbis: *Quod si ea quæ*
B *acceperis vtẽda maiore mensura. si modo possis, iubet reddere Hesiodus. Quidnam beneficio prouocati facere debemus. an non imitari agros fertiles qui multò plus afferunt quàm acceperunt?* & Ouid. lib. 1. de remedio amoris, vers. 174.

Obrue versata Cerealia semina terra,
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.

Et lib. 1. de arte amandi, vers. 513.

Credita non semper sulci cum fœnore reddunt.

5 SED *rure vero barbaróque lætatur.*] Rus verum illud est, quod ad fructus percipiendos colitur: nam si in rus aliqua ex hortorum delicijs transferuntur, non ruris ea censenda sunt: ideò adiungit barbaro, id est, non ad ordinem & ad decussim exactò, arboribus & arbustis hortensibus proportione sibi inuicem respondentibus.

C 6 HIC *farta premitur angulo Ceres omni.*] id est, omnia domus cubicula ingentibus aceruis frugum sunt occupata. *fartam Cererem* dixit per metonymiã, id est, abundantes fruges.

7 ET *multa fragrat testa senibus Autumnis.*] id est, cella vinaria plena est amphoris veteris vini: nam quamuis testa quoduis vas fictile significet, absolute sumtum hoc nomen vinarium vas significat; vt lib. 1. epigr. de vino Nomentano vetustate domito:

Et quicquid voluit testa vocatur anus.

Vt autem ibi vocauit testam anum: si hoc loco autumnos appellat senes. id est, vetustam autumnitatem vini.

8 HIC *post Nouembres*, &c.] de seris vuis dictum est, sup. ad ep. 44. l. 1.

9 VITVLVSQVE *inermi fronte prurit in pugnam.*]
D molli fronte dixit, lib. 6. ep. 38. turgidam dixit frontẽ Hor. li. 3. car. od. 13. *Cui (hædo) frons turgida cornibus*
Primis, & Venerem, & prælia destinat
Frustra: quæ verba noster respexisse videtur,
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.

10 VAGATVR *omnis turba sordidæ cortis*] periphrases gallinarum, anserum & aliarum auium circuriũ, quas appellat lib. 7. epig. 30. *rauca cortis aues.*

11 ARGVTVS *anser.*] argutum anserem vocat: quia semper strepat, gratitet & clangat stridulæ voce & alarum motu. Cycnos etiam hoc Epitheto ornauit Virgilius in Mœri, ecloga 9.

Sed argutos inter strepere anser olores.

12 GEMMEIQVE *pauones.*] id est, alis gemmantibus, vt lib. 13. epig. 70.

Miraris, quoties gemmantes explicat alas;
Et potes hunc sæuo tradere dure coco?

13 NOMENQVE *debet quæ rubentibus pennis.*]

periphrasis est Phœnicopteri, de quo lib. 13. ep. 71.

Dat mihi penna rubens nomen, &c.

14 NVMIDICÆQVE *guttata*.] Gallinas intellexit Numidicas, quæ maculis distinctas habent plumas, tanquam guttis, de quibus est epigram. 73. lib. 13.

15 RHODIAS *superbi feminas premunt galli*.] Gallinas Rhodias in pretio habebant Romani.

16 CEREVS *turtur*.] id est, pinguis, vt interpretantur Grammatici omnes: nam ex pinguedine apparet pallidus ille color, ceræ colorem referens, quem colorem statim epig. 60. aureum vocat:

Aureus immodicis turtur te clunibus implet.

Et de pallore est epig. 55. lib. 9.

Si mihi Picena turdus palleret oliua.

Ceream etiam ficedulam appellat lib. 13. epig. 5.

Cerea quæ patulo luceat ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

B Vbi seipse explicat, cum appellat ficedulam ceream: & illis verbis, *patulo lumbo* pinguem esse demonstret patulus namque lumbus est extentus & obesus, vt dicto ep. 60. dixit, *immodicis clunibus*. Hinc miror doctissimum Mercurialē var. lect. lib. 5. cap. 7. mirari Grammaticos, qui pro cereo intelligant pinguem: rectè enim illi metonymicōs interpretantur; cum ex pinguedine consequatur cereus ille color, quamuis eodem cap. acutissime Cornelij Celsi locum, lib. & cap. 7. de oculorum suffusionibus emēdet. Est locus: *Si suffusioni color ceruleus est aut auro similis; si labat & hac atque illac mouetur, vix vnquam succurritur.* vbi loco cerulei coloris, *cereum* reponit, & meritò ex sup. dictis locis. Ducitur etiam hoc argumento, quod Paulus Ægineta suffusiones ceruleas curabiles dicat, cuperem vt diligentissimus Mercurialis incurabiles ostenderet cereas vel aureas, quod neglexit.

17 AVIDI *sequuntur villicæ sinum porci*.] Non malè emendauerat olim Robertus Titius, lib. 2. locorum controuersorum, cap. 12. *sonum*, id enim & experientia & multorum authoritate cōfirmatur, porços sonum agnoscere & sequi: sed nescio quid argutius videre videor, in prisca lectione: villicam namque, quæ vel hordeum, vel alias fruges sinu gestabat, ad pascendos porcos, sequebantur auidi ipsi, ita vt oneratum sinum frugibus agnoscerent.

18 MATREMQVE *plenam mollis agnus expectat*.] id est, agni sepositi & à matribus diuulsi, dum ipsæ pascuntur, eas expectant ad sugendum, dum ferentes vbera lacte distenta reuertantur à pascuis ad septa. De capris idem dixit Virgil. eclog. 4. versu 21.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Vbera.

19 CINGVNT *serenum lactei focum vernæ, Et larga festos lucet ad lares silua.*] De Vernis focum corona cingentibus, & de proxima silua in focum descendente, diximus sup. lib. 1. ep. 56. Sed quid caupo erat in villa? neminem video hic nodum quæsiuisse, nec ego quærerem in scirpo, sed dubito non iniuria: nam caupones in oppidis semper, sic solue nodum. Caupones plerúmq; seruierant, qui dominorum vinum vendebant, hi institores habebant, qui vinum vel per theatra, vel per vicos ferebant vænum. patet hoc ex lectione earum legum, quæ congestæ sunt in titulum Nautæ, Caupon. stabularii in Pandectis. In villis autem viatorum caussa villarum domini propter quæstum cauponam construebant, in qua vini & obsonia præbebantur viatoribus pretio, & hospitium item iis dabatur, vt constat ex L. nauta 5. cod. tit. *Caupo mercedem accipit, vt viatores manere in caupona patiatur.* Paulò ante Caius IC. in L. 2. eiusdem

A tituli Cauponum viatorum meminit his verbis: *Sicut & caupo viatorum*, & Vlp. in L. vn. §. vlt. ff. furti aduersus naut. Caupon. & stabular. *Cumque non adeò in villis Caupona frequentaretur, vt in oppidis, otiosus maiorem diei partem debere esse Caupo Faustiniana villa.* Occupat per prolepsin Martialis, & ait Cauponem non pallere otio, sed aucupio, piscatui, & venatui operam dare.

20 NEC *perdit oleum lubricus Palæstrita*.] Palæstritæ serui erant, qui in palæstra oleum, puluerem, & ceroma luctaturis suppeditabant, ipsique aliquando luctabantur: in hac autem villa amplissima illa familia, quæ necessaria erat ad eam colēdam, palæstram habebat & palæstritam. Hic autem non vt in publicis palæstris totū diē occupari debebat in eo ministerio: ne igitur otiosus langueret iisdem exercitationibus quibus caupo occupabatur. De Palæstrita, ep. 82. inf.

Partitur agri glandulas palæstrites.

21 EXERCET *hilares facilis hortus vmbellas*] id est, hortus nullo artificio exquisito compositus, sed paratu facilis eo fine consitus est, vt possit hilares vmbras præbere recubantibus. Sed hic versus variè legitur. Alij enim, *facilis hortus* legunt. Alij, *facilis hortus arcus vmbras*: alij: *facilis hortus vrbanos*. Colineus excudit, *facilis hortus vmbras*. Ego libenter amplecterer lectionem illam, *vrbanos*. id est, hortus facilis exercet & occupat vrbanos, eos scilicet, qui ab vrbe in villam veniunt rusticaturi.

22 ET *pædagogo non iubente lasciui Parere gaudent villico capillati.*] Perspicuum locum obscurarunt interpretationes Iunij & Raderi. ille, *parere*, inquit, *in submittendo capillitio*, id quod adultior ætas factitabat, quod Duzę dicit placere. Raderus autem contrà sentit, *parere in resecando capillitio*, vt lib. 12. ep. 18.

Dispensat pueris, rogatque longos
Lēuis ponere villicus capillos.

C Vt villicus ille nouacula lēuis factus vellet pueros sui similes esse. Sed hæc interpretatio vtriq; loco inepta est: Nam in hoc non rogabat villicus pueros, vt ponerent capillos; sed ipsos rogabat dominum, vt liceret sibi supponere. Dicit enim Poëta se habere villicum, qui dispensaret ceteris pueris, & ipse leuis erat & capillatus, quamuis villicus factus vir videri volebat, & subinde rogabat, vt liceret sibi deponere comam. Erat enim hoc præpropera cinædorum festinatio, quod inuiti præstabant domini. Vtrumquę disce ex appositissimo, epig. 86. lib. 12.

Nolueram Polytime tuos violare capillos,
Sed iuuat hoc precibus me tribuisse tuis.

Et ex ep. sup. adducto 49. lib. 5.

Quid non cogis amor? secuit nolente capillos
Eucolpus, domino nec prohibente tamen,

D *Permisit fleuitque pudens.*

At verò cum noua nupta domum ducebatur, primo die capillatos mariti pueros tondebat, vt li. 11. ep. 79.

Flammea texuntur sponsæ, iam virgo parata est:
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Et Catullus in Epithalamio:

Sordebant tibi villica
Concubina hodie, herique
Nunc tuum cinerarius
Tondet os.

Tonsio enim in pueris, signum erat emeritæ libidinosæ militiæ; quod iam pubertatem ingrederentur, sup. ep. 32. lib. 1. de Eucolpo,

Vtque his longum dominus quæ puerque fruatur
Muneribus, tonsum fac cito sero virum.

Et in epigrammate huic gemino 44. lib. [illegible]

Sed tu nec propera, breuibus nec crede capillis,

tamen adeo es inops, vt viuendi nullam rationem habeas. A

NVLLA *sportula datur*] Quia sublata est à Domit. nam Domit. sportularum vsum ad rectas cœnas redegit.

TV *recumbis conuiua gratis*] i. sine vlla alia mercede, nam qui olim sportulam accipiebant, nunc vnà cœnabant cum diuitibus, sed nulla alia mercede data.

VNDE *est togula*] Harum vsum ad rectas cœnas redegit, id est, vnde habes togulæ pretium.

VNDE *vir es Chiones*] i. vnde habes vt soluas coitum meretricis. Iuuenal.

Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Licet dicas te viuere cum summa ratione, id est, moderatione, intelligebat Gargilianus.

QVOD *viuis*] Quia erat indignus vita in tanta inopia. iocus est, nam ratio moderationem significat, vt Gargilianus accipiebat, & causam, vt Mart. accipit. B

NVLLA *facis cum ratione*] i. nullam habes viuendi causam, in tanta inopia deberes potiùs mori.

RAMIR. DE PRADO.

Dictum est sup. lib. 2. epig. 68. miseros hosce sportularum captatores, ex centum sportulæ quadrantibus genium fraudantes, cellæ pensionem & vestes subtrahere, seruum alere & Veneri etiam satisfacere. Sublata Domitiani edicto sportula, hi omnes in deteriorem conditionem sibi visi sunt incidisse, vt esuritor ille Tucius, de quo sup. epi. 14. qui à ponte Miluio redijt in Hispaniam audita sportularum fabula. Arguit igitur Gargilianum quemdam temeritatis, quod sublata sportula Romæ viuere perseuerabat.

1 GRATIS *conuiua recumbis.*] Quod sublata sportula iam non conductus pretio, vt antea, sed gratis recumberet: Nec vocaretur ad cœnam venalis, vt inf. epigr. 60. in Ponticum, C

Cum vocor ad cœnam non iam venalis vt antè.

Esse autem hos sportularios conuiuas & per vocatorem solere cogi dictum est sup. ad epigr. 7. huiusce libri.

2 ET *fusce pensio cellæ.*) Hoc expressit Iuuenalis eleganti metonymia, sat. 1. versu 120.

Et panis fumusque domi.——

Nam per fumum domi fuscam fumo domum intelligit, id est, fumosam.

3 VNDE *datur quadrans? Vnde? Vir es Chiones!*] Male acceptus versus ab interpunctione. Domitius sic interpungit: *Vnde datur quadrans? Vnde vir es Chiones?* Colinei editio, A. M. DXXIIX. vnicam habet in fine interrogationem; quam lectionem ego prætulerim ceteris. Qui Domitij interpunctionem sequuntur, vt Heraldus sic interpretantur. *Vnde datur quadrans?* id est, ad lauandum. nam pauperes quadrante lauabantur. Constat ex Horat. sat. 3. lib. 1. in fine. D

——*dum tu quadrante lauatum*
Rex ibis.

Et Iuuenalis, sat. 6. versu 445.

Cedere Syluano porcum, quadrante lauari.

Vnde Seneca, ep. 87. de balneo: *Cur*, inquit, *exornaretur res quadrantaria, & in vsum, non oblectamentum reperta.* Sic Cicero pro Cœlio, perstringens sororem illam Clodij, quæ quadrantaria dicta fuit, quòd cùm pretio exciperet iuuenes, quidam facetus pro aureis nummis quadrantes in eius loculos immiserat. *Nisi forte (ait) mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris erat balneatori:* quo scommate notauit Clodiam, illa quadrantariæ appellationis infamia. Ego verò non existimo hanc lectionem & interpretationem veram esse. Nam quamuis negare non possum quadrante lauari pauperes, non concedam quadrantis solo nomine intelligi quadrantem illum, qui dabatur balneatori, cùm id nullo exemplo possit confirmari. Ideo vt dixi, prætero Colinei interpunctionem, sicque interpretor: *Vnde datur tibi quadrans? Vnde*, id est, à quo quadrante *sis vir Chiones* quadrantariæ meretricis? vt obiter perstringat etiam Chionem, in quo allusit ad historiam Clodiæ supra adductam. Nec intelligas vilium harum meretricum pretium esse quadrantem solum. verum persolui his solere non argento, sed quadrantibus, & minus quã valeret sestertius nummus, qui argenteus erat, & valebat decem nostros marauetinos. As verò quatuor valebat quadrantes, geminóque asse persoluebatur plebeia Venus, vt diximus sup. ad epigr. 53. lib. 2. ad illum versum:

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

Id est, si quatuor quadrantibus redemeris plebeiam & vulgatam meretricem. Dixit autem: *Vnde datur quadrans?* per Synecdochen, id est, vnde deducis octo quadrantes, quibus Chione facias satis, quæ non prostat argento, sed ære. Hinc enim tractum est per iocum nomen Clodiæ, de qua loco Ciceronis supra allegato, quam Plutarchus dicit ab adolescente delusam, qui pro argenteis nummis quadrantes æreos in eius loculos immisisset. Vnde, vt ipse ait in Ciceronis vita, κουαδρανταρία nuncupata est, quod Latinè sonat quadrantaria; quod nomen non impositum fuit de nouo Clodiæ: erat enim iam antiquum vilium meretricum cognomentum, vt constat ex illo Cæcilij ænigmate, apud Quintilianum, lib. 8. cap. 6. *Quadrantariam Clytemnestram in triclinio Coam, in cubiculo Nolam.* De cuius explicatione lege Brodæum, lib. 3. Miscellan. cap. 24. de quo ante scripserat Cælius Rhodiginus, lib. 18. antiq. lectionum, cap. 16. & Andreas Alciatus, lib. 2. parergõn, cap. 12.

1 CVM *ratione licet*, &c.] Lusus est in ambiguitate. *Ratio* namque priori versu & parsimoniam & computationem rectam significat, posteriori verò causam. Hispano more, dicimus namque, *con mucha razon.* dicturi, non sine caussa. hac etiam formula vsus est S. Orientius in libello illo aureo, quem edidi, propè finem.

Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,
Quæ brutis etiam cõ rõne datur.

Vbi eleganter, vt solet, Delrius meus, illas litterarum notas *cõ rõne* interpretatur. & legi debere monet, *cum ratione.*

Ad Rufinum. XXXI.

Sunt tibi, confiteor, diffusi iugera campi,
Vrbanique tenent prædia multa Lares:
Et seruit dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, menores.
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

DOMITIVS.

SVNT *tibi*] In Rufinum qui obscœnis artibus, & vili ministerio peruenerat ad ingentes diuitias, & quasi suæ conditionis oblitus, amicos iam cœperat aspernari, monet Mart. eum non oportere

efferri diuitijs, cùm ampliores Didymus spado, & Philomelus citharœdus sint consecuti: quasi dicat, & si diues sit, non tamen eius conditionem mutari, & aboleri potuisse.

MVLTA *iugera*] i. habes multos campos.

VRBANI] i. tuæ ædes occuparunt multa iugera soli amplitudine sua, contra Martialis de casa sua:

Et casa iugeribus non onerosa suis.

NVMEROSVS *debitor*] i. habes multos debitores obæratores.

AVREA *mensa*] i. honesta vasis aureis.

DIDYMVS] Spado fuit, qui supposita alijs vxore ingentes diuitias est adeptus. Alibi:

Si spado Didymus, & Corresus non esset.

PHILOMELVS] Citharœdus, nam φίλος amicum significat, μέλος cantum, alibi latiùs meminit.

RAMIR. DE PRADO.

Conatur reprimere Rufinum ob diuitias nimis superbientem, quas dicit amplas quidem esse, sed non accedere ad libertinorum opes: quo simul eius arguat stultitiam, qui ea re glorietur, quàm multò magis abiectissimi homines erant consecuti. epigrāma per se liquet.

1 VRBANIQVE *tenent prædia multa Lares.*] Radetus sic interpretatur: *habes suburbana prædia non pauca:* aliena a Poëtæ mente sententia: voluit enim significare laxas & magnificas habitare ædes Rufinum, quæ multorum prædiorum instar essent. Nam prædia vrbana notissimum est significare omnia ædificia, vt constat ex L. Vrbana prædia 198. ff. de verb. sign. *Lares* igitur *Vrbani*, id est, domus, quam in vrbe possides, *tenent prædia multa*, id est, occupant multa ædificia.

2 ET *seruit dominæ numerosus debitor arcæ*] Id est, fœneras multos. De voce dominæ dictum est sup. lib. 1. epigr. 4. & de arca. lib. 1. ep. 77.

3 AVREA *mensa.*] Vel propter coronam auream additam mensæ, vel auream dixit, pro pulcherrima quales erant citreæ.

4 PLVS *habeat Didymus, plus Philomelus habet.*] Nomina Græca indicant libertos hosce fuisse. Didymi meminit, lib. 12. ep. 43. Philomelus autem fuit cytharœdus tempore Martialis. De libertinis opibus dicemus ad lib. 5. ep. 13.

In Matriniam. XXXII.

*v. An. **v. quæris.

Non possum vetulam,* *quereris, Matrinia: possum*
Et vetulam: sed tu mortua, non vetula es.
Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia sed si
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

DOMITIVS.

1 NON *possum*] In Matriniam decrepita ætate, quæ Mart. accusabat, quòd se vetulam non posset subagitare.

POSSVM] Concumbere cum vetula.

TV *mortua es*] Adeò extremæ ætatis es, vt mortua videaris.

HECVBAM *si nondum erit canis*] i. possum concumbere cùm Hecuba antequam conuersa foret in canem: & item cùm Niobe, antequam in saxum. quasi dicat, tu non anus es, sed aut canis, aut saxum, deposita mulieris figura.

RAMIR. DE PRADO.

Conuitium est in Matriniam vetulam, quæ querebatur, quòd Poëta non virum egisset cum ea. Excusat hoc cum dicat eam non vetulam, sed iam mortuam, iam cineres.

1 NON *possum vetulam quereris Matrinia?*] In veteribus legitur,

An possim vetulam quæris Matrinia?

Sed ego prætulerim vulgatam lectionem: colligo veram esse ex responsione Poëtæ, quæ se purgat, quod in eo certamine ante victoriam occubuisset. Erat enim intempestiua hæc purgatio; si Matrinia tantum interrogasset eum vtrum posset.

2 POSSVM *Hecubam, possum Nioben.*] Tot filiorum matres necesse est vetustissimas esse: has igitur enumerat per Synecdochen pro omnibus vetulis.

3 SED *si Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.*] Notissima fabula ex Metamorphosi Ouidiana, de Hecuba in canem, lib. 13. cum Polymnestori Thraciæ regi ob occisum Polydorum filium oculos eruisset, & à Thracibus lapidibus impeteretur, in canem est conuersa. significat igitur se vetulas posse quidem, sed si nondum nimia vetustate fœminarum formam exuerint.

Qualem puellam velit. XXXIII.

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est.
Extremo est ancilla loco: sed vincet vtrâque,
Si facie nobis hæc erit ingenua.

DOMITIVS.

INGENVAM] Ait Mart. in puella optanda non tam habere rationem nobilitatis, & conditionis, quā formæ, & inquit. non tam opto puellam ingenuæ conditionis, quàm formæ. Ingenui dicuntur, quorū maiores non seruiuerunt nec ipsi.

INGENVAM] i. ingenuæ conditionis.

LIBERTINA] Libertinus dicitur, qui habuit maiores seruos, ipse liber: & secundo loco opto libertinam, postremo ancillam, sed serua vtramque vincet, & libertinam, & ingenuam, si fuerit pulchra, ex Epicuri sententia est proxima voluptate tangi, contempta inani laudis & specie.

RAMIR. DE PRADO.

Ancillam ingenuâ facie se præferre cæteris omnibus dicit: id autem per παράδοξον: nam cum dixisset se ingenuam malle, & ea deficiente libertinam, extremo loco ancillam si ea ingenua facie sit. Vtrâque vincet apud me, inquit. ingenua facies in pretio. Vnde Propertius inter laudes suæ puellæ ingenuum colorem enumerat, lib. 1. eleg. 4.

Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita dicere veste licet.

Cætera per se satis liquent.

Ad Chionem. XXXIV.

Digna tuo cur sis, indignaq; nomine, dicam.
Frigida es, & nigra es: nō es, & es: Chione.

DOMITIVS.

DIGNA *tuo*] Chion significat niuem, vnde hæc mulier dicta est Chione: ait Martial. eam quidem esse Chionem, quia frigida est, vt nix, sed non esse Chionem, quia nigra est, & non candida, vt nix.

FRIGIDA] Scil. in coitu, nam blanditias non habebat.

RAMIR. DE PRADO.

Iocus in Chionem petitus à significatione nominis. Chione namque Græcè niuem significat. Dicit igitur hanc partim dignam, partim indignam hoc nomine: digna quod frigida sit, indigna quod nigra sit.

De piscibus sculptis. XXXV.

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

DOMITIVS.

ARTIS] Phidias sculptor Atheniensis claruit minoribus simulachris sculpendis.

TOREVMA] Toreumata dicuntur vasa sculpta, laudantur pisces hoc disticho in vase sculpto.

Adde aquam natabunt:

Adeò benè sunt sculpti, & laudat præstantiam sculpturæ.

RAMIR. DE PRADO.

Laudat toreuma mirè in phiala elaboratum. Erāt autem pisces quidam quos dicit addita aqua natatuтos, idque hyperbolicōs, vt etiam inf. ep. 41. de lacerta Mentoris

1 ARTIS *Phidiacæ toreuma clarum.*] Non quod à Phidia fabrefacti fuerint hi pisces, sed quod toreuticen, id est, artem conficiendorum toreumatum is inuenerit, quam in summo habitam fuisse pretio Plin. lib. 35. cap. 10. docuit.

In Fabianum. XXXVI.

Quod nouus, & nuper factus tibi præstat amicus;
Hoc præstare iubes me, Fabiane, tibi.
Horridus vt primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum:
Lassus vt in thermas decima, vel serius hora
Te sequar, Agrippa, cùm lauer ipse" Titi. al. v. lauē.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Vt sim tiro tuæ semper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga, tritáque, meaque,
Vt nondum credas me meruisse rudem.

DOMITIVS.

QVOD] Ad Fabianum amicum veterem, quem & si iamdiu coluerat, tamen non habebat mitiorem.

PRÆSTARE *hoc tibi*] i. officia quæ exigis à nouo amico.

HORRIDVS] Incultus: nam qui properabant A ad salutandum non poterant se colere. Iuue. Ligulam dimittere.

AGRIPPÆ] M. Agrippa habebat thermas.

THERMAS *Titi*] Vespas. quas celeriter extruxit.

PER *xxx. Decembres*] i. xxx. annos.

VT *semper tiro*] i. nouus miles.

TOGA *mea trita*] Et consumpta, & mea, quàm nunquam meruisti.

MERVISSE *rudem*] Tractum est à gladiatoribus: nam gladiatores ingrauescente ætate rude donabantur, vt apud Horat. in epist. & Iuuenalis. Qua rude accepta non cogebantur ampliùs pugnare: sed publica alebantur pecunia. Sensus est. Putas me non demeruisse rudem, vt me alas sine officio.

RAMIR. DE PRADO.

Expostulat cum Fabiano iniuriarum, quod cum B vetus esset amicus, easdem cogeretur, quas sodales noui præstare operas anteambulonis.

1 HORRIDVS *vt primo semper te mane salutem.*] Horridus frigore matutino, vt solebant antelucani salutatores frigore corripi, vt sup. lib. 1. ep. 56.

Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus, Aue.

Ad eund. modum Persius hic sat. 1.

——calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum tritâ donare lacernâ.

De antelucanis salutatoribus Iuuen. sat. 5. vers. 20.

——sollicitus ne
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem,
Sideribus dubijs, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Boota.

2 PER *mediumque trahat me tua sella lutum.*] Ante- C ambulonum, qui diuitum sellas sequebantur, incōmoda multa erant. hoc in primis, quod sæpe per lutum occupante viam lectica eundum ijs esset, li. 10. ep. 10. *Lecticam sellamque sequar? nec ferre recuso*
Per medium pugnas, sed prior ire lutum.

Et lib. 12. ep. 26.

At mihi quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre patique lutum.

Alia multa enumerat Iuuenal. sat. 3. versu 239. & sequentibus multis, & quædam referuntur epigr. seq. 46. vbi se excusat, quod non possit operam togatam præstare Candido.

3 LASSVS *vt in thermas, &c.*] Hic intelligit Raderus queri Martialem, quod cogeretur lauari cum Fabiano in thermis Agrippæ, cum ipse soleret lauari in Titi æque bonis aut etiam melioribus. Sed ineptum D nobis hæc interpretatio obtrudit Martialem, & nimis ineptè delicatum, qui quereretur, quod simul cum amico potenti lauaret, & præferret vsitatorum balneorum vsum, amicitiæ Fabiani. Iustior est multo Fabiani conquestio. Queritur enim, quod iam lassus hora decima, vel serius quando iam cœnandum esset cogeretur sequi Fabianum in thermas Agrippæ, quo ibi relicto, quod simul lauari per fastum amici potentis non liceret, properabat ipse ad Titi thermas, quæ longo spatio distitæ erant à thermis Agrippæ.

4 HOC *per triginta merui Fabiane Decembres.*] Ter repetit quatuor versibus seqq. verbum *merendi*, quod militare est; quod seq. versu tyronis nomen ab ead. origine desumptum esset vsurpatus.

Per Decembr. annos intelligit, per Synecdochen nec sine Emphasi: quod cùm arguat Fabianum auaritiæ, Decembres nominat, quibus mensibus solebant patroni clientibus munera dare, Saturnalibus scilicet tempore brumæ, vt scribitur, ep. 71. lib. 8.

5 Hoc *merui Fabiane toga tritaque meaque.*] Ne intelligat Lectorem trita toga à Fabiano Martialem donatum fuisse, adijcit illud, *meaque.* magni enim amici clientibus tritam togam munere dabant, vt Persius ait loco sup. citato, sat. 1.

——horridulum trita donare.

Et Horat. lib. 1. epist. 19.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, & trita munere vestis.

6 Vt *nondum credas me meruisse rudem.*] Locus est in ambiguitate, quam non vidit in hoc loco Raderus: Nam de rude qua donabantur gladiatores, communis est acceptio, & notissimus omnibus locus. Sed hic intellexit etiam Martialis non meruisse rudem, id est, togam rudem, saltim de qua diximus sup. ad lib. 2. ep. 44. poterat Raderus admoneri præcedenti versu, quo dixerat se præstitisse operas Fabiano toga sua & trita.

In irascentes amicos. XXXVII.

Irasci tantùm felices nostis amici.
Non bellè facitis; sed iuuat hoc facere.

DOMITIVS.

Irasci] Irato Fabiano ex superiore epigrammate ait Martial. amicos diuites, vel sine causa solere irasci pauperibus, non quia id sit honestum, sed quoniam vtile est. Nihil enim posteà dant.

Felices] Diuites.

Nostis] i. tantùm scitis irasci.

Ivvat *hoc facere*] Quia nihil posteà datis amicis, quibus estis irati.

RAMIR. DE PRADO.

Est reprehensio diuitum, qui irarum occasionem quærunt, ne officia inferiorum amicorum munerentur, quod Tacitus lib. 4. annalium grauiter notat his verbis: *pro gratia odium redditur.* De huius epigrammatis explicatione diximus multa ad lib. 1. epigram. 13.

Ad Sextum. XXXVIII.

Quæ te caussa trahit, vel quæ fiducia Romã,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Caussas, inquis agã Cicerone (v. differtior.) *disertiùs ipso,*
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus caussas, & (v. Marcus.) *Ciuis: vtrumque*
Noras: sed neutri pensio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangẽtur carmina nobis:
Audieris, dices esse, Maronis, opus.
Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis,
Sunt tibi, Nasones, Virgiliosque vides.
Atria magna colã. vix treis, aut quatuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? suade. nam certum est viuere Romæ.
Si bonus es, casu viuere, Sexte, potes.

DOMITIVS.

A

Qvæ *te caussa*] Interrogat Sextum quare veniat in vrbem, & ostendit bonum virum nihil certi habere vnde viuat.

Triplici *foro*] Triplex enim forum erat in vrbe, Latinum, Romanum, & vetus: nec potest alludere ad tria fora dicendi, quibus oratores vtuntur, nam prior sententia melior est, & planè confirmata.

Tota *neutri*] Hoc est, potuisset toto credi pensio domus, vel tota, id est, neuter tantùm habuit, vt totam pensionem soluere posset.

Hinc] Ex causis.

Pangentvr *carmina*] Id est, componam carmina.

Gelidis *lacernis*] i. tritis lacernis.

Atria *magna*] Magnorum principum.

B

Ista *res*] Colere atria.

Certvm *est viuere Romæ*] i. decreui & constitui viuere Romæ.

Casv] Fortuna, & non certo instituto, nam boni viri officium in precio non est, nec certum bono viro præsidium est, sed malis. Mali igitur certo præmio viuunt, boni pendent ex casu, vt aliquid assequantur, nam bonarum artium nullum est certum præmium.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc epigramma Satyram aduersus Romanos corruptos mores, qua ostendit Romæ nullum esse bonis viris locum. eiusdem argumenti est epig. 5. lib. 4. fingit Sextum quemdam decreuisse Romæ viuere; id dissuadet, quod neque causas agere, neque carmina componere, neque potentiores colere, alicuius ei futurum sit vtilitatis.

C

1 Atqve *erit in triplici par mihi nemo foro.*] Triplex forum; vetus Romanum vnum, alterum Caij Iulij Cæsaris, tertium Augusti, in quibus caussæ agebantur: de quibus copiosè Alexander Neapolitanus, lib. 2. c. 12. & Marlianus in topographia vrbis, lib. 3. cap. 24. & Noster lib. 7. epigr. 64.

Lis te tibi decima numerantem frigora bruma
Conterit vna tribus, Gargiliane, foris.

Et lib. 8. epigr. 44.

Foroque triplici sparsus ante equos omneis.

Papinius Statius, lib. siluar.

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

2 Egit *Atestinus*, &c.] Nomina ficta pauperum caussidicorum.

3 Sed *neutri pensio tota fuit.*] Pensio ἐνοίκιον est, id est, ea pecunia, quæ pro mercede habitationis ædiũ

D

alienarum soluebatur; vt constat toto tit. ff. Locati & conducti, & hic noster lib. 12. epig. 32.

Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat vxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater, ingenti:
Furias putaui nocte Ditis emersas.

4 Omnes *gelidis quicunque lacernis.*] Gelidæ lacernæ paupertatis signum. Sic infr. lib. 7. ep. 91.

Esse queror gelidasq; mihi tristesque lacernas.

Diciturque per metonymiam, quia trita vel sordida, vt lib. 1. ep. 93. diximus, faciliùs frigus admittunt.

5 Svnt *tibi. Nasones, Virgiliosque vides.*] Lego, *sunt ibi.* id est, Romæ.

6 Atria *magna colam.*] Atria potentiorum erãt, vbi clientes & salutatores expectabant magnum amicum, vt diximus ad lib. 1. ep. 56.

7 PALLET *cetera turba fame.*] Nam qui aridam sportulam tantum capiebant à diuitibus, egregiè fame peribant. Sic supra potentes illos qui sportulam donabant, famem appellaramicorum; vt ad l.1.epig. 60.late diximus,& ad epig.7.huiusce libri.

8 SI *bonus es casu viuere Sexte potes.*] Qui subnixi aliquo præsidio pecuniæ viuunt, cum ratione viuūt: sciunt enim iam vnde viuant. Sic supra epig.30. Gargilianum decipi docet, quod nulla cum ratione viuat, quamuis is existimet se cum summa viuere: qui verò nullo subsidio suffultus viuit, casu viuit. Significat igitur Sextum si bonus sit, posse viuere casu; & ex consequenti posse fame perire. *Si bonus es*, inquit, nam si malus sis, certa cum ratione viuere potes, vt dicitur lib.4. ep.5. vbi suadet Fabiano, ne Romam petat. *Qui nec leno potes, nec commissator haberi:* Nec alia crimina perpetrare, vnde sceleratis suppetunt pecuniæ: quam sententiam Iuuenalis eleganter sub Vmbricij persona persequitur multis versibus: sat. 3. à versu 41.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio, &c.

De Lycori. XXXIX.

Iliaco similem puerum, Faustine, magistro
Lusco Lycoris amat. quã benè lusca videt!

RAMIR. DE PRADO.

Amatores turpium personarum cœci appellantur à Poëta, quòd ob nimiam turpitudinem non offendantur: vt sup.epigr.8.

Thaida Quinctus amat, quam Thaida? Thaida luscam.
Vnum oculum Thais non habet, ille duos.

Contra verò, qui pulcherrimas amant, bene videre dicuntur: vt hoc loco Lycoris lusca formosissimum amabat puerum: *Optime vides, quamuis vno oculo capta sis.*

1 ILIACO *similem puerum Faustine magistro.*] Legendum omninò *ministro*, qui Ganymedes est Iouis minister, quem lib. 11. ep. 105. Dardanium ministrum vocat,

Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Ioui.

Et lib.2.ep. 43. Iliacum vocat cinædum,

Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo.

In Thelesinum. XL.

Mutua quòd nobis ter quinquaginta dedisti
Ex opibus tantis, quas grauis arca premit:
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus,
" Tum magnus, quòd das: immo ego, quòd recipis. ;Tu

DOMITIVS.

MVTVA] Thelesinus magnus volebat videri, cùm diues ter quinquagena mutua dedisset. Martial. ait eum non esse magnum virum, quòd det mutuo, sed esse magnum virum, quòd restituat: quasi dicat plus esse, quòd à paupere ter quinquaginta restituãtur, quàm quòd dentur mutuo à diuite.

QVOD *recipis*] Quia restituo diuiti: hinc nostra A sententia confirmatur, vt pusilli à Martiale dicantur, qui nihil dant amicis: *Gaure pusillus homo es*, nam hic volebat magnus videri, quia daret.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet Thelesinum quemdam, qui magnam rem se præstitisse existimabat, quòd mutuam dedisset Poëtæ pecuniæ summam. & se magnum ob id reputabat. Respondet Martialis maiorem se esse, qui debitum illud soluat, cum pauper sit,& honestè posset decoquere.

1 TER *quinquaginta dedisti.*] Legitur alias, *ter quinquagena*, eodem sensu.

2 QVAS *grauis arca premit.*] Idem est *premere*, quod supra dicit lib. 2. ep. 30. flagellare. de arca dictum est sup.lib. 1. ep.77.

3 ESSE *tibi magnus Thelesine videris amicus.*] Magni amici sunt, quos sup.lib.2.epig.18.reges appellat, B Hispani señores. Iuuenalis sat.1 vers.33.

——posthunc magni delator amici.

4 TVM *magnus quod das.*] Alias legitur, *Tu magnus quod das:* sed melius, *Tu n' magnus quod das?*

5 IMMO *ego quod recipis*] Nam si tu magnus fuisses, id nomen dono mihi dedisses: ego magnus, qui pauper soluo, vt tu recipias.

De lacerta cælata. XLI.

Inserta phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta viuit, & timetur argentum.

DOMITIVS.

INSERTA] Mentor argenta cælando maximè C claruit. Plin. Iuuenal. *Rara sine Mentore mensa*, Id est, sine poculis Mentoreis, Laudatur artifex qui sculpsit lacertam in poculo argenteo.

INSERTA] i.insculpta phialæ. Plin. de Stratonico sculptore: Quique satyrum in phiala grauatum somno collocauisse veriùs, quàm cælasse dictus est Stratonicus.

DVCTA] Effica.

VIVIT] Adeò bene sculpta est.

ET *timetur argentum*] Quia tam benè sculpta lacerta est, vt viua videatur, & nocitura.

RAMIR. DE PRADO.

Simile est superiori epigr. 35. Erat in phiala ad viuum excusa lacerta quæ spirare videbatur, & ideo timeri poterat quamuis argentea.

1 MENTORIS *manu ducta.*] Id est, Mentoreo artificio fabrefacta: quemadmodum, lib.9. epigr.60. D

——& si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.

Ducta autem proprium est cælatorum & sculptorũ verbum. Virgil. lib.6. Æneid. versu 847.

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus.

In Pollam. XLII.

Lomento rugas vteri quod condere tentas
Polla: tibi ventrem, non mihi" labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum.
Quod tegitur, maius creditur esse" malum.

"Labra linire, accipio pro decipere, &c. (quod Mantus ait) os sublinire.
" v. daedum

DOMITIVS.

LOMENTO] Lomentum de farina fabæ hoc loco intelligo. De candido præterea medicamine quod ex argento fiebat, lomentum dicebatur: author est Plin.

POLLA] Hoc medicamine linebat ventrem, vt puella videretur: potes, inquit, expolire ventrem lomento, vnde alij fortasse qui cunnilingi sunt, allici possunt ad cunnum tuum lingendum, ego autem non viscabo illic labra, non enim sum cunnilingus. De lomento in distichis. Propterea contulit Martial. vt lomentum omittat. Alibi idem est sensus.

NON *linis labra ibi*] Hoc est, non propterea ego illic admouebo labra vbi linerentur, & viscarentur.

RAMIR. DE PRADO.

Pollam quamdam frustrari docet suo labore, quæ scissuras ventris lomento tegebat, cum id potius suspicionem maioris deformitatis moueret in animis spectantium.

1 LOMENTO *rugas vteri, &c.*] Vtile esse ad hoc lomentum docet, lib. 14. epi. 60. quod fieri solebat & creta, vt est apud Petron. *Inter rugas malarum tantum erat cretæ vt putares detectum parietem nimbo laborare.*

2 TIBI *ventrem non mihi labra linis.*] Communis huius loci interpretatio, *labra linire*, pro *decipere*, vsurpatum affirmat, vt *os sublinire*, apud Plautum, vt sit sensus tibi ventrem linis, sed hoc fuco non me decipis, qui sciam quam fœdis sulcis vteri aratum habeas vterum, vt inf. ep. 70.

Aut sulcos vteri prodere nuda times.

Hanc verò dicendi formulam Nonius Marcellus originem duxisse a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, scribit, Quos enim aliis ridendos propinare volebant, dormientes per iocum liniebant colore aliquo, vel fuligine. Virgilius in Sileno ait Deum illum à iuuenibus comprehensum, & ligatum moris facie pictum esse ab Ægle Naiade.

——*iamque videnti*

Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Et Anterastilis in Pœnulo Plauti inquit:

Stulta soror es ma..u quam volo, an vero pulchra videre obsecro,

Si tibi illic non os oblitū est fuligine. & Petr. in sat. *Ancilla*, inquit, *totam faciem eius fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra humerosque sopitionibus pinxit*, vbi Duza pro *sopitionibus*, legit *cipionibus*: Sed Gruterus lib. 2. susp. cap. 3. Emendat, *opitis titionibus*, id est, extinctis, qui carbones facti denigrare possunt. Schoppius lib. 1. verisimilium cap. 7. *sopitis titionibus*, legit, vt referatur ad Ascilton, ad quem etiam refertur illud *non sentientis*. D Ego Gruteri lectionem prætulerim. De his autem iocosis in dormientes contumeliis multa leguntur apud veteres scriptores. Suetonius de Clodio cap. 8. narrat eum his ludibriis obnoxium fuisse, præcipuè in conuiuiis. *Solebant*, inquit, *& manibus stertentis socci induci, vt repentè expergefactus faciem sibi confricaret.* Hinc igitur natum existimant hunc dicendi modum, *labra linire*. Sed ego existimo aliam esse huius formulæ originem: ductam enim puto metaphoram à vasis, quibus amaræ potiones & medicamenta exhibebátur à medicis, quorum labra solebant illini melle, vt eius dulcedine decepti ægrotantes potionem haurirent, & quod eo melle ægrotantium labris illitis decipiebantur ipsi. Inde tractum censeo hoc prouerbium, quamuis pa-

A rœmiographus sequatur Nonium Marcellum. Hanc rem Graphicè, vt solet omnia, describit Lucretius Carus, hisce elegantissimis versibus.

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur prius oras pocula circum,
Contingunt melis dulci flauóque liquore:
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur;
Sed potius tali facto recreata valescat.

Vbi expende verba illa, *ludificetur Labrorum tenus.* Quæ significant illiniri labra fallaci illo melle. Manet hodiéque hoc adagium apud nostrates, dicimus enim, *vnto me los labros.* id est, decepit me. Apud Græcos etiam hunc fuisse morem constat ex comparatione Themistij, in oratione qua Nicomedenses ad Philosophiam exhortatus est. *Imitandi*, inquit, *nobis sunt sapientiores medici: qui pharmaca ea, quæ amariora* B *sunt, circumlito primis melle poculo bibenda præbent.* Attamen doctissimus Scaliger ad 4. Propertij lib. multò aliter hæc legit, & intelligit hunc versum, sic enim emendat:

Polla tibi ventrem non nihil atra linit.

Atrasque ait vocitare ab Atticis eas ancillas, quæ dominis erant in delicijs, quas in veteribus inscriptionibus delicias & delicium vocabant dominæ. Ego assensum sustineo, & suspiciens tanti viri auctoritatem, eius sententiam non ausim taxare, quamuis leuissima existimem coniectura prolatam.

3 SIMPLICITER *pateat vitium fortasse pusillum.*] Simpliciter, id est, sine fuco aliquo: vt lib. 1. ep. 88.

——*sis ebria simpliciter.* Et lib. 6. epig. 7.

Offendor mœcha simpliciore minus.

4 QVOD *tegitur, maius, creditur esse malum.*] In veteri codice est, *nefas*: non aliena lectio à dictione C Martialis: nam infrà epigr. 72. *de eadem*, ferè de eadem re ait:

Nescio quod maius suspicor esse nefas.

In Lentinum. XLIII.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito coruus, qui modo cycnus eras.
Non omnes fallis: scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

DOMITIVS.

MENTIRIS] Lentinus canus tinxerat capillos, ait Martial. eum quidem posse fallere aspectum hominum, sed non posse decipi senectutem, vel Proserpinam, quæ exacta ætate detrahet medicamina illa nigra eius capiti. Ingeniosè medicamen illud poëta appellat laruam.

MENTIRIS *iuuenem*] i. simulas te esse iuuenem.

TAM *subito coruus*] id est, niger tanquam coruus.

PERSONAM] Quam medicamine simulas.

DETRAHET] Nam & si videris iuuenis, cùm senex fueris, morieris. Hominum aspectus falli potest, naturæ lex non potest.

RAMIR. DE PRADO.

Tingentem canos Lentinum quendam irridet, quòd hoc fuco iuuenem assimulabat, interminatus non euasurum hac stropha mortem.

1 Corvus, *qui modò cycnus erat.*] Metonymia, id est, tam subitò coruo similis, qui modò cycno similis erat.

2 Scit *te Proserpina canum.*] Qui morti propinqui erant, credebantur ab antiquis tonderi a Proserpina, & his quasi primitiis Orco initiari, nec aliter diem suum obire posse. Hanc causam difficilis mortis in Didone affert Virgilius lib. 4.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem subitóque accensa furore:
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygióque caput damnauerat Orco.

Dixerat enim anteà.

Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilesque obitus Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexósque resolueret artus.

Sic Horat. lib. 1. ode 28.

Mixta senum ac iuuenum densantur funera, nullum
——saua caput Proserpina fugit.

Nam qui moritur, velut Orci victima est, quia antequam pecudes in sacris immolarentur, capitis eorum setæ ferro secabantur. Virg. 6. Æneid.

Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima.

Quod admonet Macrobius desumtum esse ex Homero. *ἀρχόμενος κεφαλῆς τρίχας*. Ergo, inquit, Proserpina scit te canum, & iam maturum morti, ne existimes te posse eius cultrum effugere. Sanctissimus & antiquissimus Alexandrinus Clemens lib. 3. pædagogi, cap. 3. hanc sententiam eandem vsurpauit, reprehendens eos viros, qui se fœminarum ritu comunt, his verbis, ex interpretatione Gentiani Herueti. *Pilos autem tingere & canos vngere, ac coloribus oblinere, quibus perditi Androgyni effœminatique homines vtuntur, muliebrésque pexus omninò dimittendi sunt, putant enim se sicut serpens posse senium capitis exuere, dum seipsos pingentes transformant, ac renouant. Sed etsi pilos callidè circumscribant, rugas tamen non effugient: sed neque mortem latebunt, etsi tempus per artem ementiantur.*

3 Persona *capiti, &c.*] Tinctus ille capillorum eleganter capitis persona dicitur, & quemadmodum persona detracta detegitur, & cognoscitur facies, ita & remoto fuco capillorum, cognosceris iam senex & Orco mactandus.

In * Ligurinum. XLIV.

* v. Ligurinum poëtã.

Occurrit tibi nemo quòd libenter,
Quòd quacumque venis, fuga est, & ingens
Circa te, Ligurine, solitudo:
Quid sit scire cupis? nimis poëta es.
Hoc valde vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
Nec sic scorpius * *improbus timetur.*
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, & legis sedenti:
Currenti legis, & legis cacanti.
In thermas fugio: sonas * *ad aurem.*
Piscinam peto: non * *licet natare,*

* Impius erat in textu: sed in margine, ascriptum, improbus.
* v. in aurem
* v. finis.

A *Ad cœnam propero, tenes euntem.*
Ad cœnam venio: fugas sedentem.
Lassus dormio: suscitas iacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir iustus, probus, innocens timeris.

DOMITIVS.

Occvrrit] Accusatur Ligurinus quòd malè & intempestiuè recitet: adeo vt cùm bonus vir sit, ea sola de causa fugiatur ab hominibus.

Qvacvnqve *venis est fuga*] id est, quacumque venis omnes fugiunt.

Qvid *sit scire*] id est, cupis scire causam.

Nimis *poëta es*] Scilicet nimiùm vis videri poëta recitando.

Pericvlosvm] Quia molestum omnibus.

B Dypsas] Genus serpentis, cuius morsus hominem siti necat.

Medio *sole*] Ex plaga meridionali, quia illic sunt grauiora venena, vel perusta medio sole quoniam perpetuo apricatur.

Scorpivs *improbus*] Venenosus.

Piscina] Locus erat domi vbi frigida lauabantur. Docet hoc Cicer. Lariorem, inquit, piscinam voluissem, vbi iactata brachia non offenderentur.

Vir *iustus*] hoc enim vnum vitium occupat omnes.

RAMIR. DE PRADO.

Importunos & acerbos recitatores exagitat Poëta multis locis, sed præcipuè Ligurinum hoc epigrammate & sequenti, & etiam infr. 46. Est autem hoc epigrammate hyperbolyca quædam amplificatio, C quales multæ & familiares huic Poëtæ, quo nomine apud Seueros Criticos malè audit. Omnia autem in eo per se liquent: illud animaduersione dignum, vbi legitur:

Ad cœnam venio, fugas sedentem.

Corruptè legi: supra enim dixerat,

Et stanti legis, & legis sedenti.

Nec est adeò verborum inops, vt post quatuor versus repeteret idem verbum. Quod si intelligas sedentem ad cœnam, absurdum est: Nam veteres non sedentes, sed recumbentes cænabant. Vnde absurdior est emendatio Raderi, qui legit, *ad cœnam sedeo.* Tu omnino lege:

Ad cœnam venio, fugas edentem.

Fuitque facilis loci corruptio, ex sibilo verbi *fugas* intellexit enim librarius dictante alio ex eo sibilo *sedentem*, pro *edentem.* Quo vitio corrupti fuerunt innumeri auctorum loci.

2 Vir *iustus, probus, innocens timeris.*] Elegantis-D sima sententia, pro Iustitia: namque probitas & innocentia potius appetuntur, quàm fugiantur aut timeantur. Tu autem importuna recitatione cum his virtutibus possis commendari & amari, fugeris ab omnibus. Horatius in arte ad finem mirè extulit recitatorum importunitatem, grauissimis verbis & sententiis.

De eodem. XLV.

Fugerit an mensas Phœbus cœnamque Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.

Illa quidem lauta est, dapibúsq; instructa superbis:
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombũ, mullúmue bilibrẽ:
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

DOMITIVS.

FVGERIT] In fabulis dicitur Solem auertisse cursum, ne sceleratam Thyestæ cœnam inspiceret: vt filij appositi ab Atreo fratre fuerunt.

FVGIMVS] Ne cogar audire te recitantem.

TACE] i. nihil recites. alibi poëta in cœna iucunda pollicetur non affuturum crassum volumen.

RAMIR. DE PRADO.

Eiusdem est cum superiore argumenti, quo renunciat cœnæ Ligurini, quod acerba & molesta recitatione conuiuas enecet: quod latius sequenti epi. 49. persequitur.

1 FVGERIT *an mensas, &c. ignoro:*] Notissima fabula huius cœnæ, quam Phœbus dictus est noluisse spectare. *Ignorandi* autem verbum, pro dubitandi posuit.

2 MVLLVMVE *bilibrem.*] Vide quæ notauimus de mullo ad ep. 43. li. 2.

3 TACE.] lib. 5. epi. 79. Turanium ad cœnam inuitans, cum ei se multa appositurum, tandem pollicetur abfore recitationes.

Nec crassum (inquit) *dominus leget volumen:*

Et lib. 11. itidem epi. 53. inuitans Iulium Cerealem, inquit:

Plus ego polliceor, nihil recitabo tibi,
Ipse tuos nobis relegas licet vsque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

Recitabant domini vt hisce in locis, vel per lectorem, vt Plin. lib. 1. ep. * testatur. *Audisses Comœdum vel lectorem* (loquitur de cœna) *vel, quæ mea liberalitas est, omnes.* & lib. 3. epi. 5. de Plinio secundo auunculo: *Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus, super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronunciasset, reuocasse, & repeti coëgisse, huic auunculum meum dixisse. Intellexeras nempe? cùm ille annuisset. Cur ergò reuocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus.* Et Corn. nepos in vita Attici. *Neque vnquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est, vt non minus animo, quam ventre conuiuæ delectarentur.* Quem morem apud multos bonæ notæ auctores inuenies.

Ad Candidum. XLVI.

Exigis à nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor: ille feret.
In turbã incideris, cunctos vmbone repellet:
Inualidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in caussis narraueris, ipse tacebo:
At tibi ** *tergeminum mugiet ille sophos.*

* Vide Turneb. lib. 15. cap. 19.

** id est maximum clamabit sophos. Turneb. lib. 23. cap. 32.

A *Lis erit, ingenti faciet conuicia voce:*
Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?
Quidquid libertus, Candide, non poterit.

DOMITIVS

EXIGIS] Ad Candidum amicum, quem cùm non comitaretur Mar. mittebat ei libertum: ait poëta plus in ea re. i. comitando ei libertum posse præstare, quàm ipse valeat: quoniam ipse sit ad seruilia munera ineptus, ait tamen se omnia ei præstiturum, quæ libertus præstare non poterit, hoc est laudem, & immortalitatem.

OPERAM *togatam*] i. togati hominis, nam anteambulones erant togati.

VMBONE] i. obiecto corpore suo pro vmbone.

B MVGIET] i. clamando sæpè te laudabit.

LIS *erit,*] si habebis litem.

FACIET *conuitia*] Clamabit in aduersarium tuum.

QVICQVID] immortalitatem propter meos versus.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad eundem Candidum, quem vt illiberalem taxauerat, sup. lib. 2. epigr. 24. & 43. & hoc eodem lib. epig. 26. eumque vt impudentem reprehendit, qui seruiles operas ab amico exigeret: ait mitti à se libertum, maiúsque hoc esse quam si ipse iret in eius comitatu: pollicetúrque se præstaturum id, quod homine libero dignum sit; & quod libertus præstare non possit.

1 EXIGIS *à nobis operam sine fine togatam*] *Exigendi* verbum propriè in pecore sedem habet, agere namque est minare pecus: *inigere*, agere in aliquem locum, veluti in stabula, cuius oppositum est *exigere*: id est, extrahere pecus à stabulis. Hinc transfertur ad significationem vulgò notam, vt sit quod Hispani dicunt *cobrar*, id enim est pecunias aut rem aliquam à debitore extrahere. Eadem mente significat eiicere: nam qui exigit pecus, eijcit illud ab eo loco. Vnde dicebant Romani ab exactis regibus, id est, à die quo iecti fuerunt, siue à regifugio. Eadem ratione dixit Terentius, *exigere Comœdias*, id est, eas explodere à Theatro, antequam spectarentur, vt est in prologo Andriæ. cuius verba obiter emendabimus.

C

Fauete, adeste æquo animo & rem cognoscite,
Vt pernoscatis, & quid spei sit reliquum,
Post hac quas faciet de integro Comœdias;
Spectandæ an exigendæ sint vobis prius

vbi lege: *vt pernoscat is----*

D vt τὸ is ad Poëtam referatur; & sit sensus, vt pernoscat Poëta quid sibi à vobis expectari possit, an Comœdiæ, quas deinceps facturus sit, sint spectandæ à vobis & admittendæ, an priusquam spectentur, explodendæ & exibilandæ. Exigis ergo, id est, petis & quasi tuo iure flagitas à nobis togatam operam, id est, officia togatorum anteambulonum.

2 VIX *ego lecticam subsequor, ille feret.*] sup. epi. 36.

Per mediumque trahat me tua sella lutum.

vbi vide quæ à me adnotata sunt.

3 IN *turbam incideris.*] Iuuenal. sat. 3. vers. 243.

----nobis properantibus obstat
Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro.
Alter at hic lignum capiti incutit, ille metretam,
Pinguia crura luto, planta mox vndique magna

3 PLENA *Bassus ibat in rheda.*] Rhedam appellat etiam carrucam versu antepenult. *Plenaque rheda*, dixit propter res multas quas secum portabat. Vrbanè Iuuenalis Mathonis pinguedinem irrisit illis versibus, sat. 1.

Caussidici noua cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso.

4 OMNES *beati copias trahens ruris.*] Faceta irrisio cum ab vrbe in rus diuitiis ruris traheret copias. hanc sententiam expressit Symmachus lib. 1. epist. 5. his verbis. *Namque hic vsus in nostram venit ætatem, vt rus quod solebat alere, nunc alatur.* Idem dixit lib. 10. epig. 96. *Pascitur hic, ibi pascit ager.*
Et eodem lib. ep. 58.
Dum suburbani, dum iugera pascimus agri.

5 ET *vtrumque porrum.*] Sectiuum & capitatum, de quibus in xeniis epig. 17. & 18.

6 ILLIC *coronam pinguibus grauem turdis.*] De turdorum corona est epig. 51. in xeniis. Erant namque turdi in orbem dispositi, corona fortè è vimine facta: De hac eadem Ouidius lib. 1. Amorum vers. 269. *Quin etiam turdóque licet missáque corona,*
Te memorem dominæ testificere tuæ.

7 LEPOREMQVE *læsum Gallici canis dente.*] Leporarii canes gallici appellantur, vnde apud nos Hispanos *galgos* parum immutato nomine.

8 NONDVMQVE *victa lacteum faba porcum.*] Id est, procellum adhuc lactentem; qui nondum fabam gustauerat. *vincere* enim *fabam*, mandere est & dentibus frangere.

9 SED *tuta feno cursor oua portabat.*] Cursores serui vocabantur, qui in itinere faciendo vel deambulando per vrbem, rhedam vel equos, pedites præcedebant in comitatu, quos Galli. *Laquayz*, & inde nos Hispani, *Lacaios*, vocamus. Suetonius in Nerone capit. 30. *Numquam carrucis minus mille iter fecisse traditur, soleis mularum argenteis:* (lego, *agentibus*) *canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum mazacum turba atque cursorum.* Et Seneca, epist. 87. cuius initium *naufragium. O quam cuperem* (inquit) *illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via diuitibus, cursores & Numidas.* & ep. 124. *Omnes iam sic peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen cursorum antecedat.* & Petron. in satyr. *hinc inuolutus coccina gausapa lecticæ impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor, &c.*

10 ROMAM *petebat Bassus.*] Affigenda est hic interrogationis nota. Poterat enim videri Bassus hoc ruris apparatu Romam ire. Respondet per paradoxon, immo rus ibat.

De Ollo. XLVIII.

Pauperis exstruxit cellā, sed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

DOMITIVS.

PAVPERIS] Ollus vt ædificaret, empta cella pauperis extructis ædibus pauper factus est. Mart. ait eum nunc habere cellam pauperis.

NVNC *cellam pauperis habet*] Quia prædia vendidit ipse iam pauper.

RAMIR. DE PRADO.

Faceta est Olli cuiusdam irrisio, qui cum domum ædificaret, per miôsin ironicῶs se pauperis cellam exstruere subinde dicebat lætabundus, quòd magni- A ficas ædes & mollissimam habitationem fabrefaceret. Non potuit autem opus perficere, nisi venditis prædiis, quibus alebatur: remansitque elegantissima ædificata domo, & destitutus omni re familiari: cúmque in ea domo deinceps habitaret, verè pauperis cellam habere dicit Poëta, cum antea ipse id per iocum prædicaret. Est autem iocus desumtus à metaphora ad proprietatem verbi, vt sup. lib. 1. ep. 85. de Quirinali:

Paterfamilias verus est Quirinalis.

Sic hoc loco Ollus, qui per miosin dicebat se pauperis cellam quamdam exstruere, nunc cum in eadem cella factus pauper habitet, verè pauperis cellam habet.

In inuitatorem. XLIX.

B *Veientana mihi misces, tibi Massica potas:*
Olfacere hæc malo pocula, quàm bibere.

DOMITIVS.

VEIENTANA] Hic queis inuitauerat miscebat conuiuis Veientana, & ipse Massica potabat.

OLFACERE] Malo olfacere in mensa tua quàm bibere.

RAMIR. DE PRADO.

Perstringit impudicum inuitatorem, qui diuersa vina ponebat, preciosa sibi, meram fecem conuiuis: tantumque hæc duo vina inter se distabant, vt dicat se malle inuitatoris pocula olfacere, quàm siccare sua.

C 1 VEIENTANA *mihi misces*] de verbo *miscendi* affatim dictum est sup. epig. 1. lib. 2.

2 TIBI *Massica potas.*] Suspectus mihi locus de mendo. Non enim subolet Martialis phrasim, *potas tibi Massica*, libenter emendassem, *tibi Massica ponis.* Nam ponere vina & obsonia tritissimum est, vt dixi ad lib. 1. epi. 44. Præterea confirmat meam cóiecturam id quod sequitur: Quí enim poterat pocula iā ab inuitatore exhausta olfacere, posita sic poterat? Sed tamen à veteribus membranis destituti Hispani assensum cohibere in his cogimur.

2 OLFACERE *hæc malo pocula quam bibere.*] Neque hunc locum existimo incorruptum: *Bibere* enim *hæc pocula* non memini me apud Latinos legisse. Deinde de poculis eius, qui cum loquitur, non dixisset Martialis hæc pocula, sed ista pocula. Ego libenter emendarem, *hic*, ex quo Aduerbio facilè potuit librarius falli vt scriberet, *hæc.* Nam veteres id per diphthongum *ei* scribebant, *heic*, & ex similibus D literarum antiquarum ductibus fieri potuit, *hæc.* si sic legeris, planus erit sensus. mâlo hic, id est, apud te, ad tuam mensam olfacere pocula, quam bibere Veientanum vinum.

In Ligurinum. L.

Hæc tibi non alia est ad cœnam caussa vocandi,
Versiculos recites vt, Ligurine, tuos.
Deposui soleas, affertur protinus, ingens
Inter lactucas, oxygarúmque liber.

potuerit verus esse. Ludebat Hylas puer apud Vipsanam porticum, vbi fictiles feræ ad ornamentum positæ erant, apertis rictibus, in quarum hiatus ludibundus puer manum immittebat: fortè accessit ad vrsam quandam, in cuius ore casu latebat vipera viua, quæ irritata pueri manu eum acriter momordit, ita vt immisso veneno occideret.

1 PROXIMA *centenis ostenditur vrsa columnis*] Domitius Vipsanam porticum intelligit, vt sup. lib. 2. epi. 14. de Sellio.

Inde petit centum pendentia tecta columnis.

Quod ego verum existimo.

2 EXORNANT *ficta qua Platanona fera.*] Non possum satis mirari Iulium Cæsarem Bulengerum, qui lib. de venatione Circi, cap. 21. somniat hanc esse picturæ cuiusdam descriptionem, eamque picturam expressam esse è rei veritate: quia spectacula ad memoriam pictura exprimebantur, vt est apud Capitolinum in Gordianis, & Trebellium in Carino. Et fingit monstrum quoddam Thebano ænigmate dignũ, ingenio aut arti tribuendum, quod in ora ferarum indebant angues & viperas, quæ feris essent innoxiæ, bestiarijsque nocerent. & ad hoc figmentum confirmandum adducit hoc epigramma, in quo corrupte legerat:

Exornant pictæ qua Platanona feræ.

Quid facias illo? iubeas miserum esse libenter, & Anticyras nauigare. Lege tu, *ficta*, vt est in correctioribus codicibus, ne decipiaris cum Bulengero. Platanon autem locus est Platanis consitus, vt Daphnon lauris, vt est lib. 10. ep. 76.

Disposuit Daphnona suo Torquatus in agro.

Et lib. 12. epigr. 50.

Daphnonas platanos ac aërias Cyparissos,
Et non vnius balnea solus habes.

3 VIVEBATQVE *anima deteriore fera.*] Eleganter & verè Poëticè, nam si viueret fera, insertam manum procul dubio morderet: ficta mordere non poterat: sed hæc ficta viuebat, non sua, sed deteriore viperæ anima, quæ nocentius multò momordit.

4 DVM *perit ô facinus ausa quod vrsa fuit.*] Corruptus versus, qui sic lectus languet. Est in veteri *falsa*, non meliore sensu, sed ab eo sic emendarem:

Comperit & facinus ausa quod vrsa fuit.

Id est, exeunte vipera ab ore feræ, visa est ipsa sua sponte fateri scelus illud.

De Canio. XX.

*De Canio Gaditano lege epist. Valerij ad Rufinũ inter Hieronymiana.

Dic Musa, quid agat, Canius, meus Rufus?
Vtrum ne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An qua Neroni falsus adstruit scriptor?
An æmulatur improbi iocos Phædri?
Lasciuus elegis, an seuerus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleus,
An otiosus in schola poëtarum,
Lepôre tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi.
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ Sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulátue liber acribus curis?
Stertitne thermis, an lauatur Agrippæ; (al. Titi)
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An æstuantes iam profectus ad Baias
Piger Lucrino nauiclatur in stagno?
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

DOMITIVS.

DIC *Musa*] De Canio, & in eum iocatur, qui nulla alia re magis occupatus erat, quàm risu, de quo suprà. *Capit maximè Pana qui solebat.*

CHARTIS *victuris*] i. immortalitati.

ACTA *temporum Claudianorum*] Id est Claudij, & eius maiorum. Hanc historiam scripsit Plin. sed non extat.

FALSVS *scriptor an*] Laudat eà, quæ nonnulli scriptores adulantes Neroni laudarint, hæc duo interrogauit, quoniam & Neronis, & Claudij memoria inuisa erat Domitiano.

ÆMVLATVR] Imitando in numeros ducit. Phædrus eximiæ formæ à Plat. introducitur in eo dialogo, qui ita inscribitur, vbi longa oratione & Phædri verbis de amoribus disputatur.

LASCIVVS *elegis*] i. lasciuiens in elegis.

AN *seuerus*] Scribit in heroïco carmine.

AN *versatur horridus in cothurnis sophocleis*] i. tragico carmine.

SCHOLA *poëtarum*] Locus vbi poëtæ recitabant.

LEPORE *Attico*] Id est Attica puritate, & elegantia.

HINC] A schola poëtarum.

TERIT *porticum*] Deambulat in porticu.

AN *carpit spatia*] Id est, an deambulat in porticum argonautarum in campo Martio.

AN *rursus*] Quia illuc sæpe accedebat.

TEPENTES *buxos*] i. inter buxetum, i. deambulatne in porticu Europæ.

TITI *thermis*] Nam Titus thermas construxerat.

AN *lauatur*] In thermis Agrippæ.

TIGILLINI *impudici*] Nam per impudicitiam Tigillinus multa à Nerone est consecutus, quem ad omne corruperat. Ipse obscuris parentibus fœda pueritia, turpi senecta apud aquas Sinuesanas perijt iussu Othonis muliebriter, nam secuit fauces nouacula.

TVLLI *& Lucani*] Duorum fratrum, de quibus suprà,

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur.

POLLIONIS *Quartum*] Quartum nomen proprij loci amœni est ad quartum lapidem.

IN *æstu*] In æstiuo tempore.

NAVICVLATVR] i. nauigatur, nam nauiculare est otiosa cymba vehi.

RIDET] Ita antè notatur:

Cœpit maxime Pana qui solebat.

Ita suspensum hactenus lectorem in risum prouocat.

RAMIR. DE PRADO.

Canium Poëtam perpetuò ridentem descripsit lib. 1. epi. 70. vbi eum Panos statuæ comparat, perpetui

risus specie conflatæ. Hoc epigrammate longa quadam suspensione concepta, per interrogationem Musæ factam, cum semper ridere testatur, vltimo versiculo addita Musæ responsione. De hoc Canio præter epigramma allegatum, est mentio eodem li.1. ep.62.& infrà hoc 3.lib.ep.63.

1 VTRVM *ne chartis tradit ille victuris.*] Id est, habentibus Genium, vt lib.6.epig.60.

Victurus Genium debet habere liber.

Eadem formula vsus lib.11. epi.4.

At quàm victuras poteramus pangere chartas.

Et suprà lib.1.epigram.108.

Condere victuras tentem per sæcula curas.

Vbi vetus Codex habet *chartas.*

2 AN *quæ Neroni falsus adstruit scriptor?*] Fortè hic Canius Rufus soluta vel ligata oratione susceperat Claudij dominatum describere, & Neronis res gestas, quas scriptores metu vel odio falsas scripserant, vt testis est Tacitus in prooemio Annalium his verbis. *Tiberij, Caijque & Claudij ac Neronis res florentibus ipsis, ob metum falsæ, postquam occiderant, recentibus odijs compositæ sunt.* Quæ igitur falsus scriptor Neroni tribuit, hic tradit chartis victuris. Caue verò ne cum Radero verbum, *æmulatur*, in sequenti versu positum in hoc intelligas: Esset enim ineptissimus sensus.

3 AN *æmulatur improbi iocos Phædri.*] Poëta hic Phædrus fabularum Æsopicarum scriptor, cuius quinque libros P. Pithœus primus edidit, & doctorum manibus hodiéque teritur.

4 AN *in cothurnis horridus Sophocleis.*] Quamuis Æschylus fuerit primus, qui magniloquentiam docuerit, vt testatur Horatius in Arte:

Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Et, *componere verba Aeschyleo cothurno* dicatur Propert. lib.2. eleg.33.

Desine & Aeschyleo componere verba cothurno.

In prouerbium tamen abijt *Sophocleus cothurnus.* quòd Sophocles cæteros Tragicos dictionis grauitate longè superauerit. Virgil.ecloga 8. vers.10.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Quod imitatus est Martial.lib.5.epi.31.

Varro Sophocleo non infitiande cothurno.

Est autem cothurnus metonymicῶs orationis sublimitas, quòd Tragici sublimiores sint ceteris Poëtis, & actores Tragœdiarum cùm referrent Heroes cothurnati incedebant, quò prouceriores viderentur: fingebant enim veteres Heroas illos mortales homines corporis proceritate superare. Hinc Poëtæ sublimes. quamuis non tragœdi, cothurnati vocantur. Noster lib.5. epigr.5.

Grande cothurnati pone Maronis opus.

Et lib.7.epigr.62.

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis.

Quid autem sit cothurnus non omnibus video liquere; est genus calceamenti, quo crura vsque ad genua tegebantur, & sub pede insuebantur soleæ multæ è subere compactæ, obtectæ corio, quæ staturæ bonam addebant partem, eoque calceamento, vt dixi, vtebantur Tragici, ad referendos vel Deos, vel Heroas. Quæ inuentio Æschyli Poëtæ fuit, vt patet ex loco Horatij suprà adducti. Hinc intelliges pulcherrimam Senecæ comparationem epistola 77. incipit. *Inimicitias mihi, &c. Nemo ex istis* (inquit) *quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptrum & chlamydem in scena fabula assignant, cum præsente populo elati,* (lege *latè*) *incesserunt, & cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt.* Virgilius hoc calceamentum tri-

A buit virginibus Tyrijs, 1.lib. Æneid.

——haud equidem tali me dignor honore:

Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram

Purpureoque altè suras vincire cothurno.

Qui locus à nemine, quod sciam, hactenus intellectus fuit. neque eius difficultas est in eo, quod Scaliger dubitat, quo modo venatrix, cui currendum sæpè est, & incedendum per montes & rupes, possit calceata cothurno incedere: nam altum fuisse negare non possumus; cum id conuincant Plin. ep.7. l.9. & Iuuenal.sat.6. vers.505.

——breuiorque videtur

Virgine Pygmæa nullis adiuta cothurnis.

Ad quod respondet Raderus, Veneris ibi calceos κατ᾽ ἐξοχὴν fuisse cothurnos dictos, nec tragicos fuisse, sed pro calceamento quouis positos: quod non est mirum errasse Raderum Germanum hominem, & B qui veros cothurnos numquam viderat, quales nos habemus in Hispania, præcipuè in Salmanticensi tractu, vbi fere omnes rusticæ fœminæ cothurnis calceantur, & eorum vsu delectatæ facilitate summa currunt, incedunt per aspera loca nullo impedimento. Quo quidem responsum est vere Scaligeri dubitationi, sed mallem, aliud maius dubitasset Scaliger, quod ego dubito. Conabatur eo in loco Venus diluere Æneæ filij opinionem, qui existimauerat eam esse aut Dianam, aut aliam Nympham, protuleratque hæc verba:

O quam te memorem Virgo? namque haud tibi vultus

Mortalis, nec vox hominem sonat. O Dea certè

An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis vna.

Respondet Venus se non esse Deam, & virginibus Tyrijs morem esse pharetram gestare, quod suprà dixerat Poëta:

C *Virginis os habitumq; gerens & virginis arma Spartana.*

Quo dicto negat se Dianam esse, quod poterat arcu & pharetra decepisse Aeneam. Illud autem, quod gestaret cothurnos, more cæterarum: quod est argumentum. vt probet se non esse Deam, an Deæ, vel Nymphæ incedebant cothurnatæ vt Diana pharetrata? Nodum sic dissolue. Aeneas viderat Venerem venatricis habitu & statura proceriore, quam humana esse solet. Ad quod tacitè respondet Venus, quasi dicat, Ne me existimes ob staturæ proceritatem Deam esse, aut Nympham: Obserua hanc proceritatem non esse mihi à natura, sed additiciam propter cothurnos quibus calceata incedo. Suetonius Tranquillus in Augusto, cap. 73. scribit, eum calceamentis altiusculis vt procerior, quam erat, videretur, vsum fuisse. Quem vsum forte didicit à Iulio patre, qui testante Dione lib. 43. vtebatur pedum tegmine D fulmentato & Puniceo, vt Albani Reges olim: quod genus suum ad hos referebant, propter Iulium, à quo gens Iulia: & Caligulam solitum gestare cothurnos probat idem Suetonius in eius vita, cap.52. Vnde patet Reges & grauiores viros altiusculis calceamentis vsos fuisse, grauitatis causa, vt de Indis Arrianus, & de Persis Xenophon tradiderunt. Acron etiam in satyram 6. Horatij lib.1. notat omnium Senatorum altiores fuisse calceos.

5 AN *otiosus in schola Poëtarum.*] Hic *schola* non propriè sumitur. Nullus enim Romæ hoc tempore locus destinatus Poëtis, sed communiter accipiendum pro quouis hominum conuentu ad recitaturos Poëtas audiendos.

6 AN *spatia carpit lentus Argonautarum?*] Porticũ Argonautarum intelligit, vbi otiosi solebant poë-

tarum versus spaciantes relegere, vt constat ex epig. 1. lib. 11. Hæc ipsa est porticus Iasonis, de qua sup. lib. 2. epig. 14.

Si nihil Europe fecit, tum septa petuntur,
Si quid Phyllirides præstet & Aesonides.

Et lib. 11. epigram. 1.

Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel prima dominus leuis carina.

In hac porticu mirificè depicta erat historia Argonautarum. Moris erat apud Romanos historias, fabulas & alia multa in porticibus depingere. Spartianus scribit res bello gestas à Seuero depictas in porticu fuisse. Et Petron. in satyr. *Interrogare*, inquit, *ego atriensem cœpi, quas in media* (scilicet porticu) *picturas haberent. Iliada & Odysseam, inquit.* Sic ludorum magnificentiam, ne memoria intercideret, in porticibus etiam depingebant. Vopiscus in Carino. *Memorabile maximè & Carini & Mameriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus.* B

Inter tepentes post meridiem buxos.

Sic lib. 2. epi. 14.

Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit.

7 STERTITNE *thermis an lauatur Agrippa.*] Melior lectio aliorum codicum, *Titine thermis.* Erant enim thermæ Titi Imperatoris, de quibus dictum lib. spectaculorum epigr. 2.

Hic vbi miramur velocia munera Therma.

8 AN *impudici balnea Tigillini.*] Lege, *Tigellini*, qui est Sophonius Tigellinus, de quo & eius impudicitia C. Tacitus lib. 14. Annal. *Imposuit cohortibus Sophonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus.* Et paulò pòst: *Validior Tigellinus in animo Principis ex intimis libidinibus assumptus.* Et libro Historiar. 1. *Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta.* cuius vitam etiam breuiter describit vetus scholiastes Iuuenalis ad versum:

Pone Tigellinum —— 155. sat. 1.

9 AN *rure Tulli fruitur atque Lucani.*] Fratres hi erant summa inter se charitate coniuncti, vt constat ex epig. 37. lib. 1.

* In crudelem Dominum. XXI.

* v. De domino & famulo.

Proscriptum famulus seruauit frōte notatus.
Non fuit hæc, domini vita, sed inuidia.

Idem Græcè.

Hic παρεχαμματισμὸς venustior est, quàm in archetypo Rom.

Στιγματίας δοῦλος κριθέντ᾽ ἀπέλυσεν ἄνακτα·
Ἦν φθόνος, οὐ φάος τῷ κινδυνεύοντι βίος. *

DOMITIVS.

PROSCRIPTVM] Antium Restionem proscriptum.

FAMVLVS] Quem ipse in compedibus, & frōte notatum habebat, secutus est fugientem, alijs seruis diripientibus bona domini. Is collocauit dominum in loco abdito & aluit. Senem in quem inciderat, interemit coniecitq; in rogum ardentem: ostendit his qui venerant ad Restionem capiendum illuc ardere.

PROSCRIPTVM] Restionem.

A INVIDIA] i. infamia domini quòd fuerit seruatus ab eo seruo, quem ipse habebat in compedibus, quem fronte signauerat. Historia est apud Macrobium in Saturnalibus.

RAMIR. DE PRADO.

Pulcherrima de Antio Restione proscripto narratio est apud Valer. Max. lib. 6. cap. 8. §. 7. quam etiam persequitur eleganter Macrobius lib. saturn. 1. cap. 11. vnde petere poteris.

1 FRONTE *notatus.*] De notis seruorum iam dictum est sup. ad lib. 1. ep. 29.

2 NON *fuit hæc domini vita, sed inuidia.*] Id est, non tam seruatus est à seruo ad vitam, quàm ad inuidiam & omnium odium, qui indignabantur, quod à seruo tam indignè ab eo accepto esset in summo vitæ discrimine seruatus.

De Apici. XXII.

Dederas, Apici, bis tricenties ventri,
Sed adhuc supererat centies tibi [a] laxum.
Hoc tu grauatus, ne famem & sitim ferres,
Summa venenum potione [b] duxisti.
[c] Nil est, Apici, tibi gulosius factum.

a v. luxu pro luxum vel laxum, hoc est, non compressū, sed aliquando plus habens. ἢ σπατάλην. b Ducere pro bibere. Cic. l. 1. Tuscul. & Hora. in carm. Vide Iunij animaduersa. c v. Nullum.

DOMITIVS.

DEDERAS] Apicius habebat septem millia, sex consumpserat luxu, & cùm adhuc centum superessent, veritus ne posset explere gulam ea pecunia, venenum bibit: quod fortasse à multis poterat laudari C tanquam fortiter fecisset, ad quod Mart. ait nihil potuisse fieri gulosius, nam cùm cæteri vndas sectentur propter gulam, ipse quod plus est, bibit venenum gulæ causa.

TV *grauatus*] Quod solum, scil. centum superessent.

FERRES *famam & sitim*] i. tanquam laborares fame & siti, bibisti venenum.

GEORGIVS.

DEDERAS *Apici bis tricenties ventri*] Seneca noster & Dion Græcus historicus adeundi erant ab homine vtriusque linguæ, vt de se ipse iactat, erudito, vt luxuriosum hoc factum Apicij certius, & copiosiùs explanaret. Senec. Consol. ad Helbiam matrem D sic ait. Apicius nostra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando Philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit, cuius exitum nosse operæpretium est. Cùm sestertium millies in culinam congessisset, cùm tot congiaria principum & ingens Capitolij vectigal singularibus commessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primùm coactus inspexit. superfuturum sibi sestertium centies computauit, & velut in vltima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui centies sestertium egestas fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere, non animi. Sestertium centies aliquis extimuit: & quod alij voto petunt, veneno fugit. Dion ferè eadem quæ Seneca de morte Apicij tradit, nisi quòd ducentas, & quinquaginta myriadas superfuisse ei dicat, subductis rationibus. Ausimque affirmare id esse centum sestertia, quod ducentas quinquaginta myriadas vocat.

RAMIR. DE PRADO.

Apicij luxuria abijt in prouerbium Tiberij Cæsaris tempore, quo & ipse vixit, qui helluones omnes longo interuallo superauit. Hic cum sexcenties luxurians absumpsisset, videretque sibi centies superesse, veritus ne egestate & fame opprimeretur venenum bibit. Acutissimè Martial. nihil gulosius ab eo factum dixit, quàm, quod venenum sumpserit, timens ne deesset pecunia, qua gulæ faceret satis. Est celebre hoc mirandum Apicij factum Senecæ amplificatione ad Heluiam, cap. 10. & narratione Dion. lib. 57.

*v.Cenipetam auarũ.

In* inuitatorem. XXIII.

Omnia cùm retro pueris opsonia tradas:
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

DOMITIVS.

OMNIA] In eum, qui opsonia apposita conuiuis retro porrigebat pueris, si inquit Martial. in animo tibi est retrò porrigere opsonia, debes & mensam parare pueris, non nobis.

A *pedibus*] Lecti vbi discumbunt pueri: serui enim ad pedes discumbebant. Alibi retroflexus ad pedum turbam, id est, ad seruos, & alibi. Ad pedes implet lagenam, id est, ex mensa seruorum.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc distichon indignationem Poëtæ in auarum inuitatorem, qui obsonia omnia pueris ad pedes retro stantibus tradebat, nil conuiuis relinquens. Poteras inquit vti compendio, & mensam à pedibus ponere vbi fercula apponentur rapienda pueris tuis, nec videnda conuiuis. Locum vt intelligas, obserua triclinium tres lectos habuisse ita dispositos, vt vnum complecterentur alij duo, referentque formam Π. maiusculæ: In medio orbis collocabatur ad ponendas dapes, qui orbis mensa dicebatur, vt inde conuiuæ recumbentes in lectuli triclinijs possent sibi desumere, quod libuisset. Cum igitur hic omnia obsonia statim ac ponerentur in mensa, traderet pueris retrò, ait satius fuisse, vt à pedibus collocaretur. De seruis autem retrò stantibus in conuiuijs dicemus latè, ad epigram. 82. huius libri.

*v.hernioso.

De* Tusco haruspice. XXIV.

Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.
Quem, Tuscus, mactare Deo cùm vellet haruspex,
Dixerat agresti fortè, rudique viro;
Vt citò testiculos peracuta falce secaret,
Teter vt immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia sacris.
Occupat hanc ferro rusticus, atque secat
A *Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,*
Talibus & fibris numina prisca coli.
Sic modò qui Tuscus fueras, nunc Gallus aruspex,
Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.

DOMITIVS.

VITE *nocens*] Erat aruspex, qui volebat immolare caprum Baccho, sed quoniam carnes hirci fœtent, nisi castrentur, iussit vt rusticus resecaret testes capri.

APPARVIT *hernia aruspicis*] Rusticus eam resecuit.

STABAT] Vt mactaretur, & placeret Deo.

ROSA] Corrosa vite.

B ARVSPEX *Thuscus*] Qui è Thuscia venerat: nam è Thuscia venerat aruspicina.

TETER *odor*] i. nocens odor hircorum.

HERNIA] Pellis testiculorum. Iuuenal.

Quibus incendi frigidus æuo
Laomedontiades, & Nestoris hernia possit.

ARAS *virides*] E cespite.

RVSTICVS] Secuit herniam aruspicis, putauit hunc esse ritum sacrorum.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc epigramma facetissimam de Thusco haruspice narratiunculam, qui cum mactaret hircũ ad Bacchi aras cuidam agresti viro falcem præbuit, iubens vt testiculos hirci amputaret, cùmque ipse cum hirco luctaretur, ostendit ingentem quandam
C herniam, quam rusticus confestim falce secuit, existimans id ad sacra pertinere.

1 VITE *nocens rosea.*] Legendum *rosa*, quod caper hoc vni nocens, Baccho mactabatur, quòd vitem roderet. Ouid. lib. 1. fast. Ennij Poëtæ versus Græcos imitatus, quos παρῳδῶς adducit Suetonius in Domitiano cap. 14. sic ait:

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

De qua re, & de vino fundi solito capitibus stantium ad aras victimarum lege pulcherrimam obseruationem Angeli Politiani in miscellan. c. 26.

2 STABAT *moriturus ad aras.*] Communis sacrorum formula multis exemplis à Barnaba Brissonio firmata, sed breuiter & eruditè de toto sacrorum ordine disseruit Franciscus Santius Brocensis, Rhetoricæ & Græcæ linguæ apud Salmanticenses Doctor, vir (dubio procul) immortalitate dignus,
D quem mihi contigisse Magistrum in his humanioribus literis semper gloriabor, in scholijs ad sat 6. Persij.

3 TETER *vt immundæ carnis abiret odor.*] Victimæ mares mactatæ antequam excoriarentur, castrabantur, vt docet Festus in solitaurilia. hic autem causam affert, cur illud fieret, vt scilicet immundæ illius partis teterrimus odor non offenderet nares.

4 SVPER *aras virides.*] Virides dixit, propter herbas, quas aris sternebant, liquidum ex Terentio in Andria, sce. 4. act. 4.

—— Ex ara hinc sume verbenas tibi,
atque eas substerne.

Vbi Donatus: *verbenæ quasi herbenæ redimicula sunt ararum.* & paulò inferiùs: *Verbenæ sunt omnes herbæ frondésque festæ ad aras coronandas.*

5 SIC *modò qui fueras Thuscus nunc Gallus aruspex*] A Aruspicina ab Hetruria accita Romam. hic aruspex Thuscus erat, quod hoc sacrorum genus priscum, adducti ex Hetruria sacerdotes exercebant. Galli verò Cybeles erant sacerdotes, qui omnes secti erant, vt dictum est sup. ad lib. 2. ep. 45. Est igitur lusus in transmutatione sacerdotij, & in ambiguitate nominis Galli: significat enim & Cybeles sacerdotem, & castratum.

6 DVM *ingulas hircum, factus es ipse caper.* Nota hic acriter differentiam inter hircum & caprum, quòd hircus non castratus sit, caper verò castratus hircus, quamuis hæc confundantur.

Ad Faustinum. XXV.

Si temperari balneum cupis feruens
Faustine, quod vix Iulianus intraret:
Rogo ** lauet vti rhetorem Sabineum.*
Neronianas is refrigerat thermas.

*lauet, alij. Roga lauet. *v. lauetur hic rhetor Sabineus. Rogo lauet vti, legit Calderinus. Rogo lauet vti, alij, Rogo lauetur rhetorem Sabineum. Aldina habet editio. Iudicium, lectori defero.

DOMITIVS.

SI *temperari*] Iocatur in Sabineum rhetorem, qui tantum ventum emittebat podice, vt posset refrigerare balnea calidissima. Iulianus amabat balnea tepida.

RAMIR. DE PRADO.

Iocus est in Sabineum Rhetorem frigidissimum in dicendo, quem ait hyperpolicῶs posse feruens balneum refrigerare: estque iocus in ambiguitate à frigore aëris ad orationis frigus, traducta significatione. Sic dicimus frigere alicuius orationem, & aliquem in dicendo refrigerari. Suet. in Claudio c. 41. *Et cum primum frequenti auditorio commisisset, agrè perlegit refrigeratus sæpè à seipso.* C vide adagium, *Ialemo frigidior*, & quæ notauimus ad lib. 4. epig. 2.

1 ROGO *lauet vti Rhetorem Sabineum.*] Variè legitur hic versus. Ex omnibus lectionibus ego hanc elegerim vt molliorem,

Roga lauetur hic Rhetor Sabineus.

2 NERONIANAS *is refrigerat thermas.*] Thermæ & balnea à calore laudabantur, contrà frigida reprobabantur. lib. 2. 78. thermæ verò Neronianæ ceteras calore & commoditate superabant, quas laudat li. 2. epi. 48. vbi vide quæ notauimus. Est igitur amplificatio frigiditatis huius Rhetoris, qui calidissimas Neronis thermas refrigerare possit: quod Domitius ad ventris flatum retulit. Existimo somniasse pedentem Sabinum. Hadr. Iun. cent. 2. prouerbialiter accipit hæc verba. adag. 50. D

In Candidum. XXVI.

Prædia solus habes, & solus, Cādide, nūmos:
Aurea solus habes, myrrhina solus habes:
Maßica solus habes, & Opimi Cæcuba solus:
Et cor solus habes, solus & ingenium.
Omnia solus habes: hoc me puto velle negare:
Vxorem sed habes, Candide, cum populo.

DOMITIVS.

PRÆDIA] In Candidum qui nihil dabat amicis, & volebat omnia solus habere, de quo suprà est conquestus, *Candide κοινὰ φίλων*: Sed non habebat vxorem solus, cui insultat hoc epigrammate.

SOLVS *habes*] i. nihil ex his das amicis, sed solus omnibus tuis rebus vteris præter vxorem. Iuuenal.

Gentis vitio nunquam partitur amicum.

SOLVS *habes*] Myrrhina vasa mittebantur ab Oriente, & à nonnullis locis Parthorum, sed præcipua ex Acarnania erant distincta maculis: nonnulli dixerunt myrrhinum esse humorem concretum sub terra, vnde hæc vasa ducebantur.

MASSICA] Falernum.

CÆCVBA *optima*] i. vina opimiana.

RAMIR. DE PRADO.

Candidum, quem iam sup. lib. 2. epig. 43. suggillauerat, nunc acriter perstringit, quod vxorem haberet adulteram, populoque communem, & philautiæ vitium in eo notat, quod solet omnibus esse odiosum, sua enim ita laudabat, vt cetera contemneret. B

1 ET *cor solus habes.*] *Habere cor*, prouerbialiter dicebant eum, qui prudentiam aut fortitudinem haberet. sequenti epigrammate, *Et mihi cor non est.* Hinc *cordati* dicuntur sapientes: & apud Ennium:

Egregiè cordatus homo Catus Aelius Sextus.

Et à corde etiam apud Nostrates appellamus *cuerdos* sapientes. Scipionem etiam Nasicam veteres propter singularem sapientiam corculum vocauerunt. Contra verò stultos non habere cor dicebant, & item fortunas omnes, vt est apud Plautum act. 1. sce. 1. in Cistellaria. SI. *At mihi cordolium est.*
GY. *quid id? Vnde tibi est cordolium? commemora obsecro? Quod neque ego habeo, neque quisque alia mulier, vt perhibent, viri.* Et in milite Sc. *cohibete.*

Eam des, quæ sit quæstuosa, quæ alat corpus corpore,
Cuique sapiat pectus: nam cor non potest quod nulla habet.

Vbi lege, *cor dolium*, duabus formis. Est autem *dolium* Epitheton cordis, vt apud Lucilium, crucium, epitheton vini quod cruciat, sic dolum quod dolet: & eadem ratione in Pœnulo scen. *Negoti sibi.*
——ibi tibi
Erit cordolium, si quam ornatam melius conspexeris.

Erat igitur hoc commune sexus illius conuitium: Vnde pectus illis pro corde tribuebant, non cor.

2 HOC *me puto velle negare.*] Melius alias, *Hoc non puto posse negare*, vt sit irrisoria quædam concessio, quę fidem adstruat sequenti scommati.

Vxorem sed habes Candide cum populo.

Id est, communem, vt sup. lib. 1. ep. 69.

Nauia non vna est.——

In Gallum. XXVII.

*Nunquam me reuocas, ** venias cùm sæpe vocatus:*
Ignosco, nullum si modò, Galle, vocas.
Inuitas alios: vitiū est vtriusq;. quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

*v. Cum sit prior ipse vocatus.

DOMITIVS.

NVNQVAM] Idem fermè sensus est superioris epigrammatis.

Inuitas nullum nisi cum quo Cotta lauaris.

Revocas] Ad cœnam.

Invitas *alios*] i.draucos.

Mihi *non est cor*] Decepit lectorem, nam videtur dicere mihi non est cor, hoc est prudentia, quia te inuito, cùm intelligat, non est animus ad te pædicandum.

Nec *tibi pudor*] Fallit item lectorem: videtur enim dicere, quia me non inuitas, at intelligit, quia vis pædicari.

RAMIR. DE PRADO.

Expostulat cum Gallo inurbanitatis caussâ, quod sæpe inuitatus numquam Poëtam reuocasset: in vtrumque culpam confert: in se, quod cor non habeat, ad pretereundum Gallum: in Gallum, quòd cum inuitet alios, Gallum prętereat.

In Nestorem. XXVIII.

Auriculam, Mario, grauiter miraris olere.
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam.

DOMITIVS.

Avriculam] In Nestorem fellatorem, qui cùm garriret in auriculam Marij malè olebat auricula propter grauem odorem Nestoris. Alibi eodem sensu de ampulla vnguenti in cunnilingum qui cùm eam olfecisset, dixit Poëta factum esse garrum.

RAMIR. DE PRADO.

Notat facetè spurciciem oris Nestoris cuiusdam, qui Mario auriculam grauiter olere querebatur, & per paradoxon causam reddit huius graueolentiæ: quod scilicet ipse Nestor Mario garriat semper in auriculā: poterat autem Nestori anima fœtere, quod vel fellator, vel cunnilingus esset. De garritu in aurem dictum est iam supra lib.1.epigr.90.

In Zoilum. XXIX.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

DOMITIVS.

Has] In Zoilum scrib. qui ex seruili conditione peruenerat ad equestrem dignitatem.

Satvrne *tibi*] In Saturnalibus, vt Apollodorus scribit, Saturnus qui toto anno fuerat in compedibus soluebatur. Papinius in Saturnalibus vocat Saturnum. *Saturnus mihi compede lex soluta:*
Cùm Martialis velit ostendere Zoilum fuisse seruū, nunc in Saturnalibus scrib. distichon, quo ait Zoilum dicare compedem Saturno.

Dedicat *tibi has cathenas, cum gemina compede*] Quas appellat annulos priores, sed nunc habet annulos equestres, nam Zoilus ex seruo factus erat eques. At catenæ fuerant ei fugitiuo priores annuli. Reorum autem vincula cùm soluti essent, & seruorum dicabantur Saturno, ea ratione qua suprà dictū de compedibus Saturni.

RAMIR. DE PRADO.

Conficta est quædam dedicatio anathematis seruilis Zoili cuiusdam; qui ex Ergastulario elatus fue-

A rat ad Equestrem dignitatem eo composita vt Zoilum seruilis conditionis admoneret. Solebant enim serui libertatem adepti, vinculis soluti, annulos ferreos seu compedes Saturno, velut anathemata dedicare; quod is Deus in compedes olim à filio coniectus, adeptus deinde libertatem, seruos in clientelam suam visus sit accepisse, & eorum libertatis veluti auctor & protector, cuius caussa Romæ in compedibus visebatur, vbi scribit Verrium Flaccum fateri se huius rei caussam ignorare, quam Macrobio Apollodori lectio sic suggessit. Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & solui ad diem sibi festum, id est, mense Decembri, atque inde prouerbium dictum: *Deos laneos pedes habere.* Hinc etiam natum est, vt per Saturnaliorum dies serui libertatem adipiscerentur, & ceteri pileati incederent tanquam serui recens liberti facti. Vtriusque rei sunt testimonia apud hunc nostrum, lib.11.ep.7.

B *Vnctis falciferi senis diebus,*
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso,
Permittis puto pilenta Roma.

Et lib.14. epigr.1.

Synthesibus dum gaudet eques Dominusq; Senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Et eiusd. lib.14. ep.79. *flagra* est lemma,

Ludite lasciui, sed tantum ludite serui:
Has signata mihi quinque diebus erunt.

Et Seneca, ep.18 cuius initium est, *December est mensis. Si te bene noui, arbitri partibus functus, nec per omnia nos similes esse pileatæ turbæ voluisses, nec per omnia dissimiles.*

i Annvlos *priores.*] Ludit in annulorum nomine: sunt enim annuli ferrei seruorum compedes, & sunt annuli in signe equestris dignitatis. Notat autem

C Zoilum Equitem esse Romanum, cum dicat annulos priores: Nam si annuli priores sunt illi ferrei, necesse est vt alij sint posteriores, homini verò libero, nulli annuli competunt præter equestres. Sed apertum est testimonium Equestris Zoili dignitatis, lib.11. ep.38.

Zoile quid tota gemmam præcingere libra
Te iuuat, & miserum perdere Sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus,
Non eadem digitis pondera conueniunt.

Esse denique annulum Equestris dignitatis insigne notissimum est, & inde quæsitus à Nostro salsissimus iocus, lib.8.ep.5.

Dum donas Macer annulos puellis,
Desisti Macer annulos habere.

D Ad Gargilianum. XXX.

Sportula nulla datur: gratis conuiua recūbis.
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Vnde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ?
Vnde datur quadrās? vnde vir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te viuere summa:
Quòd viuis, nulla cum ratione facis.

DOMITIVS.

Sportvla] Ad Gargilianum, quem, extrema inopia laborantem, interrogat quomodo viuat, quāuis, inquit, dicas te viuere summa cum ratione,

tamen adeo es inops, vt viuendi nullam rationem habeas.

NVLLA *sportula datur*] Quia sublata est à Domit. nam Domit. sportularum vsum ad rectas cœnas redegit.

TV *recumbis conuiua gratis*] i. sine vlla alia mercede. nam qui olim sportulam accipiebant, nunc vnà cœnabant cum diuitibus, sed nulla alia mercede data.

VNDE *est togula*] Harum vsum ad rectas cœnas redegit, id est, vnde habes togulæ pretium.

VNDE *vir es Chiones*] i. vnde habes vt soluas coitum meretricis. Iuuenal.

Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Licet dicas te viuere cum summa ratione, id est, moderatione, intelligebat Gargilianus.

QVOD *viuis*] Quia erat indignus vita in tanta inopia. iocus est, nam ratio moderationem significat, vt Gargilianus accipiebat, & causam, vt Mart. accipit. B

NVLLA *facis cum ratione*] i. nullam habes viuendi causam, in tanta inopia deberes potiùs mori.

RAMIR. DE PRADO.

Dictum est sup. lib. 2. epig. 68. miseros hosce sportularum captatores, ex centum sportulæ quadrantibus genium fraudantes, cellæ pensionem & vestes subtrahere, seruum alere & Veneri etiam satisfacere. Sublata Domitiani edicto sportula, hi omnes in deteriorem conditionem sibi visi sunt incidisse, vt esuritor ille Tucius, de quo sup. epi. 14. qui à ponte Miluio rediјt in Hispaniam audita sportularum fabula. Arguit igitur Gargilianum quemdam temeritatis, quòd sublata sportula Romæ viuere perseuerabat.

1 GRATIS *conuiua recumbis.*] Quod sublata sportula iam non conductus pretio, vt antea, sed gratis recumberet: Nec vocaretur ad cœnam venalis, vt inf. epigr. 60. in Ponticum, C

Cum vocor ad cœnam non iam venalis vt antè.

Esse autem hos sportularios conuiuas & per vocatorem solere cogi dictum est sup. ad epigr. 7. huiusce libri.

2 ET *fusce pensio cellæ.*) Hoc expressit Iuuenalis eleganti metonymia, sat. 1. versu 120.

Et panis fumusque domi.——

Nam per fumum domi fuscam fumo domum intelligit, id est, fumosam.

3 VNDE *datur quadrans? Vnde? Vir es Chiones!*] Male acceptus versus ab interpunctione. Domitius sic interpungit: *Vnde datur quadrans? Vnde vir es Chiones?* Colinei editio, A. M. DXXXIX. vnicam habet in fine interrogationem; quam lectionem ego prætulerim ceteris. Qui Domitij interpunctionem sequuntur, vt Heraldus sic interpretantur. *Vnde datur quadrans?* id est, ad lauandum. nam pauperes quadrante lauabantur. Constat ex Horat. sat. 3. lib. 1. in fine. ——*dum tu quadrante lauatum* D

Rex ibis.

Et Iuuenalis, sat. 6. versu 445.

Cadere Syluano porcum, quadrante lauari.

Vnde Seneca, ep. 87. de balneo: *Cur*, inquit, *exornaretur res quadrantaria, & in vsum, non oblectamentum reperta.* Sic Cicero pro Cœlio, perstringens sororem illam Clodij, quæ quadrantaria dicta fuit, quòd cùm pretio exciperet iuuenes, quidam facetus pro aureis nummis quadrantes in eius loculos immiserat. *Nisi forte* (ait) *mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris erat balneatori:* quo scommate notauit Clodiam, illa quadrantariæ appellationis infamia. Ego verò non existimo hanc lectionem & interpretationem veram esse. Nam quamuis negare non A possum quadrante lauari pauperes, non concedam quadrantis solo nomine intelligi quadrantem illum, qui dabatur balneatori, cùm id nullo exemplo possit confirmari. Ideo vt dixi, præfero Colinei interpunctionem, sicque interpretor: *Vnde datur tibi quadrans? Vnde*, id est, à quo quadrante *sis vir Chiones* quadrantariæ meretricis? vt obiter perstringat etiam Chionem, in quo allusit ad historiam Clodiæ supra adductam. Nec intelligas vilium harum meretricum pretium esse quadrantem solum. verum persolui his solere non argento, sed quadrantibus, & minus quã valeret sestertius nummus, qui argenteus erat. & valebat decem nostros marauetinos. As verò quatuor valebat quadrantes, geminóque asse persoluebatur plebeia Venus, vt diximus sup. ad epigr. 53. lib. 2. ad illum versum:

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

Id est, si quatuor quadrantibus redemeris plebeiam & vulgatam meretricem. Dixit autem: *Vnde datur quadrans?* per Synecdochen, id est, vnde deducis octo quadrantes, quibus Chione facias satis, quæ non prostat argento, sed ære. Hinc enim tractum est per iocum nomen Clodiæ, de qua loco Ciceronis supra allegato, quam Plutarchus dicit ab adolescente delusam, qui pro argenteis nummis quadrantes æreos in eius loculos immisisset. Vnde, vt ipse ait in Ciceronis vita, κουαδραντία nuncupata est. quod Latinè sonat quadrantaria; quod nomen non impositum fuit de nouo Clodiæ: erat enim iam antiquum vilium meretricum cognomentum, vt constat ex illo Cæcilij ænigmate, apud Quintilianum, lib. 8. cap. 6. *Quadrantariam Clytemnestram in triclinio Coam, in cubiculo Nolam.* De cuius explicatione lege Brodæum, lib. 3. Miscellan. cap. 24. de quo ante scripserat Cælius Rhodiginus, lib. 18. antiq. lectionum, cap. 16. & Andreas Alciatus, lib. 2. parergõn, cap. 12.

1 CVM *ratione licet*, &c.] Lusus est in ambiguitate. *Ratio* namque priori versu & parsimoniam & computationem rectam significat, posteriori verò caussam. Hispano more, dicimus namque, *con mucha razon.* dicturi, non sine caussa. hac etiam formula vsus est S. Orientius in libello illo aureo, quem edidi, propè finem.

Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,
Quæ brutis etiam cõ rõne datur.

Vbi eleganter, vt solet, Delrius meus, illas litterarum notas *cõ rõne* interpretatur. & legi debere monet, *cum ratione.*

Ad Rufinum. XXXI.

Sunt tibi, confiteor, diffusi iugera campi,
Vrbanique tenent prædia multa Lares:
Et seruit dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, menores.
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

DOMITIVS.

SVNT *tibi*] In Rufinum qui obscœnis artibus, & vili ministerio peruenerat ad ingentes diuitias, & quasi suæ conditionis oblitus, amicos iam cœperat aspernari, monet Mart. eum non oportere

efferri diuitijs, cùm ampliores Didymus spado, & Philomelus citharœdus sint consecuti: quasi dicat,& si diues sit, non tamen eius conditionem mutari, & aboleri potuisse.

MVLTA *iugera*] i. habes multos campos.

VRBANI] i. tuæ ædes occupârunt multa iugera soli amplitudine sua, contrà Martialis de casa sua:

Et casa iugeribus non onerosa suis.

NVMEROSVS *debitor*] i. habes multos debitores obæratores.

AVREA *mensa*] i. honesta vasis aureis.

DIDYMVS] Spado fuit, qui supposita alijs vxore ingentes diuitias est adeptus. Alibi:

Si spado Didymus,& Corresus non esset.

PHILOMELVS] Citharœdus, nam φίλος amicum significat, μέλος cantum, alibi latiùs meminit.

RAMIR. DE PRADO.

Conatur reprimere Ruffinum ob diuitias nimis superbientem, quas dicit amplas quidem esse, sed non accedere ad libertinorum opes: quo simul eius arguat stultitiam, qui ea re glorietur, quàm multò magis abiectissimi homines erant consecuti. epigrãma per se liquet.

1 VRBANIQVE *tenent prædia multa Lares.*] Radetus sic interpretatur: *habes suburbana prædia non pauca:* aliena à Poëtæ mente sententia: voluit enim significare laxas & magnificas habitare ædes Rufinum, quæ multorum prædiorum instar essent. Nam prædia vrbana notissimum est significare omnia ædificia, vt constat ex L. Vrbana prædia 198. π. de verb. sign. *Lares* igitur *Vrbani*, id est, domus, quam in vrbe possides, *tenent prædia multa*, id est, occupant multa ædificia.

2 ET *seruit dominæ numerosus debitor arcæ*] Id est, fœneras multos. De voce dominæ dictum est sup. lib.1.epigr.4.& de arca.lib.1.ep.77.

3 AVREA *mensa.*] Vel propter coronam auream additam mensæ, vel auream dixit, pro pulcherrima quales erant citreæ.

4 PLVS *habeat Didymus, plus Philomelus habet.*] Nomina Græca indicant libertos hosce fuisse. Didymi meminit, lib. 12. ep.45. Philomelus autem fortè cytharœdus tempore Martialis. De libertinis opibus dicemus ad lib.5.ep.13.

In Matriniam. XXXII.

[Margin: * v. An. v. quatit.]

Non possum vetulam, quereris, Matrinia: possum
Et vetulam: sed tu mortua, non vetula es.
Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia: sed si
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.

DOMITIVS.

NON *possum*] In Matriniam decrepita ætate, quæ Mart. accusabat, quòd se vetulam non posset subagitare.

POSSVM] Concumbere cum vetula.

TV *mortua es*] Adeò extremæ ætatis es, vt mortua videaris.

HECVBAM *si nondum erit canis*] i. possum concumbere cùm Hecuba antequam conuersa foret in canem: & item cùm Niobe, antequam in saxum. quasi dicat, tu non anus es, sed aut canis, aut saxum, deposita mulieris figura.

RAMIR. DE PRADO.

Conuitium est in Matriniam vetulam, quæ querebatur, quòd Poëta non virum egisset cum ea. Excusat hoc cum dicat eam non vetulam, sed iam mortuam, iam cineres.

1 NON *possum vetulam quereris Matrinia?*] In veteribus legitur,

An possim vetulam queris Matrinia?

Sed ego prætulerim vulgatam lectionem: colligo veram esse ex responsione Poëtæ, quæ se purgat, quòd in eo certamine ante victoriam occubuisset. Erat enim intempestiua hæc purgatio; si Matrinia tantum interrogasset eum vtrum posset.

2 POSSVM *Hecubam, possum Nioben.*] Tot filiorum matres necesse est veterrimas esse: has igitur enumerat per Synecdochen pro omnibus vetulis.

3 SED *si Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis.*] Notissima fabula ex Metamorphosi Ouidiana, de Hecuba in canem, lib. 13. cum Polymnestori Thraciæ regi ob occisum Polydorum filium oculos eruisset, & à Thracibus lapidibus impeteretur, in canem est conuersa, significat igitur se vetulas posse quidem, sed si nondum nimia vetustate fœminarum formam exuerint.

Qualem puellam velit. XXXIII.

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est.
Extremo est ancilla loco: sed vincet vtràque,
Si facie nobis hæc erit ingenua.

DOMITIVS.

INGENVAM] Ait Mart. in puella optanda non tam habere rationem nobilitatis, & conditionis, quã formæ, & inquit. non tam opto puellam ingenuæ conditionis, quàm formæ. Ingenui dicuntur, quorũ maiores non seruiuerunt nec ipsi.

INGENVAM] i. ingenuæ conditionis.

LIBERTINA] Libertinus dicitur, qui habuit maiores seruos, ipse liber: & secundo loco opto libertinam, postremo ancillam, sed serua vtramque vincet, & libertinam, & ingenuam, si fuerit pulchra, ex Epicuri sententia est proxima voluptate tangi, contempta inani laudis & speciei.

RAMIR. DE PRADO.

Ancillam ingenuã facie se præferre cæteris omnibus dicit: id autem per παράδοξον: nam cum dixisset se ingenuam malle, & ea deficiente libertinam, extremo loco ancillam si ea ingenua facie sit. Vtràque vincet apud me, inquit. ingenua facies in pretio. Vnde Propertius inter laudes suæ puellæ ingenuum colorem enumerat, lib.1.eleg.4.

Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita dicere veste licet.

Cætera per se satis liquent.

Ad Chionem. XXXIV.

Digna tuo cur sis, indignaq; nomine, dicam.
Frigida es, & nigra es: nõ es, & es: Chione.

DOMITIVS.

DIGNA *tuo*] Chion significat niuem, vnde hæc mulier dicta est Chione: ait Martial. eam quidem esse Chionem, quia frigida est, vt nix, sed non esse Chionem, quia nigra est, & non candida, vt nix.

FRIGIDA] Scil. in coitu, nam blanditias non habebat.

RAMIR. DE PRADO.

Iocus in Chionem petitus à significatione nominis. Chione namque Græcè niuem significat. Dicit igitur hanc partim dignam, partim indignam hoc nomine: digna quod frigida sit, indigna quod nigra sit.

De piscibus sculptis. XXXV.

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

DOMITIVS.

ARTIS] Phidias sculptor Atheniensis claruit minoribus simulachris sculpendis.

TOREVMA] Toreumata dicuntur vasa sculpta, laudantur pisces hoc disticho in vase sculpto.

Adde aquam natabunt:

Adeò benè sunt sculpti, & laudat præstantiam sculpturæ.

RAMIR. DE PRADO.

Laudat toreuma mirè in phiala elaboratum. Erãt autem pisces quidam quos dicit addita aqua natatu-ros, idque hyperbolicῶs, vt etiam inf. ep. 41. de lacerta Mentoris

1 ARTIS *Phidiacæ toreuma clarum.*] Non quod à Phidia fabrefacti fuerint hi pisces, sed quod toreuticen, id est, artem conficiendorum toreumatum is inuenerit, quam in summo habitam fuisse pretio Plin. lib. 35. cap. 10. docuit.

In Fabianum. XXXVI.

Quod nouus, & nuper factus tibi præstat amicus;
Hoc præstare iubes me, Fabiane, tibi.
Horridus vt primo semper te mâne salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum:
Lassus vt in thermas decima, vel serius hora
Te sequar, Agrippæ, cùm lauer ipse" Titi. [" v.lact.]
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Vt sim tiro tuæ semper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga, tritáque, meaque,
Vt nondum credas me meruisse rudem.

DOMITIVS.

QVOD] Ad Fabianum amicum veterem, quem & si iamdiu coluerat, tamen non habebat mitiorem.

PRÆSTARE *hoctibi*] i. officia quæ exigis à nouo amico.

HORRIDVS] Incultus: nam qui properabant A ad salutandum, non poterant se colere. Iuue. Ligulam dimittere.

AGRIPPÆ] M. Agrippa habebat thermas.

THERMAS *Titi*] Vespas. quas celeriter extruxit.

PER *xxx. Decembres*] i. xxx. annos.

VT *semper tiro*] i. nouus miles.

TOGA *mea trita*] Et consumpta, & mea, quàm nunquam meruisti.

MERVISSE *rudem*] Tractum est à gladiatoribus: nam gladiatores ingrauescente ætate rude donabantur, vt apud Horat. in epist. & Iuuenalis. Qua rude accepta non cogebantur ampliùs pugnare: sed publica alebantur pecunia. Sensus est. Putas me non demeruisse rudem, vt me alas sine officio.

RAMIR. DE PRADO.

Expostulat cum Fabiano iniuriarum, quod cum B vetus esset amicus, easdem cogeretur, quas sodales noui præstare operas anteambulonis.

1 HORRIDVS *vt primo semper te mane salutem.*] Horridus frigore matutino, vt solebant antelucani salutatores frigore corripi, vt sup. lib. 1. ep. 56.

Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus, Aue.

Ad eund. modum Persius hic sat. 1.

——calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

De antelucanis salutatoribus Iuuen. sat. 5. vers. 20.

——sollicitus ne
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem,
Sideribus dubijs, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Boote.

2 PER *mediumque trahat me tua sella lutum.*] Ante-C ambulonum, qui diuitum sellas sequebantur, incõmoda multa erant. hoc in primis, quod sæpe per lutum occupante viam lectica eundum ijs esset, li. 10. ep. 10. *Lecticam sellamque sequar? nec ferre recuso*
Per medium pugnas, sed prior ire lutum.

Et lib. 12. ep. 26.

At mihi quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre patique lutum.

Alia multa enumerat Iuuenal. sat. 3. versu 239. & sequentibus multis, & quædam referuntur epigr. seq. 46. vbi se excusat, quod non possit operam togatam præstare Candido.

3 LASSVS *vt in thermas, &c.*] Hic intelligit Raderus queri Martialem, quod cogeretur lauari cum Fabiano in thermis Agrippæ, cum ipse soleret lauari in Titi æque bonis aut etiam melioribus. Sed ineptum D nobis hæc interpretatio obtrudit Martialem, & nimis ineptè delicatum, qui quereretur, quod simul cum amico potenti lauaret, & præferret vsitatorum balneorum vsum, amicitiæ Fabiani. Iustior est multo Fabiani conquestio. Queritur enim, quod iam lassus hora decima, vel serius quando iam cœnandum esset cogeretur sequi Fabianum in thermas Agrippæ, quo ibi relicto, quod simul lauari per fastum amici potentis non liceret, properabat ipse ad Titi thermas, quæ longo spatio distitæ erant à thermis Agrippæ.

4 HOC *per triginta merui Fabiane Decembres.*] Ter repetit quatuor versibus seqq. verbum *merendi*, quod militare est; quod seq. versu tyronis nomen ab ead. origine desumptum esset vsurpaturus.

Per Decembr. annos intelligit, per Synecdochen nec sine Emphasi: quod cùm arguat Fabianum auaritiæ, Decembres nominat, quibus mensibus solebant patroni clientibus munera dare, Saturnalibus scilicet tempore brumæ, vt scribitur, ep. 71. lib. 8.

5 Hoc *meriti Fabiane toga tritaque meaque.*] Ne A intelligat Lectorem trita toga à Fabiano Martialem donatum fuisse, adijcit illud, *meaque.* magni enim amici clientibus tritam togam munere dabant, vt Persius ait loco sup. citato, sat. 1.

——horridulum trita donare.

Et Horat. lib. 1. epist. 19.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

6 Vt *nondum credas me meruisse rudem.*] Locus est in ambiguitate, quam non vidit in hoc loco Raderus: Nam de rude qua donabantur gladiatores, communis est acceptio, & notissimus omnibus locus. Sed hic intellexit etiam Martialis non meruisse rudem, id est, togam rudem, saltim de qua diximus sup. ad lib. 2. ep. 44. poterat Raderus admoneri præcedenti versu, quo dixerat se præstitisse operas Fabiano toga sua & trita.

In irascentes amicos. XXXVII.

Irasci tantùm felices nostis amici.
Non bellè facitis; sed iuuat hoc facere.

DOMITIVS.

Irasci] Irato Fabiano ex superiore epigrammate ait Martial. amicos diuites, vel sine causa solere irasci pauperibus, non quia id sit honestum, sed quoniam vtile est. Nihil enim posteà dant.

Felices] Diuites.

Nostis] i. tantùm scitis irasci.

Ivvat *hoc facere*] Quia nihil posteà datis amicis, quibus estis irati.

RAMIR. DE PRADO.

Est reprehensio diuitum, qui irarum occasionem quærunt, ne officia inferiorum amicorum munerentur, quod Tacitus lib. 4. annalium grauiter notat his verbis: *pro gratia odium redditur.* De huius epigrammatis explicatione diximus multa ad lib. 1. epigram. 13.

Ad Sextum. XXXVIII.

Quæ te caussa trahit, vel quæ fiducia Romã,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
v. disertior. *Caussas, inquis agã Cicerone disertiùs ipso,*
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
v. Marcus. *Egit Atestinus caussas, & Ciuis: vtrumque*
Noras: sed neutri pensio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangẽtur carmina nobis:
Audieris, dices esse, Maronis, opus.
Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis,
Sunt tibi, Nasones, Virgiliosque vides.
Atria magna colã. vix treis, aut quatuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? suade. nam certum est viuere Romæ.
Si bonus es, casu viuere, Sexte, potes.

DOMITIVS.

Qvæ *te caussa*] Interrogat Sextum quare veniat in vrbem, & ostendit bonum virum nihil certi habere vnde viuat.

Triplici *foro*] Triplex enim forum erat in vrbe, Latinum, Romanum, & vetus: nec potest alludere ad tria fora dicendi, quibus oratores vtuntur, nam prior sententia melior est, & planè confirmata.

Tota *neutri*] Hoc est, potuisset toto credi pensio domus, vel tota, id est, neuter tantùm habuit, vt totam pensionem soluere posset.

Hinc] Ex causis.

Pangentvr *carmina*] Id est, componam carmina.

Gelidis *lacernis*] i. tritis lacernis.

Atria *magna*] Magnorum principum.

B Ista *res*] Colere atria.

Certvm *est viuere Romæ*] i. decreui & constitui viuere Romæ.

Casv] Fortuna, & non certo instituto, nam boni viri officium in precio non est, nec certum bono viro præsidium est, sed malis. Mali igitur certo præmio viuunt, boni pendent ex casu, vt aliquid assequantur, nam bonarum artium nullum est certum præmium.

RAMIR. DE PRADO.

Continet hoc epigramma Satyram aduersus Romanos corruptos mores, qua ostendit Romæ nullum esse bonis viris locum. eiusdem argumenti est epig. 5. lib. 4. fingit Sextum quemdam decreuisse Romæ viuere; id dissuadet, quod neque causas agere, neque carmina componere, neque potentiores colere, alicuius ei futurum sit vtilitatis.

C 1 Atqve *erit in triplici par mihi nemo foro.*] Triplex forum; vetus Romanum vnum, alterum Caij Iulij Cæsaris, tertium Augusti, in quibus caussæ agebantur: de quibus copiosè Alexander Neapolitanus, lib. 2. c. 12. & Marlianus in topographia vrbis, lib. 3. cap. 24. & Noster lib. 7. epigr. 64.

Lis te bis decima numerantem frigora bruma
Conterit vna tribus, Gargiliane, foris.

Et lib. 8. epigr. 44.

Foroque triplici sparsus ante equos omneis.

Papinius Statius, lib. siluar.

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

2 Egit *Atestinus*, &c.] Nomina ficta pauperum caussidicorum.

3 Sed *neutri pensio tota fuit.*] Pensio ἐνοίκιον est. id est, ea pecunia, quæ pro mercede habitationis ædiũ alienarum soluebatur: vt constat toto tit. ff. Locati D & conducti, & hic noster lib. 12. epig. 32.

Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat vxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater, ingentis:
Furias putaui nocte Ditis emersas.

4 Omnes *gelidis quicunque lacernis.*] Gelidæ lacernæ paupertatis signum. Sic infr. lib. 7. ep. 91.

Esse queror gelidãq; mihi tristésque lacernas.

Diciturque per metonymiam, quia trita vel sordida, vt lib. 1. ep. 93. diximus, faciliùs frigus admittunt.

5 Svnt *tibi. Nasones, Virgiliosque vides.*] Lego, *sunt ibi.* id est, Romæ.

6 Atria *magna colam.*] Atria potentiorum erãt, vbi clientes & salutatores expectabant magnum amicum, vt diximus ad lib. 1. ep. 56.

7 PALLET *cetera turba fame.*] Nam qui aridam sportulam tantum capiebant à diuitibus, egregiè fame peribant. Sic supra potentes illos qui sportulam donabant, famem appellat amicorum; vt ad l.1.epig. 60. late diximus, & ad epig. 7. huiusce libri.

8 SI *bonus es casu viuere Sexte potes.*] Qui subnixi aliquo præsidio pecuniæ viuunt, cum ratione viuūt: sciunt enim iam vnde viuant. Sic supra epig. 30. Gargilianum decipi docet, quod nulla cum ratione viuat, quamuis is existimet se cum summa viuere: qui verò nullo subsidio suffultus viuit, casu viuit. Significat igitur Sextum si bonus sit, posse viuere casu; & ex consequenti posse fame perire. *Si bonus es,* inquit, nam si malus sis, certa cum ratione viuere potes, vt dicitur lib. 4. ep. 5. vbi suadet Fabiano, ne Romam petat. *Qui nec leno potes, nec commissator haberi:* Nec alia crimina perpetrare, vnde sceleratis suppetunt pecuniæ: quam sententiam Iuuenalis eleganter sub Vmbricij persona persequitur multis versibus: sat. 3. à versu 41.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio, &c.

De Lycori. XXXIX.

Iliaco similem puerum, Faustine, magistro
Lusco Lycoris amat. quā benè lusca videt!

RAMIR. DE PRADO.

Amatores turpium personarum cæci appellantur à Poëta, quòd ob nimiam turpitudinem non offendantur; vt sup. epigr. 8.

Thaida Quinctus amat, quam Thaida? Thaida luscam.
Vnum oculum Thais non habet, ille duos.

Contra verò, qui pulcherrimas amant, bene videre dicuntur: vt hoc loco Lycoris lusca formosissimum amabat puerum: *Optime vides, quamuis vno oculo capta sis.*

1 ILIACO *similem puerum Faustine magistro.*] Legendum omninò *ministro*, qui Ganymedes est Iouis minister, quem lib. 11. ep. 105. Dardanium ministrum vocat,

Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Ioui.

Et lib. 2. ep. 43. Iliacum vocat cinædum,

Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo.

In Thelesinum. XL.

Mutua quòd nobis ter quinquaginta dedisti
Ex opibus tantis, quas grauis arca premit:
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus,
Ita *"Tum magnus, quòd das: immo ego, quòd recipis.*

DOMITIVS.

MVTVA] Thelesinus magnus volebat videri, cùm diues ter quinquagena mutua dedisset. Martial. ait eum non esse magnum virum, quòd det mutuo, sed esse magnum virum, quòd restituat: quasi dicat plus esse, quòd à paupere ter quinquaginta restituātur, quàm quòd dentur mutuo à diuite.

QVOD *recipis*] Quia restituo diuiti: hinc nostra A sententia confirmatur, vt pusilli à Martiale dicantur, qui nihil dant amicis: *Gaure pusillus homo es*, nam hic volebat magnus videri, quia daret.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet Thelesinum quemdam, qui magnam rem se præstitisse existimabat, quòd mutuam dedisset Poëtæ pecuniæ summam, & se magnum ob id reputabat. Respondet Martialis maiorem se esse, qui debitum illud soluat, cum pauper sit, & honestè posset decoquere.

1 TER *quinquaginta dedisti.*] Legitur alias, *ter quinquagena*, eodem sensu.

2 QVAS *grauis arca premit.*] Idem est *premere*, quod supra dicit lib. 2. ep. 30. flagellare. de arca dictum est sup. lib. 1. ep. 77.

3 ESSE *tibi magnus Thelesine videris amicus.*] Magni amici sunt, quos sup. lib. 2. epig. 18. reges appellat, B Hispani señores. Iuuenalis sat. 1 vers. 33.

——posthunc magni delator amici.

4 TVM *magnus quod das.*] Alias legitur, *Tu magnus quod das:* sed melius, *Tu n' magnus quod das?*

5 IMMO *ego quod recipis*] Nam si tu magnus fuisses, id nomen dono mihi dedisses: ego magnus, qui pauper soluo, vt tu recipias.

De lacerta cælata. XLI.

Inserta phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta viuit, & timetur argentum.

DOMITIVS.

INSERTA] Mentor argenta cælando maximè C claruit. Plin. Iuuenal. *Rara sine Mentore mensa,* Id est. sine poculis Mentoreis, Laudatur artifex qui sculpsit lacertam in poculo argenteo.

INSERTA] i. insculpta phialæ. Plin. de Stratonico sculptore: Quique satyrum in phiala grauatum somno collocauisse veriùs, quàm cælasse dictus est Stratonicus.

DVCTA] Effícta.

VIVIT] Adeò bene sculpta est.

ET *timetur argentum*] Quia tam benè sculpta lacerta est, vt viua videatur, & nocitura.

RAMIR. DE PRADO.

Simile est superiori epigr. 35. Erat in phiala ad viuum excusa lacerta quæ spirare videbatur, & ideo timeri poterat quamuis argentea.

1 MENTORIS *manu ducta.*] Id est, Mentoreo artificio fabrefacta: quemadmodnm, lib. 9. epigr. 60. D

——& si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.

Ducta autem proprium est cælatorum & sculptorū verbum. Virgil. lib. 6. Æneid. versu 847.

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus.

In Pollam. XLII.

Lomento rugas vteri quod condere tentas
Polla: tibi ventrem, non mihi" labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum.
Quod tegitur, maius creditur esse" malum.

"Labra linire, accipio pro decipere, & (quod Martius ait) os sublinire. " v. arcanum.

DOMITIVS.

LOMENTO] Lomentum de farina fabæ hoc loco intelligo. De candido prætereа medicamine quod ex argento fiebat, lomentum dicebatur: author est Plin.

POLLA] Hoc medicamine linebat ventrem, vt puella videretur: potes, inquit, expolire ventrem lomento, vnde alij fortaſsè qui cunnilingi ſunt, allici poſſunt ad cunnum tuum lingendum, ego autem non viſcabo illic labra, non enim ſum cunnilingus. De lomento in diſtichis. Propterea conſulit Martial. vt lomentum omittat. Alibi idem eſt ſenſus.

NON *linis labra tibi*] Hoc eſt, non propterea ego illic admouebo labra vbi linerentur, & viſcarentur.

RAMIR. DE PRADO.

Pollam quamdam fruſtrari docet ſuo labore, quæ ſciſſuras ventris lomento tegebat, cum id potius ſuſpicionem maioris deformitatis moueret in animis ſpectantium.

1 LOMENTO *rugas vteri, &c.*] Vtile eſſe ad hoc lomentum docet, lib. 14. epi. 60. quod fieri ſolebat & creta, vt eſt apud Petron. *Inter rugas malarum tantum erat creta vt putares detectum parietem nimbo laborare.*

2 TIBI *ventrem non mihi labra linis.*] Communis huius loci interpretatio, *labra linire*, pro *decipere*, vſurpatum affirmat, vt *os ſublinire*, apud Plautum, vt ſit ſenſus tibi ventrem linis, ſed hoc fuco non me decipis, qui ſciam quam fœdis ſulcis vteri aratum habeas vterum, vt inf. ep. 70.

Aut ſulcos vteri pro lere nuda times.

Hanc verò dicendi formulam Nonius Marcellus originem duxiſſe à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, ſcribit, Quos enim alijs ridendos propinare volebant, dormientes per iocum liniebant colore aliquo, vel fuligine. Virgilius in Sileno ait Deum illum à iuuenibus comprehenſum, & ligatum moris facie pictum eſſe ab Ægle Naiade.

—— iamque videnti

Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Et Anteraſtilis in Pœnulo Plauti inquit:

Stulta ſoror es ma is quam volo, an vero pulchra videre obſecro,

Si tibi illic non os oblitū eſt fuligine. & Petr. in ſat. *Ancilla*, inquit, *totam faciem eius fuligine longa perfricuit, & non ſentientis labra humeroſque ſopitionibus pinxit*, vbi Duza pro *ſopitionibus*, legit *cipionibus*: Sed Gruterus lib. 2. ſuſp. cap. 3. Emendat *ſopitis titionibus*, id eſt, extinctis, qui carbones facti denigrare poſſunt. Schoppius lib. 1. veriſimilium cap. 7. *ſopitis titionibus*, legit, vt referatur ad Aſcilton, ad quem etiam refertur illud *non ſentientis*. D Ego Gruteri lectionem prætulerim. De his autem iocoſis in dormientes contumeliis multa leguntur apud veteres ſcriptores. Suetonius de Clodio cap. 8. narrat eum his ludibriis obnoxium fuiſſe, præcipuè in conuiuiis. *Solebant*, inquit, *& manibus ſtertentis ſocci induci, vt repentè expergefactus faciem ſibi confricaret.* Hinc igitur natum exiſtimant hunc dicendi modum, *labra linire*. Sed ego exiſtimo aliam eſſe huius formulæ originem: ductam enim puto metaphoram à vaſis, quibus amaræ potiones & medicamenta exhibebātur à medicis, quorum labra ſolebant illini melle, vt eius dulcedine decepti ægrotantes potionem haurirent, & quod eo melle ægrotantium labris illitis decipiebantur ipſi. Inde tractum cenſeo hoc prouerbium, quamuis pa-

A rœmiographus ſequatur Nonium Marcellum. Hanc rem Graphicè, vt ſolet omnia, deſcribit Lucretius Carus, hiſce elegantiſſimis verſibus.

Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur prius oras pocula circum,
Contingunt mellis dulci flauóque liquore:
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat.

Vbi expende verba illa, *ludificetur Labrorum tenus.*

Quæ ſignificant illiniri labra fallaci illo melle. Manet hodiéque hoc adagium apud noſtrates, dicimus enim, *vnto me los labros.* id eſt, decepit me. Apud Græcos etiam hunc fuiſſe morem conſtat ex comparatione Themiſtij, in oratione qua Nicomedenſes ad Philoſophiam exhortatus eſt. *Imitandi*, inquit, *nobis ſunt ſapientiores medici: qui pharmaca ea, quæ amariora ſunt, circumlito prius melle poculo bibenda* B *præbent.* Attamen doctiſſimus Scaliger ad 4. Propertij lib. multò aliter hæc legit, & intelligit hunc verſum, ſic enim emendat:

Polla tibi ventrem non nihil atra linit.

Atraſque ait vocitare ab Atticis eas ancillas, quæ dominis erant in delicijs, quas in veteribus inſcriptionibus delicias & delicium vocabant dominæ. Ego aſſenſum ſuſtineo, & ſuſpiciens tanti viri auctoritatem, eius ſententiam non auſim taxare, quamuis leuiſſima exiſtimem coniectura prolatam.

3 SIMPLICITER *pateat vitium fortaſſe puſillum.*] Simpliciter, id eſt, ſine fuco aliquo: vt lib. 1. ep. 88.

—— ſis ebria ſimpliciter. Et lib. 6. epig. 7.

Offendor mœcha ſimpliciore minus.

4 QVOD *tegitur, maius creditur eſſe malum.*] In C veteri codice eſt, *nefas*: non aliena lectio à dictione Martialis: nam infrà epigr. 72. *de eadem*, ferè de eadem re ait:

Neſcio quod maius ſuſpicor eſſe nefas.

In Lentinum. XLIII.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam ſubito coruus, qui modo cycnus eras.
Non omnes fallis: ſcit te Proſerpina canum;
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

DOMITIVS.

MENTIRIS] Lentinus canus tinxerat capillos, ait Martial. eum quidem poſſe fallere aſpectum hominum, ſed non poſſe decipi ſenectutem, vel Proſerpinam, quæ exacta ætate detrahet medicamina illa nigra eius capiti. Ingenioſè medicamen illud poëta appellat laruam.

MENTIRIS *iuuenem*] i. ſimulas te eſſe iuuenem.

TAM *ſubito coruus*] id eſt, niger tanquam coruus.

PERSONAM] Quam medicamine ſimulas.

DETRAHET] Nam & ſi videris iuuenis, cùm ſenex fueris, morieris. Hominum aſpectus falli poteſt, naturæ lex non poteſt.

RAMIR. DE PRADO.

Tingentem canos Lentinum quendam irridet, quòd hoc fuco iuuenem aſſimulabat, interminatus non euaſurum hac ſtropha mortem.

1 CORVVS, *qui modò cycnus erat.*] Metonymia, id est, tam subitò coruo similis, qui modò cycno similis erat.

2 SCIT *te Proserpina canum.*] Qui morti propinqui erant, credebantur ab antiquis tonderi a Proserpina, & his quasi primitiis Orco initiari, nec aliter diem suum obire posse. Hanc causam difficilis mortis in Didone affert Virgilius lib. 4.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem subitóque accensa furore:
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, stygióque caput damnauerat Orco.

Dixerat enim anteà.

Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilesque obitus Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexósque resolueret artus.

Sic Horat. lib. 1. ode 28.

Mixta senum ac iuuenum densantur funera, nullum
——seua caput Proserpina fugit.

Nam qui moritur, velut Orci victima est, quia antequam pecudes in sacris immolarentur, capitis eorum setæ ferro secabantur. Virg. 6. Æneid.

Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima.

Quod admonet Macrobius desumtum esse ex Homero. ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας. Ergo, inquit, Proserpina scit te canum, & iam maturum morti, ne existimes te posse eius cultrum effugere. Sanctissimus & antiquissimus Alexandrinus Clemens lib. 3. pædagogi, cap. 3. hanc sententiam eandem vsurpauit, reprehendens eos viros, qui se fœminarum ritu comunt, his verbis, ex interpretatione Gentiani Herueti. *Pilos autem tingere & canos vngere, ac coloribus oblinere. quibus perditi Androgyni effœminatique homines vtuntur, muliebrésque pexus omninò dimittendi sunt, putant enim se sicut serpens posse senium capitis exuere, dum seipsos pingentes transformant, ac renouant. Sed etsi pilos callidè circumscribant, rugas tamen non effugient: sed neque mortem latebunt, etsi tempus per artem ementiantur.*

3 PERSONAM *capiti, &c.*] Tinctus ille capillorum eleganter capitis persona dicitur, & quemadmodum persona detracta detegitur, & cognoscitur facies, ita & remoto fuco capillorum, cognosceris iam senex & Orco mactandus.

In* Ligurinum. XLIV.

*v. Ligurinum poëtā.

Occurrit tibi nemo quòd libenter,
Quòd quacumque venis, fuga est, & ingens
Circa te, Ligurine, solitudo:
Quid sit scire cupis? nimis poëta es.
Hoc valde vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.*
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, & legis sedenti:
Currenti legis, & legis cacanti.
In thermas fugio: sonas ad aurem.*
Piscinam peto: non licet natare,*

*Impiusrerat in textu: sed in margine, ascriptum, improbus.
*v. in aurem
*v. finis.

A *Ad cœnam propero, tenes euntem.*
Ad cœnam venio: fugas sedentem.
Lassus dormio: suscitas iacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir iustus, probus, innocens timeris.

DOMITIVS.

OCCVRRIT] Accusatur Ligurinus quòd malè & intempestiuè recitet: adeo vt cùm bonus vir sit, ea sola de causa fugiatur ab hominibus.

QVACVNQVE *venis est fuga*] id est, quacumque venis omnes fugiunt.

QVID *sit scire*] id est, cupis scire causam.

NIMIS *poëta es*] Scilicet nimiùm vis videri poëta recitando.

PERICVLOSVM] Quia molestum omnibus.

B DYPSAS] Genus serpentis, cuius morsus hominem siti necat.

MEDIO *sole*] Ex plaga meridionali, quia illic sunt grauiora venena, vel perusta medio sole quoniam perpetuo apricatur.

SCORPIVS *improbus*] Venenosus.

PISCINA] Locus erat domi vbi frigida lauabantur. Docet hoc Cicer. Latiorem, inquit, piscinam voluissem, vbi iactata brachia non offenderentur.

VIR *iustus*] hoc enim vnum vitium occupat omnes.

RAMIR. DE PRADO.

Importunos & acerbos recitatores exagitat Poëta multis locis, sed præcipuè Ligurinum hoc epigrammate & sequenti, & etiam inf. 46. Est autem hoc epigrammate hyperbolyca quædam amplificatio, C quales multæ & familiares huic Poëtæ, quo nomine apud Seueros Criticos malè audit. Omnia autem in eo per se liquent: illud animaduersione dignum, vbi legitur:

Ad cœnam venio, fugas sedentem.

Corruptè legi: supra enim dixerat,

Et stanti legis, & legis sedenti.

Nec est adeò verborum inops, vt post quatuor versus repeteret idem verbum. Quod si intelligas sedentem ad cœnam, absurdum est: Nam veteres non sedentes, sed recumbentes cœnabant. Vnde absurdior est emendatio Raderi, qui legit, *ad cœnam sedeo.* Tu omnino lege:

Ad cœnam venio, fugas edentem.

Fuitque facilis loci corruptio, ex sibilo verbi *fugas* intellexit enim librarius dictante alio ex eo sibilo *sedentem*, pro *edentem.* Quo vitio corrupti fuerunt innumeri auctorum loci.

2 VIR *iustus, probus, innocens timeris.*] Elegantis-D sima sententia, pro Iustitia: namque probitas & innocentia potius appetuntur, quàm fugiantur aut timeantur. Tu autem importuna recitatione cum his virtutibus possis commendari & amari, fugeris ab omnibus. Horatius in arte ad finem mirè extulit recitatorum importunitatem, grauissimis verbis & sententiis.

De eodem. XLV.

Fugerit an mensas Phœbus cœnamque Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.

Illa quidem lauta est, dabibúsq; instructa superbis:
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombũ, mullúmue bilibrẽ:
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

DOMITIVS.

FVGERIT] In fabulis dicitur Solem auertisse cursum, ne sceleratam Thyestæ cœnam inspiceret: vt filij appositi ab Atreo fratre fuerunt.

FVGIMVS] Ne cogar audire te recitantem.

TACE] i. nihil recites. alibi poëta in cœna iucunda pollicetur non affuturum crassum volumen.

RAMIR. DE PRADO.

Eiusdem est cum superiore argumenti, quo renunciat cœnæ Ligurini, quod acerba & molesta recitatione conuiuas enecet: quod latius sequenti epi. 49. persequitur.

1 FVGERIT *an mensu, &c. ignoro:*] Notissima fabula huius cœnæ, quam Phœbus dictus est noluisse spectare. *Ignorandi* autem verbum, pro dubitandi posuit.

2 MVLLVMVE *bilibrem.*] Vide quæ notauimus de mullo ad ep. 43. li. 2.

3 TACE.] lib. 5. epi. 79. Turanium ad cœnam inuitans, cum ei se multa appositurum, tandem pollicetur abfore recitationes.

Nec crassum (inquit) *dominus leget volumen:*

Et lib. 11. itidem epi. 53. inuitans Iulium Cerealem, inquit:

Plus ego polliceor, nihil recitabo tibi,
Ipse tuos nobis relegas licet vsque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

Recitabant domini vt hisce in locis, vel per lectorem, vt Plin. lib. 1. ep. * testatur. *Audisses Comœdum vel lectorem* (loquitur de cœna) *vel, quæ mea liberalitas est, omnes.* & lib. 3. epi. 5. de Plinio secundo auunculo: *Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus, super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronuntiasset, reuocasse, & repeti coëgisse, huic auunculum meum dixisse. Intellexeras nempe? cùm ille annuisset. Cur ergo reuocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus.* Et Corn. nepos in vita Attici. *Neque vnquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est, vt non minus animo, quam ventre conuiuæ delectarentur.* Quem morem apud multos bonæ notæ auctores inuenies.

Ad Candidum. XLVI.

Exigis à nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor: ille feret.
In turbã incideris, cunctos vmbone repellet:
Inualidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in caussis narraueris, ipse tacebo:
*At tibi ** tergeminum mugiet ille sophos.*
A *Lis erit, ingenti faciet conuicia voce:*
Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?
Quidquid libertus, Candide, non poterit.

* Vide Turneb. lib. 15. cap. 19.
** id est maximum clamabit sophos. Turneb. lib. 15. cap. 32.

DOMITIVS

EXIGIS] Ad Candidum amicum, quem cùm non comitaretur Mar. mittebat ei libertum: ait poëta plus in ea re. i. comitando ei libertum posse præstare, quàm ipse valeat: quoniam ipse sit ad seruilia munera ineptus, ait tamen se omnia ei præstiturum, quæ libertus præstare non poterit, hoc est laudem, & immortalitatem.

OPERAM *togatam*] i. togati hominis, nam anteambulones erant togati.

VMBONE] i. obiecto corpore suo pro vmbone.

B MVGIET] i. clamando sæpè te laudabit.

LIS *erit*,] si habebis litem.

FACIET *conuitia*] Clamabit in aduersarium tuum.

QVICQVID] immortalitatem propter meos versus.

RAMIR. DE PRADO.

Reuertitur ad eundem Candidum, quem vt illiberalem taxauerat, sup. lib. 2. epigr. 24. & 43. & hoc eodem lib. epig. 26. eumque vt impudentem reprehendit, qui seruiles operas ab amico exigeret: ait mitti à se libertum, maiúsque hoc esse quam si ipse iret in eius comitatu: polliceturque se præstaturum id, quod homine libero dignum sit; & quod libertus præstare non possit.

1 EXIGIS *à nobis operam sine fine togatam*] *Exigendi* verbum propriè in pecore sedem habet, agere namque est minare pecus: *anigere*, agere in aliquem locum, veluti in stabula, cuius oppositum est *exigere*: id est, extrahere pecus à stabulis. Hinc transfertur ad
C significationem vulgò notam, vt sit quod Hispani dicunt *cobrar*; id enim est pecunias aut rem aliquam à debitore extrahere. Eadem mente significat eiicere: nam qui exigit pecus, eijcit illud ab eo loco. Vnde dicebant Romani ab exactis regibus, id est, à die quo iecti fuerunt, siue à regifugio. Eadem ratione dixit Terentius, *exigere Comœdias*, id est, eas explodere à Theatro, antequam spectarentur, vt est in prologo Andriæ. cuius verba obiter emendabimus.

Fauete, adeste æquo animo & rem cognoscite,
Vt pernoscatis, & quid spei sit reliquum,
Post hac quas faciet de integro Comœdias;
Spectandæ an exigendæ sint vobis prius

vbi lege: *vt pernoscat is----*

D vt τὸ is ad Poëtam referatur, & sit sensus, vt pernoscat Poëta quid sibi à vobis expectari possit, an Comœdiæ, quas deinceps facturus sit, sint spectandæ à vobis & admittendæ, an priusquam spectentur, explodendæ & exibilandæ. Exigis ergo, id est, petis & quasi tuo iure flagitas à nobis togatam operam, id est, officia togatorum anteambulonum.

2 VIX *ego lecticam subsequor, ille feret.*] sup. epi. 36.

Per mediumque trahat me tua sella lutum.

vbi vide quæ à me adnotata sunt.

3 IN *turbam incideris.*] Iuuenal. sat. 3. vers. 243.

---- nobis properantibus obstat
Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro.
Alter at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox vndique magna

5 PLENA *Bassus ibat in rheda.*] Rhedam appellat etiam carrucam versu antepenult. *Plenaque rheda*, dixit propter res multas quas secum portabat. Vrbanè Iuuenalis Mathonis pinguedinem irrisit illis versibus, sat. 1.

Caussidici noua cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso.

4 OMNES *beati copias trahens ruris.*] Faceta irrisio cum ab vrbe in rus diuitis ruris traheret copias. Hanc sententiam expressit Symmachus lib. 1. epist. 5. his verbis. *Namque hic vsus in nostram venit ætatem, vt rus quod solebat alere, nunc alatur.* Idem dixit lib. 10. epig. 96. *Pascitur hic, ibi pascit ager.*

Et eodem lib. ep. 58.

Dum suburbani, dum iugera pascimus agri.

5 ET *vtrumque porrum.*] Sectiuum & capitatum, de quibus in xeniis epig. 17. & 18.

6 ILLIC *coronam pinguibus grauem turdis.*] De turdorum corona est epig. 51. in xeniis. Erant namque turdi in orbem dispositi, corona fortè è vimine facta: De hac eadem Ouidius lib. 1. Amorum vers. 269. *Quin etiam turdóque licet missáque corona,*
Te memorem dominæ testificere tuæ.

7 LEPOREMQVE *læsum Gallici canis dente.*] Leporarii canes gallici appellantur, vnde apud nos Hispanos *galgos* parum immutato nomine.

8 NONDVMQVE *victa lacteum faba porcum.*] Id est, procellum adhuc lactentem; qui nondum fabam gustauerat. *vincere* enim *fabam*, mandere est & dentibus frangere.

9 SED *nec cursor oua portabat.*] Cursores serui vocabantur, qui in itinere faciendo vel deambulando per vrbem, rhedam vel equos, pedites præcedebant in comitatu, quos Galli. *Laquayz*, & inde nos Hispani, *Lacaios*, vocamus. Suetonius in Nerone capit. 30. *Namquam carrucis minus mille iter fecisse traditur, soleis mularum argenteis:* (lego, *agentibus*) *canusinatis mulionibus, armilata & phalerata cum mazacum turba atque cursorum.* Et Seneca, epist. 87. cuius initium *naufragium. O quam cuperem* (inquit) *illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via diuitibus, cursores & Numidas.* & ep. 124. *Omnes iam sic peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen cursorum antecedat.* & Petron. in satyr. *hinc inuolutus coccina gausapa lecticæ impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor, &c.*

10 ROMAM *petebat Bassus.*] Affigenda est hic interrogationis nota. Poterat enim videri Bassus hoc ruris apparatu Romam ire. Respondet per paradoxon, immo rus ibat.

De Ollo. XLVIII.

Pauperis exstruxit cellā, sed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

DOMITIVS.

PAVPERIS] Ollus vt ædificaret, empta cella pauperis extructis ædibus pauper factus est. Mart. ait eum nunc habere cellam pauperis.

NVNC *cellam pauperis habet*] Quia prædia vendidit ipse iam pauper.

RAMIR. DE PRADO.

Faceta est Olli cuiusdam irrisio, qui cum domum ædificaret, per miôsin ironicōs se pauperis cellam exstruere subinde dicebat lætabundus, quòd magni-
A ficas ædes & mollissimam habitationem fabrefaceret. Non potuit autem opus perficere, nisi venditis prædiis, quibus alebatur: remansitque elegantissima ædificata domo, & destitutus omni re familiari: cúmque in ea domo deinceps habitaret, verè pauperis cellam habere dicit Poëta, cum antea ipse id per iocum prædicaret. Est autem iocus desumtus à metaphora ad proprietatem verbi, vt sup. lib. 1. ep. 85. de Quirinali:

Paterfamilias verus est Quirinalis.

Sic hoc loco Ollus, qui per miosin dicebat se pauperis cellam quamdam exstruere, nunc cum in eadem cella factus pauper habitet, verè pauperis cellam habet.

In inuitatorem. XLIX.

B *Veientana mihi misces, tibi Massica potas:*
Olfacere hæc malo pocula, quàm bibere.

DOMITIVS.

VEIENTANA] Hic queis inuitauerat miscebat conuiuis Veientana, & ipse Massica potabat.

OLFACERE] Malo olfacere in mensa tua quàm bibere.

RAMIR. DE PRADO.

Perstringit impudicum inuitatorem, qui diuersa vina ponebat, preciosa sibi, meram fecem conuiuis: tantumque hæc duo vina inter se distabant, vt dicat se malle inuitatoris pocula olfacere, quàm siccare sua.

C 1 VEIENTANA *mihi misces*] de verbo *miscendi* affatim dictum est sup. epig. 1. lib. 2.

2 TIBI *Massica potas.*] Suspectus mihi locus de mendo. Non enim subolet Martialis phrasim, *potas tibi Massica*, libenter emendarem, *tibi Massica ponis.* Nam ponere vina & obsonia tritissimum est, vt dixi ad lib. 1. epi. 44 Præterea confirmat meam cóiecturam id quod sequitur: Quî enim poterat pocula iā ab inuitatore exhausta olfacere, posita sic poterat? Sed tamen à veteribus membranis destituti Hispani assensum cohibere in his cogimur.

2 OLFACERE *hæc malo pocula quam bibere.*] Neque hunc locum existimo incorruptum: *Bibere* enim *hæc pocula* non memini me apud Latinos legisse. Deinde de poculis eius, qui cum loquitur, non dixisset Martialis hæc pocula, sed ista pocula. Ego libenter emendarem, *hic*, ex quo Aduerbio facilè potuit librarius falli vt scriberet, *hæc.* Nam veteres id per diphthongum *ei* scribebant, *heic*, & ex similibus
D literarum antiquarum ductibus fieri potuit, *hæc.* si sic legeris, planus erit sensus. mālo hîc, id est, apud te, ad tuam mensam olfacere pocula, quam bibere Veientanum vinum.

In Ligurinum. L.

Hæc tibi non alia est ad cœnam caussa vocandi,
Versiculos recites vt, Ligurine, tuos.
Deposui soleas, affertur protinus, ingens
Inter lactucas, oxygarúmque liber.

Alter perlegitur, dum fercula prima morantur.
Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.
Et quartum recitas, & quinctum denique librum.
Putidus est toties, si mihi ponis aprum.
Quod si nō scōbris scelerata poemata dones: *cum scombris.
Cœnabis solus iam, Ligurine, domi.

DOMITIVS.

HAEC] Ad Ligurinum, de quo supra, qui inuitabat, vt tantùm recitaret carmina sua.

ORIGANVM] Herba est, quæ post vicesimum diem pullulat: initio mensæ dabatur.

MORANTVR] Feruntur.

SECVNDA *mensa*] id est nondum secunda mensa venit: & tertius liber recitatur, iocatur eum secundo.

APRVM] Si toties apponis mihi aprum, ego fastidirem.

EST *putidus*] Putidum putabo.

SCOMBRI] Pisces erant sulfurei coloris: ex Hispania præsertim mittebantur cucullo papyraceo.

SCELERATA] Quia molesta.

GEORGIVS.

DEPOSVI *soleas*] &c. Hic ignorans quid esset oxygarum, dixit, & interpretatus est origanum, nec animaduerterit quantitatem syllabę Nam origanum Græca est dictio, corripitque primam, & secundam producit, vt apud Nicandrum legimus, cuius versus de theriacis subijciam, ἠὲ σὺ ἡρακλείου ὀρίγανον ἀμφιτάμνων· σὺν δ᾽ ἄγου πηλίου ὀρείγανον, αἶψα Σύμβρης. Oxygarum verò acutum garum, hoc est ex aceto confectum, interpretamur, & in principio mensæ apponi solebat: vt apud Athenæum legitur.

RAMIR. DE PRADO.

Iam sup. epi. 44. & 45. explicatum est huius argumentum. Hic Ligurinus nullam aliam ob caussam conuiuas cogebat apud se, quam vt recitaret, cui minatur forè vt solus cœnet domi.

1 DEPOSVI *soleas.*] Cœnaturi ante accubitum excalceabantur, ne scilicet stragula lecti luto calceorum conspurcarent. Terentius in Heautontimorumeno Act. 1. scen. 1.

Adcurrunt serui, soccos detrahunt: video alios festinare, lectos sternere, cenam adparare. à balneo autem cum ad cœnam pergerent, soleas aptabant pedibus, quas deponebant cœnaturi: Eas autem asseruabant seruuli à pedibus stantes vt lib. 12. epig. 89.

Bis Cotta soleas perdidisse questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

& lib. 14. ep. 65.

Defuerit si fortè puer soleásque libebit
Sumere, pro puero proderis ipse tibi.

Et lib. 8. ep. 59.

Si nihil inuasit puerum, tunc arte dolosa
Circuit, & soleas surripit ipse suas.

Exire autem soleatos è balneo probat epig. 84. li. 12.

Colliget & referet lapsum de puluere follem,
Et si iam lotus, iam soleatus erit.

Nam etiam in thermis vbi lauabantur, exercebantur etiam pila, vt lib. 14. epig. 163.

Redde pilam; sonat æs thermarum. ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum?

A Et Papin. lib. 1. siluar. in poëmate cui lemma Balneum Etrusci.

Quid nunc strata solo referam tabulata? crepantis
Auditura pilas vbi languidus ignis inerrat,
Aedibus & tenuem voluunt hypocausta vaporem?

Erat autem insolens negotium post lauationem aptatis soleis iterum ludere: nam lusus pilæ erat ante lauationem lib. 7. ep. 31.

Non pila, non follis, non tè paganica thermis
Praparat.

Et dicemus ad lib. 4. epig. 8. Sic Petron. Trimalcionem illum lautissimum senem describit omnia insolenter, & præter hominum morem facientem, & inter alia soleatum pila ludere dicit, id est, post lotionem his verbis: *Nec iam pueri nos, quanquam erat operapretium, ad spectaculum duxerant, quam ipse paterfamilias qui soleatus pila sparsim exercebatur.*

2 INTER *lactucas oxygarúmque liber.*] Inchoari B cenam lactucis præter antiquissimum morem, quo cenam claudebant, testimonio est epig. 14. lib. 13.

Claudere qua cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Et quod Martialis de lactucis singulatim edidit, de omnibus acetariis etiam intelligendum est, quas mēsas frigidas appellabant. Plutar. 8. sympos. 9. *Mensa frigida vocata, quòd antè ostrea olus crudum habent, vt dixit Plato, à cauda ad os translato prò vltimo ordinem habent.* Hunc autem præposterum ordinem taxat Seneca more suo epist. 115. his verbis: *Deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex nouitate & soliti ordinis commutatione capiatur, vt ea qua claudere solent, cena prima portantur, vt qua aduenientibus dabantur, exeuntibus dentur. Cum assueuit animus fastidire qua ex more sunt, & illi pro sordidis solita* C *sunt.* Quem locum Senecæ si animaduertisset doctissimus Mercurialis, non asseruisset lib. 4. variarum, cap. 11. hanc immutationem cœpisse Plutarchi tempore & Martialis: cum Seneca ambos ætate præcesserit.

3 PVTIDVS *est toties si mihi iungis aprum.*] id est, putidus erit mihi aper, si toties apponatur, quoties tu librum recitas. Est autem auxesis propter aprum, qui erat in antiquis delicijs. Iuuenal. sat. 1. vers. 139.

——*sed quis feret istas*
Luxuria sordes? quanta est gula, qua sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

De verbo *ponendi*, ad lib. 1. ep. 44. diximus latè.

4 QVOD *si non scombris scelerata poëmata dones.*] Persius sat. 1.

Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus.

D 5 COENABIS *solus iam Ligurine domi.*] Cœnabis, inquit, domi solus, vbi magister conuiuii hoc tibi sumis, vt recitando eneces conuiuas: soli .n. inuitatores domi suæ poterant conuiuis recitare, non autem in domo aliena. Videor hunc morem confirmare posse ex hoc loco & etiam ex aliis adductis, sup. ep. 45. ad illud, *Tace.* & ex eod. ep. cum dicat de mensa Ligurini.

——*fugimus nos Ligurine tuam.*

Non fugituri alienam te præsente, quod ibi non recitares. Sic Persius sat. 1. de diuite recitationis gratia cogente conuiuas, *cum rancidulum quid balba de naro locutus*, inquit,

Assensere viri, nunc non cinis ille Poëta
Felix. non leuior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant conuiua.

Et paulò inferius de eodem diuite pauperculum laudatorem ad cœnam vocante, & lacernula subornante ait:

——calidum

~~Bi~~ *calidum scis ponere sumen.*
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et verum inquis, amo, verum mihi dicite de me.

Ad Gallam. LI.

Cùm faciẽ laudo, cùm miror crura manusq;
Dicere Galla soles, nuda placebo magis.
Et semper vitas communia balnea nobis,
Nũquid Galla times, ne tibi non placeam?

DOMITIVS.

CVM] Galla formosa volebat videri, dicebátque se posse placere magis nudam, eius vanitatem redarguit Mart. vrbanitate.

RAMIR. DE PRADO.

Gallam quamdam vt fatuam deridet vel suggillat, vt mendacem & gloriosam, quæ cum faciem, crura manusque, quæ oculis patebant, laudaretur, nudam se magis placituram dicebat, sempérque communia balnea, vbi Martialis lauaretur, vitabat. ironicè interrogat Martialis numquid vereatur ne is ei displiceat.

1 ET *semper vitas communia balnea nobis.*] Mirabilis, si nostrorum temporum honestatem spectes, videbitur fœdus hic antiquorum mos, qui communia viris & fœminis balnea habebant, & nullo nuditatis pudore promiscuè lauabantur, lib. 7. ep. 34.

Sed nudi tecum iuuenésque senésque lauamur.

Loquiturque cum matrona. Res hæc digna visa est lege regi, vt ait Horatius. Plutarchus queritur turpissimum hunc morem Græcos à Romanis accepisse in vita M. Catonis. Dio lib. 49. Agrippam primum Romæ publica balnea exhibuisse communia viris & fœminis scribit: Sapientissimus Imperator Hadrianus conatus hanc consuetudinem tollere, vt Dio testis est, & etiam Ælius Spartianus in eius vita. *Lauacra*, inquit, *pro sexibus separauit.* Sed vel non obtinuit, vel non diu, lex Hadriani: Nam M. Anton. Philosophus de eadem re legem tulit & lauacra mixta submouit, auctore Iulio Capitolino, quæ lex seruata vsque ad Heliogabalum, qui eam sustulit: quam retulit Alexander Seuerus: vtrumque Ælius Lampridius in eius vita testatur. *Balnea*, inquit, *mixta Romæ exhibere prohibuit, quod quidem iam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiserat.* Hæc vltima prohibitio spreta etiam adeo, vt & Christiani prisci eumdem morem vsurparent. nam in Constitutionibus, quæ Clementinæ dicuntur, cauetur, vt viri balneis virilibus, mulieribus mulieres vtantur, cap. 6. & 9. lib. 1. & Decretis Synodalibus obscœnus hic mos prohibitus, vt in Concilio Laodiceno Can. 30. & post illud Concilium promiscuè Clerici & monachi cum laicis simulque cum fœminis lauabantur. Lege quintam Synodum in Trullo, can. 77. vbi Balsamon, vt apparet, *post hanc Synodum*, inquit, *Clerici quidam & monachi & laici cum fœminis lauantur.* Iustinianus Imperator Nouel. 117. inter legitimas diuortii causas recenset, si mulier non impetrata à marito venia cum viris lauet: vt videas quàm pertinaciter durauerit fœdissimus ille mos.

2 NE *tibi non placeam.*] iustam habebat Martialis causam displicendi feminis, quod malè vasatus esset, vt diximus sup. ad lib. 1. epigr. 24. huc respexit hoc loco. Erat autem ineptum Gallam id timere,

A & non potius curiosè indagare, vt videret an sibi experiri expediret.

Ad Tongilianum. LII.

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
Abstulit hanc nimiùm casus in vrbe frequens.
Collatum est decies: rogo non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

DOMITIVS.

EMPTA] Tongilianus ducentis nummis emptam
B domum amiserat incendio, mos erat apud Romanos, vt vrbis damno affectus ob aliquod incendium pecuniam afferrent, nunc Tongilianus decies centena acceperat, cùm tantùm ducenta amisisset in domo cremata: nonnulli domos comburebant, vt collata pecunia plus aliquid lucrarentur. Iuuenalis.

——— & merito iam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.

CASVS *nimium frequens*] i. incendium, quòd sæpe accidit in vrbe.

COLLATVM *decies*] Quia habes decies centena.

RAMIR. DE PRADO.

Tongilianus domum emerat millibus ducentis sestertium, quæ cum igni esset absumta amici eius certatim, veluti symbolas contulerunt, vt ædificationem adiuuarent. Ex quibus summa ingens accre-
C uit Tongiliano, id est, decies sestertium. Argutè Poëta non iniuria ait posse videri Tongilianum incendisse suam domum, vt eam pecuniæ summam lucraretur. Est eadem sententia, sed amplificata apud Iuuenal. sat. 3. de Asturicio quodam, quam sic concludit.

——— & merito iam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.

Vter autem ab vtro sumserit, cum eodem tempore floruerit vterque, incertum mihi.

1 CASVS *in vrbe frequens.*] frequentia fuisse Romæ incendia, constat ex toto epigrammate ad Vulcanum 7. lib. 5. & Iuuenalis idem ead. sat.

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, vt non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sæuæ
Vrbis, &c.

D
Ad Chloën. LIII.

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibusque cruribusque,
Et mammis, natibusque clunibusque:
Et, ne singula persequi laborem,
Tota te poteram, Chloë, carere.

DOMITIVS.

ET *vultu*] Pœnitet poëtam habuisse rem cum Chloë, cum tam malè dederit, aitq; melius sibi fuisse masturbari, quàm subagitare tale scortum.

TOTA *te poteram Chloe carere*] i. poteram masturbari melius.

T

RAMIR. DE PRADO.

Indignatio in Chloën, quæ singula sua membra subinde laudabat, séque pulchritudine cæteris feminis antecellere prædicabat, existimans Martialem eius amore vri. Eam se spernere testatur, cum dicat posse carere singulis illis tam laudatis membris, & ipsa tota.

Ad Gallam. LIV.

Cum dare non poßim, quod poscis Galla, rogantem:
Múltò simpliciùs, Galla, negare potes.

RAMIR. DE PRADO.

Detergit Gallæ fallaciam, quæ ne Poëtæ petenti & solicitanti daret, poscebat ea, quæ ipse præstare non poterat: hoc autem reapse negare erat, non simpliciter, sed artificio quodam: simplicius dicit potuisse negare.

1 MVLTO *simplicius*] de hoc nomine *simplicius*, dictum est, sup. ad lib. 1. epigr. 88.

In Gelliam. LV.

Quòd quacumque venis, Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa vitro:
Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.
Sic puto posse meum, sic bene olere canem.

DOMITIVS.

QVOD *quacúmque*] Gellia volebat videri bene olere multis vnguentis, cum alioqui esset turpis. Mart. inquit aliud exigitur à te, exigitur enim forma.

COSMVM] vnguentarium.

CINNAMA *fusa*] lapsa per terram.

NVGIS *peregrinis*] id est rebus fucosis externis.

SIC] eo pacto quo tu oles.

RAMIR. DE PRADO.

Gelliam nimium sibi placentem, quòd exoticis odoribus quacumque incedebat, omnium ad se cōuertebat oculos, monet ne sibi ob hoc placeat: nam quiuis canis hoc artificio potest bene olere.

1 COSMVM *migrare putamus.*] de Cosmo vnguentario multa apud hunc Poëtam mentio. Dixit autem per hyperbolen, *putare migrare Cosmum*, id est, quocumque tu vadis, deferri vnguētarias Cosmi arculas.

2 NOLO *peregrinis placeas tibi Gellia nugis.*] peregrinis dixit, *id est*, à te externis, & tibi addititiis; nugas autem appellat vnguenta, quemadmodum omnia, quibus sine incommodo carere possumus: sic versus nugas vocat sæpè.

3 SIC *puto posse meum.*] lege,
Scis puto posse meum sic bene olere canem.

De cisterna Rauennate. LVI.

Sit cisterna mihi, quàm vinea, malo Rauēnæ:
Cùm poßim multo vendere pluris aquam.

DOMITIVS

SIT *cisterna*] Rauenna inter paludes condita laborabat penuria aquarum, copiam habebat vini: pluris aqua vendebatur, quàm vinum.

MALO] id est, magis opto.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma & subsequens, cauillum mordax in Rauennam continet, quæ cum in mediis paludibus aquoso nimium solo sita sit, mira est in ea siccitas potabilium aquarum; quia cum maris æstus augescente Luna eam vrbem alluat, tum salsedine sua, tum vligine soli & cœno, vicientur omninò aquæ. Quam rem graphicè depinxit Apollinaris Sidonius, ep. 5. lib. 1. & salse ep. 8. eiusd. libri de eadem Rauenna, *Sitiunt viui, natant sepulti.* & vsus est etiam alia Antithesi carmine nono:

Vndosa petijt sitim Rauenna.

Mauult igitur Martialis cisternam sibi Rauennæ esse, quam vineam: cùm pluris ibi potabilis aqua quam vinum veniret.

De caupone. LVII.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Rauēnę:
Cùm peterem mixtum, vendidit ille merū.

DOMITIVS.

CALLIDVS *caupo*] venditor vini.

IMPOSVIT *mihi*] id est decepit me.

MISTVM *vinum*] id est, dilutum vinum, nam carior erat aqua. Lege Strab. de paludibus illis, & de vinetis.

RAMIR. DE PRADO.

Ab eadem siti Rauennate petitus est iocus. Callidus enim caupo poscenti Poëtæ mixtum, merum vendidit, quòd aqua ibi pluris fieret quàm vinum.

De villa Faustini, ad Bassam. LVIII.

Baiana nostri villa, Basse Faustini
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduáque platano, tonsilique buxeto
Ingrata lati spatia detinet campi:
Sed rure vero, barbaróque lætatur.
Hîc farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa flagrat testa senibus autumnis.
Hîc post Nouembres, imminēte iam bruma,
Seras putator horridus refert vuas,
Truces in alta valle mugiunt tauri,
Vitulúsque inermi fronte prurit in pugnā.* *ad pugnam
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeique pauones,
**Noménq; debet quæ rubentibus pennis,* *Phœnicopterus.

Et picta perdix, Numidicæque guttatæ,
Et impiorum phasiana Colchorum.
Rhodias superbi fœminas" premunt galli, ('v. produnt)
Sonántque turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cæreus turtur.
Auidi sequuntur villicæ sinum porci,
Matrémque plenam mollis agnus exspectat.
Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares sylua.
Non segnis albo pallet otio caupo:
Nec perdit oleum lubricus palæstrita.
Sed tendit auidus rete subdolum turdis,
Tremuláue captum linea trahit piscem,
Aut impeditam caßibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus" vmbellas, ('v. Vrbanos.)
Et pædagogo non iubente lasciui
" Parêre gaudent villico capillati,
Et delicatus opere fruitur eunuchus:
" Nec venit inanis rusticus salutator.
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metámque lactis, Saßinate de sylua.
Somniculosos ille porrigit glires,
Hic vagientem matris hispidæ fœtum,
Alius coactos non amare capones.
Et ' dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.
Facto vocatur lætus opere vicinus,
Nec auara seruat crastinas dapes mensa,
Vescuntur omnes, ebrióque non nouit
Satur minister inuidere conuiuæ.
At tu sub vrbe poßides famem mundam,
Et turre ab alta prospicis" meras laurus, ('v. moros.)
Furémque Priapo non timente securus
Et vinitorem farre pascis vrbano,
Pictámque portas otiosus ad villam
Olus, oua, pullos, poma, caseum, mustum.
Rus hoc vocari debet, an domus " longè.

'Parere, nempe in submittendo capillitio: id quod adultior ætas factitabat, vt Douzæ meo assentior, quòd affinis sit locus infrà lib. 12. Epig. 18 101. Dispensat pueris, &c.

'v. Non.

'Douza legit, Oua, sic alibi, Raucæ cortis aues, & oua matrum. Sic Iuuenal. Oua adsunt ipsis cum matribus.

'forrasse longa' et ad copiam rerum, quas suppeditabat, referatur.

DOMITIVS.

BAIANA] Villam emerat Faustinus, in qua rerum rusticarum nulla copia desiderabatur: nam omnia affluebant. Inuidiosè poëta singula munera cōmemorat, vt tanto magis villam Baßi derideat, in qua nihil præter arbores steriles, & amœnas visebatur, adeò vt quoties in villam se conferret Bassus, quę à rure essent petenda, illuc afferret, derisus est superiore epigrammate.

BAIANA] Domus rusticana ad Baias.

OTIOSIS *myrtetis*] i. sterilibus, vel otiosis ad otium, id est, requiem comparatis.

PLATANO *vidua*] i. sterili sine fructu. Platani erant in vsu apud Romanos, vel in villa, vel in hortis vrbanis, ad vmbras inambulationum, quem vsum

A docuerunt Athenæ. Illic enim primùm visæ sunt platani, xxxvij. cubitorum vmbris luxurientes in philosophorum otio. Propterea Iuuenalis cùm de recitatione poëmatum loqueretur ait:

Frontonis platani, conuulsóque marmora clamant:

Quoniam, vt suprà dictum est, earum arborum vmbræ ad otium literarum primùm sunt inuentæ.

BVXVS] In delitias venerat Romanorum: adeò tonsis folijs, vt in varias animalium formas redigeretur, propterea appellatur tonsilis.

INGRATA] Sterilia.

SPATIA] Solum latum, & amplum: sensus est, Villa Faustini non est ordinata, vt occupet magnum spatium sola amœnitate.

VERO *rure*] id est, vera rusticitate.

BARBARO] Inculto, horrido.

HIC] In villa Faustini.

FARTA *Ceres*] id est, congesta.

B FRAGRAT] bene olet.

TESTA] Antiqui seruabant vuas, & fructus in testis, vt Plinius, Var. & Columella scribunt.

AVTVMNIS *senibus*] Maturis fructibus.

PVTATOR] Vitium.

SERAS] Tardas. id est, vuas duracinas, & serotinas, quia serò maturescunt.

IMMINENTE *bruma*] id est, incipiente hyeme.

PRVRIT] Ardet in pugnam.

FRONTE *inermi*] Nondum cornutus.

CORTIS] Cors, vel coors est spatiū illud domi vbi seruátur altilia, tamē hoc pro parte domus profertur per syncopam. Var. neutrum profert figuratum.

ANSER *argutus*] Clangore, quod epitheton meruit excitatis vigilibus Capitolij: anser autem in corte seruabatur ob iecur, nam vt alij Scipio, vt alij Metellus, vt nonnulli M. Sellius primus docuit iecur

C anseris optimi esse saporis.

GEMMEI *pauones*] i. picti in speciem gemmarum, quos gratos esse dixit Horat.

Quoniam multo vanierant auro,
Et picta pandunt spectacula cauda:

Deridens vanitatem gulæ Romanæ.

DEDIT *nomen*] i. quæ sortita est nomen à pennis rubentibus, auis hæc est phœnicopterus, nam φοινίκ- πτερος Latinè significat purpuram, & alam, habet enim alas purpureas. huius linguam esse gratissimi saporis & cibi, primus ostendit Apitius: à Celso inter mediocres aues numeratur.

PERDIX *picta*] Maculis distincta.

NVMIDICÆQVE *gutta*] i. gallinæ Numidicæ guttatæ, de quibus Papin.

Quas vdo Numida legunt sub Austro. In distichis.
Ansere Romano quamuis satur Annibal esset,
Ipse suas numquam barbarus edit aues.

D Illud dicitur, quoniam hæ aues in Cannas fuerant assumptæ nouissimis temporibus: eædem dicuntur Meleagrides, si Plin. credimus, sed Colu. distinguit, aitque Numidicas habere cristam rubram, Meleagrides cæruleam, cum dicitur Afra auis hæc intelligitur. Iuue. sat. 11. *Nec latus Afra nouit noster tirunculus,* Horat. *Non Afra auis, non attagen Ionicus.* Erant autem gallinæ hæ guttis distinctæ.

COLCHORVM] Colchi patria Medeæ, propterea impij dicuntur impietate Medeæ.

PHASIANA] Phasiani à Phasi fluuio Colchorū.

RHODIAS *fœminas*] Gallinæ Rhodiæ præstantiores aliis habebantur.

GALLI *premunt*] Calcant: peristereones, i. turres columbarum.

GEMIT] Gemere propriè columbi est.

TVRTVR *cereus*] i. pinguis.
PORCI *auidi*] Esurientis.
VILLICÆ] Mulieris.
PLENAM] Plenis vberibus redundantem lacte.
LVTEI] Sordidi.
LARGA *sylua*] Copia lignorum.
LVCET] Ardet, conijcitur in focum.
ALBO *otio*] Sine labore & controuersia, vel albo ab effectu, quia reddit hominem album curis: vt suprà, *Viuat in vrbanis albus & officijs.*
PALÆSTRITA] Palæstritæ erant qui ludebant palæstra, & vngebantur, & habebantur in familia.
NEC *perdit oleum*] Aliquid agit.
SVBDOLVM *rete*] i. dolosum, quia retia ad dolum tenduntur.
AVIDIS *turdis*] Cupidis ciborum, vt intelligat eos falli esca.
TRAHIT *piscem*] Linea, filo, & hamo, nam ea dicuntur linea & lineosa.
CASSIS] Galea, sed hoc loco instrumentum lineum, quo feræ capiuntur.
IMPEDITAM] i. captis pedibus.
FACILIS] Non magni laboris, & curæ.
HILARES] Amœnas.
PÆDAGOGO] i. non indigentes pædagogo, vt vrbani pueri.
EVNVCHVS] Qui item erat in familia delicatus.
FRVITVR *opere*] Aliquid agit etiam ipse.
INANIS] Sine muneribus, vt in vrbe.
CANA *mella*] Albentia.
CVM *ceris*] Cum fauo.
METAMQVE *lactis*] i. lac coagulatum in recentem caseum.
SASSINATE] Sassina patria Plauti lacte abundabat. Silius: ——*Sassina dives lactis.*
SYLVA *Sassinate*] Id est, è pascuis Sassinæ.
GLIRES] Dormiendo crescunt.
HISPIDÆ *matris*] i. hœdum filium capellæ.
CAPONES *non amare coactos*] i. castratos.
TEXTO *vimine*] canistro: alij legũt, *Texto vimineo.*
GRANDES *virgines*] Adultæ.
PROBORVM] Simplicium.
DONA *matrum*] Verbum est rusticanæ puellæ, quæ munera matris semper affert, placet magis exponas oua gallinarũ, vt etiã alibi apud hunc poëtam.
FACTO *opere latus*] nã gestire facto opere, rustici est.
CRASTINAS *mensas*] Contrà illud:
Explicat & cœnas vnica mensa duas.
OMNES *vescuntur*] Non reiectis seruis, vt in vrbe fit, quod laudat etiam in Saturnal. Domit. Papin.
Vna vescitur omnis ordo mensa.
MINISTER *satur*] Hic in villa.
NON *nouis inuidere*] Quoniam & ipse satur est. Iuuen. de seruo in vrbe.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem.
ADDE] Ad hoc spectant, quæ suprà dicta sunt.
FAMEM] villam sterilem.
MVNDAM] Lautam, & amœnam.
LAVRVS *meras*] i. solas lauros esse sine fructu.
FVREM] Quia nihil est quod eripi possit.
VINITOREM] Villicum: noluit dicere villicum quia villa non erat.
FARRE *urbano*] Allato ex vrbe.
OTIOSVS] Relaxatus curis.
PICTAM] Non naturalem.

RAMIR. DE PRADO.

Luculentam continet hoc epigramma Faustinæ villæ descriptionem, in qua omnia erant ad fructum A & vtilitatem comparata: quæ villa cõfertur cum facili Bassi suburbano, in quem Bassum est ep. 97.

1 NON *otiosis ordinata myrtetis.*] id est, non dispositis in ordinem myrtis. *otiosis*, id est quæ nullum fructum ferant.

2 VIDVAQVE *platano*] id est, infructuosa: sumta metaphora à viduis fœminis, quæ nõ gignũt liberos.

3 TONSILIQVE *buxeto.*] tonderi arbores aliquas applicitas lignis vel cannis hodiéque videmus, & in varias formas coaptari. Plin. lib. 12. cap. 2. hanc artem primum Cn. Manlium Equitem Romanum inuenisse testatur.

4 INGRATA *lati spatia detinet campi.*] ingrata, id est, sterilia, quæ nihil reddunt domino, more ingratorum hominum. sic intellige in vita beata, lib. 10. ep. 47. --- *Non ingratus ager.*
Gratus enim est, qui non solum quæ accepit, sed etiam maiora reddit. qua comparatione elegantissima vsus est Cic. 1. officiorum his verbis: *Quod si ea quæ* B *acceperis vtẽda maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus. Quidnam beneficio prouocati facere debemus, an non imitari agros fertiles qui multo plus afferunt quàm acceperunt?* & Ouid. lib. 1. de remedio amoris, vers. 174.

Obrue versata Cerealia semina terra,
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.

Et lib. 1. de arte amandi, vers. 513.

Credita non semper sulci cum fœnore reddunt.

5 SED *rure vero barbaróque lætatur.*] Rus verum illud est, quod ad fructus percipiendos colitur: nam si in rus aliqua ex hortorum delicijs transferuntur, non ruris ea censenda sunt: ideò adiungit barbaro, id est, non ad ordinem & ad decussim exacto, arboribus & arbustis hortensibus proportione sibi inuicem respondentibus.

C 6 HIC *farta premitur angulo Ceres omni.*] id est, omnia domus cubicula ingentibus aceruis frugum sunt occupata. *fartam Cererem* dixit per metonymiã, id est, abundantes fruges.

7 ET *multa flagrat testa senibus Autumnis.*] id est, cella vinaria plena est amphoris veteris vini: nam quamuis testa quoduis vas fictile significet, absolute sumtum hoc nomen vinarium vas significat, vt lib. 1. epigr. de vino Nomentano vetustate domito:

Et quicquid voluit testa vocatur anus.

Vt autem ibi vocauit testam anum: si hoc loco autumnos appellat senes. id est, vetustam autumnitatem vini.

8 HIC *post Nouembres,* &c.] de seris vuis dictum est, sup. ad ep. 44. l. 1.

9 VITVLVSQVE *inermi fronte prurit in pugnam.*] D molli fronte dixit, lib. 6. ep. 38. turgidam dixit frontẽ Hor. li. 3. car. od. 13. *Cui* (hædo) *frons turgida cornibus*
Primis, & Venerem, & prælia destinat
Frustra: quæ verba noster respexisse videtur,
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.

10 VAGATVR *omnis turba sordida cortis*] periphrases gallinarum, anserum & aliarum auium circuriũ, quas appellat lib. 7. epig. 30. *rauca cortis aues.*

11 ARGVTVS *anser.*] argutum anserem vocat: quia semper strepat, gratitet & clangat stridulæ voce & alarum motu. Cycnos etiam hoc Epitheto ornauit Virgilius in Mœri, ecloga 9.

Sed argutos inter strepere anser olores.

12 GEMMEIQVE *pauones.*] id est, alis gemmantibus, vt lib. 13. epig. 70.

Miraris, quoties gemmantes explicat alas;
Et potes hunc sæuo tradere dure coco?

13 NOMENQVE *debet quæ rubentibus pennis.*]

periphrasis est Phœnicopteri, de quo lib. 13. ep. 71.

Dat mihi penna rubens nomen, &c.

14 NVMIDICÆQVE *guttata*.] Gallinas intelxit Numidicas, quæ maculis distinctas habent plumas, tanquam guttis, de quibus est epigram. 73. lib. 13.

15 RHODIAS *superbi feminas premunt galli*.] Gallinas Rhodias in pretio habebant Romani.

16 CEREVS *turtur*.] id est, pinguis, vt interpretantur Grammatici omnes: nam ex pinguedine apparet pallidus ille color, ceræ colorem referens, quem colorem statim epig. 60. aureum vocat:

Aureus immodicis turtur te clunibus implet.

Et de pallore est epig. 55. lib. 9.

Si mihi Picena turdus palleret oliua.

Ceream etiam ficedulam appellat lib. 13. epig. 5.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

Vbi seipse explicat, cum appellat ficedulam ceream: & illis verbis, *patulo lumbo* pinguem esse demonstret patulus namque lumbus est extentus & obesus, vt dicto ep. 60. dixit, *immodicis clunibus*. Hinc miror doctissimum Mercurialẽ var. lect. lib. 5. cap. 7. mirari Grammaticos, qui pro cereo intelligant pinguem: rectè enim illi metonymicῶς interpretantur; cum ex pinguedine consequatur cereus ille color, quamuis eodem cap. acutissime Cornelij Celsi locum, lib. & cap. 7. de oculorum suffusionibus emẽdet. Est locus: *Si suffusioni color ceruleus est aut auro similis; si labat & hac atque illac mouetur, vix vnquam succurritur*. vbi loco *cerulei coloris*, *cereum* reponit, & meritò ex sup. dictis locis. Ducitur etiam hoc argumento, quod Paulus Ægineta suffusiones ceruleas curabiles dicat, cuperem vt diligentissimus Mercurialis incurabiles ostenderet cereas vel aureas, quod neglexit.

17 AVIDI *sequuntur villicæ sinum porci*.] Non malè emendauerat olim Robertus Titius, lib. 2. locorum controuersorum, cap. 12. *sonum*, id enim & experientia & multorum authoritate cõfirmatur, porcos sonum agnoscere & sequi: sed nescio quid argutius videre videor, in prisca lectione: villicam namque, quæ vel hordeum, vel alias fruges sinu gestabat, ad pascendos porcos, sequebantur auidi ipsi, ita vt oneratum sinum frugibus agnoscerent.

18 MATREMQVE *plenam mollis agnus expectat*.] id est, agni sepositi & à matribus diuulsi, dum ipsæ pascuntur, eas expectant ad sugendum, dum ferentes vbera lacte distenta reuertantur à pascuis ad septa. De capris idem dixit Virgil. eclog. 4. versu 21.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Vbera.

19 CINGVNT *serum lactei focum vernæ, Et larga festos lucet ad lares silua*.] De Vernis focum corona cingentibus, & de proxima silua in focum descendente, diximus sup. lib. 1. ep. 56. Sed quid caupo erat in villa? neminem video hîc nodum quæsiuisse, nec ego quærerem in scirpo, sed dubito non iniuria: nam caupones in oppidis semper, sic solue nodum. Caupones plerúmq; seruierant, qui dominorum vinum vendebant, hi institores habebant, qui vinum vel per theatra, vel per vicos ferebant vænum. patet hoc ex lectione earum legum, quæ congestæ sunt in titulum Nautæ, Caupon. stabularii in Pandectis. In villis autem viatorum caussa villarum domini propter quæstum cauponam constituebant, in qua vini & obsonia præbebantur viatoribus pretio, & hospitium item iis dabatur, vt constat ex L. nauta 5. eod. tit. *Caupo mercedem accipit, vt viatores manere in caupona patiatur*. Paulò ante Caius IC. in L. 2. eiusdem

A tituli Cauponum viatorum meminit his verbis: *Sicut & caupo viatorum*. & Vlp. in L. vn. §. vlt. ff. furti aduersus naut. Caupon. & stabular. *Cumque non adeò in villis Caupona frequentaretur, vt in oppidis. otiosus maiorem diei partem debere: esse Caupo Faustiniana villa*. Occupat per prolepsin Martialis, & ait Cauponem non pallere otio, sed aucupio, piscatui, & venatui operam dare.

20 NEC *perdit oleum lubricus Palæstrita*.] Palæstritæ serui erant, qui in palæstra oleum, puluerem, & ceroma luctaturis suppeditabant, ipsique aliquando luctabantur: in hac autem villa amplissima illa familia, quæ necessaria erat ad eam colẽdam, palæstram habebat & palæstritam. Hic autem non vt in publicis palæstris totũ diẽ occupari debebat in eo ministerio: ne igitur otiosus langueret iisdem exercitationibus quibus caupo occupabatur. De Palæstrita, ep. 82. inf.

Partitur agri glandulas palæstrites.

B 21 EXERCET *hilares facilis hortus vmbellas*] id est, hortus nullo artificio exquisito compositus, sed paratu facilis eo fine consitus est, vt possit hilares vmbras præbere recubantibus. Sed hic versus variè legitur. Alij enim, *facilis hortus* legunt. Alij, *facilis hortus arcus vmbras*: alij: *facilis hortus vrbanos*. Colineus excudit, *facilis hortus vmbras*. Ego libenter amplecterer lectionem illam, *vrbanos*. id est, hortus facilis exercet & occupat vrbanos, eos scilicet, qui ab vrbe in villam veniunt rusticaturi.

22 ET *pædagogo non iubente lasciui Parere gaudent villico capillati*.] Perspicuum locum obscurarunt interpretationes Iunij & Raderi. ille, *parere*, inquit, *in submittendo capillitio*, id quod adultior ætas factitabat, quod Duzę dicit placere. Raderus autem contrà sentit, *parere in resecando capillitio*, vt lib. 12. ep. 18.

Dispensat pueris, rogatque longos
Leuis ponere villicus capillos.

C Vt villicus ille nouacula lęuis factus vellet pueros sui similes esse. Sed hæc interpretatio vtriq; loco inepta est: Nam in hoc non rogabat villicus pueros, vt ponerent capillos; sed ipsos rogabat dominum, vt liceret sibi supponere. Dicit enim Poëta se habere villicum, qui dispensaret ceteris pueris, & ipse leuis erat & capillatus, quamuis villicus factus vir videri volebat, & subinde rogabat, vt liceret sibi deponere comam. Erat enim hoc præpropera cinædorum festinatio, quod inuiti præstabant domini. Vtrumquę disce ex appositissimo, epig. 86. lib. 12.

Nolueram Polytime tuos violare capillos,
Sed iuuat hoc precibus me tribuisse tuis.

Et ex ep. sup. adducto 49. lib. 5.

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos
Encolpus, domino nec prohibente tamen,
D *Permisit fleuitque pudens.*

At verò cum noua nupta domum ducebatur, primo die capillatos mariti pueros tondebat, vt li. 11. ep. 79.

Flammea texuntur sponsæ, iam virgo parata est;
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Et Catullus in Epithalamio:

Sordebant tibi villicæ
Concubine hodie, heriquæ
Nunc tuum cinerarius
Tondet os

Tonsio enim in pueris, signum erat ẽmeritæ libidinosæ militiæ; quod iam pubertatem ingrederentur, sup. ep. 32. lib. 1. de Eucolpo,

Vtque his longum dominus quo puerque fruatur
Muneribus, tonsum fac cito fero virum.

Et in epigrammate huic gemino 44. lib. 5.

Sed tu nec propera, breuibus nec crede capillis.

Tardaque pro tanto munere barba veni.

Itaque hic, qui iam grandiusculus erat, vt ceteris præponeretur, cupiebat deponere comam, & in eo epigr. narrat Poëta rusticationem suam beatam, quã exercebat Bilbili, habebaturque in optatis puer grandis & leuis, vt sup. lib. 2. ep. 48.

Et grandem puerum diuque leuem.

Præsertim rusticantibus, qui pueros cupiebant, quã valentes ad ministeria, quã molles ad delitias. Neutri itaque fuit locus intellectus. Hic autem, quem vrgemus, planissimum habet, vt dixit, sensum. capillati pueri qui domino in delitiis erant, soli pædagogo parebant ceteris seruis iniurij & procaces. Laudat igitur hanc villam ex omni parte bene constitutam, bene moratam: in qua lasciui illi pueri non cogente pædagogo villico in omnibus parerent. Capillatos autem intelligit hoc loco vel ingenuos pueros, vel seruulos habitos in delitiis, de quibus locus est, sup. lib. 10. ep. 62.

Ludimagister parce simplici turbæ
Sic te frequentes audiant capillati.

Et diximus ad lib. 2. ep. 57. & de nomine *lasciui*, ad ep. 4. lib. 1.

23 Et *delicatus opere fruitur Eunuchus.*] id est, Eunuchus in deliciis habitus, & in vrbe delicate nutritus, aliorum exemplo excitatus opere delectatur, id enim significat verbum illud *frui*, vti scilicet aliqua re cum fructu & delectatione. Sic apud Iuuenalem, sat. 1. versu 49.

Excubat Octauia, Marius bibit, & fruitur dijs Iratis.

Id est, cum voluptate summa comessationibus indulget, propter exilium, illamque Deorum iram, quæ Solum vertere eum coëgerat, conuertit ipse in suas voluptates.

24 Nec *venit inanis rusticus salutator.*] Melius in Codice vetusto, *non venit*, cum non sit coniuncta cum superiori sententia, sed diuersa. Vocat autem salutatorem rusticum vicinum, ex alia villa aut oppidulo, qui officij gratia ad Faustinum salutandum veniebat. non autem inanis, vt ambitiosi illi vrbani salutatores, sed adferens multa dona, eaque vtilia, mella, caseum, glires, hœdos, capones, & oua.

25 Facto *vocatur latus opere vicinus.*] Vocatur ad cœnam, vt lib. 1. ep. 50.

Venabitur vocatus, & veniet tibi
Conuiua clamatus prope.

Vbi vide quæ notauimus.

26 Nec *auara seruat crastinas dapes mensa.*] Crastinas dapes, id est, crastino & sequenti die iterum apponendas, vt eadem fercula duas explicent cœnas, vt vidisti sup. ad lib. 1. ep. 100. & 104.

27 Vescuntur *omnes ebrióque non nouit Satur minister inuidere conuiuæ.*] Inuidet minister conuiuæ, quando ipse iis, quæ apponuntur, non vescitur, aut non ita largè bibit, sed in hac villa cum non seruentur dapes in crastinum conuiuium, mensarum reliquiis affatim saturantur ministri, & largis potionibus inebriantur, ita vt ebrio conuiuæ non inuideant. sic sup. optat esse sibi saturum vernam, lib. 2. ep. 9.

28 At *tu sub vrbe possides famem mundam.*] Id est, in suburbano tuo hortorum habes munditias, quæ famem gignant, non leuent.

29 Et *turre ab alta prospicis meras laurus.*] Aliàs, *moros, laurus*, sed malè: *meras laurus*, id est, solas nullis interpositis aliis arboribus fructuosis, vt fieri solebant in hortis.

30 Furemque *Priapo non timente securum.*] Irrisio est. nihil enim miserabilius rure, in quo non timentur fures. beatum illud, in quo & domino & fu-

A ri multa supersunt, vt de domo locuplete dixit Hor. ep. 6. l. 1. *Exilis domus est vbi non & multa supersunt,*
Et dominum fallunt, & prosunt furibus.

Priapum vero custodem esse Hortorum manifestum est. tenebat falcem & porrectum ab inguine palum, vt Horat. sat. 8. li. 1. --*Deus inde ego furum auiumq;*
Maxima formido. nam fures dextra coërcet,
Obscœnóque ruber porrectus ab inguine palus.

Et noster lib. 6. ep. 16. ad Priapum.

Tu qui pene viros terres & falce cinædos
Iugera sepositi pauca tuere loci.

31 Et *vinitorem farre pascis vrbano*, &c.] Breuiter perstringit, quæ latius de Basso villam petente dixerat, sup. epigr. 47.

32 Rus *hoc vocari debet an domus longè.*] Hæc dicta sunt de villa Bassi, quæ erat, vt dicit, picta, id est, summo disposita ordine, ad pascendos oculos, vt pictura, adeò vt videretur domus longè dissita ab vr-

B be, non rus. *domus longè* dixit, per hellenismum vt Propertius, lib. 1. eleg. 20.

Egressam longè Phasidos isse viam.

Viam longè, id est, τὴν πόῤῥω ὁδὸν, id est, longam viam. Sic domus longè, ὁ πόῤῥω οἶκος.

De sutore & fullone. LIX.

Sutor cerdo dedit tibi culta Bononia munus.
Fullo dedit Mutinæ, nunc vbi caupo dabit?

DOMITIVS.

Svtor] Cerdo dederat munus gladiatorium, quod suprà dixit poëta. Is erat Bononiensis, nunc Fullo Mutinensis dederat item munus gladiatoriũ,

C succensus Martial. clamat. Cerdo est quicunq; quærit lucrum ex aliqua arte: iccirco ait sutor. Iuuenal. *Munera nunc edunt.*

RAMIR. DE PRADO.

De hoc epigrammate iam dictum est, supra ep. 16. indignationem continet, quod libertini generis homines gladiatorum munus exhibeant, quod, vt ibi diximus, & censum & dignitatem edentis requirebant. Sutor Bononiæ, fullo Mutinæ. Scilicet restabat adhuc, vt Caupo vilissimus iam vbicumq; daret.

In Ponticum. LX.

Cùm vocor ad cœnam, non tã venalis, vt antè
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur:
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
D ** Sumitur inciso mytilus ore mihi.* * Al. Sugitur
Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos.
Res tibi cum rhombo est: at mihi cũ sparulo.
** Aureus immodicis turtur te clunibus implet* * alij: Coruus vt in præcedenti epigr.
Ponitur in cauea mortua pica mihi.
Cur sine te cœno, cùm tecum Pontice cœnem?
Sportula quod non est, prosit, edamus idẽ.

DOMITIVS.

Cvm vocor] Lata erat lex à Dom. vt sublatis sportulis amici ad rectam cœnam vocarentur, hac lege

coactus Ponticus iam non dabat sportulam Mart. A
sed inuitauit, apposuit autem ei vilissimos cibos, sibi optimos: conqueritur poëta fraudem fieri legi, cùm non detur sportula, dari cœnam à Pontico non meliorem sportula. cùm tamen legem tulerit imperator, vt melius cœnarent clientes, quam olim solebant acceptis sportulis.

NON *tam vanalis*] i. non conducendus sportula, vt antè.

EADEM *cœna*] i. ijdem cibi.

OSTREA *saturata Lucrino*] Ostrea in lacu Lucrino depasta optimum habebant saporem, quod docuit Sergius Orata, postea domita Britannia ex eo littore non inferioris saporis ostrea mittebantur, inde ait Iuuen. sat. 4. v. 140.

——Circeis nata forent an
Lucrinum ad saxum rutupinoue edita fundo.

MYTILVS] De genere polyporum est, hic non tantùm seruit gulæ, est enim nullius saporis, sed crassitudini gingiuarum, & alijs sordidis vlceribus medetur, author Plin. B

SVMITVR *mytilus*] i. comedo mytilum.

ORE *inciso*] Ac si haberem os incisum & vlceratum, vel

INCISO *ore*] i. os mihi sumenti inciditur ob testæ duriciem.

FVNGOS *suillos*] Nascebantur suilli vnà cum boletis in radicibus arborum, nullo sapore digni mensa.

RES *est cum rhombo*] Id est, tu comedis rhombos.

SPARVLVS] Piscis exiguus, & vilissimus.

CLVNIBVS *immodicis*] Obesis, & latis.

SINE *te*] Quod non licet per legem Domit. tu facis fraudem cœnæ. C

PROSIT *hoc*] i. hoc sit factum in vtilitatem clientum, nam voluit imperator, vt aliquid plus ederemus, & prohibuit dare sportulam.

GEORGIVS.

SVMITVR *inciso Mytilus ore mihi*] Adeò secum hæc pugnant, vt iam quoties de repugnãtibus exemplum proferendum sit ad Calderini commentarios recurramus. Polypos Arist. & Plin. inter mollia & sanguine carentia annumerant, quod verum est, & longè differunt ab ijs, quæ testa duriore integuntur, ergo si Mytilus de polyporum genere habetur, nonne absurdissimè exponitur inciso ore. i. os mihi sumenti inciditur ob testæ duriciem, quando vt supradicti scriptores tradunt nihil æquè aduersetur mollibus, quàm testæ duricies. Mytili meminit Hor. D
quem tradit comedendum ad tollenda fastidia stomachi hoc versu.

Mytilus & viles pellent obstantia concha:

Inuenio apud idoneos scriptores Græcos μύαξ dici eam concham, quam Mytilum Latini appellant, & est conchæ genus. De Mytilo in xxxij. natura hist. Plin. multa tradit, per quem vsum in medicina præstet. Sanè quo magis huiusmodi commentarij voluuntur, eo hebetioris ingenij homo ostenditur, nam si paulò diligentior, & accuratior fuisset, dixisset verbum traducere apud Latinos quid sit, & quomodo Græcè dicatur, nam plerumque per dictionem Græcam, Latina meliùs exprimitur, ergo quod Græcè παραδειγματίζειν dicitur, Latini interpretantur traducere: vnde in sacris literis habemus, Ioseph autem cùm esset vir bonus, & nollet eam traducere, hoc est nota & infamia afficere, & velut in exemplum proponere.

RAMIR. DE PRADO.

Eamdem inurbanitatem, quam reprehendit sup. lib. 1. ep. 21. & de qua lib. 6. ep. 11. hoc loco insectatur, & eos qui sibi optima, ceteris vilia & minuta ponebant. vt ait Plin. lib. 2. epigr. 6. Hoc autem epigrammate fraudem detegit potentiorum, qui post sublatas sportulas, hac strophe vtebantur vt vilissimis obsonijs pascerent conuiuas, pretiosa sibi solis apponentes, vt idem & forte minus impenderent in rectam cœnam, quam in sportulas impendebant.

1 CVM *vocer ad cœnam non tam venalis vt ante.*] Iam sup. diximus sportulam accepturos ad cœnam vocari, hoc lib. epigr. 7. legendum autem est

——non iam venalis vt antè.

Nam si legas; *non tam venalis*, videretur Martialis significare sportulæ summam creuisse. Scimus autem ex superioribus voluisse significare sportulas esse à Domitiano sublatas, reuocata cœnarum rectarum consuetudine. Ideò legendum, *Iam*.

2 SVMITVR *inciso Mytilus ore tibi.*] Vera lectio est, *sugitur.* Nam versu sequenti, verbo *sumendi* vtitur. Nec adeò infans Martialis est, vt eodem verbo subinde vtatur. Quid? quod melius conuenit sententia, si *sugitur* legas. Nam illud, *inciso ore*, dicitur, quod acies testæ labra edentis scindat. Id autem facilis in suctu accidere poterat, & eodem verbo paruitatem illarum ostrearum ostendit, quæ cum non possent dentibus vel cultro auelli, simul cum ipsa testa erant sugendæ.

3 FVNGOS *ego sumo suillos.*] Aliàs, *pusillos*, sed melius *suillos*, per contemptum.

4 AVREVS *turtur.*] Idem quod cereus, vt est superiori epigr. 57. à colore pinguedinis sic dictus. Vide ibi quæ notauimus.

5 CVR *sine te cœno, cum tecum Pontice cœnem*] Elegantissima antithesis ænigmatica, in quibus excellit mirè hic Poëta: *Cœno sine te, quod non cœno idem: cœno tecum, cum in eodem lecto recumbam.*

6 SPORTVLA *quod non est, prosit, edamus idem.*] Legerem libenter sportula quod non sit, aliàs legitur, sportula quæ non est. *Edamus idem*, vt non sit strophis hisce sordidus locus.

In Cinnam. LXI.

Esse nihil dicis, quidquid petis improbe Cinna,
Si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego.

RAMIR. DE PRADO.

Importunum Cinnam & assiduum flagitatorem vrbanè à se reijcit, qui artificio quodam petitiones suas extenuabat, cum diceret nihil esse quod peteret, id est rem leuem & nullius momenti. Iocatur Poëta ad proprietatem verbi transferens Cinnæ miosin: *Si nihil*, inquit, *petis, negans ego id quod petis, nihil nego.*

In Quinctum. LXII.

Centenis quòd emis pueros, & sæpe ducentis:
Quòd sub rege Numa condita vina bibis:

v. speciosa. *Quòd cõstat decies tibi non" speciosa supellex:* A
Libra quòd argenti millia quinque rapit:
Aurea quòd fundi pretio carruca paratur:
v. mula est. *Quòd pluris" nulli est, quàm domus empta tibi.*
Hæc animo magno credis te, Quincte, parare?
Falleris: hæc animus, Quincte, pusillus emit.

DOMITIVS.

CENTENIS] In Quintum, qui magno animo volebat videri, empta luxuriosa supellectile, ait Mart. hoc non esse verum, neque propterea eum esse magni animi, cùm sibi illa emat. nam magni esset animi aliquid donare amicis: alibi in Gaurum nihil sibi donantem, *Gaure pusillus homo es.*

SVB *Numa*] i. vina vetustissima.

NON *speciosa*] i. exigua.

CARRVCA] Currus significat. Carrucæ autem ex argento quoque cælabantur. Plin. *Carrucas quoque ex argento cælari inuenimus.* Nero numquam paucioribus mille carrucis iter fecisse dicitur: Mula in tanto erat precio, vt Poppea Neronis vxor mulas habuisse dicatur indutas soleis aureis.

PRECIO *fundo*] i. tanto precio quanto fundus emeretur.

PVSILLVS *animus tuus*] i. tu qui habes animum pusillum, propterea fieri potest, vt hæc non parentur magno animo: placet magis. Quinti animus pusillus, qui nihil dat amicis, omnia sibi impendit.

EMIT *hæc*] Quasi dicat, magni animi est donare non sibi emere.

RAMIR. DE PRADO.

Quintum quemdam falli ostendit, veram animi magnitudinem non agnoscens, quam existimabat sitam esse in insanis quibusdam emptionibus rerum opinione vulgi pretiosarum: hoc enim potius pusillanimitatem arguere docet: animus enim magnus à seipso tantum pendet, in se sita esse omnia existimat: pusillus contra suæ exiguitatis conscius, hæc externa præsidia sibi comparat ad contemptum. C

1 QVOD *constat decies tibi non speciosa supellex.*] Lego libenter cum Lipsio, *spaciosa*, id est, non multiplici, nec multarum rerum, sed paucarum earumque summi pretij. *non spaciosa*, dixit, id est, non multum spatij occupans: quæ explicatio fulcitur sequenti versu quod argenti libra ita artificiosa cælata erat, vt quinque millia sestertiûm constaret. sed hæc emendatio non est Lipsij, sed ipsius Domitij, qui in veteribus legerat *spaciosa*, & explicat *non spaciosa*, id est, exigua. nostri autem temporis Critici multa venditant pro suis, quæ in vulgatis vetustis inueniuntur. D

2 AVREA *quod fundi pretio carruca paratur.*] Auream non intelligas ex auro solido factam, sed ex ligno aptatis in eo aureis bracteis. Quin etiam & iunctura mularum carrucam trahentium erat argentea, vt constat ex Celso iurisconsulto, in L. cum aurum 19. alias incipit Et si non sunt claui. §. lectum plane. *Vt in iunctura argentea scio me dixisse. Est autem iunctura mularum ornatus, quem Græci μῶλον κόσμον interpretantur*, & Paul. lib. 3. Sententiarum tit. 6. §. 96. *Carruca cum iunctura legata, mula quoque legata. non mulis videtur.* Erat igitur cælata ex auro, quemadmodum etiam cælabantur ex argento, Romanorum inuentu, vt testatur Plin. lib. 34. cap. 11. *At nos (inquit) carrucas ex argento cælare inuenimus*, & lib. 34. cap. 17. de argento sic ait. *Cœpere deinde & esseda, & vehicula. & petorita exornare: simili que modo ad aurea quoque, non modò argentea staticula inanis luxuria peruenit, quæque in scyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur, hic luxus prohibitus quondam.* Argumento est quod fuerit permissus ab Alexandro Seuero, de quo Lampridius: *Carrucas Romæ & rhedas senatoribus omnibus vt argentatas haberent, permisit, interesse Romanæ dignitatis putans, vt his tantò vrbis senatores vectarentur:* Et Vopiscus in Aureliano. *Dedit præterea potestatem, vt argentatas priuati carrucas haberent, cum antea ærata & eborata vehicula fuissent. Pretio fundi*, dixit Hyperbolicos & prouerbialiter Cicero in oratione pro Sexto Roscio Amerino: *In quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, vt, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur.* B

3 QVOD *pluris nulli est quàm domus empta tibi.*] Domitius legit, *quod pluris mula est*, & meo iudicio rectè, quod acutius quiddam sonat: mulam nempè emptam fuisse pluris quàm domum, vt sit eadem hyperbole quæ superior. Mulis autem vehi Romanos solitos esse, manifestum ex multis huius Poëtæ locis, easque habuisse in delicijs equitantes per orbem, lib. 9. epigram. 23.

Vt luculenta linat Tyrias mihi mula lacernas,

Vbi legerem, *luculenta*, id est, preciosa mula, qualis erat hæc Quinti. & lib. 8. epigr. 61.

Vehimurque mulis non vt ante conductis.

Sic Iuuenalis sat. 7. delicatos illos diuites vehi per porticus magnificè ædificatos dicit, quoties plueret, ne scilicet vngula mulæ luto inquinaretur:

Balnea sexcentis & pluris porticus, in qua
Gestetur dominus quoties pluit, anne serenum
Expectet, spargatque luto iumenta recenti?
Hic potius, namque hic munda nitet vngula mulæ.

In Cotilum. LXIII.

Cotile, bellus homo es, dicunt hoc, Cotile multi,
Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo est flexo qui digerit ordine crines:
Balsama qui semper, cinnama semper olet:
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat:
Qui mouet in varios brachia" volsa modos: v. vulsa
Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, atq; aliqua semper in aure sonat:
Qui legit hinc, illinc missas, scribitq; tabellas:
Pallia vicini qui refugit cubiti:
Qui scit, quam quis amet, qui per conuiuia currit:
Hirpini veteres qui bene nouit auos.
Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
*Res * petricosa est, Cotile, bellus homo.*

* Petricosa, Aldinum exemplar, id est, tricis inuoluta. Vide Turn. l. 24. cap. 1.

DOMITIVS.

COTILE] In Cotilum, qui cùm bellum se appellari gloriaretur, putabat id nomen ad formam tantùm, & corporis dignitatem pertinere. Mar. docet eum hominem esse bellum, qui molles & effœminatos mores habeat: & cùm describit quid sit bellus homo, Cotilum ridendo designat.

DIGERIT] Componit.

FLEXOS] Calamistro.

CANTICA *qui Nili*] Ex omnibus cantilenis mollissimæ erant & Ægyptiæ, & Gaditanæ, ad saltationem, & impudicos motus puellarum.

CANTICA *Nili*] i. Ægyptios cantus.

SVSVRRAT] Leniter canit.

VVLSA] Depilata.

CATHEDRAS] Ad sellas fœminarum meretricum.

QVI *refugit pallia vicini cubiti*] Propter elegantes vestes, vt suprà.

Quam vantu Spanius manum timet Priscus.

CVRRIT *per conuiuia*] i. qui adest vbicumque sunt conuiuia.

HIRPINI] Hirpinus nobilissimus equus fuit victorijs, & maiorum gloria vnde natus erat: sensus ergo Poëtæ est. Ille est bellus homo, qui hirpino referente præmium discurrit per totam vrbem, & narrat vndè equus duxerat originem. Iuuenal.

Sed venale pecus Corithæ posteritas .& Hirpini.

PERTRICOSA] Trica significat tenue & molestum impedimentum, cùm ergo Poëta velit ostendere bellum hominem eum esse, qui sit occupatus leuioribus in rebus, ait bellum hominem esse rem pertricosam, id est plenam leuioribus impedimentis.

RAMIR. DE PRADO.

Huius epigrammatis explicationem petere poteras ab epigr. 10. lib. 1. hic latissimè explicat quid sit ex communi opinione *bellus homo*, qualis Cotilus quidam leuiculus homo videri volebat.

1 BELLVS *homo est, flexo qui dirigit ordine crines.*] Verba sunt vsque ad vltimum distichon Cotyli respondentis, & ab effectis bellum hominem diffinientis. In hoc versu lege *flexos*, vt coniungatur cum nomine *crines*. flectere autem crines vel capillos visitatum Poëtæ, sup. lib. 2. epigr. 36. vbi latius explicuimus hæc.

2 BALSAMA *qui semper, cynnama semper olet.*] Mollium esse bene olere, notum apud veteres. Iuuenal. sat. 2. inducit Laroniam quandam in hirsutum & rigidum morum censorem, mollem tamen, sic loquentem:

——sed tamen vnde
Hac emis, hirsuto spirant opobalsama collo,
Qua tibi ne pudeat dominum monstrare taberna.

Vide tamen quæ dicta sunt epi. 12. lib. 2. in Posthumum.

3 CANTICA *qui Nili, qui Gaditana susurrat.*] De Ægyptijs canticis vide Heraldum in hunc locum. De Gaditanis dictum sup. ad ep. 62. lib. 1.

4 QVI *mouet in varios brachia volsa modos.*] Id est, expeditus Chiromia, vt brachiorum moribus & digitorum crusmatis delectet. brachia verò vulsa & rasa mollium sunt, vt crura & pectus: vide quæ diximus ad lib. 2. epigr. 36.

5 INTER *fœmineas tota qui luce cathedras desidet.*] Cathedras fœmineas intelligit sellas, vbi fœminæ sedentes inter se colloquebantur. Hic autem bellus

A homo varijs fabulis toto die eas detinebat.

6 ATQVE *aliqua semper in aure sonat.*] Id est, semper in aliqua aure aliquid insusurrat & garrit. quod est hominis intimæ cum fœminis consuetudinis. de garritu in aurem multa sup. lib. 1. epigr. 90.

7 QVI *legit hinc, illinc missas scribitque tabellas.*] Indicium hominis in leuissimis rebus occupati, vt Faustus ille epigr. 65. lib. 2. quamuis alio fine multis puellis scribebat.

Nescio iam multis quid scribas Fauste puellis,
Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

8 PALLIA *vicini qui refugit cubiti.*] Delicati nolebant à proximè sedentibus tangi, neque in conuiuio, vbi se mutuò cubitis tangebant accumbentes: hic autem proximè accumbentis cubitum refugiebat, ne scilicet vicini pallia fortè rudia inquinarent suam pretiosam synthesin. Sic Poëta præscribens Silæ sibi

B nubere volenti leges, quas obseruare nupta deberet, sic ait epi. 24. lib. 11.

Ad cœnam venies, sed sic diuisa recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis.

Quibus in locis manifestè deprehenditur accubuisse pallijs, quod etiam liquet ex epig. 59. lib. 8. vide etiam quæ diximus suprà epigrammate 41. lib. 7.

9 QVI *scit quam quis amet.*] Curiosi hominis signum.

10 HIRPINI *veteris qui bene nouit auos.*] Hirpinus nobilis equus, in Circo, & multarum palmarũ, de quo latè Lipsius centuria tertia epist. 26. ad Valentem Acidalium.

11 RES *petricosa Cotile bellus homo.*] Sententiam protulit de dictis Cotili bellum hominem diffinientis; *rem* scilicet *esse petricosam*, id est, salebris & petris impeditam. Sed melior lectio est, *pertricosa*, vt Domitius docuit, id est, res difficilis & multis rugis im-

C pedita: nam tricæ impedimenta sunt & fila quædam quibus pullorum pedes implicari solent & impedicari. Inde pertricosum, quod multis tricis impeditum est.

Ad Cassianum. LXIV.

*Sirenas * hilarem nauigantium ° pœnam,* * v. hilares. ° v. mortes
Blandásque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Caßiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

D DOMITIVS.

SIRENAS] Laudat Canium Gaditanum, cuius confabulationem ne Vlyssem quidem, qui prætervectus est Sirenas, ait potuisse effugere, si adesset. Vlysses prouulgata historia, cùm esset nauigaturus iuxta sedes Sirenum admouit ceras auribus sociorum, ipse apertis auribus iussit se vinciri ad malum nauis, ne suauitate cantus cogeretur exilire, docuerat id Circe, ita surdis socijs ipso vincto malo nauis non flexit cursum, quamuis Sirenes noto carmine visæ sint, quod Ci. ex Homer. transtulit.

O decus Argolicum qui puppim flectis Vlysse.

Homeri longum extat carmen in Odyssea.

FALLAX *Vlysses*] Epitheton perpetuum Vlyssis ab Hom. dicitur πολύτροπος Ὀδυσσεύς. i. varij & multiplicis animi.

HILAREM pœnam] Nam trahebantur nauigantes suauitate carminis in scopulos, & naufragium faciebant.

BLANDAS mortes] Quia suauitate cantus in mortem trahebantur.

GAVDIVM crudele] Quia magno constabat.

NON miror] Si Vlysses relinquebat Sirenas, sed magis mirarer si reliquisset Canium Gaditanum poëtam. Antè: *Canio suo Gades.*

RAMIR. DE PRADO.

Laudat artificiosè Canium Gaditanum Poëtam à suauitate fabulandi; quem audientes maiori dulcedine capiendos esse innuit, quàm ex sirenarum cantu percipi posset. De sirenis notissima historia ex odyss. Homeri, vbi leges vt Vlysses obturauerit sociorum aures, vt se malo ligari iusserit, vt euaserit maximum illud periculum. Ait se non hoc mirari sed miraturum magis, si fabulantem reliquisset Canium Vlysses. de Canio satis multa ad lib. 1. ep. 62. & 70. & hoc eod. libro ep. 20.

1 SIRENAS *hilarem nauigantium pœnam.*] Elegantissimis antithetis ornatum est hoc gemmeum epigramma, in quo est *Hilaris pœna, blanda mors, crudele gaudium.*

Ad Diadumenum. LXV.

Quod spirat tenera malum mordente puella:
Quod de Corycio quæ venit aura croco:
Vinea quod primis floret cùm cana racemis:
Gramina quod redolent, quæ modò carpsit ouis:
Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita,
Pallidus Eoo ture quod ignis olet:
Gleba quod æstiuo leuiter cũ spargitur imbre:
Quod madidas nardo sparsa corona comas:
Hoc tua, sæue puer Diadumene, basia fragrant.
Quid, si tota dares illa sine inuidia?

DOMITIVS.

QVOD spirat] Ad Diadumenum, cuius oscula mirum in modũ olere dicit, sed auaritiam carpit, quod. scil. auarè det: ait ergo cùm bene oleant hæc basia, multo plus habitura suauitatis vna facilitate, scil. Diadumenus nomen est elegantioris iuuenis, cùm hoc est fictum, cuius effigiem Polycletus Sycionius expressit molliore iuuenta, eaque vænijt centum sestertijs.

AVRA] Odor: nam odor est aër vapore percussus.

CANA] Cùm emittet flores.

OVIS] Multi codices habent apis, vt de thymo intelligas, cuius odor suauissimus est. Nonnulli auis, & de phœnice potes intelligere, quæ nidos construit ex cinnamomo, & cassia, placet vt legatur ouis, nam frutices verno tempore morsu gregis fracti suauem emittunt odorem.

ARABS] Messorem Arabiæ fœlicis intelligit, nam cassia inde mittebatur.

SVCCINVM] Latinè electrum dicitur, gummi populorum, quod cùm candidum est, præstantissimum habet odorem, vnde Domit. Nero quodam carmine crines vxoris succinos dixit, quasi suauissimè olentes. Succinum præterea est genus vnguenti odorati.

EOO thure] i. Sabæo & Orientali.

GLEBA quod æstiuo] Odor terræ commendatus à Cic. præsertim in vnguentis, vt scribit ipse in suo Oratore: eo loco optimus est, vt antiqui dicebant, vbi cornua arcus cœlestis videbantur desinere post imbrem. Plin. author.

NARDO] Crines nardo vngebantur.

SINE inuidia] Vna & sola facilitas plus odoris daret.

RAMIR. DE PRADO.

Basia Diadumeni suauissimis odoribus fragrare, multis ostendit comparationibus, quæ suauiora futura dicit, si liberè & sine inuidia daret. De Diadumeno & eius basijs, vide epi. 47. & 84. lib. 5. & ep. 34. lib. 6. & eundem ac basiorum fragrantiam suppresso nomine celebrat lib. 11. ep. 9. in quo eædem ferè sunt similitudines verborum copia variatæ.

1 QVOD *spirat tenera malum mordente puella.*] Tenera puella non poterat fœtido halitu, vt anus, poma mordens contaminare, sed fractura & arrosione olentia reddere & gratiora amasijs suis. Erat enim eo tempore, vt hodieque, puellis mos, vt amatoribus suis poma arrosa mitterent, & attritas etiam corollas, & huiusmodi nugas ad eorum amorem captandum. testis Lucianus in Toxare.

2 QVOD *de Corycio quæ venit aura croco.*] Corycus mons Ciliciæ, vbi optimum crocum gignitur, cuius odor gratissimus veteribus, adeò vt ad demulcendum popellum in theatris aqua croco immixta per tubulos emitteretur, vt dictum est sup. in Amphitheatro ep. 3.

3 QVOD *messor Arabs.*] In Arabia felici messes benè olentes erant, qualis erat nardi: messor itaque metens herbas illas fragrabat earum odoribus.

4 QVOD *succina trita.*] Succinum succus arborum est, Vnde nomen accepit: ait Plin. nat. hist. lib. 37. c. 3. *quod arboris succum esse prisci credidere, ob id succinum appellantes.* vbi & cap. superiori omnia quæ ad electrum, inuenies. Tacitus etiam in fin. lib. de morib. German. ferè idem quod Plin. Succinumque affirmat arborum esse succum hoc argumento, *Quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox durescente materia cluduntur.* Hoc autem succinum manu tritum fragrat. Dioscorid. lib. 1. 93. *lachrymam populorum commemorat, quæ in Padum amnem defluat, durari ac coire in succinum, quod electrum vocant, alij Chrysophorum: id attritum iucundum odorem spirat.* Candidum verò odore præstantius est. Plin. d. c. 3. lib. 37. Ex quibus omnibus D. Isidorus congessit plura, etymolog. lib. 16. c. 8. Cum verò manuum tritura odorem fragrantissimum mitterent succina, ideò à Nostro inter benè olentia annumerata hic, & lib. 5. ep. 38.

Quod succinorum rapta de manu gleba.

Et lib. 11. ep. 9.

Succina virginea quod regelata manu.

Sic lego, non [*religata*] cum Domitio, gelatur namque succus. i. riget præ duritie, vt lib. 4. ep. 59. Noster loquitur:

Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Continuò riguit victa repente gelu.

Et regelatur attritu digitorum anima caloris ac-

ceptâ. Quo verbo vsus est infr. epigr. 93. in Vetustinam:

Cum bruma mensam tibi sit per Augustum,
Regelare nec te pestilentia possit.

Sic inquam lego, quamuis non mihi lateat manibus delicatorum gestari solita succina religata, teste Tertulliano, & præcipuè fœminarum nobiliorum, vt Plin. dictis locis testatur, & Poëta ingenio facilis & facilitate ingeniosus in Metamorphosi morem istum attingit lib. 2. vers. 364.

Inde fluunt lachrymæ stillataque sole rigescunt,
De ramis electra, nouis quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Vbi etiam rigere electra dixit. Ex supradictis videbis vnde sumpserit comparationem Iuuenalis satyr. 6. vers. 571.

In cuius manibus, cui pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas.

Sic lib. 5. epigr. 38.

Quod succinorum rapta de manu gleba.

Et lib. 9. epi. 14.

Gemmaque quod Heliadum pollice trita notet.

5 PALLIDVS *Eoo thure quod ignis olet.*] Ignem pallidum dixit, quod igneus ille color immisso thure in pallidum flectat.

6 QVID *si tota dares illa sine inuidia.*] *Tota* dixit, id est, pleni labris, parcè enim hic puer dimidio labello fortè dabat. *sine inuidia*, id est, non parcè, nec reluctanter, quamuis sibi in eodem Diadumeno placere affirmat, dicto epigram. 47. lib. 5. & 84. eiusdem.

In M. Antonium. LXVI.

Par scelus admisit Pharijs Antonius armis:
[a] Abscidit vultus ensis vterque sacros.
Illud, laurigeros ageres cùm læta triumphos:
Hoc tibi Roma caput, cùm loquereris, erat.
Antoni tamen est peior, quàm caussa Photini:
Hic facinus domino præstitit, ille sibi.

[a] Abscidit à Cædo, vt quantitatis constet ratio, in vell, abscidit heu vultus, iudicio Douzæ mei.

DOMITIVS.

PAR *scelus*] Ait grauiùs fuisse scelus Anto. triumuiri, qui iussit interfici Cic. quàm fuerit Photini, qui Pompeium iussus necauit: Photinus id in gratiam Ptolemæi fecit, hic vt sui animi libidinem, & crudelitatem expleret. Photinus inter eos fuit, qui impulerunt Ptole. vt Pompeium necaret, tamen Achillæ datum est negocium, qui comitem assumpsit Septimium, is primus fuit percussor.

PHARIIS *armis*] Id est Ægyptijs, & sicæ Ægyptiæ.

VTERQVE *Photinus, & Ant.*] Illud, duo capita habebas Romæ, altero coronato vtebaris, cùm triumphabas: altero facundo, cùm loquebaris: ingens vtriusque laus.

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epi. & alio item 70. lib. 5. M. Antonium Triumuirum insectatur ob Ciceronis indignissimam necem eumque confert cum Photino Ægyptio, qui venerandum illud Pompeij Magni caput amputauit, ostendens peiorem esse Antonij quàm Photini causam, quod Photinus id facinus domino Prolomæo præstitisset, cuius imperio excusari potest:

A Antonius autem sibi soli, nulla relicta excusatione.

1 PAR *scelus admisit Pharijs Antonius armis.*] Periphrasis Photini, quem dicto epigr. 70, lib. 5. Pharium vocat.

2 ABSCIDIT *vultus ensis vterque sacros.*] *Vultus sacros* Poëticè dixit, pro capitibus sacris, more Græcorum, qui celeberrimos viros ἱερὰς κεφαλὰς vocant, vt sequenti etiam disticho.

3 ILLVD, *laurigeros ageres cum læta triumphos.*] Est vna vtriusque laus, quod Pompeius tanti tamque excellentis corporis caput esset, præcipuè in summo Triumphi honore, adeò vt laurea Triumphi corona Romæ imponenda, capiti Pompeij imponenda esset. Non minus illustris Ciceronis laus, cuius ore tota Roma loqueretur, dignaque eius lingua esset per quam tam præstantis animi sensa exprimerentur. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 3. §. 4. de Ciceronis morte:
B *ac protinus*, inquit, *caput Romanæ eloquentiæ & pacis, clarissimam dexteram per summum & securum otium amputauit*, Vide elegantem declamationem Senecæ.

De pigris nautis. LXVII.

Cessatis [a] pueri, nihilque nostis
Veterno, [b] resinaque pigriores:
Quorum per vada tarda nauigantes,
Lentos [c] figitis ad Celeuma remos.
Iam prono Phaëthonte sudat Aethon,
C *Exarsitque dies, & hora lassos.*
Interiungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per vndas
Tuta luditis otium carina.
Non nautas puto vos, sed [d] argonautas.

[a] Locus mëdosus est, lege, mostis Vrientone asinoque. Vide Lipsiū. l 1. ep. 5. & Turn. lib. 15. cap 29.
[b] alij, remorat que.
[c] v. tingitis.
[d] ἀργὸς enim pigrū & inertem significat Græcis.

DOMITIVS.

CESSATIS] Applaudit hoc epigrammate pueris nauigantibus in Naumachia inter ludos Dom. quasi ergo è medio fauorem spectantium clamat è ripa Naumachiæ.

CESSATIS] Tardi estis ad nauigandum.

NIHIL *nostis*] i. nihil scitis.

D VETERNVS] Significat hydropesim. Virg.

Nec torpere graui passus sua regna veterno.

RESINA] Genus gummi.

TINGITIS *lentos remos*] Id est ignoratis, qui vos spectent, nullamque spectatorum rationem habetis.

AD *quorum*] Spectatorum.

CELEVMA] Clamor nauticus, & hortatio.

PRONO] Inclinato.

ÆTHON] Equus solis.

EXARSIT] In meridie.

INTERIVNGIT] i. recreat quiete, nam peruenit ad meridiem.

TVTÆ] Quia nulla potestas excitabatur.

LVDITIS *otium*] i. abutimini otio.

ARGONAVTAS] Ambiguitas est verbi, nam Argonautæ possunt dici illi primi qui Argo in Pontum deduxerunt, & Argonautæ, si componantur ad Argo, quod significat tardum: & nautis significabit nautas tardos.

RAMIR. DE PRADO.

In pigros quosdam nautas est epigramma, quos Argonautas dicit se vocare proprio nomine, non quod strenuis illis heroibus, qui Iasonem comitati sunt ad Phasim similes sint, sed à proprietate vocis sumpto ioco, quod ἀργὸς Græcè pigrum & desidiosum significet. dicitur enim quasi ἀεργὸς, id est, sine opere.

1 CESSATIS *pueri nihilque nostis Veterno, resinaque pigriores. Quorum per vada, &c.*] Nullum est huius Poëtæ epigramma, cuius inconstantior sit lectio, corrumpentibus ferè omnibus emendatoribus, ac primò verbum *nostis*, mutauit Lipsius in *mostis*, pro *mouistis*, id est, non vlterius progressi estis. & quod necesse fuerat immutare, reliquit integrum, verbum *cessatis*, quod mutandum fuerat in *cessastis*, vt cohæreret cum verbo *mostis*. Ioann. verò Isaacus Pontanus, in notis ad septimum saturnaliorum Macrobij B librum, cap. 16. emendat, *postis*, id est, *potestis*. & conatur veterum testimonijs probare, nihil posse idem significare. quod non prodesse. Sed hæ emendationes argutulæ magis quàm veræ ac propriæ sunt: nusquam enim apud hunc Poëtam illa συγκοπὴ ἀρχαία. & immutare illud verbum, *nostis*, est vere nihil nosse de huius loci sensu. melius Gruterus qui in notis retinet verbum *nostis*, ita vt referatur ad remigandi artem, quam hi pueri omninò ignorabant. Deinde sequuntur salebræ illæ *Veterno resinaque*, in quibus hærent interpretes, veternosi & resina impediti. Doctissimus Turnebus Aduersariorum lib. 13. cap. 19. sic legit. *Veientone asinaque pigriores*, reiecta & damnata veteri lectione ex syllabarum quantitate, quasi in his phaleucijs perpetuum seruet Bilbilitanus hic tenorem, & docte quidem, sed non apposite Veientonem ex Iuuenalis satyris obtorto collo huc adducit, & adagium (*asino vel asina pigrior*) nobis obtrudit. C Gruterus autem legit: *Vaterno rasinaque pigriores*. duoque nomina ait esse riuulorum, per quos nauigabat Martialis, quos riuulos ego nunquam agnoui. deducti sunt tantum à Grutero, vt sequentem versum:

Quorum per vada tarda nauigantes,

Redderet clariorem: satius fuisset quod Raderus fecit ingenuè fateri se, quid illud monstri esset, ignorare. Ego vulgatam libenter retineo lectionem,

Veterno resinaque pigriores.

Vt sit hyperbole: veternus enim torpor est somni morbosi, notissimus Medicis. Sic veternosum appellant, quod pigerrimum est & quasi veterno occupatum. Resina verò sua tenacitate & lentitudine pigrissima est, vel quod ipsa per arborum truncos lentissime fluat, vel quod detineat. Illud autem:

Quorum per vada tarda nauigantes.

Quas turbas dedit! Domitius verus interpres non intellecto difficillimo loco, sic explicat: *ad quorum spectatorum*, impedita interpretatio, quam expediuit Raderus, vt significet ad quorum spectatorum celeuma, per vada tarda nauigantes, remos tingitis, vt referatur ad naumachiam: Sed in Naumachia nulla erat remorum tarditas, immò summa celeritas & festinatio, neque ad spectatorum in littore sedentium celeuma nautarum pueri mouebant remos, sed ipsi soli celeuma canebant. Vnde videtur Domitij & Raderi interpretatio omninò corruere: Neque ausim in re adeò implicata negligentiæ quemquam accusare, quod hic locus à nemine fuerit intellectus. Ego videor mihi lucem allaturus densissimis hisce tenebris, quam accendo sibilo tantum addito no- A mini *Quorum*, vt sit, *quorsum*. & post sequentem versum nota addatur interrogationis, & sit sensus planissimus. *Quorsum*, id est, quo fine pueri nauigantes per vada tarda, nulla vi fluentis aquæ adiuti, dum promouere se à remorum impulsione sit necesse, tanquam otiosi & ludentes, tingitis in aqua remos, leuiter motos nec impulsos brachiorum vi, sed vt tantum eos vngere in aqua velle videamini, ad numeros celeumatis expectantes cantus. Rythmum sensi, & subsequitur ratio: cùm iam medium cœlum teneat ardentissimus sol, eiusque radijs videatur palus vel flumen exardescere. Quam lectionem existimo germanam esse, vel ex eo quod ea retenta nihil necesse sit in toto epigrammate permutari.

2 IAM *prono Phaethonte sudat Aethon.*] Id est, iam inclinato ad pomeridianum cursum.

3 INTERIVNGIT *equos.*] De hoc verbo iam dictum est sup. lib. 2. ep. 6.

Ad matronam pudicam. LXVIII.

Huc est vsque tibi scriptus matrona libellus.
Cui sint scripta rogas interiora? mihi.
Gymnasium, thermæ, stadium est ex parte; recede.
Exuimur: nudos parce videre [1] *viros.* [1] v. mares.
Hinc iam deposito post vina, rosasq; pudore,
Quid dicas, nescit saucia Terpsichore.
Schemate non dubio, [2] *sed apertè nominat illam,* [2] v. per os cognoscitur.
Quam recipit sexto mense superba Venus:
Custodem medio statuit quam villicus horto;
Opposita spectat quam proba virgo manu.
Si bene te noui, longum iam lassa libellum
Ponebas: totum nunc studiosa leges.

DOMITIVS.

HVC *est scriptus*] Lasciuiora abigunt matronas pudicas, præsertim Bassam, quæ ignoranti paulo antè Martial. tribadem esse, Lucretia videbatur, in hac parte quæ sequitur gymnasia numerat, & ea loca, in quibus viri nudabantur.

STADIVM] Vbi ad cursum & palæstram athletæ nudantur.

EXVIMVR] Deponimus vestes.

D TERPSICHORE] Musam hanc nominauit, quoniam ei dicatæ sunt choreæ & saltationes, in quibus iam poëta versabitur. τέρπομαι oblector, χορὸς chorus, nostra Terpsichore.

SAVCIA] Madida.

SCHEMATE] i. figura.

ILLAM] Periphrasis est mentulæ. Ægyptij primum cœperunt colere pudenda, quoniam Osiri inuento sola virilia defuerunt, sed ne desiderarentur ad honorem sepulturæ, Isis iussit, vt pudenda circunferrentur. præcedebat, inquit Herodotus, tibicen, sequebantur matronæ canentes Dionysia. Hunc morem acceperunt matronæ Romanæ, & mense Augusto mentulam deferebant cum sacrorum pompa in ædem Veneris extra mœnia, & quamuis meretricum esset illud solenne, tamen non licebat alicui, præterquam

præterquam matronæ castæ id sacrum tractare, & deponere in sinu Veneris.

NVNC *legis*] Placet enim obscænitas, vt suprà in Voconium.

RAMIR. DE PRADO.

Admonitionem continet ad pudicas matronas, ne sequentia legant epigrammata, quod prætextata sint, nec digna castis earum auribus. Sed suspicatur fore vt post hanc admonitionem auidiùs quam præcedentia matrona legat quæ sequuntur: quod factum esse testatur inf. ep. 86.

1 CVI *sint scripta rogas interiora? mihi.*] *Interiora,* id est, quæ subsequuntur, sumpta metaphora ab ædificijs, in quibus interiora dicuntur subsequentia, & quæ à primo ingressu remotiora sunt. Virg. 1. Æneid.

Est domus interior regali splendida luxu.

In qua metaphora persistit sequenti versu:

Gymnasium, therma stadium est hac parte recede.

2 EXVIMVR: *nudos parce videre viros.*] Gymnasio, thermis & stadio exuebantur, vnde quæsitum nomen gymnasio γυμνάζεσθαι, namque denudari significat.

3 SAVCIA *Terpsichore.*] *Saucia* dixit, pro ebria: nam mero saucium dicebant, pro ebrio, vt lib. 4.

Incaluit quoties saucia vina mero.

Et Ennius in Alcéstide apud Fulgentium in *friguttit,*

——hæc anus admodum

Friguttit, nimirum se sauciauit flore Liberi.

Quo loco reponendum existimat Godescalcus Stevvechius in quæstionibus ad Apuleij lib. 9. *rore Liberi,* quod apud eundem Apuleium, lib. 8. legatur: *cruorem præter fluentis aquæ rore diluere*; quod satius fuisset intactum relinquere homini præcipue in Plauti lectione adeò versato: Plautus enim mille locis *florem vini & florem Liberi*, pro optimo vino vsurpauit, vt in Curculione, Act. 1. Sc. Flos:

Flos, inquit, *veteris vini meis naribus obiectus est.*

Idem in Cistellaria:

Quique adeò me compleui flore Liberi.

Saucium autem nullo addito nomine pro ebrio sumi, præcedente tamen sensu potionis vini probat locus Iustini, lib. 1. de filio Tamiris & eius exercitu: *Cum ventum* (inquit) *ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, velut ad epulas, non ad prælium venisset, omissis hostibus insuetos barbaros vino se onerare patitur.* Et paulò post: *Nam cognitis his Cyrus reuersus per noctem saucios opprimit, omnesque Scythas cum Reginæ filio interficit.* Hæc enim vera & vetus lectio confirmata Strabonis authoritate, qui lib. 11. cum hæc in Sacis gesta scribit, Scythas dicit ἀζείους καὶ ἀπεχθάνας fuisse. & idem Iustinus, lib. 24. *Hac,* inquit, *assueueratione incitati Galli, simul & hesterno mero saucij, sine respectu periculorum in bellum ruebant.* Et Apuleius, lib. 7. *Et instantia validiore vinum immixtum, sed iam modico tepefactum vapore saucij, & his crapula vinolentiaque madidis, ipse abstemius non cessat impingere,* & lib. 9. *Quanto me felicior Daunæ vicinia, quæ mero & prandio matutino saucia.*

4 SCHEMATE *non dubio.*] Id est, non tectè, & figurate & proprie & Latine.

5 QVAM *recipit Sexto mense superba Venus.*] Periphrasis Priapi quem matronæ ferebant VII. Kal. Augusti extra portam Collinam ad Veneris templum, cum sacrorum pompa, & in eius sinu reponebant. Ad hæc sacra Priapi alludit Prudentius contra Symmachum his verbis:

Hic Deus è patrio prænobilis Hellesponto.

Venit ad vsque Italos, sacris cum turpibus horti

Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis

Accipit, & ruris seruat vineta Sabini,

Turpiter infixo pudeat quem visere ramo.

6 CVSTODEM *medio statuit quam villicus horto.*] Altera eiusdem periphrasis obscœnæ, quam enormem in Priapo hortorum custode figurabant, porrecto ab inguine palo, vt sup. diximus hoc eodem libro, ep. 58.

7 OPPOSITA *spectat quam probà virgo manu.*] Iocus in virgines pudicas specie: reapse verò gaudentes spectaculo Priapi, quæ manum oculis admouebant, tanquam auertentes visum à re tam turpi, digitulis tamen parum apertis, vt quasi per rimulas tali visu fruerentur.

Ad Cosconium. LXIX.

Omnia quòd scribis castis epigrãmata verbis,
Inque tuis nulla est mentula carminibus;
Admiror: laudo. nihil est te sanctius vno:
At mea luxuria pagina nulla vacat.
Hæc igitur iuuenes nequam, facilesque puellæ,
Hæc senior, sed quem torquet amica, legat:
At tua Cosconi, venerandáque, sanctáque verba
A pueris debent, virginibusque legi.

DOMITIVS.

OMNIA *quòd scribis*] In Cosconium, qui æmulatione scribendorum epigrammatum cum Mart. certabat. Illius epigrammata modò accusabat, quòd longa essent. cui respondet Poëta: *Cosconi qui longa putas,* modò damnabat, quòd parum pudica essent, ait Poëta se laudare Cosconij epigrammata, quòd legi poterant virginibus, & pueris ingenuis, cùm nihil inesset obscœnum, sua tamen non esse omnino repudiãda: cùm à nequioribus, & lasciuioribus puellis legantur, quasi dicat plures esse qui sua legant, quàm Cosconij, ob eum pruritum qui in omni pagina est.

NVLLA *mentula*] Nulla mentio mentulæ.

VACAT *luxuria*] i. sine pruritu.

NEQVAM] Lasciui.

FACILES] Lasciuæ.

TORQVET] Qui tangitur libidine.

RAMIR. DE PRADO.

Eundem Cosconium, quem sup. lib. 2. ep. 77. tanquam stolidum reprehenderat, quod epigrammata eius longa esse dicebat, hoc epigrammate tanquam insulsum & indoctum Poëtam, epigrammatographum irridet; estque totum epigramma conceptum ironicῶs: vocat enim castissima Cosconij epigrammata, & digna quæ pueris & virginibus legenda proponantur: quæ laudat specie castitatis, reapse irridet, tanquam indocta & legenda tantum simplicibus & ignaris, quales sunt pueri & virgines.

1 INQVE *tuis nulla es mentula carminibus.*] Sup. lib. 1. ep. 36.

——sed hi libelli

Tanquam coniugibus suis mariti,

Non possunt sine mentula placere.

Cætera per se liquida sunt.

Ad " Ceruinum. LXX.

v. Sexulonum.

"Sexuline. *Mœchus es Aufidiæ, qui vir " Ceruine fuisti.*
Riualis fuerat qui tuus, ille vir est.
Cur aliena placet tibi, quæ tua nō placet vxor?
Numquid securus non potes arrigere?

DOMITIVS.

MOECHVS] Ceruinus repudiauerat vxorem, quam duxit is, qui paulò ante erat mœchus, quo facto ipse quoque habebat rem cum eadem muliere, securus inquit poëta nunquid oportet te ire in periculum, vt arrigas?

RAMIR. DE PRADO.

Mirabilem Ceruini cuiusdam in amore mutabilitatem describit, qui Aufidiam vxorem per fastidium repudiauerat, post deinde nuptam riuali deperibat, ita vt eius mœchus curauerit fieri. Simile argumentum habet ep. 71. lib. 6. de dominio cuiusdam Thelisinæ vel Theletusæ. Est communis hominum consuetudo in vetita ferri impotentius. Horat. satyr. 2. lib. 1.

—— leporem venator vt alta
In niue sectetur, positum sic tangere nolit;
Cantat & apponit: meus est Amor huic similis: nam
Transuolat in medio posita & fugientia captat.

Et sup. lib. 1. ep. 74. hanc sententiam complexus est.

1 NVMQVID *securus non potes arrigere?*] Elegans quæstionis propositæ per interrogationem solutio. Causa enim cur Ceruinus iste repudiatam vxorem & alteri nuptam amabat, erat quod fœminam quam securè possidebat appetere non poterat.

In Næuolum. LXXI.

Mentula cùm doleat puero, tibi, Næuole, culus:
v. Siscio. *Non sum diuinus, " sed scio quid facias.*

RAMIR. DE PRADO.

Næuolum pathicum insectatur, qui pædicabatur à seruo: nec est opus diuinatione ad distichum intelligendum, cum satis per se liqueat.

Ad Laufellam. LXXII.

Vis futui, nec vis mecum, Laufella, lauari.
v. maius. *Nescio quod " magnum suspicor esse nefas.*
* v. dependent pectore. *Aut tibi pannosæ * pendent à pectore mammæ:*
Aut sulcos vteri prodere nuda times:
Aut infinito lacerum patet inguen hiatu:
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Sed nihil est horū. credo pulcherrima nuda es.
Si verum est, vitium peius habes, fatua es.

A

DOMITIVS.

VIS] Laufella nolebat videri nuda, sed tamen futui volebat. inquit Martial. aut es insulsa, aut es turpissima.

PANNOSÆ] i. venali sanguine rugosæ, nam pannæ dicuntur maculæ venarum eminentium.

SVLCOS *vteri*] i. rugas.

PROMINET] Interdum defluunt carnes, quod scribit Celsus accidisse temporibus suis principi fœminæ, quibus arefactis intra paucas horas expirauerit.

FATVA *es*] i. insulsa es, & non habes illum leporem meretricum, & propterea non vis lauari, nam quæ insulsa sunt, quò magis lauantur, eò fiunt insulsiora. vnde fatui cibi dicuntur, qui carent sale.

B

RAMIR. DE PRADO.

Fatuam quandam Laufellam irridet meritò hoc epigrammate, quæ cum peteretur (imo cuperet misceri Poëtæ) nolebat honestatis causa cum eo lauari: ad quod mouet eam, affingens ei corporis turpissima vitia, quæ ad finem diluit per correctionem, subiiciens aliud peius, & quod magis fœminam pungat, quod fatua sit.

1 NEC *vis mecum Laufella lauari.*] de communibus balneis dictum est, sup. hoc eod. lib. ep. 51.

2 NESCIO *quod magnum suspicor esse nefas.*] ex veteri repone (*maius*) vt sup. epigr. 42.

3 AVT *tibi pannosæ pendent de pectore mammæ.*] pannosas mammas, id est, rugosas, nam pannosus & panuceus, pannis obsitum significat; & sic quodcumque rugosum est & lacerum laxumue, pannosum aut pannuceum dicitur. Sic ep. 47. lib. 11.

C

Tenditur & digitis pannucea mentula lassis,
Nec leuat extinctum sollicitata caput.

Et pomorum genus quoddam, quæ pannucea dicuntur, de quibus Plin. lib. 15. cap. 5. *Celerrime in rugas marcescunt pannucea*, quo capite nominum reddit rationem. Quæ etiam Macrobius, lib. 3. cap. 19. inter malorum genera recenset.

4 AVT *sulcos vteri prodere nuda times.*] sup. epigr. 4. dictum est.

In Phœbum. LXXIII.

Dormis cum pueris mutoniatis,
*Et non stat tibi * Phœbe, quod stat illis.* * Galle. vt in sequenti epig. & tibi Boetice Galle, &c.
Quid vis me rogo Phœbe suspicari?
D *Mollem credere te virum volebam:*
Sed rumor negat esse te cinædum.

DOMITIVS.

DORMIS] In Phœbum fellatorem.

MVTONIATIS] i. bene mentulatis: muto mentulam significat: & apud Horat.

Mutoni querenti. Lucilius.
Mutoni lachrymas tum leua abstersit amica.

STAT] Quia non potes arrigere, erat enim fellator.

RAMIR. DE PRADO.

Phœbum quemdam, vel vt in alijs codicibus est, Gallum insequitur, vt fellatorem, qui cum iam

virum cum fœminis esse non posset, pueris mutoniatis morem gerebat, spurcissimo ore.

1 MVTONIATIS.] Id est, bene vasatis, vt diximus sup. ad lib. 1. ep. 24.

2 ET *non stat tibi Phœbe quod stat illis.*] *Stat*, id est, erigitur. de verbo *standi*, in hac obscœna significatione diximus, ad ep. 45. lib. 2.

3 MOLLEM *credere te virum volebam.*] Id est, cinædum, vt sequenti versu explicat ipse, & nos sup. lib. 1. ep. 97.

4 SED *rumor negat esse te cinædum.*] De voce *rumoris*, vide quæ diximus ad lib. 2. ep. 72.

In Gargilianum. LXXIV.

Psilothro faciemq; lauas, & dropace caluam.
Numquid tonsorem, Gargiliane, times?
Quid faciem tingis? nam certè non potes illos
Resina, Veneto nec resecare luto.
Desine, si pudor est, miseram traducere caluam.
Hoc fieri cunno, Gargiliane, soles.

DOMITIVS.

PSILOTHRO *faciemque*] Psilothrum vnguentum erat ad depilandum corpus ex varijs rebus, fiebat modo ex thynni sanguine, felle, & iecore, modo ex sanguisugis coctis in vase fictili & illitis aceto: modo ex alijs: tamen vt scribit Plin. euellebantur pili, post psilothrum adhibebatur, ne pullularent. Gargilianus mollis & cinædus, faciem & pilos qui succrescentes comis formam capillorum ostendunt, vnguento decutiebat: iocatur in hunc poëta ita, vt eum ostendat esse mollem.

CALVAM] Significat os capitis: author est Liui. qui scribit caluam detracta carne, & crinibus fuisse poculum barbarorum diebus festis, hîc pro toto ore accipitur.

DROPAX *vnguentum*] Ad pilos euellendos.

NVMQVID] i. an es adeò timidus vt non audeas ferre nouaculam.

VNGVES] Omnino te oportet vti ferro: in alio codice est tingis.

LVTO *Veneto*] Lutum Venetum erat terra, quæ ex Cypro aduehebatur adhibito aceto & xl. diebus sub terra impacta, quæ reducta posteà in solem optimum faciebat psilothrum.

TRADVCERE] Vexare.

CVNNO] Alludit ad mollem, & cinædum.

NVNQVID *times tonsorem*] Quasi dicat, tonsorem non times: sed hoc agis, vt diutiùs sis mollis, & pædiceris.

RAMIR. DE PRADO.

Ingeniosè fellatorem Gargilianum perstringit, quod faciem & caluam resinis quibusdam depilaret.

1 PSILOTHRO *faciemque lauas.*] Benè emendarunt Critici, *leuas*: nam Psilothro & Dropace vngi potius quàm lauari dicimus. *leuas* autem dixit, quasi ab onere pilorum, vt lib. 14. ep. 22. dixit leuare dentes.

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerint, dentes penna leuare potes.

Caue autem ne *leuas* à verbo leuare, pro leuigare deductum existimes: nam illud longam habet e, hoc autem habet breuem, quod non animaduertit Heraldus, dum similem adducit Ausonij locum vbi verbũ *leuas*, priori producta legitur.

Inguina quod calido leuas tibi Dropace causa est.

Quod aliqui diphtongo scribunt, vt diximus sup. lib. 2. ep. 36.

2 ET *Dropace caluam.*] In calua superstites pilos non ferebat Gargilianus, volebatque nitidam esse omninò caluam, ideo Dropace vtebatur ad leuigandum efficaci, vt lib. 10. ep. 65.

Leuis Dropace tu quotidiano,
Hirsutus ego cruribus genisque.

3 NVMQVID *tonsorem Gargiliane times.*] Irrisio est Gargiliani, quasi aliquis esset tyrannus, qui tonsorem timeret, cum is terræ filius nihil haberet, quò sibi à tonsore timendum esset. Notum est illud relatum à Cicerone 2. de offic. & 5. Tusculana de superiori Dionysio, *qui cultros metuens tonsorios candenti carbone sibi adurebat capillum.* & ead. Tusculana, hoc facere solitum ait: *candentibus iuglandium putaminibus.* id est, ardentibus nucum corticibus; nucibus enim candentibus depilabant se antiqui. Sueton. in Augusto, cap. 58. Sed de hoc eodem metu eleganter Martialis noster lib. 11. ep. 59.

Quid si me tonsor, cùm stricta nouacula supra est,
Tunc libertatem diuitiasque roget?
Promittam. neque enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat. res est imperiosa timor.

4 QVID *faciem tingis?*] Iamdiu Franciscus Modius epist. 109. emendauit: *quid facient vngues?* quam emendationem suadet ratio ob ea quæ sequuntur. arguit enim Gargilianum quod non posset tonsoris metu illis vti resinis, cuius opera adhibenda necessariò esset ad vngues resecandos: hoc enim erat munus etiam tonsoris, cuius ferramenta fabricabantur & ad tondendos capillos, & diuersa ad resecandos vngues, vt constat ex ep. 36. lib. 14. cuius lemma Ferramenta tonsoria,

Tondentibus hæc arma tibi sunt apta capillis,
Vnguibus hæc longis, vtilis illa genis.

Et Horatius de Vulteiono Mena præcone, lib. 1. ep. 7.

Adrasum quemdam vacua tonsoris in vmbra,
Cultello proprios purgantem leniter vngues.

Ad quod ministerium adhiberi tonsorem liquidò constat, ex Val. Max. lib. 3. cap. 2. §. 15. de Porcia: *Cultellum*, inquit, *tonsorium quasi vnguium resecandorum causa poposcit, eoque velut fortè elapso se vulnerauit, clamore deinde ancillarum in cubiculum reuocatus Brutus obiurgare eam cœpit, quòd tonsoris præripuisset officium.* Plautus in Aulular. scen. *postquam obsonauit.*

Quin ipse tonsor pridem vngues dempserat,
Collegit, & omnia abstulit præsegmina.

5 TRADVCERE *Caluam.*] De verbo, *traducendi*, dictum est sup. spectaculorum libro, ep. 4.

6 HOC *fieri cunno Gargiliane solet.*] Suggillat Gargilianum, quod fellator esset eiusque caput vice cunni fungeretur, quasi dicat: quamuis caput tuum mentula intret, non ideò debes id, tanquam cunnum depilare.

In Lupercum. LXXV.

Stare, Luperce, tibi iã pridem mentula desit: v. desin.
Luctaris demens tu tamen arrigere.

Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces;
Improba nec prosunt iam satureia tibi.
Cæpisti puras "*opibus corrumpere buccas:* (*v. Opicus, Lipsius l.5. Epist.6.)
Sic quoque non viuit sollicitata Venus,
Mirari satis hoc quisquam, vel credere poßit,
"*Quæ non stat, magno stare, Luperce, tibi?* (*v. quod.)

DOMITIVS.

STARE] Stare est constare: stare est erectum esse, iocatur in verbo Martial.

MENTVLA] Inquit, quæ non stabat. i. quæ non arrigebatur.

NEC *stat magno*] Hoc est, constat magno precio.

ERVCÆ] Eruca incitat Venerem, propterea ponebatur vna cum lactuca, quæ frigidissima est, vt alterius vis alteram temperaret.

BVLBI] Genus herbæ capitatæ, cuius cùm multa sint genera, vnum est quod epimenidum dicitur optimi in Africa saporis, vt locus ille Iuuenal. præter sententiam multorum exponatur:

Et veteres Afrum epimenida bulbi:

Incitant autem Venerem, in distichis:

Cùm sit anus coniux, & sint tibi mortua membra.
Non aliter bulbis, quàm satur esse potes.

SALACES] Incitantes Venerem.

SATVREIA] Eadem est quę thymbra, incitat Venerem: eandem vim habet quàm nasturtium.

PVRAS *buccas*] Puerorum.

NON *viuit*] Suscitatur.

NON *stat*] i. mentula, quę non arrigitur.

STARE *magno*] i. multum constare.

RAMIR. DE PRADO.

Irrisio est Lupercum quemdam iam eneruem, qui ἀτονίᾳ laborabat, ipse tamen omnem mouebat lapidem vt posset.

1 SED *nihil erucæ faciunt bulbique salaces.*] Erucam, bulbos, & Satureia Venerem excitare notissimum est ex Medicis: Erucam appellat salacem herbam, lib.10. ep. 48.

In quibus est lactuca sedens, & sectile porrum:
Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.

De bulbis est ep.34. lib.13.

Cum sit anus coniux, & sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis, quam satur esse potes.

Vide in hanc rem Ioan. Baptistam à Porta Magiæ natural.

2 COEPISTI *buccas opibus corrumpere puras.*] Lips. lib.5.ep.6. emendat, *opicus*, (vt Scalig. ad Festum in omissis) & contendit eo nomine significari salacem: sed nimio, vt mihi videtur, emendandi studio, argutè potius quàm verè mutat hunc locum, nec legerat attentè totum epigramma: Nam vt vltimum distichon sensui cohæreat, necesse omninò est, vt legatur, *opibus*, magno enim stare dicit Luperco pondus: idque, quod opibus corruperat buccas puras, quæ nisi oblato summo pretio non possent ad tantum allici turpitudinem.

3 SIC *quoque non viuit sollicitata Venus.*] Bene viuit, quod mortua membra communiter dicat iacentia, & dicto lib.13. ep. 34. Sed alij legunt, *venit*. Est autem summa astutiæ huius amplificatio, cum ait lib. 4.ep.6. *Nemo senex sit ad irrumandum*. Sollicitatam dixit Venerem, quo verbo vtitur in hac incitandi ad Venerem notione, vt lib.6.ep.71.

A *Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubaq; maritum*
Posset ad Hectoreos solicitare rogos.

Et lib. 8. ep. 56.

Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum solicitare Iouem?

Et Petron. in Satyrico: *Sollicitauit inguina mea mille iam mortibus frigida*, vbi legerem, *motibus*, proprio militiæ Venereæ verbo. Ouid. lib. 2. eleg.10.

At mihi contingat Veneris languescere motu.

4 MIRARI *satis hoc quisquam.*] Quæsiuit iocum in ambiguitate verbi. Nam *stare* in mentula arrigere est, vt dictum est sup. lib.2. ep. 45. *Stare autem magno*, id est, constare: Quam phrasim imitamur Hispani cum dicimus: *Estame la cassa en muchos Ducados.*

In Bassum. LXXVI.

B *Arrigis ad vetulas, fastidis, Basse, puellas:*
Nec formosa tibi, sed moritura placet.
Hic, rogo, non furor est, non est hæc mentula demens?
Cùm poßis Hecubam, non potes Andromachen.

RAMIR. DE PRADO.

Notat Bassi in vetulas furorem, qui puellas fastidiebat, nec in vetulis forma, sed senectus hominem delectabat.

1 NEC *formosa tibi sed moritura placet.*] Poterat Bassus allici anus alicuius forma, vt sæpe accidit: non tamen ita erat, sed alliciebatur vltima senectute, & eò magis delectabatur vetula, quo senior esset, quod expressit nomine illo, *moritura*.

C 2 NON *est hæc mentula demens.*] Faceta metaphora cum demens de persona dicatur, & hic transfertur ad mentulam.

3 CVM *possis Hecubam, non potes Andromachen?*] Subticet turpe verbum, *futuere*, vt sup. fecit ep.32. hoc eod. libro.

Non possum vetulam, &c.

In Bæticum. LXXVII.

Nec mullus, nec te delectat, Bætice, turdus:
D *Nec lepus est vnquam, nec tibi gratus aper,*
Nec te liba iuuãt, nec sectæ quadra placentæ.
Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aues.
Capparin, & putri cepas alece natantes,
Et pulpam dubio de petasone voras.
Teque iuuant " * *gerres & pelle melandrya cana.* (* Plin. l. 11. c. vlt. & De melan. li. 9. cap. 15.)
Resinata bibis vina, Falerna fugis. (* Vide Tur. l.14.c.46.)
Nescio quod stomachi vitium secretius esse
Suspicor, vt quid enim, Bætice, " *saprofagis?* (" σαπροφαγεῖς.)

DOMITIVS.

NEC *mullus*] In Bæticum cunnilingum, quem poëta ex genere ciborum, quibus vtebatur, apertè

ostendit esse cunnilingum, nam ea tantùm edebat, quæ saporem haberent proximum liquori vuluæ.

LIBA] Panes dulciarij sacris primùm inuenti.

QVADRA] Pars & quadra mensa.

PLACENTÆ] Panes cinericij, quibus vtebantur antiqui loco mensæ.

CAPPARIN] Semen notum.

ALECE] Liquamen salsum. Hora.

Lib.2. Sat.4. sibi Lamb. *Quo fece primus & alec.*

Plin. Alec imperfecta nec colata, erat enim conditum. Res cœpit tamen ex inutili pisciculo, minimoque confici.

PVLPAM] Non modò carnem sine ossibus, sed etiam sine pingui.

PETASONE dubio] Cuius pars iam fœtet, & cariosa est, quod placet, vel

DVBIO] i. bono.

GERRES] Ex genere locustarum sunt pisces vilissimi & salsi. vide Plin.xxxii.nat.hist.

MELANDRIA] Pars thynni propinqua caudæ vilissima, est enim sine pingui, nam in thynno ceruix & abdomen commendantur.

SAPROFAGIS] Hoc est comedis res fœtidas, & olentes, nam σαπρὸν significat putridum, φάγω comedo.

GEORGIVS.

QVADRA placenta] Quadram panis frustum dicimus, quia olim apud Romanos quadrati panes dicerentur, Virg. in Moreto.

Et notat impressis æquo discrimine quadris,

Quos panes quidam Græci, & quidem celeberrimi bomilios dixerunt. Præterea si hic Prisci Catonis libros legisset, profectò didicisset, quo pacto placentæ conficerentur, quos illi requirere poterunt, qui delicatiores panes discupiunt.

RAMIR. DE PRADO.

Cunnilingum Bæticum esse constat, ex epigr. sequenti 80. Eum hoc loco rectè eo notat vitio, & ducitur hac coniectura, quod putrida quæque appetat, fastidiatque bonos cibos, quòd scilicet putrida obsonia sint sapore cunni suctu, quo is delectabatur. Primis quatuor versibus enumerat preciosa edulia, à quibus Bæticus abhorrebat, quatuor sequentibus vilissima quæque & putrida.

1 NEC secta quadra placentæ.] Caue putes cum Heraldo placentas quadratas fuisse. sed frusta & segmenta, in quæ secabantur, quadrata erant, & quodque eorum quadra dicebatur, vt ipsa verba declarãt: Quadra sectæ placentæ, sic lib. 6. ep. 75.

Cum mittis turdumve mihi, quadramve placenta.

Et lib. 9. ep. 92.

Secta plurima quadra de placenta.

Et Glossarium. quadra. τόμος, lege τόμος, à qua mente dixit Seneca, lib. 4. de benef. cap. 29. *Quis beneficium dixit quadram panis?* &c. id est, frustum panis: sic Horat. lib. 1. epist. 17.

Et mihi diuiduo findetur munere quadra.

De frusto Casei Tolosani Noster in Vacerram, lib. 12. epigr. 32.

Nec quadra deerat Casei Tolosani.

Hæ quadræ imprimebantur placentis, antequam coquerentur, vt videre est apud Moretum Virgilij, siue alius sit eiusdem auctor.

——léuitum protinus illam
Componit tabula; tepidas super ingerit vndas:
Contrahit admistos tum fontes, atque farinas,
Transuersas durata manu; liquidoque coactos

A *Interdum grumos spargit sale, iamque subactum*
Format opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat impressis æquo discrimine quadris.

Ex his intelliges Iuuenalem. satyr. 5. vers. 2.

——aliena viuere quadra.

2 ET pulpam dubio de petasone voras.] Dubio, id est, semiputrido, quod diximus sup. ad ep. 61. lib. 2.

3 TEQVE iuuant gerres, & pelle melandrya cana.] Gerres quid sint, explicat Plin. lib. 32. cap. vlt. quas fœtere constat, ex ep. 32. lib. 12.

Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus vrcei fatebatur.

De Melandrys idem Plinius lib. 9. cap. 15.

4 RESINATA bibis vina.] Id est, sapore & odore resinæ infecta.

5 NESCIO quod stomachi vitium secretius esse Suspicor.] Ironica irrisio. vitium secretius stomachi, posuit, pro appetentia lingendi.

B 6 ECQVID enim Bætice saprofagis?] Græcis litteris scriptum est in aliquibus libris compositum verbum ex σαπρὸς, id est, putridus. quamuis non male emendauero κοπροφαγεῖς, quod verbum est Galeni lib. 10. de simplicibus medicamentis, cap. 1. significatque vorare stercus: nam Xenocratem damnãs, quod pro medicamento ægris vorandum daret stercus, grauius probrum ait esse κοπροφαγεῖν, quàm fellatorem aut cinædum audire, quò forte respexit Martialis in hoc cunnilingo, quem summo probro insectatur, quod putrida voret, appellans eum stercoriuorum.

Ad Paullinum. LXXVIII.

Minxisti currente semel, Pauline, carina.
C ** Meiere vis iterum, iam Palinurus eris.* *Vide Tur. Li3. cap. 19.

Idem Græcè.

Οὐρήσας ποτ᾽ ἅπαξ, νηὸς Παυλῖνε θεούσης,
Ἂψ πάλιν οὐρήσεις· ὡς Παλίνουρος ἔσῃ.

Hic etiam apertior iocus ab etymo ambiguo.

DOMITIVS.

MINXISTI] Palinurus gubernator classis Troianæ submersus est, numine somni oppressus. Hîc Palinurus accipitur ob deriuationem Græcam, nam πάλιν significat iterum, οὐρεῖν meiere: iocatur poëta iterum in meientem.

ERIS Palinurus] i. diceris Palinurus.

RAMIR. DE PRADO.

Quæsitus iocus est in nomine Palinuri, qui fuit D magister nauis Æneæ notissimus, apud Virgilium libro 5. Æneidos dissoluit nomen Poëta. nam πάλιν rursum significat, οὐρεῖν verò meiere, ita vt Palinurus sit iterum meiens. Minxerat hic Paulinus semel, & iam periculo lapsus, quod id faceret currente carina, volebat iterum meiere & exponere lapsus periculo. Dicit eum futurum Palinurum, vel quod iterum meiat, vel quod casurus sit, vt Aeneæ Palinurus.

Ad Sertorium. LXXIX.

Rem peragit nullã Sertorius, inchoat omnes,
Hunc ego cùm futuit, non puto perficere.

RAMIR. DE PRADO.

Festinantem in omnibus rebus Sertorium notat hoc disticho, qui cum omnia inchoaret, nil tamen perficiebat. Quod vt augeat, vsque ad summum, ait se non putare Sertorium perficere, cùm se venum præbeat; quam rem ipsa natura non patitur imperfectam relinqui, quòd summa celeritate fieri possit. & quod omnia animalia natura ducente in finem eius actionis mira celeritate properent. Diximus de hoc ep. supra lib.1. ep.47.

Ad Apicium. LXXX.

De nullo quereris, nulli maledicis Apici:
Rumor ait, linguæ te tamen " *esse malæ.*

' Arnobius l.5. qui medios viros lambût homines malæ linguæ, etiã si taceant.

DOMITIVS.

De *nullo*] In Apicium, Esse bonæ linguæ dicitur, qui nulli detrahit: contrà, malæ linguæ dicitur, qui lingua abutitur vel fellatione, vel lingendis cunnis. Quamuis ô Apici nulli detrahas, tamen rumor est te esse malæ linguæ, hoc est te fellare, & cunnum lingere.

RAMIR. DE PRADO.

Fellatorem Apicium perstringit, qui medios viros lambebat, & malæ linguæ esse dicebatur, etiam tacens. Dictum est de hoc epigr. lib. 2. ep.61. & de nomine *rumoris* eod. lib. ep.72.

In Bæticum. LXXXI.

Quid cum fæmineo tibi Bætice Galle Barathro?
Hæc debet medios lambere lingua viros.
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,
Si tibi tam gratus Bætice cunnus erat?
Castrandum caput est: nam sis licet inguine Gallus,
Sacra tamen Cybeles decipis ore, vir es.

DOMITIVS.

Qvid] in Bæticum, qui abscissis testibus, & factus sacerdos Cybeles cunnos lingebat, de quo suprà ait Poëta, eum non debere sectari muliebria, quia dum mulieres sectatur, videtur esse vir, quod non permittunt sacerdotales leges Cybeles.

O *Bætice galle*] i. castrate.

Medios *viros*] i. debes fellare ne vir videaris, dum sectaris fœminas.

Samia *testa*] Id est cultro: nam Samia terra optima erat cultris sacerdotum Cybeles. antè satis multa.

Castrandvm *caput est*] Quoniam lingua, tanquam mentula, sectaris mulieres.

Ore *vir es*] Quia lingis cunnum, & præstas officium virile lingua.

RAMIR. DE PRADO.

Insectatur Bæticum eundem, quem sup. ep.77. qui Gallus erat & idem cunnilingus. Miratur, cur ab-

A scindi sibi pondus passus sit, cui tam gratum mulieris Barathrum: quod si iam sacris Cybeles esset initiatus, castrandum caput, quod eo idem præstaret, quod pondere esset præstiturus.

1 Barathro.] Honestè cunnus significatur, aliàs pro stomacho posuit sup. lib.1. ep.88.

Extremo ructus cum venit à barathro.

2 Hæc *debet medios lambere lingua viros.*] Fellandi paraphrasis, vt sup. lib. 2. ep.61.

Lambebat medios improba lingua viros.

3 Samia *testâ.*] Samos nota insula in Ionio mari, vel ex Varrone, in qua Iuno colebatur, quod in ea nata, educata, & Ioui nupta fuerit: in ea fiebant vasa fictilia, quæ Samia vocabantur. Ideo hîc testæ Samiæ mentionem facit noster Martialis, qua amputabant sibi virilitatem Galli matris Deûm sacerdotes. Plin. lib.35. cap.12. in fi. *Samiâ testâ matris Deûm sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant, nec*

B *aliter citra perniciem, si M. Cœlio credamus, qui linguam sic amputandum obiecit graui probro, tanquam & ipse iam tunc eidem Vitellio malediceret.* Quam testam ob duritiem silicem vocat Catullus, in Ay. epig.64.

Deuoluit ille acuto sibi pondera silice.

Iuuenalis sat.6. de his sacerdotib. versu 512.

Mollia qui rapta secuit genitalia testa.

Legerem libenter *fracta.* Lucilius sat. 8. citatus à Nonio in verbo Samium, ex lectione Adriani Iunij, sic inquit:

Hanc vbi vult malè habere vlcisci pro scelere eius.
Testam sumit homo Samiam sibique illicò telo
Præscidit caulem, testesque vna amputat ambo.

Hinc Samium idem ac acutum Nonius Marcellus: *Samium acutum vnde samiare dicimus acuere.* Ausonius, *Samium, Lucumonis acumen*, glossæ veteres, Samiator ἀκονητής, & in vulgari Græco, *Samiator* Græcis

C characteribus scribitur pro eodem. Flauius itidem Vopiscus in D. Aureliano exemplum epistolæ Valeriani Augusti Cejonio Albino Præf. vrbi missæ *Samiata arma*, pro acutis ponit.

4 Sacra *tamen Cybeles decipis ore, vir es.*] Sic lib. 11. ep.62. de Manneio cunnilingo,

Lingua, Maritus, mœchus ore Manneius.

In Zoilum. LXXXII.

Conuiua quisquis Zoili potest esse,
Summænianas cœnet inter vxores,
Curtaque Ledæ sobrius bibat testa.
Hoc esse leuius, puriusque " *contendo.* ' v. contendi.
Iacet occupato galbanatus in lecto:
D " *Cubitis trudit hinc, & inde conuiuas,* ' v. Cubitisque tundit.
Effultus ostro, sericisque puluinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci,
Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello,
Fugatque muscas myrtea puer virga,
* *Percurrit agili corpus arte tractatrix,* * Vide Turn. l.24. cap.5.
Manumq; doctam spargit omnibus membris.
" *Digiti crepantis signa nouit eunuchus,* ' Vide Turn. l.9. c.30.
Et delicatæ sciscitator vrinæ

Domini bibentis ebrium regit penem,
At ille retro flexus ad pedum turbam,
Inter catellas anserum exsta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis,
Et concubino turturum nates donat.
Ligurumque nobis saxa cùm ministrentur
Vel cocta fumis musta [v. Massilitanis.] *Massilianis,*
Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque, myrrhinisque propinat.
Et Cosmianis ipse fusus [Infra lib. 14. Epig. 110.] *ampullis,*
Non erubescit murice aureo nobis
Diuidere mœchæ pauperis [Vide Turn. l. 1. cap. 17.] *capillare,*
[Septem cyathis.] *Septunce multo deinde perditus stertit:*
Nos accubamus, & silentium rhonchis
Præstare iussi, nutibus propinamus,
Hos Malchionis patimur improbi fastus,
Nec vindicare, Rufe, possumus, fellat.

DOMITIVS.

CONVIVA *Zoili*] In Zoilum mollem planè, & effeminatum, huius pocula, ebrietatem, ructus, fellationem describit.

SVMMOENIANAS] i. inter meretrices. quæ summœnianis artificijs iuxta Circum prostabant. Iuuenal.

Et ad Circum iussas prostare puellas.

BIBAT *sobrius*] cùm sitit.

TESTA *curta*] Vase mutilato, & fracto.

LEDÆ] Meretricis, quæ spurca erat, vt alibi,

Quod spurca moriens lucerna Leda.

CONTENDO] Affirmauerim.

HOC] i. cœnare inter meretrices.

GALBANATVS] Indutus galbana veste muliebri.

LECTO] Triclinio.

OCCVPATO] Quem totum occupabat.

EFFVLTVS] Sustentatus.

SVGGERIT] Dentiscalpia fiebant aut ex lentisco, aut ex penna. In distichis.

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerit; dentes penna leuare potest.

Dentifricium autem dicebatur quicquid medicaminis adhibebatur fricandis & terendis dentibus. in quo genere Arabius lapis esse dicitur.

PENNAS *rubentes*] i. pennas phœnicopteri.

LENTISCVS] Frutex est semper viridis, cuius Cice. meminit, & Plin. sententiam Cice. refert.

VENTILAT] Leuiter mouet.

ÆSTVANTI] Sudanti.

FLABELLO *prasino*] i. viridi: color prasinus significat viridis, πράσινον significat viride, infrà prasinam togam dicet. i. viridem.

MYRTEA *virga*] Indicium libidinis, est enim Veneris.

TRACTATRIX] Vtebantur hoc remedio antiqui, vt Celsus meminit, vt iuberent puerum fricare humeros quem Mart. tractatorem appellat, & ancillam id facere solitam tractatricem: nam tractare est frequenter tangere.

EVNVCHVS] Spado nouit quid velit Zoilus cùm crepat digitis, nam vas vrinarium crepitu digi-

A torum poscebatur, ita loquitur Matella in distichis.

Cùm poscor crepitu digitorum, & verna moratur,
O quoties pellex culcitra facta mea est.

PEDVM *turbam*] Turba pedum dicuntur pueri, quoniam ad pedes dominorum discumbebant, vt intelligas superiùs distichon hoc pacto.

Omnia cum pueris tradas obsonia retro:
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus.

Id est, cur non paras mensam seruis, & non nobis?

PARTITVR *glandulas*] Glandula pars apri iuxta ceruicem. eadem dicitur glandium, vt est in legibus sumptuariis, quæ glandia, sincipitia, verrina mensis intercidunt.

PROPINAT] dat.

NECTAR *Opimianum*] i. vinum Opimianum, quod nectar videtur.

MORIONES] Dicebantur pueri qui simplicitate & scurrilitate mentis, seu stoliditate risum domino B mouebant: ducebantur autem ad mensam diuitum. Inde Plinius cùm amicum inuitat,

Morionem non habebis.

SAXA *Ligurum*] i. vina nata in Liguria sterili.

FVMIS *Massilianis*] Vina in Massilia Galliæ artibus officinarum adulterabantur, modò aloe, vt saporem mutarent, & colorem. De hoc vino alibi.

Fumea Massiliæ ponere vina potes:

COSMIANIS *ampullis*] i. vnguento preciosissimo Cosmi.

CAPILLARE] i. vnguentum ad capillos inuentum.

MOECHÆ *pauperis*] Quòd solebat emi à mœchis pauperibus.

MVRICE] Ampulla in speciem muricis, nam muricum testæ vnguenta seruabant. Plini. author est.

PERDITVS] Sepultus.

C SEPTVNCE] i. vini.

RONCHIS] Illo stertente.

NVTIBVS] Propinamus inuicem.

MALCHIONES] Dicuntur molles, & eneruati omnino, & luxu perditi, quasi malciones: nam malcios apud Græcos significat mollem. Hora. Inde Malchinum dixit Mecœnatem.

VINDICARE] id est, liberare te à conuiuio, & tædio huius mensæ, quia tu irrumator es, & aderis quia fellat. Codex antiquus ita habet versum.

Nec vindicare te Rufe possumus, fellat.

Quod placet: sensus est quem proposuimus.

RAMIR. DE PRADO.

Zoilum quemdam fellatorem insectatur hoc eleganti epigrammate, & superbos eius fastus in conuiuio late depingit.

D 1 SVMMOENIANAS *cœnet inter vxores.*] Summœnianæ meretrices sunt, quæ in lupanari prostabant in eo loco, qui summœnianum dicebatur, vt sup. lib. 1. epig. 35.

Raraque Summœni fornice rima patet.

Appellat autem irrisoriè vxores, vt ep. 32. lib. 11.

Summœnianæ qua pilantur vxores.

2 CVRTAQVE *Leda sobrius bibat testa.*] de curta testa Ledæ diximus sup. epigr. 35. lib. 1. addidit autem *sobrius*, vt augeret turpitudinem, quæ in ebrio non tanta fuisset, vt sup. ep. 16.

Ebrius es, nec enim faceres hæc sobrius vnquam.

3 IACET *occupato galbanatus in lecto*] de galbana veste dictum est supra epig. 97. lib. 1. dixit autem, *occupato in lecto*. quem scilicet totum ipse occupabat: qua figura dixit Iuuenalis sat. 1. vers. 32.

——— *magni lectica Mathonis Plena ipso.*

4 CVBITIS *trudit hinc & inde conuiuas.*] Erat hic in medio honorariori loco, & nolebat à conuiuis tangi, eousque cubitis à se remouebat vtrinque: vel vt laxius recumberet, vel ne pretiosæ vestes à cõnuiuis tererentur.

5 STAT *exoletus.*] stare ministros cœnantibus dominis, & quidem præcinctos notissimus est apud veteres mos. inf. lib. 4. ep. 66.

Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti, rustica turba foci.

Et Seneca lib. 3. de benef. cap. 27. *Vt primum diluxit, seruus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cenam ebrius dixisset.* præcinctos autem esse docet nos Horatius lib. 2. sat. vlt.

His vbi sublatis, puer altè cinctus acernam,
Gausape purpureo mensam pertersit.

Et Apuleius lib. 2. *Fotis linea tunica mundulè amicta, & russea fasciola prænitente altiusculè, sub ipsas papillas succintula, illud cibarium vasculum floridis manibus rotabat in circulum.* & Philo Iudæus, lib. de vita contemplat. agens de luxuriosis & prophanis Romanorum conuiuijs. *Ex ijs* [ministrantibus] *minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti & nitidi fucatique ac cincinnati,* (alunt enim capillitium) *vel omnino intonsi, vel à fronte tantum præsectis in orbem crinibus, tenuissimas candidissimásque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demissas, posteriore ad poplites. Vtrimque mollibus tænijs adstricti commissuras pro pendentibus ad latera sinibus. Sic ornati adstant nutus obseruando, quid quisque postulat.* præcingebántque se hi serui linteo. Seneca: *Ad hoc præstò aderit ministrorum ornatissimorum turba linteis succincta.* Vnde Caligula senatum despiciens, quosdam summis honoribus functos, vt seruos stare, succinctos linteis ad pedes eius non recusauit. teste Sueton. in eius vita cap. 26. *Quosdam summis honoribus functos,* inquit, *ad essedum sibi occurrere legatos, per aliquot passuum millia: & cœnanti modò ad pluteum, modò ad pedes stare succinctos linteo passus est.* Ex hac consuetudine illud est in Euangelio Iohannis cap. 13. n. 4. quod Dominus noster, vt lauaret discipulorum pedes, formam serui accipiens, præcinxit se linteo. & apud D. Lucam est expressus hic mos cap. 17. n. 7. *Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi statim, transi, recumbe; & non dicit ei, para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes.* & cap. 12. num. 37. inquit idem: *Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet discumbere illos, & transiens ministrabit illis.* vt demonstret Dominum, qui vigilantes inuenerit seruos suos, gratiæ loco se tanquam eorum seruum illis ministraturum fore.

5 SVGGERITQVE *ructanti pinnas rubentes.*] inditis in guttur pinnis exonerare solebant stomachũ. Sueton. in Claudio cap. 33. *Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, & vt statim supino ac personam hianti, pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum.* Quæ consuetudo exitium ei attulit, vt narrat Tacitus, extremo li. 12. Annalium. *Igitur* (inquit) *exterrita Agrippina, & quando vltima timebantur, spreta præsentium inuidia, prouisam iam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille tanquam nisus euomentis adiuuaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus eius demisisse creditur.* Spectabat igitur exoletus ructus Zoili, vt hianti ore pinnas ingereret. *Rubentes* dixit, quod ex phœnicoptero aptiores es-

A sent huic negotio, de qua aui lib. 13. ep. 71.

Dat mihi penna rubens nomen.

7 PERCVRRIT *agili corpus arte tractatrix, Manumque doctam spargit omnibus membris.*] Molles veterum delitiæ eo processerant, vt ad fricanda membra delectationis caussa, in conuiuiis mares vel fœminas adhiberent, qui artificio quodam membra contrectarent. Mares plerumque exoleti, qui hoc munere fungebantur. Seneca epistola Clara, num. 66. *An potius optem, vt malacissandos articulos exoletis meis porrigam, vt muliercula; aut aliquis in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mutium, qui sic tractauit ignem, quasi illam manum tractatori præstitisset:* de qua consuetudine accipio locum à nemine, quod sciam, animaduersum, apud Lampridium in Heliogabalo. *In conuiuiis exoletos maximè iuxta se ponebat, eorumque attrectatione & tactu præcipuè gaudebat.* Hi tractatores, fœminæ tractatrices dicebantur.

B 8 DIGITIQVE *crepantis signa nouit Eunuchus.*] ad crepitum digitorum matellas poni notissimum est, vel ex epig. 89. lib. 6.

Cum peteret seram media iam nocte matellam,
Arguto madidus pollice Panaretus. & li. 14. 119.
Dum poscor crepitu digitorum, & verna moratur,
O quoties pellex culcitra facta mea est.

Et ex diserto Petronij loco in satyr. *Cum has miraremur lautitias, Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.*

9 ET *delicatæ sciscitator vrinæ, &c.*] auget delicatum huius Malchionis fastum, qui ad mingendum non apprehendebat manibus propriis penem, sed seruum ad hoc ministerium habebat destinatum, quem *sciscitatorem*, vel vt alibi legitur, *suscitatorem*, vrinæ vocat, qui apprehensum penem inserebat matellæ vt ipse meieret.

C 10 AT *ille retrò flexus ad pedum turbam.*] id est ad pueros ad pedes stantes, vt est sup. epi. 23.

Omnia cum retrò pueris obsonia tradas,
Cur tibi non mensa ponitur à pedibus?

11 INTER *catellas anserum exta lambentes.*] exta anserum ac præcipuè iecur in delitiis habebantur, vt lib. 13. ep. 58.

Adspice quam tumeat magno iecur ansere maius.
Miratus dices, hoc rogo creuit vbi?

Et apud Horatium lib. 2. satyr. vlt.

Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi.

Ouid. 1. fast.

Nec defensa iuuant Capitolia quo minus anser.
Det iecur in lances, Inachi lante, tuas.

Et Iuuenal. sat. 5.

D *Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par.*

De quo Plinius multa. Amplificat igitur mollis huius delitias, qui pretiosa edulia catellis abiiciebat, quæ libenter comedissent conuiuæ.

12 PARTITVR *apri glandulas palæstritis.*] de seruis palæstritis dictum est sup. ep. 57. Sed Lipsius lib. 4. poliorceticõn dialogo 1. emendat, atque aliter intelligit hunc locum. Nam cum Varro lib. 3. de re rustica dicat, *Vidistis ad buccinam inflatam, certo tempore apros & capreas conuenire ad pabulum, cum è loco superiore in palæstram apris offunderetur glans, capreis vitia.* Hoc loco ductus *aprum palæstritum*, pro bene saginato accipit, & legit, *Partitur apri glandulas palæstritæ*, vt sit sensus: partitur inter catellas glandulas optimi apri palæstritæ. Vbi agnosce nimium in doctissimo viro emendandi & argutandi studium. Quis enim vnquam aprum palæstritam appellauit? Deinde quomodo inter catellas partiebatur glandulas?

Partiri enim inter eos dicitur, qui cum ratione portionem suam quique capere possunt. vt apud Virgil. lib. 1. Æneid. de seruis ab Ænea occisis.

Hinc portum petit, & socios partitur in omnes.

Quid? quod versus qui continuò sequitur, id explicat. *Et concubinæ turturum nates donat.*

Retineo igitur vulgatam lectionem, & eas glandulas palæstritis donari intelligo, pæne in contemtum conuiuarum.

13 LIGVRVMQVE *nobis saxa cum ministrentur.*] per metonymiam dixit, *Saxa ministrari*, pro vino in sterili & saxosa Liguria nato.

14 VEL *cocta fumis musta Massilianis.*] Massilianum vinum asperrimum erat, & fumo maturabatur, vt multa alia vina. Horatius lib. 3. car. ode 8.

Hic dies anno redeunte festus

Corticem adstrictum pice dimouebit.

Amphora fumum bibere instituta, Consule Tullo.

Columella lib. 1. cap. 6. *apotheca rectè superponentur his locis, inde plerumque fumus earum exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt.* Quod insaluberrimũ esse testatur Plin. lib. 23. cap. 1. ideò dixit lib. 12. ep. 83. *Fumosæ feret ipse tropin de fæce lagenæ.*

B

Hac de causa conqueritur hic Poëta conuiuis dari Massiliana vina fumosa, & eadem detestatur lib. 10. epigr. 36.

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt.

Et lib. 13. epigram. 123.

Fumea Massiliæ ponere vina potes.

15 ET *Cosmianus ipse fusus ampullis.*] *ampulla* vitreum vas rotundum: erantque ex ijs aliquæ, quæ Cosmi nominabantur ad vnguenta condenda, vt lib. 14. epigr. 110.

Hac licet in gemma, quæ seruat nomina Cosmi.

Ideò dixit: *ampullis Cosminianis.*

C

15 MVRICE *aureo nobis diuidere mœcha pauperis capillare.*] *murex aureus*, concha erat, vel aurata, vel ex auro facta, qua vnguentum parcè sumebatur. Capillare autem vnguentum est ad capillos tingendos. *pauperis mœcha*, dixit per contemtum, vt Hispani dicimus *cosa de puta pobre.*

16 NVTIBVS *propinamus.*] ne scilicet emittamus vocem, quia iussi fuimus impurissimi illius Zoili rõchis præstare silentium. Propinatio enim, quemadmodum sup. ep. 15. lib. 2. dictum, fiebat prolato nomine eius, cui propinabatur: Nunc autem nutibus solum.

17 HOS *Malcionis.*] nomen confictum à μαλακός, quod mollem significat.

18 NEC *vindicare Ruffe possumus, fellat.*] poterat timeri sibi à dentibus fellatorum, qui lædere poterant, vt inf. epig. 96. de Chione fellatrice.

Ne legat hunc Chione mando tibi Ruffe libellum,
Carmine læsa meo lædere & illa potest.

D

*In Coclitem. LXXXIII.

v. Ad Cordum.

Vt faciam breuiora mones epigrammata, Cocles,
Fac mihi quod Chione. nõ potui breuius.*

v. Corde. v. potuit.

DOMITIVS.

VT *faciam*] Iubebat Cocles Martia. vt faceret breuiora epigrammata, ipse ait se hæc scribere longiore carmine, cùm paucis verbis non possit impetrare à diuitibus aliquid, ergo si mihi feceris quod facit Chione, i. si dederis, silebo, nam vt alibi ait, à Chione conducebatur, vt futueret.

NON *potui breuius*] i. dicere tibi vt des.

RAMIR. DE PRADO.

Coclitem quemdam vt fellatorem vrbanè perstringit, qui subinde petebat à Martiale, vt breuiora faceret epigrammata, ipse autem vt ei obsequatur breuissimo versu epigramma comprehendit, versus est: *Fac mihi quod Chione*, subiungit deinde non potuisse se breuius epigramma facere. Versus autem & exempli causa ponitur & sententiæ, cum ab eo petat vt se fellet, quemadmodum facit Chiones, quam fellatricem esse perspicuum est, inf. ep. 86. & 96.

In Tongilionem. LXXXIV.

Quid narrat tua mœcha? non puellam
Dixi, Tongilion. quid ergo? lingam.*

v. linguam.

DOMITIVS.

QVID] Ad Tongilionem, qui fellator erat: & lingua fellatoris est mœcha, cùm varias admittat mentulas.

RAMIR. DE PRADO.

Continet illusionem hoc epigramma conceptam per ambiguitatem: vocat enim Tongilionis linguam mœcham, quod is lingeret & ore mœchus esset, vt ille Manneius, ep. 62. lib. 11.

Linguæ maritus, mœchus ore Manneius.

Percontatur ergo, quid narret eius mœcha: ex hac interrogatione poterat quis existimare Tongilionem puellam aliquam habere, cum qua mœcharetur. Corrigit statim, non dico puellam, sed linguam. Est iocus etiam in verbo *narras*, proprio linguæ.

Ad maritum. LXXXV.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi:
Stulte, quid egisti? nihil hîc tua perdidit vxor,
Cùm sit salua sui mentula Deiphobi.

DOMITIVS.

QVIS] Maritus abscidit nares mœcho, ait Mar. oportuisse abscindere mentulam, qua peccauerat.

HAC *parte*] i. naribus, sed peccauit mentula.

NIHIL *per.*] Laceratis naribus, appellat hunc Deiphobum naribus laceratis, alludens ad illud.

Deiphobũm vidit, lacerum crudeliter ora:
Ora manúsque ambas, &c.

RAMIR. DE PRADO.

Explicatum est hoc epigr. sup. lib. 2. epi. 60. & 83. cuius argumentum idem est.

1 CVM *sit salua sui mentula Deiphobi.*] alludit ad Virgilianum Deiphobum de quo lib. 6. vers. 494.

Atque heic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manúsque ambas, populatáque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

A

Ad castam matronam. LXXXVI.

Ne legeres partem lasciui casta libelli,
Prædixi, & monui: tu tamen ecce legis:
Sed si Panniculum, si spectas casta Latinum,
Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

RAMIR. DE PRADO.

Iusserat sup. epig. 68. ne matrona casta ab eo epigrammate sequentia legeret, sed prædixerat futurum vt totum librum studiosa legeret. Nunc autem id exitum dicit comprobasse: sed tamen cum mimos lasciuos spectet, non inhonestius legere potest hosce versus.

1 SED *si Panniculum, si spectas casta Latinum.*] De Panniculo & Latino diximus sup. ep. 5. lib. 2. ep. 72.

In Chionem. LXXXVII.

Narrat te rumor, Chione nũquã esse fututã,
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamẽ nõ hac, qua debes, parte lauaris.
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

DOMITIVS.

NARRAT] Ad Chionem.

SVBLIGAR] Subligaria dicebantur vestes, quæ coxas vsque ad vmbilicum à genibus contegebant, C his vtebantur mimi in theatro. Iuuenal.

ET *subligat Acci.*] Chione hoc indura descendebat in balnea: ait Martial. si id agit propter pudorem commodiùs eo posse contegere faciem, nam vultus pudoris sedes, si tectus fuerit liberiùs agimus, quasi ea vna tantùm pars pudorem sentiat.

IN *faciem*] Alludit ad deformitatem mulieris, quæ debebat tegi: hic sensus placet.

RAMIR. DE PRADO.

Fellatricem Chionen reprehendit, quod tecta pudenda parte corporis lauaretur, cum tamen illa non peccasset, monétque vt velamen transferat ad os, quo peccauerat.

1 NARRAT *te rumor.*] de nomine *rumoris* dictum est sup. lib. 2. epi. 72. & de eius turpicula significatione. D

2 SI *pudor est,*] id est, si facis præ pudore.

3 TRANSFER *subligar in faciem,*] vt contegas os impurum & irrumatum.

In fratres fellatores. LXXXVIII.

Sunt gemini fratres, diuersa sed inguina lingunt.
Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

DOMITIVS.

SVNT *gemini, lingunt diuersa inguina.*] Qui alter fellat, alter lingit cunnum.

MAGIS] Propter hoc.

RAMIR. DE PRADO.

Proponit iocosè, velut ænigma quoddam, quo interrogat, similésne an dissimiles sint duo fratres, cunnilingus alter, & alter fellator? Cum igitur diuersa inguina lingerent, dubitari possit similésne an dissimiles sint. Estque iocus in ambiguitate, à similitudine lineamétorum ad similitudinem morum traducto vocabulo. Geminorum autem similitudo apud veteres erat in pretio, vt probatur ex l. proinde 22. ff. ad leg. Aquil. & ex lepida narratiuncula Plinij lib. 7. cap. 12. cuius verba operæ pretium erit apponere. *Toranius, M. Antonio iam trium viro, eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, vt geminos vendidit, tanta vnitas erat. Postquam deinde sermone puerorum detecta fraude, à furente increpitus Antonio est, inter alia magnitudinem pretij conquerente, (nam ducentis mercatus erat sestertijs.)* B *Respõdit versutus ingenij mango, ob id ipsum se tanti vendidisse, quoniam non esset mira similitudo in vllis eodem vtero editis: diuersarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem. Adeoque tempestiuam admirationem intulit, vt ille proscriptor animus modo & contumelia furens, non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret.*

Ad Phœbum. LXXXIX.

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis:
Nã faciem, durũ, Phœbe, cacantis habes. Vide sup. sub finem lib. 2. Epigr. 87. Scomma forte in Vespasianum detortum, cui vultum veluti nitentis attribuit Sueton. de quo antea Scholio lib. 2. Epig. 87.

Idem Græcè

Σὺ θριδάκων τε ὅπως μαλάχαις τε χρῶ μαλακῆσι.
Σκληρὸν χέζοντος, Φοῖβε, πρόσωπον ἔχεις.

RAMIR. DE PRADO.

Est aliud scomma in Phœbum, de quo sup. lib. 2. epi. 87. qui vultum veluti nitentis semper habebat, cui suadet vt lactucis & maluis, quæ ventrem mouere solent, vtatur sæpiùs, ne faciem habeat durum cacantis, quod assequetur cacando. Similis iocus est apud Sueton. in Vespasiano, cap. 20. *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu velut nitenti. Vnde quidam vrbanorum non infacetè siquidem petenti, vt & in se aliquid diceret, dicam* (inquit) *cùm ventrem exonerare desieris.*

1 VTERE *lactucis.*] vtiles esse lactucas ad molliendum ventrem, constat ex Medicis, & ex epig. 55. lib. 11.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo Vtilis.

Et ex Horat. lib. epod. od. 2. ——— *& graui Maluæ salubres corpori.*

Quas lib. 1. carm. od. 31. leues vocat, quòd valeant exinanire & leuare ventrem.

2 ET *mollibus vtere maluis.*] molles appellauit ex etymo; dicuntur enim à μαλακὸς, id est mollis. Vnde apud Hispan. maritima vrbs amœnissima & mollissima *Malaca*, vulgò *Malaga*.

De Galla. XC.

Vult, non vult dare, Galla, mihi: nec dicere possum,
Quod vult, & nō vult, quid sibi Galla velit.

DOMITIVS

VVLT, *Galla vult, non vult dare*] Galla deformis erat, volebàtque futui a Martiale, sed nihil dare volebat. Deformes autem fututorem pretio concilient necesse est.

VVLT *dare*] Scil. coitum, & subagitari à me Galla.

NON *vult dare*] Scil. pecuniam.

NON *possum dicere quid sibi Galla velit*] Hoc est, qua de causa faciat hoc, est enim deformis, quod vult, scil. futui. non vult scil. dare pecuniam: idem est sensus quodam in disticho alibi:

Vis futui gratis, cum sis deformis, anúsque.
Res perridicula est, vis dare, nec dare vis.

RAMIR. DE PRADO.

Paradoxon est in Gallam deformem, fortè & anum, quæ volebat futui, nec dare aliquid pro pretio volebat: & est lusus similis lib. 7. epig. 74.

Vis futui gratis, cum sis deformis anúsque,
Res perridicula est, vis dare, nec dare vis.

Habet autem miram elegantiam quater repetitum vocabulum, *vult*, & additum ad finem verbum, *velit*.

De Misitio. XCI.

Cū peteret patriæ, Misitius, arua Rauēnæ,
Semiuiro Cybeles cum grege iunxit iter.
Huic comes hærebat domini fugitiuus [a] *Achillas,*
Insignis forma nequitiáque puer.
Hoc steriles sensere viri: qua parte cubaret,
Quærunt: sed tacitos sensit & ille dolos.
Mentitur, credunt: somni post vina petūtur:
Continuò ferrum noxia turba rapit,
Excidūntq; senem, spondæ qui parte iacebat,
Namque puer pluteo vindice tutus erat.
Suppositam, fama est, quondam pro virgine ceruam,
At nunc pro [b] *puero mentula supposita est*

[a] Achilles, Douza, quod eo nomine formosos pueros à poculis nominasse veterē Luciano constet.

[b] v. Ceruo.

DOMITIVS.

CVM] De puero, quem voluerunt castrare sacerdotes Cybeles, sed decepti loco castrarunt senem.

MISITIVS *iunxit iter*] Dedit se comitem.

GREGE *semiuiro*] i. sacerdotibus castratis.

NEQVITIA] Moribus lasciuioribus.

STERILES] i. castrati.

MENTITVR] Designat locum in quo dormiebat.

PLVTEO] Sponda lecti.

VIRGINE] Iphigenia, quæ eadem Iphianassa, A vt Lucret. & Homer. scribunt. Lucretius;

Iphianassæo turparunt sanguine fœde.

RAMIR. DE PRADO.

Facetam continet hoc epigramma narrationem, de sene Misitio, qui errore quodam à Cybeles sacerdotibus exectus est, dum putant se Achillam formosum puerum, qui vnà cum sene iacebat in lecto, exscindere.

1 HVIC *comes hærebat domini fugitiuus Achillas.*] alij legunt, *Achilles*, & Duza formosos pueros à poculis sic nominatos docet ex Luciano. Sed ego existimo nihil mutandum: Nam *Achillas* nomen serui etiam ex lib. 7. epi. 56. esse constat. Neque intelligas hunc puerum fuisse huius Misitij seruum, sed alterius domini fugitiuum hæsisse huic comitem.

2 HOC *steriles sensere viri.*] Steriles viros castratos appellat, vt ep. 9. lib. 9.

B *Ne facere. steriles saua libido viros.*

Et Catullus in Aty.

Egone Deûm monstra & Cybeles famula ferar
Ego Mammas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?

3 CONTINVO *ferrum noxia turba rapit.*] Ferrum posuit per synecdochen pro Samia testa, qua curabantur Galli, vt dictum est, sup. ep. 80.

4 NAMQVE *puer pluteo vindice tutus erat.*] Ex hoc loco videor mihi colligere cubiculares lectos ab vna parte, anteriori aut posteriori, pluteum habuisse, qui eam partem lecti veluti sepiret, relicta alia cum sola sponda, vt ingressus & ascensus facilis esset: Nam versu præcedenti:

Excidúntque senem, sponda qui parte iacebat.

Erant igitur duæ in lecto partes, altera spondæ, altera plutei. Hic puer dixit Gallis, se iacere ad partem spondæ, cum ad plutei partem iacere esset solitus, C qua parte ipse pluteo tutus erat ab illorum incursu.

5 SVPPOSITAM, &c.] notissima fabula Iphigeniæ Agamemnonis filiæ in Aulide, quam adducit pro exemplo. In eo enim sacrificio rapta fuit Iphigenia à Diana, & eius loco supposita cerua, quam Græci duces pro Iphigenia immolarunt. At verò in hoc tumultu pro puero senis mentula supposita est, quam Galli veluti mactauerunt. Petrus Crinitus lib. 19. de honesta disciplina, cap. 8. contendit pro voce *puero*, supponendam *ceruo*, quem sequitur Mellerius Palmerius in Spicilegiis sub principio: quod *ceruos* appellarent veteres *fugitiuos seruos*, vt constat ex Festo in voce Seruorum dies. *Seruorum*, inquit, *dies festus vulgò existimatur Idus Augusti, quod eo die Seruius Tullius natus serua, ædem Dianæ dedicauerit in Auentino, cuius tutela sunt cerui, à quorum celeritate fugitiuos vocent seruos.* Sed ego nihil mutarem, cum pro virgine dicat ceruam suppositam, & pro puero suppositam mentulam.

D

Ad Gallum. XCII.

Vt patiar mœchum, rogat vxor [c] *Galle: sed vnum*
Huic ego, non oculos eruo Galle duos.

[c] v. Galla.

DOMITIVS.

VT *patiar*] Vxor mea, ô Galle, rogat, vt patiar mœchum ad eam accedere, ego si deprehendero mœchum faciam spadonem, quo scil. abutar, non autem eruam oculos, aut nares excidā, vt alij faciunt.

Moechvm] Scil. te. de hoc Gallo suprà: *Subdola famosa.* Erat enim Gallus mollis, & mœchabatur.

Vnvm] i. castro, & facio spadonem eum quem deprehendam.

RAMIR. DE PRADO.

Est iam explicatum epigramma hoc sup. lib. 1. ep. 69. in verb. *vna:* sed interpunctio quæ clariorem reddit sensum, sic est mutanda.

Vt patiar mœchum rogat vxor Galle, sed vnum:
Huic ego non oculos, eruo Galle duos?

Est enim iocus in antithesi, ab vno ad duos, & postrema verba minantis sunt, vt diximus suprà ad lib. 1. ep. 93. ibi, *sed fodiam, qui superest, oculum.*

In Vetustinam. XCIII.

Cùm tibi trecenti consules Vetustina,
Et tres capilli, quatuórque sint dentes,
Pectus cicadæ, ° crusculúmque formicæ:
Rugosiorem cùm geras stola frontem,
Et aranearum caßibus pares mammas:
Cùm comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus angusta,
Meliúsque ranæ garriant Rauennates,
Et Adriaticus dulcius culex cantet,
Videásque quantum noctuæ vident mâne,
Et illud oleas, quòd viri capellarum.
Et anatis habeas ° vropygium macræ,
Senémque Cynicum vincat osseus cunnus:
Cùm te lucerna balneator exstincta
° Admittat inter bustuarias mœchas:
Cùm bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia poßit:
° Gaudes ducentas ° nuptum ire post mortes,
Virúmque demens cineribus tuis quæris
Prurire. quid sarrire si velit saxum?
Quis coniugem, quis te vocabit vxorem,
Philomelus auiam, quam vocauerat nuper?
Quòd si cadauer exigis tuum scalpi:
Sternatur ° Acoride triclinio lectus,
Thalaßionem qui tuum dicet solus,
Vtérque tedas præferat nouæ nuptæ:
Intrare in istum sola fax potest cunnum:

° Crus colorque, vt color formicæ niger fit, vt suprà lib. 1. Epigr. 96. quandam volo nocte nigriorem formica.

° v. orropygium. ° oppono-[illegible]

° Vide Turneb. lib. 11. cap. 19.

° v. audes. ° s. nuptuÃre, nisi inuerso ordine legas, ire nuptum. vt in Aldino exemplari.

° à Coride triclinio. Gryphij editio. à Coricie clinico, Iosephus Scaliger Ausonianarum lectionum, l. 2. cap. 4.

DOMITIVS.

Cvm] In Vetustinam decrepita ætate cupientem futui.

Trecenti *consules*] id est, cum agas trecentos annos.

Pectvs *cicadæ*] Aridum, & asperum, vt cicadæ.

Stola] Vestis mulierum rugosa.

Cassibvs] i. retibus.

A Ravennates *ranæ*] Rauenna in paludibus condita, & illic multæ ranæ.

Garriant] Coaxent.

Cvlex *Adriaticus*] Ad littora Adriæ.

Vropygivm] Clunem Oropygium. i. rectam clunem: depygis apud Horat. dicitur mulier sine clune.

Vincat] Superet macie.

Senem *cynicum*] Nam cynici & sordidi, & ob philosophiæ studium macilenti.

Bvstvarias] Bustuariæ erant anus, quæ ad deploranda funera conducebantur. cùm in balnea intrabant, extinguebatur lucerna, vel ne videretur earum deformitas, & balneorum nomini detraheretur:- vel in contemptum quasi non essent dignæ lucerna.

Balneator] Custos, & magister balneatum.

B Moechas] Quæ olim mœchæ fuerant, nam ex genere ad vilia senescentes munera deueniunt.

Cvm *sit tibi bruma per Augustum mensis*] i. cum frigeas Augusto. Exhausti annis non timent pestilentiam deficiente calore, quo pestilentia incenditur. Sensus est: Et si laborares pestilentia, non posses calere: nam regelare est contracta gelu, dissoluere calore; vt apud Colum. Regelare hortos, & agrum.

Post *ducentas mortes*] Maritorum.

Prvrire, *quid si sarrire velit saxum*] Sarrire, id est, aperire, vt placet Var. eodem verbo Catul. vtitur. Sensus est: Si fortè vir aliquis constituerit animo sarrire saxum .i. futuere te saxeam, quis posset eum appellare maritum, aut te vxorem, cum Philomelus: cui paulò ante nupseras, senex appellauerit te auiam. Si *Sathire* legis, dicatur à σάθη, quòd mentulam
C significat. Vnde satyri dicti proni in libidinem: Macrob. authore: vt dicas, Quid si aliquis velit sathire i. arrigere ad saxum, sed placet prior.

Exigis] Optas.

Tvvm *cadauer*] Te mortuam.

Scalpi] Non dixit futui, cum non sit ampliùs mulier.

Acoride *triclinio*] Lectus nuptiarum. Coris nomen sacerdotis est curantis funera, vt Corines, apud Virgil.

Vstores] Ædificatores pyrarum dicebantur: idem verbum apud Catullum.

Tedas] Tedæ cum aqua præferebantur nouis nuptis, vnde tedæ pro nuptiis aliquando.

Fax] Quasi dicat, digna es rogo non nuptiis.

D GEORGIVS.

Et *vropygium macræ*] In coarguendo Galeoto Iulio Polluce nixus vropygium, & oropygium legendum præcepi, & esse vropygium terminum pygæ, siue finem vertebræ: cuius extantia podici emineat. At contrà Domit. afferenda sunt, quæ de vropygio Arist. scribat, qui in vltimo de partibus animalium, vt caudam quadrupedum vult esse, ita volucrum vropygium, & earum duntaxat, quæ scissas alas habent, mirórque Theodorum Gazam exactissimę diligentiæ interpretem adeò exhorruisse dictionem Græcam, qua Latinus poëta vsus est, vt maluerit obscura periphrasi hanc partem significare. Sed in libro περὶ ζώων πορείας, hoc est de animalium progressu, quorum propriè sit vropygium, & ad quos vsus natura fecerit, in hunc modum disserit: Vropygium ita datum est volucribus ad dirigendos volatus quemadmodum nauigiis temones, ipsum item ne-

cessario

cessario in coitu flectunt, quare quæ integræ sunt alæ, & quædam scissarum alarum minus vtile ad supradictum opus vropygium habent, sicut pauones & galli, sed integram alam simpliciter habentes sine vropygio sunt. Quare velut nauium sine temone quocumque inciderint, feruntur, similiter & quarum alæ vagina continentur, vt cantari, & quæ nudas alas habent, sed quæ non volant ijs parum vtile est vropygium, sicut Porphyrioni, & fulicis, & omnibus fluuiatilibus, qui dùm volant pro vropygio pedes extendunt, his vtuntur pro vropygio ad volatum dirigendum. Quare cùm sæpè de vropygio & vsu eius philosophus nobilissimus disseruerit, turpè fuit arrogantissimo interpreti eius libros non adiuisse, & diligenter pertractasse.

CHRISTOPH. COLERVS.

GAVDES *ducentas nuptum ire post mortes.*] Miror quid caussæ sit, cur quisquam dubitarit reponere in contextu *nuptum ire*: quo verbo etiã Apuleius vtitur.

RAMIR. DE PRADO.

Est inuectiua in Vetustinam quamdam, cuius nomen à vetustate deducit, quæ in extrema senectute virum quærebat. Estque totum epigramma hyperbolicum, vt moris est huic Poëtæ.

1 CVM *tibi trecenti Consules.*] Est hyperbole, qua significatur vel trecentos habere annos, vel saltem centum quinquaginta, cum singulis annis par Consulum crearetur.

2 ET *tres capilli.*] De hac hyperbole dictum est sup. lib. 1. ep. 20. & lib. 2. ep. 41. quibus adde distichon ex lib. 12. ep. 7. *Toto vertice quot gerit capillos,*
Annos si tot habet Ligia, trima est.

3 RVGOSIOREM *cum geras stola frontem.*] Notandus est dicendi modus, *gerere frontem*, & *gerere mammas.* Quod rarum est apud Latinos: Hispanismus autem apud nos frequentissimus est: *lleua buena ò mala, lleua buen cuerpo ò malo.* à quo verbo faciem & vultum vocamus, *gesto*, quod geratur.

4 CVM *comparata, &c.*] Est mira hyperbole, cum Vetustinæ rictum inesse dicat, crocodilo verò si cum ea conferatur esse os, & idem augustum, cum contra sit, vt fœminæ os, Crocodili rictus dicatur.

5 MELIVSQVE *ranæ garriunt Rauennates.*] De stagnis Rauennæ, quæ ranis abundabant, diximus sup. epi. 56. & 57. & hic lege Sidonii verba li. 1. epist. 8. *Ita tamen,* inquit, *quòd te Rauenna feliciws exultantem, auribus Palano culice perfossis, municipalium ranarum loquax turba circumsilit.*

6 ET *illud oleas quod viri capellarum.*] Periphrasis hircorum, qui graueolentiam præcipuè habent in coitu: ideò dixit, *viri.* Idem est lib. 4. epig. 4. de malo Bassæ odore dixit olere:

Quod pressa piger hircus in capella.

Et lib. 7. ep. 93. de malè olente Thaide ait:

Non ab amore recens hircus, non ora leoni.

Hæc autem periphrasis desumta est ex Virg. ecl. 7.

Vir gregis ipse caper deerrauerat.

Quod Horatius aliter expressit lib. 1. carm. ode 17.

Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma deuia
Olentes vxores mariti.

Quod imitatus Noster lib. 14. ep. 140. de odoribus Ciliciis, inquit.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti,
Cyniphio poterit planta latere sinu.

Hinc alarum in homine fœtor, *caper*, tum, *hircus* dicitur, & Græcè τράγος. Catullus in Rufum epi. 70.

A *Lædit te quædam mala Fabella, qua tibi fertur:*
Valle sub alarum trux habitare caper.

Et Horat. ode 12. epodon:

—— namque sagacius vnus
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis.

Et Noster lib. 11. ep. 23.

Inde Tragus celerésque pili mirandáque matri
Barba.

Quem tetrum odorem eleganti periphrasi appellauit etiam hircum Ouidius, de arte amandi lib. 1. vers. 524. his verbis:

Nec lædat nares virque patérque gregis.

Vnde hircosus dicebatur, qui alarum fœtore offendebat nares, cuius vocabuli mentio est apud Vlp. in l. qui clauum, 12. §. vltimo. ff. de ædilit. edicto. *Is cui os oleat,* inquit, *an sanus sit, quæsitum est. Trebatius ait non esse morbosum, os alicui olere, veluti hircosum, strabonem: hoc enim ex illuuie oris accidere solere, &c.* qui locus malè torsit doctissimos quosque nostri seB culi viros, Cuiacium in primis, qui lib. 11. obser. cap. 10. existimat hircosum eum esse, cui os malè oleat, idque probat ex Nostro, lib. 12. ep. 59.

—te pilosus Hirco & premit osculo colonus.

Et ex Plauto in Mercatore scen. *Adducam.*

Iam plenus ætatis, animáque fœtida senex
Hircosus.

Deinde malè hominem habet τὸ *Strabonem*, & ingeniosè emendat *Strabonem*, vt sit, qui gingiuas & dentes alluuie scabros & spurcos habet, eius etiam discipulus Ioseph. Scalig. collectaneis in Varron. ad lib. 6. ἀναμφισβήτως, vt ipse ait, legit. *Vt hircosum, raponem,* & interpretatur *raponem* ἀδηφάγον adducitque Varronis locum hunc, *Cum hic rapo vmbram quoque spei deuorasset.* postea dicit hircosum etiam defendi posse, esséque eum, cui ex fœda & deteC stabili libidine os oleat, eiusmodi enim vocabantur hirci, vt Catullus ep. 38.

Salax taberna, & putare ceteros hircos.

Et in dicto Atellanæ Tiberio obiecto apud Suetonium, cap. 11. 111.

Hircus vetulus naturam capreis ligurit.

Hac interpretatione adeò sibi placet Scaliger, vt non satis dignè se expediisse Cuiacium dicat. Ego vero, vtriusque pace dixerim, multo aliter sentio accipiendum esse Trebatij dictum. Primum credibile non est adeò absurdè doctum IC. loquutum fuisse, vt cum oris fœtorem morbum non esse affirmaret, non magis quàm alium fœtorem corporis, exemplum in eadem parte corporis, hoc est, in ore, posuerit. Esset enim inepta ratio, & nugatoria respondisse Trebatium oris fœtorem non magis morbum D esse, quam oris fœtorem. Itaque ambo hi magni viri lapsi sunt hac in re. nam Trebatius dixit non magis morbum censeri oris graueolentiam, quàm alarum, nec morbosum magis existimari debere eũ, cui os oleat, quàm hircosum, deinde adductæ auctoritates ad probandum hircosum dici de ore, non probant: Nam apud Nostrum,

—— te pilosus
Hircoso premat osculo colonus.

Illud *hircoso ore*, vel dictum est, quod pilosus esset, vel quod male oleret ei os, & per metonymiam alarum odor, ad oris odorem transfertur eo loco. & in loco Plauti duo vitia diuersa notantur in Sene, quod illi anima fœtida sit, & quod grauiter ei oleant axillæ. Catulli locus, quem adducit Scalig. non id probat: nam per contentum hircos appellabant sellatores, vt patet ex loco Atellanæ supra adducto. Est enim ea natura hirci, vt capris naturã lambat, quid?

quod hirsutos hircos, vel capras appellabant. & apud Suetoniũ, vbi extat versus Atellanæ supra adductus, accommodatum est hirci nomen ob hanc caussam Tiberio. Inquit enim Suet. *Obscenitate oris, hirsuto atque olido seni clare exprobrata.* Et coram Caligula, vt idem scribit, cap. 50. *quod hirsutus esset, quacumque de causa capram nominare criminosum, & exitiale habebatur.* Itaque retineo apud IC. vocem illam, *Hircosum*, in ea, quam dixi significatione. Ad scrupulum accedo, quem iniecit vox illa, *Strabonē.* Et primum dicere possum Trebatium voluisse ex re manifesta ostendere rem non adeo manifestam: nam cum dubium nemini esse posset, quin Strabo morbosus non esset, dixit non magis eum, cui os oleat, morbosum esse, quam Strabonem: forte, quod existimasset in hircoso non satis esse probatum: nam cum vterque odor ex non bona corporis habitudine proueniat, posset aliquis dubitare an verum esset hircosum morbosum non esse. Ideo ad maiorem probationem, rem adiunxit in qua nulla subesse posset dubitatio, & addidit Strabonem. apud Iurisconsultos enim diuersa vitia coniungi non est insolens, vt in L. ob quæ. 4. §. item aleatores, & L. idem 10. §. fin. dicto Hor. de ædilit. edicto. Sed si fas esset sacrosanctam nostris iureconsultis Florentinorum Pandectarum fidem in dubium quacumque ratione vocare, diceremus profecto τὸ *Strabonem*, glossema ab aliquo sciolo in ora libri adscriptum, quod posteà in Trebatij verba nullo iure, vt fere fit, inuasit. Sed quid fuerit sequutus sciolus ille scholiastes, fortè non liquebit omnibus, aperiam paucis. Hircosum ille existimauit eum esse, qui distortis oculorum pupillis, & in angulum oculorum compressis intuetur: ab hirquis, id est, angulis oculorum interioribus, qua mente interpretantur multi illud Virgilianum, eclog. 3.

Nouimus & qui te transuersa tuentibus hirquis.

Sic enim legunt, qui id sequuntur, potius quam *hircis*, vel existimauit deductum nomen ab hirco animali, quod præ libidine contorquere oculos soleat, vnde Græci, *παραγωδοῦν βλέπειν*, distorte intueri, quo vicio qui laborant Strabones Latinè dicuntur. Vnde natum est glossema illud. Sed ego in hac acceptione *hircosi* nomen numquam legi, nisi apud Lexicographum Iurisconsultum, qui hanc eandem legem in testimonium adducit.

7 Et *anatis habeas vropygium macra.*] Legendum ὀῤῥοπύγιον, de quo nomine multa dicit hoc loco Merula. Est autem extremitas illa vertebræ podici proxima. Hispani vocamus, *obispilo*: quod mitræ Episcopalis figuram quodammodo habeat. In macris auibus eminentior est illa pars, in pinguibus, sebo & pinguedine rotundatur. In viris summa deformitas: inde quæsitus iocus, sup. ep. 98.

Sit culus tibi quàm macer, requiris?
Pædicare potes, Sabelle, culo.

Quasi diceret, adeò macer es, vt tibi ὀῤῥοπύγιον, tanquam mentula emineat, quò posses pædicare, & etiam in feminis summum vitium erat, has *depugos* vocabant. Horat. lib. 1. sat. 2.

—— veram
Depugis nasuta, breui latere, ac pede longo est.

At vero è contrario καλλίπυγοι, quæ pulcris natibus erant magnifiebant, de quibus Athenæus, lib. 12. hæ namque, cùm nullam nubendi spem haberent, vt indocatæ, & pauperes, non alia de caussa splendidè fuêre collocatæ, quàm quòd καλλίπυγοι habitæ, & repertæ.

8 Senemqve *Cynicum vincat osseus cunnus.*] Osseum cunnum appellat, quod præ macie totius corporis vix ossibus hæreat. Comparat deinde deformitatem eius Cynico seni, de quo inf. lib. 4. ep. 53.

Cum baculo peraque senem, cui cana patrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.

Quæ omnia Vetustinæ barathro accommodari possunt. Vetulum appellat cunnum, etiam lib. 10. ep. 90.

Quid vellis vetulum Ligella cunnum.

Canum etiam dicit, sup. ep. 34. lib. 2.

Præstatur cano tanta indulgentia cunno.

9 Cvm *te lucerna*, &c.] Vilissima scorta in monumentis prostituebantur, vt sup. dictum est, lib. 1. ep. 35. hæ ad balnea quæstus causa se conferebant, vt constat ex Lampridio & Ammiano Marcellino adductis hoc loco ab Heraldo. Hæc igitur vetula, corrupto donis balneatore, admittebatur inter hæc bustuaria scorta extincta lucerna, ne posset internosci.

10 Cvm *bruma mensem sit tibi per Augustum.*] Extinctum iam omninò naturalem huius vetulæ calorem per hanc hyperbolen significat: nam cum Augusto mense caloribus æstuemus, ipsi bruma erat, quæ quidem mense Decembri est, vt lib. 7. ep. 94.

Bruma est, & riget horridus December.

11 Regelare *nec te pestilentia possit.*] Pestis ardentissimus morbus est: apud Medicos satis notum. vnde Arnobius lib. 1. contra gentes, ait: *Pestilentia contagia vrunt genus humanum.* Senes autem cum pigri sint, minus hoc morbo afflictantur. Docet Plin. lib. 7. cap. 50. *Senes minimè sentire pestilentiam.* Est ergo hyperbole ad summam Vetustinæ frigiditatem notandam, quod nec pestilentia ipsa possit ipsam regelare. Est autem dicendi modus desumtus à Seneca epist. *Vt à communibus* 68. *Iam ætas mea contenta est suo frigore, vix media regelatur æstate.* vtitur eodem verbo Columella, lib. 1. de re rust. cap. 5. vide quæ diximus sup. epig. 65.

12 Gavdes *ducentas nuptum ire post mortes.*] In veteribus est, *audes.* Quod si sequaris, apta erit Iunij coniectura, qui legit, *nupturire ducentas mortes.* hyperbolicōs dixit, sed lib. 9. ep. 16. vero numero Chloë.

Inscripsit tumulo, septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe.

Et Iuuenalis, sat. 6. vers. 228.

Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
Quinque per Autumnos, titulo, res digna sepulchri.

13 Sternatvr *Acoride triclinio lectus.*] Corruptus est Senarius hic, emendatus olim à Scaligero in Ausonianis lectionibus, lib. 2. cap. 4. qui legit: *Sternatur à Coriolo clinico lectus.* quam lectionem veram puto: quid enim ibi faceret triclinium? Sed Scaliger non explicat quid hoc loco *clinicus* sit. Est enim Vespillo, quem irrisoriè clinicum vocat, vt sup. lib. 1. ep. 31.

Chirurgus fuerat nunc est Vespillo Diaulus,
Cœpit quo poterat clinicus esse modo.

Vide ibi quæ notauimus.

Comparat autem genialem lectum cum funerali: quemadmodum nuptiales tedas infrà cum facibus mortuorum; vt sit sensus, Tibi nubere volenti non genialis lectus, sed feretrum vel sandapila paranda est, imò lectus vbi mortui in atriis, pedibus ad fores porrectis locabantur, vt inde simul cum ipso lecto efferrentur & cremarentur. de quo est ep. 97. li. 10.

Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato.

Et Persius, sat. 3. versu 103.

—— tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,

In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Et Tibull. el. 1. lib. 1.

Flebis & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lachrymis oscula mixta dabis.

Vbi nota illa verba, *arsuro lecto*. & Propertius, lib. 2.

Nec mea tunc longa spacietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

14 THALASSIONEM *qui tuum dicet solus.*] De Thalassione iam sup. dictum est, lib. 1. ep. 36. *Solus* autem dixit, quod Thalassio solebat dici à multis: Solus verò Vespillo aptus erat, qui id carmen caneret Vetustinæ.

15 VSTORQVE *tedas praeferat nouæ nuptæ.*] vstores sunt pyrarum, in quibus mortui cremabantur, ædificatores, & qui cadauera in vstrinam conijciebant, vt cremarentur, & silicernium. hoc est, feralem cœnam custodiebant à pauperibus & mendicis, qui eas dapes in rogum coniectas semivstulatas sibi tollebant rapere; vt constat ex scommate Catulliano in Rufam quamdam, epigr 60.

——Sæpe quam in sepulchretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam.
Cum deuolutum exigue prosequens panem,
A semiraso tunderetur vstore.

Vbi vides vstoris nomen vsurpatum à Catullo. Cum igitur nouis nuptis tedæ præferrentur, ait conueniens esse, vt huic vetulæ tedas præluceat vstor, quæ tedæ faces essent rogi. Vnde quasi se explicans subiungit continuò:

Intrare in istum sola fax potest cunnum.

Quod fax mortuorum esset, quamuis aliquando pro nuptiali teda hoc nomine vtantur scriptores.

In Rufum. XCIV.

Esse negas coctum leporē, poscisque flagella.
Mauis, Rufe, coquum ″*scindere, quàm leporem.* [v. cædere]

RAMIR. DE PRADO.

Scomma in Rufum auarum, qui dum dapes ab vna in aliam cœnam seruare volebat, caussatur coqui negligentiam, qui crudas exhibuisset mensæ, poscebatque ad eum verberandum flagella. Dicit malle hunc coquum flagellis scindere, quam leporem cultro. Quod epigramma iam sup. epigr. 13. explicatum est.

In Næuolum. XCV.

Numquam dicis aue, sed reddis, Næuole, semper.
Quod prior & Curius dicere sæpe solet.
Cur hoc exspectas à me? rogo, Næuole dicas:
Nā puto nec melior, Næuole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæsar vterque,
Natorúmque dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notúmque per oppida nomē
Non exspectato dat mihi fama rogo.

A *Est & in hoc aliquid, vidit me Roma tribunum,*
Et, sedeo qua te suscitat ″ *Oceanus.* [Oceanus disponendis ordinibus præerat.]
Quot mihi Cæsareo facti sunt munere ciues,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi.
Sed pædicaris: sed pulchrè Næuole ceues.
Iam iam ″ *sic prior es, Næuole. vincis. aue.* [v. tu prior.]

DOMITIVS.

NVMQVAM] In Næuolum cinædum.
CVRIVS] Grauissimus fuit dentatus.
VTERQVE *Cæsar*] i. Titi & Domit.
ROGO *non exspectato*] Cùm alij tantùm habeant famam & nomen post cineres.
SEDEO] In decimoquarto gradu.
B OCEANVS] Erat præfectus sedentibus in theatro, vt ordine sederent.
TE *suscitat*] Iubet te discedere.
MIHI] Meis precibus.
SED *pædicaris*] Ideo prior, nam ita in priore loco collocaris, vt podice excipias mentulam. iocatur verbo: nam prior ad dignitatem toto epigrammate dictum est hactenus, nunc ioco refertur ad locum eius, qui pædicatur, qui priori loco stat.
CEVES] Moues nates.
PRIOR *es*] Priorem locum obtines.

RAMIR. DE PRADO.

Næuoli cuiusdam superbum fastum & arrogantiam increpat, qui semper expectabat, dum à Martiale salutaretur, nec ipse prior salutabat vmquam.
C Comparat in multis vtrumque, & ostendit nulla in re se Næuolo esse inferiorem, sola mollitie & turpitudine fatetur eum priorem esse.

1 SED *reddis Næuole semper.*] Priorem salutare confitentis erat se inferiorem esse salutato: Reddere autem, *Aue*, vel resalutare, erat officium superioris. Itaque lib. 10. ep. 70.

Nunc resalutantes video nocturnus amicos, inquit, vbi, *resalutantes amicos* intelligo potentes & fastuosos, qui exspectabant dum salutarentur; vt redderent aue. quos nocturnus videbat, quod mane alijs detentus occupationibus non vidisset. Domini etiam comitatis vel vrbanitatis causa seruos resalutabant, & per ludum vocabant dominos, lib. 5. ep 58.

Cum voco te Dominum, noli tibi Cinna placere,
Sæpe etenim seruum sic resaluto meum.

D Nimium verò fastuosi nec resalutabant, lib. 4. ep. 84.

Securus nullos resalutas, despicis omnes.

Et Suetonius de Nerone, cap. 37. *Certe neque adueniens, neq. proficiscens quemquam osculo impertiuit, ac nec resalutatione quidem; sed vel respiciebat salutantes, vel annuebat nullo prolato verbo.* Iuuen. sat. 3. v. 184.

——Quid das vt Cossum aliquando salutes?
Vt te respiciat clauso Veiento labello?

Erat igitur officium fastosi superioris resalutare; Quamuis aliqui modestiæ vel beneuolentiæ causa anteuertebant salutationem, vt Philippus apud Horatium, epist. 7. lib. 1. qui Vulteium Menam præconem prior salutauit:

——Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello,
Occupat: & saluere iubet prior.

2 QVOD *prior & Curius dicere sæpe solet.*] Per Synecdochen Curium posuit, pro quouis, nobili & graui viro: vt Iuuenalis, sat. 1.

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

De quo iam sup. dictum est ad ep. 25. lib. 1.

3 PRÆMIA, &c.] De præmiis intelligendum acceptis à Tito & Domitiano, vt sup. lib. 2. epigr. 91. & 92.

4 NON *expectato dat mihi fama rogo.*] De hoc sup. dictum est, lib. 1. ep. 1.

5 VIDIT *me Roma Tribunum.*] Fuit Martialis Tribunus honorarius. Vnde etiam Equestris dignitas ei data: Non enim Eques fuit ex censu, vt alij, sed ex munere Tribunicio, quo qui fungebantur, intra quatuordecim gradus spectare poterant, vt legitimi & iusti Equites. Hinc subsequitur,

Et sedeo qua te suscitat Oceanus.

Quod significat Næuolum hunc non esse Equitem Romanum, & solere suscitari ab Oceano, qui disponendis ordinibus præerat, de quo & Lectio frequentes ioci apud hunc Poëtam. *suscitandi* autem vel *excitandi* verbum theatrale, significat amouere à loco, in quo quis intra quatuordecim gradus sedebat, lib. 6. ep. 9.

Et quereris si te suscitat Oceanus?

Et lib. 5. epigr. 36.

Et suscitanti Lectio reluctatur.

Et eod. libro epigr. 14.

Bis excitatus terque transtulit castra.

Sueton. in Aug. cap. 14. *Cum spectaculo ludorum gregarium militem in 14. sedentem excitari iussisset.*

6 QVOT *mihi Cæsareo*, &c.] Innuit à se impetratum esse multis à Cæsare ius Ciuitatis, vt Plinius impetrauit multis: vt constat ex toto lib. 10. epistolarum.

7 IAM *iam sic prior es Næuole, vincis, Aue.*] Illa palilogia, iam iam, est eius, qui tandem intelligit, quod antea non intelligebat. quod Hispani imitamur eadem voce: *ya ya*, Sic *Prior es*, dixit, vbi illud *sic*, ad præcedentem versum refertur, *sic*, *Quod pædicaris & cenes*, Ideò *pr·or es*, id est, in anteriore loco, nam qui pædicatur, anterior est: qui pædicat posterior hæret ad nates Pathici. Quare subiungit: *Vincis*, id est, botines causam. Ideo ego prior te salutabo *Aue*: & hic est arguti Poëtæ sensus, quem nemo quod sciam subodoratus est quidem.

In Gargilium. XCVI.

Lingis, non futuis meam puellam.
Et garris quasi mœchus, & fututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

DOMITIVS.

LINGIS] In Gargilium, qui volebat videri mœchus, cum adhuc esset puer mollis, & cunnilingus, per vrbanè minatur se eum irrumaturum si deprehenderit.

TACEBIS] Alludit ad illud quod dixerat garris, & ad fellationem: nam qui irrumantur, dicuntur fellare, & loqui non potest, ore mentula irrumatoris obstructo.

TACEBIS] i. irrumabo te: idem minatur Priapus in obscœno carmine,

Pædicaberis Irrumaberisque.

RAMIR. DE PRADO.

Gargilius quidem cunnilingus iactabat se tanquam A mœchus & corruptor puellæ Martialis: interminatur ei, si prehensus fuerit, ore vt irrumetur, quòd vocem perdet & tacebit. similis iocus apud Catullum, epigr. 75. in quemdam Gellium,

Quod voluit, fecit: nam quamuis irrumat ipsum,
Mine patruum, verbum non faciet patruus.

Obturatur enim os τῆς γλωσσοποιΐας.

1 SI *te prendero.*] Proprio mœchorum verbo vsus est, de quo sup. l. 5. ep. 35.

Ad Rufum. XCVII.

Ne legat hunc Chione, mando tibi, Rufe libellum.
Carmine læsa meo est, lædere & illa potest.

B DOMITIVS.

NE *legat læsa*] Scil. carmine superiore Chione.

POTEST] Nam dabat pecuniam, vt subagitaretur, vt suprà: *Fac mihi quod Chione*: Hæc erat illa, *Frigida es & nigra.*

RAMIR. DE PRADO.

Quod in hoc libro multis epigrammatis insectatus est Chionem fellatricem, mandat Rufo ne illa hunc librum legat; quia cum omnibus carminibus læsa, potest & ipsa lædere dentibus, cum irrumatur, vt diximus sup. ep. 82.

In Sabellum. XCVIII.

Sit culus tibi quam macer, requiris?
C *Pædicare potes, Sabelle, culo.*

DOMITIVS.

PÆDICARE *potes tuo culo*] Adeò tuus culus est macer, & acutus tanquam mentula.

RAMIR. DE PRADO.

EXPLICATVM est sup. hoc distichum, epigr. 93. ad illud.

Et anatis ὀρροπύγιον macra.

Ad cerdonem. XCIX.

D *Irasci nostro non debes cerdo libello.*
Ars tua, non vita est carmine læsa meo.
Innocuos permitte sales. cur ludere nobis
Non liceat, licuit si iugulare tibi. Supra lib. 1. Epigr. 26.

DOMITIVS.

IRASCI] In Cerdonem de quo suprà conquestus est, quod dederat munus gladiatorium.

ARS *tua, non vita est læsa à me*] Quia non dixi in vitam tuam, sed in artem.

LICVIT *iugulare*] id est, potuisti exhibere gladiatores iugulandos in theatro. Iuuenal.

Et verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

RAMIR. DE PRADO.

Supra ep. 16. & ep. 58. insectatus fuerat sutorem quemdam, quod Gladiatorum munus exercuisset, quem fingit subiratum fuisse Poëtæ ob ea scommata quem placat hoc epigrammate: Cum dicat se non vitam eius, sed artem non tacuisse; Petitque vt impune liceat sibi iocari, cum impunè liceat sutori iugulare, id est, dare ea munera, vbi homines iugulentur. Vide epigrammata supra dicta.

Ad Rufum. C.

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlū nam fortè ruebat.
Non aliter mitti debuit iste liber.

DOMITIVS.

CVRSOREM] Deprimit honorem carminum A suorum, & superioris libri, quem ait se misisse per maximos imbres ad Rufum amicum, quoniam hi omnes versus essent delendi: infrà,

Curre, sed instructum comitetur Punica librum
Spongia: muneribus conuenit illa meis.

Nam carmina indocta solet dicere digna esse aquis, antè,

Vis puto cum libro Marce natare tuo.

RAMIR. DE PRADO.

Miserat Poëta cursorem cum carminibus perferendis ad Rufum sexta hora, quo tempore immodicis imbribus forte velut ruebat cœlum. Non aliter ait mittendum fuisse librum illum, quod mala carmina digna erant, quæ aqua & spongia à tabel- B lis delerentur, quod fieri solebat, vt lib. 4. epig. 10.

Curre, sed instructum comitetur Punica librum
Spongia, muneribus conuenit illa meis.

Et iam diximus, sup. lib. 1. ep. 6.

1 CVRSOREM.] De Cursoribus & Cursu publico: vide quæ Lipsius collegit, epistola 59. Centuriæ singularis ad Nicolaum Micolletium.

Finis libri tertij Epigramm. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER QVARTVS.

SVMMA.

Hoc epigrammate, natalitium Domitiani Cæsaris diem Martialis celebrans ait. O sacra dies, imo longè sacratior illa, qua natus est Iupiter, sis precor Nestoreo longior æuo, Et semper serena faue Domitiano: Vt non solùm Romuleo Terento, sed & secularibus ludis intersit. Perquam magna ò cælites, sed debita, petimus.

DE NATALI DOMITIANI. I.

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa, v. omni.
Conscia Dictæum qua tulit Ida Iouem,
Longa precor, Pylioq; veni nùmerosior æuo,
Semper & hoc vultu, vel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro, v. cultus.
Perq; manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.
Magna quidem, superi, petimus, sed debita terris:
Pro tanto quæ sunt improba vota deo?

Idem Græcè.

ΗΜΑΡ Καίσαρος ἡδὺ, σεβαστὸν μᾶλλον ἐκείνου,
Ηδη ἐν ᾧ Δίκτης κλιτῦσι φῦσε Δία,
Αἰῶνος Πυλίοιο πολυχρονιώτερον ἔλθοις,
Ταὐτό τ' ἀεὶ λάμποις, ἢ καὶ ἀμεινότερον·
Χρυσῷ δ' ἀλβανῷ τριτωνίδα συχνὰ γεραίροι,
Καὶ πλεῖστα πιστὰς δρῦς διὰ χεῖρας ἴοι·
Κύκλον ἄγοιτο μέγαν περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ἱερά τε, Ῥωμαίων οἷα Τέρεντος ἔχει.
Ἀδρά, θεοί, λιτόμεσθα, δίκαια δὲ· τίς γὰρ ἀναιδὴς
Εὐχὴ ἂν εἴη ὑπὲρ τοσσατίοιο θεοῦ;

DOMITIVS.

CÆSARIS *alma dies, & luce*] Ad viij. Kalend. A Nouembris natus Domit. eum diem celebrat Martial. hoc epigrammate, precatúrque vt diutissimè in terris sit imperator.

ALMA *dies Cæsaris*] ô dies natalis Cæsaris.

IDA] Sylua Cretæ.

TVLIT] Produxit in lucem.

IOVEM *Dictæum*] Quia in Creta est educatus Iupiter.

DVPLEX *Ida*] Cretensis, & Phrygia.

NVMEROSIOR *Pylio æuo*] i. perficies plures annos ætate Nestoris.

NITE *hoc vultu*] i. nite hac serenitate.

CVLTVS] Annosus, & amplissimus in auro Albano, aurum Albanum appellat auream coronam Cæsaris, & apparatum quo vtebatur in sacris Mineruæ institutis ab ipso in Albano quotannis, vbi dabat ludos scænicos, & oratorum, & poëtarum B certamina: Tranquillus author.

TRITONIDA] Palladem, quæ erat numen familiare Domitia. vt ait Fabius.

PLVRIMA *quercus*] Hoc dicit quoniam singulis annis etiam in quinquatriis Mineruę corona querna donabatur à Domitia. quod Mart. apertè ostendit ad Collinum.

O cui tarpeias licuit contingere quercus:

Et de eadem re infrà est epigramma.

PLVRIMA *quercus*] id est, donat multas coronas quernas.

Hic colat ingenti redeuntia secula:

Ludi seculares centenis quibúsque annis instaurabantur. Domitia. eos celebrauit non supputata ratione temporum à Claudio, qui paucis antè annis eos celebrauerat, sed ab Augusto.

HIC *colat secula*] i. seculares ludos redeuntes anno centesimo.

LVSTRO] Lustrum est spatium quinque annorũ, quo olympia solebant instaurari. Cùm autem centesimo anno redeant seculares, appellat poëta illius temporis ingens lustrum.

SACRA *Terentus*] Sacra ad Terentum campi Martij xxx. quoque anno innouabantur: alibi Mart. cum sexagenariam diceret, ait:

Bis mea Romano spectata est vita Terento.

TERENTVS *Romuleus*] Campi Martij.

DEBITA] Quia hæc debentur terris.

IMPROBA] Nimia.

PRO *tanto Deo*] Domit. nam Deus, & dominus voluit appellari.

RAMIR. DE PRADO.

Celebrat Natalem Domitiani diem, politissimo epigrammate, & adiungit precationem pro vita & incolumitate Imperatoris.

1 CÆSARIS *alma dies.*] Id est, natalis, proprioque epitheto vsus est. *almus* enim ab alendo dictum, & accommodatur Dijs & rebus alijs, quæ vel ad generationem, vel procreationem hominis pertinent: Sic alma Venus & alma Ceres dicitur, non alma Pallas aut Bellona. Cum igitur hic natalis esset dies, qui eduxit in lucem Domitianum, ideò dixit, *alma dies.*

2 ET *luce sacratior illa*, &c.] Adulatione eo ducitur, vt præferat Domitianum Ioui, & sacratiorem diem natalem Domitiani dicat, quàm natalem Iouis. Tulisse autem Idam dicunt Iouem, quod a Rhea traditus Curetibus fuit in monte Ida

3 LONGA *precor*, &c.] Duo precatur, & quod longa sit dies illa, & quod Nestoreos annos superet Natalis Domitiani, & quod prosperè feliciterque proueniat semper, velut vt nunc vel melius.

4 HIC *colat Albano Tritonida cultus in auro.*] Hic, id est, Domitianus, de quo loquitur. Testatur Suetonius in Domitiano, cap. 4. eum in Albano quotannis quinquatria Mineruæ celebrasse, magnificosque ludos Theatrales, & Scenicos, insuper Oratorum ac Poëtarum certamina ibi edidisse. Loco illius vocis, *cultus*, est in veteribus, *multus*; quod probo magis. Erat enim Domitianus occupatus eo tempore in coronandis victoribus aureis coronis. Probatur id ex Papinio, lib. 3. syluarum, in poëmate vltimo ad Claudiam vxorem:

——ter me vidisti Albana ferentem

Dona comes, sanctoque indutum Cæsaris auro.

Nam cum Ludorum victoribus coronæ ex Lauri, oleæ, vel quercus, vel alius arboris folijs darentur. Crassus diues, vt testatur Plin lib. 21. cap. 3. *primus argento, auroque folia imitatus, Ludis suis coronas dedit.* qui mos ab hac origine manauit in posteros. De patre huius Imperatoris scribit Sueton. cap. 19. hæc. *Apollinari tragœdo quadringena; Terpio, Diodoroque Citharœdis ducena, nonnullis centena, quibus minimum quadragena sestertia. super plurimas coronas aureas dedit.* Idem faciebant Prætores per Ludos, ex quo more quæsitus Poëtæ iocus, lib. 8. ep. 33.

De Prætoricia folium mihi, Paule, corona,

Mittis, & hoc phialæ nomen habere iubes.

Vnde veriorem iudica lectionem vulgatam, *in auro*, quam eam, quæ nobis ab aliquibus obtruditur, *in arno.* Essetque durum vocare aruum Albanum montem illum. Sicque interpretor, *Multus*, id est, assiduus & totus in illa re colat Mineruam.

5 PERQVE *manus tantas plurima quercus eat.*] Notum est quernam coronam ciuicam esse, quam per

A adulationem primùm concesserunt Augusto, quod ciues vniuersos seruauisset. Est in nummis eius cum inscriptione intra coronam ipsam, OB CIVES SERVATES, quam pro foribus positam fuisse Augusto docet Dion.... & Ouid. 2. Metamorph.

Postibus Augustis eadem fidissima custos

Ante fores stabis mediamque tuebere quercum.

Quod Tiberius recusauit, teste Tranquillo in eius vita, cap. 26. *Prænomen quoque Imperatoris cognomenque patris patriæ, & ciuicam in vestibulo coronam recusauit.*

Hac modestia vsi non sunt pessimi alij Cæsares, in quorum nummis, vt in Augusti, cernitur hæc querna corona. Plin lib 16. cap. 4. *Hinc ciuica corona, militum virtutis insigne clarissimum: Iampridem verò & Clementiæ Imperatorum, postquam ciuilium bellorum profanatione, meritum capit videri ciuem non occidere.* In Augusto fortè fuit ratio: in cæteris Imperatoribus

B idem præstitit adulatio: Itaque optat vt hic honor sæpissimè tribuatur Domitiano, qui iam aliquoties tributus fuerat, vt lib. 8. ep. vlt.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:

Fiat & ex hedera ciuica nostra tibi.

Sed ego in hanc sententiam inclino, vt hic locus non de Domitiani ciuica intelligatur, sed de quernis coronis, quas ipse victoribus in certamine quinquennali Capitolino Ioui instituto largiebatur. Est ea institutio apud Tranquillum in eius vita. cap. 4. *Instituit & quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex; Musicum, Equestre, Gymnicum & aliquanto plurium, quam nunc est coronatorum.* Quo in certamine querna dabatur corona, ex arbore scilicet Ioui dicata. Hanc consecutus est Colinus quidam, ad quem inf.

C est epigr. 54.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus.

Et meritis prima cingere fronde comas.

Apud Iuuenalem, sat. 6. versu 383.

Quædam de numero Lamiarum & nominis Appi,

Et farre & Vino Ianum, Vestamque rogabat:

An Capitolinam deberet Pollio quercum

Sperare, & fidibus promittere.

Et eò magis adducor, vt credam hanc veriorem esse interpretationem; quod præcedenti versu optat, vt Quinquatria Mineruæ in Albano monte sæpius ab Imperatore celebrentur. in hoc autem vt quinquennale hoc certamen. Illa verò verba, *Perque manus tantas*, non videntur posse ad ciuicam Domitiani coronam referri: hæc enim non manibus, sed capite tenebatur.

6 HIC *colat ingenti redeuntia secula lustro.*] De ludis

D secularibus intelligit, quos Domitianus exhibuit, vt docet Sueton. cap. 4. Consulatu 14. anno vrbis conditæ 841. non habita ratione eorum, quos Claudius celebrauerat 63. vel 64. ann. post seculares Augusti, anno ab vrbe condita 800. quos quidem anteuerterat Claudius, vt docet Suetonius cap. 21. irrisa voce præconis inuitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quis, nec spectaturus esset. Cum multi superessent adhuc qui spectauerant, & histriones etiam producerentur, qui producti fuerant secularibus Augusti, vt refert Plin. lib. 7. cap. 48. Sed habita ratione eorum quos exhibuit Aug. anno ab vrbe condita 736. Itaque Domitiano ludi Claudiani non fuere seculares: vnde ep. 63. l. 10. de matrona nobili longæua in illo versu:

Bis mea Romano spectata est vita Terento.

Perperam interpretantur docti viri Politianus, Beroaldus, Onuphrius Panuinus ex libello de ludis secularibus: Heraldus & Raderus qui existimant hanc

matronam feculares Claudij ludos & Domitiani ſpectaſſe, inter quos tantùm interfuêre 41. anni. Qui poterat hoc in epitaphio à Martiale, tanquam pro miraculo celebrari, quod quadraginta & vnum annos expleuiſſet? Præterea quomodo credemus Poëtam, qui pœne totus eſt in Domitiani adulatione Claudij ſeculares ludos voluiſſe pro ſecularibus accipi, cum id non poſſet non offendere Domitianum, qui eos abolitos omninò voluit? Lipſius etiam neſcio quid comminiſcitur, & emendandum putat. loco *τ̃ vita*, *vitta*. cent. 3. epiſt. 26. ad Valentem Acidalium. vt hæc matrona glorietur ſe tot illos annos nuptam, & in theatris vittam ſuam, maritarum inſigne, ſpectatam. Intellige ergo hanc matronam vixiſſe 105. annos, qui interfuerunt inter Augusti ſeculares, & ſeculares Domitiani ad minimum, & eò amplius: Ideò non dixit Martialis hanc matronam ſpectauiſſe vtroſque ludos, ſed vitam eius ſpectatam fuiſſe in vtriſque. Potuit enim ludis Augusti recens nata in cunis eſſe, & ludis Domitiani vltima iam ſenectute confecta. Illud autem, *ingenti luſtro*, referendum eſt ad verbum, *colat*. Dixit autem, *Ingenti luſtro*, quaſi annuens legitimè celebratos eſſe ludos, ſumpta annorum computatione à ſecularibus Auguſti, non à feſtinatione Claudij: nam ab eo tempore non eſſet luſtrum ingens, Luſtri autem nomine vſus eſt, quod Domitianus cenſor fuerit, vt teſtatur Suetonius cap. 8. & diximus iam ſup. epigr. 5 & cenſor luſtrum condebat, vt omnia verba adulationi accommodentur.

7 Et *quæ Romuleus ſacra Terentus habet.*] Fiebant ſacra ad aram Ditis, in Tarenti ludis ipſis ſecularibus de qua ara latiſſimè Val. Max. lib. 2. cap. 4. & diximus lib. 1. epig. 70. de toto negotio ſecularium ludorum ſcripſit diligentiſſimè Onuphrius Panuinus in appendice quadam ad Faſtos Conſulares.

8 Magna *quidem ſuperis petiimus, &c.*] Ex his verbis colligo petijſſe, vt Domitianus iterum ſeculares ludos celebraret: idque ſignificat verbis illis *redeuntia ſecula*.

9 Pro *tanto quæ ſunt improba vota Deo?*] Verbo *improba* vſus in propria ſignificatione, id eſt, non probata, quæ probari non poſſunt.

De Horatio. II.

Spectabat modò ſolus inter omneis
Nigris munus Horatius lacernis,
Cùm plebs, & minor ordo, maximuſque
Sancto cum duce candidus ſederet.
Toto nix cecidit repentè cœlo:
Albis ſpectat Horatius lacernis.

DOMITIVS.

Spectabat] Domit. edidit nauales pugnas quas ſpectauit inter maximos imbres.

Candidvs] Candidis vtebantur veſtibus in ſpectaculis. i. lacernis albis, quæ in ſpectaculis ſumebantur. Solus Horatius mimus cum lacernam albam non haberet, alio habitus colore venit in ſpectaculum, niue autem cadente veſtis facta eſt alba, in quo Poëta & riſum mouet, & imperatori aſſentatur, cuius mores ait omnes oportere ſequi.

Spectabat] Nauales pugnas.

Plebs] Ordo plebeius.

A Minor] Equeſter.

Maximvs] Senatorius.

Cvm *ſancto duce*] Cum diuo Cæſare.

Candidvs] Id eſt candidis lacernis. Lacernæ candidæ in diſtichis:

Amphitheatrales nos commendamur ad vſus.

RAMIR. DE PRADO.

Lepida narratiuncula de Horatio quodam publicos ludos nigris lacernis ſpectante, cũ Imperator & populus omnis cum cādidis veſtibus aſſideret: nam ſubito decidente niue, nigræ illæ lacernæ albæ factæ ſunt.

1 Nigris *munus Horatius lacernis.*] Romani togis lacernas, penulas, aliaſque veſtes craſſas vel pluuiæ vel frigoris arcendi cauſſa ſuperinducebant, vel togas mutabant, præſertim in theatro, ludorumque B ſpectaculis ad cœli inclementiam, cum theatra (vt plurimùm) abſque tecto eſſent & eius loco velis & carbaſis tegerentur de hoc lacernarum vſu Noſter lib. 5. epi. 8. & lib. 14. cp. 37.

Amphitheatrales nos commendamur ad vſus,
Cum tegit algentes noſtra lacerna togas.

Ideò Iuuenalis ſat. 9. verſ. 29. lacernas monumenta togæ vocat. Hanc veſtium permutationem Domitianus in quadam Naumachia ab eo edita non permiſit, vt refert Xiphilinus ex Dione in eius Imp. vita. Cuius verba à Xylandro Latina facta hæc ſunt, *Poſthac dies feſtos egit, videlicet triumphales: exhibuit crebra certamina prælijs peditum, ac deinde equitum cõmiſſis in circo. tum etiam in nouo quodam loco bello nauali facto, in quo non ſolum omnes ferè qui pugnauerunt mortui ſunt, ſed etiam multi ex ſpectatoribus, propterea quod maximo imbri & vehementi tempeſtate repentè commota, nemini permiſit abire ex ſpectaculo: & quanquam ipſe penulam mutauit, tamen ceteros nihil mutare* C *paſſus eſt.* Tertull. in Apologet. Lacedæmonios primos fuiſſe qui hoc excogitauerint his verbis ſcribit: *Video & theatra nec ſingula ſatis eſſe, nec nuda: Nam ne vel hyeme voluptatis impudica frigerent, primi Lacedæmonij penulam nudi excogitarunt.* vbi illud verbum, *frigerent*, non communi notione poſuit, cum & non ceſſare impudica illa ſpectacula, nec in fauore hominum eſſe deſijſſe ſignificauit. frigere enim hac acceptione apud veteres vſitatum video, hinc frigus pro remiſſione amoris, & languore. Sic intelligendus Horatij locus lib. 2. ſat. 1. a nemine quod ſciam vſque adhuc interpretatus,

——*puer vt ſis*
Vitalis, metuo & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

D Vnde apud Iuriſconſultum in l. cum hic ſtatus 32. §. quod ſi diuortium. 12 ff. de donat. int. vir. & vx. frigusculum idem ſignificat. verba ſunt: *Quod ſi diuortium non interceſſerit, ſed friguſculum.* lego vt in alijs *friguſculum. profectò valebit donatio, ſi friguſculum quieuit.* Quod Græci nomine etiam ψυχρὸς & Aduerbio ψυχρῶς (vulgò frigidè & ineptè) ſcite exprimunt: & nos Hiſpani itidem bellè dicimus, *enfrioſe*, quando dicere volumus: *no me tiene la voluntad que ſolia.* & apud Latinos refrigeratus is eſt, qui cauſam vt non in fauore ſit hominum præbet, aut patitur. Suetonius in Claudio cap. 41. *Hiſtoriam in adoleſcentia hortante T. Liuio: Sulpicio verò, Flacco etiam adiuuante ſcribere aggreſſus eſt, & cum primum auditorio commiſiſſet, ægrè perlegit refrigeratus ſæpè à ſemetipſo, &c.* vide quæ diximus ad lib. 1. ep. 25.

2 Cvm *plebs & minor ordo maximuſque Sancto cum*

duce candidus sederet.] Vniuersum populum dicit albatum sedisse cum Imperatore, quem vocabulo idem significante Ducem appellat. Minor ordo Equestrem significat, maximus Senatorium, lib. 14. ep. 137. cuius lemma Lacernæ albæ, docet in ludis theatralibus albatos omnes sedere.

Amphitheatrales nos commendamus ad vsus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Secus erat in municipijs, vbi Ædilibus solùm concedebatur ludos cum tunicis albis spectare. Iuuenalis sat. 3. versu 177.

Aequales habitus illic, similemque videbis
Orchestram, & populum: clari velamen honoris
Sufficiunt tunicæ summis Aedilibus albæ.

De niuibus. III.

Adspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, inque sinus:
Indulget tamen ille Ioui, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas;
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootæ,
Et madidis Helicen dissimulare comis.
Qui siccis lasciuit aquis, & ab æthere ludit,
Suspicor has pueri Cæsaris esse niues.

Idem Græcè.

Ἄθρει δή, ὡς ὑετοῦ πυκινὸς πόκος ἀψοφέοντος
Καίσαρος εἰς κόλπους πίπτεται, εἰς τε κάρη.
Ζηνὶ δ' ὅς ἥσυχος εἶξε, ἀκινήτοισι προσώποις
Ψυχαῖς πηγνυμένων οὐχ ἀλέγει ὑδάτων·
Ἠθὰς Ὑπερβορέου καταπνεῦσαι ἄστρα Βοώτεω,
Τῆς δ' Ἑλίκης διερῷ χαίτῃ καταφρονέειν.
Τοῦ δ' αἴθεν ξηρῇσιν ἀθύροντος ῥαθάμιγξιν
Ἥδε κόρου, δοκέω, Καίσαρός ἐστι νιφάς.

DOMITIVS.

ADSPICE] Ab eadem tempestate sumitur huius epigrammatis argumentum, laudatúrque Cæsar, quod tantos imbres negligere potuerit, nam vt scrib. Suet. per maximos imbres spectauit pugnam naualem: & ne hoc videatur factum Ioue irato, ait poëta se suspicari filium Cæsaris, quem infantem amisit his niuibus lasciuire cum patre.

DENSVM *vellus aquarum tacitarum*] Est nimirum periphrasis.

TAMEN] Quamuis cadat nix.

INDVLGET *Ioui*] Obsequitur cœlo, & non discedit.

AQVAS *concre. pigro frig.*] i. niues.

SIDVS *hyperborei solitus lassare*] Cùm à pueritia didicerit, in expeditione præsertim aduersus Batauos in Germania.

LASSARE] Ferendo fatigare.

SIDVS *hyperborei Boota*] Bootes idem dicitur Arctophylax, filius fuit Callistus, vt alij sentiunt, hic fuit Icarus, qui sumpta vua Baccho repletos vtres imposuit in plaustrum, & indè, vt putauit Higinus, dictus est Bootes. i. ductor plaustri. siue ille, siue is fuerit, vetustas tradidit relatum fuisse in cœlum, & esse iuxta vrsam.

HYPERBOREI] Septentrionalis.

DISSIMVLARE] Dissimulando negligere.

HELICEN] Eadem dicta est cynosura, & vrsa minor, ea fuit vna ex nutricibus Iouis, quæ sua pietate meruit cœlum, in Septentrione autem est, immò, vt nonnulli sentiunt, hæc & vrsa maior dicuntur Septentriones.

HELICEN] Id est niues helices Septentriones.

PVERI *Cæsaris*] Id est filij Cæsaris mortui, quem ex Domitia susceptum adhuc infantem amisit: meminit huius Papin. cum prædicit deificationem Domit.

Ibit in amplexus natus fraterque paterque.

RAMIR. DE PRADO.

De ijsdem niuibus est hoc epigramma, vbi laudat Domitiani constantiam, qui decidente niue immoto vultu ludos spectaret, & vltimò dicit se suspicari has niues immitti à puero Cæsare ab æthere.

1 ADSPICE *quàm densum tacitarum vellus aquarum.*] *Vellus aquarum* dicit à similitudine; nam nix assimilatur velleri: Ideò à veteribus Græcis per periphrasim ἐριῶδες ὕδωρ vocabatur nix, id est, aqua lanata: testatur id doctissimus Eustathius ad Dionysium his verbis. τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀστείως οἱ παλαιοὶ φασί· τῷ σοφῷ βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν ἐνδόντες αὐτῆς· ὅτε εἶπε, διδόντος χιόνα αὐτοῦ ὡσεὶ ἔριον. id est, *eleganter veteres niuem lanatam aquam dicunt, prabetque ipsis occasionem sapiens Rex David cum dicit, Qui das niuem sicut lanā.* Tacitas aquas dixit, vt infrà, siccas.

2 INDVLGET *tamen ille Ioui.*] Ioui tribuuntur quæcunque in media aëris regione gignuntur & decidunt, & Domitianus vt Ioui sacrificaretur, persistebat immotus ad niuis lapsum.

3 CONCRETAS *pigro frigore ridet aquas.*] Suetonius in vita Domitiani cap. 4. *Edidit,* inquit, *nauales pugnas pœnè iustarum classium effosso & circumducto iuxta Tiberim lacu, atque inter maximos imbres prospectauit.* Ex quo loci colligunt Domitius & Raderus niuem hanc decidisse in Naumachia, sed non certo colligunt, nam de niue non dicuntur imbres.

4 SIDVS *Hyperborei solitus lassare Boota.*] Quod Domitianus, vt Suetonius testatur, in Germania cōtra Cattos, & postea contra Sarmatas ac Dacos pœnè puer depugnauerat, & ibi didicerat frigus tolerare, quod eleganti Metonymia dixit, *lassare Booten.* id est, contra eius vim durare.

5 ET *madidis Helicen dissimulare comis.*] Id est, præ se ferre non commoueri frigoribus, & imbribus Septentrionalibus. *Helix* enim vrsa maior est. De verbo *dissimulandi*, vide plura, ad lib. spectacul. epi. 1.

6 SVSPICOR *has pueri Cæsaris esse niues.*] Innuit hoc disticho puerum Domitiani, quem tulerat ex Domitia secundo suo consulatu consecratum fuisse, quod & Papinius testatur & numorum Domitiæ, quibus Diui Cæsaris mater inscribitur, & alter quem adducit Læuinus Torrentius ad cap. 3. Suetonij, in quo depicta est Domitia cum inscriptione DOMITIA AVGVSTA Imper. Domitiani, & ex altera parte puer globo cœlesti insidens, & multis stellis circundatus cum inscriptione, DIVVS CÆSAR IMP. DOMITIANI F.

In Bassam. IV.

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardiacus quod euocati,
a b *Quod bis murice vellus inquinatum,*
Quod ieiunia sabbatariorum,
Mæstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna c *Ledæ,*
Quod ceromata fęce de Sabina,
d *Quod vulpis fuga, viperæ cubile,*
Malles, quàm quod oles. olere Bassa.

a Quid si Lazi. de Lazis Scythica gente, Agathias, Procopius, Stephanus. Bardiacû intelligo hirsutâ & pinguem lacernâ, olidumue cucullû barbari militis. Mirum quid Turnebo li. 23. c. 24. & l. 20. c. 24. mêtis fuerit mutâta codicû fide legenti, Lassi Bardarci os, & Bardaicû pro militari exponenti.
b Vide Turneb. l. 9. c. 5.
c v. tedæ.
d Vulpes dû fugit territa, virosum reddit locum, quo sterilescit locus.

DOMITIVS.

QVOD *sicca*] In Bassam male olentem.

LACVNÆ *siccæ*] Nam siccata lacuna olet grauiter.

NEBVLÆ] Sulfurei vapores.

ALBVLARVM] Albulæ erant aquæ in agro Tiburtino crudæ, vt meminit Stra. & Plin. odore sulfureo. suprà:

Hic vbi sulfureis albula fumat aquis.

VETVS *aura piscinæ marinæ*] Ex aquis marinis.

BARDIACVS *euocati*] Euocati erant iuuenes ex equestri ordine delecti, qui manente vsu annulorum, constituti sunt ad custodiam cubiculi imperatorij loco militum, hi cùm excubias præstabant bardiaca veste. vtebantur. lanificio grossiore prope simili bardocucullo: hæ vestes malè olebant, quoniam in his cubabant, & inter sordida ministeria vtebantur, nam quod bardiacus puer sit, nec mihi videtur conuenire, nec vnquam legi. Bardiacus non puer est, vt ego sentio, sed sagum ex villis caprorum textum, quo milites in castris vtebantur. Virg.

Lucanaque menta Cyniphij tondent hirci setasque comantes,
Vsum in castrorum, ac miseris velamina nautis.

Idem scribit Columella de capro. & Iuuenal. de milite,

Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.

Id est, ex saxo pilis caprorum texto, vt in Iuuenal. commentarius, quos composuimus à nobis scriptum est.

QVOD *bardiacus*] Id est sagum ex villis caprorum olet. nam hircinum fœtorem redolet.

LASSI *euocati*] Militis lassi & laboriosi, ex hoc Lentulus lanista cognomen accepit, nam dictus est Lentulus bardiacus.

EVOCATI] Excubantis, lassi excubijs.

INQVINATVM *bis murice*] i. bis tincta malè olet.

SABBATARII] Iudæi dicuntur qui sabbata colunt. Pers.

Recutitaque sabbata palles.

Horum halitus cùm fœteat semper, antè cibum præsertim, grauissimi est odoris.

REORVM *mœ.*] Curis agitati habent malum anhelitum, & odorem mala concoctione.

A MORIENS] Extincta.

CEROMA] Vnguentum erat ex luto & oleo; Plin. author. Male olebat si oleum sabinum, quòd plurimùm habet amurcæ, adhibitum fuisset, erat autem palestritarum.

GEORGIVS.

a LASSI *bardiacus quod euocati.*] Quanta licentia fingendi est huic improbissimo, vel potiùs veram lectionem inuertendi, nam in fidelioribus codicibus sic legitur:

Lassi bardiaci os quod aduocati:

Erat enim Bardiacus aduocatus, qui post diutiùs peroratas causas, & sensu confectus os fœtidum habebat: huius Bardiaci, vt existimo, meminit Iuuen. cùm ait:

Bardiacus iudex datur hæc audire volenti.

B Nam vt apud Plin. legimus senum halitus inficitur, nec nô lasso stomacho longiore ieiunio: vel vt Corn. Celsus, quoties voce alta legimus.

RAMIR. DE PRADO.

Solita & familiari huic Poëtæ hyperbole persequitur graueolentiam Bassæ cuiusdam, idemque facit in Thaidem, lib. 6. epig. 93.

1 QVOD *sicca redolet palus lacuna.*] Lacuna alueus est aqua plenus, palus verò ipse alueus quamuis siccus, etsi hæc confunduntur ab auctoribus. Sed hic Poëta proprietatis Latinæ diligentissimus obseruator, & *custos palus*, dixit, *sicca lacuna*, id est, aluus illa absque aqua cœnoso & vliginoso solo, quod quidem vel ob animalia ibi mortua, vel ob recoctum ardore solis cœnum grauem emittit odorem.

C 2 CRVDARVM *nebula quod Albularum.*] Albula vel Albulæ propè Tiburem sulfureis aquis semper fumat, vt sup. lib. 1. ep. 13.

Canaque sulfureis Albula fumat aquis.

Quæ nebulæ ob sulfur malè olent. *Crudarum* autem dixit, propterea quod illæ nebulæ manè excitantur, antequam solis radijs veluti decoquantur aquæ, & matutino tempore sint veluti crudæ, id est, non coctæ solis ardore: nam calor vehemens qualis meridie est, discutit nebulas illas, & etiam earum graueolentiam.

3 PISCINÆ *vetus aura quod marina.*] Est metalepsis in voce *vetus*, quæ accommodatur *aura*, cum conueniat *piscina*, id est, quod redolet aura piscinæ marinæ veteris: nam aqua marina si corrumpatur, quod crassior sit ceteris aquis, peius olet.

D 4 QVOD *pressa piger hircus in capella.*] Dictum est iam sup. lib. 3. epigram. 93. piger non est perpetuum hirci epitheton, cum hirci velocissimi & inquieti sint, sed piger dixit quando diu in coitu immoratur.

5 LASSI *bardiacus quod euocati.*] De varietate lectionis hoc in versiculo multi multa: relictis varijs & inter se discrepantibus scriptorum opinionibus, ego amplecterer vulgatam hanc lectionem: & si aliquis contenderet *Bardaici* legendum esse, non multum repugnarem: dum constet vestem esse Gallicam rudem & oleo inquinatam, qua vti solebant milites vt defenderentur ab imbribus & ventis: Esse autem sordidam probat epig. 54. lib. 1.

Sic interpositus vitio contaminat vncto
Vrbica lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Euocati milites erant iam emeriti, qui ad militiam ex otio illo ingentibus stipendijs alliciebantur in aliqua difficili expeditione. Hi iam ætate prouecti & stipendiis locupletati, attentiores, vt fit, erant ad rem

familiarem: ideò vestibus vtebantur ad vtilitatem, potius quam ad decorem, præcipuè his bardaicis vel bardocucullis, quibus cum incubarent, grauis exhalabat odor. *Lassi* verò dixit ob longam militiam & prouectam ætatem. Redolet igitur Bassa, quod bardaicus attritus à milite euocato.

6 QVOD *bis murice vellus inquinatum.*] Latè interpretati sumus hunc versum lib. 1. epi. 50. ad illud

——olidæque vestes murice

Dibaphum appellant Græci bis tinctum. quod Horatius suo more Latinis verbis expressit lib. 2. carm. ode 16. *——te bis Afro*

Murice tinctæ Vestiunt lanæ.

Et in Epod. ode 12.

Muricibus Tyrijs iteratæ vellera lanæ,
Cui properabantur?

Dibaphæ autem purpuræ originem tradidit Plinius lib. 9. cap. 41. vbi inquit: *Et cum confecère conchylia, transire melius in Tyrium putant. pœnitentia hoc primum debet inuenisse artifice mutante, quod damnabat, inde ratione nata, votum quoque factum è vitio portentosis ingenijs, & gemina demonstrata via luxuriæ. vt color alius operiretur alio, suauior ita fieri leniorque dictus.* & subiungit: *Quin & terrena miscere coccoque tinctum Tyrio tingere, vt fieret hysginum.* Hæcque appellatur dibapha Tyria vt idem inquit cap. 39. eiusdem libri. Murice autem inquinatum est Tyrio tinctum. Virgil. 4. Æneid.

——Tyrioque ardebat murice lana
Demissa ex humeris.

Et Tibullus,

Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Ex quibus collige dibaphum fieri solitum vel ex ipso murice iterato, vel ex conchylio, & murice, vel ex cocco, & murice, ita vt semper posterior tinctura esset ex murice Tyrio. Vnde graueolentia illa, de qua dicto epigrammate.

7 QVOD *ieiunia sabbatariorum.*] Ob ieiunium hominis anhelitum malè olere notissimum est, vel ex Græco prouerbio, νηστείας ὄζειν. vnde intelligere poteris amplificationem, quam addit Poëta, lib. 11. epi. 9. vbi gratissimum basiorum pueri sui odorem cum multis rebus fragrantissimis comparasset, subiungit: *Hoc fragrant pueri basia mane mei.*

Erat enim mirum ieiunũ puerum eum odorem spirare. & Ouid. lib. 3. de arte amandi vers. 277. monet ne fœmina, quæ fœtidum oris habet odorem, loquatur manè, alias dibaphum virus emitteret:

Cui grauis, inquit, odor, nunquam ieiuna loquatur,
Et semper spatio distet ab ore viri.

Sabbatariorum nomine, Iudæos intelligit, qui religiosius quàm reliquæ gentes ieiunia obseruabant, & quod Sabbathum colerent Sabbatarij dicti sunt. Eratque persuasum antiquis Iudæos sua natura malè olere, ideò fœtentes appellabantur. Ammianus lib. 2. *Cum Marcus Imperator* (inquit) *Palæstinam pertransiret Aegyptum petens, fœtentium Iudæorum & tumultuantium tædio percitus, &c.* & Fortunatus de quingentis Iudæis à Sancto Auito baptizatis sic canit, carm. lib. 5.

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.
Vincens Ambrosios suaui spiramine rores,
Vertice perfuso chrismatis efflat odor.

Ait ergo peius olere Bassam, quàm anhelitum Iudæi, eiusque ieiuni.

8 MOESTORVM *quod anhelitus reorum.*] Cura & sollicitudine auocatur aliò stomachi calor, quò fit vt minus coquatur ea, quæ in stomacho sunt, vnde putris anima exit. Rei autem vrgentur curis & anxietatibus. A

9 QVOD *spurcæ moriens lucerna Ledæ.*] Leda synecdochicῶs, pro quauis meretrice posuit: Id enim familiare est huic Poëtæ, vt sup. lib. 1. epi. 93.

Nec curtus Chiones Antiopésue calix.

Et lib. 3. epi. 81.

Curtaque Leda sobrius bibat testa.

Vbi has nominat meretrices, pro quibuscunque. In Lupanari verò prostabant meretrices ad lucernas, testis Iuuenalis sat. 6. versu 130. de Messalina loquens è lupanari domum reuertente:

Obscurisque genis turpis fumoque lucernæ.

Et Horatius sat. 7. lib. 2.

——acris vbi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitauit equum lasciua supinum.

B Hæ lucernæ extinctæ, quòd spurcæ essent, fumum è se emittebant fœtidum & pestilentem. Qui *tedæ* legi malunt, perperam faciunt, cum inauditum sit lucernam esse tedæ.

10 QVOD *ceromata fæce de Sabina.*] Ceroma vnguentum erat erasum, ex oleo & luto confectum, quo luctantes vngebantur: quòd si ex oleo Sabino eraso fieret, malè olebat. quid si ex fece vel amurca?

11 QVOD *vulpis fuga, viperæ cubile.*] Per metonymiam dixit *fugam*, pro lotio vel stercore proiecto à vulpe in fuga. Notissimum enim est vulpem cum à canibus vrgetur, excrementa ex se proijcere fœtida, adeò vt solum quod contingat sterilescat, & fœtore canes à se auertat. Cubile viperæ grauiter fœtere docent viperarij.

12 MALLES *quàm quod oles olere Bassam.*] Summa fœtoris Bassæ amplificatio, quòd grauius oleat, quàm ea omnia quæ enumerauit, neque id solum, sed quod ea ipsa eligat ea potius olere, quàm quod
C olet.

Ad Fabianum. V.

Vir[a] bonus & pauper linguáque & pectore verus, [a] v. Vegus
Quid tibi vis, vrbem qui Fabiane petis?
Qui nec leno potes, nec comessator haberi,
*Nec pauidos * tristi voce citare reos.* * v. stulta
Nec potes vxorem chari corrumpere amici:
Nec potes algentes arrigere ad vetulas.
D *Vendere nec vanos circa palatia fumos:*
Plaudere nec[a] Cano, plaudere nec Glaphyro. [a] v. Canio
Vnde miser viues, homo fidus, certus amicus?
Hoc nihil est, nunquam sic Philomelus eris.

DOMITIVS.

VIR *bonus*] Consulit Fabiano, ne ad vrbem accedat, cùm sit bonus vir, vt etiam Sexto consuluit.

NEC *leno*] Iuuenal. *Me nemo ministro*
Fur erit.

COMESSATOR] *Parasitus.* Iuuen.
Si potes illa pati: quæ nec sarmentis iniquas.

TRISTI *voce*] Afferente tristitiam. Præcones

erant in precio, quod infrà est?

Si duri puer ingeni videtur,
Præconem facias, vel architectum.

Corrumpere *uxorem*] Id est, non potes esse mœchus.

Vanos *fumos*] Id est, vanos titulos, & assentatorias appellationes. vnde Alexander, authore Spartiano, fumo perire iussit, qui inani quadam ostentatione apud ipsum magna gratia videri volebat: vulgato, disticho.

Fumo iam periit, qui fumos venditabat.

Circa *palatia*] i. turbæ palatinæ.

Canus] Tibicen fuit. alibi poëta Choraulem appellauit. Canus choraules, hic temporibus Galbę floruit donatus suprà cœnam ab eo non parua pecunia, cùm placuisset. author est Tranquil. & copiosiùs Plut. in Galba.

Glaphyro] Glaphyrus nomen citharœdi: Et apud Iuuen.

Accipis vxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater. nam citharœdi tunc erant in precio, quę suprà ait,

Veniet cùm citharœdus erit.

Vnde *viues*] Id est, vnde acquires, & comparabis victum.

Hoc *nihil est*] Nihil proderit esse te fidum.

Sic] Istis virtutibus.

Philomelus] Diues vt Philomelus, qui diues factus cithara, de quo suprà,

Plus habuit, dedimus, plus Philomelus habet.

GEORGIVS.

Qui *nec leno potes, nec commessator haberi*: O miserum grammaticum qui dictionis huius originem non considerauit, verbum est Græcum κωμάζω, quòd est compotationibus, & ebrietatibus operam dare. Vnde Theocritus κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα: Hinc Latini comessor comessaris formauerunt: quo verbo frequenter vtitur Plautus. Comessatorem eum existimo propriè dici, qui esui, & potui præter statuta tempora indulgeat. Nam Suet. comessationes accipit quoties post cœnam aliquid comeditur. Sic enim de Vitelli luxuria scribit: Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat: in ientacula, & prandia: cœnas & comessationes: nisi fortè putauit à comedo comessatorem fieri, sed illum quantitas syllabæ admonere potuit, etenim primam producunt comessor & comessator, quæ in comedo corripitur.

RAMIR. DE PRADO.

Breuis satyra est hoc epigramma, quo lepido figmento carpit Romanos mores: fingit enim Fabianū pauperem, bonum virum, verum & simplicem Romam petere. vbi non erat locus huiusmodi moribus, prædicitque ei fore vt numquam diues sit. simile est hoc epigramma superiori, 38. lib. 3. De Sexto.

1 Nec *pauidos tristi voce citare reos*] Id est, non potes esse præco. Nam voce præconis ad iudicium vocabantur rei, constat ex L. Diuus Antoninus 7. ff. de in integrum restitut. Diuus Antoninus Martio Auito Prætori de succurrendo ei qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit: *Etsi nihil facilè mutandum est ex solemnibus, tamen vbi æquitas euidens poscit, subueniendum est. Itaque si citatus non respondit, & ob hoc more pronuntiatum est, confestim autem pro tribunali te sedente adijt: existimari potest non sua culpa, sed parum ex audita voce præconis defuisse. ideòque restitui potest.* Et ex Suetonio in Tiberio, cap. 11. *Sensim itaque* (inquit) *regressus domum, repente cum apparitoribus prodijt, citatumque pro tribunali voce præconis conuitiatorem rapi iussit in carcerem.* Hi autem præcones homines erant perfricta fronte, & fere scurræ, vt colligitur ex oratione Cicero. pro Quintio. Martialis tempore erat notissimus quidam præco nomine Liburnus, de quo epigrammate 7. lib. 1.

——procul horridus Liburnus.

Vbi horridus dixit, quod tristi voce citaret reos: eundem nominat Iuuen. sat. 4. versu 75.

——primus clamante Liburno
Currite, iam sedit.

2 Nec *potes algentes arrigere ad vetulas.*] Vt poterat Bassus, sup. lib. 3. epig. 76.

Arrigis ad vetulas, fastidis Basse puellas.

Veteratores autem & auari iuuenes solebant sollicitare vetulas diuites, vt multis in locis suprà dictum est. *Algentes* dixit, quòd iam penè extincto naturæ calore algeant anus, vt dixi suprà de Vetustina lib. 3. epigram. 92.

Regelare nec te pestilentia possit.

3 Vendere *nec vanos circum palatia fumos.*] Notissimum ex Adagio Fumos vendere.

4 Plaudere *nec Cano, plaudere nec Glaphyro.*] Canus Choraules, cui mire placenti denarios quinque donauit Galba prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis, scribit Suetonius in Galba cap. 12. Glaphyrus citharœdus fuit, de quo Iuuenalis satyr. 6. vers. 76.

Accipis vxorem de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusq; choraules.

Erant autem hi citharœdi & tibicines, gratissimi tempore Martialis, & ideò ditissimi. Ideò sup. lib. 3. ep. 4.

——poëta
Exierat, veniet cum cytharœdus erit.

Et lib. 5. ep. 57. vbi monet Lupum, vt filium faciat cytharœdum aut choraulem.

Fac discat cytharœdus aut choraules.

5 Nvmqvam *sic Philomelus eris.*] Philomelum posuit pro ditissimo, de quo sup. lib. 3. ep. 31.

Plus habuit Dydimus, plus Philomelus habet.

Vbi vide quæ notauimus.

* In Massilianum. VI.

*al Messillianum.

Credi virgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri:
Cùm sis improbior Maßiliane,
Quàm qui compositos metro Tibulli,
In Stellæ recitas domo libellos.

DOMITIVS.

Credi] In Massilianum, qui cum improbus esset, volebat videri castus, & pudicus.

Teneræ *frontis*] i. modestæ.

In *domo Stellæ*] Puto de Argino intelligi puero Stellæ formosissimo, qui amatorios domini versus canebat: nam quod nonnulli opinantur dictum de Mart. non placet, alibi poëta de formosis Stellæ ministris scribit, de Argino in primis.

RAMIR. DE PRADO.

Massilianum, qui simulabat pudicitiam & castitatem, cum improbus omnino esset, carpit & comparat cum quodam elegiarum recitatore improbissimo.

1 Credi

1 Credi *virgine castior pudica.*] Prouerbium, *castior virgine.*

2 Et *frontis teneri cupis videri.*] Quemadmodum procaces duræ frontis dicuntur esse, sic modesti teneræ frontis dicuntur.

3 Qvam *qui compositos metro Tibulli, &c.*] Hæret hic omnibus interpretibus aqua. Domitius intelligi hoc existimat de Argino formosissimo Stellæ puero, de quo Poëta lib. 7. epigram. 14. scribit, & alios ministros Stellæ pulcherrimos comparat choro Ganymedeo. eod. libro, epigr. 49. Hunc Arginum non esse, qui recitaret Elegias, sentit Raderus, quod videretur Martialis hoc dicto amicum Stellam suboffendere, appellans improbos ministros suos. sed frigida est hæc refutatio: vereretur enim magis Martialis offendere Arginum hoc dicto, quam Stellam: nec credibile est eum, quem dicto epigrammate 14. libr. 7. adeò formosum depinxerit, vt Hylæ * comparari improbum appellasse *

Domitius verò non probat hunc Arginum solitum esse Stellæ carmina recitare. Quare incertum omninò negotium esse existimo, & tectis verbis significatum fuisse improbum aliquem elegiarum recitatorem, qui in domo Stellæ laxiori & auditorum capaci carmina sua legebat. Solebat enim fieri vt diuites domum suam recitatoribus commodarent, vt adnotat hic Heraldus & Marcilius ad illud Persij, *Scilicet hæc populo.* sat. 1. Intelligit ex hoc epigrammate Scaligerum lasciui carminis fuisse auctorem Tibullum, quod ambigo, & ἀπιχέτω.

Ad Hylum. VII.

Cur here quod dederas, hodie, puer Hyle, negasti?
Durus tam subitò, qui modò mitis erat?
Sed iam caussaris barbamque, annosque, pilosque,
O nox quàm longa es, quæ facis vna senem!
Quid nos derides? here qui puer Hyle fuisti,
Dic nobis, hodie qua ratione vir es?

RAMIR. DE PRADO.

Accusat Hylum puerum inconstantiæ, qui quod vno die dederat, sequenti negauit, caussabatur annos barbamque, quæ emeritum iam facere debebant eum. Hoc factum esse vna nocte ridet Poëta.

1 Sed *iam caussaris barbamque, annosque pilosque.*] Barba ex pilis fit tantum natis in mento. pilorum nomine alijs in locis nati pili intelliguntur, veluti sub alis, in pectine, in pectore & in podice. Sic lib. 11. epigr. 23. de masturbatore quodam,

Et faciunt digiti, præcipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.

Ad Euphemum. VIII.

*Prima salutantes, atque altera * continet hora,* (al. distinet.)
Exercet raucos tertia caussidicos.
A *In quintam varios extendit Roma labores,*
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,
Imperat exstructos frangere nona toros.
Hora libellorũ decima est Eupheme meorũ,
Temperat ambrosias cùm tua cura dapes.
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar,
*Ingentique tenet pocula * parca manu,* (v. larga.)
*Tunc admitte iocos: * gressu timet ire licenti* (v. gressum metire licebit.)
Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

DOMITIVS.

Prima] Rogat Euphemum structorem mensæ Domit. vt ex suis carminibus, ea quæ sunt iocosa
B ostendat imperatori tantum cum cœnauerit, quæ sunt seueriora ante cœnam.

Prima *atque altera hora*] i. prima & secunda salutabant antiqui amicos potentes: tertia hora agitabantur lites.

Varios *labores*] i. varia opera exercet.

Octava *& nona*] Exercebantur palæstritæ.

Frangere *toros extructos*] Accumbere.

Decima] Post mensas, vt meos libellos ostendas Imperatori.

Dapes *ambrosias*] i. diuinas.

Laxatvr] i. relaxat animum, exhilaratur.

Ingenti *manu*] i. diuina.

Iocos] i. meos libellos ostende Dom.

Metire] i. cautè eas: legitur etiam, timet ire.

Licenti *gressu*] Id est, casto carmine, & casto gressu.

Ad *Iouem*] i. Domitianum.

Matvtinvm] i. ante cœnam, quasi dicat, ante
C cœnam ô musa oportet sanctiore carmine accedas, post cœnam locus est iocis lasciuioribus.

RAMIR. DE PRADO.

Petit ab Euphemo extructore mensæ Domitiani, vt sua carmina legi iubeat Imperatori commodissimo tempore, id est, hora cœnæ, cum iam cœperit incalescere mero: quod vt faciat, præmittit horarũ ante cœnam totius diei distributionem.

1 Prima *salutantes atque altera continet hora*] Vulgaris est locus de horis antiquorum, qui diem totum à prima luce ad noctem vsque, in duodecim æquales horas partiebantur, & in totidem noctem ipsam; quæ horæ diei ac noctis in Æquinoctiis solummodo æquales erant, inter se reliquis temporibus anni inæquales.
D Nam æstate quando longissimi sunt dies, horæ diei longæ erant, noctis breuiores, hyeme verò contra. Est igitur prima hora per totum annum, qua incipit lucescere. Hac & secunda portabatur molestum illud *Aue*, de quo in multis sup. epigrammatis dictum & in plurimis seqq. dicendum. Raderus hoc loco longam collectionem affert eorum omnium, quæ de antiquorum horis scripta sunt, quem poteris consulere.

2 Sexta *quies lassis, septima finis erit.*] De hora lauandi variæ sunt scriptorum opiniones, quibus relictis meam coniecturam apponam. Quietem à labore vsurpabant non omnes hora sexta, sed tantum lassi, qui velut interiungebant vsque ad septimam, à septima in octauam hi lauabantur: quamuis in hoc epigrammate nulla lotionis mentio. Ab octaua

A

Ad castam matronam. LXXXVI.

Ne legeres partem lasciui casta libelli,
Prædixi, & monui: tu tamen ecce legis:
Sed si Panniculum, si spectas casta Latinum,
Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

RAMIR. DE PRADO.

Iusserat sup. epig. 68. ne matrona casta ab eo epigrammate sequentia legeret, sed prædixerat futurum vt totum librum studiosa legeret. Nunc autem id exitum dicit comprobasse: sed tamen cum mimos lasciuos spectet, non inhonestius legere potest hosce versus.

1 SED *si Panniculum, si spectas casta Latinum.*] De Panniculo & Latino diximus sup. ep. 5. lib. 2. ep. 72.

In Chionem. LXXXVII.

Narrat te rumor, Chione nũquã esse futută,
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamẽ nõ hac, qua debes, parte lauaris.
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

DOMITIVS.

NARRAT] Ad Chionem.

SVBLIGAR] Subligaria dicebantur vestes, quæ coxas vsque ad vmbilicum à genibus contegebant, his vtebantur mimi in theatro. Iuuenal.

ET *subligat Acci.*] Chione hoc induta descendebat in balnea: ait Martial. si id agit propter pudorem commodiùs eo posse contegere faciem, nam vultus pudoris sedes, si tectus fuerit liberiùs agimus, quasi ea vna tantùm pars pudorem sentiat.

IN *faciem*] Alludit ad deformitatem mulieris, quæ debebat tegi: hic sensus placet.

RAMIR. DE PRADO.

Fellatricem Chionen reprehendit, quod tecta pudenda parte corporis lauaretur, cum tamen illa non peccasset, monetque vt velamen transferat ad os, quo peccauerat.

1 NARRAT *te rumor.*] de nomine *rumoris* dictum est sup. lib. 2. epi. 72. & de eius turpicula significatione.

2 SI *pudor est,*] id est, si facis præ pudore.

3 TRANSFER *subligar in faciem,*] vt contegas os impurum & irrumatum.

In fratres fellatores. LXXXVIII.

Sunt gemini fratres, diuersa sed inguina lingunt.
Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

DOMITIVS.

SVNT *gemini, lingunt diuersa inguina.*] Qui alter fellat, alter lingit cunnum.

MAGIS] Propter hoc.

RAMIR. DE PRADO.

Proponit iocosè, velut ænigma quoddam, quo interrogat, similésne an dissimiles sint duo fratres, cunnilingus alter, & alter fellator? Cum igitur diuersa inguina lingerent, dubitari possit similésne an dissimiles sint. Estque iocus in ambiguitate, à similitudine lineamẽtorum ad similitudinem morum traducto vocabulo. Geminorum autem similitudo apud veteres erat in pretio, vt probatur ex l. proinde 22. ff. ad leg. Aquil. & ex lepida narratiuncula Plinij lib. 7. cap. 12. cuius verba operæ pretium erit apponere. *Toranius, M. Antonio iam triumviro, eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, vt geminos vendidit, tanta vnitas erat. Postquam deinde sermone puerorum detecta fraude, à furente increpitus Antonio est, inter alia magnitudinem pretij conquerente, (nam ducentis mercatus erat sestertijs.)* B *Respõdit versutus ingenij mango, ob id ipsum se tanti vendidisse, quoniam non esset mira similitudo in vllis eodem vtero editis: diuersarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem. Adeoque tempestiuam admirationem intulit, vt ille proscriptor animus modo & contumelia furens, non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret.*

Ad Phœbum. LXXXIX.

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis:
C ** Nã faciem, durũ, Phœbe, cacantis habes.*

*Vide sup. sub finem lib. 2. Epigr. 87. Scomma fortè in Vespasianum detortum, cui vultum veluti nitentis attribuit Sueton. de quo antea Scholio lib. 2. Epig. 87.

Idem Græcè

Σὺ θριδάκινοι τι ὅπως μαλάχαις τι χρῶ μαλαχῇσι.
Σκληρὸν χέζοντος, Φοῖβε, πρόσωπον ἔχεις.

RAMIR. DE PRADO.

Est aliud scomma in Phœbum, de quo sup. lib. 2. epi. 87. qui vultum veluti nitentis semper habebat, cui suadet vt lactucis & maluis, quæ ventrem mouere solent, vtatur sæpiùs, ne faciem habeat durum D cacantis, quod assequetur cacando. Similis iocus est apud Sueton. in Vespasiano, cap. 20. *Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris, vultu veluti nitenti. Vnde quidam vrbanorum non infacetè siquidem petenti, vt & in se aliquid diceret, dicam* (inquit) *cùm ventrem exonerare desieris.*

1 VTERE *lactucis.*] vtiles esse lactucas ad molliendum ventrem, constat ex Medicis, & ex epig. 53. lib. 11.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo Vtilis.

Et ex Horat. lib. epod. od. 2. ——— *& graui*
Malua salubres corpori.

Quas lib. 1. carm. od. 31. leues vocat, quòd valeant exinanire & leuare ventrem.

2 ET *mollibus vtere maluis.*] molles appellauit ex etymo; dicuntur enim à μαλακός, id est mollis. Vnde apud Hispan. maritima vrbs amœnissima & mollissima *Malaca*, vulgò *Malaga*.

De Galla. XC.

Vult, non vult dare, Galla, mihi: nec dicere possum,
Quod vult, & nō vult, quid sibi Galla velit.

DOMITIVS

VVLT, *Galla vult, non vult dare.*] Galla deformis erat, volebátque futui a Martiale, sed nihil dare volebat. Deformes autem fututorem pretio concilient necesse est.

VVLT *dare*] Scil. coitum, & subagitari à me Galla.

NON *vult dare*] Scil. pecuniam.

NON *possum dicere quid sibi Galla velit*] Hoc est, qua de causa faciat hoc, est enim deformis, quod vult, scil. futui. non vult scil. dare pecuniam: idem est sensus quodam in disticho alibi:

Vis futui gratis, cum sis deformis, anúsque.
Res perridicula est, vis dare, nec dare vis.

RAMIR. DE PRADO.

Paradoxon est in Gallam deformem, fortè & anum, quæ volebat futui, nec dare aliquid pro pretio volebat: & est lusus similis lib. 7. epig. 74.

Vis futui gratis, cum sis deformis anusque,
Res perridicula est, vis dare, nec dare vis.

Habet autem miram elegantiam quater repetitum vocabulum, *vult*, & additum ad finem verbum, *velit*.

De Misitio. XCI.

Cū peteret patriæ, Misitius, arua Rauēna,
Semiuiro Cybeles cum grege iunxit iter.
Huic comes hærebat domini fugitiuus Achillas,*
Insignis forma nequitiáque puer.
Hoc steriles sensere viri: qua parte cubaret,
Quærunt: sed tacitos sensit & ille dolos.
Mentitur, credunt: somni post vina petūtur:
Continuò ferrum noxia turba rapit,
Excidúntq; senem, spondæ qui parte iacebat,
Namque puer pluteo vindice tutus erat.
Suppositam, fama est, quondam pro virgine ceruam,
*At nunc pro** puero mentula supposita est*

* Achilles, Douza, quod eo nomine formosos pueros à poculis nominasse veteres è Luciano constet.

** v. Ceruo.

DOMITIVS.

CVM] De puero, quem voluerunt castrare sacerdotes Cybeles, sed decepti loco castrarunt senem.

MISITIVS *iunxit iter*] Dedit se comitem.

GREGE *semiuiro*] i. sacerdotibus castratis.

NEQVITIA] Moribus lasciuioribus.

STERILES] i. castrati.

MENTITVR] Designat locum in quo dormiebat.

PLVTEO] Sponda lecti.

VIRGINE] Iphigenia, quæ eadem Iphianassa, ut Lucret. & Homer. scribunt. Lucretius;

A

Iphianassæo turparunt sanguine fœde.

RAMIR. DE PRADO.

Facetam continet hoc epigramma narrationem, de sene Misitio, qui errore quodam à Cybeles sacerdotibus exectus est, dum putant se Achillam formosum puerum, qui vnà cum sene iacebat in lecto, exscindere.

1 HVIC *comes hærebat domini fugitiuus Achillas.*] alij legunt, *Achilles*, & Duza formosos pueros à poculis hic nominatos docet ex Luciano. Sed ego existimo nihil mutandum: Nam *Achillas* nomen serui etiam ex lib. 7. epi. 56. esse constat. Neque intelligas hunc puerum fuisse huius Misitij seruum, sed alterius domini fugitiuum hæsisse huic comitem.

2 HOC *steriles sensere viri.*] Steriles viros castratos appellat, vt ep. 9. lib. 9.

B

Ne facere. steriles sæua libido viros.

Et Catullus in Aty.

Egone Deûm monstra & Cybeles famula ferar
Ego Mammas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?

3 CONTINVO *ferrum noxia turba rapit.*] Ferrum posuit per synecdochen pro Samia testa, qua curabantur Galli, vt dictum est, sup. ep. 80.

4 NAMQVE *puer pluteo vindice tutus erat.*] Ex hoc loco videor mihi colligere cubiculares lectos ab vna parte, anteriori aut posteriori, pluteum habuisse, qui eam partem lecti veluti sepiret, relicta alia cum sola sponda, vt ingressus & ascensus facilis esset: Nam versu præcedenti:

Exciduntque senem, spondæ qui parte iacebat.

Erant igitur duæ in lecto partes, altera spondæ, altera plutei. Hic puer dixit Gallis, se iacere ad partem spondæ, cum ad plutei partem iacere esset solitus, qua parte ipse pluteo tutus erat ab illorum incursu.

C

5 SVPPOSITAM, &c.] notissima fabula Iphigeniæ Agamemnonis filiæ in Aulide, quam adducit pro exemplo. In eo enim sacrificio rapta fuit Iphigenia à Diana, & eius loco supposita cerua, quam Græci duces pro Iphigenia immolarunt. At verò in hoc tumultu pro puero senis mentula supposita est, quam Galli veluti mactauerunt. Petrus Crinitus lib. 19. de honesta disciplina, cap. 8. contendit pro voce *puero*, supponendam *ceruo*, quem sequitur Mellerius Palmerinus in Spicilegiis sub principio: quod *ceruos* appellarent veteres *fugitiuos seruos*, vt constat ex Festo in voce Seruorum dies. *Seruorum*, inquit, *dies festus vulgò existimatur Idus Augusti, quod eo die Seruius Tullius natus serua, ædem Dianæ dedicauerit in Auentino, cuius tutela sunt cerui, à quorum celeritate fugitiuos vocent seruos.* Sed ego nihil mutarem, cum pro virgine dicat ceruam suppositam, & pro puero suppositam mentulam.

D

Ad Gallum. XCII.

Vt patiar mœchum, rogat vxor Galle: sed vnum*
Huic ego, non oculos eruo Galle duos.

* v. Galla.

DOMITIVS.

VT *patiar*] Vxor mea, ô Galle, rogat, vt patiar mœchum ad eam accedere, ego si deprehendero mœchum faciam spadonem, quo scil. abutar, non autem eruam oculos, aut nares excidā, vt alij faciunt.

MOECHVM] Scil. te. de hoc Gallo suprà: *Subdola famosa.* Erat enim Gallus mollis, & mœchabatur.

VNVM] i. castro, & facio spadonem eum quem deprehendam.

RAMIR. DE PRADO.

Est iam explicatum epigramma hoc sup. lib. 1. ep. 69. in verb. *vna*: sed interpunctio quæ clariorem reddit sensum, sic est mutanda.

Vt patiar mœchum rogat vxor Galle, sed vnum:
Huic ego non oculos, eruo Galle duos?

Est enim iocus in antithesi, ab vno ad duos, & postrema verba minantis sunt, vt diximus suprà ad lib. 1. ep. 93. ibi, *sed fodiam, qui superest, oculum.*

In Vetustinam. XCIII.

Cùm tibi trecenti consules Vetustina,
Et tres capilli, quatuórque sint dentes,
Pectus cicadæ, "crusculúmque formicæ:
Rugosiorem cùm geras stola frontem,
Et aranearum caßibus pares mammas:
Cùm comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat crocodilus angusta,
Meliúsque ranæ garriant Rauennates,
Et Adriaticus dulcius culex cantet,
Videásque quantum noctuæ vident mâne,
Et illud oleas, quòd viri capellarum.
Et anatis habeas "vropygium macræ,
Senémque Cynicum vincat osseus cunnus:
Cùm te lucerna balneator exstincta
"Admittat inter bustuarias mœchas:
Cùm bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia poßit:
"Gaudes ducentas "nuptum ire post mortes,
Virúmque demens cineribus tuis quæris
Prurire. quid sarrire si velit saxum?
Quis coniugem, quis te vocabit vxorem,
Philomelus auiam, quam vocauerat nuper?
Quòd si cadauer exigis tuum scalpi:
Sternatur "Acoride triclinio lectus,
Thalaßionem qui tuum dicet solus,
Vterque tedas præferat nouæ nuptæ:
Intrare in istum sola fax potest cunnum:

" Crusculúmque, vt color formicæ nigra sit, vt suprà lib. 1. Epigr. 90. quandam volo nocte nigriorem formica.

" v. orropygium. " ὀῤῥοπύγιον.

" Vide Turneb. lib. 15 cap. 19.

" v. audes. " f. nupturire, nisi inuerso ordine legas, tre nuptum, vt in Aldino exemplari.

" à Coride triclinio, Gryphij editio. à Coricle clinico, Iosephus Scaliger Ausonianarum lectionum, l. 2, cap. 4.

DOMITIVS.

CVM] In Vetustinam decrepita ætate cupientem futui.

TRECENTI *consules*] id est, cum agas trecentos annos.

PECTVS *cicadæ*] Aridum, & asperum, vt cicadæ.

STOLA] Vestis mulierum rugosa.

CASSIBVS] i. retibus.

A RAVENNATES *ranæ*] Rauenna in paludibus condita, & illic multæ ranæ.

GARRIANT] Coaxent.

CVLEX *Adriaticus*] Ad littora Adriæ.

VROPYGIVM] Clunem Oropygium. i. rectam clunem: depygis apud Horat. dicitur mulier sine clune.

VINCAT] Superet macie.

SENEM *cynicum*] Nam cynici & sordidi, & ob philosophiæ studium macilenti.

BVSTVARIAS] Bustuariæ erant anus, quæ ad deploranda funera conducebantur. cum in balnea intrabant, extinguebatur lucerna, vel ne videretur earum deformitas, & balneorum nomini detraheretur: vel in contemptum quasi non essent dignæ lucerna.

BALNEATOR] Custos, & magister balneatum.

B MOECHAS] Quæ olim mœchæ fuerant, nam ex genere ad vilia senescentes munera deueniunt.

CVM *sit tibi bruma per Augustum mense*] i. cum frigeas Augusto. Exhausti annis non timent pestilentiam deficiente calore, quo pestilentia incenditur. Sensus est: Et si laborares pestilentia, non posses calere: nam regelare est contracta gelu, dissoluere calore, vt apud Colum. Regelare hortos, & agrum.

POST *ducentas mortes*] Maritorum.

PRVRIRE, *quid si sarrire velit saxum*] Sarrire, id est, aperire, vt placet Var. eodem verbo Catul. vtitur. Sensus est: Si fortè vir aliquis constituerit animo sarrire saxum .i. futuere te saxeam, quis posset eum appellare maritum, aut te vxorem, cum Philomelus: cui paulò ante nupseras, senex appellauerit te auiam.

C Si *Sathire* legis, dicatur à σαθὴ, quòd mentulam significat. Vnde satyri dicti proni in libidinem: Macrob. authore: vt dicas, Quid si aliquis velit sathire i. arrigere ad saxum, sed placet prior.

EXIGIS] Optas.

TVVM *cadauer*] Te mortuam.

SCALPI] Non dixit futui, cum non sit ampliùs mulier.

ACORIDE *triclinio*] Lectus nuptiarum. Coris nomen sacerdotis est curantis funera, vt Corines, apud Virgil.

VSTORES] Ædificatores pyrarum dicebantur: idem verbum apud Catullum.

TEDAS] Tedæ cum aqua præferebantur nouis nuptis, vnde tedæ pro nuptiis aliquando.

FAX] Quasi dicat, digna es rogo non nuptiis.

D GEORGIVS.

ET *vropygium macra*] In coarguendo Galeoto Iulio Polluce nixus vropygium, & oropygium legendum præcepi, & esse vropygium terminum pygæ, siue finem vertebræ: cuius extantia podici emineat. At contrà Domit. afferenda sunt, quæ de vropygio Arist. scribat, qui in vltimo de partibus animalium, vt caudam quadrupedum vult esse, ita volucrum vropygium, & earum duntaxat, quæ scissas alas habent, mirórque Theodorum Gazam exactissimę diligentiæ interpretem adeò exhorruisse dictionem Græcam, qua Latinus poëta vsus est, vt maluerit obscura periphrasi hanc partem significare. Sed in libro περὶ ζώων πορείας, hoc est de animalium progressu, quorum propriè sit vropygium, & ad quos vsus natura fecerit, in hunc modum disserit: Vropygium ita datum est volucribus ad dirigendos volatus quemadmodum nauigiis temones, ipsum item necessario

cessario in coitu flectunt, quare quæ integræ sunt alæ, & quædam scissarum alarum minus vtile ad supradictum opus vropygium habent, sicut pauones & galli, sed integram alam simpliciter habentes sine vropygio sunt. Quare velut nauium sine temone quocumque inciderint, feruntur, similiter & quarum alæ vagina continentur, vt cantari, & quæ nudas alas habent, sed quæ non volant ijs parum vtile est vropygium, sicut Porphyrioni, & fulicis, & omnibus fluuiatilibus, qui dùm volant pro vropygio pedes extendunt, his vtuntur pro vropygio ad volatum dirigendum. Quare cùm sæpè de vropygio & vsu eius philosophus nobilissimus disseruerit, turpè fuit arrogantissimo interpreti eius libros non adiuisse, & diligenter pertractasse.

CHRISTOPH. COLERVS.

GAVDES *ducentas nuptum ire post mortes.*] Miror quid caussæ sit, cur quisquam dubitarit reponere in contextú *nuptuiire:* : quo verbo etiá Apuleius vtitur.

RAMIR. DE PRADO.

Est inuectiua in Vetustinam quandam, cuius nomen à vetustate deducit, quæ in extrema senectute virum quærebat. Estque totum epigramma hyperbolicum, vt moris est huic Poëtæ.

1 CVM *tibi trecenti Consules.*] Est hyperbole, qua significatur vel trecentos habere annos, vel saltem centum quinquaginta, cum singulis annis par Consulum crearetur.

2 ET *tres capilli.*] De hac hyperbole dictum est sup. lib. 1. ep. 20. & lib. 2. ep. 41. quibus adde distichon ex lib. 12. ep. 7. *Toto vertice quot gerit capillos,*
Annos si tot habet Lagia, trima est.

3 RVGOSIOREM *cum geras stola frontem.*] Notandus est dicendi modus, *gerere frontem*, & *gerere mammas*. Quod rarum est apud Latinos: Hispanismus autem apud nos frequentissimus est: *lleua buena ò mala, lleua buen cuerpo ò malo.* à quo verbo faciem & vultum vocamus, *gesto*, quod geratur.

4 CVM [illegible] *comparata, &c.*] Est mira hyperbole, cum Vetustinæ rictum inesse dicat, crocodilo verò si cum ea conferatur esse os, & idem augustum, cum contra sit, vt fœminæ os, Crocodili rictus dicatur.

5 MELIVSQVE *ranæ garriant Rauennates.*] De stagnis Rauennæ, quæ ranis abundabant, diximus sup. epi. 56. & 57. & hic lege Sidonii verba li. 1. epist. 8. *Ita tamen*, inquit, *quòd te Rauenna felicius exultantem, auribus Padano culice perfossis, municipalium ranarum loquax turba circumsilit.*

6 ET *illud oleas quod viri capellarum.*] Periphrasis hircorum, qui graueolentiam præcipuè habent in coitu: ideò dixit, *viri.* Idem est lib. 4. epig. 4. de malo Bassæ odore dixit olere:

Quod pressa piger hircus in capella.

Et lib. 7. ep. 93. de malè olente Thaide ait:

Non ab amore recens hircus, non ora leoni.

Hæc autem periphrasis desumta est ex Virg. ecl. 7.

Vir gregis ipse caper deerrauerat.

Quod Horatius aliter expressit lib. 1. carm. ode 17.

Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma deuia
Olentes vxores mariti.

Quod imitatus Noster lib. 14. ep. 140. de odoribus Ciliciis, inquit.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti,
Cyniphio poterit planta latere sinu.

Hinc alarum in homine fœtor, *caper*, rum, *hircus* dicitur, & Græcè τράγος. Catullus in Rufum epi. 70.

Lædit te quædam mala Fabulla, qua tibi fertur;
Valle sub alarum trux habitare caper.

Et Horat. ode 12. epodon:

— namque sagacius vnus
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis.

Et Noster lib. 11. ep. 23.

Inde Tragus celerésque pili mirandáque matri
Barba.

Quem tetrum odorem eleganti periphrasi appellauit etiam hircum Ouidius, de arte amandi lib. 1. vers. 524. his verbis:

Nec lædat nares virque paterque gregis.

Vnde hircosus dicebatur, qui alarum fœtore offendebat nares, cuius vocabuli mentio est apud Vlp. in l. qui clauum, 12. §. vltimo. ff. de ædilit. edicto. *Is cui os oleat*, inquit, *an sanus sit, quæsitum est. Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere, veluti hircosum, strabonem: hoc enim ex illuuie oris accidere solere, &c.* qui locus malè torsit doctissimos quosque nostri seculi viros, Cuiacium in primis, qui lib. 11. obser. cap. 10. existimat hircosum eum esse, cui os malè oleat, idque probat ex Nostro, lib. 12. ep. 59.

— te pilosus Hircoso premit osculo colonus.

Et ex Plauto in Mercatore scen. *Adducam.*

Iam plenus ætatis, animáque fœtida senex
Hircosus.

Deinde malè hominem habet τὸ *Strabonem*, & ingeniose emendat *Strabonem*, vt sit, qui gingiuas & dentes alluuie scabros & spurcos habet, eius etiam discipulus Ioseph. Scalig. collectaneis in Varron. ad lib. 6. ἀναμφισβήτως, vt ipse ait, legit. *Vt lurcosum, raponem*, & interpretatur *raponem* ἀδηφάγον adducitque Varronis locum hunc, *Cum hic rapo vmbram quoque spei deuorasset.* postea dicit hircosum etiam defendi posse, esséque eum, cui ex fœda & detestabili libidine os oleat, eiusmodi enim vocabantur hirci, vt Catullus ep. 38.

Salax taberna, & putare ceteros hircos.

Et in dicto Atellanæ Tiberio obiecto apud Suetonium, cap. 11. 111.

Hircus vetulus naturam capreis ligurit.

Hac interpretatione adeò sibi placet Scaliger, vt non satis dignè se expediisse Cuiacium dicat. Ego vero, vtriusque pace dixerim, multo aliter sentio accipiendum esse Trebatij dictum. Primum credibile non est adeò absurdè doctum IC. loquutum fuisse, vt cum oris fœtorem morbum non esse affirmaret, non magis quàm alium fœtorem corporis, exemplum in eadem parte corporis, hoc est, in ore, posuerit. Esset enim inepta ratio, & nugatoria respondisse Trebatium oris fœtorem non magis morbum esse, quam oris fœtorem. Itaque ambo hi magni viri lapsi sunt hac in re. nam Trebatius dixit non magis morbum censeri oris graueolentiam, quàm alarum, nec morbosum magis existimari debere eú, cui os oleat, quàm hircosum, deinde adductæ auctoritates ad probandum hircosum dici de ore, non probant: Nam apud Nostrum,

— te pilosus
Hircoso premat osculo colonus.

Illud *hircoso ore*, vel dictum est, quod pilosus esset, vel quod male oleret ei os, & per metonymiam alarum odor, ad oris odorem transfertur eo loco. & in loco Plauti duo vitia diuersa notantur in Sene, quod illi anima fœtida sit, & quod grauiter ei oleant axillæ. Catulli locus, quem adducit Scalig. non id probat; nam per contentum hircos appellabant fellatores, vt patet ex loco Atellanæ supra adducto. Est enim ea natura hirci, vt capris naturá lambat. quid?

quod hirsutos hircos, vel capras appellabant. & apud Suetoniũ, vbi extat versus Atellanæ supra adductus, accommodatum est hirci nomen ob hanc caussam Tiberio. Inquit enim Suet. *Obscenitate oris, hirsuto atque olido seni clare exprobrata.* Et coram Caligula, vt idem scribit, cap. 50. *quod hirsutus esset, quacumque de caussa capram nominare criminosum, & exitiale habebatur.* Itaque retineo apud IC. vocem illam, *Hircosum*, in ea, quam dixi significatione. Ad scrupulum accedo, quem iniecit vox illa, *Strabonẽ*. Et primum dicere possum Trebatium voluisse ex re manifesta ostendere rem non adeo manifestam: nam cum dubium nemini esse posset, quin Strabo morbosus non esset, dixit non magis eum, cui os oleat, morbosum esse, quam Strabonem: forte, quod existimasset in hircoso non satis esse probatum: nam cum vterque odor ex non bona corporis habitudine proueniat, posset aliquis dubitare an verum esset hircosum morbosum non esse. Ideo ad maiorem probationem, rem adiunxit in qua nulla subesse posset dubitatio, & addidit Strabonem. apud Iurisconsultos enim diuersa vitia coniungi non est insolens, vt in L. ob quæ. 4. §. item aleatores, & L. idem 10. §. fin. dicto Hor. de ædilit. edicto. Sed si fas esset sacrosanctam nostris iureconsultis Florentinorum Pandectarum fidem in dubium quacumque ratione vocare, dicerem profecto τὸ *Strabonem*, glossema ab aliquo sciolo in ora libri adscriptum, quod posteà in Trebatij verba nullo iure, vt fere fit, inuasit. Sed quid fuerit sequutus sciolus ille scholiastes, fortè non liquebit omnibus, aperiam paucis. Hircosum ille existimauit eum esse, qui distortis oculorum pupillis, & in angulum oculorum compressis intuetur: ab hirquis, id est, angulis oculorum interioribus, qua mente interpretantur multi illud Virgilianum, eclog. 3.

Nouimus & qui te transuersa tuentibus hirquis.

Sic enim legunt, qui id sequuntur, potius quam *hircis*, vel existimauit deductum nomen ab hirco animali, quod præ libidine contorquere oculos soleat, vnde Græci, τραγωδιὸν βλέπειν, distorte intueri, quo vicio qui laborant Strabones Latinè dicuntur. Vnde natum est glossema illud. Sed ego in hac acceptione *hircosi* nomen numquam legi, nisi apud Lexicographum Iurisconsultum, qui hanc eandem legem in testimonium adducit.

7 E T *anatis habeas vropygium macra.*] Legendum ὀῤῥοπύγιον, de quo nomine multa dicit hoc loco Merula. Est autem extremitas illa vertebræ podici proxima. Hispani vocamus, *obispilo*: quod mitræ Episcopalis figuram quodammodo habeat. In macris auibus eminentior est illa pars, in pinguibus, sebo & pinguedine rotundatur. In viris summa deformitas: inde quæsitus iocus, sup. ep. 98.

Sit culus tibi quàm macer, requiris?
Pædicare potes, Sabelle, culo.

Quasi diceret, adeò macer es, vt tibi ὀῤῥοπύγιον, tanquam mentula emineat, quo posses pædicare, & etiam in feminis summum vitium erat, has *depuges* vocabant. Horat. lib. 1. sat. 2.

——— *veram*
Depugis nasuta, breui latere, ac pede longo est.

At vero è contrario καλλίπυγοι, quæ pulcris natibus erant magnifiebant, de quibus Athenæus, lib. 12. hæ namque, cùm nullam nubendi spem haberent, vt indotatæ, & pauperes, non alia de caussa splendidè fuêre collocatæ, quam quòd καλλίπυγοι habitæ, & repertæ.

8 S E N E M Q V E *Cynicum vincat osseus cunnus.*] Osseum cunnum appellat, quod præ macie totius corporis vix ossibus hæreat. Comparat deinde deformitatem eius Cynico seni, de quo inf. lib. 4. ep. 53.

Cum baculo peraque senem, cui cana patrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.

Quæ omnia Vetustinæ barathro accommodari possunt. Vetulum appellat cunnum, etiam lib. 10. ep. 90.

Quid vellis vetulum Ligella cunnum.

Canum etiam dicit, sup. ep. 34. lib. 2.

Præstatur cano tanta indulgentia cunno.

9 C V M *te lucerna*, &c.] Vilissima scorta in monumentis prostituebantur, vt sup. dictum est, lib. 1. ep. 35. hæ ad balnea quæstus causa se conferebant, vt constat ex Lampridio & Ammiano Marcellino adductis hoc loco ab Heraldo. Hæc igitur vetula, corrupto donis balneatore, admittebatur inter hæc bustuaria scorta extincta lucerna, ne posset internosci.

10 C V M *bruma mensem sit tibi per Augustum.*] Extinctum iam omninò naturalem huius vetulæ calorem per hanc hyperbolen significat: nam cum Augusto mense caloribus æstuemus, ipsi bruma erat, quæ quidem mense Decembri est, vt lib. 7. ep. 94.

Bruma est, & riget horridus December.

11 R E G E L A R E *nec te pestilentia possit.*] Pestis ardentissimus morbus est: apud Medicos satis notum. vnde Arnobius lib. 1. contra gentes, ait: *Pestilentia contagia vrunt genus humanum.* Senes autem cum pigri sint, minus hoc morbo afflictantur. Docet Plin. lib. 7. cap. 50. *Senes minimè sentire pestilentiam.* Est ergo hyperbole ad summam Vetustinæ frigiditatem notandam, quod nec pestilentia ipsa possit ipsam regelare. Est autem dicendi modus desumtus à Seneca epist. *Vt à communibus* 68. *Iam ætas mea contenta est suo frigore, vix media regelatur æstate.* vtitur eodem verbo Columella, lib. 1. de re rust. cap. 5. vide quæ diximus sup. epig. 65.

12 G A V D E S *ducentas nuptum ire post mortes.*] In veteribus est, *audes*. Quod si sequaris, apta erit Iunij coniectura, qui legit, *nupturire ducentas mortes*, hyperbolicῶς dixit, sed lib. 9. ep. 16. vero numero Chloë.

Inscripsit tumulo, septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe.

Et Iuuenalis, sat. 6. vers. 228.

Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
Quinque per Autumnos, titulo, res digna sepulchri.

13 S T E R N A T V R *Acoride triclinio lectus.*] Corruptus est Senarius hic, emendatus olim à Scaligero in Ausonianis lectionibus, lib. 2. cap. 4. qui legit: *Sternatur à Coriole clinico lectus.* quam lectionem veram puto: quid enim ibi faceret triclinium? Sed Scaliger non explicat quid hoc loco *clinicus* sit. Est enim Vespillo, quem irrisoriè clinicum vocat, vt sup. lib. 1. ep. 31.

Chirurgus fuerat nunc est Vespillo Diaulus.
Cœpit quo poterat clinicus esse modo.

Vide ibi quæ notauimus.

Comparat autem genialem lectum cum funerali: quemadmodum nuptiales tedas infrà cum facibus mortuorum; vt sit sensus, Tibi nubere volenti non genialis lectus, sed feretrum vel sandapila paranda est, imò lectus vbi mortui in atriis, pedibus ad fores porrectis locabantur, vt inde simul cum ipso lecto efferrentur & cremarentur. de quo est ep. 97. li. 10.

Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato.

Et Persius, sat. 3. versu 103.

——— *tandemque beatulus alto*
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,

In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Et Tibull. el. 1. lib. 1.

Flebis & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lachrymis oscula mixta dabis.

Vbi nota illa verba, *arsuro lecto*. & Propertius, lib. 2.

Nec mea tunc longa spacietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

14 THALASSIONEM *qui tuum dicet solus.*] De Thalassione iam sup. dictum est, lib. 1. ep. 36. *Solus* autem dixit, quod Thalassio solebat dici à multis: Solus verò Vespillo aptus erat, qui id carmen caneret Vetustinæ.

15 VSTORQVE *tedas preferat noua nupta.*] vstores sunt pyrarum, in quibus mortui cremabantur, ædificatores, & qui cadauera in vstrinam conijciebant, vt cremarentur, & silicernium, hoc est, feralem cœnam custodiebant à pauperibus & mendicis, qui eas dapes in rogum coniectas semivstulatas sibi solebant rapere; vt constat ex scommate Catulliano in Rufam quamdam, epigr. 60.

——Sæpe quam in sepulchretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Cum deuolutum ex igne prosequens panem,
A semiraso tunderetur vstore.

Vbi vides vstoris nomen vsurpatum à Catullo. Cum igitur nouis nuptis tedæ præferrentur, ait conueniens esse, vt huic vetulæ tedas præluceat vstor, quæ tedæ faces essent rogi. Vnde quasi se explicans subiungit continuò:

Intrare in istum sola fax potest cunnum.

Quod fax mortuorum esset, quamuis aliquando pro nuptiali teda hoc nomine vtantur scriptores.

In Rufum. XCIV.

Esse negas coctum leporē, poscisque flagella.
Mauis, Rufe, coquum [v. cædere] *scindere, quàm leporem.*

RAMIR. DE PRADO.

Scomma in Rufum auarum, qui dum dapes ab vna in aliam cœnam seruare volebat, caussatur coqui negligentiam, qui crudas exhibuisset mensæ, poscebatque ad eum verberandum flagella. Dicit malle hunc coquum flagellis scindere, quam leporem cultro. Quod epigramma iam sup. epigr. 13. explicatum est.

In Næuolum. XCV.

Numquam dicis aue, sed reddis, Næuole, semper.
Quod prior & Curius dicere sæpe solet.
Cur hoc exspectas à me? rogo, Næuole dicas:
Nā puto nec melior, Næuole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæsar vterque,
Natorúmque dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notúmque per oppida nomē
Non exspectato dat mihi fama rogo.
A *Est & in hoc aliquid, vidit me Roma tribunum,*
Et, sedeo qua te suscitat [Oceanus disponēdis ordinibus præerat.] *Oceanus.*
Quot mihi Cæsareo facti sunt munere ciues,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi.
Sed pædicaris: sed pulchrè Næuole ceues.
Iam iam [v. tu prior.] *sic prior es, Næuole. vincis. aue.*

DOMITIVS.

NVMQVAM] In Næuolum cinædum.

CVRIVS] Grauissimus fuit dentatus.

VTERQVE *Cæsar*] i. Titi & Domit.

ROGO *non exspectato*] Cùm alij tantùm habeant famam & nomen post cineres.

SEDEO] In decimoquarto gradu.

B OCEANVS] Erat præfectus sedentibus in theatro, vt ordine sederent.

TE *suscitat*] Iubet te discedere.

MIHI] Meis precibus.

SED *pædicaris*] Ideo prior, nam ita in priore loco collocaris, vt podice excipias mentulam. iocatur verbo: nam prior ad dignitatem toto epigrammate dictum est hactenus, nunc ioco refertur ad locum eius, qui pædicatur, qui priori loco stat.

CEVES] Moues nates.

PRIOR *es*] Priorem locum obtines.

RAMIR. DE PRADO.

Næuoli cuiusdam superbum fastum & arrogantiam increpat, qui semper expectabat, dum à Martiale salutaretur, nec ipse prior salutabat vmquam. C Comparat in multis vtrumque, & ostendit nulla in re se Næuolo esse inferiorem, sola mollitie & turpitudine fatetur eum priorem esse.

1 SED *reddis Næuole semper.*] Priorem salutare confitentis erat se inferiorem esse salutato: Reddere autem, *Aue*, vel resalutare, erat officium superioris. Itaque lib. 10. ep. 70.

Nunc resalutantes video nocturnus amicos, inquit, vbi, *resalutantes amicos* intelligo potentes & fastuosos, qui exspectabant dum salutarentur; vt redderent aue. quos nocturnus videbat, quod mane alijs detentus occupationibus non vidisset. Domini etiam comitatis vel vrbanitatis caussa seruos resalutabant, & per ludum vocabant dominos, lib. 5. ep. 58.

Cum voco te Dominum, noli tibi Cinna placere,
Sæpe etenim seruum sic resaluto meum.

D Nimium verò fastuosi nec resalutabant, lib. 4. ep. 84.

Securus nullos resalutas, despicis omnes.

Et Suetonius de Nerone, cap. 37. *Certe neque adueniens, neq. proficiscens quemquam osculo impertiuit, ac nec resalutatione quidem; sed vel respiciebat salutantes, vel annuebat nullo prolato verbo.* Iuuen. sat. 3. v. 184.

——Quid das vt Cossum aliquando salutes?
Vt te respiciat clauso Veiento labello?

Erat igitur officium fastosi superioris resalutare; Quamuis aliqui modestiæ vel beneuolentiæ caussa anteuertebant salutationem, vt Philippus apud Horatium, epist. 7. lib. 1. qui Vulteium Menam præconem prior salutauit:

——Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello,
Occupat: & saluere iubet prior.

2 QVOD *prior & Curius dicere sæpe solet.*] Per Synecdochen Curium posuit, pro quouis, nobili & graui viro: vt Iuuenalis, sat. 1.

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.
De quo iam sup. dictum est ad ep. 25. lib. 1.
3 PRÆMIA, &c.] De præmiis intelligendum acceptis à Tito & Domitiano, vt sup. lib. 2. epigr. 91. & 92.
4 NON *expectato dat mihi fama rogo.*] De hoc sup. dictum est, lib. 1. ep. 1.
5 VIDIT *me Roma Tribunum.*] Fuit Martialis Tribunus honorarius. Vnde etiam Equestris dignitas ei data: Non enim Eques fuit ex censu, vt alij, sed ex munere Tribunicio, quo qui fungebantur, intra quatuordecim gradus spectare poterant, vt legitimi & iusti Equites. Hinc subsequitur,
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.
Quod significat Næuolum hunc non esse Equitem Romanum, & solere suscitari ab Oceano, qui disponendis ordinibus præerat, de quo & Lectio frequentes ioci apud hunc Poëtam. *suscitandi* autem vel *excitandi* verbum theatrale, significat amouere à loco, in quo quis intra quatuordecim gradus sedebat, lib. 6. ep. 9.
Et quereris si te suscitat Oceanus?
Et lib. 5. epigr. 36.
Et suscitanti Lectio reluctatur.
Et eod. libro epigr. 14.
Bis excitatus terque transtulit castra.
Sueton. in Aug. cap. 14. *Cum spectaculo ludorum gregarium militem in 14. sedentem excitari iussisset.*
6 QVOT *mihi Cæsareo*, &c.] Innuit à se impetratum esse multis à Cæsare ius Ciuitatis. vt Plinius impetrauit multis: vt constat ex toto lib. 10. epistolarum.
7 IAM *iam sic prior es Næuole, vincis, Aue.*] Illa palilogia, iam iam, est eius, qui tandem intelligit, quod antea non intelligebat. quod Hispani imitamur eadem voce: *ya ya*, Sic *Prior es*, dixit, vbi illud *sic*, ad præcedentem versum refertur, *sic, Quod pedicaris & cenes*, Ideò *prior es*, id est, in anteriore loco, nam qui pædicatur, anterior est: qui pædicat posterior hæret ad nates Pathici. Quare subiungit: *Vincis*, id est, botines causam. Ideo ego prior te salutabo *Aue*: & hic est arguti Poëtæ sensus, quem nemo quod sciam subodoratus est quidem.

In Gargilium. XCVI.

Lingis, non futuis meam puellam.
Et garris quasi mœchus, & fututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

DOMITIVS.

LINGIS] In Gargilium, qui volebat videri mœchus, cum adhuc esset puer mollis, & cunnilingus, per vrbanè minatur se eum irrumaturum si deprehenderit.

TACEBIS] Alludit ad illud quod dixerat garris, & ad fellationem: nam qui irrumantur, dicuntur fellare, & loqui non potest, ore mentula irrumatoris obstructo.

TACEBIS] i. irrumabo te: idem minatur Priapus in obscœno carmine,
Pædicaberis Irrumaberisque.

RAMIR. DE PRADO.

Gargilius quidem cunnilingus iactabat se tanquam A mœchus & corruptor puellæ Martialis: interminatur ei, si prehensus fuerit, ore vt irrumetur, quòd vocem perdet & tacebit. similis iocus apud Catullum, epigr. 75. in quemdam Gellium,
Quod voluit, fecit: nam quamuis irrumit ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.
Obturatur enim os τῆς γλωσσοποιῶν.
1 SI *te prendero.*] Proprio mœchorum verbo vsus est, de quo sup. l. 5. ep. 35.

Ad Rufum. XCVII.

Ne legat hunc Chione, mando tibi, Rufe libellum.
B *Carmine læsa meo est, lædere & illa potest.*

DOMITIVS.

NE *legat læsa*] Scil. carmine superiore Chione.
POTEST] Nam dabat pecuniam, vt subagitaretur, vt suprà: *Fac mihi quod Chione*: Hæc erat illa, *Frigida es & nigra.*

RAMIR. DE PRADO.

Quod in hoc libro multis epigrammatis insectatus est Chionem fellatricem, mandat Rufo ne illa hunc librum legat; quia cum omnibus carminibus læsa, potest & ipsa lædere dentibus, cum irrumatur, vt diximus sup. ep. 82.

In Sabellum. XCVIII.

C *Sit culus tibi quam macer, requiris?*
Pædicare potes, Sabelle, culo.

DOMITIVS.

PÆDICARE *potes tuo culo*] Adeò tuus culus est macer, & acutus tanquam mentula.

RAMIR. DE PRADO.

EXPLICATVM est sup. hoc distichum, epigr. 93. ad illud.
Et anatis ὀρροπύγιον macra.

Ad cerdonem. XCIX.

Irasci nostro non debes cerdo libello.
D *Ars tua, non vita est carmine læsa meo.*
" *Innocuos permitte sales. cur ludere nobis* Supra lib. 5. Epigr. 26.
Non liceat, licuit si iugulare tibi.

DOMITIVS.

IRASCI] In Cerdonem de quo suprà conquestus est, quod dederat munus gladiatorium.
ARS *tua, non vita est læsa à me*] Quia non dixi in vitam tuam, sed in artem.
LICVIT *iugulare*] id est, potuisti exhibere gladiatores iugulandos in theatro. Iuuenal.
Et verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

RAMIR. DE PRADO.

Supra ep. 16. & ep. 58. insectatus fuerat sutorem quemdam, quod Gladiatorum munus exercuisset, quem fingit subiratum fuisse Poëtæ ob ea scommata quem placat hoc epigrammate: Cum dicat se non vitam eius, sed artem non tacuisse; Petitque vt impune liceat sibi iocari, cum impunè liceat sutori iugulare, id est, dare ea munera, vbi homines iugulentur. Vide epigrammata supra dicta.

Ad Rufum. C.

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlũ nam fortè ruebat.
Non aliter mitti debuit iste liber.

DOMITIVS.

CVRSOREM] Deprimit honorem carminum A suorum, & superioris libri, quem ait se misisse per maximos imbres ad Rufum amicum, quoniam hi omnes versus essent delendi: infrà,

Curre, sed instructum comitetur Punica librum
Spongia: muneribus conuenit illa meis.

Nam carmina indocta solet dicere digna esse aquis; antè,

Vis puto cum libro Marce natare tuo.

RAMIR. DE PRADO.

Miserat Poëta cursorem cum carminibus perferendis ad Rufum sexta hora, quo tempore immodicis imbribus forte velut ruebat cœlum. Non aliter ait mittendum fuisse librum illum, quod mala carmina digna erant, quæ aqua & spongia à tabel- B lis delerentur, quod fieri solebat, vt lib. 4. epig. 10.

Curre, sed instructum comitetur Punica librum
Spongia, muneribus conuenit illa meis.

Et iam diximus, sup. lib. 1. ep. 6.

1 CVRSOREM.] De Cursoribus & Cursu publico: vide quæ Lipsius collegit, epistola 59. Centuriæ singularis ad Nicolaum Micolletium.

Finis libri tertij Epigramm. Martialis.

LVSTRO] Lustrum est spatium quinque annorũ, quo olympia solebant instaurari. Cùm autem centesimo anno redeant seculares, appellat poëta illius temporis ingens lustrum.

SACRA *Terentus*] Sacra ad Terentum campi Martij xxx. quoque anno innouabantur: alibi Mart. cum sexagenariam diceret, ait:

Bis mea Romano spectata est vita Terento.

TERENTVS *Romuleus*] Campi Martij.

DEBITA] Quia hæc debentur terris.

IMPROBA] Nimia.

PRO *tanto Deo*] Domit. nam Deus, & dominus voluit appellari.

RAMIR. DE PRADO.

Celebrat Natalem Domitiani diem, politissimo epigrammate, & adiungit precationem pro vita & incolumitate Imperatoris.

1 CÆSARIS *alma dies.*] Id est, natalis, proprioque epitheto vsus est. *almus* enim ab alendo dictum, & accommodatur Dijs & rebus alijs, quæ vel ad generationem, vel procreationem hominis pertinent: Sic alma Venus & alma Ceres dicitur, non alma Pallas aut Bellona. Cum igitur hic natalis esset dies, qui eduxit in lucem Domitianum, ideò dixit, *alma dies.*

2 ET *luce sacratior illa, &c.*] Adulatione eo ducitur, vt præferat Domitianum Ioui, & sacratiorem diem natalem Domitiani dicat, quàm natalem Iouis. Tulisse autem Idam dicunt Iouem, quod à Rhea traditus Curetibus fuit in monte Ida

3 LONGA *precor, &c.*] Duo precatur, & quod longa sit dies illa, & quod Nestoreos annos superet Natalis Domitiani, & quod prosperè feliciterque proueniat semper, velut vt nunc vel melius.

4 HIC *colat Albano Tritonida cultus in auro.*] Hic, id est, Domitianus, de quo loquitur. Testatur Suetonius in Domitiano, cap. 4. eum in Albano quotannis quinquatria Mineruæ celebrasse, magnificosque ludos Theatrales, & Scenicos, insuper Oratorum ac Poëtarum certamina ibi edidisse. Loco illius vocis, *cultus.* est in veteribus, *multus*; quod probo magis. Erat enim Domitianus occupatus eo tempore in coronandis victoribus aureis coronis. Probatur id ex Papinio, lib. 3. syluarum, in poëmate vltimo ad Claudiam vxorem:

——ter me vidisti Albana ferentem

Dona comes, sanctoque indutum Cæsaris auro.

Nam cum Ludorum victoribus coronæ ex Lauri, oleæ, vel quercus, vel alius arboris folijs darentur. Crassus diues, vt testatur Plin lib. 21. cap. 3. *primus argento, auroque folia imitatus, Ludis suis coronas dedit.* qui mos ab hac origine manauit in posteros. De patre huius Imperatoris scribit Sueton. cap. 19. hæc. *Apollinari tragœdo quadringena; Terpio, Diodoroque Citharœdis ducena, nonnullis centena, quibus minimum quadragena sestertia. super plurimas coronas aureas dedit.* Idem faciebant Prætores per Ludos, ex quo more quæsitus Poëtæ iocus, lib. 8. ep. 33.

De Prætoria folium mihi, Paule, corona,

Mittis, & hoc phialæ nomen habere iubes.

Vnde veriorem iudica lectionem vulgatam, *in auro,* quam eam, quæ nobis ab aliquibus obtruditur, *in aruo.* Essetque durum vocare aruum Albanum montem illum. Sicque interpretor, *Multus*, id est, assiduus & totus in illa re colat Mineruam.

5 PERQVE *manus tantas plurima quercus eat.*] Notum est quernam coronam ciuicam esse, quam per

A adulationem primùm concesserunt Augusto, quod ciues vniuersos seruauisset. Est in nummis eius cum inscriptione intra coronam ipsam, OB CIVES SERVATOS, quam pro foribus positam fuisse Augusto docet Dion. . . . & Ouid. 2. Metamorph.

Postibus Augustis eadem fidissima custos

Ante fores stabis mediamque tuebere quercum.

Quod Tiberius recusauit, teste Tranquillo in eius vita, cap. 26. *Prænomen quoque Imperatoris cognomenque patris patriæ, & ciuicam in vestibulo coronam recusauit.*

Hac modestia vsi non sunt pessimi alij Cæsares, in quorum nummis, vt in Augusti, cernitur hæc querna corona. Plin lib 16. cap. 4. *Hinc ciuica corona, militum virtutis insigne clarissimum: Iampridem verò & Clementiæ Imperatorum, postquam ciuilium bellorum profanatione, meritum cœpit videri ciuem non occidere.* In Augusto fortè fuit ratio: in cæteris Imperatoribus

B idem præstitit adulatio: Itaque optat vt hic honor sæpissimè tribuatur Domitiano, qui iam aliquoties tributus fuerat, vt lib. 8. ep. vlt.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:

Fiat & ex hedera ciuica nostra tibi.

Sed ego in hanc sententiam inclino, vt hic locus non de Domitiani ciuica intelligatur, sed de quernis coronis, quas ipse victoribus in certamine quinquennali Capitolino Ioui instituto largiebatur. Est ea institutio apud Tranquillum in eius vita. cap. 4. *Instituit & quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex; Musicum, Equestre, Gymnicum & aliquanto plurium, quam nunc est coronatorum.* Quo in certamine querna dabatur corona, ex arbore scilicet Ioui dicata. Hanc consecutus est Colinus quidam, ad quem inf.

C est epigr. 54.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,

Et meritas prima cingere fronde comas.

Apud Iuuenalem, sat. 6. versu 383.

Quædam de numero Lamiarum & nominis Appi,

Et farre & Vino Ianum, Vestamque rogabat:

An Capitolinam deberet Pollio quercum

Sperare, & fidibus promittere.

Et eò magis adducor, vt credam hanc veriorem esse interpretationem; quod præcedenti versu optat, vt Quinquatria Mineruæ in Albano monte sæpius ab Imperatore celebrentur. in hoc autem vt quinquennale hoc certamen. Illa verò verba. *Perque manus tantas*, non videntur posse ad ciuicam Domitiani coronam referri: hæc enim non manibus, sed capite tenebatur.

6 HIC *colat ingenti redeuntia sæcula lustro.*] De ludis

D secularibus intelligit, quos Domitianus exhibuit, vt docet Sueton. cap. 4. Consulatu 14. anno vrbis conditæ 841. non habita ratione eorum, quos Claudius celebrauerat 63. vel 64. ann. post seculares Augusti, anno ab vrbe condita 800. quos quidem anteuerterat Claudius, vt docet Suetonius cap. 21. irrisa voce præconis inuitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quis, nec spectaturus esset. Cum multi superessent adhuc qui spectauerant, & histriones etiam producerentur, qui producti fuerant secularibus Augusti, vt refert Plin. lib. 7. cap. 48. Sed habita ratione eorum quos exhibuit Aug. anno ab vrbe condita 736. Itaque Domitiano ludi Claudiani non fuere seculares: vnde ep. 63. l. 10. de matrona nobili longæua in illo versu:

Bis mea Romano spectata est vita Terento.

Perperam interpretantur docti viri Politianus, Beroaldus, Onuphrius Panuinus ex libello de ludis secularibus: Heraldus & Raderus qui existimant hanc

matronam seculares Claudij ludos & Domitiani spectasse, inter quos tantùm interfuêre 41. anni. Quî poterat hoc in epitaphio à Martiale, tanquam pro miraculo celebrari, quod quadraginta & vnum annos expleuisset? Præterea quomodo credemus Poëtam, qui pœne totus est in Domitiani adulatione Claudij seculares ludos voluisse pro secularibus accipi, cum id non posset non offendere Domitianum, qui eos abolitos omninò voluit? Lipsius etiam nescio quid comminiscitur, & emendandum putat. loco ꝗ̃ *vita*, *vitta*. cent. 3. epist. 26. ad Valentem Acidalium. vt hæc matrona glorietur se tot illos annos nuptam, & in theatris vittam suam, maritarum insigne, spectatam. Intellige ergo hanc matronam vixisse 105. annos, qui interfuerunt inter Augusti seculares, & seculares Domitiani ad minimum, & eò amplius: Ideò non dixit Martialis hanc matronam spectauisse vtrosque ludos, sed vitam eius spectatam fuisse in vtrisque. Potuit enim ludis Augusti recens nata in cunis esse, & ludis Domitiani vltima iam senectute confecta. Illud autem, *ingenti lustro*, referendum est ad verbum, *colat*. Dixit autem, *Ingenti lustro*, quasi annuens legitimè celebratos esse ludos, sumpta annorum computatione à secularibus Augusti, non à festinatione Claudij: nam ab eo tempore non esset lustrum ingens, Lustri autem nomine vsus est, quod Domitianus censor fuerit, vt testatur Suetonius cap. 8. & diximus iam sup. epigr. 5 & censor lustrum condebat, vt omnia verba adulationi accommodentur.

7 E T *quæ Romuleus sacra Terentus habet.*] Fiebant sacra ad aram Ditis, in Tarenti ludis ipsis secularibus de qua ara latissimè Val. Max. lib. 2. cap. 4. & diximus lib. 1. epig. 70. de toto negotio secularium ludorum scripsit diligentissimè Onuphrius Panuinus in appendice quadam ad Fastos Consulares.

8 M A G N A *quidem superi petimus, &c.*] Ex his verbis colligo petijsse, vt Domitianus iterum seculares ludos celebraret: idque significat verbis illis *redeuntia secula*.

9 P R O *tanto quæ sunt improba vota Deo?*] Verbo *improba* vsus in propria significatione, id est, non probata, quæ probari non possunt.

De Horatio. II.

Spectabat modò solus inter omneis
Nigris munus Horatius lacernis,
Cùm plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repentè cœlo:
Albis spectat Horatius lacernis.

DOMITIVS.

S P E C T A B A T] Domit. edidit nauales pugnas quas spectauit inter maximos imbres.

C A N D I D V S] Candidis vtebantur vestibus in spectaculis. i. lacernis albis, quæ in spectaculis sumebantur. Solus Horatius munus cum lacernam albam non haberet, alio habitus colore venit in spectaculum, niue autem cadente vestis facta est alba, in quo Poëta & risum mouet, & imperatori assentatur, cuius mores ait omnes oportere sequi.

S P E C T A B A T] Nauales pugnas.

P L E B S] Ordo plebeius.

M I N O R] Equester.

M A X I M V S] Senatorius.

C V M *sancto duce*] Cùm diuo Cæsare.

C A N D I D V S] Id est candidis lacernis. Lacernæ candidæ in distichis:

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus.

RAMIR. DE PRADO.

Lepida narratiuncula de Horatio quodam publicos ludos nigris lacernis spectante, cũ Imperator & populus omnis cum cãdidis vestibus assideret: nam subito decidente niue, nigræ illæ lacernæ albæ factæ sunt.

1 N I G R I S *munus Horatius lacernis.*] Romani togis lacernas, penulas, aliasque vestes crassas vel pluuiæ vel frigoris arcendi caussa superinducebant, vel togas mutabant, præsertim in theatro, ludorumque spectaculis ad cœli inclementiam, cum theatra (vt plurimùm) absque tecto essent & eius loco velis & carbasis tegerentur de hoc lacernarum vsu Noster lib. 5. epi. 8. & lib. 14. ep. 37.

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus.
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Ideò Iuuenalis sat. 9. vers. 29. lacernas monumenta togæ vocat. Hanc vestium permutationem Domitianus in quadam Naumachia ab eo edita non permisit, vt refert Xiphilinus ex Dione in eius Imp. vita. Cuius verba à Xylandro Latina facta hæc sunt, *Posthac dies festos egit, videlicet triumphales: exhibuit crebra certamina prælijs peditum, ac deinde equitum cõmissis in circo. tum etiam in nouo quodam loco bello nauali facto, in quo non solum omnes ferè qui pugnauerunt mortui sunt, sed etiam multi ex spectatoribus, propterea quod maximo imbri & vehementi tempestate repentè commota, nemini permisit abire ex spectaculo: & quanquam ipse penulam mutauit, tamen ceteros nihil mutare passus est.* Tertull. in Apologet. Lacedæmonios primos fuisse qui hoc excogitauerint his verbis scribit: *Video & theatra nec singula satis esse, nec nuda: Nam ne vel hyeme voluptatis impudica frigerent, primi Lacedæmonij penulam nudi excogitarunt.* vbi illud verbum, *frigerent*, non communi notione posuit, cum & non cessare impudica illa spectacula, nec in fauore hominum esse desijsse significauit. frigere enim hac acceptione apud veteres vsitatum video; hinc frigus pro remissione amoris, & languore. Sic intelligendus Horatij locus lib. 2. sat. 1. à nemine quod sciam vsque adhuc interpretatus,

——puer vt sis
Vitalis, metuo & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Vnde apud Iurisconsultum in l. cum hic status 32. §. quod si diuortium. 12 ff. de donat. int. vir. & vx. friguscul um idem significat. verba sunt: *Quod si diuortium non intercesserit, sed fribusculum.* lego vt in alijs *frigusculum, profectò valebit donatio, si frigusculum quieuit.* Quod Græci nomine etiam ψυχρότης & Aduerbio ψυχρῶς (vulgò frigidè & ineptè) scite exprimunt: & nos Hispani itidem bellè dicimus, *infrioso*, quando dicere volumus: *no me tiene la voluntad que solia.* & apud Latinos refrigeratus is est, qui causam vt non in fauore sit hominum præbet, aut patitur. Suetonius in Claudio cap. 41. *Historiam in adolescentia hortante T. Liuio: Sulpicio verò, Flacco etiam adiuuante scribere aggressus est, & cum primum auditorio commisisset, ægrè perlegit refrigeratus sæpe à semetipso, &c.* vide quę diximus ad lib. 3. ep. 25.

2 C V M *plebs & minor ordo maximusque Sancto cum*

duce candidus sederet.] Vniuersum populum dicit A albatum sedisse cum Imperatore, quem vocabulo idem significante Ducem appellat. Minor ordo Equestrem significat, maximus Senatorium, lib. 14. ep. 137. cuius lemma Lacernæ albæ, docet in ludis theatralibus albatos omnes sedere.

Amphitheatrales nos commendamus ad vsus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Secus erat in municipijs, vbi Ædilibus solùm concedebatur ludos cum tunicis albis spectare. Iuuenalis sat. 3. versu 177.

Aequales habitus illic, similemque videbis
Orchestram, & populum: clari velamen honoris
Sufficiunt tunicæ summis Aedilibus albæ.

De niuibus. III.

B

Adspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, inque sinus:
Indulget tamen ille Ioui, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas;
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootæ,
Et madidis Helicen dißimulare comis.
Qui siccis lasciuit aquis, & ab æthere ludit,
Suspicor has pueri Cæsaris esse niues.

Idem Græcè.

Ἄθρει δὴ, ὡς ὑετοῦ πυκινὸς πόκος ἀψοφέοντος C
Καίσαρος εἰς κόλπους πίλναται, εἴς τε κάρη.
Ζηνὶ δ' ὃς ἥσυχος εἶκεν, ἀκινήτοισι προσώποις
Ψυχρῷ πηγνυμένων σὺν γέλαν ὑδάτων·
Ἠθὰς Ὑπερβορέου καταπαύειν ἄστρα Βοώτεω,
Τῆς θ' Ἑλίκης διεροῖς χαίτῃ καταφρονέειν.
Τοσδ' ἐθέλει ξηροῖσιν ἀθύρετος ῥαθάμιγξιν
Ἠδὲ κόρῳ, δοκέω, Καίσαρός ἐστι νιφάς.

DOMITIVS.

ADSPICE] Ab eadem tempestate sumitur huius epigrammatis argumentum, laudatúrque Cæsar, quod tantos imbres negligere potuerit, nam vt scrib. Suet. per maximos imbres spectauit pugnam naualem: & ne hoc videatur factum Ioue irato, ait poëta se suspicari filium Cæsaris, quem infantem amisit D his niuibus lasciuire cum patre.

DENSVM *vellus aquarum tacitarum*] Est nimirum periphrasis.

TAMEN] Quamuis cadat nix.

INDVLGET *Ioui*] Obsequitur cœlo, & non discedit.

AQVAS *concre. pigro frig.*] i. niues.

SIDVS *hyperborei solitus lassare*] Cùm à pueritia didicerit, in expeditione præsertim aduersus Batauos in Germania.

LASSARE] Ferendo fatigare.

SIDVS *hyperborei Bootæ*] Bootes idem dicitur Arctophylax, filius fuit Callistus, vt alij sentiunt, hic fuit Icarus, qui sumpta vua Baccho repletos vtres imposuit in plaustrum, & indè, vt putauit Higinus, dictus est Bootes. i. ductor plaustri, siue ille, siue is fuerit, vetustas tradidit relatum fuisse in cœlum, & esse iuxta vrsam.

HYPERBOREI] Septentrionalis.

DISSIMVLARE] Dissimulando negligere.

HELICEN] Eadem dicta est cynosura, & vrsa minor, ea fuit vna ex nutricibus Iouis, quæ sua pietate meruit cœlum, in Septentrione autem est, immò, vt nonnulli sentiunt, hæc & vrsa maior dicuntur Septentriones.

HELICEN] Id est niues helices Septentriones.

PVERI *Cæsaris*] Id est filij Cæsaris mortui, quem ex Domitia susceptum adhuc infantem amisit: meminit huius Papin. cum prædicit deificationem Domit.

Ibit in amplexus natus fraterque paterque.

RAMIR. DE PRADO.

Deijsdem niuibus est hoc epigramma, vbi laudat Domitiani constantiam, qui decidente niue immoto vultu ludos spectaret, & vltimò dicit se suspicari has niues immitti à puero Cæsare ab æthere.

1 ADSPICE *quàm densum tacitarum vellus aquarum.*] *Vellus aquarum* dicit à similitudine; nam nix assimilatur velleri: Ideo à veteribus Græcis per periphrasim ἐριῶδες ὕδωρ vocabatur nix, id est, aqua lanata: testatur id doctissimus Eustathius ad Dionysium his verbis. τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀστείως οἱ παλαιοὶ φασὶ τῷ σοφοῦ βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν δόντος αὐτοῖς; ὅτι εἶπε, διδόντος χιόνα ὡσεὶ ἔριον. id est, *eleganter veteres niuem lanatam aquam dicunt, præbetque ipsis occasionem sapiens Rex David cum dicit, Qui das niuem sicut lanā.* Tacitas aquas dixit, vt infra, siccas.

C 2 INDVLGET *tamen ille Ioui.*] Ioui tribuuntur quæcunque in media aëris regione gignuntur & decidunt, & Domitianus vt Ioui sacrificaretur, persistebat immotus ad niuis lapsum.

3 CONCRETAS *pigro frigore ridet aquas.*] Suetonius in vita Domitiani cap. 4. *Edidit*, inquit, *nauales pugnas pœnè iustarum classium effosso & circumducto iuxta Tiberim lacu, atque inter maximos imbres prospectauit.* Ex quo loci colligunt Domitius & Raderus niuem hanc decidisse in Naumachia, sed non certo colligunt, nam de niue non dicuntur imbres.

4 SIDVS *Hyperborei solitus lassare Bootæ.*] Quod Domitianus, vt Suetonius testatur, in Germania cōtra Cattos, & postea contra Sarmatas ac Dacos pœnè puer depugnauerat, & ibi didicerat frigus tolerare, quod eleganti Metonymia dixit, *lassare Booten.* id est, contra eius vim durare.

D 5 ET *madidis Helicen dissimulare comis.*] Id est, præ se ferre non commoueri frigoribus, & imbribus Septentrionalibus. *Helix* enim vrsa maior est. De verbo *dissimulandi*, vide plura, ad lib. spectacul. epi. 1.

6 SVSPICOR *has pueri Cæsaris esse niues.*] Innuit hoc disticho puerum Domitiani, quem tulerat ex Domitia secundo suo consulatu consecratum fuisse, quod & Papinius testatur & numorum Domitiæ, quibus Diui Cæsaris mater inscribitur, & alter quem adducit Læuinus Torrentius ad cap. 3. Suetonij, in quo depicta est Domitia cum inscriptione DOMITIA AVGVSTA Imper. Domitiani, & ex altera parte puer globo cœlesti insidens, & multis stellis circundatus cum inscriptione, DIVVS CÆSAR IMP. DOMITIANI F.

a Quid si Lazi. de Lazis Scythica gente, Agathias. Procopius, Stephanus. Bardiacũ intelligo hirsutã & pinguem lacernã, olidumue cucullũ barbari militis. Mirum quid Turnebo li. 23. c. 24. & l. 20. c. 24. mẽtis fuerit mutata codicũ fide legenti, Lassi Bardaici os, & Bardaicũ pro militari exponenti. b Vide Turneb. l. 9. c. 5. c v. tedæ. d Vulpes dũ fugit territa, virosum reddit locum, quo sterilescit locus.

In Bassam. IV.

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardiacus quod euocati, a
b *Quod bis murice vellus inquinatum,*
Quod ieiunia sabbatariorum,
Mæstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna c *Ledæ,*
Quod ceromata fæce de Sabina,
d *Quod vulpis fuga, viperæ cubile,*
Malles, quàm quod oles. olere Bassa.

DOMITIVS.

QVOD *siccæ*] In Bassam male olentem.

LACVNÆ *siccæ*] Nam siccata lacuna olet grauiter.

NEBVLÆ] Sulfurei vapores.

ALBVLARVM] Albulæ erant aquæ in agro Tiburtino crudæ, vt meminit Stra. & Plin. odore sulfureo. suprà:

Hic vbi sulfureis albula fumat aquis.

VETVS *aura piscinæ marinæ*] Ex aquis marinis.

BARDIACVS *euocati*] Euocati erant iuuenes ex equestri ordine delecti, qui manente vsu annulorum, constituti sunt ad custodiam cubiculi imperatorij loco militum, hi cùm excubias præstabant bardiaca veste. vtebantur. lanificio grossiore prope simili bardocucullo: hæ vestes malè olebant, quoniam in his cubabant, & inter sordida ministeria vtebantur, nam quod bardiacus puer sit, nec mihi videtur conuenire, nec vnquam legi. Bardiacus non puer est, vt ego sentio, sed sagum ex villis caprorum textum, quo milites in castris vtebantur. Virg.

Lucanaque menta Cyniphy tondent hirci setasque comantes,
Vsum in castrorum, ac miseris velamina nautis.

Idem scribit Columella de capro. & Iuuenal. de milite,

Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.

Id est, ex saxo pilis caprorum texto, vt in Iuuenal. commentariis, quos composuimus à nobis scriptum est.

QVOD *bardiacus*] Id est sagum ex villis caprorum olet. nam hircinum fœtorem redolet.

LASSI *euocati*] Militis lassi & laboriosi, ex hoc Lentulus lanista cognomen accepit, nam dictus est Lentulus bardiacus.

EVOCATI] Excubantis, lassi excubijs.

INQVINATVM *bis murice*] i. bis tincta malè olet.

SABBATARII] Iudæi dicuntur qui sabbata colunt. Pers.

Recutitaque sabbata palles.

Horum halitus cùm fœteat semper, antè cibum præsertim, grauissimi est odoris.

REORVM *mæ.*] Curis agitati habent malum anhelitum, & odorem mala concoctione.

A MORIENS] Extincta.

CEROMA] Vnguentum erat ex luto & oleo; Plin. author. Male olebat si oleum sabinum, quòd plurimùm habet amurcæ, adhibitum fuisset, erat autem palestritarum.

GEORGIVS.

LASSI *bardiacus quod euocati.*] Quanta licentia fingendi est huic improbissimo, vel potiùs veram lectionem inuertendi, nam in fidelioribus codicibus sic legitur:

Lassi bardiaci os quod aduocati:

Erat enim Bardiacus aduocatus, qui post diutiùs peroratas causas, & sensu confectus os fœtidum habebat: huius Bardiaci, vt existimo, meminit Iuuen. cùm ait:

Bardiacus iudex datur hæc audire volenti.

B Nam vt apud Plin. legimus senum halitus inficitur, nec nõ lasso stomacho longiore ieiunio: vel vt Corn. Celsus, quoties voce alta legimus.

RAMIR. DE PRADO.

Solita & familiari huic Poëtæ hyperbole persequitur graueolentiam Bassæ cuiusdam, idemque facit in Thaidem, lib. 6. epig. 93.

1 QVOD *siccæ redolet palus lacunæ.*] Lacuna alueus est aqua plenus, palus verò ipse alueus quamuis siccus, etsi hæc confunduntur ab auctoribus. Sed hic Poëta proprietatis Latinæ diligentissimus obseruator, & *custos palus*, dixit, *siccæ lacunæ*, id est, aluus illa absque aqua cœnoso & vliginoso solo, quod quidem vel ob animalia ibi mortua, vel ob recoctum ardore solis cœnum grauem emittit odorem.

C 2 CRVDARVM *nebulæ quod Albularum.*] Albula vel Albulæ propè Tiburem sulfureis aquis semper fumat, vt sup. lib. 1. ep. 13.

Canaque sulfureis Albula fumat aquis.

Quæ nebulæ ob sulfur malè olent. *Crudarum* autem dixit, propterea quod illæ nebulæ manè excitantur, antequam solis radijs veluti decoquantur aquæ, & matutino tempore sint veluti crudæ, id est, non coctæ solis ardore: nam calor vehemens qualis meridie est, discutit nebulas illas, & etiam earum graueolentiam.

3 PISCINÆ *vetus aura quod marina.*] Est metalepsis in voce *vetus*, quæ accommodatur *auræ*, cum conueniat *piscinæ*, id est, quod redolet aura piscinæ marinæ veteris: nam aqua marina si corrumpatur, quod crassior sit ceteris aquis, peius olet.

D 4 QVOD *pressa piger hircus in capella.*] Dictum est iam sup. lib. 3. epigram. 93. piger non est perpetuum hirci epitheton, cum hirci velocissimi & inquieti sint, sed piger dixit quando diu in coitu immoratur.

5 LASSI *bardiacus quod euocati.*] De varietate lectionis hoc in versiculo multi multa: relictis varijs & inter se discrepantibus scriptorum opinionibus, ego amplecterer vulgatam hanc lectionem: & si aliquis contenderet *Bardaici* legendum esse, non multum repugnarem: dum constet vestem esse Gallicam rudem & oleo inquinatam, qua vti solebant milites vt defenderentur ab imbribus & ventis: Esse autem sordidam probat epig. 54. lib. 1.

Sic interpositus vitio contaminat vncto
Vrbica lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Euocati milites erant iam emeriti, qui ad militiam ex otio illo ingentibus stipendijs alliciebantur in aliqua difficili expeditione. Hi iam ætate prouecti & stipendiis locupletati, attentiores, vt fit, erant ad rem

familiarem: ideò vestibus vtebantur ad vtilitatem, potius quam ad decorem, præcipuè his bardaicis vel bardocucullis, quibus cum incubarent, grauis exhalabat odor. *Lassi* verò dixit ob longam militiam & prouectam ætatem. Redolet igitur Bassa, quod bardaicus attritus à milite euocato.

6 QVOD *bis murice vellus inquinatum.*] Latè interpretati sumus hunc versum lib. 1. epi. 50. ad illud

——olidaque vestes murice

Dibaphum appellant Græci bis tinctum. quod Horatius suo more Latinis verbis expressit lib. 2. carm. ode 16. *——te bis Afro*

Murice tinctæ Vestiunt lanæ.

Et in Epod. ode 12.

Muricibus Tyrijs iterata vellera lanæ,

Cui properabantur?

Dibaphæ autem purpuræ originem tradidit Plinius lib. 9. cap. 41. vbi inquit: *Et cum confecêre conchylia, transire melius in Tyrium putant. pœnitentia hoc primum debet inuenisse artifice mutante, quod damnabat, inde ratione nata, votum quoque factum è vitio portentosis ingenijs, & gemina demonstrata via luxuriæ, vt color alius operiretur alio, suauior ita fieri leniorque dictus.* & subiungit: *Quin & terrena miscere coccoque tinctum Tyrio tingere, vt fieret hysginum.* Hæcque appellatur dibapha Tyria vt idem inquit cap. 39. eiusdem libri. Murice autem inquinatum est Tyrio tinctum. Virgil. 4. Æneid.

——Tyrioque ardebat murice lana

Demissa ex humeris.

Et Tibullus,

Nec qua de Tyrio murice lana rubet.

Ex quibus collige dibaphum fieri solitum vel ex ipso murice iterato, vel ex conchylio, & murice, vel ex cocco, & murice, ita vt semper posterior tinctura esset ex murice Tyrio. Vnde graueolentia illa, de qua dicto epigrammate.

7 QVOD *ieiunia sabbatariorum.*] Ob ieiunium hominis anhelitum malè olere notissimum est, vel ex Græco prouerbio, νηστείας ὄζειν. vnde intelligere poteris amplificationem, quam addit Poëta, lib. 11. epi. 9. vbi gratissimum basiorum pueri sui odorem cum multis rebus fragrantissimis comparasset, subiungit: *Hoc fragrant pueri basia manè mei.*

Erat enim mirum ieiunũ puerum eum odorem spirare. & Ouid. lib. 3. de arte amandi vers. 277. monet ne fœmina, quæ fœtidum oris habet odorem, loquatur manè, alias dibaphum virus emitteret:

Cui grauis, inquit, *odor, nunquam ieiuna loquatur,*

Et semper spatio distet ab ore viri.

Sabbatariorum nomine, Iudæos intelligit, qui religiosius quàm reliquæ gentes ieiunia obseruabant, & quod Sabbathum colerent Sabbatarij dicti sunt. Eratque persuasum antiquis Iudæos sua natura malè olere, ideò fœtentes appellabantur. Ammianus lib. 2. *Cum Marcus Imperator* (inquit) *Palæstinam pertransiret Aegyptum petens, fœtentium Iudæorum & tumultuantium tædio percitus, &c.* & Fortunatus de quingentis Iudæis à Sancto Auito baptizatis sic canit, carm. lib. 5.

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,

Et noua progenies reddita surgit aquis.

Vincens Ambrosios suauispiramine rores,

Vertice perfuso chrismatis efflat odor.

Ait ergo peius olere Bassam, quàm anhelitum Iudæi, eiusque ieiuni.

8 MOESTORVM *quod anhelitus reorum.*] Cura & sollicitudine auocatur aliò stomachi calor, quò fit vt minus coquatur ea, quæ in stomacho sunt, vnde putris anima exit. Rei autem vrgentur curis & anxietatibus.

9 QVOD *spurcæ moriens lucerna Ledæ.*] Leda synecdochicῶς, pro quauis meretrice posuit: Id enim familiare est huic Poëtæ, vt sup. lib. 1. epi. 93.

Nec curtus Chiones Antiopésue calix.

Et lib. 3. epi. 81.

Curtaque Leda sobrius bibat testa.

Vbi has nominat meretrices, pro quibuscunque. In Lupanari vero prostabant meretrices ad lucernas, testis Iuuenalis sat. 6. versu 230. de Messalina loquens è lupanari domum reuertente:

Obscurisque genis turpis fumoque lucernæ.

Et Horatius sat. 7. lib. 2.

——acris vbi me

Natura incendit, sub clara nuda lucerna

Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ,

Clunibus aut agitauit equum lasciua supinum.

Hæ lucernæ extinctæ, quòd spurcæ essent, fumum è se emittebant fœtidum & pestilentem. Qui *tedæ* legi malunt, perperam faciunt; cum inauditum sit lucernam esse tedæ.

10 QVOD *ceromata fæce de Sabina.*] Ceroma vnguentum erat crassum, ex oleo & luto confectum, quo luctantes vngebantur: quòd si ex oleo Sabino craso fieret, malè olebat. quid si ex fece vel amurca?

11 QVOD *vulpis fuga, viperæ cubile.*] Per metonymiam dixit *fugam*, pro lotio vel stercore proiecto à vulpe in fuga. Notissimum enim est vulpem, cum à canibus vrgetur, excrementa ex se proijcere fœtida, adeò vt solum quod contingat sterilescat, & fœtore canes à se auertat. Cubile viperæ grauiter fœtere docent viperarij.

12 MALLES *quàm quod oles olere Bassam.*] Summa fœtoris Bassæ amplificatio, quòd grauius oleat, quàm ea omnia quæ enumerauit, neque id solum, sed quod ea ipsa eligat ea potius olere, quàm quod olet.

Ad Fabianum. V.

Vir bonus & pauper linguâque & pectore verus,* (*v. Vegetus)

Quid tibi vis, vrbem qui Fabiane petis?

Qui nec leno potes, nec comessator haberi,

*Nec pauidos * tristi voce citare reos.* (*v. strictâ)

Nec potes vxorem chari corrumpere amici:

Nec potes algentes arrigere ad vetulas.

Vendere nec vanos circa palatia fumos:

*Plaudere nec** Cano, plaudere nec Glaphyro.* (**v. Canio)

Vnde miser viues, homo fidus, certus amicus?

Hoc nihil est, nunquam sic Philomelus eris.

DOMITIVS.

VIR *bonus*] Consulit Fabiano, ne ad vrbem accedat, cùm sit bonus vir, vt etiam Sexto consuluit.

NEC *leno*] Iuuenal. *Me nemo ministro Fur erit.*

COMESSATOR] *Parasitus.* Iuuen.

Si potes illa pati: quæ nec Carmentis iniquas.

TRISTI *voce*] Afferente tristitiam. Præcones

erant in precio, quod infrà est?

Si duri puer ingeni videtur,

Praeconem facias, vel architectum.

CORRVMPERE *vxorem*] Id est, non potes esse mœchus.

VANOS *fumos*] Id est, vanos titulos, & assentatorias appellationes. vnde Alexander, authore Spartiano, fumo perire iussit, qui inani quadam ostentatione apud ipsum magna gratia videri volebat: vulgato, disticho.

Fumo iam perijt, qui fumos venditabat.

CIRCA *palatia*] i. turbæ palatinæ.

CANVS] Tibicen fuit. alibi poëta Choraulem appellauit. Canus choraules, hic temporibus Galbę floruit donatus suprà cœnam ab eo non parua pecunia, cùm placuisset. author est Tranquil. & copiosiùs Plut. in Galba.

GLAPHYRO] Glaphyrus nomen citharœdi: Et apud Iuuen.

Accipis vxorem, de qua citharœdus Echion,

Aut Glaphyrus fiat pater. nam citharœdi tunc erant in precio, quę suprà ait,

Veniet cùm citharœdus erit.

VNDE *viues*] Id est, vnde acquires, & comparabis victum.

HOC *nihil est*] Nihil proderit esse te fidum.

SIC] Istis virtutibus.

PHILOMELVS] Diues vt Philomelus, qui diues factus cithara, de quo suprà,

Plus habuit, dedimus, plus Philomelus habet.

GEORGIVS.

QVI *nec leno potes, nec commessator haberi*: O miserum grammaticum qui dictionis huius originem non considerauit, verbum est Græcum κωμάζω, quòd est compotationibus, & ebrietatibus operam dare. Vnde Theocritus κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα: Hinc Latini comessor comessaris formauerunt: quo verbo frequenter vtitur Plautus. Comessatorem eum existimo propriè dici, qui esui, & potui præter statuta tempora indulgeat. Nam Suet. comessationes accipit quoties post cœnam aliquid comeditur. Sic enim de Vitelli luxuria scribit: Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat: in ientacula, & prandia: cœnas & comessationes: nisi fortè putauit à comedo comessatorem fieri, sed illum quantitas syllabæ admonere potuit, etenim primam producunt comessor & comessator, quæ in comedo corripitur.

RAMIR. DE PRADO.

Breuis satyra est hoc epigramma, quo lepido figmento carpit Romanos mores: fingit enim Fabianū pauperem, bonum virum, verum & simplicem Romam petere. vbi non erat locus huiusmodi moribus, prædicitque ei fore vt numquam diues sit. simile est hoc epigramma superiori, 38. lib. 3. De Sexto.

1 NEC *pauidos tristi voce citare reos*] Id est, non potes esse præco. Nam voce præconis ad iudicium vocabantur rei, constat ex L. Diuus Antoninus 7. ff. de in integrum restitut. Diuus Antoninus Martio Auito Prætori de succurrendo ei qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit: *Etsi nihil facilè mutandum est ex solemnibus, tamen vbi æquitas euidens poscit, subueniendum est. Itaque si citatus non respondit, & ob hoc more pronuntiatum est, confestim autem pro tribunali te sedente adijt: existimari potest non sua culpa, sed parum ex audita voce præconis defuisse. ideòque restitui potest.* Et ex Suetonio in Tiberio, cap. 11. *Sensim itaque* (inquit) *regressus domum, repente cum apparitoribus prodijt, citatumque pro tribunali voce præconis conuitiatorem rapi iussit in carcerem.* Hi autem præcones homines erant perfricta fronte, & fere scurræ, vt colligitur ex oratione Cicero. pro Quintio. Martialis tempore erat notissimus quidam præco nomine Liburnus, de quo epigrammate 7. lib. 1.

——procul horridus Liburnus.

Vbi horridus dixit, quod tristi voce citaret reos: eundem nominat Iuuen. sat. 4. versu 75.

——primus clamante Liburno

Currite, iam sedit.

2 NEC *potes algentes arrigere ad vetulas.*] Vt poterat Bassus, sup. lib. 3. epig. 76.

Arrigis ad vetulas, fastidis Basse puellas.

Veteratores autem & auari iuuenes solebant sollicitare vetulas diuites, vt multis in locis suprà dictum est. *Algentes* dixit, quòd iam penè extincto naturæ calore algeant anus, vt dixi suprà de Vetustina lib. 3. epigram. 92.

Regelare nec te pestilentia possit.

3 VENDERE *nec vanos circum palatia fumos.*] Notissimum ex Adagio Fumos vendere.

4 PLAVDERE *nec Cano, plaudere nec Glaphyro.*] Canus Choraules, cui mire placenti denarios quinque donauit Galba prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis, scribit Suetonius in Galba cap. 12. Glaphyrus citharœdus fuit, de quo Iuuenalis satyr. 6. vers. 76.

Accipis vxorem de qua citharœdus Echion,

Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusq; choraules.

Erant autem hi citharœdi & tibicines, gratissimi tempore Martialis, & ideò ditissimi. Ideò sup. lib. 3. ep. 4.

——poeta

Exierat, veniet cum cytharœdus eris.

Et lib. 5. ep. 57. vbi monet Lupum, vt filium faciat cytharœdum aut choraulem.

Fac discat cytharœdus aut choraules.

5 NVMQVAM *sic Philomelus eris.*] Philomelum posuit pro ditissimo, de quo sup. lib. 3. ep. 31.

Plus habuit Dydimus, plus Philomelus habet.

Vbi vide quæ notauimus.

* In Massilianum. VI.

*al Maccillianum.

Credi virgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri:
Cùm sis improbior Maßiliane,
Quàm qui compositos metro Tibulli,
In Stellæ recitas domo libellos.

DOMITIVS.

CREDI] In Massilianum, qui cum improbus esset, volebat videri castus, & pudicus.

TENERÆ *frontis*] i. modestæ.

IN *domo Stellæ*] Puto de Argino intelligi puero Stellæ formosissimo, qui amatorios domini versus canebat: nam quod nonnulli opinantur dictum de Mart. non placet, alibi poëta de formosis Stellæ ministris scribit, de Argino in primis.

RAMIR. DE PRADO.

Massilianum, qui simulabat pudicitiam & castitatem, cum improbus omnino esset, carpit & comparat cum quodam elegiarum recitatore improbissimo.

1 CREDI *virgine castior pudica.*] Prouerbium, *castior virgine.*
2 ET *frontis teneri cupis videri.*] Quemadmodum procaces duræ frontis dicuntur esse, sic modesti teneræ frontis dicuntur.
3 QVAM *qui compositos metro Tibulli, &c.*] Hæret hic omnibus interpretibus aqua. Domitius intelligi hoc existimat de Argino formosissimo Stellæ puero, de quo Poëta lib. 7. epigram. 14. scribit, & alios ministros Stellæ pulcherrimos comparat choro Ganymedeo. eod. libro, epigr. 49. Hunc Arginum non esse, qui recitaret Elegias, sentit Raderus, quod videretur Martialis hoc dicto amicum Stellam suboffendere, appellans improbos ministros suos. sed frigida est hæc refutatio: vereretur enim magis Martialis offendere Arginum hoc dicto, quam Stellam: nec credibile est eum, quem dicto epigrammate 14. lib. 7. adeò formosum depinxerit, vt Hylæ * comparari improbum appellasse*

Domitius verò non probat hunc Arginum solitum esse Stellæ carmina recitare. Quare incertum omninò negotium esse existimo, & tectis verbis significatum fuisse improbum aliquem elegiarum recitatorem, qui in domo Stellæ laxiori & auditorum capaci carmina sua legebat. Solebat enim fieri vt diuites domum suam recitatoribus commodarent, vt adnotat hic Heraldus & Marcilius ad illud Persij, *Scilicet hæc populo.* sat. 1. Intelligit ex hoc epigrammate Scaligerum lasciui carminis fuisse auctorem Tibullum, quod ambigo, & ἀπέχομαι.

Ad Hylum. VII.

Cur here quod dederas, hodie, puer Hyle, negasti?
Durus tam subitò, qui modò mitis eras?
Sed iam caussaris barbamque, annosque, pilosque,
O nox quàm longa es, quæ facis vna senem!
Quid nos derides? here qui puer Hyle fuisti,
Dic nobis, hodie qua ratione vir es?

RAMIR. DE PRADO.

Accusat Hylum puerum inconstantiæ, qui quod vno die dederat, sequenti negauit, caussabatur annos barbamque, quæ emeritum iam facere debebant eum. Hoc factum esse vna nocte ridet Poëta.
1 SED *iam caussaris barbamque, annosque pilosque.*] Barba ex pilis fit tantum natis in mento. pilorum nomine alijs in locis nati pili intelliguntur, veluti sub alis, in pectine, in pectore & in podice. Sic lib. 11. epigr. 23. de masturbatore quodam,

Et faciunt digiti, præcipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.

Ad Euphemum. VIII.

*Prima salutantes, atque altera * continet hora,* *al. distinet.
Exercet raucos tertia caussidicos.
A *In quintam varios extendit Roma labores,*
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,
Imperat exstructos frangere nona toros.
Hora libellorũ decima est Eupheme meorũ,
Temperat ambrosias cùm tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula" parca manu, "v. large.
Tunc admitte iocos:" gressu timet ire licenti "v. gressum metire licebit.
Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

DOMITIVS.

PRIMA] Rogat Euphemum structorem mensæ Domit. vt ex suis carminibus, ea quæ sunt iocosa B ostendat imperatori tantum cum cœnauerit, quæ sunt seueriora ante cœnam.

PRIMA *atque altera hora*] i. prima & secunda salutabant antiqui amicos potentes: tertia hora agitabantur lites.

VARIOS *labores*] i. varia opera exercet.

OCTAVA *& nona*] Exercebantur palæstritæ.

FRANGERE *toros extructos*] Accumbere.

DECIMA] Post mensas, vt meos libellos ostendas Imperatori.

DAPES *ambrosias*] i. diuinas.

LAXATVR] i. relaxat animum, exhilaratur.

INGENTI *manu*] i. diuina.

IOCOS] i. meos libellos ostende Dom.

METIRE] i. cautè eas: legitur etiam, timet ire.

LICENTI *gressu*] Id est, casto carmine, & casto gressu.

AD *Iouem*] i. Domitianum.

MATVTINVM] i. ante cœnam, quasi dicat, ante C cœnam ô musa oportet sanctiore carmine accedas, post cœnam locus est iocis lasciuioribus.

RAMIR. DE PRADO.

Petit ab Euphemo extructore mensæ Domitiani, vt sua carmina legi iubeat Imperatori commodissimo tempore, id est, hora cœnæ, cum iam cœperit incalescere mero: quod vt faciat, præmittit horarũ ante cœnam totius diei distributionem.
1 PRIMA *salutantes atque altera continet hora*] Vulgaris est locus de horis antiquorum, qui diem totum à prima luce ad noctem vsque, in duodecim æquales horas partiebantur, & in totidem noctem ipsam; quæ horæ diei ac noctis in Æquinoctiis solummodo æquales erant, inter se reliquis temporibus anni inæquales. D Nam æstate quando longissimi sunt dies, horæ diei longæ erant, noctis breuiores, hyeme verò contra. Est igitur prima hora per totum annum, qua incipit lucescere. Hac & secunda portabatur molestum illud *Aue*, de quo in multis sup. epigrammatis dictum & in plurimis seqq. dicendum. Raderus hoc loco longam collectionem affert eorum omnium, quæ de antiquorum horis scripta sunt, quem poteris consulere.
2 SEXTA *quies lassis, septima finis erit.*] De hora lauandi variæ sunt scriptorum opiniones, quibus relictis meam coniecturam apponam. Quietem à labore vsurpabant non omnes hora sexta, sed tantum lassi, qui velut interiungebant vsque ad septimam, à septima in octauam hi lauabantur: quamuis in hoc epigrammate nulla lotionis mentio. Ab octaua

in nonam palæstricæ se exercebant, quorum exercitationi aderant frequentes spectatores, vsque ad nonam, qua monebantur cœnatum ire. Et hæc est ratio & distributio horarum facta hoc loco à Martiale. Sed ego existimo sextam horam, septimam, octauam & hyeme nonam in lauatione consumi à diuersis. Robustiores vel qui in palæstra postmodum se volebant exercere, vel curiosi palæstræ spectatores sexta & septima lauabant; delicatiores octaua, quod sexta & septima nimis balneæ calerent: Probo id ex epigr. 48. lib. 10.

Nuntiat octauam Pharia sua turba iuuenta,
Et pilata redit iamque subitque cohors.
Temperat hac thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Hic tres horæ nominantur Sexta, septima, & octaua. Dices vbi septima? Septima est illa prior. Nam cum dixisset, *temperat hac thermas*, τὸ hæc significauit octauam, quam nominauerat, ratione cuius prior erit B septima. Sexta igitur Neronianæ thermæ immodico calore ardent: septima halant nimios vapores: octaua temperatæ sunt, & aptæ delicatorum lotioni. quod idem dixit lib. 11. ep. 53.

Octauam poteris seruare, lauabimur vnà.

Et Plin. lib. 3. ep. 1. de Spurinna: *vbi hora*, inquit. *balnei nuntiata est*, (*Est autem hyeme nona, æstate octaua*) *in Sole, si caret vento ambulat nudus. Deinde mouetur pila vehementer & diu.* vbi notandum est, non totam horam lotione consumi, sed nuntiata ea aliquam suscipi exercitationem, vel ambulationem, vel pilæ ludum, aut aliam: post lotionem soleari quiescebant, nec exercebantur. Ideo Menogenen. lib. 12. ep. 84. irridet, qui captandæ cœnæ studio soleatus iam & lotus lapsum de puluere follem colligebat, vt diximus sup. ad lib. 3. ep. 50. Ælius Spartian. in Hadriano scribit eum Imperatorem vetuisse quemquam ante C octauam lauari nisi ægrum; quod non fecisset, si horis sexta & septima prioribus lauare non solerent. Nona hora parabatur & struebatur cœna, vt vel decima vel paulò antè decimam accumberent. Ideò dixit versu sequenti,

Imperat extructos frangere nona toros.

Id est, imperat extruere, & frangere toros: *frangere autem toros*, vt diximus sup. ad lib. 2. ep. 59. est toris insidere. Est igitur nona hora veluti indictio quædam cœnæ, quæ ministros monet, vt lectos sternant, cœnamque parent. Nam post nonam erat epulandum, vt testatur vetus commentator ad Oden 7. Horatij lib. 2. his verbis: *Romanorum consuetudo fuit, vt post nonam conuiuarentur.* ad illud

Cum quo morantem sæpe diem mero Fregi.

Quod desumpsit ex Horatio lib. 1. epist. 7. dum inquit, ——*sic ignouisse putato*
Me tibi, si cœnas hodie mecum: vt libet. ergo
Post nonam venies.

Et clarè probari potest ex auctore ad Herennium, D lib. 4. *Itane? eamus*, inquit, *hospitei. Frater venis ex Salerno. Ego illi obuiam pergo, vos huc decimâ venitote. Hospites discedunt. ille se raptim domum suam conijcit: illi decima, quò iusserat, veniunt.* & hic noster sup. lib. 1. epigr. 109. sic inquit:

Ipse salutabo decima vel serius hora.

Vbi vetus liber habet,

——*te sæpius hora.*

Ego libentius legerem:

——*nec serius hora.*

Quod videtur magis conuenire acumini Martialis. Dicit enim se affuturum Gallo ipsa hora accumbendi, quæ decima erat, nec serius, ne cœnam perderet: quod optabat Martialis Cæciliano, lib. 8. ep. 67. cum dixit:

Mane veni potius, nam cur te quinta moretur,
Aut cur non serò Cæciliane venis?

Id est, cur non venis peracta iam cœna? Itaque Seneca, lib. de Tranquillitate vitæ, cap. vlt. de Pollione, sic ait: *Qualem Pollionem Asinium Oratorem magnum meminimus, quem nulla cura vltra decimam retinuit. Ne epistolas quidem post illam horam legebat, ne quid noua cura nasceretur; sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat.* & paulò post: *Maiores quoque nostri nouam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetabant.* Ex quibus locis colligo veram cœnandi horam decimam esse. & testatur hoc idem epigramma hoc tetrasticho: *Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum, &c.* adde etiam Cicer. lib. 9. ad Pætum, epist. *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaraui.* Hinc Isidor. lib 20. etym. cap. 2. annonam dictam fuisse, quasi ad nonam, his verbis: *Annona, tractum est à tempore, quo Romani veteres ad cibos aduocabantur.* Et hinc Belgæ fortè ex *Noen*, & *Noenmael*, tempus prandendi, & prandium vocant. ex supra dictis Iuuenalis, sat. 1. intemperantiam Marij exulis notans, octaua cœnare hora dixit:

Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur Dijs
Iratis. ——

Et illi qui de die conuiuabantur, male audiebant, ob intemperantiam, non spectato legitimo cœnæ tempore, vocabantque diem totum id spatium quod decurrebat inter diei initium & cœnam. Sic intelliges locum illum Catulli, ep. 48. ad Porcium, & Socrat.

Vos conuiuia lauta sumptuosè
De die facitis. ——

Et Horatius, ode 1. lib. 1.

Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit.

Solidum diem vocat eas horas, quæ erant ante cœnam consignatæ laboribus & exercitationibus. *Demere igitur de die solido*, est aliquid subtrahere iustis occupationibus, idque conuiuijs dare. Quod ode 7. lib. 2. appellauit, *frangere diem mero.*

Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi.

Quod Hispani aliquatenus imitamur, cùm dicimus: *Quebrar el ayuno*, & Gallicè dicitur eleganter, *rompre son iensne.* id est, edere antè legitimum prandij tempus. Est igitur dies strictè sumptus, totum spatiũ temporis ante cœnam. Nam si hoc non ita esset, insulsè doctissimus Catullus diceret fieri ab illis de die conuiuia, cum à nullo de nocte fierent. Nam à decima hora qua conuiuabantur, vt ostensum est, vsque ad noctem, duæ horæ intererant, ita vt omnes de die cœnarent, si diem intelligamus totum lucis diei spatium. Sic interpretor Suet. locum. cap. 21. de Domitiano. *Quoties otium esset, alea se oblectabat, etiam profestis diebus matutinisque horis ac lauabat de die.* id est, illis horis quibus necessarijs occupationibus vacare debuisset & non legitimo lotionis tempore. Eadem formula vsus fuerat ante Plautus in Asinar. act. 4. Scena, *Sequere hac:*

Tu ergo fac vt illi turbas, lites concias
Cum suo sibi gnato vnà ad amicam de die
Potare, illam expilare iam.

Et etiam vtitur Liuius de Annibale luxuriâ distento apud Capuam. *Cœperunt*, inquit, *epulari de die, & conuiuium non ex more Punico, aut militari disciplinâ esse.* Ex his intelliges, *tempestiua conuiuia*, dici ea, quæ legitimo tempore parabãtur, & è contra intem-

pestiua. Hic obiter animaduertas licet, maiorem diei & meliorem partem vocari septem horas ante decimam. Testatur id Iurisconsultus Paulus in L. vrbis 2.§.1.ff.de verb. signi. his verbis: *Cuiusque diei maior pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.* vocatque primas horas eas, à quibus ad decimam possunt septem numerari, qualis est prima, secunda & tertia. A quibus si incipias, septem horas priores computabis ante decimam. Non autem incipiendum erat ab alia posteriori, vt à quarta vel quinta: Sic enim septem horarum spatium includere deberet cœnæ tempus, quod non erat operibus aptum, & hoc eruditissimo Virgilio non latuit, cum lib.9.Æneid. vers. 157. dixit:

Nunc adeo melior quoniam pars acta diei:
Quod superest læti bene gestu corpora rebus,
Procurate viri.

Quasi diceret: horis iam transactis, quæ operibus destinantur, curate corpora cibo & potu.

Hoc obseruaui, ne quis decipiatur, forte existimãs maiorem diei partem esse, qualcumque septem horas diei, qui error est in procliui: Quiuis enim dicet ex duodecim horis maiorem partem esse septem: sed hoc non ita est apud Romanos: nam si à quinta incipias numerare vsque ad duodecimam, reapse maiorem diei partem numerabis: Sed non hanc maiorem partem, quam Iurisconsultus definit; propterea quod includes in has septem horas illas, quæ cœnæ tribuuntur. Nam quamuis comparatione ad reliquas quinque maiorem diei partem efficiant, nihilominus tamen comparatione septem horarum diei primarum, quæ vacuæ omninò & destinatæ operibus sunt, non efficient maiorem partem diei: & eò Virgilius consultissimè non maiorem partem, sed meliorem dixit diei, vt sciamus non solum maiorem partem appellari, sed etiam meliorem, ob eas, quas diximus, causas.

3 ET *bonus ætherio laxatur nectare Cæsar.*] Nectar ætherium per adulationem vocat vinum Domitiani. & versu præcedenti dixerat, dapes ambrosias.

4 INGENTIQVE *tenet pocula parca manu.*] Est elegans antithesis in manu ingenti, & poculis parcis. Vnde omninò reijciendam puto veteris libri lectionem.

5 POCVLA *parca.*] Est etiam laus adulatoria Domitiani, quem parcè bibere significat.

6 AD *matutinum nostra Thalia Iouem.*] Elegans metonymia, *ad Iouem matutinum ire*, pro matutino tempore, ne serijs rebus occupato Imperatori intempestiuè obtruderentur Poëtæ ioci. Hac enim de causa distribuit horas omnes, vt dictum est.

A

DOMITIVS.

SOTÆ] Sotes erat pater Fabullæ eruditus clinicæ medicinæ: de qua suprà est dictum.

FABVLLA] Tanquam altera Hippia secuta est Clytum relicto coniuge. Sotes significat parcum. Prodigam mulierem hac illusione verbi ridet Poëta.

Ἔχεις ἀσώτως] i. prodiga es, nam ludit his dictionibus Sotæ filia, & asota es,

RAMIR. DE PRADO.

Fabulla quædam Sotæ medici filia, deserto marito, qui cum eam pater coniunxerat, sequebatur Clytum quemdam mœchum, quem deperditè amabat, & largè donabat muneribus, luxurioseque cum eo viuebat. Vtitur ioco ab ambiguo in aduerbio ἀσώτως, quod significat prodigaliter: luditque Poëta in ea

B

voce: nam ipsa filia erat Sotæ; vnde componit vocem ἀσώτως, quæ ratione illius particulæ priuatiuæ, α, diluit significationem Sotæ. Itaque ἔχεις ἀσώτως, est, geris te, non vt filia Sotæ: at propriè geris te, vt prodiga & luxuriosa. Patrem autem Clinicum nominauit, id est, medicum, vt sup. dictum est, ad lib.1.ep. 31. in quo pungit me mirum acumen Poëtæ, quod forte nullam adhuc cutem nostrorum læsit. Quod vt intelligas nota hæc quæ sequuntur. ἄσωτος Græcis est prodigus, & qui luxuriosè viuendo rem suam profundit, & pecuniam dilapidat. Vtitur eo nomine Cicero 2. de finibus contra Epicurum: *Nollem enim* (inquit) *mihi fingere asotos (vt soletis) qui in mensam vomant, & qui de conuiuijs auferantur,* &c. Cuius nominis etymon tradit Arist. initio lib. 4. Eth. ad Nicomachum, cuius verba sunt ex interpretatione Gruchij. *ἄσωτος est, qui salutem suam negligens per se ipse perijt: videtur autem ipsius interitus quadam esse facul-*

C

tatum effusio, reique familiaris consumptio, quòd ex ijs vita sustentatur. Id autem dicit, quòd σώζω apud Græcos *seruo* significat. inde σωτὴρ seruator, & σωτηρία salus. Inde Poëta Medici nomen traxit vt vocaret Sotam, & hinc acumen: filia medici σωτῆρος, id est, seruatoris, qui alios ad salutem restituit, ἔχεις ἀσώτως, id est, geris te absque salute, id est, desperatè per te ipsa peris, sine remedijs à patre tuo Medico adhiberi solitis. Vox enim illa hæc tria potest significare, sine patre Sota, prodigaliter, & desperata salute. Hinc petitum acumen epigrammatis 84. lib.9. vbi huc alludere videtur Noster. Carpit Cinnam, quod luxuriosè exhausit opes; quia Astrologus ei prædixerat citò periturum, irridetque eum Martialis: nam qui sua consumpsit, citò perijt: est enim ἄσωτος.

In Fabullam. IX.

D

Sotæ filia Clinici Fabulla,
Deserto sequeris Clitum marito,
Et donas, & amas, ἔχεις ἀσώτως.

Idem Græcè.

Clarius hic arguitur filia ἄσωτος degenerans à Sota patre. Gallice lepidius, Sotte fille de Sot.

Ὦ Σώτου παῖ κλινικοῦ Φάβυλλα,
Λειφθέντος Κλυτοῦ ἕσπῃ ἀκοίτου,
Καὶ δῶρα, ἠδὲ φιλοῦσ', ἔχεις ἀσώτως.

Ad Faustinum. X.

Dum nouus est, [v. & adhuc non rasa.] *neq; adhuc rasa mihi fronte libellus,*
Pagina dum tangi non bene sicca timet:
I puer, & caro perfer leue munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre: sed instructum comitetur pumice librum
Spongia. muneribus conuenit illa meis.
Non possunt nostros multæ Faustine lituræ
Emendare iocos: vna litura potest.

DOMITIVS.

DVM *nouus*] Puerum alloquitur, vt ferat librum ad Faustinum amicum emendandum.

PAGINA] Characteres.

INSTRVCTVS] Affer quod est necessarium.

SPONGIA *Punica*] Quoniam ex Africa præstantiores spongiæ mittebantur, vel Punica. i. leuitatis Punicæ, & officij.

RAMIR. DE PRADO.

Mittit ad Faustinum recentem librum, & iubet simul cum eo spongiam deferri ad delendum vna litura totum librum, quo dicit emendari posse. Hoc autem per vrbanam modestiam dictum est.

1 NEC *adhuc rasa mihi fronte libellus.*] De re libraria fere omnia, quæ ad librorum ornamenta pertinent, diximus sup. lib. 1. ep. 67.

2 CVRRE *sed instructum comitetur pumice librum Spongia.*] Sic mutauit hunc locum Iunius, cùm in veteribus legeretur,

Curre sed instructus, comitetur Punica librum
Spongia.——

Iunij lectionem videtur improbare primus huius epigrammatis versus:

Dum nouus est, nec adhuc rasa mihi fronte libellus.

Nam si non erat adhuc complanata frons pumice: quî poterat deinde dicere instructum esse pumice? Quamuis conciliat Raderus non ineptè instructum ire debere pumice, vt si placeret, perpoliretur, sin minus deleretur spongia. Sed mihi videtur verior antiqua lectio, quam Franciscus Modius, ep. 119. approbauit, quamuis dicat se nihil de Punica spongia legisse: cum Plin. lib. 9. cap. 45. Africas spongias, quæ generantur in Syrtibus, commendet, & à Medicis præferantur ceteris ad fomenta. Est autem ex antiquo more deductum dicendi genus. Nam in tabulis & membranis scribebant, in quibus deletiles erant characteres, quos delebant vda spongia. Vnde iocus Augusti, cap. 85. apud Sueton. & Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 4. Qui cum inchoâsset Ajacem Tragœdiam, eamdemque non placitam sibi deleuisset, interroganti Lucio, quid ageret, *Aiax*, inquit, *in spongiam incubuit.* & lib. 14. epigr. 7. cuius lemma, *pugillares membranei*:

Esse puta ceras, licet hæc membrana vocetur,
Delebis, quoties scripta nouare voles.

Nouauit namque spongiâ, quâ etiam mensæ tergebantur, vt lib. eodem epigram. 144. cuius lemma *Spongia*;

Hæc tibi forte datur tergendis spongia mensis
Vtilis, expresso cum leuis imbre tumet.

Hinc ortum est dicendi genus, *spongia delere scripta*, quamuis in membrana non delebili, vel in charta essent exarata. Simili ioco vsus est supra lib. 3. ep. 99. cum dixit librum suum remittens Rufo:

Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat:
Non aliter mitti debuit iste liber.

In Ant. Saturninum. XI.

Dum nimiùm vano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te pudet esse miser:
Impia Parrhasia mouisti bella sub vrsa,
Qualia qui Phariæ coniugis arma tulit.
A *Exciderat ne adeò fatum tibi nominis huius,*
Obruit Actiaci quod grauis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, & Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis:
Qui tibi collatus, perfide Cæsar, erat.

DOMITIVS.

DVM] L. Antonius præses superioris Germaniæ mouit bellum ciuile in Domit. fiducia duarum legionum: imperator absens id confecit, mira fœlicitate resoluto ponte, nam Rheni inundatione copiæ barbarorum ad eum transituræ prohibitæ sunt. Eodem die quo victus est, aquila tanquam nuncia victoriæ, Domit. statuam amplexa est.

B SATVRNINVM] Sueton. author. Is tertiùm tribunus pleb, vt Glauciam ministrum prætorem haberet, vexata iam diu republica: Mummium competitorem curauit necandum in campo Martio: denique senatus statuit, vt turbulentus, & seditiosus tribunus tolleretur è medio. datum igitur negotium est Martio, qui Glauciam. & Saturninum in Capitolio obsessos, dedit necandos populo: ait poëta puduisse L. Antonium meditari in vrbe seditiones, vt Saturninus fecit, & proptereà iuisse in Germaniam, vt illuc arma moueret. M. idem Anton. mouerat olim ciuile bellum in Augustum; ait poëta hoc nomen attulisse animos L. Anton.

VANO *nomine*] M. Antonij, quia frustrà mouit bellum vt tu.

SATVRNINVM] i. quamuis esses animo Saturnini, & moueres vrbanas seditiones.

C SVB *vrsa Parrha.*] Id est, sub Septentrione in Germania.

TVLIT *arma*] Augusto.

PHARIÆ *coniugis*] Cleopatræ.

EXCIDERAT *ne adeò*] Id est, eras ne adeò oblitus?

FRETI *Actiaci*] i. maris ad Actium promontorium: in quo superatus M. Antonius ab Aug.

ILLE] M. Anton. collatus tibi erat Cæsar, adeò tu es inferior Anton.

RAMIR. DE PRADO.

Insultat Lucio Antonio Saturnino Germaniæ superioris Præsidi, qui bellum ciuile in ea regione contra Domitianum mouerat, dum se Marco Antonio triumuiro ob nominis similitudinem similem fore sperabat, qui postea, vt refert Sueton. in Domitiano, cap. 6. captus & interfectus est, vel à Lucio Maximo, vt Xiphilinus scribit, vel ab Vrbano Appio, vt Aurelius Victor; qui aliam caussam huius belli assignat, D scribens Antonium accensum sæuitijs Domitiani, & maximè verborum iniuria, quòd se ab eo scortum sciret appellari, ciuile bellum corripuisse. Vtrumque nomen ostendit Poëta infaustum esse Saturnini Tribuni Pl. seditiosi interfecti cum Glaucia Prætore (de quo fere omnes Romani scriptores) & Antonij item Actiaco nauali prælio victi.

ET *Saturninum te pudet esse miser.*] Hic appellabatur L. Antonius cognomento Saturninus, sed nolebat hoc cognomentum sibi adiungi: sed tantum familiæ Antoniæ nomen sibi vsurpabat, ne scilicet Saturnini illius similior, quàm Marci Antonij videretur.

2 IMPIA *Parrhasia monuisti bella sub ursa.*] Septentrionales omnes regiones proximas esse Polo Arctico constat: ideo *sub ursa Parrhasia*, dixit Poëticè, pro in Germania superiori.

3 QVALIA *qui Phariæ coniugis arma tulit.*] Phariam coniugem Cleopatram appellat, periphrasticῶs, quæ Antonio nupsit, eúmq; ad bellum contra Augustum classe, opibus, & sua præsentia instruxit. Victi ambo Actiaco prælio in Ægyptum se abdiderant, vbi extincti sunt. Notissima historia: ideò subiungit,

Obruit Actiaci quod grauis ira freti.

4 AN *tibi promisit Rhenus, &c.*] Est argumentum à maiori ad minus: Si Ægyptus ditissima & potentissima prouincia, quam intelligit nomine Nili, non potuit vires Antonio suppeditare, quomodo poterit Germania superior tenuissima prouincia sibi easdem largiri?

5 ILLE *etiam, &c.*] Argumentum à minori ad maius; si Antonius, qui tibi collatus Cæsar erat, occidit nostris armis, quid de te faciendum erit?

In Thaïdem. XII.

Nulli Thaï negas, sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat Thaï, negare nihil.

DOMITIVS.

NVLLI] Thaïs meretrix nulli negabat, & quod grauius erat, fellabat, poëta ait. si ista prodigalitas meretricia tibi nullum affert pudorem, quod omnibus das, saltem te pudeat, quod das fellationem turpe gestus libidinis.

NEGARE *nihil*] Est fellare, hoc enim significat apud Mart. alibi:

Qui nihil negat, hic Atticina fellat.

Præterea. *Nihil mihi Galla negas*, Alibi:

At quondam mihi Galle nil negabas.

Thaïdem fuisse fellatricem illic dixit:

Nemo est Thai senex ad irrumandum.

RAMIR. DE PRADO.

Thaïdem fellatricem insectatur, hoc epigrammate, quemadmodum inf. ep. 50. & ep. 85. quam dicit nulli negare, & monet, vt si hoc eam non pudet, pudeat saltem nihil negare, id est, fellare, vt legitur lib. 12. ep. 81.

Quisquis nil negat, Atticina, fellat.

Quamuis ad eum locum dicemus, quid de ea lectione sentiamus. Sed *nihil negare*, est omnibus impudicitijs exponi, de quo dictum est, sup. ad lib. 2. ep. 52. ad illud: ——*pro tribus illa dedit.*

Estque vsitatus dicendi modus apud hunc Poëtam, *nihil negare*, vt lib. 11. ep. 50.

Nil tibi, Phylli nego, nil mihi Phylli nega.

Et lib. 12. ep. 72.

Nil non Lygde mihi negas roganti:
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

De nuptijs Pudentis, & Claudiæ. XIII.

Claudia Rufe meo nubit peregrina Pudenti;
Macte esto tedis ô Hymenæe tuis.
Tam bene rara suo miscētur cinnama nardo,
Maßica Theseis tam bene vina fauis.
A *Nec meliùs teneris iunguntur vitibus vlmi,*
Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside Concordia lecto,
Tamque pari semper sit Venus æqua iugo.
*Diligat * ipsa senem quondam: sed & illa marito,* * v. illa
Tunc quoque cū fuerit, non videatur anus.

DOMITIVS.

CLAVDIA] Laudat connubium Claudiæ, & Auli Pudentis: optátque, vt faustum sit.

MEO *Pudenti*] Amico meo.

MACTE *esto*] Cùm alicuius factum probamus, vtimur hoc verbo macte. Macta hostia dicitur quando mola est suprà infusa.

B CINNAMA] Potes hoc intelligere de vnguento, quod ex nardo balanino amomo fiebat.

MISCENTVR *tam bene*] Id est, tam bene conueniunt.

THESEIS *fauis*] Inter cætera vina medicata, erat vinum, quod melitites dicebatur à melle immisto, ab alijs dictum est piperatum, nam & piper adhibebatur ab alijs communi verbo conditum, Catone & Plin. authore.

THESEIS *fauis*] i. melli Attico, nam mel Atticum reliqua omnia gloria superat.

MELIVS] Aptiùs.

VLMI] Dicuntur mariti vitium.

LOTOS] Arbor præcipua Libyæ, cuius floris suauitate homines rerum omnium obliuisci dicuntur:

C vnde Lotophagi populi, qui ea præsertim abundant, vt Homerus, Strabo, Plin. scribunt.

MYRTVS] Ad littora crescit nō magis ob aquam, quàm propter calorem, quoniam agri littorales cęteris regionibus sunt calidiores.

CANDIDA *Concordia*] Cui Deæ Vespasianus templum erexit: candida sine perturbatione.

ÆQVA *tam pari iugo*] Id est vicissim ament & pari ardore.

GEORGIVS.

MASSICA *Theseis tam bene vina fauis.*] Cur melititem hic addat ignoro, quando fictitij vini quale melititem Plin. appellat, nulla ferè gratia sit, quin potiùs de mulso intelligere debemus, quòd primùm excogitauit Aristæus mel miscens vino suauitate pręcipua, quod testimonio eiusdem poëtæ probamus,

D nam in Xenijs de mulso hæc tradit.

Attica nectareum, turbatis mella Falernum
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Sed quantum à semetipso discrepat Cal. nam exponens suprà dictum distichon, ait, mulsum vinum, de quo paulò antè dictum est, magno impendio fiebat Attico melle temperatum, & rursum exponens Falernum vinum massica eadem dici asserit, quod cùm ita sit, eiusdem poëtæ testimonio, & de eodem ipso interprete hominem confundimus.

RAMIR. DE PRADO.

Canit Epithalamium in nuptijs Pudentis & Claudiæ. Pudentis multa apud hunc Poëtam mentio, infinitis ferè locis.

1 MACTE *esto tedis ô Hymenæe.*] De nomine *macte*, vel *mactus*, multa hoc loco obtrudit nobis Raderus ex meris Lexicis, quæ prætermittere est satius.

2 MASSICA *Theseis tam bene vina fauis.*] Ex A melle & vino temperabatur mulsum, gratissima veteribus potio: fiebat autem optimum Dioscoride & Plin. lib. 22. cap. 24. testibus, ex vino austero & ex melle Attico. Probabatur autem magis ex Massico, vt hoc loco. Ex Falerno verò adeò erat austerum, vt multis displiceret. Ideo Catius Epicureus apud Horat. sat. 4. lib. 2. Aufidium accusat quod ex Falerno austero faceret mulsum, his verbis:

Aufidius forti miscebat mella Falerno:
Mendosè: quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni præcordia mulso
Prolueris melius.

Vbi notandum est, non reprehensum Aufidiũ, quod mulsum ex Falerno & melle fecisset, in quo deceptus est Mercurialis, lib. 2. Variarum, cap. 17. nam hoc fiebat sæpe & commendabatur in mulsum, vt apud hũc Poëtam, lib. 13. ep. 108.

Attica nectareum turbastis mella Falernum,
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Et Macrobius, lib. 7. cap. 12. affert adagionem, quo gulones vtuntur: *Mulsum quod probe temperes, miscendum esse nouo Hymeto & vetulo Falerno.* Sed quod hic Aufidius fecisset mulsum ex Falerno austero, quod significauit Horatius illo Epitheto, *forti.* nam ex leni Falerno & dulci optimum & laudatum fiebat mulsum. Vnde Poëta dixit ep. supra citato lib. 13. ep. 108. *nectareum Falernum.* Sunt enim duo Falerni genera, vt scribit Athenæus. Alterum austerum, & (vt inquit Persius) indomitum. & alterum lene, dulce, & nectareum, ex quo fiebat mulsum Ganymedeum. Ex his omnibus intelliges quam perperam Heraldus hoc loco affirmet ex vino austero & melle non fieri mulsum, sed tantum adhiberi mel vt mitesceret vinum, & remitteret austeritatem. Dicitur in hanc sententiam Virgilij vers. Georgicorum C lib. 4.

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum
Et liquida & durum Bacchi domitura saporem.

Qui locus germanissime de mulso intelligendus est: hoc enim in mulso præstat mel, vt domet durum saporem Bacchi. Nusquam enim Heraldus leget ad communem & quotidianum potionis vsum admisceri mel vino.

3 NEC *melius teneris iunguntur vitibus vlmi.*] Apta vsus est comparatione, cum ab alijs Poëtis à coniugio metaphoricè desumantur ad hanc adiunctionem vitium ad vlmos, quam multis versibus bellè sequitur Catullus in carmine nuptiali, el. 63. vbi vlmum vocat maritum. Horatius, ode 2. Epod.

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Catullus:

Aut si forte eadem (vitis) *vlmo coniuncta marito.* D

Et Statius lib. 5. syluarum 1. carmine de Abascantij pietate:

Qualiter aquaeuo sociatam palmite vitem
Vlmus amat, miscetque nemus ditemque precatur
Autumnum, & caris gaudet redimita racemis.

4 NEC *plus lotos aquas, littora myrtus amat.*] Notissima lotus ex Homericis fabulis, lib. 9. Odyss. quæ arbor aquas amat: Myrtos autem nasci in locis maritimis experientia docet; in montosis autem & mediterraneis non proueniunt.

5 DILIGAT *ipsa senem quondam, sed & illa marito, &c.*] Melius in veteri codice transpositis duobus pronominibus.

Diligat illa senem quondam, sed & ipsa marito.

Ad Silium. XIV.

Sili Castalidum decus sororum,
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidósque
Fastus Hannibalis, leuèsque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis:
Paullum seposita seueritate,
Dum blanda vagus alea December
Incertus sonat hinc & hinc fritillus,
Et ludit rota nequiore talo,
B *Nostris otia commoda Camenis.*
Nec torua lege fronte, sed remissa
Lasciuis madidos iocis libellos.
Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

DOMITIVS.

SILI] Rogat Silium, vt legat versus suos.
PREMIS] Insectaris.
PERIVRIA] i. perfidiam punicam.
LEVES] Fœdifragos.
MAGNIS *Africanis*] Id est, ducis triumphum Scipionis.
SEVERITATE] Grauitate carminis heroici, in quo seuerus versaris, vel seueritate supercilij censorij.
ALEA] Ludus.
VAGUS *liber*] Nam serui in Saturnalibus omnes erant liberi, & vagi. Horat. *Age libertate Decembri.* Lib. 2. Sat. 7.
FRITILLIS] Vt alueolis: idem Porphyrio in Horatium putat.
MADIDOS] Perfusos, tractum ab ebrijs.
REMISSA] Relaxata.
CONTRACTA] Cùm ducitur vultus in seueritatem.
PASSEREM] Carmen scriptum de passere amica Catulli.

RAMIR. DE PRADO.

Mittit sua carmina ad Silium Italicum celeberrimũ Punici secundi belli scriptorem, qui consul Romæ, in Asia proconsul fuit, petitque ab eo laudato prius, vt deponat seueritatem ad legendos lasciuos libellos, suadere ad id Saturnaliorum dies. De Silio est epig. 62. lib. 7. & 51. lib. 11. cuius vitam & mortem narrat disertè Plin. Iun. epist. 7. lib. 3.

1 QVI *periuria Barbari furoris Ingenti premis ore.*] Scripserat enim celebrem de bello Punico secundo epopœiam. Iisdem ferè verbis vtitur epigram. 19. lib. 6.

Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris, &c.

2 PERFIDOSQVE *fastus Hannibalis, leuesq; Pœnos magnis cedere cogis Africanis.*] Merè Poëtica metonymia, qua dicuntur Poëtæ facere id, quod canunt factum: inuenerunt nomen apud Græcos, ποιητὰς enim idem est ac Latinè, factor, id est, qui res ipsas facit, & architectatur. Quod Poëta imitandis rebus tantum polleat, vt eas ipsas ante oculos ponere

videatur, quæ virtus ἐνέργεια, vel ἐνάργεια à Græcis dicitur, quasi dicas operationem ipsarum rerum. Sic Virgil. in Mœri versu 19.

Quis caneret Nymphas, quis humũ florẽtibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret vmbra?

Id est, quis caneret humum florentibus herbis sparsam? aut quis caneret fontes inductos viridi vmbra? allusit enim ad quosdam Virgilij de quo loquitur versus, in Daphnide,

Spargite humum folijs, inducite fontibus vmbras,
Pastores.

Et Horatius sat. 10. lib. 1. de Cornelio Alpino Memnonis fabulam scribente:

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
Depingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo.

Id est, dum Memnona fingit iugulatum. Hinc est, quod grauissimus Philosophus Aristoteles in arte poëtica, facultatem poëticam imitationem esse docuerit, quòd ea verbis, tanquam pictura coloribus res ante oculos ponat, ipsis ad viuum imitandis: quamuis Horatius, si attentè obserues, nunquam probauit hác poëseως cum pictura comparationem, fortè quod videretur ea multum detrahere de poëseως dignitate: Nam pictura fabrilis quidem ars multò facilior est, & aliquando cognita hebetibus & imperitis hominibus: poësis vero non nisi diuinis ingeniis concessa: imitatur enim res verbis tantum, quæ omnium humanarum actionum difficillima meo iudicio est. Ait ergo Noster: *Cogis cedere Africanis magnis perfidos Hannibalis fastus, & leues Pœnos.* id est, canis & propriè depingis quemadmodum cedere coacti sint.

3 DVM *blanda vagus alea December.*] Quia mense Decembri erant Saturnales dies quibus maxima aleæ licentia: Est enim alea ludus omnis in quo multum fortunæ, prudentiæ minimum, qualis est talorum ludus, pro quo aliquando per Synecdochen sumitur, vt in illo Cæsaris dicto à Sueton. relato in eius vita, cap. 32. quod abiit in prouerbium: *iacta est alea*, (dicunt eleganter Galli, *a tout perdre n'y a qu'un coup.*] Tali enim iaciebantur, non alea. blandam autem appellat, quòd homines blandè alliciat. Ab eadem mente lib. 5. epig. vlt. dixit:

Et blando male proditus fritillo.

4 INCERTIS *sonat hinc & hinc fritillis.*] Fritillus erat lignea quędam turricula rotunda, in quam emittebant talos, eosque in ea versabant & rotatim ab ea excutiebant, ne scilicet possent digitis ita componi, vt caderent ad iacientis voluntatem, quod hodiéque fit. ideò addidit epitheton, *incertus*: quòd iactatus per fritillum non sit aleatori certus, vt solet aliquibus esse per manum. *Sonat*, verò dixit, quod tali trocleatim in fritillo versati sonarent. Sic Seneca in satyra Claudiana:

Nam quoties missurus erat resonante fritillo.

Et Sidonius epist. 9. lib. 2. *crepitantium fritillos tesserarum strepitu*, & idem in carmine 23.

Hic talos crepitantibus fritillis.

A cuius strepitus sono deductum fritilli nomen, existimant viri docti: quod versati in ea buxea, eborea, vel cornea turricula, tali strepitum emittebant, qui etiam augebatur gradillis quibusdam, interius excisis in ipsa turricula, per quos decidebant tali. Ausonius in parentalibus, el. 1.

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo
Omnes, qui fuerant enumerasse bolos:
Alternis vicibus, quos præcipitante rotatu
Fundunt, excessi per caua buxa gradus.

Et Sidonius epist. 12. lib. 8. *hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus.* & Agathias antholog. lib. 1. πύργου δουρατέου κεύθων ἐν βαθμίσιν. id est, *pyrgi duratei latens in gradibus.* Iohannes Sauarus doctus vir in epist. 12. lib. 8. Sidonii Apollin. ductus Speudoacronis authoritate qui sat. 7. Horatij lib. 2. *pyrgus*, inquit, *pyxis sine fundo*, existimat turriculam sane sine fundo fuisse, vt per posticum foramen iacerentur tali: sed hic manifestus error est. Qui enim poterant tali rotari in pyxide sine fundo? Quid quod ex verbis Senecæ in dicta Satyra Claudiana manifestò colligitur fundum habuisse. *Placuit nouam*, inquit, *pœnam excogitari debere, instituendum illi laborem irritum & alicuius cupiditatis speciem sine fine & effectu. Tunc Aeacus iubet illum alea ludere, pertuso fritillo: & iam cœperat fugientes semper tesseras quærere, & nihil proficere:*

Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo.

In hoc enim irritus erat labor, quòd, cùm Claudius emitteret talos in pyrgum, per fundum pertusum exciderant: & is, quo erat mentis stupore, non perspiceret pertusum esse fundum: sed existimaret fritillum talem esse, qualibus ipse in vita vtebatur. Quæ cum ita sint, falsum omninò est communes fritillos sine fundo esse. Hunc fritillum appellat turriculam in lemmate epigrammatis 16. lib. 14. cuius vsum, & manus improbitatem belle describit eo disticho.

Quærit compositos manus improba mittere talos?
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Vbi vides quàm eleganter dixit in fritillo nullum subesse dolum: nam cùm manus ipsa acceptis talis posset eos componere, vt cadant ad aleatoris arbitrium. Hispani dicimus *clauar el dado.* quod Galli, *piper le dé.* Si eadem manus fritillum sumat, nihil potest facere præter votum, quo optat felicem sortem,

Namque aliud quid sit quod iam implorare potessit
Non video.

Sed & *pyrgus* voce Græca turrim significat. Horatius sat. 7. lib. 2.

--- *qui pro se tolleret atque*
Mitteret in pyrgum talos.

Appellatur etiam phimus apud Pollucem cap. 31. li. 10. & orca apud Persium sat. 6. vers. 50.

Scite erat in voto damnosa Canicula, quantum
Raderet angustæ collo non fallier orcæ.

5 ET *ludit rota nequiore talo.*] Ex Disticho superiori videor mihi intelligere hunc versum à nemine hactenus intellectum. *Rotam* enim accipio pro corona aleatorum, quam ita vocat a similitudine rotarum: sedebant enim in orbibus, quos cingebant omnes circum. Estq; rota in recto casu, quæ quidem *ludit nequiore talo.* id est, talis manu iactis sine fritillo, in quo iactu manus improba talorum illas compositiones & nequitias patrare potest; appellauitque per metonymiam talum nequiorem, pro ludo talorum nequiore eo, in quo fritillis vtebantur. Ita vt duo genera aleatorum his duobus versibus comprehendantur: alterum simplex fritillis vtens: alterum nequius talo solo & improba manu.

6 SIC *forsan tener ausus est Catullus Magno mittere passerem Maroni.*] Notissimus est Catulli passer; de quo iam sup. dictum est ad lib. 1. ep. 8. tenerum appellat propter mollissimos versus. Misisse autem passerem suum Maroni sciebat probè Martialis summum esse mendacium, cùm Maronem multo ætate Catullus præcessisset: sed vsus est de industria hac Poëtica nugatione, quam molliuit verbo illo, *forsan.* Fecit hoc autem, cum scriberet ad doctissimum vi-

rum Silium, qui hoc magis risurus erat, ex quo ioco & figmento, & se Catullo, & Silium Maroni æquauit; quod Silio iucundissimum erat futurum, qui toto suæ vitæ cursu Virgilium imitari conatus est, eiusque natalem diem religiosissime celebrabat, & ad eius sepulchrum tanquam ad aram accedebat sæpius, vt narrat Plin. d. ep. li. 3.

Ad Cæcilianum. XV.

sp. iuco. *Mille tibi nummos hesterna nocte roganti,*
In sex aut septem Cæciliane dies,
Non habeo, dixi. sed tu caussatus amici
Aduentum, lancem, paucáque vasa rogas.
Stultus es. an stultum me credis amice? negaui
Mille tibi nummos: millia quinque dabo?

DOMITIVS.

MILLE] Cæcilianus petierat mutuo à Mart. mille nummos. Mart. negauerat: rursus petit vasa sex millium.

CAVSSATVS] Caussam afferens.

QVINQVE *millia*] i. vasa quinque millium, quæ pluris sunt.

RAMIR. DE PRADO.

Facetum est epigramma, quo irridet stultitiam Cæciliani cuiusdam, qui cum rogasset mille nummos Poëtæ in sex aut septem dies, & ipse non habere dixisset: sequenti die fingens amicum quemdam hospitem sibi aduenisse, lancem & argentea aliqua vasa mutua petit, quæ ad quinque millia aut plus penderent. Irridet eum argumento à minori: Si negaui mille nummos, quomodo ea pignora, quæ quinque millia valent?

In Gallum. XVI.

Priuignum non esse tuæ te, Galle, nouercæ
Rumor erat, coniux dum fuit illa patris.
Non tamē hoc poterat viuo genitore probari.
Iam nusquam pater est Galle: nouerca domi est.
Magnus ab infernis reuocetur Tullius vmbris,
Et te defendat Regulus ipse licet:
Non potes absolui: nam quæ non desinit esse,
Post patrem, nūquā, Galle, nouerca fuit.

DOMITIVS.

PRIVIGNVM] Gallus habebat rem cùm nouerca viuo patre, quod & si poterat dissimulare quamdiu vixit pater, tamen nunc patefecit: nam patre mortuo eam tenebat domi præter morem, quoniam postea quam erat priuignus Gallus, debuit discedere, sed tunc cùm velit domi manere, tanquam nouerca & vxor patris, apertè dignoscitur eam nunquam fuisse nouercam.

A RVMOR *erat*] i. aiebat esse priuignum viuo genitore, quia ipsa erat coniux.

NVSQVAM] Quia mortuus est.

ABSOLVI] Hoc iudicio, nam Cicer. in causis ita floruit, vt appellatus fuerit rex iudiciorum, author Quintil. hic Regulus causidicus fuit, de quo Plin. author. lib. 1. ep. 5.

DESINIT *esse*] Adhuc nouerca: quia habebas rem semper cum illa.

RAMIR. DE PRADO.

Criminationem continet hoc epigramma in Gallum quemdam, quòd nouercam viuo parente assuefecisset, & eandem mortuo retineret: desumit coniecturam ab eo, quod contra consuetudinem omnium priuignorum, nouercam domi retineret.

1 PRIVIGNVM *non esse tuæ, &c.*] id est, rumor erat te non cum nouerca tua ita te gerere, vt priui- B gnum decebat, esséque potius eius mœchum, quàm priuignum.

2 NON *tamen hoc poterat viuo genitore probari.*] Nam cum patre te habitare honestum erat, poterásque negare incestum. Simile illud est ep. 75. lib. 1.

Mœchus erat, poterat tamen hoc tu Paulla negare,
Ecce vir est, numquid Paulla negare potes?

3 IAM *nusquam pater est Galle, nouerca domi est.*] Hic est neruus coniecturæ in Gallum.

4 MAGNVS *ab infernis.*] Tribuit hoc per adulationem Regulo, vt in caussis defendendis æquiparet Ciceroni.

5 NAM *quæ non desinit esse.*] γνώμη à verisimili, id est, ab eo, quod plerumque accidit. Videmus enim vsu venire semper, vt priuigni nouercas oderint, & contra, ita vt sublato patre apertas deinde exerceant inimicitias. Quæ igitur mortuo patre non desiit esse nouerca, credibile est nouercam nunquam Gallo C fuisse.

Ad Paullum. XVII.

Facere in Lyciscam, Paulle, me iubes versus,
Quibus illa lectu rubeat, & sit irata.
O Paulle, malus es: irrumare vis solus.

DOMITIVS.

FACERE *in Lyciscam.*] Meretricem fellatricem. eiusdem meretricis nomen apud Iuuenal.

Nomen mentita Lycissa.

D Et simul in Paulum irrumatorem.

RVBEAT] Ira excandescat, & irata sit mihi.

IRRVMARE *vis solus.*] Et ita ostendit alteram esse fellatricem, & alterum irrumatorem.

RAMIR. DE PRADO.

Vrbanè Lyciscam quamdam fellatricem notat obliquè eam perstringens, dum videtur cum Paulo expostulare, qui suadebat, vt in eam eos scriberet versus, quibus & ruberet & irasceretur: affirmatque Paullum velle solum Lyciscam irrumare, quo significat se etiam eandem irrumasse. de Lycisca Iuuenal. sat. 6. vers. 123.

Prostitit auratis titulum mentita Lyciscæ.

De puero stillicidio iugulato. XVIII.

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet aßiduo lubricus imbre lapis,
In iugulum pueri, qui roscida templa subibat,
Decidit hiberno prægrauis vnda gelu.
Cúmque peregisset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non sæua sibi voluit fortuna licere?
Aut vbi mors non est, si iugulatis aqua?

Idem Græcè.

Ἡ πυλεὼν σταλάει Βιψανοῖς κίοσι γείτων,
Καὶ δεύει ῥανίδων ἐνδελέχεια λίθους,
Λαυχενίην ἐς παιδὸς ἀνάκτορα βαίνοντος ὑγρά
Χειμερίου κρυμοῦ ἔμπεσε τρηχὺ ξίφος.
Ἦμος δ' αἰνοπαθοῦς μόρον ἤνυσεν, αὖθις ἀκωκὴ
Λῦτο πάγου θερμῷ τραύματι τηκομένη.
Φεῦ, ποῖ οὐ χώρησε Τύχης ἐξουσίη; ἢ ποῦ
Οὐ μόρος ἔστ', εἰ καὶ σφακτικὸν ἐστὶν ὕδωρ;

DOMITIVS.

QVA] De morte pueri iugulati stillicidio congelato conqueritur poeta, quòd aqua veluti & ensis iugulare didicerit.

VNDA *gelu prægra.*] i. stiria, vel stilla.

SVBIBAT] Ingrediebatur.

COLVMNIS *Vipsanis*] A Vipsano consule.

LAPIS *lubricus*] i. Fluens.

MVCRO] Glacies tanquam mucro.

TABVIT] Concaluit in sanguine vulneris calidi.

RAMIR. DE PRADO.

Describit miserandum pueri casum, qui decidente stiria iugulatus est.

1 QVA *vicina pluit Vipsanis porta columnis.*] De Vipsana porticu centum columnis suspensa dictum est ad epig. 19. lib. 3. Porta autem Capena est, de qua simili dicendi forma scripsit epig. 47. lib. 3.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

2 QVI *roscida templa subibat.*] Transibat hic per portam Capenam ad porticum Vipsanam quam appellat roscida templa, quod ita vocentur ædificia magna, roscida, *roscia*, quod decidente semper aqua aquæductus illius madeat.

3 DECIDIT *hiberno prægrauis vnda gelu.*] Elegans stiriæ periphrasis.

4 TABVIT *in calido vulnere mucro tener.*] id est, calore vulneris soluta est stiria ex parte qua confoderat pueri iugulum quam appellat mucronem à gladij similitudine.

5 QVID *non sæua sibi, &c.*] Duobus versibus duo elegantissima epiphonemata comprehendit, prius de fortunæ licentia, posterius paradoxum habet acutissimum, cum aquæ dicantur contra totam suam naturam iugulare. Est elegantissimum epigramma lib. 3. Anthologiæ Flacci cuiusdam de Thrace puero qui cum in Hebro luderet, ruptoque gelu mergeretur in aquas, cum imæ partes aquæ impetu traherentur, caput quod supereminebat, abscissum est ipso gelu. Quod epigramma Germanicus penè ad verbum latinissimè conuertit.

De endromide. XIX.

Hãc tibi Sequanicæ pinguẽ textricis alũnã,
Quæ Lacedæmoniũ barbara nomẽ habet.
Sordida sed gelido non aspernanda Decẽbri,
Dona peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidúmue trigona,* *Pila quadruplex, trigonalis, harpastum, follis, paganica.
Siue harpasta manu puluerulenta rapis:
Plumea seu laxi partiris pondera follis:
Siue leuem cursu vincere quæris* Atham:* *v. forsan. *v. Athan. Hermolaus Barbarus lib. 7. castigation. Plin. cap. 10.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus
Néue grauis subita te premat Iris aqua.
Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.
Non sic in Tyria sindone tutus eris.* *v. Cultus.

DOMITIVS.

HANC] Endromides erant vestes hirsutæ, & longiore pilo, quibus vtebantur in gymnasio, & theatro ad munera arenæ exercenda. Iuuenal.

Endromidas Tyrias, & fœmineũ ceroma quis nescit.

Iam mittebantur ex Gallia industria textorum, qui illic præstantissimi habebantur, seruato tamen pristino nomine: nam Endromides dicebantur Græca appellatione, quamuis Gallia eas mitteret. Mart. Endromidem mittit non expresso nomine ad quem, quamuis nonnulli putent esse Sequanicum, quod potiùs est appellatiuum, & iungitur cum textricis.

SEQVANICÆ] i. Gallicanæ.

BARBARA] Veniens ex Gallia.

GELIDO *Decembri*] Nam vsus huius vestis erat hyemali tempore in gymnasio.

CEROMA] Vnguentum erat vt suprà, ex oleo, & cœno, quo vtebantur iuuenes ad robur lacertorum, eo se exercentes, nam non fuit satis petere arenam à Nilo in palæstra, vnde Patrobo liberto Neronis afferebatur: nisi ceromata excogitassent, quibus, vt ait Plin. iuuentus vires corporis exercendo animi vires perdebat. Iuuenal. de hoc genere gymnasij intelligit (vt puto) cùm ait:

Cùm lassata graui ceciderunt brachia massa.

Sunt qui locum putent, in quem sensum videtur loqui Plin. Athletas inquit suos, & ceromata imaginibus exornant, sed superior sententia placet.

SEV *teris lentum ceroma*] id est, seu luctaris: nam inuicem terebantur palæstritæ luctantes.

TRIGONA] Trigon genus pilæ paganicæ, quæ eadem dicitur pila trigonalis.

HARPASTA] Harpastum genus ludi erat, vt ait Suidas: sunt qui putent esse genus vehiculi: cuius cursum iuuenes ad exercitationem lacertis reprimebant: meminit huius gymnasij Plin. in vij. & Seneca in declamationibus: de harpasto in distichis,

Hæc rapit Antæi velox in puluere draucus:

Sed puto esse pilam.

PLVMEA] Ex plumea farciebatur, vel ex pilis.

FOLLIS] Genus pilæ, qua & iuuenes, & senes pariter ludebant. Augustus Cæsar ea maximè delectabatur: infrà,

Folle decet iuuenes ludere, folle senes.

ATHAM] Athas puer fuit, qui Vipsano consule à meridie ad vesperum, lxxv. millia passuum cucurrit magna omnium admiratione, meminit historiæ Plin. omisso pueri nomine. Athas autem nomen veloci cursori conueniens, nam Athæ dicuntur, qui vix summis pedum vestigiis terram contingunt.

IRIS] Cœlum, & serenitas.

SINDONE *cultus*] Sindones erant vestes candidæ ex lino, quibus magi vtebantur, & erant subtilissimæ, cùm autem comparet sindonem Endromidi, apertè dicitur Endromidem quoque ex lino fuisse, sed grossiorem: suprà,

Quid sindone tinctus olenti?

RAMIR. DE PRADO.

Mittit ad amicum Endromidem quam describit à nomine, loco, & effectis, id est, vsu. De eadem veste est in Apophoretis li. 14. ep. 126.

1 SEQVANICÆ *pinguem textricis alumnam.*] Texebantur hæ vestes crassæ & villosæ in Gallijs, & præcipuè apud Sequanos: lanificium verò apud veteres fœminarum fuisse notissimum est. Ideò docet, *Sequanicæ textricis alumnam*, vocat eam vestem, eleganti metaphorâ, quod quemadmodum alumnæ à nutricibus alerentur, & educerentur, sic & pannus à textrice augebatur & educebatur.

2 QVÆ *Lacedæmonium barbara nomen habet.*] Galliarum prouincia eo tempore barbara erat. Lacedæmonij verò non barbari, quia Græci. Hoc vestis genus fortè inuentum fuit à Lacedæmonijs, à quibus nomen accepit. Deinde cœperunt in Gallijs texi, & idem nomen Græcum retinuerunt. Est igitur nouum, barbaram vestem nomine non barbaro appellari.

3 SORDIDA *sed gelido non aspernanda Decembri Dona.*] Sordida dixit, pro incultis, & non vrbanis. *Sed non aspernanda dona gelido Decembri*, id est, per metonymiam ijs qui eo mense frigora sentiunt, & quòd endromis ea depellat, tempore brumæ sumebatur, Iuuenal. sat. 3. vers. 102.

——igniculum brumæ si tempore poscas,

Accipit Endromidem.

4 PEREGRINAM *mittimus endromida.*] Peregrinam dixit, quod id vestis genus Romanum non esset, sed vel Lacedæmonium, vel Gallicum. Hac veste indutos vocat Sidonius epi. 2. lib. 1. Endromidatos.

5 SEV *lentum ceroma teris.*] Incipit narrare endromidis vtilitates. prima, vt post luctam ea tegi possit, ne aëris frigiditate post sudorem lædatur. secunda, vt post pilæ ludum possit idem præstare. Enumerat autem tria pilæ genera, Trigona, harpastum, & follem. de quibus & quarto hic prætermisso, quod est de paganica, videndus hic idem lib. 14. ab epig. 45. vsque ad epigr. 48. de toto autem pilarum negotio videndus Mercurialis in arte gymnastica, lib. 2. cap. 5. & P. Faber Agonosticõ lib. 1. cap. 6. à quibus omnia radens Raderus hoc loco ea congessit, quem videre potes.

6 TEPIDVMVE *trigona.*] Tepidum appellat trigona, quod ludentum manu numquam excideret, & ab ea lege fieret, vt videre est lib. 12. ep. 84.

7 SEV *harpasta manu puluerulenta rapis.*] Id est, lapsum harpastum in puluere rapiendo excitas, vt lib. 7. ep. 31.

A *Non harpasta vagus puluerulenta rapis.*

Nam cum in puluere luderent quoties pila decidebat, puluerulenta reddebatur. Idem dixit de folle dicto lib. 12. epi. 84.

Colligit & refert l. p'sum de puluere follem.

Et de harpasto item lib. 14. ep. 48. cuius lemma, *Harpasta.*

Hæc rapit Antæi velox in puluere Draucus.

Hoc enim dicitur *rapere*, quod aliter expressit Lucanus in Panegyrico ad Calpurnium Pisonem his verbis.

Nec tibi mobilitas minor est, si fortè volantem

Aut geminare pilam iuuat, aut reuocare cadentem,

Et non sperato fugientem reddere gestu.

Vbi tria in ludo pilæ notanda. geminare volantem pilam, id est, reddere dum ipsa volat, nec adhuc decidit: reuocare cadentem, id est, postquam solum percussit, & saltu assurrexit, eam reuocare. reddere

B fugientem non speratu gestu, id est, quando videtur pila præteruolatura ludentem, eam reddere eo corporis gestu & membrorum positione; quam nemo suspicaretur aut speraret. Hinc dicebantur *raptim ludere*, qui pilas è puluere rapiebant, quamuis erant alia duo genera ludendi, alterum *datatim*, alterum *expulsim*. Quæ quoniam non vulgò nota sunt, operæpretium erit ea explicare. *Datatim* ludere est quando inter multos in corona vel choro ita luditur, vt alius alii pilam det, & sæpè fallat: nam cum gestu significet se alicui iacere, iacit alij, qui securus est in choro. De verbo *datatim*, videndus est Nonius Marcellus, cap. 2. de proprietate sermonum, verbo *datatim*, 215. sed totum ludum bellissime expressum, videre est apud Isidorum lib. 1. etymolog. cap. 26. vbi adducit Ennij locum, de quadam impudica: quamuis

C Næuii esse & non Ennij, viri docti ex Festo probant, & esse versus ex Tarentilla Næuij: verba, vt adducuntur ab Isidoro, sunt: *Quasi in choro pila ludẽs datatim dat sese & communem facit, alium tenet, alij adnutat, alibi manus est occupata, alij peruellit pedem, alij dat annulum spectandum a labris, alium inuocat, cum alio cantat, attamen alius dat digito literas.* Et si hæc verba variè varij immutent, nos Hispani habemus ludum, quem vocamus *de la olla*, vbi fœminæ conueniunt in circum, & accepta olla alia alij iacit accipiendam, & sæpè cum annuat vni, iacit continuò alii, vt decipiat. Nam si olla decidit, plectitur ea, cui decidit. Ex suprà dictis intelligendus locus Nonii Poëtæ in exodio citatus à Marcello eodem loco. *In molis non ludunt raptim pila, datatim morso.* Quibus verbis significat in pistrino seruos ita inter se

D conuenire, vt accepta polenta, aut pane, bucellam vnus morsu euelleret, & alteri traderet mordendum, & sic in orbem iret panis: non verò raptim, id est, sumente vno totum sibi, nec imperante aliis: quæ verba desumta sunt per metaphoram a pilæ ludo. Vltimum genus est; *expulsim*, quod erat, quando iacta pila se inuicem lusores, ne eam possent rapere, expellebant. Varro apud Nonium in verbo *expulsim* dicto cap. *Purgatum scito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pila expulsim ludere.* Quod narrat de Lacedæmoniis in theatro ludentibus Lucianus in Anacharsi sub Solonis persona, & Iulius Pollux lib. 4. Onomastici, meminit huius ludi. Hinc est quod IC. Alphenus in l. si ex plagis. 52. §. vlt. ad leg. Aquil. Sic casum quemdam deciderit: *Cum pila complures luderent, quidam ex his seruulum, cum pilam recipere conaretur, impulit, seruus cecidit, & crus fregit. Quærebatur an dominus serui lege Aquilia cum eo, cuius impulsu ceciderat, ag. re posset. Respondi, non posse:*

cum magis casu quàm culpa, videretur factum. vbi notillam impulsionem de ludi ratione fuisse, casu autemfregisse crus, & non culpa impellentis, cum qui expulsim luderent, & lege ludi se inuicem impellerent. Etiam apud Petronium Trimalcio ille prę mollitie rapere nolebat decidentes pilas, ait acutissimus satyrographus: *Nec tam pueri nos, quamquam erat operepretium, ad spectaculum duxerant, quam ipse paterfamilias, qui soleatus pila sparsina exercebatur, nec tam amplius repetebat, quæ terram contigerat, sed follem plenum habebat seruus, sufficiebátque ludentibus.* Præterea nota quosdam fuisse, qui pedibus vice manuum, pilâ ludebant: Manil. lib. 5.

Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
Et pedibus pensare manus, & ludere saltu;
Per totúmque vagus corpus disponere plantas,
Vt teneat tantos orbes, sibíque ipse recludat,
Et velut edoctos iubeat volitare per ipsum.

Vbi illud *fugientem reddere planta*, quod est in veteribus, mutat Scaliger, & ita legit: *fugientem prendere planta*: vel quòd locus Lucani à me suprà scriptus in quo hac phrasi vtitur, illi latuit, vel quòd Lucanus ita loquitur cui inimicitiam renuntiauit, & eum pueriliter insectatur, sanè Poëtam celebrem, & Cordubensem nostrum.

8 PLVMEA *seu laxi partiris pondera follis.*] id est, metiris momenta & motus follis plumei. id est, leuissimi, ita vt scias quantum spatii missus follis decursurus sit. Est q; eleganter dictum per metalepsin, *plumea pondera follis.* nam Epitheton illud, *plumea*, non ponderibus, sed folli ipsi conuenit; & apparet acuta antithesis, quod pondera sint plumea, id est, leuissima, ponunturque pondera pro motibus ipsius follis, id est, *nosti probè vbi follis cadat.* nam quemadmodum pondera in statera vel lance cadunt, sic follis finita iacientis vi decidit suo pondere, in qua cognitione sita est tota ludendi ars. Cetera quæ de hac re dici possent ad Physicos remittimus, qui de motu proiectis commentarios edidere.

9 SIVE *leuem cursu vincere quæris Athan.*] De Atha puero cursore, Plinius lib. 7. cap. 20.

10 TE *premat Iris aqua.*] Metonymia, signum pro re signata: nam Iris nuntia pluuiarum est, quam existimabat vulgus rapere aquas è fluuiis, quas iterum emitteret. sic li. 12. ep. 29.

Casuras altè sic rapit Iris aquas.

Et Plautus in Curculione.

Ecce autem bibit arcus, pluet credo hodie.

11 NON *sic in Tyria sindone nudus eris.*] Vide de sindone multa, quæ dixi, sup. lib. 2. ep. 16.

De Cærelia & Gellia. XX.

Dicit se vetulam, cùm sit Cærelia puppa:
Puppam se dicit Gellia, cùm sit anus.
Ferre nec hanc poßis, poßis, Coline, nec illam.
Altera ridicula est, altera putidula.

DOMITIVS.

DICIT] Cærelia erat puella, & dicebat se vetulam.

GELLIA] Erat anus, & dicebat se puppam.

ALTERA] Gellia, quæ anus, & volebat videri puella.

PVTIDVLA] Putidi, & putiduli dicuntur, qui sibi ipsi displicent: hoc Cicero vno in loco, Displicebam mihi: alibi dixit, eram putidulus, cùm autem quisquam sibi ipsi displicet, contrahit frontem, & caret omni hilaritate, propterea ait poëta, alteram mulierem cupientem videri puellam, adeò gestire, vt sit ridicula, & non puella: alteram cupientem videri anum, non videri solùm anum, sed putidulam.

RAMIR. DE PRADO.

Duo in duabus fœminis vitia reprehendit, alterum Cæreliæ, quæ cum esset puppa, id est, adolescentula & tenera, se vetulam dicebat. Alterum Gelliæ, quæ cum reapse esset anus, se vocabat puppam, & teneram fingebat gestu & voce. Neutrum posse fieri affirmat, cum Gellia ridicula sit, Cærelia verò putida. Putidum autem Latini appellant id, quod cogit nos auertere vultum, & veluti fastidium gignit, vt sup. ep. 50. lib. 3.

Putidus est toties, si mihi ponis aprum.

Sic putide proferre literas dicuntur illi, qui nimis affectate eas proferunt, à verbo puteo, vt quemadmodum à rebus, quæ putent, auertimus vultum, sic etiam ab iis, qui frigide aliquid dicunt, vel faciunt, ironicῶς cupientes festiui videri, vt faciebat hæc Cærelia, non quod sibi displiceret, vt ait Domitius & Raderus, qui Erasmum secuti in adagio φιλαυτι hoc loco decepti sunt.

De Selio. XXI.

Nullos esse deos, inane cælum
Affirmat Selius, probátque quod se
Factum, dum negat hæc, videt beatum.

DOMITIVS.

NVLLOS] In Cælium impium, qui contemptis Diis magna audacia commissis sceleribus diues euaserat.

DVM *hæc negat*] i. dum ita scelera exercet, ac si nulli essent dij.

RAMIR. DE PRADO.

Cuiusdam Selii taxat impietatem, qui cum Diagora negabat vllos esse Deos, & magis impiam adducebat impiæ sententiæ rationem, quòd dum negaret Deos, se diuitem factum esse videret. Multa in hanc sententiam Seneca in eo libro, qui inscribitur, *Quare bonis viris mala accidant cùm sit prouidentia.*

1 VIDET *beatum.*] Beatum, id est, diuitem, quemadmodum felicem, l. 8. ep. 42.

Si te sportula maior ad beatos
Non corruperit. Et lib. 10. ep. 82.
Sed si non fias quadrante beatior vno.

Et Horat. lib. 3. carm. od. 9.

Persarum vigui rege beatior.

De Cleopatra. XXII.

Primos passa toros, & adhuc placanda marito
Merserat in nitidos se Cleopatra lacus.

Dum fugit amplexus, sed prodidit vnda latentem,
Lucebat totus cùm tegeretur aquis.
Condita sic puro numerantur lilia vitro:
Sic prohibet teneras gemma latere rosas.
Insilui, mersusque vadu luctantia carpsi
Basia. perspicuæ plus vetuistis aquæ.

Idem Græcè.

Ἀκμὴν πρωτόγαμος Κλεοπάτρη, τῷ τε συνεύνῳ
Οὐκέτι ἰλαμένη, γεῖτον' ἐσῆλθ' ὕδωρ.
Πειρῶν διαμείνουσα· τὰ δ' ὕδατά μιν κατέλεγξε.
Στίλβει γὰρ καὶ ὅλη κύμασι κρυπτομένη.
Λείρι' ἐν ὑαλίνοις διακρίνεται ἄγγεσιν οὕτω,
Κρύσταλλός τε λαθεῖν οὐκ ἐάᾳ τὰ ῥόδα.
Εἰσδὺς ἐγὼ τὸ λοετρὸν, ἀναινομένην ἐφίλησα.
Τοῦ δ' ἐπὶ πλέον τολμᾶν εἶρξε διαυγὲς ὕδωρ.

DOMITIVS.

PRIMO S] Cleopatra vxor Mart. cùm primo thalamo fugisset in lacus, Mart. eam insecutus, osculatus est: reliqua aquis prohibentibus.

PLACANDA] Quia nondum mansuefacta.

GEMMA] Quia in gemma rosæ inspiciuntur, potes etiam intelligere de pictura: qua ita Cleopatram latentem sub aquis expressam fuisse dicit, vt ipse tanquam in veram insiluerit.

RAMIR. DE PRADO.

Describit luctam quamdam Veneream, quam habuit cùm Cleopatra vxore in balneis post primos congressus.

1 ET *adhuc placanda marito.*] Sequitur morem naturæ. Sic enim natura comparatum est, vt quæ nuper mulieres factæ sunt, pudicitiæ causa subiratas se ostendant corruptoribus, quamuis maritis, à quibus mutuis blanditiis placari solent.

2 LVCEBAT *totus cum tegeretur aquis.*] Similis est locus epist. 3. lib. 1. Aristæneti cuius verba ex versione Merceri sunt: *Sub platano fons amœnissimus fluit, aqua tam frigida, vt pede rigorem sentias, tam limpida, vt nantibus nobis & per aquæ perlucidum vitrum amanter amplexis, membra clare apparerent omnia.*

3 CONDITA *sic puro numerantur lilia vitro.*] Existimo veteres liliis delectatos ea solere vitreis vasis condere, ne scilicet facile ab aëre corrumperentur, & forte ne graueolentia eorum læderet caput, quod vsuuenire sæpe videmus. Colligo ex hoc loco & ex alio genuino Ouidij, lib. 4. Metam.

In liquidis translucet aquis, vt eburnea si quis
Signa tegat claro vel candida lilia vitro.

Idem dico de rosis in sequenti versu: vel forte hæc ambo intelligenda sunt de specularis, quibus solebant hortos & etiam vites tegere, ne à frigore aut aëre læderentur. vt constat ex ep. 14. lib. 8. vbi de specularibus dicemus multa. Appellat autem hic Poëta vitrum omne *gemma*, propter nitorem & leuitatem vt etiam epigr. 68. lib. 8.

A *Condita perspicua viuit vindemia gemma,*
Et legitur felix nec tamen vua latet.

Et lib. 14. ep. 110. cuius lemma, *ampulla potoria*,
Hac licet in gemmâ, quæ seruat nomina Cosmi
Luxuriose bibas si foliata sitis.

Et latrunculos lusorios quos ep. 72. lib. 7. vitreos vocauerat.
Sic vincas Noniumque, Publiumque
Mandris, & vitreo latrone clausos.

Appellat gemmas, lib. 12. ep. 40.
Pedis, dissimulo; gemma vis ludere, vincor.

Et lib. 14. ep. 20.
Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Esse autem vitreos constat, ex Ouid. lib. 2. de Arte am. *Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.*

Et Lucan. in panegyr. ad Pisonem:
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus & vitreo peraguntur milite bella;
Vt niueus nigros, nunc & niger alliget albos.

Erant enim coloribus distincti, ac præcipue albo
B & nigro, sed facti omnes ex vitro. Vnde notandus error Raderi, qui dicto epig. 71. lib. 7. *vitreum latronem* cæruleum interpretatur, id est, veneti coloris, nullo iudicij colore.

4 PERSPICVÆ *plus vetuistis aquæ.*] Apostrophe ad aquas, Poëtis familiarissima, etiam in Narrationibus. Dicit autem se paratum fuisse ad Veneris prœlium, nisi aquarum perspicuitate, ne furtum illud proderetur, timuisset.

Ad Thaliam. XXIII.

Dum tu lenta nimis, diúque quæris,
Quis primus tibi, quisue sit secundus:
Gratum quisue epigramma comparabit:
Palmam Callimachus, Thalia, de se
C *Facundo dedit ipse Brutiano.*
Qui si Cecropio satur lepore,
Romanæ sale luserit Mineruæ:
Illi me facias, precor, secundum.

DOMITIVS.

DVM] Lustricus Brutianus Græcè eruditus iam cum Callimacho Elegiarum scriptore editis versibus Græcis certabat. Increpat Musam Mar. quòd dùm cessat, iam Lustricus Brutianus græco carmine superauit Callimachum, hortaturque vt exeat, & cùm Brutianus latinè scribere cœperit, ipsum faciat illi se-
D cundum laude poëmatis.

DEDIT *palmam de se.*] i. cessit Brutiano. Brutiani meminit Plin. in epi.

LEPORE *cec. satur*] Versu Græco.

LVSERIT *sales*] i. iocos latinos.

RAMIR. DE PRADO.

Leustricum Brutianum optimum & integerrimum virum, testimonio Plinij Iunioris, lib. 6. ep. 22. laudat, vt Poëtam elegiacum & epigrammatarium Græcum, præfertque cum nobilissimo Poëtæ Callimacho, & optat vt, si epigrammata Latina scribat, secundus ipse ab eo numeretur. Est autem epigramma conceptum per Apostrophen ad Thaliam Musam.

1 Dum tulenta nimis.] Id est, tarda ad deliberandum.

2 Quis primus tibi quisue sit secundus.] Fingit Thaliam deliberare inter duos Callimachum & Brutianum, vtri palmam datura esset in elegia, & epigrammatis Græcis conscribendis, & antequàm sententiam protulisset, Callimachum ipsum se victum demonstrasse, & cessisse palmam Brutiano; quo Poëtico charactere Brutianum præfert Callimacho.

3 Quod si Cecropio satur lepore.] Id est, si hominem satietas ceperit epigrammatum Græcorum.

4 Romanæ sale luserit Mineruæ.] Id est, si ad epigrammata Latina scribenda se contulerit.

5 Illi me facias precor secundum.] Fatetur his verbis, posse Brutianum superiorem se, in epigrammatis Latinis esse posse: cupereque vt cum primas Brutiano tribuat, se in secundis consistere. Quæ maxima etiam laus Brutiani est, quo simul se ipse extulit, & Callimacho Græco se Latinum parem fecit.

Ad Fabianum. XXIV.

Omneis, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas,
Extulit, vxori fiat amica meæ.

RAMIR. DE PRADO.

Lycoridem veneficam, propter inuidiam amicas omnes occidentem, optat amicam fieri vxori suæ.

1 Extulit.] Per metonymiam significat occidi, propterea quod mortui efferebantur, vt apud Terentium in Andria, act. 1. scen. 1.

Effertur, imus.——

Eadem figurâ Hispani dicimus, *el le enterrò*, vt dicamus, *el le matò*.

Ad Aquileiam.

De litoribus Altini. XXV.

Aemula Baianis Altini littora villis,
Et Phaëtontei conscia silua rogi.
Quaq; Antenoreo Driadū pulcerrima Fauno
Nupsit, ad Euganeos sola puella lacus.
Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo,
Hic vbi septenas Cyllarus hauris aquas.
Vos eritis nostræ portus, requiesq. senectæ,
Si iuris fuerint otia nostra sui.

DOMITIVS.

Æmula] Laudat loca quædam Venetiæ, vbi se domicilium fixurum senectuti ait, quandò poterit vindicare se in libertatem.

Altini] Altinum oppidum Venetiæ.

Phaethonte] Ad Padum.

Euganeos lacus] Amœnitatem siluæ laudat, in qua dicit verisimile fuisse Dryadem quæ nunquam nubere solet, ductam fuisse in vxorem à Fauno Deo siluarum, quod cum ait, præcipuam loci amœnitatem ostendit.

Antenoreo Fauno] In silua Patauina.

Ad lacus] Nam xxiij. lacus illic olim recensebantur.

Aquileia] Vrbs extra Venetias.

A Ledæo Timauo] Quod ait Cyllarum illic bibisse, extra historiam est, nam Cyllarus relictus est in Laconia à Castore, quando nauigauit cum Argonautis. Papi. in The.

Tua furta prolapsa propago Cylare;
Cùm Scythici diuersus ad ostia ponti
Castor Amycleas remo mutauit habenas.

Sed cursum Argonautarum ostendit, cum quibus erat Castor. nam Argonautæ duxerunt nauem per Saum, Istrum, Nauportum, & ignoto quodam amne in Adriaticum iuxta Tergeste. diligentiores authores tradidere humeris delatam fuisse per hæc loca, quamuis Cornelius nepos scribat Istrum confluere ad ostium Padi mari, interiecto: quod veriùs, quàm fluminis vndis mitescit eleganter. igitur eum cursum designat, cùm ait, Cyllarum equum Pollucis, qui vnà cū fratre inter Argonautas erat, illic bibisse.

Septenas aquas] Propter, vij. ostia Timaui.

B

RAMIR. DE PRADO.

Destinat senectuti suæ Altini oppidum Venetiæ, quod laudat & comparat Baijs.

1 Æmula Baianis Altini litora villis.] Huius oppidi mentio est apud Plinium, lib. 3. cap. 16. & 18. Strabonem, lib. 5. Pomponium 2.

2 Et Phaëthontii conscia sylua rogi.] Notissima fabula Phaëthontis, est. vt fulmine Iouis ictus ceciderit in Eridanum vel Padum fluuium, in cuius litore plorantes Heliades sorores in arbores commutatæ sunt. electrum stillantes. Has arbores siluam vocat Phaëthontei rogi consciam, & eodem verbo *rogi*, respexit ad mortis genus, quòd cōbustus fulmine sit.

3 Quæque Antenoreo, &c.] Antenor Troianus condidisse Patauium dicitur, prope Padi fluminis o-

C stia in Veneta regione, vt narrat Virgil. 1. Æneid. ideo appellat Faunum Antenoreum, id est, Patauinum, quem finxit duxisse vxorem ad lacus Venetos. Quæ fictio Poëtica est, cū ea fabula legatur nusquā.

4 Et in Ledæo felix Aquileia Timauo.] Timauus fons est, quem maris fontem appellant, quod tantus sit, vt lacus aut fluuius videri possit. Hic etiam Poëticè fingit Castorem equum suum Cyllarum duxisse ad aquas septenas, quod septem ostiis influat Timauus in mare; quamuis Plin. lib. 3. cap. 3. Castorem Ledæ filium cum Polluce fratre dicat cum Argonautis ad Timauum venisse, & hoc idem de Cyllaro equo affirmat noster, lib. 8. epigr. 28.

An tua multifidum numerauit lana Timauum,
Quem prius Astrifero Cyllarus ore bibit.

5 Vos eritis, &c.] Non contigit ei voti fieri com-

D pos: constat enim in Hispania Bilbili obiisse.

Ad Postumum. XXVI.

Quod te mane domi toto non vidimus anno;
Vis dicam, quātum, Postume, perdiderim,
Tricenos, puto, bis, vicenos ter, puto, nummos. V. de noctis computo nummis.
Ignosces, togulam, Postume, pluris emo.

DOMITIVS.

Quòd] In Posthumum amicum, qui factus diues deseruerat Mart. & aut nihil, aut parum dabat, cùm tamen vellet coli assiduè.

Quòd non vidimus] i. quòd non salutauimus te manè.

RAMIR. DE PRADO.

A

Obiicit Postumo cuidam auaritiam, qui exigebat togatam operam à Martiale, & irascebatur, quod non fuisset ab eo toto anno domi salutatus: ait se paruam fecisse iacturam, quòd sexaginta perdiderat nummos, quibus non poterat togam ad salutandum emere. Totum hoc epigramma est affatim explicatum sup. ep. 68. lib. 2. num. vlt.

Ad Augustum. XXVII.

Sæpè meos laudare soles, Auguste, libellos,
Inuidus ecce negat: ¨ non minus ergo soles.
Quid, quòd honorato non sola voce dedisti,
Non alius poterat qua dare dona mihi.
Ecce iterum nigros corrodit liuidus vngues,
Da Cæsar, tanto tu magis, vt doleat.

¨Num minus argo soles.

DOMITIVS.

SÆPE] Ad Cæsarem, negat laudandos esse libellos.

NON *sola voce*] i. non sola voce laudasti me, sed etiam dedisti ius trium natorum: fecisti etiam me tribunum prætorem.

MAGIS *vt doleat*] i. quemadmodum legisti libellos meos illo inuito, tantò magis inuidus vt doleret, ita tantò magis vt rumpatur.

RAMIR. DE PRADO.

Vrbanè petit ab Imperatore munera, quod laudatus sæpè ab ipso sit & donatus muneribus non contemnendis; cum tamen & laus & munera lacesserent inuidorum maledicentiam, rogat Cæsarem vt muneribus sibi dandis augeat inuidorum dolorem.

1 NON *minus ergo soles.*] Conturbauit Raderum hæc lectio, & reponendum putat cũ interrogatione.

—— *Num minus ergo soles?*

Existimat enim illud, *ergo*, non posse in alia lectione cohærere. Ego non video quid intersit, quò ad vocem, *ergo*, inter vulgatam & Raderi lectionem: nihil immutandum censeo.

2 QVID? *quod honorato, &c.*] Honorato non sola voce, id est, laudibus, dedisti te ipsa munera, quanta solus dare poteras, id est, ius trium liberorum, vt diximus lib. 2. ep. 91. & 92. & lib. 3. ep. 94. vbi equestria sibi ornamenta data, & Tribunitiam dignitatem scribit.

3 ECCE *iterum nigros corrodit liuidus vngues.*] Anxij & solliciti animi signum vnguium corrosio, Persius satyr. 5. versu 162. inducens Chærestratum rationes despicientem, quibus iugum amoris ferre se recusaret, ait:

—— *crudum Chærestratus vnguem*
Abrodens ait hæc.

De Poëtis vulgatum. Horat. sat. 10. lib. 1. de Lucilio.

Sæpe caput scaberet, viuos & roderet vngues.

Et Persius, sat. 1. versu 120.

Nec pluteum cadit, nec demorsos sapit vngues. liuidus ergo pro inuidia anxius corrodit vngues nigros, & fortè quòd caput scaberet sæpe.

Ad Chloën. XXVIII.

Donasti tenero Chloë Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinásque,
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos sardonychas, Scythas smaragdos,
Et centum ¨ nummos nouæ monetæ,
Et quidquid petit, vsque & vsque donas,
Væ glabraria, væ tibi misella,
Nudam te statuet tuus Lupercus.

¨v. dominos hoc est, aureos Domitiani effigie signatos.

DOMITIVS.

DONASTI] In Chloën meretricem, quæ donabat vestes.

LVPERCO] Nomine proprio. Luperci autem nomine communi agebant ludos nudi. Virgil.

Nudósque Lupercos.

B

Ad quod alludens monet Mar. ne tantum donet suo Luperco, nam si perrexeris, inquit, donare, tuus Lupercus te nudam reddet.

TENERO] Iuueni, qui subagitaret.

HISPANAS] Bæticas, quia inde optimæ lanæ afferebantur.

INDOS *sardonichas*] Nam ex India mittebantur præcipui, vt Plin. scribit.

SMARAGDOS] Smaragdus in pretio olim fuit. Nero pugnas gladiatorum Smaragdo spectare solebat. Cùm autem duodecim genera Smaragdi sint, nobilissimi sunt Scythici, quia nullis maior est austeritas, nec minus vitij.

GALESO] Canusinam togam.

DOMINOS] Flauios, nam Flauij erant nummi à Flauiis imperatoribus signati, hoc est Vespasiano, Tito, & Domi.

GLABRARIA] Glabriones dicuntur, qui sunt sine pilis, & glabrarias oues appellat Var. in re agraria, carentes lana. Chloë glabraria erat, quia expilata erat. Festus idem, & Plin.

C

GEORGIVS.

ET *Lotam, &c.*] Minimè, immò potiùs Tarentinam. Nam Galesus fluuius præterlabitur Tarentum, de quo Virg.

Namque sub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flauentia culta Galesus,
Coruicium vidisse senem.

RAMIR. DE PRADO.

Insectatur Chloen quamdam, quæ Luperco amico profuse donabat sua, & enumerat multa & varia dona, monetque futurum vt nuda remaneat.

D

1 DONASTI *tenero Chloë Luperco.*] *Tenero*, id est, adolescentulo, delicato vt Horat. lib. 1. carm. ode 5.

Quis multa gracilis te puer in rosa,
Perfusus liquidis vrget odoribus.

Et hic noster lib. 11. epigr. 44.

Ille tamen gracili cum Ganymede iacet.

2 HISPANAS *Tyriasque coccinasque.*] Intellige lacernas.

3 INDOS, *Sardonychas, Scythas smaragdos.*] Id est, Indicos & Scythicos.

4 ET *centum nummos nouæ monetæ.*] Vetus codex habet, *dominos*, non inepta lectione. Est enim Horatiana imitatio in arte de Chærilo Poeta.

Retulit acceptos regale numisma Philippos.

Philippos vocauit nummos signatos Philippi Regis

effigie; sic hoc loco *centum dominos*, id est, centum nummos signatos effigie domini, id est, Domitiani: sic enim Imperatorem hunc appellabant, vt lib. 4. epigr. 8.

Edictum Domini Deique nostri.

Noua moneta, dixit, quod ea maiori esset in pretio; quàm trita, vt diximus sup. lib. 2. ep. 51. Sed planius legetur, *nummos*.

5 GLABRARIA.] Non memini me alibi legisse hanc vocem; glaber sine pilis est: inde, *glabrare*, id est glabrum facere; vnde glabriones, qui glabrabant, & inde petitum cognomen Aciliorum familiæ. Oues sine pilis, quas, vt Varro lib. 2. cap. 2. de re rustica, glabro ventre appellari ab antiquis apicas vel minas oues scribit, non erant in pretio. Vnde Plautus in Truculento,

Ego perperas minas oues in crumena hac in vrbē detuli.

Hinc existimo confectum fuisse à Poëta per iocum nomen, *glabraria*, quasi cui nihil esset relictum alicuius pretij.

6 NVDAM *te statuet tuus Lupercus.*] Quæsitus iocus in nomine: Nam Luperci sacerdotes erant Romulo & Remo destinati, qui Lupercalibus ludis rem diuinam nudi agebant, per vicos & compita discurrentes, & pellibus obuias quasque fœminas verberantes, quæ & ipsæ palmas ad id præbebant, quod hoc ictu fœcundas se fieri credebant. Vnde Iuuenal. sat. 2. versu 142.

Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Cum igitur hic adolescens Lupercus vocaretur, & Luperci sacerdotes nudi incederent, nudam relictum iri à suo Luperco ei minatur.

Ad Pudentem. XXIX.

Obstat, care Pudēs, nostris sua turba libellis,
Lectoremq; frequens lassat, & implet opus.
Rara iuuant, primis sic maior gratia pomis:
Hybernæ pretium sic meruere rosæ.
v. Faustus *Sic spoliatricem commendat* " *Fustus amicā,*
Ianua nec iuuenem semper aperta tenet.
v. numera. *Sæpius in libro* " *memoratur Persius vno,*
Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoq; de nostris releges quæcumq; libellis,
Esse puta solum, sic tibi pluris erit.

DOMITIVS.

OBSTAT] Ait poëta se quidem cupere scribere, quæ etiam dixit superiùs. Edita ne breuibus. sed nihil aliud offendere gratiam carminum suorum, quàm copiam. nam quo rarior res est, eo solet esse carior: sed tamen se propterea nolle desistere, cùm in hac copia vnum possit esse remedium, vt scilicet lector quandocunque libellum perlegerit, eum solum esse putet. Scribit autem ad Aulum Pudentē amicissimū.

TVRBA *sua*] multitudo.

NOSTRIS *libellis obstat*] i. nocet gratiæ nostrorum carminum.

OPVS *frequens*] i. frequentia epigrammata.

RARA *iuuant*] Et exemplo ostendit.

HYBERNÆ] Hiemali tempore, & ex Ægypto, & posteà ex agro Romano rosæ in vrbem mittebantur. Erant præterea rosæ, quæ dicebantur hybernæ fictæ, bracteis. i. foliis auri, & argenti, alibi diximus.

A SIC] Raritate.

COMMENDAT] Gratiorem facit.

NON *semper aperta*] Id est, clausa aliquando.

MARSVS] Numeratur inter poetas Marsus Domitius, cuius ille versus extat in Orbilium sæuum verberatorem puerorum, de quo etiam Iuuen.

Si quos Orbilius ferula, scuticaque cecidit.

Hic scripsit bellum Herculis in Amazones, quod Amazonidem inscripsit: idem descripsit Homerus, vt tradit Plutar.

SIC] Hoc pacto.

RAMIR. DE PRADO.

Multitudinem suorum librorum excusat, faceturque pulchriora quæ rara, idque multis probat exēplis, rogátque Pudētem vt quemcumq. librū legeret ex suis vnicū putet, quo pluris ab eo fiat, tāquā rarū.

1 HYBERNÆ *pretium sic meruere rosæ.*] De hybernis rosis missis ex Ægypto ad Domitianum exstat e-
B legans epig. 80. lib. 6 & quo modo qui eas afferebāt, inuenerint summam copiam Romæ, quas quidē in pretio habebant, quòd alieno tempore prouenirent, essentque rariores quàm in vere. Apud Lucianū Nigrinus: *Qui media se hyeme rosis implerent, rarū illud & intempestiuum & iis amantes sui temporis, & naturale superbe, vt vile ac nihili despicati.* Mamertinus in Panegyr. Iuliano dicto: *Quinetiam*, inquit, *prandiorum & cœnarum magnitudines Rom. populus sanciebat, cum quæsitissima dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur, miracula auium, longinqui maris pisces, alieni temporis poma, æstiua niues, hyberna rosa.* vbi etiam de pomis. Pacatus item in Panegyr. Theodosij. *parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hyberna poculis innatassent rosa.* & Capitolinus ait in conuiuio L. Veri Imperat. coronas datas, *Lemniscis*
C *aureis interpositis, & alieni temporis floribus.*

2 SIC *spoliatricem commendat Faustus amicam*] In aliis, *Fastus*. Sed omnes literâ maiusculâ, vt sit nomen proprium. Sed ego fastus minuscula litera scriberem, vt significet superba meretricis fastidia, quæ non passim amatores admittat, eosque, quos admiserit spoliet, & huius congressus pluris fiunt à iuuentute, quam eius, quæ omnibus patet, vt versu sequenti: *Ianua nec iuuenem semper aperta tenet.*

3 SÆPIVS *in libro memoratur Persius vno.*] Notissimus Poeta Satyricus Persius, qui Nerone imperante VI. Satyras vnico libello comprehendit, de quo Fabius Quintilianus lib. 10. cap. 1. *Multum*, inquit, *& veræ gloriæ, quamuis vno libro Persius meruit.*

4 QVAM *leuis in tota Marsus Amazonide.*] Non existimo cum Calderino hunc esse Marsum, nobilē
D epigrammatographum, cuius meminit in epist. lib. 1. & lib. 7. epig. 28. & epig. 98. æquat eū cū Catullo, & lib. 8. ep. 56. sperat, si Flaccus in se fuerit benignus, fore vt Marso similis sit:

Ergo ero Virgilius si munera Mæcenatis
Des mihi: Virgilius non ero, Marsus ero.

Sed alium quemdam arbitror Heroicum Poetam, qui præposterè Herculis cum Amazonibus bellum longo opere scripserat; quod Amazonidā appellauerat; quem ideo leuem quasi nullius pretij vocat; quam notam credibile non est voluisse inurere epigrāmatographo Poëtæ, cui⁹ se similē esse optauerat.

5 TV *quoque de nostris releges quæcumque libellis.*] Insedit pene omnibus libris manifestus error nullo sensu. Legendum:

Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis.
Esse puta solum. Quam emendationem sibi tribuit Raderus; forte emendauit

locum ex ingenio, cum codicem nullum in quo sic legere tur vidisset.

Ad piscatorem. XXX.

Baiano procul à lacu monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hæ natantur vndæ,
Qui norunt dominum, manúmque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius,
Quid? quod nomen habent? & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.
Hoc quondam Libys impius profundo,
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repentè cæcus
Captum non potuit videre piscem:
Et nunc sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator,
At tu dum potes innocens recede
Iactis simplicibus cibis in vndas,
Et pisces venerare dedicatos.* v. delicatos.

DOMITIVS.

BAIANO] Ex historia. nam in piscinis Cæsaris Domitiani, authore Plinio pisces vocati ad nomen venire solebant. Quo argumento docet idem author pisces habere auditum, sed præcipuum mugilem, salpam, cromim, lupum.

A lacu Baiano] A piscina Cæsaris, quæ erat Baiis.

NOCENS] Damnatus.

SACRIS] Quia sunt Domitiani Dei.

DOMINVM] Domitianum.

MAGISTRI] Custodis.

LIBYS] Impius, quia violauit sacros pisces.

CALAMO] Canna, hamo.

ROGATOR] Mendicus.

AD *lacus Baianos*] Iuxta piscinam.

CIBIS *simplicibus*] Non dolosis, sine hamo.

DEDICATOS] Cæsari Domitia. Deo dicatos: Nam Deus dicebatur.

RAMIR. DE PRADO.

Celebrat Baianos pisces Domitiano sacros: & monet piscatorem, vt procul ab eo lacu recedat, terretque eum ficta narratiuncula cuiusdam, qui dum hamo in eo lacu ausus esset piscari, repente captus oculis fuit.

1 SACRIS *piscibus hæ natantur vndæ.*] Cur sacri hi pisces vocarentur, abunde docuerunt Heraldus & Raderus hoc loco.

2 QVI *norunt dominum.*] Appellat dominum, quem diximus epig. 28.

3 MANVMQVE *lambunt.*] Manum Domitiani intelligit, vt sup. ep. 1.

Perque manus tantas plurima quercus eat.

Vtrum autem verum hoc sit, sit fides penes Poëtam. Ea tamen apud alios authores legimus de hoc genere, vt probabile videri possit. Apud hunc ipsum lib. 10. epig. 30. fere eadem; & apud Plinium, Æmilianum & alios, quos adducit diligenter Raderus hoc loco.

4 HOC *quondam Libys impius profundo.*] Sic legendum est, non *improbus*, quod Gruterus amplectitur, nam impius dicitur Libys, quod ausus fuerit pisces sacros violare. Existimo autem hanc narratiunculam Poëticè fictam à Martiale.

5 DVM *prædam calamo tremente ducit.*] De hoc genere dicendi, vide quæ scripsimus sup. lib. 1. epig. 56.

6 BAIANOS *sedet ad lacus rogator.*] Rogatores dicuntur, qui stipem rogant, vt lib. 10. epig. 5.

Interque raucos vltimos rogatores.

Et lib. 12. ep. 57.

A matre doctus nec rogare Iudæus.

7 IACTIS *simplicibus cibis in vndas.*] Simplicibus, id est, sine hamo, vel absque medicamine aliquo quod possit necare, vel inebriare sacros pisces.

8 ET *pisces venerare dedicatos.*] Id est, consecratos Domitiano. In aliis legitur, *delicatos*, quod, quamuis placeat Grutero, mihi non arridet.

Ad Hippodamum. XXXI.

Quod cupis in nostris, dicique, legiq. libellis,
Et non nullus honos creditur esse tibi.
Ne valeam, si non res est gratissima nobis,
Et volo te chartis inseruisse meis.
Sed tu nomen habes auerso fonte sororum
Impositum, mater quod tibi dura dedit.
Quod nec Melpomene, quòd nec Polyhymnia possit,* Polymnia.
Nec pia cum Phœbo dicere Calliope.
Ergo aliquod gratũ Musis tibi nomẽ adoptes:
Non semper bellè dicitur Hippodamus.

DOMITIVS.

QVOD] Hippodamus rogat Martialem, vt aliquid scriberet de se, eum deridet, quod habeat nomen rebelle Musis, & non conueniens carminibus: iisdem fermè verbis vtitur in Carinum, cuius nomen dicit esse Musis rebelle.

AVERSO *fonte sororum*] A Musis.

DVRA *mater*] Rusticana.

QVOD] Nomẽ nullo genere carminis dici posset.

PIA *Calliope*] An propter filium Orpheum, in quo lugendo pietatis nomen meruit: an quòd melioribus numeris præest: prior sententia placet.

BELLE] Concinnè, venustè.

RAMIR. DE PRADO.

Queritur, quòd cum vellet Hippodami nomen sæpe versibus suis inserere, id præstare non posset, repugnante contumaci syllabarum ordine: quod nomen prima longa & tribus posterioribus breuibus, non facile possit versibus accommodari. Eiusdem argumenti est ep. 12. lib. 9. cum duobus sequentibus.

1 QVOD *cupis in nostris.*] Respondet Hippodamo, qui petierat à Martiale, vt nomen suum scriptis illustraret, quod id sibi honori arbitraretur.

2 NE *valeam.*] De his formulis, Ne valeam, & Dispeream, dictum est sup. ad lib. 1. epig. 40. & lib. 2. epigr. 5.

5 AVERSO *fonte sororum impositum.*] Longe

petita hypallage: per fontem enim sororum intelligit Poeticam facultatem, per quam intelliguntur versus, qui non admittebant contumaces syllabas huius nominis: & *auerso fonte*, id est, auersis ipsis Musis: Est autem Musarum fons Hippocrene vel Caballinus.

4 QVOD *nec Melpomene*, &c.] Tres Musas nominatim ponit, pro tribus carminum generibus: *Melpomenen*, pro elegiaco, cui præest, vt colligitur ex Horatio, ode 24. lib. 1. vbi eam inuocat ad deflendam Quinctilij Vari mortem:

—— precipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum Cithara dedit.

Polyhymniam vel *Polumneiam*, pro lyrico, cui tribuitur apud eundem, lib. 1. od. 1.

—— nec Polumneia
Lesboum refugit tendere barbiton. *Calliopen*, pro Heroico, vel Dithyrambico, quod hæc duo genera pene eandem materiam habeant, & eundem characterẽ. Sic ab Horat. od. 4. lib. 3. inuocatur Calliope.

Descende cœlo, & dic age tibia,
Regina longum Calliope melos.

Longum melos vocauit Heroicum carmen, vel lyricum Dithyrambicum, in quibus Heroum, vel Deorum continentur facta & laudes. Ideoque dixit noster, *pia Calliope.* Eamdem inuocat Virgil. lib. 9. v. 525. *Vos ô Calliope precor aspirate canenti.*

Et paulò post.

Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis.

Memorare potestis dixit, quod Calliope Heroici carminis, quo Virgil. opus suum comprehendebat, habeat potestatem.

5 NON *semper bellè dicitur Hippodamus.*] Nomen solo pentametro & in fine aptari potest: ita vt tres posteriores syllabæ *podamus*, quæ breues sunt, efficiant proceleumaticum pedem, qui pro anapæsto poni potest in fine, quod vltima syllaba possit breuis pro longa vsurpari. Sed hoc non semper bellè fit.

De ape electro inclusa. XXXII.

Et latet, & lucet Phaëthontide cõdita gutta,
Vt videatur apis nectare clausa suo:
Dignum tãtorum pretium tulit illa laborum,
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Idem Græcè.

Καὶ λάθε, καὶ στίλβουσα δι' ἠλέκτροιο μέλισσα
Φαίνεται, ὡς ἰδίῳ σφιγγομένη χραδίῳ.
Τοῖον τοσσατίων γέρας ἔλλαχεν ἄξιον ἔργων,
Οἷα προαιρεσίῃ τοῦτον ἑλοῦσα μόρον.

DOMITIVS.

ET *latet*] In electro nonnumquam visebantur formicæ, culices, lacertæ, quæ recenti adhærentes ab induresceni claudẽbantur. quo argumento nonnulli vtuntur ad ostendendum electrum aliquando fieri liquidum. nunc laudatur a Martia. apis inclusa.

GVTTA *Phaëthontide*] Id est succino & electro, quòd nascitur ex lachrymis sororum Phaëthontis.

NECTARE *suo*] Melle.

TVLIT *pretium laborum tantorum*] Mortis, in melle faciendo.

RAMIR. DE PRADO.

Deciderat forte electri lachryma in apim, & deinde guttatim globulus factus fuerat, in quo clausa perspiciebatur apis. Præmium hoc tam pretiosi sepulchri dicit Poëta debitum fuisse maximis apiculæ laboribus. Credibiléque esse tale præmium ab ipsa optatum fuisse. Solebat autem hoc sæpè euenire, vt est inf. ep. 59. de vipera, & lib. 6. epig. 15. de formica, & docent Plin. li. 37. cap. 3. & Cornel. Tacitus li. de moribus Germ. in fine. Quod etiam D. Ambrosius, lib. 2. Hexameron, cap. 15. scribit his verbis: *Quid autem tibi referam, quod electrum lachryma virgulti sit, & in tanta materia soliditatem lachryma durescat? nec leuibus id asseritur testimoniis, quando folia & minutissimæ surculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro sæpe reperiantur, quæ videtur, cum adhuc gutta esset, mollior recepisse, & soliditata tenuisse.*

1 ET *latet & lucet Phaëthontide cõdita gutta.*] id est, gutta Phaëthontidis sororis Phaëthontis.

2 NECTARE *clausa suo.*] id est, melle, quod electrum flauum sit vt mel.

3 DIGNA *tantorum pretium tulit illa laborum.*] De apum laboribus & industria multa Plinius in historia, & Virgil. 4. Georg.

4 CREDIBILE *est ipsam sic voluisse mori.*] Epiphonema à coniectura expressa per metaphoram: nam apibus aut mortis aut sepulchri cura non est.

Voluit hìc dixit, sicut, *miratur*, de Vipera, dict. epigr. 59.

Ad Sosibianum. XXXIII.

Plena laboratis habeas cùm scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent heredes, inquis, mea carmina, quãdo?
Tempus erat iam te, Sosibiane, legi.

DOMITIVS.

PLENA] Ad Sosibianum: Sosibianus volebat videri poëta multis libris compositis, cum nullos ederet: dicebat autem se expectare, vt hæredes ederent ipso mortuo. At inquit poëta, posteaquam libros habes perfectos tempus est te legi, id est, morere, vt & libri emittantur: & oportebat te iam mortuum esse, vt legereris. Argutè, cum aliud dicere videatur, hoc significat.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet Sosibianum quemdam, qui subinde iactabat se habere in scriniis multos libros elaboratos, & nihil in lucem dabat. dicebat hæredes suos, libros eos edituros: iam tempus esse, vt libri legantur, affirmat, vt ipse iam pereat.

1 PLENA *laboratis habeas cum scrinia.*] De scriniis iam sup. dictum est, lib. 1. ep. 2.

2 EDENT *hæredes, inquit, mea carmina.*] Ex his verbis pendet iocus: nam hæredes non dicuntur ante obitum eius, cuius hæredes sunt.

3 TEMPVS *erat iam te Sosibiane legi.*] Ambiguitas est in eo, quod Sosibianus intelligere poterat iam esse tempus, vt ipse emitteret sua carmina: Martialis autem intelligit tempus esse, vt ea legantur edita ab hæredibus, vt ipse dicebat, id est, tempus esse vt iam pereat.

Ad Attalum. XXXIV.

Sordida cùm tibi sit, verũ tamẽ, Attale, dicit,
Quisquis te niueam dicit habere togam.

RAMIR. DE PRADO.

Sordidam Attali togam iure posse niueam appellari dicit, quòd, vt diximus, ad lib. 1. epig. 93. sordes & inceratio vestium frigidæ sunt.

Est igitur iocus in antithesi, inter *Sordidam* & *niueam*, & ambiguitate in voce (*ninea*:) Significat enim albam, vt nix, & frigidam etiam, vt sup. lib. 3. de Chione, ep. 34.

De pugna damarum. XXXV.

Frontibus aduersis molles concurrere damas
v. fato forte. *Vidimus, & fati sorte iacere pari.*
Spectauere canes prædam; stupuitq; superbus
Venator, cultro nil superesse suo.
Vnde leues animi tanto caluere furore?
Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

Idem Græcè.

Μαρναμένας ἀμάχους προὔχας εἴδομεν ἀντιμετώπους,
Κεῖσθαί τ' ἰσόπαλον πότμον ἐπισπομένας.
Τὴν ἄγρην μὲν ἔλευσσον ἀκλεῶ κύνες· οἱ δ' ἀβάκησαν
Ἀγρέες, οὐδὲν ὅπλοις λοιπὸν ὁρῶντες ἑοῖς.
Καὶ πόθεν ἀβληχροῖσι τόσον μένος ἔζεσε; τοίη
Ἐστὶ μάχη ταύρων, καὶ μόρος ἠνόρεος.

DOMITIVS.

FRONTIBVS] Damæ in spectaculis Domitiani cum in syluis sint fugaces, inter se concurrentes ceciderunt, quod, ne mirùm videatur, Marti. ait, factum numine Domitiani, cui cùm Tauri inter se pugnantes, & viri præstent spectacula, ipsæ quoque suum præstare voluerunt: inde ait alio epigrammate,
Vis damis Cæsar parcere, mitte canes.
Scilicet vt intelligant tibi non placere vt pugnent, quasi dicat in tuam pugnauerunt gratiam.

MOLLES] Olim imbelles.

CANES] Qui erant in theatro.

VENATOR] Qui venerat in theatrum.

NIL *restare*] Venabulo in quod sæuiret.

TAVRI *sic pugnant*] Id est, sic ceciderunt in gratiam tuam inter se pugnantes.

SIC *viri*] Et sic ipsæ damæ voluerunt.

RAMIR. DE PRADO.

In spectaculis veteribus non modo feræ emittebantur in arenam, vt Leones, Tigres, Vrsus, Rhinocerotes, Elephantes, Tauri, sed etiam mansuetiores animantes, veluti grues, vt testatur Xiphilinus in Tito, galli gallinacei, vt scribit Ælianus, lib. 2. cap. 2. de varia historia, & Plin. lib. 10. cap. 21. & Herodianus in Seuero. Simiæ etiam, quæ parua corporis de-

A clinatione ictus missilium euitabant, vt hic noster, lib. 14. ep. 201.
Callidus emissas eludere Simius hastas,
Si mihi cauda foret Cercopithecus eram.
Et lepores, vt sup. dictum est pluribus in locis. Damæ etiam, vt ex hoc epigram. & ex 74. inf. Quarum pugnam describit hoc loco: Cum enim summo impetu aduersis frontibus concurrissent, vtraque mutuo ictu extincta est.

1 FRONTIBVS *aduersis molles concurrere Damæ.*] Imbelles vocat, dicto epigr. 74. inf. & li. 13. ep. 94. cuius lemma *Damæ.*
Imbelles Damæ quid nisi præda sumus?
Frontibus autem aduersis concurrere, proprium cornutorum animalium, vt videmus in tauris, quod ipse Poëta vlt. versu in exemplum adducit.

2 SPECTAVERE *canes prædam.*] Quia canes nõ sæuiunt in morientes animantes, & quasi stupuerunt
B tetro illo spectaculo, vt eis tribuat per metaphoram humanum sensum.

3 CVLTRO *nil superesse suo.*] Cultrum proprium venatoris, quo iugulabant feras, quas ceperant venabulo, cominus vel frustrato ictu propius ad eas accedebant. de quo lib. 14. epi. 31. sub lemmate *culter venatorius.* *Si deiecta gemes longo venabula rostro, Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.*
Et lib. 7. epig. 27.
Thuscæ glandis aper populator & ilice multa,
Quem meus intrauit splendenti cuspide culter.
Gratius de venatione, adornans venatorem propriis armis, inquit, *Ima Toletano præcingant ilia cultro.* Vnde colligi potest Toleti olim cudi hos cultros, hodiè optimi gladij ibi fabricantur: bonitas fortè aquæ in causa est. Originem inde habuit antiqua formula, *ad cultrum se locare.* quemadmodũ *ad gladium.* quod significat locare operas ad venationes in spectaculis; vt, *ad gladium* significat locare se muneri gladiato-
C rio. Quæ formulæ sunt apud Senecam epi. 87. cuius initium *Naufragium.* cum ibi Catonem narret Censorium cantherio vehi solitum, hippoperis quidem impositis. *O quàm cuperem*, inquit, *illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via diuitibus cursores & Numidas & multum ante se pulueris agentem.* [lego agentibus] *Hic sine dubio cultior comitatiorque, quam M. Cato videretur: hic inter illos apparatus delicatos, qui cum maximè dubitat, vtrum se ad gladium locet, an ad cultrum.* Quæ vltima verba subobscura leuissima emendatione lucem accipient, si legas, *Qui tum maximè dubitat.* Nam hunc tumidum equitem in via diuitem, domi verò pauperrimum, tum maximè cũ eo fastu incedit, suæ paupertatis conscius, deliberat inter se, vtrum operas suas gladiatorio muneri, an venationi locet. Damnabantur etiam noxii ad vtrum-
D libet horum. De venatorio munere, est text. in l. Aut damnum, 8. §. quicunq; 11. & seruos 12. ff. de pœnis. De gladiatorio autem sunt. l. si quis. 6. §. sed etsi. 6. ff. de iniusto rup. irr. facto testam. & l. si quis. 25. §. si quis 3. ff. de acq. vel omit. hæred. & l. 1. ff. de abigeis, vbi *damnari ad gladium* est, ad ludum gladiatorium, in qua damnatione Paulus lib. 5. sentent. tit. 17. §. 3. obseruat eos, qui ad gladium dãnatur intra annum esse consumendos, quod qua ratione faciendum esset, docet Imp. Constantinus in cod. Theod. lib. 9. tit. 18. ad leg. Fabiam de plagiar. his verbis: *Si quis eiusmodi reus fuerit oblatus, posteaquam fuerit crimine patuerit, seruus quidem, vel libertate donatus, bestiis primo quoque munere obyciatur: liber autem sub hac formula in ludum detur gladiatorium, vt antequam aliquid faciat, quo se defendere possit, gladio consumatur.*

4 SIC *pugnant tauri, sic cecidere viri.*] Duo notat & quod more taurorum imbelles damæ in pugna sint, de quo dictum est num. 1. & quod mortem oppeterent virorum more. In arena enim gladiatores, & in prælio milites sæpè tanto impetu in mutua vulnera irruunt, vt pariter cadant mutuò confossi: vt legimus sup. ep. 29. in spectaculis:

Iuuentus tamen est finis discriminis aequi,
Pugnauere pares: succubuere pares.

Ad Olum. XXXVI.

Cana est barba tibi: nigra est coma: tingere barbam
Non potes, hæc caussa est: sed potes, Ole, comam.

RAMIR. DE PRADO.

Versicolorem notat Olum, quòd nigra comâ cum esset, barbam habebat canam. Caussam assignat quod posset comam tingere, barbam autem nequaquam. Breuissimum est epigramma & fortasse cuiuis obuium videbitur. Ego autem neminem adhuc inueni, qui id intellexerit. Quæ enim causa est cur Olus tingere non possit barbam, cum posset tingere capillos? Raderus nodum proposuit, cum dicat mirum videri posse, cùm notum sit multos etiam barbam infecisse: sed non soluit cùm dicat se existimare, neque notum Romæ tunc fuisse, nec artificium tam commodè tegi potuisse, vt falleret spectatores, imò & raso fuisse mento Olum, nec barbam aluisse, eoque minus inficere eam potuisse. Os hominis! Nam vt id certum sit, moris non fuisse Romæ tingere barbam, cuius contrarium idem ipse dixerat, quid obstitit quò minùs Olus contra morem barbam tingeret, vt iuuentutem simularet? Quid? quod incerta omnia sunt, quemadmodum & quod subiungit, non potuisse tam commode tegi artificium: Idem enim incommodum esset in coma: sed quod turpius est, si raso fuit mento, homo cupidus tegendorum canorum, quî poterat sciri, cana an nigra barba esset, cum legamus Galbam Imperatorem raso ita fuisse mento, vt ab omnibus imberbis iudicaretur? Ego igitur existimo Poëtam voluisse grauius probrum tectis verbis in Olum iacere, quod hic Olus esset cunnilingus, & hac de caussa barbam tingere non posset, tum quod statim fucus ille frictu turpissimæ illius actionis dilueretur, tum quod delicatæ illæ matronæ nollent fœmina sibi illinı medicamento tinctorio, ideò dixit, *Non potes barbam tingere, comam potes.*

Ad Afrum. XXXVII.

Centum Coracinus, & ducenta Mancinus,
Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabinus, alterumque Serranus:
Ex insulis, fundisque tricies soldum,
Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi;
Totis diebus Afer hoc mihi narras:
Et teneo meliùs ista, quàm meum nomen.
Numeres oportet aliquid, vt pati possim:
A *Quotidianam refice nauseam nummis.*
Audire gratis, Afer, ista non possum.

DOMITIVS.

CENTVM] Afer vt nihil daret Mart. quoties occurrebat ei, numerabat debitores, & futuros reditus, ait Poëta, iam non potes euadere quin des aliquid, nam cùm non dederis hactenus ob liberalitatem tuam, nunc saltem debes dare in præmium molestiæ qua me afficis quotidie, enumerans tuos debitores.

SOLDVM] i. integrè.
TER *ducena*] DC.
NVMERES] i. des & soluas.

RAMIR. DE PRADO.

B Afrum quemdam vanum diuitiarum ostentatorem increpat Poëta, quemadmodum infra Mancinum epigr. 61. Hic Afer nomina multa & amplissima numerabat, pensiones insularum & fundorum, & redditus Parmensis pecudis, se audire id gratis quotidie non posse affirmat, nisi ea nausea aliqua pecunia reficiatur.

1 CENTVM *Coracinus, &c.*] Nomina hæc sunt debitorum, quos hic vanus creditor subinde nominabat.

2 EX *insulis fundisque tricies soldum.*] De insulis satis superque sup. ad lib. spectaculorum, epigr. 1. nu. 5. soldum, id est, solidum, quod alibi plenum lib. 1. ep. 100.

Non plenum modo vicies habebat.

C 3 EX *pecore redeunt ter ducena Parmensi.*] Pecus & lana Parmæ multum laudata: ideò hic ostentabat ingentes ex gregibus illis redditus, ex quo loco & versibus seqq. liquet hunc Afrum ostentatorem esse, non autem auarum & sordidum, vt scripsit Raderus, qui vt anteuerteret Martialis petitionem, dicebat multa sibi deberi neque exolui.

4 AVDIRE *gratis Afer ista non possum.*] Id est, non accepta pecunia non libenter te audiam diuitias has ostentantem. De nomine *gratis*, vide quæ diximus sup. lib. 2. ep. 74. Essetque absurdum si Afer hic sordidus nugator esset, petere ab eo pecuniam, vt audiret causas eius indigentiæ.

Ad Gallam. XXXVIII.

D *Galla nega: satiatur amor, nisi gaudia torquent,*
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

RAMIR. DE PRADO.

Monet Gallam vt aliquandiu neget, ne scilicet satietur amor, non tamen perneget, quod esset torquere nimis. Eiusdem argumenti est epi. 58. lib. 1. & inf. 82.

Ad Charinum. XXXIX.

Argenti genus omne comparasti,
Et solus veteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopæque,

Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores:
*Nec desunt tibi * vera Glaniana,*
Nec quæ '' Gallaico linuntur auro,
Nec mensis anaglypta de paternis.
Argentum tamen inter omne miror,
Quare non habeas, Charine, purum.

* bera Petrus Pithœus Aduersariorũ subsecivorũ lib. 1. cap. 16.
'' Callaico, Aldinum exemplar. Sic infrà li. 10. epigr. 16. & l. 14. epig. 95.

DOMITIVS.

ARGENTI] Charinus multa pocula habebat, & variè sculpta: hisque gloriabatur. Argentum purum dicitur argentum illaboratum, & argentum purum, quod ad nullos spurcos vsus adhibetur: vt Pomp. scribit. Charinus erat cunnilingus. Cùm ergò potaret his poculis, non poterant videri pura, quia os fœtidum erat: iocans Martial. ambiguitate verbi, ait eum non habere argentum purum, cùm Charinus intelligat illaboratum. Mart. fallit, & intelligit eum non habere ea pocula pura, quia cùm sit cunnilingus, non possit nisi spurcè illis vti.

GLANIANA] Pocula ab authoribus & magistris officinarum nomina sumebant, vnde alia Clodiana, alia Firmana, alia Glaniana à Glanio sculptore.

LINVNTVR *auro*] Hoc est, illud genus poculorum: de quo Plin. Iam figuras in poculis circumlini auro quærimus. Aurum Callaïcum subtile erat, huic vsui accommodatum.

ANAGLYPTA] Pocula excisa in asperitatem dicuntur, nam anaglypho significat sculpo.

PVRVM] Quia nullum purum habere potes, cùm sis cunnilingus: nam omnia spurca reddis ore, & vsu. Fuisse Charinum cunnilingum antè indicauit eo versu,

Cunnum lingis Charinus, & tamen pallet.

GEORGIVS.

NEC *quæ Callaico linuntur auro*] Plinianam lectionem inuenerit, siquidem totum de anaglyptis legitur, nam anaglypta, asperitatemque excisam circa linearum picturas quærimus, quam Plin. lectionem impurus hic homo, vt pleraque alia corrumpit, vasa verò illita auro Callaico erant phialæ cælatæ auro addito, de quibus infra idem Poëta ait,

Quamuis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis, nam meus iste labor.

RAMIR. DE PRADO.

Longa sustentatione desinit in paradoxon, quod continet scomma in Charinum, quem lib. 1. epi. 78. cunnilingum appellauit. Enumerat varia cælati argenti genera, quæ possideri à Charino dicit, & inter ea miratur non esse argentum purum.

1 ARGENTI *genus omne comparasti.*] Nomine *argenti*, omne factum argentum intellige, id est, vasa argentea. docet Paulus l. quæsitum. 78. §. illud. 4. ti. de leg. & fideicomm. 3. cuius verba operæpretium est describere, vt subtilissimam iurisconsulti rationem hac in re animaduertas. *Illud*, inquit, *fortasse quæsiturus est aliquis, cur argenti appellatione factum argentum comprehendatur? cum si marmor legatum esset, nihil præter rudem materiam demonstratum videri posset. Cuius hæc ratio traditur: quippe ea quæ talis naturæ sunt, vt sæpius in sua redigi possint initia, ea materiæ potentia victa numquam vires eius effugiant.* Quæ lo-
A quendi formula etiam obseruatur à Nostro multis in locis, vt argenti nomine vasa argentea significet, sic lib. 7. ep. 85.

——nulla venit à me
Argenti tibi libra postulati.

Et lib. 8. epigr. 71.

Quatuor argenti libras mihi tempore brumæ
Misisti, ante annos, Postumiane, decem.

Argentum verò factum, quod dixi paulò ante significare vasa argentea, ostendit Vlpianus in l. cum aurum. 19. §. argento 9. ti. de auro & arg. leg. his verbis: *argento facto legato, Quinctus Mutius ait vasa argentea contineri.* & idem repetit in l. Quinctus Mutius. 27. eiusd. tit.

2 ET *solus veteres Myronis artes.*] Enumerat varios cælandi argenti artifices, quorum archetypa gloriabatur Charinus se comparasse. Qui omnes noti sunt ex veteribus monumentis, & præcipuè ex Plinio, qui B patriam, ætatem, mores & artificium cuiusque describit accuratè, à quo petenda hæc sunt.

3 NEC *desunt tibi vera Glaniana.*] Mirè variant hoc loco & codices & interpretes. Alij *Graniana*, à Granio, alij *Gratiana*, vt est apud Plinium 33. lib. cap. 11. Raderus putat retinendum *Glaniana*. quod Glanus fluuius Latij sit, *Liris* appellatus, à quo fieri potest, vt *Glaniana* dicantur: quod concederem libenter si de piscibus, sed vasa cælati argenti non video, quî possint à fluuio denominari. Ego sustineo assensum, quoad vsque aliquid inueniam. Nam *Glaniana vasa* nusquam memini me legisse. *Vera* autem retinendũ omninò, cum sit oppositum adulterinis. Solebant enim auari artifices veterum manus plerumque imitari, & inscriptiones effingere, quo preciosiora vasa fierent, quod archetypa imitatis præferrentur, vt in lapidibus veros appellant adulterinis contrarios, vt C lib. 9. epigr. 60.

Sardonychas veros mensa quæsiuit in omni.

Et lib. 10. epig. 87.

Veros Sardonychas sed ipse tradat.

4 NEC *quæ Gallaico linuntur auro.*] *Callaico* legendum omninò. Estque aurum Callaicum Hispanum, ad deaurandum argentum probatissimum, vt lib. 14. ep. 95. de phiala aurea cælata.

Quamuis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis, nam meus iste labor.

5 NEC *mensis anaglypta de paternis.*] Anaglypta vasa sunt in asperitatem excisa, vt scribit Plin. dicto lib. 33. cap. 11. quæ aspera vocat Iuuenal. sat. 14. vers. 62.

Hic leue argentum, vasa aspera tergeat alter.

Signis enim reddebantur aspera. Virgil. lib. 5.

Cymbraque argento perfecta, atque aspera signis.

De mensis paternis dixit, id est, de mensis patrum veterum, quæ antiquitate ipsa commendabantur, vt lib. 8. ep. 6. in Euctum, & 34. eiusdem libri, quo nomine vsus est Iuuen. sat. 6. vers. 355.

D *Hæc tamen argenti superest quodcunque paterni,*
Leuibus athletis ac vasa nouissima donat.

Id est, donat athletis vasa vetera patrum suorum ac nouissima, vbi etiam vides argenti vocabulo vasa comprehendi.

6 QVARE *non habeas Charine purum.*] Ambiguitas in nomine *purum*. Argentum purum non est cælatum, vt colligitur manifestè ex verbis Pauli l. si in rem. 6. ff. de rei vind. quæ sunt: *Quamuis & in vasis occurrat difficultas, vtrum lancem dici oporteat, an etiam quadrata, vel rotunda, pura, an cælata sint.* Vbi vides pura contra poni cælatæ. Hinc intelligendus Iuuenalis satyr. 9. vers. 141.

———*argenti vaſcula puri,*
Sed quæ Fabricius Cenſor notet.

Et ſat. 10. verſ. 19.

Pauca licet portes argenti vaſcula puri.

Et purum argentum eſt, quod ab ore impuro intactum eſt, quod non poterat habere cunnilingus hic Charinus, cum omnia vaſa ſuo ore impuraret.

Ad Poſtumum. XL.

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto,
Et docti Senecæ [*] *ter numeranda domus.*
Prætulimus tantis ſolum te, Poſtume, regnis:
Pauper eras, & eques, ſed mihi conſul eras.
Tecũ ter denas numeraui, Poſtume, brumas: B
Communis nobis lectus & vnus erat.
Iam donare potes, iam perdere, plenus honorum,
Largus opum: exſpecto, Poſtume, quid facias.
Nil facis: & ſerum eſt, alium mihi quærere regem.
Hoc fortuna placet? Poſtumus impoſuit.

[*] Propter Senecam rhetorem & philoſophũ, & Lucanum Poetam.

DOMITIVS.

ATRIA] Poſtumus vetus Martial. amicus, nam vnà vixerant xxx. annis, nunc factus diues nihil dabat. Conqueritur Poëta, quòd exacta iam ætate, alium dominum quærere non poſſit, & Poſtumus nihil mittat. C

TOTO *ſtemmate*] Cum omnibus imaginibus, quæ in atrijs ſeruabantur.

TER *numeranda*] Hoc propter duos Senecas dicit, & vnum Lucanum, nam tres ex ea domo docti fuerunt.

TER *numeranda*] Id eſt trium virorum laude illuſtrata. Alibi:

Duoſque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

REGNIS] Dominis, nam Poëta regem dominum ſæpenumero appellat.

CONSVL] Non aliter te colebam, quàm ſi fuiſſes conſul.

TER *denas brumas*] i. xxx. annos.

PERDERE] Adimere aliquid tibi.

LARGVS *opum*] Affluens opibus. D

IMPOSVIT *mihi*] i. decepit me, quia non dat, & ita decepit cùm ſperauerim daturum; ſed Poëta fallit, & intelligit quòd Poſtumus factus erat diues, cùm nunquam eſſe deberet, ita decepit me: vel impoſuit tibi fortuna, quòd eum diuitem feciſti, & diuitijs non bene vtitur. huiuſmodi homines fallaces, & decepiſſe Deos, vel fortunam dicuntur alibi. *In ius ò fallax, atque inficiator eamus:* Cùm de homine diuite & auarè viuente loqueretur.

RAMIR. DE PRADO.

Ingrati animi crimen obijcit Poſthumo, quem cũ triginta annos pauperem coluiſſet, relictis alijs diuitibus patronis, diues iam & potens factus, nihil Poëtæ largiebatur. Expoſtulat cum Fortuna, quæ Poſthumum impoſtorem beauerat. A

1 ATRIA *Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.*] *Atria* dixit, quod in his nobilitatis inſignia à veteribus collocabantur, quæ duplicia erant, cereæ imagines & ſtemmata, de quibus Plinius plene libro 35. capite 2. his verbis: *Aliter apud maiores in atrijs hæc erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra aut marmorea, expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armarijs, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vmquam fuerat, populus.* Stemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas. Vnde colligo diuerſas eſſe imagines cereas ab ſtemmatis, in quibus imagunculæ pictæ erant, non enim rectè dixiſſet Plinius, imagines pictas de cereis. dixerat idem antea Seneca lib. 3. de beneficijs, cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant.* Vtrumquè inſigne comprehendit Iuuenalis initio ſatyr. 8.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Aemilianos?

Ecce ſtemma depictum, nunc ſequuntur imagines cereæ vetuſtate exeſæ & mutilæ:

Et Curios iam dimidios, humeroque minorem
Coruinum, & Galbam auriculis, naſoq; carentem.

Stemmata autem quî fierent, docet Paulus l. ſtemmata. π. de grad. affinitatis. Στέμματα, inquit, *cognationum directo limite in duas lineas ſeparantur, quarum altera ſuperior, altera inferior: Ex ſuperiore autem & ſecundo gradu tranſuerſæ lineæ pendent.* Ab his lineis ſtemmatum vocamus Hiſpani genus, *linaie*, quaſi *lineaie*. quod lineis continuetur ſeries familiæ. Hæ lineæ oculorum gratia ramuſculis pictis diſtinguebantur. Iſidorus lib. 9. cap. 6. *Solent,* inquit, *Aduocati ſtemmata, ſiue ramuſculos facere in genere, cum gradus cognationum partiuntur.* Hinc Perſius ſat. 3. verſ. 28. C

Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis.

Ducere ramum dixit, id eſt, ducere originem. Vnde etiam recentiores Iuriſconſulti arborem dicunt conſanguinitatis, ſeriem cuiuſcunque generis. His ramuſculis fiebat ſtemma in modum coronæ: vnde nomen ſtemmatis deductum à στέφω, quod eſt corono. De cereis autem imaginibus habes collectanea doctiſſimi Lipſij, lib. 1. Electorum cap. 9. Conſtat igitur ex his imagines armariolis incluſas fictas eſſe è cera, imagines verò inſertas ſtemmati pictas fuiſſe. Stemma ergo totum dixit Poëta, pro magna illa Calphurniorum familia, quæ nobiliſſima fuit, cuius cognomentum Piſonum. *Stabant* verò ſignificat florebant, vt apud Virgil. lib. 2. Æn. Sinon de Palamede inquit: D

Dum ſtabat regno incolumis, regnumque vigebat
Conſilijs.

Et Ouid. lib. 1. triſtium, elegia 8.

Dum ſtetimus: turba quantum ſatis eſſet habebat
Nota quidem, ſed non ambitioſa, domus.

Cicero lib. 1. epiſt. 1. *Declarareque maluerim,* (inquit) *quanta vis eſſe potuiſſet in conſenſu bonorum, ſi ij pro me ſtante pugnare non deſtitiſſent, quum afflictum excitare potuiſſent.* Eſt metaphora ab hominum ſtatu, qui dum incolumes ſunt, ſtare poſſunt, labefactati corruunt & cadunt, vnde cadauer, mortuum corpus.

2 ET *docti Senecæ ter numeranda domus.*] Lib. 1. epi. 62. ad illos verſus,

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Diximus hunc versum de his tribus solere explicari. De Seneca patre, qui Rhetor dicitur, de Seneca filio, qui Philosophus, & de Lucano Poëta nepote Rhetoris ex Mela. Quamuis Martinus Delrius doctissimus vir in commentarijs ad Senecam Poëtam existimat hoc versu tres Senecæ Rhetoris filios intelligi debere, qui clarissimi fuerunt. Vide Senecam Philosophum & Tragicum, Annæum Nouatum, siue Iunium Gallionem, Annæum Melam patrem Lucani; hoc sequitur Raderus, & secum facere Gyraldum dicit. Sed nemo ex his animaduertit aliam multo maiorem esse in hoc loco difficultatem. Quis scilicet Martialis tempore Senecæ domum possideret, qui aliquo esset nomine & pretio, & posset coniungi à Poëta cum nobilissima Calphurniorum familia? nam Lucanus qui vltimus fuit in illius familiæ splendore, iam fuerat, antequàm Martialis innotesceret, à Nerone occisus: neque est credendum in re seria, quale est huius epigrammatis argumentum, poëticè cõfixisse historiã. Ego existimo Senecæ domũ hãc nobilem fuisse, propter Pollam Lucani vxorem, quæ vidua Martialis tempore mortuũ maritum summo studio colebat, eiusque natalem diem celebrabat, vt constat ex epigrammatis 20. 21. & 22. lib. 6. scriptis ad eandem Pollam de die natali Lucani. Credibile ergo est Martialem poëtam voluisse poetriam Pollam viduam celebrem, & locupletem colere vtilitatis caussa, & de ea domo intelligendum puto versum hunc, *Ter autem numeranda domus.* non credo dictum caussa trium Senecarum, aut duorum & Lucani, sed significare more Græco valde numerandam domum, id est, memorandam.

3 PRÆTVLIMVS *tantis solum te Posthume regnis.*] Tantis regnis, dixit per metonymiam, pro tantis regibus. Reges enim appellabant amicos magnos, quos colebant, vt sæpè dictum est, & in vltimo disticho huius epigrammatis.

——*& serum est aliũm mihi quærere regem.*

4 COMMVNIS *nobis lectus & vnus erat.*] Locus facilitate ipsa subobscurus. Dubito cur Poëta addiderit verbum illud *vnus.* Quî potest lectus communis esse non vnus? Sic me expedio. Communis lectus esse potest duobus amicis, & non vnus tantùm: potest enim vterque suum lectum habere & cubare simul, altero relicto vacuo, vt quoties libuerit, possint separari. Hoc quamuis sit signum arctissimæ necessitudinis, non tamen tantæ, quanta illorum est, quibus duobus tantum vnus est lectus, qui nullo casu possunt distrahi & seiungi. Perduxit igitur Poëta his verbis, *communis & vnus lectus*, ad summam amicitiæ significationem.

5 HOC *Fortuna placet?*] Expostulat cum Fortuna, cui hominum felicitates tribuuntur, quam appellat Deam cœcam, inf. epigr. 51. Cui etiam insultat sequentibus verbis.

——*Posthumus imposuit.*

Quasi annuat fortunam eo fine diuitias dedisse Posthumo, vt liberalis in amicos esset: Is autem illas adeptus auarus factus fuerat.

ᵃ In malè recitantem. XLI.

ᵃ v. In Poëtam malè.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conueniunt nostris auribus ista magis.

DOMITIVS.

QVID] Sensus acutus est, & apertus in malum recitatorem, & raucum.

AVRIBVS *nostris*] Ne audiant te malè recitantem.

VELLERA] Per vellera intelligit focale. Nam recitaturi ne clamore obstrepentium terrerentur, adhibebant auribus genus ligaminis, quod focale appellarunt. Fabius Quint. l. 11. Focalia, & ligamenta aurium sola excusare potest valetudo. Hæc ait cùm de recitaturis scriberet. Hoc verbo vsus est Horat. in sermon. & poëta in distichis,

Si recitaturus dedero tibi fortè libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

NOSTRIS *auribus*] Ne quid de te audiamus. Focale à faucibus, quibus hæret, dicitur.

RAMIR. DE PRADO.

Perstringit malum Poëtam recitaturum qui vocis gratia collum fouebat velleribus, quæ dicit æquius fuisse auribus auditorum imponi, ne scilicet malis versibus offenderentur, quod verius puto, quam intelligi de male recitante, vt est in lemmate, quo ioco vrbanè in se vsus, & lib. 14. epi. 142. cuius lemma, *focale.*

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

Vbi nota *focale* non esse aurium tegmen, vt quidam pessimè ex hoc loco colligunt. Sunt enim *focalia*, vellera, siue lanæ quibus fauces fouebant præcipue recitantes, ne raucescerent, dicta à faucibus vt sit *focale* quasi faucale. quod ad fauces solas religandas vtile esset: & hoc loco vrbane Martialis vult ab auditore circumdari auriculas focali, ne versus audiat.

Ad Flaccum. XLII.

Si quis fortè mihi posset præstare locanti:
Audi, quem puerum, Flacce, locare velim.
Niliacis primùm puer hic nascatur in oris:
Nequitias tellus scit dare nulla magis.
Sit niue candidior: namque in Mareotide fusca
Pulchrior est, quanto rarior iste color.
Lumina sideribus certent, mollesque flagellent
Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.
Frons breuis, atque modus breuibus sit naribus vncis:
Pæstanis rubeant æmula labra rosis.
Sæpèque nolentem cogat, nolitque volentem.
Liberior domino sæpe sit ille suo.
Et timeat pueros, excludat sæpe puellas.
Vir reliquis, vni sit puer ille mihi.
Iam scio, nec fallis: nam me quoque iudice verum est.
Talis erat, dices, noster Amazonicus.

DOMITIVS.

SI *quis*] Ad Flaccum de electione pueri, quem velit in oris Niliacis, Ægypti.

NEQVITIAS] Blanditias lasciuiores.

MOLLES *coma*] i. demissæ.

TORTAS] Crispas.

ÆMVLA] Certantia.

PÆSTANIS *rosis*] Pæstum oppidum in Lucania, vbi rosæ bis in anno proueniebant.

RELIQVIS *sit vir*] i. cæteris neget.

MIHI *vni puer*] i. det mihi.

AMAZONICVS] Puer Flacci talis erat, fictum nomen vel propter Hippolytum filium Amazonis pulcherrimum, vel ab ἅμα. i. simul & ζῶ. i. viuo. i. puer vitæ comes.

RAMIR. DE PRADO.

Laudat Flacci puerum Amazonicum artificiose. describit enim quem optabat puerum, & post longam descriptionem, talem fuisse Amazonicum affirmat.

1 S I *quis forte mihi possit præstare locanti.*] In al. codicib. legitur, *roganti.* & seq. vers. in aliquibus, *rogare.* Vtraque lectio probari potest: nam quemadmodum pueri prostituebantur in lupanari, vt dicemus ad epigr. 7. & 9. lib. 9. & ad 46. lib. 11. sic credibile est solitos esse locari & etiam gratis commodari. Commodatò autem petere per verbum *rogandi* exprimitur. Cicero in Verrem, lib. 2. *Quæ postea quam ille omnia abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo.* Vbi *rogando* est, commodata petendo, & Noster sup. ep. 15.

Mille tibi nummos hesterna luce roganti,
In sex aut septem Cæciliane dies.

Et paulò pòst,

——lancem paucaque vasa rogas.

Sic Martialis Rufo scribit se tonsorem puerum commodasse epigr. 52. lib. 8.

Tonsorem puerum, sed arte talem,
Qualis nec thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbæ,
Aequandas semel in genas rogatus,
Rufo, Ceditiane, commodaui.

Potuit igitur Poëta optare puerum vel locatum vel commodatum: itaque vtraque lectio retineri potest.

2 NILIACIS *primum nascatur in oris.*] Id est, sit Ægyptius.

3 NEQVITIAS *tellus scit dare nulla magis.*] Nequitiæ sunt lasciuiæ & improbitates Venereæ, quæ per μείωσιν nequitiæ appellantur: deducitur enim nomen hoc à nequam, quod fit per syncopen ex nequicquam, quod significat sine fructu: quotiesque vanam rem significare volebant, nequam eam appellabant, vt *hominem nequam*, id est, nullius pretij, cumque honeste significare volebant luxuriosum, lasciuum, fœdifragum, nequam appellabant. Sic dicimus Hispani, *hombre de poco.* id est, nullius virtutis. nec est, vt Grammatici existimant, epitheton, sed neuter accusatiuus pendens à præpositione circa, id est, κατά. Hinc deducitur nequitia eadem significatione, sed frequentius vsurpatur hoc nomen pro lasciuia, & Venerea improbitate. Imitamur hoc Hispani pro eadem re cum dicimus *niñerias*, hac formula *hizo le las niñerias*, id est, miscuit se illi. Esse autem Ægyptios his moribus præditos constat innumeris vete-

A rum scriptorum testimoniis: Ouidius libro 1. Tristium, elegia 2.

Non vt Alexandri claram delatus in vrbem,
Delicias videam, Nile iocose, tuas.

Et Statius libr. 3. syluarum in propemtico Mecij Celeni:

Curve Terapnæi lasciuias ora Canopi.

Et Iuuenal. sat. 15. vers. 44.

——horrida sane
Aegyptus, sed luxuria, quantum ipse notaui,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.

Et sat. 6. vers. 84. Hyperbolicōs dixerat:

Prodigia & mores vrbis damnante Canopo.

Loquens de Eppia, quæ nupta Senatori, Euryalum Mirmyllonem sequuta fuerat Alexandriam vsque. Flauius item Vopiscus grauis author in Saturnino Ægyptiorum mores describens, eos dicit esse nouarum rerum vsque ad cantilenas publicas cupientes,
B versificatores, epigrammatarios: apponitque Adriani Augusti Epistolam, quâ Ægyptiorum mores ad viuum exprimuntur.

4 NAMQVE *in Mareotide fusca.*] Mareotidem posuit per Synecdochen, pro tota Aegypto, quæ mares & fœminas subfusco colore producit. Vnde prouerbialiter dixit lib. 10. ep. 12.

Niliaco redeas tu licet ore niger.

Vt Hispani dicimus, *vna cara de vngineo.*

5 MOLLESQVE *flagellent colla comæ.*] Molles comas appellat non intortas calamistris, quod subindicat sequentibus verbis:

Tortas non amo, Flacce, comas.

Ideò dixit, *flagellent.* nam cirri non poterant collum flagellare: cum anulatim subrigerent. Eadem laude
C insignitur Eucolpus sup. lib. 1. ep. 32.

Dumque decens fusa lactea colla iuba.

Sic Apollinaris, epist. 1. lib. 1. vbi corporis habitum Theodorici regis describit: *Aurium*, inquit *legula, sicut mos gentis est, crinium superiacentium flagellis operiuntur.* Huiusmodi autem capillorum formationes cuiusque arbitrio fiebant & solebat esse capillorum habitus aliquis peculiaris familiæ toti, atque adeo genti. Suetonius de Tiberio, cap. 68. *Colore*, inquit, *erat candido, capillo pone occipitium submissiore, vt ceruicem etiam obtegeret. quod gentile in illo videbatur.* & de Nerone cap. 51. *Circa cultum habitumque adeo pudendus, vt comam semper in gradus formatam peregrinatione Achaica etiam pone verticem submiserit.* Ouid. lib. 3. Artis:

Alterius crines humero iactentur vtroque,
Talis es assumptâ Phœbe canore lyrâ.

D 6 FRONS *breuis.*] Erat frons breuis in laude, præbet testimonium Horatius, lib. 1. carm. ode 33. ad Tibullum:

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor.

Et epist. 7. lib. 1. ad Mecænatem:

Quod si me nolles vsquam discedere, reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos.

Petronius in descriptione pulcherrimæ Circes frontem minimam ponit, cuius pauca verba operæpretium erit hic describere, à quibus fortè per imitationem desumptum fuit hoc epigramma. *Crines*, inquit, *ingenio suo flexi, per totos se humeros effuderant: frons minima, & quæ radices capillorum retro flexerat: supercilia vsque ad malarum scripturam currentia, & rursus confinio luminum penè permixta: oculi clariores stellis extra Lunam fulgentibus: nares paululum inflexa: & osculum quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Quæ verò fœminæ ampliori erant fronte, solebant angustam

reddere artificio: fronti namque illigabant nimbum, A quo angustior ea videretur. Est autem *nimbus*, vt Isidorus scribit, lib.19.etym. cap.31. *Fasciola transuersa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte fœminarum.* Hinc Plautus *nimbatam* appellat meretricem quæ nimbo ornata esset: in Pænulo, act.1.sc. *Negoci sibi qui volet nauem & mulierem*, &c. vbi Milphio. *Quam magis aspecto*, inquit, *tam magis nimbata est, & nugæ meræ.* & Arnobius lib.2. *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis, fuligine oculos obumbrarent.* Quem locum Plauti explicans Ioannes Meursius Criticarum exercitat. par. 1. ad Pœnulum cap.3. existimat hos nimbos flexis iam capillis retrò alligari, vt minor frons videretur, eosque tam callidè & tanto artificio à fœminis dissimulari, vt ægrè cognosci possent. Hinc esset, quod dicat Milphio, meretricem quò attentius intueretur, eò magis sibi videri nimbatam: imbuebat enim nimbos colore eodem qui esset capillorum: reprehenditque Isidorum, quod B aurum linteo nimborum *assutum* dicat, siquidem eo modo internosci potuisset. Sed meras agit nugas doctissimus iuuenis: quo enim colore infici possent fasciolæ frontales, qui oculos deciperet? aut quomodo sericæ vel linteæ fasciæ capillorum faciem haberent? Fœminarum cosmetica continentissimus iuuenis ignorabat: Apud nostrates notiora hæc sunt, & ex nostro more antiquum minuendæ frontis artificium facilè deprehendemus. Capillos à vertice in faciem demittunt, fasciola deinde serica vel linea frontem ligant, comprehensis subtus capillis, quos deinde retro flectunt, & fasciola interiori eos detinente frons breuior videtur. Hinc intellige Petronij deliciarum arbitri in hoc artificio scientiam: Dixit enim de Circe, *frons minima, & quæ radices capillorum retrò flexerat*, ne scilicet existimaret inuidus aliquis minimam illam frontem à nimbo esse, & capillos non à radicibus, sed à fasciola arcta retrò flexos. Vnde non existimo iure reprehendi sanctissimum Hispanum C nostrum Isidorum: fasciolæ enim illæ quò solidiores & firmiores essent, intexi auro poterant.

7 ATQVE *modus breuiter sit naribus vncis.*] Ordo est, naribus breuiter vncis sit modus. Duo innuit, alterum moderatum debere esse nasum: alterum flexuram illam modica vncitate decoram, vt supra dicebat Petronius: *nares paululum inflexa.* & Sidonius dicta epist.2.lib.1.de Theodorico rege. *nasus*, inquit, *venustissime incuruus.*

8 SÆPEQVE *nolentem cogat, nolitque volentem.*] In re Venerea hæc pugna gratissima esse solet, vt sæpe excitentur, & quasi cogantur nolentes, sæpéque volentes, quò magis incendantur, ad tempus frustrentur, vt lib.5.epig.penult.

Insequeris, fugio, fugis, insequor, hæc mihi mens est.
Velle tuum nolo, Dyndime, nolle volo.

Et eod. lib.47. epigr.

Basia dum nolo nisi quæ luctantia carpsi,
Et placet ira mihi plus tua, quàm facies.

9 ET *timeat pueros, excludat sæpe puellas.*] Placet enim amatoribus zelotypia eorum quos amant, cum ea non aliunde, quam ab amore proficiscatur. D

10 VIR *reliquus.*] Sic vocabant eos, quos iam ad rem Veneream inhabiles volebant significare: exuerant enim puerilem ætatem, quæ τῇ ᾿ἀνδρείᾳ sola patiebatur. Vnde sup.lib.1.ep.32.

Tonsum fac citò, serò virum.

11 IAM *scio*, &c.] Fingit respondere Flaccum, & vere talem fuisse suum Amazonicum. illud *nec fallis*, formula vetus est, pro verum dicis. Dicebant enim veteres, *si sciens fallo*, id est, nisi verum dico.

In Coracinum. XLIII.

Non dixi, Coracine, te cinædum:
Non sum tam temerarius, nec audax,
Nec mendatia qui loquar libenter.
Si dixi, Coracine, te cinædum,
Iratam mihi Pontiæ lagenam,
Iratum calicem mihi Metelli.
**Iuro per Syrios tibi * tumores,*
Iuro per Berecintios furores,
Quod dixi tamen hoc leue, & pusillum est:
Quod notum est, quod & ipse non negabis.
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

* Vide Philippi Beroaldi annotationes in Martialem Centuria prima.
* v. timores.

DOMITIVS.

NON] Iocatur in Corac. quem cum mollem ille dixisset iratus est, quasi eum appellasset cinædum: iurat Mart. se eum non appellasse cinædum, sed dixisse id quod parùm est, & quod ipse non negabit, hoc est cunniliugum.

PONTIÆ *lagenam*] Pontia venefica erat, infrà de dapibus ab ea missis:

Has ego non mittam Pontia, sed nec edam.

Lagena nonnunquam veneficio ministerium præstabat. Infrà de eo qui necauerat vxorem veneno:

Diceris hac cælebs factus tamen esse lagena.

IVRO *per lagenam Pontiæ*] Id est, per Pontiam veneficam: nam per res contrarias solemus aliquandò iurare.

IVRO *per calicem Metelli*] Idem iusiurandum vt de Pontia, nam Metellus veneficus.

SYRIOS *tumores*] In Syria authore Lucian. colebatur Dea, cuius sacerdotes in sacrificijs inter se digladiabantur, quemadmodum Corybantes in sacris magnæ Deæ. Ipse sentit fuisse Iunonem, quæ ita illic colebatur: extat eius oratio, quæ inscribitur de Dea Syria. Dea item Syria Romæ colebatur, vt meminit Tranquil. in Nerone, vel per Syrios tumores. i. per sacra Isidis Syriæ, quæ Romæ colebatur: nam per hæc duo numina grauissimè iurabant per Cybelem, & Isidem: alibi,

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bouem iuuencæ.

Id est Isidis: vbi ita coniunxit Cybelem, & Isidem, vt hoc loco. Tumores dixit, quoniam epithetum Syriorum: alibi Syros tumentes appellauit: & alibi, *Agrippa tumidus negociator*, iuratur. Item per Isidem apud Iuuen. nam sistro ferire putabatur: hæc vnica sententia mihi placet, in qua scio multos delirasse.

FVRORES *Berecyntios*] i. Cybeleios: nam in sacris magnæ Deæ sacerdotes furebant.

GEORGIVS.

IVRO *per Syrios tibi*] Deam Syriam manifestè docet esse Isidem. Apuleius in Metamorph. Cuius sacerdotes fanatici per plateas, & oppida cymbalis, & crotalis personantes, tum ancipiti ferro brachia dissecantes, aut morsibus suos musculos incursantes, stipes æreas, argenteásque multis certatim afferentibus

rentibus sinu recipiebant patulo, de quorum quæstu plura idem scriptor tradit. A

Syrios *tumores.*] An alij delirauerunt dicere non possum, cum illorum scripta non viderim, sed te omnium delirantissimum planè appellauerim. Disce quæso quid sint Syrij tumores. hi profectò quos Dea Syria, de qua suprà diximus, incuteret: quam rem ex Persio cognoscere possumus, ait enim superstitiones damnans:

Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos
Incussere Deos inflantes corpora: si non
Prædictum ter mane caput gustaueris alli.

Nam Galli & Isidis & Cybeles sacerdotes erant.

RAMIR. DE PRADO.

Est faceta quædam in Coracinum illusio expressa per suspensionem, quæ desinit in paradoxon. Negat enim quod minus est probrum: & fatetur quod est maius. Similis iocus refertur à Quinctiliano de Iunio Basso, lib. 6. cap. 3. qui quærente Domitia Passieni, quod incusans eius sordes, calceos eam veteres diceret vendere solere. *Non me hercule* (inquit) *hoc vnquam dixi, sed emere te solere.* Simile est etiam epig. 28. lib. 2. in Sextillum. B

1 Iratam *mibi Pontia lagenam, Iratum calicem mibi Metelli.*] Deest, *velim*, aut, *experiar*, aut, *sentiã*, aut aliud simile. Nec sequaris Domitium qui hæc coniungit cum verbo, *vro*, ineptè. De Pontia iam sup. dictum est, ad epig. 34. lib. 2. quæ aconita vt Iuuenalis ait, miscuerat filijs suis: hoc autem fieri solere in lagena manifestum est, ex epig. inf. 69.

Dicerus hac factus cælebs quater ipse lagenâ.

Et lib. 12. ep. 95.

Suspiras, ratio est, times lagenam.

De Metello autem non memini me alibi legisse aliquid, forte fictum nomen est, & affixum alicui venefico. Est ergo imprecatio quædam, qua, vt neget se appellasse Coracinum hunc Cinædum, imprecatur sibi venena, quæ Pontia & Metellus solebant præbere. C

2 Ivro *per Syrios tibi tumores.*] Occasionem dedit hic locus interpretibus rixandi. Domitio & Merulæ non conuenit de sensu eius. Nam Domitius existimat tumores Syrios, ad tumentes Syros debere referre, quod hi tumidi & superbi audiant à veteribus. Reprehendit eum Merula cupidè, sed iure. & *Syrios tumores* accipit pro morbis immissis à Cybele, quibus corpora inflarentur, adducitque locum Persij, sat. 5. vers. 186.

Hinc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos,
Incussere Deos inflantes corpora: si non
Prædictum ter mane caput gustaueris alli.

Vbi multi *Deos corpora inflantes*, enumerant, Hippo. Cybelen, & Isidem immittentes eos morbos, qui corpora inflent. Sed ego veriorem existimo Beroaldi sententiam, qui hoc loco *tumores Syrios*, accipit pro tumoribus prouenientibus ex verberibus & vulneribus, quæ sibi Galli, fanaticum furorem simulantes, infligebant. Quam rem graphicè depingit Apuleius, lib. 8. Metamorph. de quibus etiam locus sup. adductus Persij commodè & planè intelligi potest. *Syrios* vocauit, quod Cybele Dea Syria vocabatur, de qua extat elegans liber Luciani. Dicitur etiam eadem Dea Berecynthia. Ideò subiungit: *Iuro per Berecynthios furores.* Qui sunt ijdem quos Galli simulabant. D

3 Qvod *dixit tamen leue & pusillum est.*] Auget his omnibus suspicionem, quò subiungat magis ridiculè maius illud crimen cunnilingi.

De Vesuio monte. XLIV.

Hic est pampineis viridis modò Vesuius vmbris:
Presserat hîc madidos nobilis vua lacus.
Hæc iuga, quàm Nysæ colles, plus Bacchus amauit:
Hoc nuper Satyri monte dedere choros.
Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi:
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
** Cuncta iacent flammis, & tristi mersa fauilla:* * Vide Plin. lib. 6 epist. ad Tacitum de Vesuuij incendio.
Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

Idem Græcè.

Βέσβιός ἐστιν ὅδ᾽ ἄρτι καὶ ἀσκιος οἰνοπέδοισιν.
Ὧι δὲ τρύγη λήνοις κλύσεν εὐστάφυλος.
Ταῦτ᾽ ὄρε᾽, ἢ Νύσσην πολὺ μᾶλλον φίλατο Βάκχος·
Ἐν λόφῳ ἦν Σατύρων τῷδε χορεστασίη.
Κύπριδος ἦν ὅδ᾽ ἕδος πολὺ φίλτερον, ἢ Λακεδαίμων·
Χῶρος ὅδ᾽ Ἡρακλέους κλήζετ᾽ ἐπωνυμίῃ.
Πάντα δ᾽ ὑπὸ σποδιῇ, φλογί τ᾽ ἤμυσεν· οὐ ῥὰ ἔπισι
Τοιούτου πάθεος καὶ μετάνοια θεοῖς.

DOMITIVS.

Hic *est*] Puto hoc epigramma factum in gratiam Titi Vespasiani, nam authore Tranquil. imperante Tito, inter tristia quæ acciderunt hæc sunt, conflagratio Vesuuij montis in Campania, & incendium in vrbe triduo, & totidem noctibus. Mart. igitur deplorat conflagrationem montis, vt seruiat imperatoris affectui.

Vesvivs] Mons in Campania vbi emittebantur incendia superioribus temporibus, vt Strab. scrib. & quod mirum videatur, erat viribus consitus. Pöeta appellauit Vesuium à conflagratione, nam Vesuia dicuntur fauillæ. Silius:

Sic vbi vi cæca tandem deuictus ad astra,
Euomuit pastus per secula Vesuius ignes.

Lacvs] Torcularia.

Satyri] Comites Bacchi.

Sedes *Veneris*] Quia illic templum Veneris & templum Herculis erat, qui interfecerat gigantes.

Cvncta] Omnia ornamenta huius montis.

Mersa *tristi fauilla.*] Nam fauillæ post incendium diù fuerant.

RAMIR. DE PRADO.

Vesuuij vel Vesuij montis, quem alij *Vesenium*, vel *Vesbium* vocant, incendium deplorat. Est no-

tissimus mons in Campania fœlici, in Cumanis, de quo omnes Geographi, & ex recentioribus copiose scribit Leander Albertus in descriptione Italiæ. De eius incendio Suetonius in Tito, cap. 8. Papinius, Silius, Dio, Eusebius. & alij multi: Hoc incendio extinctus fuit celeberrimus & luculentissimus Naturalis historiæ author Plinius 2. Veronensis, cuius casum describit accuratè Plin. iunior, lib. 6. epist. 16. ad Tacitum.

1 Hic *est pampineis viridis modo Vesuuius vmbris.*] *Viridis modo* dixit, vt deinde subiungeret antithesin:

Cuncta iacent flammis, & tristi mersa fauilla.

Vmbris pampineis. Metonymia est. tribuitur enim effectui id, quod caussæ est. Vmbra siquidem omnis nigra: pampini, ex quibus vmbra virides. Notauit autem in hoc montis eius fertilitatem & vinearum prouentum. Qui hodieque celebris est in Italia summa copia Græci vini. Vocaturque hic mons vulgò, *il Monte di Somma.*

2 Presserat *hic madidos nobilis vua lacus.*] Poëticè dicitur, id est, mustum ex nobilibus vuis expressum impleuerat lacus madidos. Lacus appellat torcularia ipsa.

3 Hæc *iuga quam Nysæ colles plus Bacchus amauit.*] Ob vini nobilitatem Bacchus prætulit Vesuuium montem Nysæ Indiæ monti, vbi ex Iouis femore editus fuit: vnde inuenit nomen Dionysij à Ioue & Nysa deriuatum.

4 Hoc *nuper Satyri monte dedere choros.*] Bacchi Comitatus Satyri & Fauni, qui choreas agebant, in locis amœnis. Eratque eorum locorum summa laus. sic sup. lib. 9. ep. 62. de Platano Cordubensi:

Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni.

5 Hæc *Veneris sedes*, &c.] Erant in Vesuuio monte duo fana, Veneris alterum, alterum Herculis.

6 Cuncta *iacent flammis & tristi mersa fauilla.*] Hoc incendio, vt diximus sup. occidit Plinius. Nec est fides habenda Eusebio, qui scribit duodecimo anno Traiani Imp. perijsse Plinium, dum viseret incendium Vesuuij montis. Nam cum idem Plin. lib. 2. cap. 106. enumeret ea loca ex quibus erumpit ignis è terra, non meminit Vesuuij montis. Vnde colligitur hoc incendium tempore Titi vel primum fuisse, vel à multis seculis repetitum. Non enim latuisset diligentissimo scriptori incendium sui temporis adeò celebre: Sed credibile excitatum fuisse ea fama, vt vellet oculis insigne illud naturæ miraculum perlustrare, vt id litteris mandaret: quemadmodum Plin. iunior in sup. dicta epist. testatur fecisse.

7 Nec *superi vellent hoc licuisse sibi.*] Mira hyperbole, qua Dijs humanum pœnitentiæ tribuit affectum.

Ad Phœbum. XLV.

Hæc tibi pro nato plena dat latus acerra,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius.
Vt qui prima nouo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
Fac rata vota patris: sic te tua diligat vxor,
Gaudeat & certa virginitate soror.
A *Perpetuò sic flore mices: sic denique non sint*
Tam longæ Bromio, quàm tibi Phœbe, coma.

Idem Græcè.

Σοὶ τόδ' ὑπὲρ τέκνου μεστὴ λιβανωτίδι, Φοῖβε,
Παρθένιος δίδοται δῶρα, ἐπεὶ χόλμος.
Ὄφρ' ὁ ὅ τετραετὴς πέμπτῳ λυκάβαντι χαρίαστων,
Νηρίθμους τελέσῃ Βοῦῤῥος Ὀλυμπιάδας.
Κυρῶσ' τὴν εὐχήν· τεὸν ὥς σευ δένδρον ἐρῴη,
Ἥτε κασιγνήτη παρθένιος αἰὲν ἔοι.
B Αἰεὶ δ' ἠβάοις σύ, καὶ οὐ κομέων ὀρέοιτο
Βάκχος σοῖ πλοκάμοις, ἠὲ σύ, μακροτέροις.

DOMITIVS.

Hæc *tibi*] Parthenius cubicularius Domit. filiũ habebat Burrum, cuius natalem celebrat quintum iam annum nati. Martial. adhibet preces hoc epigrammate in gratiam Parthenij: alibi poëta cum rogat Parthenium:

Sic Burrus citò sentiat parentem.

Palatinus] Præfectus cubiculo Domit.

Acerra] Vase thuris. Acerra vas erat vbi ponebatur thus, & vbi reponebantur reliquiæ sacrorum.

Novo *lu.*] i. primo.

Signat] Numerabantur secula apud Romanos à consulibus, vt Marcello consule; apud Græcos C ab Olympicis ludis, qui quinto quoque anno celebrabantur, vt dicerent prima Olympiade, secunda Olympiade. Latini dixerunt lustrum. Poëta in gratiam Parthenij quasi optet longiorem vitam puero, incipit numerare annos non à Consulibus, qui singulis annis creabantur, sed ab Olympiade, qui nũc puer absoluebat quintum annum, & ampliùs est spatium Olympiadis quàm Consulis.

Ratum] Vocabulum sacerdotale est in sacris, nam rata dicebantur quæ Dij probabant.

Vxor] Daphne: ita codex antiquus habet.

Soror] Diana.

Certa *virginitate*] Flore iuuentutis. i. sic semper sis iuuenis.

Bromio] Bacco, nam certabant pulchritudine comarum.

RAMIR. DE PRADO.

D Alloquitur Phœbum in gratiam Parthenij Domitiani cubicularij, cuius filius Burrus quinque annos eo natali die compleuerat. Rogat vt sacrificium libenter accipiat, votoque patris de filio fortunet. De hoc Parthenio & filio Burro mentio est, lib. 5. epigr. 6.

1 Plena *dat latus acerra.*] Prouerbialiter dictum, quo significat abundè datum thus. Est enim, *acerra*, thurarium vas, λιβανωτρίς Græcè, vt est in gloss. quam arculam manibus tenebat in sacrificijs puer, qui in ijs Camillus vocabatur. Formulam sumpsit à Virg. Æneid. 5. vers. 745.

Pergameumque larem & canæ penetralia Vestæ,
Farre pio & plena supplex veneratur acerra.

Eadem etiam vsus est Horat. lib. 3. carm. ode 8.

Quid velint flores & acerra thuris
Plena miraris.

Contra verò parua acerra, significabat pauperum & tenuium sacrificium, qui tribus digitis paucula grana thuris libabant. Ouid. lib. 4. eleg. 8.

Nec qua de parua pauper Dis libat acerra
Thura.

2 PALATINVS *munera Parthenius.*] Palatinum appellat Parthenium, quod cubicularius esset Palatinus Domitiani, vt docet Sueton. in eius vita, cap. 16. & 17.

3 VT *qui prima nouo signat quinquennia lustro.*] Duplici de causa celebrabatur hic dies à Parthenio, & quod natalis esset filio: & quod in eo quinquenniũ expleuisset, quod esset puero primum lustrum, quod spatium quinque annorum est, vt apud Græcos Olympias, vnde sequenti versu,

Impleat innumeras Burrus Olympiadas.

Idem est, ac innumera lustra.

4 SIC *te tua diligat vxor.*] Daphnim intellige, quam perdite Phœbus (vt est in fabulis) amauit, cum ea auersata semper illum fuisset. de voce *sic*. videndus Brissonius de formulis, lib. 1. & infra lib. 7. epigr. 73.

5 GAVDEAT *& certa virginitate soror.*] Perpetuam virginitatem seruasse Dianam & castitatis laudem meruisse, omnium scriptorum testimonio comprobatur. Id autem gratissimum Apollini fratri semper fuit, timuitque aliquando ne secus illa faceret. Sic Oriona, quem ab ea ob temeritatem sagittis confectum, Horat. lib. 3. carm. od. 4. cecinit. occisum esse sagittæ eius ictu in fronte tradit Diocles in lethiferis pharmacis, decepta ab Apolline, qui sponsionem fecerat cum ea, si in notum quoddam si gnum certo sagittam dirigeret, cum ipse probè nosset caput esse aduenientis Orionis, qui tantæ magnitudinis erat, vt à quauis vel maxima profunditate humeros saltem supereminens emitteret. sic Virgilius lib. 10. vers. 763.

——quàm magnus Orion,
Cum pedes incedit medij per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet vndas.

Id autem fecisse Apollinem constat, quod suspicaretur aliquem amoris igniculum in sorore accensum, consuetudine Orionis, quæ etiam illi nubere decreuerat. Ideò Poëta nec obtestatione vtitur, quod gratissima Apollini futura esset certa sororis virginitas.

6 PERPETVO *sic flore mices.*] Florem iuuentæ intellige: Nam Bacchus & Apollo perpetua iuuenta donati sunt, & inter se de pulchritudine, deque comarum prolixitate semper certarunt. Ideo optat in hoc certamine victorem esse Phœbum.

De Sabello. XLVI.

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt. meritò tumet Sabellus:
Nec quenquam putat esse, prædicatque
Inter caussidicos beatiorem.
Hos fastus, animosque dat Sabello,
Farris semodius, fabæque fresæ,
Et turis, piperisque tres selibræ,
Et lucanica ventre cum Falisco,
Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus Libyca gelata testa,
Cum bulbis, cochleisque, caseoque,
Piceno quoque venit à cliente,
Parcæ cistula non capax oliuæ:
Et crasso figuli polita cælo
** Septenaria synthesis Sagunti,*
Hispanæ luteum rotæ toreuma,
Et lato variata mappa clauo:
Saturnalia fructuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

* Per translationem à Martiale dicitur, cum septem vasa Saguntina fictilia intelligat. Vide Turneb. lib. 13. ca. 18.

DOMITIVS.

SATVRNALIA] Sabellum deridet, & reliquos patronos, quorum merces exigua erat Romæ, nisi diuites essent: nam plebs fulgorem diuitiarum in patrono sequebatur potiùs quàm doctrinam. Iuuen. sat. 7.

Quod vocis pretium? siccus petasunculus, & vas Pelamydum:
Aut veteres Afrorum epimenia bulbi:
Aut vinum Tyberi deuectum quinque lagenæ.

SATVRNALIA] i. dona missa in Saturnalibus, ab amicis & clientibus munera mittebantur.

BEATIOREM] Ditiorem.

SEMODIVS] Dimidius modius.

TRES *selibræ*] Vna cum dimidia libra.

LVCANICA] Dicitur, quia in Lucania primum inuenta à militibus, Varro.

VENTRE *Falisco*] Quia in Faliscis inuento, vt Var.

SYRA *lagena defruti*] Genera erant duo vini cocti, quandò mustum coquebatur ad tertiam partem, dicebatur epsema, à latinis sapa, alio verbo syreum. Quandò excoquebatur ad dimidiam partem dicebatur defrutum. Mar. vtriusque fecit mentionem cùm ait, *Lagena syra, & syrei, & defruti.* hoc magis placet quàm si dicas lagenam Syriam. id est vitri, quòd in Syria sit inuentum.

FICVS *Libyca*] Antiqui excogitarunt paruas arbores post autumnum fimo contegere vna cum ficubus, quæ in eis deprehensæ hyeme non poterant peruenire ad maturitatem, eas detectas mitescente cœlo remittebant in lucem & solem, ita ficus maturescebat ante alias illius anni, & hæ appellabantur ficus hybernæ, ipso etiam tactu frigidissimæ. Plin. author est. Propterea appellauit Poëta testam gelatam. Cato primus appellauit hanc ficum Africanam, vndè ait Mart. *Ficus Libyca.* Non enim alia ficus potuisset mitti in Saturnalibus, cum nulla maturesceret. De coctano ficu non potest hoc loco intelligi.

BVLBI] Hi bulbi dicebantur epimenia, vt Iuuenal.

Et veteres Afrorum epimenia bulbi.

PICENO] Cado: è Piceno olim optimæ oliuæ mittebantur secundis mensis, author Plinius.

SYNTHESIS] Vestis erat saturnalitia, & synthesis vas dicebatur vilioris materiei, quòd multa interpollarent: quemadmodum dicimus vas, & materiam venatam, quia venæ intercedant, & interpollent. Synthesis autem dicta, quia non pura sit materia, sed composita, & immista, quemadmodum pura

vasa crystallina dixere contrario verbo asyntheta. Plin. author est.

SAGVNTI] Saguntum terram habebat aptam vasis, vt Samos.

SEPTENARIA] Capax septuncis.

ROTÆ *Hispanæ*] i. rotæ Saguntinæ.

MAPPA] Id est, gausape. Gausape autem vtebantur milites in lectis, postea vestes, toga lati claui cœpit texi in modum gausape. Inde in distichis est penula gausapina, vnde fit vt intelligam hoc loco genus vestis potiùs quàm figuram laticlaui in capite mantilis.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet fastus animosque Sabelli rabulæ, qui donatus fuerat Saturnalibus quibusdam multis xenijs, quæ omnia simul nullius pretij essent: ille verò se diuitem & beatum existimabat. Enumerat ea omnia & describit. Similis irrisio legitur, lib. 7. ep. 52.

1 SATVRNALIA *diuitem Sabellum.*] In Saturnalibus mitti solere dona amicis notissimum est ex omnibus scriptoribus, & ex Macrob. & ex hoc Poëta etiam. Aduocatis & caussidicis mittebantur, vt ex hoc epigrammate colligi potest, iisdem Saturnalibus & etiam Natali die, vt constat ex epigram. 87. lib. 10.

2 FABÆQVE *fresa.*] *Frendere* frangere est. inde *faba fresa*, id est, fracta vt nudetur pellicula illa duriori, qua contecta est faba, sicque fiat mollius & suauius ex ea pulmentum.

3 ET *thuris piperisque tres selibra.*] Tres selibras dixit, vt à tribus missas significaret, & muneris vilitatem irrideret: nam si ab vno missum id munus fuisset, sesquilibram dixisset.

4 ET *Lucanica ventre cum Falisco.*] Lucanica farciminis genus, quod milites à Lucanis didicerunt, vt Varro scribit, lib. 4. de L. L. *Lucanicam*, inquit, *dicunt, quod milites a Lucanis didicerunt, qui & a Faliscis ventrem*, qui venter porcinus est, & fartus frustis porcinæ carnis, pipere & alijs saporibus conditæ. De Lucanica est epigr. 35. lib. 13. Cur autem fœmin. genere efferatur, Charisius Grammaticorum Coryphæus, lib. 1. docet: *Quæcumque, inquit, deriuantur & mediæ sunt potestatis, quonis genere dici possunt: sumunt enim genus ab ijs, quibus coniuncta sunt, vt puta. Lucanicum intelligitur pulmentum & intestinum, & hic lucanicus subauditur botellus, aut apparatus, & hæc Lucanica fœminino genere intelligitur hira, hoc est, intestinũ aut aliud quod vnusquisque intelligere voluerit. Sumptum enim est nomen ab inuentoribus Lucanis.*

5 ET *ficus Libyca gelata testa.*] De ficubus Libycis hibernis scitum est, à Catone Africanas appellatas, quæ causæ fuerunt belli Punici tertij. De Mæsijs quî producantur, videndus Plin. lib. 15. cap. 18. hic autem per hyperbolen vnicam ficum Libycam existimo à Poëta dici missam Sabello. hæc enim ficus magno in pretio habebatur. Quare Aduocato missa vnica est, quia magnis patronis non mitteretur vnica, sed plures: neque esset xenium contemnendum. Quam ficum vt ornaret cliens, gelatam testam refersit bulbis, cocleisque, caseoque. Sic intelligo gelatam testam, non vt accipit Domitius, cui suffragatur etiam Raderus, pro corio ficus duro. Nam si, vt ipsi adstruunt, hæ ficus erant recentes & non aridæ, quî fieri poterat, vt adeo dura contegerentur cute, quæ testa dici posset? gelatamque dixit, quod brumali tempore missa esset.

A 6 ET *crasso figuli polita cælo Septenaria synthesis Sagunti.*] Synthesis compositio est & constructio aliquarum rerum, sed præcipue vestium, vt constat ex Scæuola in L. Titia 38. §. 1. ff. de auro & arg. leg. *Quæro, an ex vniuersa veste*, id est, *Synthesi*, &c. Vnde per Synecdochen Synthesis pro veste sumitur, lib. 5. epigram. 80.

Vndecies vna surrexti Zoile cœna,
Et mutata tibi est Synthesis vndecies.

Et vltimo versu:

Frigus enim magnum Synthesis vna facit.

Sed hoc nomine, vt dixi, vniuersa vestis composita in vestiario vocabatur. Hinc per translationem eleganter Synthesim vasorum appellat, Septenariamque vocat, quod septem vasa Saguntina fictilia contineret. Eadem metaphora vtitur Papinius lib. 4. silu.

B *Aut vnam dare Sythesim quid horres*
Alborum calicum atque cacaborum.

Quæ omnia doctissimus Turnebus notauit verè lib. 23. cap. 19. Saguntina vasa lutea appellat semper Poëta per contemptum, vt lib. 8. ep. 6.

Ficta Saguntino pocula ficta luto.

Ideo *crasso polita cælo* dixit, & *toreuma luteum, Hispanæ rotæ.* Irrisoriè vocat *toreuma*, cum id nomen cœlatis auri argentique vasis tribuatur, vt sup. lib. 3. epigram. 35.

Artis Fidiacæ toreuma clarum.

Et d. ep. 6. lib. 8.

Miratus fueris cum prisca toreumata multum.

Eadem irrisione vtitur in poculis fictilibus missis ad Flaccum, lib. 12. ep. 75.

Nullum sollicitant hæc Flacce toreumata furem.

C 7 ET *lato variata mappa clauo.*] Mappas solere mitti Saturnalibus vulgatũ est, ex lib. 5. ep. 18.

Quod tibi Decembri mense quo volant mappæ.

Et lib. 7. ep. 52. & ep. 71. & lib. 10. ep. 87. inf. ep. 89. Hæ autem vel puræ erant, vel clauatæ, id est, clauis purpureis vel aureis variegatæ. Claui in veste vel lati vel angusti. vnde *latus clauus* Senatoria, *angustus* Equestris vestis. & *latus clauus* pro Senatoria dignitate, vt in L. nuper 42. ff. de donat. int. vir & vx. & *Angustus clauus*, pro Equestri, vt est apud Velleium Paterculum de Mecœnate scribentem, qui Equestri dignitate contentus erat his verbis: *Mecœnas non minus Agrippa Cæsari charus, sed minus honoratus, quippe vixit angusto clauo penè contentus.* Vnde in d. L. 42. I C. differentiam assignat inter laticlauium & Equestrem dignitatem, dum inquit, *vt ecce si vxor viro laticlauij petendi gratia donet, vel vt Equestris Ordinis* D *fiat*, &c. De quibus late dicemus ad lib. 5. ep. 87. Hinc irrisoriè Noster mappam variatam lato clauo missam dicit, pro magno xenio huic rabulæ, quasi dignam quæ Senatori mitteretur. Eodem ioco vtitur Petronius cum mappam laticlauiam dicit his verbis: *Pallio enim coccineo ad rasum incluserat caput, circaque oneratas veste ceruices laticlauiam immiserat mappam, fimbrijs hinc atque illinc pendentibus.* Vbi *immiserat*, pro *strauerat*, dixit non communi notione, vt apud Æliũ Lamprid. in Alex. Seuero: *Conuiuium neque optimum neque nimis parcum, sed nitoris summi habuit. ita tamen, vt pura mantilia mitterentur, sæpius quoque clauata, durata verò nunquam.* &c.

8 SATVRNALIA *fructuosiora*, &c.] Concludit epigramma scommate mordaci in Sabellum, qui decem annis superioribus non habuerat fructuosiora Saturnalia, cum hæc adeò vilia & sordida depinxerit.

De Phaëthonte. XLVII.

Encaustus Phaëthon tabula depictus in hac est.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaëthonta facis?

Idem Græcè.

Ἔγκαυστος Φαέθων γραφεὶς ἐν πίνακι τῷδε·
Τί θέλεις μαθών· δίπυρον τὸν Φαέθοντα ποιεῖς;

Autor hūc Atticismū expressit, Quid tibi vis,

DOMITIVS.

ENCAVSTVS] Encaustice est genus picturæ quod adiumento ignis fiebat. vt in cera, & in ebore, vndè nomen accepit: nam encaustice significat inustricem. quia comburit.

PHAETHON] Hoc genere picturæ vt erat in tabella, ait poëta pictorem iniquè facere, qui cùm semel fuerit combustus Phaëthon, iterùm eum comburat.

ENCAVSTVS] i. ignitis instrumentis eum pingendo.

DIPYRON] Bis combustum, & Dipyron præterea erat instrumentum quo pictores vtebantur, vt scribit Plinius.

ENCAVSTVS] Encaustice pictus.

RAMIR. DE PRADO.

Iocus est in pictorem, qui encaustum depinxerat Phaëthontem, desumptus ex nominum significatu, in quo frequenter hic noster ludit: ἔγκαυστον enim ab igne dicitur, quod ignito cœlo in cera pingerentur imagines, vel etiam in ebore. De quo genere picturæ déque eius inuentoribus & cultoribus multa Plin. lib.35. cap.11. δίπυρος autem bis vstum significat. Cum igitur Phaëthon igne consumptus fuisset, & iterum à pictore igne expressus in cera, dipyron fecisse Phaëthonta per iocum dixit.

In Papilum. XLVIII.

Præcidi gaudes, præcisus, Papile, ploras,
Cur quæ vis fieri, Papile, facta doles?
Pœnitet obscœnæ pruriginis? an magis illud
Fles, quòd præcidi Papile desieris?

RAMIR. DE PRADO.

Est epigramma in Papilium Pathicum, qui præcidi appetebat, & deinde præcisus flebat. Per irrisionem quærit, vtra ex his duabus causa fletus sit: an quòd pœniteat eum obscœnæ illius pruriginis: an quod desinat præcidi.

1 PRÆCIDI *gaudes.*] De verbo præcidendi dictū est, sup. epigr. 72. lib. 2. n. 1. Eadem significatione dicebant vett. *Diuidere.* Vnde natus est communis error in obscuri loci Ciceroniani explicatione in epist. 22. lib. 9. vbi in exemplum earum vocum quæ alias honestæ aliquam sonant obscœnitatem hæc posuit verba. *Numquid non honestum verbum est diuisio? at inest obscœnum, cui respondet intercapedo.* Vulgariter interpretantur diuisionem propria acceptione honestum esse verbum: At verò significari etiam eo pathicam turpitudinem, cui posteriorum intercapedo respondeat, quos interpretes fallere grauiter docuit magnus Scaliger olim in Catullum, pag. 58. nam in verbo *diuisio* inest hoc verbum *visio*, quod est βδέω: sicut in verbo *intercapedo* inest *pedo*, quod est Græcè πέρδω. Est autem *visio* Latinè flatum ventris sine strepitu mittere, ita vt non aures, sed nares solum offendat: Pedo autem eundem flatum cum sonitu emittere, & Latinè vtrumque verbum per onomatopœiam fictum est.

2 POENITET *obscœnæ pruriginis.*] Aristoteles in historia animal. sentit pathicos eo fieri, quod aliquibus semen defluat ad podicem, & inde oriatur prurigo. Sed hoc falsum omninò est, nec fieri potest vt homini ad podicem semen fluat, & hanc patiendi prauam cupiditatem necesse est ad aliam naturalem causam referre.

Ad Flaccum. XLIX.

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce:
Qui tantùm lusus illa, iocosque[a] putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia sæui
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta, tuam.
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oues.
A nostris procul est omnis[b] vesica libellis:
Musa nec insano syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorāt.
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

[a] vocas.

[b] Vesicam vocat tumorem & Cothurnatum dicendi genus.

DOMITIVS.

NESCIS] Flaccus appellabat carmina Martialis lusus, & iocos: ait se scribere mores hominum, iccirco non possit appellari iocus.

LVDIT] Fabulosè scribit.

SÆVI *Tereos*] Id est, qui scribit tragœdiam de Tereo.

VESICA *lib.*] Tumor, quia tantum in vita quotidiana versantur.

SYRMA] Erat genus vestis quæ in grauioribus poëmatis recitandis trahebatur ab histrionibus. Syrma præterea locus, qui Pausania authore, Syrma Antigone dicebatur. Iuuen. *Syrma vel Antigones.*

LEGVNT *ista*] Quoniam ad vitam quotidianam pertinent.

RAMIR. DE PRADO.

Flaccum quemdam per παράδοξον stultum esse ostēdit, qui communem vulgi errorem secutus, existimabat epigrammata meras esse nugas, tragœdias verò & epopœias poëmatis grauitatem sibi vendicare. Ostendit id, quod est tragœdiæ & epopœiæ materiam è fabulis fictis & Poëtarum somnijs esse desumptam, epigrammatωn verò materiam ex hominū moribus: illa delectationem & vanam admirationem continere, hæc autem correctionem & emendationem vitiorum. eiusdem argumenti est epi. 4. lib. 10.

1 ILLE *magis ludit, &c.*] Comparat Tragicos & Epicos Poëtas cum Epigrammatariis, vt ostendat illos maiores agere nugas. Fabulæ autem, quæ

hic apponuntur, notiores sunt quam vt indigeant explicatione.

2 A *nostris procul est omnis vesica libellis.*] Per irrisionem vesicam appellat cothurnatum dicendi genus illorum Poëtarum.

3 Nec *insano syrmate.*] Per allegoriam Tragicorum fastum irridet. Syrma namque ea vestis pars est, quæ oblonga nimis solum verrit, qualem reges & heroes trahebant per theatra in agendis tragœdijs. vsurpauit hoc verbum lib.12. ep.96.

Transtulit ad Tragicos se nostra Thalia cothurnos,
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.

Et Iuuenal. sat.8. vers. 228.

Ante pedes domiti longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigonæ seu personam Menalippes.

Et satyr. 15. vers. 30.

Nam scelus à Pyrrha, quanquam omnia syrmata voluas,
Nullus apud Tragicos populus facit.

4 Illa *tamen laudant omnes, &c.*] Obiectio est per prolepsim, quod omnes grauitate epopœiæ & tragœdiæ capiantur: hæc enim poëmata & præcipuè tragœdia, grauissimis hominibus digna videbantur, adeò vt seriò ea scriberent, vt fecerat Augustus, qui Aiacem quam inchoauerat, spongia deleuerat. Vnde ioci occasionem sumpsit cum dixit Aiacem suum in spongiam incubuisse: de quo Suetonius in eius vita cap.85. Cui obiectioni respondet Poëta, verum illud esse omnes laudare, admirari & adorare sublimia illa poëmata: ista tamen epigrammata legere.

In Thaidem. L.

Quid me Thai, senem subinde dicis?
Nemo est Thai, senex ad irrumandum. C

DOMITIVS.

Qvid] Thais fellabat, & appellabat eum senem, quasi vellet innuere eum non posse futuere: inquit Martialis, nemo senex ad irrumandum, iccircò potero præstare quod vis, hoc est potero te fellatricem irrumare, nam qui non arrigunt, irrumare possunt: alibi in non arrigentem. *Summa pete, los.*

RAMIR. DE PRADO.

Rectè fellatricem appellat Thaidem, quam suprà epigr.12. eodem vitio notauit. Appellabat hæc Poëtam subinde senem, respondet ad irrumandum neminem senem esse. Quasi dicat ad eum vsum, ad quem tu homines appetis, satis aptus ego sum, quamuis sim senex. Senes namque ad hoc libidinis genus magis apti sunt, ad quod non tanta vi opus est. Notauimus iam id suprà lib.3.epig.74.vel 75. Ad idem notandus est aptissimus locus Suetonij Tranquilli in Tiberio cap.44. vbi narrat solere Tiberium iam senem pueros irrumare: & subiungit. *Pronior sanè ad id genus libidinis & natura & ætate.* D

Ad Cæcilianum. LI.

Cùm tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late vectus es exaphoro.
Postquam bis decies tribuit dea cæca, sinumque;
Ruperunt nummi, factus es, ecce, pedes.

A *Quid tibi pro meritis, & tantis laudibus optem?*
Di reddant sellam, Cæciliane, tibi.

DOMITIVS.

Cvm *tibi*] Cæcilianus cum pauper esset, splendidè viuebat, adeò vt etiam hexaphoro nonnunquam veheretur. Factus diues, in tantam auaritiam redactus est, vt hexaphoro amplius non veheretur, sed iret pedes. Martia. hoc cauillando deridet. & optat, vt pro tanta laude frugalitatis Dij reddant hexaphoron Cæciliano, hoc est, in pristinam paupertatem relabatur, cum veheretur hexaphoro.

Ingenti *hexaphoro*] i. sexta ceruice, vt ait Iuuen. Hexaphoron, vehiculum quod portabatur à sex seruis.

Meritis, *& laudibus*] Ironicè cauillatur in eum, B ac si id faceret in laudem frugalitatis.

Sellam] i. hexaphorum. i. pristinam conditionem cum hexaphoro gestaretur.

RAMIR. DE PRADO.

Epigramma est eiusdem argumenti cum 100. & 104. lib.1. de Cæciliano, qui factus ditior, parcior redditus est: vehebatur enim hexaphoro, cum vix sex millia possideret, prouectus ad vicies, pedes incedebat. Optat vt Dij ei hexaphorum reddant εἰρωνικῶς, hoc est, vt ad pristinam tenuitatem reuertatur.

1 Dea *cæca.*] Periphrasis Fortunæ, quæ non discernit quem prouehat, aut quem demittat.

2 Sinvmqve *ruperunt nummi.*] De reponendis in sinum nummis dictum est sup. lib.2. epi.6.

In Ædilum. LII.

Gestari iunctis nisi desinis, Aedile, capris,
Qui modò ficus eras, iam caprificus eris.

DOMITIVS.

Gestari] Aedilus turpi quæstu lucrabatur, nam fuerat cinædus vt suprà,

Cum dicis, propero. fac si facis.

Adeò vt nunc gestaretur lectica, seruos appellabat mutatis nominibus capros. Mar. more suo in nominum mutationem iocatur, vt suprà.

Si tibi Mystilus coquus Aemiliane vocatur.

Simul morbum Aedili notat qui ex nimio prurituFactus erat ficosus: ait ergo in Aedilum, nisi desistat seruos appellare capros, fore, vt cum ipse ficus sit ob morbum, paulò pòst sit caprificus, composito nomine à capris, & ficu. vel ita intellige. capræ meretrices dicuntur à fœtore. Horat.

Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

Genus erat concubitus, quo tres vna serie catenati coibāt, quòd alibi Mart. notauit. *Quo simplematæ, &c.* Aedilus eodem vtebatur, in quo iocatur poëta, qui cum Aedilus paulò ante cinædus ficosus, nunc caprarum. i. meretricum concubitu vtatur, iam caprificus composito nomine possit appellari: notans & pristinam libidinem Aedili, & nouam coitus muliebris affectionem. hanc puto conuenire.

RAMIR. DE PRADO.

In ficosum Aedilum est epigramma, qui iunctis capris gestari solebat, qui cum propter morbum

ficus meritò appellaretur, nunc ob gestationem caprarum, caprificus poterit appellari.

1 GESTARI *iunctis capris.*] Domitius nimis hoc loco argutatur de Ædilo Cinædo, qui eam turpitudinem pássus ficuum contraxerat morbum. Ego planiùs hæc accipio de homine ficoso, quem ficum solet appellare Noster, vt diximus lib. 1. epigr. 66. Illud poterit admitti, quod de Capris dicit, esse forte meretrices, ductus Horatij auctoritate lib. 1. ep. 5. qui capras olidas appellat meretrices.

—— locus est & pluribus vmbris:

Sed nimis arcta premunt olida conuiuia capra.

Tamen placet magis cum Radero de capris cicuratis id intelligi, vt sup. l. 1. ep. 105. Tigres, pardos, ceruos, vrsos, afros, bisontes iugum subiisse legimus. & Lampridius in Heliogabalo narrat eum Imperatorem quaternos canes ad currum iunxisse, & sic esse vectum, processisseque in publicum: & nos superioribus annis vidimus mendicum quemdam hominem curru à valido quodam cane publicè vectari. Vnde non mirum erit Ædilum vanum fortè & insanum hominem à capris gestari voluisse.

Ad Cosmum. LIII.

Intra, cl. 2. Pietius.

*Hunc, quem sæpè vides * inter penetralia nostræ*
Pallados, & templi limina, Cosme, noui;
Cum baculo, peraq. senem, cui cana, putrisq.
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit:
Cerea quem nudũ tegit vxor abolla grabati,
Cuique datis latrat obuia turba cibis.
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? canis.

DOMITIVS.

HVNC] In eum, qui sordibus tantùm, & nulla alia virtute volebat videri philosophus Cynicus, ait eum non esse Cynicum, sed canem, hoc est animal brutum, cum nihil habeat præter sordem. Dixit autem eum canem, vt in ratione nominis perstaret, nam philosophi cynici, κυνὸς quòd canem significat, dicti sunt: nam canino ritu contempta hominum opinione sola naturæ necessitate contenti videbantur sordidi: hi tamen suam sectam & doctrinam profitebantur. Hunc ergo canem appellat, quoniam nihil cynicum habet præter habitum, quo etiam cynicos ipsos superat, adeò vt canis videatur. Idem est quod dixit in philosopho, Pallium video, philosophum non video: & Augustus cynicum obloquentem canem appellauit.

PALLADOS] Cultæ à Domi. nostro, quasi dicat, sectatur mensas, & cibos, vt canis.

TEMPLI *noui*] Nuper erecti à Domit. sub nomine Flauiæ gentis.

PERA] Sacculus, & baculus est cynicorum. Diogenes author huius sectæ. Pera in distichis.

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat & tetrico cum cane pera rogat.

STAT] Hirta est.

CADIT] i. demittitur vsque ad pectus.

ABOLLA] Vestis erat tragica & grauiorum per-

A sonarum; hac purpurea cum esset indutus Ptolemæus & in theatro conuertisset oculos spectatorum in se, Neronem offendit: hîc ponitur pro veste tantum.

CEREA] In speciem ceree, vel flaua, vt mel flauum dicimus.

VXOR *grabati*] Qua vtitur pro lodice, nulla alia re tectus nisi ea veste.

CVI *dat latratos obuia turba cibos.*] Latratu mendicatos ab eo more canis.

NON *est cynicus*] i. non habet philosophiam cynicam, sed est canis. i. brutum animal.

RAMIR. DE PRADO.

Epigramma est in fictum quemdam philosophum Cynicum, qui solo corporis cultu & maledicentia Cynicum se profitebatur: cum omni prorsus Cynica institutione & doctrina esset destitutus. Ideò negat eum Cynicum esse, & tantum concedit esse canem.

B 1 INTER *penetralia nostræ Pallados.*] Magis placet, *intra*, vt sit vnum & idem templum Mineruæ Flauianæ à Domitiano extructum, cuius mentio lib. 12. epi. 3. ad librum suum, vt sit sensus; Cynicum hunc stare sæpè solitum inter penetralia Mineruæ, & limina eius templi.

2 CVM *baculo peraque senem.*] Plena est Cynici cultus descriptio, de qua fidem facit Laërtius in Antisthene & Diogene, vbi tota hæc libertima secta describitur.

3 CVI *cana putrisque stat coma.*] Id est, cui coma stat canis & putredine. Nec est insolens dicendi genus apud veteres, sed fortè significatio non vulgaris. Est enim idem ac, plena est coma canis & putredine. Virgilius lib. 6. Æneid. vers. 300.

—— stant lumina flamma,

Id est, pleni sunt oculi flammis, & lib. 12. vers. 407

—— iam puluere cœlum

C *Stare videre.*

Id est, plenum puluere. & Horat. lib. 1. od. 9.

Vides vt alta stet niue candidum Soracte.

Et vetustiores Sisennius lib. 9.

Cœlum caligine stat. Lucilius sat. 5.

—— interea stat sentibus pectus.

Sic lego ex Nonio & Gell. li. 8. c. 5. non *fundus*.

4 CEREA] Quid sit cerea toga, vel abolla, diximus sup. lib. 1. epi. 93. n. 6.

5 QVEM *nudum tegit abolla grabati.*] Alias legitur *nudi* meliori lectione. Nam iacens Cynicus in lecto, nudus esse debebat, nec cultu alio iaceret vestitus. Itaque nullo sensu legeretur, *quem nudum*: & nudi grabati mentio frequens apud Nostrum, vt sup. lib. 1. epigr. 93.

Sed si nec focus est nudi, nec sponda grabati.

D Et lib. 11. epigr. 57.

Et teges, & cimex & nudi sponda grabati.

Neque ideò intelligas τὸ, *vxor*, referri ad grabatum: non enim erat vxor grabati, sed ipsius cynici, cum qua cubabat, vt diximus sup. lib. 2. epig. 16. & inde quæsitus iocus lib. 14. ep. 119. de culcitra.

Dum poscor crepitu digitorum & verna moratur,
O quoties pellex culcitra facta mea est.

Appellat culcitram pellicem matulæ, quod cum ea cubaret, & in ea meieret. nam meiere per μίξιν est rem habere, vt Persius sat. 6.

Patricia immeiere vulua.

Sic apud Tertullianum in Apologet. *cum Mimus Græcus in Macedonia Oedipum saltaret, & de incestu cum matre doleret, risere barbari & de re non magna exclamarunt, ὤμιχεν εἰς τὴν μητέρα*, id est, imminxit ma-

tri. Idcircò hoc loco appellat hanc vestem, quod cũ ea cubat, nec quod ea vxore alibi quam in grabato vteretur. Ideò appellauit vxorem grabati, vt si dicas seruus agri, quo in agro vtaris. Abollam non existimo aliam, quàm militarem vestem & Imperatoriam: sed per translationem cum quadam irrisione transfertur ad cultum philosophorum, vt apud Iuuenalem de Stoico:

——audi facinus maioris abollæ.

Id est, per metonymiam facinus philosophi veste talari induti. qualis est abolla, & maioris, quod maiori sit philosophus, quam miles dignitate.

6 CVIQVE *datis latras obuia turba cibis.*] Vulgus per contemtum his Cynicis allatrabat, iis obstrepens sui moris imitatione & benigni in eos cibos præbebant.

7 CANIS.] Huius sectæ Philosophi canes appellati ab impudentia, quod omnia propalam agerent, quæ cæteri homines solent abscondere ab oculis aliorum. Deinde à maledicentia, quod in omnes allatrarent. Ad quem morem Hecuba postquam captiua ducta est, doloris impatientia, cum probra & maledicta in obuios iaceret, canis appellata est. Vnde sumta poëtis fabulandi occasio, eam in catum cõuersam fingentibus, sed veram causam expressit Plaut. in Menechm. scen. *Nimis stultè dudum feci.* ME. *Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis. Omnia mala ingerebat, quemquem adspexerat. Itaque adeò iure cepta appellari est canis.* & quod hi Cynici etiam viderentur humani generis hostes, canes appellabantur: cum militare dictum sit in hostes Canis, vt sæpissimè apud Homerum pro graui contumelia, quilibet in aduersarium suum κυνὸς ὄμμα ingerit. Vnde Terentius in Eunucho act. 4. scen. 7. GN. *Ain verò canis?* Sed hoc loco non dicit Martialis hunc canem esse, quod multum habeat de Cynicis moribus, vt est illud epi. 93. lib. 11.

Mentitur qui te vitiosum Zoile dixit,
Non vitiosus homo es Zoile, sed vitium.

Sed respicit eò, quòd hic nulla ratione erat philosophus Cynicus, sed insipiens velut canis: ideò dixit:

Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.

Erat enim canis sub habitu Cynici Philosophi.

Ad Colinum. LIV.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas:
Si sapis, vtaris totis, Coline, diebus,
Extremumque tibi semper adesse putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obseruant, quem statuere, diẽ.
Diuitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido sis Meliore licet:
Nil adicit penso Lachesis, fusósque sororum
Explicat, & semper de tribus vna necat.

Idem Græcè.

Ὦ δρυὸς ἀντιάσας Ταρπηΐας εὐστεφάνοιο,
Καὶ πρώτῳ πτόρθῳ κρᾶτα πυκασσάμενε,
A Εἴ τι φρονεῖς, ἀπόλαυε τὸν ὅλου, Κωλῖνε, βίοιο,
Ἦμαρ ἀεὶ πυρέμεν λοίσθιον οἰόμενος·
Οὐδενὶ ταῖς ταλαρισταῖς Μοίραις θέμις ἐστὶ δυσωπεῖν·
Τηροῦσι ζωῆς, ὥσπερ ἔπηξαν, ὅρους.
Κροίσου ἀφνειότερος, Θρασέα σταθερώτερος ἴσθι,
Νικᾷ ἐλαφρείοις τὸν Μελίωρα τρόποις·
Οὐδὲν προστίθησι Λάχεσις τοῖς νήμασιν· ἀλλὰ
Σφραγίζει, τέμνει δ' ἡ μία τῆς τριάδος.

DOMITIVS.

O *cui tarpeias.*] Ad Colinum donatum in quinquatriis Mineruæ corona querna ab Imperatore: hunc cytharœdum fuisse coniicio, nam cytharœdi victores corona querna ab Imperatore donabantur, B alibi poëta de Imperatore.

Perque manus tantas plurima quercus eat.

In quinquatriis enim coronæ præmium dabatur. Iuuen. sat. 6.

Cum farre, & vino Vestam, Ianumque rogabat,
An capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere.

Hunc hortatur Martialis ad veram vitam omisso splendoris palatini ambitu cùm ei omninò sit moriendum.

TARPEIAS *quercus*] Id est, qui potuisti tangere quercum palatinam.

PRIMA *fronde*] Vel prima frons dicatur quercus, quia sit dicata Ioui, vel prima data ab Imperatore.

VTARIS *Coline totis diebus*] Id est, totos dies consume in vera vita.

C PVTES *semper adesse extremum diem*] Id est, semper puta te moriturum: alibi.

Ipse iubet mortis te meminisse deus.

NVLLI *contigit*] Id est, nullus vnquam potuit.

EXORARE] Placare.

TRES *puellas*] Cloton, Lachesin, & Atropon.

LANIFICAS] Lanificio dispensantes vitam humanam.

OBSERVANT] Non prætereunt.

CRISPO] Sunt qui intelligant de Crispo Passieno vitrico Neronis, qui ditissimus fuit adeo, vt eius hæreditate, authore Tranquillo, Nero sit ditatus. Potes & intelligere de Vibio Crispo; de quo hæc Tacitus, Vibius Crispus potentia, diuitiis, ingenio inter claros magisquam inter bonos.

THRASEA] De Pæto Thrasea suprà, & de eius D in morte constantia.

MELIORE] Attedius Melior nitidus erat lautissimus, cuius meminit Papin. in syluis.

EXPLICAT] Euoluit & exciso filo fusum reponit.

VNA *necat*] Negat vitam etiam si aliæ duæ vellent concedere.

RAMIR. DE PRADO.

De huius epigrammatis argumento satis multa ad li. 1. ep. 16. diximus, vbi indicem affiximus omnium epigrammatum eiusdem argumenti. Nam quæ causa nos à delitiis dehortatur, eadem miseros illos ethnicos ad omnem luxuriam & libidinem inuitabat, quod post breuissimum hoc vitæ curriculum nullam melioris vitæ spem haberent, quam nos certissimam retinemus.

1 O *cui Tarpeias licuit contingere quercus.*] Domi-

tiantum quinquennale certamen Ioui Capitolino instituisse, vbi quernæ coronæ victoribus dabantur, docuimus sup. hoc lib. 1. n. 5.

2 Et *meritas prima cingere fronde comas.*] Prima fronde, quod quercus Iouis sacra: vnde de Memore Tragico querna corona donato alibi, lib. 11. ep. 10.

3 Clarus *fronde Iouis Romani fama cothurni.*] Vel quod ab Imperatore data, vel quod querna olim ciuica erat, reliquarum nobilissima.

4 Vtaris *totis Coline diebus.*] Id est, nullam diei partem perdas, sed totos dies genio indulgeas, ita vt nec particulam solido de die demas, quam rebus gerendis impertias, vt Horat. dixerat lib. 1. ode 1. vt à nobis explicatum est sup. ep. 8. huius libri.

5 Extremumque *tibi semper adesse putes.*] Sumtum ab Hor. li. 1. ep. 4.

Inter spem curamque, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

6 Lanificas *nulli tres exorare puellas, &c.*] Inexorabile fatum esse annuunt omnes poëtæ. Horat. lib. 2. ep 2. propè finem.

—— si metit Orcus
Grandia cum paruis non exorabilis auro?

Et Seneca in Hercule furente.

Id quique ratus prece non vlla
Mobilis ordo.

Et Euripides ἄνικτον ἀτρεφάνετον vocat. & Propertius.

Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.

Vnde apud Homerum 9. Iliad. Agamemnon Nestori respondens, cum de Achillis ira dissereret, implacabilem dixit & indomitum Plutonem esse, & propterea Deorum omnium hominibus odiosissimum.

7 Divitior *Crispo.*] Neronis vitrico, cuius opibus Nero ditatus est.

8 Thrasea *constantior ipso.*] De Thrasea Pæto diximus sup. li 1. ep 9.

9 Lautior *& nitido sis Meliore licet.*] Nobilis hic Melior Statij Papinij carminib. epistolæ syluæ secundæ, epitaphio Glauciæ, Arbore & Psittaco, fuit lautus & splendidus, ideò nitidus appellatur à Nostro, vt a Papinio Sylua 2.

Quæ per supremas nitidi Melioris opace.

10 Nil *adicit penso Lachesis fusosque sororum Explicat.*] Similis sententia apud Senecam in Hercule furente choro 1.

Dura peragunt pensa sorores,
Nec sua retrò fila reuoluunt.

Ad Lucium. LV.

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Gaurum veterem, Tagúmque nostrum
Arpis cedere non sinis disertis,
Argiuas generatus inter vrbes,
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras:
Nos Celtis genitos, & ex Iberis,
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu,
Sæuo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Calybasque, Noricosque;
Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit,
Tutellamque chorosque Rixamorum,
Et conuiuia festa Carduarum,
Et textis Peteron rosis rubentem,
Atque antiqua patrum theatra Rigas,
Et certos iaculo leui Silaos,
Turgentisque lacus, Petusiæque,
*Et paruæ vada pura * Veronissæ,*
Et sanctum Baradonis ilicetum,
Per quæ vel piger ambulat viator,
Et quod fortibus excolit iuuencis
Curua Manlius arua Matinessæ.
Hæc tam rustica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit.
Hæc tàm rustica malo: quàm Britannos.

* Ita vetus alii Touessæ.

DOMITIVS.

Luci] Ad Lucium poëtam Hispanum, qui numeris cum Horat. contendebat, quem sibi proposuerat superandum: poëta Lucio appellato recenset oppida Hispaniæ patriæ.

Graium] Graius fluuius Hispaniæ proximus Tidæ. Tidæ autem à Tidæo, & Olò condita, qui cum Græcis illuc profectus est, & nomen dedit flumini, vt Graius à Grais diceretur, sed posteà deprauato nomine dictus est Granius. Silius,

Et quos nunc Granius mutato nomine
Graium Oenea misere domus.

In aliis codicibus est Gaurum.

Arpis *disertis*] i. Horatio Apulo Venusino.

Generatus] Generatus est illic poëta, qui natus est inter vrbes Græcas.

Palæstras *Ledæas*] i. Laconicas à Læda vxore Tindari, quæ Amyclis habitabat, & hoc propter Pollucem, & in Laconia præsertim exercebantur: de quo extat elegia Propertij.

Lacedæmonis *libidinosæ*] Propter Helenam quæ ibidem fuit rapta, vel propter Venerém, quæ illic colebatur.

Grato] Erga patriam Bilbilin.

Calybas] Calybes, & Norici populi sunt illustres ferri præstantia.

Norici] Iuxta Pannoniam.

Calybes] In Ponto.

Sonantem] Officinis multis.

Salo] Fluuius cuius aquis ferrum temperatur.

Inqvieto] Sonante.

Tvtellam] Oppi. Celtiberiæ.

Rixamorvm] Risamori populi Celtiberiæ.

Cardvarvm] Carduæ oppidum.

Peteron] Locum.

Svellos] Populos optimos iaculatores. Alij legunt Sueuos.

Petvsiæ] Oppidum, cum lacu eiusdem nominis.

Vatinessæ] Vrbs cum fluuio eiusdem nominis: legitur alibi Toninessæ.

Ilicetvm *sanctum*] i. syluam venerandam; vel

certè oppidum, si placet, vndè portus Ilicetanus.

BARATONIS] Montis.

BITVNTVM] Oppidum sterile: alibi legitur Britannos.

RAMIR. DE PRADO.

Licinum Hispanum poëtam Horatij imitatorem, qui tempore Domitiani floruit, hortatur ad celebranda Celtiberiæ loca, quæ quamuis durioris nominis carmine comprehendit:

1 QVI *Gaurum veterem.*] Graius vel Grauius Hispaniæ fluuius, de quo Pli. li. 4. cap. 20. legendum igitur *Graium veterem*, quem sic appellat quod veteribus hoc nomine indagabatur. Suo tempore verò *Grauius*.

2 ARPIS *cedere non finis disertis.*] Arpeum oppidum Apuliæ. Horatius autem Apulus Venusinus, & per vsitatissimam poëtis synecdochen, Arpos pro tota Apulia, & per Metonymiam, Apuliam pro Horatio posuit: vt sit totus sensus. Ita excellis in Lyrico carmine, vt Hispanus cum sis, non cedas Horatio: nec plus gloriæ ille Apuliæ, quam tu Celtiberiæ conferat.

3 ARGIVAS *generatus inter vrbes.*] Vitiosa dispunctio huius quas turbas dedit. Doctissimos viros certè decepit, nam Raderus anxiè quærit, quomodò Hispanus poëta inter Græcas vrbes natus dicatur, & confugit ad Græcorum colonias in Hispaniam ductas, inter quas Grauii castellum. Plin. li. 4. cap. 20. Tu verò nebulas hasce ita discute. Post versum superiorem appinge Periodi notam, & quod sequitur.

Argiuas generatus inter vrbes.

Sit suppositum verbi, *cantet*, id est, Poëta quilibet Græcus generatus inter Argiuas vrbes, celebret eas veluti Thebas, Mycenas, Rhodon aut Lacedæmona, quod dictum est Horatij imitatione od. 7. lib. 1.

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisue Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe, &c.

Nam deinde per contentionem subiungit. *Nos Celtis genitos & ex Iberis.* celebremus nomina nostrorum oppidorum.

4 AVT *libidinosæ Ledæas Lacedæmonis palæstras,*] *Ledæas palæstras* appellauit puellarum luctas, quæ Lacedæmone nudæ ad palæstram descendebant, & cum viris etiam nudis luctabantur. Propert. lib. 3. el. 12.

Multa tuæ, Sparte, miramur iura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasij.
Quod non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros.

Et Ouid. epist. 15.

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis, & es nudis mixta puella viris.

Idem Xenophon de Republ. Lacedæmon. Euripid. in Androm. Cuius rei fœdæ & inhonestæ caussæ multæ à multis afferuntur. Plutarch. in Lycurgo existimat id institutum fuisse, vt iuuenes puellarum pulchritudine capti, facilius earum nuptias appeterent. Ego crediderim in honorem Ledæ, quæ proprios edidit Deos, Castorem & Pollucem, id fieri solitum. Nam quando ipsa dea Ioui placuit, nuda erat in balneo, in cuius rei memoriam nudæ prodibant in certamen Ledeæ memoriæ tributum. Ideoque dictum à poëta *Ledæas palæstras*; sed cur libidinosæ Lacedæmonis, cum ea ciuitas morum honestate & sanctitate ceteris antecelleret, an propter gymnicum hoc puellarum certamen? an quod præcipuè Venus ibi

A coleretur & sacra esset Veneri ea vrbs? an propter vtramque caussam?

5 NOS *Celtis genitos & ex Iberis.*] Vulgatissimum est cum Hispaniæ tractum, vbi Bilbilis, à Celtis olim occupatum fuisse. & incolas ex Celtarum & Iberiæ nomine Celtiberos appellatos fuisse.

6 GRATO *non pudet referre versu.*] Id est, versu qui gratissimæ patriæ gratiam referat, ea illustranda & celebranda.

7 SÆVO *Bilbilin optimam metallo.*] Sæuum metallum ferrum appellat, quod optimè Bilbili cudebatur, quamuis aurum etiam haberet in l. 12. ep. 18.

Aurum Bilbilis & superba ferro.

De salonis aquis nobilib. & armorum temperatura diximus satis ad l. 1. ep. 50.

8 QVÆ *Calybasque Noricosque.*] Calybes descripti à Mela lib. 1. cap. 12. & celebratiorum Poetarum carminibus. De Noricis scripsimus sup. ad li. B spectacul. epi. 23. n. 1.

9 PLATEAM *ferro suo sonantem.*] Hispaniæ oppidum Platea, ferrariis officinis nobile, de quo d. epi. 8. lib. 12.

Hic pigri colimus labore dulci
Boterdum Plateamque.

Subsequuntur multa nomina oppidorum, quæ propter ignobilitatem ignota sunt veteribus scriptoribus, & nobis, quod diruta iam vel immutata non licet diuinare quæ fuerint: vnde consultò prætermittimus.

10 PER *qua vel piger ambulet viator.*] Legendum omninò *Per quod.* vt referatur ad *Ilicetum*.

11 ET *quod fortibus excolis iuuencis.*] Legendum, *Qua*, vt referatur ad arua: Librarij enim negligentia transposita hæc sunt.

12 HAC *tam rustica malo quàm Britannos.*] Iacobus à Cruce Notis in Martialem, emendat hunc lo-C cum, & legit, *Bisuntos*: quod Bisuntium Ptolomæo oppidum sit in Hispania. Os hominis! qui cum scribat in hoc epigrammate poëtæ verba vel non legat, vel non perpendat. Excusat Martialis rustica Hispaniæ oppidorum nomina: qui poterat ea præferre aliis eiusdem Hispaniæ nominibus. Non adeò stultus Noster. Ego præfero aliquorum codicum lectioné, vbi est loco τῶ *Britannos*, *Bituntum*. Est autem Bituntum Italiæ oppidum, quod rusticitate nominis videtur omnia Hispaniæ oppida, quæ hic annumerantur, superare. Estque vilissimum Apuliæ oppidum, quod per contemptum etiam adduxit sup. lib. 2. epigr. 48.

1 *Hæc præstes mihi Rufe, vel Bitunti.*

Sic enim lego, vel quod idem est, *Bitonti.* Est igitur recriminatio in delicatum lectorem Italum, quasi diceret, irrides hæc rustica nomina, irride tuum Bituntum.

D

In Gargilianum. LVI.

Munera quòd senibus, ° viduisque ingentia mittis, v. Vetulis.
Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius vno,
Qui potes insidias dona vocare tuas.
Sic auidis fallax indulget piscibus hamus:
Callida sic stultas decipit esca feras.

Quid sit largiri, quid sit donare, docebo. A
Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

DOMITIVS.

MVNERA] In Gargilianum captatorem, qui cùm tantùm senibus, & viduis donaret, à quibus speraret hæreditatem, volebat videri liberalis. Mar. negat hoc, aitque eum esse auarissimum, quoniam plura expectet, quàm donet. Idem sensus est Isocratis, in eos qui aliquid donant regibus: ait enim non donare, sed auariùs vendere, quàm qui se negociatores profitentur passim mercedem vendentes.

MVNIFICVM] Liberalem.

VIDVIS *& senibus*] Morituris paulò pòst.

INDVLGET] Dat escam.

CALLIDA] Plena fraudis.

FERAS *stultas*] Simplices.

LARGIRI] In malam partem accipitur. Illi dicuntur largiri, qui aliquid donant, vt maiora assequantur, sed propriè qui corrumpunt muneribus, vndè largitio. Sed donare est hominis liberalis. B

DONA *mihi*] Nam quòd dabis mihi, planè donabis, quia nihil possum dare tibi.

RAMIR. DE PRADO.

Cum liberalitas & munificentia nullum sibi proponant præmium, refutat hoc epigrammate Gargiliani cuiusdam hæredipetæ vanitatem, qui se munificum vocari volebat, quod iis, quos captabat, ingentia munera mitteret: sordidumque eum & spurcum vocari debere affirmat, largirique & donare se docturum profitetur, si sibi pauperi & à quo nihil expectare potest, munera mittat. Huius argumenti vt puta, rei illis temporibus vsitatissimæ, sunt permulta epigrammata. sup. lib. 2. ep. 76. inf. lib. 5. ep. 18. lib. 6. ep. 62. & 63. lib. 8. 27. li. 11. 56. lib. 12. 92. præter alios auctores, qui nobis hanc rem suis scriptis fecere notam, elegantissimus elegantiarum arbiter Petronius describit in satyrico Crotona Italiæ oppidum, vbi omnes hæredipetæ erant, in qua descriptione, villicus quidam hæc verba profert totum negotium mirè complectentia: *Quoscunque homines,* inquit, *in hac vrbe videritis, scitote in duas partes esse diuisos. Nam aut captantur, aut captant.* Quinetiam & apud IC. vulgatissimus de captatoriis institutionib. & voluntatibus locus. C

1 VIDVISQVE *ingentia mittis.*] Aliâs legitur, *vetulis*, sed malo, *viduis*. nam hæ diligentius captabantur. Vnde illis fastus & imperium. sup. lib. 1. ep. 50.

Imperia viduarum procul. Et lib. 2. ep. 32.
Abnegat & retinet nostrum Laronia seruum,
Respondes, orba est, diues, anus, vidua.

2 VIS *te munificum.*] Per hyperbolen auget Gargiliani vanitatem, nam munificentia maius quiddam est liberalitate.

3 QVI *potes insidias dona vocare tuas*?] Desumtum, vt alia pleráque ex Sen. epist. 8. *Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt.* Vt enim piscis spe aliqua cibi capitur, ac decipitur: sic qui accipiunt captantur, & qui mittunt munera, captant.

4 DONA *Gargiliane mihi.*] Solet frequenter poeta à seipso iocum capere, cum ingenuè suam tenuitatem fateatur, *Dona,* inquit, *mihi vt omninò captatoris opinionem amittas, cum omnes sciant nil à me expectari posse.* Similis est iocus & sup. de Zoilo ægrotante lib. 2. ep. 16.

Vis fieri sanus, stragula sume mea.

Ad Faustinum. LVII.

Dũ nos blanda tenent lasciui stagna Lucrini,
Et quæ pumiceis fontibus antra calent:
Tu colis Argiui regnum Faustine coloni, al. v. Argæi
Quo te bis decimus ducit ab vrbe lapis.
Horrida sed feruẽt Nemeæi pectora mõstri:
Nec satis est, Baias igne calere suo.
Ergo sacri fontes, & litora sacra valete,
Nympharum pariter, Nereidúmq. domus.
Herculeos colles gelida vos vincite bruma,
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

DOMITIVS.

DVM *nos*] Ad Faustinum æstiuantem Tiburi, & Baiis scribit, vnde ait se profecturum, cum Baiæ non solùm astro solari caleant, sed etiam aquarum feruore. Hyemandum ait igitur esse Baiis: æstiuandum Tiburi.

COLONI *Argiui*] i. Catuli, qui condidit Tibur. Horat.

Tibur Argeo positum colono:

Et alibi poëta.

Argolica quod posuere manus.

FERVENT] Calent, quia sol est in Leone.

LASCIVI] Puellis illuc confluentibus.

FONTIBVS *pumiceis*] Lapidibus ex costis manantibus.

IGNE *suo*] Feruore suarum aquarum.

VINCITIS] Superatis æstiuatione.

RAMIR. DE PRADO.

Indicit Faustino hospitium Tybure, vbi Faustinus degebat Augusto mense, & poëta apud Baias alieno valde tempore. Iubet igitur Baias valere cum se Tybur ad Faustinum conferat.

1 LASCIVI *stagna Lucrini.*] Ob lasciuientium ibi hominum frequentiam, & vitiorum diuersorium, vt docuimus sup. ad epi. 63. lib. 1.

2 TV *colis Argiui regnum Faustine coloni.*] Id est, Tibur conditum à Catulo Amphiarai filio, quem Horatii imitatione lib. 1. od. 6. Argiuum vel Argæum colonum vocat. Sic enim ille:

D *Tibur Argæo positum colono.*

3 QVO *te bis decimus ducit ab vrbe lapis.*] Id est, Tiburtinum tuum distat ab vrbe viginti millia passuum.

4 HORRIDA *sed feruent Nemei pectora monstri.*] Poetica periphrasis summi æstus, qui viget præcipuè Augusto mense, quando sol in leone commoratur. *Pectora,* verò dixit, quod in leonis pectore fulgentissimum astrum est, quod Astrologi cor leonis appellant. de fabula Nemæi leonis iam sæpius dictum.

5 NEC *satis est Baias igne calere suo*] Tacite causam reddit suæ migrationis institutæ ad vitandos calores, quos ibi quà à Sole, quà à cœlo perferebat.

6 ERGO *sacri fontes, & littora sacra valete.*] Quod sacri fontes sint, dictum est sup. li. 3. ep. 3. sacra littora non admittit Gruterus, quod in veteri cod. dicat se inuenisse, *grata,* sed ego retinuerim libenter, *sacra*, quod subiungat.

7 NYMPHARVM *pariter Nereidúmque domus.*]

Quod Nymphæ in fontibus, Nereides in littoribus degant. Nec video quî posset Poëta eo tempore, quo æstus eius loci fugiebat, grata appellare Littora.

8 HERCVLEOS *colles gelida vos vincite bruma.*] Id est, hiberno tempore cedat vobis Tibur. Hoc autem æstiuo vos ei cedite.

In Gallam. LVIII.

In tenebris luges amissum, Galla, maritum.
Num plorare pudet te, puto, Galla, virũ?

Nam.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet Gallam deploratæ impudicitiæ fœminam: quæ maritum secretò lugebat, in quo mirari libet summum Poëtæ acumen, qui sup. li. I. ep. 34. Gelliam reprehendebat quod patrem non secretò, sed palam fleret, easque lachrymas non veras, sed fictas dicebat: quod ille verè doleat qui sine teste dolet. Nunc autem illud ipsum tribuit vitio Gallæ, quæ adeò erat infamis ob impudicitiam viuente viro, vt posset eam pudere, quod fleret.

1 NVM *plorare pudet te, puto, Galla, virum?*] Corrupta lectio. omninò legendum, vt in aliis absque interrogatione:

Nam plorare pudet te, puto, Galla virum.

Quod enim Raderus præferat aliam lectionem, & sic interpretetur: *Num puto pudet te Galla virum plorare?* id nec Latinitatis ratio, nec communis sensus admittit.

De vipera electro inclusa. LIX.

Flentibus Heliadũ ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gẽma feram:
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulcro;
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

victa.

Idem Græcè.

Ἡλιάδων ἔχις ἦμος ἀειρρίχᾶτο δι' ὄζων,
Θηεῖον ἤλεκτρον στάξε κατ' αὐτομένου·
Γλισχρῇ δ' ὡς θαύμαζεν ἐνισχομένος ῥαθάμιγξι,
Ἀφνω ἐπαχνώθη ῥιγαλέῳ παγετῷ.
Μή τοι ἀνακτορίῳ, Κλεοπάτρη, σήματι καυχῶ
Εἴγ' ἐπὶ σεμνοτέρῳ κεῖται ἔχιδνα τάφῳ.

DOMITIVS.

FLENTIBVS] Electrum eò preciosius erat, quò liquidius inclusum aliquod animal habebat, vt muscam, apem, culicem: nam illic perpetuò viuere videbantur. Nunc laudat guttam succini, in qua erat inclusa vipera, & laudem sumit ab historia, nam Cleopatra admota aspide, & mammillæ, & brachio sibi mortem consciuit: ait ergo poëta Cleopatram se non debere nimium efferre magnificentia sepulchri, quo vnà cum Antonio condita est, inchoato priùs ab ipsa, posteà perfecto iussu Augusti.

DVM *vipera*] Quæ extincta est, nobiliore tumulo spectetur.

GEMMA *succina*] i. gutta electri, quæ gemma videbatur.

OBSTANTEM] Contrà euntem.

RAMIS *Heliadum*] Populorum, in quas variæ sunt filiæ Helii, id est Solis, nam ἥλιος sol.

FLENTIBVS] Manantibus.

GELV] Gummi electri.

RORE *pingui*] i. gummi viscoso.

PLACEAS *tibi*] i. ne nimium te efferas.

RAMIR. DE PRADO.

Huius epigrammatis argumentum explicatum est sup. ep. 32. in simili casu de ape inclusa electro. Hic eadem ratione vipera succini visco implicata interiit.

1 FLENTIBVS *Heliadum ramis.*] Poëticè dictum. Heliades enim sorores Phaëthontis, qui eius casum deflentes, in arbores conuersæ fuerunt, à quibus defluit succinum.

2 DVM *vipera serpit.*] Præfert Gruterus, *repit.* Ego retineo, *serpit*: serpere enim dicuntur ἄποδα, repere autem, quæ pedes habent breuissimis cruribus, vt lacertæ.

3 CONCRETO *riguit vincta repente gelu.*] *Gelu concreto*, dixit pro succino: non quod frigore, sed quod rigore & duritie gelu imitetur. vide quæ diximus sup. ad li. 3. epig. 65. Malo *Quæ vincta*, legere, quam *victa*, vt alias legitur, quod superiori versu dicat *teneri.*

4 NE *tibi regali placeas Cleopatra*, &c.] Epiphonema per Apostrophen, quod Viperæ sepulchrum reapse ditius & pretiosius sit quouis Mausoleo, refert autem Plutarchus in Antonio Cleopatræ corpus ab Augusto regali apparatu conditum esse cum Antonio. Sed clariùs Suetonius in Augusto, cap. 17. *Ambobus*, inquit, *communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit.* Credibile autem est tumulum inchoatum à tam fastuosa regina, absolutum à tanto Imperatore fuisse splendidum: sed hoc viperæ sepulchrum splendidius multò.

De Curiatio. LX.

Ardea solstitio, Pæstanáque rura petantur,
Quique Cleonæo sidere feruet ager:
Cùm Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere: cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

DOMITIVS.

ARDEA] Poëta deflet Curiatium, qui dum Tiburi æstiuaret, & fugiens æstus vrbanos mortuus est, ait ergo nusquam posse vitari mortem, & non loca, vel differre, vel accelerare fatum, sed ipsam certam rerum sortem, quam nemo vitare potest. Confunduntur ergo loca, cùm sit nullum fati discrimen.

ARDEA] Oppidum suprà Laurentum, distans à mari lxxx. stadiorum, condita à Danae.

SOLSTITIO] Æstiuo.

RVRA *Pæstana*] Lucaniæ.

AGER] Baianus, vt suprà, *Horrida Baiani.*

SARDINIA]

SARDINIA] Pestilens insula est, quod Florus indicat, cùm ait, Fusius Sardiniam pestilentem sortitus. & Silius,

Serpentum tellus pura, ac viduata veneno,
Sed tristis cœlo, & multa vitiata palude.

Sensus est, cùm fati necessitas aduenerit, etiam si in locis amœnis fueris, non aliter morieris, quàm si in locis pestilentibus esses. Posuit Tibur pro loco salubri, Sardiniam pro pestilenti.

RAMIR. DE PRADO.

Ineuitabile fatum esse docet hoc epigramma, cum loca eligantur ad salubritatem, pro anni stationibus, neque in vllo loco liceat mortem effugere. Adducit in exemplum Curiacium quemdam, qui cum valetudinis caussa Tibure æstiuo Solstitio habitaret, ibidem obiit.

1 ARDEA *Solstitio*, &c.] Tria oppida Solis feruore æstuantia enumerat. Ardeam oppidum Latij, Pœstum Lucaniæ, & Baias. Quarum periphrasis, *Quique Cleonæo sidere feruet ager.* Cùm superiori epig. 57. dixerit Baias duplici calore Cœli & Solis feruere.

2 CVM *Tiburtinas damnet Curiatius auras*, &c.] Id est, cum Tibur infame sit, valetudine & morte Curiatij extincti, ibi inter laudatissimas eas & salubres aquas.

3 NVLLO *fata loco possis excludere.*] γνώμη celeberrima, quam prouerbio insigni confirmat: CVM MORS VENERIT, IN MEDIO TIBVRE SARDINIA EST. id est, imminēte fato, vel saluberrimus locus, quale est Tibur, pestilens est, qualis est Sardinia. Sardinia namque notissima mediterranei maris insula, notata à veteribus ob cœli grauitatem, vt constat multis auctorum testimoniis: Taciti præcipuè, lib. 2. Annal. sub fine, qui narrat sub Tiberio Senatusconsultum fuisse factum, *vt Iudæorum & Aegyptiorum quatuor millia in insulam Sardiniam veherentur, qui si interijssent ob grauitatem cœli, facilem iacturam, & vile damnum futurum.* Quod Sueton. etiam ca. 36. in Tiberio refert, non nominata Sardinia his verbis: *Iudæorum iuuentutem per speciem sacramenti in prouincias grauioris Cœli distribuit.*

In Mancinum. LXI.

Donasse amicum tibi ducenta, Mancine;
Nuper superbo lætus ore iactasti.
Quartus dies est, in schola poëtarum
Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ,
Sardonychas auro. lineisque ter cinctum,
Duásque similes fluctibus maris gemmas
Dedisse Bassam, Cæliámque iurasti.
Here, de theatro Pollione cantante,
Cùm subitò abires, dum fugis, loquebaris,
Hereditatis tibi trecenta venisse:
Et mane centum, & post meridiem centum.
Quid tibi sodales fecimus mali tantum?
Miserere iam crudelis, & sile tandem.
Aut, si tacere lingua non potest ista,
Aliquādo narra, quod, Mācine, velimus.

u Sardonychis veris, alij, Sardonychas verū & rectè his vide Plinij lib. 17. cap. penult.

Vellemus audire.

A DOMITIVS.

DONASSE] In Mancinum, qui cùm esset omnibus molestus, omnésque eum odio haberent, narrabat quotidie fortunatum aliquid sibi accidisse, quasi amicis narraret. At inquit Martial. noli ô Mancine cruciare sodales, qui te oderunt, verbis, vel saltem narra, quòd velimus audire, hoc est, dic te aliquid potiùs amisisse, quàm lucratum esse.

LYCHNVMQVE *ter vnctum*] Lychnichi lapides erant à lucernarum splendore dicti, quem præ se ferebant: contrà Lychnites dicitur marmor, quod lucernarum lumine sub terra fodiebatur: Varro auctor & Plin. Codex antiquus habet *lychnúmque ter vnctum.* ego autem legendum puto perunctum, hoc est, nitidum, & maximè splendentem: nam λύχνος Græcè, Latinè dicitur lucerna, vnde & lapis ipse lychnus dicitur. Lychnus autem, siue lucerna, quò

B magis vncta est, eò plus flammæ emittit, ex ea igitur metaphora lychnum perunctum. i. splendidum, & flammas lucernæ perunctæ emittentem: in distichis,

Non norat parcos vda lucerna patres.

Legunt sic multi hoc carmen:

Sardonyca verum lineisque ter cinctum.

GEMMAS] Smaragdos: an dicit smaragdos cæruleos, an lapillos rubri maris, qui similes sunt vndis, & arenis. Placet de smaragdis.

POLLIONE] Cytharœdo.

CANTANTE] Nec placet intelligere per Pollionem poëtam excellentem, qui claruit temporibus Augusti, notus carmine Virgiliano,

Pollio & ipse facit noua carmina.

C Nam huius Pollionis cytharœdi de quo hic loquitur, meminit Iuuen.

An capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere.

Pollio ergo hic cytharœdus.

RAMIR. DE PRADO.

Vanum quemdam & mendacem Mancinum depingit, & reprehendit, qui miseros sodales subinde enecabat, narrandis iis, quæ sibi donabantur. Quæ multa enumerat Poëta more suo, qui sæpè nimius est in sua amplificatione. Rogat hominem vt tandem tacere velit, aut si non possit, aliquid narret, quod libenter sodales audiant, id est, se spoliatum bonis suis, iacturam fecisse, fustibus cæsum, aut aliud quid infortunij, quod sodales libentissimè audituri sunt.

1 IN *schola Poëtarum Dum fabulamur.*] Sup. lib. 3.

D ep. 10. de Canio:

An otiosus in schola Poëtarum
Lepore tinctos Atticos sales narrat.

Erat autem Poëtarum schola, vbi ad recitādum Poetæ conueniebant. qui locus aptissimus confabulationibus. Quamuis hoc nomen sequentibus temporibus vsurpatum fuit pro quouis collegio. Erantque scholæ Iurisconsultorum, id est, collegia. Vnde Aduocati eorum collegiorum vel scholarum scholastici vocabantur: quo nomine primum nuncupati sunt Rhetores, vt in Dialogo de Oratoribus scribit vel Tac. vel Quintilianus. & etiam declamatores litium fictarum. Vnde translatum nomen ad verum litium actores, Plin. lib. 2. ep. *Adhuc*, inquit, *Scholasticus tātū est, quo genere hominū nihil simplicius. Nos enim qui in foro verisq; litibus terimur, multum malitiæ quāuis nolimus, addiscimus.* Schola & auditoriū & ficta caussa innoxa est. hac acceptione vtitur eo nomine

Constantinus Imperator in L. præter solemnes 2. Cod. de lucr. aduocat. lib. 12. *Præter solemnes & canonicas pensitationes multa à prouincialibus indignissima postulantur, ab officialibus & scholasticis.* & Lex in Cod. Theodosiano. *Non latet*, inquit, *scholasticos vltra modum acceptis honorariis, in defensionem causarum annonas & sumtus accipere consuesse*, & aliis multis in locis, de quibus eruditi Iurisconsulti disserunt. Hinc celebris scriptor Agathias Historicus & Poëta Græcus scholasticus appellatur, qui aduocatus erat, vt ipse testatur sub initium lib. 3. & ep. ad Silentiarü.

1 SARDONYCHA *auro lineisque ter cinctum.*] Mirè variant libri in hoc versu: Legitur namque *Sardonycha auro*, vel, *Sardonycha verum.* Quam lectionem veriorem puto. nam lib. 9. ep. 60. legitur:

Sardonychas veros mensa quæsiuit in omni.

Cinctum autem dixit ter lineis: Nam Plinius hanc gemmam veram tribus lineis nigra, candida, & miniata scribit distingui.

2 DVASQVE *similes fluctibus maris gemmas.*] Smaragdos Demetrius intelligit, alycalles, quas Plinius littoroso mari similes dicit, alij Cyanea, alij Beryllos, alij Caristos. Elige tu quam malueris gemmam, & de his lege Franciscum Ruei, qui diligenter scripsit de gemmis.

3 QVID *tibi sodales fecimus mali tantum.*] Vsitata conquestio Poëtæ sup. lib. 2. ep. 19.

Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?

De Lycori. LXII.

Tibur in Herculeü migrauit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

DOMITIVS.

TYBVR] Ebur frigidissimo cœlo Tiburtino miro candore seruabatur, author est Plin. Silius:

Sempérque nouum, quod Tiburis aura Pascit ebur.

Deridet Lycorida quæ cum non faceret quæstum in vrbe ob deformitatem, migrauit Tibur, vt candesceret, eius profectionem deridet cauillando.

RAMIR. DE PRADO.

Lycorin irridet, quæ cum sciret ebur candidius fieri frigidissima Tiburis aura, vt Plin. testatur, & Silius Ital. dum inquit:

—— semperque nouum quod Tiburis aura
Pascit ebur.

Vbi, *pascit*, dixit pro sustentat & conseruat, & Propert. lib. 4. eleg. 7.

Nunquam Herculeo numine pallet ebur.

Persuadebat sibi omnia ibi candida fieri. Ideoque cum nigra esset, migrauit in Tibur. Hoc expressius de eadem lib. 7. ep. 12. Nigram autem Lycorin esse dicit sup. lib. 1. ep. 73.

Sic quæ nigrior est cadente moro
Cerussata sibi placet Lycoris.

De Cærelia. LXIII.

Dum petit à Baulis mater Cærelia Baias,
Occidit insani crimine mersa freti.

A *Gloria quanta perit vobis, hæc monstra Neroni*
Nec quondam iussæ præstiteratis aquæ.

DOMITIVS.

DVM] Bauli vicus potius quàm oppidum in littore Campaniæ non procul à Baiis. Nero simulata reconciliatione cum matre, eam reuocauit à Baulis Baias, ad quinquatria simul celebranda. Inde eam remisit, data naui solutili, & machinosa, quæ repentè corrueret in mediis aquis: illa quidem corruit, sed mater enatauit ad littus incolumis. Lagerinus vt Tacitus, Lagenus vt Sueton. nunciauit Neroni incolumem matrem, quo nuncio est interfectus, submisso celeriter percussore, qui matrem necaret eo spacio matis, quod iacet inter Baias, & Baulos. Iacet inter Cærelia mersa: id est, iussæ quondam à Nerone.

B

RAMIR. DE PRADO.

Deflet Cæreliæ cuiusdam matris casum, quæ cum à Baulis (id villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter & Bajanum lacum flexo mari alluitur, Taciti verba, lib. 14.) peteret Bajas, naufragio periit in eo freto.

1 OCCIDIT *insani crimine mersa freti.*] De more habet Noster crimina rebus inanimatis tribuere, vt lib. 9. ep. 31.

Cappadocum sanis Antistius occidit oris
Rusticus. ô tristi crimine terra nocens!

Sic sup. lib. 2. ep. 65.

O grande fati crimen, ô grauem casum.

Eodem modo nefas appellat, sup. lib. 1. ep. 13.

Heu quam pene nouum porticus ausa nefas.

De ruina porticus Reguli, quam eandem innocentem appellat, eod. lib. ep. 83.

C *Propter quem fuis innocens ruina.*

2 GLORIA *quanta perit vobis.*] Ingeniose Raderus hoc loco, vt solet, hanc gloriam periisse Baiis dicit, cum Agrippinam Neronis matrem non mersissent, à qua celebre nomen possent ducere, vt Icarium mare ab Icaro, Hellespontus sinus ab Helle, aliaque ab aliis casibus. Sed hæc interpretatio non congruit Poëtæ verbis, qui Cæreliam crimine insani freti mersam dicit. Sed hæc gloria Baiarum ab innocentia proueniebat, quod aquæ illæ etiam iussæ hoc criminis monstrum, nec Neroni quidem præstitissent. Illa igitur summa innocentiæ gloria vobis, ô Baianæ aquæ, periit, cum nocentes vestra sponte in Cærelia factæ sitis. Itaque eius morte iam damnatæ, vt dixit sup. ep. 60.

Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras.

D De Agrippina, & quomodo machinoso nauigio repente soluto mergi iussa fuerit à Nerone, Suet. Dio & ceteri Historici.

De Hortis Martialis. LXIV.

**Tulli iugera pauca Martialis* *Iulli, vt infrà lib. 7. Epigr. 16.
Hortis Hesperidum beatiora
Longo Ianiculi iugo recumbunt:
Lati collibus imminent recessus:
Et planus modico tumore vertex
Cælo perfruitur sereniore:

Et curuas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admouentur astris
Celsæ culmina delicata villæ.
*v. domino *Hinc septem * dominos videre montes,*
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcúmque iacet sub vrbe frigus,
Fidenas veteres, breuésque Rubras,
Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ, Salariæque
*v. iacet. *Gestator* patet, essedo tacente,*
Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauti cum Celeuma,
*Helciarii qui moliuntur funibus moles nauesque ducant. *Nec clamor valet* helciariorum.*
Cùm sit tam propè Muluius sacrúmque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ,
Hoc rus, seu potius domus vocanda est,
Commendat dominus, tuam putabis
Tam non inuida, támque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoï pios Penates,
Aut facti modo diuitis Molorchi.
Vos nunc omnia parua, qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Preneste domate, pendulámque
Vni dedite Sætiam colono.
Dum me iudice, præferantur istis
*v. Iulli. *Tulli iugera pauca Martialis.*

DOMITIVS.

TVLLI] Laudat hortos Tulli Martial. quos anteponit omnibus alijs.

ASTRIS] Cœlo.

ÆSTIMARE] Prospicere diligenter.

ALBANOS *colles*] i. Algidum: nam Algidum mons in Albano præcipui nominis.

THVSCVLOS] id est, Thusculum.

FIDENAS *vete.*] Antè vrbem conditam, Fidenæ stabant conditæ vna cum Collatia à Lauino. Silius protulit numero singulari:

Modo Roma minatur quondam Fidena.

RVBRAS] Rubræ oppidum non longe ab vrbe.

NEM. *An. per.*] Nemus Aricinum, vbi Anna soror Didonis colebatur, quòd Silius docet, & Ouid. in Fastis. Perenna à perpetuitate dicta, sub quo nomine illic erat: ipsa in Fastis,

Anna perenne latens, Anna perenna vocor.

CRVORE *virgineo*] Quoniam cædebantur pueri illic flagellis ex ritu thoanteo, quod placet: vel cruore virgineo. id est, sanguine hostiarum, quæ mactantur Dianæ virgini.

SALARIÆQVE] Salaria via ducebat in Sabino, à sale dicta: vt Plin. scrib.

PATET] Cernitur illic.

A ESSEDO *tacente*] Quia non audiebatur currus strepitus.

HELCIARIORVM] Trahentium naues funibus: nam ἕλκω Græcè, Latinè traho.

MILVIVS] Pons ad quem trahebantur naues.

ALCINOI] Alcinoüs pietate hospitalitatis laudatur, suscepit Vlyssem, Nausicaa filia à littore eum ducente, quòd multo carmine cecinit Homer.

MOLORCHI *diuitis*] Molorchus Herculem hospitio suscepit.

SÆTIAM] Nobilem vino non procul ab vrbe.

ISTIS] Scilicet nostris prædijs.

GEORGIVS.

DIVITIS *Molorchi*] Miror enarratorem syluarum Statij non animaduertisse poëtam inuocantem Herculem, vbi scri. consecrationem eius in littore Polij: *Huc ades, & genium templis nascentibus infer,*

Non te Lerna nocens, nec pauperis arua Molorchi,
B *Nec formidatus Nemees ager, antraque poscunt.*

Molorchum pauperem Stat. dixit, quem modo diuitem Mart. appellat: ergò vt de diuitijs aliquid dicamus, & ne videantur duo celeberrimi poetæ diuersa sentire, Mart. diuitem appellauit Molorchum, respiciens ad rem sui temporis, si quidem Domit. Cæsar ædem extrui fecit Herculis opulentissimam; in qua sacellum erat Molorchi, non pauperis, vt quondam, cùm Herculem accepit, sed diuitis per donaria Cæsaris de templo Herculis, in cuius vultus Dom. descenderat & de Hercule Vindicis Stat. scribens hæc ait.

Sed qualem parci domus admirata Molorchi.

RAMIR. DE PRADO.

Laudat hortos Iulij Martialis à situ, à cœlo, à subC iectis amœnis regionibus, à quiete, à benignitate & hospitalitate domini: præfertque eos Tiburi, Præneste, Sætiæ.

1 IVLLI *iugera.*] Legendum omninò cum doctis viris, *Iuli*, vt l. 7. ep. 16.

Iuli bibliotheca Martialis.

Et Gruterus fidem facit, ita legi in Cod. Pal. & in Iunii. Tacitus lib. 17. de Iulio Martiale quodam Tribuno bis mentionem facit, forte an hoc eodem.

2 LONGO *Ianiculi iugo recumbunt.*] Longo iugo dixit, quod, vt Baronius Cardinalis Annal. vol. 1. probat, Ianiculum erat veteribus locus ille, qui complectebatur omnes colles, qui modicarum vallium interiectu coniuncti ab eo termino qui est proximus Auentino atque Vaticano continuantur, & super Mutia porta porriguntur, ac propter Pontem MiljD cium terminantur.

3 PVRIS *leniter admouentur astris.*] *τὸ admouentur*, ad culmina delicata celsę villæ referendum. Nec post illud *astris* punctum aliquod esse debet. *Pura* vocat *astra*, quæ nullis nebulis aspectui subtrahuntur: eadem eleganti metaphora inf. lib. 8. ep. 14. *puros soles & sine fece diem*, dixit:

Hibernis obiecta Notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fece diem.

4 ET *totam licet æstimare Romam.*] Idem dixit de Bibliotheca d. ep. 16. lib. 7.

Vicinam videt vnde lector vrbem.

Est autem hæc elegans Metonymia: Nam quæ videmus, æstimamus & iudicamus. Sic dicimus Hispani eadem metonymia; *sojuzgar desde vn lugar alto a los bajos. Dominos* verò montes dixit, quod malo quam *domino*. Nam dominos montes septem illos appellat colles Romanos, vt sæpe dicit Dominam Romam. & Poeta. *Romanos rerum dominos.*

5 Qvodcvmqve *iacet sub vrbe frigus.*] Metonymia quarti generis, id est, quæcumq; loca frigida.
6 Et *quod Virgineo cruore gaudet, Anna pomiferum nemus Peranna.*] De *Anna Peranna*, vel *Perenna* Didonis sorore in Italia apud Æneam exulante, & in amnem Numicum, vt vitaret Lauiniæ insidias, se præcipitante, & tandem pro Dea culta plenæ sunt fabulæ. Totam autem narrationem complectitur eleganter Ouid. 3. Fast. Mense namq. Martio colebatur Idib. eius, vt annare & perannare liceret, vt Macrob. scribit, lib. 1. Saturn. c. 2. Ob hanc rem *Peranna* dicebatur, vel quod fere idem est *Peranna*, vt inquit Ouid. d. lib.

Anne Perennæ latens Anna Peranna vocor.

Illud autem quod *virgineo cruore gaudet*, video à nemine, quod sciam, intellectum. Nam quod id sit nemus Aricinæ Dianæ, quod, vt Strabo lib. 5. scribit, madebat sanguine hominum mactatorum ad morē sacrorum Dianæ Tauricæ, nec mihi fit verisimile, nec vt ita sit, diceret Poëta, *virgineo cruore*. Minus B arridet quod vulgariter dicitur, *cruorem virgineum* ferarum esse à Diana virgine fusum. Ego sic existimo hoc loco cruorem pro ipsa morte sumi metonymicῶς: Nam quamuis Anna Perenna incruentam obierit mortem, aquis suffocata, Poëticè tamen dixit, cruorem pro eius interitu. Gaudere autem dicit nemus cruore eius virginis, quasi gloriari eiusdē morte. Cruor dicitur sanguis fusus: sanguinem verò pro vita vsurpabant veteres, quod non probat illud Virgilij: —— *vitam cum sanguine fudit.*
Sed aliud eiusdem diuini Poëtæ, lib. 9. vers. 349.

Purpuream vomit ille animam.

Quod animam existimabant sanguinem esse, audio hodieque apud Gotholanos sanguinem arietum vel gallinarum frictum & paratum ad cibum, vitam vocari, quæ consona sunt, aut potiùs desumta ex sacris literis Deuteronomij, cap. 12. Num. 23. vbi præscritur forma seruanda in comedendis animalibus. Leguntur hæc verba. *Hoc solum caue, ne sanguinem comedas. Sanguis enim eorum pro anima est, & iccirco nō debes animam comedere cum carnibus.* Hinc cruor à C Poëta pro morte vsurpatur.
7 Gestator *patet essedo tacente*, &c.] Id est, gestatores, hoc est, illi, qui vel onera, vel homines essedo gestant, qui essedarij etiam dicuntur. Spectantur ex his hortis, sed spectatores non obtunduntur rauco illo & molesto rotarum stridore, nec is somnum interrumpere potest. Idem accidit in nautico celeusmate & helciariorum clamore nauicularum, quæ prope Miluium Pontem per Tyberim transcurrebant.
6 Avt *falsi modo diuitis Molorchi.*] Molorchus hospes fuit Herculis, quem benignè euntem ad Leonem Nemęum optimendum hospitio excepit, quamuis pauper: sic Statius in Hercule, Sylu. lib. 3. D
—— *Nec pauperis arua Molorchi.*
Factus autem diues dicitur hoc loco, quòd Domitianus in Latia via Herculis fanum ditissimum extruxit, & Molorchi Sacellum vicinum locupletauit. De hoc templo est epig. 65. lib. 9.

De Philæni. LXV.

Oculo, Philænis, semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

RAMIR. DE PRADO.

Paradoxon est familiare huic Poëtæ, cui respon- A det per subiectionem, quasi dicat; Qui fieri posse putes, vt Philænis semper altero ploret oculo, cùm omnes plorent ambobus. Nodum soluit, dum ait, *Lusca est.* Nam lusci nō possunt siccis oculis plorare.

Ad Linum. LXVI.

Egisti vitam semper, Line, municipalem:
Qua nihil omnino dulcius esse potest.
Idibus, & raris togula est " *excussa Kalendis:* (v. tibi sumi- ta.)
Duxit & æstates synthesis vna decem.
Saltus aprū, campus leporē tibi misit inemtū:
Sylua grauis turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo venit de gurgite piscis:
Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.
Villica vel duri compressa est nupta coloni:
Incaluit quoties saucia vena mero.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec mersa est pelago, nec fluit vlla ratis.
Supposita est blādo nūquam tibi tessera talo:
Alea sed parcæ sola fuêre nuces.
Dic vbi sit decies, mater quod auara reliquit?
Nusquam est: fecisti rem, Line, difficilem.

DOMITIVS.

Egisti] Linum deridet, qui, quamuis semper ruri vixerit, & nullos senserit vrbanos labores, tamen ex diuite erat factus pauper, ait ergo poëta, quamuis ô Line ruri vixeris, vbi nullos sumpsisti labores, tamen fecisti rem difficilem, hoc est, factus es pauper: nam facere rem difficilem, est subire munus laboriosum. *Res* significat rem domesticam. *Difficultas* dicitur paupertas, res ergo domestica dicitur difficilis, quando est exigua.
Fecisti *rem difficilem*] Hoc est, substantiam domesticam ad paupertatem redegisti, cùm altero sensu videatur loqui.
Fecisti *rem difficilem*] i. laboriosam.
Mvnicipalem] Rusticanam.
Qva] i. qua vita municipali.
Nil *potest esse dulcius*] i. nil iucundius: mendosè in recentiori codice est vilius pro dulcius: dulcius autem habet codex antiquus, & ad hoc verbum argutè refert poëta,
Fecisti rem difficilem.
Rvbens *cadus*] Fictilis à colore.
Argolica] Græca: nam è Delo, & è Delphis mittebantur pulchri pueri, infrà appellabit Delphicum Cinædum.
Flvit] Nauigat ibi.
Fecisti *rem difficilem*] i. redegisti substantiam in paupertatem. Ita enim intelligit, quamuis dicere videatur in vita municipali dulcissima, fecisti rem grauem, & laboriosam, & ex hac illusione risum mouet.

RAMIR. DE PRADO.

Irridet sub specie admirationis Linum quemdam, qui ingens patrimonium dilapidauerat eo victu & cultu, quo alius posset id multum augere: dicitque cum rem fecisse difficilem. Nam eàdem parsimoniâ, qua alius quis ex paupere diues fieri poterat, ille contrà ex ditissimo factus est pauperrimus.

1 DVLCIVS *esse potuit.*] Corruptus locus: neque vox *dulcius*, facit ad sensum. nam quamuis dulce aliàs sit rusticari, laudataq; vita rustica ab hoc nostro sæpius, hoc loco intempestiua fuisset ea laudatio, quod patet ex epigrammatis totius argumento. Vidit hoc Gruterus, & ex trium, vt ipse testatur, manuscriptorum fide, *vilius* reponit, id est, minus sumtuosum. De codicum fide, fides sit pœnes eum: ego omnino lego *durius*, id est, molestius ex parcitate. Expendo ad hoc locum Terentij (qui auctor Latinæ proprietatis Magister extitit, vel Ciceroni) in Andriâ, act. 1. sc. 1.

Primum hæc pudicè vitam parcè, ac duriter
Agebat, lanâ, ac telâ victum quæritans.

Vbi vides. *duriter* sequi *τῷ parcè.* Ad eumdem modum hoc loco, cum Lini parsimoniam augeat, omnibus modis duram egisse Municipalem vitam dicit. Vellémq; in omnibus emendationibus summam haberi litterarum ductus rationem. Vnde inclino in hanc sententiam, quod *durius*, minus declinet à *dulcius*, quàm *vilius*: & inde facilis fuerit librarij lapsus.

2 IDIBVS *& raris togula est excussa kalendis.*] Propterea, quod, vt diximus sup. lib. 2. ep. 16. n. 1. in secessu aliis à toga vestibus vtebantur. Repositam autem habebant togam, quam sumebant rarissimè solemnibus in festis, vel Idibus, quibus *alba Ioni grandior agna cadit*, publicis sacrificiis, vel Kalendis, quas Ausonias vendicat cura Iunonis, vt Ouid. 1. Fast. ait. Iuuenal. saty. 3. vers. 171. auget hanc togæ raritatem in Italia, his verbis:

Pars magna Italiæ si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. ———

Excussa autem malo, quam quod est in veteri libro, *tibi sumta.* Quod existimo esse interpretamentum alicuius Grammatistæ. Id tamen præfert Heraldus. Est autem elegans Metonymia, quæ etiam Emphasin habet, vt significet ita rarò fumi togam, vt necesse sit excuti à puluere, quo obsita fuerat.

3 DVXIT *& æstates Synthesis vna decem.*] Synthesis vnam vestem etiam significat, vt dictum est sup. epig. 46. Notatur summa Lini parsimonia, quòd tantum abesset à luxu, vt eadem veste decem annis vteretur.

4 SALTVS *aprum,* &c.] Commoditates ex rure Lino prouenientes enumerat, cùm esculenta & poculenta omnia haberet sua, nullo pretio comparata.

5 NEC *tener Argolica,* &c.] Græci pueri delicati ingenti pretio venundabantur, in quo plerique insaniebant, ita vt effunderent in puerorum pretia ingentes opes. sic sup. lib. 1. ep. 59.

Millia pro puero, centum me mango poposcit,
Risi ego, sed Phœbus protinus illa dedit.

Et lib. 12. ep. 33. de Labieni insania,

Vt pueros emeret Labienus vendidit hortos.

Nulla ergo ab hac luxurię parte Lino paupertatis occasio, & subiungit.

6 SED *steterit inculti rustica turba foci.*] De quorum verborum interpretatione dictum est, sup. lib. 1. ep. 50. num. 9. & lib. 3. epig. 82.

7 SAVCIA *vena mero.*] De hoc dicendi modo, *saucius mero,* pro ebrio, dictum est sup. lib. 3. ep. 68.

A num. 3. *Venam* autem pro libidinis instrumento sumit, Horatij imitatione, qui lib. 1. serm. sat. 2. *Nam simulac venas* (inquit) *inflauit tetra libido.* Sic rigidam venam dicit, lib. 6. ep. 46.

Nec quæ stat rigida supina vena. Et lib. 11. ep. 17.
O quoties rigida pulsabis pallia vena.

8 NEC *nocuit tectis ignis,* &c.] Proponit nunc per negationem causas paupertatis, quarum nulla contigit Lino, tectorum conflagrationem, agrorum ardorem, nauium naufragium.

9 NEC *Sirius agris.*] Sirius Canis astrum est nocentissimum segetibus, & arboribus, è cuius nimio ardore solent perire fundi, quæ calamitas *καῦμα* à nostris Iureconsultis appellatur, vt in L. si in venditione. 10. de peric. & comm. rei vend. & in L. cum res legata 47. §. vlt. ff. de leg. 1. quamuis alij his locis *χάσμα* legant, id est, hiatus soli & terræ motu relictus, quod non probo.

B 10 SVPPOSITA *est blando nunquam tibi tessera talo.*] De tesseris & talis vide locum Vbertini, & docte tractatum à doctissimo & probissimo viro Martino Antonio Del Rio, in eruditissimo libro comment. ad Senecæ Tragœdias, in Hercul. furente. Tantum illud adnotaro ad huius loci intelligentiã, Talorum ludum minoris esse aleæ, quàm tesserarũ; & solere aleatores, vt hodiéque fit, à minori ludo incipere: deinde incalescentibus lusoribus, depositis talis, supponebatur tessera. Hac de causa ipsa tessera lib. 14. ep. 15. gloriatur se, quamuis non sit par numero talis, nihilominus tamen maioris esse aleæ, verba Poëtæ sunt:

Num sim talorum numero par tessera, dum sit
Maior quam talis alea sæpe mihi.

Sensus igitur Martialis in hoc epigrãmate est: Numquam ô Line aleatorum prœliis interfuisti, vbi summa

C cum pecuniæ iactura supponi solet tessera blando talo, id est, miti & moderatæ aleæ talo.

11 ALEA *sed parca sola fuere nuces.*] Sed alea tua nuces fuere, quibus pueri solebant ludere, vt lib. 14. epig. 18. cuius lemma, *Nuces.*

Alea parua nuces, & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Et Pers. satyr. 1.

Tunc cum ad caniciem & nostrum istud viuere triste,
Adspexi, & nucibus facimus quæcumque relictis,
Cum sapimus patruos.

Inde natum Prouerbium, *relinquere nuces*, id est, à puerorum moribus abscedere, ætate iam suadente. Hic ergo Linus, cum turba puerorum agrestium nucibus ludebat. Ex quo nullum ei damnum poterat prouenire.

12 FECISTI *rem Line difficilem.*] Paradoxon familiare huic Poëtæ, id est, quemadmodum rem difficilem fecisset, qui fluxu & omni deliciarum genere

D defluens rem conseruasset, ita & tu hac mira parsimonia cum rem perdideris difficile quiddam præstitisti. Similis iocus est sup. lib. 2. ep. 76.

Argenti libras Marius tibi quinque reliquit,
Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

In prætorem. LXVII.

Prætorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat " cara notus amicitia. v. cana.
Dicebatque suis hæc tantum deesse trecentis,
Vt posset domino plaudere " iussus eques. v. iustus

Scorpus auriga tor Caligulæ acceptus. * Thallóq. Lipsius, lib. 1. Epist. 5.

*Prætor ait: scis me * Scorpo, * Thalioque daturum:*
Atque vtinam centum millia sola darem.
Ah! pudet ingratę, pudet ah! malè diuitię arcę.
Quod nō das equiti, vis dare, Prætor, equo?

DOMITIVS.

PRÆTOREM] Gaurus petierat à prætore, vt daret sibi centum sestertia, vt posset iusti census eques comitari Domitianum: negauit prætor, quoniam erat daturus centum millia Scorpo aurigæ, de quo infrà Martial. huic Caligula consulatum destinauerat præter multa munera, & infrà poëta conqueritur Scorpum accepisse multa vna hora. Ait poëta ingratum esse prætorem, qui vult dare equum Scorpo, & non dare equiti.

DOMINO] Domitiano.

MALE *diuitiis*] Quia malè vtitur diuitiis. B

AH! *pudet ingrata*] In amicos, & in eos, quibus debet dare.

RAMIR. DE PRADO.

Increpat Prætorem quemdam, qui amico Gauro centum sestertia oranti, vt censum Equestrem trecentis suis expleret, excusauerat, causatus ingens munus quod Scorpo & Thalio agitatoribus daturus esset. Conqueritur Poeta Prætorem equo potius æneo velle largiri, quam Equiti viuo. Simile argumentum est epigr. 26. lib. 5.

1 DICEBATQVE *suis hæc tantum deesse trecentis.*] Quadraginta sestercia, Censum esse Equestrem notum est.

2 VT *possit Domino plaudere iussus Eques.*] Magis arridet *iustus Eques*: quòd iustus Eques is sit, qui censu integro quadringentorum censetur Eques. *Domino*, id est, Domitiano Imperatori qui se ipse Dominum Deumque vocabat. *Plaudere*, id est, intra quatuordecim ordines sedere, quod ij, qui Equestri dignitate essent, propius ad Imperatorem accedentes plausum reddebant. Nam quamuis populus omnis plaudebat aduenienti Cæsari, vt lib. 6. ep. 34. C

Quæque sonant pleno vocéque manúsque theatro,
Cum populus subiti Cæsaris ora videt.

Tamen cupiebat Gaurus plaudere eques in quatuordecim ordinibus.

3 SCIS *me Scorpo Thalioque daturum.*] Scorpus nobilis agitator Domitiani tempore, quem defflet poëta mortuum, lib. 10. ep. 50. cuius epitaph. scribit eod. lib. ep. 53. & ingentes eius quæstus enumerat ep. 74. *Cum Scorpus vna quindecim graues hora* D
Feruentis auri victor afferat saccos.

Cuius meminit lib. 11. epig. 1.

Sed cum sponsio fabulæque lassæ,
De Scorpo fuerint & incitato.

De Thalio, vel vt verius legit Lipsius, *Thallo*, nihil memini me legisse, præter nomen eius in tabella, quam adducit Onuphrius Panuuinus li. de lud. Circens. cap. 13.

4 AH! *pudet ingrata, pudet ah! malè diuitis arca.*] De arca iam dictum sup. li. 1. ep. 77.

5 QVOD *non das Equiti, vis dare Prætor equo?*] Difficilis locus, & qui videtur probare Scorpum nō agitatorem, sed equitem esse. Quod idem videtur ostendere ep. 26. lib. 5.

Quam non censuro dare quadraginta caballo,
Aureus vt Scorpi nasus vbique micet.

Sed tamen ita me expedio: statuæ equestres inter alia præmia victoriæ ponebantur agitatoribus, ab iis, qui fautores eorum se profitebantur. Vnde viri docti in superiori disticho pro *aureus*, reponunt *æreus* vt dicemus ad eum locum. Hoc ergo est, *dare equo*, id est, equestri statuæ, in qua maioris pretii erat æneus equus cum basi, quàm statua ipsa.

Ad Sextum. LXVIII.

Inuitas centū quadrantibus, & bene cœnas.
Vt cœnem inuitor, Sexte, an vt inuideam?

RAMIR. DE PRADO.

Sexti cuiusdam inurbani impudentiam notat, qui spectantibus sportulariis ipse bene cœnabat. Iam explicatum est hoc Epigramma sup. lib. 3. ep. 7.

Ad Pamphilum. LXIX.

Tu Setina quidē semper, vel Maßica ponis
Pamphile: sed rumor tam bona vina negat.
Diceris hac factus cælebs quater esse lagena.
Nec puto, nec credo, Pamphile, nec sitio.

RAMIR. DE PRADO.

Pamphilum quemdam veneficum carpit, quod bona vina veneno infecta conuiuis ponebat. Dicit se id nec credere, nec suspicari, non tamen sitire.

1 VEL *Massica ponis.*] De verbo *ponendi vini*, dictum est sup. ad lib. 1. epi. 44. n. 3.

2 HAC *factus cælebs quater esse lagenam.*] Id est, quatuor necasse vxores, vt earum dote fieret locupletior. Itaque Pamphili lagena erat infamis, vt sup. ep. 43. *lagena Pontiæ.*

De Ammiano. LXX.

Nihil, Ammiáno, præter aridam vestem
Moriens reliquit vltimis pater ceris.
Fieri putet potuisse quis Maronillæ,
Vt Ammianus mortuum patrem nollet?

DOMITIVS.

NIHIL] Ammianus viuo patre per luxum multa consumpserat, quemadmodum suprà Philomusus: idem enim fermè est argumentum: nam Ammianus, & Philomusus constitutam à patre pecuniam accipiebat, tantùm autem assumpserat, vt pater moriens nihil habuerit, quod relinqueret, præter tritam vestem, vt recentes codices habent: vt antiquiores præter aridam vestem, vt intelligas cathedram, quæ linteis, & loris vinciebatur. Placet magis, vt secutus fidem antiqui codicis aridam vestem eius. i. rudem, quam gladiatores emeriti accipiebant, vt intelligas Ammiani patrem gladiatorem emeritum fuisse. incredibilè accidisse ait Mart. vt Ammianus prodigus, qui paulò ante luxuriabatur, & vt id licentiùs agere posset optabat patris mortem: nunc patrem viuum optet, quia scil. plus à viuo habebat, quàm à mortuo nunc acceperit.

VLTIMIS *ceris*] i. testamento.

RAMIR. DE PRADO.

Scribit ad Maronillas (vel si mauis, ad Maronillũ) vt scribatur sic: *Fieri putaret posse quis. Maronille*, aut forte legendum Varonillæ, quæ sorores sunt. (Nam hoc fœminarum nomen Martialis tempore, legitur apud Tranquillum Domitiani, cap.8.) scribit inquam de Ammiano quodam, qui, cùm patris mortem optaret, vt hereditate potiretur, vltimis tabulis pater nihil ei præter vestem solam reliquit. Miratur fieri potuisse, vt Ammianus doleret ob patris mortem, viuus enim aliquid filio largiebatur.

1 PRÆTER *aridam vestem.*] Acutè Lips. lib. 1. elect. c.18 emendat, *restem*, qua se Ammianus suspenderet, quo magis significabatur patris odium. & verò restis arida est: sed tamen *vestem* retineo, meliori sensu, quod arida vestis sit sola vestis, nulla alia re adhibita, sic lib.10. ep.75.

Sportula nos iunxit quadrantibus arida centum.

Sic dicimus Hispani, *panas secas*, & Galli, *à beau pain sec.* id est, panem aridum, nullo alio cibo adiuncto.

2 VLTIMIS *pater ceris.*] Id est, vltimo testamento: nam prioribus pater hæredem scripserat, vnde Ammiano desiderium paternæ mortis, quo hæreditatem illam cernere posset. A consuetudine autem in ceratis tabulis scribendi, quæ vulgatissima est, appellabantur ceræ μετωνυμικῶς quæuis scripturæ, vel etiam tabulæ: vnde apud Iureconsultos secundæ tabulæ dicuntur pupillares substitutiones: propterea quod post proximi hæredis institutionem separatim scribebatur ea substitutio, de quibus mentio apud Iurisconsultos multis in locis, & in l. moribus. 2. §. interdum. ff. de pupill. subst. Quam substitutionem Iustinianus in §. sin autem 5. Instit. de pupill. subst. fieri iubet in posterioribus partibus testamenti separatim, eamque proprio lino, propriaque cera consignari, ne scilicet periculum pupillo substituto hæreditatis certo crearetur, si ea substitutio palam fieret. Quam substitutionem appellat Cornel. Tacitus li.1. annal. secundam spem. *In spem*, inquit, *secundam nepotes pronepotésque: tertio gradu primores ciuitatis scripserat.* Hinc Sueton. in Nerone, cap.17. *Aduersus*, inquit, *falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ ac ter lino per foramina traiecto obsignarentur, cautum vt in testamentis primæ duæ ceræ testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur.* Primas duas ceras appellat institutionem & substitutionem: sic Horat. lib.2. sat.5.

——& tabulas à te remouere memento:
Sic tamen vt limis rapias: quid prima secundo
Cera velit versu, solus multisne cohæres
Veloci percurrere oculo.

Id est, leuiter perscrutare, an solus, an cohæres cum multis sis, quod videbis in limine ipso testamenti, vel ad longum secundo versu. reliqua verò eiusdem testamenti in ima cera scripta dicebantur. Sueton. in Iulio cap. 83. *Sed nouissimo testamento tres instituit hæredes sororum nepotes, Caium Octauium ex dodrante, & Lucium Pinarium & Quintum Pedium ex quadrante reliquo. In ima cera C. Octauium, etiam in familiam, nomenque adoptauit, pluresque percussorum in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit.* quod hic dicit, *nouissimo testamento*, Noster dicit, *vltimis ceris.*

3 VT *Ammianus mortuum patrem nollet.*] Vulgatissimum erat Ammianum patris mortem impensè optare, hæreditatis cupiditate, quod in prioribus testamentis se sciret hæredem institutum. Cùm autem A aperto testamento nihil sibi videret relictum, dolebat mortuum patrem, à quo viuo aliquid poterat accipere. Eodem ioco vtitur lib. 6. ep. 63. ad Marianum:

Si cupis vt plores, da Mariane nihil.

Ad Sophronium. LXXI.

Quæro diù totam, Sophroni Ruse, per vrbem,
Si qua puella neget: nulla puella negat.
Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare.
Tanquam non liceat, nulla puella negat.
B *Casta igitur nulla est. castæ sunt mille. quid ergo*
Casta facit? non dat: non tamen illa negat.

RAMIR. DE PRADO.

Queritur puellarum Romanarum facilitatem, ex quibus nullam, quæ negaret, inueniebat, adeò vt ne castæ quidem, quamuis non darent, non tamen negabant. Huic epigrammati coniunctum est epigr. 82. inf.

1 QVÆRO *diu totam.*] Negantem puellam quærebat ob eam causam, quod facilitas in dando satiare soleat, vt dixit ipse sup ep.38.

Galla nega, satiatur Amor, nisi gaudia torquent.

Et epi. 42. de puero, quem optabat sibi contingere, C inquit:

Sæpéque nolentem cogas, nolisque volentem.

Et lib.1. epi.58.

Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.

Et vltimo versu subiungit caussam:

Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.

Cetera huius arg. vid. sup. dict. ep.42.

2 TANQVAM *fas non sit.*] Sequenti versu dicit, *Tanquam non liceat.* Differunt autem *fas esse* & *licere*, quod fas esse est, sua natura æquum esse aliquid, cuius contrarium est nefas, vt apud Horat. ode 11. li.1. vbi sic interpunge.

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi quem tibi
Finem Dij dederint, Leuconoë.

Est enim formula. *Scire nefas*, de his rebus, quarum inuestigatio non conceditur hominibus. vt apud Lu-D can. lib.1. vers.126.

——quis iustius induat arma,
Scire nefas, magno se iudice quisque tuetur.
Victrix causa Dijs placuit, sed victa Catoni.

Dicitur autem fas & nefas à fando, quod non sit æquum fari contra eam rem, vel sit æquum fari. Vnde Hispani, cum aliquid iniquum dicere volumus, & quod fieri nequit, dicimus. *No ay hablar en eso.* At *licere* refertur ad facultatem, quam ab aliquo habemus: sic dicimus, *Non licet mihi per patrem.* Quasi igitur vel ex sua natura iniquum sit negare, vel turpe, vel ad negandum concessam non habeant facultatem, dicit:

Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare,
Tanquam non liceat.

3 CASTA *igitur nulla est.*] Hic debet apponi interrogatio, quòd hæc obiectio sit, cui respondet per subiectionem *Casta sunt mille.* & addit alteram obiectionem. *Quid ergo casta facit?* Respondet subiectione etiam, *non dat: non tamen illa negat.* Sed Oui-

dius non vocat eam, quæ solùm non dat, sed eam quæ non rogatur, castam, lib. 1. eleg. 8.

Ludunt formosæ: casta est, quam nemo rogauit.

Ad Quinctum. LXXII.

Exigis, vt donem nostros tibi, Quincte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Aes dabo pro nugis, & emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatuè: nec ego.

DOMITIVS.

EXIGIS] Quinctus postulabat à Mart. libellos. B

TRIPHON] Nomen proprium bibliopolæ.

SANVS] Sana mente.

FATVE] Stulte, vt ego donem.

RAMIR. DE PRADO.

Tacitè sordes aliquorum reprehendit sub Quincto, qui cum animi caussâ poëtæ libellos expeteret, paucos tamen impendere in eam rem nummos recusabat. Est eiusdem argumenti ep. 118. lib. 1.

1 EXIGIS *vt donem nostros tibi Quincte libellos.*] Arrisit hoc verbum Martiali, sic lib. 3. ep. 46.

Exigis à nobis operam sine fine rogatam.

Vbi de eius verbi significatione dictum, & lib. 7. ep. 76.

Exigis vt donem nostros tibi Tucca libellos.

2 BIBLIOPOLA *Tryphon.*] Nobilis Quintiliani præfatione, de quo Noster etiam, lib. 13. ep. 3. C

Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.

3 NEC *ego*] Id est, neque ego tam fatuè faciam vt gratis tibi nostros donem libellos.

De Vestino. LXXIII.

Cornelius Tacitus l. 15.

Cū grauis extremas Vestinus duceret horas,
Et iam per Stygias esset iturus aquas,
Vltima voluentes orabat pensa sorores,
Vt traherent parua stamina pulla mora.
Iam sibi defunctus, caris dum viuit amicis,
Mouerunt tetricas tam pia vota deas.
Tum largas partitus opes, à luce recessit:
Séque mori posthac credidit ille senem.

Idem Græcè.

Λοίσθιον ἀσθμαίνων πυμάτῃ Βεστῖνος ἐν ὥρῃ,
Καὶ Στυγίους ἥξειν εἰς ἀίδαο δόμους·
Κλωστῆρ' ὑστάτιον στρωφώσας λίσσετο Μοίρας
Ἕλκειν τυτθὸν ὅσον νήματα φαιοφαῆ,
Μέσφα φίλοις ζώει, θνήσκειν μόνος αὐτὸς ἑαυτῷ.
Κάμψαν ἀμειδήτοις ἰθὺ δίκημα θεαί.
A Εἶτα φάος λείπει, διαδειμάμενος ἄσπετον ὄλβον·
Καὶ μετὰ ταῦτα γέρων αὐτῷ ἔδοξε θανεῖν.

DOMITIVS.

CVM *grauis*] Laudat liberalitatem Vestini, qui dānatus à Nerone tantùm temporis postulauit, quantùm satis esset ad distribuendas opes suas amicis: hoc facto, quamuis iuuenis moreretur, putauit se mori senem, quasi maximum vitæ munus absoluisset. De supplicio Vestini, & eius causa satis sit referre verba Taciti, cùm scriberet de Nerone: Operiebatur vt Vestinus in crimen traheretur. odium ex nimia sodalitate cœperat, dum hic ignauiam principis despicit, ille ferociam animi metuit, recens causa quòd Statiliam Messalinam sibi matrimonio iunxerat, haud ignarus inter adulteros esse Cęsarem: tùm narrat eum vocatum fuisse à militibus ad tribunum, accitum statim medicum, qui venas soluerit: conuiuis, qui cum Vestino erant, nonnisi prouecta nocte emissis. hoc quod scrib. Mart. de opibus diuisis, Tacitus prætermisit, nec meminit Tranquil.

GRAVIS] i. moriturus.

SORORES] Parcas.

VLTIMA *pensa.*] Id est, vltimum filum vitæ suæ.

STAMINA *pulla*] i. nigra: nam Parcæ dicuntur trahere fila nigra infelicibus.

DEFVNCTVS *sibi*] Relicta cura de se.

VOTA *tam pia*] Non rogabat viuere pro se, sed pro amicis, quibus impartiretur opes.

RAMIR. DE PRADO.

Atticum Vestinum, filium illius Vestini, quem Nero consulem immerentem occidit, vt est apud Sueton. & Tacitum Annal. 15. laudat à liberalitate, qua in extremo vitæ spiritu cum amicis vsus est, quibus ingentia diuisit dona; quo facto lubens decessit.

1 GRAVIS *Vestinus.*] Id est, grauissimo morbo affectus.

2 VT *traherent parua stamina pulla mora.*] Pulla Parcarum stamina ea sunt, quæ mortem minantur. Vnde lib. 6. ep. 55. poëtica periphrasi hāc sententiam expressurus: *Si mihi vita vsura contingat diuturna.* his verbis eam protulit.

Si mihi lanifica ducunt non pulla sorores
Stamina.

Contra verò alba stamina dicebantur ducere parcæ, quando vitam in longius protrahebant. Iuuen. sat. 12. vers. 64.

——Postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares & staminis albi
Lanificæ.

D Pro *orabat*, autem in superiori versu repono, *orauit*, ex Colinei editione.

3 IAM *sibi defunctus caris dum viuit amicis.*] Hoc nomine Parcas exiguam orabat moram, quod non sibi vellet viuere, quippe iam defunctus, sed amicis tantùm, quod votum valde pium erat.

4 SEQVE *mori posthac credidit ille senem.*] Eandem sententiam elegantissimam vsurpauit libr. 10. epigram. 53. de Scorpo agitatore viginti septem annorum:

——Dum numerat palmas, credidit esse senem.

De Damis. LXXIV.

Adspicis, imbelles tentent quàm fortia Damæ
Prælia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem paruis cõcurrere frontibus audẽt.
Vis, Cæsar, Damis parcere? mitte canes.

Idem Græcè.

Οὐχ ὁρᾷς, πορθὰς ὡς ἄμαχοι μίσγουσιν ἄρηα
Φεύκτον; ὅσον δειλοῖς θηρσὶν ἔνεστι μένος;
Μάρνανται θανατῶσαι ἀϊσσόμεναι μετώποις.
Λῇς σφέων φείσασθαι, Καῖσαρ; ἔφες σφι κύνας.

DOMITIVS.

ADSPICIS] Eodem argumento suprà est epigramma de Damis, quæ inter se concurrentes ceciderunt, præbentes Cæsari spectaculum.

FORTIA *prælia*] Pugnas.

TENTENT] Meditentur.

MITTE *can.*] Pugnent tua gratia Cæsar: at si indicaueris eis tibi non placere vt pugnent, desistent.

RAMIR. DE PRADO.

De Damis in arena aduersis frontibus in se mutuò concurrentibus, dictum est sup. epigram. 35. huius lib.

1 ADSPICIS *imbelles. &c.*] Elegantibus antithetis hoc distichon ornauit. Imbelles Damæ, fortia prælia, timidis feris, quanta ira.

2 VIS *Cæsar Damis parcere? mitte canes.*] Apostrophe ad Cæsarem acuto paradoxo ornata. Nam qui canes exitio solent Damis esse, ijs immissi earum dirimerent certamen, quo perierunt. Simile acumen est sup. lib. 1. ep. 49. de lepore in ore leonis ludente.

Si vitare canum morsus lepus improbe quæris?
Ad qua confugias ora leonis habes.

De Nigrina. LXXV.

O felix animo, felix Nigrina marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus.
Te patrios miscere iuuat cum coniuge sensus,
Gaudentem socio, participique viro.
Arserit Euadne flammis iniecta mariti,
Nec minor Alcestim fama sub astra ferat.
Tu melius certè meruisti [* v. pignora.] *pignore vitæ,*
Vt tibi non esset morte probandus amor.

DOMITIVS.

O *felix*] Laudatur Nigrina, quæ mortuo patre diues facta, omnes diuitias communicauit cum viro, quamuis dotem olim dedisset, plus inquit Mart. hoc esse, quàm quod egerunt Euadne, & Alcestis: A quarum vtraque incredibili in maritum amore se in rogum iniecit, audita coniugis morte, nam Nigrina viuens amorem suum testificata est, illarum vtraque, moriens.

IVVAT] i. vis.

CENSVS] Diuitias, quæ venerunt à patre.

ARSERIT] Esto quod arserit.

ALCESTIS] Filia Regis Thessaliæ, vxor Admeti, mater Eumeli, qui, authore Hom. xi. nauibus ad Troiam nauigauit, cùm datum esset oraculum Admetum interiturum, nisi aliquis ex propinquis sponte obiret, ipsa se in rogum iniecit. Ouid.

Si mea mors redimenta foret, quòd abbeminor esset,
Admeti coniux quam sequereris erat.

Iuuenal.

Spectant subeuntem fata mariti Alcestem.

Euadne Martis filia ex Thebe Asopi, vxor Capanei, B audita coniugis morte se in rogum iniecit, ita apud Ouid. loquens:

Accipe me Capanëu cineres miscebimus, inquit.

PIGNORE] Monumento.

TESTIFICATIONE *certa vita*] Nam viuus voluisti testificare amorem tuum.

VT *tibi non esset morte probandus amor.*] Id est, voluisti hoc, vt tibi non sit opus testificari amorem morte.

GEORGIVS.

ARSERIT *Euadne flammis iniecta mariti.*] Vno, vt aiunt, verbo prolato, & indiligentiæ, & ignorantiæ hunc interpretem coarguam, adducit testimonium Ouidij de arte amandi, quod opus si legisset, non tam falsò fabulam celebratam apud poëtas, siue historia ea fuerit, narraret: versus in iii. de Arte: C *Accipe me Capanëu, cineres miscebimus, inquit Iphias, in medios desilytque rogos.* Per hæc enim Iphiæ, non Asopi filia Euadne ostenditur. Sed Tortelij, qui author erroris fuit ignoscant nobis manes, neque cum laruis, vt ille dixit, impugnemus, imo Calderinum corrigamus, qui adeo cæcus, & immemor fuit: vt non saltem sequentis versus principium vel inspexit, vel recordatus fuerit. Sed vt conficiam quod de Euadne dicendum est, Pindarus in Olympicis Euadnes cuiusdam mentionem facit ad hunc modum, *ὅς Πιτάνας δὲ παρ' Εὐρώτα πόρον δεῖ ναίμεν ἤγ' ἐλθεῖν ἐν ὥρᾳ, ἅτε Ποσειδάωνι μιχθεῖσα Κρονίῳ, λέγεται παῖδ' ἰοβόστρυχον Εὐάδναν τεκέμεν.* Quod exponentes commentatores duas aiunt fuisse Euadnes, alteram Iphiæ filiã, quæ Capaneo nupsit, alteram Neptuni, & Pinatæs, quæ ab Eurota progenita fuit.

RAMIR. DE PRADO.

D Laudat Nigrinam quandam, à liberalitate in maritum, cui impertierat paternos census, comparatque eam cum Euadne & Alcesti, quas ei postponit, quod illæ morte charitatem in coniuges, hæc sine morte demonstrauit.

1 O *felix animo, felix Nigrina marito.*] Felicem animo appellat Nigrinam, quod hic animus ita benignus in virum summæ laudi ei futurus sit. Felix autem marito, quod felicissimus fuerit maritus tali coniuge, ita vt τὸ *(marito)* in dandi casu accipiatur. Nam cum hoc loco liberalitas eius in maritum laudibus extollatur, non erat consentaneum eam felicem ob maritum vocare, sed contra maritum ob eam: qui sensus non eliceretur ex verbis, si τὸ *marito*, in sexto casu vsurpatum esset, quanquam tolerari etiã posset, cùm ea liberalitas nata esset ex mariti virtute, qua ipsa felix esset.

2 ATQVE *inter Latias gloria prima nurus.*] Nam A cum mentionem faciat infra de Euadne & Alcesti, quæ exteræ nationis fuerant, ideò dixit. *Latias nurus.* gloriam primam eam appellat more suo, qui eminentissimum quoduis in suo genere sic vocare solet, vt lib. 13. ep. 93.

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

3 TE *patrios miscere iuuat cum coniuge sensus.*] Incedit omnibus fere libris hoc mendum, cum omnino *census* legendum sit, vt Domitius legit.

4 GAVDENTEM *socio participique viro.*] Mira verborum proprietate vsus est. Nam cum Nigrina miscuisset cum coniuge census patrios, eum tanquam socium sibi coniunxit. Nam socij ij dicuntur, qui pecuniam in vnum conferunt, eamque miscent & cõmunem faciunt. *Participem* verò dixit, respiciens ad id, quod maritus ex se nihil contulerat, sed ex mera vxoris liberalitate particeps eius pecuniæ factus, in socium esset assumptus. B

5 ARSERIT *Euadne.*] De Euadne Capanei vxore, & Alcesti Admeti. plenæ sunt fabulæ.

6 TV *melius certè.*] Miror neminem adhuc suboluisse mendum in hoc versu, cum potuisset quiuis admoneri varia lectione codicum. Nam in cod. Pal. *certo* legitur, & in Colineana editione recentiori *certa.* legendum ergo, *certa*, vt congruat cum *vita.* *melius* appono colon, vt sit sensus: Tu melius te gessisti, quam Euadne & Alcestis, quibus vt amorem in coniuges probarent, mori necesse fuit. Deinde subiungit ætiologiam: Nam *tu pignore*, id est, ea liberalitate, qua vsa es in maritum, *certa vita.* id est, nulla cogente mortis necessitate, vel non instante fato, sed in summa tranquillitate meruisti, vt tantus amor tuus videretur, quantus posset videri, si pro coniuge mortem oppetijsses: itaque præferendus amor tuus, qui vita, non morte spectatus fuit. Hæc enim solent præferri, quæ in vita excellentia fiunt. Nam ignauus quisque sæpè aliqua cogente caussa, morti se offert. C Sic lib. 1. ep. 9.

Nolo virum, facili qui redimit sanguine vitam:
Hunc volo laudari, qui sine morte potest.

Et lib. 11. ep. 57.

Rebus in angustis facilè est contemnere vitam:
Fortius ille facit, qui miser esse potest.

In auarum amicum. LXXVI.

Millia misisti mihi sex, bis sena petenti:
Vt bis sena feram, bis duodena petam.

DOMITIVS.

MILLIA] Ad amicum, qui miserat sex millia, cum Martial. eum bis sena rogauerit, inquit Mart. vt bis sena habeat, se velle petere xxiiij. millia, nam dat dimidium, ita dat xii. quæ petierat.

RAMIR. DE PRADO.

Sic sup. lib. 1. ep. 76.

Dimidium donare Lino, quam credere totum
Qui mauult, mauult perdere dimidium.

Hic autem auarus amicus, in quem est hoc epigramma, illud sibi consilium vtile existimauit, & duodecim millia petenti Poëtæ sex millia misit. Dicit se scire quomodo ab illo periculoso consilio possit liberari, scilicet cum volet bis sena, petet bis duodena.

In Zoilum inuidum. LXXVII.

Numquam diuitias deos rogaui,
Contentus modicis, meoque lætus.
Paupertas, veniam dabis, recede.
Caussa est tam subiti, nouique voti?
Pendentem volo Zoilum videre.

DOMITIVS.

NVNQVAM] In Zoilum inuidum petit diuitias Martial. vt earum inuidia se suspendat. nam inuidi pingebantur apud antiquos stringentes sibi guttur, & suffocantes se. ita liuor in euocatione Silij describitur apud inferos.

CAVSSA *est quæ*] Interrogat se. alij sic legunt, *Causa est tam.*

NOVI *voti*] Quia opes petas?

PENDENTEM] Suspensum inuidia.

RAMIR. DE PRADO.

Zoilum inuidum depingit eleganti paradoxo, dum dicit mutata voluntate se diuitem velle fieri, cum sup. multis epigrammatis paupertatem libenter amplecti testatus esset, vt Zoilus præ inuidia se suspendat.

1 CONTENTVS *modicis, meoque lætus.*] In vita beata. lib. 10. ep. 47. id multis verbis expressit.

2 PAVPERTAS, *dabis veniam, recede.*] Quàm libenter de se fatetur, sup. lib. 5. ep. 13.

Sum fateor, semperque fui, Callistrate, pauper.

Recedendi verbo vtitur in hunc sensum: lib. 8. epig.

Nuda recede Venus.

3 PENDENTEM *volo Zoilum videre.*] Sup. lib. 1. ep. 116. de Procillo inuido.

Iam suspendia sacra cogitabas, &c.

In Varum. LXXVIII.

Ad cœnam nuper Varus me fortè vocauit,
Ornatus diues, paruula cœna fuit.
Auro, non dapibus oneratur mensa, ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego, non oculos, sed ventrem pascere veni,
D *Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.*

RAMIR. DE PRADO.

Hoc epigramma additum est in Iuniana editione, cum in veteribus non inueniatur: sed elegans est, & poëta dignum: liquet autem per se. Varum quendam vt vanum reprehendit, qui conuiuis ornatum diuitem ostentabat, cœnam autem paruulam apponebat. Ventrem se dicit non oculos pastum venisse, & eleganti metathesi aut apponat dapes rogat, aut auferat opes.

1 TVNC *ego: non oculos sed ventrem pascere veni.*] De hac formula, *pascere oculos*, dictum est sup. ep. 97. lib. 1. n. 10.

In Afrum. LXXIX.

Condita cùm tibi sit iam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo,
Discurris tota vagus vrbe, nec vlla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus, aue.
Et sine te nulli fas est prodire tribuno,
Nec caret officio consul vterque tuo:
Et sacro decies repetis pallatia cliuo,
Sigeriosque modos, Partheniosque sonas.
Haec faciant sanè iuuenes: deformius Afer
Omnino nihil est ardelione sene.

DOMITIVS.

CONDITA] In Afrum senem, & iuuenis munera subeuntem in officijs erga diuites: ait Poëta, cùm sit turpe omnibus sectari id institutum vitæ, hoc est, anxiè salutare, venerari, colere palatinos, seni vero esse turpissimum: hæc officia, qui anxiè præstat dicitur ardelio: nam ardeliones dicuntur qui studiosiùs ad omnia accurrunt, nulla in re permanentes.

SEXAGESIMA *messis*] Id est, cum sis natus, lx. annorum.

VLLA *cathedra*] Id est, nullus diues est, quem mane non salutes, vel cathedra mulierum diuitum; Horat:

Inter discipularum iubeo plorare cathedras.

ET *nulli tribuno fas*] Id est, nullus potest.

SATVRIOSQVE *modos*] Codex antiquus habet *Sigeriosque modos.* Sed Tranquil. scri. Saturium, & non Sigerium. Saturio erat decurio cubiculariorum Domitiani. Parthenius, cubicularius. Si legis *Sigerios*, emendetur dictio eadem apud Tranquil. vt pro saturios, scribatur sigerios, conueniant enim necesse est Tranquil. & Mart. quando de cubicularijs vterque loquitur.

SONAS] Loqueris.

ARDELIONE] Cursore ambitioso, ab ardeo. i. festino, ita poëta verbum fecit.

RAMIR. DE PRADO.

Insectatur facetissimè Afrum quemdam ardelionem importunè & intempestiuè officiosum, quem sexagenarium iam monet, vt ea officia iunioribus relinquat.

1 CONDITA *cum tibi sit iam sexagesima messis.*] Id est, cum iam sexagenarius sis. Estque metalepsis: nam pro messibus autumnos intelligit, pro autumnis annos.

2 ET *facies multo splendeat alba pilo.*] Id est, obsitus sis multis canis.

3 NEC *vlla cathedra est.*] Cathedra commune nomen est Græcis pro quouis sedili, & eadem ratione à Latinis vsurpatur, nunc pro sella, nunc pro muliebribus stratis, iuxta epithetum additum. Hac vltima significatione sumitur à Nostro, sup. lib. 3. ep. 63.

Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet. Et lib. 12. ep. 38.
Hunc qui fœmineis noctesque diesque cathedris
Insedit.

A Sed hic pro sella vel lectica sumi existimo: nam in lecticis paruæ sellæ collocabantur, vt cum vellent, iacentes sederent aliquando. Videor mihi deprehendere ex Iuuenal. sat. 1. vers. 65.

——cum iam sexta ceruice feratur
Hinc atque inde patens, ac nuda pene cathedra.

Nam sexta ceruice hexaphoron est; quod de lectica, non de sella intelligendum. *Nudam* dixit *cathedram*, quod nullo esset tegumento cooperta, cum velum, & pellis omnino remota essent; his enim cooperiebatur lectica, vt ostenditur ex lib. 11. ep. 99.

Lectica nec te tuta pelle, veloque,
Nec vendicabit sella sæpius clausa.

Vbi multa dicemus. Hic igitur Afer importunus salutator, vagus per vrbem quoties se lectica vel sella gestatoria offerebat, extemplò aduolabat vt salutaret eum, qui gestabatur. Hos salutatores & basiatores mirè depingit, & consectatur d. ep. 99. lib. 11.

B 4 ET *sine te nulli fas est prodire Tribuno.*] Eadem dixit de basiatoribus, suprascripto epigr.

Non Consulatus ipse, non Tribunatus,
Sanique fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem.

5 ET *sacro decies repetis palatia cliuo.*] Decies dixit pro sæpiùs. per cliuum autem sacrum ibat ad Cæsaris domum.

6 SIGERIOSQVE *modos Partheniosque sonas.*] Ex Sueton. in Domitian. cap. 17. & ex nostro multis in locis scimus Parthenium cubicularium fuisse Domitiani, cui Xiphilinus comitem dat Sigerium. Hęc lippis & tonsoribus nota. Quid autem sit, *sonare modos Sigerios, & Parthenios*, omnibus video ignotum. Queritur Gruterus interpretum iniuriam, qui id nobis non explicarunt; iusta querela si ipse explicasset: sed fatetur se non intelligere, ingenue quidem. Adducit

C tamen veram lectionem ex veteribus libris, qua lux affulgeat his tenebris. Nam scribit in illis legi *Meros.* quæ vera lectio est, *Sonare* autem *meros Sigerios & Parthenios*. nihil aliud est, quam eos Cæsaris cubicularios semper in ore habere & iactanter eorum intimam amicitiam omnibus ostentare. Neque est insolens veteribus dicendi modus, quoties aliquem nihil aliud, quàm eam rem loqui significare volunt. Cicer. lib. 9. ad Atticum epist. 15. in fine. *Dolabella*, inquit, *suis literis Idibus Martij datis, merum bellum loquitur.* Et Horat. lib 1. ep. 7. ad finem,

——ex nitido fit rusticus atque
Sulcos & vineta crepat mera.

Sic Noster lib. 7. ep. 53. ad Nasidianum.

Sæpe mane mihi de me mera somnia narras.

Sic enim legendus locus, id est, nihil aliud mihi dicis, quam somnia tua. Hic igitur senex ostentandi sui causa, de nulla re alia, quam de Sigerio & Parthenio

D loquebatur.

7 DEFORMIVS *Afer omninò nihil est Ardelione sene.*] Senes vsu iam rerum triti, & experientia docti vanas spes, & amicitiæ acquisitiones effugere debent. Id faciant sanè iuuenes, quibus adhuc fortuna non imposuit. Illi autem qui summa cura & diligentia nullum non lapidem mouent, omniaque agunt, nihil agentes, ardeliones vocat poëta noster, de quo dictum est affatim lib. 2. ep. 7. n. vlt.

Ad Mathonem. LXXX.

Hospes eras nostri sēper, Matho, Tiburtini.
Hoc emis: imposui. * *rus tibi vendo tuum.* * v. las.

DOMITIVS.

HOSPES] Matho emit villam à Mart. ad quam sæpè accedebat.

IMPOSVI] Decepite.

TVVM rus] Quia eo tanquam tuo vtebaris.

RAMIR. DE PRADO.

Facetissimum epigramma, & quod per se satis liquet. Matho poëta Tiburtino semper vtebatur pro suo, tandem aliquando id voluit emere, *Imposui*, inquit Poëta: nam quod vsu prædium tuum semper erat, non erat quod mancipio velles esse tuum. Huius epigrammatis acumen fortè noster desumpsit, vt pleraque alia, ex Senecæ epist. *Errare mihi videmur*, 73. sic legitur. *Stulta auaritia mortalium possessionem, proprietatemque discernit, nec quicquam suum credit esse, quod publicum est.* vnde idem auctor epist. *Quæ dubitare.* 90. ait: *Desierunt* [homines] *omnia possidere, dum volunt propria.* Quibus locis per possessionem intelligit vsum ipsum rei. Nam alias I C. in possessione legitima, quam ex ciuili vel naturali ratione in possessionem ciuilem & naturalem diuidunt, requirunt animum, & vt aiunt Græci, ψυχῆν, ἐξέτασιν, κατοχήν, τὸ διακατέχειν. Quæ certè sunt facti, & in facto possessionem veram (vt quæ semper plurimum facti habeat) consistere arguunt, cum ipsum velle & nolle sit facti. Quicquid vel eminens ipse Cuiacius ex antiquiorũ Consultorum responsis obseruãs afferat vel inferat, asserens animi possessionem ideò iuris esse, quod plena iuris opinione imbui debeat. Licet enim varij in ea disputatione & pæne contrarij textus in iure ciuili videantur: reperietur tamen nullus, quem nostra hęc conclusio non soluat: nimirũ possessionem omnem, vt in acquisitione, retentione, & omissione vel amissione, consideratur, facti esse: iuris autem pro vt ex eiusmodi acquisitione, retentione, vel amissione, ius possidendi quæsitum est. Sic obuiabitur Antinomijs forsan mille, & quamuis mille vel consultos aut Doctores & interpretes legas, videbis ridebisque subolfecisse aliquos hanc rationem decidendi infinita illa, quæ in hanc rem multis columnis & paginis allegantur Iurisc. responsa dubia, nec tamen in veritate agnita fortiter satis (vt doctos & strenuos decuerat) perstitisse.

In Mathonem. LXXXI.

* Huius meminit. sat. 1. Iuuen.

*Declamas in febre * Mathon, hanc esse* D
phrenesim,
Si nescis, non es sanus amice Mathon,
Declamas æger, declamas hemitritæus.
Si sudare aliter non potes, est ratio.
Magna tamen res est, errans cùm viscera
febris
Exurit, res est magna tacere Mathon.

DOMITIVS.

DECLAMAS] In Mathonem, qui disertus volebat haberi, cùm laborans febre declamaret: ait Mart. eum insanire, non esse locum in febre declamationis, nisi fortè id ageret causa prouocandi sudoris, & non ostendendæ eloquentiæ: Matho respondit declamare in febre magnam rem esse. maior, inquit Mart. esset si posset tacere, cùm dolor cogat eum A clamare cum exurat viscera febris, id est, res magna ô Matho tacere, hoc est difficile silere, quasi diceret, videris potius ingemiscere propter dolorem, quam declamare.

PHRENESIS] Insania.

HEMITRITÆVS] Id est, laborans febre Hemitritæo.

RAMIR. DE PRADO.

Loquacem Mathonem quemdam insectatur, qui nec sanus, nec æger numquam cessabat loqui, & in medio febris ardore summo conatu declamabat. Hanc demum existimabat ipse rem magnam esse. Docet Poëta maiorem rem esse eo tempore tacere.

1 DECLAMAS *in febre Mathon.*] Hunc Mathonem existimant interpretes celebrem esse caussidi- B cum, de quo Iuuenal. sat. 1.

——nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis, tam ferreus vt teneat se,
Caussidici noua cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso.

Sed ego existimo hoc nomen fictum esse, & à Nostro & à Iuuenale etiam; cum Mathonis caussidici nulla sit apud Historicos mentio illis temporibus. Neque Iuuenalis tam incautus fuisset, vt diuitis caussidici verum proferret nomen, & forte factum fuit nomen ἀπὸ τῆς ματίας, nam vt insanum hunc vterque Poëta notat: Sic etiam Itali *Mato*, insanum vocant.

2 NON *es sanus amice Mathon.*] Ludit in nomine *sanus*, quod tam ad corporis, quam ad animi valetu- C dinem accommodatur, vt sup. de Zoilo, lib. 2. ep. 16.

Si fueris sanus, coccina quid facient?

3 DECLAMAS *Hemitritæus.*] De hoc morbo dictum est sup. lib. 2. ep. 40. cuius etiam meminit Noster lib. 12. ep. 92.

4 SI *sudare aliter non potes est ratio.*] Cum ad leuandam febrim prosit sudor, si tu aliter quam declamandis causis sudare non potes, exigit ratio vt declames.

5 MAGNA *tamen res est*, &c.] Est obiectio Mathonis, nam ardente febri magnam rem quiuis reputauerit declamare, cui respondet per subiectionem: verè res magna in febri non est declamare: id enim phrenesim notat: Sed tacere, quod sanum esse mente indicat.

De Fabulla. LXXXII.

Epigramma nostrum cùm Fabulla legisset,
Negare nullam quo queror puellarum,
Semel rogata bisque terque neglexit
Preces amantis. iam Fabulla promitte,
Negare iussi, pernegare non iussi.

RAMIR. DE PRADO.

Pendet hoc epigramma à superiori 71. quod fingit Fabullam legisse & rogata eius preces bis terque neglexisse. Purgat se Fabulla, quod quamuis negare iusserit, non tamen iusserit pernegare. De hoc epigram. & de alijs eiusd. argumenti dictum est sup. lib. 1. epigr. 58.

Ad Rufum.

Ad Rufum. LXXXIII.

Hos quoque commenda Venuleio Rufe libellos,
*Imputet & nobis otia parua, * roga.* *rogo.
Immemor & paulùm curarum, operumque suorum,
Non tetrica nugas exigit aure meas.
Sed nec post primum legat hæc, summumve trientem,
Sed sua cũ medius prælia Bacchus amat.
Si nimis est legisse duos, tibi charta plicetur
Altera: diuisum sic breue fiet opus.

DOMITIVS.

HOS] Rogat Rufum, vt hos quoque libellos commendet Venuleio, rogatque vt legat. at si fuerit difficile legere duos libellos, plicetur alterius libri charta, vt vnus tantùm videatur liber, & eo lecto, alter tradatur: ita fiet, vt non duo, sed vnus videatur legi.

IMPVTET] Ascribat, & tribuat.

AVRE *non tetrica*] i. non graui censura.

RAMIR. DE PRADO.

Mittit ad Rufum duos epigrammatum libellos, quos vult Venuleio commendari. Præfinitque tempus, quo eos sit lecturus: et si longiores videbuntur, præcipit vt altera plicata charta breuiores faciat.

1 NON *tetrica nugas exigit ore meas.*] Legendum *exigat*, pendet enim oratio à verbo, *roga*. Est autem *exigat*, examinet, ductâ metaphora ab architectis vel statuarijs, qui opera sua ad perpendiculum & ad normam exigunt. Cic. act. 2. in Verr. lib. 1. irridet Verrem, qui columnas exigi ad perpendiculum postulabat, neque ipse quid esset ad perpendiculum, exigere nosset; Vnde dicuntur *exacta opera*, quæ examinata sunt & inuenta perfecta, pro quo Plautus *amussitata* dixit, quasi ad amussim exacta. Sic Noster lib. 5. ep. 81.

Dum nostras legis exigisque nugas.

Et lib. 7. epig. 27. vbi legitur:

Excipe, sed certa quos legis aure iocos.

Iam docti viri ex vett. libris *Exige*, emendarunt. & Propert. lib. 3. eleg. 8.

Exactus calamis se mihi iactat equis.

Id est, perfectissimis equis, de quibus Ouid.

Vendicat vt calamus laudem quos fecit equorum.

Cuius contrarium est, *rude opus*. Ouid.

Non exacta satis rudibusque simillima signis.

Exigat igitur *tetrica aure*. id est, examinet rigida censura, quod alibi tergere dixit. lib. 6. ep. 1.

Quem (librum) *si terserit aure diligenti.*

2 SED *nec post primum legat hæc summumve trientem.*] Trientem dixit Synecdochicῶs, pro quouis poculo. Petitque, ne post primum haustum, cum adhuc non incaluerit mero, legat epigrammata, neque post vltimum, cum iam finita cœna videatur alacritas conuiuij iam friguisse, sed in media cœna, cum iam poscunt maioribus poculis, quod tempus medium, Bacchum vocat, id est, potionem inter primas

A & vltimas: id enim tempus effusam habet hilaritatem: itaque sup. epigr. 8. Euphemum rogat, vt quo tempore hilaris cœnet,

Et bonus æthereo laxetur nectare Cæsar.

Tunc suos ei offerat libellos. Dixit autem eleganter, *prælia*, quod Bacchus maximus sit præliator. Vnde sup. ep. 68.

Hinc iam deposito post vina rosasque pudore,
Quid dicat, nescit saucia Terpsichore.

Sauciam dixit, quasi in Bacchi prælio vulnus accepisset, vbi vide quæ diximus de saucio pro ebrio.

3 TIBI *charta plicetur.*] Eodem sensu dixit, lib. 10. epigr. 1.

Si nimius videor seraque coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero.

In Næuolum. LXXXIV.

B *Securo nihil est te, Næuole, peius, eodem*
Solicito nihil est, Næuole, te melius.
Securus nullos resalutas, despicis omnes.
*Nec quisquam liber, nec tibi * gratus homo est.* *v. Notus.
Solicitus donas, dominum, regemq; salutas,
Inuitas. esto, Næuole, solicitus.

DOMITIVS.

SECVRO] In Næuolum, qui vel minima rerum felicitate ita efferebatur, vt omnes contemneret. C Idem si quid paulum malè cessisset, & propterea esset anxius, summissè, & humiliter donabat, venerabatur, inuitabat. Ait Martial. se optare cùm aliter non exerceat Næuolus virtutem, eum esse semper solicitum.

SECVRO] Cùm nihil times.

SOLICITO] Cùm aliquid times.

NEC *quisquam liber*] Id est, nullum putas liberum, & notum præ arrogantia, ita monet elatum alterius fortunæ.

RAMIR. DE PRADO.

Næuolum insectatur, qui pro rerum suarum euentu modestum vel arrogantem se ostendebat. Nam cum nullis premeretur curis, despiciebat cunctos. Cùm verò sollicitus erat, omnibus se submittebat. D Precatur ei Poëta perpetuam solicitudinem.

1 SECVRO *nihil est te Næuole peius.*] Securus dicitur sine cura. Vnde transfertur ad significandum eum, qui sine periculo est, quod idem sine cura sit. Virgil. de Pygmalione Didonis sorore.

——*Securus*, inquit, *amorum* *Germanæ.*

Id est, contemnens sororis in maritum amorem.

2 SECVRVS *nullos resalutas.*] Hunc eundem Næuolum sup. lib. 3. ep. 95. reprehendens ob inurbanitatem, quod numquam diceret Aue, sed redderet semper. Hic autem magis auget eius fastum, quòd ne resalutaret quidem. de verbo *resalutandi*, ibi satis multa.

3 DOMINVM *regemque salutas.*] De hac salutatione est epigr. 113, lib. 1.

Cum te non nossem Dominum regemque vocabam.

De nomine, *Regis*, vide quæ dicta sunt, sup. ep. 18. n. vlt. lib. 2.

In Thaidem. LXXXV.

Non est in populo, nec vrbe tota,
A se Thaida qui probet fututam,
Cùm multi cupiant, rogentque multi,
Tam casta est, rogo, Thaus? immò fellat.

DOMITIVS.

NON *est*] In Thaidem fellatricem, in quam etiam suprà est illud distichon.

Quid me Thai senem subinde dicis.

QVI *probet*] Non futuisse Thaidem, sed irrumasse.

IMMÒ *fellat*] Ergo irrumabatur Thais, & non futuebatur.

RAMIR. DE PRADO.

Fellatricem Thaida vrbanè carpit epigrammate, quod nemo sit in vrbe tota, qui probare possit à se fœdatam esse.

1 CVM *multi cupiant rogentque multi.*] In hoc versu est epigrammatis iocus. nam illud cupiant & rogent videri poterat ad superiora referri, quod multi cuperent eam futuere. Sed reapse refertur ad sequentia, quod cupiant eam irrumare.

In Ponticum. LXXXVI.

v. murrha. *Nos bibimus vitro, tu* myrrha, Pontice, quare?*
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

DOMITIVS.

NOS *bibimus*] In Ponticum qui conuiuis aliud vinum dabat, quàm ipse biberet, ait Mart. cum vti myrrhino vase, quod fuscis maculis est distinctum, & dare vasa vitrea conuiuis, ne si ipse quoque vitro biberet, diuersum vinum notaretur.

NE *calix perspicuus*] i. nisi tu biberes vitro.

PRODAT] Et indicet te non bibere idem vinum.

RAMIR. DE PRADO.

Inurbanitatem Pontici notat hoc disticho, qui conuiuis vilia, sibi preciosa vina miscebat, & ne ei fucus detegeretur, conuiuis vitro propinabatur, sibi myrrha.

1 TV *myrrha Pontice.*] Per metonymiam dixit, *myrrha* pro poculis myrrhinis: Erant autem hæc summo in pretio, adeò vt Lucanus dicat:

——non auro myrrhaque bibunt.

Quasi æquiparet myrrham auro. Hinc I C. Paulus in L. supellecti. 3. §. 4. π. de supellectili legata. myrrhinorum eximium pretium esse, &c. his verbis: *De myrrhinis & crystallinis dubitari potest, an debeant adnumerari supellectili, propter eximium vsum & pretium. Sed de ijs idem dicendum est.* & hic Noster lib. 10. ep. 80. Erotem quemdam inuidum cum depingat,

Plorat, inquit, *Eros quoties maculosa pocula myrrhæ*
Inspicit, aut pueros nobiliusue citrum.
Et gemitus imo promit de pectore, quod non
Tota miser coemat septa feratque domi.

Nam in septis pretiosissima quæque vænalia exponebantur, vt lib. 9. epigr. 60. de Mamurra vano ostentatore.

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic vbi Roma suas aurea vexat opes.

Et inf. eod. epigr.

Myrrhina signauit deposuitque decem.

Et præterquam quod pretiosa essent, etiam saporem gratum vino ardenti communicabant, vt lib. 14. ep. 113.

Si calidum potas ardenti myrrha falerno
Conuenit: & melior fit sapor inde mero.

De ardenti vino ad hoc epigr. 113. dicemus, vbi adducemus Glossarium vetus sub titulo de potionibus. calidum, θερμὸν, feruentem ζέον. De myrrhinis vasis communis locus apud omnes Poëtas & Historicos, & apud Iurisconsultos frequens & obuia cuiuis mentio, & de inciuilitate in hoc epigr. notata diximus, ad lib. 1. epigr. 21.

Ad librum suum. LXXXVII.

Si vis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneoque te libelle,
Vt docto placeas Apollinari:
Nil exactius, eruditiusque est,
Sed nec candidius, benigniusque.
Si te pectore, si tenebit ore,
Nec rhonchos metues malignorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas,
Si damnauerit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit,
Inuersa pueris arande charta.

DOMITIVS.

SI *vis auribus*] Monet libellum, vt paret sibi patronum Apollinarem, vt suprà est. *Metrum scazon.*

CANDIDVS] Magis alienum ab inuidia.

TVNICAS] Cucullos.

SALARIORVM] Puerorum vendentium salsamenta.

ARANDE] Plicande.

RAMIR. DE PRADO.

Elegans apostrophe est ad librum suum, quem hortatur & monet vt curet Apollinari placere, quod si obtineat, poterit ceterorum iudicia contemnere: sin minus, desperet posse in vulgus placere.

1 SI *vis auribus Atticis placere.*] Attici præter ceteros vrbaniores censebantur, & politiores: lege libellum, qui tribuitur Ciceroni, de Optimo Genere Oratorum.

2 NEC *rhonchos metues malignorum.*] De rhonchis & alijs subsannationibus dictum est, sup. ad lib. 1. epigr. 4.

3 NEC *scombris tunicas dabis molestas.*] Pers. sat. 1.

Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?

Nam pessima carmina ad salsamentarios amandabantur, qui ea, quæ vendebant, chartis illis malè fortunatis inuoluebant: vel ad coquos, vt lib. 3. epigr. 2.

Ne nigram citò raptus ad culinam,
Cordyllas madida tegas papyro
Vel thuris piperisque sis cucullus.

Erant autem ſcombri piſciculi ſalſi, quos Hiſpani *anchouas* vocamus, Galli *encboyes*, de quibus Plin. lib. 31. cap. 8. Tunicas verò dixit moleſtas, quod illa charta qua inuoluti ſcombri afferebantur. conijceretur in ignem à coquo, ibique arderet. Sumpta metaphora à tunicis moleſtis damnatorum, de quibus vide inf. lib. 10. ep. 25.

4 SI *damnaueris ad ſalariorum*, &c.] De ſalarijs dictum eſt, ſup. lib. 1. ep. 2.

5 INVERSA *pueris arande charta.*] *Arare* & *exarare*, per metaphoram dicebant ſcribere in ceratis chartis, propterea quod ſtilo ſulculis quibuſdam literas deſignabant. Hinc traductus dicendi modus ad ſcripturam, quæ fiebat atramento in chartis. Solebant verò Poëmata ſcribi tantum vna chartæ facie, ne moleſta legentibus eſſent. Vnde Iuuenal. ſat. 1. taxans longam fabularum ſeriem in ſui temporis Poëtis, inquit, verſ. 5.

——plena iam margine libri
Scriptus & in tergo nondum finitus Oreſtes.

Et ea quæ in tergo ſcribebantur, ὀπισθόγραφα, id eſt, retrò ſcripta vocabantur, quod verbum apud Iureconſultos.

6 SALARIORVM.] Ergo pueri poëmata hæc nacti, in tergo chartarum ſolebant, vel ſeriò vel ludibrio ſcribi, vt hodieque fieri videmus.

* De Baſſa. LXXXVIII.

* v. ad Fabullum.

Infantem ſecum ſemper tua Baſſa Fabulle,
Collocat, & luſus, deliciáſque vocat:
Et quod mireris magis, infantaria non eſt,
Ergo quid in cauſſa eſt? pedere Baſſa ſolet.

RAMIR. DE PRADO.

Lemma eſt verius in antiquis. de Baſſa ad Fabullum; facetè Baſſam quamdam irridet, quæ cum crebrò flatum ventris emitteret, in infantulum, quem ſecum ſemper delitiarum, vt videri volebat, cauſa haberet, culpam reijciebat. Detegit Poëta fucum à coniectura, quod non ſit nimis infantium amatrix, ſed tegendæ ſuæ turpitudinis cauſa habeat ſecum infantem.

1 INFANTARIA.] Fictum nomen & nouatum à Poëta, quemadmodum alia, vt domicænium, ancillariolus.

In diſſimulatorem. LXXXIX.

Nulla remiſiſti paruo pro munere dona,
Et iam Saturni quinque fuere dies.
*Ergo nec argenti ſex * ſcrupula, * Septitiane,*
Miſſa, nec à querulo mappa cliente fuit.
Antipolitani nec quæ de ſanguine thynni
Teſta rubet, nec quæ coctana parua gerit:
Nec rugoſarum vimen breue Picenarum:
Dicere te poſſes vt meminiſſe mei.
Decipies alios verbis vultuque benigno,
Nam mihi iam notus diſſimulator eris.

* ſcriptula. * f. Septitiani. ita deterius videtur dixiſſe, vt infrà l. 8. Epig. 70. libram Septitianam pro improbioris argenti.

DOMITIVS.

NVLLA] Miſerat carmina Septitiano Mar. in Xenijs. Xenia autem erant munera, quæ in Saturnalibus amicis mittebantur: ab ijſdem, qui acceperant remittebantur munera quæ apophoreta dicebantur. Qui ergo Xenium miſerat, apophoretum expectabat, ſed Martial. nihil in apophoretis à Septitiano acceperat.

DISSIMVLATOR] Apud Martialem ille etiam dicebatur, qui poſtulantem aliquid amicum ſimulabat ſe non intelligere, infrà:

Diſſimulas, facies me puto cauſidicum.

ET *iam fuere*] Iam præteriere Saturnalia, quæ quinque diebus durabant.

SCRVPVLVM] Eſt genus ponderis, quod apud Plinium ſæpe potes inuenire.

ARGENTI *ſcrupula*] Nam mittebantur ligula argentea Coclearia, certo pondere.

MAPPA] Et mittebantur in Saturnalibus * Muria, genus liquaminis ſalſi & precioſiſſimi.

ANTIPOLITANI *thynni*] Nam muria illic erat optima, quemadmodum Clazomenæ nobiles erant Garo, & vas muriæ mittebatur in Saturnal. Infrà ita loquitur.

Antipolitani fateor ſum filia thynni.

Antipolis iuxta vrbem erat in Ianiculo, in Hiſpania, ad littus Gallicum, in Aſia, de qua puto intelligendum.

COCTANA *parua*] Ficus Syriæ. Syriæ autem paruæ erant.

BREVE *vimen*] Breuis ciſta.

DISSIMVLATOR] Quia ſimulas te non intelligere quid velim. nam miſi munus, vt munus acciperem, ſed tu diſſimulas: non mittam igitur ampliùs cum ſciam te eſſe diſſimulatorem.

RAMIR. DE PRADO.

Taxat diſſimulatorem quemdam, qui cum epigrammatum forte donum à Poëta accepiſſet, quinque Saturnalibus diebus nullum ei remiſit de more donum. Interminatur ei, nec ſe aliquid amplius miſſurum affirmat.

1 ET *iam Saturni quinque fuere dies.*] Id eſt, iam Saturnalia finita ſunt. de quibus Macrobius in cognomine libro luculentus doctor.

2 ERGO *nec argenti ſex ſcrupula Septitiane.*] Scrupulum non parùm moleſtum, inijcit hic locus doctis viris. Vnde variæ lectiones. Hæc vulgata *Septitiane*, planior quidem: nam lib. 11. epig. 108. ad Septitianum quemdam, qui properàter librum ſuum legerat, ſcribit. & forte hic diſſimulator Septitianus fuit. Sed hanc lectionem ſequuti veri fuere diſſimulatores: nam quid faciemus, lib. 8. ep. 71. vbi ſic legitur.

Libra fuit (miſſa) *quinto* (anno) *Septitiana quidem.*

Qui id animaduerterunt, legunt hoc loco, *argenti Septitiani.* & ad oram Plantinianæ editionis adſcripſit Iunius, *Septitianum argentum* improbioris eſſe notæ: & ſic interpretatur *Septitianam libram* in ſup. ſcripto epigrammate, neſcio quo auctore. Sed Raderus doctiſſimus vir ad idem epigramma *Septitianam libram*, ex Alciato conatur perſuadere eſſe octo vnciarum cum ſemiuncia, quod primo bello Punico de iuſta duodecim vnciarum libra detracto ſextante, dextans tantum pro integra libra remanſerit, quo tempore ſcribit Plinius aſſes dextantario pondere

cusos: & deinde vrgente Hannibale, de eo dextante A detracta vncia ad dodrantem redacta fuerit libra. Denique Papiria lege ex eodem dodrante semiuncia detracta fuit, ita vt libra octo vnciarum cum semiuncia fuerit. Hanc existimat esse Septitianam libram: Sed nominis rationem fatetur se ignorare. Vnde cum hanc libram imminutam Septitianam existimet appellari, in nostro epigrammate legit:

Ergo nec argenti sex scrupula Septitiana.

Ego liberum cuique relinquo iudicium, & in tantis tenebris quam facem accendam, ignoro. Hoc tantum liquet, vel argentum vel pondus Septitianum rem fuisse vilem. Nam hæc enumeratio Poëtæ per *μείωσιν* concipitur. Vox *ergo* hoc loco reapse significat, vt diximus sup.

3 Nec *à querulo mappa cliente fuit.*] De mappis, quæ mense Decembri mittebantur, dictum est sup. epigr. 46. Querulum verò clientem dixit, quòd ad B patronum clientes querelas suas deferebant, vt lib. 1. ep. 50.

Procul horridus Liburnus & querulus cliens.

4 Antipolitani *nec qua de sanguine thynni*, &c.] Muriam intelligit, quæ de sanguine thynnorum facta mittebatur Antipoli Romam; constat ex Disticho & lemmate Xeniorum, l. 13. 103. Lemma est Mvria, Distichon:

Antipolitani fateor sum filia thynni,
Essem si Scombri, non tibi missa forem.

5 Nec *qua coctana parua gerit.*] Coctana genus paruarum ficuum ex Syria, de quibus lib. 13. epigr. 28.

Hæc tibi qua torta venerunt condita metha,
Si maiora forent coctana, ficus erant.

Solebant etiam hæc mitti Saturnalibus, vt etiam oliuæ Picenæ sequenti versu. idque constat ex lib. 7. epigr. 52.

6 Dicere *te posses vt meminisse mei.*] Acutè Raderus hoc loco formulam hanc esse putat in mittendis muneribus vsitatam, vt amici amicus memor esset, & adducit Catullum, qui linteum à Fabullo sibi missum *μνημόσυνον* sodalis sui appellat. C

7 Decipies *alios*, &c.] Id est, me posthac non decipies.

Nam mihi iam notus dissimulator eris.

Notandum est Martialis verbum, quo est vsus pro ingrato dissimulante munera. quemadmodum etiam vtitur verbo *dissimulandi*, inf. lib. 5. epig. 16. & epigr. 37. & lib. 11. epig. vltimo, quod vt alia pleraque, desumpsit ex Seneca, lib. 3. de beneficijs, cap. 1. *Dum*, inquit, *ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat.*

De rusticatione. XC.

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus. D
Luce deos oro, famulos post arua reuiso,
Partibus atque meis iustos indico labores.
Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.
*Hinc oleo * corpusq; frico, mollique palæstra,*
Stringo libens, animo gaudēs, ac fenore liber.
Pondero, poto, cano, ludo, lauo, ceno, quiesco,
Dum paruus lychnus modicū consumat oliui,
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camenis.

* Corpus frico, Aldinum exemplar, repugnante lege Carminis Legendum corpus frigo. Vncti enim in sole nudū corpus calefaciebant, & frigebant. Persius Sat. 4. versu 33. At, si vnctus cesses, & frigas in caue solem. Ramir. de Prado.

RAMIR. DE PRADO.

Vitæ suæ modum, quem tenebat in rusticatione, exprimit breuiter hoc epigrammate, quo fingit respondere rogatus ab amico quid ageret rure, & simul vult videri epigrammata successiuo labore scribere. Qui mos magnis Poëtis. Horat. lib. 1. sat. 4. ad fin. ——*vbi quid datur oti*

Illudo chartis.

De vitæ modo, ordine quodam & veluti orbe circumacto, magni illius senis Spurinnæ legere poteris cum fructu & voluptate 1. epist. lib. 3. Plinij iunioris.

1 Famvlos *post arua reuiso.*] Id est, viso arua, & postea reuiso famulos.

2 Partibvs *atque meis iustos indico labores.*] Visus est sectatus breuitatem, obscuritatem etiam affectasse: nam hic versus subobscurus est, quod verborum ordo forte non liqueat multis. Est autem hic, *Atque meis*, id est, *famulis*, *indico iustos labores*, *partibus*, id est, *per partes*. Est enim quædam metalepsis, id est indico labores iustis partibus. Quod dictum Virgiliana imitatione: nam lib. 1. Æneid. vers. 511. de Didone sic scribitur:

Iura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus æquabat iustis, &c.

3 Phoebvmqve cio, *Musamque lacesso.*] Synonymως dicta Poëticè, pro carminum compositione.

4 Hinc *oleo corpusque frico.*] Sup. ep. 8. nitidas vocat palæstras, quod oleo vngerentur in ijs. Ouid. lib. 5. Fastorum.

Lete lyra pulsu, nitida quoque late palæstra.

Sic vnctam & pinguem Poëtæ palæstram passim vocant.

5 Molliqve *palæstra Stringo libens.*] Hæc coniungo, vt sit, *stringo lucta corpus*, vel forte, *stringo* palæstræ puluere, quem lib. 7. ep. 66. haphen vocat. Nam vnctione laxatam cutem haphe adstringebat.

6 Animo *gaudens ac fœnore liber.*] Imitatus est Horat. qui lib. Epod. od. 2.

Beatus (inquit) *ille, qui procul negotijs,*
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

7 Pondero, *poto*, &c.] Ex vett. iamdiu emendarunt viri docti, *prandeo*.

8 Dvm *paruus lychnus modicum consumat olini.*] Lychnum posuit pro lucerna, Virgilij & Cicer. imitatione; ille lib. 1. Æneid.

——*pendent lychni laquearibus aureis.*

Hic autem in Orat. pro Muræna: *Aliud est lumen lychnorum, & aliud Solis.*

Grauius enim verbum est lychnus quam lucerna, quod notauit Fortunatianus, lib. 3. scholasticæ Rhetoricæ. Epitheta verò lychni & oliui *μείωσιν* faciunt, vt extenuet laborem insumptum scribendis epigrammatis, vt diximus in argumento.

Ad librum. XCI.

Ohe iam satis est, ohe libelle,
Iam peruenimus vsque ad vmbilicos.
Tu procedere adhuc, & ire quæris,
Nec summa potes in scheda teneri,

Sic tanquam tibi res peracta non sit,
Quæ prima quoque pagina peracta est,
Iam lector queriturque, deficitque,
Iam librarius hoc & ipse dicit,
Ohe iam satis est, ohe libelle.

DOMITIVS.

OHE *iam*] Alloquitur librum, monetque iam esse quiescendum.

OHE] Verbum peculiare Horatij. Iuuen.

Satur est cum dicit Horatius ohe.

VSQVE *ad vmbilicos*] i. ad finem, vt Porphyrio sentit.

SCHEDA] Tabula rudis, quæ papyro superinducta conficiebatur. Plin. de papyro, Supina tabula schedam superinducit papyrus, ex hoc igitur ait schedam excedis, & quod excedebat schedam amputabatur. Vult enim notare librum nimiùm crescere.

NON *sit res peracta*] Tanquam non expleueris lectorem, sed ea res perfecta.

PRIMA *pagina*] i. etiam pagina lectorem tædio expleuisti.

DEFICIT] Lassus est.

GEORGIVS.

NEC *summa potes in scheda teneri*] Scheda ego puto esse folium chartæ, vt vulgus ait, quam rem etiam ex Plin. colligimus, vbi hæc scribit: Postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta, aut schedis. Et idem: Sed ratio deprehendit vnius schedæ reuulsione plures infestante pagina. Nam schedæ propriè, vt existimo, erant statumina corij, quibus latitudo chartæ augebatur, quam rem parum intelligentes correctores Plin. veram & frequentem lectionem deprauarunt: nam in codicibus manuscriptis vbi habetur: Igitur secundo corio statumina facta sunt; correctores quidam stratumina fecerunt: quòd si quis hæc diligentiùs cognoscere voluerit, is legat Victruuium, & Palladium, vbi de pauimentis loquuntur, simulque conferat aliquid ex reliquis papyri, quæ ad nos vsque peruenerunt. Quod autem scheda sit folium chartæ, satis intelligitur ex his Quint. verbis. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excudit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest.

RAMIR. DE PRADO.

Clausula est hoc epigramma totius libri. librum suum alloqui familiare huic Poëtæ. Expostulat cum eo, quod adhuc post tot epigrammata procedere quærat, nec velit in scheda teneri.

1 OHE *iam satis est.*] Ad verbum transcripta hæc verba ex Horat. sat. 5. lib. 1.

Tum pueri nautis, pueris conuicia nautæ
Ingerere, huc appello trecentos, inseris ohe
Iam satis est.

Est autem vox Donato teste satietatem significantis, sic apud eundem, sat. 5. lib. 2.

Importunus amat laudari? donec ohe iam
Ad cœlum manibus sublatis dixerit, vrge &
Crescentem tumidis infla sermonibus vtrem.

Vbi coniunge duas illas particulas, *Ohe iam*, vt ambæ satietatem & fastidium notent coniunctæ: Quod Hispani imitamur, cum eodem affectu dicimus, *ea-ra*. Iuuenal. sat. 7. vers. 62. cum paupertatem obstare Poëticæ facultati doceat, subiungit:

——satur est, cum dicit Horatius, ohe.

Forte quod hæc vox Horatio familiaris fuerit, quæ Plautina est. in Aulul. act. 1. scen. *exi inquam.*

Abscede etiam nunc, etiam nunc, etiam ohe nunc.

Hinc intelligendus Persius sat. 1.

Auriculis, quibus & dicas, cute perditus, ohe.

Id est, erubescens crebris laudationibus, ipsorum à quibus laudaris, vel pudore correptus, vel crebritate fastiditus cogaris dicere: *ohe iam satis est.*

2 IAM *perueniemus vsque ad vmbilicos.*] Id est, ad finem. Vide adagium, *ad vmbilicum ducere.* De vmbilicis autem & librorum ornamentis dictum est sup. lib. 1. ep. 91. n. 12.

3 NEC *summa potes in scheda teneri.*] Scheda commune nomen est omnibus chartis. Summa autem scheda est extrema marginis ora, & vt significat, plenum esse libellum, dicit adhuc non posse teneri in extrema marginis ora. nam cum carmina dimensa sint suis numeris, necessariò relinquenda est margo in scheda, at si interpolentur alia epigrammata, occupatur margo, vt discimus ex Iuuenal. sat. 1.

——plena iam margine libri
Scriptus, & in tergo necdum finitus Orestes.

4 SIC *tanquam tibi res peracta non sit.*] Ludit in verbo, *res peracta*: rem enim peragere est suo munere defungi, quod priori versu significatur, nam ibi *res peracta non sit*, est tanquam si tu non iam perfunctus fueris tuo munere, cum plenus sis epigrammatum, in posteriori versu.

Quæ prima quoque pagina peracta est.

Significat, iam peregisti quod agere potes prima pagina; nam ea legenda, satietas iam tui lectorem cepit, quod planè dixerat sup. lib. 2. ep. 6.

Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκόλλιον Seuere.

5 IAM *librarius hoc & ipse dicit.*] Quod scribendo, *fessus iam sit. Librarij* nomen vulgatæ significationis est, pro eo qui libros scribit, vt sup. lib. 2. ep. 1.

Deinde quod hac vna peragit librarius hora.

Et epigr. 8.

Non meus est error, nocuit librarius illis.

Est autem nomen vt Grammatici vocant, mobile: nam cum *scriptor* commune nomen sit, contrahitur per adiectiuum *librarius*, ad librorum scriptorem significandum. Horatius & fixo & mobili vsus est in Arte poëtica, vt

Scriptor si peccat, idem librarius vsque.

Nihilominus tamen *librarij* nomen pro quocumque scriptore vsurparunt antiqui. Sic in glossario veteri *liberarius, liberarum*, χαρτης. corrupte. pro *librarius.* χαρτης verò generale verbum est ad quemcunque scriptorem. Vnde Galli Iudicis actuarium siue tabellionem vocant *greffier.* Eadem significatione vsurpatur *librarius* in l. si librarius 92. ff. de regul. iur. In re militari librarij dicuntur ij, qui rationes in libros referebant: vt inquit Veget. lib. 2. cap. 7. Ad quem locum Godescal. Stevvechius lapidis Tarraconensis cuiusdam elegantem descriptionem adducit, quæ subsequitur: C. TADIO. C. F. IANVARIO PISAVRENSI VIXIT ANN. XXXIV. C. TADIVS LVCANVS LEG. VII. G. F. LIBR. OPTIME DE SE MERITO. interpretatur rectè legionis septimæ Geminæ Felicis librarius.

Ex quibus intelliges verba Paterni IC. in l. quibusdam vlr. de iure immunit. *Librarij quoque*, inquit, *qui docere possint, & horreorum librarij, & librarij depo-*

ficorum, & librarij caducorum: vbi *librarij, qui docere possint*, intelligo peritos homines rationum referendarum, qui possint alios ad idem munus instituere. Depositores autem sunt hi, qui rationes conficiebant pecuniæ ad signa à militibus depositæ. Id enim fieri solebat in Romana militia, vt docet Vegetius lib. 1. cap. 20. vbi enumerat multas depositorum cõmoditates, diuinitusque id institutum esse dicit ab antiquis, sed præcipuam ipse adducit, vt pro signis militaribus fortius dimicarent, nec de deserendis ijs cogitarent vmquam, quamuis hic mos in perniciem versus est Domitiani tempore, vt legitur apud Suetonium in eius vita, cap. 7. cum ex depositorum fiducia L. ille Anton. Saturninus ansam arripuerit coniurationis. Vnde Domitianus prohibuit plusquam mille nummos, à quoquam milite ad signa deponi. Harum rationum libros asseruabant ij, qui Capsarij vocabantur; vnde nos Hispani, qui præcipuum rationum librum apud mercatores conficit & seruat, vocamus *caiero*, & librum ipsum, *libro de Caia*. propterea quod libri in capsis seruarentur. Sic Horat. lib. 1. sat. 4.

——beatus Fannius vltro
Delatis capsis & imagine.

Id est, delatis libris in capsis ad Apollinem Palatinum, & sat. 10. de Cassio Parmense:

——capsis quem fama est esse librisque
Ambustum proprijs.

De quibus capsarijs mentio est in d. l. quibusdam vlt. de iure immunit. his verbis: *vt sunt mensores, optio, valetudinarij, medici, capsarij, & artifices, & qui fossam faciunt veterinarij, &c.* vbi illud & inter τὸ *capsarij*, & τὸ *artifices*, abest à pandectis Pisanis. Vnde errandi causa viris doctis, qui existimarunt capsarios conficiendarum capsarum artifices esse, cùm diuersi omninò sint capsarij ab artificibus. Nam iure militari artifices eos intelligo, qui, quæcumque militaria instrumenta & machinas fabricabantur, cumque omnes illi qui numerantur in ea lege per ἀσυνδέτων numerentur, diuersi sunt capsarij ab artificibus. Post artifices autem addita est coniunctio affirmationis causa, ne fossores quis existimaret ab illis esse excludendos, quod illorum opera ad artifices etiam videatur referri. Hinc vernulæ, qui ingenuos pueros sequebantur, euntes ad ludum, ferebantque libros, capsarij dicebantur. Suetonius in Nerone cap. 36. *Constat quosdam* [liberos damnatorum] *cum pædagogis & capsarijs vno prandio pariter necatos.* & Vlpianus in L. si collectaneus (13. de manumissis vindicta) ait, *vel capsarius*, id est, *qui portat libros.* Ex quibus intelliges Iuuenalem sat. 10. vers. 116.

Quisquis adhuc vno partam colit asse Mineruam,
Quem sequitur, custos angustæ vernula capsæ.

FINIS LIBRI QVARTI.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON
LIBER V.
SUMMA.

Tibi hunc librum, ô Cæsar, dedicamus; siue sis Albæ, siue Antij, siue Caietæ, siue Terracinæ. Vbicúnque fueris, sis tutela, & salus omnium. Sospitat te Iupiter ille Capitolinus, Quem puer adhuc defendisti. Accipe quæso hæc carmina. Putabo enim ea legisse, dummodo accipias, & hac mihi credulitate faciam satis.

AD CÆSAREM. I.

HOC tibi, ° Palladiæ seu collibus vteris Albæ,
Cæsar, & hinc ° Triuiam prospicis, inde Thetin:
Seu tua veridicæ ° discunt responsa sorores,
Plana suburbani qua cubat vnda freti:
Seu placet Aeneæ nutrix, seu filia Solis,
Siue salutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus ô rerum felix tutela, salúsque,
Sospite quo gratum ° credimus esse Iouem.
Tu tantùm ° accipies: ego te legisse putabo,
Et tumidus ° Galla credulitate fruar.

° Pall. ob quinquatria à Cæsare ibi instituta.
° Dianæ templum ad Ariciam.
° v. discent.
° v. quotimus.
° aspicias.
° v. falsa.

DOMITIVS.

HOC *tibi Palladiæ seu collibus*] Dicatur hic quintus liber Domit. vt cum cùm fuerit in secessu solutis curis perlegat: orat tantùm, vt accipiat librum, & ipse putabit lectum esse. Meritò mittitur hic Domit. quoniam nihil est auribus principis indignum: sales lasciui absunt.

ALBÆ *Palladiæ*] Albam Palladiam appellat, quoniam Domit. quinquatria Mineruæ illic instituerat, instituto etiam collegio sacerdotum.

VTERIS *collibus Albæ*] i. versaris Albæ.

TRIVIAM] i. Artemisium templum Dianæ ad Ariciam, quod ex monte Albano prospiciebatur.

THETIN] Id est, mare: nam & maris ex monte Albano est prospectus.

VERIDICÆ *sorores*] i. fortunæ Antiatinæ .i. siue es Antij, vbi colebatur Fortuna sub duarum sororum imagine: vt author est Macrob. in Saturnalibus, meminit Trãquil. earum templum opulentum fuisse scrib. Porphyr.

RESPONSA] Danda mortalibus.

DISCVNT] Nam minora numina à superioribus numinibus discere dicuntur responsa danda mortalibus. Virgil.

Nam cætera Iuno Me vetat.

SVBVRBANI *freti.*] Nam Antium conditum est medio saxo abluente mari, vt quasi in suburbio fretum esse videbatur. Antium suæ portu erat aptum secessui, & principibus præsertim concessum ad vacationem rerum vrbanarum: vt Strab.

ÆNEÆ *nutrix*] Hoc est, siue es Caietæ. Nam Caieta à nutrice Æneæ nomen accepit, vt nostris placuit scriptoribus, quamuis Strab. Caietam dictam putet, quoniam Lacones curua omnia Caieta dicunt: sinum Caietanum curuum appellarunt.

SEV *filia Solis*] i. es Circæis. Nam Circæi à Circe Solis, & Persæ filia dicti sunt, quamuis Diodor. præter Homeri & Apollonij sententiam Circem filiam Æetæ & Hecates fuisse tradat.

ANXVR.] Lingua Voscorum: Terracina Latinè dicitur: eadem Trachina, quamuis Liu. aliter scribat, superioris sententiæ authore Plin.

AQVIS *salutiferis.*] Ob paludem, quæ antè Terracinam erat à duobus fluminibus confectam, non parua aquarum salubritate.

CANDIDVS *Anxur.*] Dicitur à candore saxorum. Horat. neutro genere proferens.

Impositum late saxis candentibus Anxur.

QVO *sospite.*] Scil. Cæsare.

CREDIMVS *Iouem esse gratum.*] Non immemorem beneficiorum sibi collatorum, quoniam olim Cæsar puer Capitolinum Iouem defendit vnà cum patruo Sabino, vt alibi,

Prima suo gessit pro Ioue bella puer.

Quod Silius in tertio tetigit. Et præterea nuper Cæsar Ioui templum erexerat.

GALLA *credulitate.*] Quia Strab. tribuit Gallis credulitatem, & creduli sunt præter cæteros, præterea stolidi, vt Galla legas. i. stolida.

Ad lectores. II.

Matronæ, puerique, virginésque,
Vobis pagina nostra dedicatur.
Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimiùm, saléſque nudi,
Laſciuos lege quatuor libellos.
Quintus cum domino liber " *iocetur,*
Quem Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropia legat puella.

DOMITIVS.

MATRONÆ.] Ad matronas honeſtas, & pueros ſcrib. & dedicat hunc librum.

NEQVITIÆ *procaciores*] Scurrilitates.

SALES *nudi*] i. impudentes ioci.

QVINTVS *iocetur*.] i. Quintus liber iocetur vna cum domino, nam in hoc libro Domit. verſatur.

GERMANICVS.] Domit. quia id ſibi nomen aſſumpſit populis Germaniæ deuictis.

PVELLA *Cecropia*.] De Domit. vxore potes intelligere, ſed placet intelligas de Pallade, quam colebat. Alij ſentiunt de Iulia filia Titi Veſpaſiani, quam Domit. ardentiſſimè amauit.

ORE *non rubenti*.] Sine rubore.

Ad Domitianum. III.

Accola iam noſtræ degis, Germanice, ripæ,
A famulis Iſtri qui tibi venit aquis.
Lætus & attonitus, viſo modò præſide mūdi,
Affatus comites dicitur eſſe ſuos:
Sors mea quàm fratru melior: cui tam propè fas eſt
Cernere, tam longe quem colit ille Deum.

Idem Græcè.

Δᾶκις ὁ Ῥωμαίων, τῆς ὄχθης ἄρτι πάροικος,
Ὅν σοὶ δουλωθεὶς Ἴστρος ἔπεμψεν, ἄναξ·
Χαρμοσύνῃ ἔκθαμβος, ἰδὼν ἡγήτορα κόσμου,
Πρὸς τοὺς ὁμηρεύοντας τοιάδε λαὸν ἔφη·
Τοῦ κάσιος ζηλωτὸς ἐγὼ πλέον· ἐστὶ θεός μοι,
Ὃν σέβεται μακρὰν, ἐγγύθεν ἔστιν ὁρᾶν.

DOMITIVS.

ACCOLA] Datis obſidibus Domit. à Dacis.

DEGIS] Regulus inter eos cùm Domit. vidiſſet, mea inquit ſors, qui ſum obſes, melior eſt, quàm fratris, qui eſt liber in Dacis: quoniam mihi licet prope intueri Germanicum: quem ille tam longè colit.

NOSTRÆ *ripæ*.] Tyberis, qui à Dacis tibi miſſus.

LÆTVS] Degis.

MEA *ſors*.] Quàmuis ſum obſes.

DEGIS.] Proprium nomen obſidis.

In " Myrtalem. IIII. — v. ad Paullum.

Fœtere multo, " *Myrtale ſolet vino:* — y. Tuccius.
Sed fallat vt nos, folia deuorat lauri,
Merúmque cauta fronde non aqua miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire Paulle videris contrà:
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

DOMITIVS.

FOETERE.] Myrtale ebria ſolebat mero admiſcere folia lauri, ne vinum oleret, ſed id ad ebrietatem quoque vitandam erat aptum: nam Theophraſto authore, laurus ebrietati aduerſatur. Iocatur poëta in Myrtalen. Poſteaquam, inquit, non vult videri bibiſſe vinum, quoties videris eam rubicundo ore dicas bibiſſe laurum.

FALLAT *nos*] i. vt occultet odorem.

PROMINENTIBVS *venis*.] Nam id exiſtit in ebrio.

LICEBIT *dicas*.] Poteris dicere.

BIBIT *laurum*.] Idem enim erit, ac ſi diceres bibit vinum, & ebria eſt.

Ad Sextum. V.

Sexte, Palatinæ cultor facunde Mineruæ;
Ingenio frueris qui propiore Dei.
Nam tibi naſcentes domini cognoſcere curas,
Et ſecreta ducis pectora noſſe licet.
Sit locus & noſtris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marſus, quàque Catullus erit.
Et Capitolini cæleſtia carmina belli
Grande cothurnati pone Maronis opus.

DOMITIVS.

SEXTE] Mittit librum ad Sextum ſcribam, & conſiliarium Domitiani, rogátque vt eum collocet inter leuiores poëtas, nam libris de bello Capitolino geſto à Domitiano olim conueniunt grauiora poëmata.

MINERVÆ *Palatinæ*.] Qui muſas, & ſtudia Palatina exerces.

NASCENTES] i. primas curas Domitiani.

AD *carmina belli Capitolini*] i. inter opera ſcripta de bello Capitolino geſto à Domit.

Ad Muſas. VI.

Si non eſt graue, nec nimis moleſtum,
Muſæ Parthenium rogate veſtrum.
Sic te ſerior & beata quondam

Saluo Cæsare finiat senectus:
Et sis, inuidia fauente, felix.
v. nesciat. *Sic Burrus citò" sentiat parentem,*
Admittas timidam, breuémque chartam
al. aul. *Intra limina sanctioris" aulæ.*
Nosti tempora tu Iouis sereni,
Cùm fulget placidus suóque vultu,
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quòd metuas preces iniquas.
Numquam grandia, nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata, purpuráque
Nigris pagina creuit vmbilicis.
Nec porrexeris ista: sed teneto.
Sic tamquam nihil offeras, agásque.
Si noui dominum nouem sororum,
Vltro purpureum petet libellum.

DOMITIVS.

S I *non est.*] Versus Phaleucius est, mittit carmina Domitiano, sed rogat Parthenium cubicularium, vt librum principi offerat, cum tempestiuum erit, neque porrigat, sed legat vidente Domitiano, qui cùm sit studiosus literarum, statim poscet libellum: fingit se esse ante ostium, & accersere per Musas Parthenium, vel eas alloquatur, & quæ sequuntur sint mandata ad Parthenium. Parthenius colebat Musas, iccirco vestrum.

S I C] Verba Martial. obtestantis ad Parthenium, qui præfectus cubiculi erat Domitiani: authore Tranquillo.

F I N I A T.] Absoluat tuam vitam.

I N V I D I A *fauente*] i. inuidis etiam fauentibus: nam ei, qui honestum gratiæ locum retinet, illi etiam, qui inuident, fauent, vt sit sensus: Sic semper retineas istum gratiæ locum.

B V R R V S] Natus Parthenij, & proprium viri nomen apud Tacitum.

I O V I S *sereni.*] Apto verbo in metaphora vsus est: nam cùm dixisset Iouis, addidit sereni. Nam serenus Iupiter dicitur.

I N I Q V A S *preces.*] Quia multa petam, & iniusta precer.

V M B I L I C I S.] Vmbilicus, vt Porphyrio interpretatur, erat ornamentum, quod extremis partibus librorum addebatur, vel ex osse, vel ex ligno, vnde dicitur res peruenit ad vmbilicum, id est, ad finem.

C E D R O.] Nam libri, authore Victruuio, oleo cedrino tincti non timent nec tineas, nec cariem: & Hemina in annalibus scriptum reliquit, libros Numæ repertos à Cn. Terent. sub Ianiculo non fuisse consumptos, quoniam cedrati essent. Alij codices Pliniani habent cerati.

Ad Volcanum. VII.

Qualiter Assyrios renouant incendia nidos,
Vna decem quoties sęcula vixit auis:
Taliter exuta est veterem noua Roma senectam,
Et sumsit vultus præsidis ipsa sui.
A *Iam precor oblitus nostræ, Volcane, querelę*
Parce, sumus Martis turba, sed & Veneris.
Parce pater: sic Lemniacis lasciua catenis
Ignoscat coniux, & patienter" amet. v. amet.

Idem Græcè.

Οἷά περ Ἀσσυρίην πυρὸς εἰς ἀνέωσε καλιήν,
Εὖτ' ὄρνις δεκάτην ζῆσ' ἑκατοστὺν ἐτῶν·
Οὕτως ἀνενέωσεν, ἐόν τ' ἀπεδύσατο γῆρας
Ῥώμη, ἐπημφίασεν τ' εἶδος ἄνακτος ἑοῦ.
Ἵλαθι ἀμνήμων μομφῆς, Ἥφαιστε, παλαιῆς·
Ἐσμὲν Ἄρηος, ἐσμὲν καὶ Κύπριδος θέραπες.
B Ἵλαθι· Λημνιακοῖς οὕτω δεσμοῖσιν ἄκοιτις
Ἱλήκοι, καὶ ἐρᾷ σ' εἴη ἀνεξικάκως.

DOMITIVS.

Q V A L I T E R.] Laudatur Domit. quòd multa ædificia incendio assumpta instaurauerit, renouatam esse vrbem sub Dom. factámque nitidiorem, vt phœnix nitidior est cùm renouatur, nam comburit se phœnix, & ex cineribus alter phœnix nascitur: aptè poëta renouatam vrbem ab incendio comparauit phœnici, quæ ipsa arsit: author est Tranquil. huius instaurationis in Domit. Manil. togatus scrib. viuere annos phœnicem, DC. & lx. & consecratam esse Soli in Arabia: conuersionem magni anni fieri cùm moritur: nam extrema senecta comburit se surculis thuris, & aliis ramis odoratis.

E X V T A] i. deposuit senectam cariem.

C S V M P S I T *vultus*] i. iuuentutem, innouationem.

S V I *præsidis.*] Domit.

V N A *auis*] Sola auis phœnix: & semper sola est.

N O S T R Æ *querelę.*] Nonnulli codices habent, *nota*, vt dicas Vulcane parce: & noli iactare ampliùs querelam tuam omnibus, quod scil. Venus vxor tua concubuerit cum Marte authore generis Romani: si legis nostræ. i. noli ampliùs agitare nostras querelas.

T V R B A *Martis.*] Non modò habemus genus à Marte, quem odisti, sed habemus etiam à Venere genus, quam amas.

C A T E N I S *lemniacis.*] Quibus deprehendisti Venerem cum Marte in adulterio: Homer. author in primis: Amet te patienter quamuis sit claudus, & deformis.

D

" De Phaside. VIII. v. de edicto Cæsaris.

Edictum domini, deique nostri,
" Quo subsellia certiora fiunt, Lex Othonis de quatuordecim ordinibus à Domitiano renocata fuerat, teste Suetonio.
Et pueros eques ordines recepit,
Dum laudat modò, Phasis, in theatro,
Phasis purpureis ruber lacernis:
Et iactat tumido superbus ore,
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris,

Turba nunc premimur, nec inquinamur.
Hæc, & talia dum refert supinus,
Illas purpureas, & arrogantes
Iussit surgere Lectius lacernas.

DOMITIVS.

EDICTVM.] Phasis libertus cùm legitimum equitis censum non haberet, lacernis purpureis volebat videri eques, & cùm nuper Dom. iussisset seruari legem Othonis, ne cui liceret sedere in xiiij. gradu: nisi equestrem censum haberet, hic in theatro iactabundus laudabat legem quasi ipse esset eques, sed Lectius, cui ordinis theatralis cura erat demandata, iussit eum surgere.

PHASIS.] Nomen proprium liberti sumptum à Phasi fluuio, quemadmodum Tanaïs libertus Mecœnatis olim sumpsit à Tanaï.

DOMINI] i. Domit. Domit. enim cùm epistolam dictaret sic incepit, Dominus, Deúsque noster ita iubet: vndè institutum est vt ita appellaretur.

PVROS] i. sine colluuione plebis.

COMMODIVS *libet sedere*] i. reddita est dignitas equitibus.

ILLAS.] Lacernas: nam solis lacernis poterat videri eques, sed censum non habebat.

In Symmachum medicum. IX.

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus, Aquilone gelatę.
Non habui febrem, Symmache: nunc habeo.

DOMITIVS.

LANGVEBAM.] Symmachus medicus, cuius alibi meminit. multis discipulis comitibus accessit ad Mar. febre laborantem: discipuli autem illi erant iuniores manibus gelidis: ait poëta sibi allatam fuisse maiorem febrem tactu illorum adolescentium, quã prius haberet, captus enim est amore.

NVNC *habeo.*] Scilicet, febrem ardore amoris.

Ad Regulum de fama poëtarum. X.

Esse quid hoc dicã, viuis quòd fama negatur?
Et sua quòd rarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Põpeij quærimus vmbrã,
Et laudant Catuli Iulia templa senes.
Ennius est lectus saluo tibi, Roma, Marone:
Et sua riserunt sæcula Mæonidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corynna suum.
Vos tamen ô nostri ne festinate libelli,
Si post fata venit gloria, non propero.

DOMITIVS.

ESSE *quid.*] Conqueritur poëta inuidia hominum fieri, vt mortuis tantum poëtis tribuatur honos, & hoc accidere ait, quoniam eadem inuidia perturbati homines vetera nouis semper anteponunt: eadem est sententia Quint. qui scri. iudicium de viuis authoribus liuore perturbari. & Oui.

Pascitur in viuis liuor. post fata quiescit.

SVA *tempora*] i. authores suorum temporum.

POMPEII *vmbram*] i. porticum Pompeij.

INGRATI.] Domi. cuius porticum dicit præstantiorem esse Pompeiana, nam quod Domi. condiderit porticum nulla quidem extat historia tradita vel à Tranquil. vel à Tacito, sed ab Eusebio tantùm in temporibus, quod vix potuerim reperire.

IVLIA *templa Catuli.*] Intelligit Capitolium instauratum à Sylla, & dedicatum à Catullo. Quartò enim constructum est Capitolium à Tarquil. quod Horat. dedicauit, euersum bellis ciuilibus instaurauit Sylla, dedicauit Catul. bellis Vitellianis instaurauit Vespasiano moriente incensum Dom. ait ergo poëta præ inuidia homines anteponere porticum Pompeij porticibus Domi. & Capitolium dedicatum à Catullo, Capitolio instaurato à Domi.

SIC.] Propter inuidiam.

IVLIA *templa*] i. Capitolium. alibi de filio Reguli.

IVLIA *tecta placent*] i. tecta Capitolina.

SALVO *Marone.*] Cùm posses legere Maronem.

MENANDRO.] Quatuor Menandri fuerunt, Menander Atheniensis, author veteris comœdiæ: Menander Laodicenus, sophista: Menander Bizantius historicus. Menander filius Diopitis author nouæ comœdiæ. Strabo. Et insani in mulieres amoris, hic suo tempore non fuit habitus in pretio, nam, vt scri. Quintil. Philemon prauis iudiciis sui temporis est prælatus.

CORYNNA] Nomen puellæ fictum ob Oui. nam duæ fuerunt Corynnæ, vtraque Thebana, & carminibus lyricis erudita, adeò vt iunior cum Pindaro contendisse dicatur. Huius tumulus in Bœotia erat, ipsius effigie vitta coronata in monumentum superati Pindari, author Pausanias, inde Oui. puellæ suę nomen honestum indidit.

De Stella. XI.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas vno
Portat in articulo Stella, Seuere, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Inuenies: inde est hæc, puto, culta manus.

DOMITIVS.

SARDONYCHAS.] Laudat carmen Stellæ, quo dicit eum consecutum multas gemmas, an intelligit Violantillam amicam dedisse ei gemmas, quàm opusculo composito Asteridem appellauit, & in cuius gratiam defleuit columbam: an intelligit ab alijs etiam habuisse, à Domit. vt puto cuius victoriam Sarmaticam cecinerit, vt mox dicemus.

SMARAGDOS.] Scilicet in fine abiicias S, demùm facias collisionem vocalium.

PLVRES in carmine gemmas.] i. venustatem, & A florem verborum.

De [v]eodem. XII.

*v. de Masclione.

Quòd nutantia fronte pertinaci
Gestat pondera [v] Masclion superbus:
Aut grandis [v] Linus omnibus lacertis,
Septem quòd pueros leuat, vel octo:
Res non difficilis mihi videtur.
Vno cùm digito, vel hoc, vel illo
Portet Stella meus decem puellas.

*Vide Hermolai Barbari Castigationes in Plin. lib. 7. cap. 20. *v. nimis.

DOMITIVS.

QVOD, *Masclion, Linus.*] Eodem argumento B epigramma est de Stella, sed qui nominet duos, Masclionem, & Linum prodigiosa ostentatione virium, horum nomina quod alibi non reperi, sed mihi fit verisimile eùm intelligere de Athanato, qui eius temporibus floruit. Is quinquagenarius, plumbeo thorace indutus, & cothurnis quingentorum pondo calciatus, per arenam ingrediebatur, & de Fusio saluo, qui duo centenaria pondo pedibus, totidem manibus, & humeris contra scalas ferebat: hoc genus gestandi dedit Iuuen. Corbuloni.

DECEM *puellas.*] i. gemmas decem puellarum. alii sentiunt precium decem puellarum. quod placet.

In Callistratum. XIII.

Sum, fateor, sempérque fui, Callistrate, C
pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques:
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur,
hic est,
Quodq; cinis paucis, hoc mihi vita dedit:
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et [v] libertinas arca flagellat opes:
Magnaque Niliacæ seruit tibi gleba Syenes,
Tondet & innumeros Gallica Parma
greges.
Hoc ego, tuque sumus: sed quod sum, non D
potes esse:
Tu quod es, è populo quilibet esse potest.

*Ingentes, quantas possederunt Posides, Pallas, Narcissus, aliique liberti Claudij, Chrysog. Sillæ, Licinus Augusti.

DOMITIVS.

SVM.] In Callistratum, qui sibi solis diuitiis placebat. ait enim & si non diues est, tamen se eum esse, qui non potest esse Callistratus: sed quilibet è vulgo potest esse quod est Callistratus, nam omnes diuites esse possunt, poëtæ pauci.

NON *male notus.*] Quia virtute cognitus.

LEGOR *frequens*] i. mea epigrammata leguntur à multis.

ET *dicitur, hic est.*] Vt illud Persij.

Pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

TVA *tecta centenis columnis*] i. habes superbas ædes.

OPES *libertinas.*] An quod fuerit libertus, an opes ingentes: nam libertos imperatorios supra cæteros mortales ditissimos esse sceri. Plin. superasseque ciues ditissimos, vt Narcissum, Pallantem, & Calistum, quod placet: vnde Tacitus ad Senecam ex Nerone, Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur.

OPES *libertinas*] i. ingentes opes.

GLEBA *Syenes.*] Syene oppidum Ægypti, quod fertile erat, alibi poëta.

Mitte tuas opes, accipe Nile rosas.

PARMA.] Oppi. Galliæ Cisalpinæ.

HOC *quod tu*] i. diues.

QVOD *sum.*] Scilicet poëta.

De Manneio. XIV.

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc cùm liceret occupare Manneius,
Bis excitatus, terque transtulit castra,
Et inter ipsas pæne tertius sellas
Post Caiúmque Luciúmque consedit:
Illinc cucullo prospicit caput tectus,
Oculóque ludos spectat indecens vno,
Et hinc miser deiectus in viam transit,
Subsellioque semifultus extremo,
Et malè receptus altero genu, iactat
Equiti, sedere se: Lectioque se stare.

DOMITIVS.

SEDERE.] Renouata lege theatrali à Domitiano multi qui priùs temeritate sua promiscuè sedebant in plebeiam turbam retrudebantur, cùm censum equestrem non haberent. nunc deridetur Manneius, qui ex ordine equestri deiectus in vltimum ordinem, & vix sedens extrema parte subsellij, altero genu videbatur stare, altero sedere, tamen adhuc iactabundus dicebat se de sententia equitum sedere dimidiũ, dimidia vero parte, Lectio magistro theatralis ordinis iubente, se stare.

IN *primo gradu.*] Decimo quarto.

TVM.] Ante legem promulgatam.

OCCVPARE.] Capere ordines promiscuè.

TRANSTVLIT *castra.*] Alludit ad equitem. i. discessit, cum soleret sedere priùs inter primos.

CAPVT *cucullo.*] An quia eum pudebat, & nolebat agnosci, an quia velis theatralibus ipse non tegeretur, veste tegebatur.

INDECENS.] Sine dignitate.

ET *se stare Lectio*] i. altera parte stare iussu Lectij, quasi hoc amarè diceret in Lectium, cui ex dimidia parte satisfacere volebat, risus est poëtæ.

Ad Cæs. Domitianum. XV.

Quintus nostrorum liber est Auguste iocorũ:
Et queritur læsus carmine nemo meo.
Gaudet honorato, sed multus [v] nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur.

*v. Carmine.

Quid tamen hæc prosunt quamuis venerantia multos?
Non prosunt sane, me tamen ista iuuant.

Ad lectorem. XVI.

Seria cùm poßim, quòd delectantia malim,
Scribere, tu caussa es, lector amice mihi,
Qui legis, & tota cantas mea carmina Roma:
Sed nescis, quanti stet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa Tonantis,
Solicitisque velim vendere verba reis:
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,
Et ° fiet vario sordidus ære sinus. ° v. fieret.
At nunc conuiua est, comessatorque libellus,
Et tantùm gratis pagina nostra placet:
Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,
Cùm minimum vati munus Alexis erat.
Belle inquis, dixti: satis est: laudabimur vsq;,
Dißimulas? facies me puto causidicum.

DOMITIVS.

SERIA.] Conqueritur Mart. quòd cùm multi delectentur eius carminibus, nihil donent, & dissimulent se intelligere quid petat his iocis, intereaque omittat alias artes, præsertim agendarum causarum, vndè multum posset lucrari.

AMICE *mihi.*] Antiquus codex habet, Non mihi, sed malè, quod placet, vt dicat, es causa damno meo.

SERIA] i. res grauiores.

QVANTI *stet mihi.*] Quanti mihi constet amor tuus meorum carminum, nam dum seruio tibi, omitto alias res.

METRETAS.] Sunt qui putant metretam pro genere vasis, & cadi accipi, quo verbo vsus est Iuu. vt scilicet metretam accipiat pro amphora vinaria, vel potiùs pro vino: suprà, *Septenaria synthesis Sagitti.* Sed fuerit absurdum accipi metretam pro genere sordidæ pecuniæ, vt Illyria habebat nummos quosdam peculiares, quos appellabat victoriatos, afferebâtque Romam gratia commercij.

TEMPLA *falciferi Tonantis*] i. Saturni, nam Saturnus numen reorum erat, in cuius templo seruabatur ærarium Romanorum, propterea poëta cùm de reis loquitur, huius meminit: hoc magis placet, quàm si dicas defendere templa tonantis, i. publicum fiscum tueri.

CONVIVA *li.*] i. vix adhibebor in conuiuiis.

GRATIS.] Sine precio.

PAGINA] i. carmen, quasi dicat, si daretur non placeret.

ALEXIS.] Puer datus Virgilio à Mecœnate, munera erat Alexis, quæ Mecœnas dederat Virgilio.

DISSIMVLAS.] Simulas te non intelligere quid velim, vt suprà,

Iam notus dissimulator eris.

FACIES *me cau.*] i. coges me descendere ad causas agendas, cùm nihil des. nihil enim dabis vt video: alibi,

Hæc legis, & laudas, quæ tibi fama petit.

In Gelliam. XVII.

Dum proauos, atauósque refert, & nomina magna
Dum tibi noster eques, sordida conditio est:
Dum te posse negas nisi lato Gellia clauo
Nubere: nupsisti Gellia ° cistifero.

° v. Celebbero, maxime. Cistifero. Cybeles Cultori nam Cista in sacris magnæ matris adhibebatur quanquam & in Eleusinet. teste Eusebio.
'v. Turn. l. 3. cap. 21.

DOMITIVS.

DVM *proauos.*] Deridet Gelliam, quæ iactans nobilitatem suam contemnebat equitem, negabatque se nupturam, nisi Latoclauo. Latoclauo veste vtebantur & nobiliores, & ditiores, & qui ea veste vtebantur Latoclaui dicebantur. Tranquil. de Nerone, à Latoclauo, cuius vxorem attrectauerat cæsus. i. tandem vt possit commiscere, nupsit Iudæo diuiti. Cophinus Græcè & cista eodem verbo dicuntur, id Iudæi in supellectile habebant. Iuuen.

Cophinum, fœnúmque supellex.

Iudæus ergo potest dici cistifer, quia secum ferat in supellectile cophinum, & qui obsonia ferunt mercede, cistiferi sunt, vel aliud aliquid vendentes: deridet igitur poëta Gelliam, quòd nupserit cistifero, cùm putet se ditissimo nupsisse.

CISTIFERO.] Commune verbum est, & Iudæo fortasè ditissimo & pauperi mercenario.

NOSTER *eques sordida conditio*] i. dum nondum placet eques, & eum contemnis tanquam te inferiorem.

Ad Quinctianum. XVIII.

Quòd tibi Decēbri mense, quo volāt mappæ,
Gracilésque ligulæ, cereique, chartæque,
Et acuta senibus testa cum Damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi:
Fortasse auarus videar, aut inhumanus.
Odi dolosas munerum & malas arteis.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Auidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diuiti nihil donat,
O Quinctiane, liberalis est pauper.

DOMITIVS.

QVOD] Ad Quinctianum, cui ait se mittere in Saturnalibus non munera, quæ mitti soleant, sed versus: quoniam ea munera quæ mittuntur à pauperibus, diuitibus sunt dolosa, & plus petunt, quàm afferant: se tamen debere videri liberalem: nam cum pauper nihil donat est liberalis: quia nihil petit.

VERNVLAS.] Natos domi.

MENSE *Decembri.*] In Saturnalibus.

LIGVLA.] Ligula erat genus gladij, authore Gellio, à similitudine linguæ: & pro instrumento accipi potest: quod ad similitudinem linguæ conflatum vsui

vsui est, ad aromata & condimenta tractanda: mittebantur ligulæ in Saturnalibus: vt in distichis apertum est. Cereus etiam mittebatur in distichis.

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes.

Et chartæ mittebantur. in distichis,

Seu leuiter noto, seu caro missa sodali:

Omnes ista solet charta vocare suos. Et paulò post.

Pruna Damascena. In distichis.

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ,

Sume, solent duri soluere ventris onus.

Damascus nobilis vrbs Syriæ prunis, & myxis nobilis. In Satur. Dom. Sparsa pruna. Pap.

Quos pia germinat Damascus.

SENIBVS.] Rugosis.

SCARVM.] Scarus piscis optimus: solus ruminat, vt Plin. placet, iecinore commendatur: vt in Vitellij patina cõmemorat Trãquil. scarorũ iecinora.

Ad Cæs. Domitianum. XIX.

Si qua fides veri, præferri maxime Cæsar
Temporibus possunt sæcula nulla tuis.
Quãdo magis dignos licuit spectare triũphos?
Quando Palatini plus meruere dei?
Pulcrior & maior quo sub duce Martia Roma?
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitiũ, sed non leue, sit licet vnũ:
Quòd colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri, fidóque sodali,
Aut quem prosequitur non alienus eques?

DOMITIVS.

SI *qua fides.*] Instaurata vrbe à Domit. & castigatis moribus poëta conqueritur vnum tantum vitium residere: quòd diuites amici nihil dent pauperibus.

SI *qua fides veri*] i. si veritati credendum est.

QVANDO *licuit*] i. quando potuimus.

TRIVMPHOS.] An duplicem triumphum quem egit Domit. de Dacis: an pompas ludorum triumphos appellauit.

DEI *palatini.*] Quando magis meriti sunt de patria, quàm tu Domit. quoniam expulsis delatoribus voluisti vnicuique esse vitam liberam.

INGRATAS *amicitias*] i. ingratos amicos.

PROSEQVITVR.] i. afficit muneribus.

EQVES *non al.*] Eques non alienus à Mar. dicitur qui censu suo equestrem obtinet dignitatem: ad differentiam equitis, qui cum equo stipendium faciat, eques est, sed alienus: nam in militiam alienam mercede conducitur: in distichis,

Felix cui comes est non alienus eques.

Illic plura dicemus.

EQVES *non alienus*] i. qui diuitiis eques est.

Ad eundem. XX.

Saturnaliciæ ligulam misisse selibra,
Flammatæue togæ scrupula tota decem,

v. Flammatæque.

A *Luxuria est, tumidiq; vocãt hęc munera reges:*
Qui crepet aureolas, forsitan vnus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu Cæsar amicus.
Nulla ducis virtus dulcior esse potest.
Iam dudum tacito rides Germanice naso:
Vtile quod non vis, do tibi consilium.

DOMITIVS.

SATVRNALITIÆ.] Idem carpit hortans Domit. vt cum alij non dent: det ipse.

EST *luxuria.*] i. nimium esse putant ciues Romani.

REGIS *tumidi*] i. domini superbi.

SELIBRÆ.] Selibra media libra erat, quod pondus in muneribus Saturnalitiis erat constitutum: inde apud hũc poëtã reperies duas selibras, tres libras.

SCRVPVLA.] Scrupulum genus ponderis.

FLAMMATÆ *togæ.*] Hoc est, si miseris togam B flammatam decem scrupulorum.

FLAMMATAE.] Rubræ: a colore flammæ, & rubræ vestes, eadem metaphora ardere dicuntur: nam vestes purpureæ in Saturnalibus mittebantur. alibi:

Cadmi municipes feras lacernas.

CREPET.] Numeret; nam dum numerantur, crepitum faciunt nummi.

QVATENVS] i. quoniam.

ESTO *amicus*] i. dona. ita appellat amicum Mart.

DVLCIOR.] Liberalitate.

Ad Martialem. XXI.

Si tecum mihi care Martialis
Securis liceat frui diebus,
Si disponere tempus otiosum,
C *Et veræ pariter vacare vitæ:*
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forúmque triste
Nossemus, nec imagines superbas,
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, vmbra, virgo, thermæ:
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc viuit sibi neuter heu, bonósque
Soles effugere, atque abire sentit,
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quisquam viuere cùm sciat, moratur?

D

DOMITIVS.

SI *tecum.*] Vita apud Martialem, vt supra dictum est, accipitur pro eo tempore, quo in voluptate honesta versamur: neque quisquam dicitur viuere apud hunc poëtam, nisi qui relaxato animo molestioribus curis honestè voluptati vacat.

SVPERBAS *imagines.*] Stemmata.

GESTATIO.] Locus vbi antiqui gestabantur.

VIRGO.] Aqua virginis.

BONOS *soles*] i. bonos dies.

IMPVTANTVR] i. ascribuntur tempori nostro, quod datum erat ad viuendum.

De Apollonio. XXII.

Quintum pro Decimo, pro Crasso Regule Marcum
Antè salutabat rhetor Apollonius,
Nunc vtrumq; suo resalutat nomine, quantū
Cura, labórque potest, scripsit & edidicit.

DOMITIVS.

QVINTVM.] Apollonium rhetorem memoriæ infirmæ deridet: de quo alibi extat epigramma: qui ne amicos quidem suo nomine salutabat, sed tandem cœperat rectè salutare, & appellare: ait poëta hoc accidisse eius labore, quòd scripserat: memoriæque mandauerat. multos fuisse Apollonios, suprà est dictum.

Apollonio plaudit imbrifer Nilus.

QVINTVM.] Iocus est in nominibus Quintum, & Decimum, & Marcum Crassum, vt ostendat eum infirmæ prorsus memoriæ: cùm ne his quidem nominibus seruetur.

In Paullum. XXIII.

Mane domi [* alii habent alsi te.] *si te merui, voluique videre,*
Sint mihi, Paulle, tua longiùs Exquiliæ. [v. sunt.]
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pylæ;
Qua videt [* Capitolii Veteri, Floræ templo vicinum.] *antiquū rustica Flora Iouem.*
Alta suburbani vincenda est semita cliui,
Et numquam sicco sordida saxa gradu.
Vixq; datur longas mulorū vincere mādras,
Quæque trahi multo marmora fune vides.
Illud adhuc grauius, quòd te post mille labores
Paulle, negat lasso ianitor esse domi.
Exitus [v. hic.] *hinc operis vani, togulæq; madentis,*
Vix tanti Paullum manè videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

DOMITIVS.

MANE *domi.*] Conqueritur quòd post longæ viæ labores non inueniat Paullum domi, quem possit salutare: ante enim exierat quàm veniret Mar. inter cætera poëta vota optat multis in locis somnum. alibi se reliquisse vrbem, cum ibi non posset dormire scribit: *Matutine cliens vrbis mihi causa relictæ.* Ait ergo se non posse colere Paullum: neque eum dominum habere: nisi dormiat.

SINT *longius.*] Adiurātis est, i. nisi volui te videre.

TVÆ *exquiliæ.*] Quarum interuallum mihi est molestum, sint etiam longius exquiliæ, in quibus habites non conqueror longitudinem viæ, sed quia iubeo multa discrimina.

PILÆ *Tiburtinæ.*] Locus in vrbe erat pila Tiburtina, ex lapidibus Tiburtinis: solet poëta ab obscuris locis, vel exiguis domum suam designare: vt alibi, *Longum est si velis ad Pirum venire.*

IOVEM *antiquum.*] An veteris Capitolini Iouis

A vestigia, an de foro antiquo intelligit, an antiquum Iouem dixit, vt Pap. dixit, ad differentiam Domit. noui Iouis, placet prima sententia: ex authoritate Varr. est.

VINCENDA *semita*] i. oportet me superare cliuum suburbanum.

NVNQVAM *sicco.*] Non contaminata luto.

MVLORVM.] Vix possum superare multitudinem mulorum. Iuui sat. 3.

Stantis conuitia mandræ.

Codex antiquus habet murorum, quod non placet, vt mandras murorum intelligas saxa passim iacentia, quod insequens versus videtur probare.

TRAHI *multo.*] Eadem incommoda commemorat Vmbritius apud Iuu. *Coruscat longe abies.*

LABORES *post mille.*] Pericula superata.

MADENTIS.] Pluuia. Iuuenal.

Et multo stillaret penula nimbo.

B VIX *tanti Paullum.*] Sensus est: Tot labores sum perpessus, cum perueni domum tuam, vt etiam si te domi inuenirem, id vix satis esset præmij laboribus, quasi dicat, quanto grauius oportet esse quod post tot labores non inueniam.

OFFICIOSVS.] Qui diligenter colit amicum.

TV *non potes esse meus rex*] i. nolo te dominum.

NISI *dormieris.*] Nisi manè domi quiescas, quasi dicat, nolo dominum alijs seruire: quod alibi dixit.

Qui rex est, regem Posthume non habeat.

Nam intelligo Paullum egressum fuisse manè, vt alios salutaret.

Ad Bassum. XXIV.

C *Herbarum fueras indutus, Basse, colores,*
Iura theatralis dum siluêre loci.
Quæ postquam placidi Censoris cura renasci
Iussis, & Oceanum certior audit eques:
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
Aut meus ante omnes Cord⁹ haberet equū. [v. Codrus]

DOMITIVS.

HERBARVM.] In Bassum, qui reuocata lege de theatrali equitum consessu à Domit. vt ipse quoque D eques videretur, sumpsit lacernas purpureas, cùm tamen non haberet censum equestrem, ait poëta equitem nullum existimari propter lacernas, cùm nullæ lacernæ valeant quadringenta, quasi dicat, non vestes requiri ad iustum equitem, sed censum quadringentorum sestertiorum. Nam si vestibus dignitas equestris esset concedenda, Cordus, quem supra appellauit principem penulatorum, eques esset, cùm tamen non habeat censum equestrem: ita vtrunque subsannat.

HERBARVM.] Eodem fermè argumento dictum est suprà in Paridem.

Illas purpureas, & arrogantes iussit surgere Lectius lacernas.

COLORES *herbarū.*] An virides colores dicit, vestibus enim viridibus nōnulli vtebātur, quod testatur Papin.

in Glautia liberto Melioris, cùm de eius vestibus loquitur. *Nunc herbas imitare sinu.*
An, quod magis placet, ad differentiam purpuræ, quæ tingitur sanguine muricis, & coccinæ, quæ cocco pomo fruticis, denique & aliarum vestium preciosarum, nam preciosiores vestes aliis medicaminibus viliores herbarum succis inficiebantur.

IVRA] xiiij. gradus.

SILVERE.] Erant abrogata.

QVÆ.] Iura equestris ordinis.

RENASCI.] Reuocari in vsum: nam reuocauit legem Othonis: Iuuenal. sat. 3.

——Exeat, inquit,
Si pudor est, & de puluino surgat equestri:
Cuius res legi non sufficit.

OCEANVM.] Præfectum subselliorum, & magistrum ordinis equestris.

CERTIOR.] Eques non plebe immista.

DARE *verba.*] Decipere Oceanum.

SIC.] Vestibus istis.

CORDVS.] Quem suprà dixit principem penulatorum.

De Hermete. XXV.

Hermes Martia sæculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes & gladiator, & magister,
Hermes turba sui tremórque ludi,
Hermes, quem timet Aelius, sed vnum.
Hermes, cui cadit aduolans, sed vni,
Hermes [a] *vincere* [b] *sed ferire doctus,*
Hermes [c] *suppositicius sibi ipsi,*
Hermes diuitiæ [d] *locariorum,*
Hermes cura, labórque ludiarum,
Hermes belligera superbus hasta,
Hermes æquoreo minax tridente,
Hermes caßide languida timendus,
Hermes gloria Martis vniuersi,
Hermes omnia solus, & ter vnus.

[a] Vincere se & ferire, Lipsius lib. 2. Epist. 5.
[b] v. nec, rectius quam illud, quod ad artem eludendi ictus refertur.
[c] Cælius lib. 21. cap. 10.
[d] v. locariorum. Cælius lib. 14. cap. 23.

DOMITIVS.

HERMES.] Hermetem gladiatorem laudat eruditum omnium genere armorum, quem in omni parte certaminis bene versantem ait solum esse omnia, & ter vnum, alludens ad Hermetem Trismegistum, quem Græci ter maximum dixerunt, Lact. authore: nam id significat Trismegistus à varietate disciplinarum.

MARTIA *volu.*] i. armorum voluptas.

OMNIBVS *armis*] i. omni genere pugnæ.

MAGISTER.] Lanista magister gladiatorum.

TVRBA.] Perturbatio.

SVI *ludi*] i. suæ disciplinæ, & suorum gladiatorum.

ÆLIVS.] Gladiator, & victor aliorum.

CADIT.] Vincitur.

ADVOLANS *gladiator.*] Hermes supp. i. qui solus sibi ipsi succedit: cùm alij aliis fessis soleant succedere.

LOCARIORVM.] An locarij dicuntur illi, qui locant foros ad spectandum: vt dicat Hermetem diuitias esse locariorum, cùm multi confluant ad id spectaculum conductis locis à locatoribus, an locarios eos dicit, qui ad ludos instruendos instrumenta aliqua locare solent: vel locariorum diuitiæ, qui diligitur ab ijs, qui ludis delectantur, vt sequitur de mulieribus: quod magis placet.

LVDIARVM.] Ludiæ dicuntur vxores gladiatorum, & amicæ: de Hippia, Iuuenal.

Quid vidit propter quod Ludia dici Sustinuit.

CVRA.] Vel labor ludiarum, vel amatur à ludiis, hoc est à mulieribus, quæ gladiatoribus delectantur. Iuuenal.

——Ferrum est quod amant.

Vel ludias accepit hoc loco psaltrias, & id genus mulierum, quæ in theatra procedunt.

SVPERBVS *hasta.*] Et hasta pugnat Hermes.

TRIDENTE *æquoreo*] i. fuscina, nam gladiatores, qui retiarij dicebantur, vtebantur fuscina tridente Neptuni aduersus gladiatorem galeatum, quem Mirmilonem appellabant, in cuius galea erat piscis: id genus certaminis inuenit primus Pittacus aduersus Phrinonem.

CASSIDE *timendus*] i. bonus Mirmilo, & optimus retiarius.

TER *vnus*] i. Hermes, aliter Trismegistus. i. ter maximus, alludit cum nomine Hermetis, qui dicebatur Trimegistus.

De Chærestrato. XXVI.

Quadringēta tibi nō sunt, Chærestrate, surge.
Lectius ecce venit. sta, fuge, curre, late.
Ecquis, iô reuocat? discedentémque reducit?
Ecquis, iô largas pandit amicus opes?
Quem chartis famaque damus, populisque loquendum,
Qui Stygios non vult totus adire lacus.
Hoc rogo, nō melius, quā rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?
Quàm nō sensuro dare quadringēta caballo.
Aureus vt Scorpi nasus vbique micet.
O frustra locuples, ô dißimulator amice:
Hæc legis & laudas: quæ tibi fama perit?

DOMITIVS.

QVADRINGENTA.] Eodem ferme argumento supra est epigramma.

Prætorem pauper centum sestertia Gaurus.

Conqueritur enim de promulgata lege de theatrali ordine à Dom. nonnullos, qui equites olim erant, imminuto censu, nunc ita excitari de consessu equestri, vt nemo sit, qui commoueatur. & tantùm donet, quantùm deest ad iustum censum, cum tamen aurigis multa darent, quod supra etiam conquestus.

Quod non das equiti, vis dare prætor equo.

Ait ergo neminem ita laudatum iri, neque fore carmine suo immortalem.

CHÆRESTRATVS.] Pauper eques. hi duo versus sunt amici monentis, vt surgat, cùm non sit eques veniente Lectio: vt illud Iuuen.

Exeat, inquit, *Si pudor est.*

QVADRINGENTA *non sunt*] i. non habes censum equestrem.

SVRGE.] Ex xiiij. gradu.

STA, *fuge, curre.*] Voces amicorum sunt persequentium Chærestratum consternatum.

ECQVIS.] Verba Martial. conquerentis.

REVOCAT] Donatum censu equestri.

IO.] Vox blandientis.

QVEM.] Quis est qui velit celebrari carmine nostro.

QVI *non vult adire lacus.*] Hoc est, qui non vult omnino mori, vt non celebretur carmine nostro ob eius in aliquem liberalitatem.

NIMBO *rubro.*] Vase illo fundente crocum mistum vino.

SCORPVS.] Auriga: de quo suprà:

Scis me Scorpo, Thalloque daturum. & alibi.

Cùm sponsio, fabulaque lassa
De Scorpo fuerint, & Incitato. & alibi.
Cùm Scorpus vna xv. graues hora
Feruentis auri victor afferat saccos.

Quod ait nasum, vis hoc dictum esse per contemptum à poëta, vt eum notauerit à corporis deformitate, quoniam scil. Scorpus habuerit pergrandem nasum. Is cum vellet imaginem dicere, dixit: Tu das hæc, vt eius nasus, eiusque imago splendeat vbique per vrbem.

AVREVS.] Placet magis intelligas de habitu oris, quo vtebantur, nam oris indumentum fulgebat in auriga. Silius de auriga:

Cinyphio rector radiabat fronte peloro Camphasius.

FRVSTRA.] Vt suprà dixit. *Malè diuitis arca*: quasi dicat, dantur diuitiæ, vt his vtamur ad liberalitatem, sed tu cum non des, frustrà sunt datæ.

DISSIMVLATOR.] Est, vt suprà dictum est, qui cum ab eo aliquid petitur simulans se non intelligere, non mouetur.

QVÆ *fama*] i. qualis fama.

PERIT *tibi.*] Vel legis hæc, & laudes mea carm.

SED *tibi hac fama perit*] i. non das aliquid, & hanc formam negligis: alibi,

Facies me puto causidicum,

Quia scilicet nihil dabis.

Ad Codrum. XXVII.

Quòd alpha dixi, Codre, pænulatorum
Te nuper, aliqua cùm iocarer in charta:
Si forte bilem mouit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.

DOMITIVS.

QVOD *alpha.*] Iratus est Codrus, quod de eo supra dixit alpha penulatorum. Si inquit poëta, iratus es Codre, potes vlcisci, nam appella me Beta togatorũ, id est secundum, nam. b. est secunda litera, quæ solet vocari ex ordine literarum, & carmiuis nonnunquam, vt suprà.

Si tibi Mystilus coquus Aemilianæ vocatur.

In fictum equitem. XXVIII.

Ingeniũ, studiumq;, tibi moresque, genusq;
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habes.
A *Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,*
Vt sedeas viso pallidus Oceano.

DOMITIVS.

INGENIVM.] In equitem pauperem, qui ex lege nuper renata cum diceretur ex ordine equestri, quoniam censu careret, conquerebatur, quòd cùm esset eques ingenio, moribus, studio, genere, eijceretur. Mar. respondet eum quidem esse equitem illis dotibus, sed in reliquis, hoc est, in censu haberi plebéium, quod cum ipse intelligat, non debet tanti facere concessum equestrem, vt sedeat illic, & veniente Oceano palleat timore, ne detrudetur.

CÆTERA.] In censu es plebeius.

BIS *septem.*] Id est, xiiij. gradus.

NON *sunt tanti tibi.*] Id est, non tanti facienda à te.

B

*In Mamercum. XXIX. *Ad Aulum.

Vt bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres *Curios licet* *vincas,* *Curtios legit Douza, ne claudicet scazon, alioquin semper claudus. *v. vincat.
Quiete Neruas, comitate Rufones,
Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, iocis Paullos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

C

DOMITIVS.

VT *bene.*] In Mamercum maledicum, cui cùm nemo placeat, & in omnes inuehatur, aliquis fortasse putauerit esse maledicum, & malignum, sed poëta ait eum, cui nemo placeat, miserum debere videri, & non malignum. Mamercum enim proprium est. Osci matrem Mamercum appellant.

CVRTIOS.] Curtij pij fuere.

NERVAS.] Neruæ quieti. Poeta tribuit cuique familiæ suam proprietatem.

Ad Gelliam. XXX.

D *Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:*
Formosus septem Marce diebus eris.
Si non derides, si verum lux mea narras:
Edisti numquam, Gellia, tu leporem.

DOMITIVS.

SI *quando*] Ex vulgari opinione, authore Plin. putabant eum, qui edisset carnes leporinas septem diebus formosiorem fieri, & videri. Gellia hoc dicebat Marti. cum mitteret leporem, ipsa deformis erat, ait poeta: Nunquam Gellia edisti leporem, àdeò deformis es.

Ad Varronem. XXXI.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra,
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi, potiúsque videtur,
Saturnalicias perdere, Varro, nuces.

DOMITIVS.

VARRO.] In Saturnalibus mittit carmina Varroni, ita enim codices habent, quem in grandiore carmine versantem rogat, vt si relaxare animum cupit, non legat potius aut Catullum, aut elegiacos numeros, quàm versus suos, nisi fortè malit nucibus ludere, quàm legere ineptum carmen.

INFICIANDE.] Non respuende.

COTHVRNO *Sophocleo*.] Id est, à stylo tragico, quoniam in eo stylo claruit Sophocles.

CALABRA *lyra*] i. Enniana, alij Horatianam intelligunt, cum Horat. ipse ait se dubios fines incoluisse, & nō planè dignosci, an Calaber sit, an Apulus.

SCENA *Catulli facundi*.] Id est, amœna, & plena voluptatis lectio. alius codex habet, cena Catulli.

FVMOSO *Decembri*.] Id est, Saturnalibus.

SVO *mense*.] Id est, aptè mittuntur in Saturnalib. Horat. *Age libertate Decembri*.

De ludo puerorum cum iuuēcis. XXXII. C

Adspice, quàm placidis insultet turba iuuēcis,
Et sua quàm facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet summis: vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma boue.
At feritas immota riget, non esset arena
*Tutior, & ** possent fallere plana magis.* v. potuerant.
*Nec trepidāt * gressus, sed de discrimine palmæ,* v. gressu.
Securus puer est, solicitumq; pecus.

Idem Græcè.

Ἄθρει ὡς ἀσπασίως ἐπὶ ταύρων παῖδες ἀθύρειν D
Τολμῶσιν, χ' ὡς βοῦς ἄσμενα νωτοφορεῖ·
Τῶν κεράτων ὁ μὲν ἄκρων ἀπήωρε, ὃς δ' ἐπαληθεὶς
Ταῖς νώτων, δι' ὅλου θηρὸς ὁπλομαχεῖ.
Ἀγελότης ἄταρ ἠρέμ' ἔχει. κ' οὐ γάπεδον οὕτω
Πιστὸν ἂν ἦν, ἔδαφος δ' ἦν αὖ ἀπιστότερον.
Ἴχνια δ' οὐ σφάλλοιτ' ἀμέριμνοι γ' εἰσὶ βεβαίως
Οἱ παῖδες· τοῦ δ' αὖ θηρὸς μέμηλε πέρι.

DOMITIVS.

ASPICE.] Spectaculum taurorum pugnantium A insidentibus pueris, ei proximum videtur, quod Thessali equites in theatro, authore Tranquillo, domarites feros tauros, quibus insidebant, indéque desilientes cornibus deducebant ad terram, sed hic de pueris epigramma est.

PLACIDIS *iuuencis*.] Mansuetis.

SVA *pondera*.] Id est, pueros insidentes.

IN *toto boue*.] Id est, per omnem partem bouis.

ARENA.] Theatrum.

TVTIOR.] Pueris magis fallere vestigia puerorum. i. facilius laberentur per arenam, quam cum Tauris insidunt.

EST *securus*] i. non est solicitus, neque anxius de futura victoria, sed pecus.

De Crispo. XXXIII.

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis B
Non dedit vxori. cui dedit ergo? sibi.

DOMITIVS.

QVADRANTEM *Crispus*.] Luxu omnia perdiderat, moriens nihil reliquit vxori, ait poëta non esse mirandum, si nihil dederit vxori, quoniam omnia sibi. i. suo ventri dederat.

SVPREMIS *tabulis*] i. testamento.

SIBI] i. ventri suo dederit.

In caussidicum. XXXIV.

Carpere caussidicus fertur mea carmina, qui sit;
Nescio, si sciero, væ tibi caussidice.

De Erotio. XXXV.

Hanc tibi Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam,
Oscula commendo, deliciasque meas.

Idem Græcè.

Σοὶ, Φρόντων γενέτης, σοὶ, Φλακκίλλη γενέτειρα,
Παιδίσκην τὴν ἐμὴν, χαρίεν πλὴν δὲ συνιστάμεθα.

DOMITIVS.

HANC.] Amisit Herotiontem puellam natam domi ex seruis: mortuam prosequitur hoc epigrammate D alloquens Frontonem, & Flaccillam parentes suos, quibus vmbram puellæ commendat, nam illi iam erant extincti.

Ad eandem.

**Pallida nec nigras horrescat Erotiō vmbras,* v. Paruula nec.
Oraque Tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextæ modò frigora brumæ,
Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam veteres ludat lasciua patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.

Mollia [v. non rigidus.] *nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi* A
Terra grauis fueris, non fuit illa tibi.

Idem Græcè.

Σοὶ, Φρόντων γενέτης, σοὶ, Φλακκίλλη γενέτειρα,
Παιδίκα ταῦτ' ἐμὰ, κόρην τήνδε συνιστάμεθα.
Οὔτ' Ἐρέβους τρέσσαι σκοτόεσσαν Ἐρώτιον ὄρφνην,
Οὔτε πελώρια κυνὸς χάσματα Ταρταρέου.
Ἐξ γὰρ χειμερινοὺς κύκλους ἔπλησεν ἄν, εἰ μὴ
Ζῆσεν ἐλασσοτέροις ἤμασι τοσσατίοις·
Κνίζοι δ' ἐν τοῖς ἤδη πάτρωσι παλαιοῖς,
Οἱ ὦ μέν τε τραυλῶς τοὔνομ' ἀεὶ λαλέοι.
Δέμνια δ' οὔτ' αὐτῆς σκληρὴ κόνις ἀμπέχοι,
οὔθ' οἱ
(Οὐδὲ γὰρ ἦν δ' ἦν σοι,) γαῖα, βαρεῖα γένοιο. B

DOMITIVS.

EROTION.] A suauitate amoris nomen finxit Mart. nam Eros erotos significat amorem.

ORA *prodigiosa.*] Cerberi tricipitis.

FVIT *impletura*] i. impleuisset.

FRIGORA *sexta brumæ.*] Sextum annum.

PATRONOS.] Flacillam, & Frontonem, qui ei sunt veteres patroni.

GARRIAT.] Pueriliter exprimat.

ORE *blæso.*] Balbutienti.

ILLA.] Puella non fuit tibi grauis, quia cum calcabat te, leuissima adhuc erat puella.

De Euclide. XXXVI.

Cùm sibi [v. redire] *redire de patruelibus fundis*
Ducenta clamat cochinatus Euclides,
Corinthióque plura de suburbano:
Longumque pulcra stemma repetit à Leda,
Et suscitanti Lectio reluctatur,
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repentè magna de sinu clauis.
Numquam Fabulle, nequior fuit clauis.

DOMITIVS.

CVM *sibi.*] Euclidem Græcum deridet, qui vt sederet gradu xiiij. mentiebatur & diuitias & genus, D sed dum contenderet cum Lectio, qui eum excitabat è xiiij. gradu, defluxit repentè clauis ex sinu, nam omni carebat familia. Euclides ipse sibi famulus erat, & ianitor, vndè deprehensum est omnibus eum mentiri.

PATRENSIBVS.] Patræ Peloponesi oppidum, hic indiderat nomen à patriæ fundis.

CORINTHIO *suburbano*] i. Ex agro Corinthio in suburbio.

LEDA *pulchra*] i. dicebat se ducere genus à Leda Lacæna.

SVSCITANTI.] Eum surgere cogenti.

NVMQVAM *fuit nequior.*] Quæ eo tempore indicauerat dominum carere familia, cum diuitias iactabat.

Ad Faustinum. XXXVII.

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello
Dissimulat, quasi nil debeat, imposuit.

De Erotio puella. XXXVIII.

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galesi mollior [v. Phalanthini, à Phalantho Tarenti conditore.] *Phalanini,*
Concha Lucrini delicatior stagni:
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modò politum pecudis Indicæ dentem,
Niuesque primas, liliúmque, non tactum,
Quæ crine [v. vicit] *vincit Bætici gregis vellus,*
Rhenisque nodos, aureamque nitellam,
Fragrauit ore, quod rosarium Pæsti,
Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod succinorum rapta de manu gleba.
Cui comparatus indecens erat [v. pauoni] *pauo,*
Inamabilis sciurus, & frequens phœnix:
Adhuc recenti tepet Erotion busto,
Quàm pessimorum lex [v. amara] *auara fatorum.*
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiúmque, lususque,
Et esse tristem me meus vetat Pætus:
Pectusque [v. pulsas] *pulsans, pariter & comã vellẽs,*
C *Deflere non te vernulæ pudet mortem?*
Ego coniugem, inquit, extuli, & tamen viuo,
Notam, superbam, nobilem, locupletem:
Quid esse nostro fortius potest Pæto?
Ducenties accepit, & tamen viuit.

DOMITIVS.

PVELLA.] In Pætum qui lugentem Mart. mortem Erotionis accusabat, monebátque eum debere esse forti animo suo exemplo, qui quamuis vxorem locupletem amisisset, tamen non lugebat. Nihil inquit poëta fortius est nostro Pæto, qui quamuis cc. sesterria morte vxoris tetigerit, tamen viuit, neque angitur. Propterea hoc ironicè dictum est, & per cauillum, ostendit enim Mart. eum non lugere, quia lætetur potius vxoris morte ob magnam hæreditatem, quàm doleat.

PVELLA.] Herotion.

CYGNIS *senibus.*] Iam morituris, tunc enim optimè canunt. Vel senibus i. canis propter candorem, nam hoc epitheton est perpetuum apud hunc poëtam.

GALESI *phalanini*] i. Tarentini, quia Rufus erat in speciem auri, quo colore oues Beticæ habent lanam.

ERYTHRÆOS *lap.*] Maris Erythræi. i. rubri maris. i. margaritas.

NITELLA.] Erat mica pulueris auri inter arenas, hoc verbo vsus est Soli. in collectaneis, vt dicas

puellam vicisse colorem arenæ Rheni crinibus, quæ arena est aurifera. Si legis mitella exemplo Virg.

Grata redimita mitella:

Dices puellam superasse dignitatem crinium Germanorum. qui torti sunt, vt suprà.

Crinibus in nodum torti venere Sicambri.

Et mitella aurea teguntur. Iuuen.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Placet vt intelligas nodos Rheni cincinos, & capillos Germanorum, & mitellam auream micantem in arenis.

FRAGRAVIT] Redoleuit.

ATTICARVM *cerarum.*] Id est, mel hymetium.

GLEBA *succinorum.*] Id est, electri, quia fragrat cum frangitur electrum.

SCIVRVS] Animal est magnitudine gliris, pilo subrufo, cauda totum corpus tegens, vnde suum nomen accepit. nam σκιὰ vmbram significat, & οὐρὰ caudam, nam cauda vmbram sibi facit.

ERAT *frequens*] Id est, ita vilis erit, vt multæ phœnices essent.

ET *tamen viuo*] Hic sensus placet, vt intelligas Petum amissa vxore locupletem, simulasse luctum, cum tamen lætaretur, & lusum esse hoc verbo apud Mart. quasi accusantem eum quod lugeret cum ipse viuat amissa vxore.

DVCENTIES] Sestertia.

ET *tamen viuo*] Alludit ad hoc verbum viuo, quod suprà dixerat, Pætus simulans dolorem morte coniugis.

A lint. non potest igitur, inquit Poëta, qui fratrem habet, videri solus habere totum censum, cum frater noto illo verbo vti soleat in diuidendis bonis, σῦκα μέριζε, i. diuide ficos. Alij codices habent ita ἴσα μέριζε, i. æqua portione diuide, quod placet.

QVID] Dicit ille frater, qui dicit σῦκα μέριζε, i. diuide ficos, multo magis petet diuisionem quadringentorum.

POLLVX] Pugil.

CASTOR] Domitor equorum fuit: hoc est, alter pugil, alter equestri certamine pugnabat. Bis hoc repetitum est ab Homero vno versu, & à nostris Poët. versum in Latinam vocem. Ponit igitur hoc modo Mart. Pollucem pro fratre, Castorem pro equite.

MOLESTO] Scil. tuæ dignitati.

TV *eras Castor*] Id est, tu potuisses haberi e-

B ques.

SI *non esses Pollux*] Hoc est, si non haberes fratrem.

SOLOECISMVM *facis*] Vnus enim sedetis, solœcismus est, quia dici Latinè non potest vnus sedetis, in quo vrbaniter iocatur.

LEDÆ] Castorem, & Pollucem, qui inuicem succedunt, ita facias tu Calliodore, sedeatis alternis diebus, hoc simpliciùs est quàm si acerbitatem dicti immiscueris, vt intelligat poëta Calliodorum oportere mori, & descendere ad inferos, aut certè fratrem idem facere, si alteruter vult esse eques, vt alter àlteri succedat, vt inuicem succedunt Castor, & Pollux.

In Calliodorum. XXXIX.

C

Calliodorus habet censum, quis nescit? equestrem,
Sexte: sed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέριζε,
Vno credis equo posse sedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto?
Non esses Pollux si tibi, Castor eras.
Vnus cùm sitis: duo, Calliodore, sedetis.
Surge: solœcismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ; aut cum fratre sedere
Non potes, alternis Calliodore sede.

DOMITIVS.

CALLIODORVS] Contendebat Calliodorus sibi esse oportere locum in equestri ordine, cum haberet quadringenta: Poëta ait, hunc quidem habere quadringenta: sed habere & fratrem diuisum: igitur censum non satis esse duobus equitibus: consulit præterea, vt si equiris locum vult retinere, imitetur Castorem & Pollucem, vt scilicet alternis diebus sedeat cum fratre. non posse enim ambos eodem tempore sedere tanquam equites.

CENSVM *equestrem*] Id est, quadringenta.

Σῦκα μέριζε] Prouerbium Græcum tractum à fratribus diuidentibus bona, qui eò vsque minitia quæque diuidi postulant, vt ficorum partem diuidi ve-

In Charinum. XL.

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Charine, misi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci: miserere iam Charine.
Signa rariùs, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculósque, sacculumque.
Crœso diuitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Charine,
Si[a] concham toties meam comesses.

[a] Conchis faba est cū cortice suo elixa Mart. alibi. in cœnātem malè. Et benè si cœnas conchis inuncta tibi est. Iuuen. sat. 3. cuius conche tumet.

DOMITIVS.

SVPREMAS] Captauerat hæreditatem Carini

D Mart. atque vt scriberetur hæres, misit sæpenumero liba eo præsertim tempore, quo conderet testamentum quod tricies vno anno iam fecerat, nunc tussi videbatur moriturus, vt scil. mitterentur iterum munera: Martial. ait se nihil habere ampliùs quod mittat, quod si velit habere placentas condat semel testamentum, non toties. i. moriatur.

PLACENTAS *madidas*] Vnctas.

HYBLEIS *thymis*] i. melle Siculo.

SIGNANTI *supremas tabulas*] Id est, testamentum.

DEFECI] i. exhaustus sum, quia non habeo ampliùs quod mittam.

MISERERE *inopiæ meæ*] Id est, morere tandem.

IRVS] Notus ex carmine Homer. in Odyssea: hic olim Arneus dicebatur, posteà dictus est Irus à -

garrulitate mendicandi, nam εἴρω Græce, Latinè est loqui: eum binominem appellauit Ouid.

Fortuna binominis Iri.

Proceri quidem corporis, & ignaui hunc fuisse Homerus testatur. Plura in Ibin diximus.

Croesvs] Rex Lydiæ ditissimus, cuius diuitias cùm alij multi exponunt, tùm Herod. in primis.

Comesses] Id est, comedisses toties conchem vilis precij cibum, quoties placentas & liba, quæ preciosa sunt.

Conchen] Conchis faba viridis, de qua in distichis:

Si spumet rubra conchis, tibi pallida testa:
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Ita puto legendum apud Iuuenalem:

Cuius concha tumet.

Ad Artemidorum. XLI.

Pinxisti Venerem: colis Artemidore Mineruam,
Et miraris, opus displicuisse tuum?

Idem Græcè.

Ἔγραψας Παφίην, σέβεις Ἀρτεμίδωρε Ἀθήνην·
Θαυμάζεις πόθεν σοῦ ἔργον ἄπασιν ἀδεῖν;

In * Didymum. XLII.

* Quid si in Didymũ? de quo l. 12. Epigr. 76.

Spadone cùm sis euiratior fluxo,
*Et concubino mollior * Celænæo,*
Quem sectus vlulat matris entheæ Gallus,
Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeásque, & Idus fibulásque, censúsque:
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo Didyme: non licet, maritorum.

* Mollis Didymus est, sed esse non vult.
* Atthin delicias Cybeles intelligit.

DOMITIVS.

Spadone] In Didymum spadonem: hic contendebat sibi locum deberi in equitum consessu, diuitias autem comparauerat ducta vxore, quam alij subagitabant: diuitem fuisse alibi testatur Poëta:

Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

Spadone] Item, Si non foret spado Didymus, & Coresus. Poëta ait se iam habere exploratum Didymum non posse sedere inter equites: an inter equites possit se visurum, per quod ostendit eum nimium arroganter poscere locum inter equites, cùm sedere non possit inter maritos spado, & castratus.

Loqveris *theatra*] Id est, superbo ore vsurpas sermonem de theatro.

Gradvs] Ordinem sedendi.

Edicta] Ad hoc potissimum retulit, quod edixit Domit. ne quis in xiiij. gradu sederet, nisi equites.

Trabeas] Rubras vestes.

Idvs] Dies festos, nam idus festos Iouis nomine antiquitas sanxit: author est Macrob. in Saturn. quòd A etiam intellexit Poëta, cùm suprà dixit:

Idibus & raris sumpta est tibi toga Calendis.

Fibvlæ] Indumenta erant histrionum, quibus virilia tegebantur, hic pro vestibus theatralibus. Placet legas *fabulas*, id est, actiones scenicas.

Censvs] Reditus, tanquam esses dignus eques.

Flvxo *spadone*] An fluxo pro proprio nomine accepit, an spadonem fluxum intelligit eum, qui mollis spado sit. Fluxi enim molles dicuntur à luxu, vel à fluendo.

Eviratior] Effœminatior.

Concvbino *Celænæo*] i. Atthi phrygio puero Cybeles.

Celænæo] Celænæ oppidum Phrygiæ. Papinius:

Nosses & illustres Satyro pendente Celænæ.

Gallvs] Sacerdos castratus.

B Entheæ *matris*] Cybeles, quæ sacerdotes in furorem vertebat, nam in sacris sacerdotes Cybeles vlulatu requirebãt Atthin, quem olim Cybele amauerat. Enthei autem dicuntur Deo pleni, id est, furentes. Papinius, Musam enthean appellauit,

——licet enthea vati
Exuperet Pimplea sitim.

Videbo] Cogitabo an possis sedere inter equites, nam inter maritos, non potes, quoniam es spado: erat enim ordo maritorum in theatro ab Augusto olim constitutus. quod Tranquil. scribit, vndè & Poëta ex hoc iocatur.

Amicis esse donandum. XLIII.

Callidus effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma Lares.
C *Debitor vsuram pariter, sortemque negabit,*
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus exstructas obruet vnda rates.
Extra fortunam est, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Idem Græcè.

Χρήματ' ἀρεῖ κλέπτης, θεὶς φωριαμοὺς ἐπανοίξας.
D Αἶψα καταισμύξει φλὸξ πατρικὸν μέγαρον.
Χρήστης καὶ ὁ δάνιος, σὺν τόκῳ σὸν ἀποδώσει·
Σπέρμα καταβληθὲν βῶλος ἄκαρπος ὀλεῖ·
Οἰκονόμον δολίαι ἀποσυλήσουσιν ἑταῖραι·
Κῦμα διαρραίσει φορτοφόρους ἀκάτους.
Πᾶν, ὃ φίλοις χαρίσαιο, τύχῃ ἀναφαίρετόν ἐστιν·
Ὧν μεταδῷς, μούνων κύριος αἰὲν ἔσῃ.

DOMITIVS.

Callidvs] Notum argumentum, ex his verbis laudat munificentiam, & eas opes perpetuo seruari affirmat, quæ amicis dantur: cùm omnes aliæ diuitiæ incertis fortunæ casibus eripi possint.

DEBITOR] Apud quem habueris pecunias, & A qui debet tibi.

EXTRA *fortunam*] Extra casus fortunæ. Quæsiuit acumen ex his duobus verbis dare, & habere, nam quod das non videris habere, & tamen habes, vt ait poëta, quod das amicis.

De Thaide & Lecania. XLIV.

Thais habet nigros, niueos Lecania, dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

Idem Græcè.

* Leucaniã reposui vt Martial. argutia pateat, qui fictum à candore nomẽ habenti, tribuit dentes candidos. allusio clarior est in Græc.

Θαῒς ἔχει μέλανας, λευκοὺς Λευκανὶ* ὀδόντας· B
Πῶς; ἣδ' ὠνητούς· κείνη ἔχει ἰδίους.

DOMITIVS.

THAIS] Duæ meretrices habebant dentes, altera nigros: altera candidos, scil. Lecania emptis enim vtebatur, vt candidos haberet: quasi dicat, si Lecania haberet suos nigros, haberet etiam ipsa.

In Dentonem. XLV.

Quid factum est rogo, quid repentè factum?
Ad cœnam mihi Dento, quod vocanti,
Quis credat, quater ausus es negare,
Sed nec respicis, & fugis sequentem:
Quem thermis modò quærere, & theatris,
Et conclauibus omnibus solebas.
*Sic est: captus es vnctiore * cœna,* *v. mensa.
Et maior rapuit canem culina
Iam te: sed citò cognitum, & relictum,
Cùm fastidierit popina diues,
Antiquæ venies ad ossa cœnæ.

DOMITIVS.

QVID *factum*] In Dentonem, qui cum paulò ante soleret captare cœnam Martial. quamuis parua esset, & frugi: nunc à ditioribus impetrata cœna, Martial. aspernabatur: ait poëta, quamuis Dento aspernetur meam cœnam: tamen non deposuit illud studium mensæ captandæ. sed hoc agit ritu canis, qui pinguiores & vnctiores culinas solet semper sequi.

CONCLAVIBVS] Nam conclaue cœnationem significat, vt Cicer. docet.

SIC *est*] Vt cogito.

AD *ossa*] Permanet in translatione canis, sperneris enim ab illis.

In Bassam. XLVI.

Dicis formosam, dicis te Bassa puellam.
Istud quod non est, dicere Bassa soles.

DOMITIVS.

DICIS] Bassa tribas erat, & fututor, vt poëtæ verbo vtamur, quod suprà dixit:

Esse videbaris (fateor) Lucretia nobis:
At tu (proh facinus) Bassa fututor eras.

Cùm non sit puella, inquit Mart. quare dicit se puellam, quia non est, est enim fututor, nam quamuis vera dicere videatur, cum dicit se puellam, dicit id quod non est, quia non puella est, sed fututor, & se virum agit sæpè, cum sit fœmina.

Ad Diadumenum. XLVII.

*Basia dum nolo, nisi quæ luctantia * carpsi,* *v. carpsit.
Et placet ira mihi plus tua, quàm facies:
Vt te sæpè rogem, cedo, Diadumene, sæpè.
Consequor hoc, vt me nec timeas, nec ames.

DOMITIVS.

BASIA] Inuitum & recusantem Diadumenum osculabatur, & precibus nonnunquam impetrabat osculum, dicit se hoc agere de industria, nam ita assequitur oscula, & puer non amat Mart. vt aliquid possit postulare tanquam ei amicus.

CEDO] Vincor à te.

NEC *timeas me*] Vt non recuses oscula mea.

NEC *ames*] Nec sis amicus & propterea exigas C aliquid. nam si amares tanquam amicus, semper aliquid exigeres.

De Philone. XLVIII.

* *Nunquam se cœnasse domi Philo iurat, & hoc est,* *v. Nusquã
Non cœnat, quoties nemo vocauit eum.

DOMITIVS.

NVNQVAM] Philo iurat se nunquam domi cœnasse, quod verum est, quoniam non cœnat quando non est vocatus ab alijs: quasi dicat, non est quod semper inuitetur, ita vt nunquam possit domi cœnare, sed quoniam cœna abstinet, quando non est D vocatus.

De Encolpo. XLIX.

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos
*Encolpus domino, * nec prohibẽte tamen.* *v. non prohib.
Permisit fleuitque Pudens. sic cessit habenis
Audaci questus de Phaëthonte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles
Deposuit gaudens, matre dolente, comas.
*Sed tu * nec propera * breuibus nec crede capillis,* *v. ne prop. *v. ne crede.
Tardáque pro tanto munere, barba veni.

Idem Græcè.

A

Καὶ τί ἔρως οὐ πείσει; κόμην ἀέκοντος ἄνακτος
Κείρατο Εὔκολπος, μάλ' ἐρύκοντος ὅμως.
Εἶξε Πούδης, καὶ ἔκλαυσ'· οὕτω κατάφωρος Α-
χιλλεὺς
Ξανθὴν, ἀχθομένης μητρὸς, ἔθριξε κόμην·
Τοῖος Ὕλας ἥρπακτο· τὰ δ' ἡνία τοῖος ἀφῆκε,
Μεμφόμενος τόλμην, τῷ Φαέθοντι πατήρ.
Ἀλλὰ σὺ πιστεύων κουρῇ μὴ ἐπείγεο, πώγων·
Ἔλθ' ἀεργασίης δ' ὄψιμος αὐτὸ τόσης.

DOMITIVS.

QVID *non*] De eadem re supra est epigramma:
Hoc tibi Phœbe vouet.

Illic puer vouerat se dicaturum crines Phœbo, cum primum Aulus Pudens ad primipilarem dignitatem perueniret, nunc creatus est primipilaris: puer damnatus voti tondit crines, Aulo non prohibente, sed tamen dolente.

QVID *non cogit amor.* Virgil. imitatio.

SIC *cessit habenis*] i. dedit currum.

QVESTVS] Conquestus de Phaëtonte.

HYLAS *talis raptus*] An retulit hoc ad id quod Her. monuerat ne iret aquatum: sed cum ille peteret ob amorem cessit? an intelligit cum raptus fuit ab Her. nam pater Thiodamas in bellum aduersus Herculem, qui eius boues necauerat, Hylam filium sequentem monuit, vt domi maneret, ipso id postulante pater cessit, vnde raptus est ab Hercule victore qui ea in pugna fuit vulneratus, vsus enim ope Deianiræ vxoris, authores sunt Sophocles in Trachinijs, & interpres Apollonij in Argonauticis. Probus C dixit tantum Hylam Thiodamantis filium fuisse, reliqua historia omissa: & Proper. Hylam Thiodamanteum appellauit à patre.

DEPRENSVS *Achilles*] Achilles latuit apud Lycomedem, ne accederet ad Troiam, nota historia, nec enodatur.

BREVIBVS *capillis*] Quod scil. sit propterea grandis, nam grandiores, & exoleti breuiores habent crines.

PRO *tanto munere*] Quanto prosecutus est.

Ad Labienum. L.

Vidissem modò fortè cùm sedentem
Solum te Labiene, treis putaui:
Calua me numerus tua fefellit,
Sunt illinc tibi, sunt & hinc capilli,
Quales nec puerum decere poßint:
Nudum est in medio caput, nec vllus
In longa pilus area notatur,
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc cùm prandia misit Imperator:
*Cùm * panariolis tribus redisti,*
Talem Geryonem fuisse credo.
Vites censeo porticum '' Philippi,
Si te viderit Hercules, peristi.

* Panaria equitibus Senatoribusque in Saturnalib' distribuit Domitian'. Sueton.

'' M. Philippus sub Augusto porticum construxit ad Herculis ædem.

DOMITIVS.

VIDISSEM] Deridet Labienum, qui caluam duobus in locis capillis fultam, & opertam habebat, reliqua area nuda, & cum vnum esset caput, tria viderentur: monet, vt vitet porticum Philippi, vbi pictus est Hercul. nam si eum viderit, putabit Geryonem, qui tricorpor dicitur fuisse, & eum necabit.

CALVÆ] Tui capitis.

LONGA *area*] Spatio.

PRANDIA] Domitianus in Saturnalibus, author Tranquillus, equitibus, & senatoribus panaria distribuit, obsonia plebi sportellis. Panarium, authore Varro loculus dicitur in quo panis seruatur. Hanc historiam canens Papinius ait.

Hi panaria, candidásque mappas
Subuectant, epulásque lautiores.

PHILIPPI] Martij. Philippus, qui temporibus B Augusti condidit ædem Herculis, quemadmodum L. Cornificius ædem Dianæ. huius ædis meminit etiam Ouidius in Fastis extremi operis versibus, & Tranquillus in August. cap. 29.

PERISTI] Nam te necabit putans Geryonem.

In Charopinum. LI.

Cœno domi quoties, nisi te, Charopine, vocaui,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ;
Méque '' petis stricto medium transfigere ferro, '' v. putaui
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
Desine iam nostram, precor, obseruare culinam,
*Atque aliquando meus det tibi verba * coquus.* * v. focus

DOMITIVS.

COENO *domi*] In Domo.

PROTINVS] Statim.

PETIS *me transfigere ferro*] Auget eam gulam.

D

SINE *te*] Te non inuito.

IMPROBIVS] Insatiabilius.

DET *verba tibi*] i. decipiat te, dicens me non cœnare domi, cùm tamen cœnem: iocus est ex elocutione dare verba, nam quamuis videatur significare suppeditare verba, significat decipere, idem suprà.

Cui nihil ipse dabas, hic tibi verba dedit.

Ad Rufum. LII.

Hic qui libellis prægrauem gerit læuam,
Notariorum quem premit chorus leuis,
Qui codicillis hinc, & inde prolatis,
Epistolisque commodat grauem vultum
Similis Catoni, Tullióque, Brutóque,

Exprimere Rufe, fidiculæ licet cogant,
Aue Latinum, χαῖρε non potes Græcum.
*Si fingere *me istud putas, salutemus.*

* v. istud me.

DOMITIVS.

Hic *qui*] In Pontilianum, cuius mores agrestes, & inhumanitatem accusat, qui numquam resalutat, infrà dicit.

Sæpe salutaris, numquam prior ipse salutas:
Sic eris æternum Pontiliane vale.

Lævam] Sinistram.

Libellis] Libelli erant scripta, quæ mittebantur principi ad aliquid impetrandum, & libelli erant scripta iudiciaria. Æschines Demosthenem ita incedentem cum eiusmodi libellis deridet ea oratione, quæ inscribitur de falsa legatione.

Premit] Obsidet vndique.

Gravem *vultum*] i. supercilium.

Fidiculæ] Dicuntur tormenta à fide. i. corda, qua vinciebantur, qui erant in quæstione.

In Posthumum. LIII.

Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo:
Cur igitur taceo Postume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, Dixerat ipse mihi.
Non bellè quædam faciũt duo, sufficit vnus
Huic operi, si vis, vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia Posthume dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

DOMITIVS.

Qvæ] In Posthumum, qui collata Mart. munera apud omnes prædicabat, ait Poëta silere, non ob ingratitudinem, sed quia ista commemoratio beneficij non potest commodè à duobus fieri, sed ab altero tantum, & beneficiorum gratiam tali exprobratione perire.

Tenebo] In memoria.

Ipse] i. Posthumus.

Dixerat *mihi*] Tibi præstitisse hæc beneficia.

Si *vis vt loquar*] Te dedisse mihi beneficia.

Perevnt] Amittunt gratiam.

Ad Bassum. LIV.

Colchida quid scribis, quid scribis amice Thyestem?
Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est, mihi crede, tuis aptißima chartis
**Deucalion, vel, si nõ placet hic, Phaëthõ.*

*Id est, vt aut aquis, aut igne aboleantur.

A

Idem Græcè.

Κολχίδα τί γράφεις· τί γράφεις, φίλε Βάσσε, Θυέστην·
Τί σοι ἢ Νιόβη, Βάσσε, ἢ Ἀνδρομάχη;
Ὕλη, ἐμοὶ πίθου, σοῖς γράμμασιν ἐστ' ἁρμόδια,
Δευκαλίων, αἴ σοι ἀνδάνῃ, ἢ Φαέθων.

Leonidas id Menecratē pictorem l. 2. Anthol. c. 39. & Lucillius, c. 40. eiusd. Anthol.

DOMITIVS.

Colchida] In Bassum, qui cum malè scriberet, & malum faceret poëma, sumpserat tragicam materiam, & scribebat fabulam Medeæ, Thyestæ, & Niobes versæ in saxum, Andromaches vxoris Hectoris: consulit poëta vt sumat potius Deucalionis materiam, vel Phaëthontis, alludens ad incendium, & per iocum ostendens eius poëmata digna esse aut aqua, aut incendio.

B

Colchida] Fabula Medeæ.

Thyestem] Deucalion tempore diluuij fuit, & ponit eum pro diluuio, nam ineptum carmen sæpe numero dicit aquis dignum. alibi.

Non aliter mitti debuit iste liber. alibi.
Vis puto cum libro Marce natare tuo.

De rhetore. LV.

Extemporalis factus est meus rhetor:
Calpurnium non scripsit, & salutauit.

DOMITIVS.

Extemporalis] In Apollonium, qui quoscunque salutaret, scribebat ob imbecillitatem memoriæ, de quo supra, *Quinctum pro decimo.*

C

Nunc vtrumque suo salutat nomine. Scripsit, & edidicit, & nunc autem salutauit Calphurnium recto nomine: miratur vim ingenij Mart. irrisione. mirandum inquit est, Apollonius factus est extemporalis. Extemporales oratores respondebant proinde, ac si essent meditati, præceptum extat Quinct. de oratione extemporali paranda.

De aquila. LVI.

Dic mihi, quem portes, volucrum regina? Tonantem:
Nulla manu quare fulmina gestat? amat:

D

Quo calet igne deus? pueri. cur mitis aperto
Respicis ore Iouem? de Ganymede loquor.

DOMITIVS.

Dic *mihi*] In Aquilam pictam Ioue insedente, quem ipsa hianti rostro respiciebat.

O *regina*] Id est, ô Aquila quæ es regina volucrum.

Tonantem] Verbum Aquilæ, alibi eiusdem meminit.

Ad Lupum. LVII.

Cui tradas, Lupe, filium magistro
*Quæris solicitus, * diuque tentas*

* v. diu reputasque.

Omnes grammaticósque rhetorásque,
Deuites, moneo: nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis,
*Fama * Rutilium suæ relinquat:* * Pulm. Cod. Lucilium.
Si versus facit, abdices poetam.
Artes dicere vult pecuniosas?
Fac, discat citharœdos, aut choraulos.
Si duri puer ingeni videtur,
Præconem facias, vel architectum.

DOMITIVS.

CVI] Notat figuratè tempora sua Mart. nàm cùm bonis artibus non sit locus, consulit Lupo, vt tradat filium erudiendum aut citharœdis, aut choraulis. At si videtur duri ingenij, faciat eum aut præconem aut architectum.

NIHIL *sit illi*] i. nihil habeat commune.

RVTILIVM] Illum intelligo, qui tantæ æstimationis apud Romanos fuit, vt eius opus ædificiorum iusserit in senatu recitari Aug.

ARCHITECTVM] Architecti magistri ædificiorum dicuntur, neque ars contemnenda est, sed hoc (vt puto) inuidiosè dixit poëta, cùm Domit. ad instauranda ædificia plurimum impenderet, & propterea architecti in precio essent, poëtis contemptis.

Ad Cinnam. LIIX.

*Cùm voco te dominum, * nolo tibi, Cinna, placere:* * v. noli.
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

DOMITIVS.

CVM *voco*] Cinna, cùm vocabatur à Mart. dominus, putabat id fieri dignitate sua, & merito, at Mart. quoties aliquid volebat ab aliquo impetrare, eum dominum, & regem appellabat, inquit igitur, non appello te dominum, quòd eo nomine sis dignus, sed vt impetrem aliquid, quod etiam facio in meo seruo, cùm volo aliquid ab eo blandiendo impetrare.

PLACERE *tibi*] i. noli te efferre. Regem, & dominum appellabant aliquid captantes. Ita alibi ait se appellasse Priscum, sperans aliquid, cùm non nosset eum auarum.

Ad Postumum. LIX.

Cras te victurũ, cras dicis, Postume, semper,
Dic mihi cras istud, Postume, quando venit?
Quàm longè cras istud vbi est, aut vnde petendum?
Nũquid apud Parthos, Armeniosq; latet?
Iam cras istud habet Priami, vel Nestoris annos,
Cras istud quanti dic mihi possis emi?
A *Cras viues: hodie iam viuere, Postume, serum est,*
Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

DOMITIVS.

CRAS] In Posthumum, qui eam vitam, quam suprà scripsit Mart. differebat, eodem argumento suprà est epigramma.

Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

VICTVRVM *cras*] i. discessurum à curis, & daturum operam honestæ voluptati.

QVANTI *possent emi*] Quasi dicat facilè posset comparari abs te.

Ad Stellam. LX.

B

*Quòd non argentum, quòd non tibi * misimus aurum,* * v. mittimus.
Hoc facimus caussa, Stella diserte, tua.
Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti,
Fictilibus nostris exoneratus eris.

DOMITIVS.

QVÒD *non*] Vasa fictilia ante argenti, & auri vsum in precio erant, nec vsquequaque repudiata sunt inuentis vasis aureis, & argenteis, nam patina fictilis permansit mensæ, vnde tripatinea est dictum, vt Fenestella. Id antè erat vna patina murenarum, altera C luporum, tertia missionis piscis: & Vitellius. cc. sestertiis patinam parasse dicitur fornace extructa: in campis: Rheginæ & Cumanæ patinæ præstantiores erant reliquis, nunc Mart. misit Stellæ patinam fictilem, & causam ostendit quare neque aurum, neque argentum miserit, quod etiam suprà dixerat.

ODI *dolosa munera, & malas artes*] Do plus ego, inquit Mart. tibi plus dedi Stella, quòd fictile vas misi, quàm si misissem aut argentum, aut aurum, nam si ea accepisses, coactus esses ratione gratitudinis paria, aut maiora mittere, nunc cùm patinam fictilem acceperis exigui precij, eris liber onere remittendi aliquid.

TVA *caussa*] Propter te.

EXONERATVS] Liberatus onere remittendi.

Ad detractorem. LXI.

D

Allatres licet vsque nos, & vsque,
Et gannitibus improbis lacessas:
Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscumque legaris vt per orbem.
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser necesse est,
Non deerunt tamen hac in vrbe forsan
Vnus, vel duo, tresve, quatuorve,
Pellem rodere qui velint caninam,
Non hac à scabie tenemus vngues.

DOMITIVS.

ALLATRES] In maledicum, cuius nomen negat se carmine vnquam indicaturum, licet ille perpetua maledicentia eum lacessat, vult enim eum perire ignotum, & miserum. hoc conuenit in Mamercum, de quo suprà est epigramma,

Vt bene loquatur, sentiatque Mamercus.

GANNITIBVS] i. maledictis: Lucretius,

Gannitus vocis adulter.

Iuuen. trahens verbum de voce vulpis,

Appula gannit sicut in amplexu.

EST *mihi certum*] Id est, constitutum est mihi.

PERNEGARE] Numquam concedere.

FVISSE] Te vixisse, quia nihil distat à morte silentium vitæ, vt Annibal apud Silium:

Quantum etenim distant à morte silentia vitæ.

IGNOTVS] Non notus carmine meo.

QVI *velis rodere tuam pellem caninam*] i. qui te vlciscatur maledictis.

VNGVES] Perstat in metaphora.

SCABIE] Ab isto tuo pruritu iurgiorum, & rixarum.

In Marianum. LXII.

Crispulus iste quis est, vxori semper adhæret
Qui Mariane tuæ? Crispulus iste quis est?
Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem;
Et sellam cubito dexteriore premit?
Per cuius digitos currit leuis annulus omnes:
Crura gerit nullo qui violata pilo?
Nil mihi respondes? vxoris res agit, inquis,
Iste meæ: sanè certus, & asper homo est,
Procuratorem vultu qui præferat ipso:
*Acrior hoc Chius non erit * Aufidius.*
**O quàm dignus eras alapis Mariane Latini,*
Te successurum, credo ego Panniculo.
*Res vxoris agit, res * nullas Crispulus iste?*
Res non vxoris, res agit iste tuas.

*Auf. nobilis mœchus, cuius & Iuuenalis meminit Sat. 9. Notior Aufidio mœchus. *Vide Turneb. lib. 18. cap. 51. *v. villas.

DOMITIVS.

CRISPVLVS] Marianum imprudentiæ accusat, qui putat quendam iuuenem mollem, & Crispulum procuratorem esse vxoris, cum sit adulter.

CRISPVLVS] i. iste comatus.

PREMIT *sellam*] i. incumbit sellæ vxoris: nam mulieres sella vtebantur. Mart.

Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet. Horat.
Discipularum inter iubeo plorare cathedras.

Iuuen. de muliere:

Conducit comites, sellam, ceruical, amicas.

CVRRIT] Fluit.

VIOLATA *nullo pilo*] i. expilata.

CERTVS] Certi dicuntur fideles: certi item qui supercilio grauitatem tuentur: certi præterea, quos nulla ratio rei gerendæ fallit, vt certum sagittatorem dicemus dirigentem sagittam in signum, & ita accepit hoc loco Martial.

A CHIVS *Aufidius*] Duo fuerunt Aufidij inter alios. Alter Aufidius Luscus qui ex decuria scribarum factus est prætor, alter fuit mœchus notissimus, de quo Iuuenal. sat. 9. vers. 25.

Notior Aufidio mœchus celebrare solebas.
Quod taceo,

Et de hoc eodem loquitur Martial. in hunc sensum: Aufidius Chius mœchus notissimus non esset procurator aptior hoc, neque maiorem seueritatem præ se ferret, quam præferat iste tuus Crispulus, ô Mariane, vt per hoc ostendat Crispulum esse mœchum, vt Aufidius fuit.

PROCVRATOREM] Grauitatem procuratoriam.

ALAPIS *Latini*] Nam Latinus pulsando panniculum risum mouebat, vt suprà:

——Quanto non ipse Latinus
Vilia panniculi percutit ora sono.

SVCCESSVRVM *panniculo*] i. loco panniculi.
B Pulsatum iri à Latino, vt moueat risum, & sit morio.

RES *tuas agit*] i. res mariti, quia est mœchus tuæ vxoris: risus est ex inuersa elocutione: nam agere res, est negocia obire, vt Marianus accipiebat Crispulum agere res vxoris. Agere item res, alterius est partes sustinere, & locum subire, vt Mart. accipit mœchum agere res mariti.

Ad Hospites. LXIII.

Iure tuo nostris maneas licet hospes in hortis:
Si potes in nudo ponere membra solo:
Aut si portatur tecum tibi magna supellex:
C *Nam mea iam * digitũ sustulit hospitibus.*
Nulla tegit fractos, nec inanis culcitra lectos:
Putris & abrupta fascia reste iacet.
Sit tamẽ hospitium nobis commune duobus;
Emi hortos, plus est: instrue tu, minus est.

*Tectum, in margine adiectum erat. Vide Erasm. in adag. Tolle digitum.

DOMITIVS.

IVRE *tuo*] Consumpta supellectile in hortis frequenti hospitio proponit hoc carmen valuis hortorum, quo hospitem venturum monet, si velit in hortis pernoctare, afferat supellectilem, quoniam ea quam olim habebat, iam est attrita: at si, inquit, vti
D volueris, paremus hospitium communi sumptu, ego emi hortos, tu affer supellectilem.

LICET *maneas*] Potes manere.

IN *nudo solo*] i. in humo sine supellectile.

DIGITVM] Quid est? quod dicit mea supellex sustulit digitum hospitibus: nonnulli signum libertatis somniant, vt dicat, mea supellex sustulit digitum hospitibus. i. liberata est ab hospitibus, quia vindicatis in libertatem mos sit tollendi digiti: at hoc non placet: illud potius sentio quod tractum est à veteri authore, nam cùm res vendebantur, & alienabantur, qui emebat declarãs se victorem emptionis, tollebat digitũ: sit ergo sensus: Mea supellex sustulit digitum hospitibus. i. hospites totam meam supellectilem absumpserunt tãquam suam: nam si dixeris hic liber sustulit digitum Titio, hoc est, faciat vt Titius tolleret digitum pro se: Idem est, ac si diceres, hic liber est emptus Titio: authores Cicer. & Pompeius.

CVLCITRA *nec inanis*] Nam culcitræ resarciebantur tomento, poëta ait sibi non modo esse plenam, sed ne vacuam quidem.

FASCIA *putris*] Hoc dicit propter lectum, qui ante fascia, aut reste solebat sustentari, vt Porphyrio eo loco, vbi ait Homer. Tenta cubilia: & Cicer. refert ad coniectorem quendam somniasse se onustum pondere, & fascia lecti sui cubicularis.

IACET] Demissa est ad terram.

TAMEN] Cùm nulla sit supellex, & habeo hortos.

COMMVNE] Id est, communi sumptu paremus hospitium.

INSTRVE] Para supellectilem.

Ad Ponticum. LXIV.

Quid sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis,
Sic me solicitus, Pontice, sæpe rogas.
Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis,
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc sentis? inquis, faciat tibi sic bene Cæsar.
Sic Capitolinus Iupiter: immò tibi.

DOMITIVS.

QVID] Deridet Ponticum, cuius libros nonnunquam laudabat assentando, cùm tamen aliter sentiret, quod iocando declarat.

SENTIS] Iudicas.

ADMIROR] Assentior.

REGVLVS] Cuius Plin. meminit in epist.

IMMÒ *tibi*] Sic bene faciat Cæs. quia non bene sentio, nam, immò tibi, sunt verba Mart. auertentis adiurationem.

Ad suos ministros. LXV.

Sextantes Calliste duos infunde Falerni:
Tu super æstiuas Alcine" funde niues. fr. Solut.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassentúrque rosis tempora sutilibus.
Iam vicina iubent nos viuere Mausolea:
Cùm doceant, ipsos posse perire deos.

DOMITIVS.

SEXTANTES] Reuocat animum in voluptatem, & quasi nuper inspexisset in campo Martio Pyramidem, vocat Callistum, & Alcinum, pueros suos, vinum, & algentes aquas infundere iubet, quasi daturus operam voluptati. Papin. dixit:

Iunge puer cyathos, & enumerare labora.

Tamen inferri vnguentum & rosas, quia omninò instituerit adire ad releuationem, & voluptatem, cùm per mausolea sepulchra Imperatorum, quæ nuper inspexit, non modo cognouerit ipsos mortales extingui, sed etiam ipsos Imperatores, qui volunt Dij appellari. Suprà est hortatus amicum in hunc sensum:

Sera vita nimis est crastina, viue hodie.

Alcinus puer quem suprà extinctum dixit, & sepultum in Labicana via, nunc nomine continet.

ÆSTIVAS *niues*] Quibus calda refrigerabatur, vt suprà: & Iuuenal.

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Vinum colabatur.

NIMIO *amomo*] Vnguento.

ROSIS *sutilibus*] Duo genera coronarum: aliæ pactiles, aliæ sutiles dicebantur. Sutiles coronæ fiebant ex folijs primum rosarum, demùm inolescente luxu ex folio nardi: has coronas nominauit Mart. in cœna plena voluptatis, quoniam sutilibus coronis tantùm vtebantur ad sacra saliorum, & solennes cœnas. Rosaria corona in tanto iudicio voluptatis erat, vt cùm Fuluius argentarius secundo bello Punico conspectus esset è pergula spectare in forum coronatus rosacea corona, in carcerem sit ductus.

MAVSOLEA *iam vicina*] Quia Mausolea tantum in Caria esse solebant, authore huius operis Artemisia vxore Mausoli, nunc autem erant etiam in campo Martio: nam Tranquil. authore Aug. alterum volumen rerum suarum voluit tabula ænea describi ante Mausoleum, & Strab. de eodem, in Samo positum est Cæsaris Augusti simulachrum ex ære fabricatum, sub aggere ipso sunt eius loculi, & cognatorum, & necessariorum: hoc igitur docebat Deos posse perire, quia illic erant Dei. i. Imperator cum familia sepultus.

VIVERE] Dare operam honestæ voluptati.

IAM *vicina*] Quæ sunt in campo Mart.

DEOS] Id est, Imperatores, qui Dei volunt videri.

Ad Cæsarem. LXVI.

Astra, polumque dedit, quamuis obstante nouerca,
Alcidæ, Nemeæ terror, & arcas Aper.
Et castigatum" Lybiæ ceroma palæstræ: "v. Libyæ
Et grauis in Siculo puluere fusus Eryx:
Syluarumque tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boues.
Ista tua, Cæsar, quota pars spectatur arenæ?
Dat maiora nouus prælia mâne dies.
Quot grauiora cadunt Nemæo pondera monstro?
Quot tua Mænalios collocat hasta sues?
Reddatur si pugna" triplex pastoris Iberi, "Geryon tricorpor.
Est tibi, qui possit vincere Geryonem.
Sæpe licet Graiæ numeretur bellua Lernæ,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
Pro meritis cælum tantis, Auguste, dederunt
Alcidæ citò dij, sed tibi serò dabunt.

A

Idem Græcè.

Ἀλκείδη, καίτοι τῆς μητρυιῆς ἀέκητι,
  Θὴρ Νεμέης, χλούνης τ' Ἀρκὰς ἔδωκε πόλον,
Καὶ ὁ παλαιστρίτου Λίβυος κήρωμα κολασθὲν,
  Χ' ὡ Σικελοῖσι ταθεὶς ἐν σταδίοισιν Ἔρυξ,
Δεῖμά τε τῶν ξυλόχων, ὅστις κρυφίαις ἀπάταισι
  Κᾶκος ὀπισθοπόρους εἰς ἄντρος εἷλκε βόας.
Τοῦτο τεοῦ, Καῖσαρ, πόσον μέρος ἐστὶ θεάτρου;
  Μειζοτέρας ἠὼς περὶ δίδωσι μάχας.
Κρέσσονα πόσσα δίδουσι πελώρια τῆς Νεμέηθεν;
  Πόσσους Μαιναλίους σὸν δόρυ μάρψε σύας;
Τριπλόος εἰ δὲ βοτῆρος ἀνίσταιτ' ἄθλος Ἴβηρος, B
  Σοὶ καὶ ὁ νικήσων Γηρυονῆα πάρα.
Καὶ δὴ ἀριθμείσθω πυκνῶς Λερναῖς ἔχιδνα,
  Πρὸς Νείλου τί ποιεῖ κνώδαλα θοῦρις Ὕδρη;
Ἀντὶ τόσων ἔργων, ὤκιστα θεῶν ἰότητι,
  Οὐρανὸς Ἀλκείδην δέκτο· σὲ δ' ὀψὲ μενεῖ.

DOMITIVS.

ASTRA] Laudat spectaculum editum crocodilorum. Quòd Domit. crocodilum dederit in arena, vt scribit Poëta, nondum comperi: illud historia habet Augustum dedisse crocodilum in spectaculo, & author est Strab. in vltimo, crocodilos allatos Romam in spectaculum præbuisse voluptatem Tentyritis hominibus. i. qui Tentyram insulam Ægypti incolunt feras insectantibus, nam vt colatur in Ægypto crocodilus ab omnibus, soli Tentyritæ & oderunt, & persequuntur: & in hoc spectaculo fides est habenda Mart. de Domit. Apte comparat deificationem Herculis deificationi futuræ Domit. quoniam appellabatur Her. maior. C

CEROMA *castigatum*] Id est, Palæstritam Antæum subactum.

LIBYCÆ *Palæstra*] Antei Libyci.

ERYX] Filius Veneris & Butæ, qui necabat hospites: occisus est ab Hercu.

CACVS] Filius Vulcani interfectus ab Herc.

NEC *rectus*] Per caudam.

QVOTA *pars*] Quasi dicat minima pars est tuorum laborum interficere hæc monstra in theatro suo. D

QVOD *grauiora monstro*] Nam Domit. multas feras conficiebat in Albano, sed hæc puto referri ad spectaculum, & Carpophorum, quem supra ita laudauit.

TVA *hasta*] Carpophori.

PVGNA *triplex*] Quia Geryon tricorpor, & tribus generibus telorum vtebatur.

LICET] i. suo arbitrio commoueret antiquitas hydram: cùm maiores sint crocodili.

FERIS *Niliacis quid facit*] Qua ex parte potest comparari hydra crocodilis.

In Pontilianum. LXVII.

Sæpe salutatus, numquã prior ipse salutas:
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

DOMITIVS.

SÆPE *salutatus*] Distichon est in eum, de quo supra dixit:

Libellũ prægrauem gerit lauam.

Is est Pontilianus, qui nunquam resalutabat: agrestem autem hominem, & inurbanum hoc disticho eludit.

VALE] Est verbum salutantis in discessu.

VALE *æternum*] Pontificale est verbum, quo in mortuos vtebantur. Id Euander in Pallantem vsurpauit apud Virgil. Ancipiti igitur verbo iocatur poëta, & quasi videatur recusare se salutaturum amplius Pontilianum, ait, tu eris vale æternum, cùm tamen intelligat, tu mihi eris mortuus: nam vt diximus, vale æternum dicebatur in mortuum.

SIC] Hoc pacto, cùm nunquam salutes.

ERIT *vale æternum*] Id est, apud me tanquam mortuus eris.

De hirundine. LXVIII.

Hibernos peterent solito cùm more recessus
  Atthides, in nidis vna remansit auis.
Deprêdêre nefas ad tempora verna reuersæ,
  Et profugam volucres diripuere suæ.
Serò dedit pœnas, discerpi noxia mater
  Debuerat: sed tunc, cùm lacerauit Itym.

Idem Græcè.

Νισσομένου χειμῶνος, ὅτ' Ἀτθίδες εἰς σφέτερ' ἤθεα
  Νεῦντο, νεοσσιδίῳ ὄρνις ἔμεινε μία.
Τοῦ μὲν ἄγρες ἤλθοντο παλίσσυτα εἴαρος ὥρῃ
  Ὄρνεα· τὴν δ' αὐτὴν ἐσπάσαν αὐτόμολον.
Ὀψὲ δίκην τίσασα· μήτηρ γὰρ ὤφελεν αὐτὴ
  Τοῦτο παθεῖν, ὅτ' Ἴτυν ἧψα διεσπάσατο.

DOMITIVS.

HYBERNOS] Hirundines ex nido domestico euolantes, vnam illic reliquerunt, reuersæ primo vere lacerarunt eam quæ remanserat: hoc cùm domi Mart. acciderit, edidit epigram. & ait. debuit quidem lacerari hirundo, sed tunc cùm filium Itym discerpsit: nam Progne quæ hirundo est facta, si credimus fabulis, Itym filium Tereo patri in mensam apposuit. Ex fabula iocans epigramma conficit.

ATTHIDES] Hirundines à Progne, quæ Atheniensis fuit.

NEFAS] Scelus, quæ remanserat.

SVAE *vo.*] Eiusdem generis aues hirundines.

PROFVGAM] Hirundinem.

MATER] Progne.

Ad Lesbiam. LXIX.

Arctoa de gente comam tibi Lesbia misi:
  Vt scires quanto sit tua flaua magis.

DOMITIVS.

ARCTOA] Plebeiæ & impudicæ mulieres flauos crines gestabant: pudicæ nigros. Iuuenal. satyr.6. cum mulierem introducit cupientem cælare indicium pudicitiæ.

Et nigrum flauo crinem abscondente galero.

Martial. impudicæ Lesbiæ misit comam Germanicam, ob hoc inquit misi, vt scires quanto magis tui crines sint flaui.

COMAM] Crines.

SCIRES] Cognosceres.

MAGIS *flaua*] Coma Germanica, vt ostendat impudicitiam, vel certè dicit Lesbiæ crines esse magis flauos Germanicis, vt ostendat esse commentitios, quibus dum Lesbia similitudinem Germanicorum æmulatur, & nimium affectat, reddidit eos adeò flauos, vt iam palam esset, esse commentitios, & non veros.

In M. Antonium. LXX.

Antoni Phario nil obiecture Photino,
Et leuius * *tabula quàm Cicerone nocens:*
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro:
Et tantis opibus vox tacet vna tibi.
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

* Tabula proscriptionem.

DOMITIVS.

ANTONI] In gratiam Ciceronis exigit epigram. damnato Antonio, cuius scelere Cicero fuerat interfectus, os, & caput Romanum: non est, inquit Martial. quod speres silentium tuis sceleribus Antoni, nam & si Cicer. substulisti, qui tua accusabat scelera, tamen omnes miserantes illius necem incipient in te loqui pro vno Cicer.

OBIECTVRE *nil.*] Id est, qui nihil potes exprobrare.

PHOTINO *Phario*] Ægyptio, qui Pompeium interemit: tu enim es sceleratior.

ROMANA *ora*] i. in Cicerone lingua Romana, vnde supra dixit, epigr.65. l.3.

Hoc tibi Roma caput, cùm loquereris, erat.

TABVLA] Proscriptione. Nam vnâ cum Lepido, & Octauio multos proscripsit, & minus sceleris admisit: quàm in vno Cicerone, quem interemit.

CATILINA] Damnatus à Cicerone cos. coniurationis: hoc non admisisset Catilina quamuis hostis Ciceronis.

IMPIVS *miles*] Pompilius Lænas Picenus defensus in causa capitis percussor Ciceronis.

AVRO *infando*] Auro scelerato.

VNA *vox*] Ciceronis.

TIBI] i. in tuam gratiam.

SILENTIA *preciosa*] Precio comparata à te.

LOQVI *in te pro Cic.*] Cicero in te inuectus est editis Philippicis: nunc omnes te accusabunt.

A

De Syrisco. LXXI.

Infusum sibi nuper à patrono
Plenum Maxime, centies, Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea, quatuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse!
Quanto maior adhuc, nec accubare.

DOMITIVS.

INFVSVM] Syriscus per multorum annorum

B industriam centies sestertia ab eo à quo fuerat manumissus compilauerat. Is vagus, & errabundus inter fugitiuos caupones, & nautas, vt Iuuen. ait, totam rem absumpsit, nunquam discumbens vna mensa, adeo vt nunc ne volens quidem posset discumbere, cùm precium cœnæ non haberet. magna, inquit poëta, luxuria est comesse centies sestertia, sed maior adhuc non discumbere, cuius verbi ambiguitate ita ludit: nam cùm videatur dicere, maior est luxuria non discumbere: quia Syriscus vagus totum centies consumpserit, nusquam discumbens: ipse intelligit maior est luxuria non accubare, quod ita centies consumpserit, vt amplius non possit accubare.

SYRISCVS] Nomen ductum à Syro. Poëtæ per syros Seruos intelligunt, vt Virgil. syriscam seruam.

QVANTO *maior adhuc, nec accubare*] Potes simpliciter intelligere, vt dicas magna est gula comesse

C centies, sed longè maior quòd nusquam accubando, aut discumbendo Syriscus centies consumpserit.

VAGVS *per popinas sellariolas*] Sellaria dicuntur loca domestica ad sedendum tantùm parata: Plin. Sellaria domus aureæ Neronis & quidem loca ad libidinem, & segnitiem. Tranquil. in Tiberio: Secessu verò capreensi, Sellarium excogitauit, sedem arcanarum libidinum popinæ sellariolæ dicuntur, in quibus desident homines ignaui ad libidinem. & luxum: Salariolis non placet ratione syllabæ, nam primam corripit.

INFVSVM] Datum à patrono.

QVATVOR *balnea*) Quæ autem balnea intelligat, licet conijcere fuisse Neroniana, Grili, Titi, Agrippæ.

QVANTO *maior gula est consumpsisse*) Ita centies

D vt nusquam accubaret.

Ad Faustinum. LXXII.

Humida qua gelidas summittit Trebula valles,
Et viridis Cancri mensibus alget ager,
Rura Cleonæo numquam temerata leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te Faustine vocant, longas his exige messes
Collibus, hibernum iam tibi Tibur erit.

DOMITIVS.

HVMIDA] Vocat Faustinum in agrum Trebulanum in Campania, vbi tantam aëris temperiem esse dicit, vt si eam senserit, sit existimaturus Tibur esse domicilium hybernum calidum, cùm tamen frigidissimum habeatur æstate.

LEONE *Cleonæo*] i. Augusto mense, quo sol est in Leone.

CLEONÆO] Cleonæ opp. Peloponesi in via, quæ agro Corinthum ducit pulchris mœnibus. Indè Home. Cleonas excellere mœnibus canit. ibi Hercules leonem interemit, qui in cœlo esse fertur, vnde Cleonæus dicitur: idem dicitur Nemæus, nam Nemæa est iuxta Cleonas, in qua Argiui Nemæa sacra peragebant, de quibus carmina extant Pindari. scrib. Strab. meminit Higinius.

TREBVLA] Oppidum in Campania non procul à Baijs.

ALGET] Friget.

CANCRI *mens.*] Iulio.

EXIGE] Exple.

MESSES *longas*] Id est, longam æstatem.

IAM] Postquam senseris Trebulanum cœlum.

HYBERNVM *Tibur*] Id est, tu tam frigidam existimabis Trebulam, vt existimes Tibur domicilium hybernum, id est, vtendum hyeme.

De origine Bacchi. LXXIII.

* ἄρσην enim fuit.

*Qui potuit * Bacchi matrē dixisse tonātem,*
Ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.

DOMITIVS.

QVI *potuit*] In poëtam, vt puto, qui in fabula Bacchi nati, dixit Iouem esse matrem Bacchi, quoniam immaturo tempore natum intra femora fouisset, hunc Mart. deridet, hic inquit, qui rem sibi lepidam videtur dixisse appellando Iouem matrem Bacchi, iam poterit dicere Semelen patrem.

Ad Theodorum. LXXIV.

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore? magna caussa est.
Dones tu mihi ne tuos libellos.

DOMITIVS.

NON *donem*] In Theodorum, cui ait non mittere suos libellos, ne ille suos inconditos & ineptos mittat.

EXIGENTI] Postulanti.

NE *dones tu mihi*] Tuos, scilicet, libellos ineptos. Alibi malum poëtam indicat in domus incendio.

De Pompeio & filijs. LXXV.

* Cn. Pompeius saucius ad Mūdam in Hispania interijt, Sextus apud Miletum à Titio classis præfecto occisus fuit.

Pompeios iuuenes Asia, atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes, si tamen vlla tegit.
A *Quid mirum toto si spargitur orbe? iacere*
Vno non poterat tanta ruina loco.

DOMITIVS.

POMPEIOS] In gratiam, & laudem Pompeiorum, quorum gloriam tantam fuisse scribit, vt non potuerint vno loco cadere, sed debuerint à tribus partibus orbis sepeliri. Cneus Magni filius occubuit in Hispania ad Mundan: partem Europæ. Sextus in Asia ad Miletum. Cneus pater in Ægypto sepultus ad Casiam montem: hic tamen non est in Africa, sed poëta est abusus finibus orbis, vt integro satisfaceret acumini.

ASIA] Miletum oppi. Asiæ tegit Sextum.

EVROPA] Mūda Hispaniæ opp. tegit Cneum F.

SI *tamen vlla tegit*] Quoniam Pompeius dictus est esse insepultus, vel ex eo disticho.

Marmoreo in tumulo Licinus iacet,
B *At Cato paruo, Pompeius nullo.*

An argutius Mart. loquitur vt hoc referat ad immensam Pompeij gloriam, & dicat eum non tegi. i. eius famam non posse celari.

TANTA *ruina*] Trium Pompeiorum.

Ad Quinctum. LXXVI.

Quæ legis caussa nupsit tibi Lælia, Quincte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

DOMITIVS.

QVÆ *legis*] Iuliam legem in adulteros reuocauit Domit. de qua alibi poëta.

C *Iulia lex populis, ex quo Faustine renata est.*

QVI] Qui ante legem promulgatam erat adulter, adulteram duxit vxorem, veritus supplicium legis: legitima vxor dicitur, quæ iure & ritu nuptiali nupsit, & legitima à lege dicitur: hoc verbo cauillatur poëta, atque ? alij appellant vxorem legitimam, quæ ritu nupsit, & iure: tu tuam potes legitimam appellare, quia nupsit tibi causa legis Iuliæ, erat enim tibi mœcha.

Ad Cinnam. LXXVII.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.
D *Tu quoq; cauisti cœnādo tam malè semper,*
Ne posses vmquam, Cinna, perire fame.

Idem Græcè.

Τοξικὰ μὲν προλαβὼν Μιθριδάτης πολλὰ
πέπωκε,
Τοῦ μὴ βλάπτεσθαι φαρμακόεντι ποτῷ·
Τῷ δὲ σε λιμώττειν αἰεὶ, προφύλαγμα τόδ᾽ εὗρες,
Ὥστε θανεῖν λιμῷ, μηδὲν ἔχειν σὲ δέος.

DOMITIVS.

PROFECIT] Mithridates rex Ponti sanguine anatis Ponticæ immisto quibusdam medicamentis remedium aduersus venenum sumebat, authore Lenæo Pompeio, quemadmodum scrib. Gellius, adeo

vt cum nonnunquam sumeret venenum inter epulas, nulla ex parte læderetur: Immo & eiusdem generis remedio nomen dedit, vt appelletur Mithridaticum. Iocatur in Cinnam poëta malè cœnantem, quemadmodum, inquit, Mithridates sumpto sanguine anatis ponticæ, quæ venenis vescitur, parauit sibi corpus tutum aduersus venenum, ita & tenui cœna paras remedium aduersus famem: nam assuefacis te esuritioni, ita vt postea esuritio non possit tibi nocere.

PROFECIT] Assecutus est poto veneno.

CAVISTI] Prouidisti.

Ad Marullum. LXXVIII.

Narratur bellè quidam dixisse, Marulle,
"Qui te ferre oleum dixit in auriculam. (*Vide Chiliad. Erasmi.)

DOMITIVS.

NARRATVR] Prouerbium erat apud antiquos, vt is qui loqui non posset, diceretur oleum ore gestare: eodem quidam vsus est in Marullum volentem neminem audire, sed inuerso, vt dixerit Marullum non gestare oleum ore, sed auribus, quia nunquam vellet alios audire, sed semper loqui.

Ad Turanium. LXXIX.

Si tristi domicœnio laboras,
Turani: potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocæ, grauésque porri,
Diuisis" cybium latebit ouis, (*Cybium. Vide Plin. l.9.c.14 & l.32.c.11.)
*Ponetur digitis tenendus * vnctis* (*Lipsius l.1. Epist.5.)
Nigra coliculus virens patella,
Algentem modò qui reliquit hortum,
Et pultem niueam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.
Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur vuæ,
Et nomen pira quæ ferunt Syrorum,
Et quas docta Neapolis creauit,
Lento castaneæ vapore tostæ,
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc omnia fortè si mouebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles oliuæ,
Piceni modò quas tulere rami,
Et feruens cicer, & tepens lupinus.
Parua est cœnula, quis potest negare?
Sed finges, nihil, audiesve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes,
Nec crassum dominus leget volumen,
Nec de Gadibus improbus puellæ

A *Vibrabunt sine fine prurientes*
Lasciuos docili tremore lumbos,
Sed, quod non graue sit, nec infacetum,
Parui tibia condyli sonabit.
Hæc est cœnula, Claudiam sequeris,
Quam nobis cupis esse" turpiorem. (*v. cu pelorem.)

DOMITIVS.

SI *tristi*] Turanium alterum eiusdem nominis Mangonem, hoc est venditorem puerorum, fuisse & Plin. in 37. nat. hist. cap. 13. scrib. & Tranquil. in Vespas. c. 4. hunc inuitat ad tenuem cœnam, quam infrà quoque describit ad socios.

LABORAS] Anxius es.

B DOMICOENIO] Nouum est verbum à poëta compositum ex domi, & cœno, id est cœna domestica.

ESVRIRE] Non vesci, sed leuiter gustare.

CAPPADOCÆ] Lactucæ erant quemadmodum aliæ purpureæ crispæ Græcæ, de his Columella.

Cappadocamque premit ferali mensa lupercus.

SI *soles*] i. si tibi mos est.

Προπίνειν] i. prægustare ante cœnam.

VILES] At viliores sunt, quæ pelorides dicuntur. Eandem cœnam alibi describit, & inchoat à lactucis hoc versu,

Attulit & varias quas habet hortus opes,
In quibus est lactuca sedens, & sectile porrum.

Infrà est epigramma.

GRAVES *porri*] Grauis concoctionis, vt scrib. C Dioscorides. (Lib. 2. c. ...)

CYBIVM] Hoc erat genus cibi ex cibio pisce & genere pulmenti salsi. Cibium autem Plin. scrib. esse pelamidem concisam ex ouis, & ruta, infrà Mart. in hunc sensum. (Cap. vlt. l. ... & l. ...)

Secta coronabunt rutatos oua lacertos,
Et madidum thynni de sale sumen erit.

COLICVLVS] Siue cauliculus, delicatissimus erat Apicij luxuria, per quem est fastiditus Druso Cæsari, vel, vt alij codices habent, blanditus, quod placet.

BOTELLVS] Genus condimenti, quod ita conficit Apicius, Botellum sic facies ex oui vitellis coctis, nucleis pineis concisis, tum addit alia.

PVLTE] Puls ex farina alicæ, oleo, & alijs rebus, vt docet Apicius in v. Erant autem pultes suis appellationibus distinctæ, nam aliæ dicebãtur Iulianæ, aliæ tractogalæ, &c.

D PREMENS] Nam coronabantur pultes, lucanica vel Botello in dist. de Botello:

Pultibus hic niueis grata corona datur.

MARCENTES] Præmaturæ, vt marcida vina apud Papin. i. præmatura.

Et marcida vina largiuntur.

PIRA, *quæ ferunt nomen Syrorum*] i. pira Syra, ex eadem Syria zizipha allata sunt à Sexto Papyrio Augusti temporibus.

DOCTA *Neapolis*] Studijs literarum, quæ illic erant, authore Stra.

VINVM *bonum facies bibendo*] Hac sola re, quòd tu bibes vinum bonum esse ostendes, quod alioquin non est.

MOVEBIT] Nimio vino epoto vomitio reddebatur, inde sequebatur appetitus, & auiditas cibi, quod tetigit Iuu. sat. 6. vers. 327. In muliere.

——De quo sextarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim.

FERVENS *cicer.*] Coctum.

LVPINVS *te.*] Lupini macerabantur aqua tepenti, vt apti mensæ, Plin. l. 18. c. 14.

VVLTV *tuo.*] Non comparato in gratiam alterius, vt cogeris apud Vironem.

LEGET.] Vt Lygurinus.

PRVRIENTES.] Lasciuientes.

CONDYLI.] Condylum significat annulum, condylus item in musicis dicitur digitorum curuatura vsque ad dimidium orbem, de hoc intelligit.

VEL *parui condyli*] i. exigui foraminis.

CLAVDIAM.] Amatam à te. Catullus eiusdem sectæ, cœnabis, inquit, sed non sine candida puella. Nam Epicurei omnes in voluptatem cœnæ adhibent puellam, vt Hor. & alij.

TV *cupis priorem.*] Vis eam primam omnium adesse, nam amas. Iocatur autem ex eo quòd dixerat, sequeris, & subdit quasi opponens priorem.

GEORGIVS.

SI *tristi domicœnio, &c.*] Non de cibo propinare dicitur, sed de potu. Præterea quis vidit vnquam herbas propinari, & in principio cœnæ, sed affectator iste verbi noui commenticium sensum attulit. Nam vbi legebatur:

NON *deerunt tibi sessiles propinqua, sisoles fecit.*] Nouam commentus diuisionem, tum vero dictionem latinam Græcam denunciauit *σισώλην*: Etenim lectio vera hæc est. Sessiles propinquæ, & est adiectiuum lactucarum, quemadmodum viles Cappadocum, & erit sensus, Aderunt Cappadoces viles, hoc est abundantes, vt Vir. Vilemque phaselum, & propinquæ sessiles, hoc est, quæ nobis vbique se offerent: quare simplex & apta erit expositio si de sessili lactuca intellexerimus, cuius & idem poëta mentionem alibi facit, & Virgil. in Priapeis. Si verò dictionem Græcam interposuerimus, ineptum, & subobscurum sensum faciemus.

In Zoilum. LXXX.

Vide Tur. lib. 15. ca. 18.

Vndecies vna surrexti, Zoile, cœna,
Et mutata tibi est synthesis vndecies;
Sudor inhæreret madida ne veste retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ergo non sudo, qui tecum Zoile, cœno?
Frigus enim magnum synthesis vna facit.

DOMITIVS.

VNDECIES.] In Zoilum eodem fermè epigrammate, quo supra, alterum accusauit simulantem febrem, vt ostentaret stragula. hic autem eadem ex cœna surrexerat vndecies, & toties mutauerat Synthesim vestē saturnalitiā hac excusatione, ne cū sudaret, sudor remaneret, & postea læderetur vēto. Mar. inquit: Quare ego non sudo? nimirum, quia vnam tantùm synthesim habeo, quasi dicat, non habeo quam possim ostentare: si placet sententiam alteram accipe, quòd Zoilus bene cœnaret, & propterea sudaret. Mart. autem tanquam pauper contemptus in extremo lecto accubans male cœnabat, sed placet, vt dixi, prior sensus, vt ostendat illud non fieri necessariò, sed vt ostentet vestes.

A

Ad Seuerum. LXXXI.

Non totam mihi si vacabis horam,
Dones, & licet imputes Seuere,
Dum nostras legis, exigisque nugas,
Durum est perdere ferias, rogamus,
Iacturam patiaris hanc, ferasque:
Quod si legeris ipsa cum diserto,
(Sed numquid sumus improbi?) Secundo;
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quàm debet domino suo libellus:
Nam securus erit, nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi videbit,

B

Quem censoria cum meo Seuero
Docti lima momorderit Secundi.

DOMITIVS.

NON *totam.*] Seuero librum suum emendandum commendat, quem rogat, vt patiatur hanc temporis iacturam libro legendo, quem sperat fore emendatissimum, nec vnquam interiturum, si adhibuerit Secundum alterum censorem.

DONES.] Adscribas muneri.

IMPVTES.] Facias me debitorem.

EXIGIS.] Percenses, & examinas.

DVRVM *est.*] Occurrit tacitæ obiectioni, quasi dicat, Seuerus ego volo relaxare animum, & nolo emendare nugas tuas.

DOMINO.] Mart. authori.

C

SISYPHI.] Sisyphus pumilio fuit M. Anto. intra bipedalem staturam, sed hic de Sisypho illo intelligit, qui apud inferos est, & saxum voluit, dicunt enim poëmata adire inferos, & interire cùm non leguntur. Alibi de immortalitate carminis:

Pigra per hunc fugies inferna flumina Lethes.

LASSI.] Fessi, quoniam voluit saxum.

LIMA.] Instrumentum fabrile est, quo teritur ferrum, hic pro censura.

MOMORDERIT.] Elimauerit, apta metaphora, nam & lima dicitur habere dentes, & propterea mordet.

Ad Æmilianum. LXXXII.

Semper eris pauper, si pauper es Aemiliane,
Dantur opes nulli nunc, nisi diuitibus.

D

DOMITIVS.

SEMPER *eris pauper.*] Notat figuratè tempora sua, quibus adeo in precio erant diuitiæ, vt ne patroni quidem diserti conducerentur à clientibus, nisi fuissent diuites, quod accusauit Iuuen. Et munera orbis tantum diuitibus mittebantur.

In Gaurum. LXXXIII.

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta?
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?

°An potes, & non vis, rogo? non est turpius istud si tibi disperes Gaure: pusillus, &c. Lipsius lib. 8. epist. 5. °v. si tibi desperas.

°An potes, & non vis? rogo, non est turpius istud?
I,° tibi dispereas, Gaure: pusillus homo es.

DOMITIVS.

QVID *promittebas.*] In Gautum fœneratorem, qui vt videretur magnus, & liberalis, promisit Mart. se daturum cc. millia: intelligens in fœnus. mox Mart. petit duo millia sine fœnore, ille non dedit. Poëta solet appellare eos, qui sibi congerunt diuitias, nihil amicis impertientes pusillos: quod supra dixit in Quintum.

Hæc animus, Quinte, pusillus emit.

Ait ergo in Gautum cùm promittas cc. millia in fœnus, crede mihi non magni animi es, vt cupis videri, sed pusilli.

NON *poteras dare.*] Scil. sine fœnore.

DISPEREAS.] Conficiare in tuis diuitiis.

PVSILLVS.] Pusilli animi, quia non das aliquid amicis, & non es magni animi, vt volebas videri. B

Ad Dindymum. LXXXIV.

Insequeris, fugio, fugis, insequor, hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

DOMITIVS.

INSEQVERIS.] Eodem sensu epigrammatis lusus est in Diadumenum.

CONSEQVAR.] Hoc vt me nec timeas, nec ames, Dindymus erat spado.

TVVM *velle*] i. te petentem aliquid.

NOLLE.] Recusantem osculari, nam ex eo nihil petes.

Ad Gallam. LXXXV.

Iam tristis, nucibus puer relictis
Clamoso reuocatur à magistro.
Et blando malè proditus fritillo
Arcana modò raptus è popina,
Aedilem rogat vdus aleator.
A° Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula parua, nec minora
Misisti mihi, Galla,° quæ solebas.
Sanè sic abeat meus December.
Scis certè, puto,° vestra iam venire
Saturnalia, Martias Kalendas,
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

°Saturnalitiis namq; Saturnalib. lege inhibitus erat aleæ vsus, præbita etiam ædilibus animaduertendi materia in præuaricatores. °v. quam. °nostra. ita vetus exemplar nostrũ, & rectè: quod omnium Kalẽd. Martiis (fœmineis propterea à Iuuenale dictis) mulieribus munuscula vicissim mitterent, vt illæ vicissim saturnalibus viris nostra ergò, quæ veteri religione viri solennia sibi obseruant, vt beneficij vicẽ expectent.

DOMITIVS.

IAM *tristis.*] De Galla conqueritur, quæ totis Saturnalibus cùm amicis munera mitti soleant, nihil ipsi miserit: minatur se idem missurum Martiis Kalendis, i. nihil cùm saturnalia fœminarum celebrátur.

NVCIBVS *relictis.*] Permittebantur lusus in saturnalibus: pueris nuces, viris alea, quòd vtrunque prohibebatur post Saturnalia, nam & pueri reuocabantur à magistris, & aleatores mulctabantur ab Ædilibus.

TRISTIS.] Mœstus, quia diutiùs ludere vellet.

VDVS.] Vino ingurgitans, quoniam, qui inter pocula versantur vdi dicuntur, in quibus locis aleatores erant in primis.

PRODITVS.] Cognitus, quia auscultans Ædilis admouebat aurem propius, si vacui essent aleatores.

FRITILLO.] Alea.

FRITILLVS.] Fimum, alueolus, idem significat.

ARCANA.] Quia in locis reconditis, & arcanis est.

POPINA.] Popinæ dicuntur viliores tabernæ, *Parua, & minora,* ego intelligo de xenijs & apophoretis, nam xenia intelligebantur non magni quidem precij, sed tamen maioris, quàm apophoreta: & apophoreta erant minora.

VESTRA *Sat.*] Saturnalia celebrabantur à viris quinque diebus mense Decembri, quo tempore dabant cœnas seruis, tanquam agentes gratias operæ C toto anno præstitæ: author est in Saturn. Macr. c. 7. & 12. contrà Kalend. Martiis mulieres seruos cœna excipiebant, tanquam exhortantes eos ad insequentis anni operam. mittebantur ergo munera viris mẽse Decembri, mulieribus mense Martio, author est Tranquil. in Vespas. c. 19. nam Vespasianum scribit dedisse apophoreta, & viris in saturnalibus, & mulieribus Kalen. Martiis. de eisdem Kalend. Horat.

Martys celebs quid agam Kalend.

QVOD *dedisti.*] i. nihil.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON

LIBER VI.

SVMMA.

Hoc primum sexti libri epigramma metro dactylico, phaleucio pentametro constat, quod his pedibus mensuratur, Spondeo, dactylo, ac tribus trochæis. Mittitúrque à Martiale ad amicum sibi cognominem, quem in hunc compellat modum. O mihi omnium charißime Martialis hic sextus tibi meorum epigrammatum mittitur libellus. Quem scil. qua soles omnia, diligenti expolieris censura, limarísque, & castigaueris, timore posito, in magni Cæsaris manus, cuius numen, noménque veneror, & colo, impauidus, intrepidúsque peruenire haudquaquam dubitabit.

I.

SExtus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi chare Martialis:
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minùs anxius, treménsque
Magnas Cæsaris in manus venire.

DOMITIVS.

SEXTVS *mittitur.*] Sextum librum emittit Mart. cuius initio Imperatoris nomen veneratur, dum ait emendandum esse, vt audeat venire in manus Cæsaris. Ego hoc epigramma credo ad amicum scribi, quamuis alij dicant ipsum se alloqui.

TERSERIS.] Elimaueris.

AVRE *diligenti*] i. diligenti censura.

MAGNAS.] Imperatorias.

*Adulatorium. II.

*. Ad Cæsarem. Vide Dionem Nicænum in Domit.

Lusus erat sacræ connubiá fallere tædæ:
Lusus & immeritos execuisse mares.
Vtráq; tu prohibes Cæsar, populisq; futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec spado iam, nec mœchus erit, te præside, quisquam:
At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

A

DOMITIVS.

LVDVS *erat.*] Hoc epigr. agit gratias Domit. quòd inter cætera instituta & reuocata lege Iulia sustulerit adulteria, & nouo instituto prohibuerit spadones fieri.

ERAT *ludus.*] Habebatur pro ludo: multi legunt *lusus erat.*

FALLERE *connubia.*] Facere adulterin.

EXECVISSE *mares*] i. castrare, & reddere spadones, hoc voluit etiam in Græcia Periander Corinthius, scil. vt mares castrarentur, sed viduarum concharum nauis fuit retenta, quæ illud edictum afferebat: hoc prohibuisse Domitianum Tranq. est author cap. 7. & Papin. in Syluis de Earino:

Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortus
Intactos seruare mares: nunc frangere sexo,
Atque hominem mutare nefas.

B

SINE *fraude.*] Sine adulterio.

SPADO.] Mœchus erat: spado ducebat vxorem non sibi, sed alijs, vnde ipse erat adulter suæ vxoris, vt de Othone scriptum est eo disticho:

Cur Otho mentito sit quæritis exsul honore? Suet. in Otho. cap. 3.
Vxoris mœchus cœperat esse suæ.

Nam Nero cum ea rem habebat. de spadone conqueritur Iuuenal.

Cùm tener vxorem ducat Spado.

Id est, non sibi, sed alijs: vel, quod magis placet, Spado erat mœchus, quoniam mulieres spadonibus oblectabantur. Martial.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia quæris,
Pannice, vult futui, Gellia, non parere.

Idem in Paulum. Erant igitur spadones adulteri, & ita in commentariis in Iuuen. scripsimus.

*v. ad Cæsarem.

*De filio Domitiani. III.

Nascere Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deûm soboles: nascere magne puer.
Cui pater æternas post sæcula tradat habenas
Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.

DOMITIVS.

NASCERE *Dardanio.*] Domit. Iuliam Titi fratris filiam ardentissimè amauit: quam tandem frequentibus abortiuis coëgit perire, nunc parturiebat, Mart. voto quodam & precibus prosequitur partũ, alloquitur puerum oriturum hoc versu.

PROMISSVM.] A fatis: nam Ascanio, siue Iulo promissum erat ad genus Romanum te oriturum.

DEVM] Quia Domit. dominus & Deus appellabatur.

HABENAS *regas*] Id est, imperium.

IPSA *tibi.*] Sensus est, Iulia trahet tibi fila aurea: ex disciplina Hetruscorum quoties aut ouis, aut aries purpureo, aureo ve colore aspergeretur, portendebat principi cum felicitate rerum omnium largitatem: hoc scrib. Macrob. ex ostentario Tusco. & Virgil. Buc. Egl. 4. indicauit eo versu cùm vellet portendere felicitatem principi Augusto:

Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti,
Murice: iam croceo mutabit vellera luto.

Eandem felicitatem portendit Sen. Neroni,

Aurea formoso descendunt pollice fila.

Cùm igitur Mar. velit ostendere puerum hunc fore fœlicem, ait fila arietini velleris in aureum colorem mutari, vt fabula est de ariete Phryxi, Iuliam dispensaturam fila, seu deducturam. hic puer potius mihi videtur filius Iuliæ, & Domit. quàm Domicillæ, siue Augustæ: nam illum suscepit in secundo consulatu nondũ imperator, hic imperatore Domit. nascitur.

TIBI.] In portentum tuæ felicitatis venturæ.

Adulatorium. IV.

Censor maxime, principúmque princeps,
Cùm tot iam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot deos, tot vrbes:
Plus debet tibi Roma, quòd pudica est.

DOMITIVS.

CENSOR.] Eadem laude prosequitur imperatorem, qui reuocata lege Iulia sustulerit adulteria, & mares castrari prohibuerit, quam etiam supra eo extulit epigrammate, *Ludus erat:* nunc ait ex omnibus meritis in vrbem Romam collatis hoc esse præstantissimum, quod induxerit pudicitiam, censura Dom. carmen est phaleucium.

MAXIME *censor.*] Dom. incestum virginum Vestalium puniuit, multáque correxit, authore Suet. c. 8. vnde iure maximus censor dicitur.

NASCENTIA.] Quæ nunc ædificantur.

ET *renata.*] Quæ ædificata & instaurata sunt.

VRBES *tot.*] Adiectas imperio Rom. nam Dom.

A Cattos, & Dacos populos Germaniæ adiecit imperio Rom. ædificia Domit. hæc referuntur: Capitolium instauratum, forum transitorium, porticus, duplex stadium, quorum alterum Issum, alterum Serapium dictum est, templum Flauiæ gentis, mica aurea: Minerua chalchiœca, cuius numinis meminit Pausan. de templis. Papin.

Et quæ tibi templa dicamus ipse colas.

QVÒD *pudica.*] i. quòd induit pudicitiam prohibitis stupris, & adulteriis.

Ad Cæcilianum. V.

Rustica mercatus nummis sum prædia multis.
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes, tacitum te dicere, credo;
B *Non reddes: ideò, Cæciliane, rogo.*

DOMITIVS.

RVSTICA.] Apertum est argumentum, & acumen ex verbis apparet.

SVM *mercatus.*] Emi.

CENTVM *mutua.*] Sestertia. Ideò Cæc. rogo, quia non sum redditurus.

Ad Lupercum. VI.

*Comœdi tres sunt: sed amat tua Paulla, *Luperce,* — Vide Cornelii Vitellii annotat. in Georgium Merulam. v. Lupercon.
C *Quattuor: & κωφὸν Paulla πρόσωπον amat.*

DOMITIVS.

COMOEDI.] Libidinis mulierum vsque eò progressus erat amor, vt iam amarent mimos, & histriones: hoc carpit Iuuen. longo carmine, cuius initium,

Ast aliæ quoties aurea recondita cessant,

Tum sequitur,

Hunc diligit Helia pauper:
Soluitur his magno comœdi fibula.

Ex hoc Paulæ amor nimius in comœdos ostenditur: hoc est histriones comœdiarum, nam amabat iiij. cùm tamẽ in nulla scæna possent loqui plures tribus: & si quartus histrio introducitur, is non loquitur, sed tantùm subauscultat quæ dicuntur: hoc præcepit D Horat.

Nec quarta loqui persona laboret.

Is cùm non loquatur Græco verbo appellatus est Cophon prosopon, i. muta persona: author est Diomedes grammat. vetustissimus. Poëta, inquit, cùm tres comœdi sint, quatuor amat.

PAVLA *amat κωφὸν πρόσωπον.*] Mutam personam: quasi dicat, omnes amat quotquot sunt.

GEORGIVS.

COMOEDI *tres sunt, &c.*] Ostentat magis, quàm intelligat hic author, quid sit κωφὸν πρόσωπον, quanquam Horat. & Diomedem authores adducat, non excludit in totum Horat. quartam personam à scænis, sed eam parcè loqui iubet, alioquin nec Plaut. nec Terent. legem cõmœdiæ seruarent, apud quos persæpe quarta persona in scænis loquitur: aliud est enim parcè loqui, aliud mutam esse personam. Sed

quid cophon prosopon sit, commentatores Aristophanis apertissimè docent in fabula, quæ inscribitur Acharnanes. Inducitur nuncius ad Dicæopolin à sponso missus, petitque ne expeditionem faciat, sed domi maneat, vtpote secum vxorem oblectans: rogat item vt in alabastrum mittat cyathum pacis. quã rem negante Dicæopoli subiungit seruus, Pronuba te rogat, vt nymphæ nomine tibi soli aliquid dicat: cui Dicæopolis, Age igitur quòd tu ais. Tum velut admota aure audiuerit, hæc subdit: O Dij quàm ridicula sunt ea, quæ me tantopere nympha rogat, vt scil. genitalia sponsi curet: huc inducias fero, vt ipsi solidem, quoniam mulier est: quæ verba exponentes grammatici dicunt per iocum protulisse Dicæopolin quæ audiuerit à pronuba. Cuius κωφὸν hac in parte πρόσωπον est. Quippe cùm Dicæopolis illius, quæ non loquitur, verba pronunciet. ergo quoties vel nostra, vel alterius personę sententia per alios demonstratur, κωφὸν πρόσωπον erit eius, cuius sententiam alius effert, quem morem in dialogos nonnunquam traductum B fuisse videmus, hoc est, vt scriptor in totum taceat declarantibus aliis mentem eius, nam est in aliis dialogis ipsius authoris persona loquens, quam rem sub-

lib. 13. ep. 19 iecta Cic. verba ad Atticum declarant: Sic enim cõstituebam neminem includere in dialogos, eorum qui viuerent, sed quia scribis & desiderari à Varrone, & magni illum æstimare, eos confeci, & absolui, nescio quàm benè, sed ita accuratè, vt nihil posset supra. Academicam omnem quæstionem libris quatuor: in eis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν, præclarè collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipse respondeo, tu es tertius in sermone nostro. si Cottam, & Varronem fecissem inter se disputantes: vt à te proximis literis admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον esset. hoc in antiquis personis suauiter fit, vt & Heraclides in multis, & nos sex de Republica libris fecimus: sunt etiam tres de oratore nostri, mihi vehementer probati: in eis quoque eæ personæ sunt, vt mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Ant. Catullus senex: C. Iulius, frater Catulli, Cotta, Sulpicius. puero me, hic sermo inducitur, vt nullæ esse possent partes meæ. Satis ex his Ciceronis verbis quid κωφὸν πρόσωπον sit cognoscitur, sed quid poëta sensit cùm dixit κωφὸν Paula πρόσωπον amat, hoc videtur ostendere Paulam occultum quendam habere amatorem, qui sub alterius persona, quæ mutasit, rem agat, & pulcherrimè de amatore in comœdos loquens subiunxit mutum illam personam, quam comici κωφὸν πρόσωπον appellant amari.

De Thelesina. VII.

al. relata *Iulia lex populis ex quo Faustine* " *renata est,* D
Atque intrare domos iussa pudicitia est:
Aut minus, aut certe nõ plus tricesima lux est,
al. nubet *Et* " *nubit decimo iam Thelesina viro.*
Quæ nubit toties, nõ nubit, adultera legè est,
Offendor mœcha simpliciore minus.

DOMITIVS.

Ivlia *lex.*] In Thelesinam, quæ cùm esset olim adultera, metu legis Iuliæ nuper reuocatæ à Domit. aduersus adulteros, nupsit, sed tanta libidine alieni viri tenebatur, vt intra xxx. dies decem maritos habuerit: quod cùm veneficio fieri suspicetur poëta, ait minus sceleris sibi committere videri eam, quæ apertè est mœcha, quàm quæ toties nubit.

Lvx *trig.*] Dies tricesimus.

Renata.] Reuocata, quæ olim promulgata à Iulio fuerat.

Popvlis.] Orbi.

Pvdicitia *est iussa intrare domos.*] Ex quo reuocata lex Iulia.

Qvæ *nubit tot. adult. lege est.*] Nam lex prohibet mutare virum, sed quæ toties mutat virum, non est vxor, sed adultera, nam adultera quoque virum mutat.

Minvs *of.*] Minùs displicet.

Moecha *simp.*] Apertè adulterium profitentem: nam veneficium non exercet.

Ad Seuerum. VIII.

B *Prætores duo, quatuor tribuni,*
Septem caussidici, decem poëtæ,
Cuiusdam modò nuptias petebant
A quodam sene, non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam,
Dignum quid fatuo, Seuere, fecit?

DOMITIVS.

Prætores.] Sensus idem est qui suprà, cùm sua tempora notans consuluit Lupo, vt iuberet filium fieri vel citharædum, vel choraulem, & si videretur duri ingenij, præconem, aut architectũ, nã hæ artes erant pecuniosæ. Laudat igitur senem, qui repudiatis prætoribus, causidicis, tribunis, poëtisque, filiam in matrimonium collocauit præconi.

C Evlogo.] Eulogus nomen proprium præconis est, sed tamen fictum, nam Eulogus dicitur, qui benè loquitur, quod præconi conuenit.

Dignvm *quid fatuo, Seu. fec.*] Interrogatiuè.

Fatvo.] Scilicet homine, quasi dicat, prudenter fecit, quòd locauerit filiam præconi, qui in maiori precio est, quàm aut tribuni, aut prætores.

Ad Læuinum. IX.

In Pompeiano dormis, Læuine, theatro,
Et quereris, si te suscitat Oceanus?

DOMITIVS.

In *Pompeiano.*] Suscitare est aliquem sedentem excitare. suprà Mart.

Et sedeo, qua te suscitat Oceanus.

Suscitare idem & dormientem expergefacere.

Lævine.] Leuinus ex xiiij. gra. iussus est abire ab Oceano Præfecto theatri, illic enim sedere non poterat, cùm censum equestrem non haberet. hic in theatro sæpè numero dormitabat, cùm ergo conqueratur se suscitari de sede, quasi Mart. suscitare aliter accipiat in secunda significatione, respondet, Non miror quòd doleas te suscitari in theatro, nam illic sæpe dormitas.

Svscitat.] Expergefacit te. Hic sensus magis placet, vt dicat, O Læuine tu dormis in tumultu theatri Pompeiani, & conquereris te suscitari à solo

Ocea. quod videtur verisimile, nam si tumultus non potest te suscitare, longè minùs solus Ocea. Cauillatur autem hoc verbo, nam Læuinus intelligebat se suscitari, i. excitari ex sede. Mart. respondet iocans, quasi, intellexerit suscitari, hoc est, expergefieri.

Petit latenter à Domitiano pecuniã. X.

Pauca Iouem nuper cùm millia forte rogarẽ,
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
Templa quidẽ dedit ille Ioui, sed millia nobis
°v. pudet heu. °& Turneb. lib. 15. c. 17. *Nulla dedit:° pudeat pauca rogasse Iouẽ.*
At quã non tetricus, quàm nulla nubilus ira,
Quàm placido nostras legerat ore preces:
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis,
Et Capitolinas itque reditque vias.
Dic precor ô nostri, dic cõscia virgo Tonãtis,
Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?
Sic ego, sic breuiter, posita mihi Gorgone Pallas,
Quæ nondũ data sunt, stulte, negata putas?

Idem Græcè.

Τὸν Δία χιλιάδας παύρας αἰτοῦντί μοι ἀχμήν·
Σοὶ δότω, ὅστις ἐμοὶ, φησὶν, ἔδωκε νεών.
Τῷ Διὶ δῶκε νεὼν μὲν· ἀτὰρ μοι χιλιάδ' ἤδη
Οὔ τινα παῦρ' αἰτεῖν δ' ὃ θεὸν αἰδέομαι·
Ἀλλ' ὡς ἀνόφρυός τε, καὶ ὡς ἀτάρακτος ἰδέσθαι,
Ὡς ἀδόνητος ἐμὰς πρόσθε δέδεκτο λιτάς!
Τοῖος τοῖς Δακῶν ἱκέταις διαδήματα δίδωσι,
Ταῖς Καπιτωλείοις τ' εἶσιν, ἄνεισιν ὁδοῖς.
Εἰ τοίας εἴωθ' ἀναδυέμεν, πῶς ἐπινεύει;
Εἰπὲ θεὰ σύμβουλ' ἡμετέροιο Διός·
Εἶπα· καὶ ἣ τὴν Γοργὼ ἀφεῖσα, τὸ μὴ δοθὲν αὖθις,
Φησὶν, ἀπελπίζεις, μωρὲ, δεδηιομένα;

DOMITIVS.

PAVCA.] Petierat pecuniam ab Imperatore, quã non dederat, iterum petere turpè videbatur, ex ingenio ait igitur se interrogasse Palladem, quare Dom. non dederit, eam respondisse, si non dederit, non propterea eum negasse, quasi dicat paulò post daturum Iouem.

ILLE *dabit*] i. Dom.

VEL *pu.*] i. pudeat me quòd etiam pauca petierim à Ioue, cùm non dederit, vel pudeat Iouem non dedisse & rogare hæc pauca ab Imperatore, rogare enim videtur illum, cùm ipse non det, sed illum per se daturum dicat.

DIADEMATA.] Iura sua, nam Dacos in deditionem accepit, permisitque, vt suo vterentur iure, hoc Papi. laudat.

A *Qui nec extremos facilis sentire furores*
Das Cattis, Dacisque fidem.

DACIS *suppli.*] Venientibus in deditionem.

ITQVE, *reditque vias Capito.*] i. triumphos.

O *virgo*] ô Pallas.

CONSCIA *no. to.*] Consiliaria Domi. nam Pallas erat numen familiare Dom. vt Quint. videbatúrque Imperator eius consilio vti.

SI *negat hoc vul. tam benigno.*] Quasi dicat, hic vultus est dantis, & non negantis.

POSITA *Gorg.*] Ægidem Pallas non habebat in Capitolium, quod factum erat in assentationem Do. cuius statua habebat ægidem, propterea cùm alibi interrogaretur Pallas quare ægidem non haberet, respondit: Cæsar habet. vel posita ægide, quoniam cùm mitis designatur, deponit ægidem, vt apud Pro. & Sili. de Pallade compta ad iudicium Palladis.

Iam bellica virgo
B *Aegide deposita, atque assuetum casside crinem*
Inuoluit.

PVTAS *ea neg. quæ non sunt data.*] Quasi dicat, dabit paulò post.

In Marcum. XI.

Quòd non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem,
Nec melior panis, turdúsue dabatur Oresti:
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris,
C *Non minus ingenua est & mihi, Marce, gula.*
Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?
Vt præstem Pyladem, aliquis mihi præstet Orestem,
Hoc nõ fit verbis: Marce, vt ameris, ama.

DOMITIVS.

QVÒD *non.*] In Marcum, qui mirabatur ætate sua non existere par amicorum, quales Pylades, & Orestes fuerunt, & hoc obijciebat Mar. quòd se scilicet non amaret: ostendit non sua, sed Marc. culpa fieri, cùm ipse opibus fruatur, & nihil ei det, nam oportet omnia amicorum esse communia.

D NON *sit Py. & Ore*] i. quòd non sit vnum par amicorum, quales Pylades & Orestes.

PELORIS.] Genus conchilij nihil habens intra se præter aquosum quendam liquorem. Hora, *Lucrina Peloris.*

TYROS *Ca.*] i. purpura.

GALLIA *pin.*] i. pingue sagum Gallicum, nam Gallia saga mittebat grossioris villi.

SAGATVS.] Indutus sago.

HOC *non f. ver.*] Sed opibus communicatis.

AMA.] Communicatis opibus.

VT *ame.*] Vt te pro opibus communicatis prosequar amore.

GEORGIVS.

ME *pascit aquosa Peloris.*] Nescio an hic homo Pelorida aut viderit, aut comederit, nam mihi nimis arrogantes

rogantèr videtur de genere, & qualitate Pelotidis disserere. Ast ego cum Græca sit dictio, quid Græci scribant in medium adducam. Iulius Pollux enumerans probata quædam à priscis edulia, sic ait: Conchæ Pelorinæ, vnde forsan & Pelorides nunc appellatæ sunt. Eusta. autem in Dionys. scrib. hæc de Peloride. ἐστι γὰρ κατὰ τοὺς παλαιοὺς πέλωρις ὀστρέων εἶδος χήμης μεγαλωτέρον διὸ καὶ πέλωρις διὰ μέγεθος λέγεται. Quòd sic interpretatur, Est enim secundum antiquos Peloris ostreæ species chame maior, vnde & Peloris ob magnitudinem dicitur: nam πελώριον magnum significat. Est autem chame concha. Arist. verò eas in arenis nasci tradit, aquosam verò dixit poëta Pelorida flaccidam, & non habentem callum illum, ex quo valde conchilia commendantur.

De Fabulla. XII.

Iurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla, numquid illa, Paulle, peierat?

DOMITIVS.

Ivrat.] Fabulla emerat crines, & iurabat eos esse suos, Mart. ait eam non peierare: nam suprà dixit.

Nam quod emas possis dicere iure tuum.

Iocus est in verbo.

Svos.] Fabulla iurabat crines esse suos. i. natiuos crines, Mart. inquit non peierare suos, ipse intelligens ab ea emptos.

*De statua Iuliæ. XIII.

*v. ad Iuliam.

Quis te Phidiaco formatam, Iulia, cælo,
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?* — *v. putet.
Cādida non tacita respōdet imagine Lygdos,* — *v. tacita.
Et placido fulget viuus in ore decor.* — *v. liquor. *Id est, mollitudo quædam & teneritas. Vide Turn. li. 13. cap. 17.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera nodo,
Quem rapuit collo parue Cupido tuo.
Vt Martis reuocetur amor summiq; tonātis,
** *A te Iuno petat ceston, & ipsa Venus.* — **V. Turn. li. 13. ca. 18.

DOMITIVS.

Qvis te.] Ardentissimè amauit Iuliam Titi fratris filiam Domi. cuius statuam è Lygdo marmore candidissimo iussit fieri, & vt ardorem amoris fateretur, in manu statuæ sculpi ceston. i. baltheū Veneris. nam Iuno apud Hom. dum vult Iouem conciliare eum percutit baltheo, & quoscumque percusserit, eos Venus vertit in amorem. Iuliæ igitur amore incensus Domi. ei iubet inesse baltheum, quasi indicaret se eo esse percussum: epigramma est in hanc statuam.

O *Iulia.*] Filia Titi.

Cælo.] Instrumento lapicidarum.

Phidiaco.] Quale erat Phidiæ, qui Dijs effingendis aptior quàm hominibus, & ex ebore potissimum claruit, Mineruæ simulachro Athenis, & statua Iouis Olympiaci, hunc appellauit Atticum senem Papin.

Palladiæ *art.*] Non placet à Palladio sculptore, potius à Pallade Dea artificij, nam solemus prǽ- A statiora opera referre ad artificium Palladis: ita apud Papin. *A te Palladiæ talem, Germanice, nobis Effinxere manus.*

Lygdos.] Marmor in Tauro repertum: authore Plin. amplitudine qua lances, & crateres non excederet: prius tamen ex Arabia aduehebatur.

Candida] i. statua ex Lygdio: alibi, *Totam nitere Lygdon.*

Non *tacita.*] Loquenti.

Decor *viuus*] i. naturalis pulchritudo.

Manvs.] Tua ô Iulia.

Nodo *Acidalio.*] Baltheo venereo.

Non *aspera.*] Blanda.

Rapvit.] Iulia tantum ardorem habet, & incutit hic baltheus, vt videatur mihi sublatus collo Cupidinis: hoc sensu vtitur in distich. 207.

Collo necte puer meros amores
Ceston de Veneris sinu calentem.

Vt *Martis.*] Si Venus vult conciliare Martem, & B Iuno Iouem, vtitur isto baltheo, quo tu Imperatorem incendisti Iulia. nam apud Homer. in 19. Iliad. introducitur Iuno petens ceston à Venere, quo volebat vti ad conciliandum Iouem, ad quod alludens Mart. iam inquit, Iuno non à Venere: nec Venus aliunde, quàm à te baltheum petat, quo vris Domit. Deum nostrum.

In Laberium. XIV.

Versus scribere posse te disertos
Affirmas Laberi; quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi, virum putabo.

DOMITIVS.

Versvs *scribere.*] Laberius scriptor mimorum, is mortuus est decimo mense post necem Cæ. alter Labe. de quo Martial. hæc, is dicebat se posse scribere C optimos versus, sed nolle: hoc ait poëta non esse verisimile: nemo enim est, qui cùm possit scribere, nolit ostentare suam in scribendo doctrinam, nam tanta est gloriæ cupiditas, vt qui didicerit, nullo pacto velit latere.

Disertos.] Eruditos versus.

Pvtabo *vi.*] i. fortissimi animi præter cæteros, qui poterit se cohibere à scribendo, & qui potest scribere versus, & non scribat: quasi dicat, nemo est adeò vir, qui abstinere possit, nec tu posses, si scires scribere.

De formica succino inclusa. XV.

Dū Phaethontea formica vagatur in vmbra,
D *Implicuit tenuem succina gutta feram:*
Sic modò quæ fuerat vita contemta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Idem Græcè.

Ὡς Φαεθοντείῳ μύρμηξ ἐπαλᾶτο δι' ὄζοις,
Ερπετοῦ ἠλέκτρου σράγξ ἐπέδησε μικρόν.
Οὕτως ὃς πρὶν ἔλω, οὔτε ζώεσκεν, ἄτιμος,
Τῷ ἰδίῳ θανάτῳ νῦν πολύτιμος ἔφυ.

DOMITIVS.

Dvm *Phaethontea.*] Laudat partem electri in quo erat inclusa formica, suprà idem est frequens argumentum.

GVTTA.] Electrum, & gummi ex populo.
FERAM *tenuem*] i. exilem formicam.
VMBRA *Ph.*] Sub populis in quas versæ sunt sorores Phaëthontis.
CONTEMPTA.] Quæ nullius precij erat.
MANENTE *vita.*] Dum viueret.

Ad Priapum. XVI.

Tu qui" *pene viros terres, & falce cinædos,* v. pene.
Iugera sepositi pauca tuere loci:
Sed tua non intrent veteli pomaria fures,
Sed puer," *aut longis pulchra puella comis.* nec.

DOMITIVS.

TV *qui.*] Deum hortorum rogat, vt suos hortos custodiat in Ianiculo.

In Cinnamum. XVII.

Cinnam Cinname, te iubes vocari,
Non est hic, rogo, Cinna barbarismus:
Tu si Furius° *ante dictus esses,* v. ante.
Fur ista ratione diceretis.

DOMITIVS.

CINNAM.] Cinnam deridet, qui cùm Cinnamus vocaretur, Cinnam mutilato nomine volebat appellari. Si antea, inquit, fuisses dictus Furius, eadem nominis mutilatione diceretis fur: Vis vocari Cinna æmulatione Cinnæ prisci, qui magnam obtinuit authoritatem apud Romanos.

Ad Priscum de Salonino. XVIII.

Sancta Salonini terris requiescit Iberis,
Qua melior Stygias nō videt vmbra domos.
Sed lugere nefas, nam qui te, Prisce, reliquis,
Viuit, qua voluit viuere parte magis.

DOMITIVS.

SANCTA.] Priscum patrem Salo. nuper mortui in Hispania consolatur, ait enim Salo. non esse planè mortuum, sed viuere ea parte, qua semper optauit, hoc est, immortali virtutis nomine & fama: alterius Salo. mentio in Buc. Vir.
QVI *te.*] i. filius tuus.

In Postumum. XIX.

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abesse furto:
Hoc iudex sibi postulat probari,
Tu Cannas, Mithridaticúmque bellum,
A *Et periuria Punici furoris,*
Et Syllas, Mariosque, Muciosque
Magna voce sonas, manúque tota,
Iam dic, Postume, de tribus capellis.

DOMITIVS.

NON *de vi.*] In Posthumum causidicum ineptum, qui nihil ad propositam causam dicebat, & nuper conductus à Mart. vt defenderet causam trium capellarum, quas amiserat furto, cœpit Cannensem pugnam, & bellum aduersum Mithridatem recitare. At Mart. clamat, dic tandem ô causidice de meis capellis.
VI.] Illata.
HAS *habesse.*] Subtractas esse.
SONAS *Cann.*] Cladem Cannensem.
B BELLVM *Mithridaticum*] Gestum à Lucullo, Sylla, & Pompeio contra Mithridatem.
SYLLAS.] Bellum gestum inter Syllam, & Marium.
MVTIOS] i. bellum Porsenæ, in quo Mutius Scæuola manum amisit igni.

In Phœbum. XX.

Mutua te centum sestertia Phœbe rogaui,
Cùm mihi dixisses, exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, méque diebus
Teque decem crucias: iā rogo, Phœbe, nega.

C

DOMITIVS.

MVTVA.] In Phœbum fœneratorem, quemadmodum in Gaurum supra conquestus est, nam hic pollicitus est se daturum Mart. quam vellet pecuniam, intelligens, scilicet in fœnus. Mart. nunc poposcerat pecuniam sine fœnore. Ille non dabat neque audebat omnino negare, quid opus inquit est diutius crucieris, & habeas me sollicitum? tandem nega.
EXIGIS *ergo nihil.*] Verba Phœbi hortantis Mart. vt aliquid peteret.

D

De Hiantide & Stella. XXI.

Perpetuam Stellæ dum iūgit° *Hiantida vati* °Hæc est Violantilla Papinij.
Læta Venus, dixit: plus dare non potui.
Hæc corā domina: sed nequius illud in aurē, for autem vidi iam sonat.
Tu ne quid pecces, exitiose vide.
Sæpe ego lasciuum Martem furibūda cecidi,
Legitimos esset cum vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice læsit:
Tam frugi Iuno vellet habere Iouem.
Dixit, & arcano percussit pectora loro.
Plaga iuuat: sed tu iam dea° *cæde duos.* v. parce Dea.

Τῷ Στέλλᾳ γαμετῇ ἡ Κύπρις Ἰανθίδα δοῦσα
  Μεῖζον, ἔφη, δώρημ᾽ οὐκ ἂν ἔχοις παρ᾽ ἐμοῦ.
Τοῦτο μὲν οὖν ἀναφανδόν· ἀτὰρ τὸ δ᾽ ἐς οὖς μάλα κομψόν.
  Σχέτλι᾽, ἀλιτέσθαι μή πως ἴσχεο κλεψιγάμου.
Πολλάκι χωσαμένη πληγαῖς τὸν Ἄρηα μετῆλθον
  Ἐνθέσμων ἀνέδην ῥεμβόμενον περὶ γάμων·
Γήμας δ᾽ οὐδεμιῇ με παρεζήλωσε γυναικί·
  Ὡς δ᾽ εὔξαιθ᾽ Ἥρη Ζῆνα σαόφρον᾽ ἰδεῖν.
Ὣς φάτο· τοῦ δὲ κέαρ κρυφίῳ μαστίξατο κεστῷ.
  Εἷς πληγαῖς χαίρει· τοὺς δύο τύπτε, θεά.

DOMITIVS.

PERPETVAM.] Stella poëta amauit Violantillam, quam lóngis precibus nunquam potuerat placare, cruciatúsque est miser longo amore, nunc celebrantur nuptiæ tandem Stellæ, & Violantillæ. Poëta edit hoc epigramma, volens demonstrare incredibilem Stellæ amorem in Violantillam: atque hoc cõnubio non Stellam esse flectendum, quia iamdiu cepit, sed potius flectendam esse Violantillam, quæ hactenus dura fuerat & inexorabilis. Carmen Papin. indicat de Violantilla:

Redeunt animo iam dona, precésque:
Et lachrymæ, vigilésque viri prope limina questus.
Præt. *Iámque aspera cœpit*
Flectere corda libens, & iam sibi dura videri.

HIANTIDA.] Violantilla Latinè, Græcè dicitur Hiantis ab ἴον viola, & ἄνθος flos, hoc est viola, & flos, vnde Latinè Violant. Papin. Violantillam appellauit.
Quo Stella, Violantillaque professus
Cantaretur hymen.
Eadem dicta Asteris, ficto nomine à Stella: nam Stella ita iam appellauit à suo nomine: Stella enim Græcè dicitur aster, genere masculino, inde deductum fœm. Asteris, hoc est, amica asteros. i. Stellæ. Papin.
Asteris ante dapes nocte Asteris, Asteris ortu.

LÆTA *Venus.*] Et fauore. Veneris celebratas nuptias fuisse scribit Pap.

PLVS *dare non potui*] i. dedi quod mihi potissimũ erat: & ita apud Papin.
Grande quidem, rarúmque viris, quos ipsa probaui
Pierius votum iuuenis cupit.

DOMINA.] Violantilla.

SED *nequius.*] Insultat amori Stellæ, cùm Venus moneat, ne relinquat Violantillam, quam nullo pacto erat relicturus.

NE *pec. ali.*] i. aliquam aliam sequaris.

FRVGI.] Continentem: Iup. & Mars inter deos erant adulteri, vt Iuuen.
Adeo senuerunt Iup. & Mars,

LORO.] i. baltheo quo incutiebatur amor, qui baltheus dicitur etiam flagellum. Hor. ad Venerem:
Sublimi ferias Cloem flagello.

DVOS] i. Violantillam etiam, quæ hactenus fuit dura, vt mutuo amore diligat Stellam.

In Proculinam. XXII.

Quòd nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modò, nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare possit:
Non nubis, Proculina, sed fateris.

DOMITIVS.

QVÒD *nubis.*] Proculina adulterum habuerat, cui nupsit metu legis Iuliæ, de qua satis suprà.

NON *nu.*] Inquit poëta, Proculina: sed fatetur se esse mœcham, quasi dicat, fruebatur eodem viro ante nuptias. In eundem sensum supra est distich.
Mœchus erat, poteras tamen hoc tu Paula negare, &c.

NOTARE.] Punire.

NON *nu.*] Nõ accipis virum, quia antea habebas.

FATERIS *te.*] Scil. cum hoc fuisse mœcham.

In Lesbiam. XXIII.

Stare iubes nostrum semper tibi, Lesbia, penẽ:
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.
Tu licet & manibus blãdis, & vocibus instes
Contra te facies imperiosa tua est?

DOMITIVS.

STARE.] Lesbiam impudicam esse suprà ostendit cùm dixit: *Arctoa de gente comam:* hæc blanda quidem erat, sed deformis: iccirco ait eius faciem aduersari blanditiis, & eius cupiditati.

CONTRA *te.*] Quoniam sua deformitate non sinit tuas blanditias exaudiri.

De Carisiano. XXIV.

Nil lasciuius est Carisiano:
Saturnalibus ambulat togatus.

DOMITIVS.

NIL.] Deridet Carisianum, qui cùm synthesim non haberet in Saturnalibus, qua veste reliqui vtebantur, togam gestabat. Toga autem in Saturnalibus deponebatur, & sumebatur synthesis, de qua in distichis:
Cùm toga, per quinas gaudet requiescere luces:
Hos poteris cultus sumere iure tuo.
Nunc gestabat togam Carisianus: non quòd lasciuus esset, sed quia non habebat synthesim: propterea deridetur.

Ad Marcellinum. XXV.

Marcelline boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit vrsa iugo:
Ille vetus pro te, patrúsq; quid optet amicus,
Accipe, & hæc memori pectore vota tene.
Cauta sit vt virtus: "ne te temerarius ardor v. non.
In medios enses, sæuáque tela ferat.
Bella velint, Martémque ferum rationis egentes:
Tu potes & " patriæ miles, & esse " decus. v. patris. v. ducis.

DOMITIVS.

MARCELLINE.] Marcellinum Tironem Domit. in Germania monet, ne in medios enses ruat, sed dispensato calore iuuenili, ita pugnet, vt patriæ viuat, & Imperatori operam præstet.

SOBOLES *sincera*] i. vera proles, qui imitaris parentem animo, & moribus.

HORRIDA *vrsa.*] Maior: vel ad feritatem, vel ad mores gentis Germaniæ, quæ horrida est.

IVGO *Par.*] Hoc dixit, quoniam vrsa Parrhasia fuit, id est, Arcas, ea fuit Calisto.

IVGO.] Regione Septentrionali.

CAVTA.] Prouida virtus.

FERVM *Martem.*] Periculosum, & multos absumentem. hic Marcellinus fuit Hispanus, cui tanquam ex eadem patria amanter consulit Mart.

TV *potes*] i. si tu prudenter pugnaueris, poteris opitulari patriæ, & fortiter diu agere pro Imperatore.

*V. Turneb. lib. 25. c. 27.

*De Sotade. XXVI.

Periclitatur capite Sotades noster,
Reum putatis esse Sotadem, non est:
pa. desit. *Arrigere*" *desit posse Sotades: lingit.*

DOMITIVS.

PERICLITATVR.] Hoc argumentum ex multis superioribus notum est: iocatur poëta in lingentem cunnum.

PERICLITATVR *capite*] i. in periculo capitis est.

ESSE *reum*] i. trahi in iudicium.

LINGIT.] locus est: nam cunnilingi caput agunt: iccirco hic capite periclitatur, & ita suspensum auditorem circumscripsit.

Ad Nepotem. XXVII.

Bis vicine Nepos (nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)
Est tibi, quæ patrij signatur imagine vultus,
Testis maternę nata pudicitię.
Tu tamen annoso nimium ne parce Falerno:
Et potius plenos ære relinque cados.
Sit pia, sit locuples, sed potet filia mustum:
Amphora cum domina nũc noua fiat anus.
Cęcuba non solos vindemia nutriat orbos:
Possunt & patres viuere: crede mihi.

Idem Græcè.

Δὶς σύγχορτε Νέπως ἡμῖν (σὺ γὰρ ἀγχόθι Φλώρης,
Ἔν τε παλαιοτάταις ναίεσκε Φικελίαις)
Ἐστι σοι εἶδος ἑοῦ ἀπομαξαμένη γενετῆρος
Μητρῴης μάρτυς σωφροσύνης θυγάτηρ.
A Μὴ σύ γε πουλυετοῦς φείδεο λιαροῖο Φαλέρνου,
Μᾶλλον δ' αὖ νασαοὺς χέρματι λεῖπε κάδους·
Γλευκοποτοῦσ' ἡ παῖς θρήσκη, καὶ πλούσιος εἴη,
Σὺν δ' οἱ γηραιόχοι νῦν νέος ἀμφιφορεύς.
Μὴ μούνοις οἶνος τρεφέτω Καίκουβος ἄπαιδας·
Ἴσθι σάφ' ὡς πατέρων ἐστὶ καὶ ἡδυπαθεῖν.

DOMITIVS.

BIS *vicine Nepos.*] Vt ego possum argumentum colligere, hactenus caruerat liberis, & captatores certatim ei mittebant Falernum, & alia munera: vt scriberentur hæredes: nunc sustulit filiam, & iam carens muneribus captatorum, abstinebat Falerno olim misso: Mart. eum consolatur, hortatúrque, vt det operam voluptati, & bibat Falernum, satis enim futurum: Filia & pia & locuples erit: quòd si cupiat B habere Falernum nusquam defuturum: nam si filia nunc cœpit potare mustum, post aliquot annos idem erit optimum vinum, & Falernum: quamuis non mittant captatores: denique ait non solũ hi, qui carent liberis debent bibere Falernum, & dare operam voluptati, sed & illi qui habent filios, possunt idem facere vt tu.

NEPOS.] Nomen proprium: vt Iuuen.

Molam versare Nepotis.

BIS *vicine*] i. in duobus locis vicine.

FICELIAS.] Ficeliæ locus erat in vrbe: apud Pompeium est Fregellæ, quoniam homines vrbis Fregellæ eum locum tenuerunt.

EST *tibi na.*] i. habes filiam.

SIGNATVR *imagine vultus pat.*] Ne suspitio sit adulterij.

C TV *tamen annoso.*] Hoc dolebat Nepos, quòd muneribus captatorum careret: vt Iuuen.

—— *Tollere dulcem*
Cogitat hæredem cariturus turture magno.

PARCE.] Abstineas annoso Falerno: quod miserunt captatores, quamuis habeas filiam.

RELINQVE *potius cados plenos ære.*] Quam scil. vino: idem alibi:

Vnguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas:
Ille habeat nummos: hæc tibi pauca dato.

LOCVPLES *sit*] i. habeat diuitias.

CÆCVBA *vindemia*] i. cæcubum vinum: nascebatur autem in Populetis palustribus sinus Amyclani iuxta Pontinas paludes: periit in curia colonorum, & angustia loci: sed maxime fossa, quam fecit Nero nauigabilem à sinu Baiano: Ostiam vsque hoc vinum tenuit principatum, secundas partes Falernum.

SOLOS *orbos.*] Carentes liberis.

PATRES] Qui liberos habent vt tu.

D POSSVNT *viuere.*] Date operam voluptati, & relaxare animum: nam viuere, vt sæpè est dictum, ita accipitur apud Mart.

GEORGIVS.

INCOLIS & *veteres tu quoque Ficelias.*] Inueni codicem antiquum in quo Ficedulas legitur, & non Ficelias, quam lectionem authoritate Plautina comprobamus. nam in Captiuis nimis facetè parasitus numerat Placentinos, Turdetanos, & Ficedulenses, quippe significans ita Ficedulenses à Ficedulis deriuari, quemadmodum Placentinos & Turdetanos, non tam ad oppida, quàm ad aues respiciens: ergo Ficedulæ locus, vnde Ficedulensis.

Epitaphiũ Glauciæ ad viatorẽ. XXVIII. A

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciæ breues patroni,
Hoc sub marmore Glautias humatus,
Iuncto Flaminiæ iacet sepulchro:
Castus moribus, integer pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modò mensibus peractis
Vix vnum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas viator.

Lege apud Statium, lib. 2. Syluarum Epicedion Glauciæ Melioris.

Mensibus è veteris Codicis fide reponi debet. vt ostendat decimum tertium annum vix attigisse, id colligi potest e Statii verbis in Glauciæ Epicedio, vbi canit, o vbi venturę spes non longinqua iuuentæ. Et paulò post vbi puerum Homeri vtrúmque opus recitasse stupentibus parentibus & magistris ait: quæ res in bimum puerum non cadit.

Ni.

DOMITIVS.

LIBERTVS.] Attedius Melior habuit puerum B natum ex serua domi nomine Glauciam, cuius ingenium longo carmine testatus est Papin. dum illius mortem deflet, quemadmodum hoc loco Mart.

LIBERTVS.] Nam statim manumisit eum Attedius delectatus ingenio, & moribus.

CECIDIT.] Mortuus est.

DELITIÆ bre.] Quia xij. anno mortuus est. Patronus dicebatur, quia manumiserat. Patronus, & libertus correlatiua, vt dominus, & seruus.

HVMATVS.] Sepultus erat in via Flaminia. Pap.

Plebs cuncta nefas, & prauia sternunt
Agmina, Flaminio qua limite Miluius agger
Transuehit.

INNOCENS pu.] i. qui pudorem præ se ferebat non ex culpa.

VELOX inge.] Quia iam recitabat versus Homer. & Mænandri: vt Papin.

DOCERE felix.] Id est, pulcherrimus.

BIS senis mensibus] i. xij. annum. Papin.

Herculeos annis æquare labores, Id est, xij. annos:
Cœperat assurgens.

QVI fles.] Sensus est, Viator, qui commoneris miseratione pueri, opto nihil vnquam in vita habeas flendum. alibi legitur, Ni fles.

De eodem. XXIX.

Nō de plebe domus, nec auara verna catastæ,
Sed domini sancto dignus amore puer.
Munera cùm posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus iam Melioris erat.
Moribus hoc formæque datum, quis blandior illo? D
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis breuis est ætas, & rara senectus:
Quidquid amas, cupias nō placuisse nimis.

DOMITIVS.

NON.] Epigramma in eundem.

AVARÆ catastæ.] Lòca erant vbi vendebantur pueri, à verbo Græco καταστῶ, quod est expono: Persius.

Cappadocas rigida seruos vinxisse catasta. Tibul.
Nota loquor, regnúmque tenes, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Hic autem Glaucias non erat emptus ex grege seruorum, sed domi natus, quod indicauit etiam Pap.

Non te barbarica versabat turba catastæ.

NON do. de ple.] Non ex plebe: nam populus Alexandrinus in sacerdotes & plebem diuidebatur, i. plebèi erant serui, alij liberi. Suet. in Vespasiano: Quidam è Plebe. De eadem re Tacit. Quidam è plebe Alexandrina: & Iuuenal. cùm vellet indicare Crispinum esse seruilis conditionis,

Cum pars Niliacæ plebis.

MVNERA.] Manumissionis, & suauitatem libertatis.

IMMODICIS.] His qui nimiùm sapiunt ante ætatem.

RARA se.] i. rarò perueniant ad senectutem. Ita Pap. primum enim Glauciam nostrum, cuius gratissimam infantiam, & qualem plerúmque infelices, i. citò morituri sortiuntur.

Apud te complexus amabam.

Quintil. frequenter obseruatum est occidere celerius festinatam natiuitatem.

CVPIAS non pla.] Hoc est, eos quos ames, non cupias habere multa in se, propter quę placeant, quia citò cadent, quæ nimium omnibus placent.

In Pætum. XXX.

Sex sestertia si statim dedisses,
Cùm dixti mihi: sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
At nunc cùm dederis diu moratus,
Post septem puto; vel nouem Kalendas,
Vis dicam tibi veriora veris,
C *Sex sestertia, Pæte, perdidisti.*

DOMITIVS.

SEX sestertia.] Intelligas Pætum promisisse se donaturum sex sestertia, quæ si citò donasset: Mart. (vt ait) putaret se ei debere, non pro sex sestertijs, sed pro ducentis. Nunc autem cùm serò dederit, amisit gratiam muneris, quia putabat Mart. se nihil ei debere.

PERDIDISTI.] Quia nullas habeo gratias: qui citò dat, bis dat. Placet intelligas eum accepisse in fœnus ducenta, pro quibus iam deberet sex sestertia: si Pætus statim dedisset, sed cùm post septem Kalend, dederit, amisit sex sestertia.

In Charidemum. XXXI.

Vxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinísque
A medico futui, vis sine febre mori.

DOMITIVS.

VXOREM.] In Charidemum est epigramma, siue distichon: qui cùm sciret vxorem habere rem cum medico, id permittebat. Poëta iocans in eum, ait optasse mortem sine febre, nulla enim causa est cur permittat vxorem à medico subagitari: nisi fortasse, quia nolit ægrotare vnquam amore medici, & fide erga ipsum.

Vis mori si febre] i. expilari, nam omnia dabuntur medico: nam pauperes, mortuos Mart. sæpè appellat, vel vis mori sine febre, i. nunquam vis ægrotare, propterea conduxisti medicum hoc munere.

De morte Othonis. XXXII.

*Dion Nicænus.

*Cùm dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo
Forsitan, & posset vincere mollis Otho:
Damnauit multo *saturũ iã sãguine Martẽ,
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum viuit, sanè vel Cæsare maior,
Dum moritur, numquid maior Othone fuit?

*v. Saturũ.

DOMITIVS.

Cvm dubitaret.] Otho, quamuis per omnem vitam mollissimè vixisset, adeò vt muliebres munditias sectaretur, tamen cùm ad Bebriacum victus esset à Vitellio, ausus est sibi consciscere mortem. huius fortitudinem laudat, & anteponit Catoni hac ratione, Cato interfecit se Vticæ, rebus iam afflictis, & desperatis, Otho cum haberet multas copias, & quotidie augerentur ex Dalmatia, & Mysia post Bebriacum: præterea milites ardentissimos ad dimicationem, adeò vt victoriam potuerit sperare, mori voluit damnans bella ciuilia. Propterea, vt scribit Tacitus, egregiam famam morte est consecutus: anteponatur igitur mors Othonis Catonianæ, quoniam Otho se interfecit, ne bella ciuilia amplius gererentur se duce. Cato autem mortem sibi consciuit copiis destitutus, & metu ne in manus hostiles veniret, & non studio ponendorum ciuilium bellorum. Longa est oratio Othonis apud Tacitum ad milites in xviij.

Enyo.] Furor belli ciuilis inter Vitellium & Othonem. Pausanias ex carmine Homeri putat Enyo Deam vna cum Pallade præesse bellis, & ea curare.

Damnavit Martem.] Detestatus est bellum ciuile.

Certa.] Forti manu.

Maior.] Cæsare, à quo victus erat.

Dvm mo.] Fuit maior Otho. quasi dicat, non quia fuit laudabilior mors Othonis, qui voluit deponere bella ciuilia morte sua, quàm mors Catonis, qui se interfecit metu hostium.

*In Sabellum. XXXIII.

*v. Ad Mathonem.

Nil miserabilius, Matho, pædicone Sabello
Vidisti, quo nil lætius antè fuit:
Furta, fugæ, mortes seruorũ, incendia, luctus
*Affligunt hominẽ. tam miser? & futuit.

* Vide Turnebum lib. 24. cap. 27.

DOMITIVS.

Nil mi.] Hoc verbum miserabilius totum declarat epigramma, si fuerit intellectum: miserabilem dicit Sabellum, hoc est, dignum summa commiseratione, non solùm quia magnam iacturam fecerit iniuria fortunæ, & incommodis domesticis. sed cum antè amaret, & potiretur pueris, nunc propter magnam calamitatem est ad mulieres detrusus.

Fvgæ.] Seruorum.

A Tam mi.] Lege per interrogatione, vt dicat Matho tam miser est, quod scilicet tot amiserit, respõdet Mart. huic grauius quiddam inesse quod sc. cogatur.

Et fu.] Verbum Mart. respondentis. i. hoc additur calamitati, quòd cogitur futuere mulieres.

Ad Diadumenum. XXXIV.

Basia da nobis, Diadumene, pressa: quot inquis?
Oceani fluctus me numerare iubes,
Et maris Aegæi sparsas per litora conchas,
Et quæ Cecropio monte vagantur apes,
Quæq; sonãt pleno vocésq;, manúsq. theatro,
Cùm populus subiti Cæsaris ora videt.
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
B Lesbia: pauca cupit, qui numerare potest.

DOMITIVS.

Basia.] Diadumenum fuisse elegantis oris apud antiquos, vt testatur Plin. qui scribit hũc fuisse effictũ à Polycleto leuiter iuuenem, & eam effigiem venditam c. talentis: inde Mart. dedit nomen molli puero. huius suauia alibi laudat, & nunc exigit iocans in Catullum pauca optasse, qui potuerit addere numerum.

Qvot inquis.] Conchæ eiiciuntur fluctibus.

Monte Ce.] i. Hymeto monte Atticæ.

Sonant.] Applaudunt.

Svbiti Ca.] Repente ingredientis.

Argvto.] Bene canenti.

Lesbia.] Hæc nomine proprio dicebatur Clodia, sed fictũ nomẽ à Catullo, vt Ticides poëta Metellã dixit pro Perilla. vnde Ouidij filia nomẽ sũpsit.

C Nolo quod dedit.] Quia numerata dedit: Notum est carmen Catulli.

Ad Cæcilianum. XXXV.

Septem clepsydras magna tibi voce petenti,
Arbiter inuitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis: vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.
*Vt tandẽ saties vocémq;, sitimq;, rogamus,
Iam de clepsydra, Cæciliane, bibas.

*Vide Turn. l. 15. c. 17.

D DOMITIVS.

Septem clepsydras.] Locus est Fabij Quint. qui hunc morem confirmat his verbis. Bibere autem interagendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam, procul absit à meo oratore. Cæcilianus causidicus ineptè orans poposcerat à iudice septem clepsydras, i. septem horas: nam dicentibus in foro ex more Atheniensium præscriptum erat tempus: verbum extat Demosthenis aduersus Æschinem, ex quo hic mos apertus est, ita enim ait. Dic Æschines aliquid aduersus hæc, si potes, & ego partem meæ aquæ, i. clepsydræ tibi concedam. Cæcilianus, concessis septem clepsydris, ad dicendum, in media actione feruẽs potabat. Optat Mart. vt potet aquam clepsydrarum, hoc est, vt tãdem finiat. nam clepsydra vas erat, quod aqua fluente horas designabat, vt nunc arena.

Arbiter.] Iudex.

Clepsydras septem] i. spatium septem horarum.

SEMISVPINVS] Fessus recumbens.
AQVA ca.] Quia calidam potabant antiqui. Iuuen. *Calda, gelidaque minister.*
An quod magis placet, calidam aquam intelligit, quod diu manserat in vase, vt iam teperet.
DE cleps.] Hoc est ex aqua clepsydræ, vt tandem finias.

v. Pamphilum.

Ad[v] Papilum. XXXVI.

v Pamphile.

Mentula tam magna est, tantus tibi[v] Papile nasus,
Vt possis, quoties arrigis, olfacere.

In Charinum. XXXVII.

Secti podicis vsque ad vmbilicum,
Nullas reliquias habet Charinus,
Et pruris tamen vsque ad vmbilicum:
O quanta scabie miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinædus.

A

DOMITIVS.

SECTI podicis] Impudicum fuisse Carinum duobus epigrammatibus supra ostendit, quorum vtrumque indicauit eum pudenda muliebria lingua sectari. Catamitum indicat, hoc est puerum meritorium tanta libidine, vt nullum faciat finem pruriginis, quamuis iam inutilis sit.

De filio Reguli. XXXVIII.

Adspicis vt paruus, nec adhuc trieteride plena,
v. laudet. *Regulus auditũ[v] laudat & ipse patrem?*
Maternosque sinus viso genitore relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas?
Iam clamor centumque viri, densumque coronæ
Vulgus, & infanti Iulia tecta placent.
Acris equi soboles magno sic puluere gaudet,
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.
Dj seruate, precor, matri sua vota, patrique,
Audiat vt natum Regulus, illa duos.

Idem Græcè.

Οὐχ ὁρᾶας ὡς παῖς, μόλις ὢν τριέτηρος, ἐπαινεῖ
Τὸν πατέρα ζηλῶν Ῥήγουλος εὐεπίης,
Μητρός τ᾽ ἐξανέδυ κόλπον, θρεπτῆρος ἐκχύων,
Ὡς εὐημερίης ὢν μέτοχος πατρικῆς;
Ὁ κρότος οἱ, λαοί τε πολυήγυρεις, οἵ τε δικασταὶ
Εὔαδον, αἰθούσης τ᾽ ὄχλος Ἰουλιάδος.
A Εὐριπίδου χαίρει σταδίῳ γόνος ἵπποιο ἔπος,
Ἔς τε μάχην ὀργᾶν μόσχος ὄρθ᾽ ἄκερως.
Παῖδα, θεοί, σώζοιτε γονῇ, καὶ μητρί· λέγοντος
Χαίροι ὁ μὲν τέκνοι, ἡ δὲ συναμφοτέρων.

DOMITIVS.

ADSPICIS] Regulus causidicus susceperat filium, huius ingenium, & felicitatem optat Mart. Reguli ingenium inuisum fuit Plin. laudatum à Mart.
REGVLVS pa.] Filius.
PLENA tri.] Nondum finitis annis.
AVDITVM pa.] Orantem Regulum patrem.
SINVS matr.] i. gremium matris.
LAVDES su.] Pertinere ad se.
B CLAMOR] Clientum.
CENTVM viri] Erant iudices ad quos quæ pertinerent scripsit Cic. in oratore.
IVLIA te.] Capitolium.
ACRIS equi.] Sensus est Horatij,
Fortes creantur fortibus, & bonis.
Et sumpsit exemplum ab equo.
CVPIT prælia] i. præmeditatur.
MOLLI fronte] Inermi, nondum cornuta, vt Virg. & Silius.
NATVM audiat] Agentes causas.
ILLA duos] Patrem & filium.

In Cinnam. XXXIX.

Pater ex Marulla, Cinna, factus est septem,
C *Non liberorum: namq; nec tuus quisquam,*
Nec est amici, filiusve vicini,
Sed in grabatis, tegetibusque concepti
Materna produnt capitibus suis furta.
Hic qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se Cogisantræ:
At ille sima nare, turgidus labris,
Ipsa est imago Pannici palæstritæ:
Pistoris esse tertium quis ignorat?
Quicumque lippũ nouit, & videt Damam.
Quartus cinæda fronte, candido vultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo:
D *Percide, si vis filium, nefas non est,*
Hunc verò acuto capite, & auribus longis,
Quæ sic mouentur, vt solent asellorum,
Quis morionis filium neget Gyrthæ?
Duæ sorores, illa nigra, & hæc rufa,
Croti choraulæ, villicique sunt Carpi;
Iamque hybridarum grex tibi foret plenus,
Si spado Corculus, Dindymusque non esset.

DOMITIVS.

PATER ex Marulla] Adulteria vxoris Cinnæ iocando commemorat: nam Cinna habebatur pater vii. liberorum, cum nullum procreasset, simul sordes

adulteriorum accusat, quod morionem pistorem & seruos mulier sectetur.

Non *libe.*] Simul alludit eos esse seruos, qui nati sunt ex seruis non sunt liberi.

Grabatis] Lectis.

Prodvnt] Indicant.

Svis *ca.*] Ore.

Mavrvs] Niger.

Cogisantræ] Serui Mauri.

Nare *si.*] Depressa.

Pannici] Serui dantis operam palæstræ: nam palæstritæ in familia erant.

Dama] Erat pistor temporibus Domit. & erat lippus, hoc est, stillantibus oculis: alibi sordidus dicitur à Mart.

Cinæda *fronte*] i. impudica.

Nefas *non est*] Quia non est filius tuus.

Morionis] Moriones dicebantur, qui simplici stoliditate mentis, & deformiore risum mouebāt, dicti quoniam Græcè μωροὶ dicuntur stulti. in disti.

Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa:
Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Morionis mentionem facit Plin. in epistola, Cœnabis, inquit, sine morione.

Choravlæ] Tibicinis.

Carpvs] Nomen fictum, & villico conueniens: nam καρπὸς fructus est.

Hybridarvm] Hybridæ, authore Porph. in Hora. dicuntur, qui ex imparibus parentibus nascuntur, vt canes ex venatico, & gregario: & hybridæ, qui ex apro, & sue nascuntur Plin. author est. Poëta infra eodem verbo vsus est dum iocaretur de sue nato ex apro, & sue domestico. Hybridæ hi pueri dicuntur, qui nati sunt è seruis hominibus, & ciue muliere. Alij codices habent Niobidarum, vt referas ad numerum filiorum Niobes, sed placet prior scriptura.

Ad Lycorim. XL.

Fœmina præferri potuit tibi nulla Lycori,
Præferri Glyceræ fœmina nulla potest.
Hæc erit hoc, quod tu: tu non potes esse, quod hæc est.
Tempora quid faciunt? hāc volo, te volui.

DOMITIVS.

Fœmina] Vtramque amauerat Martialis, Lycoridem, & Glyceram: alteram aspernabatur, quia anus: & alteram amabat, quia iuuenis.

In raucum poëtam colla lana tegentem. XLI.

Qui recitat lana fauces, & colla reuinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

DOMITIVS.

Qvi *recitat*] Focale ligamentum aurium, quod oratores sumebant laneum, ne inter agendum strepitu perterrerentur, dictum focale à faucibus fouendis. Illi, inquit, qui sumpto focali recitant, duo inter se pugnantia ostendunt, & quòd non debent loqui, cùm habeant colla reuincta, & quòd non possint tacere cùm loquantur. Focalis meminit Quint. & Horat.

Negat *se posse loqui*] Quia ligāt tanquam sit raucus.

Et *negat se posse tacere*] Quia loquitur.

De Etrusci thermis. XLII.

Etrusci nisi thermulis" laueris, — "v. Ianarial Statius Pa: pin lib. Sylu. de Balneo Etrusci.
Illotus morieris Oppiane,
Nulla sic tibi blandientur vndæ,
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinuessa, feruidique
Fluctus" Passeris, aut superbus Anxur, — "Passer Campaniæ locus ad inferum mare.
Non Phœbi vada, principesque Baiæ,
Nusquam tam nitidum micat serenum:
Lux ipsa est ibi longior, diesque
Nullo tardius à loco recedit,
Siccos pinguis onyx anhelat æstus.
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx, & Libys altius cecīdit,
Et flamma tenui calent Ophitæ.
Ritus si placeant tibi" Laconum, — "De Laconico Corn. Celsus lib. 2. Vitruuius lib. 5.
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Martiaque mergi:
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Vt nullas ibi suspiceris vndas,
Et credas vacuam nitere Lygdon.
Non attendis, & aure me supina,
Iam dudum quasi negligenter audis:
Illotus morieris, Oppiane.

DOMITIVS.

Etrvsci] Laudat balnea Claudij Etrusci, quæ etiam carmine Pap. celebrantur. Oppianus quidam mali erat coloris, vt infrà:

Esset, Castrice, cùm mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

Hunc iocans hortatur, vt lauet se Claudij Etrusci thermis, atque ita nactus occasionem eas describit.

Illotvs] Non lotus.

Blandientvr] Erunt iucundæ.

Fontes *Apo.*] Iuxta Patauium, & nunc extant.

Rvdes] Rusticani.

Sinvessa] Balnea habebat, authore Strab. quibusdam morbis accommodata. scri. Taci. Narcissum libertum Claudij eius cœli temperie, & balneis, morbo fuisse leuatum.

Mollis] Amœna. nam ille ager amœnus est.

Passer] Locus ad oram inferi maris in Campania. Iuuenal.

Dic Passer, cui tot montes, tot Appula seruas
Rura.

ANXVR] i. Tarracinenses aquæ. A

SVBERBVS] i. saxo conditus. Vrbs olim capta est ex Anxure monte vicino, vt Liu. scrib.

VADA *Phœbi*] An Cumanum littus intelligit, vbi erat templum Phœbi? quoniam, authore Papin. auspicijs Phœbi Cumæ fuerunt, & templum illic Phœbi erat: quod cognoscas ex carmine Virg. & Silij, hoc placet: an intelligit balnea Phœbi, de quibus Iuu.

BAIÆ] In littore Cumano multa habebant balnea, & in primis aquas Possideias, quas Possidius libertus Claudij Cæs. aperuit.

PRINCIPES] Primum locum tenentes inter balnea.

MICAT] Tam laxum & apertum est.

IBI] In thermis Clau.

TARBIVS] Quàm à ther. Clau.

ONYX] Marmor coloris vnguium, vnde nomen sumpsit, tamen hoc genus marmoris non fuisse in his ther. canit Pap. B

Mæret onyx longe, queriturque exclusus ophites.

TAYGETI *met.*] i. marmor Laconicum, quod viride est. Pap.

Hic & Amyclæi cæsum de monte Lycurgi, quod iuro.

TAYGETI] Promontorium Laconiæ, vt meminit Herodot.

METALLA] Tam venæ ferri, quàm lapidis.

PHRYX] i. populus. Phryx marmor Sinadicum: nam Sinada vrbs Phrygiæ iuxta se habet planitiem oleis consitam Docimam vicum, vnde lapides effodiuntur, quos incolæ appellant Docimitæ: alij dixerunt marmor Sinadicum: columnæ inde afferebantur varietate similes alabastritæ. Vbi ergo reperies marmor Phrygium, expone marmor Sinadicum. Hoc marmor pingebatur purpura inuento Rom.

LIBYS] Populus. & intelligit marmor Nomadicum Libyæ, quod flauum est.

CECIDIT *altius*] Effodit.

VARIO *de.*] Quia Phrygium distinguebatur purpura. Nomadicum erat flauum. C

OPHITÆ] Ophites lapis maculis serpentum distinctus, vnde nomen accepit, nam ὄφις significat serpentem, vnde ophites.

CRVDA *Virg.*] Virgo aqua, quæ in vrbem inuehebat ab octaui lapidis diuerticulo: ea, quoniam declinabatur Herculaneum riuum, dicta est virgo, quasi fugiens Herculem: virgo haustui Mart. accommodata natatui.

MARTIA] Aqua item erat quæ olim dicebatur Aufeia, eius fons Piconia. Martia dicta, quoniam primum ab Anco Martio rege, postea Quint. Martio prætore, demùm à M. Agrippa ductu instaurato inuecta est in vrbem.

RITVS *La.*] Mos erat Laconum vt natarent, lauarentque aqua frigida, quod & Ser. in Vir. est suspicatus, & Plut. in vita Alcibiadis scri. Sensus est: Oppiane si non vis lauari in thermis, potes sudare arido vapore, hoc est, vbi non sunt aquæ, sed tantùm sudatur. D

ARIDO] Nam calor ille ex vaporibus igneis fit, qui aridi sunt: & postea potes te immergere in aquam virginem frigidam, & in Martiam: nam Claudius duxerat riuum in balnea sua aquæ Virginis, & Martiæ.

QVÆ] Virgo tam nitida.

LYGDON] i. marmor Lygdinum sine aquis nitere, quoniam Lygdus est marmor candoris eximij. Mart. pro vase & statua fœminino genere protulit.

SVPINA] Negligente.

GEORGIVS.

HETRVSCI *nisi thermulis lau.*] Quod Aponus sit vicinus Patauio, nemo est qui non norit: cur autem dixerit rudes puellis, quod in primis desiderabam, non satis exponit. In quæstionem hanc soluendam cum aliquando diligentius incumberem, atque peracuratè multa legerem, fortè incidi in epi. Cassiodori, quod mandante Theod. rege Gotthorum ad Archiatrum Patauinum scrib. vt præberet balnea Aponi: in ea igitur epistola tradit esse in aquis Aponi stupendam quandam continentiæ disciplinam: nam in vndam qua viri recreantur, si mulier descendat, incenditur, propterea quia & ipsis altera exhibitio decora collata est, scil. ne ardentium aquarum fœcundissimum locum non crederent habuisse: vnde plurima largirentur si vterque sexus vno munere communiter vteretur: hæc Cassiod. Vnde colligimus rudes, intactos, & incognitos puellis: & bene conuenit præceptis Poëtæ, qui mandat Oppiano: nisi se lauerit in balneis Hetrusci, nullas alibi se inuenturum aquas, quæ adeò viris blandiantur, quando in eodem balneo lauari non potest fœmina.

Ad Castricum. XLIII.

Dum tibi fœlices indulgent, Castrice, Baiæ:
Canaq; sulfureis nympha natatur aquis;
Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et casa iugeribus non onerosa suis.
Hic mihi Baiani Soles, mollisque Lucrinus;
Hic nostræ mihi sunt, Castrice, diuitiæ.
Quondam laudatas " quocunque libebat ad vndas v. quæcunque.
Currere, nec longas pertimuisse vias.
Nunc vrbi vicina iuuant, facilesq; recessus;
Et satis est, pigro si licet esse mihi.

DOMITIVS.

DVM *tibi*] Laborauerat aduersa valetudine Mart. sed cum iam conualesceret, secesserat in agrum Nomentanum. Scribit hoc ad Castricum, qui erat Baijs, indicatque se iam vix posse ambulare, & tamen sibi satis esse putat, quod possit esse piger. i. quod euaserit, & possit exigua spatia perambulare.

CONFIRMANT] Confirmari dicuntur, qui recuperant valetudinem conualescentes. Cic. Nondum satis sum confirmatus.

CONFIRMANT] Id est, pristinam restituunt valetudinem.

OTIA *ruris*] i. secessus agri Nomentani.

NYMPHA] Aqua.

CANA] A calore, quia sulfurea.

AQVIS *sulfureis*] i. Aquis Baianis.

NON *onerosa suis iugeribus*] id est, quæ parum spatij occupauit.

HIC] Casa, & otium Nomentanum.

SOLES] i. dies Baianus, & secessus.

QVONDAM] Olim cum bene valerem.

LAVDATAS *ad vndas*] Id est, ibam Baias, vbi sunt laudatæ aquæ: nam balnea Baiana dicuntur à Mart. aquæ laudatæ: vt alibi,

Inter laudatas ad styga missus aquas.

A FACILES *recessus*] Quod facile possum accedere exiguo viæ spatio.

SI *licet esse pigro*] Id est, si possum hoc parum spatij ambulare.

GEORGIVS.

Stultissimus mihi videtur in hac parte Calderinus, nam non de spatio, quod casa siue villa occupetur in agro, intellexit poëta: sed vt Plin. ait, de positione villarum; in qua modus seruandus est: ita vt ædificium pro agri merito, & pro fortuna domini instituatur: nec scil. difficilius sit sustinere, quàm condere: dixereque vulgo, vt idem author ait, optimum esse aliena insania frui, sed ita vt villarum tutela non sit oneri: quam rem expressit poëta, cùm dixit:

Et casa ingeribus non onerosa suis.

B Ergo modum probandum dixit, vt neque fundus villam quærat, neque villa fundum.

In Calliodorum. XLIV.

Festiuè credis te, Calliodore, iocari,
Et solum multo permaduisse sale.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes,
Sic te conuiuam posse placere putas.
*At si ego * nō bellè, sed verè dixero quiddā:*
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

*nunc vellem tibi verè dicere.

DOMITIVS.

C FESTIVE] In Calliodorum, qui iocis, & scurrilitate venabatur cœnas, os autem fœtebat fellatione: si inquit Mart. dixero vnum de te, non satis festiuè, sed verè: hoc est, si dixero te fellatorem, nemo ad poculum te inuitabit: nam fellatoris os malè olet.

PERMADVISSE *multo sale*] Id est, multis facetijs.

ARRIDES] Arridere est ridentem risu prosequi.

DICTERIA] Dicuntur dicta vrbana, Græcè dicuntur apophthegmata.

BELLE] Non festiuè.

NEMO *propinabit tibi*] Id est, nemo inuitabit te ad poculum, cùm sis tam fœtido ore ob fellationem.

In Lectoriam. XLV.

D *Lusistis, satis est: lasciui nubite cunni.*
Permissa est vobis non nisi casta Venus.
Hæc est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo:
Turpior vxor erit, quā modò mœcha fuit.

DOMITIVS.

LVSISTIS] Lygdus mollis concubinus duxerat mœcham: duæ ergo mœchæ erant coniunctæ. de Lygdo supra.

Et concubino natus est tibi Lygde.

Poëta ridet, quòd lex Iulia hoc pacto seruetur: nam dùm inquit prohibemus adulteria, duo adulteri coniunguntur.

NVBITE *lasciui*] Hoc erat edictum legis Iuliæ: Non est permissa vobis nisi casta Venus.

LECTORIA] Mœcha.

TVRPIOR *vxor erit*] Nam ambo erant adulteræ, vel certè quod placet, notat turpitudinem Lectoriæ, quæ spadonem olim haberet adulterum, & nunc virum: turpiùs, inquit, est nubere Spadoni, quàm tantam adulteram, & mœcham esse: hinc illa indignatio Iuuenal.

Cum tener vxorem ducat Spado.

Ita enim & illum, & hunc locum sumus interpretati.

Ad Catianum. XLVI.

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

DOMITIVS.

VAPVLAT] Venetus auriga erat: non poterat peruenire ad metam ante alios, pigris equis, quamuis vapularent. Turba spectatorum putabat eos facere magnam rem, qui ad metam venirent ante alios. Poëta iocans ait quadrigam Veneti sibi videri magnam rem facere, quòd cùm veheretur assiduè, non currat. de Veneto alibi, sæpè de Prasino:

Conuiua meus Venetoque loquatur.

VAPVLAT] Verberatur.

FACIT *magnam rem*] Quòd scil. vapulando ad metam non veniat.

Ad Hiantida nympham. XLVII.

*Nympha, * mei Stellæ quæ fonte domestica puro*
Laberis, & domini gemmea tecta subis:
*Siue Numæ coniux Triuiæ te misit * ab antro:*
Siue Camœnarum de grege nona venis:
Exsoluit votis hac se tibi virgine porca
Marcus, furtiuā quòd bibit æger aquam.
Tu contenta meo iam crimine, gaudia fontis
Da secura tui: sit mihi sana sitis.

*v. meo.

*v. ad Auram. Ouid. In Fastis. Liuius lib. 1. ab vrbe cōdita.
*ab Anna. Turn. Lap. c.27.

DOMITIVS.

NYMPHA] Antequam planè conualuisset Marbibit aquam ex fonte Stellæ, vouitque porcam virginem Dianæ: vt alij sentiunt, quod magis placet, Proserpinæ: vt Macrob. ex sententia Cornel. recitat. Porca victima erat Proserpinæ, vouit inquam porcam, si aqua illa furtim hausta eum non læderet: nunc penitus confirmatus posuit votum, & rogat fontem, vt sine vllo nocendi metu largas aquas præbeat, cùm iam satisfecerit necata porca suo crimini: quod olim æger bibisset. optat demum, vt nunc benè valens hauriat fontem, quemadmodum olim æger biberat.

DOMESTICA] Intra parietes.

AB *antro*] Antiquus codex habet ab Anna. Anna soror Didonis ad Aritiam consecrata erat: suprà est dictum, & satis cecinit Ouid. & Silius.

CONIVX *Numæ*] Id est, Egeria, quæ illic numen habebat fontem.

AB *Anna*] Id est, ab Aritia, in qua colebatur Diana.

NONA *de grege cam.*] Illac enim fluebat, an alludit ad nouem aquarum ductus, qui in vrbem inuehebantur: qui his nominibus dicebantur, teste Frontino, Appia. Anio vetus, Martia. Tepula, Iulia, Virgo, Augusta, Claudia, anio nouus: posteà ad tempora vsque Diocletiani x. & viij. aquarum ductus creuerunt, & aptè poëta has ix. aquas ix. musis comparauit, cùm diceret hanc ingredi in domum poëtæ. Potes & accipe dictum, quod magis placet, propter Egeriam, quæ vna inter ix. musas fuit quorundam sententia: authore Plut.

MARCVS] Martialis.

EXOLVIT *se votis*] i. persoluit vota x.

VIRBIME *porca*] i. intacta: nam & sterilis vacca mactatur apud Hom. Proserpinæ.

AQVAM *furtiuam*] Id est, clàm bibit ex aqua tua.

TV *contenta meo crimine*] i. cùm iam satisfecerim tibi de meo crimine, quia mactaui porcam.

SANA *sitis*] i. vtinam ita sanus sitiam nunc, vt olim æger sitiebam. Optat potum alibi ægrotans:

Setinum, dominaque niues, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam.

In Pomponium. XLVIII.

Quòd tam grande sophos clamat tibi turba togata:
Non tu, Pomponi: cœna diserta tua est.

Idem Græcè.

Σοὶ ὅτ' ἄϋσε, ΣΟΦΩΣ, τηβεννοφόρων χορὸς ἀνδρῶν,
Οὐ σύγε Πομπώνι, δεῖπνα δέ σου λόγια.

DOMITIVS.

QVÒD] Pomponius mala carmina scribebat, quæ cùm vellet laudari, cœnam dabat amicis, hoc carpit Persi. *Calidum scis ponere sumen.*
Idem tangit Horat. in arte poëtica, quòd igitur laudentur carmina Pomponij, dicit poëta carmina non esse erudita: sed cœnam: quasi dicat, laudantur carmina propter cœnam.

TVRBA *togata*] i. Romana: vel leuiorum hominum turba, quod placet: nam poëta dicit sæpe se esse inter togatos cùm est comes alicuius.

CLAMAT *grande sophos*] i. assentatoriè laudat: Græca est assentatio, quæ dicitur σοφός. i. doctus es: nam Græci immodicè laudabant, quòd Iuuenal. carpit: *Laudare paratus. &c.* vt suprà:
Audieris cùm grande sophos.

De Priapo. XLIX.

Non sum de fragili dolatus vlmo:
Nec quæ stat rigida supina vena,
De ligno mihi quolibet columna est,
A *Sed viua generata de cupresso.*
Quæ nec sæcula centies peracta,
Nec longæ cariem timet senectæ.
Hanc, tu quisquis es ô malus, timeto:
Nam si vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite læseris racemos:
Nascetur, licet hoc velis negare,
Inserta tibi ficus in cupresso.

DOMITIVS.

NON *sum*] Epigramma hoc affixit poëta in hortis, custodi Priapo. Priapus nomen est vrbis & portus, quam iuxta Dardaniam vrbem condiderunt Milesij, & vt alij putant illis Deus eodem nomine colitur, sacris sumptis à Corinthijs, qui Priapum Orneum colunt, vt eius sacra Ornea vocant. Filius fuit B patris Liberi, & Veneris, vt Diodor. vt Strab. lib. 13. Nymphæ, huic cum cæteris Bacchi comitibus sacra faciebant ad Alebedum iuxta Colophonem, vnde ipse Silenus, & reliqui comites Alebedi dicuntur. Virgil. *Huc Alebede veni.*
Huius numinis originem tradiderunt Ægyptij, qui pudenda Osiridis coluerunt pro Deo, quem dixerunt Priapum. Is non modo inter vrbes colitur, sed etiam ruri fructuum fures castigat. Alloquitur custos Priapus.

NAM *si*] i. ficosus fies ô fur.

INSERTA *tibi*] Columna mea cupressa. Ficus enim genus morbi est, qui oritur ex frequenti pædicatione: ex quo iocans alludit ad arborem.

C

De Thelesino. L.

Cũ coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordidus in togula.
Obscœnos postquam cœpit " *curare cinædos,* " v.[illegible]
Argentum, mensas, prædia, solus emit.
Vis fieri diues Bithynice? conscius esto.
Nil tibi, vel minimũ, basia pura dabunt.

DOMITIVS.

CVM *coleret*] Idem sensus est apud Iuuenal.
Diligitur nemo nisi conscius.
D Thelesinus quamdiu castè, & pudicè adolescentes amicos coluit: nihil est assecutus: cùm primum autem cœpit curare turpes pueros, & illorum libidinis conscius esse, factus est diues. Iuuenal.
Nil tibi se debere putat: nil conferet vnquam
Participem, qui te secreti fecit honesti.
Pudica basia, & casta familiaritas nihil potest præstare: sed si fueris conscius alienorum scelerum, euades diues.

BASIA *pura*] Castus congressus amicorum, quasi dicat, oportet inter turpes versari.

Ad Lupercum. LI.

Quòd conuiuaris sine me tam sæpè Luperce:
Inueni, noceam qua ratione tibi.

Irascar, licet vsque voces, mittasque rogesque.
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

DOMITIVS.

Qvod conuiuaris] In Lupercum iocatur, qui nunquam eum inuitauerat. Nam, inquit, sum tibi iratus, & noui qua ratione te vlciscar. *Quid facies?* inquit Lupercus, *veniam*, & ita tuam auaritiam vlciscar.

Convivaris] Conuiuia facis.

Irascar] Tibi.

Licet] Quamuis me sæpè voces.

Epitaphium Pantagathi. LII.

Hoc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus domini cura, dolorque sui,
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.
Sis licet [v] *inde sibi tellus placata, leuisque,* v. imposito.
Artificis leuior non potes esse manu.

DOMITIVS.

Hoc *iacet*] Pantagathum tonsorem laudat, qui nuper erat mortuus: cuius manus facilitatem, & leuitatem tantam fuisse scrib. vt terram quamuis cupiat ei esse leuissimam, non tamen possit esse leuior, quàm manus fuerit.

Pantagathvs] Seruus erat.

Raptvs] Rapti dicuntur qui moriuntur annis puerilibus.

Vagos] Inæquales.

Vix *ferro tangente*] Forcipe.

Excolvisse] Expolire.

Genas *hirsutas*] i. barbatam faciem.

De Andragora. LIII.

Lotus nobiscum est hilaris, cœnauit & idem.
Inuentus mâne est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis caussam, Faustine, requiris?
In somnis medicũ viderat Hermocratem.

Idem Græcè.

Lucillus de Diophanto Hermogenis medici vmbra in somnis interempto. 2.Anth. c.33

Λούσας δειπνήσας τε παρ' ἡμῖν γηθόσυνος χθὲς,
Αὐτὸς κεῖται νεκρὸς ὄρθριος Ἀνδραγόρας.
Αἴτιον αἰφνιδίου θανάτου, Φαυστῖν', ἐρεείνεις;
Ἦ ὄναρ ἰητρὸν ῥ' εἴσιδεν Ἑρμοκράτην.

DOMITIVS.

Lotvs] Hermocrates medicus fuit qui plurimos imperitia necabat. In eum nunc scribit poëta, ait enim Andragoram vnà lotum fuisse in balneis, & cœnasse hilarem, sed inuentum mane domi mortuum: quare, inquit, hoc accidit? nimirum viderat in somno Hermocratem, qui tantæ est perniciei, vt non A modò si medetur, sed etiam si cernitur aliquo pacto interficiat.

De Sextiliano. LIV.

Tantos, & tantas si dicere Sextilianum
Aule vetes: iunget vix tria verba miser.
Quid sibi vult? inquis. dicam, quid suspicer esse:
Tantos, & tantas Sextilianus amat.

DOMITIVS.

Tantos] Sextilianus hæc verba sæpenumerò vsurpat tantos, & tantas: hoc accidere ait, qui amet B mutoniatos. Tantos & tantas draucos, vt diximus, amabat: hoc est, pergrandes iuuenes: qui hispidos & barbatos præcidebant.

Tantos] i. pergrandes pueros.

Tantas] Id est, mentulas: hoc etiam supra notauit poëta:

Dormis cum pueris mutoniatis.

In Phœbum.

In Coracinum. LV.

Quòd semper casiâque, cinnamóque,
Et nido niger alitis superbæ
C *Fragras plumbea* [v] * *Niceroniana,* v. Nicerotiana. *Sic & Turneb.lib.25. c.27.
Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quàm bene olere, nil olere.

DOMITIVS.

Qvod *semper*] In Coracinum cuius anhelitum fœtidum vnguentorum odores emendabant: poëta optat nil potius olere, quàm olere vnguenta, quasi indicaret eum vnguenta sumere, quia malè oleat, & in Postumum idem est sensus:

Postume non bene olet, qui bene semper olet.

Nos] Me.

Casia] Intra paludes in Arabia colligitur aduersus duo vespertilionum genera pugna.

Niger] Vnctus.

D Nido *superbæ alitis*] i. nido phœnicis: nam phœnix moritura, & ex casia, & thuris surculis nidum conficit, quemadmodũ, authore Plin. scripsit Mani. Mendosum alterutrum codicem arbitror Plin. aut Herodot. nam Plin. ita scrib. Cinnamomum, & casias fabulosa narrauit antiquitas, princeps Herod. auium nidis, & præsertim phœnicis, in quo situ Liber pater sit educatus, eásque decuti in rupibus inuijs frusto carnis allato, aut plumbatis sagittis, hæc Plin. Herod. eo loco vbi scrib. de cinnamomo, de phœnice nullam mentionem fecit: scrib. tamen Arabes hoc cogitasse, vt coactum cinnamomum in nidum decutiant: obijciunt asinorum, aut boum mortuorum corpora secta in frusta, quæ aues nidis inferentes, nidos ea mole dissipant, atque ita cadentes surculi ab Arabibus colliguntur: de plumbatis sagittis nullum extat Herod. testimonium quod Plin. scrib.

Nicerotiana] Vnguenta erant à magistro tabernæ Nicerote, vt Cosmiana à Cosmo. Nicerotes

rotes autem vnguentarius Syrius fuit. huius Laberius meminit: vt mox dicetur.

PLVMBEA] Dicuntur vnguenta non tam à colore, vt mihi placet, quàm à confectione ipsa, nam in vasis plumbeis in vmbra coquebantur, authore Plin. l. 13. c. 2. quoniam Sol erat ei inimicus.

FRAGRAS] Redoles.

PLVMBEA] Decocta in vasis plumbeis.

In Charidemum. LVI.

Quòd tibi crura rigẽt setis, & pectora villis,
Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
*Quæ ratio est? inquit; scis multos dicere * multa,*
Fac, pædicari te, Charideme, putent.

* multis. Vide Turn. Lis. cap. 17.

DOMITIVS.

QVÒD tibi] In senem hispidum fellatorem, hic vt alienus à libidine videretur ostentabat setas, & membra hispida: at poëta, inquit, alia corporis parte eum posse esse turpem, & libidinosum. & leuius crimen futurum, si depilato corpore suspitionem præbuerit, quòd sit cinædus, nam id quod agebat erat sceleratius. Charidemus dicitur, qui delectatur fama populari.

DARE *verba*] Decipere.

CREDE *mihi*] Sequere consilium meum.

MVLTA *dicere*] Loqui varia.

FAC *putent te pædicari*] Nam quod putant te fellatorem esse, turpius est.

In Phœbum. LVII.

* *Mentiris fictos vnguento, Phœbe, capillos,*
Et tegitur pictis sordida calua comis:
*Tonsorem capiti non est adhibere * necessum,*
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

* necesse.

DOMITIVS.

MENTIRIS] In Phœbum iam canum, sed dissimulantem canitiem vnguento: non erit, inquit, opus tondere, nam sola spongia poterit caput tuum ô Phœbe detergere.

PICTIS] Vnctis, vt nigri essent.

RADERE] Detergere, spongia tergendis mensis vtebantur antiqui, quod distichon indicabit. Spongia item piscis erat tribus generibus, vt Plin. scrib. lib. 9. c. 35. hærens lapidibus, ita vt vix auelli, possit. sed hic de spongia, non pisce intelligit.

Ad Aulum Pudentem. LVIII.

Cernere Parrhasios dum te iuuat, Aule, Triones,
*Cominus & * Scythici sidera ferre poli.*
A *O quàm pæne tibi Stygias ego raptus ad vndas*
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ!
Quãuis lassa tuos quærebant lumina vultus,
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista deos:
Sospite me sospes Latias reuehēris ad vrbes,
*Et referes * pili præmia clarus eques.*

* Primipili enim honos equestrem ordinem attrahebat.

DOMITIVS.

CERNERE] Ad Aulum Pudentem amicum militantem in Germania, cuius suprà meminit, cùm de B Encolpo puero loqueretur. nunc significat se conualuisse ex grauissimo morbo, quo illo absente laborauit: sibi autem esse in votis, vt ille primipilaris reuertatur sospes, nam Aulus Pudens primipilum maximè affectabat, quod centurionibus dabatur, cùm rem bene gessissent dignitate equestri, etiam si quadringenta sestertia non possiderent.

PLAGÆ] Regionis.

TRIONES *parrhasios*] Septentrionem in Germania ab vrsa parrhasia.

SIDERA *pigra*] Bootes, & vrsa, quia nunquam nobis occidunt.

PIGRA] Nunquam nobis occidentia.

LASSA] Languentia.

PLVRIMVS *Pudens*] Ita codex antiquus habet, & ita est legendum, non autem pudor.

PVDENS] i. nomen Auli Pudentis.

PLVRIMVS] Sæpissimè erat in ore, scilicet: mihi, C hoc est, sæpe te languens nominabam.

CLARVS *eques*] In equestrem dignitatem ascitus.

PVLLA *stamina*] Parcæ ducunt infelicibus, sensus est, si non sum omnino inuisus Dijs, & infelix.

VOX] Meum votum.

SVRDOS] Surdi dicuntur Dij, quando non audiunt vota.

In Baccaram. LIX.

Et dolet, & queritur, sibi nō cōtingere frigus,
Propter sexcentas Baccara gausapinas.
Optat & obscuras luces, ventósque, niuésq;,
Odit & hibernos, si tepuere, dies.
D *Quid fecere mali nostræ tibi, sæua, lacernæ?*
Tollere de scapulis quas leuis aura potest?
Quãto simplicius, quãto est humanius illud,
Mense vel Augusto sumere gausapinas?

DOMITIVS.

ET *dolet*] Baccaris significat nardum rusticum, author est Plin. hîc Baccara nomen est proprium.

GAVSAPINA] Penula erat toga, quæ gestabatur sub lato clauo: vt alij scribunt erat tunica laticlaui, ea texebatur in modum gausapæ miro candore villorum, gestabatur hyeme. Baccara multas gausapinas habebat, & optabat perpetuam hyemem his ostentandis. Martia. trita, & lacerata tunica accusat Baccaram, quod sibi bene induto frigus

optet, cùm idem noceat poëtæ habenti tritas lacernas.

FRIGVS] Hyemem, & dies frigidos.

SEXCENTAS] Non sexcentas, sed multas, nam sexcentum nomen erat in promptu volentibus significare magnum numerum. Cicero, Sexcenta incommoda sum perpessus in tuenda Republica.

GAVSAPINAS] Vestes.

LVCES *obscuras*] Id est, nubilos dies.

HYBERNOS] Hyemales.

SI *tepuere*] Si incaluerunt sole.

NOSTRÆ *lacerna*] Tritæ.

SCAPVLIS] Humeris, quantò tu humanius faceres, si ferres gausapinas media æstate, vt tu calore laborares, quàm optare hyemem perpetuam. Distichon de penula gausapina,

Tam mihi candor inest, villorum gratia tanta,
Vt me vel media sumere messe velis.

Hoc est, tu optares ferre media messe, quamuis sim hyberna.

De Pompillo. LX.

*v. ad Faustinum.

Rem factam Pompillus habet, Faustine, legetur,
Et nomen toto sparget in orbe suum:
Sic leue flauorum valeat genus Vsipiorum,
Quisquis & Ausonium nõ amat imperiũ.
Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur:
Sed famæ non est hoc, mihi crede, satis.
Quã multi tineas pascunt, blattasq; diserti!
Et redimunt soli carmina docta coci!
Nescio quid plus est, quod donat sæcula chartis,
Victurus Genium debet habere liber.

DOMITIVS.

REM] Pompilli dicuntur quidam thynni, qui nauibus plenis velis euntibus à gubernaculis nusquam discedunt. Pompillus nomen proprium est hoc loco, qui carmen quidem scribebat: sed tamen sine vlla venustate aut lepore: cum esset ingeniosus multi putabant fore immortalem: Poëta hoc negat, quoniam non solum ingenium perpetuitatem donat, sed quidam lepos & gratia, quæ aberat à carmine Pompilli.

REM *fa.*] Verbum à Mart. alibi etiam vsurpatum, nam dicitur eum habere rem factam, qui vsque eo in negocio suo est progressus, vt putet se consecuturum reliquum sine controuersia: suprà,

Et factam tibi rem statim putasti.

Hi duo versus dicuntur ex sententia vulgi.

VSIPIORVM] Ptolemæus Vsipum deprauata dictione pro Vsipiorum ponit ad Istrum. Accolæ autem Istri fuerunt hostes, de quibus scrib. Tacitus, Domi. Daci, Catti, Sarmatæ: posuit Vsipios hoc loco, qui inter eos hostes sunt.

LEVE] Inconstans, quia sæpe defecerat.

FLAVORVM] A crinibus.

SIC *val.*] Vt Pompillus legetur.

FAMÆ] Immortalitati.

TINEAS *pascunt*] Cùm objiciunt chartas non legendas.

BLATTASQVE] Nomen sumpsit à Græco verbo, quod est noceo.

COCI *so.*] Cùm redimunt piper.

CHARTIS] Libris.

GENIVM] Leporem, & gratiam natiuam. Genius item rerum gerendarum Deus, vt scrib. Pompeius.

In inuidum. LXI.

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos:
Meq; sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidã, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

DOMITIVS.

LAVDAT] Oderat inuidos poëta, quòd supra indicauit in Zoilum,

Pendentem volo Zoilum videre. Et alibi,
Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.

Et nunc ait sibi placere carmina sua, nullà alia re magis, quàm quòd eorum inuidia quidam cruciatur.

MEA *Roma*] Mihi amica & beneuola.

RVBET] Hi sunt affectus inuidentis.

OSCITAT] Ore hiscit.

HOC *volo*] Hoc præmium.

NOSTRA *placent*] Vt hic rumpatur inuidia.

Ad Apianum. LXII.

Amisit pater vnicum Silanus.
Cessas mittere munera Apiane?
Heu crudele nefas, malaque Parca,
Cuius vulturis hoc erit cadauer?

DOMITIVS.

AMISIT] Appianus erat captator apud Græcos, poëta est, qui de piscibus carmen elegantissimè scripsit, quem imitatus est Ouid. apud Latinos operis eodem argumento, vt apud Plin. legimus.

SILANVS] Factus est orbus amisso vnico filio, quem habebat. inquit poëta, argutè filium mortuum non esse cadauer, sed patrem, quia multi captatores ad ipsum tanquam aues aduolabant.

SILANVS] Ditissimus.

VNICVM] i. filium quem habebat qui mortuus est.

VVLTVRIS] Vultur cadauera sectatur præter cæteras aues, vt illud Enni.

Vulturis in syluis miserum mandebat homonem.

CVIVS *vul.*] Cuius captatoris, nam captatores perinde ac vultures sunt aduolantes ad cadauer.

GEORGIVS.

AMISIT *pater vnicum Appianus*] Nescio elleboro magis, an fustibus tam insano expositori opus sit, nam si vel meracas anticyras biberet, vix caput illud insanabile sanari posset: ergo verberibus cædatur, vt aliquando ad sanitatem reducatur. numquid maximum non est, & quod sanari non possit, nisi verbere aut vinculis, insaniæ genus scribere. Ouid. nostrum imitatum fuisse Oppi. qui ad Ant. Pium τὰ ἁλιευτικά,

ſcripſit, cùm Ouidius ducentos fere annos Oppianum anteceſſerit. Ergo vt ignauia, atque ſtultitia hominis coargui poſſit, primos Oppiani verſus apponemus, Ἔθνεά τοι πόντοιο, πολυσπερέας τε φάλαγγας

Παντοίων νεπόδων, πλωτὸν γένος Ἀμφιτρίτης,

Ἐξερέω, γαίης ὕπατον κράτος, Ἀντωνῖνε.

CVIVS *vulturis erit hoc cadauer*] Hoc in loco commemorandum erat illud prouerbium Senecæ de captatoribus ad hanc ferè ſententiam, Si vultur es, cadauer expecta. Errat hic idem de ſegmentis, in quam ſententiam plura non dico, quoniam alibi de hac dictione copioſè diſſeruimus, epigramma in Afrum habetur, in quo hæc legimus.

Non aliter ridetur Atlas cum compare gibbo.

Ad Marianum. LXIII.

Scis te captari: ſcis hũc, qui captat, auarum:
Et ſcis qui captat, quid, Mariane, velit:
Tu tamen hunc tabulis heredem, ſtulte, ſupremis,
Scribis, & eſſe tuo vis, furioſe, loco.
Munera magna quidem miſit, ſed miſit in hamo.
Et piſcatorem piſcis amare poteſt?
v. tua. *Hiccine deflebit vero [a] mea fata dolore?*
Si cupis, vt ploret; des, Mariane, nihil.

DOMITIVS.

SCIS *te ca.*] Marianus captatorem ſcripſerat hæredem. hunc ingenioſe carpit poëta: captabantur, qui blanditijs, & muneribus alliciebantur, vt illud maius darent. Tu ſcis quid velit captator, nam cupit te citò mori.

SVPREMIS *ta.*] Teſtamento.

ESSE *tuo lo.*] i. ſuccedere tibi.

ET *pi. Piſcis amare poteſt*] Quaſi dicat, qui decipitur non debet amare authorem fraudis.

TVA *fa.*] Tuam mortem.

DES *ni.*] Vt illud.

Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris.

Iraſcuntur apud Iuuenal. qui non ſunt ſcripti bonis conſumptis.

Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

In detractorem. LXIV.

Cùm ſis nec rigida Fabiorum gente creatus,
Nec qualem Curio, dũ prandia portat aratri,
Hirſuta peperit rubicunda ſub ilice coniux:
Sed patris ad ſpeculum tõſi, matriſq; togatæ,
a v. ſpõſam. *Filius, & a ſponſam poſſit te ſponſa vocare:*
Emendare meos, quos nouit fama, libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas:
Has, inquam, nugas, quibus aurem aduertere totam,
Non aſpernantur proceres vrbiſq; foriq́ue,
Quas & perpetui dignantur ſcrinia Sili,
Et repetit toties facundo Regulus ore,
A *Quiq; videt propius magni certamina Circi,*
Laudat Auentinæ vicinus Sura Dianæ:
Ipſe etiam tanto dominus ſub põdere rerum,
Non dedignatur bis, terq; reuoluere Cæſar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor limãte Minerua
Acrius, & tenues b fixerunt pectus Athenæ, b v. finxerunt.
Ne valeam, ſi non multo ſapit altius c iſtud: c Ita etiam Turn. l. 25. c. 27.
d *Quid cum panticibus laxis, & cum pede grandi,* d v. illud. Quod, Turnebi lib. 25. c. 27.
Et rubro pulmone vetus, naſiſque timendum,
Omnia crudelis Lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullus nouerit, in me
B *Scribere verſiculos, miſeras & perdere chartas,*
At ſi quid noſtræ tibi bilis inuſſerit ardor,
Viuet, & hærebit, totoque legetur in orbe.
Stigmata nec vafra delebit e Cinnamus arte, e Cinnami tonſoris meminit infra l. 7. & Iuuenalis.
Sed miſerere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem naſum viui tentaueris vrſi.
Sit placidus licet, & lambat digitoſque manuſque,
Si dolor, & bilis, ſi iuſta coegerit ira,
Vrſus erit: vacua dentes in pelle f fatiges, f v. fatiges.
C *Et tacitus quæras, quã poſſis rodere carnem.*

DOMITIVS.

CVM *ſis*] In puerum mollem, qui ſcripſerat epigramma in Mart. hunc hexametris inſectatur.

PERMITTIS *tibi*] Tanta vteris licentia animi, vt committas emendare meos libellos.

QVOS *fama nouit*] Qui ab omnibus probati ſunt.

NVGAS] Carmina mea.

FELICES] Quæ leguntur, & laudem habent.

CVRIO] Dentato mario, qui ex aratro fuit creatus conſul, ſed ſis filius patris.

TONSI *ad ſpeculum*] i. cinædi: nam ad ſpeculum cinædi tondebantur, vt Iuuen.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis.

MATRIS *togatæ*] i. mœchæ famoſæ: nam mœchæ
D deprehenſæ cogebantur toga indutæ procedere in publicum.

ET *ſponſam*] Vt ſupra: nam cinædi ſunt ſponſæ virorum.

TOTAM *aurem*] i. diligenter audire.

SILI *perpetui*] Immortalem famam conſecuti.

DIGNANTVR] Accipiunt. Silius declamauit in foro ad mediam ætatem.

SVRA] Ad Suram ſcrib. Plin. hic doctiſſimus fuit, dictus Palphurius Sura, & coronatus eſt in certamine oratorum: coronati autem honeſtò loco in ludis ſedebant. cum autem hoc certamine, quo fuerat victor in circo eſſet poeta, ait Suram habere honeſtum illic locum, vnde ſpectet certamina: placet ſuperior ſenſus: potes intelligere ex Auentino monte eum ſpectaſſe certamina, nam illic habitabat.

PANTICIBVS] Pantices inteſtinorum partes ſunt, & quidem ſordidæ. Feſtus ita ſcrib. Pantices ſunt ventris fluxus.

DIANAE *Au.*] Diana in Auentino colebatur: cuius postibus cornua boum affigebantur, cùm alijs eius templis tantùm ceruorum penderent.

MAGNI *Cir.*] In quo coronam assecutus erat.

TANTO *pondere rerum*] i. in tantis negocijs.

SED *tibi plus mentis*] Quàm alij, ironia est.

PECTVS *fixe.*] Vulnerauerunt doctrina.

ISTVD] Tria carmina quæ sequuntur.

QVID *cum panti.*] Scripta fuerunt ab hoc puero, quæ inserit Mar. & deridet, vt Persi. Neronis carmen.

Torua Mimallonets implerunt cornua bombis.

Et Ho. carmen Furij Bibaculi.

Furius hybernas cana niue, conspuit Alpes.

Et alibi mali scriptoris,

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

MVLTO *alti.*] Multo eruditus est.

AVDES *pra.*] Cùm tale carmen scribas.

INVSSERIT] Vrendo signauerit.

STIGMATA] Signa & notæ, quas habuerit carmen meum.

B CINNAMVS] Qui scit expolire cutem; placet magis vt accipias pro fullone.

VAFRA *ar.*] Fullonaria.

ERIT *versu*] Veniet ad feritatem.

FATIGES *dent.*] Translationem à cane sumpsit.

Ad Tuccam. LXV.

Hexametris epigramma facis, scio dicere Tuccam,
Tucca solet fieri: denique Tucca licet.
Sed tamen hoc longum est, solet hoc quoque Tucca licere,
C *Si breuiora probas, disticha sola legas.*
Conueniat nobis, vt fas, epigrammata longa
Sit transire tibi: scribere Tucca mihi.

DOMITIVS.

HEXAMETRIS] Tucca reprehenderat superius epigramma, quod & longum esset, & hexametris compositum. Alterum scilicet vt constet hexametris, poëta ait sibi licere, & hoc solere fieri, in alterum, scil. quod sit longum pascitur cum Tucca, vt sola disticha legat: epigrammata autem longa tàm liceat Tuccæ transire, quàm sibi scribere.

TVCCA] Nomen conuenit consori: nam & Octauius in emendando carmine Virgiliano, Tucca vsus dicitur, authore Eusebio.

D SOLET *fieri*] Vt epigrammata sint hexametris.

CONVENIAT *nobis*] Hoc est, hoc pactum sit inter nos.

De præcone puellam vẽdente. LXVI.

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modò præco Gellianus.
Paruo cum pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis:
Attraxit propè se manu negantem.
Et bis, terque, quaterque basiauit.
A *Quid profecerit osculo, requiris?*
Sexcentos modò qui dabat, negauit.

DOMITIVS.

FAMÆ] Præconis Gelliani imprudentiam accusat. qui puellam vendens, vt eius pudicitiam & blanditias ostentaret, ita institutam vt negaret, faceretque vendibiliorem, ter osculatus est. At qui paulo ante promiserat sexcenta, noluit dare: vult enim innuere Gellianum fuisse fœtido anhelitu, vel cunnilingum, vel fellatorem: nam in eius generis homines hoc ioci genere semper vtitur, vt in escam, in quam Sabidius sufflauerat fellator:

Sed nemo potuit tangere, merda fuit.

Et in Postumum sæpè.

SVBVRRA] In suburra erant impudicæ mulieres, quod supra indicauit:

Tonstrix suburræ faucibus sedet primis.

LICERE] Dicuntur res venales, quando certatim præmia offeruntur, dum venduntur sub hasta, & licitatores dicuntur, qui eandem rem affectantes pollicentur precium.

PVRAM] Quia negabat negantem. Ita enim docuerat.

PROFECERIT] i. sit assecutus.

NEGAVIT] Noluit dare offensus osculo Gelliani: nam erat fœtido anhelitu ob fellationem.

Ad Pannicum. LXVII.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris,
Pannice? vult futui, Gellia non parere.* *r. non

DOMITIVS.

CVR *tantùm*] Eunuchi spadones dicti sunt, authore Donato, à Græco σπάω: quod significat extraho. Adhibebantur custodiendis lectis matronarum, nam in eum vsum emebantur: imprudenter factum ostendit poëta, & accommodatum esse consilio mulierum volentium futui, nec parere, vt nunc in Gelliam iocatur. nam Eunuchi procreare non possunt, etsi rem habent. Tanta erat mulierum libido: vt spadones quoque adulteros haberent, quod epigr. 2. lib. 6. conqueritur:

At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

De morte Eutychi pueri. LXVIII.

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino
Naiades, & luctus sentiat ipsa Thetis.
Inter Baianas raptus puer occidit vndas
Eutychus: ille tuum, Castrice, dulce latus.
Hic tibi curarum socius, blãdumq; leuamen;
Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.
Numquid te vitreis nudũ lasciua sub vndis
Vidit, & Alcidæ nympha remisit Hylã?
An dea fœmineum iam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri solicitata viri?

Quidquid id est, subitæ quæcunque est caussa rapinæ,
Sit precor & tellus mitis, & vnda tibi.

DOMITIVS.

FLETE nefas] Castricus puerum amiserat Bais, vbi erat: vt suprà:
Dum tibi fœlices indulgent Castrice Baiæ.
Huius poëta mortem deflet.
NAIADES] Nymphæ aquarum.
LVCRINO] Lucrinus iuxta Baias.
THETIS] Mare.
EVTYCHVS] Nomen est pueri: alibi nomen asinarij qui primo mane occurrit Augusto, vnde bonum accepit omen: nam Eutychus significat fortunatum: author Tranq in 8. c.96.
DVLCE *latus tuum*] i. qui lateri semper hærebat.
ALEXIS] Alter Alexis, vt Virg.
HYLAM] Hylas raptus est in Bithinia secutus ceruam immissam à Iunone, vt Theocritus scrib. ab omnibus nymphis, vt Osanus in primo Amazonicorum, à nulla nympha raptus, sed submersus est: vt Apollonius canit ab vna nympha, eius nomine lacus est, quem lustrantes quotannis Bithyni Hylam vocant.
HERMAPHRODITVM] Hermaphroditus Veneris & Mercurij filius. quem Salmacis nympha dilexit: is vtrúmque habebat sexum: vnde eius generis homines Hermaphroditi dicti sunt, & alio verbo androgyni, qui olim in portentis habebantur, posteà in delicias recepti: vt Plin.
SOLLICIT.] Allecta.
VIRI] Eutychi.

De Bassa. LXIX.

Non miror, quòd potat aquam tua Bassa, Catulle:
Miror, quòd Bassi filia potat aquam.

DOMITIVS.

NON *miror*] Bassa Basli filia aquam potabat, cùm pater fuisset ebrius. hoc miratur Mart. nam & cùm Diogenes ebrium in foro vidisset: Illius, inquit, pater ebrius fuit. simul inquit eam fuisse fellatricem: ita dixit alibi in Lesbiam:
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

Ad Martianum. LXX.

Sexagesima, Martiane, messis
Acta est, & puto iam secunda Cottæ.
Nec se tædia lectuli calentis
Expertum meminit die vel vno.
Ostendit digitum, sed impudicum,
Alconti, Dasióque, Symmachóque.
At nostri bene computentur anni,
Et quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor grauis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur: A
Infantes sumus, & senes videmur.
Aetatem Priamique, Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane,
Multum decipiturque, falliturque.
Non est viuere, sed valere; vita.

DOMITIVS.

SEXAGESIMA] Cottæ vitam iucundissimam admiratur. quòd cùm lxij. annum expleuerit, nunquam ægrotauerit, & hanc fuisse veram vitam scrib. non enim multi anni ostendunt aliquem diu vixisse, sed vitæ iucunditas & carentia morborum.
MESSIS *acta*] i. annus absolutus.
CALENTIS *lectuli*] In febre.
B ALCON] Alcontius alio verbo dictus est. Horat. Alcontem dixit: *Alcon maris expers* pro seruo. Horatij verbum cum Mart. conuenit: Plin. non conuenit: qui scrib. Alcontium vulnerum medicum à Claudio C. sestertijs condemnatum, exulem missum in Galliam, deinde restitutum.
DASIO] Nomen medici hoc loco. Dasij etiam cuiusdam meminit Liu. in secundo bello Punico.
SYMMACHO] Medicus: de quo suprà cùm venit ad Mart. ægrotantem, comitatus centum discipulis.
DIGITVM *impudicum*] Deridet & contemnit. nam ostendere medium digitum, qui infamis dicitur, opprobrium erat.
COMPVTENTVR] Numerentur.
SVMVS *infantes*] i. parum viximus, ac si essemus infantes, quia febres & dolores occuparunt vitæ tempus.
C VITA *non est viuere*] Hoc est, non est consumere annos.
VALERE] Esse sanus, & in voluptate agere.

De a Thelesina. LXXI.

a v. Telethusa.

Edere lasciuos ad Bætica b crusmata gestus, b κρούσματα, κρήματα.
Et Gaditanis ludere docta modis.
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque maritum
Posset ad Hectoreos c solicitare rogos. c v. Solicitata.
Vrit, & excruciat dominum d Thelesina priorem, d v. Telethusa.
Vendidit ancillã, nunc e redimit dominã. e v. redimit D

DOMITIVS.

EDERE] Eum deridet, qui Thelesinam ancillam olim vendiderat: sed eius postea amore captus eam redemit. pulchre, inquit, factum: nam quæ paulo ante vendita fuerat tanquam ancilla, nunc redimitur pro domina: placet potius vt intelligas eam non fuisse iterum emptam: sed magno interdum precio conduci à domino priore.
CRVSMATA] Ad sonitus Bæticos. Crusmata dicuntur sonitus cymbalorum & instrumentorum, quę digitis pulsantur: nam κρούω, est verbero, & pulso: vnde crusmata.
MODIS *Gaditanis*] Nam puellæ Gaditanæ peculiarem saltationem habebant.

PELIAN] Frater Nerei fuit, Neptuni & Tyrus filius, ex eadem matre, ex Creta nati sunt Amithaon, Pharetus, Æson, Pelias pater Iasonis, qui ad decrepitam ætatem vixit, de quo intelligit.

AD *rogos Hectoreos*] i. in medio mœrore.

REDIMIT *dominam*] Precio impetrat tanquam à domina. Redemptores dicuntur qui suscipiunt opera conficienda. Redimere item est assequi precio, vt hic.

De Cilice fure. LXXII.

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum:
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum,
Dum non vult vacua manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

De Priapo. LXXIII.

Non rudis indocta fecit me falce colonus:
Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Caretani cultor notißimus agri
Hos " *Hilarus colles, & iuga læta tenet.* v. hilares.
Adspice, quàm certo videar non ligneus ore,
Nec deuota focis inguinis arma geram:
Sed mihi perpetua numquam moritura cupresso
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum,
Et bis septenis parcite iugeribus.

DOMITIVS.

NON] Custos hortorum alloquitur ex agro hilari Cæretani dispensatoris: cùm tantùm dispensatorem dicat, ego Publium intelligo, & Pallatinum. Cære olim Agillam dixerunt. Sunt qui dispensatorem accipiant pro artifice, qui custodem effinxit: quod placet.

PARCITE *iug.*] Nolite aliquid furari.

Ad Esculanum. LXXIV.

"Turneb. lib. 5. c. 17. * v. trisilem, fortè triplilem à tribus pilis. Vide Turneb lib. 25. c. 17.

" *Medio recumbit imus ille qui lecto*
Caluã * *Triphilem segmentatus vnguento,*
Foditque tonsis ora laxa lentiscis:
Mentitur, Esculane: non habet dentes.

DOMITIVS.

MEDIO] Senem deridet, qui non secus vngebat crines, & reliquum corpus colebat. quàm si iuuenis esset: & vt iuuenile os indicaret, cùm nullos haberet dentes, dentiscalpio vtebatur: ridens hoc significat Esculano, ne videns dentiscalpium, deceptus putet cum dentes habere.

A

IMVS] In imo loco.

SEGMENTA] Dicuntur quisquiliæ rerum sectarum. Segmenta item dicebantur colli ornamenta, quæ Senatus Rom. aurea permisit mulieribus in gratiam Volumniæ, quæ Coriolanum repressit imminentem patriæ. Segmenta præterea fasciolæ. Iuuen. satyr. 2. *Segmenta & longos habitus.*
Nonnulli codices habent *semitatus*, id est, distinctus & expolitus: vt Catullus ad contubernalem 35.
Omnes pusilli & semitarij mœchi.
At segmentati fasciolis obuoluti dicuntur, & per translationem segmentati, vnguento obliti dicuntur.

CALVAM *triphilem*] i. trium capillorum.

FODIT] Scalpit.

LENTISCIS] Lentiscus erat arbor, ex qua fiebant dentiscalpia.

TONSIS] Politis.

B

In Pontiam. LXXV.

Cùm mittis turdumque mihi, quadramve placentæ,
Siue femur leporis, siue quid his simile:
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego " *nec mittã, Pontia, sed nec edam.* v. non

DOMITIVS.

CVM *mittis*] Ad Pontiam veneficam, cuius meminit Iuuenal.
Tu ne duos vna sanißima vipera coma.

PONTIA] Hæc mittebat Mart. sæpenumerò munera esculenta. i. apta e'ui, dicebatque se mittere suas buccellas: at poëta, inquit. has ego non mittam

C

amicis, nec edam: quia puto inesse venenum.

BVCCELLAS] Buccella genus cibi conditi est: sed mihi August. videtur accepisse buccellas pro exiguo frusto panis. his verbis: In balneo demum post horam primam noctis duas buccellas manducaui: & alibi poëta primitiuum protulit:
Horret can nas canis improbi buccas.
Vt exponas tuas buccellas, id est, quas tibi parareas.

NEC *mittam*] Amicis.

NEC *edam*] Quasi dicat, ego puto inesse venenum, quod nec mihi volo sumere, nec tradere amicis.

Epitaphium " Fusci. LXXVI.

D

"Cornelius Fuscus cohortiũ prætoriarum præfectus, iug[...] te, citatus natalibus Corn. Tacito teste.

Ille sacri lateris custos, Martisque togati,
Credita cui summi castra fuêre ducis:
Hic situs est Fuscus, licet hoc fortuna fateri,
Non timet hostiles iam lapis iste minas.
Grande iugũ domita Dacus ceruice recepit,
Et famulũ victrix poßidet vmbra nemus.

DOMITIVS.

ILLE *sacri*] Dom. duas expeditiones suscepit in Dacos populos Germaniæ: in priore Appius Sabinus consularis oppressus est, alteram commisit Cornelio Fusco, qui erat præfectus cohortium prætorij,

data ei belli summa: hic mortuus est eo in bello. Inde inquit Iuuenal. Fuscum præbuisse viscera lanianda vulturibus Dacis. poëta epitaphium ei componit.

ILLE *custos.*] Ille præfectus prætorij, & qui custodiebat latus Domit.

MARTIS *to.*] i. cohortium prætorij: nam cohortes prætorianæ non versantur in castris, sed in vrbe.

CASTRA *sum. du.*] Domitiani.

CREDITA.] Commissa.

LICET *fort. fat.*] O fortuna, quæ inuidisti Fusco, potes hoc fateri, quamuis mortuus sit, vicit tamen, quia domuit Dacos.

DACVS.] Populus Germaniæ.

NEMVS *famulum.*] Domitum & redactum in deditionem.

In Afrum. LXXVII.

Cùm sis tã pauper, quàm nec miserabilis Irus,
Tam iuuenis, quàm nec Parthenopæus erat;
Tam fortis, quàm nec, cùm vinceret, Artemidorus;
Quid te Cappadocum sex onus esse iuuat?
Rideris, multóque magis traduceris, Afer,
Quàm nudus medio si spatiere foro.
Al. gibbo. *Non aliter monstratur Atlas cum compare mulo,*
Quæque vehit similem bellua nigra Libyn.
Inuidiosa tibi quàm sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

DOMITIVS.

CVM *sis.*] Afrum carpit, qui pauper, iuuenis, fortis, à sex seruis gestabatur: cùm tantum diuitijs sit senilis, & imbecillis: hoc multò maiorem ait risum commouere, quàm si nudus incederet per medium forum.

ESSE *onus.*] Portari humeris.

CAPPADOCVM.] Finitima Armeniæ Cappadocia, vnde serui mittebantur, vt è Syria.

IRVS.] Pauperrimus fuit.

PARTHENOPEVS.] Vnus ex vij. ducibus, qui ad Thebas fuerunt profecti: iunior & omnium pulcherrimus: longum de hoc extat Papin. carmen in Thebaïde, v. 251.

Pulchrior haud vlli triste ad discrimen ituro
Vultus:

ARTHEMIDORVS.] Pugil.

CVM *vinceret.*] Ætate florente.

TRADVCERIS.] Subsanaris.

ATLAS.] Sensus poëtæ est, tanta admiratione, & risu spectari Afrum: quanta spectantur res nouæ in ludis: vt Atlas, qui cœlum dicitur sustinere, si gibbo corpore & curuo fuerit repræsentatus, vt si Elephas per stadium incederet insidente mauro. Hanc nouitatem spectaculi quæsiuit Nero: in cuius ludis notissimus eques Rom. insidens Elephanto per media castra domum cucurrit, & aptè spectacula ab Atlante & elephanto sumpsit, cùm in Afrum scribat, & ex Africa elephantes mauri sint.

COMPARI *gibbo*] i. cum pari gibbi magnitudi-

A nie: alibi legitur *cùm corpore gibbo.*

NIGRA *bel.*] i. elephas. An alludit ad ludos Neronis, in quibus fuerunt camelorum quadrigæ, & notissimus eques Rom. vt proposui elephanto est vectus, vt per gibbos, camelos intelligat, qui gibbum habent dorsum, & quod sequitur de equite Rom. non aliter Atlas magnus ridetur cum gibbo camelo comparare idoneo ad eum gestandum.

HEXAPHORO.] Hexaphorum non nisi ditissimorũ erat lectica, & à sex seruis gestata: de hac Iuu.

Et sexta ceruice feratur.

SANDAPILA.] Feretrum erat populare. Pauperes nunquam gestabantur, nisi mortui: sensus est. Non debes gestari, nisi mortuus fueris. At si fueris mortuus, debes gestari sandapila, non hexaphoro. An placet vt mortuum accipiat pro paupere & ignauo.

MORTVVS.] Pauper, & ignauus non debes gestari hexaphoro. i. lectica ditissimorum hominum:
B alibi de lectica ignaui: *Cùm tua sit Sandapila est.*

GEORGIVS.

ATLAS *cum comp. gi.*] Non modo odiosa sunt tanta interpretis verba, sed & falsa, & inuoluta est sententia, nec minùs expositor, quàm poëta difficilis & obscurus habetur: sed interpretis verba. Sibyllæ interpretanda relinquamus: quod autem ad poëtæ sensum pertinet, & apud idoneos scriptores legi, iam proferam. Victruuius scrib. Atlantes Græcè eos appellari, quos Latini telamones appellant, nec rationes inuenit huius appellationis apud Latinos. Sunt enim Atlantes, imagines hominum sustinentium columnas ædium, aut ipsa ædificia, ad similitudinem videlicet Atlantis, qui cœlum fingitur sustinere: ij plerúmque gibbosi fiunt, aut gibbosos imitantur, dum onera sustinent, & compares sunt, in-
C terim auersi, interdum se inuicem spectant: hoc prætereuntes monstrare solent risus gratia: ad quam ædificantium consuetudinem, & risum poëta respiciens dixit:

Non aliter ridetur Atlas cum compare gibbo.

De nigra autem bellua, hoc dixerim, elephantem hîc significari, quem vt Senec. ad Lucil. scrib. paruulus Æthiops plerúmque in genua subsidere faciebat, & quia Æthiops est Libys: ideo cum nigræ belluæ similem, hoc est elephanto, dixit,

Ad Aulum de lusco. LXXVIII.

Potor nobilis, Aule, lumine vno
Luscus Phryx erat, alteróque lippus:
Huic dicit medicus, bibas caueto
D *Vinum: si biberis, nihil videbis.*
Ridens Phryx oculo, valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros iubet: exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

DOMITIVS.

POTOR.] Claruerunt potu nonnulli: Torquatus Mediol. qui tres vini congios vno spiritu potare dicebatur: Plin. authore.

LIPPVS.] Cui oculi stillabant.

VALEBIS.] Peribis.

OCVLVS *bibit venenum.*] Quia perijt.

Ad Lupum. LXXIX.

Tristis es, & felix: sciat hoc fortuna, caueto:
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

DOMITIVS.

TRISTIS.] In Lupum, qui arrogantiam sibi palam deberi arbitrabatur, quã haberet; monet Mart. eum esse fortunatum, & fortunam accusaturam ipsum ingratitudinis, si senserit eum tristem: & hoc pacto auaritiam hominis, & nimia, atque immodica appetentem animum accusat.

TRISTIS.] Mœstus.

SCIERIT.] Te esse tristem.

De rosis ad Cæsarem missis. LXXX.

Vt noua dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas:
Nauita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis vt intrauit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, & odoræ gratia Floræ,
Tantáque Pæstani gloria ruris erat.
Sic quacunque vagus, gressúmque oculósque ferebat,
Textilibus sertis omne rubebat iter.
At tu Romanæ iussus iam cedere brumæ,
Mitte tuas messes, accipe, Nile, rosas.

Idem Græcè.

Αἴγυπτος φιλότιμος ἀπέστειλ' ὡς νέα, Καῖσαρ,
Δῶρα χαριζομένη, σοὶ ῥόδα χειμερινά.
Μεμφίτης Φαρίους ναύτης ἐχλεύασε κήπους,
Οὐδὸν ἐπεμβαίνων ὑμετέρης πόλιος.
Τόσσον ἄρ' ἦρος ἄγαλμα, τόση χάρις ἔπλε' ὀδωδῆς·
Τόσσον Παιστανῶν ἦν ἀγλάϊσμα πέδων.
Ὅππη γὰρ μετένεισ' ἤ μιν πόδας, ἠὲ καὶ ὄψας,
Πᾶς στεφάνοισιν ἔην χῶρος ἐρευθιόων.
Ἀλλὰ σὺ χειμερινῇ Ῥώμης νικώμενος ὥρῃ,
D Νεῖλε, θερισμὸν ἑὸν δός· ῥόδα δ' ἀντίλαβε.

DOMITIVS.

VT *noua.*] Rosæ olim mittebantur ex Ægypto hyemali tempore: in gratiam autem Domit. iam erat excogitatum, vt in vrbe quoque hyeme prouirerent. Virebant etiam perpetua hyeme in Hispania ad Carthag. nouam: ex Italicis Milesiæ palmam ferebant serò prouenientes. antequam veræ rosæ seruarentur, ex ramentis & segmentis cornuum tinctis coronæ conferebantur, imitantes veros flores, & hæ appellabantur hibernæ. nunc poëta ab Ægypto ait desiderari in vrbem frumentum, non rosas, quæ iam poterant mitti illuc ex vrbe.

MEMPHITICVS.] Ægyptius visus est deridere.

A HORTOS *Pharios.*] Ægyptios.

AMBITIOSA.] Quærens laudem nouitate florum.

NOVA *dona*] i. inusitata: nam nouæ rosæ hyeme erant noua dona.

FLORÆ.] Deæ florum.

PÆSTANI *ruris*] i. rosacei.

OMNE *iter*] i. omnis pars vrbis.

IVSSVS *iam cedere*] i. qui cogeris cedere.

BRVMÆ *Romanæ*] i. rosis Romanis, quæ hyeme sunt & proueniunt.

In Charidemum. LXXXI.

Iratus tamquam populo, Charideme, lauaris:
Inguina sic toto subluis in solio.
B *Nec caput hic vellem, sic te, Charideme, lauare:*
Et caput ecce lauas: inguina malo laues.

DOMITIVS.

IRATVS.] De solio satis supra hoc ligneo vsus est August. quo pedes, & brachia iactabat: idque appellauit Duretam verbo Hispanico. Charidemus erat fellator, & cum inguina in solio lauaret, ita aquas iactabat, vt videretur velle eas pollutas esse, & immundas iis, qui postea se lauarent eodem loco. Ego, inquit poeta, nollem Charidemum sic lauare caput, vt lauat inguina: at si lauat caput fœdius est ob fellationem.

SIC.] Tanto impetu.

SVBLVIS.] Iactas lauando in solio vase, quòd e-
C rat in balneis.

MALO *la. inguina.*] Quia puriora sunt ore tuo. Vrbanè fellatorem indicat.

Ad Rufum. LXXXII.

Quidam me modò, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor, aut lanista
Cum vultu, digitóque subnotasset,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cuius nequitias, iocósque nouit
Aurem qui modò non habet seueram?
Subrisi modicè: leuique nutu
Me, quem dixerat, esse non negaui.
D *Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?*
Respondi: quia sum malus poëta.
Hoc ne sæpius accidat poëtæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

DOMITIVS.

QVIDAM.] Iocatur cum Rufo, cuius fata paulò post deflebit: ait se interrogatum esse à quodam, an esset Mart. Poëta. & cùm annuisset, miratum cur habuisset tam malas lacernas, respondit, quia erat malus poëta. At ne cogar, inquit, hoc sæpius fateri, mitte ò Rufe bonas lacernas.

LANISTA.] Lanistæ erant, qui habebant familias gladiatorum. Mangones, qui habebant seruos venales.

EMPTOR.] Mango.

INSPECTVM *me velut emptor.*] Tanquam vellet emere seruum.

AVT *lanista.*] Qui vellet emere gladiatorem.

BATAVAM *au.*] Batau insulam tenent in Rheno: hos domuit Dom. prima ætate: cùm poëta barbarum vellet nominare, Batauum dixit, qui & barbarus erat, & hostis fuerat Domit.

AVREM *ba.*] i. barbaram, & hostilem: alibi legitur, Aurem seueram.

INSPECTVM *dili.*] Inspiciebantur autem diligenter, cùm emerentur serui. Inde illud legimus, Augustum misisse amicos per vrbem qui matresfam. & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Toranio mangone vendente.

NE *hoc accidat.*] Ne cogar dici malus poëta, mitte bonas lacernas.

Ad Cæs. Domitianum. LXXXIII.

Quantum sollicito fortuna parentis Etrusco,
Tantum, summe ducum, debet vterq; tibi.
Nam tu missa tua reuocasti fulmina dextra,
Hos cuperem mores ignibus esse Iouis.
Si tua sit summo, Cæsar, natura tonanti,
Vtetur toto fulmine rara manus.
Muneris hoc vtrumque tui testatur Etruscus,
Esse, quod & comiti contigit, & reduci.

DOMITIVS.

QVANTVM.] Duos Clau. hetruscos patrem, & filium temporibus Domi. fuisse & Pap. & Mart. testantur. Pater leui suspitione ab Imperatore in exilium est missus, quem filius est comitatus: nunc restitutus est, laudatúrque carmine hoc Imperatoris clementia.

PARENTIS *he.*] Patris.

HETRVSCO.] Filio sollicito de exilio, quoniam patrem comitatus est, & prosecutus singulari pietate.

FVLMINA *mis.*] i. exilium. i. reuocasti ab exilio Hetruscum patrem.

HOS *mores.*] Talem clementiam.

IGNIBVS *Io.*] i. fulminibus.

HETRVSCVS.] Filius, qui fuerat prosecutus patrem in exilium.

ESSE.] Hoc vtrúmque tui muneris contigit filio esse comiti, & patri esse reduci. nec prohibuisti filium esse comitem, vt tuo munere pius fuisse videatur: & reduxisti ab exilio patrem auditis precibus filij, vt hoc ipsum etiam abs te acceperit. meminit Pap. in syluis.

De Philippo. LXXXIV.

Octaphoro sanus portatur, Auite, Philippus,
Hunc tu si sanum credis, Auite, furis.

DOMITIVS.

OCTAPHORO *sa.* [illegible] prudentem significat, A & mentis constitutæ, & sanus significat bene valentem. Philippus gestabatur Octaphoro, cùm sanus esset. Poëta sanum esse negat, hoc est prudentem, nam ancipiti verbo iocatur.

OCTAPHORO.] Lectica gestata ab octo seruis.

SI *sanum credis.*] i. prudentem, & habere mentem constitutam: potiùs placet exponas, si credis sanum, quasi dicat, non est sanus, sed mortuus, ignauus, & pauper: quod supra dixit.

Non debes ferri mortuus.

Flet mortem Rufi. LXXXV.

Editus est Sextus sine te, mi Rufe, Camenis: Videtur significare virum & ędem Camœnarum.
Nec se lectorem sperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, & numine læuo v. lumine.
B *Visa tibi, cineres reddit, & ossa patri.* v. patris.
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo,
Et resonet tota planctus in Aemilia.
Heu qualis pietas, heu quã breuis occidit ætas,
Viderat Alphei præmia quinque modo. v. lustra seu Olympiades
Pectore tu memori nostros euoluere lusus,
Tu solitus nostros, Rufe, tenere iocos. v. totos.
Accipe cum fletu mæsti breue carmen amici,
Atque hæc absentis thura fuisse puta.

DOMITIVS.

C EDITVS *est.*] Rufus vix absoluto xxv. anno, in Cappadocia mortuus est: huius interitum deplorat poëta, cum ei esset amicissimus.

NEC *sperat Lectorem.*] Quia mortuus es.

TELLVS *Ca.*] i. Cappadocia.

TIBI.] A te.

ORBATA.] Priuata re carissima.

ÆMILIA.] Hanc Æmiliam strauit M. Scau.

TOTA.] Via vicina.

OCCIDIT.] Extincta est.

QVINQVE *præm. Alp. v.*] Lustrum. i. xxv. annum.

ALPHEVS *flu.*] Iuxta Pisam, & Elidem in Peloponneso, vbi ludi Olympici singulis lustris celebrabantur.

AMICI.] Absentis.

D THVRA.] Nam amicorum cineribus thura dabantur. Puta hæc carm. esse thura absentis amici, habe.

In bibentes aquam. LXXXVI.

Setinum, dominæque niues, densiq; trientes, Triens quatuor Cyathi.
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
Stultus, & ingratus, nec tãto munere dignus,
Qui mauult heres diuitis esse Midæ.
Possideat Libycas messes, Hermumque, Tagumque,
Et potet calidam qui mihi laudat aquam. v. liber. V. Turneb. li. 5. ca. 7.

DOMITIVS.

SETINVM.] Æstuabat siti poëta ægrotans. Nullas ergo diuitias optat potiùs quàm setinum & niues.

SETINVM.] Vinum optimum, & recentissimum erat ex Setia missum.

NIVES *domina.*] Appellat niues dominas ab effectu. rem enim optatam, blandioribus verbis nuncupamus.

BIBAM.] Bibebantur niues, quia his refrigerabatur decocta, & inde etiam vina expressa liquatáque bibebantur.

INGRATVS.] Ergà naturam.

MIDÆ.] Midas Rex Phrygum fuit ditissimus, filius Gordij. Gordius autem ab agricultura ad imperium est euectus. Ab eius nomine inter Phrygiam minorem & maiorem erat Gordiæ vrbs, in qua seruabatur plaustrum, quod olim Gordij fuerat. Illic gesta sunt quæ de nodo dissoluto ab Alex. scri. Curtius. Midas autem habuit aures asini, cùm electus iudex Marsiam Phœbo prætulisset. de eo scripsit Herodo. in pri. & Trogus in xj. Hermes in principio Mysiæ ex monte Dindymene sacro fluit suo alueo, accipit Hilum, & Pactolum flumina Lydiæ, quæ tandem in Phocaicum mare erumpunt, vt Strabo, & Herodot. vehit auri arenas, vt Pactolus, vnde Crœsi diuitiæ auctæ sunt. Silius,

Nec qui perfunditur auro:
Atque illatus Hermi flauescit arenis.

TAGVMQVE.] Tagus notissimus, Stra. & Pli. & nostrorum omnium authoritate, olim aureas arenas habebat in Hispania.

LIBAT] i. Leuiter gustat. & libare dicuntur qui alijs propinant: poëta optat totum Setinum, & omnes niues, & dicit se promissurum, vt qui eo propinat habeat ingentes diuitias, bibátque ille calidam, & totam frigidam relinquat Mart.

ET *potet cali.*] Hic sensus magis placet, vt detestetur ministrantem sibi ægrotanti aquam calidam, & dicat, is qui mihi libat ægrotanti aquam calidam, possideat messes Libycas & ingentes diuitias, & ipse istam aquam bibat, quasi dicat, ego volo carere potius ingentibus diuitiis, & potare frigidam.

LIBAT.] Propinat.

Ad Cæsarem. LXXXVII.

Di tibi dent, & tu Cæsar, quæcumque mereris:
Di mihi dent, & tu, quæ volo, si merui.

Idem Græcè.

Σοὶ μάκαρές τε θεοὶ δοῖεν, σύ τε, ἄξιος ὧν εἶ,
Δοῖεν μ' ἠδὲ θεοὶ, καὶ σὺ, αἴ ἄξιος ὦ.

DOMITIVS.

DII.] Tantam facultatem benefaciendi in Dom. esse ostendit, vt nihil aliundè debeat petere, quàm aut à se, aut à diis: se vero debere optare vt ab ipso, & Diis, & ita optat.

Ad Cæcilianum. LXXXVIII.

Mane salutaui vero te nomine casu,
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
A *Quanti libertas* * *constet mihi tanta, requiris?* * v. constat tibi.
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

DOMITIVS.

MANE.] Sportula centum quadrantum dabatur à diuitibus, his qui ipsos colebant. Mar. solitus colere Cæcilianum casu cum salutauit suo nomine, cùm ex more deberet dominum appellare: propterea eo verbo amisit sportulam.

LIBERTAS.] Quòd ausus sim appellare te vero nomine, & non dominum.

ABSTVLIT *centum quadrantes*] i. sportulam, quæ erat centum quadrantum.

De Panareto potore. LXXXIX.

B *Cùm peteret* * *seram media iam nocte matellam* * v. seruam
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data est, sed quam siccauerat ipse:
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus,
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe: merum biberat.

DOMITIVS.

CVM *pe.*] In Panaretum ebrium, qui superiore nocte lagenam amplius biberat, & cùm posceret paulò pòst matellam, data est ei testa spoletina, quam exhauserat, eam totam repleuit lotio, cùm plus bibisset, quare etiam plus non minxit? quia, scilicet,
C nihil indiderat aquæ, iccirco minus minxit: nam merum bibentibus, minus lotij fit.

MADIDVS.] Ebrius.

MATELLAM] i. scaphium.

ARGVTO *pol.*] i. digito resonanti. Crepitu enim digitorum poscebatur matella, suprà.

Digiti crepantis signa nouit Eunuchus,
Et delicatæ suscitator vrina.

Matella ita loquitur in dist.

Cum poscor crepitu digitorum, & verna moratur,
O quoties pellex culcitra facta mea est.

SPOLETINA.] Testa, anteponebatur Spoletinum musto Setino.

OENOPHORI.] Oenophorum vas vinarium.

LAGENAM *cæ*] i. capacem fuisse quantum bi-
D berat, nam supra dixerat plus bibisse.

De Gellia. XC.

Mœchum Gellia non habet, nisi vnum.
Turpe est hoc magis, vxor est duorum.

DOMITIVS.

MOECHVM.] Gellia cùm vnum tantùm haberet mœchum, dicebat se non esse nimiùm accusandam, quia vnum tantùm haberet: at Mar. inquit, hoc turpe est, sed turpius quòd est vxor duorum. nam lepidè describit mœcham. Mœcha, inquit, est complurium virorum vxor, & quæ vnum habet mœchum, vxor duorum est.

In Zoilum. XCI.

Sancta ducis summi prohibet cẽsura, vetatq;
Mœchari: gaude, Zoile, non futuis.

DOMITIVS.

SANCTA *ducis.*] In Zoilum fellatorem, in quem & supra dixit. Nec vindicare te Rufe possumus, fellat. Hunc ait non oportere grauiter ferre promulgatam legem aduersus adulteros, quoniam ipse non sectabatur mulieres, sed fellabat.

NON *fut.*] Sed fellas.

SVMMI *du.*] Dom. imperatoris.

In Amianum. XCII.

Cælatus tibi cùm sit, Amiane,
Serpens in patera Myronis arte,
Vaticana bibis, bibis venenum.

DOMITIVS.

COELATVS.] Amianus habebat pateram, in quam sculptoris arte erat effictus serpens, & ea bibebat vinum vaticanum, quod pessimum est: cùm inquit, serpens sit in patera, & illic vinum vaticanum, qui inde bibit, venenum bibit, alludens ad vinum pessimum, & serpentis effigiem bene expressam.

ARTE *My.*] Myron clаruit argento effingendo, & sculpto.

De Thaide. XCIII.

Tam malè Thais olet, quã non fullonis auari
Testa vetus, media sed modò fracta via.
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,
*4. Turn. l. 24. ca. 41. **Non detracta cani transtiberina cutis.*
Pullus abortiuo nec cùm putrescit in ouo,
fr. cado. *Amphora corrupto nec vitiata* garo.*
Virus vt hoc alio fallax permutet odore,
Deposita quoties balnea veste petit.
Psilotro nitet, aut acida latet oblita creta:
Aut tegitur pingui terque quaterque faba.
Cùm bene se tutam per fraudes mille putauit:
Omnia cum fecit, Thaida Thais olet.

DOMITIVS.

TAM *malè.*] Thaidem malè olentem, & conantem emendare fœtorem vnguentis, deridet iocando, aitque nulla ratione posse tegi, quin insitum sibi fœtorem exhalet, & quamuis habeat vnguenta, non olet ea, sed se tandem olet.

FVLLONIS.] Fullones dicuntur, qui pannos purgant: vtuntur autem vrina, quam colligunt lo-

A catis amphoris in angulis, vt turba illic meiat. Inde Titius ætate Lucili, in oratione qua legem Fanniam suasit, ita describit ebrios. Ludunt alea studiosè, vnguento delibuti scortis stipati: & paulò pòst. Dum eunt: nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, erat etiam vsus lotij in purpura tingenda.

AVARI.] Quia diu seruat lotium.

TESTA.] Amphora.

RECENS *hir.*] Nam cùm hircus ex amore reuertitur, grauiùs olet.

ORA *leo.*] Leonis anhelitus fœtidus est, vt scrib. Lucre. & Plin. testatur.

TRANSTIBERINA.] Erat vilior pars vrbis: ibi sepeliebantur scurræ, & vilissima quæque ministeria fiebant.

CVTIS.] Pellis transtiberina detracta cani.

PVLLVS.] Gallinæ.

ABORTIVO *ouo.*] i. in ouo, quòd nondum peruenerat ad formatum fœtum.

B GARO.] Garum faciebant ex intestinis piscium, & cæteris abijciendis maceratis, dictum quoniam è pisce olim fiebat, quem Græci garon appellant: Postea factum est è scombris tanta æstimatione, vt nullus liquor præter vnguenta esset in maiore precio. Garum optimum mittebant hæc loca, Clazomenæ, Pompeij, Leptis. Garo corrupto nihil est fœtidius.

VIRVS *fal.*] i. hunc fœtorem, qui perueniebat ex barathro. i. ex imo stomacho.

CRETA *aci.*] i. luto Veneto: nam terra ex Cypro afferebatur, quæ misto aceto & occultata sub terra, & in solem tepentem educta medicamentum conficiebat, cuti expoliendæ, & vellendis pilis.

PINGVI *fa.*] i. lomento, nam farina fabæ dicitur lomentum, quod rugas extendit: propterea dixit suprà.

C *Lomento rugas vteri, quod condere tentas.*

MIL *fr.*] i. per mille falsas artes.

SEIN.] Non exhalare grauem odorem.

THAIDA] i. natiuum Thaidis fœtorem.

De * Calpetiano. XCIV. V. Calpetano.

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano,* Chrysendeta, vasa crustis aureis illigata.
Siue foris, seu cùm cœnat in vrbe domi.
Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro,
Non habet ergo aliud: non habet immò suũ.

DOMITIVS.

PONVNTVR.] In Calpetianum pauperem, qui alienis vasis mercede conductis aureis cœnabat, quod D poëta indicat. Putatis, inquit, Calpetianum vasis aureis vti vbique, quia alia non habeat: at aliud est, non habet sua vasa, cogitur vti alienis.

STABVLO.] Mansionem in suburbio appellat stabulum.

AGRVM.] Villam.

NON *habet suum.*] Vtitur alienis, quæ mercede conducit. Inde semper vtitur vasis aureis, alibi in gestantem anulos.

Dactylotecam non habet.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON
LIBER VII.

SVMMA.

Domitianus, cùm in Sarmatas expeditionem suscepit, loricam sibi fieri mandauerat,, in cuius medio Gorgonis caput erat sculptum. Quod genus armaturæ, Varrone authore, crudo ex corio fieri consueuerat. Hortatur itaque Martialis Domitianum ad huiusmodi expeditionem capessendam, miréque loricam extollit, quasi vna, eadémque sit cum ægide Palladis, nihilque differat, nisi quòd cùm Pallas ea vtatur, Ægis, cum vero Domitianus, lorica, vel thorax appelletur. Aldus vir plane Latina Græcáque lingua insigniter clarus, vnum, continuúmque epigramma putauit carminum duodecim. Ego tamen duo potius esse putarem. Quatuor prima carmina, vnum epigramma ad Domitianũ. Reliqua octo, alterum ad loricam.

AD LORICAM DOMITIANI. I.

ACcipe belligeræ crudum thoraca Mineruæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira deæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari,
Pectore cum sacro sederit, Aegis erit.
Inuia Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis.
Quam vel ad Aetolæ securam cuspidis ictus,
V. Turneb. li. 24 ca. 18. *Texuit innumeri lubricus vnguis apri.*
Felix sorte tua es, sacrum cui tangere pectus
Fas erit, & nostri mente calere dei.
I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmataque ducem, sed citò, redde togæ.

DOMITIVS.

ACCIPE *belligeræ crudum thoraca.*] Ægidem sumpsit Dom. hoc est munimentum pectoris gorgoneo ore sculptum, quale gestabat Minerua. id appellatur lorica, quando est in pectore hominis mortalis; in pectore Deæ Ægis. Consecrat pectori Imperatoris Ægida hoc carmine.

THORACA] i. munimentum pectoris.

DEÆ *Medusææ.*] i. Mineruæ, quia gestat caput Medusæ, vel quia interfecerit Medusam, vt Higin. scrib.

A QVO *timet ira.*] Hoc est, quo Pallas irata vtitur, & Virg. appellauit Ægidem arma turbatæ Palladis.

Gorgoneumque caput turbatæ Palladis arma.

Et cùm benignè alloquitur aliquem dicitur deponere ægidem, suprà.

Sic breuiter posita modò Gorgone Pallas.

HÆC *Cæsar.*] Ex loro enim erat.

DVM *vacat.*] Vacua est.

PECTORE *sacro.*] Pectore tuo diuino.

INVIA, *&c.*] Sarmatæ populi, authore Hero. qui à Meotide palude incipientes ad septentrionem tendunt, viginti dierum itineribus: iidem à Græcis Sauromatæ dicuntur, vt Plin. scrib. tanta his inest barbaries, vt ne nomen quidem pacis intelligant. Lentulus eos tumultuantes ad Danubium repressit. sagittis vtuntur. Laudat loricam Cæsaris Mar. & eam

B putat felicem, quòd diuino pectori sit adhæsura: simul rogat, vt citò triumphali vesti Imperatorem restituat, nam Do. necessariò suscepit expeditionem in Sarmatas: de quibus domitis noluit triumphare, lauream tantùm intulit Ioui Capitolino.

INVIA.] Impenetrabilis.

SARMATICIS] i. Sarmatarum hostium.

MAGIS *fida*] i. certa.

TERGORE.] Lorica, quia è tergore fiebat lorica.

GETICO *Mart.*] Qui in Geticis colitur.

CVSPIDIS *Ætolæ.*] i. lanceæ. nam Ætoli lanceas inuenerunt, vt scrib. Plin. vel cuspidis Ætolæ. i. teli Meleagri Ætoli, quasi dicat: ne Meleager quidem, qui aprum illum fabulis portentosum interemit, hanc loricam penetrare posset: quod placet.

TEXVIT.] Loricæ fiebant ex corio. Adeo autem

durarũ

duram loricam Cæsarianam scribit poëta, vt ex vngulis aprorum, non ex pelle sit confecta, hoc magis placet, quàm quòd nonnulli suspicantur de apro Calydonio.

SECVRAM.] Nihil timentem.

SACRVM *pectus.*] Cæs. Domit.

I *comes.*] O lorica.

ILLÆSA.] Non penetrata.

MERERE.] Assequere.

PALMATÆ *togæ.*] Vesti triumphali, quod Seruius est suspicatus: hæc ortum habuit à pictis vestibus, quæ apud Hom. sunt: Palmata dicebatur, quoniam pars palmæ. i. victoriæ in ea intexebatur, vt ab Helena pictis vistibus apud Hom. acu certamina inseruntur: eadem dicebatur triumphalis. Ex Plin. est historia.

Ad Pontilianum. II.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos? B
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

DOMITIVS.

CVR *non.*] Idem dixit in Theodorum suprà.

CVR] i. quæ causa est quare non mitto tibi meos libellos? causa est, ne mittas tuos, qui inepti sunt.

De Oppiano. III.

Esset, Castrice, cùm mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

DOMITIVS.

ESSET.] Poëtæ erant macilenti. Iuuen.

Vt dignus venias hederis, & imagine macra.

C Oppianus, cùm morbo, & natura ipsa esset pallidus, putauit se posse videri poëtam si scriberet versus, cũ pallorem poëticum iam haberet, supra.

Illotus morieris Oppiane.

In hunc iocatus Mart. ostendens illi pallorem natiuum inesse, & eundem scribere malum carmen, ad quod se contulit hac vna de causa, quia scilicet pallet.

Ad Cæsarem Domitianum. IIII.

Si desiderium, Cæsar, populique, patrumque
Respicis, & Latiæ gaudia vera togæ.
D *Redde deum votis poscentibus: inuidet hosti*
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille; tuóq;
Terretur vultu barbarus, & fruitur.

DOMITIVS.

SI *desider.*] Reuocat Cæs. ex Sarmatis, populo Romano & Italia poscente.

REDDE *Deum votis.*] i. redde te, qui Deus es.

SI *respicis desiderium*] i. si vis satisfacere desiderio Rom. populi.

HOSTI.] Sarmatis, apud quos es.

MVLTA *laurea veniat*] i. multus triumphus. Alludit ad lauream, quam solam de Sarmatis intulit Ioui Capitolino, neglecto triumpho.

A TERRETVR.] Dum vincitur cultu tuo.

ET *fruitur.*] Et inde oblectatur.

De fama reditus Domitiani. V.

Ecquid Hyperboreis ad nos cõuersus ab oris
Ausonias Cæsar iam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nũtiat omnis:
Credo tibi, verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartæ,
Martia laurigera cuspide pila virent.
Rursus Io magnos clamat tibi Roma triũphos
Inuictusque tua, Cæsar, in vrbe sonas.
Sed iam lætitiæ quo sit fiducia maior,
Sarmaticæ laurus nuntius ipse veni.

Idem Græcè.

Μῶν ἀφ' Ὑπερβορέων ὁρμώμενος εἶσι πρὸς ἡμᾶς
Ἤδη ἐς Ἰταλίης Καῖσαρ ἕτοιμος ὁδεύς;
Πᾶς μὲν φησι· λόγου δ' αὐτάγγελος οὐ πάρα τοῦ
(Σὺ γὰρ ἀληθεύειν) ὦ Φάτι, πειθόμεθα.
Πάνδημόν γε χαρὰν νικηφόρα γράμματα φωνεῖ
Χλωρὸν ἐπὶ τῆς κορυφῆς ἔγχεα δαφνοφόρα.
Δεύτερον ἡ Ῥώμη σοὶ ἰὼ Παιὰν ἀλαλάζει,
Αἰὲν ἀνίκητον σεῖο πόλις σε βοᾷ.
Ἀλλ' ἵνα χαρμοσύνης πίστωσι δραττώμεθα μᾶλλον,
Σαρματικῆς νίκης ἄγγελος αὐτὸς ἵκευ.

DOMITIVS.

ECQVID.] Audito rumore venturum Cæsarem canit epigr.

ECQVID.] i. an conuersus ad nos.

AB *or. hyperboreis.*] A septentrione,

CERTVS *author abest.*] i. non apparet vsquam, qui id nunciauerit.

CHARTÆ *victrices*] i. literæ lauro circundatæ: nam literæ, authore Plin. de triumpho lauro circundabantur.

PVBLICA *gaudia*] i. quæ sunt publica gaudia,

CVSPIDE *laurigera.*] Gestante laurum.

IO.] Vox prosequentis triumphum.

SONAS *inuictus.*] i. vt cum maiore fiducia possimus vti lætitia, veni tu nuncius triumphi Sarmatici.

Ad Cæsarem Domitianum. VI.

Hiberna quamuis Arctos, & rudis Peuce,
Et vngularum pulsibus calens Ister,
Fractusque cornu iam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te summe mundi rector, te parens orbis:
Abesse nostris non tamen potes votis.

Illic & oculis & animis sumus, Cæsar,
Adeóque mentes omnium tenes vnus,
Vt ipsa magni turba nesciat Circi
Vtrúmne currat Passerinus, an Tigris.

DOMITIVS.

HIBERNA.] Iterum populi gaudia, & curam testatur absente Cæsare, & mox venturo ait in spectaculis animis hominum meditantibus de Cæsare, oculos nulla frui voluptate, neque inspicere, quis victor sit.

ARCTOS *hiberna*] i. Septentrio.

PEVCE.] Cùm Ister in Pontum euoluatur sex mistis fluminibus, iuxta primum ostium est insula Peuce, in quam olim Syrnius rex aufugit, authore Strabone, insequente Alexandro.

ET *Ister calens.*] Ponit omnia hæc loca pro accolis.

RHENVS *improbus.*] Quia ter defecit domitis accolis. B

FRACTO *cornu ter.*] Ter intelligo, quoniam Domit. puer domuit Batauos incolentes insulam Rheni, & bis Dacos, & Cattos, eiusdem Germaniæ populos.

PERFIDÆ.] Sæpius rebellantis.

ABESSE *non potes nostris votis.*] Ob nostra vota non potes abesse ab vrbe, quia te animo prosequimur, & amplectimur tanquam præsentem.

PARENS *orbis.*] Quia Domitianus fuit appellatus pater patriæ.

PASSERINVS, *an Tigris.*] Nomina sunt athletarũ.

TVRBA *magni Circi*] i. spectatores magni Circi. In eundem sensum infra erit epigramma.

De reditu Domitiani. VII.

Nũc hilares, si quãdo mihi, nũc ludite Musæ:
Victor ab ° Othrysio redditur orbe Deus. (° Odrysio.)
Certa facis populi tu primus vota, Decẽber:
Iam licet ingenti dicere voce, venit.
Felix sorte tua, poteras non cedere Iano,
Gaudia si nobis, quæ ° dabat ille, dares.
Festa coronatus ludet conuicia miles,
Inter laurigeros cùm comes ibit equos.
Fas audire iocos, leuioráque carmina, Cæsar,
Sit tibi: si lusus ipse triumphus amat. D

(° v dabit. redit [illegible] quòd Domitianus à subacta Germania non ante Ianuarium [illegible]. Vide lib. 8. Epigr. 8.)

DOMITIVS.

NVNC.] Iterum lætatur venturo Cæsare, aitque sua carmina non esse intempestiua triumpho, cùm triumphi soleant habere ludos, & iocos.

VICTOR.] Expugnatis Sarmatis.

ORBE *Othrysio.*] A partibus Septentrionalibus, mense Decembri, nunciatum est redire Cæsarem. Icirco December faciebat vota certa, & rata.

O *December felix.*] Quia attulisti nũciũ de Cæsare.

POTERAS *non cedere Iano*] i. poteras esse prior dignitate, si Cæsar rediret mense tuo, sicut Iani mẽse.

GAVDIA.] De aduentu Cæsaris.

FESTA *conuicia.*] Suprà expositum est.

Consueuere iocos vestri quoque ferre triumphi.

FESTA *conuicia.*] i. festiuè iocabitur in Imperatoré.

LVSVS.] Iocos festiuos.

De Cassellio. VIII.

Cùm sexaginta numeret Cassellius annos,
Ingeniosus homo est: quando disertus erit?

DOMITIVS.

CVM.] Cassellius ingeniosus volebat videri lx. annum iam natum. At si est, inquit, ingeniosus nunc, quando erit disertus? quando tandem discet?

QVANDO *disertus erit?*] Quando dicet? nam volebat videri doctus, cùm diceret se ingeniosum.

In Olum. IX.

Pędicatur Oros, fellat Linus, ° Ole, quid ad te? (° Alludit ad Oli Cercopi & veteratoris nomen perstringens alienarum rerum nimio plus satagentem.)
De ° cute quid faciat ille, vel illa sua? (te? (° Xpωτός. cutis pro corpore. Vide Turn. li. 24. cap. 28.)
Cẽtenis futuit Matho millibus, Ole, quid ad
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius, Ole, quid ad te?
Cum liceat tota stertere nocte tibi.
Septingẽta Tito debet Lupus, Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, crediderísve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole:
Quódque magis curæ conuenit esse tuæ.
Pro togula debes, hoc ad te pertinet, Ole.
C *Quadrantem nemo iam tibi ° credet: & hoc.* (° v. credit.)
Vxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit iam dotem filia grandis: & hoc.
Dicere quindecies poteram, ° quid pertinet ad te: (° v. quod)
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

Ad Pudentem. X.

Cogis me calamo, manúque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quàm me nimium probas, amásque,
Qui vis archetypas habere nugas!

DOMITIVS.

COGIS.] Vasa archetypa erant preciosissima: ea erant manu vetustorum artificum confecta. Res archetypa dicitur, quæ manu authoris est facta, non ducta exemplo, sed stans aliis in exemplum. Aulus Pudens petit à Martiale, vt manu sua emendata carmina daret. Iocatur poëta.

NVGAS.] Versus viles.

ARCHETYPAS.] Emendatas à me.

Ad Faustinum. XI.

Sic me fronte legat dominus, Faustine, serena,
Excipiátque meos qua solet aure iocos.

Vt mea nec iustè quos odit, pagina lædit;
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiat cùm quidā nostra videri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent?
Vipereúmq; vomāt nostro sub nomine virus;
Qui Phœbi radios ferre, diémque negāt?
Ludimus innocuis verbis, hoc iuro potentis
Per genium famæ, "Castalidúmq; gregē: v. Castalidúmque.
Pérq; tuas aures magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab inuidia.

DOMITIVS.

SIC *me legat.*] Dolet quendam maledicum scripsisse carmen sub suo nomine plenum mordacitatis, à qua ipse semper horruit, & in decimo idem conqueritur:

Vernaculorum dicta sordidum dentem.

Iurat suum non esse carmen, quod sub eius nomine circunfertur.

SIC.] Iurantis.

DOMINVS.] Domitianus.

SER. *aure.*] Benignitate auris.

IVSTE *quos odit.*] i. meritò odio habeo.

DE *nullo rubore.*] Reprehensione alicuius, quia qui reprehenditur rubet: vt Iuuen. *Rubet auditor.*

SANGVINE *Lycambeo.*] i. acerbitate iambica: nam Archilochus in Lycambem generum suum scripsit carmen. quo illum compulit ad laqueum.

NEGANT *ferre radios Phœbi*] i. non potest apertè vti suo carmine, inde pòst dicentur clanculari.

LVDIMVS.] Iocamur.

INNOCVIS.] Non detrahentibus famæ alicuius.

PER *Genium.*] Genius Deus rerum gerendarum: vt Pompe. & famæ Deus, vt supra:

Victurus Genium debet habere liber.

GREGEM *Castalidum.*] Musas.

INSTAR.] Quæ mihi loco numinis est.

LIBER.] Candidus, simplex, sine liuore.

De Lycoride. XII.

Dum Tiburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur.
Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
Aura valet? paruo tempore nigra redit.

DOMITIVS.

DVM.] Lycóris migrauerat Tibur: iocans poëta dixit eam illuc migrasse, vt fieret candida, quia audierat ebur cœlo Tiburtino ex vetustate reparari: nunc & reuersa est, & nigra: vt supra,

Tibur in Herculeum migrauit nigra Lycoris.

ANTIQVI *dentis*] i. vetusti eboris, quod fit ex dente elephantis: ex eiusdem belluæ aliis ossibus fit, sed minore æstimatione: author Plin.

De sua puella. XIII.

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:
Amisit lusus, deliciásque suas.
Non quales teneri plorauit amica Catulli
Lesbia, nequitijs passeris orba sui.
Vel Stellæ cantata meo, quam fleuit, Hiantis,
Cuius in Elysio nigra columba volat.
Lux mea nō capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna mouent.
Bis denos puerum numerātem perdidit annos,
Mentula cui nondum "sesquipedalis erat. v. Turneb. li. 7. ca. 19.

DOMITIVS.

ACCIDIT.] Suspendit animum lectoris vsque ad exitum epigrammatis: ait enim puellam suam amisisse lusus, & delitias, & quoniam amica Catulli passerem delitias suas amiserat, & Violantilla columbam, quam Stella desleuit, putauit auditor tale aliquid amisisse amicam Mart. at aliud est, quod vltimis versibus declarat.

ORBA *ne. di. sui pas.*] i. priuata passere.

HIANTIS.] Violantilla amica Stellæ.

CANTATA.] Celebrata eo carmine, quod inscriptum est, Asteris & idem eo carmine, quod inscriptum est Columba.

LVX *mea non capitur nugis*] i. amica mea non delectatur leuioribus rebus. Nugæ sunt res nullius precij: & Cic. ad Atticum homines nullius precij dixit nugas, vt Metrodorus, & reliquæ nugæ.

ISTIS *amoribus*] i. istis delitijs: & in amores humanos educatis bestiis.

MOVENT.] Ad dolorem.

SESQVIPEDALIS.] Sesqui indeclinabile, significat vnum & dimidium, additur cuiuis nomini, adeò vt Tacitus sesquiplagam pro vna plaga cum dimidia dixerit: Cicer. in oratore suo, Pes, qui adhibetur ad numeros partitur in tria: vt necesse sit partem pedis, aut æqualem esse alteri parti: aut altero tanto, aut susquimaiorem. Sesquipedalis dicitur vnius pedis cum dimidio. Amica Mart. delitias suas sesquipedales conijciebat futuras, cùm puer ad legitimam peruenisset ætatem, proptèrea doluit sibi ereptum esse ante tempus. Quod nonnulli garriunt sesquipedalem formam hoc loco, id est, perfectam, nec conuenit, nec verum est.

Ad Arginum puerum. XIV.

Quis puer hic nitidis "absistit Hiātidos vndis, al. adsistit
Et fugit ad dominā Naida? nūquid Hylas?
O bene, quòd sylua colitur Tirynthius ista,
Et quòd amatrices tam propè seruat aquas.
Securus licet hos fontes, Argine, ministras:
Nil faciunt nymphæ: ne velit ipse, caue.

DOMITIVS.

QVIS *puer.*] Domi. Stellæ fons erat, & elegantiores ministri: proximo nemore colebatur Hercules in primis, nunc laudatur Arginus: de eadem re infrà est Epigramma:

Fons dominæ, regina loci, quo gaudet Hiantis.

QVIS *puer*] i. qui assistit aquis Violantillæ, cuius ædes celebrantur carmine Papin.

Naida, aqua Hylas raptus exiuit ex aquis.

TIRYNTHIVS.] Hercules.

O bene.] Factum est, quia non permittet raptum Argini.
Licet ministres.] i. potes ministrare nobis.

Ad Regulum. XV.

*Aera domi non sunt. superest hoc, Regule, * tantùm,*
Vt tua vendamus munera: numquid emis?

DOMITIVS.

Æra domi.] In Regulum, qui vilissima munera donauerat, quem hoc disticho redarguit, cùm ostendit adeò vilia esse munera, vt nullum sit precium.
Æra domi non sunt.] i. non habeo pecunias.
Numquid emis.] An emeres tu? quasi dicat: non quia adeò sunt vilia, vt nemo faciat precium.

Ad bibliothecam Iulij Martialis. XVI.

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt vnde lector vrbem,
Inter carmina sanctiora si quis
Lasciuæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras vel imo,
Septem quos tibi misimus libellos
Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata paruo,
Quæ cantaberis orbe nota toto:
Pignus pectoris hoc mei tuere
Iuli bibliotheca Martialis.

DOMITIVS.

Ruris bibliotheca.] Reponit libros in bibliotheca, vt alij sentiunt sua, quod placet; ad Ianiculum, vt alij intelligunt. Amici alloquitur bibliothecam.
Videt.] Videt vicinam vrbem: quod suprà dixit.
Vnde totam licet æstimare Romam.
Imo nido.] Dicebantur nidi librorum, vbi reponebantur, aut terni, aut quaterni: suprà,
De primo dabit, altero ve nido.
Lasciuæ Thaliæ.] Lasciuo carmini.
Notatos] i. auctographus: nam libri exscripti manu authoris dicuntur auctographi.
Litura.] Castigatio: nam libri castigati manu authoris erant in maiori precio.
Paruo munere dedicata.] i. cõsecrata paucis libris.

In Gallam. XVII.

Cùm tibi sit facies, de qua nec fœmina poßit
Dicere, cùm corpus nulla litura notet.
Cùm te tam rarus cupiat, repetátq. fututor,
Miraris: vitium est non leue, Galla, tibi.
Acceßi quoties ad opus, mistisque mouemur
Inguinibus: cunnus non tacet, ipsa taces.
*Di facerent vt tu loquereris, & * ipse taceret:*
Offendor cunni gerrulitate tui.
Pedere te mallem: nãque hoc nec inutile dicit
Symmachius, & risum res mouet ista simul.
Quis ridere potest fatui popysmata cunni:
Cùm sonat hic, cui nõ mẽtula, ménsq; cadit?
Dic aliquid saltem, clamosóque obstrepe cũno:
Et si adeò muta es, disce vel inde loqui.

De fragmento Argus. XVIII.

Fragmentũ, quod vile putas, & inutile lignũ,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
*Frangere, nec Scythici tristior * vnda freti.*
Sæcula vicerunt, sed quamuis cesserit annis,
Sanctior est salua parua tabella rate.

DOMITIVS.

Fragmentum.] Tabulam vetustate consumptam, carmine celebrat contra imperitum vulgus, à quo contemnebatur. Puto hanc tabulam vel additam fuisse libro Mart. vel foribus domus. ait autem hanc esse partem Argo nauis, & esse sanctiorem quacunque naui integra.
Prima car.] i. Argo: aut certè, quod placet, æmulatione Catulli hoc edidit carmen, qui metaphoricè phaselum suum decantat.
Maris ig.] Mortalibus. Argo nauis ex orno arbore fuit confecta vt scripsit Alexander Cornelius. ea similis arbori ferenti viscum, nec aqua nec igni potest corrumpi.
Cyaneæ.] Duo scopuli sunt contra Bosphorum Thracium. idem dicti sunt symplegades, quia videntur concurrere simul, & inuicem discedere pro aspectu nauigantium: per eas transiuerunt Argonautæ: quòd Apollonius, Flaccus, Orpheus, & quicumque Argonautica scripserunt, tradunt: fauore tamen, & ope Palladis, & Iunonis. Lucan. lib. 2.
Vt Pagasæa ratis peteret cùm Phasidos vndas,
Cyaneas tellus emisit in æquora cautes.
Ruinæ cya.] i. symplegades.
Tristior ira.] i. tempestas.
Cesserit.] i. videatur consumpta vetustate.
Salua ra.] i. integra rate.

In Sanctram. XIX.

Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra,
Rectam vocatus cum recurrit ad cœnam,
Quam tot diebus noctibúsque captauit.
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et vtramque coxam leporis, & duos armos,
Nec erubescit peierare de turdo,
Et ostreorum rapere liuidos cirros.

vv. Dulcis. * *Dulci placenta sordidam linit mappam,*
Illic & vuæ collocantur ollares,
Et puñicorum pauca grana malorum,
vv. Vuluæ. *Et excauata pellis indecens* " *vuluæ,*
Et lippa ficus, debilisque boletus:
Sed mappa cùm iam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
al. Et deuorato. " *Indeuorato capite turturem truncum,*
*putat, Domitius legit, recte. *Colligere lõnga turpe nec* " *pudet dextra*
Analecta, quidquid & canes reliquerunt,
vv. esculentis. *Nec* " *esculenta sufficit gulæ præda,*
Misto lagenam replet ad pedes vino.
Hęc per ducentas cùm domum tulit scalas,
Sèque obserata clausit anxius cella,
Gulosus ille, postero die vendit.

DOMITIVS.

NIHIL *est.*] In Sanctram, qui alienas captabat cœnas, & reliquias omnes colligebat, quòd erat gulosi, simul eas venditabat, quod erat auari, & miseri.

VOCATVS.] Inuitatus.

COENAM *re.*] Ad differentiam sportularum, nam & si in sportulis dabatur cœna, tamen non erat recta cœna. Recta enim erat, quæ dabatur domi à diuite. Tran. Sportulas ad rectas cœnas redegit.

GLANDVLAS *apr.*] Cum lx. sapores ex apro conficerentur, glandula, siue glandia, erant inter cæteras partes gutturis tanti saporis, vt lege sumptuaria fuerint prohibita.

LVMBVM.] Lumbus porci qui erat in medio, si in tres partes diuidebatur.

PEIERARE.] Falsò iurare se non habuisse turdum, vt ei detur.

CIRROS.] Carnes cirrinæ dicuntur, quas pariunt ranæ informes & exiguæ: eiusdem similitudinis carnes ostreorum sunt, & cirri dicuntur. Cirri præterea dicuntur nodi. infrà dicetur lorum cirratum. Et Persi. Iuuenes cincinatos, appellat cirratam turbam.

LIVIDOS *cirr.*] Plin. videtur accipere pro minutioribus pedibus piscium, nam cum de polypis scriberet: Duo inquit, longissimi pedes sunt, qui se velut anchoris stabiliunt, cæteri cirri, quibus venantur.

LIVIDOS.] A colore.

BVCCIS.] Frustis. suprà dixit buccellas.

LINIT.] Maculat.

VVÆ *ol.*] Vt apud L. Col. & Var. dicebantur quæ ollis seruabantur.

MALA *pu.*] Eadem granata dicuntur, sortita nomina, quia apud Pœnos maximè florent, & inde ea accipit Italia.

VVLVÆ *exca.*] Exesæ, & exesis carnibus, ita vt sola pellis remaneret. De vulua hæc Apitius. Vuluæ sic fiunt Piper tritum, & Ciminum capita porrorum.

BOLETVS *de.*] Nam citò finitur: vel fragilis.

SPONDYLOS.] Spondylum est genus ferulæ ex Syria. Spondyli item ossa quædam pectoris. Sunt qui humerorum intelligant. Plin. scrib. primum spondylum dorcadis reddere facilem aditum potentiorum, si gestatus fuerit.

SINV *te.*] Calido ob cibos.

ET *tur. trun.*] i. carentem capite. Trunca cadauera dicuntur sine capite.

A

LONGA *dextra*] i. demissa manu quicquid non comederunt canes.

ANALECTA.] Dicuntur reliquiæ: eodem verbo vtitur in disti. de scopis.

Ocia sed scopis, nunc analecta dabunt.

Propriè autem reliquiæ, quæ sunt sub mensa, & colliguntur: nã ἀναλέγομαι est colligor. potes accipere analecta fuisse instrumenta ad colligendas reliquias ex pauimentis, quibus scilicet pro scopis vtebantur: nam, vt scrib. Plin. Purgamenta cœnæ euerri solent in pauimento, veluti relicta.

PRÆDA *escu.*] i. nec furta rerum esculentarum.

AD *pedes.*] Ex mensa seruorum, qui ad pedes discumbunt. suprà hoc apertum est eo disti.

Omnia cum retro pueris obsonia tradas.
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus.

VINO *misto.*] Nam serui vinum bibebant mistum aqua.

GEORGIVS.

B

ROSOS *tepenti spondylos sinu condit.*] Quo inquam, quo tanta abijt Latinarum, & Græcarum literarum cognitio atque obseruatio, quam iactabundus homo præ se fert? an Plin. verba docent spondylos pectoris, aut humerorum ossa esse? desinat aliquando per arrogantiam suam Domitius ineptire: nam quis Græcus, Latinúsve de spondylis ita scripsit, aut sensit? Arist. in libris de partibus animalium (nam Græca est dictio) spondylos appellat vertebras spinæ, quæ ex spondylis conficitur, nam rachis Græcè spina est, spondilion verò vertebra, súntque decem & septem spondyli, quorum duodecim spinam faciunt, reliqui verò lumbos. Quidam verò spondylos, vt ait Festus, cubos appellauerunt: apud Senecam & Macrobium, spondyli videtur piscium genera, vnde iuniores quidam existimant spondylos olim appellatos, quos nũc vulgus schinalos dictitat. qua re admodum miror hunc iactabundum hominem, qui omnia semper à

C

Græcis deducere nititur, authores Græcos non consuluisse, nimis præceps, & audax in omnibus deriuationibus, & compositionibus: quemadmodum enogrorum cõfingit, quod nusquam lectum est pro oxygaro, quod frequentissimè habetur. præterea tritissima quædam, & vulgaria de Voconio poëta blatterat: cùm Apule. in apologia magiæ respondens Æmiliano, adducat testimonium diui Adriani, qui cùm Voconij amici sui poëtæ tumulum veneraretur, ita scripsit. *Lasciuus versu, mente pudicus eras.*

De natali Lucani. XX.

Hac est illa dies, quæ magni conscia partus,
Lucanum populis, & tibi Polla dedit.
D *Heu Nero crudelis, nullâq; inuisior vmbra:*
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

DOMITIVS.

HÆC *est.*] Natalem Lucani poëtæ & certum fuisse, & eo mortuo celebratum vel Papinij carmen testatur, qui phaleucio versu natalitia illius sacra decantat, *Lucani proprium diem frequenter.* Idem ait duobus epigrammatis Mart. Polla Lucani vxore diem celebrante.

CONSCIAM *par.*] i. partus Lucani.

DEDIT *Luc. pop.*] Quasi dicat, populi debent naturę, quæ produxit in beneficium, & gratiam populorum, & idem Papin. de Bæt.

Lucanum potes imputare terris.

POLLA.] Vxor Lucani laudata multo carmine Pap. Luc. conscius coniurationis in Neronem, cuius princeps fuit Piso, multas, insignésque familias paterno genere complexus, vt scri. Taci. Socij præterea Rubrius Flauius, Sulpitius Asper. Plaut. Lateranus interfectus est deprehenso crimine. Coniurauit autem in Neronem, quoniam princeps inuidens prohibebat poëtæ carmina ostentari populo.

INVISIOR.] Sensus est. Nullus est interfectus à te ô Nero, cuius nece dignus sis maiori odio, & magis inuisus, quàm nece Luc. Idem sensus fermè est in Ant.

Et leuius tabula, quam Cicerone nocens.

HOC *non li.t.*] Hoc saltem debuisti verteri, si nunquam aliud scelus potuisti horrere, vel debuit tibi adempta esse facultas istius facinoris perpetrandi.

De eodem. XXI.

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba fauete sacris.
Hæc meruit, cùm te terris Lucane dedisset,
Mixtus Castaliæ Bætis vt esset aquæ.

DOMITIVS.

VATIS.] Idem est argumentum.

LVX *memor.*] i. dies natalis memorandus.

SACRIS.] Natalitijs.

BÆTIS.] Fluui. Hispaniæ.

LVCA.] Cordubensis Hispaniæ Beticæ.

MERVIT.] Assecutus est, vt numeraretur inter fontes Castalios, quoniam tulit poëtam.

DEDISSET *te terris*] i. produxisset.

De eodem ad Phœbum. XXII.

Phœbe veni, sed quãtus eras, cũ bella canenti
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.
Quid tanta pro luce precer? tu Polla maritũ,
[v. ille. *Sæpe colas, & se sentiat* * *ipse coli.*

DOMITIVS.

PHOEBE.] Nam numina, quibus sacrificamus, inuocamus.

SECVNDA *plectra.*] i. secundam laudem carminis, prima fuit Vir. Pap. anteponit Lucanum etiam Vir. *Ipsa te Latinis Aeneis venerabitur canentem.*

SENTIAT *se.*] Eo maius non potuit precari coniugi amanti maritum, quàm vt eius officium ab illo sentiretur.

*v. ad detractorem.

* In maledicum. XXIII.

Cũ Iuuenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis perfida lingua loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes:
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, & maius nomẽ Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.
A *Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor ausis,*
Vt facias illud, quod, puto, lingua facis.

DOMITIVS.

CVM *Iu.*] In maledicum. duo Iuuen. iisdem temporibus floruerunt, alter consul, meminit Tac. alter poëta, cuius satyræ extant. Sunt qui suspicentur hoc dici de consule, sunt qui de poëta, ego de poëta, nam Iuu. vt ex antiquorum monumentis in eius commẽtariis recitauimus, satyra paucorum versuum non absurde composita in Paridem Pantomimum, poëtámque eius semestribus molitiolis tumentem genus scripturæ industriosè excoluit, & tamen bene, diu ne modico quidem auditorio quicquid committere ausus est, recitauit tantùm. Quint. aliísque Mart. & cùm Mart. superius epigramma edidisset, quo est
B conquestus quendam scribere versus maledicos sub suo nomine, suspicatus est Iuu. id de se scribi à Mar. præsertim delatore ita affirmante, in quem nunc scribit, & malæ linguæ imprecatur.

COMMITTERE *me.*] i. ducere me. in inimicitias dicimur committi, quando cogimur inter nos dimicare, & contendere, & committuntur feræ, quando coguntur simul pugnare.

PYLADEM.] Pylades filius Strophili Phocensis, Orestem Agamemnonis filium vnicè dilexit, adeò vt ne insanum quidem desereret.

Affuit insano iuuenis Phocaus Oresti.

Pylades fuit Pantomimus temporibus Augusti.

THES. *Pirit.*] Pirithous Ixionis filius rex Lapitharum, & Theseus, amicitiam in Marathone iniuerunt, cùm Thesei fama adductus Pirithous emi-
C sisset taurum, vt illius vires experiretur. Inde iuncta ex eo amicitia Hippodame in vxorẽ ducta, Pirithous Theseũ ad nuptias duxit: hæc Plut. aliter Herodotus.

SICVLOS *fra.*] Non Pallicos intelligit, de quibus multa Macrob. non Damonem, & Pythiam, qui non fuerunt fratres, sed Amphinomum, & Annapiam, fratres Cataneos, qui piissimi fuerunt in parentes, adeò vt Neptuni ira imminente excidio eos humeris extollerent. Silius.

Et Catane generasse pios celeberrima fratres.

Author est Strab. & Plut. in oratione ad Apolloniũ. Pausanias eorum meminit, nomen non expressit.

ATRIDAS.] Agamemnonem & Menelaum.

MAIVS *no.*] Quàm fuerit Amphinomi, & Annapiæ.

QVOD *facis*] i. imprecor, quòd semper hæreas
D inguinibus: quod supra etiam dixit.

Hæreat inguinibus potius tam noxia lingua.

In malum poëtam. XXIV.

Dulcia cũ tãtum scribas epigrãmata semper,
Et cerussata candidiora cute:
Nullàque mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit: ô demens, vis tamen illa legi!
Nec cibus ipse iuuat morsu fraudatus aceti:
Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuásque mariscas:
Nam mihi, quę nouit pũgere, Chia sapit.

DOMITIVS.

DVLCIA.] In eum qui candorẽ carminis, nulla au-

tem dicacitate, aut vrbanitate inserta volebat placere, eandem ciborum, & epigrammaton conditionem esse scribit poëta, vt placere nequeant, nisi addita mica salis, aut aceti. Sensus est Quintil. Acoris cibus palatum delectat, & eius generis scripta.

CANDIDIORA] Sensus candidioris.

CVTE *cerussata*] i. pelle expolita cerussa.

MICA] Granum.

SALIS] i. vrbanitatis.

NEC *amari fellis*] i. mordacitatis.

FRAVDATVS] Carens.

MORSV *aceti*] i. aliqua parte aceti.

GELASINVS] Ruga contracta ex risu dicitur, pro ruga accipitur qualis in media fronte eminet.

CVI *abest Gelasinus*] i. quæ non corrugatur aliqua ex parte.

MELIMELA] Poma musta dicebantur à celeritate maturitatis, eadem melimela dicuntur à sapore mellis.

MELIMELA *infanti dato*] Dulcia epigrammata danda sunt infantibus.

MARISCAS] Ficus, mariscas nominat Cato: & reperit Plin. Cato ficus mariscas in loco cretoso, aut aperto serit, erant autem dulcis saporis potiùs, quàm grati.

FATVAS] Carentes sapore salis.

CHIA] Ficus erat, quam ex disciplina Cloatij nominat Macrobius, ea habet saporem acerbiusculum, propterea delectat.

FICVS *Chia*] i. epigramma mordens.

Scazonta mittit ad Apollinarem. XXV.

Apollinarem conueni meum, Scazon;
Et si vacabit, "ne molestus accedas, (v. non.)
Hoc qualecũque, cuius aliqua pars ipse est,
Dabis, hoc facetum carmen imbuant aures,
Si te receptum fronte videris tota,
Noto rogabis vt fauore sustentet.
Quanto mearum scis amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conueni meum, Scazon.

DOMITIVS.

APOLLINAREM] Scazon carmen iambicum claudicans, de quo supra est dictum: alloquitur vt se conferat ad Apollinarem, si vult esse tutus aduersus malignos.

O *Scazon*] O meum carmen iambicum.

VACABIT] Erit vacuus negocijs.

CVIVS] Carminis ipse aliqua parte, & emendatione sua, & hæc eius gratia scribo vbi nominatur.

IMBVANT] Dent primam limam, & honorem.

FAVORE *noto*] Quo solet.

FLAGRET] Incensus sit.

"De apro à se occiso. XXVI.

(v. Ad aprum missum.)

Tuscæ glãdis aper populator, & ilice multa
Iam piger, Ætola fama secunda fera,
A *Quem meus intrauit splẽdenti cuspide culter,*
Præda iaces nostris inuidiosa focis.
Pinguescant" madidi læto nidore Penates, (v. madido lati.)
Flagret & exciso festa culina iugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet aceruum,
Addet & arcano mista Falerna garo.
Ad dominũ redeas: noster te non capit ignis
Conturbator aper. vilius esurio.

DOMITIVS.

TVSCÆ] Dexter amicus Mart. ei miserat aprum integrum. Mart. diu apro inspecto, & cogitato sumptu B futuræ culinæ, eum remisit: vult enim cibos, qui minori precio condiantur.

POPVLATOR *glandis Tuscæ*] i. qui populabaris glandes Tuscas, nam apri vescuntur glande.

SECVNDA *fama*] Id est, qui potes esse in admiratione.

APRO *Aetolo*] Calydonio.

DEXTER] Amicus meus: alij codices habent Culter, & hoc epigram. est de Apro à Dextro occiso.

INVIDIOSA] Supra conditionem meam.

FESTA *cu.*] i agens diem festum.

IVGO] i. sylua excisa.

SED *coquus*] Nunc pœnitet Martial. cum reminiscitur exigere multum sumptum.

C PIPERIS] Piper adhibebatur apro condiendo: Falerno misto, garum arcanum œnogarum dicitur: nam œnogarum erat garum misto vino. Apitius spõdylos ex simplici œnogaro factos: & alibi addes œnogarum in tubera, & piper.

ARCANO *autem garo*] i. exiguo, quia Falerni potio superabat garum, οἶνος vinum, γάρον garum significat, vnde œnogarum.

AD *Dominum*] Dextrum.

NOSTER *ignis*] i. nostra culina non est capax tui.

CONTVRBATOR] Conturbatores apud Mart. dicuntur, qui pecuniam in varios sumptus exigunt, & qui diuersa requirunt: vt alibi,

Conturbatorque macelli.

Conturbatorem igitur appellat aprum, hoc est, piper, & œnogarum & magnum sumptum exigen-D tem.

ESVRIO *vil.*] Volo viliores cibos.

Ad Fuscum. XXVII.

Sic Tiburtinæ crescat tibi sylua Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus.
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat, & immodici dẽt bona musta lacus.
Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parua December,
"Excipe, sed certa quos legis aure iocos. (v. Exigis.)

v.libet. *Scire licet verum, res est hac ardua: sed tu* A
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

DOMITIVS.

SIC *Tiburtina*] Fuscum rogat, vt sua carmina accipiat mense Saturnalitio, & dicat quid sentiat.

CERTA *aure*] Iure censoria.

DVM *medius Dec.*] i.Saturnalia.

NEMVS *casum sape redire*] i.germinare.

TVA *Pal.*] i.oliua: sensus est, & ager tuus plus olei ferat, quàm solet Bæticus, nam Hispania Bætica oleo abundat. Italia obtinet palmam. Venafrana, Liciana contendunt: post Italiam, Istria, & Bætica.

TRAPETIS] Trapetum dicitur mola torcularis, τρέπω significat voluo.

LACVS *immodici*] i.pleni. i.solia, per quæ labuntur musta.

FORA] Quia Fuscus erat causidicus.

PLVRIMA *palma*] i.vndecunque afferatur palma, & victoria.

Scire licet verùm res est hac ardua, sed tu.

QVOD] Sensus est: Cupio scire verum, quid sentias de meo carmine: quòd si hoc tibi videtur difficile, quia vereris, ne me offendas, potes dicere mihi quod tibi vis dici: hoc est, tu potes me laudare, quemadmodum tu vis laudari cùm alicui ostendis carmina.

Ad Testilum puerum. XXVIII.

v.Victuri. *Testile Victoris tormentum dulce Voconi,*
Quo nemo est toto notior orbe puer:
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo:
Paulisper domini doctos sepone libellos,
Carmina Victori dum lego pauca tuo:
Et Mæcenati Maro cùm cantaret Alexim,
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

DOMITIVS.

TESTILE] Missurus carmina Voconio Victori poëtæ, alloquitur Testilum illius puerum, in quo laudando Vocon. erat occupatus: rogat vt paulisper à poëtæ latere discedat, dum sua illi carmina legit castiganda. D

DVLCE *torm.*] Dulcis cura.

VICTORIS] Est cognomen poëtæ, sed menda librariorum scriptum erat Victuri: versus autem hoc eodem epigrammate indicat mendam.

Carmina Victori dum lego pauca tuo.

NOTIOR] Nobilior carmine poëtæ.

SIC] Precantis est, & optantis.

POSITIS *ca.*] Tonsis.

TVO *vi.*] Poëtæ tuo.

MARSI] Qui poëta captus Melænis amore compositos de ea versus ostendebat Virg.

MELÆNIS *fusca*] Epitheton conueniens: nam μέλαινα significat fuscam: id est, quemadmodum Marsus potuit ostendere Maroni cantanti Alexim, suos, ita me dico posse ostendere Voconio, quamuis tui amore ardeam.

In Cæliam. XXIX.

Das Cattis, das Germanis, das Cælia Dacis: v.Parthis
Nec Cilicum spernis, Cappadocumque toros:
Et tibi de Pharia Mēphiticus vrbe fututor,
Nauigat à rubris & niger Indus aquis:
Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum,
Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Qua ratione facis, cùm sis Romana puella,
Quòd Romana tibi mētula nulla placet?

DOMITIVS.

B DAS *Cattis*] Argumentum est epigrammatis in Cæliam, quæ insuitato genere concubitus venerei videbatur oblectari, cùm Romanum hominem nullum admitteret, vt illud, *Qua ratione facis:* Non modò interroget quare id faciat, sed quo pacto id faciat.

TOROS] Concubitus.

IVDÆOR. *recut.*] Iudæi recutiti dicuntur, quoniam Iudæis pueris cutis inguinis recidebatur: posteà cùm cutis succresceret, dicebantur recutiti, quasi noua cute tecti. Horat.1. Serm. satyr. 5. appellauit Iduæos, apellas: hoc est, cute & pelle carentes.

Credat Iudæus apella.

Hoc indicio Domit. cùm exigeret tributum è Iudæis, senem inspici iussit.

C ALANVS] Alani inter Sarmatas sunt: nam vt scrib. Plin. primum omnium sunt Scythæ degeneres à seruis orti. Troglodyti, Alani, Toxalani: aduersus Alanos poposcit opem Vologesus rex Parthorum à Vespasiano, optauitque Domit. mitti, sed non impetrauit.

EQVO *Sar.*] Nam Alani habent equos Sarmaticos, cùm sint inter Sarmatas. Sunt autem laboris patientissimi, adeò vt centena millia, & l. continuo cursu conficiant aliquando, vt Plin. scribit.

Ad Regulum. XXX.

Raucæ cortis aues, & oua matrum,
Et flauas medio vapore Chias, v.Arretinas
Et fœtum querulæ rudem capellæ,
Nec iam frigoribus pares oliuas,
Et canum gelidis olus pruinis,
De nostro tibi rure missa credis.
O quàm, Regule, diligenter erras.
Nil nostri nisi me, ferunt agelli.
Quidquid villicus Vmber, aut colonus,
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,
Aut rus marmore tertio notatum:
Id tota mihi nascitur Subura. v.illis

DOMITIVS.

RAVCÆ *cortis*] Ad Regulum, cui miserat munera

empta in foro, cùm eadem Regulus ex agro suo vberiùs haberet.

CORTIS] Pars domus, vbi altilia seruabantur.

AVES *rau.cor.*] i. aues raucas cortiles.

OVA *matrum*] Gallinarum.

CHIAS] Ficus: meliùs tamen seruabantur ficus Liuiæ, Pompeiæ, quàm Chiæ.

FLAVAS *medio vapore*] Temperato vapore aridas.

FOETVM] Hœdum.

RVDEM] Nouum, iuuenem, & ignorantem coitum.

NON *pares frigoribus*] Id est, oliuas frigore rugosas.

NON *pares*] Id est, victas.

OLVS *canum*] Herbam canam.

DILIGENTER] i. ô quàm dissimulanter erras, quia fingis te non intelligere hoc.

NISI *me*] i. nisi victum meum.

ID *tota subura*] Vbi res venduntur.

QVICQVID *Vmber*] Id est, tuus villicus Vmbri ruris.

GEORGIVS.

RAVCÆ *cortis aues, & oua matrum*] Varro in origine Latinæ linguæ cortem in villa ex pluribus tectis coniungi ait, ac vnum quiddam fieri. Vnde & nomen, vel quod circa eum locum coërcetur pecus. Nonius vero Marcellus spatia esse villarum intra materiam tradit, secutus eundem Var. Ouid. cohortem dixit in Fastis:

Abstulerat multas illa cohortis aues.

Quare non video cur cortem dixerit partem domus: magis cum altilia seruarentur, & eo magis cùm altilia in viuarijs, non in corte, saginentur.

Ad Atticum. XXXI.

Attice, facundæ renouas qui nomina gentis,
Nec sinis ingentem conticuisse domum:
Te pia Cecropiæ comitatur turba Mineruę,
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At iuuenes alios " * *fracta colit aure magister,*
Et rapit immeritas sordidus vnctor opes.
Non pila, non follis, nõ te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
° *Vara, nec iniecto ceromate brachia tendis:*
Non harpasta vagus puluerulenta rapis:
Sed curris niueas tantùm prope Virginis vndas,
Aut vbi Sidonio taurus amore calet.
Per varias arteis, omnis quibus area seruit,
Ludere cùm liceat, currere pigritia est.

* Fracta aure, id est, ἀπὸ ϖλαδίας, vel ἀπὸ κατταγοῖς, qui in gymnasijs pugiles exercet ur. " Vide Turnebum lib. 24. cap. 18. ° Vara habent alij codices manuscripti, vara.

DOMITIVS.

ATTICE] Pomponius Atticus primus cognomen cùm doctrina reportauit ab Athenis, vt ait Cic. quod in eius familiam est propagatum, nam ex eo di-

A cti sunt Attici: ad Atticum nunc scrib. Martial. temporis sui dantem operam Philosophiæ, hoc tamen damnat in eo quod publica vitet gymnasia, & potiùs cùm vult sudare, currat, quàm aliud exercitationis genus velit peragere. hic sensus non placet, quem nonnulli hactenus secuti sunt, ego quid sentiam dicam in calce huius epigrammatis.

ATTICE *fa.*] i. doctæ gentis, nam ille primus cognomen ex Athenis retulerat.

INGENTEM *do.*] i. Atticorum.

CONTICVISSE] Carere eloquentia.

TVRBA *cecropiæ Mineruæ*] Id est, turba studiosorum.

OMNIS *sophos*] i. omnis sapiens, & omnis doctus amat te.

MAGISTER] Gymnasij.

COLIT] Alios iuuenes.

FRACTA *aure*] i. clamoribus.

B VNCTOR] i. aliptes.

SORDIDVS] Auarus.

RAPIT *op.*] Spoliat iuuenes opibus.

FOLLIS] Genus pilæ. Sueton. de Augusto: Ad pilam, & folliculum est reuersus.

PAGANICA] Pila.

STIPITIS] Exercebantur tirones in campo Martio incursantes ad palum: quod Salust. scrib. in historijs, & qui tradiderunt præcepta de re militari, eodem exercitationis genere qui erant intraturi thermas. Iuuen.

—— *Aut quis non vidit vulnera pali,*
Quem cauat assiduis sudibus scutoque lacessit.

ICTVS *hebes*] Quia non resistit nec sentit stipes.

CEROMATE] Ceroma erat genus vnguenti ex cœno, & oleo, quo vtebantur palæstritæ.

VARA *bra.*] Qui habent leuiter obtorta crura, & vara sunt brachia palæstritarum, cùm aduersarium amplectantur, vt hic.

C ARPASTA] Arpastum genus pilæ.

PVLVERVLENTA] Quia per terram iactabatur.

CALET *amo. si.*] i. in porticu Europæ: hæc duo loca patebant ad cursum, vt suprà.

AREA] Gymnasij. Quòd dictum est ex communi sensu, ego autem ita sentio laudari Atticum, quòd deuitet exercitationes pertinentes potiùs ad luxum, quàm ad rectam valetudinem, & relicto gymnasio cursu exerceatur, & dicat eos, qui exercentur in gymnasio esse pigros: veram autem exercitationem esse cursum.

CVM *liceat currere*] Quemadmodum Atticus: & ita legas,

Ludere per omnes varias artes quibus area seruit.

Hoc est, quæ in Gymnasio exercentur.

EST *pigritia*] Pigritiæ & desidiæ. id est, *cum liceat currere.* id est, cùm te cursu possis exercere, quod Atticus facit.

D

In Cinnam. XXXII.

Sordidior cœno cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, niue:
Deiecto quid inepte pedes perfundis amictu?
Collige Cinna togam, calceus ecce perit.

Ad Seuerum. XXXIII.

Quo poßit fieri modo, Seuere,
Vt vir peßimus omnium Charinus
Vnam rem bene fecerit, requiris?
Dicam sed citò, quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?
Non deest protinus ecce de malignis,
Qui sic rancidulo loquatur ore,
Vt quid tu domini, deique nostri
Præfers muneribus Neronianas
v. cinaedi. *Thermas? præfero balneis* "*cinaedi.*

DOMITIVS.

QVO *possit*] Charinus quem impudicum fuisse suprà ostendit, balnea extruxit, quæ cùm essent in omnium admiratione, ait poëta, non mirum esse ab homine pessimo rem vnam esse benefactam, quando Nero omnium pessimus thermas pulcherrimas ædificauit: simul respondet calumniatoribus, quòd visus sit anteponere Neronianas thermas ædificijs Dom. duorum, inquit, impudicorum ædificia confero: Nero thermas ædificauit, Gymnasiumque, quæ vt frequentarentur, senatores, & equites oleo donauit ad id necessario. Tranquil.

ORE *ranci.*] Inuido. Persi.

Rancidulum quiddam balba de nare locutus.

DOMINI] Domit.

MVNERIBVS] i. ædificijs.

PRÆFERO *balneis cinaedi*] Scil. Charini: hoc est, duos impuros comparo. verba sunt poëtæ respondentis calumniatori.

BALNEIS *cinaedi*] Charini impuri præfers thermas Neronianas. Verba calumniatoris arguentis poëtam.

v. Ad Lecaniam.

"In Matronam. XXXIV.

Inguina succinctus nigra tibi seruus aluta
Stat, quoties calidis tota foueris aquis.
Sed meus, vt de me taceam, Lecania, seruus
v. Iudaeum. *Iudæum nulla sub cute pondus habet.*
*Sed nudi tecum iuuenesque senesque * lauamur.*
An sola est serui mentula vera tui?
Ecquid fœmineos sequeris matrona recessus?
Secretusque tua cunne lauaris aqua?

DOMITIVS.

INGVINA] Lecania cùm in balnea veniret, iubebat sibi astare seruum obligatis pudendis: subligaculo autem vtebantur, cùm alij, tùm histriones indumento à genibus ad vmbilicum, non modò vt partes illas velarent, sed vt, etiam inguina comprimerent libidine, nam frequenti coitu raucescebat, hoc demonstrat infra Mart. Lecania autem húc seruum volebat vti subligaculo in balneis, cùm alij nudi essent: hac de caussa, vt suspicatur Martia. vt postea

A secretiùs lauaretur ab eodem seruo recenti ad opus: id est, futueretur à seruo, qui in alijs latus non fatigasset.

SED *meus*] Sensus est: Quare mecum lauaris, & cum seruo meo, qui sumus sine subligaculis, immo seruus ne præputium quidem tegit?

IVDÆVM *pondus*] i. inguina Iudæa, i. circuncisa & aperta, vt Iudæus est.

FOEMINEOS *recessus*] Id est, occultam lauationem.

TVA *aqua*] i. tuo riuo. i. tuo spermate. Virg. in obscœno carmine.

Quam non patieris, ore fouebis aquam.

Id est, sperma.

Ad Stellam. XXXV.

B

Cùm pluuias, madidumque Iouem perferre negares,
Et rudis hibernis villa nataret aquis,
Plurima quæ posset subitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula missa tuis.
Horridus ecce sonat Boreæ stridore December:
Stella tegis villam, non tegis agricolam.

DOMITIVS.

CVM *pluuias*] Stella miserat tegulas Martia. vt tegeret villam in hyeme. Mart. poscit quemadmodum tegit villam, ita tegat agricolam. i. Martialem. i. mit-
C tat togam. tegulæ balneis accommodatæ mammatæ dicebantur, reliquæ tectis domorum.

PLVVIAS] Nimbos.

IOVEM *madidum*] i. cœlum madidum.

NON *tegis agricolam*] Id est, non das mihi togam, vt tegar.

Ad Castricum de theta. XXXVI.

*Nosti * moriferum quæstoris, Castrice, signum,* v. mortiferum.
Est operæ pretium discere theta nouum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem iuguli iusserat esse notam:
D *Turpis ab inuiso pendebat stiria naso,*
Cum "fleret madida fauce December atrox. v. flaret, alij flaret.
Collegæ tenuere manus, quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

DOMITIVS.

NOSTI] Quæstor Domitiani in exercitu nouitate quadam signi indicabat percussori cùm vellet aliquem interfici, emungebat nasum, signum autem ab alijs dari solet, vt theta inscriberetur, propterea theta dicitur signum mortis. Persi.

Et potis est vitium mortis præfigere theta.

Hunc quæstorem volentem emungere nasum, col-

legæ prohibuerunt. Iocatur poëta quòd qui paulo ante imperabat necem alijs, nunc non potuerit emungere nares.

MORTIFERVM *signum*] Necis, est theta.

OPERÆ *precium*] Iuuat.

IVGVLI] Necis.

STIRIA.] Vt Palæmon interpretatur, est gutta pendens, quæ nondum cecidit.

INVISO *naso*] Quia cum tangebat nasum, erat iudicium necis.

NON *licuit*] Quia tanquam imperaturus necem alijs prohibitus est emungere nares.

De Polyphemo. XXXVII.

Tantus es, & talis nostri Polypheme Seueri,
Vt te mirari posit & ipse Cyclops:
Sed nec Scylla "*minus, quòd si fera monstra duorum*
Iunxeris, alterius fiet vterque timor.

*v. minor. Huc vide Turn. l. 28 & 18.

DOMITIVS.

TANTVS] Polyphemus, & Scylla erant serui Seueri, vt non modo alijs possent incutere terrorem, sed se ipsi inter se timerent.

TANTVS] Tam magnus.

TALIS] Id est, tam deformis.

CYCLOPS] i. Polyphemus.

SCYLLA] Serua Seueri.

FERA *monstra*] i. ambos.

VTERQVE *timor*] i. alter alterum timebit.

De Cælio. XXXVIII.

Discursus varios, vagumque mane,
Et fastus, & aue potentiorum,
Cùm perferre, patique iam negaret,
Cœpit fingere Cælius podagram,
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit, obligatque plantas,
Inceditque gradu laborioso,
Quantum cura potest, & ars doloris?
Desit fingere Cælius podagram.

DOMITIVS.

DISCVRSVS] In Cælium, qui dum recusaret laborem salutandi, cœpit fingere podagram, & ita finxit, vt paulò posteà cœperit laborare. Ridet Poëta tantam fuisse artem Cælij, vt non modo fictam podagram, sed veram expresserit.

FINGERE *po.*] Se laborare podagra.

DISCVRSVS] Eodem verbo vtitur Iuuen.

Gaudia discursus.

VAGVM *mane*] Id est, matutini temporis labores, quo tempore omnes vagabantur, ad salutandos diuites.

AVE] Salutationem.

PLANTAS *sanas*] i. pedes non laborantes.

GRADV *laborioso*] Quia ita incedit, vt videatur dolere.

DESIT *fingere*] Quia veram habebat podagram.

Epitaphium patris Etrusci. XXXIX.

Hîc iacet ille senex Augusta notus in aula,
Pectore non humili passus vtrumq; deum:
Natorũ pietas sanctæ quem cõiugis vmbris
Miscuit: Elysium possidet "*vmbra nemus.* *v. ambo, pro ambos.
Occidit illa prior viridi fraudata iuuenta,
Hic propè ter "*senas vidit Olympiadas.* *v. denas
Sed festinatis raptum te credidit annis,
Adspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

DOMITIVS.

HIC *iacet*] Etruscus, qui ab exilio lachrymis filij fuerat restitutus, vt supra dictum est, nunc moritur. Poëta epitaphium componit, quo laudat pietatem filij superstitis, ita amissum patrem lugentis, vt non nonagenarium senem, sed patrem iuuenem ante tempus ereptum lugere videretur.

ILLE *sc.* Etruscus.

IN *aula Augusta*] Domit.

PASSVS *vtrumque Deum*] i. Claudium & Neronem. Etruscus pater, seruus fuit Claudij, à quo eadem conditione traditus est Neroni, vt in syluis apertè docet Papin.

Terribilem affatu passus, visuque Tyrannum,
Immanemque.

Præterea.

Nondum stelligerum senior demissus in axem
Clau. & longo transmittis habere nepoti.

NON *humili passus*] Magno animo.

CONIVGIS] Vxoris.

AMBO.] Casus Græcus est pro ambos. Vt illud Virg. *Si duo præterea.*

Legitur ab alijs, loco *Ambos*, Vmbra, & meliùs.

FRAVDATA *iuuenta*] Mortua ante tempus.

TER SENAS *olympiadas*] Id est, nonagesimum annum.

Ad Sempronium Tuccam. XL.

"*Cosmicos esse tibi Semproni Tucca videris,* *Vide Turneb. lib. 28 & 4.
Cosmica Semproni tam mala, quàm bona sunt.

DOMITIVS.

COSMICOS] Cosmici dicuntur ornati.

SEMPRO. *Tuc.*] Tucca cùm esset ornatus, volebat videri formosus, dictitans se esse cosmicum, poëta ait, non modo res bonas, sed etiam malas posse ornari, hoc est, ipsum quoque esse malum, quamuis cosmicus esset.

Ad Castricum. XLI.

Muneribus cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
Nos tenues in vtroq; sumus, vinciq; parati,
Inde sopor nobis, & placet alta quies.

Tam mala cur igitur dederim tibi carmina,
quæris?
Alcinoo nullum poma dedisse putas?

DOMITIVS.

MVNERIBVS] Castricus & eruditissimus poëta, & diues fuit. Mar. cùm alij amicis munera mitterent; ipse munerum loco mittere solebat carmina. neutrum poterat efficere in Castricum, qui nec egebat muneribus, nec carminibus, paulò tamen ante dederat epigramma ad poëtam, nunc refert causam, quare miserit, ait enim & hoc accidisse, vt Alcinoo pomorum copia reliquos mortales superanti, aliquis aliquando miserit poma.

MVNERIBVS] Sensus est horum versuum, Castricum non posse superare muneribus, aut carminibus.

HIC *etiam*] Eadem temeritate.

IN *vtroque su. te.*] Laboramus inopia munerum, & carminum.

VINCIQVE *pa.*] Facile cedimus.

INDE] Cum non possumus mittere bona carmina.

DEDERIM] Ausus sim dare.

ALCINOO] Alcinous Nausithoi filius celeberrimus carmine Hom. in Odyssea, Corcyram, in qua erant populi Phæaces insigni iustitia rexit, tanta pomariorum copia, & fertilitate, vt, authore Homero, præmaturis fructibus noui statim succederent. Papin.

Quid bifera Alcinoi laudem pomaria. Ouid.
—— Phæacum felicibus obsita plantis
Iura petunt. ——

Huius filia Nausicaa nudum & naufragum ex littore Vlyssem domum perduxit.

In Cinnam. XLII.

Primum est, vt præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
; v. sl. *Illud deinde sequẽs, vt citò, Cinna, neges.*
Diligo præstãtem: non odi, Cinna, negãtem.
Sed tu nec præstas, nec citò, Cinna, negas.

Idem Græcè.

Πρῶτα ἐμοὶ παρέχεις ἐθελούσιος, ὅττι σ᾽ ἀπαιτῶ.
Αἶψ᾽ ἀποφάναι αὖ, δεύτερόν ἐστι γέρας·
Δόντος ἐρῶ κάρτ᾽, οὐ μισῶ γ᾽ ἀρνούμενον ἔμπης,
Κίννα, σὺ δ᾽, οὔτ᾽ ἀρνῇ αἶψα μάλ᾽, οὔτε δίδως.

DOMITIVS.

PRIMVM] Cinna nec dabat Mart. quòd poscebat dari. nec negabat omnino, sed diu habebat ipsum suspensum & sollicitum.

PRIMVM *est vt præstes*] i. prima gratia est tui beneficij, vt præstes.

SED *tu nec præstas*] Ideo non diligo te.

NEC *cito Cinna negas*] Propterea odi te.

Ad Ouidium. XLIII.

Vide Lips. lib. 2. ep. 5. "*Maximus ille tuus, Ouidi, Cæsonius hic est,*
Cuius adhuc vultum viuida cera tenet.
A *Hunc Nero damnauit, sed tu damnare Neronem,*
Ausus es, & profugi, non tua fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exsulis isti,
Qui modò nolueras consulis ire comes.
Si victura meo mandantur nomina chartis;
Et fas est cineri me superesse meo:
Audiet " hæc præsens, venturaque turba, fuisse ; v. ego
Illi te, Seneca quod fuit ille suo.

DOMITIVS.

MAXIMVS] Maximus Cæsonius singulari amicitia cum Anneo Sene. iunctus, missus est à Ner. in B exilium. Ouid. eum secutus est, non veritus principis indignationem, & contempta gratia, qua apud illum valebat, idem amicum amissum tabella expressum habebat apud se: cuius picturæ hoc additur carmen à Mart.

VIVIDA] Veris lineamentis expressis.

HVNC] Cæsonium.

DAMNARE *Ner.*] Ausus es sequi damnatum, & negligere Neronem, apud quem gratia valebas, nam damnare est condemnare: damnare item est aliquid tanquam detestandum omittere, vt supra de Othone.

Damnauit multo saturatum sanguine Martem.

Et ita hic accipitur.

NON *tua fata*] i. non tuam sortem felicem apud C Neronem, id est, maluisti sequi malam sortem amici quàm tuam felicem.

MAGNVS *co.*] Qui magnus eras apud Neronem.

ÆQVORA *Scyl.*] i. freta Sicula. Scylla scopulus maris Siculi, naufragijs, & periculis insignis. Maximus Cæso. proconsulatum Africæ gessit temporibus Neronis.

PRÆSENS *& ven. tur.*] i. præsentes, & posteri.

NOMINA *victura*] Fata immortalia præstabunt meum carmen legi post mortem.

QVOD *ille sen.*] Nam Maximus Cæso. non dubitauit Senecam damnatum profiteri sibi esse amicum. Temporibus etiam Claudij damnatus est Sene, sed mox ab exilio restitutus, vt scrib. Taci.

D Ad eundem. XLIV.

Facundi Senecæ potens amicus,
Caro proximus, aut prior sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix littera pagina salutat:
Hunc tu per Siculas secutus vndas,
O nullis Ouidi tacende linguis,
Spreuisti domini furentis iras,
Miretur Pyladem suum vetustas,
Hæsit qui comes " exsuli parentis, y. Εταῖρος
Quis discrimina comparet duorum?
Hæsisti comes exsuli Neronis.

DOMITIVS.

DOMITIVS.

FACVNDI] Serenus, Carus, Statius, vt scrib. Tacit. Senecæ amicissimi fuerunt. eodem argumento est epigramma, quo superiùs. præponit amicitiam Ouidij maximo amori Pyladæ in Orestem: hoc carmen additur picturæ Cæsoni.

SALVTAT *fre. pagi.*] i. ad quem toties scripsit Seneca.

AMICVS *potens*] Quia plurimum valebat apud Neronem.

PROXIMVS *Caro*] Amore in Senecam.

AVT *p ior Sereno*] Id est, qui pari amore cum Caro diligebat, aut vehementiore quàm Serenus, Senecam.

DOMINI] Neronis.

VETVSTAS] Antiquitas.

EXVLI *paren.*].Pylades secutus est Orestem, qui matre interfecta, in exilium abijt, furijs agitatus.

EXVLI] Oresti.

PARENTIS] Clytemnestræ matris cæsæ à se.

DVORVM] Pyladæ, & Ouidij.

EXVLI *Ne.*] Pylades nihil timebat. At Ouid. Neronem debebat vereri, plus igitur est.

Ad Priscum. XLV.

Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,
Mæonioque cupis doctius ore loqui,
Excrucias multu pariter, me, teque diebus,
Et tua de nostro, Prisce, Thalia" placet. v. tacet. Turn. l. 24. c. 28.
Diuitibus poteru musas, elegosque sonantes
Mittere, pauperibus munera" pexa dato. v. plana, similiũ carminibus nō condita.

DOMITIVS.

COMMENDARE] Priscum accusat, qui pollicitus se missurum munus Mart. id differebat, cupiens vna mittere carmen: at poëta inquit, sibi pauperi mittendum esse munus expolitum: diuitibus, pulchros versus.

EXCRVCIAS] Habes me anxium expectantem munus.

ORE *Mæonio*] Homeri ore.

PLACET] Concinnatur.

DE *nostro*] i. de nostro damno.

PEXA *munera*] i. pulchra, nam pexa dicit, vt referat hoc ad vestem pexam. i. refertam & plenam sine vllis illecebris, vt tractum sit à pexis vestibus hyemalibus grandioris pili. placet prior sententia: in alio codice legitur, plena munera.

Ad Licinium. XLVI.

Doctorũ Licini celeberrime, summe virorũ,
Cuius prisca graues lingua reduxit auos.
Redderis heu quanto fatorum munere nobis,
Gustata Lethes pæne remissus aqua.
Perdiderãt iam vota metũ, securaq; " flebat v. flebant
" Tristitia, & lacrymis iamque peractus eras. v. Tristia.
A *Non tulit inuidiam taciti regnator Auerni,*
Et " raptas fatu reddidit ipse " colos. v. raptum. v. solo.
Seu igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Mouerit, & frueris posteritate tua.
Viue velut rapto, fugitiuaque gaudia carpe:
Perdiderit nullum vita reuersa diem.

DOMITIVS.

DOCTORVM] Licinium Suram conualuisse lætatur, de quo in aduersa valetudine desperatum erat, simul monet amicum, vt cùm euaserit periculum mortis, reliquam vitam agat cum voluptate, & relaxatione animi, nullo die prætermisso.

B LINGVA *pri.*] Imitata priscos.

AVOS *graues*] Id est, instituta, & doctrinam antiquorum.

QVANTO *munere*) i. grato munere mortalibus.

GVSTATA *Lethes aqua*, Hoc est, gustato flumine infernali, nam animæ ad superos rediture in noua corpora, vt cecinit poëta, potant aquam Lethei fluminis.

PERDIDERANT *metum*) i. vota suscepta pro te, non putabant se deberi, & persolui, quia non putabant euasurum.

TRISTITIA *se.*) Deposita cura te euasurum flebat.

PERACTVS *lachrymis*) i. iustas lachrymas omnes emiserunt, tanquam si mortuus esset.

REGNATOR *taciti Auer.*) i. Pluto.

C NON *tu in.*) i. non potuit perferre loquelas hominum lugentium te.

COLOS *ra.*) i. pensa, ipse restituit colos raptas Parcis, quas deposuerant sorores.

MORS *falsa*) i. falso existimata de te.

FRVERIS *poste.*) i. ita viuis nunc inter eos qui sunt tibi posteri, quia habebaris mortuus.

VIVE) Da operam relaxationi animi.

VELVT *rapto*) Nam qui viuunt rapto, maiori studio & diligentia res raptas amplectuntur: hoc est, cõsume omnes dies, ac si eos raperes.

GAVDIA *fu.*) i. gaudia, quæ citò labuntur, vt suprà. *Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.*

VITA *reu.*) Iterum data tibi. i. nullum diem voluptatis prætereas.

D

De Annio. XLVII.

Cùm mensas habeat ferè " ducentas, v. trecentas. Vide Tur. lib. 11. c. 14.
" Pro mensis habet Annius ministros: Gabatæ lances, catinæ & scutulæ.
Transcurrunt " gabatæ, volantque lances.
Has vobis epulas habere lauti:
Nos offendimur ambulante cœna.

DOMITIVS.

CVM *mensas*) Instituerant antiqui cœnam, quam appellabant ambulatoriam ministris circumferentibus vasa. Si pauperes inuitabantur, rarius ad eos accedebãt ministri ditioribus seruientes: hanc igitur cœnam pauper Mart. damnat.

PRO *mensis*] Loco mensarum.

GABATÆ) Vasa concaua, dicta, quia sunt concauata.

LANCES] Patinæ minus excauatæ.
TRANSCVRRVNT] Ministris circunferentibus.
O lauti] O diuites.
HABETE vobis] Has epulas.
OFFENDIMVR cœna] Quia non vescimur.

Ad Seuerum. XLVIII.

Parua suburbani munuscula mittimus horti;
Faucibus oua tuis: poma, Seuere, gulæ.

Idem Græcè.

Κήπου ἐκ προαστεῶς δωρήματα πέμπομεν ἄπλα·
Ὠὰ φάρυγγι τεῇ, μῆλα δὲ λαιχαρίῃ.

DOMITIVS.

PARVA] Seuero misit & oua, & poma, sed ne videretur gulosum amicum existimare, ait se mittere poma, vt vescatur: oua, vt raucam vocem aperiat, & vt faucibus mederetur, & vt vox fieret clarior: nam vlceratis faucibus oua medentur: author Plin.

Ad fontem Hiantidos. XLIX.

Fons dominæ, regina loci, quo gaudet Hiātis,
Gloria conspicua, deliciumque domus:
Cùm tua tot niueis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedeo luceat vnda * *choro:* (*v. choro.)
Quid facit Alcides sylua sacratus in ista?
Tam vicina tibi cur tenet antra Deus?
Numquid nympharum notos obseruat amores?
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

DOMITIVS.

FONS domina] Violantilla magnificas habebat ædes, quæ à Papin. in epithalamio Stellæ describuntur:

Lecta Dea sedes veris nec sordet ab astris.

In his fons erat, Papin.

Perspicui viuunt in marmore fontes.

Proximo nemore consecrato Herculi, argumentum suprà est expositum: ait Poëta aptè hoc factum, vt Hercules sit proximus, ne scil. multi niuei ministri rapiantur à nymphis, vt Hylas raptus fuit.
DOMVS delic.] i. domus Violantillæ.
LVCEAT] Accipiat lucem.
CHORO Gan.] Ministris similibus Ganymedi.
OBSERVAT] Custodit.
NOTOS] Quo nouit amores nympharum.

Ad Vrbicum. L.

Mercari nostras si te piget, Vrbice, nugas,
Et lasciua tamen carmina nosse libet:
Pompeiū quæras: & nosti forsitan Auctum,
Vltoris prima * *Martis in æde sedet.* (*Martis vltoris ædes ab Augusto condita, post victoriam in Philippis.)
A *Iure madens, varioque togæ limatus in vsu;*
Non lector meus hic, Vrbice, sed liber est.
Sic tenet absentis nostros, cantatque libellos:
Vt pereat chartis littera nulla meis.
Denique, si velles, poterat scripsisse videri,
Sed famæ mauult ille fauere meæ.
Hunc licet à decima (nec enim satis antè vacabit)
* *Solicites: capiet cœnula parua duos.* (*v. Sollicitos.)
Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille sonabit:
Et cùm iam, satis est, dixeris, ille leget.

DOMITIVS.

B MERCARI] Vrbicum monet, vt si velit audire suos versus, neque eos emere, eat ad Pomp. vel ad Auctum, qui omnes memoria tenebant.
MERCARI] Emere.
NOSTRAS nugas] i. nostros libellos.
SEDET] Habet domicilium.
IN prima æde Martis] Quod templum reliqua superat magnificentia. Martis vltoris templum ædificauit Augustus Cæs. quod vouerat in bello Philippensi aduersus Brutum, & Cas. Vltorem appellauit, quoniam id bellum susceperat ad vlciscendam mortem Cæs. patris.
IVRE mad. sordibus] Sunt qui legunt iure madens, i. iure peritus, sed non placet.
LIMATVS] Habens limatam, & attritam togam.
IN vario vsu togæ] i. dum omnibus in rebus vtitur eadem toga.
NON lector meus] Non legit modo mea carmina.
SED liber est] Hic sic tenet memoria mea carmina, ac si esset liber.
C ABSENTEIS] Non inspectos.
VT nulla litt.] i. ne minima quidem syllaba pereat.
DENIQVE si velles] i. posset videri author carminum, adeò bene memoria tenet meos versus.
SOLLICITES] i. prouoces ad recitanda carmina.
NEC satis antè vacabit] i. non vacuus erit omnino negocijs. Iuuen.

Si vacat & placidi. &c.

Quintil. Marsus & Pedo legendi, si vacet, id est, si ocium sit.

Ad Auctum. LI.

Gratum est, quòd Celeri nostros legis, Aucte, libellos:
D *Si tamen & Celerem quod legis, Aucte, iuuat.*
Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in nostro certior orbe fides.
Maior me tanti reuerentia turbat: & aures
Non auditoris, iudicis esse puto.

DOMITIVS.

GRATVM] Celer magistratum habuerat in Celtiberia: idem post reditum in vrbem ex Pompeio Aucto audiebat carmina Mart. monet poëta Auctum

se magnopere vereri aures Celeris, quoniam non videatur auditor, sed iudex Celtiberorum: nam & Mart. erat Celtiber. A

SI *tamen iuuat*] i. probatur à Celere: nam si offenderet nollet recitari.

CELTAS *Iberos*] i. Celtiberos, nam Celtæ cùm tenuissent ripas Iberi, sunt Celtiberi nominati.

CERTIOR] Sanctior.

MAIOR] Reuerentior, quia rexit Celtiberos.

IVDICIS] Alludit ad id quod fuerat iudex in Hispania.

In Vmbrum. LII.

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Vmber,
Munera, cõtulerant quę tibi quinque dies,
Bis senos triplices, & dentiscalpia septem:
His comes accessit spongia, mappa, calix,
Semodiusque fabæ cum vimine Picenarum, B
"Et Laletanæ nigra lagena sapæ:
Paruaque cum canis venerunt " coctana prunis,
*Et Libycæ * fici pondere testa grauis.*
Vix puto triginta nummorum tota fuisse
Munera, quæ grandes octo tulere Syri.
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer?

* Laletanũ vinũ ignobile habetur.
* Coctana, vide Plin. l.13.c.5. & Turn. l.15. c.18.
* v. ficus.

DOMITIVS.

OMNIA] Vmbrum causidicum deridet, qui quæcunque munera à clientibus in Saturnalibus acceperat, miserat Mart. Ea autem erant vilissima, & nullius fermè precij, eiusdem munerum vilitatem Iuuen. satyrico carmine insectatur: C

Vix octo serui potuerunt ferre munera Mart.

Facilius, inquit poëta, vnus puer potuisset mihi ferre quinque libras argenti.

QVINQVE *dies*] Quia Saturnalia durabant v. diebus.

TRIPLICES *pu.*] De quibus dicemus in distich.

SPONGIA *accessit comes*] i. venit comes.

VIMINE *Picenarum*] i. cum cistella oliuarum.

SAPÆ *Laletana*] Appellat vinum Laletanum sapam, quia erat fæcosum, habebatque plurimum fæcis: suprà,

A caupone tibi fex laletana petatur.

De hoc vino (vt puto) intellexit, cùm dixit:

Plurimus hispanas mittet mihi nauta metretas.

Iuuenal. dixit de vino misso causidicis,

Vinum Tiberi deuectum.

COETANA] Coctanum ficus est ex Syria. Plinius ita scrib. Syria in ficorum genere habet caricas, & minores eius generis. quæ coctana vocant. Item pruna in Damasco monte nata.

CANIS *prunis*] i. rugosis: & suprà,

Acuta senibus testa cum Damascenis.

Ex Syria mittebantur serui, iccirco Iuuen.

Quo pruna. & coctana venta.

Id est, venit venalis seruus.

FICVS *Libyca*] In hyeme producebantur artificio mortalium frigidissima ipso etiam tactu: suprà,

Et ficus Libyca gelata testa.

FVISSE *nummorum xxx.*] i. fuisse precij xxx. nummorum.

In Nasidianum. LIII.

Semper mâne mihi de me " mera somnia narras,
Quæ moueant animum, solicitentq; meũ.
Iam prior ad fecem, sed & hac vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Cõsumpsi salsasq; molas, & thuris aceruos:
Decreuere greges, dum cadit agna frequẽs.
Non porcus, non cortis aues, non oua supersunt.
Aut vigila, aut dormi, Nasidiane, tibi.

* Pulm. cod. tua.

DOMITIVS.

SEMPER *man.*] Nasidianus captabat olim munera à Mart. blanditijs, sed cùm poëta iam aspernaretur, excogitauit nouum aucupij genus: solebat enim dicere se vidisse somnia plena terroris Mart. ad quæ placanda postulabat modò thus, modò agnam, modò porcum: poëta respondet.

IAM *prior vindemia*] i. prius illud aucupium, quo vtebaris apud me.

VENIT *ad fe.*] i. defecit.

SED & *hac*] Et etiam hoc nouum aucupium defecit.

SAGA] Mulier maga.

EXORAT] Placat.

TVAS *noctes*] i. tua somnia horrenda de me.

CONSVMPSI] Dando tibi.

MOLAS *salsas*] Molam salsam. i. pecuniam pro mola salsa ad sacra.

DECREVERE] Sunt imminuti.

CADIT] Interficitur propter somnia.

AVES *cortis*] i. aues cortiles.

DORMI *tibi*] i. in tuam perniciem, & non in meam.

In Chrestum. LIV.

Nulli munera Chreste si remittis,
Nec nobis dederis, remiserisque,
Credam te satis esse liberalem.
D *Sed si reddis Apicio, Lupóque,*
Et Gallo, Ticioque, a Gellioque,
b Lingas non mihi (nam proba & pusilla est)
Sed quæ de Solymis venit perustis
*Damnatam modò mentulam " * tributis.*

* a v. Cassioq;
* b v. Lingas.
* tributi. Ita Turnebus reponit. * li.24. c.18.

DOMITIVS.

NVLLI *muner.*] Chrestus acceptis muneribus ab amicis nihil remittebat, sed irrumatoribus fellando satisfaciebat: si, inquit Poëta, ita satisfacis omnibus, satisfacies etiam meis muneribus, quæ misi tibi fellando, non me, sed seruum meum, qui Iudæus est.

SI *nulli remittis*] Si nulli reddis.

NEC *mi. re.*] Patiar mihi non remitti.

SED *si rem*] Si satisfacis.

LVPOQVE *Gal.*] Sunt irrumatores.

LINGAS] Scil. mentulam.

PROBA] Scil. mentula mea.

DE *Solymis perustis*] i. a Iudæis. i. serui mei, qui venit è Iudæa. i. ex Ægypto: suprà,

Sed meus, vt de me taceam, Lecania, seruus
Iudæum nulla sub cute pondus habet.

DAMNATAM *modò mentulam tributis*] Mentula damnata tributis dicitur, quoniam cùm Domitia. exigeret tributa Iudæorum, multi ne soluere cogerentur, dissimulabant originem, negantes se esse Iudæos, sed si differebantur, inspiciebant an essent circuncisi, & ita deprehendebantur. Interfui, inquit Tranquil. adolescentulus, cùm senex nonagenarius inspiceretur à quæstoribus, & frequenti concilio, an esset circunsectus: nam circunsecti damnabantur ad soluenda tributa: mentula igitur damnata tributis, dicitur concisa. i. Iudæa: quoniam eo iudicio damnabantur ad tributa.

Ad Rabirium. LV.

Astra polumq; tua cœpisti mente, [*] *Rabiri:*
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Ioui dare tẽpla [**] *parauit,*
Has petat à nostro Pisa tonante manus.

[* Architectus hic fuit Domitiani. ** Parabit Turn. legit, lib. 14. c. 18.]

DOMITIVS.

ASTRA] Laudat Rabirium architectum, qui ædem Flauiæ genti erexit, ea enim ædificari voluit Domitia. Tranquil. teste: vel Domit. domum struxit, de qua infrà: quod placet.

COEPISTI] Arte complexus es.

DOMVM *Parrhasiam*] i. domum Palatinam, hoc enim placet potiusquam ædem Flauiam. Domus Palatina dicitur Parrhasia ab Euandro Arcade. Silius:

Adspice montis apex vocitata palatia regi
Parrhasia. Virgilius,
Parrhasio dictum Panos de monte Lycei.

Non placet, quod suspicantur nonnulli, domum Domit. dici Parrhasiam, quia in Germania, sub Parrhaside vrsa multa gesserit, vnde Germanicus est dictus. Spoliorum illorum meminit Plin. in laudibus Traiani. Parrhasius item proprio nomine fuit pictor.

PISA] Ciuitas in Peloponneso non procul ab Elide, quæ habuit Iouis Olympici imaginem fictam à Phidia.

PARAVIT] Cogitauit dare.

MANVS *has*] Rabirij.

A *nostro tonante*] i. Domit. Phidias illuc simulachrum Iouis effinxit, quod cùm est dicatum, tonitru Iuppiter signum dedit sibi placere: vt scrib. Pausan.

De Achilla. LVI.

Castora de Polluce Gabinia fecit Achillam:
[*] *Pyxagathos fuerat, nunc erit Hippodamus.*

Idem Græcè.

[**] Ἱππία ἐκ Πολυδεύκευς Κάστορα θῆκεν Ἀχιλλᾶν·
Πὺξ ἀγαθός ποτ' ἔην· νῦν δ' ἔσετ' ἱππόδαμος.

[* πὺξ ἀγαθὸς, id est, pugnis bonus. Alludit ad Orphei illũ versum, Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. ** Pro Gabinia nomen Hippiæ ab equo fictũ, supposuimus, vel allusioni ad equi domitorem alluderet.]

DOMITIVS.

CASTORA] Gabinia mulier Achillam iuuenem pugilem donauit tantis opibus, vt esset eques. Castor fuit Hippodamus. i. equorum domitor. Pollux eius frater fuit pugil. Versus Homer. ijsdem verbis bis repetitur:

Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν πολυδεύκεα·

Hoc est, Castora domitorem equorum: & Pollucem pugnis fortem. hoc versu iocatur poëta.

FECIT *Castora*] i. equitem, id est, equestri censu donauit.

DE *Polluce*] i. pugile.

NVNC *erit hippodamus*] i. erit eques: alludens ad Castorem hippodamum.

Ad Gallam. LVII.

Iam sex, aut septem nupsisti, Galla, cinædis:
Dũ coma te nimium, pexaq; barba iuuat.
Deinde experta latus, madidoque simillima loro
Inguina, nec lassa stare coacta manu,
Deseris imbelles thalamos, mollemq; maritũ:
Rursus & in similes decidis vsque toros.
Quære aliquem Curios semper Fabiosque loquentem,
Hirsutum, & dura rusticitate trucem.
Inuenies: sed habet tristis quoque turba cinædos:
Difficile est, vero nubere, Galla, viro.

DOMITIVS.

IAM *sex*] Nullum esse ait, qui non sit mollis, siue hispidus sit, siue iunior.

GALLA] Cùm elegantiores, & formosiores vellet, decepta elegantia formæ officium mariti non reperiebat, at, inquit poëta, non modò hoc in formosis continget tibi, ô Galla, sed si hispidum habueris, talem reperies, nam omnes sunt cinædi. Iuuen.

Hispida membra quidem & dura, &c.

DVM *coma*] Id est, dum sequeris formam.

IMBELLEM] Nequeuntem coire.

MOLLEM *maritum*] i. effœminatum.

QVÆRE *aliquem loquentem Fabios*] i. grauem.

TRISTIS *turba*] i. censoria, & grauis turba.

VERO *viro*] Quia omnes sunt sponsæ tam hispidi, quàm pulchri, & leues. Iuuen.

——Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis.

De Cæciliano. LVIII.

Nõ cœnat sine apro noster, Tite, Cæcilianus,
Bellum conuiuam Cæcilianus habet.

DOMITIVS.

NON *cœnat*] Cæcilianus assiduis mensis, & cœnis volebat sibi apponi aprum, quamuis alios non inuitaret. Poëta ait, quamuis Cæcilianus alium non inuitet, tamen cùm habet aprum, habet conuiuam, quasi dicat, aper blande ei consumit cœnam, & tantùm admittit, quantùm si haberet conuiuam.

Bellvm *insidiosum*] Quia Aper consumit, hoc placet potius, vt de Apro homine intelligas, infrà Poëta meminit. Vt velit decipi lectorem, vt cum de Bruto priore versu deridens tenuem mensam Cæciliani, nam Aper alienas cœnas sectabatur, vt alibi ostendit.

Ad Iouem. LIX.

Tarpeiæ venerande rector aulæ,
Quem saluo duce credimus tonantem,
Cùm votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ dei potestis,
Nil pro me mihi Iuppiter petenti,
Ne succensueris, velut superbo.
Te pro Cæsare debeo rogare:
Pro me debeo Cæsarem rogare.

DOMITIVS.

Tarpeiae] Cùm Cæsarem habeat. dicit se Ioue non indigere, neque se debere petere aliquid ab eo, nam quod ei necessarium est, potest Cæsar suppeditare: debet tantum rogare Iouem pro Cæsare, vt scilicet, diu terris imperet.

Svccensveris] i. irasceris mihi.

Avlae *Tarpeia*] Capitolij.

Qvem *cre.to.*] i. esse verum Deum.

Salvo *duce*] Dum seruas Domiti. incolumem.

Debeo *rogare Cæs. pro me.*] Quia ipse potest mihi suppeditare quæ sunt necessaria.

Te *pro Cæsare*] i. debeo ei optare incolumitatem à te.

Ad Cæsarem Domitianum. LX.

Abstulerat totam temerarius institor vrbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos:
Et modò quæ fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est præcincta lagenis:
Nec prætor medio cogitur ire luto.
*Stringitur in * densa nec cæca nouacula ° turba,* (*v. densas. °v. turbas.)
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina seruant:
Nũc Roma est, nuper magna taberna fuit.

DOMITIVS.

Abstvlerat] Domit. laudat, quòd instauratis ædificijs vicos vrbis reddiderit laxiores, & expeditos, qui paulo antè fuerunt occupati tabernis opificum, vt nunc tandem sit vrbs, quæ paulo ante erat taberna.

Institor] Rerum vilium venditor.

Nvllvm *limen*] i. nullus institor seruabat limen suum, sed confundebantur domus.

Semita] Callis.

Nvlla *pila*] Ad pilas enim res vendebantur: Horat. *Nulla taberna meos habeat, vel pila libellos.*

Lagenis *catenatis*] Vasis clausis. Iuuen.
——Postquam omnis vbique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.

Medio *luto*] Occupata via.

Novacvla *cæca*] Gladius tonsorius non visus.

Stringitvr] Nudatur, quasi dicat, tonsores non tondent in media turba. Menas duxit primus tonsorem è Sicilia.

Servant *sua limina*] i. stant intra suas casas.

Fvit *magna taberna*] Erat tota vna officina.

° In Amillum. LXI.

(° Amilli pædiconis meminit Iuuenalis Sat. 10. Ibidem. Quod discipulos inclinet Amillus.)

Reclusis foribus grandes percidis Amille:
Et te deprendi, cùm facis ista, cupis:
Ne quid liberti narrent, seruique paterni,
Et ° notet obliqua garrulitate cliens. (°v. niget.)
Non pædicari ° se qui testatur Amille, (°v. te.)
Illud sæpe facit, quod sine teste facit.

DOMITIVS.

Reclvsis *foribus grandes*] Amillus: de hoc Iuuen. *Quòd discipulos inclinet Amillus.*

Sine *teste*] Ambiguum est verbum, & cùm videatur dicere remotis arbitris, id significat quod res ista magnis testibus agetur.

Qvod *facit*] i. pathicus & fellator. i. pædicabatur & fellabat, quod vtrunque sine testibus fit, alterum natibus, alterum ore.

De Silio. LXII.

Perpetui numquã moritura volumina Sili,
Qui legis, & Latia carmina digna toga,
Pierios tantùm vati placuisse recessus
Credis, & Aoniæ Bacchica serta comæ.
° Sacra cothurnati nõ attigit antè Maronis, (°Vide Turneb. lib. 22. cap. 6.)
Impleuit magni quàm Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum grauis hasta virorum:
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annũ (Hoc enim Cos. Nero se cõsodit.)
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis, & Phœbo tradidit annos:
Próque suo celebrat nunc Helicona foro.

DOMITIVS.

Perpetvi *numquam*] Laus est Silij poëtæ.

Perpetvi *Sili*] Semper victuri.

Volvmina] i. secundum bellum Punicum.

Latia *toga.*] i. rebus gestis Romanorum. alibi legitur *latia lyra.*

Pierios *re.*] Putas ne solum Silium in poëtica versatum?

Non *ante art.*] i. non ante proposuit sibi imitandum Maronem, & contulit se ad carmen.

Impleuit *ma. quàm Cic. opus*] Quia fuit causidicus

& declamauit: hos duos proposuit sibi imitandos, Maronem carmine, & Ci. in causis: de vtrisque habuit prædia.

GRAVIS *hasta c. vi.*] Centum viri erant iudices, apud quos quotidianæ lites, & ciuiles agebantur à causidicis, suprà de filio Reguli.

Iam clamor, centumque viri.

HASTA *gra.*] Nam bona adiudicabant his, quibus debebantur.: quemadmodum & res, quæ sub hasta venduntur, adiudicantur emptori.

HVNC] Eloquentiam Silij.

PLVRIMVS *cliens*] Id est, plurimi clientes defensi olim in foro.

POSTQVAM] Eo anno, quo Nero interfectus est, Silius consulatum gerebat, collega Attico, vt scrib. Tacit.

EMERITOS] Accepta rude ex causis forensibus.

PHOEBO] Carmini.

INGENTEM *annum*] Quo est interfectus Nero, quia tanto tyranno liberatus est totus orbis.

SACER.] Consecratus in libertatem.

ASSERTO] Id est, vindicato in libertatem ex tanto tyranno.

CELEBRAT *Helicona*] i. carmen.

PRO *foro*] i. pro causis: nam bellum secundum Punicum carmine scribebat, xvij. lib. quos editis commentarijs sumus interpretati.

GEORGIVS.

HVNC *miratur adhuc centum grauis hasta virorum*] Non vna erat centum viralis hasta, sed planè duplex quamtum ex Quint. cognoscimus, qui de præiudicijs loquens hæc scrip. Aut cum de eadem causa pronunciatum est, vt in reis deportatis, & assertione secunda, & de partibus centum viralium, quæ in duas hastas diuisæ sunt. Val. item Max. vbi tradit de rescissis iudicijs centumviralis hastæ meminit, putoque centumviralia iudicia sic apud Rom. agi solita fuisse, quemadmodum in præpotenti & sanctissima Venetorum republica quadragintavirales causæ exercentur. Sunt enim Venetijs bis quadragintaviri publico consilio ad iudicandum constituti: quorum alteri, ciuiles causas cognoscunt: Alteri vero de criminibus, & quæstionibus iudicant, quo ordine olim apud Rom. centumviri in duas (vt puto) hastas diuisi decernebant per sententias suas.

In *Cinnanum. LXIII.

*Huius meminit Iuu. sat. 1.

Qui tonsor fueras tota notißimus vrbe,
Et posthæc dominæ munere factus eques:
Sicanias vrbes, Ætnæáque regna petisti,
Cinname, cùm fugeres tristia iura fori.
Qua nunc arte graues tolerabis inutilis annos?
Quid facit infelix, & fugitiua quies?
Non rhetor, nō grāmaticus, ludive magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes,
Vendere nec vocem Siculis, plausumque theatris:
Quod superest, iterū, Cinname, tonsor eris.

DOMITIVS.

QVI] Hic Cinnamus mihi ille videtur, in quem inuehitur Iuuenal.

Patricios omnes opibus cum prouocet vnus.

Is enim munere mulieris ex tonsore factus erat eques: nunc emissum in Siciliam in exilium insectatur poëta ridens iterum fore tonsorem, cum amissis opibus exilio, nullum aliud præsidium ad vitam tuendam habeat.

DOMINÆ] Amicæ.

ÆTNAEA *regna*] Sicula.

CVM *fugeres tristia iura*] i. graue & triste iudicium in te.

INVTILIS] Nulla arte honestiore præditus.

QVIES *infelix*] Appellat quietem infelicem, quia in exilio infeliciter erat futurus in otio.

MAGISTER *ludi*] Gladiator.

VENDERE *vocem*] i. non potes esse histrio in theatris Siculis, quia ignoras histrionicam.

QVOD *superest*] Quod solum habes.

In Gargilianum. LXIV.

Lis te bis decimæ numerātem frigora brumæ,
Conterit vna tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, & demens, viginti litigat annis,
Quisquam? cui vinci, Gargiliane, licet?

DOMITIVS.

LIS *te bis*] Gargilianum imprudentiæ accusat, qui xx. annis litigauerat, cùm facile posset cedere à tantis curis, & leuius esset semel vinci quàm xx. annis litigare.

CONTERIT] Consumit te.

TRIBVS *foris*] Nam tria fora litigandi erant, vt suprà dixit,

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

CVI *licet vinci*] i. qui tantum imperium in animum suum habet, vt posset eo vti, & cedere cùm voluerit, non debet tandiu litigare, sed cedere: qui aliter agit stultus est.

De Labieno. LXV.

**Hæredem Fabius Labienū ex asse reliquit:* *Vide Tur. l. 24. c. 16.
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

DOMITIVS.

HÆREDEM] Labienus captauerat ingentibus muneribus hæreditatem Fabij: Fabius autem assumptis bonis moriens eum reliquit hæredem, sed pauciora erant bona, quàm fuerit precium munerum, hunc Poëta deridet.

EX *asse.*) i. bonis vniuersi patrimonij.

PLVS *mer.*) Plus merere, est aliquem dignum esse maiore precio: plus item merere est, aliquem dignum esse maiore supplicio, vt dicat, Labie. ait se plus meruisse: cum intelligat Labie. meruisse maiores opes, poëta intelligit, Labi. merebat plus. i. dignus erat maiore malo, quia per fraudem captabat hæreditatem.

In Philænim. LXVI.

Pædicat pueros tribas Philænis,
Et tentigine sæuior mariti,

Vndenas vorat in die puellas.
Harpasto quoque subligata ludit,
Et flauescit haphe, grauésque draucos,
Alterno facili rotat lacerto,
Et putri lutulenta de palæstra
Vncti verbere vapulat magistri.
Nec cœnat priùs, aut recumbit antè,
Quàm septem vomuit meros deunces:
Ad quos fas sibi tunc putat reuerti,
Cùm colyphia sexdecim comedit.
Post hæc omnia cùm libidinatur,
Non fellat: putat hoc parum virile:
Sed planè medias vorat puellas,
Di mentem tibi dent tuam Philæni,
Cunnum lingere, quæ putas virile.

Turneb. li. 14. ca. 1. hoc loco Alteras substituit non è coniectura, vt ait, sed librariâ fide meus codex reclamat, & simpliciore sensu Alterhaps exprimit. Vide Cælium lib. 7. cap. 16. Iuuen. sat. 5. Comedũt Colyphia paucæ. Inlius ex codice Iuuenalis antiquo, Coliphia, panes in similitudinem virilis membri. Vide Corn. Vitellij annotat. in Georg. Merulam. Philænis enim dicta παρὰ τὸ φιλεῖν τὰ αἰδοῖα videtur.

DOMITIVS.

PÆDICAT.] Mulieres virili concubitu vicissim abutebantur, has damnat Iuu. carmine satyrico.
Lenonum ancillas posita Lausea corona
Prouocat.
Et paulò post.
Ipsa Medulline frictum cristantis adorat.
Latino verbo fricatrices possunt appellari tribades. τρίβω significat frico, Græco vsus est Mart. præter hunc nullus author, Porph. excepto: qui in verba illa Hora. *Et mascula Sappho.*
Sappho, inquit, dicta est mascula, vel quòd dedit operam poëticæ, quod est viri & maris, vel quòd tribas fuit. Tribadem autem fuisse carmen indicat, quod extat.

PHILÆNIS.] Meretrix fuit, quæ, vt ex epitaphio Græcis versibus conscripto cognoscitur, carmine Philocratis poëtæ laceratur, negat enim ex tumulo se vnquam ea commisisse, quæ scripserat Philocrates, rogatque ne poëtæ fides adhibeatur, scripsit hæc varia genera concubitus, notata eo versiculo Ouid.
Nec quæ concubitus non tacuere suos.
Idem dicitur in obscœno Virgil. carmine, vbi figuras Philænis tangit. Inde impudicam, & famosam tribadem appellat Mart.

SÆVIOR.] Intemperantior, & magis inflammata.
TENTIGINE.] Pruritu libidinoso.
VORAT.] Lingendo, & tribando.
SVBLIGATA.] Subducta veste.
LVDIT *harpasto.*] Harpastum genus erat pilæ, qui ludus ad viros attinebat.
ET *flauescit Aphe.*] Hoc est ludit palæstra. Palæstræ enim aspergine arenæ flauescebant luctaturi. Aphe Græcè, Latinè significat tactum. Aphe igitur. i. tactu arenæ. Oui. in hunc locum cum scribit luctam Acheloi aduersus Herculem,
Inque vicem fulua tactu flauescit arena.
FLAVESCIT *Aphe.*] i. luctatur, & palæstras mulieris carpit. Iuuen.
Endromydas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis nescit.
GRAVES *draucos.*] Drauci, vt supra est expositum, erant grandiores adolescentes agentes in hispidos, vt pathici domini, qui patiebantur. Iactare pueros alterno brachio, in more erat Gymnasij, & exercitationis: supra versus hoc indicauit,
Aut grandis Linus omnibus lacertis,
Septemque pueros leuat, vel octo.
ROTAT.] Iactat.
FACILI *lacerto*] i. robustis brachiis. Qui legunt alteres, non placent. Quid autem sint alteres dicetur in distichis.
LVTVLENTA.] Vncta ceromate confecto ex luto.
DE *palæstræ putri.*] Putrem palæstram propter vnguenta, quod placet, vel propter malum olei odorem.
MAGISTRI *vncti*] i. aliptæ. In sensum horum duorum versuum Iuuen. ita scribit.
Callidus & crista digitis impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coëgit.
QVAM *vomuit septem deunces.*] Vomitione vtebantur mulieres, vt in maiorem esuritionem excitarentur Iuuen.
Tandem illa venit rubicundula totum
Oenophorum sitiens.
Et paulò pòst.
Bibit & vomit.
COLIPHIA.] Panes erant palæstritarum membris confirmandis, quemadmodum gladiatores, authore Plin. Carica vtebantur.
COLIPHIA.] Iuuen.
Luctantur paucæ: comedunt coliphia paucæ.
Κῶλον Græcè, Latinè membrum, ἶφι fortitudinem significat.
VORAT.] Lingendo & tribando.
DI *mentem.*] Prouerbium est in insanos.
VIRILE.] Ad virum pertinere, hoc est, quæ cùm virilia officia exerceas, cunnum etiam lingis, quasi id quoque sit virile.

GEORGIVS.

COLIPHIA *sex. co.*] De coliphiis abundè diximus in Iuuenal. Sunt enim panes subcinericij: sed illud miror, quòd etymologiam huius dictionis, non solùm commenticiam fecerit, sed planè deridiculam, quando non ἀπὸ τοῦ κώλου, quod est membrum, & ἶφι, sed forma diminutiua κυλίκιον fiat culicum, & coliphium.

Ad Rufum. LXVII.

Commendare meas instanti, Rufe, Camœnas
Parce precor socero, seria forsan amat.
Quòd si lasciuos admittit & ille libellos,
Hæc ego vel Curio, Fabricióque legam.

DOMITIVS.

COMMENDARE.] Ad Instantiam Rufum scribit, cuius infra meminit.
BÆTIS *olifera.*] Hunc rogat ne socero suo qui est grauis supercilij, lasciuos iocos legat.
COMMENDARE.] Laudare.
SERIA.] Grauia.
ADMITTIT.] Probat, & patitur.
CVRIO & *Fab.*] Et grauissimis censoribus. Curium aspernatum aurum legimus. Fabri. censorem grauissimum. Iuuen. *Fabricius notet.* Gel. Liuius, & Plin. meminerunt.

De Theophila ad Canium. LXVIII.

Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani,
Cuius Cecropia pectora voce madent.
Hanc sibi iure petat magni senis [a] altus in hortis:
Nec minus esse suam Stoïca turba velit.
Viuet opus quodcúmq; per istas miseris aures:
Tam nec fœmineum, nec populare sapit.
Non tua Parthenis nimium se præferat illi,
Quamuis Pierio sit bene nota choro.
Carmina fingẽtẽ Sappho [b] laudauit amatrix:
Castior hæc, & non doctior illa fuit.

[a] v. Atticus hortus.

[b] Sunt qui laudaret, vel laudarit legi debere putant.

DOMITIVS.

HÆC.] Canius poëta Gaditanus habuerat Theophilam puellam, cuius & pudicitiam & carmen laudat poëta in *Theophila*, hoc significat amicam Diis.

VOCE *Cecropia.*] i. voce Græca.

HORTVS *Atti.*] i. academia: fuit locus extra Athenas, in qua docuit philosophiam Plat. dicta ab Academo heroë, vt Laërt. Diogen. ex testimonio antiquorum scrib. Sunt qui intelligant hortum Atticum. i. hortum Epicuri, nam Epicurus, authore Plin. primus Athenis hortos colere instituit. Papin.

Mallet deserto senior Gargetius horto.

Alius codex habet *senis altus in hortis.*

SVAM.] Disciplinam.

PER *istas. a.*] i. quodcúmque opus Theo. tibi emendauerit.

VIVET] i. erit perpetuum.

TAM *non fœmineum sapis*] i. tam est erudita, & graui, & exquisita doctrina.

PARTHENIS.] An Violantillam Neapolitanam dicit: quod non placet, proprium nomen est mulieris doctæ: cuius nullum extat monumentum: alibi legitur *Panthenis.*

FINGENTEM.] Anteponitur Theophila Sappho, quoniam non sit inferior doctrina, & superet pudicitia.

SAPPHO.] Filia fuit Euriguli, & Leidis, capta amore est Phaonis: hac de causa, vt putarunt, quoniam centum capita herba est habens duplicem radicem, alteram masculam, alteram fœminam, ea dum auellitur si mascula contigerit viro: is vel inuitus amatur à muliere. Euenit autem Phaoni: Plin. author est. Locus tamen est deprauatus. Ita enim habet Phaonem, & Lesbium, pro & Phaonem Lesbij.

CASTIOR.] Nam illa amauit Phaonem, & tribas fuit.

In Philænium. LXIX.

Ipsarum tribadum tribas Philæni
Recte quem futuis, vocas amicam.

DOMITIVS.

IPSARVM.] Amica mulieri accipitur in bonam partem: amica viro in malam. Philænis tribas appellabat mulierem amicam, quod non poterat accipi, A nisi in malam partem; cùm ipsa esset tribas, & partibus viri vteretur.

TRIBAS *tribadum.*] Id est, quæ tribas tribades.

RECTE *vocas amicam.*] Quoniam viri officio vteris in eam.

De familia ficosa. LXX.

Ficosa est vxor, ficosus & ipse maritus:
Filia ficosa est, & gener, atque socer.
Nec dispensator, nec villicus vlcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Cùm sint ficosi pariter iuuenésque, senésque:
Res mira est, ficos non habet vnus ager.

B

DOMITIVS.

FICOSA.] Ficus pro morbo accipitur, & ficus pro fructu. Domi cuiusdam pauperis res mira acciderat, vt cùm omnes domestici haberent ficos morbum, solus ager careret ficis fructu.

DISPENSATOR.] Magister domus.

TVRPI *vlcere.*] i. ficos, locus est ex ambiguitate verborum.

Ad Paullum. LXXI.

Gratus sic tibi, Paulle, sit December:
Nec vani triplices, breuésque mappæ,
Nec thuris veniant [c] leues selibræ;
C *Sed lances ferat, aut scyphos auorum,*
Aut grandis reus, aut potens amicus:
Seu quod te potius iuuat, capitque,
Sic vincas Nouiúmque, Publiúmque
Mandru, & vitreo latrone clausos:
Sic palmam tibi de Trigone nudo
Vnctæ det fauor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi [d] magis sinistras.
Si quisquam mea dixerit malignus,
Atro carmina quæ madent veneno.
Vt vocem mihi commodes patronam,
Et, quantum poteris, sed vsque, clames,
Non scripsit meus ista Martialis.

[c] v. breues.

[d] v. magis.

D

DOMITIVS.

GRATVS.] Paullum rogat causidicum, vt magna voce carmina, quæ sub eius nomine conferuntur, plena maledictis testetur non esse. Mart. hoc sibi accidere suprà conqueritur.

Si me fronte legas dominus Faustine serena.

Et infrà.

Vernaculorum dicta sordidum dentem.

ATRO *veneno.*] Maledictis.

PATRONAM *vocem.*] Id est: tutricem.

GRATVS *December.*] Id est, Saturnalia sint tibi fructuosa, nam causidici à clientibus in saturnalibus donabantur.

TRIPLICES.] Pugilares.

VANI.] Nullius precij.
GRANDIS *rem est.*] Diues cliens.
SCYPHOS *auorum.*] i. pocula archetypa, quæ in pretio habebantur. Publius latronum ludo delectabatur.
CAPI.] Oblectat.
NOVIVM.] Nomen proprium, qui optimè ludebat.
MANDRIS.] Latronibus.
VITREO *latrone.*] Nam vitrea erant in pirgo. Ouid.

Siue latrocinij sub imagine calculus ibit:
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

SIC *fauor arbiter corona vncta*] i. turba vncta in Gymnasio fauens.
DET *tibi palmam*] i. victoriam, & præmium.
DE *nu. tri.*] i. de trigonali pila, qua nulli exercebantur. Sunt qui locum intelligant, vt suprà:

Seu lentum ceroma teris, lentum ve trigona.

Quod est vanum.
POLYBI.] Nam Polybus in gymnasio summa erat admiratione, cùm manu sinistra fortissimè pila trigonali certaret. hanc fortitudinem sinistræ negat Plin. in mulieribus contingere, sinistræ verò fortitudo in trigonali requirebatur: in distichis ita loquitur:

Si me nobi ius seu expulsare sinistris,
Sum tua, si nescis. & alibi.
Captabit sinistra dextra, lauáque trigonem.

Ad Maximum. LXXII.

Esquilis domus est, domus est tibi colle Dianæ;
Et tua patricius culmina vicus habet.
Tulia. *Hinc* " *viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ,*
Inde nouum, veterem prospicis inde Iouem.
Dic, vbi conueniā: dic, qua te parte requirā.
Quisquis vbique habitat, Maxime, nusquam habitat.

DOMITIVS.

ESQVILIS.] Ad Maximum quem cum multis in locis domicilium haberet, nusquam poterat reperire, vt salutaret.
COLLE *Dianæ.*] Auentino. Nam illic erant templa Dianæ Auentinæ.
VICVS *patricius.*] Vici in vrbe varia habebant nomina: vt Patricius à patriciis.
AFRICVS.] Quia Pœni captiui illic fuerunt custoditi.
CYPRVS.] Quoniam Sabina lingua significat bonum: & Sabini illic habitarunt: à bono omine Cyprium appellarunt. Idem dictus sceleratus ob factum Tulliæ, quæ Carpentum duxit per ora patris. In patricio vico Florales ludi celebrabantur. spectant Capitolium vetus. Capitolium vetus dicebatur: tantùm illic erat sacellum Iunonis, & Mineruæ antiquitus, æde postea extructa in Capitolio: de hoc loco supra intellexit.

Quæ videt antiquum rustica Flora Iouem.

Author est Var.
CYBELES *viduæ.*] Propter Athim suum, quo non potuit potiri: vel viduæ propter gallos sacerdotes custodes.
NOVVM *Iouem.*] Ad differentiam illius sacelli, quod dixit vetus.

A

Ad Mercurium. LXXIII.

Cyllenes, cælique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret.
Sic tibi lasciui non desit copia furti,
Siue cupis Paphien, seu Ganymede cales.
" *Maternæque sacris ornentur frōtibus Idus,* ·De Mercurii natali & feriis intelligendum, vt ostendit versiculus ille lib 12. ep. 48. Mane Mercurium creastis Idus Turn. li. 25. ca. 14. v. quo. v. Caluere.
Et senior parca mole prematur auus.
Hūc semper Norbana diem cū coniuge Caro
Læta colat, primis " *qua* " *coiere toris.*
Hic prius antistes sophię sua dona ministrat:
Hic te ture vocat fidus & ipse Ioui.

B

DOMITIVS.

CYLLENES.] Carus & Norbana coniuges diem celebrabant, quo matrimonio coniuncti sunt. Poëta rogat Mercurium, cuius numini hæc sacra dabantur, vt is dies redeat semper felix, & lætus vtrique coniugi. Inuocatur autem Mercurius ex Ægyptia disciplina, nam Ægyptij caduceum Mercurio dant in speciem draconum maris, & fœminæ coniunctorum, ita & parte media inuicem alligentur nodo, quem vocat Herculeū: deinde variis flexionibus totum caduceum ambiant. hoc ad genituram hominum spectare putabant. Cùm ergò pro arcto vinculo Cari, & Norbanæ sacra peragant, inuocatur Merc. hac caducei forma.
C CYLLENES.] Arcadiæ mons est: Cyllene notum natale Mercurij.
MINISTER.] Nuncius.
VIRGA *aurea.*] Caduceum.
VIRET.] Videtur viuere.
FVRTI *lasciui.*] Adulterij.
IDVS *materna*] i. Idus Maiæ. Maia mater fuit Mercurij. Maia item vxor Vulcani: sed Piso vxorem Vulcani maiestatem, non Maiam dicit appellari. A matre Mercurij mensis Maius est dictus, quamuis Martial. fabulosas antiquorum opiniones de hoc afferat eo mense Maiæ & Mercurio rem diuinam omnes mercatores faciebant.
AVVS.] Atlas pater Maiæ.
MOLE *parca*] i. paruo pondere, nam dicitur sustinere cælum.
D HIC.] Duæ, inquit, causæ sunt quare debeas annuere, quod & Carus colit eloquentiam, cuius tu es Deus, & idem minister est Iouis nostri. i. Domitiani, vt tu Iouis fidus, vt tu fidus es Tonanti.
ANTISTES.] Sacerdos literarum.

In anum deformem. LXXIV.

Vis futui gratis, cùm sis deformis, anusque,
Res perridicula est: vis dare, nec dare vis.

DOMITIVS.

VIS *gratis, vis dare.*] Facere tui copiam.
NEC *vis dare.*] Precium, quasi dicat, si vis dare coitum, opus est des precium, cùm sis deformis, anúsque.

Ad Philomusum. LXXV.

Quòd te diripiunt potentiores
Per conuiuia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari iuuat, & iuuat lauari:
Nolito nimium tibi placere.
Delectas Philomuse: non amaris.

Idem Græcè.

Ἁρπάζουσι πρόθυμοί σε καὶ δυνασταὶ
Παρ τοῖς συμποσίοις, στοαῖς, θεάτροις,
Καὶ δή σοι ἅμα σοι, ὅταν τύχ' οὕτως,
Αἰωρεῖσθ' ἁδεῖ φίλον λοῦσθαι·
Αὐθάδη γ' ἄγαν ἔμμεναι φυλάξον.
Εὐφραίνεις, Φιλόμουσ', οὐ φιλῇ.

DOMITIVS.

QVOD te.] Philomusus cùm à multis inuitaretur, elatus est superbia, quasi amaretur ab omnibus: at inquit poëta, cum non amari, sed delectare alios.

DIRIPIVNT.] Certatim inuitant.

DELECTAS.] Nam scurræ delectant non amantur.

In Tuccam. LXXVI.

Exigis vt nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis vendere, non legere.

" In Papilum. LXXVII.

*v. Pamphilum.

Cùm Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est.
Sumen, aprum, leporẽ, boletos, ostrea, mullos,
Mittis. habes nec cor " Papile, nec geniũ.

*v. Pamphile.

DOMITIVS.

CVM *Saxetani.*] Papilus, quem suprà dixit veneficum fuisse, mittebat munera, sed ea non placebant ob veneni suspicionem: ergo & imprudens erat qui frustrà mitteret munera, & genio carebat. Genio caret qui non placet: suprà,

Victurus genium debet habere liber.

Caret item genio qui spernit voluptates: non habebat igitur genium Papilus, vel quia non placebat, vel quia meliora munera mittebat.

CVM *Saxetani lacerti.*] Lacertus genus piscis, qui minimus est ad Saxetanum Bæticæ. Plin. hæc: Colias, siue parianus, siue Saxetanus à patria Bætica: lacertorum minimus. Nemo est, qui non debeat suspicari munera tua esse venenata, cùm tu malè cœnas.

CONCHIS.] Est fabaria viridis, vt infrà dicetur, & piscis. Cùm est legumen, nisi multo oleo perfundatur, nullius est saporis: infrà,

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,

A *Lautorum cœnis sæpe negare potes.*

CONCHIS *inuncta.*] Sine oleo.

HABES *nec cor.*] Imprudens es, quia malè cœnas, & mittis bona munera: prodis enim te, quia nemo est qui non possit suspicari fraudem, cùm mittas meliora, & deterioribus vescaris.

NEC *genium.*] Fraudas enim te voluptate.

Ad Seuerum. LXXVIII.

" Potaui modò consulare vinum. *V. Turneb. lib. 5. cap. 4.
Quæris quàm vetus atque liberale?
Ipso consule conditum, sed ipse
Qui ponebat, erat, Seuere, consul.

DOMITIVS.

B POTAVI.] Iocus: antiqua vina à consulibus nomen sumebant, nuper poëta cum consule cœnauerat, qui mustum apposuerat.

VINVM *consulare.*] Videtur dicere vetus, sed nouum dicit.

Ad Faustinum. LXXIX.

Quatenus " Odrysios iam pax Romana Triones *v. Odrysios.
Temperat, & tetricæ conticuere tubæ.
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere. iam chartis, iam vacat ille iocis.
Sed si parua tui munuscula quæris amici
Commendare, ferat carmina nostra puer.
C *Non qualis Getica satiatus lacte iuuencæ*
Sarmatica gelido ludit in amne rota.
Sed Mitylenæi roseus mangonis ephebus,
Vel non cæsus adhuc matre iubente " Lacõ. *Lacones diamastigo. sis in ara Dianæ Orthiæ fiebat. Vide quæ in Horatium annotaui lib. 1. ibidem, patiens Lacedæmon.
At tibi captiuo famulus mittetur ab Istro,
Qui Tiburtinas pascere possit oues.

DOMITIVS.

QVATENVS.] Marcel. cuius suprà meminit, militabat in Germania. Hunc hortatur poëta Faust. vt mittat sua carmina, cùm præsertim iam bella sileant: quòd si vis, inquit, gratiora esse carmina mea, illi mitte puerum ingenuum, cùm autem tibi mittam D carmina vt grata sint, mittam pastoralem puerum: nam Fausti. rure Tiburtino ita delectabatur, vt nihil illic nisi fructuosum vellet: quod suprà indicauit,

Baiana nostri villa Basse Faustini,
Non otiosis ordinata myrtetis.

TRIONES *Odrysios*] i. septentrionem. Odrysij populi Thraciæ.

MANGONIS *Mitylenæi.*] Græci, Delphici, & Mitylenæi pueri forma commendabantur.

LACON.] Puer Lacedæmonius. Mos erat apud Lacedæmonios, vt Ephebi, quo asperiores in bellum essent, in ara Dianæ verberarentur.

NON *cæ.*] Qui nondum peruenit ad ætatem qua sit cædendus.

ISTRO *capti.*] i. Germania deuicta.

TIBVRTINAS *oues.*] Nam solo ruris fructu delectaris, neque vis aliquid, quod ad id non pertineat.

Ad Lausum. LXXX.

Triginta toto mala sunt Epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

DOMITIVS.

TRIGINTA.] Lausus, lecto Mart. libro, ait se triginta reperisse epigrammata non probanda. Bonus significat non modo non paruum, sed etiam magnum: ait ergo poëta, Si totidem reperirentur epigrammata bona in eius libro, librum fore bonum, id est, magnum.

BONVS] i. magnus.

VEL *li. bonus est.*] Si dimidia parte poterit bonus iudicari: placet hæc sententia: alibi.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura.

De Menophilo. LXXXI.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Vt sit comœdis omnibus vna satis.
Hunc ego credideram (nam sæpe lauamur in vno)
Solicitum voci parcere, Flacce, suæ.
Dum ludit, media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

DOMITIVS.

MENOPHILI.] Menophilus cùm Iudæus esset, ne inguina circumsecta deprehenderentur, & propterea cogeretur ad tributum Iudaicum, quod Imperator exigebat, prægrandi fibula eas partes velabat. Nuper autem cum palæstra luderet delabente subligaculo se Iudæum prodidit.

FIBVLA.] Subligaculum.

PENEM.] Caudam dixerunt antiqui, inde pro mentula Pomp.

COMOEDIS.] Comœdiarum histrionibus. Nemo, inquit Ci. sine subligaculo prodit in scænam.

PARCERE *suæ.*] i. ita velle suam vocem seruare. Subligaculo enim histriones vtebantur, vt & pudenda velarent, & rem Veneream cohiberent, ne frequenti concubitu raucescerent: hoc indicat Iuuen.

Si mulier gaudet cantu nullius fibula durat
Vocem vendentis prætoribus.

Hoc est, si cantore delectatur, tot adhibet illecebras, vt nulla fibula possit cantoris inguina reprimere, quin soluat etiam periculo vocis amittendæ. & alibi.

Soluitur his magna comœdi fibula, sunt quæ
Chrisogonum cantare vetent.

VERPVS *erat.*] Iudæus, propterea nolebat inspici, ne cogeretur soluere tributum.

De Eutrapelo. LXXXII.

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
Expungitque genas: altera barba subit. v. Expingitque.

A

DOMITIVS.

EVTRAPELVS.] Eutrapeli verbo Græco, Latinè dicuntur vrbani, & Eutrapeli dicuntur etiam, qui supra annorum raionem grandi corpore crescunt, citóque moriuntur, in quo voce Latina caremus, hîc proprium est tonsoris nomen.

SVBIT.] Succrescit.

EXPVNGIT.] Expilat.

SVBIT *al.*] Quia diu occupatus erat in ornando, adeò vt altera barba subiret.

Ad librum. LXXXIII.

Dum mea Cæcilio formatur imago Secundo,
Spirat & arguta picta tabella manu. v. argutâ. v. manum.
B *I liber ad Geticā Peucen, Istrūque tacentē:* v. lactem.
Hæc loca perdomitus gentibus ille tenet.
Parua dabis caro, sed dulcia dona sodali,
Certior in nostro carmine vultus erit.
Casibus hic nullis, nullis delebilis annis
Viuet, Apellæum cùm morietur opus. v. Apellæum.

DOMITIVS.

DVM.] Cæcilius seruus imaginem Mart. habebat expressam pictura, quod & Auitus fecerat, vt infrà.

Non te calabis sublimi pectore vates.

Poëta gratias agit carmine, eiusque imaginem hoc versu ait fore immortalem, & diuturniorem pictura.

PEVCEN.] Insula ad ostium Danubii.

C TACENTEM *Istrum.*] i. congelatum.

SPIRAT.] Viuere videtur.

HÆC *loca.*] Peucen, & Istrum.

HIC *vul.*] In hoc libro.

APELLÆVM *opus.*] Pictura excellentissimi pictoris, qualis fuit Apelles. Opus Apellæum intelligit de opere cuiuscumque pictoris excellentissimi. Opera autem Apellis hæc celeberrima erant: Venus exiens ex mari dicata delubro Cæsaris, de qua locutus est Ouid.

Si Venerem Chous numquam pinxisset Apelles,
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.

Aliam inchoauit, & superasset priorem, nisi mors intercepisset. Pinxit præterea Alexan. fulmen in templo Dianæ Ephesiæ Apelles Chous fuit, vixit olympiade centesima. xij. vt Plin. tradit.

D

Ad Sabellum. LXXXIV.

Quòd non insulsè scribis tetrasticha quædam,
Disticha quòd bellè pauca, Sabelle, facis.
Laudo, nec admiror. facile est epigrammata bellè
Scribere: sed librum scribere, difficile est.

DOMITIVS.

QVOD *non.*] Hic volebat videri poëta, quòd tantum ederet disticha, aut tetrasticha.

SCRIBERE *lib.*] i. facere multa epigrammata.

In Sextum. LXXXV.

Ad natalicias dapes vocabar,
Essem cùm tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum est, rogo, quid repentè factum
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quòd sum præteritus vetus sodalis?
Sed caussam scio, nulla venit à me
Argenti tibi libra" postulati,
Nec leuis toga, nec rudes lacernæ,
Non est sportula, quæ negotiatur;
Poscis munera, Sexte, non amicos,
Iam dices mihi," vapulet vocator:

•Budæus li. 1. de asse. *Vide Turn. lib. 14. cap. 2. v postulanti. *v. Vah pudet vocetur.

DOMITIVS.

AD *natalitias.*] Sextus ignotos homines ad diem natalem suum celebrandum inuitabat, vt mitterent ei munera. Mart. sæpiùs inuitatus nihil miserat: nũc igitur non inuitatus est: iocans accusat Sexti auaritiam & fraudes.

NATALITIAS] i. ad conuiuium natale.

QVID *factum.*] Quid accidit.

PRÆTERITVS.] Non inuitatus. Præteriti dicebantur illi ex competitoribus magistratuum qui repulsam ferebant.

PIGNORA.] Confirmationes amicitiæ.

POSTVLANTI.] Ita cupienti. Quidam codex antiquus habet, argenti pustulati, & ita est legendũ: nam argentum pustulatum, seu postulatum dicitur purissimum. hoc docet Tranquil. in Nerone, vbi scribit imperatorem exegisse argentum pustulatum: & aurum obrizum dicitur quod sæpius excoctum purissimũm est, author Plin. Martia. Ibi,

Et pustula felix de phiala.

Nam pustula bractea est argenti pustulati.

NEGOCIATVR.] Quia non dat aliquid tua sportula, sed facit negociationem, & lucratur: non est igitur sportula, sed negociatio.

POSCIS *mune.*] Hoc est, expectas munera, inuitas ad dapes.

IAM *dices.*] Postquam vides me nihil mittere.

VAPVLET *vocator*] i. Marc. non inuitabis amplius, sed tanquam edacem repelles, quia iam te noui. vel vapulet vocator, nam vocator dicitur qui inuitat. & vocatio, inuitatio. hoc verbo antiquo vsus Cato. Mei sodales conquerunt in triuio vocationes.

De se. LXXXVI.

Si meus aurita gaudet Lagopode Flaccus,
Si fruitur tristi Canius Aethiope.
Publius exiguæ si flagrat amore catellæ,
Si Cronus similem cercopithecon amat.
Delectat Marium si perniciosus ichneumon:
Pica salutatrix si tibi Lause placet.
Si gelidum collo nectit" Glacilla draconem:
Lusciniæ tumulum si Thelesina dedit.

*Galathila.

A *Blanda cupidinei cur non amet ora Labycæ,*
Qui videt hæc dominis mõstra placere" suis? *v. suis.

DOMITIVS.

SI *meus.*] Si, inquit, monstra à dominis amantur, quare non licet mihi domino amare seruum Labycam, immo magis licet, hoc ait poëta, quoniam turpe videbatur domino amare aut seruum, aut ancillam. hoc etiam defendit Horat. in carmi.

Ne sit ancilla tibi amor pudori.

LAGOPODE.] Ancilla, nomen duxit à clunibus leporis. Id enim indicat Græca compositio: potest & aspectu leporis.

CANIVS.] Poëta Gaditanus.

CATELLÆ *exiguæ.*] Nam Publius delectabatur catella, quæ Issa vocabatur.

CERCOPITHECON.] Simia caudata dicitur.
B Cercopithecus compositione etiam ipsa: ex India mittitur capite nigro, pilo asinino, dissimili voce aliis. Simia ita loquitur apud Martia.

Si mihi cauda foret cercopithecus eram.

Iuuenalis.

Effigies sacri nitet aurea cercopitheci.

ICHNEVMON.] Animal ex Ægypto, quod aduersus amphesibœnam dimicaturum mergit se limo sæpius, & siccat sole, vbi sæpiùs id fecit, exit munitum in certamen

MARIVM.] Iisdem temporibus fuerunt Marius Cel & Ma. Priscus, vt Plin. & Taci meminerunt.

PICA *sa.*] Quia format vocem humanam.

NECTIT *dra.*] i. habet in delitiis draconem, quòd ne mirum sit, Tib. Cæs. authore Tranquil. serpentem draconem in delitias habuit, quem manu sua cibabat.

C LVSCINIÆ.] Luscinia tantæ est docilitatis, vt Domit. temporibus in aula Imperatoris esset Luscinia, quæ verba Græca, & Latina effingebat.

DEDIT *tumulum.*] i. dolet & luget.

QVI *videt*] Ego qui video hæc monstra antedicta. Iocus est, erat enim deformis Labyca.

GEORGIVS.

SI *meus aurita gaudet lagopode Flaccus.*] De ancilla intelligendum non est, quoniam sequentes omnes comparationes de brutis fiant, quæ velut monstra à dominis suis amentur, sed potiùs lagopode legendum est, vt de aue intelligamus, quam Plin. hoc nomine appellat, & ita descri. Lagopus, pedes leporino villo hoc ei nomen dedere, cætero candidæ columbarum magnitudine: hanc auem duplicem tradit idem scriptor.

Delectat Marium si perniciosus ichneumon.

Quàm impudenter & peruersè nomina duorum ani-
D malium, qui se infesto odio persequuntur enarrat, nam non amphesibœnam, sed aspidas ichneumon debellat: de quorum exitiali bello hæc Plin. de aspide loquens. Habet deinde internecinum bellum cum ichneumone. Notum est animal hac maximè gloria, in eadem natum Ægypto. Mergit se limo sæpius, siccatque sole. mox vbi pluribus eodem modo se coriis loricauit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatus inuadat in fauces. Hoc idem versibus Luc. cecinit.

Aspidas vt Pharias cauda solertior hostis
Ludit, & iratas incerta prouocat ira:
Obliquumque citra vanas serpentis in iras
Effudit, toto comprehendit guttura morsu,

Letiferam

Letiferamque lapis saniem, tunc irrita pestis :
Exprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.
Quid item dicam, quòd infra criticos, & Homero mastigas idem dicit esse, cùm Homeromastiges fuerint, qui Homerum scutica cæderent, quorum princeps fuit Zoilus. Grammatici vero, qui ante critici dicebantur, hi fuerunt qui sine liuore de poëtis iudicarent, eosque in ordinem redigerent.

De suis libris. LXXXVII.

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos,
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, iuuenisq;, puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quã si mea carmina cãtẽt,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt.
Quã meus Hispano si me Tag⁹ impleat auro,
Pascat & Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil ergo sumus, nec blandæ murmure linguæ v. mentite.
Decipimur, credam iam puto, Lause, tibi.

DOMITIVS.

FERTVR.] Gloriatur cum audiuerit libros suos lectitari Viennæ in Gallia. Vienna autem op. Gal. ad Rhodanum situm erat, cuius nomen extat, licet mœnia sint collapsa.

Ex *ipso or.*] i. in ipso ortu. Ortus autem Nili incertus est, licet nonnulli scribant in extremis Æthiopiæ esse montibus. suprà.

Et qui prima bibit deprensi flumina Nili.

MEVS *ta.*] Ex Hispania.

HYBLA, *Hymettos.*] Hæc loca apta melli.

NON *nihil.*] i. aliquid.

BLANDÆ *linguæ.*] Assentatoriæ.

CREDAM *iam p. L. t.*] Hoc dictum est ironicè in Lausum, qui, vt suprà dixit, carpebat eius libros, & ait, Cum Vienna legat meos libros, nimirum credam tibi, ô Lau. reprehendenti, quasi dicat, iam te contemno.

Ad rosam. LXXXVIII.

I felix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris:
Quas tu nectere candidas sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

DOMITIVS.

I *felix.*] Corona futilis ex rosa sumebatur in cœnis solennibus & Saliorum. cùm nunc Apollinari cœnam solutam celebret, mittit ei coronam rosaceã.

FELIX *rosa.*] Quia cingis tempora Apollinaris.

OLIM.] Diu multis annis.

VENVS.] Cui dicata est.

Ad Criticum. LXXXIX.

Iactat inæqualem, Matho, me fecisse libellũ:
Si verũ est, laudas carmina nostra Matho:
A *Aequales scribit libros Caluinus, & Vmber:*
Aequalis liber est, Critice, qui malus est.

DOMITIVS.

IACTAT.] Inæqualis liber dicitur, cuius pars probanda est, pars laudanda. inæqualis item, qui varietate rerum est distinctus, quod probatur in poëmate, nisi enim varietas insit, non oblectat. Matho Mart. librum inæqualem dicebat cùm priorem significationem acciperet, respondet suum librum laudari à Mathone, quoniam bonus liber non sit nisi inæqualis. i. varietate distinctus.

SI *verum.*] i. quod meus liber sit inæqualis.

CRITICE.] Critici dicuntur iudices, qui aliena carpunt. Hora. *Vt critici dicunt.* Idem dicti sunt Homeromastici ex historia, quoniam Zoilus olim, teste Victruuio, hoc sibi nomen assumpsit, dum carperet
B Ho. Vnde reliqui alienorum operum censores ex illo dicti sunt Homeromastici: à Catone appellantur vitiligatores, quoniam tanquam vitilitium obtendentes, morosa censura nihil prætermittunt intactum. Festiuè autem dixit Pli. Vitiligatores fuisse appellatos, quoniam de vitio litigarent, ita vrbanè interpretatus est Cato, cùm tamen à vitilitio vinculo dicantur.

CALVINVS *& Vmber.*] Scribebant æquales. i. omnino malos, vbi nulla est pars bona. Senec. inæqualem oratorem appellat. i. partim bonum: expositione illius, *& berillos inæquales.* appositio item est, nam berilli inserebantur phialæ, quòd Str. de Indis in poculis scrib. inæquales, nam in sexangularem figuram poliebantur berilli, vt repercussu angulorum color excitaretur, iccirco inæquales. Sed plura in commentariis Iuuen. quos propediem edemus vna
C cum commentariis syluarum Pap. Silij, & epist. ad Atticum.

Ad Iuuenalem. XC.

De nostro facunde tibi Iuuenalis agello
Saturnalicias mittimus ecce nuces.
Cætera lascius donauit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa dei.

DOMITIVS.

DE *nostro.*] Nuces Saturnalitiæ dicuntur quoniam in saturnalibus his pueri ludebant. eædem appellatæ sunt iuglandes: nuptas ad maritum comitantes, vt nõnulli putarunt, quoniam cadentes ex arbore tripudium faciant, vt alij doctiùs scribunt, quoniam nu-
D cleum, & fœtum multiplici cortice tueantur, quod fœcunditati muliebri conuenit. Mittebantur ergo nuces à Mart. Iuuc. causa affertur quare alia poma nõ mittat, quoniã alia poma Priapus donauit puellis.

In Baccharam. XCI.

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum
Bis nobis dicis, Bacchara, terque die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus.
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus. v. &
Pensio te coram petitur clareque, palamque, v. curã me
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus. v. &

Esse queror gelidásq; mihi, tritasq; lacernas, A
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.
Hoc opus est, subitò fias vt " *sidere mutus,*
Dicere ne poßit, Bacchara, quid sit opus.

" v. σφακίζω Græcè, qui ita afficitur, Latinè sideratus dicitur, & σφάκελος ipse morbus.

DOMITIVS.

SI *quid*] Baccharam dissimulatorem accusat, qui hortatus Mart. vt si quid opus esset peteret, postea cum illum audiret conquerentem, dissimulabat se intelligere, qua re indigeret.

SECVNDVS.] Creditor.

APPELLAT.] Sollicitat me.

RIGIDA.] Aspera voce.

NESCIS *quid sit opus.*] i. dissimulas scire quid sit opus.

CLARE.] Alta voce, & celsa, quæ potest ab omnibus audiri.

GEORGIVS.

HOC *opus est, subitò fias, vt sidere mutus.*] Siderati illi dicuntur, qui vim & malignitatem alicuius sideris statutis temporibus sentiunt, quod colligere possumus his Plin. verbis. Fluuiatilium silurus Caniculæ exortu sideratur, & aliàs fulgore sopitur. hoc & in mari Cyprio accidere putant. alioquin totum mare sentit exortum eius sideris. ergo à verbo sidero fit sideratus, & is propriè qui sidere vexatur, læditur: & præsiderare, vt Festus exponit, cùm maturius hyberna tempestas mouetur, quasi ante sideris tempus. Plin. etiam in xvij. natur. histor. siderationem, quo morbo arbores læduntur, ex cœlo constare dicit, cuius proprium est sub ortu canis siccitatum vapor, cùm insitæ, ac nouellæ arbores moriuntur. Hoc genus morbi, non solum linguam tollit, sed & reliquas partes.

Ad Narniam. XCII.

Narnia sulfureo quã gurgite cãdidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda iugo.
Quid tã sæpe meũ nobis abducere " *Quinctum*
Te iuuat, & lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani caussam mihi perdis agelli,
" *Propter vicinum qui pretiosus erat?*
Sed iam parce mihi, nec abutere Narnia Quincto,
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

" Ouidium signat, cuius & ante meminit.

" v. Pro turpi vitio.

DOMITIVS.

NARNIA.] Quinctus habebat agrum confinem agro Martial. habebat Narniensem agrum, in quo non versabatur. conqueritur poëta Quinctum abesse, cuius vicinitate agellus Nomentanus sibi erat in precio.

NARNIA.] Oppidum, alias dicebatur Nequinũ.

AMNIS.] Vnda Narnia.

VIX *adeunda.*] Quæ vix potest adiri.

ABDVCERE.] Distrahere.

LENTA *mora.*] Diu.

PERDIS.] Aufers causam amandi eum recessum & voluptatem, quam ego capiebam propter Quinctum vicinum.

PARCE *mihi.*] Nam irata videbatur esse Narnia, cùm non redderet Quinctum.

PERPETVO *ponte.*] Quia habebat pontem, quo maximè gloriabatur.

De Papilo. XCIII.

Vnguentum fuerat, quod onyx modò parua gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

DOMITIVS.

VNGVENTVM.] Onyx significat lapidem coloris vnguium. Onyx item significat ampullam marmoream, vt Porphyrio interpretatur.

PAPILVS.] Erat cunnilingus, quòd qui exercent falsum habent anhelitum, vt suprà dixit in Bæticum.

Te quæ iuuant gerres, & pelle melandria cana.

Halitu igitur Papili dicit vnguentum factum esse garum falsum.

B PARVA *onyx.*] i. ampulla.

In Linum. XCIV.

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo niuali
Omnes " *obuios hinc, & hinc tenere,*
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid poßis grauiúsque, sæuiúsque
Percussus facere, atque verberatus?
Hoc me frigore basiet nec vxor,
Blandis filia nec rudis labellis.
C *Sed tu dulcior, elegantiórque,*
Cuius liuida naribus caninis
Dependet glacies, rigétque barba,
Qualem " *forcipibus metit supinis,*
Tonsor " *Cinyphio Cilix marito.*
Centum occurrere malo cunnilingis:
" *Et Gallum timeo minus recentem.*
Quare si tibi sensus est, pudórque:
Hibernas, Line, basiationes,
In mensem rogo differas Aprilem.

" v. obuiis.

" v. forficibus.

" Hirco. Clnyps Garamantum fluuius, vbi prægrandes Hirci pascuot.

" Vide Turneb. lib. 24. cap. 14.

DOMITIVS.

D BRVMA *est.*] Linum monet, ne se basiet hyemali tempore: cùm semper sit mucidus: nam hic cũ vellet ambitiosus videri, & amicus omnibus, naribus fluentibus obuios omnes basiabat.

NIVALI *osculo.*] Mucido.

PERCVSSVS.] Læsus.

RVDIS.] Indocta.

DVLCIOR.] Ironia.

GLACIES *liuida*] i. mucus.

CILIX.] Apud Cilices & Syrios capellæ, & hirci vestiuntur villo tonsili, vnde vestes fiebant, quas nũc cilicina appellamus.

CINYPHIO *ma.*] Cinyps fluuius est inter duas syrtes, authore Herod. & Plin. qui ex tumulo labitur, quem Ciraton appellauit: illic sunt magni hirci, vnde dicuntur hirci Cinyphij. Vir.

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphij tondent hirci. Cinyphea etiam segetes dicuntur à copia, quæ illic est. Ouid.

Cinyphea segetes citius numerabis aristas.

Marito*ci.*] i. hirco.

Gallum *re.*] An recentem gallum dicit, quoniam hi quibus genitalia amputantur, primis diebus animam habent grauissimè olentem? an, quod non displicet, quoniam Bethicus gallus, cuius suprà meminit, cunnis lingendis cæteros anteibat.

Recentem.] Qui nuper lingebat.

In *mem. Ap.*] Quia tunc non eris mucidus.

Epitaphium Vrbici pueri. XCV.

Conditus hic ego sum, Baßi dolor Vrbicus infans:
Cui genus, & nomē maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menses, B
Ruperunt tetricæ cùm mala pensa deæ.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo.
Sic ad Lethaas, nisi Nestore serior, vndas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

Idem Græcè.

Ἄλγος ἐμὸν Βάσσου παῖς Οὔρβικος ἐνθάδε κεῖμαι,
Τοὔνομα τῇ Ῥώμῃ, καὶ τὸ γένεθλον ἔδω.
Ἕξ μου τῇ πρώτῃ τριετηρίδι μῆνες ἀπῆσαν, C
Ῥῆξαν ὅτ' ἄστοργοι τὸ βραχὺ νῆμα θεαί.
Καὶ τί στωμυλίη, νεότης τε, τί μ' εἶδος ὄνησε;
Ξεῖνε, σὺ δ' ἡμετέρῳ δάκρυα λεῖβε τάφῳ.
Οὕτως εἰς Λήθης οὐχ ὁπλότερος κίοι ὕδωρ
Νέστορος, ὃν μετὰ σὲ ζῶντα λιπεῖν ποθέεις.

DOMITIVS:

Conditvs.] Epitaphium Vrbici infantis. Tres Vrbici fuerunt: Vrbicus Pompe. cuius meminit Taci. Vrbicus, cuius Iuuen. *Vrbicus infans*, cuius hoc epitaphium.

Genvs.] Maiores.

Nomen.] Ortum.

Trieteride.] Spatio trium annorum.

Tetricæ *Deæ.*] i. Parcæ inexorabiles, & seueræ.

Lingva *blesa.*] Quæ non omninò intelligitur. D

Svperesse] i. diutiùs te viuere.

Nisi *serior Nestore.*] i. nisi peracta longiore ætate, quàm ætas Nestoris: in eundem fermè sensum est versus de Glaucia. *Qui fles talia, nil fleas viator.*

Ad librum suum. XCVI.

Nosti si bene Cæsium libelle,
Montanæ decus Vmbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis hæc vel occupato;
A *Instent mille licet, premantque curæ.*
Nostris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximúmque
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum mihi nominis paratur!
O quæ gloria, quàm frequens amator!
Te conuiuia, te forum sonabit,
Aedes, compita, porticus, tabernæ.
Vni mitteris, omnibus legêris.

DOMITIVS.

Nosti.] Mittit librum Cæsio Sabino Vmbro, monétque quanti facere debeat munus Cæsij, quia quamuis vni videatur mitti, tamen ob omnibus legitur: nam Cæsius copiam omnibus faciet.

Vmbriæ *montane.*] Quæ in montibus sita est.

Avli *Pudentis.*] Amici.

Vel.] Etiam.

Proximvm.] Secundo loco.

Tvrni.] Poetæ. Turnus & Memor fratres fuerunt, quorum meminit Sidonius.

Freqvens *amator*] i. ô quot erunt, qui te amabunt.

Ad Castorem. XCVII.

Omnia, Castor, emis: sic fiet, vt omnia vēdas. V. Turneb. lib. 25. cap. 24.

DOMITIVS.

Omnia.] Castor cùm pauper esset, magno precio omnia emebat: vaticinatur fore Martial. vt etiam omnia vendat, si voluerit parare victum, monostichon est.

Ad Crispinum. XCVIII.

Sic placidum videas sēper, Crispine, tonantē v placitum.
Nec te Roma minùs, quā tua Mēphis amet.
Carmina Parrhasia si nostra legētur in aula:
Namque solent sacra Cæsaris aure frui.
Dicere de nobis, vt lector candidus audet, *Vide Turneb. lib. 25. cap. 24.
Temporibus præstas non nihil iste tuis. *v. ipse.
Nec Marso nimiū minor est, doctóq; Catullo.
Hoc satis est ipsi, cætera mando Deo,

DOMITIVS.

Sic *placidum.*] Ante Imperatores Crispini fuerunt multi: temporibus Imperatorum tres: Crispinus præfectus prætorij Claudij. Crispinus filius Neronis ex Poppea. Crispinus temporibus Domitiani claruit gratia principis, in hunc inuectus est Iuuen.

Crispinus tyrias humero reuocante lacernas.

Et suprà meminit Martial.

Nescit cui tyriam dederit Crispinus abollam.

Nunc Mart. suum libellum ei commendat: erat Ægyptius.

LECTOR *candidus.*] Alienus ab inuidia.
NON *nihil.*] i. aliquid laudis præstat temporibus.
PARRHASIA] i. Palatina.
FRVI *aure Cæsaris*] i. nonnunquam leguntur audiente Cesare.
MEMPHIS.] Patria tua in Ægypto.
MARSO.] Poëtæ.
CATVLLO.] Qui fuit temporibus Cæsaris Augusti.
MANDO.] Commendo.
CÆTERA.] Præmium dandum. quasi dicat, cùm hæc dixeris, reliqua à Domitiano expecto.

In *Ponticum. XCIX.

* Sequentia Epigrammata (99. 100. 101.) è veteri & eleganter picto exemplari Anglicano addidi, ne improbè ingeniosus existimet.

Pontice, per reges discurris, & omnia lustras: B
Magna quidem sequeris, Pontice, magnus homo es.
Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba:
Non adhibes multos, Pontice, cautus homo es.
A *Pontice, te celebrem forma natura creauit:*
Dignus eras Helena, Pontice, pulcher homo es.
Pontice, voce tua posses adamanta mouere:
Vox tua dulce sonat, Pontice, dulcis homo es.
Pontice, sic alios, sic te quoque decipit error:
Vis dicam verum, Pōtice: nullus homo es.

Ibidem de vetula. C.

Tacta places, audita places: si non videare,
Tota places: neutro, si videare, places.

Ibidem de Milone. CI.

Milo domi non est: peregre Milone profecto
Arua vacant: vxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur vxor lactitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, vxor habet.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON
LIBER VIII.

SUMMA.

Imperatori Domitiano Cæsari Augusto, &c. Nuncupatoria est epist. qua Domit. octauum hunc librum Mart. dedicat, inquiens, Vniuersis, quos tibi dedicaui, libris æternitatem mi Domitiane largitus es. Tua enim causa apud posteros extabunt. Hic tamen octauus, qui Sarmatici, Pannonicique belli gloriam narrat, magno à cunctis precio æstimabitur præ cæteris: in quo sanè cudendo, mihi, ob materiei amplitudinem, & dignitatem, laboris oppido quam parùm fuit. At verò, ne quemquam eiusdem materiæ perpetuum filum tædio afficeret, flosculis rem variegauimus. Et quanquam viri quidam præcellentes epigrammata ita conscripsere, vt licentiæ sibi plus nimio vendicarint: Nos tamen stylum ita temperauimus, ne de more nostro epigram. lasciuire permitteremus, propterea quod tuo sacro nomini maior, meliorque pars libri consecrata est. Hancque ob rem sequenti hexasticho librum, vt verecundo, sanctóque ore loquatur, cohortamur. Venerem facessere iubemus: & Pall. quam tu sanctiss. colis, vt pudicitiæ præsidem, accersimus.

IMPERATORI Domitiano Cæsari Augusto, Germanico,° Dacio, Valerius Martialis salutem. Omnes quidem libelli mei, Domine, quibus tu famam, id est, vitam dedisti, tibi supplicant: & puto propter hoc leguntur. Hic tamen, qui operis nostri octauus inscribitur, occasione pietatis frequentiùs fruitur. Minus itaque ingenio laborandum fuit, in cuius locum materia successerat; quam quidem subinde aliqua iocorum mistura variare tentauimus, ne cœlesti verecundiæ tuæ laudes suas, quæ facilius te fatigare possunt, quàm nos satiare, omnis versus ingereret. Quamuis autem epigrammata seuerissimis quoque, & ° supremæ fortunæ viris ita scripta sint, vt ° nimiam verborum licentiam affectasse videantur: ego tamen illis non permisi tam lasciuè loqui, quàm solent, cùm pars libri & maior, & melior ad maiestatem sacri nominis tui allegata sit. Meminerit non nisi ° religionis purificatione lustratus accedere ad templa debere. Quòd vt custoditurum me lecturi sciant, in ipso libelli huius limine profiteri breuissimo placuit epigrammate.

° Dacico.

v. summæ.

° Mimicam vel inimicam, ambigua scriptura legitur in veteri codice.

v. religiosa;

DOMITIVS.

OMNES *quidem libelli mei.*] Octauum librum dicaturus Domitiano profitetur se omnem verborum lasciuiam declinaturum. Gratulatur enim Imperatori, qui nuper Sarmatas deuicerat. Tantam autem materiam sibi propositam esse ait, vt ad poëma ornandum nullo fermè ingenij labore opus fuerit, ait tamen se mediis laudibus alia inseruisse, ne solum esset carmen, & perpetuum de laudibus, quòd Imperatoris aures fatigaret.

DOMINE.] O Domitiane.

FAMAM.] Perpetuitatem. Fama enim carmini idem est, quòd vita homini.

SVPPLICANT *tibi.*] Id est, dicati sunt.

PROPTER *hoc.*] Quia tibi dicati sunt.

OCCASIONE *fruitur pietatis.*] Id est, sæpius te adorat, cùm tibi totus sit dicatus.

MINVS *laborandum.*] Id est, minus oportet laborare. Duo poëma faciunt, ingenium, & materia. Subinde, frequenter.

OMNIS *versus.*] Epigramma.

FATIGARE.] Numero & multitudine.

SATIARE.] Nos narrantes.

VIRIS *supremæ fortunæ.*] Vt ab Augusto, qui bellum epigrammaton edidit.

MAIOR.] Quia continet victoriam de Sarmatis.

ALLEGATA.] Missa.

MEMINERIT.] Hæc pars.

Ad Librum suum. I.

Laurigeros domini liber intrature Penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus: non est tuus iste libellus,
Tu mihi, tu Pallas Cæsariana veni.

Idem Græcè.

Βίβλε δόμους μέλλουσ' ἱεροὺς εἰσδῦναι ἄνακτος,
Αἰδήεσσα λαλεῖν σεμνότερον μάθε.
Γυμνὴ χαῖρ' Ἀφροδίτη· βίβλος δ' οὐχὶ τεὴ ἔπλετο·
Παλλὰς Καισαρέη δεῦρ' ἴθι, νύμφα φίλη.

DOMITIVS.

LAVRIGEROS *Penates.*] Hactenus Venerem videtur coluisse carminis licentia, & lasciuia verborum: nunc pro Venere Palladem inuocat, cuius numen colebatur à Domit. & Dea erat pudicitiæ.

LAVRIGEROS *Penates.*] i. triumphalem domum recenti victoria de Sarmatis.

SANCTIVS.] Maiori pudore.

VENVS *nuda.*] i. lasciua, & impudens verborum licentia.

Ad Ianum. II.

Fastorum genitor, "parensque Ianus, (v. patéque.)
Victorem modò cùm videret" Istri, (Istro.)
Tot vultus sibi non satis putauit,
Optauitque oculos habere plures,
A *Et lingua pariter locutus omni,*
Terrarum domino, deóque rerum,
Promisit Pyliam quater senectam,
Addas Iane" tuam pater rogamus. (v. pater tuam)

DOMITIVS.

FASTORVM.] Reuertentem ex Sarmatis Dom. victorem mense Ianua. Ianus, vt ait poëta, doluit se non posse cernere pluribus oculis, promisitque ei longissimam Nestoris ætatem: sed tamen non satisfactum est desiderio populi optantis, vt non modo annos Nestoris viuat Domit. sed etiam ipsius Iani. Ianus dicitur parens fastorum, quoniam initium præbebat anni: Fasti autem per singulos annos scribebantur.

ISTRI.] Sarmatarum, qui ad Istrum habitant.

TOT *vultus.*] Ianus duos vultus, vt nonnulli scribunt, quatuor habuit. B

PLVRES *oculos*] i. vt posset cernere Domit.

OMNI *lingua*] i. quaterna.

ADDAS *tuam ætatem.*] Quia non satis putat populus Rom. habere vitam Nestoris.

Ad Musam. III.

Quinq; satis fuerant, vel sex, septémq; libelli,
Est nimium: quid adhuc ludere Musa iuuat?
Sit pudor, & finis, iã plus nihil addere nobis
Fama potest: teritur noster vbique liber.
C *Et cùm rupta situ Messalæ saxa iacebunt,*
Altaque cùm Licini marmora puluis erunt:
Me tamen ora legẽt, & secũ plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram, cùm sic respondit nona sororum,
Cui coma, & vnguento sordida vestis erat:
Túne potes dulces ingrate relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An iuuat ad tragicos soccum transferre cothurnos,
Aspera vel paribus bella tonare modis;
"Perlegat vt tumidus rauca te voce magister, (Perlegat.)
D *Oderit & grandis virgo bonúsque puer?*
Scribant ista graues " nimium, nimiúmque seueri, (v. potius.)
Quos media miseros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos;
Agnoscat mores vita, legatque suos.
Angusta cantare licet videaris auena,
Dum tua multorum vincat auena tubas.

DOMITIVS.

QVINQVE *satis.*] Introducit musam eum hortantem, vt scribat epigrammata, ne videatur alia causa quàm honesta scribere.

LVDERE.] Ea lasciue.

SIT *pu.*] Carmine.

ET *finis.*) Nil plus addere potest fama, quã additur;

TERITVR] Consumitur.

MESSALÆ] Messala orator stemmatis domestici studiosissimus, magnificas habuit ædes, quæ cum domo Licinij Crassi certabant.

SITV] Vetustate. Infrà de eodem:

Marmora Messalæ findit caprificus.

MARMORA *Licinij*] Ædes marmoreæ Licinij Crassi. Persi. *In Licinij ædes.*
Hic est ille, qui cognomento dictus est diues primus omnium Romanorum, posteà decoxit, irrisione tamen occurrentium salutabatur diues: qui in Parthos fuit, non fuit appellatus diues primus, sed hic.

NONA] i. vltima ex musis.

SORDIDA] Oblita vnguento.

SOCCVM] Grandem vocem. Soccus genus calciamenti, quo vtebantur comici, cothurno tragici.

TRAGICOS *co.*] Altum genus scribendi.

PARIBVS *mo.*] i. versibus heroïcis.

PAVCA *vo.*] Magno hiatu.

LVCERNA] Quia poëmata quandoque scribuntur ad lucernam.

LICET] Esto.

ANGVSTA *auena*] Infimo carmine.

VINCAT *tubas multorum*] i. magis hæc legant, quàm heroïca.

Ad Cæsarem Domitianum. IV.

Quantus io Latias mundi cõuentus ad aras
Suscipit, & soluit pro duce vota suo!
[a] Nam non hæc hominum Germanice gaudia tantùm,
Sed faciunt ipsi nunc puto sacra Dei.

a v. Nõ sunt.

DOMITIVS.

QVANTVS] Multa templa erexit Domit. Dijs: adeò vt quantum debeant Imperatori soluere non possint, vt altero epigrammate dixit. Imperatore igitur reuertente ait, non modo Pop. Rom. lætari, qui fruitur vultu Cæs. sed & ipsos Deos, qui multa accipiunt ab Imperatore.

ARAS *Latias*] Rom.

SVSCIPIT] Facit gaudia, quòd tu sis reuersus.

FACIVNT *sacra*] Id est, sacrificant læti tuo aduentu.

Ad Macrum. V.

Dum donas, Macer [a] anulos puellis,
Desisti, Macer, anulos habere.

a Ius anulorum, qui equestri ordini peculiaris erat honos.

Idem Græcè.

Παισὶν δακτυλίους διδοὺς σὺ Μακρὲ
Σμικροῖς, δακτυλίους ἔχειν ἐπαύσω.

DOMITIVS.

DVM] Macer poëta fuit Veronensis, cuius meminerunt Ouid. & Euseb. fuit item Macer equestris ordinis temporibus Domit. qui muneribus datis puellis imminuerat censum equestrem, adeo vt amplius eques esse non posset, cùm quadringenta non haberet. Qui autem priuabatur dignitate equestri, deponebat anulum insigne ordinis equestris. Ait ergo Martial. Macrum donasse tot anulos puellis, vt quem ipse gestabat anulum equestrem coactus sit deponere. Iuuenal.

Talibus à dominis post cuncta nouissimus exit
Anulus.

DESISTI] Quia imminuisti censum equestrem, & deposuisti anulum.

In Euctum. VI.

Archetypis vetuli nihil est [a] odiosius Eucti.
Ficta Saguntino cymbia malo luto.
Argenti [b] furiosa sui cùm stemmata narrat
Garrulus, & verbis mucida vina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ,
Ferret vt hæc, muros struxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox cõmisit prælia [c] Rhætus,
Cum Lapithis pugna: debile cernis opus.
[d] Hi duo longæuo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet.
Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Æacides, & bibit [e] ipse merum.
Hac propinauit Bytiæ pulcherrima Dido,
In patera Phrygio cùm data cœna viro est.
Miratus fueris cũ prisca toreumata multũ,
In Priami [f] cyathis Astyanacta bibes.

a v. Studiosius illo.
b furiosa. Lips. lib. epig. 50.
c al. Rhœcus.
d Vide Turn. l. 14. c. 12.
e v. vsque.
f v. Calathis.

DOMITIVS.

ARCHETYPIS] Euctus vasa habebat argentea, quæ vetustissima esse prædicabat, & cùm diu in enarrandis vasorum laudibus fuisset occupatus, apponebat in ijsdem præsentis anni vinum. deridet igitur Poëta vetustissimis poculis bibentem nouum vinum. Archetypa vasa dicuntur vetustissima, & primi exempli.

CYMBIA] Vasa.

LVTO *Sa.*] Nam fictilia vasa conficiebantur terra Saguntina. Iuuen.

Pugna Saguntina feruet commissa lagena.

Mart. alibi.

Hispana luteum rota toreuma.

De terra Saguntina testimonium extat Plin.

MVCIDA *vina*] Id est, verbis suis facit mucida vina.

FERRET *hæc*) Acciperet hæc pocula. Nam Apollo, & Neptunus ædificarunt Troiam pacti à Laomedonte pocula.

CVM *Lapithis*) In pugna Centaurorum nobilissimum craterem fuisse legimus, quo Euritium Theseus interemit. Ouid.

Fortè fuit iuxta signis extantibus asper
Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Aegides.

Craterem item Hilæo dat Virgil. eadam in pugna,

Et magno Hilæum Lapithis cratere minantem.

Martial. dat Rheto. vt Flaccus in primo Argonauticorum:

Multóque infamis Hiacco Rhetus.

Et paulo pòst:

Crateres, mensaque volant.

DEBILE] Imminutum, fractum. Vasa argentea alijs supponebantur tanquam nidi. Plin. de poculis: Ad sustentanda obsonia interaddimus altera, & interest quàm plurimum lima perdiderit.

CENSENTVR] In precio sunt.

LONGÆVO *Nestore*] Propter vetustatem ductam vsque ad Nestorem.

COLVMNA] Id est, fundum, quo sustinetur poculum.

TRITA] Vsu.

POLLICE] Manu Nestoris.

ÆACIDES] Achilles.

MISCERI] Propinari iussit Patroclo.

IPSE *bibit*] Tres ad Achillem oratores venerunt, Vlysses, Aiax, Phœnix. in quorum aduentu Achilles ita loquitur: Patrocle, maiorem iam craterem Menœtij filij appone, & exhilara frontem: poculumque appone singulis, nam amicissimi homines meas ædes subuenerunt.

ET *bibit ipse merum*] Bibit enim Achilles. Homer. innuit Phœnici & Aiaci, & bibit: alius codex habet, viuidiusque merum.

BITIÆ] Noti carmine Virg.

Tum Bitiæ dedit increpitans.

ASTYANACTA] Vinum nouum.

IN *cyathis Priami*] i. in scyphis archetypis.

GEORGIVS.

LONGÆVO *censentur, &c.*] O miserandam vetustissimi poëtæ sortem, qui talem nactus sit expositorem! O infelicem Græcarum, Latinarumque literarum conditionem! quas indoctus, & perinde impudens homo corrumpat! O grauem ignauiam doctorum hominum, qui veritatem non asserant, & eam tam turpiter perire patiantur! habent hi duo versus quæstionem omnium, quæ in poëtis habentur, difficillimam, & perobscuram, in qua soluenda Græci omnes grammatici totis viribus elaborarunt. Quare cum hi duo versus de Homeri Iliade sumpti fuerint, varieque & diuersè super eis Grammatici disseruerint, primùm veram lectionem trademus, tùm Homericos versus, & quid senserint doctissimi viri subiungemus, legendum enim est hoc modo.

Hi duo longæuo censentur Nestore fundi,
Pollice de Pylio trita columba nitet.

Nam duplici fundo constabat poculum, in cuius ansis insculptæ erant columbæ quatuor, quod solus Nestor astante Vlysse, Aiace, Diomede, & Achille, sustulit, atque ebibit. de cuius poculi forma, atque cælatura multa à celeberrimis scriptoribus quæsita sunt, quæ omnia ab Eusta. sub compendio sumpta in Latinum transferam. Illudque in primis dicam appellari vas illud, Nestorida, à figura poculi Nestorei. Sed iam Homerum audiamus hæc de Nestore scribentem: πὰρ δὲ δέπας περικαλλὲς, ὃ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιὸς, χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον. οὔατα δ' αὐτοῦ τέσσαρ' ἔσαν, δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον χρύσειαι νεμέθοντο. δύω δ' ὑπὸ πυθμένες ἦσαν. ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης, πλεῖον ἐόν. Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν. Quæ vt potui Latina feci:

Stat scyphus insignis, tulerat quem Nestor ab æde,
Confixum ex auro clauis. hic quatuor aures.
Quas circum gemina stabant vtrimque columba
Aurea pascentes: suberant autem duo fundi:
Vixque gemens alius de mensa tolleret illum
Plenum: non gemuit senior cum sustulit ipse.

Super his, primùm quæsitum est quid sit aureis clauis confixum. Deinde quid illud quatuor erant ansæ? quando Asclepiades dixit alia pocula, vbi loquitur de Nestoride duas ansas habere? tùm autem quo pacto supponi possint quatuor columbæ pascentes circa quamque ansam? deinde cur dixerit duos fuisse fundos poculi? In primis autem quæsitum est à Nestore, qui solus sine labore sustulit. cùm alij laborantes illud terrent. De clauis quidem ita accipiunt, vt forinsecus argento poculo affixi, velut arte lusoria starent: quemadmodum alibi in sceptro Achillis dixit: ὣς φάτο Πηλείδης, ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον. Apelles autem quidam tornator demonstrauit in Corinthiacis operibus clauorum positionem, vt essent eminentia quædam parua, & terminata clauorum capitula, sed à poëtis dicuntur infixi clauis non tanquam forinsecus inhærentes, sed velut infixis similes, quòd scil. extra parum emineant in superficie suspensi. De ansis vero quidam sic diuidunt: habebat autem duas ansas supernè: quemadmodum alia pocula, reliquæ duæ circa mediam curuaturam ex vtrisque partibus similes hydrijs Corinthiacis. hîc perquam apertè demonstratur quatuor ansarum habitus, quæ ex vna velut radice, quæ ex fundo procurrat secundum quamque ansam. Sunt enim diuisi rami non multum inuicem distantes, sed protendentes: vsque ad labra paululum quidem suspenduntur, & prout distant à vase seruant diuisionem: cùm verò desinunt ad labrorum inhærentiam, rursum coniunguntur, & fiunt hoc modo ansæ quatuor. Hæc quidem forma non in omnibus huius fabricæ: sed in quibusdam vasis videtur, maxime in his poculis, quæ Seleucides dicuntur. De duobus verò fundis sunt, qui sic soluant: Poculorum quædā fundum habent, & conglutinatum cum toto poculo, quemadmodum sunt cymbia, phialæ, & si quid est phialis simile: quædam duo, vt canthari, seleucides, & carchesia. Vnum quidem aiunt esse fundum, qui secundum alueum cum toto vase constructus est: alterum verò, qui ante ab acuto incipiens desinit in latus, & tale dicunt fuisse Nestoris vas. Possumus autem supponere duos fundos, & alterum quidem ferè totum tumorem poculi secundum maiorem circunscriptionem habentem elationem conuenientem altitudini, alterùm verò minorem circulum comtectum in maiore, quemadmodum contigit in vasis Nestoris. Dionysius verò Thrax fertur Nestoria fabricasse discipulis argentum conferentibus, vnde Promathidas Eracleotes ex Dionysij constitutione exponens, ait scyphum esse depressas habentem aures, quemadmodum sunt naues duarum prorarum, circa autem aures columbas, quemadmodum vidit baculos quosdam subesse poculo obliquos per longitudinem, & illos esse duos fundos, quale poculum olim Capuæ visum fuit, quæ ciuitas est Campaniæ, Dianæ oblatum, quod dixerunt Nestoris fuisse: nam argenteum erat aureis literis Homericos versus insculptos habens. Alij verò altius de poculo disseruerunt: hoc est, priscos cùm æstimauissent primum mansuetum hominibus orbicularem mundum ex figura Solis, & Lunæ fecisse, hinc mensas rotundas, tripodas, & placentas: poculum verò, quod susciperet nutrimentum humidum circulare fecerunt, sed Nestoris poculo quiddam magis separatum inerat, habebat enim stellas, quas clauis similes poëta dixit, & stellas similes esse clauis, velut impactas cœlo: quemadmodum

dixit Aratus de eis νυκτερῇ δ' ἀνάριθμοι ἀγάλματα νυκτὸς ἰοῦσαι: addit autem aureos clauos argenteo poculo, quippe figurans ſubſtantiam cœli ſecundum apparentiam argentei poculi, quòd cœlum argento ſimile ſit. Stellæ verò aureæ, quia ignitæ videantur. De columbis autem ſunt qui ita ſentiant, per peliades non ſignificari aues, ſed potiùs ſtellas pleiades per literæ tranſiectionem. Nam & multi poëtæ, & in primis Simonides, atque Pindarus, Peliadas pro pleidibus dixerunt. Ergo in poculo vna quæque anſa duæ ſupponendæ ſunt, ſiue aliquis voluerit eas eſſe puellas ſub natura auium, ſiue ſub figura humana ſtellis variatas. Sunt verò qui intelligant hoc modo, duæ, cùm dixit poëta Peliades aureæ circumpaſcebantur, duoque fundi ſuberant, vt non eſſent duo fundi, neque ſecundum diæreſim legendum: vt dixit Dionyſ. Thrax. ſed potius compoſitæ ὑποπυθμένες, vt intelligamus quatuor fuiſſe columbas in duabus anſis diuiſis bifariam, duo autem ὑποπυθμένες: hoc eſt, ſubfundi tanquam ſubfundales, velut ſuſtineretur poculum à duabus peliadibus ſubiacentibus fundo: ergo cum de poſitione duplicis fundi, & columbis, quæ in anſis inerant variæ, & diſſidentes ſententiæ grammaticorum forent, dixit Neſtora cenſere geminum eſſe fundum, hoc idem de columba intelligendum eſt, quam ſenis pollice tritam dicit. quare faceſſat arrogantiſſimus, & indoctiſſimus iſte Domitius, qui duos verſus tam reconditæ, & variæ eruditionis ita deprauauerit, vt de dignitate Homerica, & feſtiui poëtæ doctrina multum nobis tolleretur. De Neſtoride vaſe intellexiſſe Sueton. dixerim: cùm ſcrib. Neronem nunciata defectione exercituum literas prandenti ſibi redditas cóſcerpſiſſe, menſam ſubuertiſſe, & duos ſcyphos gratiſſimi vſus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, ſolo illiſiſſe.

In Cinnam. VII.

Hoc agere eſt cauſſas, hoc dicere, Cinna, diſerte,
Horis, Cinna, decem, dicere verba nouem?
Sed modò clepſydras ingenti voce petiſti
Quatuor, ô quantũ, Cinna, tacere poteſ!

DOMITIVS.

HOC *eſt*] Cinna volebat diſertus cauſidicus videri, & cùm tandem inciperet agere cauſas, vix x. horis abſoluerat ix. verba, à iudicibus item petijt quatuor horas, quod ſpatium cùm videatur datum ad dicendum, poëta vrbaniter ait Cinnam impetraſſe lõgum ſpatium horarum, quo poſſit ſilere.

SED *modò*] Id eſt, cùm nondum abſoluiſſes x. horis.

QVATVOR *cl.*] i. quatuor horas.

POTES *tacere*] Quaſi dicat melius fuerit tamdiu ſilere, quàm agere cauſas. Vel certe potes ſilere, quoniam non agis cauſas dicendo, ſed ſiles, adeo pauca dicis, & vrbanè eum ſilere ait tam lentè loquentem.

Ad Ianum. VIII.

Principium des, Iane, licet velocibus annis,
Et renoues vultu ſæcula longa tuo,
Te primum pia thura rogent, te voce ſalutent:
Purpura te felix, te colat omnis honos:
Tu tamen hoc mauis, Latiæ quod contigit vrbi,
Menſe tuo reducem, Iane, videre Deum.

DOMITIVS.

PRINCIPIVM] Ianuario menſe nihil maius ineſſe ait, cùm & initium anni ſit, & tunc faſces conſulares ſumantur, quàm quòd eo reuerſus eſt Domit. è Sarmatis victor.

HOC *mauis*] Quod contigit.

REDVCEM] Incolumem, & victorem Domi.

VELOCIBVS] Cito labentibus.

TVO *vul.*] i. tuis calendis renouantur anni.

TE *primum pia thura*] Nam Ianuario ſacra peragebant, vt felix annus eſſet.

PVRPVRA] Id eſt, coſſ. qui faſces ſumebant menſe Ianuario.

Ad Quinctum. IX.

Soluere dodrantem nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hylas: luſcus vult dare dimidiũ.
Accipe quamprimũ: breuis eſt occaſio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi ſoluet Hylas.

DOMITIVS.

SOLVERE] Hylas factus lippus. i. oculis ſtilantibus, voluit ſoluere nouem partes creditæ pecuniæ Quinto, mox amiſſo altero oculo voluit dare partem dimidiam: conſulit Mart. vt antequam alterum oculum amittat, accipiat dimidium, nam cùm nuper morbo oculorum ſubtraheret tres vncias, mox luſcus tres. Verendum eſt ne totum neget amiſſo vtroque oculo.

DODRANTEM] Id eſt, ix. vncias.

LVSCVS] Factus.

VVLT *dare dimidium*] Sex vncias.

OCCASIO *lucri eſt breuis*] Quia cito peribit alter oculus.

CÆCVS] Duobus oculis.

De Baſſo. X.

Emit lacernas millibus decem Baſſus
Tyrias, coloris optimi, lucrifecit:
*Adeò benè emit? inquis. immo non * ſoluit.*

DOMITIVS.

EMIT] Baſſus x. millibus nummum emit lacernas, ſed cùm non eſſet ſoluturus, poëta ait eum lucratum eſſe has veſtes.

LVCRIFECIT] i. lucratus eſt.

ADEÒ *bene emit*] i. adeo viliter emit. interrogatio eſt, cui ita reſpondet.

IMMÒ *non ſoluit*] Quod maius eſt.

Ad Cæsarem Domitianum. XI.

Peruenisse tuã iam te scit Rhenus in vrbem:
Nam populi voces audit, & ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque,
Lætitiæ clamor terruit ipse nouæ.
Dum te longa sacro venerãtur gaudia circo,
Nemo quater missos currere sensit equos.
Nullum Roma ducem, nec te sic Cæsar amauit,
Te quoque iam non plus, vt velit ipsa, potest.

Idem Græcè.

Ῥῆνος σεῖο πόλιν σ' ἐπιδήμιον ἐόντα συνῆκε·
Τοῦ λαοῦ φωνὰς καὶ γὰρ ἄκουσε τεοῦ.
Ἔθνεα Σαυρομάτων, Ἰστροιό τε ῥέεθρα, Γέτας τε
Πανδήμους νεαρῆς θροῦς ἐτάραξε χαρᾶς·
Μέσφ' ἱερὸν σέβεταί σ' ἐπισημασίαισι θεάτρων,
Δίφρα δράμον τετράκις, μηδενὸς αἰσθομένου.
Οὐχ' οὕτως ἐφίλησ' ἄλλον κοίρανον, οὔτε σε Ῥώμη·
Οὔτε πλέον σε φιλεῖν, κ' ἢν ἐθέλῃ, δύναται.

DOMITIVS.

PERVENISSE] Redeuntem Dom. tanto applausu populus in circo excepit, vt Sarmatæ, vnde venerat, potuerint exaudire clamorem: quodque magis est mirandum, occupati oculi in Imperatore inspiciendo non viderunt equos, qui in Circo iam quater cucurrerant.

RHENVS] Flu. Germaniæ.

VRBEM] Romam.

ILLE *Rhe.*] i. accolæ Rheni.

LÆTITIAE *nouæ*] Te veniente.

ISTRVM] Accolas Istri.

NEMO] Nullus spectator.

MISSOS *quater*] Septies etiam mittebantur equi à carceribus in circo, sed cùm Domit. vellet, centum missos vno die perfici, iussit vt quinquies tantum singuli mitterentur. In eundem sensum supra,

Adeoque mentes omnium tenes vnus,
Vt ipsa magni turba nesciat Circi
Vtrum ne currat passerinus, an tigris.

LONGA *gaudia*] i. plausus longi.

NEC *te sic Cæsar*] i. numquam amauit tantùm, quantùm nunc: quasi dicat, ad cumulum amoris peruenisti, & nullus locus relictus est, vt amari possis amplius.

VT *velit ipsa*] Etiam si Roma velit, plus non potest amare.

Ad Priscum. XII.

Vxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
A *Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:*
Non aliter fuerint fœmina, virque pares.

DOMITIVS.

VXOREM] In eos qui locupletem vxorem ducunt, nam hi nubunt vxori, vt illud Plauti.

Dotem accepi: libertatem vendidi.

Locupletis vxoris insolentiam satyra insectatur Iu.

NOLO *nubere vxori*] Quia oportet me parere.

INFERIOR] Nobilitate, & opibus.

PARES] In amore, & concordia, nisi mulier sit inferior nobilitate, & opibus.

Ad Gargilianum. XIII.

Morio dictus erat, viginti millibus emi. v. Mallo]
B *Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit.*

DOMITIVS.

MORIO] Moriones dicebantur, qui naturali quadam stoliditate, & deformitate oris oblectabant. hi adhibebantur cœnis diuitum. propterea Plin. cùm inuitat amicum ad frugalem cœnam: Cœnabis, inquit, sine morione. Morio, nomine ipso significat stultum. Mart. Morionem emerat adductus nomine, vt ipse iocatur, putans eum esse stultum, sed cùm haberet domi, vidissetque eum non angi, non cruciari, non vexari aliquo furore, esse mente tranquilla, simplicitate quadam naturæ, poëta indicauit eum sapientem, propterea repetit à Gargiliano precium datum, quoniam vendiderit sapientem pro stulto, ita quoque de Morione loquitur in disti.

C *Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.*

Nam veram vitam putat esse in tranquillitate mentis, & rerum contemptu.

SAPIT] Nam poëta more Epicuri putat sapientiam summam esse, qualis est morio.

In crudelem amicum. XIV.

Pallida ne Cilicum timeãt pomaria brumã,
Mordeat & tenerũ fortior aura nemus;
Hibernis obiecta Notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fece diem.
D *At mihi cella datur, nõ tota clausa fenestra,*
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare iubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

Idem Græcè.

Ὄφρα μὲν ἡ Κιλίκων φοβέοιτο ψῦχος ὀπώρη,
Μηδ' ἁπαλὴν ὕλην σφοδρὸν ἄημα δάκῃ,
Αὐγὰς χειμερινοῖο νότοιο διόπτρα δέδεκται
Ἠελίοις ἀμιγεῖς, καὶ φάος ἀπτύχετον.
Ἀλλ' ἐμοί, ἡμιχανὴς οὐ τῷ θυρίς ἐστιν, αἴθεται,
Οὔτ' αὐτῷ Βορέῃ τλήσιμον, οἰκίδιον.
Οὕτως ἀρχαῖον ξενίζεις, ὠμέ, φίλον σου;
Σοῖς ὑπὸ κρεῖττον ἐμοὶ δένδρεσιν ἐνδιάειν.

DOMITIVS.

PALLIDA] Horti pensiles erant apud antiquos, qui rotis promouebantur in Solem ab olitoribus, rursus hybernis diebus specularibus tegebantur, ne ventus læderet. Plin. de cucumeribus Tiberij. Nullo non die contigit pensiles hortos non promoueri rotis ab olitoribus in solem, prorsus hybernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus. Amicus Mart. pensiles hortos ita texerat, cùm poëta haberet cellam apertam ventis, ait ergo se melius futurum hospitem arboris, quàm talis amici, quia tegetur saltem specularibus.

SPECVLARIA] Lapides speculares.

ADMITTVNT *diem sine fece*] Nam excludunt ventos, & brumam.

NEMVS *tenerum*] i. Hortulos.

NON *tota cl. fenestra*] Sed partim aperta.

Ad Domitianum. XV.

Dum noua Pãnonici ["v. numeratur.] *narratur gloria belli,*
Omnis & ad reducem dũ litat ara Iouem,
Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus.
Et ditant ["V. Latiæ.] * [*Vide Corn. Vitellij annotationes in Merulam.] *Latias tertia dona tribus.*
Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tua laurea pacis erit.
Quid tibi de sancta credis pietate tuorum?
Principis est virtus maxima, nosse suos.

Idem Græcè.

Μέσφ' ἡ Παιονίης νίκη πολέμοιο θροεῖται,
Τῷ Διὶ καὶ θύει πᾶς ἐπανερχομένῳ,
Πᾶς λιβανωτὸν ἑῶς Ἱππεὺς, βουλή τε δίδωσι,
Φυλαί τ' Αὐσονίων τὰ τρίτα δῶρα πέλει.
Μνήσεται ἡ Ῥώμη τούτου κρυφίοιο θριάμβου,
Παιάν τ' εἰρήνης οὐ μικρός ἐστι τῆς.
Τῆς ὁσίης ὅτι τῶν ἰδίων εἶ μάρτυς· Ἄνακτος
Ἐστὶ καλοῦ, γνῶναι τοὺς ὑποτασσομένους.

DOMITIVS.

DVM *noua*] Domi. domitis Sarmatis noluit triumphare, sed lauream tantum retulit Ioui Capitolino. Poëta ait tantam fuisse populi lætitiam, vt hæc laurea non sit minor triumpho, & laudandum esse animum Imperatoris, qui confidat se non fore minori veneratione apud suos hac laurea, quàm si triumphasset.

MEMORABIT] Celebrabit.

ET *ditant Latias tertia dona tribus*] Ita & codex antiquus habet, & est legendum. Latinæ feriæ dicebantur dies, quibus fœdus ictum est à Latinis cum Pop. Rom. ijsdem diebus licebat populis Latinis petere carnem ex monte Albano à Rom. Po. ex sacris. Ci. in oratione pro Planco hoc indicat, dum paucitatem hominum in quibusdam municipijs ostendit his verbis. Quibus municipijs vix, qui carnem Latinis petant, inueniuntur. Victoria Sarmatica tertia erat, de qua hic loquitur, bis iam domitis Cattis, & Dacis.

TERTIA *dona*] Id est, sacrificia, quæ tertia iam victoria fiebant.

DITAT *tribus Latias*] i. populos Latinos, quia iam tertiò carnes dabantur. Authores sunt Macrob. & Var. Latinæ autem feriæ in pompa triumphali dicebantur. in alio codice legitur,

Et libant latia, &c.

TRIVMPHOS *secretos*] Lauream appellat triumphum secretum, quasi ea voluerit Imperator triumphum cælare.

TVÆ *pacis*] Quàm dedisti Romanis, perdomitis Sarmatis.

NOSSE *suos*] Perspectos habere animos suorum, & eos cognoscere.

CREDIS *tibi*] De pietate sancta tuorum erga te.

GEORGIVS.

Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus.

Et libant latia tertia dona tribus] Quo spatiosius historias, & consuetudines priscas conquirit, & repetit impudens hic iactator, eo magis pugnantem, & interim confusam interpretationem affert, velut hac in parte: nam si populus, eques, & senatus thura dabant, vtpote triumphum Dijs, & Dom. gratulantes, tribus Latiæ gratulabundæ: quo pacto ditabantur tertijs donis, qui magis & ipsæ dona ferre debebant, vel quid de ferijs Latinis hac in parte mentionem facere oportuit? quæ indicebantur quoties noui consules magistratum inituri essent: quo inito Albam proficiscebantur sacrificaturi cum visceratione, vt apud Gel. & Luca. habetur. quòd cum ita sit, parum vera est Calderini enarratio. Nos autem hæc sentimus. Confecto sociali bello multis è Latio data est ciuitas Romana, vt apud Appianum legimus, distributique sunt in tribus, vt suffragium ferrent, duntaxat post quinque & Romanas tribus, hinc ortum fuit ius Latium, quod datum fuit per Senatum, & Cæsares pluribus populis, atque oppidis, tam in Italia, quàm extra Italiam, vt frequenter notant Pedianus, & Plin. hic igitur erit sensus. *Latiæ tribus.* Hoc est, vrbes, & oppida quæ habent ius Latij: & Latiæ tribus dicuntur à poëta: *Libant*, non ditant: *Tertia dona*, pro victoria Cæsaris. Tertia autem dona, dixit, vt ostenderet eas tribus non esse diuisas à populo Romano, sed habere idem ius, quòd populus, conditione alia. Sueton. de testamento Augusti loquens, hanc tribuum, & populi discretionem fecisse videtur his verbis. Legauit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies, sestertium.

In Ciperum. XVI.

Pistor qui fueras diu, Cipere,
Nunc caussas agis, & ["v. ducena.] *ducenta quæris:*
Sed consumis, & vsque mutuaris.
A pistore Cipere non recedis,
Et panem facis, & facis farinam.

DOMITIVS.

PISTOR] Ciperus iunci genus est apud Plin. hic est proprium nomen. Hic ex pistore factus fuerat

causidicus, lucrabaturque multum, sed conuiuijs, liguritoribus, nebulonibus multa dabat. Facere panem & farinam dicitur pistor. qui pinsit far, & coquit panem, & farinam. Facere item panem & farinam dicitur, qui liberalitate, siue prodigalitate sua alijs panem, & farinam subministrat. Cùm igitur Ciperus nunc multos pascat prodigalitate sua, æquè pistor videtur, ac olim erat, cùm panem, & farinam pistor faciebat. Huc spectat totum hoc epigramma, vt ostendat Ciperum, qui liberalis volebat videri multos alendo, non agere id ex liberalitate, vt scilicet det panem, & farinam multis, sed veteri more & instituto pistoris.

PISTOR] A pinsendo farre dictus, olimque tantum farinam faciebat, panem ipsi Quirites & mulieres: sententia est Attei Capitonis. Postea receptum fuit, vt idem & panem coqueret: propterea ait,

Et facis panem, & facis farinam.

Nam vtrumque ad pistorem pertinebat.

MVTVARIS] Accipis ab alijs, vt ostendas prodigalitatem.

A *pistore*] Ab instituto, & opere pistoris non discedis, dum multos pascis.

Ad Sextum. XVII.

Egi, Sexte, tuam pactus duo millia caussam.
Misisti nūmos " *quot mihi? mille, quid est?*
Narrasti nihil, inquis, & à te " *prodita caussa est:*
Tanto plus debes, Sexte, quòd erubui.

v. quòd mihi mille. v. perdita

DOMITIVS.

EGI] Iocus est, quòd causa amissa plus sibi debeatur, quam si vicisset, nam laus fuisset loco parti alicuius præmij.

PACTVS] Duo millia.

ERVBVI] Tuli illum pudorem propter te.

Ad Cirinium. XVIII.

Sic tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Vt mecum possis vel prior ipse legi:
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior vt mea sit, quàm tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentauit carmina Flacci,
Pindaricos " *posset cùm superare modos.*
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Cùm posset tragico fortius ore loqui.
Aurum, & opes, & rura frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

v. nosset.

Idem Græcè.

Ὤφελες ἐκδοῦναι τὰ σὰ, Κυρίνιε, βίβλους,
Πᾶς σ' ἵν' ἀναγνοίη, σὺν τ' ἐμοὶ, ἢ πρότερον.
A Ἀλλά σοι ἀρχαίου πόση αἰδώς ἐστι φίλοιο,
Ὥστε σοὶ ἐστὶν ἐμὴ δόξα πρὸ τῆς ἰδίης.
Οὕτως οὐδὲ μὲν ἦγ' ἀοιδοπόλοιο Καλαβοῦ
Ἀρχιος ὢν νικᾶν Πινδάρου ᾆσμα Μάρων.
Καὶ σκηνῆς Βαρίῳ Ῥωμαΐης εἶξε βραβείου
Μέλλων αὖ κρείττων ἔμμεναι ἐν τραγικοῖς.
Χρυσοῦ μὲν, κτεάνων τε πολλοὺς φίλους εἶν' ἀφθόνους
Πρωτείων δ' εἴκων τοῦ νόου οὔτις ἔοι.

DOMITIVS.

SIC *tua Cirini*] Cirinium deridet, qui dicebat se posse edere epigrammata, sed nolle, ne Mart. æmulus videretur. Poëta ita respondet, vt ostendat se id non sentire, quoniam nemo sit tam amicus, qui velit cedere ingenio, & nolit doctior videri. Supra in eun- B dem sensum:

Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat Laberi, virum putabo.

Hæc dicit deridendo.

MECVM] Vel mecum pari laude.

VEL *mecum maiori*] i. maiori laude.

AMICI] Mart. sic pari respectu amicitiæ.

FLACCI *Calabri*] i. Hora. i. Virg. noluit scribere eo scribendi genere. vt cederet amico.

PINDARICOS *mo.*] Pindarus Scopæ Lydi filius poëta Thebanus, lyricorum princeps, vt scrib. Fabius, tantæ æstimationis, vt & Macedoniæ regibus charus, & Alexander Thebis captis edixerit, Pindari domum ne comburite Id enim fuit Alexandri verbum, licet nonnulli Græci scribant ea verba ædibus C Pindari fuisse ascripta. Iuuentus est mortuus cum cœpisset dormire in gymnasio in gremio pueri dilecti.

CESSIT] Laude.

ROMANI *cothurni*] i. tragœdiæ Romanæ. Hora.

Scriberis Vario. Varium scribit. Quint.

Cuius tragœdia Thyestes cuilibet Græcorum conferri posset.

FREQVENS *amicus*] i. multi amici.

De Cinna. XIX.

Pauper videri Cinna vult, & est pauper.

D

Idem Græcè.

Πένης θέλει Κίννας δοκεῖν, πένης τ' ἐστί.

DOMITIVS.

PAVPER] Amici monostichon.

CINNA] Ita erat pauper, vt vellet videri dissimulare diuitias: at inquit Mart. ita est: neque magnopere laboret in hoc simulando oportet.

Ad Varum. XX.

Cùm facias versus nulla non luce " *ducentos,*
Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

v. ducenas

DOMITIVS.

DOMITIVS.

CVM] Varus fluu. est qui disterminat Italiam à Narbonensi Gallia, hîc nomen est proprium viri: is componebat ducentos versus eodem die: qua in re non erat sapiens. Est enim inanis cuiusdam ingenij tot versus effundere: tamen hoc iactabat ita, vt vellet laudari, sed non recitabat: in hoc erat sapiens. Sapientis enim erat quærere laudem hac iactantia si poterat: sed tamen nihil recitaret, quoniam recitando nullam potuisset assequi laudem.

NVLLA *non luce*] i. quotidie.

NON *sapis*] Non es doctus poëta.

SAPIS] Quia nihil recitas.

Ad Luciferum. XXI.

De Cæsare.

Phosphore redde diem. quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat, placidi nũquid te pigra Bootæ
Plaustra vehunt, lento quòd nimis igne venis?
Ledæo poteras "abducere Cyllaron astro: v. addere.
Ipse suo cedet "nunc tibi Castor equo. nunc.
Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus, & Aethon
Frena volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci,
Et cupit Ausonium Luna videre ducem.
Iam, Cæsar, vel nocte veni: "sint astra licebit, Sint.
Non deerit populo te veniente dies.

DOMITIVS.

PHOSPHORE] Venturo Cæsare noctu conqueritur diem serò redire, quo die Domit. erat in vrbem ingressurus.

PHOSPHORE] Lucifer, stella quæ diem præcedit.

MORARIS] Retardas.

NOSTRA *gaudia*] Aduentus Cæsaris.

LENTO *igne*] Tarda stella.

ABDVCERE *Cyllaron*] Vt celerius venires, vt satisfaceres Pop. Rom. Hic equus est stellificatus, dicatus erat Romæ ad forum in æde Castoris. Pap.

Et panes aspiciens Ledæos ab ade propinqua
Cyllarus.

TITANA] Solem.

TENES] Moraris Solem cupientem venire: & satisfacere lætitiæ populi.

XANTHVS] Quòd flauus sit.

ÆTHON] Quia videatur ardere. equi solis.

VOLVNT *frena*] i. volunt currum.

MEMNONIS *alma parens*] Aurora mater Memnonis.

VIGILAT] Iamdiu cupiens exire.

LVCI *nitidæ*] Veniente Domitiano.

NON *cedunt*] i. non dant locum.

A LVNA] Quæ nondum discessit è cœlo, quia ipsa etiam vult videre Cæsarem.

NON *deerit dies populo*] i. populus videbit te etiam media nocte.

In Gallicum. XXII.

Inuitas ad aprum; ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

DOMITIVS.

INVITAS] Hybrida dicitur ex imparibus parentibus natus, vt Porph. interpretatus est Horatium: canis natus ex venatico, & gregario, hybrida. Item, B authore Plin. dicitur fœtus apri, & suis domesticæ: & hoc etiam conuitium in homines dicitur, eoque vsus est Cic. in M. Antonium.

PORCVM] Suem domesticum.

DAS *verba*] Si derides, vt hoc scil. ostendas.

Ad Rusticum. XXIII.

Esse tibi videor sæuus, nimiumque gulosus,
Qui propter cœnam, Rustice, cædo cocum?
Si leuis ista tibi flagrorum caussa videtur,
Ex qua vis caussa vapulet ergo cocus?

C

DOMITIVS.

ESSE] ..uerauerat coquum, qui malè cœnam parauerat: inquit Mart. Si coquus non est verberandus, quòd cœnam malefecerit, qua causa erit verberandus? quasi dicat, nulla alia de causa debet verberari.

CÆDO] Verbero.

Ad Cæsarem Domitianum. XXIV.

Si quid fortè petam timido, graciliq; libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.
D *Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari:*
" *Offendunt numquam thura, precesque Iouem.*
Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille deos: qui rogat, ille facit.

Idem Græcè.

Εἴτι περ ἀντιβολοῖ δειλοῖς τῷ γράμματι βαιῷ,
Ἢν μὴ ἀναιδὲς ἄγαν ᾖ τὸ δέημα, δίδου.
Κ' ἂν μὴ δῷς, λιτομυθομένοιό γ' ἔμπης ἀνέχοιο·
Οὐ λιβάνῳ γὰρ Ζεὺς ἄχθεται, οὔτε λιταῖς.
Οὐχ ὁ θεοὺς χρυσῷ, καὶ λύγδῳ δείκελα πλάττων
Ἀλλὰ θεοὺς ποιεῖ μοῦνος ὁ λισσόμενος.

DOMITIVS.

SI *quid*] Blandè rogat Domit. vt mittat pecuniam, nec debeat ferre animo iniquo.
IMPROBA] Insaturabilis.
PERMITTE] Æquo animo sinas te rogari à me.
QVI *rogat*] Qui supplicat.

In Oppianum. XXV.

Vidisti semel, Oppiane, tantùm
Ægrum me; malè sæpe te videbo.

DOMITIVS.

VIDI.] Oppianus mali erat coloris, neque conualescere poterat: suprà,

Esset Castrice cùm mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

Martial. sæpè ægrotauerat, sed conualuerat, vt superiore carmine ostendit. iocatur igitur in Oppianum, qui perpetuo malè habebat, neque vnquam conualescebat.

MALE *sæpe te vid.*] Scil. malè habentem, semper enim malè habes.

Ad Cæsarem Domitianum. XXVI.

Non tot in Eois timuit Gangeticus aruis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo:
Quot tua Roma nouas vidit Germanice tigres:
Delicias potuit nec numerare suas.
Vicit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos,
Et victoris opes, diuitiasque Dei.*
Nā cùm captiuos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

*Liberi patris de victis Indis triumphatoris.

Idem Græcè.

Οὐ τόσσας ἔτρεσε τίγρεις γαγγητικὸς ἀγρεὺς
Ὑρκανῷ τὸν φεύγων ἵππῳ ἐφεζόμενος,
Ὅσσας, Καῖσαρ, ἴδε Ῥώμη, τεὸν ἄστυ νεοχμοὺς,
Οὐδὲ χλιδῆς ἀριθμεῖν ἴσχυσε πλῆθος ἑῆς. D
Τὴν Ἰνδῶν νίκησε κυνηγέσιον σὸν πομπήν,
Τόν τε Ἐυπαισούχου πλοῦτον ἄπαντα Θεοῦ.
Ἰνδοὺς γὰρ ὑπ' ὄχεσφι θριαμβεύοντι Λυαίῳ
Ἄρκιος ἦν διδύμη τίγρις ὑποζυγίη.

DOMITIVS.

NON *tot*] Dederat spectaculo Domit. multas tigres. Tigrim primus ostendit Augustus Romæ mansuefactam: Claudius quatuor, plures nunc Domitianus. poëta ait eum superasse Bacchum, qui gemina tantùm tigride dicitur triumphasse. Plin. scribit elephantes duxisse Bacchi currum: & Pompeium ita esse æmulatum triumpho suo. Tigres autem fuisse indicat Silius duobus in locis:

Qualis odoratis descendens Bacchus ab Indis.

RAPTOR] Fœtus enim tigridis rapitur ea absente totus, reuersa ad vacuum cubile, cùm id sensit, raptoris fugientis vestigia persequitur. Ille passim relictis catulis moratur feram referentem singulos ad cubile, tandem cùm ad flumen aliquod, vel ad littus peruenit, naui est tutus, gestatque secum qui supersunt.

ALBVS] Pallens præ metu. supra,

Vinat. & vrbanis albus in officijs.

IN *equo Hyrcano*] Nam in Hyrcania, & India sunt tigres.
GANGETICVS] Indus à Gange fluuio.
TIMVIT *tot*] Nam numerosus est partus tigridis.
EOIS *aruis*] i. Indis.
NOVAS] Insolitas. Tigres nouæ erant tunc in spectaculis, nam raro visæ fuerant: cùm tamen variæ feræ ex genere pardorum, & similes tigridi sæpe spectatæ fuerint, nam Scaurus ædilis, c. & l. ostendit. Pōpeius cccc. & x. Augustus cccc. & xx.
DELICIAS] Spectaculi.
TVA *arena*] i. tuum spectaculum.
TRIVMPHOS *Erythræos*] Id est, Indicum triumphum.
VICTORIS] Dei Bacchi. nam tertius Bacchus de Indis triumphauit: authore Diodor.
AGERET *Indos captiuos*] i. cùm triumpharet de Indis.

Ad Gaurum. XXVII.

C *Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,*
Si sapis, & sentis, hic tibi ait, morere.

Idem Græcè.

Δῶρά σοι ἀφνειῷ δοὺς, καὶ ἅμα Γαῦρε γέροντι,
Αἴ μὴ ἀλλοφρονῇς, * τεθναίης, ὧδε λέγει.

*Arist. 1. de Ani ex Homero.

DOMITIVS.

MVNERA] Gaurum monet orbum, & diuitem, vt captatores contemnat, qui cùm mittant munera, non amant, sed optant mortem.
LOCVPLETI] Tibi diuiti.
AIT] Videtur dicere, morere.
SI *sapis*] Si cor habes, & percipis.

De Partheniana toga. XXVIII.

Dic toga facūdi gratum mihi munus amici,
Esse velis cuius fama, decusque gregis?
Appula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis.
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi
Bætis in Hesperia te quoque lauit aqua?

An tua multifidum numerauit lana Timauum,
Quæ a priùs astrifero b Cyllarus ore bibit?
Te nec Amyclæo decuit liuere veneno:
Nec Miletus erat vellere digna tuò.
Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet c ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphieq; colũbæ:
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.
Sed licet hęc primis niuibus sint ęmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.
Non ego prætulerim d Babylonica picta e superbè
Texta, Semiramia quæ variantur acu.
Non Athamanteo potiùs me mirer in auro,
Æolium dones si mihi Phryxe f decus.
O quantos risus pariter spectata mouebit,
g Trita palatina h vestra lacerna toga.

a v. plus. b Cyllarus equ. à Mercurio Dioscuris donatus, Stesichoro teste. c ebur fossile. d Babylonia. e v. Superba. f v. pecus. g v. cum. h v. nostra.

DOMITIVS.

DIC *toga*] Parthenius præfectus cubiculi Domitiani togam candidam Martiali misit, quam poëta laudat, sed iocans ostendit sibi deesse lacernam, quoniam lacerna sua trita, non bene conuenit tam pulchræ togæ. Alloquitur togam, & rogat cuius lanæ preciosissimæ velit existimari.

AMICI *facundi*] i. Parthenij, qui doctus erat, vt alibi inquit poëta:

Nec musis vacat, aut suis vacaret.

CVIVS *gregis est*] Cuius velleris.

FAMA] Laus.

PHALANTI *ledei*] i. Laconici Tarenti: nam Tarentini ducunt originem à Laconicis duce Phalanto.

HERBA *Appula*] i. pascua Apuliæ.

SATVRAT] Irrorando alit.

GALESVS] Fluuius labitur à Calabris, fluit prope Tarentum. Cannusinæ, & Tarentinæ lanæ in precio habebantur.

BÆTHIS *Tar.*] i. Bæthis Hispanus, qui Bæthis Tartesus dicebatur, vt Strab. Aqua Bæthica lanæ fiunt fuluæ.

STABVLI *Iberi*] i. pecudum Hispaniæ.

MVLTIFIDVM *Timauum*] Lanæ Patauinæ in precio erant: quod Strab. scrib. & in distichis est. Non procul autem à Patauio Timauum esse error quidam recepit, placet magis hoc, quàm vt intelligas de lanis Histriæ, aut Tergestinis.

NVMERAVIT] Alludit ad numerum ostiorum Timaui, qui octo habet.

ASTRIFERO] Cælesti: relatus enim est in cœlum Cyllarus, suprà:

Hic vbi septenas Cyllarus hausit aquas.

NEC *de.*] Non par fuit.

LIVERE] Infici.

AMYCLÆO *ve.*] Purpura Laconica. De purpura Laconica Papin. *Quis purpura sæpe Oebalis, & Tyrij moderator liuet aheni.*

Et in carminibus Horat.

Nec purpuras Laconicas trahunt clientes.

Sunt qui de cocco intelligant potius quàm purpura,
A quoniam in Laconica nascatur, sed placet de purpura.

MILETVS] Tribus in locis est caput Ioniæ: vnde Milesia vellera dicta sunt à Virgil. non à lanæ præstãtia, sed à colore. Lanas enim solitas fuisse illic tingi, hic versus indicat: & Horat. in epist.

Testam Mileti vitabit chlamydem.

VINCIS] Superas.

LILIA] Candore.

LIGVSTRA *nondum delapsa*] Quæ non ceciderunt Virg. *Alba ligustra cadunt.*

EBVR *albet*] Quia frigore asseruatur illic frigiditate.

SPARTANVS] i. olor Ledæus.

PAPHIÆ *columbæ*] Dicatæ Veneri.

GEMMA] i. vnio. Vnionem soli Romani appellarunt, reliquæ etiam gentes margaritas. gemmæ in conchis oriuntur, quæ colliguntur ab vrinantibus: & clariores sunt ex mari rubro.

ERVTA] Euulsa.

ÆMVLA] Ferè paria.

PRIMIS *niuibus*] i. nondum tactis.

CANDIDIORA *suo Parthenio*] i. animo sui Parthenij, qui misit.

BABYLONIS] Babylonij varios picturæ colores, authore Plin. vestibus acu intexebant. Vestes autem pictæ dictæ apud Hom. sunt. Vnde triumphales deductæ sunt.

TEXTA] Vestimenta.

PICTA] Distincta.

VARIANTVR] Ornantur, & pinguntur.

ACV *Semiramia*] Babylonia: nam Semiramis regina Babylonis fuit.

ÆOLIVM] Patrem Athamantis patris Phryxi, & Helles ex nepte, vnde pecus Æolium, quare aries,
C quo Phryxus nepos Æoli vectus est in Pontum. Licet alij scribant arietem fuisse insigne nauis, qua nauigauit Phryxus: alij pædagogum Phryxi, quem Gambrus rex Scytharum excoriari iussit, accepto in munus Phryxo ab Æeta. Fabula obtinuit, vt arietem brutum putemus cuius vellus fuerit aureum.

NON *mirer me*] Hoc est, non placeret magis.

AVRO *Athamanteo*] i. Phryxi filij Athamantis.

O *quan. risus*] Alijs mouebis.

NOSTRA *lacerna trita*] Tacitè petit lacernam: alibi est, vestra lacerna.

GEORGIVS.

AN *tua multifidum numerauit lana Timauum*] Ego magis Altinatem lanam existimo: nam Altinates
D oues à Colum. commendantur: de quibus etiam poëta hæc ait:

Velleribus primis Apulia, Parma secundis:
Nobilis Altinum tertia laudat ouis.

Sed cum errasse dicis quosdam, qui dicant Timauum vicinum Patauio, coarguendus erat, & refellendus illorum error: & in primis à te, qui sedulus harum rerum inquisitor vis videri. Ego autem vt errori quorundam occurram: quando res ipsa, & locus huius quæstionis me admonet, quid de Timauo, tum ex lectione veterum, tum ex inquisitione diligenter nostrorum hominum subiungam: quamquam illud in primis miror Blondum egregium alioquin Italiæ ruinarum illustratorem affirmare Timauũ eum esse fluuium, quem nostri homines Brentam vocitent. Miratur enim non indoctos homines quærere Timauum in Histris, & post testimonia Lucani & Mart. Plinio nixus quædã dicit in totũ falsa de insulis scil. & aquis

dulcibus in vrbe Veneta scatentibus: qua vellem virum aliâs non indoctum, & tum recentioris historiæ, tum Italicarum vrbium inquisitorem laboriosum, aut hæc siluisse, aut exactius flumen inuestigasse, quanquam super terram mergatur. ergo vt quod ego sentio, & verum est, aliquando dicam: fluuius is quem Brentam nunc dicunt, à priscis Meduacus appellatus est: eodem nomine & Bachilio à Vincentinis defluens montibus. Nam ostia Padi Plin. scrib. hæc ait: proximum portum facit Brondulum sicut Edronem Meduaci duo, & fossa Clodia. Timauus autem per Aquileiensem agrum labitur, & mersus post xx. millia passuum exit, authore Plin. Strab. quoque Possidonium secutus Timauum subire terras tradit: influit autem in mare pluribus ostijs, quæ accolæ Tergestini sinus fonticulos dicunt: quoniam instar fontium emittunt aquas, ex aduerso quorum est insula parua cum aquis calidis, quæ pariter cum æstu maris crescunt, minuunturque, & nunc balnea montis Falconis appellantur. hoc nuper cognitum est diligentia Chronici, qui ex senatusconsulto chirographiam attulit eius tractus, qui intra pectus Alpium, & Tergestinum sinum iacet. Hæc sunt, quæ de fluuio pro tempore, & præsenti negocio dicere volui.

De Distichis. XXIX.

Disticha qui scribis, puto, vult breuitate placere.
Quid prodest breuitas, dic mihi, si liber est?

Idem Græcè.

Δίστιχα συγγράψας ἐθέλεις βραχύτητι ἀρέσκειν
Ἀλλ' τίς ἡ βραχύτης, εἰ βίβλος ἐστὶ λέγε;

DOMITIVS.

DISTICHA] Fatetur se decipere lectorem qui scribat disticha, & ita teneat lectorem breuitate, sed tamen tot scribat, vt librum conficiat: vel, quod placet, ostendit causam quare scripserat longum epigramma, nam cùm librum absoluere velimus, inquit, quid refert disticha ne scribamus, an longiora epigrammata? nam quòd me hortaris scribere disticha, vis vt placeam breuitate, sed nulla potest esse breuitas, cùm faciamus librum.

SI *liber est*] Si tendo ad iustum librum, & si multa D disticha legere te oportet.

De spectaculo Scæuolæ. XXX.

Qui nunc Cæsareæ lusus spectantur arena:
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Adspicis, vt teneat flammas, pœnaq; fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus!
Ipse sui spectator adest, & nobile dextræ
Funus amat: totis pascitur illa sacris.
Quòd nisi rapta foret nolenti pœna, parabat,
v. lassos. *Sæuior in " laxos ire sinistra focos.*
A *Scire piget post tale decus quid fecerit antè:*
Quàm vidi, satis est hāc mihi nosse manū.

Idem Græcè.

Ὅσσα θεωρεῖται ἐπ' ἀνακτορέοιο θεάτρου
Παίγνι', ἐπὶ Βρούτου τόσσα μέγα κλέος ἦν.
Λεῦσσε, φλογῶν ὡς χεὶρ ἐπιδράττεται, ὡς ἀπολαύει
Ποινῆς, θαμβαλέῳ τ' ἐν πυρὶ κοιρανέει.
Ἐστὶ δ' ὃς αὐτόπτης αὐτῆς, καὶ χεὶ θανάσῃ
Χαίρει, ὅλων δ' αὐτὴν φλὸξ θυέων νέμεται.
Εἰ δὲ μὴ οὐ ποινῆς ἀέκουσαν ἀνέρξαν, ἔμελλ' αὖ
B Τῆς λαιῆς ἐς πῦρ ὁρμὴ ἑτοιμοτέρη.
Οὐ πολυπραγμονέω, τί δὲ ῥέξας ἢ πρὶν ἔρεξεν·
Ἀρκεῖ μοι γνοίης τὴν δ' ἣν πρὸ ὄπωπα, χέρα.

DOMITIVS.

QVI *nunc*] Ita puniebantur damnati, vt antè est dictum, à Dom. vt pereuntes vel tragœdiam repræsentarent, vt supra de Laureolo, & Orpheo, vel aliqua ex historia damnatus repræsentat virtutem Scæuolæ vera imitatione, nam & ipse sibi manum comburit, Imperatoris iussu. poëta de hoc spectaculo edit epigramma.

BRVTI] Maiorum, & Porsenæ: nam Brutus fuit temporibus Porsenæ.

TENEAT] i. qui damnatus est repræsentet Scæ-C uolam.

FRVATVR *pœ.*] i. fruatur laude pœnæ.

REGNET] Præster ipse damnatus.

ADEST *spe. sui*] i. spectat laudem suam.

ILLA] Dextra.

TOTIS *sa.*] i. totis focibus sacrorum, nam Scæuola, vt Liui. combussit dextram ad aram sacrorum in castris Porsenæ.

QVÒD *ni.*] Et hoc erat repræsentandum ex historia Mutij, vt ille abduceretur ab igne, cùm pararet etiam sinistram comburere, suprà.

Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.

NOLENTI] Recusanti.

SÆVIOR] Maiore virtute quàm fuerat dextra Scæuolæ.

LAXOS] Extinctos pœnæ.

PIGET *scire*] i. nolo scire.

QVID *an.*] Nam ob scelus damnatus erat, & ob scelus laudem consecutus comburendo manum fortiter.

NOSSE] Dignam laudem. Nil enim ante dignum laude fecit.

In Dentonem. XXXI.

Nescio quid de te non bellè, Dento, fateris,
Coniuge qui ducta iura paterna petis.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, & in patriam serus ab vrbe redi.
Nam dum tu longè deserta vxore, diuque,
Tres quæris natos, quatuor inuenies.

DOMITIVS.

NESCIO] Dento ducta vxore petijt ius trium liberorum, vel quòd aliud ipse genus libidinis sectaretur, vel quòd mariti officium non posset præstare, vt iocatur Mart. de iure trium liberorum supra dictum.

NON *bel. fa.*] Quia videris fateri te sectari aliud genus libidinis, & non posse arrigere.

IVRA *paterna*] i. ius trium liberorum.

LIBELLIS *suppli.*] Supplicationibus.

LONGE] Ab Hispania.

De columba Aretullæ. XXXII.

Aëra per tacitum delapsa sedentis in ipsos
Fluxit Aretullæ blanda columba sinus. B
Luserat hoc casus, nisi inobseruata maneret,
Permissaque sibi nollet abire fuga.
Si meliora piæ fas est sperare sorori,
Et dominum mundi flectere vota valent:
Hæc à Sardois tibi forsitan exsulis oris,
Fratre reuersuro, nuntia venit auis.

Idem Græcè.

Εζολιθὼνς ἐς κόλπον Αρητύλλης ἱερέεσσι
Ρὦσε δι' ἠερίης πᾶσα πελειὰς ὁδοῦ.
Ην ἂν ἄθυρμα τύχης, εἰ μὴ ἀφύλακτος ἔμεινεν,
Ηθελέ τ' ἐκ, αὖθις ταύτην ἐοῦσα, φυγεῖν. C
Εἰ δὲ ἀδελφείῳ ἐλπεῖν θέμις, εἰ δὲ δυνάσται
Τὸν κόσμου κάμπτειν πλευτὸς ἄνακτα λιταί,
Αὕτη σοὶ φυγάδος τυχὸν ἔρχεται ὄρνις ἀδελφοῦ
Αγγελος ἐκ Σαρδοῦς οἴκαδε νισσομένου.

DOMITIVS.

AERA *per tac.*] Aretullæ frater in exilio erat in Sardinia, qui vt restitueretur, soror sæpe Imperatorem rogauerat: nuper ea sedente, & sparsis auibus in theatro (Nam id spectaculi genus edidit Dom. quod Pap. in Saturnalibus testatur, & olim ediderat Nero.) Columba in gremium decidit, neque inde voluit euolare.

COLVMBA] Columbæ autem fuerunt nunciæ grauioribus rebus, alligatis pedibus epistolis, quod in obsidione Mutinensi accidisse antiquorum monumenta testantur, emissa columba à Decio Bruto obsesso in castra consulum. Eundem morem ostendit Iuuenal. D

Tanquam præcipiti venisset epistola penna.

Ex hoc casu theatri nactus occasionem poëta & Aretullæ pietatem laudat rogantis Do. pro fratre, & poëta quoque rogat dum ita fieri. Aues, quæ spargebantur in theatro, missiles dicuntur.

CASVS *lusi.*] Hoc est, vt hoc videretur sine numine accidisse.

INOBSERVATA] i. non retenta, postea quæ manebat in sinu non retenta est, factum numine Do.

PERMISSA *fuga*] i. facta potestate euolandi.

EXVLIS] Vbi frater exulat.

PIÆ] Laboranti pro fratre.

A FLECTERE] Exorare.

VOTA] Sororis & aliorum.

Ad Paullum de phiala. XXXIII.

De prætoricia folium mihi, Paulle, corona
Mittis, & hoc phialæ nomē habere iubes.
Hac fuerat nuper [a] *nebula tibi pegma perunctum,* [a Bractea argentea.]
Pallida quam rubri diluit vnda croci.
An magis astuti derasa est vngue ministri
Bractea, de fulcro [b] *quod reor esse tuo?* [b quam. Aldinum exemplar.]
Illa potest culicem longè sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ,
Et leuiter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert cū [c] *paruo sordidus asse cliēs.* [c v. parua.]
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo:
Plena magis nimio lilia Sole cadunt:
Nec vaga tam tenui [d] *discursat aranea tela:* [d v. discurrit.]
Tam leue nec bōbyx pendulus vrget opus.
Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ:
Crassior offensæ bulla tumescit aquæ.
Fortior intortos seruat vesica capillos;
Et mutat Latias spuma Batauа comas.
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ouo:
Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum [e] *phiala, ligulam cùm mittere possis?* [e Georg. Agricola li. 1. de mensuris.]
Mittere cùm possis vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur, [f] *cochleam cùm mittere posses,* [f v. Cochlear.]
Denique cùm possis mittere, Paulle, nihil.

DOMITIVS.

DE *prætoricia*] Paulus Mart. amico misit phialam in saturnalibus. Phialam autem solere mitti in saturnalibus ex disticho cognoscitur.

Quamuis Calaico rubeam generosa metallo:
Glorior arte magis, quòd meus iste labor.

Phiala erat vas commune aquæ & vino elaboratum, in primis argentea, aut aurea. Iuuen.

Virro tenet phialas: tibi non committitur, aurum.

A Paulo nunc missa, tam subtilis & exilis laminæ erat, vt nullius ferme precij esset. in quo Poëta Pauli auaritiam deridet, qui ingenio videretur excogitasse quo pacto mitteret exiguum munus, cùm posset & minus mittere, & nihil si volebat.

CORONA *præ.*] i. corona in ludis data, nam coronæ fiebant ex bracteis vel auri, vel argenti in speciem florum: quæ in ludis dabantur. Primus Cras. argento & auro folia imitatus in ludis suis coronas dedit. Prætores autem præerant certaminibus theatri, vnde munera prætoricia, quæ dantur in ludis theatri.

Sueto. de Ner. Magistros certamini præposuit consulares, sorte sede prætores. Iuu. de præfectis ludorum. A

——*Nullius fibula durat*

Vocem vendentis prætoribus.

Est igitur tam subtilis, quàm bractea coronæ prætoritiæ.

PEGMA *perun.*] Argento incrustare pegmata mos fuit apud antiquos, sed id fecit in magnum luxum Claudius princeps: præterea Tranquillus, vt suprà de pegmate in Claudio.

PERVNCTVM] Incrustatum.

HAC *ne.*] i. hoc folio, & lamina subtilissima argenti.

PALLIDA *vnda*] Quia crocus spargebatur in theatro vino dulci mistus, author est Plin. cùm autem loqueretur Virgil. de vino dulci ex Tmolo monte ait,

Nonne vides croceos vt mittat Tmolus odores?

India mittit ebur.

Croceos odores intelligit vinum dulce, quod miscebatur croco spargendum in theatro, nam quòd Probus, & alij exponunt pro croco, falsum est: nam præstantissimum crocum ex Cilicia, aut ex Tmolo mittebatur. De vino autem, & vinetis Tmoli multa extát testimonia. Misceri vino crocum indicat etiam Horat. *Corytoque croco sparsum stetit.* B

Suet. Sparso per vias identidem croco.

DILVIT] Abluit cùm in theatro funderetur, Lamina grossior est, & ex ferro, aut huiusmodi metallo, bractea est plicabilior, & ex auro potissimum, aut argento. Virg.

Sic leui crepitabat bractea vento.

Iuu. Bracteolam de Castore.

Lecti, siue triclinia incrustabantur argento, quod Carbilius eques Romanus primus instituit, postea lecti mulierum omnino operiebantur. Ait poëta hanc phialam esse bracteam derasam ex lecto Pauli. C

VNGVE *mi.*] Furacis, nam à furantibus seruis nonnumquam deradebantur vngues. Tranquil. de Caligula, Romæ publico epulo seruum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici tradi iussit.

FVLCRO] Lecti sponda.

SENTIRE] Nam concutitur.

AGI] Agitari.

VAPORE] Leui afflatu.

VOLITAT] Impellitur.

CARYOTA] Est species palmarum, author est Plin. Idem testatur Stra. lib. vlt. his verbis. Duplex est palma caryota, & reliqua thebaica durior, suauior gustatu, dicta caryota à cara, quod significat caput: nam ex ea fiebant vina iniqua capiti. mittebantur calend. Ian. in dist. D

Aurea porrigitur Iani caryota calendis.

Erat autem aurata imitatione vanitatis Græcorum, qui quem fructum putarunt gratissimi saporis esse, fecerunt aureum in templo Apol. Delphici, raphanum aureum, betam auream, rapum plumbeum, pro varietate metalli saporum fructus dicantes. dicuntur etiam caryotides, Papin.

Pergrandes caryotides cadebant.

SPVTO] Tam subtili auro.

ASSE] Paruo precio. In dist. de Caryota.

Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

COLOCASIA] Herba est quæ in Nilo nascitur, folijs latissimis, quam nonnulli cyamon dixerunt, ducitur dentibus tanquam lana, & quidem subtilis. In dist. *Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,*

Improba cum morsu fila manuque trahes.

LENTA *colocasia*] Nam flexibilia sunt.

LILIA] Non candida sed purpurea magis.

PLENA] Grossiora hac phiala.

BOMBYX] Prius bombylis dictus. inde necidalus, demum bombix. aranearum modo texit telas in Assyria, quas Pamphile Platis filia in Coa insula & retorqueri, & texi docuit: vnde vestes bombicinæ fiebant, quibus mulieres Romanæ pellucebant.

CRETA] Id est, terra Silinusia, siue Chia, quæ faciebat ad poliendam cutem, qua vtebatur Fabulla.

BVLLA] Erat ornamentum pueri ingenui in speciem cordis, remedijs quibusdam inclusis aduersus inuidiam. Bulla item significat aquam tumescentem. Varro in re rustica. Vita nostra bulla est. de hac intelligit Martial.

OFFENSÆ *aquæ*] Percussæ.

CRASSIOR] Crassiore superficie quàm phiala, quam mihi misisti.

VESICA] Tegmentum, & mitellam capitis significat subtilissimam, qua Germanorum crines contegebantur.

BATAVA *spu.*] i. Germanico sapone. Sapo autem Gallorum est inuentum ad crines colorandos, cùm autem sit in præcipuo vsu Germanis, Spuma Germana dicta est. In distichis.

Caustica Theutonicos accendit spuma capillos:

Captiuis poteris cultior esse comis.

SPVMA *batava*] i. Saponis, qua illinuntur crines.

MVTAT] Nam colorat crines.

PVLLVS] Cygnus.

OVO *Ledæo*] i. ouo cygni, nam pullus is est cum alijs ouis cygnorum, quibus pulli vestiuntur.

SPLENIA] Flammeola subtilissima, vt supra est dictum, *Splenia tolle, leges.*

Quæ ita capiti componebantur, vt dùm à fronte ad vtramque genam ducuntur, relinquantque vultus spacium apertum, cornua lunæ effingant.

FRONTE *lunata*] i. ita composita, vt videatur cornuta tanquam luna.

COCLEARE] Mittebantur in saturnalibus, infrà,

Sum cocleis habilis, sed nec minus habilis ouis:

Nunquid scis potius cur cocleare vocer?

MITTE *mihi*] Quod melius fuisset quàm excogitare hoc, vt pauca mitteres.

In Iactatorem. XXXIV.

Archetypũ Myos argentũ te dicis habere, *Vide Tur. Lib. 6. 24.

Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.

DOMITIVS.

ARCHETYPVM] Archetypa vasa dicebãtur vetustissima, & quoniam erant in precio, archetypa etiam significabant preciosa. In furem siue captatorem hoc est distichon, quia archetypa vasa habebat, nulla sua pecunia comparata.

VAS *dicitur factum sine te*] Hoc est sine sumptu tuo, & sine te factum dicitur. hoc est nondum te nato. hic iactabat se habere archetypa.

MYOS] i. vasa ab ipso Myoe sculptore facta. Mar. respondet eo magis esse archetypa intelligens eo esse maioris precij, quoniam sine eo facta sunt, intelligens sine eius sumptu, cùm ille posset intelligere

Mar. dicere magis archetypa. i. vetustiora, & sine eo facta. i. antequam natus esset.

Myos.] Artificis sculptoris, quemadmodum archetypum. i. Mentoris. in dist. Mys seruus fuit Pythagoræ. Mys præterea, Agragas, Betus, eodem tempore claruerunt argento cælando. Myos opera erant in æde Liberi patris Rhodi, Silenus, Cupido.

In pessimos coniuges. XXXV.

Cùm sitis similes, paresque vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror, non bene conuenire vobis.

Idem Græcè.

Allusum ad Parœmiam, Conciliant homines mala Arist. 2. Rhet.

Πάντως ἰσότροποι, βίος δ' ὁμοῖος,
Χειρίστη γαμετὴ, πόσιν κάκιστον,
Θαῦμ' ἐστὶ φευγέειν φίλα σφίσ' αὖθις.

DOMITIVS.

Cvm *sitis.*] Miratur coniuges pessimis moribus non conuenire, cùm ita oporteat eos esse concordes, quemadmodum & boni conueniunt.

Convenire *vobis.*] i. non esse concordes.

Ad Cæsarem Domitianum. XXXVI.

Regia pyramidum, Cæsar, miracula ride:
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes:
Thessalicum breuior Pelion Ossa tulit.
Aethera sic intrat, nitidis vt conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex.
Et priùs arcano satietur lumine Phœbi,
Nascentis Circe quàm videt ora patris.
Hoc Auguste tamẽ, quæ vertice sidera pulsat,
Par domus est cælo: sed minor est domino.

Idem Græcè.

Πυραμίδων ϑηῆσαι βασιλήϊα θαύματα, Καῖσαρ·
Οὐδεὶς τῶν ἔργων Μέμφιδος ἔστι λόγος.
Κτίσμα τεοῖο μέγας πόσον Μαρεωτικὸν οἶκου;
Κρεῖσσον ἐν ἀνθρώποις ἥλιος οὐδὲν ὁρᾷ.
Ἑπτὰ λόφοις φαίης κεν ἐπ' ἀλλήλων ἐπικεῖσθαι·
Πήλιον Ὄσσα φέρουσ' ἦν ἐλαχιστοτέρη.
Τοῖς ἄστροις κορυφὴ ἐπιμίσγεται, ὥσθ' ὑπὸ κείνοισι
Εὔδιος ἀστράπτειν τερπνεῶν νεφέων.
Τῷ τε φάους κρυφίου πρὶν ἀφίσσεται ἠελίοιο,
Ἢ πατέρ' ἢν Κίρκη λάσσεν ἀνερχόμενον·
Ἀλλ' ἄστρων τόδε δῶμα θιγὸν, τοῦ μὲν πόλῳ ἴσον
Ἔπλετο· τοῦ δ' ἰδίου μεῖον ἄνακτος ἔφυ.

DOMITIVS.

Regia *pyramidum.*] Laudat ædes Dom. quæ ædificatæ fuerunt à Rabirio: magis enim placet, quòd suprà dixit, Rabirium struxisse ædes Domit. quàm ædem Iouis Capitolini.

Ride.] Contemne.

Miracvla *regia pyramidum.*] Nam Pyramides sunt structæ à regibus.

Eovm *opus*] i. Orientale.

Labor *mareoticus*] i. pyramides Ægyptiæ.

Qvota *pars*] i. minima pars Domitiani.

Credas.] Credere posses.

Pariter *assurgere.*] i. superimponi.

Ossa *breuior.*] Minor. i. cùm montes à Gigantibus fuerunt superimpositi, vt raperent cælum domo palatina.

Apex.] Summitas aulæ Palatinæ.

Serenvs.] Qui in serenum consurgit.

Et *priùs.*] Summa loca primò Sole illustrantur: tantæ altitudinis hanc aulam esse dicit poëta, vt sol nascens, priùs eius apicem attingat, quam montem Circes filiæ suæ: nam Circe Solis filia fuit, vt cecinit Virg. vt Diodor. Æetæ & Hecates. hæc cùm regem Sarmatarum, cui nupserat, veneno sustulisset, expulsa à popularibus, in Italiam venit, quamuis, qui parùm rectè Homeri verba interpretantur, eam ignotam Oceani insulam tenuisse putent. Circæum autem montem ita scripsit Vlysses apud Homer. E specula, inquit, vidi insulam, quam ingens pontus ambit, sita est ipsa terra: vidi autem in medio fumum. Virgil.

Atque hic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. Præterea.
Inaccessos vbi Solis filia lucos Seruat.

Apollonius, & Theophrastus meminerunt.

Arcano *lumine.*] Aliis mortalibus, quia ante quàm Sol aspiciatur ab aliis, apex domus Domit. illustratur.

Ad Polycarmum. XXXVII.

Quòd Caietano reddis, Polycarme, tabellas,
Millia te centum non tribuisse putas?
Debuit hæc, inquis. tibi habe, Polycarme, tabellas,
Et Caietano millia crede tuo.

DOMITIVS.

Qvòd.] Polycarmus cùm vellet liberalis videri, reddidit tabellas Caietano, qui debitor erat, vt illæ tabellæ testabantur, sed nunquam soluturus. Mart. negat hoc fuisse liberalis animi dedisse x. millia, quæ non erat habiturus: quòd si vult liberalis videri: credat duo millia: & seruet tabellas centum millium, quas restituerat.

Reddis *tabellas.*] Quibus debebat centum millia.

Crede.] Id est, mutuo duo millia, quæ donabis: nam ille nunquam restituet, ita eris liberalis.

Ad Meliorem. XXXVIII.

Qui præstas pietate pertinaci
Sensuro bona liberalitatis,
Captet forsitan, aut vicem reposcat.
At si quis dare nomini relicto
Post manes, tumulúmque perseueret,
Quærit quid nisi parcius dolere?
Refert sis bonus, an velis videri?
Præstas hoc, Melior, sciente fama:
Qui sollennibus anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi,
Et de munifica profusus arca
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori, piæque turbæ
Quod donas, facis ipse Blæsianum.
Hoc longum tibi vita dum manebit,
Hoc & post cineres erit tributum.

DOMITIVS.

QVI *præstat.*] Melior duos habuit pueros, quorum alter Blæsus dictus est, alter Glaucia. Blæsum priùs amisit, quem pudicè amabat: deinde Glauciam, quem educabat, vt leniret desiderium Blæsi amissi. Blæsus apud inferos his versibus Glauciam agnoscit, vt est apud Pap.

Mox vbi delitias, & rari pignus amici
Sensit: & amissi puerum solatia Blæsi,
Tollit humo.

Attedius Melior diem natalem Blæsi etiam mortui singulis annis celebrabat: hoc laudatur à poëta.

QVI *præstat.*] Sensus est. ille qui præstat viuo amico aliquid, agit id, vt aliquid expectet: at qui mortuo facit id. præ amore tantum agit, non vt captet hæreditatem ab amico.

NOMINI *relicto*] i. mortuo amico.

DOLERE *parcius.*] Nisi vt consoletur dolorem amici

REFERT.] Magna est differentia.

NOMEN *Blæsi.*] i. memoriam Blæsi.

SOLENNIBVS] Diebus natalitiis celebrandis.

PIÆ *turbæ.*] Celebrantium natalem.

SCRIBARVM.] Quia Blæsus erat de turba scribarum: huius meminit Horat.

FACIS *Blæsia.*] Quia nihil inde expectasi sed totum id possidetur à Blæsio, & Blæsianum est.

Ad Domitianum. XXXIX.

Qui Palatinæ caperet conuiuia mensæ,
Ambrosiásque dapes, non erat antè locus.
Hic haurire decet sacrũ, Germanice, nectar,
Et Ganymedea pocula mixta manu.
Esse velis, oro, seruus conuiua tonantis.
Et tu si properas Iuppiter, ipse veni.

DOMITIVS.

QVI.] In laudem domus, de qua supra.

A DECET.] Par est.

SACRVM *nectar.*] i. diuinum poculum.

ORO *velis.*] Oro vt serò velis ire in cœlum in cœnatione Iouis.

AT *si properas ô Iuppiter*] i. si vis citò habere Dom. conuiuam.

Ad Priapum. XL.

Non horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, & potes renasci,
Furaces moneo manus repellas,
Et syluam domini focis reserues.
Si defecerit hoc, & ipse lignum es.

B

DOMITIVS.

NON.] Minatur se Priapum custodem hortorum combusturum, nisi custodierit syluam, vnde possit ministrare alimenta foco.

PALMITIS *beati*] i. magni vineti.

RARI.] Exigui, & præclari.

EX *quo.*] Nemore.

ES *natus.*] Es factus.

DEFECERIT *hoc.*] Nemus.

ET *ipse lignum es.*] Et ipse potes comburi, quasi dicat, tu ardebis.

Ad Faustinum. XLI.

C *Tristis Athenagoras nõ misit munera nobis,*
Quæ medio brumæ mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo:
Me certè tristem fecit Athenagoras.

DOMITIVS.

TRISTIS.] Alibi iocatur in Athenagoram, vbi plura de eo dicentur.

NON *misit munera.*] Saturnalitia.

MEDIO *mense bruma.*] Id est, mense Decembri, quo mittebantur saturnalitia munera.

Ad Mathonem. XLII.

Si te sportula maior ad beatos
D *Non corruperit, vt solet: licebit*
De nostro, Matho, centies laueris.

DOMITIVS.

SI *te sportula.*] Inuitat Mathonem ad balnea. Sportula dabantur centum quadrantes: suprà,

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum.

Et alibi.

Centum Misselli iam valete quadrantes:
Quos balneator diuidebat elixus.

Iocatur poëta in Mathonem, cui pollicetur se daturum sportulam suam. i. nihil.

DE *nostro centies.*] De nostra sportula centum quadrantum.

CORRVPERIT.] Corruptum te non vocauerit.
LICEBIT lauaris.] i. poteris lauari.
DE nostro centies.] i. de sportula centum quadrantum, quam nos damus, ea autem nulla est.

In Fabium & Christillam. XLIII.

Effert vxores Fabius, Christilla maritos,
Funereamque toris quassat vterque facem.
Victores committe Venus, quos iste manebit
Exitus, vna duos vt Libitina ferat.

DOMITIVS.

EFFERT.] Christilla maritos necabat. Fabius vxores. Optat poëta vt hi coniungantur, nam peribunt ambo: hoc accidit, vt tales coniuges coniungerentur temporibus Augusti, cùm mulier septem maritos: vir totidem vxores occidisset: tunc quoque compositum epigramma. Cùm Bito Bacchus. Bitus, & Bacchus gladiatores fuerunt, qui multos sustulerant, & tandem congressi mutuo vulnere ceciderunt.

EFFERT.] Efferri cadauera dicuntur ad sepulturam.

FACEM funeream.] Ad differentiam tædæ nuptialis: nam & in nuptiis, & funeribus adhibebantur.

COMMITTE hos duos.] i. fac vt hi duo victores congrediantur.

LIBITINA.] Sandapila.

Ad Titullum. XLIV.

Titulle moneo, viue semper: hoc serum est:
Sub pædagogo cœperis licet, serum est.
At tu miser, Titulle, nec senex viuis:
Sed omne limen conteris salutator,
Et mâne sudas vrbis osculis vdus,
Foróque triplici sparsus ante equos omneis,
Aedémque Martis, & colosson Augusti
Curris per omnes tertiásque, quinctásque.
Rape, congere, aufer, posside: relinquendũ est.
Superba densis arca palleat nummis,*
Centum explicentur paginæ Kalendarum:
Iurabit hæres, te nihil reliquisse,
Supráque pluteum te iacente, vel saxum,
Fartus papyro dum tibi torus crescit,
Flentes superbus basiabit eunuchos,
Tuóque tristis filius, velis nolis,
Cum concubino nocte dormiet prima.

* Donat. cod. vetus habet pullulet.

DOMITIVS.

TITVLLE.] Titullum monet vt det aliquando operam veræ vitæ: hic autem adeo anxius erat quærendis diuitiis, vt cùm duæ horæ manè datæ essent ad salutandum: vt suprà,

Prima salutantes, atque altera continet hora.

Ipse tertiam quoque occuparet: cùm tertia data esset causidicis, quinta variis laboribus: suprà;

Exercet raucos tertia causidicos:
In quintam varios extendit Roma labores.

Simul monet amicum eum quærere diuitias his, qui nullas habebunt gratias: sed læti eius laboribus fruentur.

VIVE.] Da operam quieti, & laxationi semper.
HOC se.] i. viuere, quia nunquam nimis citò fit.
CONTERIS li.] i. adis limina.
VDVS.] Madidus.
OSCVLIS vr.] Nam oscula dabantur salutatis.
SPARSVS.] Vagus.
ANTE equos omnes.] i. ante omnes iudices qui equites erant: testantur hoc leges antiquorum: & Plin. plurimis verbis.

ÆDEMQVE M.] Intelligit tertium forum, quem extruxit Au. cum templo Martis. Sueton. Ex quibus præcipua forum cum æde Martis vltoris. Causa fori extruendi fuit, hominum, & iudiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere.

COLOSSON Au.] Intelligit statuam Apollinis, quæ ad bibliothecam erat iuxta forum. Iuuenal.

Sportula deinde forum, iurisque peritus Apollo.

TERTIAS, & quin.] i. tertiam & quintam decuriam iudicum, nam quintam decuriam addidit Claudius princeps: cùm quartam addidisset Aug. & ita intelligas Titullum consumere tertiam horam in foro discurrentem per omnia subsellia iudicum, vt salutaret.

CONGERE.] Collige.
PALLEAT.] Argento.
CENTVM pagina Ka.] i. centum libri debitorum.
PAPYRO.] Vtebantur ad rogum, vt magis arderet, nam & papyro vtuntur Ægyptij, authore Plin. ad ignem.
PLVTEVM.] Tabulam, & scamnum.
PRIMA no.] Qua mortuus fueris.

Ad Flaccum. XLV.

Priscus ab Aetnæis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hãc lucem lactea gemma notet.
Defluat, & lento splendescat turbida limo,
Amphora centeno consule facta minor.
Continget nox quando meis tã cãdida mẽsis?
Tam iusto dabitur quando calere mero?
Cùm te, Flacce, mihi reddet Cytherenia Cypros,
Luxuria fiet tam bona caussa mea.

DOMITIVS.

PRISCVS.] Pri. Teren. ex Sicilia reuersus amicus Mart. causam dat nouæ voluptatis, iubétque Mart. promi amphoram vini vetustissimi. In omni enim lætitia hoc Epicurei agebant, quos poëta sectatur. Idem agit Hora. in carminibus.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus.

Et alibi alloquitur amphoram.

O nata mecum consule Manlio.

Eadem voluptate fruetur (vt ait) cùm Flaccus ambi-

eus fuerit reuersus ex Cypro.

GEMMA *la.*] i. Candidus lapis.

ÆTNÆIS *oris.*] i. ab oris Siculis.

GEMMA *lactea.*] Felices dies, gemma lactea, & candido lapide, infelices atro notare. & ad summum vitæ dinumerare, est Thracum inuentum, sed & Cretenses idem egerunt. Ho.

Cressa ne careat pulchra dies nota.

DEFLVAT.] Hauriatur.

LENTO *li.*] Nam amphoræ erant fictiles.

SPLENDESCAT.] Poliatur.

TAM *candida.*] Tam plena voluptatis.

MERO *tam in. ca.*] Id est, quando potero tam iustè ebriari.

CYTHEREIA.] Dicata Veneri, nam illic Venus colebatur ad Paphon, & Palepaphon.

Ad Cestum puerum. XLVI.

Quanta tua est probitas, quanta est præstantia formæ,*
Ceste puer, puero castior Hippolyto!
Te secum Diana velit, doceátque natare:
Te Cybele secum vellet habere Phryga.*
Tu Ganymedeo poteras succedere lecto,
Securus domino basia sola dares.
Felix quæ tenerum vexabit sponsa maritum,
Et quæ te faciet prima puella virum.

*v. instantia formæ.

*v. totum mallet.

DOMITIVS.

QVANTA.] Cesto formam eam inesse ait, vt pudorem quendam virginalem præ se ferat, adeóque careat omni suspitione libidinis, vt nec Diana eum timeat, nec Athis puer præponi posset à Cybele, & basia posset dare Ioui sine Iunonis suspitione, quod non potuit Ganymedes.

QVANTA *est instantia for.*] i. piæ simplicitatis, infantilis indoles. legitur alibi præstantia.

CASTIOR *Hippo.*] Castitatem Hippolyti, & fabulæ, & historiæ testantur, qui nouercalem concubitum repudiauit.

DIANA.] Quæ repudiat adolescentes, & Actæonis oculos vlta est.

PHRYGA.] Tres Athos fuerunt, duo filij Crœsi, quorum natu maior in veneratione ab Adrasto, authore Hero. interfectus est. Iunior imminente percussore patri, os aperuit (anteà enim mutus erat) in hæc verba, Homo ne interfice Crœsum. Athis item puer Phrygius dilectus est à Cybele, qui Deæ immemor, & datæ fidei, cum Sagaritide nympha priores amores violauit: vnde vel statim in furorem versus (vt scribit Ouidius) vel cùm aquas Galli fluminis potasset (vt Catullo placet) pudenda abscidit. sensus poëtæ est: Cybelem malle Cestum puerum non mutilatum, veluti Athum, sed totum, quàm Athim ipsum.

MALLET *te habere phryga.*] Mallet te habere phrygium, id est, non mutilatum.

TV *poteras succedere lecto Gany.*] Sine suspitione Iunonis.

A

In variè se tondentem. XLVII.

Pars maxillarũ tõsa est tibi: pars tibi rasa est:
Pars vulsa est: vnum quis putet esse caput?

DOMITIVS.

PARS *maxillarum.*] Exquisitæ elegantiæ hominem deridet, qui in facie expolienda, volsellis, forcipibus, & cultro vtebatur, cùm alij tantum cultris essent contenti, alii forcipibus, & iuniores volsellis, sed cùm cuiuslibet ætatis instrumentis vtatur, non potest vnum caput videri.

TONSA.] Forcipibus, quibus vti solent grandiores adolescentes.

RASA.] Cultro, quo vtuntur viri.

VVLSA.] Volsellis, quibus vtuntur iuniores.

B VNVM *caput.*] Et non triplicis ætatis: simul eum ostendit esse insanum.

De abolla Crispini. XLIIX.

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollã,
Dum mutat cultus, induitúrque togam.
Quisquis habes, humeris sua munera redde precamur,
Non hoc Crispinus te, sed abolla rogat.
Non quicumq; capit saturatas murice vestes,
Nec nisi delicijs conuenit iste color.
C *Si te præda iuuat fœdique insania lucri,*
Qua possis melius fallere, sume togam.

DOMITIVS.

NESCIT.] Crispinus, de quo supra satis multa, nuper furto amiserat abollam, cùm togam sumeret: furẽ hortatur Mart. vt abollã restituat, quæ cũ sit magni precij, nõ poterit nõ deprehendi vbiq; : quòd si vult furto impunè frui, sumat potiùs togam, quæ facilè poterit latere. Abolla vtebantur externi reges: ea erat magni splendoris, & precij, hoc indicat Suet. quod suprà dictum est.

TYRIAM.] Purpuream. Iuue.

Crispinus tyrius humero reuocante lacernas.

D QVISQVIS *ha.*] O fur accipe togam quæ poterit latere in te.

FALLERE.] Non deprehendi.

LVCRI *fœdi.*] i. furti.

De Aspro. XLIX.

Formosam planè, sed cæcus diligit Asper.
Plus ergo, vt res est, quã videt Asper, amat.

Idem Græcè.

Εἶδος καλλίστης ἔραται, τυφλὸς περ ἐών τις,
Οὗτος πλείονος οἶδεν, ἢ ὁρῶ, ἐρᾶ.

DOMITIVS.

FORMOSAM.] Cæcus amabat puellam formosam, formosa, inquit, est, sed vtcunque res sit, plus amat, quàm videt: an hoc alludit ad illum cæcum Iuuen.

Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ.

Cuius etiam meminit Plin. in epist. sed placet hunc esse alium, quemadmodum suprà est.

Codrus qui cæcus amabat.

Ad Cæs. Domitianum. L.

Quanta Gigantei memoratur mensa triũphi,
Quantaque nox superis omnibus illa fuit.
Qua bonus accubuit genitor cum ° *Phœbe deorum,* °Plebe.
Et licuit Faunis poscere vina Iouem.
Tanta tuas celebrãt, Cæsar, conuiuia laurus,
Exhilarant ipsos gaudia nostra deos.
Vescitur omnis eques tecũ, populúsq; patresq;,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus quanto maiora dedisti!
Promissa est nobis sportula, ° *recta data est.*

*Recta Cœna erat qua clientes à diuitibus accipiebantur opiparè vice sportulæ. Nero autem rectam cœnã ad sportulam reuocauerat, id mutauit postea Domitianus.

DOMITIVS.

QVANTA.] Domit. congiarium populo dedit, & inter spectacula epulum largissimum, cùm ciues sportulam nummorum tantùm expectarent, quam aliàs habuerant: eo epulo ipse priùs cœpit vesci, ciuibus omnibus & omni ordine discumbente. hoc carmine celebra: Pap. Datum autem fuit ob recentem victoriam de Sarmatis. anteponitur hoc mensæ Iouis, qua reliquos deos accepit post triumphum giganteum.

TVAS *lau.*] i. tuam laurum. non appellauit triũphum, nam laurum tantùm intulit Ioui Capitolino.

OMNIBVS *sup.*] Nam omnes Dij pariter accubuerunt.

NOSTRA *gau.*] Quæ declaramus ex laurea Sarmatica.

OMNIS *or.*] i. equestris, & senatorius.

VESCITVR *omnis ordo.*] Idem versus apud Pap.

Vna vescitur omnis ordo mensa, parui, femina, plebs, eques, senatus.

PROMISSA *spor.*] Videbaris daturus sportulam, vt bis antea consueuisti, dedisti cœnam præter consuetudinem, ita lege.

RECTA *data est.*] i. cœna, ad differentiam sportulæ. Cœna recta dicebatur suo apparatu ab amico Do. in sportula dabantur quadrantes: vnde obsonia ad cœnam domum referebantur. Suet. Sportulas ad cœnas rectas redegit. de Domit.

De phiala Rufi. LI.

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua?
A *Liuescit nulla caligine fusca, nec odit*
Exploratores nubila massa focos.
Vera minus flauo radiant electra metallo,
Et ° *nimium felix pustula vincit ebur.* °v. niueum.
Materiæ non cedit opus: sic alligat orbem,
Plurima cùm tota lampade Luna nitet.
Stat caper Aeolio Thebani vellere Phryxi
Cultus, ab hoc mallet vecta fuisse soror.
Hunc nec Cinyphius tonsor violauerit, & tu
Ipse tua pasci vite Lyæe velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis,
Palladius tenero ° *lotos ab ore sonat.* °Lotus; λώτινος αὐλός apud Athenæum lib. 4
B *Sic Methymnæo gauisus Arione delphin*
Languida non tacitũ per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus,
Nõ ° *grege de domini, sed tua Ceste manus.* °v. rogo de dominus.
Ceste decus mensæ, misce Setina; videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
Det numerum cyathis Instãtis littera ° *Rufi:* °Rufi, quod quatuor literis trienti, id est, vnciis quatuor respondet: at Instans, septunci, id est septem vnciis, bibebant enim ad literarũ numerum.
Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissáque gaudia ° *portat:*
Seruabor dominæ, Rufe, triente tuo.
Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantẽ,
C *Vt iugulem curas, nomen vtrũq; bibam.* °v. protero

DOMITIVS.

QVIS *labor.*] Phialam missam à Rufo carmine celebrat.

PHIALÆ.] Vasa argentea elaborata.

MYOS.] Sculptoris.

HÆC *manus Ment.*] Qui primus claruit argento cælando.

POLYCLETE.] Polycletus statuarius fuit, Ageladis discipulus, qui quantùm reliquos superauit in forma hominum ad veritatem effingenda, tantùm abfuit ab authoritate reddenda formæ numinum, quod datum est Phidiæ, & Alcameni.

LIVESCIT.] Liuida est.

NVLLA *cali.*] Fumi ex igne.

LIVESCIT *nulla cal. fusca.*] Nam ex electro constabãt phialæ, non succino dico, sed quòd ex auro fiebat
D argento addito, ex quo Helena sacrauit calicem in templo Mineruæ Indiæ.

ODIT *focos exploratores.*] i. nec signa habet foci, quo exploratum est eius argentum, nam electri natura est ad lucernarum lumina clarius argento splendere. Ita locum Iuu. sumus interpretati. *Virro tenet phialas.* Appositio est crustas Heliadum. i. quæ constant ex lamina Heliadum electri. subtilissima enim materia, & (vt ita dicam) crusta Electri, phialæ curant formatæ. Mart.

De prætoritia folium mihi Paule corona
Mittis, & hoc phialæ nomen habere iubes.

ELECTRA.] Candida siue nigra in precio non sunt. fulua probantur, vt Plin. ea ingenti luce radiant, tamen minus plura sunt hac phiala.

FLAVO *metallo.*] Electro.

PVSTVLA.] Bractea ex argento purissimo, vnde argentum pustulatum: suprà.

Argenti tibi libram pustulati.

Quemadmodum micam mitellam dicimus in auro & argento.

FELIX.] Elaborata.

OPVS.] Artificium in phiala.

NON *cedit.*] Vincitur à materia.

STAT *caper.*] In hac phiala erat caper. nam in phiala sculpebantur nonnunquam capri, quoniam animal infensum Baccho. & obscœna interdum. Stratonicus in phiala Satyrum somno grauatum collocauit. de capro Iuu.

Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

VELLERE *Æo.*] Aureo, quale habuit aries Phryxi filij Athamantis filij Æoli.

SOROR.] Helle, quæ in mare decidit.

TONSOR *Ciny.*] Cilix, qui tondet capellas.

AMOR *aureus.*] i. Cupido in auro effictus.

LOTOS.] i. tibia vel Palladia, quòd ea sit vsa Pallas, vel quòd lotos in Africa nascitur non procul à Tritone lacu Palladis.

SIC.] Eodem more.

METHYMNÆO.] Methymna oppidum Lesbium patria Arionis, vt scri. Strab. de Arione historia est apud Herodotum in primo, & apud Aulum Gellium. alibi legitur.

Sic Mytilenæo, &c.

NON *tacitum onus.*] Sed sonantem Arionem.

ONVS.] Arionem.

LANGVIDA.] Placida.

IMBVAT.] i. primo vino tingat.

MVNVS.] Phialam.

CERTA *manus.*] Qui recte ministrat id quod vult.

PVER.] Cupido.

DET.] Quando hilarius bibebant antiqui, tot cyathos sumebant, quot literæ erant, nomina amicarum supra.

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur.

INSTANTIS *litera.*] i. numerus elementorum.

INSTANS *author fuit muneris.*] Quia ille misit hanc phialam.

SI *Telethusa.*] Quando expectabant amicas parcius bibebant quoad illæ venirent, supra de Rufo dixit.

DOMINÆ.] Telethusæ.

TVO *triente.*] i. ego potabo quatuor cyathos. i. epotis quatuor cyathis.

SI *dubia est.*] An sit ventura amica.

VTRVMQVE *nomen.*] i. Instantem, & Rufum, id est, xj. cyathos.

Ad Ceditianum. LII.

Tonsorem puerum, sed arte talem,
Qualis nec [a] *Thalamus fuit Neronis,*
Drusorum cui contigere barbæ,
[b] *Aequandas semel in genas rogatus,*
Rufo, Ceditiane, commodaui.
Dum iussus repetit pilos eosdem,
Censura speculi manum regente,
[c] *Expungitque cutem, facitque longam,*

[a] Thalamus nomen tonsoris Neronis. Vide Lips. lib. 1. Epist. 5.
[b] v. Æquidă
[c] v. Expingit, sic antè quoque.

A *Detonsis* [d] *epaphæresim capillis:*
Barbatus mihi tonsor est reuersus.

[d] Epaphæresi sui vocare videtur comam, quæ in tondendo in gradus scansilis quodammodo sua ciditur.

DOMITIVS.

TONSOREM.] Tonsorem Rufo miserat, quem ille tamdiu detinuit barba tondenda, vt qui imberbis erat, sit reuersus barbatus. huius tonsoris mollitiem anteponit puero Neronis, qui duos habuit in delitiis. Sporo, quem habuit iustæ sponsæ duxit vxorem. Doryphorum, cui ipse nupsit, quem Tran. appellat Doryphorum, Tacitus Pythagoram, his verbis. Pythagoræ ex grege contaminatorum nupsit, & infra.

Qualis Pythagoras dabat Neroni.

Suntque qui legant Thalamus Neronis, vt Thalamus sit tonsoris nomen, sed non placet.

TALEM *arte.*] Tondendi.

BARBÆ *Drusorum.*] i. Neronum.

B IN *genas æquandas.*] i. barbam æquandam barbatus est reuersus, & indicat detinuisse & menses & annum.

CENSVRA *spe.*] i. speculo censore.

EPAPHÆRESIM.] Epaphæresis numerus crinium excogitatus à mollioribus, qui conficiebatur succisa variis in locis coma, cùm alienum ab hac mollicie ostendit Scipionem. Silius ita canit.

Martia frons, facilésque comæ, nec pone, retroque
Cæsaries breuior.

Intelligens, vt puto, de epaphæresi.

LONGAM.] i. dum diu tondes.

In Catullam. LIII.

C *Formosissima quæ fuere, vel sunt,*
Sed vilissima quæ fuere, vel sunt,
O quàm te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut [e] *magis pudicam.*

[e] v. minus

DOMITIVS.

FORMOSISSIMA.] In Catullam, quæ cum ob elegantiam formæ à multis appeteretur, habebatur vilissima, optat poëta vt aut minus formosa fiat, ne à tot appetatur, aut magis pudica, ne sit vilis.

Ad Cæs. Domitianum. LIV.

Magna licet toties tribuas, maiora daturus
Dona, ducum victor, victor & ipse tui,
D *Diligeris populo non propter præmia, Cæsar,*
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

DOMITIVS.

MAGNA.] Congiarium ter dederat Domit. quòd ne videatur fecisse, vt alienos populi animos conciliaret (ea enim fermè de causa congiarium dari solebat) poëta ait non allici populum ad amorem munerum dignitate, sed Imperatoris, qui donat.

NON *propter præmia.*] i. congiarium.

TOTIES.] Te victor.

DVCVM.] Qui omnes duces vincis.

ET *victor tui.*] Ille se ipsum dicitur superare: qui nihil agit præter rationē, & appetitum domat: alibi.

Ardua

Ardua res haec est opibus non tradere mores.
An victor sui ipsius Domitianus, quia iam non habet cum quibus contendat: sed secum certat, & se quotidie superat virtute, quod & de Crasso scribit Cicer. qui quoties dixit alios superauit, eo die seipsũ.

Ad eundem de Leone. LV.

Auditur quantũ Massyla per auia murmur,
Innumero quoties sylua leone furit:
Pallidus attonitos ad plena mapalia pastor
Cùm reuocat tauros, & sine mente pecus.
Tãtus in Ausonia fremuit modò terror arena:
Quis non esse gregem crederet? vnus erat.
Sed cuius tremerent ipsi quoque iura leones,
v. darent marmora picta comas — *Cui diadema "daret marmore picta Nomas* B
O quantũ per colla decus, quẽ spargit honorẽ,
v. vmbra. — *Aurea lunatæ cùm steterit "vnda iubæ!*
Grãdia quàm decuit latum venabula pectus,
Quantáque de magna gaudia morte tulit!
Vnde tuis Libye tam felix gloria syluis?
v. iugo. — *A Cybeles numquid venerat ille "iugis?*
An magis Herculeo Germanice misit ab astro
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram?

Idem Græcè.

Μασσύλων ἐν ὄρεσσιν ὅσον βρύχημα γεγωνὸς
Δρυμὸς ἀνηρίθμοις εὖτε λέουσι βρέμει,
Ὠχριόων ποιμὴν ὅταν ἐς καλύβας συνεέργῃ
Πτυρομένους ταύρους, καὶ βοτὰ δειμαλέα· C
Τόσσον ἐν Αὐσονίῳ μύκημα φρύαξε θεάτρῳ
Ἄρτι· Τίς οὐκ ἀγέλην ᾤετ' ἄν; εἷς μόνος ἦν.
Οὗ κεν ἀνακτορίην αὐτοὶ φοβέοιντο λέοντες,
Ὧι κεν ἔδωκε κράτος μαρμαρόεσσα Νομάς.
Οἵη ἐπαυχενίης τριχὸς ἦν χάρις! οἷον ἔχευσε
Τῆς χαίτης, ὅτ' ἔμιμν' ἀτρεμέουσα, σέβας!
Οἷον ἐνὶ πλατέϊ στέρνῳ χαλκόστομος αἰχμὴ
Ἔπρεπεν! οἷα θανὼν οἷον ἔγειρε κρότον!
Καὶ πόθεν ἔστι τεοῖς, Λιβύη, τόσον ἄλσεσι κῦδος; D
Μὴν λασίων Κυβέλης ἦλθεν ἀπὸ σκοπέλων;
Ἠέ σοι Ἡρακλῆος ἀπ' ἄστρου, Καῖσαρ, ἔπεμψεν
Τοῖον θῆρα πατὴρ, ἢ κάσις οὐρανόθεν;

DOMITIVS.

AVDITVR.] Dom. conficiendis feris delectabatur: quod testatur Tranquil. idem assumpserat sibi nomen Alcidæ maioris, cuius factum vt imitaretur, nuper in arena prostrauit leonem, quod olim Nero facere statuerat: feræ magnitudinem admiratur, & fortitudinem Imperatoris laudat poëta.

TANTVS *terror.*] i. tantus timor.

IN *arena Ausonia.*] In theatro Domit.

A PER *auia Massyla.*] Id est, per saltus Massyliæ partis Libyæ, & leuitate equorum, & ferarum multitudine nobilis.

PALLIDVS.] Timens.

SINE *mente pecus.*] i. attonitum.

IVRA.] i. supercilium.

NOMAS *picta marmore.*] Intelligit hunc leonem superasse omnes Numidicos leones. *Nomas* enim Græcè, Latinè Numidia est.

PICTA *marmore.*] Propter marmor, quod ex Numidia afferebatur. Id genus marmoris M. Lepid. collega Catulli in consulatu primus Romæ ostendit.

NOMAS *picta marmore.*] Id est, Numidici leones eligerent hũc regem, & darent coronam: nam quod de figura marmorea Romæ aiunt, nec conuenit, nec verum est: supra tamen est locus marmoreus feris distinctus.

Exornant picta quam platanona fera.

Sed non conuenit.

LVNATÆ.] Tortæ.

STETIT.] Inhorruit.

IVBÆ.] Iubati enim leones generosiores habebantur.

QVAM *decuit.*] Quàm par fuit.

DE *magna morte.*] Manu Imperatoris.

A *Cybeles.*] Nam currus Cybeles vehitur à leonibus: quod Virg. cecinit, & Lucretius.

Hanc veteres Graium docti cecinere poëtæ
Sedibus in cursu byugos agitare leones.

FRATER.] Titus, qui relatus est in numerum Deorum.

VEL *pater.*] i. Vespasianus.

AB *astro Herculeo.*] i. à leone interfecto ab Hercule, qui in cælo est astrum.

Ad Flaccum. LVI.

Temporibus nostris ætas cùm cedat auorum,
Creuerit & maior cum duce Roma suo,
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tanta bella sonare tuba.
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliúmque tibi vel tua rura dabunt.
Iugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oues.
Risit Tuscus eques, paupertatémq; malignam
Reppulit, & celeri iussit abire fuga.
Accipe diuitias, "& vatum maximus esto: v. sed vatũ
"Tu licet & nostrum, dixit, Alexin ames. Vide Turn. l. 19. ca. 15.
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu,
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum solicitare Iouem.
Excidit attonito pinguis Galatea poëtæ,
Thestylis, & rubras messibus vsta genas.

Protinus Italiam concepit, & arma, virûq;, A
Qui modò vix Culicem fleuerat ore rudi.
Quid Varos, Marsósque loquar, " ditatáque vatum v. ditatáq;.
Nomina, magn' erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Mecœnatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

DOMITIVS.

TEMPORIBVS.] Reddit rationem Flacco mirandi quare in pristinam dignitatem Roma restituta à Dom. non adsint quoque antiquorum poëtarum ingenia, quia scil. desunt Mecœnates, qui dent munera.

CÆDAT.] Vincatur magnificentia.

CVM *suo duce.*] Domit.

TANTA *tuba.*] Quanta cecinit Virgil. B

TITYRVS.] Persona sumpta est à Theocrito, & Virgilio. Id autem significat hircum magnum lingua Lybica, si Probo credimus: sed Strab. placet Tityros fuisse Bacchi sacerdotes: vt Silenos, Satyros, Bacchas, Lenæas, Thyades, Mymalones, Naiades nymphas. Tityrus autem carmine notum est Virg.

MISERÆ *Cremonæ.*] Alludit ad carmen Virgilij.
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

TVSCVS *eques.*] Mecænas fuit ordinis equestris, & à Tuscis regibus ducebat originem.

ALEXIS.] Fictum nomen: ita enim non appellabatur, sed dicebatur Alexander, sed vt carmini conueniret, nomen est mutilatum, & cum poëta lasciuum carmen scrib. in hunc, appellat se Corydonē.

DOMINI.] Virgilij.

MARMOREA.] Candida in speciem marmoris.

PINGVIS *Galatea.*] i. pingue carmen de Galatea. C

ATTONITO.] Amore Alexis.

THESTYLIS.] Nomen mulieris, cuius & Virgil. & Theocritus meminit.

EXCIDIT.] Ex animo discessit.

ARMA, *virûmque.*] Alludit ad carmen Virgilij.

QVI *modo vix culicem.*] Opere, quod extat: vbi culicis pastor mortem defler.

RVDIORE.] Impolito carmine: huius meminit Papin. *ante annos culicis Maroniani.*

VARIOS.] Qui temporibus Cæsaris habuit, quem amaret.

MARSOS.] Marsus amauit Melenem.

CHRISTOPHORVS COLERVS.

PROTINVS *Italiam concepit & arma virûmque.*] D Quis tàm lippis oculis est, quin videat ex hoc versu, Virgilium maximum opus orsum ab illo versu,
Arma virûmque cano?
Alludit idem Martialis satis apertè alibi.
Accipe facundi culicem studiosè Maronis:
Ne positis nugis arma virûmque legas.
Sic enim lego ex vet. Cod. Iamino. vbi ineptè vulgant. *Arma virûmque canas.*
Lectorem enim Virgilij Martialis affatur. Idem, quod Martialis, indicauerat Propertius quoque illo versu.
Qui nunc Aenea Troiani suscitat arma.
Et Ouidius liquidò.
Contulit in Tyrios arma virûmque toros.

De Picente. LVII.

Treis habuit dētes, pariter quos exspuit omnes
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum.
Collegitq; sinu fragmenta nouißima " fracti v. laxi.
Oris, & aggesta contumulauit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat heres:
Hoc sibi iam Picens præstitit officium.

DOMITIVS.

TREIS *habuit.*] Picens adeo senex erat, vt condito tumulo suo expuerit tres dentes, qui ceciderunt in sinu.

NOVISSIMA *fragmenta.*] i. vltimos dentes, Picens item apud Iuuenal.
Tum Picens accipe dixit.

LAXIORIS.] Eneruati, & languentis.

LICET.] Conceditur.

PRÆSTITIT *officium.*] Quia sepeliuit ipse suos dentes.

In Artemidorum. LVIII.

Cùm tibi tā crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
Poßim te " Sagarum iure vocare " meo. v. Sagari dicti, qui munus aliquod theatrale fungebantur. Vide Lips. lib. 1. Epist. 1. al. meum.

DOMITIVS.

CVM *tibi.*] Artemidorus nomen compositum est, significátque Dianæ donum: quo nomine erat superbus, & elatus: at poëta ait, cùm crassas habeat lacernas, nō modo Artemidorū, sed Sagarim posse appellari à sagis: hoc est, vestibus vilioribus, quas gestabat.

In Luscum furem. LIX.

Adspicis hunc vno contentum lumine, cuius
Lippa sub attrita fronte lacuna patet.
Non contemne caput, nihil est furacius illo.
Non fuit Autolyci tam piceata manus.
Hunc tu conuiuam cautus " vitare memento: v. seruare.
Tunc furit, atque oculo luscus vtroq; videt.
Pocula soliciti perdunt, ligulásque ministri,
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec à cubito subducere pallia nescit,
Et tectus lenis sæpe duabus abit.
Nec dormitantem vernam fraudare lucerna,
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil inuasit, puerum tunc arte dolosa
Circuit, & soleas surripit ipse suas.

DOMITIVS.

ADSPICIS.] In Luscum furacem, quem ad furta duos oculos habere ait: & iocatur dum singula eius furta commemorat.

LACVNA.] Concauitas oculi euulsi.

LIPPA.] Stillans & manans.

NE *contemne caput.*] Quia habeat vnum oculum.

AVTOLYCI.] Autolycus filius Mercurij furacissimus Eleonem oppidum Parnassi, vt Hom. & Crates scribunt, tenuit, cum proxima loca furto infestaret. Sectius scrib. Autolycum non potuisse tenere Eleonem in Parnasso, cum illic non sit Eleo oppidum, sed Neo.

TAM *piceata*.] Quia capit quicquid attingit vt pix, tunc cum est contacta.

LIGVLA.] Instrumentum argenteum est, de qua in distichis.

SVBDVCERE.] Subfurari.

FRAVDARE *Vernam lucerna*.] i. non erubuit eripere lucernam Vernæ.

SOLEAS.] Sensus est: Si non potest furari aliquid alienum, furatur soleas puero suo, quas commisit custodiendas: nā cœnaturi deponebant soleas: alibi,

Deposui soleas, affertur protinus ingens.

PVERVM.] Seruum suum.

ARTE *dolosa*.] i. furto.

In Claudiam. LX.

Summa palatini poteras æquare Colossi,
Si fieres breuior, Claudia, sesquipede.

DOMITIVS.

SVMMA.] Claudiam tantæ magnitudinis esse ait, vt si voluerit esse par colosso Domit. eam oportet sic esse minorem sesquipede: tam portentosæ magnitudinis fuerunt apud antiquos. Gembara nouem pedum, Pusio, & Secundilla nouē pedum cū dimidio.

ÆQVARE.] Par esse.

COLOSSI *palatini*.] De statua equestris Domit. quæ erat iuxta palatium: potes & de colosso Apollinis intelligere, qui fuit erectus ab Augusto in parte palatij.

SESQVIPEDE.] Pede vno cum dimidio: de sesquihora, sesquiplaga, sesquipede, alibi diximus.

In Carinum. LXI.

Liuet Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quærit altos, vnde pendeat, ramos.
Non iam quòd orbe cantor, & legor toto:
Nec vmbilicis quòd decorus, & cedro
Spargor per omnes Roma quas tenet gentes:
Sed quòd sub vrbe rus habemus æstiuum,
Vehimúrque mulis non vt antè conductis.
Quid imprecabor, ô Seuere, liuenti?
Hoc opto, mulas habeat, & suburbanum.

DOMITIVS.

LIVET *Carinus*.] In Carinum inuidum, qui virtuti non inuidebat: sed vel exiguis diuitiis nunc rumpebatur Martiale possidente mulum suum & suburbanum: cùm ille esset ditissimus, imprecatur Poëta tantæ inuidię, vt ipse possideat mulum & suburbanū, hoc est, ad eandem deueniat conditionem.

CARINVS.] Contrarium nomen est inuidenti: nam Carinus significat lætum.

LIVET.] Rumpitur inuidia. Inuidorũ liuentis est.

VNDE *pendeat*.] i. vnde suspendat. hic enim exitus est inuidi.

ET *cedro perunctus*] i. oleo cedrino: nam vt preciosi libri & bona carmina seruabantur.

RVS *æstiuum*.] i. rus ad æstiuandum.

MVLIS.] Non, vt ante, conductis, sed meis: & mulum conductum scrib. Horat. in sermo.

OPTO *habeat mulas & suburbanum*.] i. opto amittat diuitias, quas habet, & sit nostræ conditionis ac fortunæ cui inuidet, i. sit pauper.

De Picente. LXII.

Scribit in auersa Picens epigrammata charta,
Et dolet auerso quòd facit illa deo.

DOMITIVS.

SCRIBIT.] Consules, & duces in charta transuersa scribebant: author est Tranquil. sed scribere hic in charta auersa, vt puto, accipitur pro eo quod est scribere in pagina à tergo.

PICENS.] Tam longa scribebat epigrammata, vt & tergum impleret, neque placebat: poëta ait non esse mirandum, si cum in charta auersa scribat, auerso quoque deo faciat versus: designans loquacitatem Picentis.

AVERSO *Deo*.] i. nulla gratia: nam illi scribunt carmina Deo auerso, qui non placent: alibi,

Carmina quod scribis Musis & Apolline nullo.

GEORGIVS.

SCRIBIT *in auersa Picens epigrammata charta*.] Vix ego crediderim, quando ex vtraque parte scribatur, & latera ipsa quodammodo opponantur paginis: vnde Hieronymus: Ex latere in paginam. Auersa autem charta scribere erit non in formam paginæ, aut memorialis libelli scribere, sed potiùs transuersa, est in oblongum versa.

De Aulo. LXIII.

Thestylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin:
Forsitā & nostrū sic Hiacynthon amat. V. nunc
I nunc & dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum cùm meus Aulus amet.

DOMITIVS.

THESTYLON.] Aulus is tantùm vatibus blandiebatur, quorum pueros amabat, hoc prodit Mart.

THESTYLON.] Puerum Voconij.

DELICIAS *vatum*.] Qui sunt deliciæ poetarū.

In Clytum. LXIV.

Vt poscas Clyte munus, exigásque,
Vno nasceris octies in anno,
Et solas puto, trésve, quatuórve
Non natalitias habes Kalendas:
Sit vultus tibi lenior licebit
Tritis litoris aridi lapillis,
Sit moro coma nigrior caduco,

Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modò lactis alligati,
Et talis tumor excitet papillas,
Quales cruda viro puella seruat:
Tu nobis, Clyte, iam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestorisve?
Sit tandem pudor, & modus rapinis.
Quòd si ludis adhuc, semélque nasci,
Vno iam tibi non sat est in anno,
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

DOMITIVS.

VT *poscas.*] Mittebantur munera amicis, cum diem natalem celebrabant: Clytus vt frequentiora munera colligeret: nouies celebrabat diem suum natalem in anno: Poëta monet, nisi destiterit tam multos natales celebrare, se non putaturum eum esse semel natum: hoc est, non missurum vel semel munus.

NASCERIS.] Diem natalem celebras.

NON *natalitias Kalendas.*] i. singulis mensibus celebras natalem, exceptis tribus, vel quatuor: tu nobis videris senex, cum celebraueris toties natalé.

LICEBIT.] Quamuis.

MORO *caduco.*] Præmaturo, vt suprà.

MASSAM.] Metam.

ALLIGATI.] Coagulati.

CRVDA.] Innupta.

SIT *pudor.*] Pudeat te.

MODVS.] Finis.

NASCI *semel.*] Vnum tantùm celebrare natalem in anno.

NEC *putabo te natum semel.*] i. ne ipso quidem die natali munus mittam.

Ad Domitianum. LXV.

Hîc vbi fortunæ reducis fulgentia latè
Templa nitent, fœlix area nuper erat.
Hîc stetit Arctoi formosus puluere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore iubar.
Hîc lauro redimita comas, & cãdida vultu*
Roma salutauit voce, manúque ducem.
Grande loci meritũ testantur & altera dona
Stat sacer edomitis gentibus arcus* ouãs.*
Hîc gemini currus numerant elephanta frequenter.*
Sufficit immensis aureus ipse iugis.
Hæc est digna tuis Germanice porta triũphis:
Hos aditus vrbem Martis habere decet.

*v. Culta. quæ lectio arridet impensius.
*v. & domitis.
v. ouat.
*quid si legas, frequentem?

Idem Græcè.

Ἔνθα Τύχης ἱδρυμένη) Ἀποστρόφου ὀξέα λάμπων
Νηὸς, ἄγνωος ἔην εὐρυχόροιο πέδον.
Τῇ δ' ἔστη Ἀρκτῴοιο πόνοις ἐπίσημος ἀγῶνος
Καῖσαρ ἀπαστράπτων ὄμμασιν ἡδὺ σέλας.

A Ἐνθάδε λαυρείμων, καὶ δάφνῃ κρᾶτα πυκασθ
Δέξατο χειροκρότῳ Ῥώμη ἄνακτα βοῇ.
Τὴν ἀρετὴν χώροιο καὶ ἄλλο κτίσμα φανίζει,
Ἐθνέων δαμναμένων ἁψὶς ἔχουσα τύπους.
Τῇ δ' ἀριθμεῖ δίδυμον πολλὴ ἐλέφαντα συνωρὶς
Ζεύγεσι δ' ὃς μεγάλοις ἄρχιος ἐστ' ἔποχος.
Τοῖος, ἄναξ, πυλεὼν σῶν ἄξιός ἐστι θριάμβων.
Τάσδ' εἰσόδους Ἄρεος τὴν πόλιν εἰκὸς ἔχειν.

DOMITIVS.

HIC *vbi.*] Domit. authore Tranquil. post victoriam Sarmaticam, cùm multos arcus cum quadrigis, & insignibus triumphorum per regiones vrbis erexisset, maximum sibi poni voluit, hunc celebrat poëta carmine. Fuit etiam conditum templum.

B FORTVNÆ *reducis.*] Quòd reducem seruasset Imperatorem. Fortuna variis nominibus templa habebat: nam erat ædes Fortunæ reducis: &, vt Plutarchi verba ex quæstionibus recitemus, Euelpidis, Atropeæ, Protogeniæ, Viscatæ: Breuis, hæc condita est: Seruio Tullo erat & templum malæ Fortunæ in Esquiliis.

FOELIX *area.*] Locus paratus ad ædificandum: vel *fœlix.* i. ampla: vel quia conditum posteà illic templum.

IVBAR.] Radios.

ARCVS *onans.*] Triumphalis.

STAT.] Erectus est.

GEMINI *currus.*] Nam arcus habebat quadrigas: vel propter duplicem triumphum, quem hactenus reportauerat ex Dacis.

C IPSE *aureus.*] i. statua Domit. aurea: non enim passus est poni sibi statuam nisi auream, & argenteam, vt Tranquillus tradit.

SVFFICIT.] Par est.

IMMENSIS *iugis.*] Quadrigis.

VRBEM *Martis.*] Dei bellorum.

HOS *aditus.*] i. triumphales: id est, vt Imperatores agant tales triumphos.

De consulatu Silij. LXVI.

Augusto pia tura, victimasque,
Pro nostro date Silio Camenæ,
Bis senos iubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga,
Vatis Castaliam domum sonare.* *v. Castalis
D *Rerum prima salus, & vna, Cæsar,*
Gaudenti superest adhuc quod optet,
Felix purpura, tertiusque consul,
Pompeio dederit licet senatus,
Et Cæsar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliauit,
Ianus nomina, Silius frequenter,
Mauult sic numerare consulatus.

DOMITIVS.

AVGVSTO.] Silius poëta tertium consulatum accepit à Do. Comparat eum poëta consulem tertiũ cum

Pompeio, qui tres consulatus gessit, & decus Silij anteponit rebus omnibus, quas tribus illis consulatibus gessit Pompeius, hac vna ratione, quoniam Dom. dederat tertium consulatum, longe maior senatu, & Cæsare, qui dederunt tres consulatus Pom.

AVGVSTO.] Domit.

BIS *senos fasces.*] Consulatum.

NOTO *consule.*] i. ad Silium, qui bis fuerat cõsul.

SONARE.] Pulsare.

NOBILI *virga.*] Fores à magistratibus virga lictorum pulsabantur. Papi. de conuentu ad Stellam,

Et multa pulsantur limina virga.

Liuius in sexto ab vrbe: Fortè accidit vt lictor Sulpitij, cum is de foro domum se reciperet, fores, vt mos est, virga percuteret. Plin. in vij. natu. histo. scribit Pompeium consulem prohibuisse lictorem pulsare fores Possidonij, veneratione tanti viri.

PVRPVRA *felix.*] Pompeij.

TERTIVS *consul.*] i. tertius consulatus.

QVOD *optet.*] i. vt optet datum fuisse consulatum à te.

NVMERARE.] Consulatus sic datos à Domit.

IANVS *pacificus.*] Id est, annus.

QVORVM *pacificus ter ampliauit.*] Iunge cum inferioribus, vt referas ad consulatus Silij.

PACIFICVS.] Ad differentiam Pompeianorũ, qui in armis versati sunt. i. Silius mauult sic, scilicet sine bellis numerare suos consulatus frequentes, hoc est, sæpe tales habere, quorum nomina Ianus pacificus ter ampliauit: nam ter consul fuerat.

In Cæcilianum. LXVII.

Horas quinq; puer nondũ tibi nunciat, & tu
Iam conuiua mihi, Cæciliane, venis.
Cùm modò distulerint raucæ vadimonia ceræ,
Et Floralicias lasset arena feras.
Curre, age, & illotos reuoca, Calliste, ministros:
Sternantur lecti, Cæciliane, sede.
Caldã poscis aquã, "sed nondũ frigida venit: v. nondum mihi.
Alget adhuc nudo clausa culina foco.
Manè veni potius, nã cur te quinta moretur?
Aut cur non serò, Cæciliane, venis?

DOMITIVS.

HORAS *quinque.*] Cæcilianum intempestiuum conuiuam accusat, qui inuitatus debebat ad nonam horam venire, nam tunc cœna parabatur:

Imperat extructos frangere nona toros.

Sed ante quintam properauerat: monet vt celerius etiam veniat, vel serius nona, ita enim non cœnabit.

PVER *nunciat.*] Nam pueri nunciabant horam dominis.

RAVCÆ *ceræ.*] i. libelli forenses. Alius codex habet, Parcæ chartæ.

DISTVLERINT *vadimonia.*] Peregerint iudicia, nam tertia hora in foro versabantur.

FERAS *Floralicias.*] Feræ ab ædilibus paratæ ad aliquem ludum lassabantur quarta hora vsque in quintam ad iugum patricium, vbi florales ludi exercebantur, vel quia mense Aprili Prætores ludos edebant feris ad Megalesia, quo tempore & floralia fiebant, vnde floraliciæ feræ dicuntur, hoc est editæ in spectaculum eo mense, quo floralia agebantur, hæc vna sententia mihi placet.

CALDAM.] i. coctam. aqua enim cocta vtebantur in conuiuio.

ALGET] Id est, sine igne.

NVDO *fo.*] Carente lignis.

SERÒ.] Vel post nonam, vel serò præcedentis diei, nam ita quoque non cœnabis.

GEORGIVS.

ET *Floralicias lasset arena feras.*] Ego magis puto floralicias feras eas dici, de quibus Ouid.

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis,
Imbelles damæ, innocuusque lepus.
Non sibi respondit siluas cessisse, sed hortos,
Aruaque pugnaci non adeunda feræ.

Ad Entellum. LXVIII.

Qui Corcyræi vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Inuida purpureos vrat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat.
Condita perspicua viuit vindemia gemma;
Et tegitur felix, nec tamen vua latet.
Femineum lucet sic per bombycina corpus:
Calculus in nitida sic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum sterilis ferre iubetur hyems.

Idem Græcè.

Ὃς τοὺς Κορκύρης ὄρχους, Ἔντελλε, τυράννου
Εἶδε, προτιμώη τὸν σὸν ἐνοικίδιον.
Πορφυρέας ἵνα μὴ σταφυλὰς κατὰ πάχνος ἰάπτῃ.
Καὶ ψῦχος Βάκχου μὴ γάνος ἡδὺ δάκῃ.
Ζῇ τείχοις ἔμφρουρος ἐν ὑελίνοισιν ὀπώρη,
Κεύθεται εὐδαίμων, οὔτε λέληθε, βότρυς.
Οὕτω λιτὸν ὕφος διαφαίνει χρῶτα γυναικός;
Οὕτως ἐκκρίνει ψῆφον ἀκραιφνὲς ὕδωρ.
Καὶ τί ἀτόλμητον βελτίαις φύσις εἴασε τέχναις;
Εἰ τηκτὸς χειμὼν στεῖρος ὀπωροφορεῖν.

DOMITIVS.

QVI *corcyræi.*] Laudat rus Entelli rectum lapidibus specularibus, quales hortos habuit Tiberius, & supra commemorauit.

CORCYRÆI *re.*] Alcinoi, qui regnauit in insula Corcyra.

VINDEMIA.] Racemi vuarum.

GEMMA *perspi.*] i. lapidibus specularibus.

NEC *tamen latet.*] Sed cernitur.

BOMBICINA.] Ex veste bombicina. Mulieres bombicina, viri Cœa pellucebant, lapidibus specularibus quibus vuæ seruabantur.

STERILIS *hyems.*] Alibi. *Sterilis iubetur ferre autumnum.* Id est, fructus autumnales.

In Vacerram. LXIX.

Miraris veteres Vacerra solos,
Nec laudas nisi mortuos poëtas.
Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
Non est vt placeam tibi, perire.

Idem Græcè.

Θαυμάζεις πολιοὺς Βάκις παλαιοὺς,
Ποιητὰς μόνον αἰνέων θανόντας·
Συγγίνωσκε ἄπερ Βάκις. τόσου γὰρ
Οὐκ ἔστιν ἀρέσαι σοι, ὥστε θνήσκειν.

DOMITIVS.

MIRARIS.] Vacerra significat stipitem ad quem B alligantur equi. Vacerra item significat vecordem, & insanum, hic nomen proprium est cuiusdam, qui mortuos tantum poëtas laudabat: ait poëta se nolle laudari, id est nolle mori, vt ab hoc laudetur. Idem versus est supra.

Si post fata venit gloria, non propero.

MIRARIS.] Laudas.

NON *est tanti.*] i. tanti facio perire, vt placeam tibi. hoc est, non tanti facio istam laudem, vt morte tibi placere velim.

De Nerua. LXX.

Quãta quies placidi, tãta est facũdia Neruæ:
Sed cohibet vires, ingeniúmque pudor.
Cùm siccare " *sacrũ largo Permeßida posset* C (" v. sacram.)
Ore, verecundam maluit esse sitim.
Pieriam tenui frontem redimire corona
Contentus, famæ nec dare vela suæ.
Sed tamen hũc nostri scit tẽporis esse Tibullũ,
Carmina qui " *docti nota Neronis habet.* (" v. docti docta.)

DOMITIVS.

QVANTA.] Neruæ Coccei ingenium, & carmen laudat, quem præstantissimum ait esse poëtam, si voluisset apertè se poëtam fateri, sed præ modestia silet, aut certè tenue carmen scribit, in quo tamen à Nerone dictus est alter Tibullus.

PERMESSIDA.] Permessis, siue Permessius flu. D est, qui ex Parnasso labitur, vnde etiã Olmeus defluit.

VERECVNDAM *sitim.*) i. voluit parum gustare.

FRONTEM *Pieriam.*) i. poëticam.

TENVI *corona.*) i. hederacea: nam poëtæ heroici corona quercna vtebantur, propterea si placet supra, dum scrib. ad Collinum,

O cui Tarpeias licuit contingere quercus.

Nam ille de poëtis erat coronatus à Dom. corona autem hederacea elegi, & tenuiores poëtæ vtebantur. Proper.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige Bacche tua.

NEC *dare vela.*) i. non sequi famam.

NERONIS *car.*) Nero. scri. esse alterum Tibul- A lum Neruam. Nero enim carmina componebat; quod multis negantibus Tranquil. affirmat ex pugillaribus, quos viderat.

In Postumianum. LXXI.

Quatuor argenti libras mihi tempore brumę,
Misisti ante annos, Postumiane, decem.
Speranti plures (nam stare, aut crescere debẽt
Munera) venerunt plúsue, minúsue duæ.
Tertius, & quartus multo inferiora tulerũt.
Libra fuit quinto septiciana quidem.
Bessalem ad scutulã sexto peruenimus anno,
Post hunc in cotyla rasa selibra data est.
B *Octauus ligulam misit sextante minorem,*
Nonus " *aculeolos in cochleare tulit.* (" aut lectio vix, lectio alicubi reperta magis probatur. in meo erat aculeum vix, & in margine, per modicum vix,)
Quòd mittat nobis, decimus iam non habet annus:
Quatuor ad libras, Postumiane, redi.

DOMITIVS.

QVATVOR.) Argentum mittebatur in Saturnalibus. Posthumianus x. ante annis solebat mittere Martiali quatuor argenti libras, sed singulis annis tantum detraxerat, vt iam non haberet hoc x. anno quod posset detrahere: rogat Poëta, vt ad quatuor libras reuertatur.

TEMPORE *brumæ.*) Hyemis. i. saturnalibus.

STARE.) Permanere in eodem numero, aut quantitate, qua solet.

LIBRA *septitiana.*) Libra. as, pondus, assipondiũ item erat, nam xij. vncias valebat. Secundo autem C bello Punico cum res ad penuriam argenti redacta esset, patres persoluturi stipendium militibus libram minorem esse voluerunt, adeo vt sustentatio pondere finiretur ex duabus vnciis: libra item x. quæ. x. vncias valebat.

SEPTITIANA.) Maioris ponderis, quàm octo vnciarum.

BESSALEM.) Bes octo vncias significat.

SCVTVLAM.) Vasculum est quod mensura par est octo vnciis.

AD *scu. bessalem.*) Id est, octo vnciarum.

COTYLA.) Vasculum est, quamuis nonnulli interpretantes carmen Home. de medico, qui cibum cotyla poscebat; in odyssea, cotylam concauitatem manus exponant. Capit autem cotyla sex vncias, vt supra scutula octo. Cotylus autem collis est Idæ, vt Demetrius, ex quo labuntur Scamander, Granicus, & Esopus.

OCTAVVS.) Octauo anno misisti ligulam instrumentum argenteum.

SEXTANTE.) Duabus vnciis.

Ad librum suum. LXXII.

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus,
" *Artanum properas sequi libelle,* (" v. Arcanum)
Quem pulcerrima iam redire Narbo,
Docti patria Narbo Votieni,

Ad leges iubet annuosque fasces,
Votis quod paribus tibi petendum est,
Continget locus [a] *ille, & hic amicus,*
Quàm vellem fieri meus libellus!

[a] hinc & hinc.

DOMITIVS.

NONDVM] Libellum alloquitur, quem dono dat Attano amico reuertenti Narbonem in Galliam.
MVRICE] Purpura.
NARBO] Ciuitas Galliæ.
VOTIENI] Poëtæ patris.
ANNVOS *fasces*] Magistratus.
QVOD] Reuerti Narbonem.
PARIBVS *votis*] Non minore desiderio.
MEVS *libellus*] Vt possem sequi amicum.

[a] Ad Instantium. LXXIII.

[a] v. Sanctonium.

[b] *Instanti, quo nec sincerior alter habetur*
Pectore, nec niuea simplicitate prior:
Si dare vis nostræ vires, animosque Thaliæ,
Et victura petis carmina, da quod amem.
Cynthia te vatem fecit lasciue Properti,
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli,
Lesbia dictauit, docte Catulle, tibi.
Non me Pelignus, nec spernet Mantua vatem,
Si qua Corinna mihi, si quis Alexis erit.

[b] Sanctoni.

DOMITIVS.

INSTANTI) Notum argumentum. Cynthia amica Propertij vero nomine Hostia dicebatur.
CORINNA) Fictum nomen apud Ouid. cùm puellam Cæsaream vellet nominare. Duæ autem fuerunt Corinnæ Thebanæ, quarum vtraque fuit eruditissima carmine, & propterea suam puellam appellauit Corinnam Ouid.

In malum Medicum. LXXIV.

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus antè:
Fecisti medicus quod facis hoplomachus.

Idem Græcè.

Ὁπλόμαχος νῦν εἶ, πρόσθεν δ' ὀφθαλμικὸς ἦσθα·
Ἰητὸς ῥέζας, δρᾷς ὅπερ ὁπλόμαχος.

DOMITIVS.

HOPLOMACHVS] Hoplomachi dicebantur, qui armati pugnabant in speciem iustæ dimicationis, ὅπλον arma significat, μάχη pugnam, vnde Hoplomachus, & Caligula Proculum, quem ab eximia magnitudine colossum appellabat, Hoplomacho obiecit, A & bis victorem iussit iugulari. In malum Medicum est distichon, qui cùm olim oculis mederetur, homines necabat imperitia, nunc factus Hoplomachus idem faciebat.
OPHTHALMICVS) Dicitur qui oculis medetur.

[a] De Gallo Lingono. LXXV.

[a] Ad Lucanum.

Dum repetit sera conductos nocte Penates
Lingonus à recta Flaminiaque recens,
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
Et iacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus, qua se ratione moueret?
B *Ingenti domino seruulus vnus erat,*
Tam macer, vt minimam posset vix ferre lacernam:
Succurrit misero casus, opemque tulit.
Quatuor inscripti portabant vile cadauer,
Accipit infelix qualia mille rogus.
Hos comes inualidus submissa voce precatur,
Vt quocumq; velint, corpus inane ferant.
Permutatur [a] *onus, stipataq; tollitur altè,*
Grandis in angusta sarcina sandapila.
C *Hic mihi de multis vnus, Lucane, videtur,*
Cui meritò dici; [b] *mortue Galle, potest.*

[a] v. opus.
[b] Videtur dicterium fuisse vulgò tritum in Gallos Cybeles ministros, quibus euiratis mortuus erat venus.

DOMITIVS.

DVM *repetit*) Galli sacerdotes Cybeles mortui videbantur posse appellari sectis virilibus, nuper autem qui ex Gallia venerat in vrbem, cùm offensus lapide nocte cecidisset, non habuit, qui ignoto opitularetur. puer qui molem corporis non poterat tollere, vespilones prætereuntes rogauit, vt feretro dominum susciperent: quod illi cadauere deposito fecerunt, quod in Gallos dicitur sacerdotes, inquit poëta, in hunc mihi optime videtur conuenire, vt dicamus, ô Galle mortue.
D LINGONVS) Lingones populi Galliæ: dixit lingonum, cùm alibi dixerit lingonem.
RECENS) Qui nuper venerat.
A *Recta, & Flaminia*) Flaminia via notissima est. Recta item via, quæ in Flaminiam ducit, à Recto oppido. idem verbum est apud tib.
MACER) Seruus.
CASVS] Fortuna.
INSCRIPTI) Vespilones ad id munus electi.
PERMVTATVR *onus*) Quia susceperunt Gallum, & reliquerunt cadauer.
GALLE *mortue*) Id est, hic mihi videtur recte dici Gallus mortuus, nam & Gallus erat, & quamuis viueret, tamen pro mortuo ferebatur: cùm id Gallis sacerdotibus dicatur, alludit ex nomine Galli.

In Gallicum. LXXVI.

Dic verum mihi, Marce: dic amabo:
Nil est, quod magis audiam libenter:
Sic & cum recitas tuos libellos,
Et caussam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me rogasque semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid sit audi:
Verum, Gallice, non libenter audis.

DOMITIVS.

Dic *mihi*] Festiuè Gallico ostendit eum malè agere causas, & malè scribere: nam ille poscebat; vt verum diceret Mart. quid sentiret de se, respondet eum non libenter audire verum; id est, non audire se vituperari libenter.

Amabo] Obsecro, aduerbium.

Dic *verum*] Verba Gallici: sic respondet Mart.

Verum *non audis*] Quasi diceret, si voluero dicere verum, non audies me libenter, nam te non laudabo.

Ad Liberum amicum. LXXVII.

Liber amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber in æterna viuere digne rosa:
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea serta caput.
Candida nigrescãt vetulo crystalla Falerno,
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic vel medio finitus vixit in æuo,
Lõgior huic facta est, quàm data vita fuit.

DOMITIVS.

Liber] Ad Liberum amicum pugilem, ad quem infra est epigramma:

Liber amyclea frontem redimite corona.

Hunc hortatur ad Epicuream animi relaxationem: hoc est ad rosas, ad amomum, ad vinum: hoc enim pacto, vitam fieri longiorem ostendit, & qui dimidium ætatis ita vixerit, plus temporis vixisse quàm dij dederint.

Liber] Nomen proprium.

Æterna *rosa*] Id est, in perpetua voluptate.

Splendeat] Niteat.

Amomo] Nam crines spargebantur amomo Assyrio.

Nigrescat] Nam Falernum nigrum erat.

Caleat *amore*] Nullum enim conuiuium, aut hic, aut Horat. aut quicunquè Epicurum sectatur, sine amorum delitijs celebrat.

Vita *est facta longior*] i. producta est vita huic, qui tali voluptate fruitur.

Sic] Tali voluptate.

Finitus] i. mortuus.

Vel *medio æuo*] Sensus est, Anni longiores, quàm Dij dederint, fieri possunt voluptatibus: numero A enim dierum non terminat vitam poëta, sed voluptate.

De ludis Stellæ. LXXVIII.

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa Lyæe tuos:
Fecit Hyperborei celebrator Stella triũphi.
O pudor, ô pietas, & putat esse parum.
Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus.
B *Omnis habet sua dona dies, nec linea diues* [a]Cælius l. 8 cap. 10. & Turn. l. 19. c. 9.
Cessat, & in populũ multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciua numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera larga feras.
Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
Sortitur dominos, [b] nec laceratur auis. [b]v. nel[a]ceratur.
Quid numerem currus, terdenaque præmia palmæ,
Quę dare non semper consul vterq; solet?
Omnia sed Cæsar tanto superantur honore,
Quòd spectatorem te tua laurus [c] habet. [c]v. amor.

C

DOMITIVS.

Qvos *cuperet*] Stella poëta celebrauit Domit. Sarmaticam victoriam carmine. Pap. de Do. animo erga Stellam:

——*Dicas, qua est gloria maior:*
Exuuias, laurosque dabis celebrare recentes.

Non contentus ea laude carminis ob pietatem in principem: hoc laudatur à Martial. non sine laude Stellæ, quem diligebat.

Trivmphi *Hyperborei*] Id est, victoriæ Sarmaticæ,

Victoria *Phlegræa*] An Iouis, qui gigantes fulminauit? an potius Herculis? quod placet: qui authore Strab. gigantes Phlegræos superauit in Campania, placet inquam hoc, quoniam hi duo triumphi, Herculis scil. & Bacchi celebrantur à Silio coniuncto carmine. Silius:

D *Qualis odoratis descendens Liber ab Indis*
Egit pampineos frenata tigride currus:
Aut cum Phlegræos confecta mole gigantum,
Incessit campis tangens Tirynthius astra.

Qvos *ludos*] Id est, quales vellet de se celebrari Hercules.

Pompa] Indicus triumphus.

Pvtat] Domit.

Illi] Domi.

Non *est satis*] Ad liberalitatem.

Omnis *dies habet sua dona*] i. spectacula.

Dives *li.*] Id est, diues cauea diuitum, & cuneus.

Cessat] His spectaculis, Panaria distribuit Domit. senatoribus, & equitibus: plebi sportulas cum obsonio. In sequenti die, author Tranquil. omnis

generis missilia sparsa sunt: vt etiam Papin. canit:

Quicquid nobiles ponticis nucetis,
Fœcundis cadit aut iugis Idumes.

CESSAT] Quin dissipiant, quæ sparguntur.

IN *populum*] Magna pars missilium cedit in populum.

TESSERA] Significat cubum, vt Gellius, sed à nobis aliter exposita est alibi. Tessera item erat genus mensæ, quæ in munere principis maximè commemoratur: inde fit vt Tessera hic pro munere accipiatur. Tessera item erat symbolum inter milites.

AVIS] Aues sparsæ sunt à Dom. quòd olim egerat Nero. Papin.

Inter quæ subito cadunt volatu
Immensa volucrum per astra nubes.

SECVROS] Nihil curantes. Papin.

Desunt qui rapiant, sinusque pleni
Gaudent.

ABSENS] Libera, volans.

SORTITVR] Designat oculis dominū ad quem deuolet.

PALMÆ] Varia præmia ludorum proposita sunt à Do. certamina mulierum, pumilionum, curruum, pugilum.

VTERQVE *consul*] Non modo alter, sed vterque.

OMNIA] Hæc omnia cantata sunt à Stella: & repetita à Mart. vt adderet hoc quod scil. omnia hæc superantur hac vna re: quòd Domit. ea spectauerit: propterea puto potius simpliciter intelligendum epigramma, vt dicat Stellam cecinisse hæc omnia, sed præ pudore, & modestia putare se non satisfecisse magnitudini rerum.

TVA *laurus*] i. tua victoria Sarmatica: nam de Sarmatis lauream tantùm intulit Ioui Capitolino, vt scrib. Tacit.

In Fabullam. LXXIX.

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque fœdiores:
Has ducis comites, trahisque tecum
Per conuiuia, porticus, theatra.
Sic formosa, Fabulla, sic puella es.

DOMITIVS.

OMNES] Fabulla cùm anus esset, ne collatis puellis rugæ proderentur, vetulas semper habebat comites: eam deridet Mart.

SIC] Hoc pacto.

FORMOSA] i. formosa videris.

SIC *puella*] Quia videris pulchrior inter has comites.

Ad Domitianum. LXXX.

Sanctorum nobis miracula reddis auorum,
Nec pateris, Cæsar, secula cana mori:
Cùm veteres Latiæ ritus renouantur arenæ,
Et pugnet virtus simpliciore manu.
A *Sic priscis seruatur honos te præside templis,*
Et casa tam culto sub Ioue numen habet.
Sic noua dum condis, reuocas, Auguste, priora:
Debentur quæ sunt, quæque fuere tibi.

Idem Græcè.

Σεμνὰ παλαιγενέων ἀνεγείρεις θαύματα, Καῖσαρ,
Οὐδ' ἔῤῥειν ἐάας ἤθεα τῶν προγόνων.
Ὅτι παλινδρομέει τὰ πάλαι σταδίοιο Λατίνου
Τέθμια, καὶ μονόχειρ ἠνορέη μάχεται.
B Ἥτ' αἰδὼς πολιοῖς ἐπὶ σοῦ ναοῖσι σέσωσθαι,
Καὶ καλύβη, τιμὴ Ζηνὸς, ἔχει τὸ σέβας.
Κτίζων δὴ νέα, Καῖσαρ, ἀνέστησας τὰ παλαιά.
Σοὶ τὰ πάρος, τά τε νῦν ἐστὶν ὀφειλόμενα.

DOMITIVS.

SANCTORVM] Laudatur Domit. quòd pugiles commiserit in theatro, repræsentat enim antiquorū simplicitatem: nam ante armorum vsum pugnis certabant.

MORI] Memoria excidere.

VETERES *ritus*] Morem veterem. Mos vetus vt pugiles sine armis pugnarent, quod à Lacedæmonijs acceptum fuit profitentibus ludi authorem Pollu-
C cem. Lucretius,

Arma antiqua manus, vngues, dentesque fuerunt.

SIC] Hoc pacto.

CASA] Humiles ædes.

HABET *numen*] Est in veneratione.

SVB *Ioue tam culto*] i. sub Ioue Capitolino culto tua magnificentia.

CASA] Iouis antiqui erat in Capitolio vetere: vt Varro.

REVOCAS *quæ sunt*] Præsentia secula.

QVÆ *fuere*] i. prisca, & antiqua.

In Gelliam. LXXXI.

D *Non per mystica sacra Dindymenes,*
Nec per Niliacæ bouem iuuencæ,
Nullos denique per deos, deásque
Iurat Gellia; sed per vniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur:
Hos fratres vocat, & vocat sorores:
Hos natis amat acriùs duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Eheu quàm bene nunc, Papyriane,
Annæi faceret manus Sereni.

DOMITIVS.

NON] Gellia vniones tam perditè diligebat, vt negaret se amplius victuram, si eos amitteret, optat

manum furacem Annæi Sereni: vt vnionibus subreptis, Gellia occidat.

SACRA *mystica Dindymenes*] i. Cybeles, per cuius sacra antiqui iurabant, vt supra:

Iuro per Berecynthios furores.

Dindymene, proprio nomine postea Cybele, vt placet Diodoro, à monte dicitur: vt Straboni & nostris placet.

BOVEM] Iisdem.

IVVENCÆ *Niliacæ*] i. Isidis: sacra Isidis Romæ erant, & per eam iurabant, vt supra diximus in eum locum:

Iuro per Syrios tumores.

VNIONES] Grandiores margaritæ appellatæ sunt bello Iugurthino à Romanis tantùm: vt Helius scribit.

AVRIVS] Vehementius.

DVOBVS *natis*] Filijs.

ANNÆI *Sereni*] Sunt qui hunc dicunt liquefecisse vnionem aceto in cœna Cleopatræ, sed falsum est. Ipsa enim Cleopatra eos liquefecit aceto, quod & Æsopus histrio fecerat, vt luxum omnium mortalium superaret, expertus an vniones palato essent grati. ego Annæum Serenum furem intelligo, quod nomen conuenit: nam Tacitus scribit Annæum Serenum damnatum repetundarum.

Ad Domitianum. LXXXII.

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque qui domino carmina parua damus,
Posse deum rebus pariter, Musisque vacare,
Scimus, & hæc etiam serta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciaque sumus.
A *Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:*
Fiat & ex hedera ciuica nostra tibi.

DOMITIVS.

DANTE] Hoc epigrammate Imperatori assentatur, quòd poëtis fauebat.

DEVM] Te Domitiane.

REBVS] Administratione Imperij.

PARVA *carmina*] Deprimit enim se.

LIBELLOS *querulos*] Epitheton libellorum: nam eiusmodi libelli aut paupertatem, aut aliquid aliud conqueruntur.

NON *quercus te sola*] An hoc dicit non quercus, id est, corona querna de ciuibus seruatis, & amplificato imperio conuenit tibi: an refert hoc ad carmen heroïcum, quoniam heroïci poëtæ corona querna cingebantur, quod Iuppiter vaticinatur apud Silium: B

——Huic sua musa
Sacra ferent: meliorque lyra cui substitit Hebrus:
Cui venit Rhodope, Phœbo miranda loquetur.

Idem Quintil. testatur in decimo, vt sit sensus: carminis heroïci laus non te solum decet, sed & corona tenuiorum poëtarum, qualis sum, hederacea tibi cõuenit. Quintil. Nos tamen sacra literarum colentes feras Cæsar: si taciti præterimus, Virgil. versu testatur:

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Distinguatur potius hoc pacto.

NON *quercus*] i. non corona querna de seruatis ciuibus:

NEC *laurea Phœbi*] i. nec laurea maiorum poëtarum sola decet te.

FIAT *nostra ciuica*] i. fiat corona de nobis tenuioribus poëtis seruatis ex hedera: nam ex hedera, vt diximus, coronabantur tenuiores poëtæ. Propert.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige Bacche tua.

Finis lib. octa. Epigrammat. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON

LIBER IX.

SVMMA.

Ad Torannium amicum hoc Epistolium Martialis scribit, quo eum de quodam extraordinario ad Auitum epigrammate monet. Hic planè Auitus Martialem ob poëseos excellentiam adeo amabat, vt eius imaginem in bibliotheca sua posuerit. Putauit igitur scribendum Toranno de Auito, ne fortasse latuisset eum, quisnam hic esset Auitus. B nominis enim erat: nam & Auitus, & Stertinius dicebatur.

*Illud in manuscripto exemplari abest.

AVE mi Toranni, frater charissime,* epigramma quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putaui, ne ignorares, Auitus iste quis vocaretur. Vale, & para hospitium.

Ad Auitum. I.

v latè lucebis.

ᵛ Non te celabis sublimi pectore vates,
Cui referet serus præmia digna cinis.
Hoc tibi sub nostra breue carmen imagine viuat,
Quam non obscuris iungis Auite viris.
Ille ego sum nulli nugarum laude secundus:
Quem non miraris, sed puto lector amas.
Maiores maiora sonent: mihi parua locuto
Sufficit in vestras sæpe redire manus.

DOMITIVS.

NON *te celabis*] Stertinius, quem alio nomine Auitum appellat, imaginem Mart. in bibliotheca collocauerat. Authorum olim imagines aut in æde camœnarum, aut in priuatis bibliothecis collocabantur. L. Actius poëta maximam sibi statuam posuit in æde camœnarum, cùm ipse breuissimæ esset staturæ, & à studiosis tantum hæ imagines collocabantur, vt quisque nomen authoris diligebat, sed multi labentibus moribus Romanis, cum nullam operam virtuti præstarent, non verebantur authorum imagines penes se habere: inde exit illud Satyricum,

Quam qui plena omnia gypso Chrysippi inuenias.

Martia. & agit gratias Stertinio, & edit carmen subscribendum statuæ suæ.

NON *te celabis*] i. non latebis apud posteros, & non indiges imagine.

NON *obscuris*] i. nobilibus.

LAVDE *nugarum*] Id est, iocorum, & tenuioris carminis.

De templo Flauiæ gentis. II.

Dum Ianus hiemes, ᵃ Domitianus autumnos, a Octobrem non alio quam suo nomine Domitianus appellari voluit, Suetonio teste.
Augustus annis commodabit æstates:
Dum grande famuli nomen asseret Rheni,
Germanicarum magna lux Kalendarum:
Tarpeia ᵇ summi saxa dum ᶜ patris stabunt: b v. summo; c v. patri.
Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona ᵈ diues dulce ᵉ Iulium numen: d v. diuæ. e v. Iulium nomen.
Manebit altum Flauiæ decus gentis,
Cum Sole, & astris, cumque luce Romana. f v. Cœli est, & testis meo iudicio.
Inuicta quidquid condidit manus, ᶠ cœlũ est.

DOMITIVS.

DVM *Ianus*] Flauiæ gentis templum condidit Domit. huius meminerunt Euseb. & Tranquil. & Papinius,

Et quæ tibi templa dicamus
Ipse colas.

Vaticinatur poëta templum hoc fore perpetuum, sed diuturnitatem ex his rebus colligit, quibus principi assentatur.

LVCE *Ro.*] i. Imperio Romano. Papin.

——Stabit dum terra, polusque.
Dum Romana dies.

IANVS *commodabit hy.*] i. dum erit Ianuarius.

DOMITIANVS *autumnos*] Nam October mensis dictus Domitianus, quod eo natus sit, appellatus etiam Germanicus September, à cognomento Domitiani, qui deuicerat Germaniam: dedit autem nomen Domitianus, quoniam eo mense susceperat imperium.

DVM *lux Germanicarum calendarum*] i. mensis Septembris.

RHENI *famuli*] i. germanorum famulorum, & Germaniæ deuictæ.

IVLIVM *nomen*] Inter deas retulit Iuliā neptem, quam perditè amauerat Domit. eique sacra instituit singulis annis.

DVLCE *numen*] Dulce, id est, gratiam Domitiani.

In Lupum. III.

Pauper amicitiæ cùm sis Lupe, nō es amicæ,
Et queritur de te mentula læsa nihil.* *v. digna.
Illa siligineis pinguescit adultera cunnis:
Conuiuam pascit nigra farina tuum.
Incensura niues dominæ Setina liquantur,
Nos bibimus torti pulla venena cadi.
Empta tibi nox est fundis non tota paternis:
**Haud sua desertus rura sodalis arat.* *v. At, al. Non.
Splēdet Erythræus perlucida mœcha lapillus:
Ducitur addictus te futuente cliens.
Octo Syris suffulta datur lectica puellæ:
**Nondum sandapilæ pondus amicus erit.* *v. Nudum.
I nunc, & miseros Cybele præcide cinædos.
Hæc erit, hæc cultris mentula digna tuis.

DOMITIVS.

PAVPER] Huius generis amicos reprehendit Iuuen. qui cùm amicæ multa donent, pauperem amicum negligunt. optat talem amicum fieri sacerdotem Cybeles, nam virilia ipsa tantæ ingratitudinis vitium afferunt.

CVM *sis pauper amicitiæ*] Id est, pauper in amicum.

SILIGINEIS *cunnis*] Ex siligine Priapi fiebant, & inguina etiam muliebria. Siligineus Priapus in distichis est his versibus.

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum,
Ipse licet rodas inguina, purus eris.

CVNNIS *siligineis*] Cunnis factis ex siligine. Siligo præstantioris farinæ genus est, ex qua gratiores panes, & faciliores ad concoctionem, authore Celso. huius panis etiam meminit Iuuenal. in Virrone.

PINGVESCIT] Fit pinguis.

INCENSVRA *niues*] Quia videbantur incendere niues: nam niuibus, quæ erant in delitijs, colabatur vinum. Incensura autem, apta metaphora ab igne. nam Falernum rubens ardere videtur, & incendere niues, per quas colo niuario attenuatur.

PVLLA *venena*] i. vina nigra.

CADI *torti*] Appellat cadum tortum, amphoram habentem vinum expressum torculari ad fæcem.

NOX *est empta non tota*] Quia non mansisti tota nocte cum amica.

NON *sua rura*] Sed aliena.

LAPILLIS *Ery.*] Id est, vnionibus.

ADDICTVS] i. annexus. Annexus dicitur qui ære alieno alicui addictus est. Addicere autem est verbum Prætoris solenne, cùm aliquem condemnaret: tamen ducitur à creditore.

SVFFVLTA] Gestata.

OCTO *Syris*] i. seruis. i. octophorum.

PRÆCIDE] Castra.

TVIS *cultris*] Vt abscindantur, cùm tot mala inde eueniant.

Ad Domitianum. IV.

Quantū iam superis Cæsar, cœloq; dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis,
Grādis in æthereo licet auctio fiat Olympo,
Coganturq; dei vendere quidquid habēt:
**Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota,* *Id est, Cœlum totum tibi decoquet. Bud.
Decidat tecum qua pater ipse deûm.
Pro Capitolinis quid enim tibi soluere tēplis,
*Quid pro *Tarpeiæ frondis honore potest?* *Lauro & querco, quæ erant in Capitolio.
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alcidem, Phœbumque, piosq; Laconas:
Addita quid Latio Flauia templa polo?
Exspectes, & sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod soluat, non habet arca Iouis.

DOMITIVS.

QVANTVM] Recensentur hoc epigrammate ædificata opera à Domit. plura quàm historia tradiderit vel Eusebij, & Tranquil. & ait poëta cœlum tantum debere Domit. vt non posset vno die soluere.

CONTVRBABIT] Totum cœlum, vt supra dictum est.

DECIDAT] Decertet, computet tecum, & summam faciat.

AVCTIO] Subhastatio cœli.

CAPITOLINIS *tem.*] Hoc dicit quia templum Ioui

Ioni custodi erexit.

TARPEIAE fron.] Hoc dicit propter Capitolium, quod incensum instaurauit. Frondem autem Tarpeiam retulit ad laurum, quæ in Capitolio erat iuxta quercum, vnde coronæ certantibus dabantur:

Tarpeias Diodorus ad coronas.

Alibi, *O cui Tarpeias licuit contingere quercus.*

MATRONA *Tonantis*] Iuno.

PRO *geminis culm. Pallada*] Do. templum Palladis Chalcideæ erexit.

TVAS *res agit*] Nam Pallas erat numen familiare Domit.

ALCIDEM] Templum Herculis.

PIOS *La.*] i. Castorem, & Pollucem, qui mutua pietate alterni viuunt in cœlo.

TEMPLA *Flau.*] Id est, gentis Flauiæ, quæ condidisti tu.

FORO *La.*] Ad forum Latium erat statua equestris Domi. iuxta templa Flauiæ gentis. alibi legitur Latio polo.

EXPECTES *& su.*] i. differri patiaris.

In Æschylum. V.

Aureolis futui cùm possit Galla duobus,
Et plus quàm futui, si totidem addideris:
Aureolos à te cur accipit Æschyle denos?
Non fellat tanti Galla. quid ergo? tacet.

DOMITIVS.

AVREOLIS] Æschylus, cùm ad Gallam meretricem iret, cogebatur dare denos aureolos: alijs aut duos, aut quatuor soluentibus: nam fellabat Galla irrumátem Æschylum. Qui fellat loqui non potest, ex hoc iocatur poëta, vt alibi.

Si te prendero Gargili, tacebis.

SI *totidem addideris*] i. duos.

TACET] Quia tu irrumas: ergo cum sit prostituti pudoris, vendit incommodum, non pudorem: afficitur autem incommodo dum fellat, quia loqui non potest.

QVID *ergo*] Interrogantis. i. quare, cùm sit prostituti pudoris exigit tantum.

TACET] Respondet Mart. Id est, non pudorem tibi vendit tanti, sed tacendi incommodum, nam cogitur silere: & ita festiuè indicat Aeschylum irrumatorem.

In Paullam. VI.

Nubere vis Prisco, non miror Paulla: sapisti.
Ducere te non vult Priscus, & ille sapit.

DOMITIVS.

NVBERE] Paulla volebat nubere Prisco diuiti. Sapit, inquit Mart. At Priscus eam meretricem renuit, simul etiam ipse sapit.

SAPISTI] Cœpisti consilium bonum.

Ad Domitianum. VII.

Tibi summe Rheni domitor, & parẽs orbis,
Pudice princeps gratias agunt vrbes:
A *Populos habebunt: parere iam scelus nõ est.*
"Non puer auari sectus arte mangonis 'Dion. Nic. in Domitiano legendus.
Virilitatis damna mæret erepta:
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te cœpit & lupanari,

DOMITIVS.

TIBI] Promulgata lege à Domit. ne spadones fierent infandæ libidinis diuerticulum inuentum. nam pueri intra septimum annum prostituebantur, quòd Imperator edicto prohibuit: hoc laudatur à poëta.

DOMITOR *Rheni*] i. ô Germanice.

PVDICE] Quia adulteria prohibuisti.

NON *est scelus parere*] Scelus videbatur esse parere filium, aut prostituendum, aut castrandum, aut certe parere ex adulterio.

B

SECTVS *puer*] Spado factus.

LENO] Qui conducebat infantes prostituendos à matribus.

LVPANARI] In lupanari erat libertas, vt posset se vnusquisque prostituere: sed tu illic quoque noluisti licere omnia.

CVBILI] Vxoribus, quia erant ante te promiscua adulteria.

LVPANARI] i. noluisti esse in lupanari infantes prostitutos.

In Afrum. VIII.

C *Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,*
Continuis volui quinque diebus aue.
Non vacat, aut dormit, dictum bis, terque reuerso.
Iam satis est: non vis, Afer, auere, vale.

DOMITIVS.

DICERE *reduci*] Reuerso incolumi.

DE *Libycis gentibus*] E Libya.

NON *vacat*] Occupatus est, id est, satis est me venisse ter, & quater.

NON *vis auere*] Tanquam viuus.

VALE] Vt mortuus.

D

Ad Domitianum. IX.

Tanquam parua foret sexus iniuria nostri,
Fœdandos populo prostituisse mares:
Iam" cunæ lenonis erant, vt ab vbere raptus, V. Cunæ.
Sordida vagitu posceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas.
Non tulit Ausonius talia monstra pater:
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæua libido" viros. " v. mares. Statius l. 3. Sil. de Domit.

Nondum pulchra dari clementia coeperat ortu Intactos seruare mares, nunc frangere sexum, Atque hominem mutare nefas.

Dilexere prius pueri, iuuenesque, senesque: A
At nunc infantes te quoque Cæsar amãt.

DOMITIVS.

TANQVAM] Idem argumentum.
RAPTVS *ab vbere*] Id est, intra septimum annum.
VAGITV] Hoc dicit in commiseratione pueri, qui non sentiebat coitum.
SEXVS *nostri*] Virilis.
PROSTITVISSE] Publicè mares.
IMMATVRA] Libidine.
POENAS *infandas*] Cruciabantur enim libidine virorum.
AVSONIVS *pater*] Domitianus.
EPHEBIS] Pueris.
SAEVA *libido*] Virorum, qui volebant habere eos in delitijs.

Ad Bithynicum. X.

Nil tibi legauit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri Bithynice noli:
Annua legauit millia sena tibi.

DOMITIVS.

NIL *tibi*] Bithynicum captatorem deridet, qui quotannis Fabio orbo, & diuiti sena millia donabat: C moriens Fabius nil reliquit Bithynico. Ait Mart. Tibi sena millia reliquit: quia scilicet nõ dabis amplius, quæ solebas dare viuo.
LEGAVIT] Reliquit tibi testamento.
ILLE] Fabius.
DEDIT] Quia reliquit illa annua sena millia, quæ dabas.

In Cantharum. XI.

Cœnes Canthare cùm foris libenter:
Clamas, & maledicus, & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & gulosus esse.

Idem Græcè.

* παρ' ἄλλοις.
Homer.

Δειπνεῖν, Κάνθαρε, ἀσμένως * θύραζε,
Κεκράζεις, λοιδορέεις, ἔπειτ' ἀπειλεῖς·
Σὸν θυμὸν δάμασον μέγαν, παραινῶ·
Οὐ λαιμαργὸς ἔσῃ ἐλεύθερός τε.

DOMITIVS.

COENES] Cantharus & alienas sectabatur cœnas. & omnes carpebat: monet Mart. vt assentetur, si vult gulæ seruire.
FORIS] Apud alium.
LIBER] Liberi animi.

De ᵃ Earino Domitiani. XII.

ᵃ Earini eunuchi Dion meminit in Domitiano quem puto eundem esse Statij Earino l. 3. Sil. de Domit. ᵇ v. nominatur.

Nomen cum violis, rosisque natum,
Quo pars optima ᵇ nuncupatur anni,
Hyblam quod sapit, Atticosque flores,
Quod nidos olet alitis superbæ:
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat tonanti:
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesque,
B *Nomen nobile, molle, delicatum*
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt Earinon tamen poëtæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et quos Ἆρες Ἄρες *decet sonare:*
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus seueriores.

DOMITIVS.

NOMEN] Earinus libertus fuit Germanici: qui pocula Imperatori miscebat, Spado paucis diebus ante legem promulgatam de eunuchis. Dicitur autem Earinus quasi vernalis, nam ἔαρ Græcè, Latinè ver, mediam syllabam ita corripit, vt & tertiam & primam: adeo vt numeris carminis inseri non possit. hoc conqueritur Mart. quòd cum velit nominare Earinum, non possit.
NOMEN] Earinus natus à vere.
QVO *vere*] Nam vernalis pars optima est.
HYBLAM] Flores hybleos Siciliæ: nam vere & hyblam Siciliæ, & hyemetum Atticæ aues populantur.
SVPERBAE *alitis*] i. Phœnicis: quæ ex surculis thuris & lignis odoratis conficit nidum.
PVER *Cybeles*] i. Athis.
QVÒD] Nomen.
PARRHASIA] i. palatino ab Euandro Parrha-
D sio: vt Silij, & Virgilij carmine alibi demonstrauimus.
CONTVMAX] Aduersaria: versus est Homeri, cuius initium, Ἆρες Ἄρες βροτολοιγέ. Verba autem sunt Apollinis in Martem, vbi ἄρες in primo pede producit primam, & eadem dictio in secundo corripit. Græci ergo abutuntur licentia.
TAM *disertis*] Non licet nobis latinis eadem licentia vti.

De eodem. XIII.

Si daret autũnus mihi nomen, ὀπωρινὸς essem:
Horrida si brumæ sidera, χειμέρινος.
Dictus ab æstiuo θέρινος mihi mense vocarer.
Tẽpora cui nomen verna dedere, quis est?

DOMITIVS.

SI *daret autumnus*] Idem argumentum.
Ὀπώρεως] Significat autumnalem.
Χειμέρεως] Hyemalem.
Θέρεως] Æstiuum.

De eodem. XIV.

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cùm breue Cecropiæ ver populâtur apes.
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytherea sua scribere gaudet acu.
Nomẽ, Erythræis quod littera facta lapillis,
Gemma quod Heliadũ pollice trita notet.
Quod penna scribente grues ad sidera tollant,
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

DOMITIVS.

NOMEN] Idem argumentum.
TENERI *anni*] i. veris.
BREVE *ver*] i. flores vernales in Hymetto.
ARVNDINE *Acidalia*] i. Venerea.
SVA *acu*] Mensis Aprilis est dicatus Veneri, quo ver floret.
LAPILLIS *Erythræis*] Vnionibus.
GEMMA *Heliadum*] i. gemma succini.
GRVES] Quę. Υ. literam faciunt: vnde ver.

In fictos amicos. XV.

Hunc, quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & ° mulos, & sumen, & ostrea: non te. °v. mullos.
Tam benè si cœnem, noster amicus ° erit. °v. erit.

DOMITIVS.

HVNC] Gulosum amicum esse non posse ostendit: quippe qui cibos sectetur, non fidem amicitiæ.
ERIT *noster*] Id est, si cœnem, tam bene veniet ad me.

De Chloë. XVI.

°v. scelerata. *Inscripsit tumulo septem ° celebrata virorũ,*
°v. simplicius? *Se fecisse Chloë: quid pote ° Simplicius?*

DOMITIVS.

INSCRIPSIT] Chloën meretricium nomen apud Horat. in carm. ostendit septem viros necasse, quod illa volens ostendere pietatem suam prodidit:

A scripsit enim celebrasse exequias septem virorum: quo testimonio nihil est apertius eam septem viros necasse.
CELEBRATA] i. solennia busta.
QVID *simplicius*] Id est, quid apertius ista confessione?

°De coma Earini. XVII.

°Statius Syluarum li. 3. de coma Earini.

Consilium formæ speculum, dulcésq; capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo,
Ille puer tanto domino gratissimus aula,
Nomine qui signet tempora verna suo.
B *Felix, quæ tali censetur munere tellus,*
Nec Ganymedeas mallet habere comas.

DOMITIVS.

CONSILIVM] Earinus misit comam detonsam cum speculo, & pixide gemmata, Æsculapio Pergameo: quod ita restatur Papin. in tertio lib. cùm Earinus petijsset, vt capillos suos, quos cum gemmata pixide, & speculo ad Pergameum Æsculapium mittebat, versibus dedicarem. Nero etiam ita capillos suos dedicauit.
QVI *signet tempora*] i. Earinus.
DEO *Pergameo*] i. Æsculapio.

Ad Æsculapium. XVIII.

C *Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis*
Parcarum exoras pensa, breuesque colos:
Hos tibi laudatos dominorum voce capillos
Ille tuus Latia misit ab vrbe puer.
Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo fœlix facies ° iudice tota fuit. °v. indice.
Tu iuuenile decus serua, ne pulchrior ille At qui, tuta, sublungunt, næ illi toto cælo, aberrãt.
In longa fuerit, quàm breuiore coma.

Idem Græcè.

Υἱοῦ Λητῴος γὲ, θεὸν οἷσιν ἐς ἠπιοδώροις
Μοιρῶν ἐκλιπαρεῖς νῆμα, καὶ ἠλακάτην·
Τὴν δὲ κλεϊζομένην φωναῖς τρίχα δεσποσυνῇσι
Πέμπει σοὶ πόλεως παῖς σὸς ἀπ' Αὐσονίης.
D Τῇ τριχὶ δ' αὐγῆς κάθαρον προσέθηκε κάτοπτρον,
Οὗ καὶ ἐπ' εὐθύναις σώζετο κάλλος ἑοῦ.
Σῶζε σὺ καὶ νεότητα κόρῳ, μὴ τ' εἶδος ἀμείνων
Εἴη ἀκερσεκόμας, ἢ τρίχα κειράμενος.

DOMITIVS.

LATONÆ] Ad Æsculapium de ijsdem capillis.
LATONAE *nepos*] Quia Aesculapius filius Phœbi filij Latonæ. Earinus Pergameus erat, vt Papinius ostendit.
EXORAS] Precibus rogas.
NITIDVM *orbem*] i. speculum.
TVTA] Bene culta.

Ad Cæsarem Domitianum. XIX.

Est mihi, sitque precor longum te præside Cæsar,
Rus minimũ: parui sunt & in vrbe Lares.
Sed de valle breui, quas det sitientibus herbis,
** Cura laboratas antlia tollit aquas.*
Sicca domus queritur nullo se rore foueri,
Cum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris Auguste Penatibus vndam,
Castalis hæc nobis, aut Iouis imber erit.

v. Curua. • Curta. Pithœus Aduersariorũ subseciuorum lib. 2. c. 19.

Idem Græcè.

Ἔστιν ἐμοί, (καὶ δηρὸν ἔοι σέο, Καῖσαρ, ἐπ' ἀρχῆς)
Γήδιον· ἐν δὲ πόλει καὶ μικρὸν οἰκίδιον.
Ὀργανικοῖς δὲ πόνοις ὀλίγης ἀπὸ νᾶμα φάραγγος
Ἕλκεται, ὥστ' ἄρδειν ὄρχατον ἀζαλέον.
Ἀλλ' ὁ δόμος διψῶν, ὅτι μιν ῥανὶς οὔ τις ἰαίνει,
Κλαίει, καίπερ ὕδωρ Μάρτιον ἐγγὺς ἔχων.
Ἣν λιβάδ' ἡμετέροις, Καῖσαρ, μεγάροισιν ὀπάσεις,
Κασταλὶς ἤδ' ἔσται, καὶ Διὸς ὄμβρος ἐμοί.

DOMITIVS.

Est mihi] Domitianum rogat, vt riuum producat in domum suam ex aqua Martia, quæ erat proxima: hoc est, vt det pecuniam, qua possit aquam illam deriuare, cùm nulla re indigeat, nisi aqua ad domus amœnitatem: eo autem erit gratior, quoniam data à Domit. aut ex Castalio monte videbitur, aut à Ioue missa.

Antlia] Instrumentum est ad aquam hauriendam: nam ἀντλῶ Græcè, Latinè significat haurio.

Laboratas] Ex labore haustas.

Foveri] Irrorari.

In Sabellum. XX.

Laudas balnea versibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lauari.

DOMITIVS.

Lavdas] Sabelli gulam accusat, qui multis versibus laudauerat balnea Pontici, non quia probaret, sed vt inuitaretur ad cœnam ea assentatione.

Ad Domitianum. XXI.

** Hæc quæ tota patet, tegiturq; & marmore, & auro,*
Infantis domini conscia terra fuit.

* Flauiæ gentis templum.

A *Felix quæ tantis sonuit vagitibus, & quæ*
Vidit reptantes, sustinuitque manus.
Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.
** Cretenses texere Iouem crepitãtibus armis,*
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit superûm pater, & tibi Cæsar,
Pro iaculo & parma, fulmen & ægis erat.

* Contexere Iouem Curetes.

Idem Græcè.

Ἡ δ' ἐπίχρυσος ὅλη, καὶ λύγδῳ πᾶσα καλυπτὴ
B Γῆ κουριζομένου μάρτυς ἄνακτος ἔην.
Ὀλβίη, ἣ παιδνοῖσι κατηχηθεῖσα κρασμοῖς
Ἑρπύζοντας ἔτλη γυῖα, καὶ ηὐγάσατο.
Ἔνθα δ' ἔην οἴκημα σεβάσμιον, ὅ, ῥ' ἀνέτειλεν
Ὅ, τι Ῥόδος, καὶ γῆ Κρῆσσ' ἀνέδωκε πόλῳ.
Τὸν Δία Κούρητες πατάγῳ ῥύσαντο, Φρύγιοι
Τῶν ἀβιβαστάκτων θηλυδρίησιν ὅπλων·
Χεὶρ δὲ Διός, Καῖσαρ, σ' ἐρρύσατο· τόφρα καὶ αἰγὶς
Ἀντὶ σοι ἦν πέλτης, ἀστραπὴ ἀντὶ βέλους.

DOMITIVS.

Hæc] Natus est Domit. in septima vrbis regione ad malum Punicum, domũ postea conuertit in templum Flauiæ gentis. Huius ædificij felicitas laudatur à poëta. Alteram domum, qua latuerat apud Cornelium iuxta Velabrum bello Vitelliano, Ioui custodi dicauit patre imperãte, casu expresso in marmore: auth. Tacito: mox eidem numini consecrauit, seque in gremio collocauit.

C

Domini] Domit.

Qvæ patet] In templum Flauiæ gentis.

Reptantes] Serpentes per humum.

Hic] Duæ insulæ numina texerunt: Creta Iouem infantem vbi natus est: Rhodos Neptunum, quem infantem à Rhea matre commendatum Thelechines filij maris vnà cum Caphina Oceani filia, educarunt.

Hic] In templo.

Rhodos] Aluit Neptunũ, & Creta Iouem cœlo: ita hæc domus aluit Domit. in vtilitatem orbis.

D

Cvretes] Ex terra orti, vt alij volunt ab Idæis dactylis: nouem fuerunt, qui Iouem infantem delatum ad antrum sacrum, lacte, & melle aluerunt. Alius codex habet loco *Curetes*, Cretenses.

Domvs veneranda] Vbi hæc acta sunt, cum nemore cupresseo extare ferebatur in Creta, temporibus Diodori.

Semiviri] Exitus huius epigrammatis satis ostendit Martial. loqui de domo, in qua latuit in bello Vitelliano: malo tamen sentire de domo natali.

Ad Auctum. XXII.

Artemidorus habet puerum, sed vendidit agrum:
Agrum pro puero Calliodorus habet.

Dic, vter ex istis melius rem gesserit, Aucte? A
Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Ad Pastorem. XXIII.

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassaque turba rogat:
Vt Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager:
Vt Mauri Libycis centū stent dētibus orbes,
Et crepet in nostris aurea [a] *lamna toris:*
Nec labra nisi magna meis crystalla terātur, B
Et faciant nigras nostra Falerna niues:
Vt [b] *canusinatus nostro Syrus assere sudet,*
Et mea sit culto sella cliente frequens:
Æstuet vt nostro madidus conuiua ministro,
Quem permutatū nec Ganymede velim:
Vt lutulēta linat Tyrias mihi mula lacernas
Et [c] *Massyleum virga gubernet equum.*
Est nihil ex istis: superos ac sidera testor.
Ergo quid? vt donem, Pastor, & ædificem.

[a] al. lamma.
[b] Canusina, hoc est, rufa veste insignis.
[c] v. Massyla meum.

DOMITIVS.

CREDIS] Diuitias se optare profitetur, non ea de causa, qua reliqui optant, ad corporis scil. voluptatem: sed potius ad munera & ædificia: quòd vtrunque magni viri animo ingentem voluptatem affert.

ROGARE] Opes à dijs.

VVLGVS] Vulgares homines.

ET *crassa turba*] i. plebei.

GLEBA *Se.*] i. ager Setinus, vnde vina optima nascuntur.

CONSVMAT] Conficiat multos ligones.

AGER *Tuscus sonet*] Obstrepet.

COMPEDE *innumera*] i. multis ergastulis: nam serui in ergastulis fodiebant agros: præsertim in Hetruria. Iuuen.

Certe in lucanos, aut thusca ergastula mittas.

VT *Maurusiaci*] Sed placet magis Mauri Libycis.

MAVRI *orbes*] Dicuntur mensæ citreæ rotundæ, quæ ex Atlante monte magis æstimatione Romæ fiebant, tanto artificio, vt dimidiatis orbibus coniunctis commissura non appareret: historia est Plin. sed & Strab. scri. mensas nōnunquam ex vno ligno Mauritaniæ confici Romæ. Libyci dicuntur dentes elephanti, qui citreas mensas sustinebant, iccirco illud in distichis,

Grandia taurorum portant qui corpora quaris,
An possint Libycas sustinuisse trabes.

LAMMA *aurea*] Folium aureum.

NOSTRIS *toris*] i. in nostris triclinijs: nam lecti in triclinio incrustabantur lammis aureis, & argenteis: vt supra,

De fulcro quam reor esse tuo.

TERANTVR] Vsu, vt scil. habeam crystallina pocula: nam crystallina in maximo erant pretio, adeo vt trulla centum & quinquaginta millibus sestertiorum empta fuerit à matrefam. & duo calices crystallini in delicijs Neronis fuerunt, quos mortuus fregit.

CANVSINATVS] i. canusina lana indutus. Serui ditissimorum hominum, & principum currum gestabant. Tranquillus de Nerone: Nunquam minus mille carrucis fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis: canusinatis mulionibus.

ASSERE] Currus & lecticæ ligno prominenti, cui serui colla subijciunt. Iuuenal. *Ferit assere.* Cato in re ru. asserculum dixit lignum non teres, sed in latitudinem nominauit extentum.

LINAT] Contaminet.

LACERNAS] i. habeam lacernam.

MASSYLEVM] Massyli populi Libyæ: ijdem Massesili dicti sunt, cùm sint Numidæ, authore Strab. equos habent, quos virga, non fræno, gubernant. Virgil. *Numidæ infrænos.* Iccirco appellauit: Silius.

Hic passim exultant Numidæ, gens inscia fræni:
Quis inter geminas per ludum mobilis aures,
Quadrupedem flectit, non cedens virga lupatis.

ÆDIFICEM] Ædificare, & donare magni animi est.

Ad Carum. XXIV.

O cui virgineo flauescere contigit auro,
Dic vbi Palladium sit tibi Care decus?
Adspicis en domini fulgētes marmore vultus,
Venit ad has vltrò nostra corona comas.
C *Albana liuere potest pia quercus oliuæ,*
Cinxerit inuictum quòd prior illa caput.

DOMITIVS.

O *cui*] Carus centurio donatus est ab Imperatore corona oleagina aurea. Eam enim coronam in Albano donabat Domit. infra:

Cuius Iulea capiti nascantur oliuæ:
Destinet athereus cui sua serta pater.

Olim ex olea dabatur his, qui triumphum procurarent. Carus igitur tantæ coronæ reuerentia Dom. statuam magno artificio effictam ea coronauit.

AVRO *virgineo*] i. corona aurea Palladia.

DECVS *Palladium*] i. corona, quam donauit Dom. Papin. de eadem corona:

Palladio tua me manus induit auro.

D COMAS] Illius imaginis.

VLTRO] Discessit à me, & iuit in comas Dom. nam hi duo versus sunt ex persona Cari respondentis.

LIBARE] Cedere: vel liuere, inuidere, vt alij habent codices.

ILLA] Olea.

PIA *quercus*] Ioui dedicata.

PRIOR] Potius quàm quercus: verba sunt Martial. his duobus versibus vltimis.

Ad eundem. XXV.

Quis Palatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mūdi facies, hæc sunt Iouis ora sereni:
Sic tonat ille Deus, cùm sine nube tonat.

Nō solam tribuit Pallas tibi Care coronam,
Effigiem domini, quam " colis, illa dedit. ".v.colit.

DOMITIVS.

QVIS] Idem argumentum in statuam Domit. quæ apud Carum erat.

PHIDIACVM] Phidias ebore cælando omnes superauit, Ioue præsertim Olympio: nam Deos effinxit nemo melius: authore Plin.

ILLA *Pallas dedit tibi*] Hanc imaginem, hoc est, nullus potuisset dare tibi effigiem tuam veris lineamentis expressam, nisi Pallas, quæ & artificij est Dea, & quotidie versatur cum Dom. idem versus Papin.

An te Palladiæ talem Germanice nobis
Effinxere manus.

NON *tribuit solā co.*] Nam & ex olea erat Palladis arbore, & in eius Deæ quinquatrijs fuerat coronatus: propterea Pallas eam coronam dedisse videbatur, sed eam, inquit, non solum tribuit, dedit etiam istam imaginem.

In Afrum. XXVI.

Dātem vina tuū quoties adspeximus Hyllū,
Lumine nos Afer turbidiore notas.
Quid rogo? quod scelus est mollem spectare ministrum?
Adspicimus Solem, sidera, templa, deos:
Auertā vultus, tamquā mihi pocula Gorgō
Porrigat, " atque oculos, oraque nostra " tegam?
Trux erat Alcides: sed Hylam spectare licebat.
Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non vis teneros spectet conuiua ministros:
Phineas inuites Afer, & Oedipodas.

".Palm. Cod. & vultus, legit. ".v.petat.

Idem Græcè.

Ὕλλον ὅτ' οἰνοχοεῦντα τεὸν θεράποντα θεῶμαι,
Σκυθρωποῖς στυγνοῖς μ' ὄμμασιν, Ἄφρε, βλέπεις;
Καὶ τί ἔρεξα κακὸν θηεύμενος ἀβρὸν ὑπουργόν;
Θηεῦμαι ναούς, ἥλιον, ἄστρα, θεούς.
Ἆρ' ἀντικρὺ πρόσωπον ἀποστρέφω, ὥσπερ ἂν εἴ μοι
Δῷ δέπας ἡ Γοργὼν, ὄσσε καλυπτόμενος;
Ἀλκείδης ἦν ὠμός, Ὕλαν ἀτὰρ εἰσιδέμεν ἐξῆν·
Ἑψιάαν Ἑρμῇ σὺν Φρυγὶ παιδὶ πάρα.
Εἰ φθονέεις συνάπτειν ὁρᾶν μαλακοὺς θεράποντας,
Ἑστίασον Φινέας, Ἄφρε, καὶ Οἰδίποδας.

DOMITIVS.

DANTEM] In Afrum, qui puerum suum non patiebatur inspici à conuiuis.

NOTAS] Designas.

LVMINE *turb.*] i. toruo aspectu.

HYLVM] Hylus fuit filius Herculis, sed hic miscebat pocula: quòd pulchriores ministri apud antiquos præstant, æmulatione Ganymedis: qui Iouis pincerna dicitur.

AVERTAM] Ironicè nimirum.

TANQVAM *Gorgon.*] i. Medusa, quæ vertebat homines in saxa.

PHINEAS] Accusatiuus Græcus, hic ex communi illa fabula dicitur cæcatus ira numinum, quoniam filios suasu Harpalices occæcasset. grauior historia habet Phineum Idæam filiam Dardanis Scytharum regis adeo adamasse, vt eius suasu filios ex Cleopatra supplicio destinauerit, quo tempore Hercules cum Argonautis Phineum obtruncauit, & eius socios: sed, vt dixi, vulgata historia est cæcum fuisse: & Harpyis, quæ dapes fœdabant filiorum Boreæ beneficio liberatum. Oedipodem cæcum fuisse vulgata tradit historia, sed Diodor. scrib. cognito scelere concubitus matrimonij à filijs eum prohibitum egredi domo.

De Nerua. XXVII.

Audet facundo qui carmina mittere Neruæ,
Pallia donauit glaucina Cosme tibi.
Pæstano violas, & cana ligustra colono,
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen & paruæ nonnulla est gratia Musæ:
Appetitur posito " vilis oliua lupo. ".v.lugh.
Nec tibi sit mirū, modici quòd conscia vatis
Iudicium " metuat nostra Thalia tuum. ".v.meruit.
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
" Lasciuum iuuenis cùm tibi lusit opus. ".v.Lasciuus.

DOMITIVS.

AVDET] Carmen Neruæ iterum laudat: de quo supra.

PALLIA *glau.*] i. vestes viles.

COSME] Qui habes vestes purpureas.

COLONO *Pæstano*] Illi qui Pæstum colit refertum rosis in Lucania.

MELLA *Cor.*] In Perside, & Mauritania mel venenatum gignitur: in Corsica vero venenatū ob multitudinem herbarum, quæ illic sunt amaræ.

APIBVS *hy.*] i. homini habenti mel hyblæū, quod præstantissimum est.

LVPO] Pisce preciosissimo, & optimi saporis, qui capitur inter duos pontes: hoc est quod scribit Quint. Et in grandioribus cœnis viliores nonnumquam cibi delectant.

NERO] Qui ad te scripsit, qui te alterum Tibullum appellauit.

OPVS *la.*] Elegiacum.

TVAS *aures*] i. tuum iudicium.

In Chrestum. XXVIII.

Cùm depilatos Chreste coleos portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis leuius caput culis,

Nec viuat vllus in tuo pilus crure,
Purgentque sæua cana labra volsellæ, [*Pulman. Cod. legit.]
Curios, Camillos, Quinctios, Numas, Ancos
Et quidquid " vsquam legimus " pilosorum, [v. vnquam] [v. Philosophorum.]
Loqueris, sonásque grandibus minax verbis,
Et cum " theatro, sæculoque rixaris. [v. theatris.]
Occurrit aliquis inter ista " draucus, &
Iam pædagogo liberatus, & cuius
Refibulauit turgidum faber penem:
Nutu vocatum ducis, & pudet fari,
Catoniana, Chreste, quòd facis lingua.

[v. si draucis ego reponendum puto nominandi casu, si draucus.]

DOMITIVS.

CVM *depilatos.*] Chrestum, quod nomen vnctũ, & mollem significat, accusat, qui in cultu corporis muliebres delitias sectabatur, & suorum temporum mores quotidie notabat magnis vociferationibus, sed cùm Catonianam, & censoriam linguam haberet, merito silebat scelus suum. Pudet, enim, Catonianam fari talia scelera: erat enim cinædus socraticus, & faciem colebat, vt pædicaretur à draucis.

COLEOS.] Græcè significat vaginam, vnde & colei testes.

MENTVLAM *pa. co. vul.*] Nam eneruata est, & mollis breuibus pilis: vt vultures nullas ferentes plumas in collo.

CVLIS *prosti.*] i. cinædorum.

LEVIVS.] Politius.

VOLSELLÆ.] Instrumenta ad depilandum corpus, authore Var.

SÆVÆ.] Nam dolorem faciunt cùm vellunt pilos.

REFIBVLAVIT.] i. maiore fibula cinxit crescente pene.

RIXARIS *cum th.*] i. damnas theatrum & seculum.

QVOD *facis.*] Nam seruis drauco, & pædicaris.

LINGVA *Cat.*] i. cùm tanquam alter Cato de moribus loquaris, non audes fateri turpitudinem tuam, nam tua lingua talia non loquitur.

GEORGIVS.

REFIBVLAVIT *turgidum faber penem.*] Non videt hic homo epigrammatis gratiam, & poëtæ sel quodammodo euanescere, si refibulare id esset, quod exponit: qui vbicúmque de fibula loquitur, tum ficta, tum ementita quædam adducit. Est igitur refibulare, fibulam tollere. vel. vt Iuuen. ait, soluere. Nam vt in Iuuen. diximus, ex præceptis Celsi, circulo æneo infibulantur adolescentes seruandæ vocis gratia, quæ post expertam venerem, tum asperior fieri, tum mutari solet. Quod cùm ita sit, nescio cur sæpè exponat fibulam esse velamen quo pudendæ partes tegerentur.

Epitaphium Latini. XXIX.

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus, deliciæque tuæ.
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Soluere qui Curios, Fabriciósque graues.
A *Sed nihil à nostro sumsit mea vita theatro:*
Et sola tantùm scenicus arte feror.
Nec poteram gratus domino sine moribus esse
Interius mentes suspicit ille deus.
** Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi;*
Roma sui " famulum dum sciat esse Iouis.

[*Vide Turn. lib. 11. ca. 24.] [famulum. Sic Homer. in Margite poëtas. Θεράποντας Ἀπόλλωνος vocat.]

Idem Græcè.

Σκηνῆς ἀγλαΐη, θυμέλης κλέος ἡδύ, Λατῖνος
Κεῖνος ἐγὼ, σὸς ἔρως, ξεῖνε, σὸς εἰμὶ κρότος·
Ὅς τε Κάτωνα μέγαν ποιεῖν ἴσχυσα θεωρὸν,
Κουρίους ὃς διαχεῖν, Φαβρίκιόν τ' ἄγελον.
B Οὔτ' ἐμὸς ἡμετέρου βίος οὐδὲν ἀπηύρε θεάτρου
Ἀλλ' ἀπὸ τῆς τέχνης σκηνικὸς ἦα μόνον.
Οὐκ ἂν ἐμοὶ γὰρ ἐγὼν ἀρετῆς ἄτερ ἤρεσ' ἄνακτι.
Ἐνδοτέρας ὁ θεὸς κεῖνος ὁρᾷ πραπίδας.
Ὑμεῖς μή με κικλήσκετ' Ἀπόλλωνος παράσιτον
Ῥώμη ἢ γνῷ ἑοῦ δοῦλον ἐόντα Διός.

DOMITIVS.

DVLCE.] Epitaphium Latini mimi, cuius meminit Tranquil. in Domit. is recitandis diei fabulis risum principi prouocabat.

DECVS *scenæ.*] Nam in scena risum mouebat.

PLAVSVS *tuus.*] Cui applaudebas ô spectator.

QVI *po. fecisse spectatorem*] i. allicere in theatrum.

SOLVERE.] Ad risum.

A *nostro thea.*] i. mea vita nullos mores theatrales habuit obscœnos.

C SCENICVS.] Mimus.

ARTE.] Non vita, & moribus.

DOMINO.] Domit.

DEVS.] Tanquam Deus cognoscebat me exercentem scenicam, & tamen bene moratum.

PARASITVM.] Mimi dicuntur Phœbi parasiti, quia seruiunt poëtis.

VOS *dicite me.*] i. esto, dicatis me parasitum Phœbi, nam in palatio colebatur Apollo ingenti colosso. Hor.

Scripta palatinus quæcumque recepit Apollo.

Latinus frequentabat palatium, & parasitus habebatur: honesto nomine dicit se fuisse parasitum, non palatij, sed Apollinis, alludens ad poëtas, quorum scripta mimi recitant.

LAVRIGERI.] Epitheton Phœbi & poëtarum.

D FAMVLVM *Iouis.*] Quia plus est seruisse Ioui Dom. quàm esse parasitus Phœbi: quasi dicat, hanc artem exercui propter dominũ, & non alia de causa.

Epitaphium Philænis. XXX.

Sæcula Nestoreæ permensa Philæni senectæ,
Rapta es ad infernas tam citò Ditis aquas?
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora: maior erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet, non illam mille catastæ
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat.

Nec matutini cirrata caterua magistri,
Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhōbo
Quæ sciet hos illos vendere lena toros?
Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

DOMITIVS.

SÆCVLA.] Epitaphium in Philæni, cuius vita supra descripta est, & nunc loquacitas recensetur: optat poeta, vt leui terra tegatur, vt canes cadauer possint effodere.

PERMENSA.] Quæ est mensa.

SÆCVLA *Nestorea.*] i. tria secula, quasi ccc. annorum.

RAPTA *es.*] Rapti dicuntur, qui ante tempus moriuntur.

TAM *citò.*] Ironicè dictum est.

EVBOICÆ.] Cumanæ: Sibylla Cumana à Virgil. dicitur Deiphœbe, aliis nominibus à Var. à Phœbo impetrauit, vt quot arenas manu complecteretur, tot annos viueret: iccirco anni pulueris Euboici dicuntur anni Sibyllæ.

QVÆ *lingua.*] i. quàm loquax lingua.

CATASTÆ.] Loca seruorum venalium, καθίστω, quod est expono: illic puerorum garritu ingens erat strepitus, quem stultus vincebat garrulitate.

NEC *quæ turba Serapin amat.*] i. turba quæ colit Serapin: an intelligit eos, qui colunt sacra Isidis, qui repræsentantes Osirim inuentum clamant. Iuu.

Exclamare libet populus quod clamat Osiri
Inuento.

Non placet, sed potius placet, vt intelligas strepitum eorum, qui nocte, dieque cymbis nauigant ad sacra Serapidis, quæ in Ægypto coluntur: ea enim fossa, authore Strab. plena semper est mulieribus, & viris impudenter canentibus. Eundem strepitum exponit Silius.

Vt strepit assidue phrygiam ad Nilotica Loton
Memphis, Amyclæo passim lasciua Canopo.

CIRRATA *cat.*] i. caterua puerorum. Persius.

Tnē cirratorum centum dictata fuisse.

Cirrati autem capillis cirratis dicuntur, id est, tortis.

GREGE *stry.*] Id est, gruibus: grues enim obstrepunt.

DEDVCERE *lunam.*] i. excantare lunam.

RHOMBO.] Rhombus instrumentum est incantatorium, cuius figuram describit Theocritus, eo fila torquebantur. Proper. & Oui. in amoribus meminerunt. Luca. magicam vertiginem appellat.

Traxerunt torti magica vertigine fili.

Iuuen.

Vna laboranti poterit succurrere luna.

De Antistio Rustico. XXXI.

Cappadocum sæuis Antistius occidit oris
Rusticus: ô tristi crimine terra nocens!
Rettulit ossa sinu cari Nigrina mariti,
Et questa est longas non satis esse vias.
Cumque daret sanctam tumulis, quibus inuidet, vrnam,
Visa sibi est rapto bis viduata viro.

A DOMITIVS.

CAPPADOCVM.] Cappadocia pars minoris Armeniæ, vt placet Appiano, vel ipsa minor Armenia, vt Ptole. Inde maritum mortuum delatum Nigrina vxor sepeliuit, eius pietas laudatur, nam non secus defleuit maritum cùm humaret, quàm cùm audiuit mortuum.

SÆVIS *oris.*] i. sæua regione Cappadociæ.

VIAS *longas non satis.*] i. non esse longiores vias, vt diutius posset continere ossa mariti sinu.

VRNAM *sanctam.*] i. sepulturam.

De Vibij voto. XXXII.

v. Ad Cæsarem de anser̃e.

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
B *Vebius, hanc Marti pro duce vouit auem.* Vibius fortasse, vt sit Vibius Crispus, cuius Sueton. meminit.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poscebat iam sibi vota deus.
Ipse suas anser latus properauit ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parua focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non sanguine, cæsa
Victima, iam ferro non opus esse docet.

Idem Græcè.

C Βαίβιος Ἀρκτῴοισι κιὼν ἅμα Καίσαρι, ῥέξειν
Ηὔξαθ' ὑπὲρ κείνου πλωὸν Ἄρηϊ τόδε.
Κύκλα δ' οὔπω μήνη δὶς τέσσαρα πλῆσεν, ἀπῄτει
Τῆς δ' εὐχῆς ὁ θεὸς χρεῖος ὀφειλόμενον.
Εὐθὺς χὴν βωμοῖσι παρίσταται αὐτοκέλευστος,
Καὶ πέσε θῦμ' ἱερῷ βαιὸν ἐπ' ἐσχαρεῶν.
Ὀκτὼ ὁρᾷς οὗ ῥῆνος ἀπ' εὐρέα κέρματα ῥάμφεος;
Τοῦ πλεῦνος σπλάγχνοις ταῦτ' ἐνικεκρύφατο.
Σοῦ ὕπερ ἀργυρέῳ, κ' οὐχ αἵματι καλλιερῶν χὴν
Φησὶν, ἄναξ, ὅτι νῦν μηκέτι δεῖ χάλυβος.

DOMITIVS.

D DVM.] Vebius Crispus, cuius meminit Tranquil. in Domi. & Tacitus, comes Imperatoris in expeditione Sarmatica vouit anserem Marti pro duce reduci, nam anser dicatus est Iunoni, vt Li. indicat in obsidione Capitolina: tanti meriti apud Romanos, ex quo custodes Capitolij excitauit clangore aduersus Gallos, vt anserum alimenta à Censoribus singulis annis locarentur: nunc anserem argenteum dicauit ad pedes Martis porrigentem octo numismata rostro: inde sumpto argumento poëta ait, anserem ostendere non esse amplius opus ferro in toto orbe ope Dom. cùm pecuniam det Deo, ne mactetur ferro Marti: sed tamen, vt dixi, dicatus est Iunoni.

ARCTOIS.] Id est bello Germanico.

PENDERE.] Extare hæc numismata.

LITAT.] Martia. pro tuo reditu Cæsar.

OPVS *fer.*] i. nusquam esse opus ferro, pace data à te, & tuis armis.

Qualem velit amicam. XXXIII.

Hanc volo, quæ facilis; quæ palliolata vagatur:
Hanc volo, quæ puero iam dedit antè meo:
Hanc volo, quam redimit totā denarius alter
Hanc volo, quæ pariter sufficit vna tribus:
Poscentem nummos, & grandia verba sonantem,
Poßideat craßi mentula Burdigali.

DOMITIVS.

HANC.] Palliolum habitus ancillaris erat. Iuu. *Dorida nullo cultam palliolo.*
Ex sententia Cato. hoc scri. qui ad prostitutas accedendum putauit omissis matronis, & lautioribus.

BVRDIGALI.] Burdigalus nomen diuitis fictum à Burdigala oppido Aquitaniæ. inde sumpsit nomē, quoniam burdigali dicuntur quasi burdi galli, id est, stulti Galli. Vult enim non modo diuitem significare, sed stultum. Gallus hoc loco syllabam in compositione mutauit.

Ad Flaccum. XXXIV.

Audieris in quo Flacce balneo plausum;
Morionis illic esse mentulam scito.

In laudem Domitiani. XXXV.

Iuppiter Idæi risit mendacia busti,
Dum videt Augusti Flauia templa poli:
Atque inter mensas largo iam nectare fusus,
Pocula cùm Marti traderet ipse suo,
Respiciens Phœbum pariter, Phœbiq; sororē,
Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat.
Cnoßia vos, inquit, nobis monumēta dedistis:
Cernite quàm plus sit Cæsaris esse patrē.

Idem Græcè.

Ζεύς ποτε τῆς Ἴδης ψεύστην τάφον ἐξεγέλασσεν,
Φλαύιον Αὐγούστων ὡς ἴδ᾽ αἰακτεῖον.
Ὡς δ᾽ περ εἰλαπίνῃ ἀσαίσας πολὺ νέκταρ ἔχευτο
Ἡδίων, τὸ δέπας τ᾽ ἐγγυάλιζεν Ἄρει,
Εἰς τὸν Φοῖβον ὁρῶν, καὶ τὴν Φοίβοιο σύναιμον,
Σὺν τοῖς Ἀλκείδης, καὶ ταχὺς Ἀρκὰς ἔην,
Γνώσσιον αὖθι ἐμοὶ μὲν ὀπάσσατε, φησί, τὸ σῆμα
Πόσσῳ ἐμεῦ κρείττω Καίσαρός ἐστι πλέον;

DOMITIVS.

IVPPITER.] In Creta erant vestigia domus, qua educatus est Iuppiter infans, vt testatur Diodorus.

A Erat præterea sepulchrum eiusdem numinis cum inscriptione, vt scribit Lactantius. nuper inquit poëta cùm Iuppiter templa à Domitiano erecta vidisset in Capitolio (nam ædem Flauius Imperator erexerat) dixit filiis suis ab Imperatore plus tributum esse à Domit. patri Vespasiano, quàm sibi à suis, qui tumulum in Creta erexerant.

IDÆI *busti.*] Id est, falsum tumulum in Creta, quia illic non est sepultus. ita etiam appellat Papin. in Thebaide.

AVGVSTI.] Augusto ædificati.

SOROREM.] Dianam.

ARCAS.] i. Mercurius filius Iouis, & Maiæ.

MONIMENTA *Gnosia.*] i. Cretensia.

PLVS.] Quia obsequitur patri.

PATREM *Cæsaris.*] Ex hoc ego sensum epigrāmatis ita intelligo, iterum enim dicam, vt laudentur templa Flauia, quæ Dom. dicauerat patri, fratri, B & suis. ait igitur Iuppiter plus dedisse Domitianum patri suo Vespasiano, cui tantum templum consecrauit, quàm Phœbum, Dianam, Mercur. sibi qui tumulum tantum in Creta sibi construxerant. Hæc sententia mihi probatur.

In Philomusum. XXXVI.

Artibus his semper cœnā Philomuse mereris,
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Scis quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenanā numeras, Sarmaticámq; manū.
Verba ducis Daci Cattis mandata resignas:
Victricem laurū, quàm venit, antè vides.
C *Scis quoties Phario madeat Ioue fusca Syene:*
Scis quota de Libyco littore puppis eat.
Cuius Iuleæ capiti nascantur oliuæ, V. Turn. lib. 17. ca. 9.
Destinet ætherius cui sua serta pater.
Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me,
Hac lege, vt narres nil Philomuse noui.

DOMITIVS.

ARTIBVS.] Philomusum captatorem cœnæ, & deridet, & monet, ne loquacitate sua, qua cœnas solet captare, veniat sibi conuiua.

PACORVS.] Nomen regis Parthorum, cuius etiam meminit Plut. in Antonio. Artaces item rex Parthorum fuit, quem alij à Scythis oriundum, alij à Bactrianis scribunt. Arsacidæ reges Parthorum, non autem Persarum, vt putauit Seruius. Temporibus D Domit. Volgesus Parthis imperauit. Pacorum igitur pro quocunque rege Parthorum posuit.

ARSACIA.] Parthica.

MANVM *Rhenanam.*] i. Cœnomanos, & Sarmatas simul, deuicit Domitianus consentientes, vt Papin. scrib. in epicœdio Hetrusci.

RESIGNAS.] Aperis.

CATTIS.] Nam Catti, & Daci coniurauerant aduersus Domit. id est, ita narras, ac si vidisses literas scriptas à duce Dacorum Cattis.

LAVRVM *victricem.*] i. victoriam futuram.

SYENE.] In Ægypto subdita solstitio æstiuo aquarum penuria laborat: puteos perpendiculares habet nulla vmbra. Lucan.

Nam quis cancro torrente Syenem Ibit.

FVSCA.] A colore incolarum.

PHARIO *Ioue*.] i. pluuia Ægyptia.

QVOTA *puppis*.] i. quot naues: nam Carthaginienses classe imminebant Romanis: hoc autem, quod ait, si Plinio credimus, videbat Strab. ex Lilybæo promontorio Siciliæ.

OLIVÆ *Iulea*.] i. coronæ oleaginæ dandæ à Cæsare: nam victores in quinquatriis albanis oleagina corona auro expressa donabat, vt mox ostendemus.

DESTINET.] Animo proponat dare.

De Ganymede, & Ioue. XXXVII.

Viderat Ausonium posito modò crine ministrum
Phryx puer, alterius gaudia nota Iouis.
Quod tuus ecce suo Cæsar permisit Ephebo,
**Tu permitte tuo maxime rector, ait.*
Iam mihi prima latet longis lanugo capillis:
Iam tua me ridet Iuno, vocátque virum.
Cui pater ætherius. puer ô dulcissime, dixit,
Non ego quod poscis, res negat ipsa tibi.
Cæsar habet noster similes tibi mille ministros,
Tantáque sidereos vix capit aula mares.
At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

*Palm. Codex legit ita: Hoc mihi permittas conditor orbis, ait.

Idem Græcè.

Τὸν Διὸς Αὐσονίῳ θεράποντα κεκαρμένον ἄρτι
Φρύξ, ἑτέρου Ζηνὸς παιδικὰ, κοῦρος ἰδών.
Ὠ, ῥα χαριζόμενος τῷ ἑῷ, φάτο, Καῖσαρ ἐφήβῳ
Δῶκε, δὸς, ἡγεμόνων καὶ σὺ μέγιστε, τεῷ.
Ἤδη μοι πλοκάμοισιν ὑποσταχύουσιν ἴουλοι,
Καί με γελῶσ' Ἥρη, σὴ δάμαρ, ἄνδρα καλεῖ.
Ζεὺς δ' ἀπαμειβόμενός μιν, ἐγὼ, φησ', οὐκ ἀποκρύψω,
Φίλτατε παῖ, τὰς σὰς αὐτὸ δὲ πρᾶγμα, λιτάς.
Νηρίθμους θεράποντας ἔχει σοὶ Καῖσαρ ὁμοίους·
Καὶ πόσον οὐ χάδε δῶμ' ἄρρενας ἰσοθέους.
Ἀλλ' ἢν σ' ἄνδρα κόμη ποιῇ τμηθεῖσα τέλειον,
Τίς δέ μοι ἐκ πάντων ἔσσεται οἰνοχόος;

DOMITIVS.

VIDERAT.] Earinus comam deposuerat, vt supra: cum Ganymedes è cœlo hoc despexisset, poposcit à Ioue, vt etiam liceret sibi deponere crines, quoniam esset barbatus: quum autem facere id Iuppiter negauerit, poëta indicat.

PHRYX *puer*.] i. Ganymedes.

POSITO *nunc crine*.] i. qui paulo ante deposuerat comam.

ALTERIVS *Iouis*.] Domit.

A LATET.] i. iam subest meis capillis.

VOCAT *virum*.] Dicit me esse egressum à pueritia.

IPSA *res*.] i. necessitas negat hoc.

QVI *misceat nectar*.] i. puer formosus: nam formosi tantum ad id eligebantur.

In Gallam. XXXVIII.

Cùm sis ipsa domi, mediáque ornere Subura,
Fiant absentes & tibi Galla comæ.
Nec dentes aliter, quã Serica nocte reponas*
Et lateas centum condita pyxidibus.*
Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,
Quod tibi prolatum est mane, supercilio.
B *Et te nulla mouet cani reuerentia cunni,*
Quem potes inter auos iam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen: sed mentula surda est,
Et sit lusca licet, te tamen illa videt.*

*v. sera. *v. iaceas. *v. surda.

DOMITIVS.

CVM *sis*.] Gallam anum meretricem ornantem faciem medicamentis deridet: nam volebat dare sexcenta, quamuis ita ornata, viro quem posset allicere ad se. At inquit poëta, quamuis illa sit condita multis medicamentis, & sit mentula lusca: tamen eam inspicit qualis sit.

MEDIA *suburra*.] i. ex medicamentis, quæ emuntur in suburra.

C ABSENTES.] Alienis medicamentis accersitis nigrescant.

SERICA.] Vestes sericas.

TVA *facies*.] Quam præ te fers: & pulchritudo, quam tibi paras non manet tecum, cùm dormis. Vesperi enim dormitura ea deponis ornamenta.

INTER *tuos auos*.] Adeo senex est cunnus.

PROMITTIS.] Scil. fututoribus.

SVRDA *est*.] Non arrigitur.

ET *licet sit lusca*.] Nam vnum tantum habet oculũ.

Ad Agathinum. XXXIX.

D *Summa licet velox Agathine pericula* ludas*
Non tamen efficies, vt tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuésque reuersa per auras
Vel pede, vel tergo, clune, vel vngue sedet.
Lubrica Corycio quamuis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata Noti.*
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus, & vnda nihil.
Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli
Nõ potes: arte opus est, vt tibi parma cadat.

*Cælius lib. 7. cap. 8. *v. laudas.

*v. madidi. sed in margine aliena manu adiectum erat, celeres.

Idem Græcè.

Εἰ καὶ πάντα κύβον ῥίπτειν σ᾽ Ἀγαθῖνε, δεινός,
Οὐ πεύξῃ, πέλτην ὥστε σοι ἐκπεσέειν.
Ἐσσομένην ἀέκοντι παλίσσυτος ἵζει ἐπ᾽ ἄκρου
Ἢ ποδὸς, ἢ νώτοι᾽, ἰξύος, ἢ ὄνυχος.
Ἢν καὶ ὀλισθηρὸς ἔχῃ θυμέλην ῥανίδεσσι κρόκοιο,
Ἢν καὶ ἀναλύσῃ τὰς ὀθόνας ἄνεμος.
Τῶν μελέων ἀμφοῖν ἐπίσσυται ἀπρονοήτι·
Οὔτ᾽ ἄνεμος παίκτης βλάπτεται, οὔτε κρόκῳ·
Πάντα ποιῶν, Ἀγαθῖν᾽, ἵν᾽ ἁμάρτῃς, οὐκ ἀτυ-
χέσεις·
Τέχνης δεῖ, πέλτην ὥστε σοι ἐκπεσέειν.

DOMITIVS.

SVMMA.] Agathinum laudat, qui parmam in theatro ita iactabat, vt nusquam caderet, sed modo crinibus exciperetur, modo pede, magna spectatorum omnium admiratione.

LVDAS *sum. pe.*] Constructio Græca est, qui dant accusatiuum his verbis. i. ludas in summo discrimine: & tentes difficillima quæque.

SEDET.] Hæret.

PVLPITA.] Theatri.

SINT *lubrica.*] In quibus vestigia non possint consistere.

NIMBO *coricio.*] Croco: nam croco vino dulci misto spargebantur theatra vase, quod appellant nimbum.

VELA.] Obtendebantur in theatro ad arcendum solem, & ventum. Lentulus Spinter primus id ostendit ludis Apollinaribus. Cæsar item totum forum Romanum texit. Marcellus forum Augusti, vbi lites exercebantur: ne litigantes sole, aut vento offenderentur. Vela dicuntur data ventis, quando ducuntur recta in altum: negantur vero ventis, quando iacent. Vela theatri negata erant ventis, quando iacebant. Idcirco versus Mart. alibi:

Et Pompeiano vela negata Noto.

Ita accipio, vt etiam hunc locum, non autem vela negata. i. vela iam inutilia theatris, quoniam & si noua sunt, tamen negantur ventis: dum ita operiunt theatrum, vt ventum non excipiant, sed iacent excepta: vnde vinum sparsum cum croco.

ARTIFICI.] Agathino.

VT *peccare velis.*] i. errare, vt cadat prima tibi.

De natali Cæsoniæ. XL.

Prima Palatino lux est hac orta tonanti,
Optasset Cybele qua peperisse Iouem.
Hac & "Santonici genita est Cæsonia "Rufi:
Plus debet " matri nulla puella " suæ.
Lætatur gemina votorum sorte maritus:
Contigit hunc illi quòd bis amare diem.

" v. sancta meo.
" v. Ruto.
" v. patri.
" v. suo.

DOMITIVS.

PRIMA.] Nono calendas Nouembris natus est Dom. eodem die Cæsonia Rufi nata erat. Rufus igi-
A tur eundem diem natalem & vxoris, & Domit. celebrat.

HAEC *lux.*] Nono calendas Nouemb.

CYBELE.] Rhea mater Deorum.

RVFI *Santonici.*] Gallici. Sanctones populi Galliæ.

DEBET.] Quia nata fuit eodem die quo Dom.

BIS.] Duabus de causis.

De voto Philænis. XLI.

Tarpeias Diodorus ad coronas
Romam cùm peteret Pharo relicta,
Vouit pro reditu viri Philænis,
Illam lingeret vt puella simplex,
B *Quam castæ quoque diligunt Sabinæ:*
Dispersa rate tristibus procellis
Mersus fluctibus, obrutúsque Ponto
Ad votum Diodorus enatauit.
O tardus nimis, & piger maritus!
Hoc à litore si puella votum
Fecisset mea, protinus redissem.

DOMITIVS.

TARPEIAS.] Multi fuerunt Diodori: Zonas orator, Diodor. grammaticus, Diodor. qui historiam edidit temporibus Tiberij. Diodor. citharœdus téporibus Vespasiani: cuius arte princeps delectatus
C eum donauit & ingenti pecunia, & multis donis aureis: cùm Romam, inquit poëta, nauigaret, ex Ægypto, Philænis vxor vouit si maritus incolumis rediret, se passuram, vt simplex puella sibi lamberet cunnum: reuersus est, sed naufragus: ô tardum maritum ait Mart. nam si puella mea tale votum fecisset, statim à littore ipso essem reuersus. Ostendit enim puellam suam immunda fœmora habere, & indigere purgante lingua. Tarpeius item fuit citharœdus Vespasiani, authore Tranquil.

PHARO.] Ægypto.

TRISTIBVS *procellis.*] Tristi naufragio.

In Ponticum. XLII.

Pontice quod numquam futuis, sed pellice læuâ
D *Vteris, & Veneri seruit amica manus.*
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius vt tres:
Mars semel, vt geminos Ilia casta daret:
Omnia perdiderat, si masturbatus vterque
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum,
Istud quod digitis Pontice perdis, homo est.

DOMITIVS.

PONTICE.] Masturbari à verbo Græco tractum est: nam μασρωπέω significat lenocinio conciliare, vnde impudice tractare membra virilia dictum est masturbari.

HORATIVS *vt tres.*] Sequimus Albanus habuit geminas filias: quarum altera nupsit Horat. Romano, altera Curiatio Albano: vtraque trigeminos peperit, Horatios scil. Trigeminos, & Curiatios, vt & historia Dionysij tradit: & Plin. in vij. fieri posse ratione naturæ affirmat.

Ad Apollinem. XLIII.

Campis diues [a] *Apollo sic* [b] *murinis,*
Sic semper senibus fruare cycnis,
Doctæ sic tibi seruiant sorores,
Nec Delphis tua mentiatur vlli,
Sic Pallatia te colant, améntque:
Bis senos citò me rogante fasces
Det Stella bonus annuátque Cæsar.
Felix tunc ego, debitórque voti
Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis iuuencum.
Nata est hostia Phœbe, quid moraris?

[a] Apollo Crynæus apud Grynos Myrinæorum op[illegible] templum habuit insigne & oraculare [illegible], teste Stephano. Myrinæ meminit & Strabo lib. 14. v. Myrina.
[b] Ab ille sc. murinis, legendum arbitratur Turneb. lib. 11. cap. 14.

DOMITIVS.

CAMPIS.] Stella optabat summopere consulatum a Dom. rogat poëta Apollinem poëtarum numen, vt Dom. suadeat hoc, efficiat, vt Stella habeat consulatum, vouet iuuencum auratis cornibus ex huius desiderio, ita Venus vaticinatur apud Papin. de Stella apud Violantillam loquens:

Iamque parens latius, cuius prænoscere mentem
Fas mihi, purpureos habitus, iuuenique curule
Indulgebit ebur.

CAMPIS *murinis.*] Chrissa op. est iuxta Theben Ciliciæ templum Apollinis Sminthei, cuius meminit Eustachius in primo Iliados: meminit præterea Strab. ambigitque, an idem sit Apollo Cilleus, & Smintheus: illud autem constat Smintheum dictum à muribus, vel consecratis, vel illic abundantibus, quos Smintheas appellant. Confirmat hoc Eustachius ex mure, quem ait fuisse insculptum statuæ simulachri illius, nec mirum à muribus appellatum Apollinem, nam & Hercules Conopius apud Cereos colitur, quoniam conopas. i. culices extinxerit. Bœotij Pronopionem Apollinem colunt, quoniam culices, quos ipsi pronopas vocant, sustulerit. Smintheus igitur Apollo Latinè dicitur murinus à mure: & campi murini dicuntur campi Apollinis Sminthei. Quòd autem nonnulli legunt campis murinis à Murina vrbe Æoliæ non conuenit: nam eam illic fuisse vrbem Homer. quidem & Strab. & Ptolemæus scribunt: sed illic cultum Apollinis non reperio. Præterea à Murina diceretur campus murineus, non autem murinus, syllaba à primitiuo mutatur, à mure murinus corripit, quod dandum est poëtæ in verbo, quod recens pro Sminthео deriuauit: quamuis Plin. hordeum murinum dixerit à muribus.

SIC *murinis.*] Ita scriptum est in antiquissimis codicibus: sed recentiores deprauati Semurinis habét.

A Legatur igitur: Sic sis diues ô Apollo campis murinis: i. sic religiosissimè colaris in campis Smintheis tibi dicatis. Homer.

Sminthеu præclara Tenedi dominator Apollo.

SENIBVS *cygnis.*] Nam cygni senes dicati sunt Apollini, authore Cic. in Tusc. quæst. quoniam vaticinantur sibi mortem cantu: vatum autem Deus est Apollo. Et cum futura prædicere putentur corui, eadem de causa Apollinis numini sunt dicati.

SORORES.] Musæ.

DELPHIS.] Sacerdos tua quæ Delphis est, & Delphis dicitur.

DOCTÆ.] An propter Fortunam, quæ Fortuna etiam prædicebat sub imagine duarum sororum. Papin.

Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

Erant & sorores Dodoneæ, sed placet de Fortunis potius.

B PALATIA *colant.*] Nam in parte palatij erat colossus Apol.

DEBITOR *voti.*] i. reus voti.

CORNIBVS *aureis.*] i. fronte aurata: nam authore Plin. hostiarum cornua inaurabantur: vnde illud Virgil. Aurata fronte, pro auratis cornibus accipiendum est.

MORARIS.] Cessas rogare Domitianum, vt det consulatum Stellæ.

De statua Herculis. XLIV.

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
Mitigat exiguo magnus in ære deus,
Quæque tulit, spectat resupino sidera vultu,
Cuius læua calet robore, dextra mero.
C *Non est fama recens, nec nostri gloria cœli:*
Nobile Lysippi munus, opúsque vides.
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui citò perdomito victor in orbe iacet.
Hunc puer ad Libycas iurauerat Hannibal aras:
Iusserat hic Syllam ponere regna trucem.
Offensus variæ tumidis terroribus aulæ,
Priuatos gaudet nunc habitare Lares.
Vtque fuit quondam placidi conuiua Molorchi,
D *Sic voluit docti Vindicis esse Deus.*

DOMITIVS.

HIC.] Vindex ciuis temporibus Domit. notus carmine Papin. habebat poculum, quod tenebatur manu Herculis ex ære. Hic poculum aptè appellat Papin. Herculem epitrapezion: nam epitrapezia dicuntur vasa, quæ sunt apta mensis. Lysippus opus effinxerat, fuerat autem prius hoc Alexandri: & de eo loquitur Plut. cùm ait, nondum empto Herculis scypho: postea peruenerat ad Hannibalem: tertiò ad Syllam. Pap.

——Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile mensis.

De Hannibale.

Max

Mox Nasamoniaco decus admirabile regi.
De Sylla. *Conuiua Sibylla Cœnabat semper.* Sibyllæ. i. Syllæ: namque ita primus est Sylla dictus, vt docuit Mac. Laudatur ergo Hercules epitrapezius à Mart. quemadmodum à Papin. hîc describit poculum.

Porrecto *leone.*] Cum pelle leonis strata supra saxum.

Ære *exi.*] Et ita Papin. paruitatem admiratur.

Dextra.] Quia in manu habebat pateram.

Non *est recens fama.*] i. non est nuper sculptus.

Coeli *nostri.*] i. artificij nostrorum temporum.

Lysippi.] Papin. de eodem.
Sesèque videndum Indulsit Lysippe tibi.

Tyranni *pelei.*] Alexandri.

Nvmen *hoc*] i. poculum in quo Hercules erat sculptus.

Iacet.] Prius iacuit in Babylonia, postea delatus est in Ægyptum: nam Ptolemæus Ægyptius vrnam abstulit Perdicæ, qua reliquias Alexandri in Macedoniam gestabat: vt Strabonis, nostrorúmque monumentis accepimus. collocauit autem in lintheolo aureo, quem Coctas Syrus subripuit.

Pver.] Nouem annorum.

Ivraverat *hunc.*] Hoc falsum est, nam ita iurat apud Silium:
Hanc mentem iuro nostri per numina Martis,
Per manes regina tuos.
Voluit autem hoc ostendere Mart. possessum fuisse ab Hannibale.

Hic.] Hercules.

Syllam *ponere.*] i dictaturam: & hoc falsum est: nam Sylla dictaturam depoluit exterritus quadã vmbra in somnis, quæ eum vocabat, vt Appian. scr. vel vt idem tulit, sponte ciuili metu: sed ingeniosè poëta voluit ostendere per hoc fuisse possessum à Sylla.

Variæ *au.*] Modo Alexandri, modo Syllæ.

Privatos *lares.*] i. priuatam domum Vindicis, sine imperio.

De eadem statua. XLV.

"Alciden modò Vindicis rogabam,
Esset cuius opus, labórque felix.
Risit: nam solet hoc: leuique nutu,
Græcè numquid ait poëta, nescis?
Inscripta est basis, indicátque nomen.
Λυσίππου lego, Phidiæ putaui.

v. Alcides malit. Lips. lib. I. Epist. 5. nec enim Herculem ipsum Martialis rogabat, sed aliũ, cuius opus ille Hercules esset, apparet ex sequentibus.

DOMITIVS.

Alciden.] Idem argumentum.

Vindicis.] Amici.

Nescis *Græce.*] i. nescis literas Græcas.

Basis.] Fundamentum cuiusque rei.

Λυσίππου:] Genitiuus Græcus.

Phidiæ *pu.*] Dicit poëta se putasse opus Phidiæ ob excellentiam operis: nam Phidias simulachris Deorum maiestatem addidit supra cæteros opifices: in eoque obtinuit palmam, vt Plin. scrib.

Ad Marcellinum XLVI.

Miles Hyperboreos modò Marcelline Triones,
Et" Getici tuleris sidera pigra" poli.

v. Getico. v. polo.

A *Ecce Promethea rupes, & fabula montis,*
Quàm prope sunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immensis cùm conclamata querelis
Saxa senis, dices, durior ille fuit.
Et licet hoc addas, potuit qui talia ferre,
Humanum meritò finxerat ille genus.

Idem Græcè.

Εὖτ' ἂν Ὑπερβορέων στρατιώτης κλίμα διέλθῃς,
Μαρκελλῖνε, πόλου τ' ἀστέρας ἠδὲ βραδεῖς,
Οὐ φθαίης μύθευμα Προμηθείου σκοπέλοιο,
Καὶ πάγον αὐτόπτης ἐγγύθεν ἱστορέειν.
B Ὄχριν ἄρ' οἰμωγαῖσι κατειληθέντα γέροντος
Τρηχὺν ὁρῶν, φήσεις, ἦν ὅδε στερεώτερος·
Καὶ τούτοις ἔτι προσθήσεις, ὃς ἴσχυσε τοιάδε τλῆναι,
Οὐκ ἐτὸς ἦν πλάσσας ἀνδρομέοιο γένους.

DOMITIVS.

Miles.] Marcellinum popularem suum euntem in Scythiam hoc epigrammate prosequitur.

Cavcasvs.] Mons est Indiæ, ea parte, qua vergit in Scythiam. in eo Prometheus Iapeti & Asiæ filius ad saxum religatus pœnas formati hominis dabat, aquila viscera corrodente. Liberatus autem est sagittis Herculis, quod nunquam permisit Iuppiter nisi ea conditione, vt anulum ferreum gestaret indicium vinculorum, vnde nonnulli anulorum originem ductam volunt: scri. hoc apertè Probus, sub-
C obscurè Plin. his verbis: Item anulus Promethei indicium supplicij. Monet amicum Mart. inspecturũ saxa Caucasi: ad quæ si poterit credere religatum Prometheum, poterit etiam sibi persuadere eundem finxisse hominem primum, quasi dicat, vtrunque esse fabulosum. de Marcel. supra.

Triones *Hyperboreos.*] i. septentrionem.

Et *esto quod tuleris.*] i. pertuleris.

Sidera *pigra.*] i. vrsam minorem, & maiorem.

Pigra.] Quæ non occidunt.

Fabvla *montis.*] i. fabulosus Caucasus.

Videris *immensis.*] Dissuadet ne eat.

Saxa.] Caucasea.

Conclamata.] Confusa clamoribus Promethei.

Ille.] Prometheus.

Et *licet.*] Poteris addere, tam supra hominem est potuisse perferre Caucasum montem, quàm finxisse
D hominem.

In Gellium. XLVII.

Gellius ædificat semper: modò limina ponit,
Nunc foribus claues aptat, emitque seras.
Nunc has, nunc illas" mutat, reficitque fenestras,
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit.
Oranti nummos vt dicere possit amicos
Vnum illud verbum Gellius, ædifico.

v. frangit

Idem Græcè.

Γέλλιος οἰκοδομῶν αἰεὶ, προθύρεια τίθησι,
Νυνὶ θύρεας κλεῖς ἦρ', ἢ ὀχέας τελάπτει·
Νῦν θυρίδας τοίχ', μετατεθεὶς πυκινῶς ἀραρυίας
Ἐν τῷ δ' οἰκοδομεῖν προφέρμι ὁποιῶν αὐτῷ·
Ὄφρα δύναιτ' εἰπεῖν αἰτοῦντι χρήμαθ' ἑταίρῳ
Μοῦνον ἔπος κρατερὸν Γέλλιος, οἰκοδομῶ.

DOMITIVS.

GELLIVS.] Gellium nihil donantem accusat, qui semper aliquid ædificabat, vt hac excusatione petentes aliquid amicos reijceret.

LIMINA.] Lapides, qui sustinent superiores partes ostij, vnde sublimis.

QVIDLIBET.] Etiam rem minimam.

In Pannicum. XLVIII.

Democritos, Zenonas, inexplicitósque Platonas,
Quidquid & hirsutis squalet imaginibus,
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor, & heres:
Præpendet mento nec tibi barba minor.
v. quod. v. serum est *Sed" quid & hircosis" serum est & turpe pilosis,*
In molli rigidum clune libenter habes?
Tu qui sectarum caussas, & pondera nosti,
Dic mihi, præcidi Pānice, dogma quod est.

DOMITIVS.

DEMOCRITOS.] Pannicus quotidie de grauioribus philosophorum sectis disputabat, cùm esset mollissimus, & draucis seruiret: ait poëta se æstimare eum esse doctissimum philosophum, Stoïcum, & Epicureum, & Academicum: de quibus quotidie loquebatur: sed tamen cupere intelligere colere draucos, quod dogma sit. Democritus author Epicureæ. Zeno author Stoïcæ. Plato academicæ.

INEXPLICITOS.] Reconditæ doctrinæ.

PYTHAGORÆ.] Vnde manauit philosophia.

PRÆPENDET.] Prolixa est.

HIRCOSIS.] Hircosi homines virilitate male olentes. Catul.

Valle sub alarum trux habitare caper. Iuuen.
Hispida membra quidem: & illud,
Et de virtute locuti *Clunem agitant.*

In Gallicum. XLIX.

Hæredem cùm me partis tibi, Gallice, quartę
Per tua iurares sacra, caputque tuum.
Credidimus, (quis enim damnet sua vota libenter?)
Et spem muneribus fouimus vsque datis.
A *Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum,*
Misimus, Aetola de Calydone putes.
At tu continuò populumque, patresq; vocasti,
Ructat adhuc aprum" callida Roma meū. v. Candida: vt suprà lib. 4. Epig. 64.
Ipse ego (quis credat?) conuiua nec vltimus hæsi:
Sed nec costa datá est, caudáue missa mihi.
De quadrante tuo" qui sperē Gallice? nulla, v. quid sperem.
De nostro nobis vncia venit apro.

DOMITIVS.

HÆREDEM.] Gallicus dixerat Martia. scripsisse hæredem in quartam partem bonorum, quòd & putans & sperans poëta, misit multa munera, demum aprum, ad quem multis à Gallico inuitatis ipse quoB que fuit conuiua, sed ne costa ei quidem data est: quid, inquit, sperem de tuo testamento Gallice, cùm de meo mihi nihil dederis?

QVIS *damnet libenter sua vota?*] Id est, quis est, qui nolit credere sua vota, & id quod optat?

FOVIMVS.] Substituimus missis muneribus.

APRVM *Laurentem.*] Ex apro Laurente.

DE *Calydone.*] Calydon vrbs Ætoliæ, id est, putaueris hunc esse aprū illum, quem interfecit Meleager.

CALLIDA.] Astuta, quæ venatur conuiuium.

HÆSI.] Adductus fui.

QVADRANTE.] i. quarta parte tuorum bonorū.

VNCIA *nulla venit.*] Ad nos, refert, quia dixit quadrantem.

C De toga à Parthenio sibi data. L.

Hæc est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector, amatque togā.
Partheniana fuit, quōdam memorabile vatis,
Munus: in hac ibam conspiciendus eques.
Dū noua, dū nitida" fulgebat splēdida lana, v. splēdebat fulgida.
Dumque erat auctoris nomine digna sui:
Nūc anus, & tremulo vix accipiēda tribuli,
Quam possis niueam" dicere iure tuo. v. ducere.
Quid nō lōga dies, quid non consumitis anni?
D *Hæc toga iam non est Partheniana: mea est.*

DOMITIVS.

HÆC *est.*] Togam missam à Parthenio (Parthenius significat, qui habet virginalem aspectum) iam tritam ita commiseratur, vt aliam petat. De hac toga supra.

Dic toga facundi gratum mihi munus amici.

PARTHENIANA.] Missa est à Parthenio.

VATIS.] De quo alibi.

Nam quis ab Aonio largius amne bibit?

AVTHORIS.] Parthenij.

TRIBVLI *tre.*] Tribules pauperes appellantur, qui extra censum sunt à sola tribu appellati. Contribules autem dicuntur eiusdem tribus.

NIVEAM.] Mart. niueam togā appellat tritā, suprà:

Quisquis te niueam dicit habere togam.

PARTHENIANA.] i. digna Parthenio.

MEA *est.*] Digna me paupere.

In Gaurum. LI.

Ingenium mihi Gaure probas sic esse pusillũ,
Carmina quòd faciã, quę breuitate placent.
Confiteor: sed tu bis denis grandia libris
Qui scribis Priami prælia, magnᵘˢ homo es.
Nos facimus Bruti puerũ, nos Lagona viuũ:
Tu magnus luteum Gaure Giganta facis.

* Strongylō fecit puerũ, quem amãdo Brutus Philippensis cognomine suo illustrauit. Plinius lib. 34. ca. 8. Lyciscus Lagonem puerum subdolæ ac fucatæ vernilitatis, Ibidem.

DOMITIVS.

INGENIVM.] Gaurus Marti. ingenium laudabat, sed ita vt pusillũ diceret, & in breui carmine versari, poëta ait eum facere maius opus, qui scrib. bellũ Troianum. xx. libris, sed maiorem esse laudẽ suam, qui faciat puerum Bruti, & Lagonem viuos, quàm Gauri, qui facit gigantem luteum. Puer Bruti paruæ admodum staturæ fuit, & fictilis fiebat. In distich. B

Gloria tam parui non est obscura sigilli,
Istius pueri Brutus amator erat.

Huius meminit Plinius, scribit enim Brutum huic puero amando cognomen dedisse, à Syllanione cognomine insano fictum fuisse æneum. Lagon* & Caius pane dulciario effingebantur, spargebanturq; in theatro diebus saturnalitiis: à Lagone fecit diminutiuum Papini. *Molles caioli, lagunculique.*
Paruæ staturæ pueri hi sunt in historia. Lagonis pueri meminit Plin. in statuariis. Luciscus, inquit, Lagonem puerum subdolæ, ac fucatæ vernilitatis. hi autẽ eiusdem exiguitatis fuerunt. Canopas duorum pedũ, & palmi, in delitiis Iuliæ neptis Augusti: Andromeda liberta Iuliæ Augustæ: Lucius adolescens minor bipedali mensura, immensa voce: Sysiphus pumilio M. Antonij.

PVERVM *Bruti.*] Qui solet esse fictili opere, aut æneo, vt apud Plin. Facimus inquit res paruas viuas, tu res magnas luteas, & plane mortuas. C

De Lucano & Tullo. LII.

Quòd semper superos inuito fratre rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Inuidet ille tibi: Stygias nã Tullus ad vndas*
Optabat, quamuis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios, nemorisq; habitator amœni
Esse tuo primùm nunc sine fratre cupis.
Et si iam nitidis alternus venit ab astris,
Pro Polluce mones Castora, ne redeat. D

* v. modo raptus.

Idem Græcè.

Ὅ,ττ' ηὔχου, Λουκανέ, θεοῖς, ἀέκοντος ἀδελφοῦ,
Αὐτοῦ προέσθε θανεῖν, τούτου ἐπήβολος εἶ.
Χ' ὡς φθονέει σοι νῦν· ὁ γὰρ ἐς Στύγα προέσθε
κατελθεῖν
Ηὔχετο, καίπερ ἐὼν ὁπλότερος γεγαώς.
Ἄλσεα δ' οἰκεῖν τερπνὰ καὶ Ἠλυσίοις ἐπιδημεῖν
Τὸν κάσιν οὐ ποθέεις ἄρτι συνοικὸν ἔχειν.
A Εἰ δ' ἀμοιβαῖος Πολυδεύκεος αὖθι πρὸς ἥβης
Ἀστρόθεν, ὅπεμψας Κάστορα μὴ 'ναδραμεῖν.

DOMITIVS.

QVÒD.] Lucanus extinctus est, de quo suprà: *Si Lucane tibi.* Epitaphium est.

ANTE *mori.*] Ante fratrem.

MINOR.] Natu. Castor, & Pollux sibi inuicem succedebant in cælo: sensus poëtæ est, Tanta est pietas tua erga fratrem, Lucane, vt etiam si posses redire ad superos, vt frater tibi succederet, ritu Castoris, & Pollucis, nolles: imnno moneas Castorem, vt eadem pietate in Pollucem fratrem vtatur, sinatque eum viuere: ipse apud inferos permaneat.

ALTERNVS.] Vice sua.

Ad Quinctum. LIII.

*Si credis mihi, Quincte, * quòd mereris,*
Natales Ouidi tuos Apriles,
Vt nostras amo Martias Kalendas. E
Felix vtraque lux, diesque nobis
Signandi melioribus lapillis.
Hic vitam tribuit, sed hic amicum:
Plus dant, Quincte, mihi tuæ Kalendæ.

* v. nemorense.

DOMITIVS.

SI *Quint.*] Ouidius natus erat mense Aprili, Martialis mense Martij.

QVOD.] Quam rem vt amem tuum natalem æque, ac meum.

LAPILLIS.] Persius.

Hanc Macrine diem numera meliore lapillo.

Ad eundem. LIV.

Natali tibi, Quincte, tuo dare parua volebã
Munera. tu prohibes: imperiosus homo es.
*Parendũ est monitis, fiat quod vterq; * iubemᵘˢ*
Et quod vtrũq; iuuat, tu mihi, Quincte, dato.

* v. Volemus.

Ad cognatum. LV.

Si mihi Picena turdus palleret oliua,
Tenderet aut nostras silua Sabina plagas,
Aut crescẽte vadis traheretur arũdine præda,
Pinguis & implicitas virga teneret aues.
** Cara daret sollenne * tibi cognatio munus,*
*Nec frater * vobis, nec prior esset auus.*
Nunc sturnos inopes, fringuillarũq; querelas
Audit, & arguto passere vernat ager.

* v. clara, sed rectius Cara. Festa enim illa vocabãtur Cara cognatorum: hinc Ouidius in Fast. 2: Proxima cognati dixere Charistia Cari.
* v. mihi.
* v. nobis.

Inde salutatus picæ respondit arator:
v. Hinc *" Hinc propè summa rapax miluus in astra volas.*
Mittimus ergo tibi paruæ munuscula cortis,
Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

DOMITIVS.

S*i mihi picena.*] Munera cortis sunt gallinæ, & alia altilia, ea non ferme mittebantur nisi à rusticis: mittuntur autem nunc à Marti. Cato cognato suo. Qua in re ne subrusticus videatur, causas affert quare mittat, quia scilicet non habeat alia, mittit autem hæc, quoniam dies festus cognatos celebrat: nam cognati quodam die conueniebant, mittebantque mutuo munera, eum diem charistia appellantes à χάεις, quod significat gratiam: ad gratiam enim, & amorem seruandum id agebant. Ouidius author est in Fastis.

F*ringvillæ.*] Aues, à voce fringuare. Plaut. in Cassina. *Quid fringuatis.* B

V*ernat.*] Amœnus est, & ver agit.

A*rgvto.*] Canoro.

P*icæ.*] Nam pica salutatoria est, vt in disti. & apud Persium.

S*æpe propinquus.*] Id est, sæpè accipies tanquam propinquus. nam die etiam quo charistia non agentur, mittam munera.

Ad Flaccum. LVI.

Luce propinquorũ, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro:
Succurrit nobis ingens, onerosaque turba,
In qua se primum quisque meumque putat.
Demeruisse duos, votum est: offendere plures,
Vix tutum: multis mittere dona, graue est. C
Qua possum sola veniam ratione merebor:
Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

DOMITIVS.

L*vce.*] Iocatur in Stellam, & Flaccum poëtas, quibus die propinquorum statuerat mittere turdos, sed tam multi poscebant. vt tutius putet non mittere duobus, quàm multos offendere.

P*ropinqvorvm.*] Affinium, cùm charistia aguntur.

D*emereri.*] Est beneficio conciliare. Columella, Demeréda est vxor aliquo beneficio rusticano.

M*erebor veniam.*] i. à nemine accusabor.

De Splendophoro. LVII.

Splendophorus Libycas domini petit armiger (vrbes:
Quæ puero dones, tela Cupido para. D
Illa quibus iuuenes figis mollésque puellas.
Sit tamen in tenera leuis & hasta manu.
Loricam, clypeumque tibi, galeámq; remitto.
Tutus vt inuadat prælia, nudus eat.
Non iaculo, non ense fuit, læsúsue sagitta,
Caßide dum liber Parthenopæus erat.
Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, si quem tam bona fata manent!
Dũ puer es, redeas, dũ vultus lubricus, & te
v. faciat. *Non Libye" faciat, sed tua Roma virum.*

A

Idem Græcè.

Καὶ ξένος ὁπλοφόρος Λιβύων ἐπαφίκετο δήμοις
Σπενδοφόρος· τῷδ᾽, Ἔρως, παιδὶ δὸς ἡσάμενα,
Οἷσι βέλη· κούροις οἷς βάλλεις, οἷς σύ γε χαίρεις·
Δεξιτερῇ δ᾽ εὐπηγὲς ἔγχος ἐλαφρὸν ἔχοι.
Ἀσπίδα, καὶ κυνέην, καὶ θώρηκ᾽ ἀφίημι·
Εἰ μαχέσαιτο μόνος γυμνὸς, ἄτρωτος ἔοι·
Λόγχῃ δ᾽ οὐ βέβλητ᾽, οὔτε ξίφει, οὔτε βλημένος,
Γυμνὸς ἕως κόρυθος Παρθενοπαῖος ἔην.
Πᾶς τούτου βλήσεται παρ᾽ ἑοῦ ἔρωτος ὀλεῖται.
Εὐδαίμων, τοίης κλῆρος ὃν αἶσα μένει!
Νίσσεο, μέσφ᾽ εἶ παῖς, μέσφ᾽ ἔπλετο θῆλυ προσῶπον.
Σὴ Ῥώμη τελέοι σ᾽ ἄνδρα, καὶ οὐ Λιβύη.

DOMITIVS.

S*plendophorvs.*] Splendophorum Domitironem euntem in Libyam carmine prosequitur, appellans Cupidinẽ, vt tela paret digna tanto puero.

A*rmiger.*] Tiro.

R*emitto clypeum.*] i. sino vt non des clypeum.

T*vtvs.*] Illæsus vulneribus.

P*arthenopævs.*] Filius Meleagri, & Athalantæ formosissimus, qualis describitur à Papin. in quarto Thebaidos, iturus ad bellum Theba.

Pulchrior haud vlli triste ad discrimen ituro
Vultus. In 2. siluar.
Qualis belli iam casside missa Parthenopæus erat.

L*vbricvs vultus.*] Dicitur vultus iuuenum, vel à similitudine locorum lubricorum, vel quia multos in errorem impellant. Lubricum ætatis à Quint. dicitur, cum nondum quis ad ætatem peruenit adultam, sed facile labi potest.

In Hedylum. LVIII.

Nil est tritius Hedyli lacernis,
Non ansa veterum Corinthiorum,
Nec crus compede lubricum decenni,
Non ruptæ recutita colla mulæ,
Nec quæ Flaminiam secant salebræ,
Nec qui litoribus nitent lapilli,
Nec Tusca ligo vinea politus,
Nec pallens toga mortui tribulis,
Nec pigri rota quassa mulionis,
Nec rasum cauea latus bisontis,
Nec dens iam senior ferocis apri.
Res vna est tamen, ipse non negabit,
Culus tritior Hedyli lacernis.

DOMITIVS.

N*il.*] Ansæ dicuntur partes quibus vasa capiuntur.

V*eterum Corinthiorum.*] Dicit quoniam æs Corinthium, quod in maximo prœcio habebatur, iam pænè obsoluerat, & noua vasa ex alio ære fiebant.

N*ec crus compede.*] Crus serui in ergastulis.

L*vbricvm.*] Attritum.

D*ecenni compede.*] i. vinculis decem annorum.

R*ecvtita.*] Noua cute restituta.

M*vlæ ruptæ.*] Iam deficientis. Recutiti etiam dicuntur Iudæi circuncisi. Persi.

Recutitaque sabbata palles.

SALEBRÆ.] Saxa eminentiora, & orationem incultam salebras dixerunt, authore Festo.

LAPILLI.] Suprà.

Tritis littoris aridi lapillis.

VINEA *Thusca.*] In ergastulo Hetruriæ, suprà.

Et sonet innumera compede Thuscus ager.

TRIBVLIS.] *Et tremulo vix accipienda tribuli.*

MVLIONIS.] Dicebantur essedarij muliones, nam primi muli fuerunt, qui currum veherent. Icirco apud Sueton. mulionibus canusinatis, id est, essedariis, expone.

DENS *apri.*] Nam dentes aprorum crebra elimatione atteruntur.

Ad Nympham. LIX.

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabin⁹
Et mansura pio munere templa dedit:
Sic mōtana tuos semper colat Vmbria fontes,
Nec tua Baianas Sarsina malit aquas:
Excipe solicitos placide, mea dona, libellos:
Tu fueris Musis Pegasis vnda meis.
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet: v. docte.

DOMITIVS.

NYMPHA.] Cæsius Sabinus Vmber amicus erat Matt. supra.

Nosti si bene Cæsium libelle,
Montana decus vmbriæ Sabinum.

Hic domum fonte amœnissimo excoluerat, poëta mittit carmina emendanda, alloquiturque fontem Cæsij, sed tamen ex hoc dicit omnes posse intelligere quanti faciat carmina sua, cùm ea mittat ad fontem, quasi mergenda.

PIO *munere.*] Id est, munere suæ pietatis.

SARSINA.] Oppidum Vmbriæ lactis abundans.

SOLLICITOS.] Qui timent iudicium Cæsij.

FVERIS *vn. Pe.*] i. ego putabo te fontem Pegaseum.

NYMPHARVM.] Aquarum.

QVID *debeat fieri libris.*] Vt immergantur, nam vt sæpè est dictum, cùm carmen deprimit, aquis mergendum dicit: quanti, inquit, mea carmina faciam, quæ nunc mitto, ex hoc potest cognosci, quòd ea dico Nymphis. i. aquis, de quibus hoc epigrammate est locutus.

In Mamurram. LX.

In Septis Mamurra diu, multūque vagatus,
Hic vbi Roma suas aurea vexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisque comedit:
Non hos, quos primæ prostituere casæ:
Sed quos arcana seruant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.
Inde satur mensas, & opertos exuit orbes,
Expositumque alte pingue poposcit ebur.
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo. v. satur.
A *Consuluit nares, an olerent æra Corinthon:*
Culpauit statuas & Polyclete tuas.
Et turbata breui quæstus crystallina vitro, v. fil.
Myrrhina signauit, seposuitque decem.
Expendit veteres calathos, & si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.
Et virides picto gemmas numerauit in auro,
Quidquid & in niuea grādius aure sonat.
Sardonychas veros mensa quæsiuit in omni,
Et pretium magnis fecit iaspidibus.
Vndecima lassus cùm iam discederet hora,
Asse duos calices emit, & ipse tulit.

B DOMITIVS.

IN *septis.*] Mamurra temporibus Cæsaris floruit, natus Formiis, vt Corn. scrib. & eques Romanus. hic laceratus est carmine Catulli Veronensis, in quē carmen extat. Hic Mamurra alius deridetur à Matt. quod gloriabundus obierit omnia septa, vbi res erant venales preciosissimæ, singulorúmque pretia poposcerit, tanquam empturus, sed tandem discedens emerit duos calices, & ipse tulerit secum carens puero,

IN *sep.*] i. campo Martio.

ROMA *a.*] i. diuites Romani.

VEXAT *opes.*] Expendit, iactat.

PVEROS *mol.*] Qui venales erant.

PRIMÆ *ca.*] i. tabernæ expositæ & viles.

PROSTITVERE.] Habent venales.

CATASTÆ.] Officinæ.

C MEA *turba.*] i. pauperum.

SATVR.] Inspectis pueris.

OPERTOS *or.*] i. mensas citreas.

POPOSCIT.] A Magistro.

EBVR.] Dentes eburneos, quibus mensæ sustentabantur.

PINGVE.] Lubricum.

TESTVDO.] Animal notum. Testudo item genus ædificij. Ci. Galbam omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum seruis literatis fuisse. Operiebantur autem lecti discubitorij testa testudinis, secta in laminas, quod C. Aruilius Pollio primus instituit. Fenestella scri. temporibus Tiberij triclinia testudinea venisse in vsū: antea fuisse lignea, & rotūda.

HEXACLINON.] Significat lectum discubitorium, qui sex capiat, vt triclinium qui tres.

TESTVDINEVM.] Dicitur à forma (vt dixi) testudinis. nam antea erant rotunda, postea quadrata, demum testudinea. simul testudineum à laminis testæ

D testudinis, quibus operiebatur.

SVO *citro.*] i. suæ mensæ citreæ.

CONSVLVIT *nares.*] An vasa ærea essent Corinthia. Corinthium æs, vt dictum est, in magno erat precio, sed postea promiscuum fuit, vt quę Corinthia non essent, Corinthia tamen dicerentur: vnde porticus Romæ à Cneo Octauio structa ad Circum Flaminium Corinthia dictā est à capitulis colūnarū æneis, quamuis Corinthia non essent. Polycletus in statuis vsus est ære non Corinthio, sed Deliaco: author est Pli. icirco culpatur hic à Mamurra.

CVLPAVIT.] Quia erant ex ære Deliaco, quo ille est vsus, vt scrib. Plin.

TVRBATA.] Viriata modico vitro.

MYRRHINA.] Vasa. humor erat densatus sub terra

in speciem vitri maculosi, & nonnihil commendabatur odore, authore Plin.

CALATHOS.] Calathus significat calicem vinarium. Vir.

Vina nouum fundam calathis aruisia nectar.

Et in distic. *Calathi nos Satyrus, nos Bacchus amat.*

VETERES.] Archetypos.

ET *vi.*] Et ponderauit calices gemmatos. Calices enim apud antiquos smaragdo inserta ornabantur. de his in distichis.

Gemmatum Scythicis vt luceat ignibus aurum.

SCYTHICIS *ignibus.*] i. smaragdis. nam smaragdi Scythici reliquos superant. cùm habeant maiorem asperitatem, & minus vitij.

VIRIDES *gem.*] i. smaragdos.

ET *aure niuea.*] De elenchis & crotalis intelligit. nam crotala grãdiores margaritæ ex conchis auribus mulierum addebantur, vt sonitu delectarentur. Vir.

Crispum sub crotalo docta mouere latus.

Item Plin. de margaritis.

VEROS] Non vitiatos.

SARDONYCAS] Sardonyce vsus est primus superior Africanus.

FECIT *pretium*] Obtulit pretium.

IASPIDES] Lapides tantæ magnitudinis, vt testetur se vidisse Iaspidem duodecim vnciarum, vnde imago Neronis thoracata sit expressa.

LASSVS] Longa lustratione.

IPSE *tulit.*] Quia carebat puero: supra,

Numquam nequior fuit clanis.

De corona rosea. LXI.

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis aruis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo.
Seu Prænestino te villica legit in horto,
Seu modò Campani gloria ruris eras.
Pulchrior vt nostro videare corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

DOMITIVS.

SEV *tu*] Poëtis rosaceæ coronæ mittebantur ad mensam exhilarandam, ita nunc mittitur corona à Mar. Cæsio, cui dicit fore gratiorem si putauerit rosam illam natam esse in suo agro Nomentano. erat enim amicus. Cæsius Sabinus putet te de Nomentano meo.

RVRIS *gam.*] Vbi erant pulchræ.

De platano Cordubensi. LXII.

In Tartesiacis domus est notissima terris,
Qua diues *placidũ Corduba Bætin amat.* (marg.: *placitum.*)
Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Hesperium bractea viua pecus.
Aedibus in medijs totos amplexa Penates
Stat platanus densis Cæsariana comis.
Hospitis inuicti posuit quam dextera felix,
Cœpit & ex illa crescere virga manu.
A *Auctorem, dominũq;* *nemus sentire videtur:* (marg.: *v. suum.*)
Sic viret, & ramis sidera celsa petit.
Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni:
Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.
Dumq; fugit solos nocturnũ Pana per agros,
Terruit & tacitam fistula sera domum.
Atque oluere lares comissatore Lyæo,
Creuit & effuso lætior vmbra mero.
Hesternisq; rubens delecta est herba coronis,
Atque suas potuit dicere nemo rosas.
O dilecta deis, ô magni Cæsaris arbor,
Ne metuas ferrum, sacrilegosque focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores:
B *Non Pompeianæ te posuere manus.*

DOMITIVS.

IN TARTESSIACIS] Platanum celebrat carmine, dicitur plantata fuisse in agro Cordubensi à Cæsare, de hac nihil in historia extat, quamuis legamus platanum fuisse in Lycia modo domicilij concauam, & Caligulæ in agro Veliterno, & in Creta sub qua fertur Iuppiter cum Europa concubuisse, & Delphis, quæ sata dicitur manu Agamemnonis: hæ sunt platini memorabiles. De platano autem Cæsariana nihil extat præter hoc carmen.

TARTESSIACIS] Hispanis: Bætis Tartessus dictus est, vt Strab. scrib.

CORDVBA] Oppidum Bæticæ.

AMAT] Proximum habet.

C VELLERA.] Lanæ Bæticæ fuluæ sunt in speciem auri sine vllo medicamento.

METALLO *natiuo.*] i. naturali, & insito colore.

BRACTEA.] Lamina auri.

LINIT.] Videtur linire, & inaurare.

PECVS *Hesperium.*] i. oues Hispanas.

STAT.] Surgit.

DEXTRA *fœlix.*] Victrix.

AVTHOREM.] Dominum, plantatorem.

DRYAS.] Syrinx nympha Arcadiæ: quam Pan persecutus est, vsque ad Ladonem flu. vbi illa ope aliarum nympharum conuersa est in calamos palustres, vnde Pan fistulam composuit.

SERA *fistula.*] i. Syrinx.

LYÆO.] Baccho celebrante conuiuia.

MERO *effuso.*] i. effuso vino: nam platani, authoribus Plin. & Macrobio, vino aluntur: adeo vt Hortensius petierit à Cicerone diem actionis commutari, quoniam ipse erat eo die iturus in Tusculanum ad platanos suas vino irrigandas. (marg.: D)

HESTERNIS.] Non vsitatis.

DICERE *nemo rosas.*] Quia sponte proueniebant.

PERPETVOS *honores.*] i. perpetuam viriditatem.

NON *manus Pomp.*] i. Pompeij, victi; sed Cæsaris victoris.

De Philæni. LXIII.

Tinctis murice vestibus quòd omni
Et nocte vtitur, & die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba:
Delectatur odore, non colore.

Idem Græcè.

Χρῆται εἵμασι κοκκίνῳ βαφεῖσι
Νύκτωρ καὶ μεθ᾽ ἡμέραν ἡ Φιλαινίς·
Κοὐκ ἔστι φιλότιμος, *οὐδ᾽ ὑπέρφρων
Ὀσμῇ τέρπεται, οὐ βαφῆς ἄρ᾽ αὐτή.

* Ἀντανά- κλασις, quia patet fictum nomen à laudis amore.

DOMITIVS.

TINCTIS] Philænis quid ageret illi duo versus docuerunt:

Dij mentem tibi dent tuam Philæni,
Cunnos lingere, quæ putas virile.

Hæc purpureis vestibus vtebatur, quæ male olebāt apud antiquos: supra,

Quod bis murice vellus inquinatum.

Vtebatur igitur ijs Philænis, non propter colorem, sed propter odorem, cui lingendis cunnis erat assueta.

In Phœbum. LXIV.

*Ad cœnam inuitant omnes te * Phœbe cinædi:*
Mentula quem pascit, non puto, purus homo est.

* In nomine ludit: nā φοῖβος purum sonat.

DOMITIVS.

AD *cœnam*] Iocus est Phœbum pasci mentula, quoniam eius causa inuitatur à cinædis. qui ita pascitur, non potest habere purum os: nam hic mentula videbatur pasci, & mentulam deglutire.

De statua Domitiani. LXV.

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat noua templa viæ:
Qua Triuiæ nemorosa petit dum regna viator,
Octauum domina marmor ab vrbe legit.

DOMITIVS.

HERCVLIS] Germanicus strauit viam Appiam ea parte, qua paludes intercludebantur, vel arenæ, vt scribit Papin.

Et qua nunc solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.

Carmen est Papin. Hercules autem traiecturus armenta Geryonis viam vij. stadiorum muniuit iuxta Auernum ad litus: Germanicus Hercules maior appellabatur. In hoc opere præsertim Herculem appellat: quoniam ita Appiam, quam Papin. Domitianam nominat, strauerat, quemadmodum Hercules olim viam Herculeam ad Auernum: poëta nunc tantùm hic templi Domit. meminit: in quo sub nomine Herculis colebatur: & alibi,

Appia quam simili venerandus in Hercule Cæsar.

Papin. solus longiore carmine stratam viam prosequitur. Erat autem hoc templum in via ad octauum lapidem.

DESCENDERE] Quia colebatur sub nomine magni Herculis, quem vult assentando videri esse inferioris numinis, quàm sit Domit.

REGNA *triuiæ*] Nam sacerdotes Triuiæ Aricinæ reges dicebantur, vt apud Flaccum in Argonautis:

Immitis Aritiæ regi:

Et Papin. in Siluis. Et Tranquillus regem nemorensem appellat illum sacerdotem in Caligula. Longa extat apud Strab. historia de seruis inter se pugnantibus: de eo sacerdotio Ouid. in Fastis meminit.

NEMOROSA] Quia Diana dicebatur illic Nemorensis.

De eadem statua. LXVI.

Antè colebatis votis, & sanguine largo
*Maiorem Alciden, nunc minor * iste colit.*
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores;
Illi securus vota minora facit.

* v. ipse.

DOMITIVS.

HVNC *maiorem*] i. Domit.

SECVRVS] Id est, nihil magni cogitans, aut optans.

ILLI] i. Herculi minori, quasi dicat, magna hîc petuntur, ab Hercule minore parua.

Ad Herculem de eadem statua. LXVII.

Alcide Latio nunc agnoscende tonanti,
Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris,
Si tibi tunc isti cultus, habitusque fuissent,
Cesserunt manibus cùm fera mōstra tuis,
Argolico famulum non te seruire tyranno
Vidissent gentes, sauáque regna pati.
Sed tu iussisses Eurysthea, nec tibi fallax
Portasset Nessi perfida dona Lichas.
OEtæi sine lege rogi securus adisses
Astra patru summi, quæ tibi pœna dedit.
Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ:
Nec Styga vidisses, Tartareumq; canem.
Nunc tibi Iuno fauet, nunc te tua diligit Hebe:
Nunc te, si videat nympha, remittet Hylan.

DOMITIVS.

ALCIDE] Idem argumentum.

AGNOSCENDE] Digne vt agnoscaris. Hercules Romæ erat in foro Boario triumphalis, ita dictus, quoniam per dies triumphi habitu triumphali induebatur. Erat item eius colossus in Capitolio.

ARGOLICO *tyranno*] Eurystheo regi Argolico. Eurystheus Stheneli filius fuit, qui Perseo successit in regnum Mycenarum, sed Argiuum tenuit: occubuit ad Marathonem in prælio aduersus filios Herculis, qui seruitutem patris vlciscebantur, caput eius Co-

rinthi est sepultum, reliquæ partes corporis Targeti: author est Strab.

LICHAS] Qui pertulit tibi tunicam à Deianira sanguine Nessi venenatam.

SECVRVS] Sine vlla vi.

OETÆI *rogi*] Rogi, quo combustus es in Oeta monte.

POENA] Mors grauis, quia viuus combustus fuit.

LYDIA] Hercules Omphalæ paruit, in cuius gratiam venisse dicitur.

STYGA] Nec adiuisses inferos.

HEBE] Iunonis filia sine patre: vxor data Herculi post deificationem, vt scribit Homer.

HEBE] Quæ fuit filia Iunonis, & habuit odio te, amasset te.

VIDEAT *te*] Isto ore Cæsariano.

Ad Fabullum. LXVIII.

Vxor cùm tibi sit formosa, pudica, puella,
v. quo. ° Quid tibi natorum iura Fabulle trium?
Quod petis à nostro supplex dominoque, deoque,
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.

DOMITIVS.

VXOR] Hic petebat ius trium natorum à Domit. cùm haberet pulcherrimam vxorem: idem suprà dictum est in Dentonem:

Nescio quid de te non belle Dento fateris.

DEO *auerso*] Domitiano nolente permittere.

In Æschylum. LXIX.

Lasciuam tota possedi nocte puellam,
Cuius nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis illud puerile poposci:
Ante preces totas, primáque verba dedit.
Improbius quiddam ridensque rubensque rogaui:
Pollicita est nulla luxuriosa mora.
Sed mihi pura fuit, tibi non erit Æschyle: si vis,
Accipe & hoc munus conditione mala.

DOMITIVS.

LASCIVAM] Aeschylus erat irrumator, quod supra dixit:

Aureolos à te cur accipit Æschile denos:

Nuper Mart. ait se poposcisse irrumationem à puella, quod illa quidem pollicita est, sed poëta renuit, cùm pauper sit: nam fellatricibus maius dabatur præmium. monet Aeschylum, qui non dubitat id precij dare, vt hanc accipiat etiam si velit.

NEQVITIAS] Blanditias.

POPOSCIT *puerile*] i. nates.

QVIDDAM *improbius*] i. irrumationem.

PVRA *fuit*] Eam non attigi, ne cogerer maius dare.

A MALA *conditione*] Id est, magno precio: vt supra soluerat.

In magistrum ludi. LXX.

Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister,
Inuisum pueris, virginibusque caput?
Nondum cristati rupere silentia galli:
Murmure iam sæuo verberibusq; tonat.
Tam graue percussis incudibus æra resultãt,
Causidicũ medio cùm faber aptat equo.
B *Mitior in magno clamor furit amphitheatro,*
Vincenti parmæ cùm sua turba fauet.
Vicini somnum non tota nocte rogamus:
Nam vigilare leue est, peruigilare graue.
Discipulos dimitte tuos. vis garrule quãtum
Accipis, vt clames, accipere vt taceas?

DOMITIVS.

QVID *tibi*] Accusat vociferationem magistri triuialis, qui mane pueros obtundebat verberibus & voce, qui cum interpellet, ei somnum pacisčitur, vt tantum accipiat, si velit silere, quantum lucratur pro sua vociferatione.

C VIRGINIBVS] Quæ erudiuntur. Horat.

Discipularum inter iubeo plorare cathedras.

RVPERE *silentia*] i. cecinere.

MEDIO *equo*] Statuas equestres ponebant sibiipsis causidici in vestibulis suarum ædium, vt à clientibus conducerentur, & haberentur in precio. Nemo enim conducebatur ad causas agendas, vt conqueritur Iuuen. nisi stemmata, & statuas haberet in vestibulis. notat igitur mores suorum temporum Mart. aitque sceleratum magistrum ludi tanto murmure obstrepere, quanto resonat officina fabrorum, cùm statuam equestrem facit causidico. Iuuen.

Aemilio dabitur quantum petit, & melius nos
Egimus, huius enim stat currus aëneus, alti
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curuatum hastile minatur
Eminus: & statua meditatur prælia lusca.

D EQVO *medio*] Equestri statuæ.

PARMÆ] Parma nomen proprium pugilis: pugiles autem, & aurigæ habebant suas factiones, vt meminit Tranquil. magnum ergo victorem factiosi sequebantur. Si legis, Vincenti Parmæ: placet de Agathino intelligas, qui sæpè parma vincebat in theatro.

PERVIGILARE] Vsque ad lucem.

In Polycarmum. LXXI.

Cùm futuis Polycarme, soles in fine cacare.
Cùm pædicaris, quid Polycarme facis?

In Cæcilianum. LXXII.

Dixerat ô mores, ô tempora Tullius olim,
Sacrilegum strueret cum Catilina nefas:
Cum gener atq; socer diris cõcurreret armis,
Mœstáque ciuili cæde maderet humus.
Cur nunc ô mores, cur nunc ô tempora dicis?
Quod tibi nõ placeat, Cæciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri:
Pace frui certa, lætitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent,
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

DOMITIVS.

DIXERAT] In Cæcilianum est epigramma, qui vt se bonum virum iactaret, vsurpabat Cicer. verbum: *O tempora, ô mores.*
Cicero autem eo verbo vsus est aduersus Catilinam coniuratum in patriam, & cùm arma ciuilia mouerentur: Mart. in assentatione Domit. ait Cæcilianum sibi suis moribus displicere, non alienis.

STRVERET] Molitetur.

NEFAS] Excidium patriæ. Cic. in Catilina: O tempora, ô mores, senatus hoc intelligit, consul videt: hic tamen viuit.

GENER, *& socer*] Pomp. & Cæsar.

CÆDE] i. sanguine ciuili.

NVLLA *feritas ducum*] Vt fuit sub Cæs. & Pomp.

SORDENT *tibi*] Id est, videntur sordida & displicent.

TVI *mores*] Perditi.

De Leone, & ariete. LXXIII.

Massyli leo fama iugi, pecorisque maritus
Lanigeri, mirum, qua posuere fide.
Ipse licet videas, cauea stabulantur in vna,
Et pariter socias carpit vterque dapes.
Nec fetu nemorum gaudent, nec mitibus herbis:
Concordem [a] *satiat sed rudis agna feram.*
Quid meruit terror Nemees, quid portitor Helles,
Vt niteant celsi lucida signa poli?
Sidera si possent, pecudesque, feræq; mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

[a] v. sociat. sunt qui legunt, Concordem saciat, sed rudis agna famem.

Idem Græcè.

Μασσύλου λῖς εὖχος ὄρεος, πόσις εἰροπόκου τε
Ποίμνης ἀλλήλοις ὅρκια πιστ' ἔταμον.
Τὴν αὐτὴν (ὁράας γὰρ) ὁμέστιοι αὖλιν ἔχουσι.
Κοινὴν φέρβονται δαῖτα συναμφότεροι.
A Κ' οὐ θαλλοῖς χαίρουσι, καὶ οὔτι ποιηφαγέουσι.
Σύμφορα χορτάζει θῆρα τέρεν πρόβατον.
Καὶ τί μέγ' ἔρρεξαν Νεμέης θρέμμος, ἢ κριὸς Ἕλλης,
Ὥστ' ἐπειχθῆναι τείρε' ἐπουράνια;
Εἴγε βοτοῖς τόπος ἦν καὶ θηροῖν ἐν ἀστράσ', ὁ δ' ἄστρων
Ἄξιος ὁ κριὸς ἦν, ἄξιος ἦν ὁ λέων.

DOMITIVS.

MASSYLI] Leo, & Aries adeo conuenerant, vt terroris Aries, & feritatis Leo obliti, eodem vescerentur cibo. Leonem mansuetum temporibus Dom. fuisse & epigramma alibi docuit, & Papin. carmen
B testatur: maiore merito vtrunque dignum ait poëta, vt hic pro Leone Nemeo inter astra sit, ille pro ariete Phryxi.

IVGI *Mas.*] Nam Massylia habebat ingentem famam leonum.

POSVERE] i. mites facti sunt. Venti ponunt quãdo cessant, & feræ ponunt cùm mitescunt.

CAVEA] Locus erat quo feræ seruabantur.

DAPES *socias*] i. coniunctas.

LICET *ipse videas*] i. tu ipse potes videre.

FOETV *nemorum*] i. præda ferarum, qua solent vesci leones.

RVDIS *agna satiat feram*] i. Leonem.

TERROR *Nemees*] Id est, leo Nemeus, qui inter astra est, quem authore Hygin. illic collocauit antiquitas, vel quòd sit princeps ferarum: vel quòd
C primo certamine interfectus sit ab Hercul. inermi.

PORTITOR *Helles*] Aries qui traiecit Hellem auream pellem habuit. vt Hesiodus & Pherecides scribunt, vnde in reliquos fabula manauit. Heratosthene autem authore eam detraxit Iason: mox inter astra euolauit. Hanc nonnulli scribunt esse in Orchomeno Bœotiæ oppido. Hermippus author est arietem inter astra illum esse, qui Libero patri per exusta Libyæ ducenti exercitum fontem indicauit.

Ad Liberum amicum. LXXIV.

Liber Amyclææ frontem [b] *redimite corona,*
D *Qui quatis Ausonia verbera Graia manu.*
Clausa mihi texto cũ prãdia vimine mittas.
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis puto debuerint quæ mihi dona dari.

[b] v. vincta.

DOMITIVS.

LIBER] Ad Liberum pugilem, cuius supra meminit: is miserat res aptas prandio in cista, nihil autem vini, cùm tamen eius nomine munus dignum sit vinum.

CORONA *Amyclææ*] i. Laconica: hoc propter Pollucem, qui Amyclæus fuit, & inter pugiles tenuit principatum: quod versus Homeri ostendit, & pugna illa Bebrycia cantata ab Apollonio, & Flacco inter nostros.

GRAIA *ver.*] Quia ducebant originem ab Amyclis patria Pollucis.

TEXTO *vimine*] i. cista, an oliuas dicit? vt supra,

Oliuarum breue vimen picenarum:
Quicquid vis accipe missum in cista.

TVO *nomine*] Quia tu appellaris Liber: ad Liberum Bacchum alludit.

DONA] i. vinum quod dignum est Baccho.

In sutorem. LXXV.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum:
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus crystalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me litterulas stulti docuere parentes:
Quid cum grãmaticis, rhetoribusq; mihi?
Frange leues calamos, & scinde Thalia libellos,
Si dare" sutori calceus ista potest.

"v. quæ sutor.

DOMITIVS.

DENTIBVS] In Cerdonem sutorem qui factus erat diues morte patroni: adeo vt munus gladiatorium ediderit, quod supra indignatus poëta conquestus est.

PELLES *antiquas*] i. vetera coria.

VETVSQVE *solum*] Solum intelligit terram in corio, quæ dum fit madida, resoluitur in speciem luti.

PVTRE] Resolubile.

ARDENTI] Quia ardere videtur.

PRVRIS] Lasciuis.

LITTERVLAS] Ad contemptum est vsus hoc diminutiuo.

LEVES] Vel vt sit epitheton calamorum, vel vt nihil habent emolumenti.

De" effigie Camoni. LXXVI.

"Camono puero.

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
Seruat, & infantis" prima figura manet.
Florentes nulla signauit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

"v. parua.

DOMITIVS.

EFFIGIEM] Camonum vigesimum annum natum pater amiserat. mos autem erat vt cariorum pignorum defunctorum imagines domi seruarentur. Pater autem Camoni noluit effigiem eius ætatis, qua mortuus est, sed fecit infantem: causam affert poëta, quia scil. si videret. xx. annorum adolescentem pictum nihil loquentem recordaretur mortuum, quod acerbum esset: sed si videt infantem non exprimentem verba, non miratur, id enim est infantis non loqui.

A TANTVM] Solum.

PRIMA *figura*] i. primæ ætatis figura.

FLORENTES *vultus*] xx. annorum.

MVTA] Nihil loquentia.

De balneo Tuccæ. LXXVII.

Non silice duro, structilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit:
Sed strage nemorum, pineaque compage,
Vt nauigare Tucca balneo possit:
Idem beatas lautus exstruit thermas
De marmore omni, quòd Carystos inuenit,
B *Quod" Phrygia, siue Afra, quod Nomas mittit,*
Et quod virenti fonte lauit Eurotas:
" *Sed ligna desunt: subijce balneum thermis.*

"v. Phrygia Synnas, Afra. Synnada Phrygiæ vrbs nobilis à certu aduenarum dicta. Stephan. "v. si.

DOMITIVS.

NON *silice*] Tuccam deridet, qui balneum aquarum frigidarum, hoc est casam, ad quam aquæ frigidæ deriuabantur, ex ligno construxerat. thermas autem aquarum calidarum, hoc est vbi erant calefaciendæ aquæ, ex marmore sine lignis: poëta ait oportere, vt balneum subijciatur thermis ad aquas calefaciendas. thermæ habebant locum aquarum frigidarum: quod carmen Papin. ostendit in balneis
C Hetrusci: & poëta supra,

Ritus si placeat tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Cruda virgine Martiaque mergi.

STRAGE *nemorum*] i. strue lignorum.

PINEA *compage*] Id est, coniunctis tabulis pineis.

CARYSTOS] Op. Euboicæ insulæ, inde marmora Carystia. Pap. *Vndosa Carystos.*

SYNNAS] Vicus Phrygiæ: vnde marmor Synnadicum mittebatur.

NOMAS] Numidia Africæ prouinciæ, i. marmor Numidicum: supra,

Marmore picta Nomas.

EVROTAS] Flumen Laconiæ, vt scribit Calli-
D machus: fontes agit ex monte Mænalio, confunditer Alphæo, rursusque discedit, ripæ eius Tauro mõte obumbrantur. In Laconia autem marmor viride effoditur, quod cunctis est hilarius: & Eurotam Papin. posuit pro marmore Laconico:

Vix locus Eurota ripis.

FONTE *virenti*] Nam illud est viride marmor.

De effigie Camoni. LXXVIII.

Hæc sunt illa mei, quæ cernitis, ora Camoni:
Hæc pueri facies, primaque forma fuit.
Creuerat hic vultus bis denis fortior annis,
Gaudebatque suas pingere barba genas,

Et libata semel summos modò purpura cultus
Sparserat: inuidit de tribus vna soror.
Et festinatis incidit stamina pensis,
Absentemque patri rettulit vrna rogum.
Sed ne sola tamen puerũ pictura loquatur,
Hæc erit in chartis maior imago meis.

DOMITIVS.

HÆC] In laudem eiusdem Camoni.
PRIMA *forma*] Infantia.
CREVERAT] Erat adultus.
SVAS *genas*] In quibus pullulabant.
PVRPVRA] Lanugo illa purpurea.
INVIDIT *vna soror*] Vt supra,
De tribus vna necat. Id est Lachesis.
FESTINATIS *pensis*] Immaturis.
NE *loquatur*] i. quod ex pictura non appareat eum mortuum anno xx. Certè chartæ meæ hoc indicabunt, & meum carmen testabitur.

"De conuiuio Prisci. LXXIX.

"v. Quale velit esse côuiuium.

Quod optimum sit disputat conuiuium,
Facunda, Prisci, pagina:
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit quæritis conuiuium?
In" quod choraules non" venit.

"v. quo. "v. edit.

DOMITIVS.

QVOD *optimum*] Carmen trimetrum iambicum subdito dimetro. deridet Priscum, qui longo carmine descripserat quodnam esset bonum conuiuium. Idem fecerat olim Varro in Menippeis. Quid opus, inquit, est tam longo carmine? ego vno verbo dicam, illud est optimum conuiuium, in quod non admittitur choraules, hoc est, vbi adsit sobrietas, & quieta mensa.
CHORAVLES] Citharœdus.

Ad Picentinum. LXXX.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine: sequi vult puto Galla viros.

DOMITIVS.

FVNERA] Venefica venefico nupserat.
POST *funera septem virorum*] Interfectorum veneno.
VVLT *sequi viros*] Quos necauit: nam & ipsa interficietur à te, qui veneficus es.

A

Ad Domitianum. LXXXI.

Oderat antè ducum famulos, turbamque" minorem, "v. priorem.
Et Pallatinum Roma supercilium:
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Vt sit cuique suæ cura secunda domus.
Tam placidæ" mentes, tanta est reuerentia "nostri, "v. mentis. "v. vestri.
Tam pacata quies, tantus in ore pudor.
B *Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)*
Sed domini mores Cæsarianus habet.

DOMITIVS.

ODERAT] Laudat Domit. familiam, cuius moribus tota ciuitas amica sit, cùm antea Imperatoriæ familiæ superbiam soleret odisse: hoc autem factum ait moribus principis, qui talis est.
TVRBAM *minorem*] i. domum Palatinam: alius codex habet turbam priorem.
SVPERCILIVM *Pallat.*] i. superbiam Imperatorum.
TVORVM] Tuæ familiæ.
CVIQVE *cura domus*] Id est, ita diligunt ciues tuam familiam, vt pluris faciant tuos famulos, quàm suos.
C REVERENTIA *nostri*] i. tantum veremur nos ciues tuam familiam.
NEMO *habet suos mores*] Sed tuos ô Cæsar.

De Gellio. LXXXII.

Duxerat esuriens locupletem pauper, anumque
Vxorem: pascit Gellius, & futuit.

DOMITIVS.

DVXERAT] Gellius olim paupertimus vxorem duxerat locupletem, & anum, ita eam pascit, & alijs vtitur ad coitum: iocus est: nam cùm videatur dicere Gellium pascere vxorem & futuere, intelligit eum ex dote comparasse familiam cinædorum, quam
D pascit, & futuit.

Ad Aulum. LXXXIII.

Lector & auditor nostros probat Aule libellos:
Sed quidam exactos esse poëta negat.
Non nimium curo: nam cœnę fercula nostræ
Malim conuiuis, quàm placuisse cocis.

DOMITIVS.

LECTOR] Carmina Mart. à lectoribus laudabantur, sed à quodam poëta vituperabantur, poëtam

comparat coquo. nam hic carmina, vt ille dapes, parat lectorum & auditorum conuiuijs. Nam hi carminibus fruuntur, vt conuiuæ dapibus. Ex hac metaphora extat acumen poëtæ, & ait se optare fercula suæ cœnæ placere potius conuiuis, quam coquis.

LECTOR] Quicunque legit, & audit nostros libellos.

EXACTOS] Politos.

*In Cinnam. LXXXIV.

*v. Ad Nunnam. Sic infrà lib. 10.

*Dixerat astrologus periurũ te citò *Cinna:* *v. Nunna.
*Nec puto mentitus dixerat *ille mihi:* *v. illa tibi.
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes,
Bis quartum decies, non toto tabuit anno:
*Dic mihi, non hoc est *Cinna perire citò?* *v. Nunna.

DOMITIVS.

DIXERAT] Iocatur in Cinnam, cui astrologus prædixerat mortem intra paucos menses. hic ne quid hæredi relinqueret, omnia absumpserat: falsa fuit astrologi fides, viuebatque pauper Cinna. at poëta ait astrologum non mentitum esse, nam perijt, cùm omnia absumpserit, quibus vitam sustentabat.

LVXVRIOSVS] Deditus luxui.

BIS *decies*] i. vicies sextertia.

TABVIT] Consumptum fuit.

HOC *est perire*] Nam pauperes mortuos solet appellare Mart.

Ad Cæsarem Domitianum. LXXXV.

*Suetonius scribit interdictum fuisse à Domitiano histrionibus, ne artem in scena exercerent, sed domi.

**Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,*
Quæ vincit veterum munera clara ducũ,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quòd spectant, qui recitare solent.

Idem Græcè.

Σεῖο κυνηγεσίων ἐν θαύμασι, Καῖσαρ, ἀγώνων,
Οἳ καλὰ νικῶσι τῶν πρὶν ἄεθλα ἡρώων,
Οὔατα μὲν σοὶ πολλὺ, πλέον δ' ἔτι ὄμματ' ὀφείλει·
Αὐτὸς ὅτ' αὐτόπτης ἐστὶν ὁ καὶ λαλέων.

DOMITIVS.

INTER] Germanicus arena histrionibus interdixit, concessit tantum artem, vt domi exercerent, author est Tranquillus. agit gratias principi Mart. quod noluerit offendi aures spectatorum obscœnis histrionum dictis.

VICIT *clara munera*] i. superauit spectacula Imperatorum dignitate.

SPECTANT] i. relati sunt inter spectatores. nam histriones iam spectabant alios ludos in theatro, non ipsi artem suam illic exercebant.

Ad Norbanum. LXXXVI.

Cùm tua sacrilegos cõtra Norbane furores,
Staret pro domino Cæsare sancta fides:
Hæc ego Pieria ludebam tutus in vmbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, meus est iste poëta, meus!
Omne tibi nostrum, quod bis trieteride iũcta
Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus.

DOMITIVS.

CVM *tua*] Norbanum sibi amicum alloquitur, cui recitata olim diuersis temporibus epigrammata: cum aduersus L. Antonium militet pro Domitiano in Germania, nunc in libellum redacta mittit.

SANCTA *fides*] i. tu fidelissimus.

SACRILEGOS *furores*] i. contra L. Anton.

ORIS *Vindelicis*] Septentrione. Rhæti, & Vindelici populi sunt coniuncti Noricis.

ARCTOS] Id est, homines colentes Germanicam.

ESSE *ra.*] Interijsse. nam ægrotauerat Mart.

NEC *nescia*] Quia nouerat me.

BIS *iuncta trieteride*] i. iam sex annis.

*De Paullo. LXXXVII.

*De Paulo ad Atilium, Lipsius lib. 4. epist. 5.

Languidior noster si quãdo est Paullus Atili,
*Non se *conuiuis abstinet ille *suis.* *v. Conuiuas. *v. suos.
Tu langore quidem subito, fictoque laboras,
Sed mea porrexit sportula, Paulle, pedes.

DOMITIVS.

LANGVIDIOR] Paulum dissimulatorem accusat, qui quoties volebat inuitare, simulabat se languere, vt amici non venirent: cùm autem inuitabatur, accedebat properè. Nescio quo fato fit, inquit, vt mea cœna Paulo languenti det pedes quibus acceleret.

ABSTINET *suis conuiuis*] Quia eos non admittit.

SPORTVLA *mea*] Mea cœna.

PORREXIT] Dedit pedes, vt scilicet venires.

De filio Silij. LXXXVIII.

*Festinata *sui gemeret *cùm fata Seueri* *v. sibi. *v. quòd.
Silius, Ausonio non semel ore potens:

Cum

Cũ grege Pierio mæstus, Phœboq; querebar, A
Ipse meum fleui, dixit Apollo, Linon.
Respexitq; suam, quæ stabat proxima fratri
Calliopen, & ait, Tu quoque vulnus habes.
Adspice Tarpeium, Palatinumq; Tonãtem:
Ausa nefas Lachesis læsit vtrumq; Iouem.
Numina cùm videas duris obnoxia fatis,
Inuidia possis exonerare deos.

Idem Græcè.

Σείλιον ὠκυμόρου πότμον κλαίοντα Σεβῆρου,
Οὐ μὴ Αὐσονίῃ σεμνὸν ἐν εὐεπίῃ· B
Σὺν μούσαις, καὶ Φοίβῳ ἐδυσπαθῆσα νοήσας,
Κἀγὼ, φησὶν, ἐμὸν Φοῖβος ἔκλαυσα Λίνον·
Ἐς δὲ κασιγνήτην ὁρόων (παρὰ δ᾽ ἵστατ᾽ ἀ-
δελφεῷ)
Καλλιόπην, ἰδὲ καὶ σὺ πέπονθας, ἔφη.
Τὸν Δία Ταρπεῖον, τὸν Παλατῖνον ἄθρησον·
Βλάψε τολμασσαμένη δ᾽ ἀμφοτέρους Λάχεσις.
Ἀθανάτων φῦλον Μοίραις ὑποκείμενον εἰδὼς,
Πᾶσαν ἀπὸ σφείων μέμψιν ἀποσκεδάσαις.

DOMITIVS. C

FESTINATA] Consolatio est Silij Italici lugentis filium mortuum ab exemplo, quòd non modo mortalium hominum, sed Deorum etiam filij mortui sint.

POTENS *ore Ausonio*] i. facundus.

NON *semel*] Non vno tantum genere. nam declamauit, & carmina cecinit.

LINON] Et Linus meus est mortuus.

TV *quoque habes vulnus*] i. habes luctum amissi filij Orphei.

TARPEIVM] Iupiter Tarpeius, Iupiter tonans, Palatinus Domitianus, quorum vtriusque filij Iouis Sarpedon, & Domitiani infans in secundo consulatu mortui sunt.

NEFAS] Tantum scelus.

EXONERARE *possis*] Id est; merito debes exonerare, id est, leuare Deos accusatione. D

OBNOXIA] Parentia, subdita.

FATIS] Nam fata immobilia dicuntur.

Ad Lupercum. LXXXIX.

Septem post calices Opimiani
Denso cùm iaceam triente blæsus,
Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, Modò liberum esse iussi:
v. Zonas. "*Zenas seruulus est mihi paternus:*
Signa. Cras melius, Luperce, fiet.
Nunc signat meus annulus lagenam.

DOMITIVS.

SEPTEM] Lupercum item accusat supponentem falsas testamenti tabulas, & rogantem Mart. ebrium, vt testamentum signet, at, inquit poëta, nunc non signat meus annulus testamentum, sed lageniam, vt ostendat se potu, & ebrietate occupatum.

BLAESVS] Balbutiens.

ZENAS] Sic vocatur quem iussi esse liberum his tabulis.

SIGNAT *lagenam*] Quia ebrius sum, & sum occupatus in vini lagenis signandis. Ita eludit prauum hominem, & scelus suorum temporum notat.

Ad Rufum. XC.

B *Dum me captares, mittebas munera nobis:*
Postquam cepisti, das mihi Rufe nihil.
Vt captũ teneas, capto quoq; munera mitte,
De cauea fugiat ne malè pastus aper.

DOMITIVS.

DVM] Amicum muneribus conciliauerat Mart. Rufus, à quo cum iam coleretur, nihil mittebat: monet posse fieri, vt fugiat more belluæ, quæ non pascitur in cauea.

POSTQVAM *cepisti me*] Id est, postquam cepisti me, vt te colerem.

Ad Stellam. XCI.

Lege nimis dura "*conuiuam scribere versus* v. Conuiuas.
Cogis, Stella: licet scribere nempe malos.

DOMITIVS.

LEGE] Hoc distichon est, ex medio conuiuio iubente Stella vt Martia. carmen componeret discumbens: tu hoc, inquit poëta, iubes Stella nimis dura conditione, & vt absoluat distichon, nam ad dapes properabat, licet, inquit, etiam versus malos facere, vt intelligas Mart. hactenus progressum aliquandiu substitisse, demum properantem ad epulas effutisse reliqua, scilicet licet versus scribere nempe malos.

Ad Flaccum. XCII.

Sic in gramine "*floreo recliuis,* v. florido.
Quà gemmantibus hinc, & inde riuis
Curua calculus excitatur vnda,
Exclusis procul omnibus molestis,
"*Perfundas glaciem triente nigro* v. perfundas.
Frontem sutilibus ruber coronis:
Sic vni tibi sit puer cinædus,
Et castissima pruriat puella.
Infamem nimio calore Cypron
Obserues, moneo, precorque Flacce,

Messes area cùm teret crepantes,
v. fului. v. leoni. *Et" fului iuba sauiet" leonis.*
At tu diua Paphi remitte nostris
Illæsum iuuenem, remitte votis.
Sic Martis tibi seruiant Kalendæ,
Et cum ture, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

DOMITIVS.

SIC *in gramine*] Flaccus in Cypro erat, quod suprà dixit,

Cum te Flacce mihi reddet Cythereia Cypros.

Hunc amicum monet, & per voluptatem Epicuream quam sequitur, rogat declinet æstus Cyprios: nam B ægrotationem & mortem afferunt sæpè.

CREPANTES *messes*] i. mense Augusto.

IVBA *leonis*] i. quando sol est in leone.

GRAMINE *floreo*] Id est, in herba floribus distincta.

GLACIEM] Ex niuibus, & glacie aquæ congelabant vinum.

CORONIS *sutilibus*] Rosaceis.

PAPHI *Diua*] Paphus duplex in Cypro, nam est Paphus, & Palepaphus. antiqua Paphus, vtraque sacra Veneri erat, inde modo Paphia, modo Palepaphia dicitur.

CALENDÆ *Mar.*] Id est, Martiæ Veneri seruiebant, quoniam colebantur à mulieribus. colebantur autem quoniam tunc primum Iunonis ædes cœpit coli.

PLVRIMA QVADRA] Placentæ in quadras secabantur in sacrificijs cultro, quem secepistam appellabant. Hoc libum quo in sacrificijs vtebantur, sectium appellabant, authore Festo. C

Adulatur Domitiano. XCIII.

Ad cœnam si me diuersa vocaret in astra
Hinc inuitator Cæsaris, inde Iouis:
Astra licet propius, Palatia longius essent,
Respõsa ad superos hæc referenda darem.
Quærite qui malit fieri conuiua Tonantis:
Me meus in terris Iuppiter ecce tenet.

DOMITIVS.

A D *cœnam*] Hoc apertum est argumentum, sed dictum est in illud conuiuium, quo Domitianus post victoriam Sarmaticam totam Romam accepit. D

INVITATOR. *Cæsaris*] Qui inuitaret numen Domitiani.

Ad Condylum. XCIV.

Quæ mala sunt domini, quæ serui commoda" nescis
Condyle, qui seruum te gemis esse diu.

'Palman. Cod. legit, quæris, & pro qui, eum.

A *Dat tibi securos vilis lecticula somnos:*
Peruigil in pluma Caius ecce iacet.
Caïus à prima tremebundus luce salutat
Tot dominos: at tu Condyle nec dominũ.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, & illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, cheragraque secatur
Caïus, & mallet verbera mille pati.
Quòd nec" mâne vomis, nec cunnum, Condyle, lingis,
Non mauis, quàm ter Caïus esse tuus?

"v. Villa, vinalenta, οἰνάρια.

DOMITIVS.

QVÆ *mala*] Condylum ingemiscentem diurno seruitio consolatur, dum ostendit plura esse commoda serui, quam domini: non tamen hoc dicit ex animo, sed vt derideat Caium Condyli patronum, cuius & vitia, & incommoda refert.

LECTICVLA] Paruum lectum significat, qua vel in bello, vel pauperes domi iacebant. Liuius de Scipione, Scipio lecticula in aciem delatus conflixit.

SECVROS] Non perturbatos.

PHOEBVS] Fœnerator.

TORTOREM] Tortores dicebantur, qui plectebant seruos domi, quando peccabant in dominum.

QVOD] Sensus est: Hæc commoda videntur esse in domino tuo, qui vomit manè, & lingit cunnum, sed tu non malles illa commoda, quàm tria illa superiora incommoda, hoc est salutationem, æs alienum, podagram, & chiragram.

ESSE *tuus Caius ter*] i. habere illa tria incommoda, quæ habet Caius tuus.

Ad [a] Calatissum. XCV.

a v. Calocissum.

Addere quid cessas puer immortale Falernũ?
[b] *Quadrantem duplica de seniore cado.*
[c] *Nunc mihi dic, quis erit, cui te, [d] Calatisse, deorum*
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, vt sit,
Qui posuit sacræ nobile [e] gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat vt illud
[f] *Nomen, ab [g] Othrysio quod deus orbe tulit.*

b v. Quadrans tres Cyathi. c V. de Lips. Antiquar. lection. cõmentar. l. 3. d Caloeisse. e Flauiæ gentis Domitianus. f Germanicus. g Odrysio.

DOMITIVS.

ADDERE *quid*] Potus est solutus in venerationem Domit. in cuius nominis literas pari numero cyathos potat. Eundem potum supra celebrauit,

Næuia sex cyathis.

IMMORTALE] Quod non corrumpitur.

ROSA *su.*] i. corona ex rosis, quoties bibebant aptabant coronam capiti.

VT *fit.*] Vt æquemus literas illius.

QVI *posuit no. op.*] Hoc est templum.

SACRÆ *gen.*] Flauiæ. Germanicus à Germania deuicta hoc nomen æquatur numero poculorum.

OPVS] i. ædem Flauiam. i. Dom.

ORBE *Othryfio*] i. à Septentrione. i. Germanicus, in quo nomine sunt decem literæ.

De Hippocrate. XCVI.

* al. Sardoa. *"Santonica medicata dedit mihi pocula virga:*
Os hominis mulsum me rogat Hippocrates.
Tam stupidus numquam nec tu puto Glauce fuisti,
* Χάλκεα χρυσείων, Iliad. ζ. *"Chalcea donanti Chrysea qui dederas.*
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat, sed si potat in helleboro.

DOMITIVS.

SANTONICA] Absinthium & Santonicum dicebatur à Sanctone op. Galliæ, & Ponticum à Ponto. vinum fiebat, quod appellabant absinthites ab absinthio immisto libra in quadraginta sextarijs musti: hoc cum alijs medicamentis aptum erat, tum potabatur ab eo, qui esset victor in ferijs Latinarum, quibus quadrigæ in Capitolio certabant. Hippocrates medicus tanquam bene consulens Mart. miserat absinthiten, & poposcerat tantumdem mulsi mitteret.

VIRGA *Can.*] i. absinthio Sanctonico.

MVLSVM] Erat vinum melle conditum: hoc deridet.

HIPPOCRATES] Medicina primus claruit, secuti sunt Diocles, Praxagoras, Chrysippus: hic alter est.

OS *hominis*] Verbum Cic. i. hominem ignauum & imprudentem.

TAM *stu.*] Hoc est ex septimo Hom. in Iliade, vbi arma permutantur à Glauco, qui dat aurea, cum Diomede, qui dedit ænea.

TAM *stu.*] Tam stolidus non fuisti ô Glauce. Hom. hoc Glauco Saturnius mentem abstulit Iuppiter, qui cum Diomede Tydide arma permutauit aurea æneis.

CHRYSEA] Aurea.

DONANTI] Diomedi.

HELLEBORO] Helleborum malos humores emendat, & insaniam hominis. olim potabatur ad aciem ingenij perpurgandam, iccirco Carneades responsurus libris Zenonis helleborum candidum sumpsit, sumebatur autem tutissimè in Anticyra insula. Ouid. Ibidem,

—— Dixissem purgantes pectora succos,
Quicquid & in tota nascitur Anticyra.

Hora. *Si tribus Anticyris caput insanabile.*

Inquit igitur Mart. Si quis poposcerit munus dulce pro amaro, dabo: si tamen vult potare cum helleboro: quasi dicat, nemo nisi stultus & indigens helleboro posceret mulsum pro absinthite.

A

De Athenagora. XCVII.

Alphicus antè fuit, cœpit nunc Olficus esse,
Vxorem postquam duxit Athenagoras.
Nomen Athenagoræ credis, Callistrate, verum?
Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
Sed puto me verũ Callistrate, dicere nomen:
Non ego, sed vester peccat Athenagoras.

DOMITIVS.

B

ALPHICVS] Athenagoras, cuius etiam supra meminit,

Me tristem fecit Athenagoras.

Fuerat chirurgus: ducta vxore cœpit lingere cunnum, in hoc apto nomine iocatur poëta, cùm alibi mutare soleat nomina: suprà,

Non dicam licet vsque me rogetis,
Quis sit Posthumus in meis libellis.

Et supra in nomine Auiti idem fecit. Vt autem ex mutatione literarum risum moueret, simul & derideat Athenagoram, non appellat eum chirurgum, sed alphicum, quasi medicum vitiligineum: nam ἀλφὸς Græcè, Latinè significat vitiliginem, vnde Alpheus fluuius dictus est, quod eius aqua vitiligines sanet. Mutato igitur primo elemento, Alphicus inquit, fuit Athenagoras, sed ducta vxore factus olficus, olfacit cunnum.

C

NOMEN *Athenagora*] Nomen, vt est, credis illi esse Athenagoram, & me appellasse vero nomine, ille est, nec fictum est nomen, quia nescio quid significet Athenagoras, vt potuerim hoc fingere.

NON *ego*] Pecco, quia apertè eum nomino, & qui alphicum & olficum nouis nominibus dixi, sed videtur græcus quia olfacit. Nam peccare est errare, vt ipse de se intelligit. Peccare item sceleratum aliquid committere, vt dicit in Athenagoram cunnilingum.

De Herode. XCVIII.

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro:
Deprensus dixit, stulte, quid ergo bibis?

DOMITIVS.

D

CLINICVS] Clinici dicebantur medici, qui ægrotantibus medebantur, ad differentiam eorum, qui in gymnasijs beneualentes curabant. Herodes clinicus, & fur, subripuerat vas ęgroto quem curabat, cùm esset deprehensus ne videretur furari, sed consulere morbo illius, dixit stultè quare bibis?

TRVLLAM] Diminutiuum est à trua vase, quo aqua lauatrina in culinam inferebatur, fiebat ex ære Corinthio magno precio & argento. Corinthiam fuisse testatur Plin. argenteam Cic. in Verrem. Trulleum vas eiusdem formæ, sed maius.

TRVLLAM] Vas ad bibendum.

Ad Iulium. XCIX.

Rumpitur inuidia quidam, cariſsime Iuli,
Quòd me Roma legit, rumpitur inuidia.
Rũpitur inuidia, quòd turba ſemper in omni
Monſtramur digito, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, tribuit quòd Cęſar vterq;
Ius mihi natorum, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd rus mihi dulce ſub vrbe eſt,
Paruaq; in vrbe domus, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd ſum iucũdus amicis,
Quòd cõuiua frequens, rumpitur inuidia. B
Rumpitur inuidia, quòd amamur, quodque probamur.
Rumpatur, quiſquis rumpitur inuidia.

DOMITIVS.

RVMPITVR] Monſtramur digito, vt illud Perſij, *Pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.*

VTERQVE *Cęſar*] Titus & Domit.

SVB *vrbe*] In Ianiculo.

QVOD *conuiua fre.*] Quod ſæpe inuitor.

RVMPATVR] Vt illud Virg. *Rumpantur vt Ilia Codri.*

Ad Ouidium. C.

C

Vindemiarum non vbique prouentus
*Ceſſauit Ouidi, pluuia *profluit grandis.* [* v. profuit.]
Centum Coranus amphoras aqua fecit.

DOMITIVS.

VINDEMIARVM] Coranus auarus in penuria vini vaſa omnia diluerat multa aqua. In hunc iocatur: Ouidi, non vbique prouentus vini ceſſauit.

GRANDIS *pluuia profluit*] De hac pluuia ſupra diſtichon.

CORANVS] Corani meminit Horat. alterius.

D

Ad Atticum de M. Antonio. CI.

Marcus amat noſtras Antonius, Attice, Muſas,
Charta ſalutatrix ſi modò vera refert:
Marcus Palladiæ non inficianda Toloſæ
Gloria, quem genuit pacis amica quies.

DOMITIVS.

MARCVS] M. Ant. Toloſanus & literis & forma inſignis fuit: alibi, *Talis erat Marcus medijs Antonius annis.* Amicus Mart. optabat eius carmen legere. quod cum poëta ex literis cognouiſſet, miſit illi libellum A addito hoc epigrammate.

CHARTA *ſalutatrix*] Dicebatur charta Auguſta, qua vtebantur in epiſtolis ſcribendis, ſed hic pro epiſtola.

PALLADIAE] Vbi ſtudia coluntur.

TOLOSAE] Oppidum Galliæ in Iſthmo, vbi à mari Narbonenſi Oceanus repellitur: ex hoc oppido in prouerbio fuit, aurum in eũ, qui infelix eſſet: ſiue, vt Timagenes ſcribit, quoniam Toloſani ſocij fuerunt Gallorum, qui templum Delphicum ſpoliarunt, vt Trogus ſcribit: & relatos in patriam theſauros Scipio abſtulit tanta infelicitate, vt quicunque fuerint participes miſerrimè vixerint: ſiue, vt Poſſidonius tradit, quoniam Romani lacus locauerunt Toloſanos, in quibus moles argenteas redemptores inuenerunt, vnde dictum aurum Toloſanum. Gellius auri Toloſani meminit, vt equi Seiani.

AMICA *quies pacis*] Ad differentiam M. Anton. qui turbulentus fuit.

Ad librum. CII.

Tu qui longa potes diſpendia ferre viarum,
I liber abſentis pignus amicitiæ.
*Vilis eras, fateor: ſi te nunc ** mittere tento,* [** mitteret emptor, ita intelligo in vetuſto Codice Lutetiæ eſſe.]
Grande tui pretium muneris auctor erit.
*Multum, crede mihi, refert, *** à fonte bibatur* [*** an, in veteri rectè legitur.]
Qui fluit, an pigro qua ſtupet vnda lacu.

DOMITIVS.

ABSENTIS *amicitiæ*] Id eſt, mei.

AVTHOR] Ego qui mitto ad te.

In Baſſum. CIII.

Denarijs tribus inuitas, & mâne togatum
Obſeruare iubes atria Baſſe tua:
Deinde hærere tuo lateri, præcedere ſellam,
Ad vetulas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula eſt, viliſque, putriſque:
Denarijs tamen hãc nõ emo, Baſſe, tribus.

DOMITIVS.

DENARIIS] Baſſum accuſat, qui velit ſe coli cùm det cœnam, vel ſportulam trium denariorum: tu fortaſſe, inquit, das paruum precium, quia mea toga eſt trita, & videor inhoneſtus comes. At quæcunque eſt, non emitur à me tribus denarijs, quot tu auarus das.

TOGATVM] Anteambulonem.

PROCEDERE *ſellam*] i. anteambulare.

PLVS *minus decem*] i. circiter decem.

Adulatur Domitiano. CIV.

Appia, quam ſimili venerandus in Hercule Cæſar
Conſecrat, Auſoniæ maxima fama viæ,

Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce: Libyn domuit: aurea poma tulit:
Peltatã Scythico discindit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem siluis ceruũ, Stymphalidas vndis
Abstulit: à Stygia cum cane venit aqua.
Fœcũdam vetuit reparari mortibus Hydrã:
Hesperias Tusco lauit in amne boues.
Hęc minor Alcides. Maior quęgesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Palatia regnis:
Prima suo gessit pro Ioue bella puer.
Solus Iulæas cùm iam retineret habenas,
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri:
Sudantem Getica ter niue lauit equum.
Sæpè recusato Parthos duxisse triumphos
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa deis, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, cœlo sydera, serta Ioui.
Herculeum tantis numen non sufficit actis:
Tarpeio Deus hic commodet ora patri.

DOMITIVS.

APPIA *quam*] Huius templum ad octauum lapidem, cuius etiam supra meminit, causa fuit quòd Domit. coleretur sub imagine Herculis ob viam Appiam stratam ab eo, in qua erat. alloquitur Appiam poëta, & anteponit gesta Domit. gestis Hercu.

APPIA] Quia ab Appio cæco strata est. Tres viæ nobiles, Valeria, Latina, Appia, sed Appia reliquas superabat. Papin.

Appia longarum teritur regina viarum.

CONSECRAT] Sacram facit suo templo.

PRIORIS] Antiqui Herculis Thebani.

DOMVIT *Libyn*] i. Antæum: cuius vxor dicta est Tigena in Libya: sed tamen hic labor non numeratur inter duodecim à Diodoro Siculo.

AVREA *poma*] Hoc dicit propter aurea poma Hesperidum, de quibus, dum Diodorus historiam refert, multa dicit.

PELTATAM *Amazona*] Imperio Eurysthei baltheum Menalippæ Amazoni Hercules detraxit: non sine graui pugna ad Themischyram op. in qua ceciderunt Ella, Philippis, Partho clara. vij. victoriis, Eriple, Celæno, Phœbe, Athemis, & aliæ multæ, Anthiopem rapuit, quam dedit Theseo.

AMAZONA] Menalippen.

PELTATAM] Scuto lunato.

SCYTHICO] Fuerunt & Amazones Libycæ.

ADDIDIT *leonis terga*] Id est, interfecit leonem cui abstulit tergus, & sibi addidit, & aprum Arcadicum in Erymantho. Ceruum habentem aurea cornua & velocissimum, vt alij scribunt, retibus cœpit: vt alij, dormientem occupauit: vt alij, longa insectatione fessum apprehendit: quem retulit Eurysteo.

STYMPHALVS] Locus Arcadiæ palustris, vnde labitur Erasinus flu. illic tot aues conuenerant, vt A totius regionis fructus popularentur. Hercules iussu Eurysthei eas sustulit tabulæ Æneæ tinnitu, & sagittis.

VNDIS] Stymphalo lacui.

HYDRAM] Lerneam reparantem capita succisa ope oppressit. Lerna est inter Argos & Mycenas, quæ cùm lustrata & purgata esset, recepta est in prouerbium, Lerna malorum: id est, lustratio malorum, Vetuit igne adhibito.

FOECVNDAM *mor.*] i. ex morte crescentem.

REPARARI] Reuiuiscere.

BOVES *hesperias*] i. armenta Geryonis. Geryones autem fuisse filios tres Chrysi scri. Diod.

IN *amne Tusco*] i. Tiberi.

ALCIDES *minor*] i. Hercules Thebanus.

ASSERVIT] Ex bello Vitelliano. Dom. puer vna cum Sabino patruo fugit in Capitolium: vnde Vitelliani eiecti sunt, sed pugna conserta Vitelliani victo- B res irruperunt in Capitolium, alios trucidarunt, Articum & Sabinum in vinculis duxerunt: Sabinum mortuum ad Gemonias traxerunt. Dom. dilapsus fuga latuit apud Cornelium ad Velabrum habitu sacerdotis Isiaci: historiam supra memorauimus. Iuppiter apud Silium:

Nec te terruerunt Tarpei culminis ignes,
Sacrilegas inter flammas seruabere terris.

ASSERVIT] Liberauit eiectis Vitellianis.

MALIS *re.*] i. à Vitellianis.

SOLVS] Hoc dicit in gratiam Domit. qui creatus Imperator, iactabat se dedisse Imperium patri, & fratri, & illos sibi reddidisse.

IVLEAS *habenas*] i. Imperium Romanum.

TERTIVS] Post patrem, & fratrem.

C IN *suo orbe*] Imperio.

CORNVA *Istri perfidi*] i. Germaniam.

TER] Nam bis superauit Dacos & Cattos, semel Sarmatas.

SÆPE] Volgesus Parthorum rex petijt auxilium à Vespasiano contra Alanos, simul rogauit vt vnus ex liberis Vespasia. mitteretur. Domit. contendit vt mitteretur ipse. studio & cupiditate triumphi Parthici, sed id recusatum, ne reliqui orientis reges idem peterent. Recusatum autem hoc fuit sæpè, quia hoc sæpè contendit muneribus Domit.

SAEPE *recusato*] i. cum sæpè recusatum esset: huius elocutionis frequens vsus est apud Curtium, & Silius eam vsurpauit.

TVLIT *nomen*] Quia dictus Germanicus.

OTIA *ferro*] Quia Germaniam vicit.

D ASTRA *suis*] Quia dedit templa Flauiæ genti.

SIDERA *cœlo*] Quia suos retulit inter sidera, patrem, fratrem, filium & vxorem.

SERTA *Ioui*] Quia lauream coronam intulit Ioui capitolino ex victoria Sarmatica: author est Tranquill.

NVMEN *Herculeum*] i. numen Herculis.

NON *sufficit tantis actis*] Id est, non est sufficiens tantis gestis.

COMMODET *ora patri Tarpeio*] Id est, sumat Domit. imaginem Iouis, cuius vnius numen tantis gestis par est.

Ad Phœbum. CV.

Quadringentorum reddis mihi Phœbe tabellas:
Centum da potius mutua Phœbe mihi.

Quare alium, cui te tã vano munere iactes:
Quod tibi non possum soluere Phœbe, meum est.

DOMITIVS.

QVADRINGENTORVM] Idem argumentum.
TABELLAS] Scripta, quibus apparet me debere tibi.
POTIVS *da centum*] Vt te putem liberalem.

De geminis fratribus. CVI.

Quæ noua tam similes genuit tibi Leda ministros?
*Quæ capta est cycno *nupta Lacæna alio?* (*v. nuda Lacæna.)
A *Dat faciẽ Pollux *Hiero, dat Castor Asillo:* (*v. puero.)
Atque in vtroq; nitet Tyndaris ore soror.
Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis,
Cùm vicere duas dona minora deas:
*Mansisses Helene, Phrygiamque redisset in *vrbem* (*v. Idam.)
Dardanius gemino cũ Ganymede Paris.

DOMITIVS.

QVÆ *noua*] Laudatur Asilli & Hieri geminorum B forma, vt magis similes sint, quàm Castor & Pollux, & formosiores Helena: quòd si eos Paris vidisset, cùm rapuit Helenam, & fuissent tales Castor & Pollux, eos Helena dimissa rapuisset.
NOVA *Leda*] Alia soror.
TYNDARIS] i. forma Helenæ.
THERAPNÆIS *Amyclis*] Castori & Polluci, nam Therapnæ opidum Laconiæ. Amyclæ patria Castoris & Pollucis.
DONA] i. promissa dona Veneris, i. Helenam.

Finis lib. noni Epigrammat. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON
LIBER X.

SUMMA.

Ediderat hunc librum Mart. quem postea cum ut ipsum emendaret reuocasset, effecit ut diu lector expectatione premeretur, ac desiderium futuræ editionis non parum augeretur: Quapropter daturus iterum eundem librum in lucem, putauit lectorem ipsum esse admonendum, ne ægrè ferret si paulo longiorem reddiderit quàm fuerit antea: Ita enim se eum ordinasse asserit, ut si pauca legerit, profecto & ipse breuis videbitur.

I.

Si nimius v. Videar. *videor, seráque coronide longus*
Esse liber: legito pauca, libellus ero.
Térque, quatérque mihi finitur carmine paruo
Pagina, facta tibi, quam cupis esse breuem.

DOMITIVS.

S*i nimius videor, seráque coronide longus.*] Decimum librum editum, ad iudicium & emendationem præcipiti ardore emissum, reuocauit, suspensúmque habuit lectorem diutius, dum & carmen iam editum emendat, & nouum inserit. Cum eundem librum B iterum sit editurus, initio liber ipse expectantem lectorem monet, ne suspicetur nimis longum fore, quòd diu in manibus fuerit: quòd si id existimat & noua castigatione creuisse arbitratur, monet ut pauca legat: ita enim fiet ut breuis videatur.

Coronide.] Coronis hemistichium. Homer. huius verbi usum dedit: nam ita scripsit de eo, qui arcum perfecerat: auream autem coronidem addidit. i. extremitatem: in usum autem receptum est ut Coronis diceretur quicquid additur in fine. Poëta igitur appellat Coronidem id quod addidit noua emendatione, maléque sunt interpretati, qui Coronidem pro fine totius operis intellexerunt. nam hoc verbum retulit non ad omnes insequentes libros, sed ad id quod huic x. addiderat: ita autem fuisse castigatum librum insequens epigramma indicat. Home. rostra-

A tas naues coronidas appellat: nam rostra nauibus addita dicuntur: videntur & appendices. Eustathius hoc verbo usus est in primum Iliados.

Sera *coronide.*] Sera appendice.

Ero *libellus.*] Videbor tibi libellus.

Fac *me breuem.*] i. legito pauca.

Quam *cupis ipse.*] i. quantum vis tu.

Ad lectorem. II.

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc reuocauit opus.
Nota leges quædam, sed lima rasa recenti,
Pars noua maior erit, lector, utrique faue.
Lector opes nostræ, quem cùm mihi Roma dedisset,
Nil tibi quod demus maius habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, nec secula præsunt, v. prosunt
Soláque non norunt hæc monumenta mori.

DOMITIVS.

Festinata.] Idem est fermè argumentum, sed poëta loquitur indicans se decimum librum emendasse. hoc accidit, quoniam sub morte Dom.

hunc libellum absoluerat: Neruæ successoris temporibus non edidit, Traiano euecto ad Imperium emisit.

FESTINATA.] Properata.

ELAPSVM] Quod excidit.

NOTA.] Quæ olim legisti in prima editione.

VTRIQVE.] Primo carmini, quod indiguit emendatione, & quod nuper emendaui.

PIGRA.] Cœnosa.

FVGIES *flumina Lethes.*] Ille vitat flumina Lethes, qui celebratur, & non fama mandatur obliuioni: nam λήθη significat obliuionem: & aquæ Letheæ obliuionem deducere dicuntur: contra, qui in nulla permanet memoria hominum dicitur ad inferos descendere: supra idem dicitur eodem sensu.

Nec lassi marmora Sisyphi videbit.

De libro non interituro.

ERIS *superstes.*] Viues.

MELIORE *parte tui*] Fama ingenij.

MARMORA *Messala.*] Et senior, & iunior stēmatis domestici studiosissimi fuerunt, adeo vt alienas imagines atriis suis misceri passi non sint: apertè igitur poëta Messalam pro quocunque, qui imagines auorum ostendat. Hic dicebatur Messala Coruinus, de quo puto scripsisse Iuuenal. de statuis loquentem.

Nasumque minorem Coruini.

Marmora autem caprifico findebantur. Iuuenal. de monumentis marmoreis: *ad qua*

Discutienda valent sterilis mala robora fici.

Id est, caprifici.

MVLIO *audax Crispi.*] Ponit Crispum pro quocunque diuite, siue à Vebio Crispo, de quo Tacitus, siue à Crispo Vitrico Neronis, de quo Tacitus.

NEC *præsunt secula.*] Non vetustate pereunt poëmata, nam seculis non cedunt.

Ad Priscum. III.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis,
Quæ sulfurato nolit emta ramento
Vatiniorum proxineta" fractorum, (v. flagrorum.)
Poëta quidam "clancularius spargit, (v. Calcularius.)
Et vult videri nostra: credis hoc Prisce,
Voce vt loquatur psittacus coturnicis?
Et concupiscat esse" Canus ascaules? (* Canus tibicen Galbæ Imperatori gratissimus.)
Procul à libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
Cur ego laborem notus esse tam praue, (v. Constare, v. silentiū possit?)
"Cùm stare gratis" cum silentio possim?

DOMITIVS.

VERNACVLORVM.] In eum poëtam est epigramma, qui Martial. nomen mentitus, carmina emittebat plena maledictis, & pænè satyrico genere: de quo supra est conquestus.

Quid prodest, cupiant cùm quidam nostra videri,
Si qua Lycambæo sanguine tela madent?
Vipereumque vomunt nostro sub nomine virus.

Multis autem argumentis probare nititur se non esse tam fœdi carminis authorem. Poëta clancularius dicitur, qui tenebris delectatur: neque audet suum A nomen profiteri ad clanculum: in eundem sensum supra dixit.

Qui Phœbi radios ferre, diémque negant?

VERNA.] Nam vernæ intemperanter iocantur & ineptè. Inde fit vt non damnem priorem nostram sententiam.

Non es, crede mihi, quid ergo? verna es.

Vt simpliciter vernam illic intelligas: id est, seruum.

DENTEM *sordidum.*] i. impuram reprehensionem: nam qui carpunt, genuinum dentem agitare dicuntur, Vt illud.

Et genuinum fregit in illis.

PROBRA *fœda.*] Contumelias.

LINGVA *circulatricis.*] Circulatores dicuntur, qui verborum copia quęstum facientes proximi sunt scurris. hi magna verborum licentia vti solent: quod supra dixit.

Hoc quod transtyberinus ambulator.

B Hoc est, circulator.

PROXINETA.] Negociator.

VATINIORVM.] Vasorum vitreorum: nam Vatinius Beneuentanus calices vitreos faciebat: in distich.

Vilia sutoris calices monumenta Vatini
Accipe.

Is fuit distorti corporis, sutrinæ alumnus, edidítque munus gladiatorium Beneuenti, authore Tacito.

NOLIT *empta.*] i. nolit emissa.

RAMENTO *sulfurato.*] i. lignis sulfuratis: nam sulfurata ligna vitreis fractis permutabantur.

PSITTACVS.] Bonus poëta. Psittacus supra omnes alites humanas voces reddit, vt Plinius scribit: celebratur carmine Ouid. & Papin.

Humanæ solers imitator psittace linguæ.

Coturnix indocilis est. Aptè igitur se psittacum appellat: quasi salutatorem, & bene sermocinantem, C & poëtam clancularium, cothurnicem indocilem ad voces humanas.

CANVS.] Choraules fuit, hoc est tibicen: hic mirè placuit Galbæ: à quo donatus est multis nummis ex priuata pecunia, cùm eum supra cœnam delectasset. Huius etiam meminit Pli. & Tranquil.

ASCAVLES.] Significat eum, qui tibia ex vtre vtitur, quæ quidem viliorum est personarum & plebis. Tranquil. vtricularius dixit in Nerone verbum est Græcolatinum faciens. Vouerat se peracta victoria ludis & hydraulem & choraulem & vtricularium. Sensus est: Putas ne me velle videri authorem istius carminis, quod tantum differt à nostris numeris: quātum cedit Ascaules Cano egregio tibicini?

NIGRA *fama.*] Id est, malè aperta.

RVMOR *gemmeus.*] Fama clara, non obscura.

VEHIT.] In æstimationem & laudem.

D ALBA *penna.*] Felici penna & pura: hoc est, qui sua paritate laudantur nullius fama dilacerante: quod supra dixit.

Gaudes honoratus multo sed nomine lector.

NOTVS *esse.*] Assequi famam.

TAM *praue.*] Tanto alienæ famæ detrimento, & hominum odio.

CONSTARE *gratis silentium possit?*] Hoc est, cùm istud odium maledici carminis, & detrimentum alienæ famæ silendo possim vitare.

Ad lectorem. IV.

Qui legis Oedipodē, caligantémq; Thyenste,
Colchidas, & Scyllas quid nisi mōstra legis?

Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, & Atys?
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutúsve puer pennis labentibus? aut qui
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana iuuant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod possis dicere iure, meũ est.
Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiásque
Inuenies: hominem pagina nostra sapit.
Sed nõ vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire iuuat αἴτια *Callimachi.*

v possis dicere quisq. Vide Turn. li. 30. ca. 30.

Idem Græcè.

Οἰδιπόδην ἀνάγνους, σχετλιτήσαντα Θυέστην,
Κολχίδας ἢ Σκύλλας, ἢ τερετίσματ' ἔγνως;
Ἁρπασθεὶς τί δ' Ὕλας, τί δὲ Παρθενοπαῖος, ἰδ' Ἄτυς,
Ὑπναλέος τί δέ σ' αὖ Ἐνδυμίων ὀνέοι;
Ἴκαρος ἢ πτερὰ χηλευνὰ τηχόμενος παῖς, ἢ ὃς
Δεῖσεν ἐρωτομανεῖς Ἑρμαφρόδιτος ὕδωρ.
Τί χραισμεῖ σε κενὰ χρυσόεντος παίγματα χάρτου
Ταῦτ' ἀνάγνωσον, * ἃ ἄγνοις, φῆς, ἐμόν ἐστι τόδε·
Ἐνθ' οὐ κενταύρους, οὐ Γοργόνας, Ἁρπυίας τε
Εὕροις· Μοῦσα γ' ἐμὴ ἄνδρ' ἐνέπουσα φρονεῖ.*
Οὐκ ἐθέλεις ἀτὰρ, οὐδ' ἀλέγεις τὰ σὰ ἤθεα γνῶναι,
Οὐδὲ σεαυτὸν γνῶθ' αἴτια Καλλιμάχου.

*Ex Ep. 2. 4. 45 94. An. Senecæ, è cuius fontibus plerique Martial. riuuli manarunt.
* Homer. Odyss. 1.

DOMITIVS.

QVI *legis.*] Mamurra Martial. carmen aspernabatur: quòd in rebus quotidianis versaretur: quòd nihil dignum haberet poëtico ingenio & fabuloso: poëta hanc non esse causam ait cur Mamurra carmen non legat, sed id accidere, quoniam nolit morum reprehensionem legere, quæ in epigrammate est, conscius suæ turpitudinis: nam quicquid carpitur putaret in se dictum.

OEDIPODEM] i. fabulam Oedipodæ, & tragœdiam Thyestæ, authore Fabio Quintil. Varus magna laude scripsit filius Pelopis & Hippodamiæ, cui Atreus frater Tantalum filium epulandum apposuit.

CALIGANTEM.] Retulit ad historiam fabulosam: nam caligantem lucem scribunt poëtæ ea cœna: suprà.

Fugerit an Phœbus mensas, cœnáque Thyestæ.

COLCHIDAS.] i. tragœdiam Medeæ, quam etiam Ouid. composuit.

HYLAS *raptus.*] A nymphis, & ab Herc. ecloga extat Theocriti, quæ inscribitur Argonautica.

PARTHENOPÆVS.] i. historia de Parthenopæo filio Meleagri & Atalantæ, qui vnus fuit ex ducibus Thebanis.

ATIS.] Puer Cybeles.

ENDYMION.] Primus cursum lunæ deprehen-

A dit, vnde est dictus amicus Lunæ: quod scrib. Plin. eundem dormientem Luna amplexu dicitur fouisse. Cic. Endymion, si fabulas audire volumus, nescio quid in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariæ, nondum opinor experrectus: vnde, authore interprete Apollonij, Latmius dicitur longissimus à somno Endymionis, qui in Latmo obdormiuit.

PVER *exutus pennis.*] Icarus filius Dædali.

HERMAPHRODITVS.] Filius Veneris & Mercurij fuit.

AQVAS *amatrices.*] i. Salmacem. Salmacem fontem in Caria scri. Stra. falsò calumniatum, quòd eius aqua molles homines redderet. Victru. huius fabulæ reddit rationem, aitque loci amœnitate id existimatum fuisse. plura sunt apud illum verba.

LVDIBRIA.] Lusus fabularum.

MISERÆ *charta.*] Quæ seruit fabulis.

CENTAVROS.] Fabulosos filios Ixionis, &
B Nubis.

GORGONAS.] Hesperides, vt Lycophron scribit, erant Medusa, Euryale, Stheno. Gorgones, Gorgon, Enio, Pephredo: sed nomina hæc confunduntur: & per Gorgonem Medusam accipimus.

HARPYIAS.] Harpyiæ filiæ Plutonis: vt Flaccus canit, Typhonis: sed Orpheus, Typhonem ipsum Plutonem appellat carmine eo nomine inscripto.

HOMINEM *sapit.*] i. vitam hominis, & ea continet quæ ad hominem spectant.

NEC *te scire.*] Sensus est, non legis carmen meum, ne in eos tuos agnoscas mores: quòd si fabulosa te delectant, lege opusculum Callimachi in Ibin: nam illic reperies fabulosè multa dicta, simul reprehensionem morum: sed nec illa leges, quoniam & si fabulosis oblectaris, tamen ea omnino reformidas, si qua reprehensio coniuncta est: illa ergo legis, quia hæc fugis, non quia illis delectaris.

CALLIMACHI.] Callimachus grammaticus:
C Callimachus item poëta scripsit in Apolloniũ Rhodium discipulum suum, quem ibi appellauit carmen perobscurum: quod Ouid. apud nos, inscriptione, & genere carminis imitatus est. Multa à Callimacho dicuntur in Ibin fabulosa: vt ab Ouid. dum illius mores insectatur: illud opusculum appellat Martial. Ethia: nam * ἦθος morem significat, & totum illius opusculum in moribus versatur.

* Vitiosa interpretatio deprauatæ lectionis.

LEGAS *Ethia Callimachi.*] Sed nec illud leges, quia illud etiam est in moribus: ita codex antiquus habet. Sunt qui legant,

Nec te scire iuuat Ethea Callimachi.

Id est, tu non vis legere librum Callimachi de moribus, quod non placet: nam Callimachus nullam obtinuit præcipuam laudem, aliquo opere edito de
D moribus, vt cum poëta vellet nominare eius operis authorem, hoc est de moribus, Callimachum dixerit potiùs quàm Arist. sed, vt dixi, intelligendum est de opere Callimachi in Ibin.

In maledicum poëtam. V.

Quisquis stolæue purpuræue contemptor,
Quos colere debet, læsit impio versu:
Pontes per vrbis erret exsul, & cliuos,
Interque raucos vltimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas:
Illi december longus & madens bruma,

v. Clusúsq. " Clausúsque fornix triste frigus extendat,
Voce beatos clamitétque felices,
Cœlius lib. 30. ca. 18. & Turneb. lib. 30. cap. 30. " Orciniana qui feruntur in sponda.
Et, cùm supremæ fila venerint horæ,
Diésque tardus, sentiat canum litem,
Abigátque moto noxias aues panno,
Nec finiantur morte supplicii pœnæ:
Sed modo seueri sectus Aeaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter vndas garruli senis siccus,
Delasset omnes fabulas poëtarum,
Et, cùm fateri Furia iusserit verum,
Prodente clamet conscientia, scripsi.

DOMITIVS.

QVISQVIS.] In eum poëtam, in quem supra: *Vernaculorum dicta.*
Licet nonnulli impudenter putauerint hoc scriptum esse in eum, qui in Mart. scripserat: hic enim non inuectus est in Mart. sed in alios sub Mart. nomine, cui poëta extrema supplicia imprecatur.

STOLÆ] i. matronarum: nam matronæ stola vtebantur: authores sunt Marcel. & Porphy. Ouid.

Ecquid ab hac omnes rigida submouimus arte,
Quas stola contingit, sumptáque vitta vetat.

VERSV *impio.*] Satyrico.
PER *pontes.*] Vbi sunt mendici.
ET *cliuos.*] Collium.
ROGATORES.] Mendicos.
RAVCOS.] Assidua voce mendica.
BVCCAS.] Frusta, supra dictum est.
CANINAS.] Dandas canibus.
IMPROBI.] Hoc dicit quoniam panes magno discrimine apponebantur: alij ostrearij, artolagani, speustici: alij furnacei aquatici, seu parthici. Caninas igitur buccas i. dandas, seu obijciendas canibus, quemadmodum apud Iuuen. Virro dat Pauperibus.

Sol. lenam vacida frusta farinæ:
Quæ genuinum agitent non admittentia morsum.

LONGVS *December.*] i. longa hyems male indutus.
FORNIX.] Pauperes obstructo fornice aliquod domicilium sibi componebant.
EXTENDAT.] Faciat longum, quando non defendit.
IN *sponda orciniana.*] Id est, sandapila. Orciniana significat thecam ex lignis rudibus & impolitis: periphrasis est sandapilæ, ἕρκος significat septum, vnde lectus orcinianus. Sandapila dicitur ex viminibus.
LITEM *canum.*] Volentium discerpere cadauera.
AVES *noxiæ.*] i. sectantes cadauera: vt vultures, coruos, & miluos.
PANNO *moto.*] Pannus, vestis: ita enim in paupere dicitur: vnde pannosus.
SISYPHI *inquieti.*] Non quiescentis. Ouid.

Aut petis, aut vrges rediturum Sisyphe saxum.

Æoli filius fuit, qui Isthmum Peloponnesi latrocinijs infestauit. Vnde Isthmus Sisyphius dictus à Silio.

Quam que Sisyphio fundauit nomen ab Isthmo.

GARRVLI *senis.*] i. Tantali, qui pertulit secreta Iouis mortalibus. Ouid.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Iouis filius fuit ex Plote, tenuitque Paphlagoniam imperio.
DELASSET.] Exerceat omnia supplicia ficta à poëtis.

De aduentu Cæsaris. VI.

Felices, quibus vrna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois, sideribúsque ducem.
Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longúsque à Cæsare puluis,
Totáque Flaminia Roma videnda via?
Quando eques, & picti " tunica Nilotide Mauri Tunica Niloticis est, tunica acu picta ab Ægyptiis. Turn. lib. 30. ca. 30
Ibitis, & populi vox erit vna, Venit?

DOMITIVS.

FELICES.] Traianus de Dacis, & Scythis triumphauit victo rege Decibale, Daciam prouinciam fecit, eius ex Germania reditum optat poëta.
VRNA.] Sors.
DVCEM.] Traianum.
VRNA.] Hoc dicit in laudem Traiani, qui quæ ab alijs Imperatoribus olim arbitrio constituebantur, ad vrnam & sortes redegit. Ita laudatur à Plin. Sors & vrna fisco iudicem assignat, licet reijcere, licet exclamare, hunc nolo, timidus est. Intelligit igitur poëta sorte datum esse militibus, vt sequerentur Traianum non coacti Imperio.
NVRV *latia.*] Mulieribus euntibus ad spectaculum Traiani venientis.
DVLCES *moræ.*] Interuenientis: nam extra portam expectabantur veteri instituto apparandi triumphi.

Ad Rhenum. VII.

Nympharum pater, amniúmque Rhene,
Quicumque " Othrysias bibunt pruinas, Odrysias
Sic semper liquidis " frueris vndis, v. fruaris
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci:
Sic & cornibus " aureus receptis, v. aureis
Et Romanus eas vtraque ripa:
" Traianum populis suis, & vrbi, v. Troianum
Tybris te dominus rogat, remittas.

DOMITIVS.

NYMPHARVM.] Traianus in Germania per Rhenum nauigauit. Pli. de Traiano, Rhenus & Danubius tantum illud decoris nostri, vehere gaudebant. hunc nomine Tybris rogat poeta vt restituat Imperatorem.
BIBVNT.] Liquefactas accipiunt.
CONTVMELIOSI.] Quia calcat.

AVREVS.] Propter auream arenam.

RECEPTIS *cornibus.*] Alterum cornu habebant Transrhenani, alterum erat in Imperio Romanorum.

VTRAQVE *ripa.*] Vtróque cornu. i. sic assero, & vindicato in potestatem vtroque cornu seruias Romanis, quod cuperes.

De Paulla. VIII.

Nubere Paulla cupit nobis: ego ducere Paullā
Nolo, anus est: vellem, si magis esset anus.

De se. IX.

Vndenis pedibusque, syllabisque,
Et multo sale, nec tamen proteruo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis, quid inuidetis?
Non sum Andremone notior caballo.

DOMITIVS.

VNDENIS.] Iocatur in famam sibi communem cum scurris: ego, inquit, sum notus omnibus, sed cur inuideatis mihi, cùm Caballus vrbanitate sua me notior sit.

MVLTO *sale.*] Multis facetiis.

NEC *tamen proteruo.*] ... ia abest à maledictis.

ANDREMONE.] Testius Andremon Caballus dictis & vrbanitate magnam famam est assecutus. est præterea Andremon in fabula maritus Dryopes puellæ compressæ à Phœbo, quasi dicat, qui scurrilibus iocatur notior est: notans tempora sua.

In Paullum. X.

Cùm tu laurigeris annum qui fascibus intras,
Mâne salutator limina mille teras.
Hic ego quid faciam? quid nobis Paulle relinquis,
Qui de plebe Numæ, densaq; turba sumus?
Qui me ʺ *respiciat, dominū, regémq; vocabo?* ʺv. respicies.
Hoc tu, sed quanto blandius, ipse facis?
Lecticā, sellam ʺ *que sequar? nec ferre recuso* ʺv. Sellamue.
Per medium pugnas, sed prior ire lutum.
Sæpius assurgam recitanti carmina? ʺ *tu stas,* ʺv. testis.
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
ʺ *Diuisit nostras purpura vestra togas.* ʺVide Turn. li. 10 cap. 10. ʺv. Dimisit.

DOMITIVS.

CVM *tu.*] In Paullum commiserans pauperum conditionem, quòd iam nobiliores ita omne captationis genus occupauerint, vt pauperibus locus non sit.

INTRAS *annum fascibus.*] i. qui geris consulatū.

A DE *plebe Numæ.*] Numa fuit pauper inter reges. i. sumus pauperes, & ignobiles.

DOMINVM *& regem.*] Hæc duo verba sunt pauperum blandientium diuitibus.

PVGNAS.] Faciens iter.

IN *geminas manus.*] Datur assentatori vt à facie iactet manus. Iuuen.

Nocte, dieque potest alienum sumere vultum:
A facie iactare manus, laudare paratus.
Si bene ructauit, si rectum minxit amicus.

ESSE *clienti.*] Seruire.

VESTRA *purpura.*] Id est, vos nobiliores.

NOSTRAS *togas.*] i. nos pauperes.

IAM *togatis non est opus.*] Quia purpurati eadem officia præstant.

DIMISIT.] Ab officiis exclusit.

In Calliodorum. XI.

B *Nil aliud loqueris, quàm Thesea, Pyrithoūq;*
Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pyrithoi.
Donaui tamen, inquis, amico millia quinque,
Et ʺ *lotam, vt multum terq; quaterq; togā.* ʺv. lotam. multum.
Quid quòd nil vnquam Pyladi donauit Orestes?
Qui donat quamuis plurima, plura negat.

C DOMITIVS.

NIL *aliud.*] Calliodorum qui vix exiguo munere dato se Pyrithoo, aut Pyladi parem prædicabat, quoniam alter cum Theseo, alter cum Oreste inter paria amicorum numeratur. At poëta negat muneribus quemquam posse videri verum amicum: nam veris amicis communia omnia esse oportet.

MATELLAM] i. scaphium vas vrinarium.

PORCOS *Pyrithoi.*] Antiqui heroës habebant porcos, vt Vlysses apud Home.

VT *multum.*] Ad summum verbum Marti.

PLVRA *negat.*] Quia non vult reliqua esse communia.

Ad Domitium. XII.

D *Aemyliæ gentes, & Apollineas Vercellas,*
Et Phaëthontei qui petis arma Padi.
Ne viuam nisi te, Domiti, ʺ *permitto libenter,* ʺv. admitto quid ii tegatur permitto. ʺv. cūm.
Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, vt messe vel vna ʺAlbos ami cos vocare videtur in otio & vmbra conditos.
Vrbano releues colla perusta iugo.
I precor, & totos auida cute combibe soles, λευκοὺς ἐξ σκιᾶς
Quàm formosus eris, ʺ *dum peregrinus eris?* ʺ σκιατροφίας vt Plutarchi verbis dicā.
Et venies ʺ *albis non* ʺ *cognoscendus amicis,* ʺal. agnoscendus.
ʺ *Libabitque tuas pallida turba* ʺ *genas.* ʺv. Liuebitq; ʺv. genis.
ʺ *Sed via quē dederit, rapiet citò Roma colorē,* ʺv. Te duce quē dederis.
Niliaco redeas tu licet ore niger.

DOMITIVS.

ÆMYLIÆ *gentes.*] Domitium profecturum in Æmyliam & Vercellas hoc epigrammate dimittit inuitus, quòd ei sit amicus, sed tamen permittit hoc, cùm cupiat eum recreari ex vrbanis laboribus, vna saltem æstate: simul ostendit hunc multis esse carissimum.

GENTES *Aemyliæ.*] Vbi Bononia.

VERCELLAS *Apollineas.*] Vercellis Apollineum cultum fuisse nondum legi: licet tamen sentire cultum illic fuisse, vel ex hoc loco Mart. Sunt qui sentiant Vercellas dici Apollineas propter aurū quod ibi effodiebatur, quod placet: nam Eustathio authore, aurum dicatum est Apollini, argentum Lunæ. fuisse autem fossum illic aurum testatur Plinius.

PADI *Phaëtontei.*] In quem Phaëton cecidit.

PERVSTA.] Attrita.

IVGO *vrbano.*] Seruitute vrbana.

TANTI *est.*] Tantum valet apud me.

QVAM *formosus.*] Quàm placabilis.

CVM *peregrinus eris.*] Id est, cùm veneris.

ALBIS *amicus.*] Qui in vrbe manserunt.

PALLIDA.] Turba amicorum.

ROMA.] Amici Romani.

NILIACO *ore.*] Ægyptii fusci sunt.

Ad Tuccam. XIII.

Cū[a] cathedralitios portet tibi rheda ministros (Vide Turn. li. 10. ca. 10.)
Et Libys in longo puluere sudet eques,
Strataque non vnas[b] cingant triclinia Baias, ([b] v. tangant.)
Et Thetis vnguento palleat vncta tuo.
Candida Setini rumpant[c] crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus. ([c] Crystalla pro Crystallinis dixit. Trientes autē quatuor vini Cyathi.)
Ad nocturna iacet fastosa limina mœcha,
Et madet heu lacrymis ianua surda tuis.
Vrere nec miserum cessant suspiria pectus.
Vis dicā, malè sit cur tibi Tucca? bene est.

DOMITIVS.

CVM.] Cathedralitii homines dicuntur molles, suprà. *Inter fœmineas tota qui luce cathedras Desidet.* Tales ministros habebat Tucca, & multa præterea ad luxum, sed captus amore mœchæ quotidie superabat. Scis, inquit poëta, quare male habes ô Tucca? quia est tibi bene, nam ditissimus es.

AD *lumina nocturna.*] Id est, tu nocturnus.

FASTOSÆ.] Superbæ, & spernentis te.

MADET.] Lachrymis tuis.

RHEDA.] Currus erat quo extra vrbem vtebantur. Sequebatur, inquit Asconius, vxor Clodij cum rheda.

LIBYS *eques.*] Hoc est eques Massileus, erat enim in delitiis equus Massileus.

IN *longo puluere.*] Dum egredieris ex vrbe.

TRICLINIA *stra.*] Paratam cœnationem.

BAIAS *Nolanas.*] i. villam tuam amœnissimam.

TVO *vnguento.*] Vel croci, vel vnguento, quo vteris in cœna.

TRIENTES *setini.*] i. vt cyathi vini setini.

VENVS *in meliore pluma.*] Quæ dormit in pluma olorina, & tu in eadem dormis.

A

In Crispum. XIIII.

Cedere de nostris nulli te dicis amicis.
Sed, sit vt hoc verū, quid rogo, Crispe, facis?
Mutua cùm peterē sestertia quinque, negasti:
Non caperet nūmos cùm grauis arca tuos.
Quando faba nobis modium farrisq; dedisti;
Cùm tua Niliacus rura colonus aret?
Quando breuis gelidæ missa est toga tempore brumæ?
Argenti quando missa selibra mihi est?
Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quàm quòd me coram pedere, Crispe, soles.

B

DOMITIVS.

CEDERE.] Ad Crispum. Te non cedere in amore. i. non vinceris in amore erga me.

NON *caperet.*] Non posset continere.

CVM *tua Niliacus.*] Id est, cùm habeas rura fertilissima.

De Apro. XV.

Dotatæ vxori cor arundine fixit acuta:
Sed dum ludit Aper,[d] ludere nouit Aper. ([d] Sentit ludere, vt ludat in vocum παρηχήσει, ludere & lędere.)

DOMITIVS.

C

DOTATÆ.] Aper diuitem vxorem ludo simulato sagitta necauit. videtur fortasse vobis id commisisse per errorem, quia nesciret ludere, immo sciuit ludere, nam factus est diues morte vxoris.

DOTATÆ.] Locupleti. Dotata vt Marcellus scr. cuius vir rei copia dicitur affluens.

In Caium. XVI.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai:
Vincam te donis muneribusque meis.
Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in aruis,
Aurea quicquid habet diuitis vnda Tagi,
Quicquid Erythræa niger inuenit Indus in alga,
D
Quicquid & in nidis vnica seruat auis,
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aëno,
Quicquid habēt omnes, accipe, quomodo das.

DOMITIVS.

SI *donare.*] Caium deridet, qui solis promissis volebat videri amicus, & liberalis: si, inquit, promittere, est donare, ego promittam tibi multo plura, quàm tu mihi. quæ accipies quomodo tu das mihi.

ASTVR.] Astures fodiunt aurum in Gallatia. Silius.

—— Astur auarus
Visceribus lacerætelluris mergitur imis
Et redit infelix effosso concolor auro.

ALGA *Erythræa.*] In fundo maris Erythræi, nam

Plinio

Plinio authore, margaritæ ab Indis vrinantibus in A fundo maris Rubri colliguntur.

AVIS *Vnica*] Phœnix.

AENO *Agenoreo.*] i. vase purpuræ.

De Macro, ad Musam. XVII.

Saturnalitio Macrum fraudare tributo
Frustra, Musa, cupis: non licet, ipse petit:
Solenneisque iocos, nec tristia carmina poscit:
Et queritur nugas obticuisse meas:
Mensorum longis sed nunc vacat ipse libellis,
Appia quid facies, si leget ista Macer?

DOMITIVS.

SATVRNALITIO] Sternebatur via Appia à Dom. vt supra dictum est, cui operi præfectus erat Macer. ad hunc poëta in saturnalibus solebat carmen mittere, nunc eo occupato alloquitur musam quasi recusantem illuc accedere.

FRVSTRA *cupis*] Quia non impetrabis hoc à me, quia omnino mittam te.

TRIBVTO] i. carmine, quod soleo mittere in saturnalibus.

SOLENNES] Quos soleo mittere singulis annis.

NVGAS] Versus.

OBTICVISSE] Siluisse.

MENSORVM] Mensores dicuntur, qui de spatiis itinerum scripserunt, & ratione viarum: in quo fuerunt Diognetus, & Betonlolius: item Vispus nonnulla de viis apud nos tradidit. Horum libros legebat nunc Macer, vt Appiæ muniendæ rationem C perciperet.

VACAT] Dat operam.

APPIA *quid facies*] Quasi dicat, negligetur Appia.

De Mario. XIIX.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere, sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum.
Heu quàm perfatuæ sunt tibi Roma togæ!

DOMITIVS.

NEC] Nimium studium colendorum diuitum D carpit: nam vsque eo processit pauperum assentatio, vt etiam si nihil miserint diuites, tamen eos colant. In quo genere Marium auarum accusat, qui multos togatos habebat, cùm nihil is mitteret, & quòd grauius est, Marius cùm sit pauper, nec possit dare, colitur. in quo non modo hominem deridet, sed etiam togatos eum sequentes:

SPONDET] Pro comitibus.

STERILEM] Nihil reddentem.

PERFATVÆ *togæ*] i. fatui togati, qui steriles amicos colunt, non modo diuites, sed etiam pauperes. Codex antiquus habet, fatuæ togæ & non perfatuæ.

Mittit librũ suum ad Plinium. XIX.

Nec doctum satis, & parum seuerum,
Sed non rusticulum nimis libellum,
Facundo mea Plinio Thalia
I perfer, breuis est labor, "peractæ [* fort. peracta.]
Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburę,
Vbi vertice lubricum theatri,
Miranteisque feras, auemque regis,
Raptum quę Phryga pertulit tonanti.
Illic parua tui domus Pedonis
B *Cęlata est aquilę minore penna.*
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.
Totos das tetricę dies Mineruę,
Dum centum" studet auribus virorum, [* v. vacat.]
Hoc, quod sęcula, posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis:
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Cùm regnat rosa, cùm madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

DOMITIVS.

NEC *doctum*] Plin. Secundum hoc epigrammate laudat: cuius rei Plin. ipse in epistolis meminit. Mittit autem librum legendum, & monet vt eius domum quærat in Æsquiliis.

PARVM *seuerum*] Versantem in iocis.

BREVIS *est labor*] i. tibi tantum peragendum est inter.

SVBVRRÆ] Vt peruenias in Esquilias.

LVBRICVM *theatri*] Erat enim Orpheus prope theatrum, vel igitur ex stillicidiis theatri, vel ex vnguento theatrali lubricus, & vdus erat.

MIRANTES] Sonum Orphei.

AVEM *regis*] Aquilam. hæc est illa imago, in quam supra est epigramma,

Dic mihi quem portes volucrum regina Tonantem.

PEDONIS] Ille est Pedo, cuius meminit Iuue.

Sic Pedo conturbat Matho deficit. Pedonis poëtæ meminit Oui. *Sidereusque Pedo.* Sed hic alter est.

CÆLATA *penna minore*] Quam illa, quæ Ganymedem sustulit Ioui.

IANVAM] Plini.

NON *tuo tempore*] i. intempestiua, & ante calicas.

DAT *totos dies Miner. tetricæ*] i. literis seueris.

CENTVM *virorum*] Erat enim patronus apud centum viros, qui erant iudices, vt ipse in epistolis scribit.

TVA *hora*] Retulit ad illud, quod supra: *Non tuo tempore.*

ROSA] Nam rosacea corona in luxu erat.

TVNC] Eo tempore spatio Lyæo.

Ad Manium. XX.

Ducit ad auriferas quòd me Salo Celtiber oras,
Pendula quòd patriæ visere tecta libet.
Tu mihi simplicib⁹,'' Mani, dilect⁹ ab annis, (v. Caussis et mansuetus. Vbi ego libertet essem lectutus, Mani notus, si vocatiuus esset Græcus, aut Mani amatus, eò quod clarior videtur sententia.)
Et'' prætextata cultus amicitia, (al. pueris iuncta.)
Tu facis, in terris, quo non est alter Iberis
Dulcior, & vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Getula mapalia Pœni,
Et poteram Scythicas'' hospes amare casas. (v. hostis.)
Si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocumque loco Roma duobus eris.

Idem Græcè.

Ὅττι Σάλων με καλεῖ πρὸς χρυσοῦ μητέρα γαίην,
Τῆς τε πάτρης ποθέω κτίσμα κάτ' ὄμματος ὁρᾶν,
Αἴτιος εἶ σὺ ἐμοῦ παιδόθεν κεχαρισμένε θυμοῦ,
Μάνιε, φιληθείς τ' ἐξέτι παιδὸς ἐμοί·
Οὔ τινος ἐν δήμοις ὁ φίλτερος ἀνὴρ Ἰβήρσιν,
Ἄξιος οὔτ' ἀτρεκέως μᾶλλον ἔρωτος ἐμοῦ.
Σὺν σοὶ ἐγὼ πλαγίων Λιβύων καλύβαισι μετεῖναι,
Καὶ σκηνὰς Σκυθέων μοῦνος ἐπελθέμεναι
Εἴ μοι ταὐτὰ φρονεῖς σύ, καὶ εἴ τι φιλεῖς ἐμὲ κυρῶς,
Ἔσται δὴ Ῥώμη πᾶς τόπος ἀμφοτέροις.

DOMITIVS.

DVCIT] Manium vna educatum à primis annis alloquitur, cuius gratia se in patriam redire fatetur, quod libenter facit, cùm non modò in patria causa Manij esse vellet, sed in Scythia si opus esset.

SIMPLICIBVS *annis*] Idest, puerilibus.

PRÆTEXTA *amicitia*] Idest, puerili, nam pueri ante xiiij. vtebantur prætexta.

ORAS *auriferas*] i. Hispaniam.

PENDENTIA *tecta*] Id est, Bilbilim, quæ in edito est.

MAPALIA] Casæ Getulorum, quæ calamis teguntur.

POENI *sicci*] Quia Pœni carent aquis.

CASAS *Scythicas*] Quæ in plaustris sunt, vt Stra.

ROMA *eris*] Idest, videbitur nobis vbicumque fuerimus propter mutuum amorem.

Ad Sextum XXI.

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix'' Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat? (v. Calanus.)
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sanè mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & sine grãmaticis.

A

DOMITIVS.

SCRIBERE] Sextum deridet qui obscuritate poematum doctus volebat videri & probari: ait enim se malè scribere carmina, quæ & grammaticis placeant, & sine grammaticis probentur, hoc est, intelligantur à lectoribus, quàm quæ doctissimo iudice & interprete indigeant. Fuisse nonnullos scrib. Quintil. authore Liuio, qui discipulos iuberent orationem obscurare, quod damnat.

CLARANVS, & *Modestus*] Iuris. fuerunt doctissimi, qui cùm in legum interpretatione versarentur, hos duos nominauit, cùm vellet acutissimos interpretes nominare.

CINNA] Cor. Cinna, cuius nonnulla carmina extant, perobscurè scripsit.

SIC] Ista obscuritate.

SINE *grammaticis*] i. sine interprete.

GEORGIVS.

B

SCRIBERE *te, quæ vix intelligat ipse Modestus, Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?*] Ego magis intelligo de Clar. quem in epistolis Sene. condiscipulum vocat, qui ingenio fuit fortissimo, ac beatissimo: de quo eodem Clarano hæc Ausonius:

Vrsule collega nobilis Harmonio,
Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus & Asper,
Quem sibi confert Varro.

In Philænem. XXII.

Cur spleniato sæpè prodeam mento,
Albáue pictus sana labra cerusa,
Philæni quæris? basiare te nolo.

DOMITIVS.

C

CVR *spleniato*] Philænim deformem, cuius vultum mentulæ comparauit supra, eo epigrammate, *Non basio te Philæni, rufa es*: monet quare spleniis vtatur & labris cerussatis, ne scil. eam basiet.

MENTO *spleniato*] i. mento tecto spleniis.

CERVSSA] i. vnguento.

De M. Antonio. XXIII.

Iam numerat placido felix Antonius æuo
Quindecies actas Primus Olympiadas:
Præteritósque dies, & totos respicit annos:
Nec metuit Lethes iam propioris aquas.
D *Nulla recordanti lux est ingrata, grauísque:*
Nulla'' fuit cuius non meminisse velit. (v. tædio.)
Ampliat ætatis spatiũ sibi vir bonus: hoc est,
Viuere bis, vita posse priore frui.

Idem Græcè.

Ἡσύχου εὐδαίμων βιοτῆς Ἀντώνιος ἤδη
Πέντ' ἐπὶ τοῖς δέκ' ἐτῶν ἤνυσ' Ὀλυμπιάδας·
Ἤματ' ὄπισθε δέδορκε παροιχομένων ἐνιαυτῶν
Πάντα, καὶ οὐ Λήθης δείδε γείτον ὕδωρ.

Οὐδὲν πημαίνοντι οἱ ἡμέρ' ἔπλεον ἀνδὸς,
  Οὐκ ἔαδ' ἧ τινὸς ἧ μνήσεται ἀσπασίως.
Χρυσὸς αὐτὴρ βιοτῆς ἐκτείνε μέτρα· τόδ' ἐστὶ
  Δὶς ζώειν, ζωῆς τῆς πρὶν ἐπαυρόμεναι.

DOMITIVS.

IAM *numerat.*] Ant. Primus dictus Tolosanus, cuius meminit Tranq. in Vitellio, & supra poëta.

Marcus amat nostras Antonius Attice Musas,
Marcus Palladiæ non inficianda Tolosa.

Epicurum secutus relaxationi animi indulgebat, in quo à poëta eiusdem sectæ laudatur.

IAM.] Hoc die natali: nam celebratur natalis.

PRIMVS.] Cognomen est: nam dicebatur Anto. Primus, authore Suet.

PLACIDO *æuo.*] Placida vita.

QVINDECIES *Olympiadas.*] i. lxxv. annos.

RESPICIT *dies præteritósq;*] i. acta vita delectatur.

NVLLA *lux ingrata.*] i. nullus dies displicet.

CVIVS *non meminisse velit.*] i. cuius recordatione non delectatur.

POSSE *frui priore vita*] i. posse capere voluptatem vitæ præteritæ.

Ad Kalend. Martias. XXIV.

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus & puellæ:
Quinquagesima liba, septimámque
Vestris addimus hanc focis acerram.* *v. hoc. fort. huc.
His vos, si tamen expedit, roganti
Annos addite ter precor nouenos:* *v. bis.
Vt nondum nimia piger senecta,
Sed vitæ tribus aureis peractis* *V. Turn. li. 30. cap. 30. *areis legunt alii. Vetus Codex. aureis habet.
Lucos Elysiæ petam puellæ,
Post hæc tempora, nec diem rogabo.

DOMITIVS.

NATALES.] Celebrat natalem suum, & cum lvij. annum expleuerit, vt alij codices habent xviij. annos, vt alij xxvij. adhuc optat Calen. Martiis natus.

LVX *formosior.*] Pulchrior.

ET *puellæ.*] Quibus solent mitti munera hoc die ab amicis.

MIHI.] Natalem celebranti.

MITTVNT.] Munera. Martis autem Calend. munera mitti solebant fœminis, vt supra ex Tranquil. recitauimus.

QVINQVAGESIMA *liba.*] i. quinquagesimum sacrificium.

BIS *annos noue.*] i. bis nouenos, vt alij codices habent, ter nouenos.

NONDVM *piger nimia senecta*] i. nondũ decrepitus.

PERACTIS *tribus aureis vitæ.*] Si legis supra ter nouenos, conueniet fortasse, quod nonnulli ex vulgo dicunt de numero aureo, qui in nouenum numerum diuiditur, vt dicat tribus aureis, hoc est xxvij. annis perfectis: si legis bis nouenos, quod placet, tribus aureis intellige. i. tribus partibus vitæ aureis, quæ sunt A iuuenta, virilitas, & senectus. Hæ enim tribus sunt aureæ, & his solis videntur viuere, cùm nec infantia nec ætas decrepita vllam viuẽdi voluptatem habeãt: hoc inquam placet, quoniam optima ætas aurea dicitur esse, deterior argentea, pessima ferrea, vel aureis à numero elementorum nominis: nam sex sunt, ita ter fient, xviij. item solet à nominum literis numerum ducere: alij legunt areis peractis.

POST *hæc.* Quidam codex antiquus habet.

Post hæc, nec horam, nec diem rogabo.

Alij ita habent.

Post hæc tempora, nec diem rogabo. quod placet.

De Mutio. XXV.

B *In* matutina nuper spectatus arena* Vide Turn. li. 30. ca. 30.
Mutius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens, fortisque tibi, durúsque videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cùm dicatur tunica præsente molesta,* *v. molesta.
Vre manum: plus est dicere, non facio.* *v. nunc.

Idem Græcè.

Μούτιος, ὃν περὶ ἴδες πυρὶ σεχῖνον ἄρτι θέημα,
  Ὅστις τὴν ἰδίην ἔμβαλε χεῖρα πυρὶ,
Εἴ σοι καρτερόφρων δοκεῖ ἔμμεναι, ἢ μεγάθυμος,
  Τῶν Ἀβδηριτῶν ταῖς φρεσὶν ἴσα φρονεῖς.
C Εἰ γὰρ τις, βασιλῆος παρόντος, τὴν χεῖρα φαίη
  Καῖε τὶ μὴ ποιεῖν ἐστὶ γελοιότερον.

DOMITIVS.

IN *matutina.*] Repetitum est spectaculum Mutij. Idem supplicium magna animi constantia subiuit: nonnulli mirabantur. poëta inquit eum fortiorem videri potuisse, si non peccasset.

MATVTINA *arena.*] Matutino tempore.

ABDERITANÆ *plebis.*] Abdera vrbs Thraciæ condita ab Abdera Diomedis sorore, eadem instaurata à Clazomenis venientibus ab Asia, & dicta Clazomene: patria fuit Democriti.

PLEBIS *Abderitanæ.*] An dicit insanus es: nam Cic. in nat. Deorum, insaniam Abderitanis insitam affirmat: an dixit plebis Abderitanæ pro Thraciæ D hoc est, tu es crudelissimus, quales sunt Thraces, vt conueniat cum illo Horat.

Quale mollire posset
Impia Thracum pectora.

ET *plus dicere*] i. plus laudis est.

TVNICAM] i. satellitibus, & apparitoribus molestis. Vel tunica molesta præsente, quòd tunica qua deceptus est Mutius in scriba in spectaculo repræsentabatur.

NON *facio.*] Vt ostendat laudem animi esse, & non corporis: an retulit hoc ad innocentiam, quod placet: nam qui Mutium repræsentabat, scelere damnatus fuerat: cuius laus fuisset maior si non commisisset aliquid cur damnaretur.

GEORGIVS.

——Tunica præsente molesta,
Vre manum, plus est dicere, non facio.

Si anxius hic expositor se aliquando explicaret, & sensus aperiret, gratia aliqua illi haberi deberet, sed cùm omnia inuoluat, atque ex obscuris obscuriora faciat odiosus interpres, difficilis hic sensus aperiendus est. Legimus apud Se. ad Lucillium, tunicam fuisse alimentis ignium & illitam & intextam: de qua tunica idem alibi.

Nec scombris tunicas dabis molestas.

Nam scombri saliti, & reliqua salsamenta chartis obuoluta sub prunis torreri solent. De hac item tunica intellexit Iuuen. cum dixit,

Auri quod doceat tunica punire molesta.

Ergo sic intelligendum, Maior constantia, & animi magnitudo ostenditur, si præsente molesta tunica quā tortor intentet, dixeris imperanti, vt manum vras, non facio, vt pote tormentum ignis in molesta tunica passurus, quasi manum inureres, quando leuius sit B pati manū aduri, quàm corpus totū per ignē absumi.

De Varo. XXVI.

Vare Parathonias Latias " *modò vite per vrbes*
Nobilis, & centum dux memorande viris.
At nunc Ausonio frustra promissa Quirino
Hospita Lagæi litoris vmbra iaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec mæstis addere thura rogis.
Sed datur æterno victurum carmine " *nomē.*
Nūquid & hoc fallax, Nile, negare potes?

" Latia modò vite quo ostendit Centurionē fuisse. Ita Silius, vitis honore Perfunctus Latiæ.

" v. munus.

DOMITIVS.

VARE.] Varum centurionem in Ægypto extinctum, hoc epigrammate deflet, & celebrat.

VITE *Latiæ.*] i. centurionatu. nam centuriones vitem latiam gestabant. Plin. Centurionum in manu vitis. Lucan. de Scæua centurione.

Latiam longo gerit ordine vitem. Silius.
—— Nam vitis honore
Perfunctum Latiæ subito simularat agrestis.

Iuuenal.

Post hæc nodosam sumebat vertice vitem.

Et lege sancitum est supplicium militi, qui castigare D se volenti centurioni vitem tenuisset.

PARETHONIAS.] Ægyptias.

CENTVM *viris.*] Quia Centurio præerat centumviris.

FRVSTRA *promissa.*] Quia omnes sperabamus te rediturum.

THVRA *pin.*] Nam vaporem pinguem emittunt.

NILE *fal.*] Qui non reddidisti Varum.

NVNQVID *potes hoc negare.*] Vt non demus carmen victurum.

Ad Diodorum. XXVII.

Natali, Diodore, tuo conuiua Senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques.
A *Et tua tricenos largitur sportula nummos.*
" *Nemo tamen natum te, Diodore, putat.*

" Seneca in Apocolocyntosi. Nemo enim illum vnquā natum putauit. quibus verbis obscuritas generis notabatur.

DOMITIVS.

NATALI.] Diodori supra facta est mentio, & tradita historia. is enim Vespasiani temporibus citharœdus Imperatoris gratia floruit, nunc celebrat natalem: & alter, vt sentio, Diodor. magno quidem conuiuio, & mensa adeo, vt & senatus discumberet, & equester ordo, tamen ita ab omnibus vel negligebatur, vel habebatur odio, vt nemo ei munus mitteret, cùm alijs diem natalem celebrantibus dona ab amicis mitti solerent. Festiuè igitur poëta in hunc iocatur.

ACCVBAT.] Discumbit conuiua: nam promulgata lege Othonis à Domit. ad minorem numerum redacti sunt equites: cùm pauci essent, qui censum haberent equestrem, quando ita loquuntur anuli in distich.

Ante frequens: sed nunc rarus nos donat amicis.

NEMO *natum te putat.*] i. nemo mittit tibi munus: vt supra,

Natum nec semel te putabo.

Id est, non mittam tibi vllum munus in tuo natali.

Ad Ianum. XXVIII.

Annorum, nitidique sator pulcherrime mūdi,
Publica quem primū vota precésq; " *canūt.*
Peruius exiguos habitabas ante Penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
C *Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,*
Et fora tot numeras, Iane, quot ora geris.
At tu sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

" v. rogant.

Idem Græcè.

Αἰῶνος, κόσμου τε διαυγέος ἀρχιγένεθλε,
Δημοσίαις εὐχαῖς πρῶτος ἀειδόμενε.
Πρόσθε μὲν ὑπόδομον μέγαρον περίσεπτον ἔναιες,
Ἡ Ῥώμη μεσάτην ἔστειβε λεωφόρον.
Νῦν δ᾽ ἔργοισιν ἄνακτος ἐπιστρέφεται σέο ναὸς
D Ἰανὲ, πόσαις τ᾽ ἀγορῇς, ὅσσα πρόσωπα φέρεις.
Ἀλλ᾽ εὐεργεσίης σὺ τοσαύτης οὐκ ἀχάριστος,
Χαλκεί᾽ ἀιδίοις ἴσχε θύρετρα μοχλοῖς.

DOMITIVS.

ANNORVM.] Epigramma est in laudem Traiani, qui templum Iano dederit, addito quarto foro. Ædes Iani olim à Numa condita fuit. Dom. forum, quod transitorium appellauit, iuxta extruxit: hoc verbo Græco à Tranquil. & merodium appellatur: addito autem quarto foro à Traiano transitorij fori vsus cessauit.

QVEM.] Ianum.

PRIMVM.] Nam Kalendis Ianuarij publica sacra celebrantur Iano: cùm sis anni principium.

PERVIVS.] Vel quod referat ad forum transitorium, vel quod diximus, conditum à Domit. vel peruius hians frequentibus rimis laxus.

TOT fo.] i. quatuor fora. Bifrontem Ianum formauit antiquitas, quasi superum & inferum ianitorem, vt Macr. scrib. ex sententia Bassi eundem quadrifrontem, quasi complexum quatuor mundi climata.

TANTO mu.] Quantum dedit Traianus.

CLAVSTRA fer.] Hoc est, ianuas tuas ferreas: vt sint clausæ. i. da nobis pacem. nota est historia fabulosa vel ex Ouid. vel Macr.

Ad Sextilianum. XXIX.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancē,
Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ.
Et quam donabas dictis à Marte Calendis,
De nostra prasina est synthesis empta toga.
Iam constare tibi gratis cœpere puellæ.
Muneribus futuis, Sextiliane, meis.

DOMITIVS.

QVAM mihi.] Iocatur in Sextilianum non sine fellis aspergine: eum enim accusat quòd amore puellæ captus ei mittat omnia munera, quæ olim solebat mittere sibi in Saturn. & die eius natali: iam inquit amas, & poterit puella gratis constare, quam redimis meis muneribus.

DOMINÆ tuæ.] i. puellæ, cuius amore captus es.

TEMPORE Saturni.] i. in Saturnalibus, in quibus mittebantur munera amicis.

SYNTHESIS prasina.] i. viridis: verbo Græco vsus est: nam prasinus significat viride: & supra virgam prasinam dixit. Viridem autem vestem in vsu fuisse & hic indicauit.

Herbarum fueras indutus Basse colores,
Erat præsertim fascia pectoralis. Papin.
Nunc herbis imitare sinu. Iuuenal.
Viridem thoraca iubebit afferri.
Id est, indumentum pectoris: nam θώραξ Græcè significat pectus.

DE nostra toga.] i. ex qua emebas Synthesim amico Kalendis Martiis, quia ea die natus est Marti.

De Littore Formiano. XXX.

O temperatæ dulce Formiæ littus,
Vos, cùm seueri fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert,
Non ille sanctæ dulce Tibur vxoris,
Nec Tusculanos Algidósue secessus,
Præneste nec sic Antiúmue miratur.
Non blanda Circe, Dardanísve Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Lyris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena:
Hic summa leni stringitur Thetis vento:
A *Nec languet æquor: viua sed quies ponti*
Pictam Phaselon adiuuante fert aura.
Sicut puellæ non amantis æstatem
Multa salubre purpura venit frigus,
Nec seta longo quærit in mari prædam,
Sed à cubiculo, lectulóque iactatam
Spectatus alte lineam trahit piscis.
Si quando Nereus sentit Æoli regnum,
" Ridens procellas tuta de sua mensa ✝ v. Rides.
Piscina, rhombum pascit, & lupos vernas.
Natat ad magistrum delicata muræna.
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse iussi prodeunt senes mulli.
B *Frui sed istis quando Roma permittis?*
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus vrbis hærenti?
O vinitores, villicique felices,
Dominis parantur ista, seruiunt vobis.

DOMITIVS.

O temperatæ.] Formianam villam Apollinaris amicissimi celebrat hoc epigramma: simul accusat occupationes vrbanas, quibus fit vt tanta amœnitate rarus vtatur Apollinaris.

O Formiæ temperatæ.] Id est, cœli temperati. Formiæ à Laconibus conditæ sunt, dictæ ἀπὸ τῆς ὁρμιᾶς, i. à stationis felicitate, & inter loca amœna numerauit Pap.

C MARTIS se. op.] Id est, Romam.

INQVIETAS curas.] Ab affectu.

TVSCVLANOS.] Amœnissimum erat vinetis, floribus, & frequentibus villis. Papi.
Cedant Telegoni, cedant laurentia Turni
Iugera.
Iugera Telegoni, id est, Tusculum conditum à Telegono.

ALGIDOS secessus.] Id est, Albanum & Præneste inter loca amœna. Domus fortunarum: nam illic duæ Fortunæ colebantur sub imagine duarum sororum. Silius. *Fortunæ Prænestæ sacrum.* Papin.
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

ANTIVM.] Datum erat recessui principum, vt scribit Strabo, cùm ex laboribus vrbanis respirarent.

BLANDA Circe.] Id est, Circæi dicti à Circe. Papini.
Cedant vitrea iuga perfida Circes.

CAIETA Dardanis.] Troiana, nam dicta est Caieta à nutrice Æneæ, quamuis Strab. aliter sentiat, à
D curuitate enim putat appellatam Caietam. nam Lacones curua Caieta appellant. Papini.
Sedes Phrygio, quas debet alumno *Mittis anus.*

MARICA.] A matre Latini dicta.

NEC Lyris.] Deprauata dictio apud Strab. Et pro Lyris Eris scriptum est mendosè. Labitur autem ex Appenninis montibus, præterfluit Flegellas, deriuatur in locum sacrum, quem Minturnenses religiosissimè colunt. huius ripæ præsertim quæ Silera dicebantur: vt Cicero scribit, pro lege agraria, amœnissimæ erant.

SALMACIS.] Loca in vena Lucrina. ego puto hoc referri ad amœnitatem lacus Lucrini: nam Salmacim fuisse ad lacum Lucrinum nondum r-

Salmacim tantum in Caria fuisse nostrorum monimenta testantur fontem, cuius aquis homines mollescerent & effœminarentur, quamuis Strab. veritatem historiæ secutus, falso id existimari scribat, & Victru. rationem perquirat altius. Lucrinum lacum molles homines potuisse reddere, amœnitate & nitore suo, nemo est qui neget, cùm molles Baias legamus, mollem Lucrinum, & totum illud littus mollissimum. Apte igitur poëta cùm Lucrinum vult significare mollem & amœnum, ait Salmacem nympham in eo se lauisse. de cuius nymphæ fonte hi extant versus Oui. vnde & pulchritudinem & mollitiem intelligas.

Quisquis in hoc fonte vir venerit, exeat inde
Semiuir, & tactu subito mollescat in vndis.

Præterea.

——— Videt hic stagnum lucentis ad imum
Vsque solum lympha.

NEC *Salmacis.*] i. amœnitas Lucrini.
HIC.] In Formiano.
STRINGITVR.] Ventilatur.
SVMMA *Te.*] i. maris superficies.
SED *vi.*] i. mouetur.
VENIT *fri. sa.*] i. ventus salubris.
NON *amantis est.*] i. nequeuntis ferre calorem.
LINEAM.] Filum hami.
ÆOLI *regnum.*] i. ventos.
RHOMBVM.] Piscem.
LVPOS *vernas.*] Pisces illic natos.
MVRENA *del.*] In nonnullis piscinis pisces ita erant assuefacti à Magistro, vt vocati ad cibos venirent, nec in piscinis tantum, sed in mari multis in locis. In Ellore oppido Siciliæ non procul Syracusis. In labra Iouis Gnydi fonte anguillæ idem faciebant. Licinius Mutianus, vt scrib. Plin. tradidit Murenas euocari sibillis, quoniam solitæ coïre cum colubris ea voce alliciantur.

NOMENCLATOR.] Dicitur ille, qui apud magistratum profitetur nomina hominum, & nominatim vocat.

MVLLI *se.*] Aut senes propter barbam, quod placet, aut quia diu fuerant in piscina.
QVOT *dies Form.*] i. amœnos, quasi dicat, multos.
IMPVTAT.] Ascribat Apol.
HÆRENTI.] Nequeunti discedere à negocijs vrbanis.
O *vinitores.*] i. ô villici.
SERVIVNT *vobis.*] Quia vos soli fruimini.

In Calliodorum. XXXI.

Addidisti seruum nummis here mille ducentis, D ^v. Addixti.
Vt bene cœnares, Calliodore, semel.
Nec bene cœnasti: mullus tibi quatuor emtus ^v. Non.
Librarum cœnæ pompa, caputque fuit.
Exclamare libet, non est hoc improbe, non est
Piscis: homo est. hominē, Calliodore, voras. ^v. Comes.

DOMITIVS.

ADDISTI.] Calliodorum deridet, qui seruum vendiderat, vt benè cœnaret trecentis nummis, quibus mulum emit propter gulam, & vna cœna trecentos nummos absumpsit. In gulam inuehitur poëta. Addicere est plus precij pollicenti & vendere & alienare.

A POMPA, & *caput.*] Quia tota illa pecunia emisti mulum.
HOMINEM.] Seruum.

De imagine M. Antonij ad Cæcilianum. XXXII.

Hæc mihi quæ colitur violis pictura, rosisque
Quos referat vultus, Cæciliane, rogas? ^v. Cæcilia-ne.
Talis erat Marcus medijs Antonius annis:
Primus in hoc iuuenem se videt ore senex.
Ars vtinam mores, animūque effingere possit
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

B

Ad Numatium Gallum. XXXIII.

Simplicior priscis, Numati Galle, Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem. ^Socratem Innuit. vt alibi, Cuius Cecropia pectora voce madent.
Sic tibi cùm soceri claros retinere Penates ^v. Cūsoceri.
Perpetua nata det face casta Venus.
Vt tu si viridi tinctos ærugine versus ^Id est furore. & maledica inuidia. Turn. lib. 30. cap. 30.
Fortè malus liuor dixerit esse meos,
Vt facis, à nobis abigas: nec scribere quēquā ^v. stringere.
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de vitijs.

C

DOMITIVS.

SIMPLICIOR.] Nota conquestione Numacium rogat, vt quos versus legerit maledicos, suo inscriptos nomini, contēdat non fuisse scriptos à Mar. Venio nonnunquam in suspicionem Iuue. carmen notari, quia ita Satyram scribebat, vt ne modico quidem adiutorio eam committere vnquā ausus sit.
SIMPLICIOR.] Studiosior veræ virtutis.
SABINVS.] Nam Sabini simplicitate omnes, & bonitate superarunt.
SENEM *Cecro.*] Epicurum, qui idem Gargerius dictus est à Gargero pago, in quo est natus, authore Laërtio. Placet intelligas senem Cecropium. i. Epicurum, quia ipse poëta epicureæ sectæ est.
CASTA *Venus.*] Pudor vxoris. Numacius cum socero viuebat.
SIC) i. sic tu viuas cōstanti amore cum vxore tua domi soceri.
VIRIDI *eru.*) i. liuore & maledictis.
VT *facis.*) Quemadmodum cœpisti.
CONTENDAS.) Constanter steteris.
SERVARE *hunc modum.*) Hanc reuerentiam.
PARCERE *personis.*) Nominibus personarum abstinere.

Ad Trajanum. XXXIIII.

Dij tibi dent quicquid, princeps Traiane mereris:
Et rata perpetuò, quæ tribuêre, velint.

Qui sua restituis spoliato iura patrono:
Libertus exul non erit ille suis.
Dignus es, vt possis totum seruare clientem:
Vt liceat, tantum vera probare potes.

Totum, legit Iosephus Scaliger Commentario in Moretum ad versum 51. Nam de torquendis et accusatione libertorum aut seruorum Dominis intelligit. quod cum liceret tempore Domitiani, Nerua Imperator sustulit.

DOMITIVS.

DII *tibi*] Romulus cùm plebeios vellet esse tutos à patricijs, iussit vt vnusquisque eligeret sibi quem vellet patricium patronum. Officia autem clientis in patronum, & patroni in clientem præscripsit: tunc primum clientelæ & patrocinia instituta sunt, non tamen recenti exemplo, nam Thessali ante Romanorum tempora clientes suos habebant, quos appellabant Penates. i. pauperes, & Athenienses thetas. i. seruos mitiores. Romani dixere clientes, quasi se colentes, cliens patronum, nec patronus clientem poterat accusare, author est Dion. Halicar. Do. autem, vt Tran. scrib. promiscua quadam lege libertinos æquauerat militibus Romanis, maximis quibusdam officijs inter eos communicatis. Quod autem recitauimus de cliente, idem erat de manumisso, siue de liberto, qui patronum accusare non poterat: nuper Traianus libertos in suos fines redegit. & sua iura restituit patronis, vt scilicet, si liberti in officio nó essent, reuocari possent in seruitutem. Factum Imperatoris laudatur hoc epigrammate.

ET *ve. esse rata*] i. firma.

RATA] Verbum augurale. nam aues dicuntur facere rata, quæ firma faciunt alis, & garritu.

PATRONO *spoliato*] Nam patronus erat spoliatus iure suo, cùm paulo ante libertus esset æquatus domino.

EXVL *à suis libertis*] Exul erat paulo ante, quia nullum ius in suos libertos habebat, & poterat accusari.

DIGNVS *es*] Ciuis Rom. paulo ante non retinebat totam dignitatem amisso iure in libertos, propterea non erat integer parte sublata, nunc autem factus est tutus & integer restituto iure in libertum. ciuem Romanum appellat clientem Imperatoris. Restituisti, inquit poëta, ius suum patrono, vt maior sit laus tua ô Traiane, quod habeas clientem ciuem tuum Romanum integrum, quem seruas. Minor enim laus tua esset, si eum amissa dignitate seruares.

TOTVM] Integra dignitate.

VT *liceat*] Modo detur occasio.

POTES *probare esse vera*] i. potes ostendere.

De Sulpitia. XXXV.

Sulpitiæ poetriæ querela de infelici Reipub. statu sub Domitiano, extat inter Ausonianа opuscula.

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
Vni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Vni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ,
Scyllam, Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet, & pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cuius carmina qui bene æstimarit,
A *Nullam dixerit esse sanctiorem.*
Tales Ægeriæ iocos fuisse
Vdo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula vel hac magistra
Esses doctior, & pudica Sappho.
Sed tecum pariter, simulque visam
Durus Sulpitiam Phaon amaret.
Frustra namque ea nec Tonantis vxor,
Non Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viueret Caleno.

DOMITIVS.

OMNES *Sulpitiam*] Sulpitiæ carmen, & pudorem laudat, cuius meminit etiam Sidonius. hæc vxor Caleni carmen scripserat purè, & simpliciter.

B SVLPITIAM] Carmen Sulpitiæ, quæ scribit de amore coniugum.

PRANDIA *Thyestæ*] Qui apposuit natum fratri epulandum.

NEC *credit*] i. non credit fuisse veram fabulam de Scylla, cùm Sulpitia adeo casta, & pudica sit, vt hoc non potuerit existimare contigisse fœminæ.

BIBLIDA] Biblis amauit Cadmum fratrem filia Mileti, & Cyanes, conuersa tandem in fontem sui nominis, cùm defleret amores suos repudiatos.

LVSVS] Inter coniuges.

NEQVIOREM] Studiosiorem lusuum & iocorum inter coniuges.

ÆGERIÆ *iocos*] Ægeria nympha, cuius congressu Numa Pomp. volebat videri numinis alicuius monitu tradere leges Romanis. Eadem à nonnullis dicta est vna ex nouem musis: ad quod visus est alludere supra:

C *Siue Numæ coniux Triuia te misit ab antro,*
Siue camœnarum de grege nona venis.

Et hoc potes addere.

ANTRO] Nam Ægeria antrum habebat in nemore Aricino, vt Liuius.

ESSES *doctior*] Quàm fueris.

PHAON *amaret*] Ostendit pulchriorem Sulpitiam Sappho, & potuisset conciliare te Phaoni.

FRVSTRA *amaret*] Quia Phaon nihil à Sulpitia haberet.

In Munnam. XXXVI.

v. Nunnam

D *Improba Massilia quicquid fumaria cogũt,*
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus:
A te Munna venit: miseris tu mittis amicis v. Nunnã
Per freta, per longas toxica sæua vias. v. vina
Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
Nõ venias quare tã longo tempore Romam,
Hęc puto caussa tibi est, ne tua vina bibas.

DOMITIVS.

IMPROBA] Munnam tenentem vina mala deridet. Massilienses enim colorem, & ætatem vini, modo fumo, modo aloe adulterabant, authore Plin. supra est expositum, & dicetur in disti.

FVMARIA] Loca vbi condiebantur vina fumo. A
IMPROBA] Adulterantia vinum.
ACCIPIT *ætatem*] i. videtur vetus.
MISERIS *amicis*] Quibus mittis.
NEC *facili precio*] Sed magno, & difficili.
SETIA] Vinum Setinum.

Ad Maternum. XXXVII.

Iuris & æquarum cultor sanctißime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi, Materne, tuo veterique sodali
Callaicum mandas si quid ad Oceanum,
An Laurentino turpes in littore ranas,
Et satius tenues ducere credis acos?* B
Ad sua captiuum quàm saxa remittere mullum,
Visus erit libris qui minor esse tribus?
Et fatuam summa cœnare Pelorida mensa,*
Quosque tegit leui cortice concha breuis?
Ostrea Baianis quàm non liuentia testis,
Quæ domino pueri non prohibente vorēt?
Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos sordida præda canes.
Illic piscoso modò vix educta profundo
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani, C
Venator capta matre superbus adest.
Omnis ab vrbano venit ad mare cœna macello,*
Callaicum mandas si quid ad Oceanum.

* v. acut. Acus piscis ῥαφὶς & βελόνη: de quo Plin. l. 9 cap. 51. Ron del. lib. De piscib. 8. * Peloris ostrei genus, à Peloro promontorio, vel à mole conchæ.

* v. venit mea.

DOMITIVS.

IVRIS] Ad Maternum cuius meminit supra, & Plin. in epi. iam affectus tædio rerum vrbanarum secessurus in patriam rogat amicum, an velit aliquid mandare, simul comparat amœnitatem Iberiæ cum Italiæ sterilitate.
IVRIS] Imperfecta est oratio, sed intelligas sum discessurus.
ORE *ve.*] Non mentiente.
ACOS *re*] Aci pisces sunt, qui Græcè dicuntur D bellones. Hi pariunt confracto ventre multitudine partus exigui precij.
REMITTERE] Tanquam contemnendum.
SVA *sa.*] Hispaniæ.
MINOR *tribus libris*] Romæ in maximo erat precio, si perueniebat ad duas libras, vt Plin. post cuius tempora eundem piscem maioris ponderis fuisse, author est Macrobius.
PELORIDA] Peloris genus conchæ.
FATVAM] Sine pondere.
SVMMA *mensa*] i. lautissima mensa.
OSTREA *non liuentia*] Non inferiora, non inuidentia.
BAIANIS] Ostreis: nam illa res dicitur alteri liuere quæ est peior altera. Papin.

——Rupesque nitent, quis purpura sæpe
Oebalis, & tyrij moderator liuet aheni.

OLIDAM] Male olentem quando fugit.
PRÆDA] Vulpes.
HVMIDA *lina*] Retia.
IMPEDIENT] Implicabunt.
SVPERBVS] Tanquam aliquid magnum cepisset.
MARTE] Genus vulpis, cui fortasse accommodari potest. quod Arist. scrib Cinadon.
AD *mare*] Ad Laurentum.
AB *vrbano macello*] i. vrbe.
CALLAICVM] Discedo, inquit, si quid mandas in Hispaniam.

Ad Calenum. XXXVIII.

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpitia tua iugales
Indulsit Deus, & peregit annos!
O nox omnis, & hora, quæ notata est
Caris littoris Indici lapillis!
O quæ prælia, quas vtrinque pugnas
Felix lectulus, & lucerna vidit,
Nimbis ebria Nicerotianis!*
Vixisti tribus, ô Calene, lustris:
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos, vel vnam,
Malles, quàm Pyliam quater senectam.

* à Nicerote myropola côcinnatis.

DOMITIVS.

O *molles*] In gratiam Sulpitiæ hoc scriptum est, dum Calenum coniugem felicem vocat: quod. xv. annis cum tali vixerit vxore, & nullum diem perisse ait, quo veram vitam non egerit.
O *molles*] O iucundos.
IVGALES] Matrimoniales.
NOTATA] Signata tanquam felix.
CARIS *lapillis*] Margaritis.
LITTORIS *Indici*] i. maris rubri.
O *quæ prælia*] Locus Propertij:

Quam multa apposita narramus verba lucerna,
Quantaque sublato lumine rixa fuit.

NIMBIS *Nicerotianis*] i. in vnguento. Nicerotes autem pinguentarius Syrius fuit: Laberius,

Et quicunque Syrus Nicerotes solet:
Quicquid croci, casiaque cinnamique vdus
Casarie spirat delicatus Arabs,
Hoc totum vobis nunc ad scenam adfero.

VIXISTI] Veram vitam egisti: nam tantùm viuunt, qui veram agunt vitam.
COMPVTATVR] Ascribitur sibi, tanquam præstita à te.
SOLOS *numeras dies mariti*] i. solum vixisti eo tempore, quo fuisti maritus.

In Lesbiam. XXXIX.

Consule te Bruto quid iuras, Lesbia, natam?
Mentiris, nata es, Lesbia, rege Numa.
v. narrent. *Sic quoque mentiris: namque vt tua " secula narrant,*
Ficta Prometheo diceris esse luto.

DOMITIVS.

CONSVLE] In Lesbiam anum, quam dicit non esse natam aliquo consule, vt alij computabant suos annos: sed temporibus Numæ, vel potius fuit ficta Prometheo luto, hoc est, cœno Promethei, qui finxit hominem ex luto. Tu fuisti prima mulier, quam finxerit, adeo anus es.

Ad Lupum, de Polla. XL.

Semper cùm mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo:
Irrupi, Lupe, non erat cinædus.

In Proculeiam. XLI.

Mense nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.
Quid rogo, quid factum est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? dicā ego: Prætor erat.
*Constatura fuit * " Megalensis purpura centum*
Millibus, vt nimiū munera parca dares:
Et " populare sacrum bis millia dena tulisset.
Dissidium non est hoc, Proculeia: lucrum est.

*V. Cornel. Vitellij annotationes in Merulā. " Toga picta, qua ludis Megalensibus vtebantur prætores. Bayf de re vestiar. " Vide Tur. l.10. cap.30.

DOMITIVS.

MENSE] Proculeia maritum dimiserat facto diuortio, nullam aliam ob causam, vt vaticinatur poëta, nisi quòd factus erat prætor, & ludis Megalensibus multa erant impendenda, quæ vxorem oportuisset suppeditare: simul igitur & paupertatem prætoris notat, quæ ex sola vxore pendebat, & nouum Proculeiæ consilium.

VETEREM] Quem diu habuisti.

HABERE *res suas*] Verba sunt ex ritu diuortij, vt apud iurisc. nam coniuges dissidentes alter alteri dicebant: Res tibi habeto tuas: res tibi agito tuas.

ERAT *prætor*] Et cùm sit prætor, noluisti eum.

CONSTATVRA *pur.*] Purpura Megalensis dicitur qua prætores in Megalensibus vti solent: nam Megalenses ludi à prætoribus celebrabantur in honorem magnæ Matris, mense Aprili: quos ludos curant purpura induti penè triumphali. Iuuen.

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ,
Idæum solenne colunt, similisque triumpho
Præda caballorum prætor sedet.

SACRVM *populare*] Megalensia appellat sacra popularia, hoc est, gratissima populo: nam his pop. Rom. maximè delectabatur, quod Iuuen. notauit.

Nam si deficeret, mœstam, attonitamque videres
Hanc vrbem.

TVLISSET] Absumpsisset.

EST *lucrum*] Ne istam pecuniam amittas in marito prætore.

GEORGIVS.

CONSTATVRA *fuit Megalensis, &c.*] Ita permiscet & obturbat hic literator, quæ poëta discernit, vt iam laboriosius sit distinguere, quæ hic confundit, quàm difficiles sensus aperire, vt hic in hoc loco. Nam per verba poëtæ populare sacrum à Megalensibus differt, quantum centum millia in ludis Megalensibus impendenda essent, in sacro populari bis dena absumerentur: sed populare sacrum ludos Florales intelligo, in quibus missio fiebat in populum ab ijs qui gratiam plebis quærebant. Persius.

——Vigila & cicer ingere largè
Rixanti populo, nostra vt Floralia possint
Aprici meminisse senes.

Populare autem sacrum ideo dixit, vel quia erat populo per eos dies lasciuia, atque licentia maior: vel quia Flora cùm magnas opes ex arte meretricia quæsiuisset, pop. Rom. scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum: quos appellant Floralia. hæc Lactantius. Existimo autem per ludos Megalenses præturam significari: per sacrum populare, hoc est, Floralia, ædilem intelligi. Nam tam prætor, quàm ædilis populo Romano largitiones & munera dabat: & arbitrio ædilium, quantum ex Ouidio percipi licet, Floralia gerebantur: in epigrammate.

Ad Dindymum. XLII.

Tam dubia est lanugo tibi, tam mollis, vt illam
Halitus, & soles, & leuis aura terat.
Celantur simili ventura Cydonia lana,
Pollice virgineo quæ spoliata nitent.
Fortius impressi quoties tibi basia quinque,
Barbatus labris, Dindyme, fio tuis.

Ad Philerotem. XLIII.

Septima iam, Phileros, tibi conditur vxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quā tibi, reddit ager.

Idem Græcè.

Ἑβδόμην, ὦ Φίλερως, καὶ τὴν σοι ἄλοχον ἐν ἀγρῷ.
Μηδενὶ γαμῶ, Φίλερως, ἀγρός ὡς σοι ἀπέχει.

A

Ad Q. Ouidium. XLIV.

*Supra lib. Spectaculorum Epig. 7.

Quinte * *Caledonios Ouidi visure Britãnos,*
Et viridem Tethyn, Oceanumq; patrem.
Ergo Numæ colles, & Nomẽtana relinques
Ocia? nec retinet rusque focusque senem?
Gaudia tu differs: at non & stamina differt
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.
Præstiteris caro (quis nõ hoc laudet?) amico,
Vt potior vita sit tibi sancta fides.
Sed reddare tuis tandem mansure, Sabinis:
Téque tuas numeres inter amicitias.

DOMITIVS.

QVINTE] Qu. Ouid. in Britãniam proficiscentem monet vt aliquando velit se ad otium conferre & viuere, præsertim cùm satis sit quòd olim Maximum Cæsonium exulem secutus est: non veritus Neronis indignationem.

OVID.] Ouidius quidem est apud Plutarch. sed eundem esse non arbitror. huius suprà meminit.

CALEDONIOS *Britannos*] Caledonia silua Britanniæ, quo arma Romana processerunt.

PATREM *Oceanum*] Qui ambit terram, vel vnde reliqua maria deriuantur mediterranea.

REDDERE] Restituaris.

INTER *amicitias*] i. velis frui amicitijs.

* De libellis suis.

*In delicatum lectorem. XLV.

Si quid lene mei dicunt & dulce libelli:
Si quid honorificum pagina blãda sonat:
Hoc * *tu pingue putas, &* * *costam rodere mauis,*
Ilia Laurentis cùm tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto:
Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.

* languere.
* v. tostam.

DOMITIVS.

SI *quid*] malum interpretem sui carminis accusat, qui ita legat: vt si quid esset in his, quod felle careret, reprehenderet, tanquam pingue & cassum: Obscœna autem laudaret.

RODERE *costam*] i. vis maledicum carmen: translatio ab apro.

APRI *Laurentis*] Qualem mittit Laurentum.

BIBAS *Vaticana*] i. quæras malos poëtas.

NOSTRA *lagena*] i. nostrum carmen: perstat enim in metaphora.

In Mathonem. XLVI.

Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et benè: dic neutrum: dic aliquãdo malè.

DOMITIVS.

OMNIA] Ita Matho laudabat carmen, vt diceret belle scriptum esse, frigide laudans: Huius liuorem cũ notet poëta ait, *O Matho tu vis dicere omnia belle.* Id est, vitupera aliquando, si piget laudare. Sunt qui referant hoc ad studium Mathonis, qui conabatur orationem semper belle componere. In quo Mart. eum deridet. placet prior sententia.

Ad seipsum. XLVII.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundißime Martialis, hęc sunt:
B *Res non parta labore, sed relicta:*
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa:
Nox non ebria, sed soluta curis:
Non tristis torus, * *attamen pudicus:* * v. ac itemq.
Somnus, qui faciat breues tenebras:
Quod sis, esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

C

Idem Græcè.

Ζηλῶ ἅσσα τὸν ὀλβιώτερον δρᾷ,
Ταῦτ᾽ ἐστὶ πάμμαρτε Μαρτιάλις·
Οὐ κτηθέντα πόνῳ, ἀτὰρ λιπόντα·
Πῦρ ἄσβεστον, ἀγρός τε οὐκ ἀηδής·
Νοῦς εὔφρων, ὀλίγαι δίκαι, ἄδυες
Ῥώμη τ᾽ εὐγενὲς ἀρτεμές τε σῶμα·
Ῥήϊστος βίοτος, τράπεζ᾽ ἄτεχνος·
Εὐήθης σύνεσις, φίλοι τε ἴσοι·
Νὺξ αἰεὶ ἀμέθυστος, ἠδ᾽ ἄφροντις·
D Εὐνὴ πάμπαν ἄλυπος, ἠδὲ * σώφρων
Ὕπνος νήδυμος, ἐν βραχεῖ γνόφῳ δέ.
Βούλεσθαι ὅπερ εἶς ἔμεν δοκεῖν τε·
Ἦμαρ ὕστατον οὐ ποθεῖν δέειν τε.

Huius Phaleucij Parodiam Hiero. poematio nostro inseruimus.

Pindar. Pythio. II. Antistr. II. Εὐναὶ μεσόθεν ἐς κακότητα ἀθρόαν ἔβαλον ἤ ποτ᾽ ἰκάρια.

DOMITIVS.

VITAM] Per munera vitæ beatæ seipsum alloquitur: & ex sententia Epicuri hæc scrib.

PARTA] Quæsita.

NON *ingratus*] Non nimium fertilis.

TOGA *ra.*] i. rarum officium erga diuites: sequebantur enim in toga diuites.

VIRES *ingen.*] Non portentosæ.

SALVBRE] Quia non vexetur auersa valetudine.

PARES *amici*] Vt non habeat superiores.

FACILIS] Non quæsitus magno labore.

Breves *tenebras*] i. sit tibi somnus suauis, vt nox videatur breuis.

Summum *diem*] Id est, mortem.

Parat conuiuium. XLVIII.

Nunciat octauam [a] Phariæ sua turba iuuencæ,
[l] Et pilata redit, iamque subitque cohors.
Temperat hic thermas, [b] nimios prior hora [c] vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis.
Septem [d] signa capit, sex sumus, adde Lupum.
Exoneraturas ventrem mihi villica maluas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes:
In quibus est lactuca sedens, & [e] sectile porrum:
[f] Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.
Secta coronabunt rutatos oua lacertos,
Et madidum thynni de sale sumen erit.
Paruus [g] onyx vna ponetur cœnula [h] mensa
Hædus, inhumani raptus ab ore lupi.
Et, quæ nō [i] egeant ferro structoris [l] Ofellæ,
Et faba fabrorum, [m] prototomique rudes.
Pullus ad hæc, cœnisque tribus iam perna superstes
Addetur: saturis mitia poma dabo.
De Nomentana vinum sine fæce lagena,
Quæ bis Frontino Consule prima fuit.
Accedent sine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, & nil quod tacuisse velis.
De Prasino conuiua meus, Venetoque loquatur:
Nec faciēt quemquā pocula nostra reum.

a Isidis sacrum.
b v. nimio.
c v. Vapore.
d Vide Nomenclatorem Iunij.
e v. consile.
f Et destupratrix mētha. Sed vetusti codicis mei manifesta scriptura est, Et destupratrix mētha, sed, &c. quo discrepātes vites menthæ innuit, vt destupratrix sit: quod seminalem vim cohibeat & infringat, colliquādo genitale semen viri, vt præter Hippocratem Plinius, & Cassianus Basius prodidere: vnde & Oppianus ἀνάφροδισ, mentham dicit, quòd vero libidinem exstimulet, vno omnes Medici ore prædicant.
g v. in his.
h Mensa Hædus.
i v. egeat.
l v. ofella.
m Cornarius in Galenum de compos. κτ' γέν.

DOMITIVS.

Nunciat] Inuitat amicos in balnea, & cœnam pollicetur frugalem, sed ingenuo stomacho. Isis Romæ colebatur iuxta campum Martium. Iuuen.

Antiquo quæ proxima surgit ouili.

Huius sacerdotes habitu lineo cum sistris sacra celebrabant repræsentantes indagationem filij, quem olim amissum, vt Hero. & Lact. scribunt, & anxiè perquisiuit, & fleuit: timens ne quid ei accideret, quod patri euenerat Osiridi.

Octavam] Hora octaua, hæc sacra erant absoluta.

Sua *turba*] Sacerdotum.

Ivvencæ *Pharia*] Isidi.

Pilata] Sistrata.

Redit] Ab indagatione.

Immodico *Nerone*] i. immodice æstuantibus, Neronianis thermis.

Septem *signa*] Alludit ad cœnationem, nam nonnullæ cœnationes sex capiebant, aliæ septem, aliæ octo: de stipadio in dist.

Accipe lunata scriptum testudine signa,
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Adde *Lu.*] Qui erit septimus.

Sedens] Sessilis, quæ eadem dicitur Laconica.

Sectile *por.*] Ad differentiam capitati.

Rvctatrix] Codex antiquus habet stupratrix.

Menta] Mentam Græci mintham olim dixerunt, gratissimi est saporis, vt scrib. Plin. in rusticis præsertim dapibus: in hanc versa est puella amata à Plutone. si ructatrix legis, dicitur quia facit ructare: Si stupratrix, quod placet ex codice antiquo, alludit ad nomen diminutiuum mentula.

Herba *sa.*] Ego puto de eruca intelligi, quæ facit homines salaces: Columella.

Excitet vt Veneri tardos eruca maritos.

Ova *secta*] Erat genus condimenti ex ouis & liquamine salso: supra,

Diuisis cibium latebit ouis.

Cibium significat pylamidem concisam.

Rvtatos *lacer*] Ruta ab vrendo dicitur: eius manipulus vicem liquaminis salsi & olei nonnunquam præstat. Lacertos igitur pisces dicit rutatos. i. ruta conditos, & mustum rutatum legimus datum à Cornelio Cethego pop. Rom. in consulatu.

Svmen *thynni*] Piscis: nam sumen thynni in precio erat, cauda minime, quia caret pingui.

Onyx] Accipitur pro salino apud Horat. quamuis sit ampulla marmorea, vt Porp. interpretatur. Hic legitur Paruus onyx, sed alius codex habet Paruus in his: & melior sententia est.

Vna *cœn.*] Quia totus absumetur.

Raptvs] Semilaceratus à lupo.

Strvctoris] Vt apud Iuuen. dicebantur, qui mensas, & cibaria curabant, at nonnunquam scindebant.

Ofellæ] Significat panem medicatum: à Var. autem numeratur inter carnes conditas.

Faba] Quibusdam herbis condita fabrilis dicebatur: Colu.

Quæque fabis habilis fabrilia misceat.

Prototomi] Dicuntur primi caules, qui succiduntur, vt verbum ipsum indicat. Nam πρῶτος significat primum, τέμνω incido: Colum.

Et iam Prototomos tempus decerpere caules.

Perna] Petaso.

Svperstes *cœnis tri.*] i. quæ reliqua fuit.

Sine *fece*] Protopum dicitur vinum, quod primum defluit sponte, nec exprimitur.

Bis *plena*] Iocatur: dicit se daturum vinum ex lagena, quæ fuit plena bis Frontino consule, vt nouum indicet vinum. Imitatio est Horatij,

Vina bibes iterum Tauro diffusa.

Alibi legitur, consule prima fuit.

Nec *tim. mane*] Hoc est, cuius te non pœniteat mane sequenti, vt ebrios pœnitet libertatis loquendi.

Prasino *& Veneto*] De duobus aurigis carissimis Imperatori.

Qvenqvam *reum*] Hoc est, si quid dictum fuerit inter pocula, neminem accusabimus.

GEORGIVS.

Nvnciat *octauam Pharia sua turba iuuenca,*

Et, &c.] Pilum à sistro perquam longè differt: nam altera corpora cædimus, alterum manibus pulsamus & concutimus, vnde Græcè nomen inditum est sistris ἀπὸ τοῦ σείω: hoc est quatio, quod est concutere, sed pilatam turbam potius, sacerdotes Isidis accipio: qui vt Apule. tradidit, brachijs suis humero tenus renudatis attollentes immanes gladios ac secures brachia ferro, & musculos dissecabant, & quia plagis inuicem se consauciabant profuso cruore è multis vulneribus pilatam cohortem appellat, quam redire & subire propter lymphaticum saltum atque tripudium, quo vrbes & oppida lymphatici pererrabant.

SEPTEM *signa*] Antiquum olim codicem nactus sum in quo legebatur Septem sigma: cùm diligentius scriptores veteres & eruditos reuoluerem forte apud Lampridium, qui de Heliogabalo scrib. quòd primus inuenit Sigma in terras sternere. Et item de eodem, vt de croco Sigma statuerit: cum summos viros vocaret ad prandium, & alibi habuit hanc consuetudinem, vt octo caluos rogaret ad cœnam: Et item octo luscos, octo pædagogos, octo surdos, octo nigros, octo longos, octo pingues, cùm capi non possent vno Sigmate: igitur nostro iudicio atque periculo legatur sigma, non signa.

PRASINO, *Venetoque*] Hic breuiter repetam quæ pluribus verbis disserui dum exponerem illud Iuuen.

Euentum viridis quo colligo panni.

In circensibus ludis quatuor erant factiones.

PRASINO] i. viridis panni.

VENETO] i. obscuri. Rosei item & albi, quibus quatuor coloribus tam Imperatores, quàm populus per factiones fauebant. Nam Nero Prasinæ factioni in primis deditus erat: vnde poëta dixit,

Sæpius ad palmam Prasinus post fata Neronis
Peruenit, & victor præmia plura refert:
I nunc liuor edax dic te cessisse Neroni.

Vicit nimirum non Nero, sed Prasinus. De studio item vulgi in huiusmodi colores est illud distichon:

Si Veneto, Prasinoue faues, qui coccina sumis.
Ne fias ista transfuga forte: Vide.

Vitel. item legimus Venetæ factioni studiosum: ergo poëta vult conuiuam suum de Prasino, & Veneto loqui, de quibus pro studio suo plebs ipsa sermonem faciebat.

In Cottam. XLIX.

Cùm potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano,
Propinas modò conditum Sabinum:
Et dicis mihi: Cotta, Vis in auro?
Quisquam plumbea vina vult in auro?

DOMITIVS.

CVM *potes*] Cotta aureo vase vina pessima propinabat. cùm ipse Opimianum, & Falernum biberet, sit nihil imprudentius factum, nam quis acciperet vina plumbea in vase aureo, vt Mart. ait? per plumbeum vinum pessimum intelligit. Plumbeum autem dixit, vt in metaphora permaneret: nam vas aureum dixerat.

AMETISTINO] Color ametistinus purpureus est, qualis est Setino & Falerno.

TRIENTES] Posuit trientes pro poculo.

A OPIMIANO] i. vino condito Opimio consule, quod diu seruatum est. De hoc alibi multa diximus.

De Scorpo. L.

Frangat Idumæas tristis victoria palmas:
Plange fauor sæua pectora nuda manu.
Mutet honor cultus, & iniquis munera flammis:
Mitte coronatas gloria mæsta comas.
Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, iuuenta
Occidis? & nigros tam citò iungis equos?
B *Curribus illa tuis semper properata, breuisq.*
Cur fuit, & vita tam propè meta tua?

Idem Græcè.

Θραυέτω αἰνοπαθὴς Νίκη φοίνικας Ἰδούμης.
Κοπτέσθω παλάμαις στερνοτύποισι Κράτος.
Στέμματα Κῦδος ἀμείψαι· ἐπίφλογα δ' ὄ-
στατα δῶρα.
Πένθιμος εὐστεφέας Δόξα κόμας βαλέτω.
Φεῦ τοῦ ἄγους! τέθνηκας ἀτιμβόμενος νεότητος,
Σκόρπε, μέσης, ζεύξας ὡς ταχὺς ἅρμα μέλαν.
Τίπτε σὺ, ὃς ὦ ὁσάκις περιδέδρομες ὠκεῖ δίφρῳ,
C Αἶψα μονωθάδιος νύσσαν ἔκαμψε βίος;

DOMITIVS.

FRANGAT] Scorpum aurigam. xxvij. anno extinctum deflet. Nam aurigæ & Imperatoribus, & populo fuerunt gratissimi. vt Incitatus Caligulæ, Prasinus Neroni, Scorpus Traiano.

VICTORIA *tri.*] Mœsta morte Scorpi.

PALMAS *Idumæas*] Idumæ prouincia est Syriæ, eiusdem nominis opp. est Phœniciæ: palma arbor illic luxuriat, copioseq; prouenit, vt Trogus, & Plin. scrib. Lucanus,

Arbusto palmarum dines Iduma. Virgil.
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Hæc arbor dicata est numini Victoriæ, quoniam aduersus impositum pondus remittitur, vt Gel. scrib. ex authoritate Aristote.

D FRANGAT *palmas Idumæas*] i. arbores tibi dicatas.

FLAMMIS *iniquis*] Rogo Scorpi iniquo.

IVNGIS *nigros equos*] Infernales. permansit in officio aurigæ.

ILLA *meta*] Ad quam veniebas in certaminibus.

CVR *fuit tam propè vita tua*] Quasi dicat, cur etiam tam cito venisti ad metam vitæ?

Ad Faustinum. LI.

Sidera iam Tyrius Phryxei respicit agni
Taurus, & alternũ Castora fugit hiems. v. ...
Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbos,
Ismarium pellex Attica plorat Ityn.

Quos,

a v. quales. b v. Rauenna. * Libera ab opera togata, qua domi se continere, nec sportulæ spe prosequi potentiores liberũ esset. * Vide Lips. lib. 1. ep. 1. * v. tutes.

Quos, Faustine, dies, [a] qualem tibi Roma [b] Rauennam A
*Abstulit? ò soles, ô [c] * tunicata quies!*
O nemus, ô fontes, solidũq; madentis arenæ
Litus, & æquoreis splendidus Anxur aquis.
Et non vnius spectator lectulus vndæ,
Qui videt hinc puppes fluminis, inde [e] maris!
Sed nec Marcelli, Pompeianumque, nec illic
Sũt triplices thermæ, nec fora iũcta quater:
Nec Capitolini summũ penetrale Tonãtis,
Quæque nitent cælo proxima templa suo.
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino, B
Quæ tua sunt tibi habe: quæ mea, redde mihi.

DOMITIVS.

SIDERA] Faustinum accusat, quòd accepto magistratu ab Imperatore præsit Rauennatibus, nec fruatur recessu suo Terracinẽsi. describit autem ver, & ex astrorum ratione, & ex floribus terræ.

TAVRVS *Tyrius*] Qui vexit Europam, qui est in cœlo, qui respicit sidera.

AGNI *Phryxei*] i. qui vexit Phryxum & Hellem. i. iam sol venit in Taurum: per quod notat Aprilem.

ALTERNVM *Castora*] i. geminos. nam sibi hoc antiquitas suasit Castorem & Pollucem esse illud sidus, quod geminos appellant, quamuis, authore Higinio, alij tradiderint esse Triptolemum & Iasonem, alij Herculem & Apollinem.

PELLEX *Attica*] Philomela, quæ primo vere canere solet. C

ITYN *Ismarium*] Thracem filium Terei, & Prognes. Thucydides scrib. in. ii. historiarũm, Tereum illum, cui nupsit Progne, non fuisse regem Thraciæ, vt nostræ fabulæ tradiderunt, sed Daulidis oppidi Phocensium. vnde, eodem authore, Philomela dicitur Daulias. Eundem tamen à Thracibus ortum non negat. emendandus est error apud Strabonem, ille enim cùm sententiam Thucydidis retulisset, neque eum nominasset, sed dixisset nonnullos ita scribere, subdidit Thucydides. Vero ad Megara hæc gesta fuisse: cùm vt dixi extant verba Thucydidis affirmantis actam fabulam ad Daulida, non ad Megara. Emendetur igitur hoc pacto. Ita Thucydides. Alij ad Megara gesta scribunt.

O *tunicata quies*] In qua quiete solemus vti sola tunica.

ÆQVOREVS] Quia ad mare.

NON *vnius vndæ*] Nam & fossam habebat iuxta se Terracina & mare. D

FLVMINIS] Nam & fossa contigua Terracinæ, vt Strab. frequens erat nauigatio, quæ fiebat aquis pluuialibus. Et fluuius proximus erat. Item fluuius quem Vfentem nostri appellarunt, deprauata dictione Aufidium Strab. dixit.

NEC *Marcelli*] Theatrum cuius scena restituta Vespasianus ludos edidit.

THERMÆ *triplices*] Dicuntur quæ triplici serie ædificantur.

TEMPLA *flauia gen.*] Quæ condidit Dom.

QVÆ *tua sunt*] i. tuos honores.

De spadone. LII.

Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse [a] mœcham.

a Adulterã enim non nisi togatæ in publico prodire fas erat.

DOMITIVS.

THELIN] Mœchæ in adulterio deprehensæ toga indutæ in publicum procedere cogebantur. hoc satis supra est demonstratum. Festiuc igitur poëta ait Numam dixisse spadonem, qui effœminatus est cùm eum vidisset togatum.

ESSE *mœcham damnatam*] Nam mulier in toga non conspiciebatur nisi in adulterio fuisset deprehensa.

Epitaphium Scorpi. LIII.

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria circi,
Plausus Roma tui, deliciæque breues,
Inuida quem Lachesis raptũ trieteride nona,
Dũ numerat palmas, credidit esse senem.

Idem Græcè.

Σκόρπος ἐγώ, κῦδος πολυηχέος ἱπποδρόμοιο,
Σὸς κρότος, ὦ Ῥώμη, σεῖο τρύφημα βραχύ·
Βάσκανος ὃν τρεῖς ἔπεσπεν ἐπ' ἐννέα πότμος ἀφ-αρπῶν,
Τὰς νίκας ἀριθμῶν, ᾤετο γηραλέον.

DOMITIVS.

ILLE *ego*] Alterum epitaphium Scorpi.

CIRCI *clamosi gloria*] Nam in Circo aurigæ certabant.

RAPTVM] Rapti dicuntur qui antè legitimum tempus moriuntur.

NONA *trieteride*] i. xxvij. anno.

PALMAS] Victorias.

In Olum. LIV.

Mensas Ole bonas ponis: sed ponis opertas.
Ridiculũ est, possum sic ego habere bonas.

Idem Græcè.

Ὦλε τραπέζας θεὶς ἀγαθὰς μὲν, ἔθηκας δὲ λα-θούσας·
Τοῦτο γέλοιον, ἐγὼ ὧδέ κ' ἂν ἔχοιμ' ἀγαθάς.

DOMITIVS.

MENSAS] Olus mensarum laudem iactabat, sed his opertis amicos accipiebat. nam & mensæ sua habebant repositoria. Poëta eum deridet, quòd velit homines ita fallere, nã ego qui habeo pessimas mensas possem videri hoc commento habere bonas.

SIC] Ista fraude.

In Marullam. LV.

Arrectum quoties Marulla penem
Pensauit digitis, diuque mensa est:
v. scriptu la. *Libras, "scrupula, sextulasque dicit.*
Idem post opus, & suas palæstras,
Loro cùm similis iacet remissus:
Quanto sit leuior Marulla dicit.
Non ergo est manus ista, sed statera.

DOMITIVS.

ARRECTVM] Obolus & scrupulus idem est, vt Dardanus scribit: vterque continet sex siliquas.

In Gallum. LVI.

Totis, Galle, iubes tibi me seruire diebus,
Et per Auentinum ter quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Cassellius ægrum,
Infestos oculis vris Higine pilos.
Non secat, & tollit stillãtem Fãnius vuam:
Tristia saxorum stigmata delet Heros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes,
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

DOMITIVS.

TOTIS] Galli auaritiam accusat, & aliorum simul diuitum. Enumerans enim medicos, qui in vrbe sunt, dicit omni generi morbi suum medicum adesse, præterquam ruptis. Rupti autem dicuntur quodam morbo laborantes sæpè apud Plin. & Celsum. iocatur hoc verbo igitur poëta, & cùm videatur loqui de morbo, intelligit ruptos. i. fessos laboribus colendorum diuitum: nam rupti dicuntur etiam defessi & laceratis vestibus, supra. *Rumpes*, inquit, *equo leporem*. Et rumpere latus dicitur fatigari.

FANNIVS] Medicus.

VVAM] Id est, morbum, qui in gutture nascitur.

STILLANTEM] Epiphora.

PODALIRIVS] Filius Æsculapij.

ENTEROCELARVM] Enterocelæ significãt morbum intestinorum defluentium in testiculos. Sunt præterea hydrocelæ eiusdem generis, & ramex, vnde ramicosus.

QVI *sanet ruptos*] i. fessos & laceratas habentes vestes, cùm videatur intelligere de illis, qui laborant eo morbo.

Ad Sextum. LVII.

Argenti libram mittebas, facta selibra est,
Sed piperis: tanti non emo, Sexte, piper.

DOMITIVS.

ARGENTI] Sextus in saturnalibus cùm soleret A mittere libram argenti, nunc mittit selibram piperis! iocatur in hunc Mart.

TANTI] Id est, nolo selibram piperis pro libra argenti.

Ad Frontinum. LIIX.

Anxuris æquorei placidos Frontine recessus,
Et propius Baias, litoreamque domum,
Et quod inhumanæ Cancro feruente cicadæ
Non nouere nemus, flumineosque lacus:
Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas, nunc nos maxima Roma terit.
B *Hic mihi quando dies meus est, iactamur in alto*
Vrbis, & in sterili vita labore perit.
Dura suburbani dum iugera pascimur agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.
Sed non solus amat, qui nocte, dieque frequentat
Limina, nec vatem talia damna decent.
Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes
Iuro deos, & non officiosus amo.

C DOMITIVS.

ANXVRIS] Ad Frontinum scribit, cui solebat esse comes in agro quem varijs in locis habebat, & causam affert quare nunc non possit amplius esse comes: se tamen, quamuis comes non sit, non minus eum amare, quàm solebat.

PLACIDOS *recessus*] Anxurinos.

NEMVS *Rheginum*] Nam, vt Diodorus scribit, & Strabo repetit, precibus Herculis illac transeuntis factum est, vt in agro Rhegino cicadæ vocem non habeant, cùm in littore Lucrino proximo sint resonantes: vnde Eunomij citharœdi Locris statua erecta est cicada citharæ insidente, à qua adiutus est, cùm in carmine descendisset in locum chordæ quę est fracta.

CANCRO *feruente*] Mense Iulio.

LACVS *flumineos*] An propter eum lacum, quem D ante Terracinam duo flumina efficiebant, vel quod placet, de omni lacu, qui ingressu fluminis augetur: nam is est amœnior.

STERILI] Nihil assequente.

PASCIMVR] Sustinemus, & colimus.

LARES] In Ianiculo.

SED *non solus ille te amat, qui te frequentat*] Sed etiã ego qui te non colo.

ETIAM *non officiosus*] Quamuis non sim tibi comes. Tranquillus. Senatores circumsteterunt sellam Cæsaris officij gratia. i. comitatus: & Mart. alibi, *Viuat & vrbanis albus in officijs.*

In delicatum Lectorem. LIX.

Cõsumpta est vno si lemmate pagina, trãsis,
Et breuiora tibi, non meliora placent.

Diues, & ex omni posita est instructa macello
Cœna tibi, sed te " *mattea sola iuuant.*
Non opus est nobis nimium lectore guloso;
Hunc volo, qui fiat non sine pene satur.

'Iunius in Nomenclatore. mattya Turn. l. 21. c. 8.

DOMITIVS.

CONSVMPTA] Delicatum lectorem monet non esse aptum suis carminibus, quemadmodum conuiua est molestus, qui delicatos tantum cibos perquirit. Is enim in quem scrib. fastidiosi stomachi, breuiora tantum epigrammata legebat.

LEMMATE] Lemma genus est argumentationis: meminit Laertius in Zenone. Cicero id appellauit verbo Latino comprehensionem. Lemma apud Martialem significat inscriptionem epigrammatis, qua totus sensus comprehenditur: hic accipitur pro argumento.

CONSVMPTA *vno lemmate*] Id est, vno epigrammate.

OMNI *macello*] i. ex omnibus obsonijs: forum vbi obsonia venduntur, macellum dicitur.

MATTEA] Condimentum est carnium vnctum, à verbo Græco, vt concessit Varro: Nam μάττω significat oblino. Inde verbum est apud Aristophanem, qui gulosum appellat matteolicum. i. mattea sectantem. Tranq. genere fœminino protulit in Caligula: matteas, inquit, venenatas multis misit.

SOLA *mattea*] i. sola vncta. alibi legitur Mattya.

LECTORE *gu.*] Perstat in metaphora.

QVI *sine pene*] Penem antiqui caudam dixerunt: hoc est, eum volo, qui non modo delicatiores partes appositi animalis comedat, sed & qui caudam nonnumquam sumat, quasi dicat, volo lectorem, qui totum opus legat, & ad penem, hoc est ad caudam perueniat, hæc placet. Alij codices habent pane, vt hoc sit dictum in gulosum. Et Mart. velit lectorem, qui non tantum matteis, sed & pane vna vescatur, quem gulosiores aspernantur.

GEORGIVS.

SED *te mattea sola iuuant*] De scriptoribus Græcis quærendum est & origo, & significatio huius dictionis, quæ parum aptè & eruditè à Calderino traditur. Inuenio apud Græcos scriptores mattyam per duplex t, scriptum sequête y, & inuentum fuisse Macedonicum: Nam cùm Macedones preciosa comederent, hoc genus edulij excogitarunt. Sunt qui dicant ἀπὸ τοῦ μασᾶν dici mattyam. Vnde & ἀπὸ τοῦ μάττειν & μάζα denominata est, & apud Cyprios, quæ vocatur μάζις: prouerbiumque fuit de eo, qui supra modum delicatus esset ὑφ' μάζαν dicere: etenim propriè hoc alimenti genus populare fuit, & commune omnium: ex farinis fiebat: postea variantes necessaria alimenta intemperanter, & curiosè paulalum adiungentes, quod prius nomen erat massis, mattyam appellauerunt quodcunque preciosum edulium, vnde & ματτυάζειν est mattyas conficere, siue sint aues, siue herbæ sint, siue aliud quiddam. Vnde sumunt etiam veteres Græci, tam nomine, quàm verbo ματτυάζειν, pro eo quòd est Veneri indulgere. Vnde legimus Aristophanem grammaticum sic dicentem, Dulcius nihil est mihi mattya, siue primi Macedones, siue Athenienses, siue Iones id ignoro: Veruntamen opus fuit prudentissimi. Solebant sane post omnia edulia vltimo loco mattyam apponere, vt refert Athenæus: & Epeclia à Spartiatis mattyæ dicebantur: alij epidipnidas mattyas dixere. Cynicus in opere quodam, quod inscribitur Archesilaus, sic ait: Compotatio erat, comessantibusque quibusdam Lacæna quædam iussit inferre mattyam, statim circumlatæ fuerunt perdices paucæ, anserculi tosti, & quadræ placentarum, qualem cœnam Attici appellant epidorpisma: Dorienses epeclon: plurimi vero Græcorum epidipna. Hæc Atheneus.

De " Munna. LX.

'v. Nunna.

Iura trium petijt à Cæsare discipulorum,
Assuetus semper " *Munna docere duos.*

'v. Nunna.

DOMITIVS.

IVRA] In Munnam pædagogum triuialem: qui cùm supra duos rusticanos discipulos haberet, petijt ius à Cæsare trium discipulorum, adductus eorum exemplo, qui iura trium natorum petebant: hunc deridet poëta.

Epitaphium Erotij. LXI.

Hic festinata requiescit Erotion vmbra,
Crimine quam fati sexta peremit hyems.
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
Manibus exiguis annua iusta dato.
Sic Lare perpetuo, sic turba sospite solus
Flebilis in terra sit lapis iste tua.

DOMITIVS.

HIC] Epitaphium est Erotionis puellæ, quam & supra commendauit parentibus mortuis.

VMBRA *festinata*] Morte immatura.

HYEMS *sexta*] i. sextus annus.

REGNATOR] Dominus.

NOSTRI *agelli*] Vbi sepeliuimus puellam.

IVSTA *annua*] i. exequias solennes.

EXIGVIS *man.*] Vmbris puerilibus.

SIC *solus hic tumulus sit flebilis.*] Id est, sic nullus tuorum moriatur: alibi,

Quid fles talia? nil fleas viator.

Ad Magistrum Ludi. LXII.

Ludi magister parce simplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat " *chorus mensæ:*
Nec calculator, nec notarius velox
Maiore quisquam circulo coronetur.
Albæ leone flammeo calent luces,
Tostamque feruens Iulius coquit messem,
Scuticaque loris horridis Scythæ pellis,

'Quid si legas, chorus Musæ? & intelligas pueros deditos Musis, quod videtur ad rem aptius, quàm mensæ. Lipf. l. 1. Epist. 5.

Qua vapulauit Marsyas Celænæus, A
Ferulæque tristes sceptra pædagogorum,
Cessent, & Idus dormiant in Octobris:
Æstate pueri si valent, satis discunt.

DOMITIVS.

LVDI *magister*] In ludi magistrum, cuius vociferationibus offendebatur: supra.

Quid tibi nobiscum ludi scelerate magister.

Hunc rogat ne pulset pueros æstiuo præsertim tempore.

CHORVS *mensæ delicatæ*] i. chorus pulchriorum ministrorum.

CALCVLATOR] Qui docet numeros, & arithmeticam.

NOTARIVS *velox*] Notarij dicebantur qui excipiebant verba aliena, quorum meminit Plutarc. in Catone: horum manus velocitas erat in precio in distichis: B

Currant verba licet, manus est velocior illis.

ALBAE *luces*] i. candescentes dies.

FLAMMEO *leone*] Mense Iulio.

PELLIS *Scyta*] i. lorum factum in scuticam: ipsa enim scutica ascytos, quod est corium dicitur.

MARSYAS *Celænæus*] Qui vapulauit ab Apolline.

CELAENAEVS] A Celænis vrbe Phrygiæ eius patria. Papin.

Nosset & illustres satyro pendente Celænas.

Epitaphium nobilis matronæ. LXIII.

Marmora parua quidem, sed non cessura viator C
Mausoli saxis, Pyramidumque leges.
Bis mea Romano spectata est vita Terẽto,
Et nihil extremos perdidit antè rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manus.
Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitq;
Vna pudicitiæ mentula nota meæ.

Vide annotationes Philippi Beroaldi in Martialem Centuria 1.

DOMITIVS.

MARMORA] Matronæ nomen, in quam hoc erat epitaphium non extat, huius pudicitiam laudat: quæ decem filijs superstes vnum nouit maritum.

SAXIS *Mausoli*] i. Mausolæo, quod Artemisia coniugi suo erexit.

PYRAMIDVM.] Quæ Ægyptijs regibus eriguntur.

BIS *Romano Tarento*] i. lx. expleui annum: nam xxx. quoque anno sacra celebrabantur in cãpo Martio, ad locum quem Tarenton appellabant: alibi,

——hic colat Albano,
Et quæ Romuleus sacra Tarentus habet.

Hic locus luce carpitur à Politiano c.61. Miscell.

ET *nihil perdidit*] Quia totam bene collocauit vitam.

CLAVSERVNT] Filij enim parentis mortui lumina claudebant.

VNA *mentula*] i. vni marito seruiui.

Ad Pollam. LXIV.

Contigeris regina meos si Polla libellos,
Non tetrica nostros excipe fronte iocos.
Ille tuus vates Heliconis gloria nostri,
Pieria caneret cùm fera bella tuba.
Non tamen erubuit lasciuo dicere versu,
Si nec pedicor, Cotta, quid hîc facio?

DOMITIVS.

CONTIGERIS] Polla vxor Lucani superstes marito interfecto à Nerone, monetur à Martial. ne accuset epigrammata lasciua: cùm eius maritus lasciuũ aliquando carmen composuerit quod inserit.

REGINA] Diues.

NOSTRI *Heliconis*] i. carminis Latini.

In Carmenionem. LXV.

Cùm te municipem Corinthiorum
Iactes Carmenion, negante nullo,
Cur frater tibi dicor ex Iberis,
Et Celtis genitus, Tagique ciuis?
An vultu similes videmur esse?
Tu flexa nitidus coma vagaris:
Hispanis ego contumax capillis.
Leuis dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisque.
Os blæsum tibi, debilisque lingua est:
Nobis filia fortius loquetur.
Tam dispar aquilæ columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me vocare fratrem,
Ne te Carmenion vocem sororem.

DOMITIVS.

CVM *te*] In Carmenionem mollem, & effœminatum, qui Mart. appellabat fratrem, cùm nulla ex parte esset ei similis: ego, inquit, appellabo te sororem, notans molliriem, & turpitudinem hominis. D

MVNICIPEM] Ciuem Corinthium.

AN *vultu similes*] Sumus, vt propterea me appelles fratrem.

DROPACE] Vnguento ad expilandos pilos.

OS *blæsum*] Molle, blandiens.

DEBILIS] Fracta & effœminata.

DROCAS] Est genus capreæ velocissimæ, vt Plin. scribit.

SORORREM] Nam tu fœmina es, ego sum vir.

De Theopompo. LXVI.

Quis rogo tam durus, quis tam fuit ille superbus,
Qui iussit fieri te Theopompe cocum?

Hanc aliquis faciem nigra violare culina A
Sustinet? has vncto polluit vngue comas?
Quis potius cyatos, aut quis crystalla tenebit?
Qua sapient melius mixta Falerna manu?
Si tam sidereos manet exitus iste ministros,
Iuppiter vtatur iam Ganymede coco.

DOMITIVS.

QVIS] In Theopompum, cuius amore captus.
VNCTO *igne*] i. nidore.
QVIS] Nam qui propinabant, erant pulchriores.
ISTE *exitus*] Scil. culinæ.

Epitaphium vetulæ. LXVII.

Pyrrhæ filia, Nestoris nouerca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laërtes auiam senex vocauit
Nutricem Priamus, socrum Thyestes,
Iam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulchro
Caluo Plotia cum Melanthione.

DOMITIVS.

PYRRHÆ] In Plotiam eodem ferme argumento quo supra scripsit in Vetustillam, cuius pruritus nulla ætate potuerat extingui: eius autem decrepitam ætatem festiuè & fabulosè desig[illegible]. Hæc tandem mortua sepulta est cum coniuge Me[illegible]thione.
PYRRHAE] Filiæ duæ Protogenia, & Melanthia. C
NOVERCA *Nestoris*] Nullam nouercam Nestoris legimus: Clorem tantùm matrem, sed hoc ex poëtæ irrisione dicitur.
CORNICIBVS *superstes*] Quæ superauit ætate omnes cornices, quæ diutissimè viuunt.

In Læliam. LXVIII.

Cùm tibi non Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mitylene,
Sed domus in vico Lælia patricio,
Déque coloratis numquam lita mater Etruscis,
Durus Aricina de regione pater,
Ζωὴ καὶ ψυχὴ lasciuum congeris vsque, D
Pro pudor Hersiliæ ciuis, & Egeriæ:
Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis:
Sed quem lasciuo strauit amica viro.
Scire cupis quo casta modo matrona loquaris:
Numquid cùm crissas, blãdior esse potes?
Tu licet ediscas totã, referasque Corinthon,
Non tamen omnino Lælia Thaïs eris.

DOMITIVS.

CVM *tibi*] Impudicam Læliam accusat, quæ vocculis Græcorum vtebatur viro blandiens: idem carpitur à Iuuenal.

Ζωὴ καὶ ψυχή: modo sub lodice relictis
Vteris in turba.

Hæc verba meretricia esse ostendit: nam imitantur Laïdem Corinthiam, quæ ita solebat loqui, sed tamen Lælia nunquam poterit videri Laïs, cùm sit deformis: quamuis illius verbis vtatur.
EPHESOS] Ciuitas Ioniæ: eadem Smyrna dicta, patria Hipponactis poëtæ, Parrhasij, & Apellis pictorum, & Alex. oratoris.
RHODOS] Insula Pamphylij maris.
MITYLENE] Ciuitas inter Methymnam & Malliam est, duos portus habens, patria Pitthaci Alcei poëtæ lyrici, Anthimenidæ fratris, & Sapphus.
B NVNQVAM *lita*] i. quæ nunquam habuit sibi fucatum colorem.
HETRVSCIS] Mulieribus quæ colorantur.
ARICINA *regio*] Sunt qui referant ad duos vicos in vrbe, id est, ad vicum Thuscum, & regionem Aricinam, quæ loca erant in vrbe, quod non placet.
HERSILIAE] Hersilia vxor fuit Romuli rapta vna cum alijs Sabinis: quæ vt Iuba scribit, sexcentæ lxxxiij. fuerunt. Alij scribunt Hersiliam venisse in sortem Hostilio: id est. Cum sis ciuis Hersiliæ, & Ægeriæ, quæ fuerunt pudicissimæ.
NVNQVID] Quasi dicat, quid opus est condias, & facias gratum opus? satis blanda es, dum crissas, siquidem formosa es.
TOTAM *Corinthon*] i. totam linguam Corinthiorum.
NON *omnino eris Laïs*] Quia tu deformis es, & illa pulchra fuit.

De Polla. LXIX.

Custodes das Polla viro, nec accipis ipsa. v. non.
Hoc est vxorem ducere Polla virum.

DOMITIVS.

CVSTODES] Almo effœminatus vxorem habebat, quæ spadonibus delectabatur, sed timens mollitiem viri, ne scilicet ipse subagitaretur à spadonibus, adhibebat ei custodes. Hoc, inquit poëta facere, quia duxit virum vxorem, & cùm videatur ducere nupserat viro suo tanquam vxori, cùm adhibeat ei custodes, ipse intelligit duxit virum vxorem, id est, cinædum.
DAS *custodes*] Quia times ne subagitetur.
NON *accipis ipsa*] Quia subagitabatur à spadonibus, quod supra dixit,

Irrupi Lupe non erat cinædus.

Ad Potitum. LXX.

Quòd mihi vix vnus toto liber exeat anno,
Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus:
Iustius at quanto mirere, quòd exeat vnus,
Labantur toti cùm mihi sæpè dies.
Nunc resalutãteis video nocturnus amicos,
Gratulor & multis, nemo, Potite, mihi:

Nūc ad luciferā signat mea gemma Dianā: A
Nūc me prima sibi, nūc sibi quincta rapit,
Nunc consul, prætorve tenet, reducesque choreæ,
Auditur toto sæpe poëta die.
Sed nec caußidico poßis impune negare,
Nec si te rhetor, grammaticusve rogent:
Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes. fiet quando, Potite, liber?

DOMITIVS.

QVOD] Apud Potitum conqueritur de occupationibus vrbanis, qui mirabatur, quare vix vnum librum toto anno composuisset. B

SVM *reus tibi*] i. ego accusor à te.

EXEAT *mihi*] Componatur à me.

MIHI] Nil agendo, & scribendo.

GRATVLOR] Multis aut magistratum adeptis, aut aucta supellectile.

LVCIFERAM *Dianam*] Nonnulli intelligunt Dianam Auentinam, quæ vna cum Lucifero in Auentino colebatur, & eadem Lucina dicebatur, quasi afferens lucem parientibus: cui deæ matronæ supercilia consecrabant, vbi vetustissimus lucus erat: Vnde Plin. placet datum esse nomen deæ, vt supra Lucina à luco dicatur. Alij Palatinam intelligunt, quæ nocticula dicebatur, quoniam eius templum (vt Varro) noctu in palatio lucebat.

CHOREÆ *reduces*] Placet vt intelligas comites multos reducentes Vironem, & diuitem: hoc magis placet, quàm intelligas choreas pro saltatoribus. C

POETA] Ligurinus, & alij, sæpè oportet audire carmina.

IMPVNE] Sine damno.

PETVNTVR *balnea*] Vt sequar sportulam.

CENTVM *quadrantem*] Nam ea sportula dabatur in balneis.

De Rabirio. LXXI.

Quisquis læta tuis, & sera parentibus optas
Fata, breuem titulū marmoris huius ama:
Condidit hac caras tellure Rabirius vmbras: D
Nulli sorte iacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori, nox mitis, & vltima clusit:
Arserunt vno funera bina rogo.
Hos tamen, vt primis raptos sibi quærit in annis,
Improbius nihil his fletibus esse potest.

DOMITIVS.

QVISQVIS] Laudat pietatem Rabirij, qui condidit parentes senes eodem tumulo: & eos, quamuis vltima ætate extincti essent, non secus deflebat, quá si iuuenes amisisset.

CONDIDIT] Sepeliuit.

CLVSIT] Absoluit, perfecit.

BIS *sex lustra*] i. lx. annum.

BINA *funera*] Duo corpora.

IMPROBIVS] Insatiabilius.

Adulatorium. LXXII.

Frustra blandiciæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicturus dominum, deumque non sum.
Iam non est locus hac in vrbe vobis:
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed Imperator,
Sed iustißimus omnium senator:
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis, caueto,
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

DOMITIVS.

FRVSTRA] Dàmnatis temporibus Domi. seruit Traiano, sub quo, assentationi & blanditijs nullum locum esse affirmat, neque esse amplius opus appellare eum dominum, & Deum, sed Imperatorem.

FRVSTRA] Quia non vtor amplius vobis.

ATTRITIS *labellis*] Diuturna assentatione in Domitia.

DOMINVM, & *Deum*] Vt dixerat supra,
Edictum domini Deique nostri.

PARTHOS] [illegible]hi regem suum superstitiosè venerabantur, adorabantque & osculis pedum & seruilibus supplicationibus. Immo & eum adituri terram ore tangebant, vt author est Xenophon. Iccirco supra, liberum dixit poëta, qui tanquam Deus à suis suscipiebatur.

PICTORVM] Picti dicuntur reges Parthorum, quoniam pictis vestibus vtebantur, authore Plin. vt & Agathirsi Thraces dicuntur picti à Vir. quia, quo ditiores erant (vt scri. Mela) eo luxuriosius se se tingebant: sed picti Parthi, quia vestibus pictis vtuntur, eosdem appellat pileatos, vel quia mitris vtuntur, vel (quod placet) à similitudine seruorum, qui testantur libertatem, cùm pileum sumunt, vt ostendat eos esse conditionis seruilis, & libertinæ.

AD *Parthos*] Quasi dicat, locus est vobis apud Parthos, non apud Traianum.

PRIORIBVS] Quibus vti solebas in Domitiano.

Ad Marcum. LXXIII.

Littera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit Ausoniæ dona seuera togæ.
Qua non Fabricius, sed vellet Apicius vti,
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.
Vilior hæc nobis alio mittente fuisset:
Non quacumque manu victima cæsa litat.
A te missa venit: possem nisi munus amare
Marce tuū: poterā nomen amare meum.

Munere sed plus est, & nomine gratius ipso,
Officium docti, iudiciumque viri.

DOMITIVS.

LITTERA] A M. Antonio missam togam laudat, quæ eo ipsi fuit gratior, quoniam & ille appellabatur Marcus, & videtur bene iudicasse de eo, nam pulchrum est laudari à laudato viro, & donari.

FABRICIVS *censor*] Qui laudabat paupertatem.

MECOENAS] Qui (vt Seneca scrib.) luxuriosas vestes habuit, in quo male audiuit.

VICTIMA *litat*] Placat Deos, quasi dicat, non quicumque cædit victimam, placat Deos.

Ad Romam. LXXIV.

Iam parce lasso, Romã, gratulatori,
Lasso clienti: quandiu salutator
Anteambulones, & togatulos inter
Centum merebor " *plumbeos die toto,*
Cùm Scorpus vna quindecim graues hora
Feruentis auri victor " *afferat saccos:*
Non ego meorum præmium libellorum,
(Quid enim merentur?) Apulos velim cãpos.
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus,
Nec quæ paludes dedicata Pontinas
Ex arce cliui spectat vua Setini.
Quid concupiscam quæris ergo? dormire.

" quadrantes centum, qui in caput redacti, sportulam absoluunt.
" v. auferat.

DOMITIVS.

IAM *parce*] Indignatus est quòd Scorpus auriga nuper vna hora lucratus sit quindecim saccos auri, cùm ipse non habeat in sportula supra centum quadrantes tota die, quare damnatis operibus iam optat somnum.

GRATVLATORI *lasso*] Id est, mihi qui sum lassus.

TOGATVLOS] Qui præcedunt.

CENTVM *plumbeos*] Inuidiosè dixit plumbeos.

VICTOR] Ex certamine circi.

AVRI *feruentis*] Nam videtur ardere.

NILVS *spicifer*] Fertilis annonæ.

VVA]. Nam Setina est inter Pontinas paludes, optimumque fert vinum.

De Galla. LXXV.

Millia viginti quondam me Galla poposcit,
Et, fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abit: bis quina dabis sestertia, dixit.
Poscere plus visa est, quàm priùs, illa mihi.
Iam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binæ forsan, trinæue Kalendæ,
Aureolos vltrò quatuor ipsa petit.
Non dedimus, centũ iussit me mittere nũmos:
Sed visa est nobis hæc quoque sũma grauis.
A *Sportula nos iunxit quadrãtibus arida centũ:*
Hanc voluit: puero diximus esse datam.
Inferius numquid potuit descendere? fecit.
Dat gratis, vltrò dat mihi Galla: nego.

DOMITIVS.

MILLIA] Iocus in Gallam, quæ annis in contemptum venerat, cùm olim magno prostaret precio, eadem cùm gratis inuitet Mar. negligitur.

NON *erat*] Tunc cùm iuuenis erat.

NIMIS *magni*] Non admodum videbatur eo precio.

SVMMA] Centum denariorum.

SPORTVLA *arida*] Exigua.

IVNXIT *nos*] Habuit nos in officio, & seruitute.

De Mæuio. LXXVI.

B

Hoc fortuna tibi videtur æquum?
Ciuis non Syriæue, Parthiæue,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numæque verna,
Iucundus, probus, innocens, amicus,
Lingua doctus vtraque, cuius vnum est,
Sed magnum vitium, quod est poëta,
Pullo Mæuius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus?

C DOMITIVS.

HOC *fortuna*] Notat tempora sua amarè, quòd muliones ditissimi fiant, poëtæ esuriant. posuit autem Incitatum pro quocunque auriga. huius meminit Tranq. in Calligula, nam Equo dedit marmoream imaginem, præsepe eburneum, purpuræ tegmenta, monile è gemmis, domum, familiam, supellectilem aurigæ, cui etiam consulatum destinauerat. ponit item Mæuium pro quocunque poëta. Mæuij autem meminit Vir.

Qui Bauim non odit, amet tua carmina Mæui.

Et Eusebius in temporibus.

NON *ciuis Syriæ*] Non libertinæ conditionis, idest, non seruus. nam ex Syria serui veniebant venales.

PARTHIÆ *ve*] Notat libertos sui temporis, qui è libertina conditione fiebant equites.

D CATASTIS *Cappadocis*] è Cappadocia mittebantur serui.

DE *plebe Remi*] Romanus, & natus Romæ.

CVCVLLO] veste Veneti coloris. Mæuius item, vt scribunt qui tradiderunt de personis Horatianis, tantæ fuit gulæ, vt ingens patrimonium absumpserit, Calen. Ianua. dixerit in Capitolio se optare quadringenta millia æris alieni, causam quærenti respondit, quoniam octingenta haberet: sed hic pro poëta accipitur.

De Carro medico. LXXVII.

Nequius à Carro nihil vmquam, Maxime, factum est,
Quàm quòd febre perit: fecit & " *ille nefas.*

Sæua nocens febris saltem quartana fuisset,
Seruari medico debuit illa suo.

DOMITIVS.

NEQVIVS] In Carum medicum, qui imperitia multos necauerat, nuper autem mortuus est.

FEBRE] Dolet poëta eum esse extinctum tam citò, cùm fuisset diu cruciandus: quod poterat fieri si saltem fuisset quartana.

FECIT *nefas*] Quòd eum extinxerit tam cito.

Ad Macrum. LXXIIX.

Ibis litoreas Macer Salonas.
Ibit rara fides, amorque recti,
Et secum comitem trahet pudorem,
Semper pauperior redit potestas.
Felix aurifera colone terræ,
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabisque moras & exeuntem
Vdo Dalmata gaudio sequêris.
Nos Celtas, Macer, & truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
Sed quæcumque tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter veteres legar poëtas,
Nec multos mihi præferas priores,
Vno sed tibi sim minor Catullo.

DOMITIVS.

IBIS] Æmilius Macer poëta fuit Veronensis, qui Augusti temporibus in Asia mortuus est, vt Eusebi. scribit, eodem nomine Macer temporibus Domiti. rexit Hispaniam, nunc in Dalmatiam mittebatur, quem abeuntem poëta in Hispaniam rediturus hoc epigrammate prosequitur. alibi de ministrata Hispania, *Non ignorat onus, qui sit succedere Marco.*

SALONAS.] Op. Dalmatarum, & emporium ad littus. Dalmatæ autem quinquaginta oppida habuisse dicuntur, ex quibus Priamonem, Iniam, S[illegible]otium & nonnulla præterea Augu. deleuit, au[illegible]es sunt Stra. & App.

LITTOREAS *Salonas.*] i. in Dalmatia[illegible]

POTESTAS.] Hoc est omnis magistratus, quo fungeris.

PAVPERIOR *lau.*] Hoc est ex tuis magistratibus redis pauperior.

TERRÆ *auri.*] i. Dalmatiæ ferentis aurum, vnde metallum Dalmaticum aurum dicitur. Papi.
Robora Dalmatico lucent satiata metallo.

SINV *vacuo.*] Id est, nihil furatum, aut populatum.

VDO *gau.*] Lachrymosa lætitia.

PETEMVS *Cel. & Iberos.*] i. ibimus Bilbilin Celtiberiæ.

MINOR *Catul.*] [Alludit ad Macrum Veronensem, qui Catullo populari suo fauebat.

SED *sim tibi.*] Sic ego cedam vni Catullo tuo iudicio.

A

De Torquato & Otacilio. LXXIX.

Ad lapidẽ Torquatus habet prætoria quartũ
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Torquatꝰ nitidas vario de marmore thermas
Exstruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit Daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum seuit Otacilius.
Consul Torquatus: vici fuit ille magister,
Nec minor in tanto visus honore sibi.
*Grandẽ vt exiguam * bos ranã ruperat olim,* *v. Vos: sed non placet.
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

B

DOMITIVS.

AD *Lapidem.*] Fabula vulgari vanitatem Otacilij pauperis contendentis cum Torquato diuite rerum omnium magnificentia deridet, vaticinatúrque fore, vt ita rumpatur Otacilius volens æquari Tarquato, quemadmodum rana dirupta est, cùm vocem bouis vellet emittere.

CVCVMAM.] Appellat cucumam fornaculam exiguam, vix cucumam vas excedentem.

DAPHNONA] i. nemus laurorum, vt platanona supra dixit nemus platanorum, multa autem erant laureta in vrbe, vt scrib. Plin. omnium nobilissimum in Auentino, & celeberrimum in via Flaminia ad octauum lapidem in villa Cæsarum, qua ad Gallinas ducebatur, ex quo laureto triumphantes coronabantur, & ramum manu gestabant.

C

GEORGIVS.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum,
AD *quartum breue rus emit Otacilius.*]
Silet in totum hic tantus expositor de prætoriis: nos vero etsi in explanationem illius Iuuenal.
Criminibus debent hortos.
Prætoria exposuerimus ex sententia Columel. & Palladij esse prætoria in rusticis prædiis ampla ædificia, quod in hac parte poëta intelligit: quæ postea apud Iurisconsultos legerim, subiungemus. In libris digestorum Vulpianus elegantissimus Iurisconsultus hæc tradit, Rusticorum prædiorum seruitutes sunt hæ, licere altius tollere, & officere prætorio vicini, vel cloacam habere, licere per vicini domum vel prætorium. Irridet ergo poëta Otacilium, qui supra vires & opes suas imitari velit magnificentiam ædificiorum, atque hortorum.

D

De Erote. LXXX.

Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhę
Inspicit, aut pueros, nobiliúsve citrum.
*Et gemitus imo * promit de pectore, quòd non* *v. ducit.
*Tota miser * cœnat septa, ferátque domũ.* *v. Coëmat.
Quàm multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
Pars maior lacrymas ridet, & intus habet.

DOMITIVS.

PLORAT.] In Erotem eodem argumento, quo supra scripsit in Mamurram cupientem ornatissimam supellectilem emere, cùm pecunia careret: supra.

It Mamurra diu multùmque vagatus.

Et sub eodem nomine alios item notat idem cupientes.

MIRRHÆ *maculosa.*] Maculis distinctæ: nam myrrha humor condensatus, qui ducebatur in vasa maculis distincta & magni precij: vnde myrrhina pocula.

CITRVM.] Mensam citream.

TOTA *septa.*] Quicquid venditur in septis: vt supra, *In septis Mamurra*, &c.

De Phyllide. LXXXI.

Cùm duo venissent ad Phyllida mâne fututũ,
Et nudam cuperet sumere vtérque prior.
Promisit pariter se Phyllis vtrique daturam,
Et dedit. ille pedem sustulit, hic tunicam.

DOMITIVS.

CVM.] Phyllis nomen lenæ est apud Propertium: hic meretricis, in quam iocatur recenti facto: Nam cùm duo pariter ad eam venissent, & vter prior futueret, disceptarent, promisit se daturam vtriq; pariter, & dedit: nam vtraque parte est occupata. ego potius intelligo iocũ esse in verbo sustulit, quod significat in altum tulit: sustulit itẽ surripuit. alter igitur surripuit tunicam, alter potitus est coitu, & ita vtrique dedit, alteri coitum, & alteri tunicam.

SVSTVLIT *pedem.*] i. compressit: alibi de ea quæ futueretur.

Tolluntúrque pedes à medicina grauis.

Ad Gallum. LXXXII.

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Mâne, vel à media nocte togatus ero.
Stridentésque feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiámque niues.
Sed si non fias quadrante beatior vno,
Per gemitus nostros, ingenuásque cruces.
Parce precor lasso, vanósque remitte labores,
Qui tibi nõ prosunt, & mihi Galle nocent.

DOMITIVS.

SI *quid.*] Gallum rogat, ne exigat à se operam togatam: hoc est, ne velit se comitem cum ea in re magnam faciat iacturam otij, & Gallus nullam capiat vtilitatem.

CRVCES *ingenuas.*] Ad differentiam crucis seruorum: nam cùm ingenui simus, videmur tolli in crucem, quemadmodum crux est supplicium serui, ita hic labor est crux nobilium.

VANOS.] Nullam afferentes vtilitatem.

NOCENT.] Quia facio otij iacturam.

A

Ad Marinum. LXXXIII.

Raros colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, caluæ
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt iubente vento,
Redduntúrque sibi, capútque nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt.
Inter Splendophorum, Telesphorumque,
Cidæ stare putabis [*] Halmyroten.
Vis tu simplicius senem fateri?
Vt tandem videaris vnus esse,
B *Tonsor tam reliquos metat capillos.*
Caluo turpius est nihil comato.

[*] v. Hermotem.

DOMITIVS.

RAROS.] Eodem argumento supra scrib. in senem, qui, admotis temporibus capillis, medio caluitio, Geryon videbatur: hoc est, habere tria capita. Nunc notat Marinum eadem accusatione, qui cùm omnia fecerit, tamen caluitio proditur.

HINC *& hinc.*] Vtroque latere capitis.

REDEVNT.] Ex caluitio.

REDDVNTVR *sibi.*] In locum suum.

CIRRIS] i. nobis grandibus.

ALMYROTEM.] Almyrotes significat Marinum iocatur igitur, aitque capillis redeuntibus ad tempora Almyrotem: hoc est, Marinum videri sedere inter duos comatos. Caluitium comparat Marino, seni tempora comata.

C SPLENDOPHORO, *& Telesphoro.*] Pueris comatis, & elegantibus, quorum vtriúsque meminit Martial.

CALVO *comato.*] i. sene qui velit videri comatus, cùm caluus sit.

De Afro ad Cæcilianum. LXXXIV.

Miraris, quare dormitum non eat Afer?
Accumbat cum qua Cæciliane vides.

DOMITIVS.

MIRARIS.] Afer ob deformitatem vxoris noctem ducebat insomnem, quod cùm ob aliam causam
D videretur facere, poëta indicat veram rationem.

CVM *qua.*] Quasi diceret, cum deformi.

De Ladonte nauta. LXXXV.

Iam senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ,
Proxima dilectis rura parauit aquis.
Quæ cùm sæpe vagus premeret torrentibus vndis
Thybris, & hiberno rũperet arua [*] lacu, [*] v. gelu.
Emeritam puppim, ripa quæ stabat in alta,
Impleuit saxis, opposuitque vadis.

Sic nimias auertit aquas. quis credere possit?
Auxilium domino mersa carina tulit.

Idem Græcè.

Λάδων γηραλέος Τίβεριν κατὰ δή ποτε ναύτης
Ἄγχι φίλων ὑδάτων γήδιον ἐσπείρατο.
Εὖτε δ' πλημμύρων μιν ἐπιστείβεσκεν ἀέναος
Ἀγχὸν ἐπικλύζων ῥεύματι χειμερίῳ.
Ὤρθη ἐρειδόμενον σκάφος ἄπλοον, αἴτια πλήμμης.
Πλησάμενος λιθάκων, ὄγκαρ ἔθηκε ῥόου.
Οὕτω σφοδροτέρην χύσιν ἔσχεθε. τίς κε πίθοιτο;
Κτήτῃ ἀόσσητιν ναῦς καταδυομένη.

DOMITIVS.

IAM.] Ladon fluuius est in Arcadia, vt alij scribunt in Thessalia: pater Daphnes, vt cecinit Papin. vt alij filiam Penei scribunt, hic nata est, qui paratis hortis iuxta Tiberim nauem mersam apposuit aduersus inundationes fluuij. Vnde opem tulit suo fundo ea naui mersa, qua antequam mergeretur nihil faciebat lucri. in hoc iocatur poëta.

CARINÆ *Tiberina.*] Quæ velaturam faciebat in Tiberi.

VAGVS.] Inundans.

EMERITAM.] Quæ iam cessabat in ripa.

VADIS] i. inundationi fluuij.

AVXILIVM.] Quia iugera seruauit.

De Lauro. LXXXVI.

Nemo noua caluit sic inflammatus amica,
Flagrauit quanto Laurus amore pilæ.
Sed qui primus erat ° lusor, dum floruit ætas:
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

°v. lusor. Cæl. lib. 16. cap. 11. pilā dici pannosum annotat: alii hominē parum æstimationis, quo modo Plautus illud dixerit Dii nos quasi pilas habent.

DOMITIVS.

NEMO.] Laurus pila optimè lusit, dum iuuenis esset: factus senex pauper videbatur.

PRIMA *pila.*] Lacerata veste, primæ pilæ dicebantur effigies laneæ, quæ in compitis suspendebantur, vt supra dictum est, primæ dictæ, vt placet, quoniam in principio, & capitibus viarum pendebant: his addebantur vestes laceratæ.

CALVIT.] Incensus fuit.

PILÆ.] Lusoriæ.

PRIMA *pila.*] Hoc est, videtur illa prima effigies lanea, quæ appendebatur in compitis, adeo laceratas habet vestes.

De natali Restituti. LXXXVII.

Octobres age sentiat Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis, omnibus & fauete votis.
Natalem colimus, tacete lites.
A *Absit cereus aridi clientis,*
Et vani triplices, breuésque mappæ
Exspectent gelidi iocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negotiator
° *Cadmi municipes ferat lacernas.* °Tyrias vel delicat.
Pugnorum reus, ebriæque noctis
° *Cenatoria mittat aduocato.* °v. Turn. lib. 19. cap. 7.
Infamata virum puella vicit:
Veros sardonychas sed ipsa tradat.
Mirator veterum senex auorum
Donet Phidiaci toreuma cæli.
Venator leporem, colonus hædum,
B *Piscator ferat æquorum ° rapinas.* °v. rapinam.
Si mittit sua quisque, quid poëtam
Missurum tibi Restitute credis?

DOMITIVS.

OCTOBRES.] Natalem Restituti patroni celebrat hoc carmine: ad hunc scrib. Plin. in epistolis. Cum autem diem natalem celebranti munera mitti soleant, optat Marti. vt amplissima munera mittantur Restituto, non parua & exigui precij, qualia in Saturnalibus ei afferebantur à clientibus, tanquam patrono: nam clientes munera patronis afferebant, vt Macrob. tradit.

PIA.] Studiosa sacrorum.

KALENDAS *Octobres.*] Quæ sunt dies natalis Restituti.

C FAVETE *linguis.*] i. silete: vt Macrobius interpretatur in Virg.

CEREVS.] Cerei mittebantur in Saturnalibus, non satis explorata causa monumentis antiquorum. Alij enim scribunt missos fuisse vt satisfieret oraculo, quod iusserat τὰ φῶτα dari Saturno: φῶς autem significat lumen & virum: alij huius instituti originem referunt ad publicum tribunum plebis, qui cùm patroni grauiora munera exigerent à clientibus, iussit vt cerei tantùm mitterentur ditioribus.

ARIDI.] i. pauperis.

TRIPLICES.] Tabellæ quæ habent tria folia.

IOCOS *Decembris.*] Saturnalia: nunc Kalendis natalibus Restituti.

AGRIPPA.] Dicitur quicunque in pedes nascitur, quod mali ominis est, vt Nonius, Plin. Solinus scribunt. Hoc nomine fuit rex qui tenuit Iudæam Palestinam, vt ex historia Iosephi percipi licet.

D TVMIDVS *negociator.*] Hoc est, epitheton Syrorum: nam Syri tumidi dicuntur: inde veni in hanc opinionem, quod supra dixit.

Iuro per Syrios tibi tumores.

Ita esse intelligendum: Hoc est, iuro per sacra Isidis Syriæ: nam sanctissimum erat iusiurandum per Isidem, vt supra.

Nec per Niliaca bonem iuuence.

Et per sistrum Isidis ille iurat apud Iuuenal.

REVS *pugnorum.*] i. ebrius, qui aliquem nocturno tempore pulsauerat. Nam ebrij olim Romæ occurrentibus pugnos inferebant, vt illud Iuuen.

Aut dic, aut accipe calcem.

COENATORIA.] Dicebantur vestes, quibus inter cœnandum vtebantur: propterea ita loquuntur in distichis.

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hoc opus est pictis accubuisse toris.

INFAMATA.] Accusata adulterij.

SENEX.] Alter Euctus.

Ad Cottam. LXXXVIII.

Omnes persequeris prætorum Cotta locellos,
Accipis & ceras: officiosus homo es.

DOMITIVS.

OMNES.] In Cottam furem, qui cùm alij alia officia diuitibus præstarent, ipse loculos tantum volebat gestare tales, sed vt iuraretur aliquid. Valde, inquit poëta, officiosus est Cotta, qui loculos tantum prætorum velit gestare.

OFFICIOSVS.] Ironia, quia ipsi tantum tibi seruis, non alteri officium præstas: & alludit ad officia ipsa, id est, magistratus, quorum fiscum gerebat.

De statua Iunonis. LXXXIX.

Iuno labor Polyclete tuus, & gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus.
Ore nites tanto, quanto superasset in Ida
Iudice conuictas non dubitante deas.
Iunonem Polyclete suam nisi frater amaret,
Iunonem poterat frater amare tuam.

DOMITIVS.

IVNO *labor.*] Laudat effigiem Iunonis sculptam à Polycleto, quamuis hanc imaginem non reperiam inter Polycleti antiqui opera: cuius duo pueri talis ludentes nudi, qui Astragalizontes dicebantur, in Titi Imperatoris æde erant, & Hercules Antæum suspendens à tellure, & alia præterea opera: sed de altero Polycleto loquitur.

DEAS.] Mineruam, & Venerem.

In Ligellam. XC.

Quid vellis vetulum Ligella cunnum?
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiæ decent puellas.
Nam tu iam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi Ligella, belle
Non mater facit Hectoris, sed vxor.
Erras, si tibi cunnus hic videtur,
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

DOMITIVS.

QVID *vellis.*] Expilas, lacessis, prouocas.

CINERES.] Ita appellat cunnum.

MATER.] Hecuba.

LEONI *mortuo.*] A fœtore oris, qui similis est
A cunno: vel, quod placet, prouerbium est cùm velimus aliquem excitare, qui moueri non potest.

De Almone. XCI.

Omnes eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse,
Et queritur, pariat quòd sua Polla nihil.

Ad Marium. XCII.

Mari quietæ cultor, & comes vitæ,
Quo ciue prisca gloriatur Atina:
Has tibi gemellas barbari decus luci
B *Commendo pinus, ilicésque Faunorum,*
Et semidocta villici manu structas
Tonantis aras, horridique Siluani,
Quas tinxit agni sæpe sanguis, & hædi, ["vaut hædi"]
Dominámque sancti virginem deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ
Martem mearum principem Kalendarum,
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite paruuli numen,
Seu tu cruore, siue thure placabis:
C *Vbicúmque noster Martialis est, dices,*
Hac ecce mecum dextera litat vobis
Absens sacerdos, vos putate præsentem,
Et date duobus, quidquid alter optarit. ["al. optabit"]

DOMITIVS.

MARI.] Discessurus in Hispaniam commendat rus & domum Mario amico.

ATTINA.] Oppidum Latij iuxta Pontinas paludes eiusdem nominis in Bœotia.

TONANTIS.] Iouis: habebat in hortis aram Iouis & Siluani, cui pinus est dedicata, & fructus Cybelæ.

DOMINAM *virginem.*] i. Dianam.

D MARTEM *principem.*] Quoniam Kalendis Martiis sum natus.

NEMVS *Floræ.*] Omnes nymphæ fugiunt Priapum.

Ad Clementem. XCIII.

Si prior Euganeas Clemens Heliconis in oras,
Pictáque pampineis videris arua iugis,
Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo sута toga. ["al. culta"]
Vt rosa delectat, metitur quæ pollice primo:
Sic noua, nec mento sordida charta iuuat.

DOMITIVS.

S*i prior.*] Flauius Clemens patruelis fuit Domit. hîc alter Clemens est coniux Atestinæ Sabinæ cui carmina mittit.

H*elicaonis.*] Dicitur regio Patauina. Inepte igitur hunc locum deprauarunt, & imprudenter scripserunt Heliconis oro Helicaonis: quod ne facerent, potuerunt admoneri disticho vbi lanæ Patauinæ ita loquuntur.

Nos Helicaonia de regione sumus.

Quare dicta sit Helicaonia, illic dicemus.

S*i prior.*] Ante me, nam ego cogito illuc ire.

E*uganeas.*] Populi sunt dicti à nobilitate, nam à nobilioribus Herculis sociis duxerunt genus, quasi Eugenei, Plin. author.

P*icta arua.*] i. vineta Patauina.

S*uta.*] Tecta.

C*harta no.*] Nondum edita.

N*ec for. men.*] i. nondum barbata, vt in distichis exponemus, & supra diximus.

Munusculum pomorum. XCIV.

Non° mea Massylus seruat pomaria serpēs, ° mihi.
Regius Alcinoi nec mihi seruit ager.
Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur, media quæ sūt° mihi nata Subura, ° v. media.
Mittimus Autumni cerea poma mei.

DOMITIVS.

N*on.*] Mittit amico poma non nata in agro suo Nomentano, sed nata in Suburra, hoc est empta, nam & supra dixit, Quicquid alteri ager dat sibi nasci in media Suburra.

S*erpens Massi.*] i. Hesperius, qui seruabat poma aurea Hesperidum.

A*lcinoi.*] Regis Phæacum qui habuit pulcherrimum agrum.

G*erminat.*] Producit mihi fructus.

M*ala p.*] Nullius precij. alludit ad aurea mala.

Ad Gallam. XCV.

Infantem tibi vir, tibi Galla remisit adulter:
Hi, puto, non dubiè se futuisse negant.

DOMITIVS.

I*nfantem.*] Ludens ostendit Gallam esse fellatricem: Quod supra dixit.

Non fellat tanti Galla, quid ergo? tacet.

Natum enim infantem & maritus negauit esse suum, & adulter. ait poëta cùm maritus, & adulter negent filium natum suum esse, apertè negant se futuisse, quasi dicat, irrumarunt fellantem.

N*on futuisse.*] Sed irrumasse.

Ad Auitum. XCVI.

Sępe loquar nimiū gentes quòd Auite, remotas
Miraris, Latia factus in vrbe senex.
A *Auriferumque Tagum sitiam, patriūmque Salonem,*
Et repetam° saturæ sordida rura casæ. ° v. patriæ.
Illa placet tellus, in qua res parua beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Pascitur hîc, ibi pascit ager, tepet igne maligno
Hîc focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hîc pretiosa fames,° conturbatúrq; macellus
Mensa ibi diuitiis ruris operta sui.
Quatuor hic æstate togæ, plurésve teruntur:
Autumnis ibi me quatuor vna tegit.
I, cole nūc reges, quidquid nō præstat amicus,
Cùm præstare tibi possit, Auite, locus.

° v. Conturbatrixque macelli Mensa ibi.

° Germana lectio est manuscripti codicis recipienda pretiosa fames Conturbatrixque macelli Mensa. Ita etiam eleganter appellat nepotinos sumptus, & effusum luxum quo hauriebantur opes & patrimonia in cōmendis cōquisitissimis cibis, petitis etiam vltra Phasidem auibus: quippe cùm seculi vitio is maximè fieret, qui perditissimè censum Domini mergeret vt Plinij dicam verbis.

B

DOMITIVS.

S*æpe.*] Laudat otium patriæ suæ, vbi poterit viuere paruo pretio, quo Romæ non potest. stultum igitur est colere diuites, cùm locus possit sibi suppeditare id quod ipsi non dant. Auitus mirabatur quare vellet reuerti in patriam, cùm fuerit Romæ, xxxiv.

S*itiam.*] Hispaniæ est, vt Ptol. scrib. iuxta Alauonam.

B*eatum.*] Me videri diuitem.

L*uxuriantur.*] Possunt afferre luxum.

P*ascit ager.*] Vt suprà, *Pascimus ingera.*

P*ascitur.*] Sustentatur.

M*aligno.*] Quia emuntur ligna.

C*onturbatus.*] Vt dixit, Conturbator aper qui multa requirit, & sollicitudinem, & curam.

C Q*uatuor au.*] i. quatuor annis.

De Numa. XCVII.

Dum leuis arsura struitur Libitina papyro,
Dum myrrhā, & casiā flebilis vxor emit.
Iam scrobe, iam lecto, iā° pollinctore parato, ° Pollinctor, quasi pollinctorum vnctor.
Heredem scripsit me Numa: conualuit.

DOMITIVS.

D*um.*] Iocus est in felicitatem suam: & scriptus hæres à moriente, cuius funus curabatur, causam conualescēdi dederit, nam ille liberatus est à morbo.

P*apyro.*] Adhibebatur rogo mortuorum, vt arderet facilius, quod docuerunt Ægyptij, qui papyro ad ignem vtuntur, vt scrib. Plin. & Strab. odores

D item spargebantur, vt myrrha, casia, & alia. Pap.

Sed quid ego exequias & prodiga flammis
Dona loquar, mœstoque ardentia funera luxu?
Quid Cilicum flores, quid munera graminis Indi?

P*olinctere.*] Polinctores dicebantur qui curabant funus, vt Nonius ex Var. & Plau. testimonio docet: & Cassius in annalibus, Polincere dixit pro curare funus: Numa, inquit, constituit, vt pisces qui squammosi non essent ni polincerent, patrimonia ad conuentus publicos, & collegia facilius emerentur.

P*olinctore.*] Vespilone. Vespilo tamen dicitur qui effert cadauer.

GEORGIVS.

I*am scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato.*] Curatores funerum, designatores, & libitinarij dicti fuerunt

fuerunt, quod in comment. Iu. scripsimus. in quo autem differat libitinarius à polinctore, docet Vulp. de institoria actione, scribens ad hunc modum: Si libitinarius seruum polinctorem habuerit, isque mortuum spoliauerit, dandam in eum quasi institoriam actionem. ex tanti iurisconsulti verbis liquido patet, libitinarium esse curatorem funeris, polinctorem vero qui cadauera tractet, atque sepeliat. Porro quàm indocte & à negocio, de quo agitur, longa dissidentia verba Cassij Eminæ adducit à Plin. notata, vbi de piscibus loquitur: Sunt enim hæc, pisces marinos in vsu fuisse protinus Roma condita. auth. est Cassius Emina, cuius verba de ea re subijciam. Numa constituit, vt pisces, qui squammosi non essent, ni pollucerent patrimonia commentus, vt conuiuia publica, priuataque cœna ad puluinaria facilius comparentur, ni qui ad polluctum emerent, precio minus parcerent. sed, si Deo placet, noster hic egregius literator, vbi pollucerent legitur, & polluctum secutus emendantium errorem polincerent, & polinctum legendum censet, quasi de funere piscium Numa legem tulerit. nimis sane audaces, & cum iactura bonorum authorum sunt hi homunciones, in quorum temerariam & interim perniciosam ignauiam doctissimus quisque inuehi deberet, vt veritas & dignitas nostræ linguæ à tanta iniuria aliquando defendatur. Cas. scrib. pollucere, quo prisci Latini in hac fermè significatione vsi sunt, quoties opiparas dapes velut in sacrificium Dei & in primis Herculis facturi erant: cui Deo decimas omnium rerum Romani voto reddebant. Plau. in Sticho.

Vt decimam partem Herculi polluceant.

Neuius in collace.

Qui decimas partes quantum alieni fuit,
Polluxit tibi à publicando epulum Herculi decimis.

Macro. quoque catiliones eos propriè dicit, qui ad polluctum Herculis vltimi cùm venirent, catillos liguribant, & pollucibilem eam cœnam, quam Cleopatra Ant. parauit, appellat, quam eandem Pli. magnificam dixit, vt manifeste appareat ad polluctum nihil aliud esse, nisi ad magnificum epulum, quale Herculi solebat fieri, venire. in quem sensum accipienda sunt Cassij verba, si diligẽter ea excusserimus.

In Publium. XCVIII.

Addat cùm mihi Cæcubum minister
Idæo resolutior cinædo,
Quo nec filia cultior, nec vxor,
Nec mater tua, nec soror recumbit:
Vis spectem potius tuas lacernas,
Et citrum vetus, Indicosque dentes?
Suspectus tibi ne tamen recumbam,
Præsta de grege, sordidáque villa
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci.
Perdet te pudor hic. habere Publi
Mores non potes hos, & hos ministros.

DOMITIVS.

ADDAT.] Publius ægrè ferebat ministros pulchros inspici à Mart. conuiua. qua de re supra conquestus est in Afrum. hi, inquit, ministri non conueniunt tuis moribus: nam si volueris eos adesse, necesse est inspiciantur.

VETVS *citrum.*] Id est mensam citream.

PRÆSTA.] Fac adesse.

HIRCOSI.] Malè olentis.

DOLOR.] Quo afficeris dum spectantur ministri.

De figura Socratis. XCIX.

Si Romana forent hæc Socratis ora, fuissent
Iulius in Satyris qualia Rufus habet.

DOMITIVS.

SI *Romana.*] In imaginem Socratis, cuius grauitatem si os Romanum esset, non Græcum, similem esse dicitur seueritati, qua Iulius Rufus in Satyra scribenda vtitur. Laus est igitur Iulij Rufi, qui tanquam alter Socrates vitia carpebat: cuius meminit Plin. in Epistolis.

ROMANA.] Id est, si Romanus fuisset Socrates.

"In commiscétem versus operi suo. C. "v. ad Poëtam impositum.

Quid stulte nostris versibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi miser libro?
Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte frustra crure ligneo curres.

DOMITIVS.

QVID.] Noto argumento conqueritur quendam poëtam miscere carmina sua versibus ineptis, quos componebat: de quo supra est conquestus in Fidentinum: sed tamen eum non magis posse esse bonum poëtam ait, quàm posset currere, si alterum pedem ligneum haberet, alterum Ladæ velocissimi cursoris.

QVID *tibi est.*] Quid habes.

LITIGANTE.] Quia meum carmen non conuenit tuis versibus.

LADA.] Cursor Alexandri, qui pendentibus vestigiis vix arenam signabat: huius meminit Solinus, & Catullus Veronensis.

De Capitolino. CI.

Elysio redeat si fortè remissus ab" agro "v. antro.
Ille suo felix Cæsare Galba vetus,
Qui Capitolinum pariter, Galbámque" iocantes "v. vocitantem.
Audierit: dicet, rustice Galba tace.

DOMITIVS.

ELYSIO.] Laudat Capitolinum scurram, quem Galbæ anteponit, qui Cæsarianis temporibus floruit: notus carmine Iuuenal.

Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas

Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

Svo *Cæsare.*] Augusto: quod placet, quàmuis nonnulli de Tiberio sentiant.

De Phileno. CII.

Qua factus ratione sit requiris,
Qui numquam futuit, pater Philenus.
Gaditanus Auite dicat istud:
Qui scribit nihil, & tamen poëta est.

DOMITIVS.

Qva.] Iocus est in Philænum & Gaditanum, quorum alter adulterio vxoris habebat filios, alter alieno carmine sibi vendicato volebat videri poëta.

B Sit *factus pater.*] Id est, habeat filios.

* Ad Bilbilitanos agros. CIII.

* v. Ad municipes Bilbilitanos.

Municipes augusta mihi quos Bilbilis * *agri*
Mōte creat, rapidis * *quos Salo cingit aquis.*
Ecquid læta iuuat vestri vos gloria vatis?
Nam decus & nomē, famaq; vestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.
Quatuor accessit trigesima messibus æstas,
Vt sine me Cereri rustica liba datis.
Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ,
Mutauere meas Itala regna comas.
Excipitis reducem placida si mente, venimus:
Aspera si geritis corda, redire licet.

* v. alto.
* v. quem.

DOMITIVS.

Mvnicipes.] Reuersurus in patriam, alloquitur populares suos, & quærit an post xxxiiij. annos, quos in vrbe consumpserit, velint se in vrbem accipere, & an humanitatem didicerint: qua cùm carerent ipse Romam venit.

A Mvnicipes.] Populares.

Tenvi.] Versanti in lyrico carmine.

Rvstica] i. dum agitis vitam rusticanam.

Ad librum. CIV.

I, nostro comes, i, libelle Flauo,
Longum per mare sed fauentis vndæ,
Et cursu facili, tuisque ventis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, & citatus
Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quincto forsitan essedo videbis.
Quid mandem tibi quæris? vt sodales
Paucos, & veteres, & ante brumas
Triginta mihi quatuorque visos
Ipsa protinus à via salutes,
Et nostrum admoneas subinde Flauum,
Iucundos mihi nec laboriosos
Secessus spatio paret salubri,
Qui pigrum faciant tuum parentem,
Hæc sunt. Iam tumidus vocat magister,
Castigatque moras, & aura portum
Laxauit melior: vale libelle.
Nauem, scis puto, non moratur vnus.

DOMITIVS.

C I *nostro.*] Dat libellum Flauo amico eunti in patriam, & mandat vt veteres sodales salutet, & sibi agrum paret ad otium.

Tarraconis.] Tarraco nobile oppidum sine portu, & nobili vino.

Qvinto *essedo*] i. quinta mansione.

Tvvm *parentem.*] Id est, me qui te edidi.

Iam *tumidus.*] Similis locus est apud Iuuenalem Vmbricij, dum à Mulione vocaretur.

Laxavit.] Aperuit emissis multis nauibus.

Non *moratur vnus.*] Id est, omnes adsunt præter te. Vel non moratur vnus, id est, vnius expectatio non solet retinere nauim, quin discedat.

Finis lib. decimi Epigrammat. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON

LIBER XI.

SVMMA.

Fingit librum hunc in Domitiani ædes proficiſcentem, quo in loco Parthenius quidam cubiculi erat præfectus, cui poëta Domitiano reddenda carmina mittere ſolebat: Aliis igitur impedito negociis Parthenio, vt ne quidem poſſet morem gerere poëtæ: Alloquitur monétque ipſum librum ne ſe amplius recipere velit in Parthenij manus, cum libros ille haud legat, ſed ſupplicum libellos: At potius ad vicini otioſam turbam Quirini ſe conferat: qua otioſiorem haud haberet ipſe Pompeius, Agenoriſve puella. Ibi enim qui ſuos dignentur luſus reuoluere reperiuntur. Cæterùm ad lectorem ſermonem conuertit, apud quem haud ignoratum velit ſe à perlegendis ſuis ſcriptis ſuperciliosos omnes arcendos conſtituiſſe: in ipſis enim loquendi libertas vult ſibi conceſſa.

I. A

QVO tu, quò liber otioſe tendis,
Cultus ſindone non quotidiana?
Numquid Parthenium videre tentas?
Vadas, & redeas *irreuolutus.*
Libros non legit ille, ſed libellos:
Nec Muſis vacat, aut ſuis vacaret.
Ecquid te ſatis æſtimas beatum,
Contingunt tibi ſi manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otioſiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus leuis carinæ.
Sunt illic duo, tréſve, qui reuoluant
Noſtrarum tineas ineptiarum:
Sed cùm ſponſio, fabulæque laſſæ
De Scorpo fuerint, & Incitato.

* v. ineuolutus, quæ pura puta lectio eſt, cùm illam priorem lex carminis reſpuat. v. Turneb. li. 8. cap. 4.

* Vide Tur. lib 8 ca. 4. & Li. 8. ca. 13.

DOMITIVS.

QVO tu, quò liber otioſe tendis.] Exiturum vndecimum librum alloquitur quaſi properantem in palatia, quo viuo Domit. ſolebat mitti præfecto cubiculi Parthenio, qui poëtæ carmina Imperatori reddebat: eúmque monet, vt potius ad turbam otioſam ſe conferat, occupato Parthenio ſupplicum libellis.

OTIOSE.] Otio indulgens.

SINDONE *non quotidiana.*] Sed feſtâ.

INEVOLVTVS.] Non lectus. Non enim legeris.

VACAT.] Impartitur otium. Parthenius enim doctus erat: vt ſupra,

Nam quis ab Aonio largius amne bibit.

MANVS *minores.*] i. ſatis ſit tibi ſi legeris à minoribus Parthenio.

PORTICVM *Quirini.*] Habitabat enim iuxta porticum Quirini: quod ſupra dixit,

Vicinoſque tibi ſancte Quirine lares.

B Eo loco conueniebant homines negociorum componendorum cauſa, & nonnunquam agebantur illic ſponſalia, vt Iuuen. indicat.

—— Officium cras
Primo ſole mihi peragendum valle Quirini.

Tamen ſequitur.

Nubit amicus.

POMPEIVS.] Porticus Pompeiana, porticus Europæ, & porticus Argonautarum in campo Martio: ſupra,

Hic ſi receſſit porticum terit templi,
An ſpatia carpis lentus Argonautarum,
An delicatæ ſole rurſus Europæ.

PVELLA *Agenoris.*] Porticus Europæ.

DOMINVS *primæ carinæ.*] Iaſon.

LEVIS.] Alludit ad Argo, quæ dicta est à celeritate.

SPONSIO.] Sponsionem appellat depositionem pignorum vter esset futurus victor, an Incitatus, an Scorpus: nam hi duo aurigæ omnium sermone celebrantur. sunt qui hoc ad sponsalia referant, sed non placet.

Ad Lectores. II.

Triste supercilium, durique seuera Catonis
Frons, & aratoris filia Fabricij:
Et personati fastus, & regula morum,
Quidquid & in tenebris nō sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, iò Saturnalia, versus,
Et[*] *licet, & sub te præside Nerua licet.*

*v. libet quæ genuina est scriptura.

DOMITIVS.

TRISTE.] Dimittit omnem frontis seueritatem cantaturus carmen Saturnalitium, veteri licentia principe Nerua.

DVRI *Catonis.*] Stoïci.

O *filia.*] i. ô censura.

O *fastus personati.*] i. ô vos qui erigitis supercilium & frontem tanquam personarum & laruam seueram sumitis, cùm alia frons, leuis, & mollis subsit.

Ad Lectores. III.

Lectores tetrici salebrosum ediscite Sanctrā:
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

DOMITIVS.

LECTORES.] Sanctra poëta fuit, qui grauitate censoria carmen scripsit duris numeris, lepore nullo complexus Philosophorum dogmata, quorum etiam imagines coluit.

EDISCITE.] Mandatæ memoriæ.

NIL *mihi vobiscum est.*] Nolo vos lectores.

De suis libellis. IV.

Non vrbana mea tantùm Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus.
Sed me[*] *in*[*] *Geticis ad Martia signa pruinis*
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur & nostros cātare Britannia versus.
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quā victuras poteramus pangere chartas,
Quantáque Pieria prælia flare tuba?
Cùm pia reddiderint Augustū numina terris,
Et Mæcenatem si[*] *mihi Roma daret.*

*v. gelidis
*v. tibi.

DOMITIVS.

NON.] Auaritiam suorum temporum notat: ait enim se posse scribere grande carmen, si fata dedissent alterum Mæcenatem, quemadmodum Neruam alterum Augustum concesserunt.

PIMPLEIDE.] Pimpleis dicitur Musa: nam Pieria, Olympus, Lebettrum, Pimpla, loca Thraciæ sunt, quorum incolæ migrarunt in Parnassum, & iisdem nominibus loca dicarunt: author est Strab. eadem dicitur Pimpleia: Papin.

Licet enthea vates Exuperet Pimplea sitim.

VRBANA *otia.*] i. homines vrbani in otio.

TERITVR.] Vsu & lectione consumitur.

GETICIS *pruinis.*] Nam illic in expeditione erat Traianus.

BRITANNIA.] Albium dicebatur ab albis montibus, hoc nomen sibi vsurpauit, cùm reliquæ insulæ vicinæ Britanniæ dicerentur, vt Plin. tradit formæ triangularis ex dimensione Diodori. Domitorem non senserunt, nec Bacchum, nec Herculem, neque vllum ante Cæsarem.

NESCIT *ista.*] Quia nihil pecuniæ mittunt.

AVGVSTVM] i. Neruam alterum Augustum.

Precatur deos pro[*] Nerua Traiano. V.

*Rectè in veteribus enim numis legitur, Imper. Cæs. Nerua Traianus. Calderinus nomen Traiano omittit.

Sacra, Laré sque Phrygum, quos Troia maluit heres,
Quàm rapere arsuras Laomedontis opes.
Scriptus[*] *es æterno nūc primū Iuppiter auro,*
Et soror, & summi filia tota patris.
Et qui purpureis iam tertia nomina fastis
Iane refers Nerua, vos precor ore pio.
Hunc omnes seruate ducem, seruate senatum:
Moribus hic viuat principis, ille suis.

*v. & quod placet.

Idem Græcè.

Ἱερὰ σεμνὰ Φρυγῶν, ἃ πρὸ πλούτου Λαομέδοντος
Ἁρπάζειν Τρώϊος εἵλετο κληρονόμος·
Καὶ πάτερ ἀιδίῳ Ζεῦ ἄρτι γεγραμμένε χρυσῷ,
Σύ τε κασιγνήτη μουνοπάτωρ θυγάτηρ.
Καὶ σὺ πάλιν χρονικοῖς Νερούα τρίτον οὔνομα δέλτοις,
Ἰανὲ φέρων, ὑμῶν εὐαγέως δέομαι·
Τόνδ' ἀρχὸν, καὶ τὴν βουλὴν σώζοιτε· καὶ ἡ μὲν
Ἤθεσιν ἡγεμόνος ζώοι, ὁ δὲ σφετέροις.

DOMITIVS.

SACRA.] Optat felicitatem Neruæ, & perpetuum Imperium vna cum senatu. primum rogat Vestam, cuius sacra ex Troia allata fuerunt ab Ænea. vnde ignis Vestalis dicitur Troicus à Papin. Silius.

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedontea Troiana altaria flamma.

HEROS *Troia.*] i. Æneas.

AVRO *æterno.*] i. æterna auri imagine.

SOROR] ô Iuno.

FILIA] ô Minerua.

TOTA.] Quia ex solo capite eius nata est.

TERTIA *nomina fastis purpureis.*] Vel quia trib[us] annis regnauerit, quod nō placet. vel ad tria nomina Iani alludit, qui Ian[us] Patul. & Clusius, dicebatur, vt Ouid.

ostendit: magis placet distinguas, vt de consulatibus Neruæ intelligas, qui tertium iam agebat consulatum, quemadmodum Domit. septimum consulatum gessit.

° Calderinus Traiani non habet.

In laudem Neruæ ° Traiani. VI.

Tanta tibi est recti reuerentia Cæsar & æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus:
Te volet inuictus ° pro libertate Camillus,
Aurum Fabricius te tribuente volet.
Te duce gaudebit Brutus: tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cùm positurus erit.
Et te priuato cum Cæsare Magnus amabit:
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoq; infernis reuocatus Ditis ab vmbris,
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

° Magis sententiam explebit, pro libertate. dicere voluit Camillus te principem mallet, quam suam illam libertatem. Lips. lib. 1. Epist. 5.

Idem Græcè.

Τόσσον σοι, Καῖσαρ, θέμιδος σέβας ἐστὶ, δίκης τε,
Ἡλίκον ἔσχ᾽ ὁ Νομᾶς· ἀλλ᾽ ὁ Νομᾶς πένετο.
Ἤθεα μὴ πλούτῳ προδόμεν μέγα θαῦμα καὶ αὐτό·
Τοσσατίων Κροίσων κρείττον᾽ ἐόντα, Νομᾶν.
Εἰ φωτῶν νίσσοιτο παλίσσυτα φῦλα παλαιῶν,
Ἐξείη τε κενοῦν πολὺ πέδον Ἠλύσιον,
Αἱρήσει σε Κάμιλλος ἐλευθερίης ὑπὲρ αὐτῆς,
Χρυσὸν Φαβρίκιος, σεῖο διδόντος, ἑλεῖ·
Σοὶ στραταγῷ Βροῦτος χαιρήσεται, σοὶ παραδώσει
Κῦδος ἄφαρ Σύλλας πρὶν ἀποθησάμενος·
Σοὶ δ᾽ ἰδιάζοντι σὺν Καίσαρι Μάγνος ἐρῴη,
Σοὶ δ᾽ ἂν Κράσσος πλοῦτον ἅπαντα παρείς.
Εἰ δὲ καὶ ἐγκαλέοιτο, καὶ ἐξ ἀΐδαο νέοιτο
Αὐτὸς Κάτων, ἔσται καὶ ὅδε Καισάρεος.

DOMITIVS.

TANTA.] Neruam antiquis nominibus morum sanctimonia anteponit.

CÆSAR.] Nerua.

SED *Numa pauper erat.*] Propterea minus in eo mirandum est, quod coluerit rectum.

NON *tradere.*] i. magnæ continentiæ est inter diuitias.

CROESOS.] Diuites.

NVMAM.] i. esse conditionis Numæ, & animi.

INGENTIA *nomina.*] i. qui sunt in magna admiratione.

VACVARE.] i, educere vmbras ab Elysijs.

CAMILLVS.] Qui vrbem defendit à Gallis ab exilio reuocatus, quo fuerat missus, deprehensis duabus portis æneis, vt scrib. Plut. eius domi ex præda Veientana: nostri exilium illud ascribunt prædæ malè diuisæ. Is secundus Romulus est appellatus, quòd vt ille condiderit, ita hic seruauerit vrbem.

FABRICIVS.] Missum aurum à Pyrrho repudiauit, immortali animi continentia.

BRVTVS.] Qui reges eiecit.

GAVDEBIT.] Patietur te esse Imperatorem, quod non passus est sub Tarquinio.

SYLLA *cruentus.*] Nam in bello, supra C. millia hominum deleuit, authore Appiano: nonaginta senatores. xv. consules, equestris dignitatis duo millia & sexcentos, dictaturam deposuit sponte, quæ in eo erat imperium: Corn. Isaurico, & Claudio pulchro consu. secessitque Puteolos ad otium.

CRASSVS.] Quiuit in Parthos, vt conueniat cum Cęsa. & Pomp.

CATO.] Perpetuus hostis Cæs. scrib. in cõmenta.

ERAT *Cæs.*] i. Cæsaris nostri studiosus, vt Iulium Cæsarem odio habuit.

° Ad Romam & Dindymum. VII.

° Ad Dindymum de Saturnalibus.

Vnctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, pudor, ° pileata Roma.
Risisti: licet ergo, nec vetamur.
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quidquid venerit obuium loquamur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios puer trientes,
Quales ° Pythagoras dabat Neroni:
Misce Dindyme sed frequentiores.
Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrent mihi quindecim poëtæ.
Da nunc basia, sed Catulliana,
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi passerem Catulli.

° Saturnalib. Romani pileos gestabant. v. Turn lib. 8. cap. 4.

° Doryphorum intelligit puerum, cui monstrũ illud nupsit. Tranquillo teste.

DOMITIVS.

VNCTIS.] Saturnalitium potum exercet, lusurus lasciuum carmen.

O *Roma pil.*] Nam serui in Saturnalibus pilea sumebant libertatem agentes quinque diebus.

PILEATA.] Libera.

VERSV *non lab.*] Sed facili & lasciuo.

DIEBVS *vn.*] Retulit ad comessationes & ebrietatem eorum.

SEN. *fal.*] Saturni qui habet falcem.

FRITILLVS.] Ludus aleæ.

REGNATOR.] Quia impune exercetur.

FRITILLVS.] Alueus, fimum, idem significant: vt Porphyrio interpretatur.

CVRÆ *pallentes.*] Quibus homines pallent.

MOROSA.] Difficili. Nolumus cogitare, an sit bene dictum.

DIMIDIOS.] Quia qui volebant iocari non poscebant plenos trientes, sed dimidios, vt diutiùs essent in iocis.

PYTHAGORAS.] Maritus fuit Nero. nam ei ex grege contaminatorum nupsit Nero: vt Tacitus scri. iusto ritu nuptiarum celebrato. eundem Tranquil. appellat Doriphorum. Polycletus Sycionius Doriphorum ære expressit viriliter puerum. Doriphori autem dicebantur, qui hastas gerebant.

QVINDECIM *poe.*] Multa poëmata cum caluero mero.

CATVLLIANA.] Multa quot poposcit Catul. *Da mihi basia mille, deinde C. deinde quatuor altera, da secunda C.*

DONABO *pas.*] i. scribam carmen in laudem tuam, quale scripsit Catul. quod Passer inscribitur, in amicæ consolationem, quæ passerem amiserat, tanto est maior passere Catul. quanto etiam opus Stellæ de columba Violantillæ amicæ, quod columba inscribitur.

In Paullam. VIII.

Iam certè stupido non dices Paulla marito,
Ad mæchum quoties longius ire voles:
Cæsar in Albanum iussit me mâne venire,
Cæsar Circeïos, iam stropha talis abit.*
Penelope licet esse tibi sub principe Nerua:
Sed prohibet scabies ingeniumque vetus.*
Infelix quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ.
Ibit & ad fratrē tecum, matrēmq;, patrēque,
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?
*Dicet & * hicttericā se forsitan altera mæcha*
** In Sinuessano velle sedere lacu.*
Quanto tu melius, quoties placet ire fututum,
Quæ verum mauis dicere Paulla viro.

* Circeios reposuit Iunius, & Circæos, quod in aliis libris legitur induxit.
* ingeniique metus.
* v. histericā lego. Histerica dicitur, quæ strangulatum vteri patitur, ab ὑστέρα. Vide Turn. li. 8 cap 4.
* Sinuessanas aquas in Campania feminarum sterilitatem abolere prodit, Plinius li. 31 cap. 2.

DOMITIVS.

IAM *certè.*] In Paulam mœcham, de qua supra, *Comœdi tres sunt, sed amat tua Paula Luperce Quatuor.*

Hæc temporibus Domi. maritum fallebat excusatione speciosa, quoties ad adulterium se conferebat. nam modò dicebat se velle ire in Albanum iussu Cęs. qui illic quinquatria celebrabat, modo circæos: nunc mortuo Do. & sublata omni excusatione, simpliciter viro fatebatur se velle ire ad adulterum.

STVPIDO.] Hebeti, imprudenti.

IAM *stro. ta. ab.*] Stropha significat dolosam excusationem, supra.

Nihil stropharum est: iam salarium dandum est.

Plin. Hic ego aliquam stropham inueniam.

ABIT.] Sublata est.

LICET *tibi esse Pe.*] i. debes seruare pudicitiam.

SCABIES.] Pruritus tuæ libidinis.

INGENIVM *ve.*] i. inueterata natura. ergo tuo ingenio es mœcha & non iussu Imperatoris.

INGENIOSA.] Quæ solebat vti stropha.

HICTERICAM.] Hictericus morbus est, quem Celsus arcuatum vocat, siue regium, aut, vt ipse interpretatur, quoniam luxurioso cubiculi apparatu & regiæ magnificentiæ aspectu curatur.

A LACV *Sinuessano.*] Balnea, quibus Narcissus libertus Claudij morbo leuatus est, vt scrib. Taci. Multis morbis medebantur, vt author est Strab.

De basiis sui pueri. IX.

Lassa quòd externi spirāt opobalsama drauci,
Vltima Corycio quæ cadit aura croco.
Poma quòd hiberna maturescentia capsa,
Arbore quòd verna luxuriosus ager.
De Pallatinis dominæ quòd serica prelis,*
Succina virginea quòd regelata manu.*
Amphora quòd nigri, sed lōge fracta, Falerni
B *Quòd qui Sicanias detinet hortus apes.*
Quod Cosmi redolent alabastra, focique deorum,
Quod modo diuitibus lapsa corona comis.*
Singula quid dicā? nō sunt satis: omnia misce:
Hoc fragrant pueri basia mâne mei.
Scire cupis nomen: nil præter basia dicam.*
** Iuro tibi, nimium scire Sabine cupis.*

* Id est, Augustæ. Vide Turneb. lib. 21. ca. 6. & li. 13. cap 18.
* v. regelata, id est, degelata, & attrite concalefacta.
* v. laxa.
* v. si propter
* v. Iurasti.

DOMITIVS.

LASSA.] Odorem basiorum pueri odoramentis omnibus anteponit. Balsamum Iudææ peculiare est, omnisimque vnguentorum odorem superat.

OPOBALSAMVM.] Succus balsami eximiæ suauitatis, qui tam tenui gutta colligitur, vt Alexandro illic res gerente toto die vix concha impleretur.

C OPOBALSAMA.] Vnguenta suauissima.

EXTERNI.] Nam Mitylenei pueri & ex toto oriente petiti in precio erant, & ipsa vnguenta fuerunt externa: exoticaque dicebantur, vt Iulij Cæs. & Lici. Crassi edicto apparet, qui vnguenta exotica vendi prohibuerunt.

LASSA.] Vel attritu. nam vnguenta attritu fragrant, quod placet, vel lapsa pro labentia, nam opobalsama labuntur.

CROCO.] At Coricum omnia superat, secundum Cilicum, tertium Centuriphinum Siciliæ, quartum Phlegræum.

CAPSA *hy.*] Quæ hyeme asseruatur.

PRÆLA.] Loculi erant, quibus compressæ vestes continebantur. supra eodem verbo vsus est.

Innumeris pellucent prela lacernis.

D SERICA.] Vestes sericinæ. nam sericeis vtebantur mulieres, quæ nascebantur in arboribus Serum.

REGELATA.] Concalefacta. nam flagrant. supra.

Quam nec pestis regelare.

Et Collu. eodem vtitur verbo.

OPES *Si.*] Id est, mella hyblæa.

ALABASTRA.] Pixides vnguentariæ. Alabastrites genus marmoris perlucidi, vt Plin. scri. Alabastrum ampulla vnguentaria, quemadmodum onyx, Dures marmor, & onyx ampulla marmorea.

COMIS *diuitibus.*] Vnguentatis.

OMNIA *mis.*] Quæ odorem mittunt, non solum singula superat odor basiorum, sed etiam omnia simul, si propter basia vis scire nomen.

NIMIVM.] Alludit ad illud, quoniam non tantum vis scire, vt basia carpas, sed etiam vt abutaris.

A

De statua Memoris. X.

Clarus frõde Ionis, Romani fama cothurni,
Spirat [b] *Apellea redditus arte Memor.*

[b] v. Apollineas.

DOMITIVS.

CLARVS] Memor & Turnus poëtæ fuerunt, & fratres: quorum meminit Sidonius, alter scripsit tragœdiam, vel quod magis placet, heroïcum carmen, alter satyram. laudantur ergo imagines vtriusque pictæ in eadem tabella.

APELLEA *ar.*] Excellentissimi pictoris.

FRONDE *Io.*] Corona querna, qua coronabantur poëtæ heroïci.

ROMANI *co.*] i. tragœdiæ, quod non placet.

VEL *fama Romani cothurni*] i. carminis heroïci, quod carmen surgit in magnificentiam tragicam, vnde Ilias Ho. tragœdia dicta est, vt Eusta. scrib. ob magnitudinem & cædes.

De Turno. XI.

Cõtulit ad satyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris [c] *carmina? frater erat.*

[c] v. Carmina frater eas.

DOMITIVS.

FRATER *erat*] Laudatur pietas Turni, qui voluit scribere satyram & abstinere carmine heroico, cùm posset eo esse clarus: ne scilicet fratri Memori æmulus videretur, qui carmen heroicum scribebat: vt legas per interrogationem, & respondeas.

FRATER *erat*] i. ne æmulus videretur fratri.

Ad puerum suum. XII.

Tolle puer calices, tepidiq; toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, & tõso pura ministro,
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemma, qui Mentora frãgis
In [d] *scaphium mœcha Sardanapale tuæ.*

[d] σκάφιον maculam propriè mulierum significat, Polluce teste.

DOMITIVS.

TOLLE] Sardanapalum non sine felle deridet, qui ex gemmatis & aureis poculis scaphium vrinarium conflauerat amicæ: dignus, inquit, est qui bibat gemmis in scaphio gemmato, nam potabit lotium.

TEPIDI *Nili*] i. vasa crystallina, quæ ex Ægypto afferebantur, infra,

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus.

TOREVMATA] Vasa.

SECVRA *manu*] Quia non timebis ne frangantur.

LABRIS *maiorum*] Id est, vsu.

ANTIQVVS *honor*] Fictilium vasorum.

TE *pota. decet*] Dignus es potare illo vase, quia potabis lotium.

In Zoilum. XIII.

Ius tibi natorum vel septem Zoile detur;
Dũ matrem nemo det tibi, nemo patrem.

DOMITIVS.

IVS] In obscuros natales Zoili seruilis conditionis: olim ius trium natorum petebat, cùm ipsius parentes essent ignoti.

Epitaphium Paridis. XIV.

B

Quisquis Flaminiam teris viator.
Noli nobile præterire marmor.
Vrbis deliciæ, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas,
Romani decus, & dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulchro.

Idem Græcè.

Ὅστις Φλαμινίην τρίβεις, ὁδῖτα,
Ἔνδοξον τόδε σῆμα μὴ παρέρχου.
Τερπωλὴ πόλεως, ἄθυρμα Νείλου,
C Τέχνη, καὶ χάρις, ἡδονή, κρότημα,
Σκηνῆς Αὐσονίης κλέος τε, κἄλγος,
Καὶ πᾶν χρῆμα καλῶν, ἐρωτικῶν τε,
Τῷδ', ᾧ καὶ Πάρις, ἠρίῳ τέθαπται.

DOMITIVS.

QVISQVIS] Epitaphium est Paridis pantomimi, qui in aula Domitia. gratiosus erat, eius amore captam Domitiam vxorem Do. repudiauit, eiusque discipulum, quoniam persimilis magistro videbatur, necauit.

TERIS *Flaminiam*] i. quisquis ambulas per Flaminiam.

SALES *Nili*] Id est, Ægyptij.

DECVS] Dum vixit.

DOLOR] Mortuus.

D

De Colono. XV.

Hæredes nolite breuem sepelire colonum:
Nam terra est illi quantulacumq; grauis.

DOMITIVS.

HÆREDES] In breuem Colonum male colentem agrum. monet hæredes ne eum mortuum sepeliant, quoniam cùm terra sepulto sit optanda leuis, ipsi grauis est, quippe, cuius cultum omnino aspernatus est.

GRAVIS] Molesta, non potest ferre terram.

De libro suo. XVI.

Sunt chartæ mihi, quas Catonis vxor,
Et quas horribiles legant Sabinæ.
Hic totus volo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis:
Qui vino madeat, nec erubescat
Pingui sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris, amet puellas:
Nec per circuitus loquatur illam
Ex qua nascimur omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat.
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalitios Apollinaris.
Mores non habet hic meus libellus.*

*Doues, meos vult legere.

DOMITIVS.

SVNT] Cantaturus saturnalitium carmen, profitetur se cecinisse, quæ possint legi à pudicis, sed posthac lusurum licentia Saturnalitia: monet tamen Apollinarem censorem, ne putet eosdem mores inesse poëtæ, qui videbuntur in carminibus, cùm fateatur nullos inesse mores carmini suo.

SVNT *mihi chartæ*] i. iam edidi carmina.

COSMIANO] Vnguento.

ILLAM *parentem*] Matrem mentulam.

SATVRNALITIOS] Datos Saturnalibus.

Ad lectores. XVII.

Qui grauis es nimium, potes hinc iam lector abire
Quò libet, vrbana scripsimus ista toga.
Nam mea Lampsacio lasciuit pagina versu,
Et Tartessiaca concrepat æra manu.*
O quoties rigida pulsabis pallia vena,
Sis grauior Curio, Fabricioque licet!
Tu quoque nequitias nostri, lususque libelli,
Vda puella leges: sis Patauina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum:
Sed coram Bruto, Brute recede, leget.

*Tartessiacam manũ vocat doctam edere tinnitus Hispano ritu.

DOMITIVS.

QVI *grauis*] Eodem argumento monet lectorem grauem, vt nunc discedat.

QVÒ *libet*] Quocunque vis.

TOGÆ *vrbana*] Leuioribus personis: nam togati sequebantur diuites.

LAMPSACIO] Lampsacus olim Pithiusa dicebatur, non procul à Priapi oppido, cuius regionem consuetudo ad Vastiam appellauit, & eodem nomine Homerus. In eo tractu erant vites magna fertilitate, qua de causa illic colebantur à comitibus Bacchi sacra, & Priapus. Item Horneus suum illic cultum habebat, vnde versus Lampsacius dicitur qualiter Priapus colitur: dicimus & Lampsacenum.

A TARTESSIACA] Hispana. Nam Hispana lascicia sonorum & tympanis reliquas antecellebat, supra. *Edere lasciuos ad Bætica crusmata gestus.*

LICET *sis Patauina*] Licet sis pudica, quales fuerunt Patauinæ, quarum pudorem testatur Plin. in epistola, cùm scribit de muliere pudica. Eam Patauinis quoque mulieribus frugalitatis exemplum esse posse.

LVCRETIA] Pudica puella.

Ad Sabinum. XIIX.

Non omnis nostri nocturna est pagina libri:
Inuenies & quòd mâne Sabine legas.

B

Idem Græcè:

Οὔ τοι πᾶσα βίβλου σελὶς ἡμετέρης, πέλε νυκτός·
Εὑρήσεις ὅ, τι καὶ ἦρι Σαβῖνε μάθῃς.

DOMITIVS.

NON] Dicit se edidisse carmina, non modo quæ legenda sint noctu, sed etiam die. supra,

Tunc admitte iocos: gressu metire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

In Lupum. XIX.

C *Donasti Lupe rus sub vrbe nobis:*
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,* *Vide Turn. l.10.cap.27.
Arguta tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit vno,
Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo non magis inuenitur herba,
Quàm costi folium, piperve crudum:
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tuta possit.
D *Erucam malè pascit hortus vnam,*
Consumpto moritur culex salicto,
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut violæ patere possunt.
Fines mus populatur, & colono
Tamquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis vngue Procnes
In nido seges est hirundinino,
Et cùm stet sine falce, mentulaque,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata.

Erraſti Lupe * littera ſed vna.
Nam quo tempore prædium dediſti,
Mallem tu mihi prandium dediſſes.

* Fulm. Cod. legit, litteris duabus, ſed viciosè.

DOMITIVS.

DONASTI] Iocatur cum Lupo amico, qui exiguum prædium donauerat: à quo mallet accepiſſe prandium.

MALVS *in feneſtra*] Nam plebs vrbana in feneſtris hortulos habebat, quod Plin. his verbis teſtatur: Iam quoque in feneſtris ſuis plebs vrbana imaginem hortorum quotidiana oculis rura præbebant.

COSTI] Quod naſcitur in India: nam coſtum radix eſt eximij odoris, foditurque in Petale inſula Gangetis.

PIPER *crudum*] Acre: vel piper crudum, id eſt, pendens de ipſa arbore, & nondum torrefactum: primum appellatur longum, alterum album, tertium nigrum.

ERVCAM] Qua caules eduntur.

CVLEX] Qui alitur ſaliceris.

TALPA] Fodit hortos & facit cuniculum.

EST] Tota collatur & conſumitur in nido.

COCLEAM] Genus menſuræ exiguæ, quæ tota vix opobalſamo implebatur: vt ſcrib. Plin. indicans eſſe menſuram.

NVCE *picata*] Alludit ad vas picatum: nam Cato docuit eſſe vaſa picanda.

In Gallam. XX.

Quæris cur nolim te ducere Galla? diſerta ** eſt.
Sæpè ſolæciſmum mentula noſtra facit.

** v. es.

DOMITIVS.

QVAERIS] Notantur mulieres à Iuuen. quòd literarum cenſura vſque eo proceſſerint, vt etiam doctiſſimos rhetores in contentionem vocarent: vt Iuuenal. *Celſo dictare parata.*
Galla eo genere erat, quam poëta deridet: ait enim ſe eam nolle ducere vxorem, quoniam eius mentula faciat ſæpè ſolœciſmum, quem ipſa diſerta caſtigaret, hoc eſt, non legitimè ſemper coit: alludit ad literas, & ad coitum illegitimum.

Ad lectorem grauem. XXI.

Cæſaris Auguſti laſciuos liuide verſus
Sex lege, qui triſtis verba Latina legis.
Quòd futuit Glaphyram Antonius, hanc mihi pœnam
Fuluia cõſtituit, ſe quoque * vti futuam.
Fuluia ego vt futuam: quid ſi me Manius oret?
Pædicem, faciam? non puto ſi ſapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait: quid quòd mihi vita
Carior eſt ipſa mentula? ſigna canant.

* v. ego.

A Abſoluis lepidos nimirum Auguſte libellos;
Qui ſcis Romana ſimplicitate loqui.

DOMITIVS.

CAESARIS *Auguſti*] Totum eſt idem epigramma, ſed duo tantùm primi verſus, & duo vltimi ſunt Mart. ſex inſerti Octauij Aug. Auguſtus libellum epigrammaton edidit, quæ balnei tempore meditabatur: ex eo hoc recitatur epigramma à Mart. vt oſtendat laſciuiam carminis Imperatori quoque Auguſto placuiſſe in epigrammate. poſt primam ſimultatem cum Antonio, cùm vtriuſque milites poſcerent, vt neceſſitudine aliqua coniungerentur, actum eſt vt Aug. duceret Claudiam filiam Fuluiæ vxoris Antonij, quam ſuſceperat ex P. Clodio priore viro, eam intactam reliquit, orta ſimultate inter ipſum & Fuluiam ſocrum. Simultatis cauſa non exponitur à Tranquil. docet Auguſtus hoc epigrammate: ait enim Fuluiam ſocrum popoſciſſe ab eo coitum in vltionem Antonij coniugis, qui mimam Cithœridem amabat, ſed ſe id recuſaſſe, quoniam anus erat.

B

LATINA] Nuda & aperta.

GLAPHYRAM] i. mimam Cithœridem: Nam Glaphyrus nomen eſt citharœdi apud Iuuen.

De quo citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater.

Et apud Martial.

Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.

Aptè igitur mimam cithœridem appellat Glaphyram, quam Antonium perditè amaſſe Plut. & Plin. teſtantur, & Cic. adeo vt iunctis currui leonibus

C eam per Italiam circumtulerit: fecit demum diuortium, nihilque, vt Cic. ſcrib. egit honeſtius in vita Anton. quam quòd cum mima fecit diuortium.

FVLVIA] Socrus mea.

SIGNA *ca.*] i. pugnemus.

ABSOLVIS] Verſus Mart. verba ſunt in verſus Auguſti.

GEORGIVS.

QVOD *futuit Glaphyram Antonius, hanc mihi pœnam Fuluia conſtituit, &c.*] Si hic Cal. libros Appiani de bellis ciui. legiſſet, cauſam ſimultatis inter Fuluiam & Aug. tum quid foret Manius, & omnem vim epigr. cognouiſſet, ſi quidem Lucio Ant. triumuiri fratre conſulatum gerente, M. Ant. vxor Fuluia cum L. Manione omnia opera Cæſ. agi viderentur, admit-

D tebant cultores qui proprijs agris expulſi erant, eiſque auxilium pollicebantur, opera tamen Manij Fuluia in deterius conuerſa fuit: namque dicebat Manius, ſi Italia quieſcit, Cleopatram detenturam Antonium, qui inſurgente bello celerrime ad eam rediret. Quare Fuluia muliebri perturbatione mota, L. Antonium in contentionem impulit. Marcus vero Ant. mox Manium, quia Fuluiam ad bellum irritaſſet, per calumniam Cleopatræ neci dedit. Hic ergo erit ſenſus: Fuluia impulſa per Manium, qui ſubigebat Glaphyram, petit à Cæſare Auguſto futui, quam rem Auguſtus negat exemplo ficto de Manio, quippè dicens: Si Manius ſiam vir rogaret vt ſe pædicarem, nempè non facerem. Ergo nec tibi ô Fuluia morem geram, quemadmodum nec Manio obſequerer, quamuis & ipſe ſit cauſa ciuilis belli, ſed optione data magis eligit pugnam, quàm coitum.

A

In Lydiam. XXII.

Lydia tã laxa est, equitis quàm culus aëni,
Quàm celer arguto qui sonat ære trochus,
*Quàm rota transmisso toties impacta * petauro,*
Quàm vetus à crassa calceus vdus aqua,
Quàm quæ rara vagos exspectant retia turdos,
Quàm Pompeiano vela negata Noto,
Quàm quæ Delphitico lapsa est armilla cinædo,
*** Culcita Leuconico quàm viduata suo,*
B
Quàm veteres brachæ Britonis pauperis, & quàm
Turpe Rauennatis guttur onocrotali.
Hanc in piscina dicor futuisse marina.
Nescio: piscinam me futuisse puto.

* Petaurus tignũ quod à Petaurista traijciebatur per rotam. Vide Turn. lib. 8. cap. 4.

** Pulm. Cod. legit Culcitaquã, pluma quæ viduata sua est. probatur mihi nostra scriptura magis.

DOMITIVS.

LYDIA] Lassi homines fessi dicuntur, laxæ item res dicuntur, attritæ: in Lydiam est epigramma, cuius laxitatem & deridet & detestatur, ei offensus proximo coitu.

EQVITIS *aheni*] Alij referunt ad militem armatum, quod non placet: alij, quod sentio, ad instrumentum illud, quo vas in igne sustentatur: Nam eques non modo apud antiquos sessorem, sed & equum significabat, cuius vice fungi videtur tripos, cùm sustineat ahenum.

LYDIA] i. femur Lydiæ.

TROCHVS] Significat rotam, in cuius similitudinem factum ferrum admittit pilas ligneas: de ea rota loquitur.

CELER] Quia celeritate vertitur: vt in disticho,
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

PETAVRO] Petaurus dicebatur, qui corpus emittebat per circulos. Idem petaurista appellatur à πετᾶσθαι, quod significat volare, vt author est Marcel. Firm. in Astronomico.

PETAVRO *transmisso*] i. dum petaurus transmittit corpus.

CRASSA *aqua*] Cœnosa.

NOTO *Pompeiano*] Non dicas quæ amplius non sunt vtilia theatro Pompeiano, quod velis tegebatur: nam vela dicuntur negata ventis, quando non surgentia in altum eos excipiunt, sed iacent, quemadmodum tegentia theatrum: eodem epitheto vsus est supra:
D
Et rapiant celeres vela negata noti.

ARMILLA] Sinistrarum ornamentum.

DELPHITICO] Qualis Delphi mittunt.

LEVCONICO] Genus lanæ, quo culcitræ farciebantur.

BRACHAE] Bracha erat genus vestis, qua Britãni vtebantur; author est Diodor.

ONOCROTALI] Auis simillima cygno, à quo nõ distingueretur, nisi ei faucibus inesset alterius ventris similitudo: quicquid enim comedit in fauces cõgerit, diuque continet, cùm tamen sit miræ capacitatis: vt author est Plin.

GEORGIVS.

QVAM *rota transmisso toties impacta petauro*] Nonius Marcellus, quo authore nititur, circuli mentionem nullam facit. Quare dixerim petaurum machinam fuisse ligneam, vnde petauristæ se mouerent. Declinatur autem hoc petaurum, vnde petaurisso verbum, & petaurista: de qua dictione plura in commentarijs Iuuenalis diximus.

In pædiconem masturbãtem. XXIII.

Mollia quòd niuei duro teris ore Galesi
Basia, quòd nudo cum Ganymede iaces;
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina saltem
Parce fututrici solicitare manu.
Lenibus in pueris plus hæc, quàm mentula, peccat;
Et faciunt digiti, præcipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.
Diuisit natura mares, pars vna puellis,
Vna viris genita est. vtere parte tua.

DOMITIVS.

MOLLIA] Conqueritur, quòd quidam non modo pædicet puerum, sed etiã eius inguina tractet inter opus, quibus solicitandis efficit, vt cito pueri viri fiant.
C

GALESI] Pueri.

DVRO *ore*] Barbato mento.

PRAECIPITANT] Ante tempus.

INDE] Ex hoc.

PLACENT] Quia non audent prodire in lucem.

VNA *puellis*] Anterior.

VIRIS] Posterior.

TVA *parte*] Posteriore tibi concessa.

In Silam. XXIV.

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est:
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Cùm tamẽ instaret, decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis dixi: quid minus esse potest?
Nec futuam quãuis prima te nocte maritus:
Communis tecum nec mihi lectus erit:
Complectarque meam, nec tu prohibebis, amicam:
Ancillam mittes, sed mihi iussa tuam.
Te spectante dabit nobis lasciua minister
Basia, siue meus, siue erit ille tuus.
Ad cœnam venies, sed sic diuisa recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis.

Oscula rara dabis nobis, & non dabis vltrò: A
Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas:
Inuenies qui te ducere Sila velit.

DOMITIVS.

NVBERE] Silam prouocantem poëtam ad nuptias aspernatur: quoniam non speret se habiturum vxorem, quæ possit perferre mores suos, quos exponit.
NVLLA *non lege*] Omni conditione.
INSTARET] Prouocaret, vt se acciperem in vxorem.
MIHI] Non alteri.
SIVE *cru tuum*] i. Eunuchus, & spado.

Ad Labullum. XXV.

Dum te prosequor, & domum reduco;
Aurem dum tibi præsto garrienti,
Et quidquid loqueris, facisque, laudo,
Quot versus poterant Labulle nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse,
Si quod Roma legit, requirit hospes,* ¹v. quid.
Non derides eques, tenet senator,
Laudat caussidicus, poëta carpit,
Propter te perit. hoc Labulle verum est?* "Verum pro æquo, vt Horatius, Metiri se quemq; suo modulo ac pede verum est.
Hoc quisquam ferat, vt tibi tuorum
Sit maior numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta propè iam diebus vna est
Nobis pagina vix peracta: sic est,
Cùm cœnare domi non vult poëta.

DOMITIVS.

DVM] Noto argumento rogat Labullum, ne operam togatam à se exigat: cùm magnam faciat ocij & carminis iacturam, & poëma amittat sequens cœnam.
NASCI] i. componi à me.
PROSEQVOR] Dum sequor te.
PRÆSTO] Accommodo.
DAMNVM] Quòd carmina non scribam.
POETA *carpit*] Notat mores poëtarum, qui aliena carmina carpunt: quibus, quoniam bona inuident, placet magis vt carpit exponas, frequenter capit; & suffuratur.
SIC] Hoc pacto, dum prosequor te, & capto cœnam.

In Linum. XXVI.

Illa salax nimium, nec paucis nota puellis
Stare Lino desit mentula: lingua caue.

DOMITIVS.

ILLA] Vaticinatur Linum cùm fuerit salacissimus fututor, fore cunnilingum, quoniam desit arrigere.
SAGAX] Luxuriosa.
CAVE *lingua*] Quia erit cunnilingus, & te inferet femoribus.

Ad Telesphorum. XXVII.

O mihi grata quies, ò blanda Telesphore cura,
Qualis in amplexu non fuit ante meo:
B *Basia da nobis vetulo puer vda Falerno,*
Pocula da labris facta minora tuis.
Addideris super hæc Veneris si gaudia vera,
Esse negem melius cum Ganymede Ioui.

DOMITIVS.

O *mihi*] Thelesphorum puerum, nil præter amplexum permittentem, alloquitur inter brachia.
O *blanda cura*] O amor.
VDA *Falerno*] i. basia sine cuta.

Ad Flaccum. XXVIII.

Ferreus es, si stare potest tibi mentula, Flacce,
Cùm te sex cyathos orat amica dare.* ¹v. dari
C *Vel duo frusta rogat cybij, tenuemve lacertum,*
Nec dignam toto se botryone putat:* ¹Botryon vua ollaris & conditanea.
Cui portat gaudēs ancilla paropside rubra* ¹v. parapside.
Alecem, sed quam protinus illa voret:
Aut cùm perfricuit frontem, posuitque pudorem,
Succida palliolò vellera quinque petit,
At mea me libram foliati poscat amica,
Aut virides gēmas, sardonychasve pares:
Nec nisi prima velit de Tusco Serica vico,
Aut centum aureolos, sic velùt æra roges.
D *Nūc tu velle putas hæc me dare dona puellæ?*
Nolo: sed his vt sit digna puella volo.

DOMITIVS.

FERREVS] Flaccum ancillam, & paruo prostantem precio, amentem, deridet: fieri enim non posse putat, vt quæ paruum exigat precium, sit iucundi coitus.
ORAT] Pro coitu.
GARVM] Liquamen ex garo pisce.
CYBII] Significat concilam pelamidem, vt Plinius de genere thynni.
BOTRYONE] Bòtryon liquaminis genus salsi, inde botellus genus farciminis.
GAVDENS] Tanquam putet rem magnam.

PERFRICVIT] Dicuntur perfricuisse frontem, qui deposuêre pudorem. Plin. in prooemio naturalis historiæ. Perfricui frontem & nihil profeci.

FOLIATVM] Dicebatur vnguentum, quod item dicebatur nardinum, & erat magni precij.

DE *Thusco vico*] Nam in vico Thusco vestium bombicinarum textura commendabatur.

De phrenetico medico. XXIX.

v. Ad Andrã. Cælius c.11. lib. 15.

v. medicũ Nasica phreneticus Eucli.

Inuasit medicus sica phreneticus Eucli,
Et præcidit Hylan. hic puto sanus erat.

DOMITIVS.

INVASIT] Iocatur ambiguitate verbi præcido: nam & incidere significat, & frangere podicem. alterum tractum est à cædo, alterum à præciso intestino. medicus, inquit, phreneticus inuasit Hylan sica, & B eum præcidit, cùm videatur dicere vulnerauit, intelligit pædicauit. propterea subdit: medicus non phreneticus, sed sanus, qui tam bonum cepit consilium.

SICA] Gladius est latronis, vnde sicarij dicti sunt. sica item numeratur inter ferramenta chirurgica.

Ad Phyllidem. XXX.

Languida cũ vetula tractare virilia dextra
Cæpisti, iugulor pollice Phylli tuo.
Nam cùm me vitam, cùm me tua lumina dicis:
Horis me refici vix puto posse decem.
Blanditias nescis: dabo dic tibi millia centũ,
Et dabo Setini iugera culta soli.
Accipe vina, domum, pueros, chrysendeta, mensas:
Nil opus est digitis, sic mihi Phylli frica.

v. mortem. quã lectionem in Miscellan. etiã Politianus defendit. [illegible] quod in Polit[illegible] codice est, tamen mutatum videtur & suppositum pro mortem.

DOMITIVS.

LANGVIDA] Phyllis nutrix fuit Domitiani, eadem anus lena, sub quo nomine nunc deridetur mulier, quæ deformis & anus, inguina poëtæ sollicitabat: cùm excitari non possent, docet quo pacto possit arrigere.

IVGVLOR] i. pollice, quia cadit mentula.

VIX *decem horis*] Adeo cadit mens.

In Zoilum. XXXI.

Os malè causidicis, & dicis olêre poëtis:
Sed fellatori Zoile peius olet.

DOMITIVS.

OS] In Zoilum fellatorem, quem sæpè supra nominauit hoc nomine, vt supra.

Nec vindicare Rufe possumus, fellat.

Hic conquerebatur os causidicorum, & poëtarum male olere: cùm referret hoc (vt puto) ad maledicta: respondet poëta peius olere fellatori: notans homi- A nis turpitudinem, quasi male olere, aliter ipse accepisset.

In Cæcilium. XXXII.

v. edens.

Atreus Cæcilius cucurbitarum
Sic illas quasi filios Thyestæ
In partes lacerat, secatque mille.
Gustu protinus has edes in ipso,
Has prima feret, alterave cœna,
Has cœna tibi tertia reponet.
Hinc seras epidipnidas parabit,
Hinc pistor farreas facit placentas,
Hinc & multiplices struit tabellas,
Et notas cariotidas theatris:
Hinc exit varium coco minutal,
Vt lentem positam, fabamque credas;
Boletos imitatur, & botellos,
Et caudam cibij, breuesque mænas:
Hinc cellarius experitur artes,
Vt condat vario vafer sapore
In rutæ folium capelliana.
Sic implet gabatas, parapsidasque,
Et leues scutulas, cauasque lances.
Hoc lautum vocat, hoc putat venustum;
C *Vnum ponere ferculis tot assem.*

DOMITIVS.

ATREVS] Cæcilium deridet, qui amicos accipiebat varietate ciborum, qui omnes confecti erant ex cucurbita, & cùm varias epulas videatur apposuisse, solam dedit cucurbitam.

CÆCILIVS *Atreus*] Tanquam alter Atreus, qui Tantalum Thyestæ fratri filium epulandum appo- suit.

ATREVS] Laniator cucurbitarum.

EDES] Gustabis. gustare est leui cibo lenire stomachum intra facietatem.

COENA] i. prima. & secunda cœna.

D EPIDIPNIDAS] Dapes epidipnides dicuntur, quæ post dipnon, id est. cœnam apponuntur.

HINC] Ex hac cucurbita.

FARREAS] Ex farre. nam placentæ farreæ in maiore erant precio: alij codices habent fatuas placentas.

MVLTIPLICES *tabellas*] Nam tabellæ dicuntur duplices, & triplices à numero foliorum, & tabellæ mittebantur in saturnalibus.

CARIOTIDES] Et cariotæ dicuntur fructus. hæ inauratæ mittebantur amicis. Papin.

——Et latente palma
Prægrandes cariotides cadebant.

NOTAS *theatris*] Quia in theatris sparguntur.

MINVTAL] Piscem marinum significat, quem ita condit Apitius, vt addat liquamen, oleum, vinum coctum, & reliqua. Minutal item genus cibi confecti ex varijs leguminibus.

VARIVM] Ex varijs rebus confectum.

HINC]

Hinc] Ex cucurbita.

Botellos] Genus farciminis, vt Festus scrib.

Mænas] Pisces sunt, qui colorem mutant, vt Plin. tradit. nam hyeme candidæ sunt, æstate nigriores, eorum maria strumis medentur. Libres, pondus libræ trahentes, vt Bilibres dicimus duarum librarum.

Capelliana] Ruta à capillamentis, & herbarum & foliorum.

Garatas] Hæ supra dicuntur gabatæ. i. lances concauæ.

In Nestorem. XXXIII.

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges:
Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clauis, nec canis, atq; calix.
Tu tamen affectas Nestor dici, atque videri
Pauper, & in populo quæris habere locũ.
Mentiris, vanoque tibi blandiris honore.
Non est paupertas Nestor habere nihil.

DOMITIVS.

Nec *toga*] In Nestorem eodem argumento quo supra dixit quendam velle videri pauperem & esse. Is enim cùm nihil haberet, volebat dici pauper, quasi sponte id genus vitæ delegisset, at, inquit poëta, eũ non posse pauperem appellari, cùm nihil habeat, & hoc pacto nouam hominis ostentationem eludit.

Teges] Est pauperis domicilium.

Palvde *bibula*] Ex herba palustri.

Affectas] Refertur ad quandam ostentationem.

Vano] Non profuturo.

Non *est paupertas*] Sed mendicitas.

De Prasino. XXXIV.

Sæpius ad palmã Prasinus post fata Neronis
Peruenit, & victor præmia plura refert.
Si. te. *I nunc liuor edax: dic" tu cessisse Neroni:*
Vicit nimirum, non Nero, sed Prasinus.

Idem Græcè.

Ὁ Πράσινος μάλα πολλὰ δεδωκότος ἆθλα
Νέρωνος
Ἀρμ' αὐτὸς νικητὴς πολλάκι κῦδος ἑλών.
Βάσκ' ἴθι, βασκανίη, εἶξαι ψεύδιο Νέρωνι.
Οὐχ ὁ Νέρων νίκησ', ἀλλ' ὁ μόνος Πράσινος.

DOMITIVS.

Sæpivs] Laudatur victoria Prasini aurigæ, qui cùm temporibus Neronis vinceret, multos habebat fautores. non deerant tamen, qui dicerent eum reportare victoriam, quoniam multi fauerent ob Neronem, à quo diligebatur. nunc mortuo Nerone vi-

A cit, vt tota victoria ipsi debeatur.

Cessisse *Nero.*] Id est, fauisse Prasino ob Neronem.

De Apro. XXXV.

Ædes emit Aper, sed quas nec noctua vellet
Esse suas, adeò nigra, vetusque casa est.
Vicinos illi nitidus Maro possidet hortos.
Cœnabit bellè, non habitabit Aper.

DOMITIVS.

Ædes] In Aprum pauperem, & alienas sectantem cœnas, qui casam humilem, & nigram emit iuxta hortos Maronis pulcherrimos, vt illic sæpè cœna-
B ret. de hoc non tanquam de puero, vt nonnulli putarunt, sed de paupere, & alienam mensam sectante, illud distichon factum videri potest,

Non cœnat sine Apro noster Tite Cæcilianus.

Quo versu cùm videatur dicere Cæcilianum omnibus mensis habere Aprum animal, deceptum lectorem in sequenti versu frustratur, & ait,

Bellum conuiuam Cæcilianus habet.

Quo intelligit Aprum pauperem illic esse cõuiuam. Bellum autem ironicè, hoc est illepidum.

Coenabit *bellè*] In hortis Maronis.

Ad Fabullum. XXXVI.

Ignotos mihi cùm voces trecentos,
C *Quare non veniam vocatus à te,*
Miraris, quererisque, litigasque.
Solus cœno Fabulle non libenter.

Idem Græcè.

Ἀγνώστους καλέσας ἐμοὶ τοσούτους,
Τί κληθεὶς ὑπὸ σεῖο οὐ πάρειμι
Θαυμάζεις, ἐρίσας τε πολλὰ μέμφῃ;
Δειπνῶ δὴ ἄκων μόνος, Φάβυλλε.

DOMITIVS.

Ignotos] Respondet Fabullo, ignotos homines inuitanti, quare ad cœnam non eat etiam ipso inuitatus, quoniam scilicet cùm inter ignotos cœna-
D ret, videretur solus cœnare. Festiuè se solum appellauit inter ignotos.

De Caio Proculo. XXXVII.

Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
Signat, iò votis redditus ecce meis.
Desperasse iuuat, veluti iam rupta sororum
Fila minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne quid exspectas piger? immortale Falernum
Funde, senem poscunt talia vota cadum.

Bes. octo Cyathi. *Quincunces & sex cyathos, bessemque bibamus,*
Caius vt fiat Iulius, & Proculus.

DOMITIVS.

CAIVS] Soteria, hoc est vota, ob Caium Iulium Proculum qui conualuerat, celebrat soluto potu poscens cyathorum numerum parem literis nominum amici.

SIGNAT] i. facit hanc lucem felicem.

DESPERASSE] Quòd desperauerim.

MINVS *gaudent*] Ego tanto magis gaudeo salute, quo plus desperaui. & timui.

HYPNE] Hypnos Græcè, Latinè significat somnum. Conuenit ergo nomen puero ministranti Bacchum somni ducem, & altorem.

BESSEM] Vas octo mensuratum.

In Zoilum. XXXVIII.

Zoile quid tota gemmam præcingere libra,
Te iuuat & miserũ perdere sardonycha?
Anulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus:
Non eadem digitus pondera conueniunt.

DOMITIVS.

ZOILE] In Zoilum, qui ex seruo ad equestres anulos peruenerat, vt supra exposuimus.

Has cum gemina compede dedicat cathenas,
Saturne, tibi Zoilus, anulos priores.

Hic tanti ponderis anulum hunc gestabat, vt aptius olim potuerit esse cathena eius pedibus, quàm nunc anulus digito. Nonnulli, authore Plinio, auri pondus in anulis ostentabant. Alij leues bracteas inserebant, gemmarum precium ostentantes. Eam bracteam appellauit aurum æstiuum Iuuenalis, tangens hoc anulorum genus.

Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ.

PERDERE] Occultare, quia non est in tanto precio gemma, cùm additur nimium auri.

TVIS *cruribus*] Pro compede. Erat enim seruus fugitiuus.

De mulione surdo. XXXIX.

Mulio viginti venit modò millibus, Aule.
Miraris pretium tam graue? surdus erat.

DOMITIVS.

MVLIO] Venditum mulionem supra viginti millibus nummûm conqueritur, & quasi miranti magnitudinem pretij, iustam tam grauis venditionis caussam vellet afferre, subdit eum fuisse surdum, ob hoc, cùm minoris debuerit vendi, ipse idem commemorat, quasi fuerit iusta causa tam grandis pretij.

SVRDVS *erat*] Eludit Aulum.

In Charidemum. XL.

Cunarum fueras motor Charideme mearũ,
Et pueri custos, aßiduusque comes.

A *Iam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,*
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non creui: te noster villicus horret:
Te dispensator, te domus ipsa pauet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare:
Nil mihi vis, & vis cuncta licere tibi.
Corripis, obseruas, quereris, suspiria ducis,
Et vix à ferulis abstinet ira manum.
Si Tyrios sumpsi cultus, vnxive capillos:
Exclamas, numquam fecerat ista pater.
Et numeras nostros adstricta fronte trientes,
Tamquam de cella sit cadus ille tua.
B *Desine: non possum libertum ferre Catonem.*
Esse virum iam me dicet amica tibi.

DOMITIVS.

CVNARVM] Charidemum pædagogum suum, & libertum à quo obiurgatur, cùm iam sit vir.

MEARVM *cunarum monitor*] Qui me infantem monuisti. vel motor, quia mouisti cunas mihi infanti. Placet prior scriptura.

SVDARIA] Verbum Catulli.

PANNOS *lineos*] Qui excipiunt cadentem barbam à tonsore.

SED *tibi non creui*] Id est, nondum putas me satis adoleuisse.

CATONEM] Qui vtatur censura Catonis.

C

De Luperco. XLI.

Formosam Glyceren amat Lupercus,
Et solus tenet, imperatque solus:
Quam toto sibi mense non fututam
Cùm tristis quereretur, & roganti
Caussam reddere vellet Æliano:
Respondit, Glyceræ dolere dentes.

DOMITIVS.

D FORMOSAM] Lupercum captum amore Glyceræ, irrumatorem esse ostendit, & Glyceram fellatricem vrbano ioco, dum ait Lupercum nuper dixisse se iam mense toto non futuisse amicam, quia dentes dolerent: nam si dentes & os ægrum impedimento erat, quo minus illa coiret, satis apertum est indicium esse irrumatorem.

De Amynta. XLII.

Indulget pecori nimiũ dum pastor Amyntas,
Et gaudet fama, luxuriaque gregis:
Cedentes oneri ramos, syluamque fluentem
Vicit, concussas ipse secutus opes.
Triste nemus diræ vetuit superesse rapinæ,
Damnauitque rogis noxia ligna pater.

Pingues Lygde sues habeat vicinus Iolas:
Te satis est nobis annumerare pecus.

Idem Græcè.

Τὴν ἀγέλην περίσημα φιλεῖ ὁ συφορβὸς Ἀ-
μύντας,
Χαίρων τ' εὐκλεΐῃ ποιμνίου εὐτραφέος.
Εἴξαντας βαρεῖ κλαδαροὺς κατεβείσατο κλάδους,
Σφενδόναις βαλάνοις αὐτὸς ἐπισπόμενος.
Οὐδ' ἔλαβε τῇ λώβῃ περιέφναι ἀνάρσιον ὕλην,
Ἀνδροφόνον τε πατὴρ δένδρον ἔκαυσε πυρί.
Κτάσθω, Λύγδε, σύας πιμελῇ φλιδόωντας Ἰόλας·
Ἀρκοῦμαι δ' ὑπό σοι ψηφιζομένοισι βοτοῖς.

B DOMITIVS.

INDVLGET] Lygdum formosum pastorem suum per casum monet recentem, ne velit conscendere arbores capitis periculo ad glandes decutiendas: nam Amyntas pastor, dum saginandis suibus incumbit, ex arbore glandifera quam conscendit, cecidit, eiusque pater siluæ ligna succidi iussit ad rogum filij.

AMYNTAS] Nomen pastorale est, sumptum à Theocrito & vsurpatum à Virg.

CEDENTES] Onustos glandibus.

OPES *concussas*] i. glandes deiectos.

NEMVS *triste*] Cuius casu perierat filius.

DIRÆ *rapinæ*] Filij.

DAMNAVITQVE *rogis ligna*] Id est, rogis dedicauit.

LIGNA *noxia*] E quibus cecidit Amyntas.

ANNVMERARE] i. reddere numerum.

In Cæcilianum. XLIII.

Viuida cùm poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata, quid fieri Cæciliane potest? (al. qui.)
Mella iubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci,
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api?

DOMITIVS.

VIVIDA] Cæcilianum auarum accusat, qui poëtæ epigrammata dixerat non esse viuida. Hoc enim fieri dicit Mart. eius causa, qui nihil donat: nam vita carminis ex argumento ducitur: referatur hoc, quod magis placet, quòd parum viuidum esset, quia de Amynta mortuo est scriptum. Ex hoc iocans poëta, dixit non mirandum esse si non sit viuidum cùm de mortuo sit compositum, & eius culpa hoc accidisse, qui id argumentum proposuerit.

LEMM. *mort.*] i. argumenta de mortuo.

THYMA] Florem significat gratissimum apibus, quod circa solstitia nascitur, cùm large florescit, portendit mellis prouentum, ex Attica translatum est, adeóque promiscuè nascitur, vt Narbonensi agro lapidoso maxima copia proueniat: author est Plin. Thymum tamen Atticum principatum tenuit, & æternum epitheton inde sortitum: Virg.

Cecropiumque Thymum.

A In insula Corcyræ in amaritudinem pungit, vnde Corsica mella eundem seruant saporem.

In vxorem. XLIV.

Deprensum in puero tetricis me vocibus vxor
Corripis, & culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lasciuo Iuno tonanti?
Ille tamen gracili cum Ganymede iacet. (v. grandi.)
Incuruabat Hylam posito Tirynthius arcu.
Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phœbum Daphne fugitiua: sed illas
Oebalius flammas iussit abire puer.
Bryseis multum quamuis auersa iaceret,
Æacidæ propior leuis amicus erat.
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus,
Teque puta cunnos vxor habere duos.

DOMITIVS.

DEPRENSVM] Imprudentiam vxoris accusat, quæ ipsum deprehenderat dum pædicaret: obiurgansque se pueri partes posse præstare affirmabat.

POSITO *arcu*] Nam ipse arcum gestabat, Hylas pharetram, vt Apollonius longo carmine scrib.

MEGARAM] Creontis filia fuit, Herculis vxor. Megaram dici non Megeram carmen Homericum testatur in manium euocatione. Homerus, Et Megaram Creontis magnanimi filiam quam habuit Amphytrionis filius roboris indomiti.

C FVGITIVA] Dum conuersa est in laurum.

OEBALIVS *puer*] Hyacinthus Lacedæmonius, quem dilectum disco Phœbus interemit per imprudentiam, versus autem est in florem sui nominis: in eundem florem Aiax conuersus est cùm iudicio armorum superatus sibi mortem consciuit: inde idem flos dicitur, flos Oebalius ab Aiace: Columel.

Et male damnati mœsto de sanguine surgunt
Aiacis flores.

BRYSEIS] Patronimicum est, proprio nomine dicebatur Hippodamia, vt scrib. Eustathius: dilecta est ab Achille.

LEVIS *amicus*] Patroclus, nam Achilles Patroclũ amauit, qui è patria Opuntia iussus est exulare, cùm D affinem Oeanthem per imprudentiam necasset, vnde Oeanthium fæculum, & fons Oeanthius in syluis. Erat idem necessitudine coniunctus cum Achille, vt colligit Eustathius, cum quo est educatus post exilium: promiserat autem Menœtio patri Patrocli Achilles se post expeditionem Troianam eum domum reducturum.

DARE *mascula*] i. noli existimare tibi aliquid masculum esse.

Ad senem orbum. XLV.

Orbus es, & locuples, & Bruto cõsule natus,
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ: sed quas iuuenis, quas pauper habebas.
Qui nouus est, mortem diligit ille tuam.

DOMITIVS.

ORBVS es] Imprudentiam orborum omnium, & diuitum accusat, qui captatores putant sibi esse amicos.

NATVS *consule Bruto*] i. es decrepitæ ætatis.

NOVVS] Nuper factus amicus: nam is captator est, & spe obuenturæ hæreditatis tibi blanditur.

In Cantharum. XLVI.

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, siue puella tibi:
Contentus non es foribus, veloque, seraque,
Secretumque iubes grandius esse tibi.
Oblinitur minimæ si qua est ° *suspicio rimæ,* ° v. suspectio.
Punctaque lasciua quæ terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam sollicitiq; pudoris,
Qui vel pædicat, Canthare, vel futuit.

DOMITIVS.

INTRASTI] In Cantharum irrumatorem, quem eo vitio laborare ex coniectura ostendit: nam siue mulierem adiret, siue puerum, non patiebatur, vel minimam rimam hiare, adeo vt velo foramina acu facta obstruenda curaret. nemo, inquit poëta, qui vel pædicat, vel legitimum init coitum, mulieris tam anxio pudore afficitur, sed irrumator.

CELLÆ] Fornicis meretricis, nominibus inhabitantium inscribebatur. Iuuenal.

Titulum mentita Lycisca.

VELO] Quo circundantur centones.

TEREBANTVR] Perforantur.

LASCIVIA] Lasciuienti, & passim pungente.

SOLLICITI] Anxij.

QVI *pædicat, aut futuit*] Sed qui irrumat.

In Mæuium. XLVII.

Iam, nisi per somnum, non arrigis, & tibi, ° *Mæui,* ° v. neruus.
Incipit ° *& medicos meiere verpa pedes:* ° al. in.
Truditur & digitis pannucea mentula lassis,
Nec leuat exstinctum sollicitata caput.
Quid ° *miseros frustra cunnos, culosque lacessis?* ° v. frustra cunnos, culosque lacessis inepte?
Summa petas: illic mentula viuit anus.

DOMITIVS.

IAM *tibi*] Mæuium monet, vt cùm arrigere non possit, fiat irrumator: nam supra dixit,

Nemo est Galla senex ad irrumandum.

VERPA] Verpi dicuntur Iudæi circuncisi: eodem habitu est mentula.

PANNVCEA] A panno fit pannuceus, a, um. diminutiuum pannicula: author est Pompe. vel à panno, quod placet, vena eminentiore, cuius diminutiuum est pannicula: nam & mulierum mammæ, & membra senilia iuuenili humore exhausta pannucea A fiunt, hoc est, venosa: supra,

Aut tibi pannosa dependent pectore mammæ.

LACESSIS] Insequeris.

SVMMA *petas*] i. os, & fias irrumator: alibi,

Nemo est Thais senex ad irrumandum.

In ° Blataram. XLVIII. ° v. Lattaram.

Omnia femineis quare dilecta cateruis
Balnea deuitat ° *Blatara? ne futuat.* ° v. Lattara.
Cur nec ° *Pōpeia lentus spatiatur in vmbra,* ° v. Pompeiam.
Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
B *Perfundit gelida virgine? ne futuat.*
Cùm sic fœminei generis contagia vitet,
Cur lingit cunnum ° *Blatara? ne futuat.* ° v. Lattara.

DOMITIVS.

OMNIA] Blataram deridet, qui cùm omnem mulierum turbam deuitaret, & lingeret cunnos: causa, inquit, est, ne cogatur futuere.

VMBRA *Pompeiana*] i. porticu Pompeij: alibi,

Sic veterem ingrati Pompeij quærimus vmbram.

LIMINA *Inachidos*] i. porticum Europæ filiæ Inachi: alibi,

Aut vbi Sidonio Taurus amore calet.

LACEDÆMONIO *ceromate*] Lacedæmonium dicitur ceroma, quoniam palæstram Lacedæmonij inuenerunt, & eo ceromate se vngebant.

C VIRGINE] i. aquis gelidis virginis: nam Martia aqua vt Plin. scrib. natatu, virgo tactu præstabat.

In Silium. XLIX.

Silius ° *hæc magni celebrat monumenta Maronis,* ° v. hic.
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem, dominumque, sui tumulique, Larisque
Nō alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

DOMITIVS.

D SILIVS] Silius poëta prædium Virgil. in Neapolitano habuit, vt scribit Plin. in epistola: habuit item villam Cicer. littoralem, quæ occurrebat à Lucrino Baias venientibus: ibi Tul. olim instaurauit monumentum, & locum appellauit academiam, academiæ Atheniensis æmulatione: eo mortuo proruperunt illic fontes calidi, qui oculis medebantur. Possedit eundem locum Vetus Anatestius. fontes celebrati sunt carmine liberti Cicer. cuius hi duo sunt postremi versus, *Et quoniam totum legitur sine fine per orbem,*

Sint oculis plures quæ medeantur aquæ.

Vtrunque autem prædium voluit habere Silius, quoniam & Ciceronem olim fuerat imitatus in causis agendis, & postea in carmine Punico Virgilium. hoc igitur in laudem Silij dicitur.

CELEBRAT] Nam coluit diligentissimè tumulū Virgilij, vt ait Plin.

TVMVLVM] Ad Virgilium.

LARES] Ad Tullium refertur.

A

In Phyllida. L.

Nulla est hora tibi qua non me Phylli furentem
Despolies: tanta calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel à digito, vel cadit aure lapis.
Nunc furtiua lucri fieri bombycina possunt:
Profertur "*Cosmi nunc mihi siccus onyx.*
Amphora nũc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet vt somnos garrula saga tuos.
Nunc vt emam grandemve lupum, mullumve bilibrem,
Indixit cœnam diues amica tibi.
Sit pudor, & tãdem veri respectus, & aequi.
Nil tibi Phylli nego: nil mihi Phylli nega.

"Cosmiani vnguenti.

DOMITIVS.

NVLLA *est*] Phyllim multa quotidie ab eo poscentem, monet, vt cum ei quæcunque petijt donauerit, & ipsa det fellationem.

NVLLA *est hora*] i. nulla hora labitur.

RELICTO] Attrito: res relictæ consumptæ dicuntur imitatione Græcorum, qui κατελυμένα dicunt.

LAPIS] De crotallo, siue de elencho, quod placet.

POSSVNT] Dicuntur posse.

LVCRI *fieri*] Vili pretio emi.

SICCVS *onyx*] Siccum diapasma: nam constat ex siccis odoribus: vt Plin. tradit.

PROFERTVR] Ante oculos fertur meos, vt emam.

CARIOSA] Multorum annorum.

EXPIET] Purget somnos de te aduersos.

INDIXIT *cœnam*] Se velle cœnare tecum: apud Ciceronem est eadem significatione condicere cœnam. Condicere autem est prisca lingua denunciare.

NIL *mihi Phylli nega*] i. patere te irrumari: nam nil negare apud poëtam id significat, vt ante exposuimus: id autem patefacere hoc loco dixit. Nam aliud videtur dicere, cùm tamen hoc dicat.

De Silio. LI.

Iam prope desertos cineres, & sancta Maronis
Nomina qui coleret pauper, & vnus erat.
Silius Arpino tandem succurrit agello,
Silius "*& vatem non minus ipse tulit.*

"Fort. scribendum, & vatem non minor ipse colit. quod sane argutũ erit præ illo vulgato. Lips lib. 3. Epist.

DOMITIVS.

IAM *prope*] Laudatur Silius quod emerit prædiũ Virgilianum, cùm autem sibi non minus vendicauerit Virgilium, quem carmine expressit imitando.

DESERTOS *cineres*] Quoniam tumulus erat in agro.

TVLIT] Accepit, & assecutus est.

De Titio. LII.

Tanta est quæ Titio columna pendet,
Quantam Lampsaciæ colunt puellæ.
Hic nullo comitante, nec molesto,
Thermis grandibus, & suis lauatur:
Anguste Titius tamen lauatur.

DOMITIVS.

TANTA] Fabulosa est historia. Tityus, Iouis & Helaræ filius dictus filius terræ, quoniam mater natum infantem specu occultauit, ex qua cùm adultus prodierit, fabulam dedit: & quòd ex terræ visceribus

B

natus esset, eam secutus Virg. Terræ omnipotentis alumnum dixit. Vnde specus Helaritia dicitur non procul à patria Epepeus, qui ligneum equum struxit. hic alter est Titius, quem masturbatorem fuisse ostendit poëta elocutione: ait enim lauari hunc suis thermis, quæ quamuis grandes sint, angustè lauant mentulam Titij. eodem locutionis genere supra est vsus:

Secretusque tua cunne lauaris aqua.

Et columnam etiam in Priapo dicunt poëtæ.

LAVATVR *angustè*] Quia masturbatur.

Ad Iulium Cerealem. LIII.

Cœnabis bellè Iuli Cerealis apud me:
Conditio est melior si tibi nulla, veni.
Octauam poteris seruare, lauabimur vnà:

C

Scis quã sint Stephani balnea iũcta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis, & porris fila resecta suis,
Mox vetus, & tenui maior cordyla lacerto:
Sed quam cum rutæ frondibus oua tegãt.
Altera non deerunt tenui versata fauilla,
Et Velabrensi massa recocta foco.
Et quæ Picenum senserunt frigus oliuæ,
Hæc satis in gustu: cætera nosse cupis?
Mentiar vt venias, pisces, conchylia, sumen,
Et cortis saturas, atque paludis aues:
Quæ nec Stella solet rara nisi ponere cœna.
Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.

D

Ipse tuos nobis relegas licet vsque "*Gigãtas,*
"*Rura vel æterno proxima Virgilio.*

"V. Gigantomachiam & georgicon opus intelligit.
"In antiquo Lugdunensi est, Rara, vt dicat Gigantomachiam eius tantum esse opus aut à maiestate Vergilij nõ alienum.

DOMITIVS.

CŒNABIS *bellè*] Inuitat Iulium Cerealem his fermè appositis ferculis, quæ supra promisit amicis:

Nunciat octauam pharia sua turba iuuencæ.

Et hoc amplius, quòd nihil recitaturum promittit, sed auditurum bellum giganteum, quod amicus conscripserat.

BELLE] Festiuè cum relaxatione animi.

CONDITIO *melior*] Si non habebis meliorem coenam. A

OCTAVAM] Nam ea hora lauabatur Martia.

STEPHANI] Meminit Tranquil. in Domitiano, is balnea struxit.

PORRVM] Duo genera habet, sectile, & capitatum. Sectile dicitur fila habere, quæ Plin. appellat incisuras, & in distichis,

Fila Tarentini grauiter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Nero omnibus æstatis mensibus porro vescebatur, vocis gratia. Mella equestris ordinis, cum à Tiberio principe damnatus accerseretur, succum porri ad trium denariorum argenteorum pondus hausit, quo expirauit. Si supra id pondus sumatur, dicitur non esse noxius.

CORBYLA] Id est, foetus thynni.

LACERTVS] Genus piscis.

RVTAE] Vt supra rutatos dixit lacertos.

MASSA] Potes ad massam lactis referre, hoc est caseum. nam caseus fumo Velabrensi commendabatur ex Velabro regione vrbis. Vnde caseus Velabrensis in distichis est. potest referri (quod magis placet) ad vinum. igne enim & fumo condire vina docuit Massilia Galliæ.

OLIVAE] Picenæ cibis accommodatæ in gustu. nam quicquid dabatur ante cibariorum lances, propter gustum dabatur, quod supra verbo Græco dixit, προπίνειν gustare.

AVES *cortiles*] i. gallinas.

ÆTERNO] Immortali.

PROXIMA] Vicina laude.

De Claudia Rufina. LIV.

Claudia cæruleis cùm sit Rufina Britannis
v. quàm. *Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?*
Quale decus formæ! Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, quòd sancto peperit facunda marito
v. Quod. v. quod *Quot sperat generos, quotque puella nurus.*
Sic placeat superis, vt coniuge gaudeat vno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

DOMITIVS.

CLAVDIA] Claudiam Britannam vtraque lingua eruditam laudat, simul & ipsi & marito optat felicitatem.

PECTORA] Mores.

CAERVLEIS] Cærulei dicuntur insulani. Vnde & ipsa Circe vitrea dicta est, quòd coleret Circæios insulam.

Vitrea iuga perfida Circes. Papin.

NVRVS] Ex filijs.

TRIBVS *natis*] Priuilegio trium natorum. Ius etiam quatuor natorum dabatur mulieribus, trium viris. optat autem poëta non vt tantum tres natos habeat, sed vt tot habeat liberos, vt trium liberorum priuilegio suo iure vtatur. nam qui aut nullũ filium, aut tantum duos haberet, non vtebatur iure trium filiorum: de quo satis multa ante dicta sunt.

In Zoilum. LV.

Vnguenta, & casias, & olentem funera myrrham,
Turaque de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare proteruæ.
Non miror furem, qui fugitiuus erat.

DOMITIVS.

VNGVENTA] In Zoilum furem, quem & furti accusat, cùm nuper odoramenta ad funus parata subripuerit, & seruum fugitiuum esse indicat, quod bis B iam testatus est superiore carmine.

TVRPI] Et infami & furaci.

LECTO *sty.*] Id est, capulo. nam capulus lectus stygius est.

A *pedibus*] Nam olim cùm seruus esses fugisti, & fuisti in compedibus.

Ad Vrbicum. LVI.

Hortatur fieri quòd te Lupus Vrbice patrẽ,
Ne credas, nihil est quod minus ille velit.
C *Ars est captandi: quod nolis velle videri:*
Ne facias optat, quod rogat, vt facias.
Dicat prægnantem tua se Cosconia tantùm:
Pallidior fiet iam pariente Lupus
At tu consilio videaris vt vsus amici,
Sic morere, vt factum te putet esse patrem.

DOMITIVS.

HORTATVR] Lupus nouam artem captandi dicebat, & blandiens hortabatur Vrbicum orbum, & & diuitem, vt quæreret liberos: cùm tamen id minime vellet, poëta in hunc iocatur, hortaturque Vrbicum vt moriatur, tanquam suscepisset liberos, hoc est, nihil relinquat Lupo, nam si moretur tanquam pater, videtur vsus consilio Lupi.

D FIERI *patrem*] Te quærere vxorem, ex qua filios suscipias.

QVOD *minus*] Quoniam ipse vellet esse hæres.

VIDERI *velle quod nolis*] Id quod in damnum tuum sit.

VT *facias*] Vt accipias vxorem.

SIC] Ita condito testamento.

In Cheræmonem. LVII.

Quòd nimium laudas Cheramon Stoice, mortem,
Vis animum mirer, suspiciamque tuum.
Hãc tibi virtutem fracta facit vrceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus.

Et teges" & cimex, & nudi sponda grabati, A
Et breuis, atque eadem nocte dieque toga.
O quam magnus homo es, qui fæce rubentis
aceti,
Et stipula, & nigro pane carere potes!
Lingonicus agedum tumeat tibi culcita lanis,
Constringatque tuos purpura" texta toros.
Dormiat & tecum, qui cum modo Cæcuba
" miscet,
Conuiuas roseo torserat ore puer.
O " quã tu cupias ter viuere Nestoris annos,
Et nihil ex vlla perdere luce voles!
Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit qui miser esse potest. B

"v. & rectè, non atque. Cimex enim primam syllabam producit. supra Epigram 33. nec tritus Cimice lectus. Horat. 1. Satyr. 10. vers. 78 Men' moueat Cimex Pantilius! Vide Turn. lib. 8. cap. 4.
" v. Leuconicis. Vide Turn. lib. 8. cap. 4.
" v. pexa.
" v. miscens.
" v. quantum cuperes.

DOMITIVS.

QVOD *nimium.*] In Cheræmonem, qui mortem laudabat, in quo volebat videri sectari sapientiam Stoicorum, qui mortem contemnunt, & de contemnenda morte præcipiunt: cum id ageret desperatione, & ex rei domesticę difficultate, nulla, inquit, laus est, Cheræmon, si in ista miseria mortem optas, maior laus fortitudinis fuerit ei, qui inopiam magno animo ferre potest.

STOICE.] Qui stoicus vis videri.

TEGES.] Tegetes habebant pauperes.

NVDI.] Sine culcitra, & nullo apparatu.

MAGNVS *homo.*] Ironicè loquitur.

AGEDVM.] Esto. hortantis est.

ROSEO.] Iuuenili.

PERDERE *nihil.*] Id est, semper animum relaxare. C

EST *facile.*] Nullius laudis est.

IN *rebus angustis.*] i. inopia.

QVI *miser.*] i. qui inopiam non molestè fert.

Ad Seuerum. LVIII.

Miraris docto quòd carmina mitto Seuero,
Ad cœnam" quòd te, docte Seuere, vocem.
Iuppiter ambrosia satur est, & nectare viuit:
Nos tamen exsta Ioui, tura, merúmque
damus.
Omnia cùm tibi sint dono concessa deorum,
Si quod habes, non vis, ergo quid accipies? D

" v. cum.

DOMITIVS.

MIRARIS *docto.*] Inuitat Seuerum ad cœnam misso carmine. Seuerus & doctus erat, vt versu non indigeret: & diues, vt non desideraret alienam cœnam. Duabus, inquit, de causis potes mirari ô Seuere, & quòd mitto tibi carmina docto, & quòd te vocem ad cœnam diuitem. At Dij cum ambrosia satientur, accipiunt etiam vinum nostrum: quod si cœnam, & carmina quæ habes, non amas, nec a[illegible], quid poterimus dare? quasi dicat, si tantùm [illegible]uaremus, quibus indiges, nihil possemus dare, cùm omnia habeas.

In Telesphorum. LIX.

Cùm me velle vides" tecúmque Telesphore
sentis:
Magna rogas, puto me velle negare" licet:
Et nisi iuratus dixi, dabo, subtrahis illas,
Permittunt in me quæ" tibi multa, nates.
Quid si me tõsor, cũ stricta nouacula supra est,
Tunc libertatem, diuitiásque roget?
Promittam: nec enim rogat illo tẽpore tonsor,
Latro rogat: res est imperiosa timor.
Sed fuerit curua cum tuta nouacula theca,
Frangam tonsori crura, manúsque simul.
At tibi nil faciam: sed lota mentula lana
Λειχάζειν cupidæ dicet auaritiæ.

" v. tentúmque Turneb lib 8. cap. 4. tentum, & ponit.
" v. nihil.
" v. sibi.

DOMITIVS.

CVM *me.*] In Thelesphorum, qui in media palæstra, cùm incitatum poetam videret, grandem stipem poscebat, conqueritur hoc fieri, quòd si tonsor imminente nouacula, libertatem, & diuitias rogaret, Martialis promitteret: sed tonsus non modo nil daret, sed etiam verberaret. Idem non faciet Thelesphoro, sed ne quid posceret ei os obstrueret, quia cum irrumabit.

PERMITTVNT *in me.*] Quia magnam licentiam habent.

THECA.] Repositorium nouaculæ.

NIL *faciam.*] Non verberabo te.

LOTA *lana.*] Pectine scil. ne aliquid possis postulare.

DICET *λειχάζειν.*] i. irrumationem.

CVPIDÆ *auaritiæ.*] i. tibi cupido, & auaro: eo verbo Græco vsus est Aristophanes, vel dicet ἔῤῥωσο, i. bene vale, & dimittet sine præmio, quod te auarum cruciabit.

MENTVLA *lota lana.*] i. cum peracto opere abstersa fuerit mentula: Lucilius.

Mutoni lachrimas à lana abstersit amica.

De Charino. LX.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit anulos,
Nec cùm lauatur: caussa quæ sit, quæritis?
" Dactylothecam non habet.

" v. Dactyliothecam, & rectè. Vide Turneb. lib. 8. cap. 4.

DOMITIVS.

SENOS *Charinus.*] Dactyliotheca significat repositorium complurium gemmarum, primus Scaurus priuignus Syllæ id Romæ ostendit. Pompeius Mithridatico triumpho attulit, quod Varro prælatum scripsit fuisse dactylothecæ Scauri. Cæsar eius generis sex dicauit in æde Veneris genitricis. Dactyliothecæ nomen dictum est ab anulis reponendis, tamen, vt dixi, complurium gemmarum est repositorium, quæ pro arbitrio domini in anulis concludi poterant. Charinus sex anulos habebat conductos, quos die,

noctúque gestabat: id cum alij luxui & magnificentiæ adscriberent, poëta ait eum id agere, quoniam plures non habebat, nec dactyliothecam. Videtur significare eum non habere repositorium anulorum, cùm intelligat non habere plures gemmas, sed eas conductas ex aliena dactyliotheca, vt illud Iuuenal.

Conducta Paulus agebat Sardonyche.

De Chione & Phlogide. LXI.

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta requiris?
Pulcrior est Chione, sed Phlogis vlc⁹ habet.
Vlcus habet Priami quod tēdere possit alutā,
Quodque senem ¹ *Pyliū non sinat esse senem.* ¹v. Pelliam. Vide Adag. Iunii.
Vlcus habet, quod habere suam vult quisque puellam,
Quod sanare Criton, non quod ² *Hygea potest.* ²Hygia Æsculapii filia apud Pausaniam Atticis Plin. lib. 35. cap. 5.
At Chione non sentit opus, nec vocibus vllis
Adiuuat: absentem, marmoreamq; putes.
Exorare dei si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam pretiosa dare:
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
Vt Phlogis, & Chione quod Phlogis vlcus habet.

DOMITIVS.

SIT *Phlogis.*] Vtrumque nomen fictum est. Phlogis ab ardore, nam φλὸξ significat flammam: Chione, frigus, à χιὼν, quod niuem significat.

ALVTAM.] Languentem mentulam.

NON *sinat.*] Possit excitare.

PELIAM.] Iasonis patrem.

CRITON.] Medicus: nomen est masculi, & mentulam habentis.

HYGEA.] Filia Æsculapij medica. Eusta. quidem in Home. & Diodorus, & nostri, duos tantum filios Æsculapio dedere, Machaonem, & Podalyrium. at interpres Lycophronis vsus testimonio Apollodori & Plin. in pictura, Hygeam, Elegem, Panem, Calasum Æsculapij filias esse testatur, quas Socratem pinxisse cum patre Æsculapio, Plin. affirmat. Hygea autem nomen conuenit medicæ. Hygea enim Græcè, Latinè significat rectam valetudinem. opponit autem Critonem, & Hygeam, vt ostendat illam indigere viro masculo, non fœmina.

MARMOREAM.] Cùm non moueretur.

De Manneio. LXII.

Lingua maritus, mæchus ore ¹ *Manneius* ¹Sic Turn. lib. 8 c. 4. nō Maneius.
Summænianis inquinatior buccis.: ²v. Leda, de qua supra l. 4. epigr. 4. Quod ipuucæ moriens lucerna Ledæ & paulo pōst Epig. 71
Quem cum fenestra vidit à suburana
Obscena nudum ² *lena, fornicem* ³ *clausit,* ³v. Claudit
Mediúmq; mauult basiare, quàm summum:
A *Modò qui per omnes viscerum tubos ibat,*
Et voce certa, consciaque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre,
(Gaudete cunni, vestra namque res acta est.)
Arrigere linguam non potest fututricem.
Nam, dum tumenti mersus ¹ *hæret in vulua,* ¹v. extra
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam soluit indecens morbus:
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

DOMITIVS.

LINGVA.] In Manneium lingentem femur, cuius supra meminit. vrbane autem ait eius linguam, dum nuper muliebri inguini hæreret, menstrui profluuio obturpuisse, adeo vt posthac non sit futura B vtilis veteri libidini.

MÆCHVS *ore.*] Dum fellat.

MARITVS *lingua.*] Dum hæret femori mulieris.

SVMMOENIANIS.] Meretricibus.

NVDVM.] Vel inopem, vel remotis arbitris, quod placet.

PER *tubos.*] Tubi dicuntur cannæ plumbeæ, quibus aqua deducitur. Tubos appellat inguina muliebria.

CONSCIA.] Quasi rem veram sciret.

MORBVS *indecens.*] Sanguis menstrualis.

PVRVS.] Dicitur non contaminatus aliqua labe, ad corpus refertur: purus item cùm de animo dicitur, est non contaminatus vllo vitio. hîc verborum ambiguitate vtitur poëta: non mirandum, nam vt C scrib. Plin. tam malefici humoris est, vt iactæ segetes eo marcescant, apes immoriantur aspectu mulieris eo laborantis, speculum hebetetur.

PVRVS *non potest esse.*] Contaminatus, scilicet eo menstruo.

NEC *impurus.*] Quoniam id sceleris non poterit amplius committere.

De Lesbia. LXIII.

Lesbia se iurat, gratis numquam esse fututā.
Verum est: cùm futui vult, numerare solet.

DOMITIVS.

D LESBIA.] Agere gratis aliquis dicitur, qui operæ pretium non exigit: gratis item agit, qui nihil soluit: hac ancipiti verborum significatione Lesbiam poëta deridet, quæ iurabat se nunquam gratis fuisse fututam, intelligens se non fecisse copiam sui, nisi magno pretio. Poëta ex altera verbi significatione ait verum esse, quod Lesbia dicit, nunquam enim fuit fututa gratis, quoniam oportuit eam soluere pretium his, quos volebat fututores.

In Philomusum. LXIV.

Spectas nos Philomuse cùm lauamur,
Et quare mihi tam mutoniati

Sint leues pueri ſubinde quæris.
Dicam ſimpliciter tibi roganti:
Pædicant Philomuſe curioſos.

DOMITIVS.

SPECTAS *nos.*] Philomuſum mutoniatos pueros in balneis ſpectantem, & interrogantem magna cura, quare eos Mart. habebat pueros, cinædum eſſe oſtendit.

PÆDICANT *curioſos.*] Feſtiue eum cinædum eſſe oſtendit, cùm ſit tam curioſus in mutoniatis inſpiciendis. Curioſus enim dicitur, qui magna cura aliquid perquirit.

In Fauſtum. LXV.

Neſcio tam multis quid ſcribas, Fauſte, puellis:
Hoc ſcio, quod ſcribit nulla puella tibi.

DOMITIVS.

NESCIO.] Fauſtus cùm haberet commercium cum adoleſcentibus, nolletque id palam fieri, dabat litteras ad puellas, vt cum his commune aliquid habere videretur: eum vrbaniter redarguit poëta, inquiens, neſcio quid ſcribas puellis, ſed rem illam ſcio, quod puellæ non ſcribunt tibi, hoc eſt, turpitudinem tuam inter pueros.

HOC *ſcio.*] i. commercium tuum: ipſe enim abutebatur pueris, & pueri eo.

In Iuſtinum. LXVI.

Sexcenti cœnant à te, Iuſtine, vocati
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit.
Inter quos, memini, non vltimus eſſe ſolebã:
Nec locus hîc nobis inuidioſus erat.
al. cœnæ. *Poſtera ſed feſtæ reddis ſollemnia menſæ:*
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

DOMITIVS.

SEXCENTI.] Iuſtinus ſolitus Mar. inuitare ad diem natalem, eum nunc prætereierat DC. inuitatis, promittens daturum cœnam in ſequenti die, cùm poëta munus mittere ſoleret veteri inſtituto natalem celebranti, & ipſe præteritus à Iuſtino munus differret in diem craſtinum: mittant, inquit, ſexcenti inuitati munera tibi hodie, cras ego mittam, quoniam cras me inuitaſti. Iuſtin. craſtinam cœnam promittebat inſequentis diei. Poëta craſtinum munus pollicetur, quod nunquam eſt futurum: vt ſupra.

Dic mihi, cras iſtud Poſthume quando venit.

Cùm videatur polliceri craſtinum munus, id eſt, inſequentis diei.

AD *officium lucis.*] Ad celebrandum diem natalem.

POSTERA] i. cœnam ſequentis diei.

SEXCENTIS *hodie.*] i. DC. mittant hodie munus, quos inuitaſti.

A

In Vacerram. LXVII.

Et delator es, & calumniator:
Et fraudator es, & negotiator:
Et fellator es, & laniſta. miror
Quare non habeas Vacerra nummos.

DOMITIVS.

ET *delator es.*] Vacerra conquerebatur, quòd nummos non haberet: poëta tempora ſua notans miratur quare pecuniam non habeat, cùm tam malas exerceat artes, quibus ſolis pecunia quærebatur.

CALVMNIATOR.] Falſas accuſationes
B reperis.

LANISTA.] Dicebatur, qui emebat pueros nutriendos ad gladiaturam. Mangones ad vendendum, dicti à manu & ago, hoc eſt, expoliendis pueris, vt maioris væneant: inde mangonizare tractum eſt, quod ſignificat expolire ad fallendum emptorem; agróſque Mangonizatos legimus: & mangonizata balnea apud Plin. & Varr.

In Maronem. LXVIII.

Nil mihi das viuus: dicis poſt fata daturum.
Si non es ſtultus, ſcis Maro quid cupiam.

Idem Græcè.

C Οὐδὲν ἴδως μοι ζῶν, βάζεις μετὰ μοῖραν ὀπάσσειν·
Αἰ μὴ μωρὸς ἔης, ὃ ἐρῶ, οἶσθα, Μάρων.

Ad Mathonem. LXIX.

Parua rogas magnos: ſed non dant hæc quoque magni.
Vt pudeat leuius te Matho, magna roga.

Idem Græcè.

Σμικρ᾽ αἰτεῖς μεγάλους, τὰ δ᾽ ἄρ᾽ οὐ παρέχουσι
D μέγιστοι·
Ἧττον ἵν᾽ αἰδεσθῇς, αἴτει μείζονα νῦν.

DOMITIVS.

PARVA *rogas.*] Mathonem agendis cauſis nihil iam lucrantem, & ne minimam quidem ſtipem conſequentem à diuitibus, deridet: ſimul monet, vt pudorem ſuæ repulſæ leniat magnarum rerum petitione: nam minus ignominiæ fuerit, ſi in magnis fuerit repulſa. de Mathone Iuuenal.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit. i. pauper fit.

Epitaphium canis Lydiæ. LXX.

Amphitheatrales inter nutrita magistros
Venatrix, siluis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar domino fidißima Dextro,
Qui non Erigones mallet habere canem.
Nec qui Dictæa Cephalum de gente secutus
Luciferæ pariter venit ad astra deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani.
Fulmineo spumantis apri sum dente peremta,
Quantus erat Calydon, aut Erymãthe tu°.
Nec queror, infernas quamuis citò rapta sub "umbras: v. vndas.
Non potui fato nobiliore mori.

Idem Græcè.

Αὐσονίοιο θεάτρου ἐνὶ θρεφθεῖσα κυνηγοῖς
Ἀγρείη ἐν δρυόχοις, ἠπίη ἐν μεγάροις,
Λυδίη ἐκλήθην, Δέξτρῳ τῷ κτήτορι πιστή,
Ὅστις ἂν οὐ πρὸ ἐμοῖ εἷλε τὸν Ἠριγόνης·
Οὐδ' ὃς ἀπὸ σκιερῆς Δίκτης ἐπὶ φωσφόρῳ ἠοῖ
Ἑσπόμενος Κεφάλῳ οὐρανὸν εἰσανέβη.
Οὐ μακρός με βίος, καὶ ἀχρήιος ἔσβεσεν αἰών,
Οἷος ὁ πότμος ἔφυ Δουλιχίοιο κυνός.
Ἀφειδοῦς χλουνοῖς κρυερῷ μ' ἐδάμασσεν ὀδόντι,
Τῷ Ἐρυμανθίῳ, τῷ Καλυδῶνος ἴσος·
Οὐδ' ἀνάχομαι ἰδὼν ὑπὸ τὴν χθόνα, καίπερ ἀωρεί·
Οὐ γὰρ καλλίων ἦν μόρος οὐκ τὸς ἐμοί.

DOMITIVS.

AMPHITHEATRALES.] Epitaphium Lydiæ canis, quæ discerpta fuerat ab apro in venatione theatri.

NVTRITA.] Loquitur canis.

MAGISTROS.] Qui præsunt theatris.

ERIGONE.] Mortuum patrem Icarum reperit cane duce, cui Imera erat nomen: hæc dolore obitus paterni sibi mortem consciuit. Imera item dominæ mortuæ spiritu parentauit: vt alij scribunt, coniecit se in puteum, quem Anygrum appellant, hoc est, sine humore: nemo enim est post canis fabulam, eius aquis vsus, numinum miseratione: eius effigies in cœlum relata est.

CEPHALVM.] Canis datus est custos Europæ à Ioue; quem laborantem Procris sanauit: inde canem meruit dono: ex Creta igitur Cephalus coniux Procri mortua vxore duxit Thebas: ibi erat fera insuperabilis canibus, vt Ouid. cecinit. Vt autem ex testimonio Istrij scribit Higinius, erat vulpes insuperabilis canibus. Cephalus Lælapa (ita enim appellabatur canis) emisit in vulpem. Cùm autem & numine Iouis canis esset insuperabilis, & Themidis vulpes, vtrunque in marmor conuertit Iuppiter: vt alij scripserunt, canis in cœlum est relatus.

CANI Duli.] i. Ithacensi cani Vlyssis: canis Vlyssis apud Eumæum subulcum redeuntem dominum post viginti annos agnouit, vt scribit Homerus, qui eosdem blandientes Telemacho introduxit: Ille appellabatur Argus. hunc infirmum reperit Vlysses reuersus plenum pediculis. Longum extat Homeri carmen in Odyssea. mortuús est extrema ætate confectus.

ERYMANTHE.] Quem interemit Hercules.

CALYDON.] Quem Meleager. Tertius aper in Lydia, vbi periit Athis filius Crœsi, vt scribit Herodotus.

In Tuccam. LXXI.

Vendere Tucca potes° cẽtenis millibus emtos? v. vendere
Plorantes dominos vendere Tucca potes?
Nec te blanditiæ, nec verba, rudésq; querelæ,
Nec te dente tuo saucia colla mouent?
Ah facinus! tunica patet inguen vtrimque leuata,
"Inspicitúrque tua mentula facta manu. v. Adspiciturque.
Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.
Vende senes seruos, agros & vende paternos:
Ne pueros vendas, omnia vende miser.
Luxuria est emere hos, quis enim dubitátve, negátve?
Sed multò maior vendere luxuria est.

DOMITIVS.

VENDERE *Tucca potes.*] Tuccam accusat qui teneros emebat pueros; eosdem enim exoletos vendebat.

DOMINOS.] Pueros olim amatos à te, vt dominam amicam dicimus.

RVD.] Pueriles.

LVXV.] In eadem significatione est supra,
Non amo iam dices, hac quoque luxuria est.
Nam luxuriam appellat non modo nimium rerum appetitum, & luxum: sed etiam immodicum contemptum earum rerum, quibus vti debes.

De Leda. LXXII.

"Histericam vetulo se dixerat esse marito,
Et queritur futui Leda necesse sibi.
Sed flens, atque gemens tanti negat esse salutẽ,
Séque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat vt viuat, virides nec deserat annos,
Et fieri, quod iam non facit ipse, sinit.

v. Hystericam. Hystericis enim remedij loco præscribunt medici validum cõgressus sue cussationẽ. Vide Turn. lib. 8. cap 4.

Protinus accedunt medici, medicæq; recedūt, A
Tolluntur que pedes: ô medicina grauis.

DOMITIVS.

HICTERICAM.] Iocus est in Ledam fallentem maritum noua arte: ait enim se esse hictericam, neque vlla arte posse sanari, nisi futuatur.

TANTI] i. se tanti facere salutem.

TOLLVNTVR.] In Venerem: vt suprà,
Sustulit ille pedes, sustulit hic tunicam.

De Nata. LXXIII.

Drauci Nata sui vocat * *pipinnam,*
Collatus cui gallus est Priapus.

* Ianus Parrhasius, Venerem legit Cæl. lib 4. cap. 6 In manuscrip. expressè legitur bipinnam, quam vocem vt exponat, Turnebum adi, si vacat, Aduersar. lib. 8. c. 4.

DOMITIVS.

DRAVCI.] In Natam blandam, & exiguo verbo appellantem mentulam exoleti sui pipinnam: nam pipire est minorum pullorum vocem emittere: vnde pipilo frequentatiuum, quod passeri dedit Catullus.

Ad solam dominam vsque pipilabat.

Poëta ait tantæ magnitudinis esse, vt si Priapus conferatur, possit Gallus videri, hoc est, castratus. Nonnulli codices habent bipennem: hoc est, duplicem pennam, sed placet prior sententia, licet syllaba mutata sit.

In Lygdum. LXXIV.

Venturum iuras semper mihi Lygde roganti, C
Constituisque horam, constituisque locū.
Cùm frustra iacui longa prurigine tentus,
Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
Quid * *precor, ô fallax, meritis, & moribus istis,*
Vmbellam lusca Lygde feras domina.

* v. precer.

DOMITIVS.

VENTVRVM.] Conqueritur se decipi sæpenumero à Lygdo puero: cui imprecatur, vt pileo tegat mentulam.

VMBELLA.] Indumentum capitis erat, quo solis radij arcebantur: huius est distichon. obscœna metaphora abusus est: nam per dominam luscam, & si aliud videtur intelligere, mentulam significat. D

TEGAS *vmbellam.*] i. tegas natibus mentulam, vel ore tanquam vmbella: nam erat fellator, vt alibi.

At quondam Lygde nil negabat.

Id est fellabas.

De Bacchara. LXXV.

Curandum penem cōmisit Bacchara Graecus
Riuali medico: Bacchara Gallus erit.

DOMITIVS.

CVRANDVM *Medico riuali.*] i. qui eundem amat, quem ipse.

GALLVS.] Iocus est in Gallo, & Græco, & significat sacerdotem Cybeles.

In Cæliam. LXXVI.

Theca tectus aënea lauatur
Tecum Cælia seruus. vt quid, oro,
Non sit cùm citharœdus, aut choraules?
Non vis, vt puto, mentulam videre.
Quare cum populo lauaris ergo?
Omnes an tibi nos sumus spadones? B
Ergo ne videaris inuidere,
Seruo Cælia fibulam remitte.

DOMITIVS.

THECA *tectus.*] Eodem argumento supra scripsit in Lecaniam.

Inguina succinctus nigra tibi seruus aluta
Stat quoties calidis tota foueris aquis.

Nam & hæc Cælia lauabatur inter viros nudos inguinibus, solum seruum videbat sibi astare fibulatum, quod cùm alia de causa facere videretur, poëta indicat eam ita egisse, vt seruum ad coïtum recentem haberet: nam fibula non modo velandis inguinibus, sed etiam coërcendo impetu libidinis vtebantur.

ÆNEA.] Nigra: nam ex aluta nigra erat fibula: vt supra,

Nigra tibi seruus aluta.

VT *quid facias.*] Nam citharœdus & choraules & comœdus ad vocem seruandam fibula vtitur, quoniam nimio coitu raucescit.

NE *videaris inuidere.*] Volentibus scilicet vti magno pene serui tui.

REMITTE.] Concede, vt non vtatur fibula.

Ad Pætum. LXXVII.

Soluere Pæte decem tibi me sestertia cogis:
* *Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.*
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

* v. Perdiderit.

DOMITIVS.

SOLVERE.] Quæ mutaueras.

BVCCO.] Dispensator.

NON *mea.*] Sed Bucconis.

In Vacerram LXXVIII.

In omnibus Vacerra quòd conclauibus
Consumit horas, & die tota sedet:
Cænaturit Vacerra, non cacaturit.

DOMITIVS.

In *omnibus.*] In Vacerram, qui vt cœnam captaret, omnes inibat cœnariones, & in proximo loco simulabat se demittere aluum, vt aliqua permanendi causa esse videretur, & parata cœna inuitaretur à domino.

Conclavibvs *omnibus.*] Conclaue locus ad cœnandum: vt est apud Cicer.

Coenatvrit.] Cupit cœnare.

Ad Victorem. LXXIX.

Vtere fœmineis complexibus, vtere Victor,
Ignotúmque sibi mentula discat opus.
v. texantur. *Flammea* *texuntur sponsæ, iam virgo parata est:*
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.
Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima noui.
v. negabũt. *Sæpius hoc fieri nutrix, matérque* *vetabunt,*
Et dicent, vxor, non puer, ista tibi est.
Heu quantos æstus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnus res peregrina tibi!
Ergo Suburanæ tironem trade magistræ.
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

DOMITIVS.

Vtere.] Consulit amico ducturo vxorem, qui hactenus nullum cum fœminis habuerat commercium, vt ante nuptias discat muliebrem palæstram à perita meretrice, quoniam à sponsa virgine, & rudi, ea discere non poterit. huc spectat epigramma, vt derideat eum, qui cogitat de ducenda vxore.

Flammea.] Indumenta capitis, quibus in nuptiis matronæ vtebantur ad velandum pudorem. Lucanus.

Flammea sollicitum præuelatura pudorem.

Tondebit.] Faciet tonsos cinædos, ne tibi placeant.

Peregrina] i. si nesciueris vti cunno, vt sit ignota.

Svbvranæ.] Meretrici. nam in Suburra erant meretrices, vt ante.

Faciet *te virum.*] Docebit officium virile.

Ad Pætum. LXXX.

v. qui. *Ad primum decima lapidem* *quòd venimus hora,*
Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista quidẽ, non est mea, sed tua culpa,
Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

DOMITIVS.

Ad *primum.*] Pætus malos miserat mulos Poëtæ, quem ad primum lapidem inuitauerat, vt vix decima hora eò peruenerit: cùm pigritia accusaretur à Pæto, A ait, culpam illius esse, qui tam pigros mulos rhedarios miserit, qualibus scilicet Pætus ipse vtebatur, ita eum deridet.

De Baijs. LXXXI.

Littus beatæ Veneris aureum Baias,
Baias superbæ blanda dona naturæ,
Vt mille laudem, Flacce, versibus Baias,
Laudabo dignè non satis tamen Baias:
Sed Martialem malo, Flacce, quàm Baias.
Optare vtrumq; pariter, improbi votum est.
Quod si deorum munere hoc tibi detur:
B *Quid gaudiorum est Martialis & Baiæ!*

DOMITIVS.

Littvs.] Iocatur cum Flacco, qui petierat, vt villam Baianam versibus laudaret, ait enim se malle indulgere Genio, quàm versibus Baianis. pluris enim se facit quàm Baias, quas Flaccus verbis magnificis aureum littus appellabat.

Baias.] Toties inculcatum est in contemptum Flacci.

Vtrvmqve.] Indulgere Baiis, & mihi.

Detvr.] Vt faciam hoc.

Qvid.] O quantum.

Martialis, *& Baiæ.*] i. vt ego mihi indulgeam. & tamen Baias laudem, & in ea versuum cura voluptatem capiam.

C De spadone, & sene. LXXXII.

Cum sene communem vexat spado Dindymus Æglen,
Et iacet in medio sicca puella toro.
Viribus hic operi non est, hic vtilis annis.
Ergo sine effectu prurit vtérque labor.
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc iuuenem facias hunc Cytherea virũ.

DOMITIVS.

Cvm *sene.*] Æglès vicem dolet, quæ & Spadoni D nupserat, & adulterum senem habebat: vt neuter viri officium præstare possent, optat misera alterum Spadonem fieri virum, alterum senem fieri iuuenem.

Sicca.] Carens officio viri.

Operi.] Venereo.

Annis.] Propter ætatem.

Vterqve *labor.*] Vterque laborans.

Cytherea.] Venus, quæ geniali thoro præes.

De Philostrato. LXXXIII.

A Sinuessanis conuiua Philostratus vndis
Conductum repetens nocte iubente larem.

Pæne imitatus obit sæuis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit vsque gradus.
Non esset, nympha, tā magna pericula passus,
" Si potius vestras ille bibisset aquas.

" Respicere ad puteanum, quòd Sinuessanas aquas insaniam virorum abolere Plinius prodidit, vt innouat, nimio temeto insanum factum, prolapsum fuisse, quo periculum potius aquis non incurrisset.

DOMITIVS.

A *Sinuessanis.*] Philostratus multa apud Græcos scripsit, sed hic cum in balneis Sinuessanis esset, tantum vini potauit, vt ebrius factus, scalarum lapsu pene extinctus sit, quo facto periit.

ELPENORA.] Elpenor enim Vlyssis socius, cuius cadauere manes euocati sunt ab Vlysse, ebrius factus apud Circem lapsusque scalis periit. hoc mortis genus notat Ouid. in Ibin ipse apud Homerum in carmine infernali Vlyssi narrat.

NOCTE *iubente.*] Id est, nocturno tempore ita iam exigente.

Ad Sosibianum. LXXXIV.

Nemo habitat gratis, nisi diues & orbus apud te.
Nemo domum pluris Sosibiane locat.

DOMITIVS.

NEMO *habitat.*] Sosibianus nouo genere captationis vtebatur, nam orbis & diuitibus partem domus suæ gratis habitandam dabat. quod cùm ex liberalitate vellet videri facere, poëta indicat eum auarissimè agere, quippe, qui eo munere hæreditatem peteret longe maioris pretij, quàm sit iusta pensio.

PLVRIS *locat.*] Quoniam ita hæreditatē captat.

Ad Antiochum tonsorem. LXXXV.

Qui nō dū Stygias descēdere quærit ad vndas,
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
v. Orba. *" Alba minus sæuis lacerantur brachia cultris,*
Cū furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica mēta,
Collaque puluerea nudet equina iuba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat:
Carnificem nudo pectore pascat auem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus,
Antiochi tantùm barbara tela sonent.
Hæc quæcūq; meo numerasti stigmata mēto,
In vetuli picta qualia fronte sedent.
Non iracundis fecit grauis vnguibus vxor:
Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus viuit, ne ferat Antiochum.

DOMITIVS.

QVI *non dum.*] In Antiochi tonsoris imperitiam, à quo cùm nuper tonderetur, crebris incisuris notatus est.

BRACHIA.] Tondebantur, qui inter se lacerantur in sacris Cybeles.

ENTHEA.] Deo plena.

ALCON.] Medicus vulnerarius.

ENTEROCELAS.] Intestina.

DEDOLAT.] Aptat ossa.

PENTHEVS *ad matrem.*] Agauem, à qua laniatus fuit.

ORPHEVS.] Laniatus à Ciconibus.

MÆNADAS.] Mulieres furentes. nam μαίνεσθαι est furere.

QVALIA.] Quales incisuræ.

PICTA *fronte*] i. rugosa.

HABET *cor.*] Id est, sapiens.

In Zoilum. LXXXVI.

" Sidere percussa est subitò tibi Zoile lingua, " ἀστρόβλητος i. siderata.
Dum lingis cunnum, Zoile, nunc futues.

DOMITIVS.

SIDERE.] Sidus est genus morbi, vt supra est dictum, quo linguæ vsu amitti solet. supra.

Hoc opus est subito fias vt sidere mutus.

Vnde siderati, quibus vrina pulli asinini nardo admixto per coniunctionem medetur. Zoilus fellator erat, quod frequenti carmine indicauit, nunc amissa lingua congetur futuere.

LINGERE.] Fellare est apud hunc poëtam. supra.

Lingas non mihi, nam proba puella est.

DVM *lingis.*] i. dum fellas vel cunnum lingis. quod placet, nam supra idem est epigrammatis argumentum in eum qui dum cunnum lingeret, linguam amisit, adeo, vt propterea nec purus esse, nec impurus posset.

NVNC *fut.*] Postquam lingendi vsum amisisti.

In Parthenopæum. LXXXVII.

Leniat vt fauces medicus, quas aspera vexat
Assiduè tussis Parthenopæe tibi.
Mella dari, nucleosq; iubet, dulcesq; placētas,
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus.
Non est hæc tussis Parthenopæe: gula est.

DOMITIVS.

LENIAT.] In Parthenopæum, qui tussim simulabat, vt conditis cibis vesceretur, quod supra in alium scripsit.

NVCLEOS.] Conditos.

DVLCES.] Mellitas.

NON *sinit pueros esse truces*] i. quo pueri lugentes placantur.

EST *gula.*] Id est, propter gulam id agis.

Vu

Ad Charidemum. LXXXVIII.

Diues eras quondam! sed tunc pædico fuisti,
Et tibi nulla diu fœmina nota fuit.
Nunc sectaris anus. ô quantum cogit egestas!
Illa fututorem te Charideme facit.

DOMITIVS.

Dives *eras.*] Charidemus cùm olim diues esset, pædicabat, nunc factus pauper, vt amissa bona instauraret, anus sectabatur. Hoc enim genus lucri propositum erat bene mentulatis, quod carpit Iuu.

Vetulæ vesica beata.

Nam illud in vniuersum dicitur, & non de vna.

De Charisiano. LXXXIX.

Multis iam Lupe posse se diebus
Pædicare negat Charisianus.
Caussam cùm modò quærerent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

DOMITIVS.

Mvltis *iam.*] Charisianum deridet, qui cùm pædicaretur, nolebat videri pædicari, sed festiuè crimen suum prodidit per imprudentiam. nam cùm multis iam diebus diceret se non pædicasse, & caussam quærerent sodales, dixit se habere ventrem solutum. quod ipsum impedimento erat cinædo, non pædiconi.

Ad Pollam. XC.

Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

Idem Græcè.

Τί πρὸς ἔμ' ἐκπέμπεις, ὦ Πόλλα, στέμματ' ἄθικτα;
Βούλομ' ἔχειν ῥόδα σαῖς χερσὶ τριβέντα καλῶς.

DOMITIVS.

D Intactas.] Ad Pollam, quæ mittebat recentes rosas, & intactas. Poëta optat, vt rosas vexatas potius mittat eius delitias redolentes: an simul alludit festiuè ad eunuchos pulcherrimos, quos Polla habebat, vt supra dictum est.

In Chrestillum. XCI.

Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras, altaque saxa cadunt.
Et tibi Mæonio quod carmine maius habetur,
Lucili Columella hic situs Metrophanes.
A *Attonitusque legis terrai, frugiferai,*
Accius & quidquid Pacuuiusque vomũt.
Vis imiter veteres Chrestille, tuosque poëtas?
Dispeream[*] si scis, mentula quid sapiat. *v. ac

DOMITIVS.

Carmina.] Chrestillum deridet, qui vt lasciuum carmen aspernari videretur, & seuerum laudare Lucili, Lucr. Acij, Pacuuij poëtarum rudimenta, & quibus, vt scribit Quin. lepos & vltima manus defuit, versus extollebat. sed tamen, vt inquit Poëta, cùm eius generis carmina legeret, non ignorabat quid saperet mentula: per quod ostendit eum fuisse fellatorem, & inter antiquos Poëtas sectari recentes mores.

Salebras.] Duriciem.

B Metrophanes.] Hic versus est Lucilij, quem luculentum fluere scrib. Hor. & carpit quòd Græca verba inserat carmini. Fuit autem satyrarum author. sed hoc carmen est in Metrophanem Columellam tumulatum eius seruum. vt ita legatur. Lucili Columella est hic situs Metrophanes. Columella Metrophanes nomen est proprium.

Lvcili.] Scilicet seruus.

Terrai.] Genitiui antiquorum quibus vtitur semper Lucretius, Accius, & Pacuuius, scriptores tragœdiarum, clarissimi sententiarum grauitate, vt scrib. Fab. & pondere verborum, sed his defuit expolitio. non eorum culpa, sed temporum, quibus studia adhuc erant inculta.

Sapiat.] Quia es fellator, & mentulam lingis, lasciuisque nostrorum temporum moribus, inter seueros antiquorum versus veteris.

GEORGIVS.

C Metrophanes.] Puerilis est explanatio, & vix digna quæ legatur, nam Columella non est proprium nomen, vt hic somniauit, sed potius vt Donatus ait, exponens illud Terentij.

——Columen vero familiæ.

Columellæ apud veteres dicti sunt serui maioris domus. Lucius xxij. seruus neque infidus domino, neque inutilis quanquam Lucili Columella hic situs. Ecce per Dona, quid Columella, & versus partem, quem totum Martia. adducit.

Epitaphium Canaces. XCII.

Æolidos Canace iacet hoc tumulata sepulcro, *v. Aeolidos aliqui v. Cod. legit Aeolis hæc.
Vltima cui parua septima venit hiems.
Ah scelus, ah facinus! properas quid flere viator?
Non licet hic vita de breuitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus
Abstulit, & tenero sedit in ore lues.
Ipsaque[*] crudeles ederunt oscula morbi, *v. Cæruleę legebant.
Nec data sunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properauit[*] cludere blãda, *v. Claudere.
Ne posset duras flectere lingua deas.

Idem Græcè.

Αἰολίδος Κανάκης τύμβος ὑπὸ τῷδε τέθαπται,
Ἑβδόμος ἧς χειμὼν ἔπλετο τέρμα βίου.
Φεῦ, ξένε, τοῦ ἄχεος! τί δ᾽ ἐπείγῃ δάκρυα βάλλειν;
Οὐ νῦν μεμπτέα σοι τὴν βραχύτητα βίου.
Δεινότερός γε μόροιο μόρου τύπος· ὄψιν ἄφυλον
Τὸ στόμα λειχῆνες πᾶν ἐπινεμόμενοι·
Αὐτά τε νηλεεῖς δάψαντο φιλήματα νοῦσοι·
Οὐδ᾽ ὁλόκληρ᾽ ἐδόθη χείλεα πυρκαϊῇ.
Εἰ δ᾽ ἄρ᾽ ἐπιπλᾶσθαι τόσον ἐς τάχος αὐτίκ᾽
ἔμελλον,
Ἄλλῃ σοὶ ὤφελον κῆρες ἐπελθέμεναι.
Φθᾶσα δὲ Μοῖρ᾽ ἀγανῆς ἀπέκλεισε διέξοδον αὐδῆς
Κάμψαι ἵν᾽ ἀστόργους μή ποτε γλῶσσα θεάς.

DOMITIVS.

ÆOLIDOS *Canace.*] In Canacem epitaphium, quæ vlcere serpentis in ore extincta est.

ÆOLIDOS.] Alludit de Canace filia Æoli sorore Macarei.

AH! *facinus.*] Genus morbi.

TENERO.] Puellari.

OSCVLA.] i. os ipsum.

NEC *sunt data.*] Quia partem assumpsit morbus.

In Zoilum. XCIII.

Mentitur, qui te vitiosum Zoile[*] dixit. *v. dicit.
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

De Theodoro. XCIV.

Pierios vatis Theodori flamma Penates
Abstulit: hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, ô magnum facinus, crimenq; deorũ,
Nõ arsit pariter quòd domus, & dominus.

DOMITIVS.

PIERIOS.] In Theodorum malum poëtam: in quem supra. Huius ædes incendio assumptæ sunt. De quibus cùm videatur conqueri Mart. quasi amicus Theodoro, exit in imprecationem, & conqueritur quòd dominus non arserit.

PIERIOS.] Poëticos.

DOMINVS.] Malus Poëta: ante dixit se huic suos libellos mittere nolle, ne ille suos mittat ineptos.

In verpum æmulum. XCV.

Quòd nimium liues, nostris & vbiq; libellis
Detrahis, ignosco: verpe poëta, sapis.
Hoc quoque non curo, quod tu mea carmina carpas,
[*]Corripias, & sic, verpe poëta, sapis. *v. Cõpilas, eadem lectio erat & in Palmar. Codice.
Illud me cruciat Solymis quòd natus in ipsis,
Pædicas puerum, verpe poëta, meum.
Ecce negas, iurásque mihi per templa tonãtis.
Non credo: iura, verpe, per[*] Anchialum. *Lege Castigationes Hermol. in Plin. lib. 5. cap. 27.

DOMITIVS.

QVÒD.] In poëtam Iudæum, qui Mart. puerum pædicabat.

VERPE.] Iudæe.

CARPAS.] Suffureris: vt supra poëta carpit, id est, suffuratur.

CORRIPIAS.] Frequenter rapias.

SOLYMIS.] Populi finitimi Lyciæ: Vnde Iudæorum gens deducta est: eos Bellorophon expugnauit, vt Homer. meminit: & longa est disceptatio apud Homeri interpretes, de quibus Solymis poëta intellexit. Strabo de finitimis Lyciæ videtur sentire.

IVRAS *per templa Tonantis*] i. iuras per numen Romanum, quasi non sis Iudæus.

ANCHIALVM.] Anchiala vrbs est Ciliciæ littoralis condita à Sardanapalo, vt Aristobolus scribit. In qua est statua lapidea conditoris, quæ dextræ manus digitos complicat, cum monumento literis Assyriis inscripto, Sardanapalus Anacindaraxis filius, Tarsum, & Anchialim vno die condidit, Ede, bibe, lude, &c.

Cùm te mortalem noris præsentibus exple
Delicijs animum: post mortem nulla voluptas.

Placet igitur intelligas Anchialum numen Sardanapali, quod Solymis finitimum est: imo littoralem hanc Ciliciæ partem Solymi aliquando tenuerunt, vt scribit Iosephus.

IVRA *per Anchialum*] i. per numen Sardanapali, quo simul ostendit eius molliciem & patriam. Quod nonnulli sentiunt de Anchialo puero, hactenus non legi.

Ad Flaccum. XCVI.

Incideris quoties in basia fellatorum,
In[*] solio puto te mergere, Flacce, caput. *v. follem.

DOMITIVS.

INCIDERIS.] Festiue idem etiam docet basiari à fellatore, qui mentulas ore abluit, & mergere caput in solium vas balneorum, vbi mentulæ lauantur.

PVTA *te mergere caput*] i. abluere caput.

Ad Germanum. XCVII.

Martia non Rhenus salit hîc Germane quid obstas,
Et puerum prohibes diuitis imbre lacus?
Barbare, non debet submoto ciue ministro
Captiuam victrix vnda leuare sitim.

DOMITIVS.

MARTIA.] Ex Martia, de qua satis supra diximus, Germanus riuulum deduxerat in ædes: vnde nuper repulerat puerum Romanum. Poëta conqueritur

Martia aqua interdici ciuem Romanum à barbaro, cùm aqua sit Romana, & ciui debeat seruire potius, quàm captiuo.

SALIT.] Labitur saliens.

OBSTAS.] Resistis.

IMBRE.] Irrigatione & vnda.

DIVITIS.] Large fluentis.

VNCTA *victrix.*] Aqua Martia Romana.

CAPTIVAM *sitim.*] i. tuam qui es captiuus.

SVB *moto.*] Repulso.

* Ita V.

In* Thelesillam. XCVIII.

Vna nocte quater possum: sed quatuor annis.
Si possum, peream, te Thelesilla semel.*

* Thelesin. Aldinum exemplar.

DOMITIVS.

VNA *nocte.*] In Thelesillam deformem, ad quam non poterat arrigere, quod vt ostendat non sua culpa accidere, sed Thelesillæ, hoc scribit.

POSSVM.] Scil. futuere aliquam, non possum te semel.

QVATVOR *annis.*] Oppositis dictionibus acumen est semel & quater. iiij. annis, & vna nocte.

Ad Bassum. XCIX.

Effugere non est, Basse, basiatores,
Instat, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, & illinc, vsquequaque, quacumque.
Non vlcus acre, pustulæue lucentes,
Nec triste mentum, sordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,*
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reseruantem.
Non te cucullus asseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, velóque,
Nec vendicabit sella sæpius clausa.*
Rimas per omneis basiator intrabit.
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Sæuique fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem.
Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et è curuli iura gentibus reddas:
Adscendet illa basiator, atque illa
Febricitantem basiabit & flentem.
Dabit oscitanti basium, natantique:
Dabit & cacanti. remedium mali solum est,
Facias amicum, basiare quem nolis.

* v. Cerato. Græcè tamē κηρωτὴ dicitur.

* fort. vindicabit.

DOMITIVS.

EFFVGERE.] Basiatorum osculis offendebatur Mart. nonnulli enim blandientes solebant obuios amicos osculari. Mart. hoc, longo reprehendit epi-

A grammate, consulitque Basso, vt eos sibi faciat amicos, quos nolit basiare: ostendens se malle amicitiam aliis in rebus esse, quàm in basiis, quibus scil. ostenditur: optes, inquit, eos amicos, qui te non basient, id enim est gratius quàm basiari.

NON *est effugere.*] Fieri nullo pacto potest, vt possis effugere basiatores.

VLCVS.] Deterrebit eos.

PVSTVLÆ.] Vlcera parua.

TRISTE *mentum, sordidíve lichenes.*] Idem dixit (vt puto) nam lichenes vlcera oris erant, quæ multorum intuitus occupabant, furfurem cutis excitantia: is morbus incognitus fuit ad medium vsque Tiberij principatum, quo tempore Perusinus quidam eques scriba quæstorius eo morbo laborans, quo in Asia correptus fuerat, multas contagione fœdauit. eum appellarunt nomine Latino mentagram, quoniam à mento oriebatur.

B CEROTO.] Puto de cerusa intelligi: nam labra cerusata dixit in Philænim, ad emendationem vlcerum proderit, quo minus te basient.

BASIVM *nuptiale.*] i. munda basia, quæ obstricto ore seruabant sponsæ.

CVCVLLIS.] Indumento capitis.

ASSERET.] Vendicabit te.

LECTICA.] Pellibus & velis sternebantur lecticæ, præsertim nuptiales & ritu antiquo sponsi in pelle lunata sedebant, sed hîc de quacunque lectica intelligo.

CONSVLATVS.] Si etiam fueris consul.

ABIGET.] Submouebit.

CVRVLI.] Sella, potes intelligere vel de prætore, vel de consule.

QVEM *nolis.*] i. amicum à quo non basia exigimus: id enim amoris testimonium, quod scil. te non

C basiet.

In Lesbiam. C.

De cathedra quoties surgis, iam sæpe notaui,
Pædicant miseram Lesbia te tunicæ.
Quas cùm conata es dextra, conata sinistra
Vellere, cum lacrymis eximis, & gemitu.
** Si constringantur gemina symplegade culi,*
Et Minyas intrant, Cyaneásque nates.
Emendare cupis vitium deforme? docebo,
Lesbia nec surgas censeo, nec sedeas.

* v. Sic constringens.

DOMITIVS.

D DE *cathedra.*] Ficosam Lesbiam, & pinguem deridet, cuius vestes natibus hærebant quoties surgeret.

MISERÆ *tuni.*] Viscatæ.

PÆDICANT.] Hærent culo.

SYMPLEGADES.] Scopuli qui inter se concurrere videntur: ijdem dicuntur Cyaneæ & Minyæ à Mart. ob cursum, quem illac Minyæ, id est, Argonautæ tenuerunt.

NATES.] Appositè appellauit geminam Symplegadem.

VEL *nimias.*] i. præpingues: sed magis placet, vt legas Minyas.

NEC *sedeas.*] Sed iaceas natibus supinis.

A

Ad Flaccum. CI.

Habere amicam nolo, Flacce, ſubtilem,
Cuius lacertos anuli mei cingant,
Quæ clune nudo radat, & genu pungat,
Cui ſerra lumbis, cuſpis eminet culo.
Sed idem amicam nolo mille librarum.
Carnarius ſum, pinguiarius non ſum.

DOMITIVS.

HABERE.] Obiurgat Flaccum, qui exilem & nullius pene corporis amicam diligat.
PVNGAT.] Præ macilentia.
SERRA.] Species ſerræ.
EMINET.] Videtur eminere.
CARNARIVS.] Corpulentia aliqua delector.

Ad Flaccum. CII.

Thaida tam tenuem potuiſti, Flacce, videre?
Tu puto, quod non eſt, Flacce, videre potes.

DOMITIVS.

THAIDA.] Idem argumentum: miratur oculos Flacci incidiſſe in eam, quæ vix inſpici poteſt, quam cùm viderit, dicit eum etiam poſſe videre incorporeum, indicans corpore carere eius amicam, quaſi dicat, amica tua non habet corpus.

In Lydiam. CIII.

Non eſt mentitus qui te mihi dixit habere
Formoſam carnem, Lydia, non faciem.
Eſt ita, ſi taceas, & ſi tam muta recumbas,
Quàm ſilet in cera vultus, & in tabula.
Sed quoties loqueris, carnẽ quoq; Lydia perdis
Et ſua plus nulli, quàm tibi lingua nocet.
Audiat ædilis ne te, videáſque, caueto.
Portentum eſt, quoties cœpit imago loqui.

DOMITIVS.

NON *eſt.*] Poſt recentem Lydiæ concubitum, hoc ſcribit, quam formoſam carnem habere fatetur, ſed non faciem: nam caret illecebris, & inſulſa eſt.
CARNEM.] Formoſum corpus.
ÆDILIS.] Præfecti templis curandis ædiles erãt, ſi qua imago in templis aut ſudaſſet, aut eſſet locuta, putabant portentum. Lydiam immobilem, & illecebris carentem appellat imaginem.

Ad Sophronium. CIV.

Tãta tibi eſt animi probitas, oriſq; Sophroni,
Vt mirer fieri te potuiſſe patrem.

Idem Græcè.

Εὐηθὲς οὕτως κ' ἐγκρατὲς ἐν σοὶ *Σωφρόνι' ἦθος,
Ὥστε με θαυμάζειν πῶς γ' ἡμετὴρ γέγονας.

* v. Dimenſionem Græcam, quam Mart. in nom. Sophronij peruertit, exhibui.

DOMITIVS.

TANTA *tibi.*] Sophronium muliebri, & molli ore miratur potuiſſe fieri patrem: non referens hoc magis ad oris mollitiem, quàm ad probitatem animi.
FIERI *patrem.*] i. habere rem cum vxore: ſimul innuit eum raro cum mulieribus verſatum.

In vxorem. CV.

Vxor vade foras, aut moribus vtere noſtris:
Nõ sũ ego nec Curi⁹, nec Numa, nec Tati⁹.
B *Me iucunda iuuant tractæ per pocula noctes:*
Tu properas pota ſurgere triſtis aqua.
Tu tenebris gaudes: me ludere teſte lucerna,
Et iuuat admiſſa rumpere luce latus.
*Faſcia te, tunicaque * tegunt, obſcuráq; palla:* ' v. Obſcuráque pallia celant.
*At mihi nuda ſatis nulla puella * patet.* * v. iacet. Sed, Patet, antitheton celandi, probatur magis
Baſia me capiunt blandas imitata columbas:
Tu mihi das, auiæ qualia mâne ſoles.
Nec motu dignaris opus, nec voce iuuare,
Nec digitis: tanquam tura, merúmq; pares.
C *Maſturbabantur Phrygij poſt oſtia ſerui,*
Hectoreo quoties ſederat vxor equo.
Et quamuis Ithaco ſtertente, pudica ſolebat
Illic Penelope ſemper habere manum:
Pædicare negas: dabat hoc Cornelia Gracco,
Iulia Pompeio, Portia Brute tibi.
Dulcia Dardanio nondum miſcente miniſtro
Pocula, Iuno fuit pro Ganymede Ioui.
Si te delectat grauitas, Lucretia toto
Sis licet vſque die: Thaida nocte volo.

DOMITIVS.

VXOR *vade.*] Dimittitur vxor à poëta & fit di-
D uortium allatis cauſis iuſtiſſimi diſſidij.
CVRIVS.] Dentatus arator.
TATIVS.] Rex Sabinorum, qui caſtiſſimi habebantur.
SVRGERE.] E menſa.
RVMPERE *latus.*] Dicuntur operam Veneri dantes.
FASCIA.] Pectoralis, qua vtebantur mulieres.
PATET *ſatis nuda.*] Quaſi dicat, nunquam tam nuda eſt, quin magis nudam eſſe optem.
OPVS.] Noſtrum coitum.
MOTV.] Criſſatione.
SEDERAT *equo.*] Huius generis coitus meminit Ouidius in arte, ſed contrario ſenſu: nam Hectorem dicit inſediſſe Andromachæ.
EQVO *Hectoreo.*] Vtebatur Hectore tanquam equo, nam ipſa ſupra erat: tantæ erant illæ illecebræ Andromaches, vt ſerui videntes maſturbarentur.

SIS *Lucre.*] Id est, vtaris moribus Lucretiæ.

THAIDA.] Volo te habere mores Thaidis & lasciuos.

Ad Garricum. CVI.

Mittebas libram: quadrantē Garrice mittis.
Saltem semissem Garrice solue mihi.

Ad Albium Maximum. CVII.

Albi Maxime, si vacabit hora,
Hoc tantum lege: namque & occupatus,
Et non es nimium laboriosus.
Transis hos quoque quatuor. sapisti.

Ad Septicianum. CVIII.

Explicitum nobis vsq; ad sua cornua librum,
Et quasi perfectum Septiciane refers.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

A

DOMITIVS.

EXPLICITVM.] Deridet Septicianum, qui legendum librum Mar. susceperat, non studio quidem legendi, sed vt sui quoque à Mar. legerentur. hoc cum poëta intelligat restituto libro scribit.

CORNVA.] Vsque ad vmbilicos, qui quidem ex cornu fiebant, vt scribit Porphyrio.

Ad Lectorem. CIX.

Quamuis tam longo possis satur esse libello
Lector, adhuc à me disticha pauca petis.
Sed Lupus vsuram, puerique diaria poscunt.
Lector solue. taces, dissimulásque, vale.

B

DOMITIVS.

QVAMVIS.] Vltima manus est vndecimi libri vbi se plura potuisse scribere monet, si quis esset qui munera daret, & leuaret difficultatem domesticam.

LVPVS.] Vsurarius.

DIARIA.] Quotidianum victum dicunt, & quidem seruorum, vt hic Mar. accipit, & Hor.

Cum seruis vrbana diaria rodere mauis.

Diaria item erant libri, quibus res quotidianæ continebantur.

SOLVE *vsuram.*] Dandam Lupo, & diaria pueris, id est seruis.

Finis lib. vndecimi Epigrammat. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER XII.

VAL. MARTIALIS PRISCO SVO SALVTEM.

SCIO me patrocinium debere contumacissimæ triennij desidiæ: quæ absoluenda non esset inter illas quoque occupationes vrbicas, quibus facilius consequimur, vt molesti potius quàm officiosi esse videamur: ne dum in hac prouinciali solitudine, vbi nisi etiam intemperanter studeamus, & sine solatio, & sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem, in qua hoc maximum & primum est, quòd ciuitatis aures, quibus assueueram, quæro, & videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis quod placeat, dictauit auditor. Illam iudiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, conuentus, in quibus studere se voluptatibus non sentiunt: ad summam omnium ° ea quæ delicatè reliquimus, quasi destituti desideramus. Accedit his municipalium rubigo dentium, & iudicij loco liuor, & vnus, aut alter mali, in pusillo loco multi, aduersus ° quos difficile est habere quotidie bonum stomachum. Ne mireris igitur abiecta ab indignante, quæ à gestiente fieri solebant. ne quid tamen & aduenienti tibi ab vrbe, & exigenti negarem, cui non refero gratiam, si tantùm ea præsto quæ possim, imperabo mihi, ° cui indulgere ° consueueram, ° & statui paucissimis diebus, vt familiarissimas mihi aures tuas exciperem aduentoria [sua.] Tu velim ista quæ tantùm apud te non periclitantur, diligenter æstimare, & excutere non graueris, &, quod tibi difficillimum est, de nugis nostris iudices nitore seposito, ne Romam, si ita decreueris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.

°v. illud quod.
°v. quod.
°v. quod.
°v censuetam, & studui.
°Vide Turn. lib. 30. c. 26.

DOMITIVS CALDERINVS.

SCIO *me*] Tribus annis in prouincia tacuerat, nunc Prisco amico veniente scribere incipit. Primum autem causam affert silentij sui, deinde in gratiam amici se intermissum opus reuocaturum pollicetur, & aditurum librum.

SCIO] Sensus est. Scio me debere defendere silentij mei contumaciam, cuius sum reus.

QVÆ] Desidia.

ABSOLV. *est*] Id est, excusanda.

INTER *vrbicas occupationes*] Si etiam fuissem in

rebus vrbanis occupatus.

MOLESTI] Erga diuites, quos colimus.

VBI] In qua prouincia.

SECESSIMVS] Id est, videmur secessisse.

QVÆRO *aures*] Id est, desidero aures, quibus placeant mea carmina, quasi dicat, hîc nullæ sunt.

ALIENO *foro*] Id est, videor habere causam vbi non sint mei iudices. metaphora est à litigantibus, qui nisi ad suos & præscriptos iudices citentur, forum declinant, & litem intermittunt. ita Mart. tanquam apud non idoneos lectores silebat.

AVDITOR] Iudicium auditoris subministrauit materiam scribendi se.

STVDERE] Omnibus sæculis non vident se fore immortales.

AD *summam omnium*] i. postremo.

ACCEDIT] Additur.

RVBIGO] Ruditas municipalium meorum.

VNVS *aut alt.*] Ratio est prætereà quare non scripserim, quoniam quamuis pauci essent in hoc loco, qui carperent mea carmina, tamen non possent non videri multi in loco exiguo, eo quia scilicet non minus hic vnus offenderet, quàm multi in vrbe.

AVT *alter*] i. duo.

IMPERABO *mihi*] i. præter consilium meum cõferam me ad scribendum.

REFERO *gratiam*] i. cuius meritis non videor satisfacere.

QVÆ *possim*] Cùm multò plura debeam.

INDVLGERE] Relaxare animum.

SVA *aduentoria*] Epistola aduentoria dicitur, quæ amico venienti occurrit.

PERICLITANTVR] Non sint in periculo, vt deleantur.

SEPOSITO *nitore*] Non desiderata expolitione.

QVOD *est difficillimum*] Cùm tu sis nitidissimus, & debeas iure tuo exigere nitorem.

HISPANIENSEM *librum*] Liber, qui Romana lingua in Hispania est compositus, Hispaniensis dicitur. Hispanus qui in Hispania lingua Hispana est compositus. Petit igitur ne desideret elegantiam, vt plane videatur mittere Hispanum. i. ruditate & lingua Hispana compositum ex Hispania. & non Hispaniensem. i. lingua Romana compositum.

Ad Priscum. I.

Retia dum cessant, latratoresque Molossi,
Et non inuento silua quiescit apro:
Otia Prisce breui poteris donare libello,
Hora nec æstiua est, nec tibi tota perit.

DOMITIVS.

RETIA] Prisco Terentio, cuius gratia ad carmen reuersus est, libellum commendat legendum, quem vnius horæ spacio perlegi posse ait, quæ quidem hora si minus erit plena voluptatis, certè non perdetur, vt ostendat carmen suum non vsquequaque contemnendum esse.

DONARE *otia*] Impartiri tempus.

MOLOSSI] Populi Epyri sunt nobiles oraculo Iouis Dodonei, quod apud ipsos est, inde & venationibus canes apti mittebantur, vt à Sparta Peloponensi Spartani, & à Melita Melitæi, qui erant in delitijs, vt scrib. Callimachus. præter Spartanos & Molossos, tertium genus addit Var. in re rustica pastorale.

QVIESCIT] Ab indagine venatorum.

HORA] Quam consumis in legendo libello.

ÆSTIVA *hora*] Dicitur data relaxationi animi & plena voluptatis.

PERIT *tibi*] Male collocatur, quia aliquam capies voluptatem.

Ad sua carmina. II.

Quæ modo littoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite sacra, iam non puluerulenta via est.

DOMITIVS.

QVÆ *modo*] Librum alloquitur, quem, vt olim ex vrbe mittere solebat, ita nunc ad vrbem mittit.

MODO] Cùm essem in vrbe.

PYRGOS] Vrbs in Tyrrheno littore: vnde ad xxx. stadia frequẽtissimum fuit Ceretanorum emporium, meminit Virg.

Et Pyrgi veteres, intempestaque Grauisca.

De hoc oppido intelligo potius, quàm aut de turribus ligneis, aut de turri Capitonis, quæ in Hispania est in media petra, quamuis pyrgos significat turrim. Pyrgos autem mittebantur carmina, vt inde mitterentur ad vrbes proximo portu, vel emporio.

Ad librum suum. III.

Ad populos mitti qui nuper ab vrbe solebas,
Ibis tu Romam nunc peregrine liber.
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis
Dat patrios Manes quæ mihi terra potẽs.
Non tamen hospes eris, nec iam potes aduena dici,
Cuius habet fratres tot domus alta Remi.
Iure tuo veneranda noui pete limina templi,
Reddita Pierio sunt vbi templa choro.
Vel si malueris, prima gradiere Saburæ:
Atria sunt illic consulis alta mei.
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hyanteæ Stella[a] petitor aquæ. [a] v. Gelasij
Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Vnde nouem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum,
Nec nimium siccis perleget[b] ipse genis. [b] v. illas
Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
Clamabunt omnes te liber esse meum.

DOMITIVS.

AD *populos*] Idem argumentum, commendat librum Hispanum Stellæ poëtæ.
NVPER] Superioribus annis.
TETRICI] Quoniam eius aquis ferrum temperatus, vel ob tetricos accolas.
HOSPES] Externus.
FRATRES] Libellos.
DOMVS *Remi*] Roma.
NOVI *templi*] Nouum templum Palatinum appellat. quod redditum dicit esse musis fauore Neruæ Imperatoris, qui poëtas amplectebatur, & apte, nam poëtarum scripta in æde Phœbi Palatini erant & recitabantur: eadem dicta ædes musarum in palatio, vt Hor. scribit.
REDDITA] Fauore Neruæ.
PRIMA *subura*] Prima parte suburræ.
MEI *consulis*] Stellæ, nam consulatum adeptus erat pro quo supra Phœbum sic rogat,

Campis diues Apollo sic murinis.

PETITOR *aqua Hiantea*] Hoc est qui diu optauit Hiantidem cõiugem, in cuius ædibus fontem fuisse & Papin. carmine testari sumus, & Martia. ipse indicauit: simul alludit ad fontem Parnassi, nam Hyantes populi Thraciæ Parnassum incoluerũt, vnde fons Hyanteus, Parnassius dici potest.
VBI] Apud Violantillam.
TORRENTE *vitreo*] Id est, aquis vitreis.
SICCIS] Sine lachrymis desiderio mei.
TITVLVM] Nomen authoris.

Ad Priscum. IV.

Vide Turn. lib. 30. c. 16.

Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni,
Mecœnas atauis regibus ortus eques:
Gẽtibus & populis hoc te mihi Prisce Terẽti
Fama fuisse loquax, chartaq; dicet anus.
Tu facis ingenium, tu, si quid posse videmur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

DOMITIVS.

QVOD] Flacco Prisco gratias agit, quod tanquam alter Mecœnas eum ad poeticen reuocauerat.
LOQVAX] Celebris fama.
CHARTA *anus*] Carmina futura antiqua apud posteros.
DICET] Narrabit, & testabitur.
ATAVIS *Regibus*] Alludit ad carmen Horatij,

Mecœnas atauis edite regibus.

Virgilius, & Varius incognitum Horatium Mecœnati conciliarunt, quod ipse testatur.

——Optimus olim
Virgilius, Varius post hunc dixere quid essem.

INGENVÆ] Desidiæ, id est, otij literarij, contra illiberalis desidia est ignauia.

Ad Cæsarem. V.

Vetus. Aldinum exemplar.

Longior vndecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, & breue rasit opus.
A *Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti:*
Hæc lege tu Cæsar: forsan & illa leges.

DOMITIVS.

LONGIOR] Decimum, quod supra dixit, & vndecimum emendauit, quamuis iam essent emissi, multaque detraxit: rogat Cæsarem, vt vtrumque in breuitatem noua emendatione redactum legat, relinquatque legendum integrum his, quibus ipse opibus, & liberalitate otium dedit. Sed cùm doctus sit fortasse etiam detracta epigrammata leget.
LONGIOR] Qui erat valde longus.
ARCTATVS] Noua emendatione.
VACVI] Carentes negotijs.
HÆC] Redacta in breuitatem.

B

In commendationem Neruæ. VI.

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerua: licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta potestas
Iam redeunt: longi terga dedere metus.
Hoc populi, gentesque tuæ, pia Roma, precantur:
Dux tibi sit semper talis, & iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
C *Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.*
Largiri, præstare, breues extendere census,
Et dare quæ faciles vix tribuere Dei,
Nunc licet, & fas est. sed tu sub principe duro,
Temporibusq; malis, ausus es esse bonus.

Idem Græcè.

Νέρουαν πρηΰτατον βασιλήων Αὐσονὶς αὐλὴ
Δέξατ'· ἐπαυρέσθαι νῦν Ἑλικῶνος ὅλου.
D Ἠθῶν ἄπλαστα, φρόνημα προσηνές, ἀπρόσχετος ἀρχὴ
Αὖθις ἵκοντο· φόβος πᾶς φυγάδε πέπταται.
Ἔθνος ἅπαν, Ῥώμη, τεὸν εὔχεται, αἰὲν ἄνακτος
Τοιούτου σε τυχεῖν, τοῦ δὲ πολυχρονίου.
Ὄλβιος, ὃς κεκόρει τρόπον ἄξιος, ὄλβιος ἠθῶν,
Οἷα Νομᾶς ἂν ἔχειν ἤθελεν, οἷα Κάτων.
Δωρεῖσθαι, παρέχειν, πλουτίζειν ἄνδρα πένητα,
Καὶ δόμεν, οἷ' αὐτοὶ μὴ χαρίσαιντο θεοί,
Νῦν εἴη θεμιτόν· σὺ δ' ἐπὶ σκληροῦ βασιλῆος,
Ἀργαλέων τε χρόνων, ζῆσαι ἄμεμπτος ἔτλης.

DOMITIVS.

CONTIGIT] Congratulatur poëtis & virtuti, quod principem doctum & virtute præditum Roma habeat: simul assentando ait populos Romanorum socios optare, vt Roma semper habeat talem ducem, & Neruam, quia semper viuere non potest, diutissime viuere.

CONTIGIT] Diuinitus datus est.

AVLÆ *Ausoniæ*] Imperio Romano.

FRVI *Helicone*] Libere vacare musis.

CAVTA] Prudens, & sapiens, & non temeraria.

IAM *redeunt*] In secula nostra.

METVS] Hoc dicit in Domit. quem metuebant olim.

TVÆ] Quæ tibi parent.

MACTE *animi*] Laus Neruæ, quem optimum fore vaticinatur principem, cùm ei data sit potestas benefaciendi, qua olim, quamuis careret, tamen multis prodesse non dubitabat, etiam sub Nerone crudeli principe.

MACTE] Magis aucte, & felix.

QVEM] Qualem animum.

QVOS] Quales mores.

HILARIS] Cùm alioquin Stoicæ frontis esset.

CENSVS] Exercere liberalitatem: nam qui liberalitatem exercent, dicuntur extendere diuitias: quoniam, vt supra dixit,

Quas dederis solas semper habebis opes.

BREVES] Cito interituros.

QVAE *Dei*] Id est, dare potes, quæ Dei rogati vix dare possunt.

PRINCIPE *duro*] Nerone, in cuius aula versabaris.

ESSE *bonus*] Exercere liberalitatem.

De Ligia, VII.

Toto vertice quot geris capillos,
Annos si tot habet Ligia, trima est.

DOMITIVS.

TOTO] Caluam Triphilem appellauit supra, id est, trium capillorum: hanc vrbaniter Lygiæ inesse scrib. Lygia vero nomen fuit vnius ex Sirenibus: hæc alia est.

TRIMA] Trium annorum.

In commendationem Traiani. VIII.

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Traiani modò læta cùm futuros
Tot per secula computaret annos,
Et fortem, iuuenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret:
Dixit præside gloriosa tali,
Parthorum proceres, ducesque Serum,
A *Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,*
Possum ostendere Cæsarem, venite.

DOMITIVS.

TERRARVM *dea*] Traianum laudat, cui tam longam vitam fore ait, & tantum inesse roboris iuuenilis & lacertorum, vt Roma plane confidere possit, omnes populos aspectu tanti ducis perterritos, venturos sponte in deditionem.

SECVNDVM] Proximum in laude, quasi dicat, extra omnem comparationem.

COMPVTARET] Animo colligeret.

MILITEM] Robur militis.

PARTHORVM *proceres*] Hi omnes sunt populi, qui sæpius hostes erant Pop. Rom. Parthi lingua Scythica dicuntur exules, vt Trogus: nam ex Orientali Scythia migrantes venerunt in Assyriam, ibique lo- B catis domicilijs Parthi dicti sunt nobiles nece Crassi: & pugna adeo tuti, vt maximos exercitus Romanos sæpe vel eluserint, vel deleuerint. Seres, Claudio imperante, opera liberti Annij amicitiam cum pop. Rom. iniuerunt, magnitudinem humanam non excedunt, rutilis comis, cæruleis oculis, nullum cum externis commercium linguæ habentes: arbores lanigeras habent, vnde vestes Romanis mulieribus texebantur, quibus pellucebant. Ferri item & pellium præstantia abundant, supra centum annos viuere dicuntur: quemadmodum Æthiopes, Macrobij. Seres lingua illa significat siluis nobiles.

SAVROMATÆ] A Græcis dicuntur, à nostris Sarmatæ, authore Plin.

GETAE] Istrum flumen accolentes, finitimi sunt Dacis, quorum sermone vtuntur, sed notiores ipsi C fuerunt Græcis, quoniam in vtramque ripam euagabantur.

POSSVM *ostendere Cæsarem*] i habeo quem admiremini, & possitis venerari, hic iuuenis mihi satis est ad totum orbem in officio continendum.

Ad Cæsarem. IX.

Palma regit nostros, mitißime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina iugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

D

DOMITIVS.

PALMA] Traianus de Dacis, & Scythis triumphauit, author. Euseb. Iberos, præterea Sauromatas, Arabas in fidem accepit: agit gratias poëta, quod eius triumphis & victorijs, ita sedata sit Hispania, vt in quietissima viuat pace: nam palmam accipio pro victoria, quamuis suspicari liceat proprium nomen esse præfecti prouinciæ, quod placet intelligas.

PEREGRINA] Hispania.

IVGO *placido*] Imperij tui.

TVOS *mores*] Placidos: docuisti viuere moribus tuis.

De Africano. X.

Habet Africanus millies, & tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Idem Græcè.

Ὁ πλεῖστα Λὶψ κεκτημένος, διπλᾶ ἀπεύδει.
Πολλοῖς τύχη ἄγαν ὤπασεν, ἅλις οὔπω τῷ.

DOMITIVS.

HABET] Africani diuitis auaritiam carpit, qui cùm multa haberet, plura seruilibus officijs aucupabatur.

NIMIS] i. supra quàm necesse sit.

SATIS] Quantum optat: omnes plura cupiunt, quàm habeant.

Mittit librum ad Parthenium. XI.

Parthenio dic Musa tuo, nostroque salutem.
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cuius Pimplæo lyra clarior exit ab antro,
Quẽ plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si fortè, sed hoc vix est sperare, vacabit:
Tradat vt ipse duci carmina nostra, roga.
Quatuor & tantùm, timidumque, breuemque libellum
Commendet verbis: hunc tua Roma legit.

DOMITIVS.

PARTHENIO] Parthenio præfecto cubiculariorum, quem superiore carmine sæpè appellauit, commendat librum reddendum Imperatori.

TVO] Qui te colit: nam doctus erat.

QVIS *bibit plus*] i. quis est doctior.

DE *grege Pierio*] Id est, inter poëtas.

VACABIT] i. vacuus erit negocijs.

BREVEM] Pauca continentem.

HVNC *tua Roma legit*] Verba Parthenij ad Imperatorem: Deo Imperatori mando cætera, id est, reliqua in arbitrio Imperatoris relinquo, vt scilicet det aliquid, quasi dicat, cùm duo mihi optem in hoc, id est, commendationem & munus, tibi tribuo partes commendationis, munus expecto ab Imperatore.

In Postumum. XII.

Omnia promittis, cùm tota nocte bibisti:
Mâne nihil præstas: Postume mâne bibe.

DOMITIVS.

OMNIA] In Postumum ebrium, qui madidus vino omnia promittebat, sobrius nihil præstabat, optat poëta vt cùm nunquã sit liberalis, nisi cùm sit ebrius, A bibat etiam manè: nam si nocte ebrius promisit, & manè ebrius dabit.

Ad Auctum. XIII.

Genus, Aucte, lucri diuites habent iram.
Odisse quàm donare vilius constat.

DOMITIVS.

GENVS *Aucte*] Supra etiam dixit in diuites eos irasci non iure, sed quia id ipsos iuuabat, quia scilicet nihil irati dabant.

Ad Priscum. XIV.

B

Parcius vtaris moneo rapiente veredo;
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo.
Insidias & campus habet, nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent:
Inuidia fati sed leuiore cadunt.
C *Si te delectant animosa pericula; Tuscis,*
Tutior est virtus, insidiemur apris.
Quid te frena iuuant temeraria? sæpius illis
Prisce datum est equitem rumpere, quàm leporem.

DOMITIVS.

PARCIVS] Priscum venatorem fuisse supra ostendit epigramma: *Retia dum cessant.* Hunc monet ne præcipiti equo imprudentius feratur, cùm id non faciat sine capitis periculo.

PARCIVS] Lentius, & tardius.

D VEREDO] Equi veredi à velocitate rhedæ trahendæ dicti sunt, quorum aurigæ veredarij appellabantur.

SATISFECIT *prædæ*] Casu suo.

INSIDIAS] Loca parata ad mortem.

FALLERE] Vestigia equi.

LEVIORE] Quoniam querela de te esset grauior, quàm de alijs in Deos.

FRENA *temeraria*] Equi præcipitis.

EQVITEM] Sessorem.

RVMPERE *leporem*] Defatigare.

RVMPERE *equitem*] Interimere sessorem.

Adulatorium. XV.

Quidquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris.

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iupiter, & stupet superbus
Regis delicias, grauesque lusus.* *Fort. lusus.
Hæc sunt pocula, quæ decent tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Ioue nunc sumus beati:
At nuper, pudet, at pudet fateri,* * v. piget.
Omnes cum Ioue pauperes eramus.

DOMITIVS.

QVICQVID] Traianus ornamenta priuatæ mensæ Domitiani, cùm primum ad Imperium peruenit, dicauit Ioui, authore Plin. in Panegyrico ad Traianum: hoc factum laudat poëta.

PARRHASIA] Palatia.

FLAMMAS *Scythicas*] Smaragdos Scythicos, quod placet potius, quàm de auro Scythico, quod à formicis, & gryphibus eruitur: nam smaragdi Scythici præter cæteros commendabantur, & in gemmatis poculis erant.

STVPET] Cum admiratione inspicit.

LVSVS *graues*] Hoc est, speciosas lasciuias poculorum.

NVPER] Sub Domit. Iuppiter carebat ornamento, & nos pauperes eramus omnibus opibus collatis in supellectilem priuatam: nihil enim nobis dabat.

In Labienum. XVI.

Addixti, Labiene, tres agellos:
Emisti, Labiene, tres cinædos:
Pædicas, Labiene, treis agellos.

DOMITIVS.

ADDIXTI] In eundem ferme sensum est, quo in eum, qui seruum edit. Hic vendit tres agellos, & totidem emit pueros. Addicere est plus pretij pollicenti aliquid vendere, quemadmodum res sub hasta.

In Lentinum. XVII.

Quare tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & vsque gemis.
Gestatur tecum sella, pariterque lauatur:
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe, & sæpe Falerno:
Nec nisi post niueam Cæcuba potat aquã.
Circumfusa rosis, & nigra recũbit amomo,
Dormit & in pluma, purpureoque toro.
Cùm sic tam pulchrè,* tam bellè viuat apud te,* * v. fit. * v. eum tam bene.
Ad Dammam potius vis tua febris eat?

A

DOMITIVS.

QVARE *tam*] Lentini gulam accusat, qui febricitans nullo genere delitiarum abstinebat, conquerebaturque, quod febris non discederet, poëta respõdit eam rectè agere, cùm tam opulentum & delicatum dominum habeat.

SETINO] Vino, quod iudicio Augusti tenuit principatum.

NIVEAM] Expressam ex niuibus.

CIRCVMFVSA *rosis*] i. coronis rosaceis.

NIGRA] Vncta amomo.

PVRPVREO] Nam tori purpura tegebantur.

DAMMA] Lippus erat sordidus & pauper, vt poëta alibi indicauit.

SIT *tam pulchrè*] i. tam bene habeat.

B

Ad Iuuenalem. XVIII.

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Iuuenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Maior Cælius, & minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit
Auro Bilbilis, & superba ferro.
C *Hîc pigri colimus labore dulci*
Bothrodum, Plateamque: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improboque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Terdenos vigilaueram per annos.
Ignota est toga: sed datur petenti
Rupta proxima vestis è cathedra,
Surgentem focus excipit superba* * v. accipit.
Vicini strue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.
Venator sequitur: sed ille, quem tu
D *Secreta cupias habere silua.*
Dispensat pueris, rogatque longos
Leuis ponere villicus capillos.
Sic me viuere, sic iuuat perire.

DOMITIVS.

DVM *tu*] Lætus otio in quo ab vrbe discesserat post xxxiiij. annum ad Iuuen. amicum scrib. versantem in laboribus vrbanis, vitæque suæ quietem cõmemorat, in qua & ætatem degere vult & mori. Duo, vt supra dictum est, fuerunt Iuuen. quorum alter consulatu, & historia Taciti nobilis est, alter satyrarum scriptor sui temporis testem non habuit præter Mart. qui ad eum scrib.

SVPERBA]

SVPERBA] Edita, abundans auro & ferro.
FRGAT ru.] Vitæ rusticanæ addixit.
CLAMOSA] Ob clamorem vendentium res.
DIANÆ] Cuius foribus pendebat cornua boum: cùm in alijs ceruorum essent, author Plutarc.
MAIOR & minor Cælius] Ad colliculos Cælij refert, qui ita surgebant, vt ad radicem frequens esset habitatio ditiorum, nam cliuosus erat.
BOTHRODVM] Op. cum nemore.
PLATEAM] Op. finitimum.
DVLCI lib.] Animi relaxatione.
TERTIA bo.] Quæ Romæ data est causidicis.
TOTVM repono] Quantum ego vigilaueram Romæ, tantum hic dormio & resarcio quicquid Romæ amisi. Quidam nostrorum temporum scriptor accipit hoc loco repono pro scribo: heu dementiam hominis! ô verecundiam! nonne hic de somno loquitur? nonne dicit se reparare somnum dormiendo, quem in vrbe vigilando amiserat. plura in Iuuen. diximus, Iuuenal.

——Meliora, ac plura reponit
Persicus orborum lautissimus.

REPONIT] Reparat, resarcit, vt hic.
TOGA] Vestis quæ præstabat officium erga diuites.
PETENTI] Scilicet cùm surgo à cathedra. nam ibi reposita vesperi fuerat. & morem ostendit hominis rusticantis, qui dum it dormitum, vestem conijcit in cathedram solutus curis & omnes delitias aspernatus contemnens repositoria.
RVPTA] Auget paupertatem dum ait cathedram quoque ipsam ruptam fuisse. Ruptum pro lacerato supra dixit, *Quis sanet ruptos.*
Alludens ad morbum, & auaritiam suorum temporum.
VICINI iliceti] Proximi luci.
CORONAT] Circundat.
SEQVITVR] Me egredientem domo.
LEVIS] Politus, nam rustici fiebant tonsi abhorrentes à cultu vrbano, vbi intonsi erant.

De Æmilio. XIX.

In thermis sumit lactucas, oua, lacertum,
Et cœnare foris se negat Æmilius.

DOMITIVS.

IN thermis] Æmilius cùm cœnas captaret, nolebat videri id agere, & ne apud diuitem cœnaret, post thermas ibidem sumebat tantum ientaculorum, vt cœna non indigeret, iactabat ergo sæpe se non cœnare foris, quod habebatur ludibrio: poëta ostendit causam quare id faciat, quia scilicet in thermis lautum sumat prandium.

IN thermis] Nam captatores cœnarum lauabantur prius cum diuitibus in thermis, postea sequebantur cœnam paratam.

SVMIT] Gustat, ita inanem hominis iactantiam eludit.

Ad Fabullum. XX.

Quare non habeat, Fabulle, quæris
Vxorem Themison. habet sororem.

A

DOMITIVS.

QVARE] Themison discipulus fuit Æsclepiadis medici, alter hic est, qui sorore vtebatur pro vxore.

Ad Marcellam. XXI.

Municipem rigidi quis te Marcella Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarũ, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam.
Nulla nec in media certabit nata Subura, (vlla, lego.)
Nec Capitolini collis alumna tibi.
B *Nec citò ridebit peregrini gloria partus*
Romanam ducat quã magis esse nurum. (v. dicet cũ, al. deceat.)
Tu desiderium dominæ mihi mitius vrbis
Esse iubes: Romam tu mihi sola facis.

DOMITIVS.

MVNICIPEM] Marcellam Hispanam laudat, quæ & voce & moribus Romana plane videbatur.
TAM rarum] Id est, tam grauitatem cum comitate coniunxisti.
CERTABIT] Et grauitate & moribus.
SVBVRRA] Regio vrbis dicebatur, vel quod sub muro terreo carinarum esset, vel, vt Iunius scribit, sub antiqua vrbe.
C PEREGRINI partus] Sensus est. Ne filij ex te nati cito te agnoscent putantes te esse mulierem Romanam non Hispanam. risu autem filij se parentes agnoscere testatur Virg.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

PEREGRINI par.] i. natus ex te peregrina.
DVCAT] Putet Romanam, & non Hispanam.
IVBES esse] Facis vt minus desiderem Romam.
FACIS Romam] Repræsentas mihi Romam cùm te audio.

De Philænide. XXII.

Quàm sit lusca Philænis indecenter,
D *Vis dicam breuiter tibi Fabulle?*
Esset cæca decentior Philænis.

DOMITIVS.

QVAM sit lusca] Philænis lusca, & deformis erat tanta deformitate, vt si esset cæca minus videretur, nam cùm alterum habeat oculum, & cætera conueniant, habet formam mantulæ: vt supra,

Non basio te Philæni, lusca es.

In Læliam. XXIII.

Dentibus, atque comis, nec te pudet, vteris emptis.
Quid facies oculo Lælia? non emitur. († Palm. Cod. facies oculus, Lælia, &c.)

DOMITIVS.

DENTIBVS] Lelia anus, accersitis capillis & dentibus, volebat puella videri, oculi deformitatem quo carebat, non poterat emendare. in quo iocatur poëta.

Ad Iuuécum de couino curru. XXIV.

O iucunda, Couine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
v. Hadriani. *Facundi mihi munus "Heliani:*
v. iuuante. *Hìc mecum licet, hìc" Iuuence, quidquid*
In buccam tibi veneris, loquaris.
Non vector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio, mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Auitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quàm bene sic dies abiret!

DOMITIVS.

O *iucunda*] Couinus currus Britannicus erat, qui sine auriga equis pusillis trahebatur. hunc donauit Helianus Martial. eius laudat solitudinem, alloquiturque Couinum.

ESSEDO] Genus currus. Couini meminit Luc.

Et docilis rector monstrati Belga Couini.

IVVANTE] Quoniam ego ero adiutor.

VECTOR *niger*] Sessor Maurus.

CABALLI *Li.*] Equi Massilei.

SVCCINCTVS] Velox, contra discinctus piger.

MANNVLI] Equi pusilli dicuntur, quos vulgo burdos vocabant. hi sine rectore currum regebant. Horat.

Si per obliquum similis sagitta
Terruit mannos.

Id est, mannulos: mannorum meminit Pompeius.

TIMEREM *tertiam aurem*] Id est, non timerem ne ipse ad alium verba nostra deferret.

SIC] Mutui sermonis libertate.

In Thelesinum. XXV.

Cùm rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis:
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quòd mihi nō credis veteri Thelesine sodali,
v. Colliculis. *Credis" colliculis, arboribusque meis.*
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
v. Exilio. *" Exilij comitem quaeris? agellus eat.*

DOMITIVS.

CVM *rogo te*] Thelesinum fœneratorem accusat, qui pecuniam non eius fidei, sed pignoribus credat.

A HABES] Dicis habere.

CARVS] Delator tempore Domit. vt in commentarijs Iuuen. testimonio epistolæ Plin. demonstrauimus.

ADSIT] Defendat causam tuam.

EXILII] Si fueris damnatus.

AGELLVS *eat*] Veniat tecum agellus. nam huic credidisti pecuniam, non mihi.

In auarum amicum. XXVI.

Sexaginta teras, cùm limina mâne senator,
Esse tibi videor desidiosus eques,
Quòd non à prima discurram luce per vrbem,
B *Et referam lassus basia mille domum.*
Sed tu purpureus vt des noua nomina fastis,
Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum,
Quid petitur? rupta cùm pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamator verna lacernis,
C *Accedit gelidam seruus ad auriculam,*
Et, rogat vt cœnes secum Latorius, inquit:
Viginti nummis non ego malo famem?
Quòd sit cœna mihi, sibi sit prouincia merces.
Et faciamus idem, nec mereamur idem.

DOMITIVS.

SEXAGINTA] Senatorem accusat, qui plurima diuitum limina adibat vt salutaret, simul obiurgabat poëtam, quòd desidiosus esset, cùm ipse Senator obiret officia in diuites, & Martial. eques idem non faceret. respondet poëta, & causam docet, cur idem munus non subeat, quia scilicet ille ex salutationibus suis aut consulatum assequebatur, aut magistratus, poëta ex his laboribus vix cœnulam.

D DES *noua nomina*] Id est, consulatum.

MATVTINVM] Id est, inter matutinum.

VAGVS] Non constructo calceo.

AQVÆ *crassæ*] Sudoris.

GELIDAM] Refrigerato sudore.

NON *ego malo*] Non debeo magis velle.

IDEM *faciamus*] i. eosdem labores.

NEC *mereamur idem*] Scilicet pretium.

In Seniam. XXVII.

A latronibus esse te fututam,
Dicis Senia: sed negant latrones.

DOMITIVS.

A latronibus] Latrones dicuntur, qui latus custodiunt, vnde ijdem & custodes sunt, qui assistunt regi, & qui obsident itinera. Senia cum nollet videri fellatrix, prædicabat se à latronibus fuisse futuram: poëta negat eos futuisse, sed irrumasse. in quem sensum supra dixit,

Hi puto non dubie se futuisse negant.

NEGANT] Quia irrumant.

In Cinnam. XXVIII.

Poto ego " sextantes : tu potas Cinna " deunces,
Et quereris quòd nõ Cinna bibamus idem.

"Sextis duo Cyathi.
" Deunx, vndecim Cyathi.

DOMITIVS.

POTO *ego*] Cinnam conquerentem quòd Martialis aliud potaret vinum, quàm ipse, reprimit hoc disticho, non dabatur ei bonum vinum, quoniam nimium potabat. Bibere idem, est bibere idem vinum. Bibere idem, est tantumdem potare: quod Martial. intelligens, fatetur se idem non potare, intelligens tantumdem. quibus verbis notat ebrietatem Cinnæ.

DEVNCES] Vasa vndecim vnciarum ad mensuram.

De Hermogene fure. XXIX.

Hermogenes tantus mapparum Pontice fur est,
Quãtus nummorũ vix, puto, Massa fuit.
Tu licet obserues dextram, teneasque sinistram:
Inueniet, mappam qua ratione trahat.
Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
Casuras altè sic rapit Iris aquas.
Nuper cum Myrino peteretur missio læso:
Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
Cretatã prætor cùm vellet mittere mappã:
Prætori mappam surripit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile è mensa surripit Hermogenes.
Hoc quoque si deerit: medios " distringere lectos,
Mensarumque pedes non timet Hermogenes.
Quãuis non modico caleãt spectacula Sole:
Vela reducũtur, cùm venit Hermogenes.
Festinãt trepidi substringere carbasa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
A Linigeri fugiunt calui, sistrataque turba,
Inter adorantes cùm stetit Hermogenes.
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit vmquam:
A cœna semper rettulit Hermogenes.

"Vide Tura. Lib. 8. cap. 13.
" f. distin-gere.

DOMITIVS.

HERMOGENES] Tigelius Hermogenes citharœdus fuit, suauitate cãtus Iulio Cæsari primum placuit, tum Cleopatræ. hîc nomen fictum est in fure appositum. nam Hermogenes dicitur natus ex Mercurio. Autolycus autem Mercurij filius furacissimus fuit. est igitur Hermogenes alter Autolycus, sed is mappas surripiebat, in quarum furtis recensendis poëta risum mouet.

B MASSA] Bebius Massa spoliatæ prouinciæ accusatus est temporibus Domitiani, quam accusationem peregit Plin. vt ipse multis in locis epistolarum testatur. Bebij item meminit Tacitus quem Africæ prouinciæ procuratorem fuisse scrib. Massam Senetio Bithynicæ prouinciæ aduocatus oppugnauit vehementer. quod nonnulli scribunt de Massa nummulatiõ nondum comperi. cum delatorem reum vellet nominare Iuuen. inquit,

Quem Massa timet, quem munere palpat Carus.

TRAHAT] Surripiat.

HALITVS] Spiritus ceruorum, authore Lucretio & Plin. serpentes etiam è cubiculo retinentes extrahit.

IRIS] Quæ fit ex mistura nubium, & percussione

C radiorum solis, vt scribit Plinius, aquas ad se trahit. Lucretius,

Tum color in nigris existit nubibus arci. &c.

MYRINO] Gladiator erat Myrinus vt supra,

Cum peteret pars hæc Myrinum.

Is volebat missionem impetrare, amicisque parauerat conuiuium.

LÆSO] Debilitato. nam debilitati gladiatores vulneribus missionem impetrabant. Iuuen.

Sergiolus, nam reddere guttur
Cœperat, & requiem secto sperare lacerto.

CRETATAM] Candidam. nam prætores ex ludis suis mappam mittebant in eum. hoc est emittebant in eum, qui in Circo aurigaret. Tranquil. de Nerone aurigante. Aliquo, inquit, libertoriam mittente mappam, vnde magistratus solent. Expone igitur mitteret, id est, emittere vellet, aurigãti in Circo Hermo-

D genes subiens clam subripuit.

DISTRINGERE] Nudare, & spoliare.

PEDES *mensarum*] Nam ad pedes sedebant serui.

VELA] Quibus theatrum tegitur.

SVBSTRINGERE] Colligere.

CALVI *linigeri*] Sacerdotes Isiaci dicebantur, quod & rasi essent, & lineo vterentur habitu. nam tertio quoque die tondebantur, ne pilorum sordibus inter sacrificandum piaculum committerent, vt Herodotus. Lineum fuisse habitum illorum testatur Tacitus, qui vbi Tranquillus dixit de Domitiano, Mane Isiaci celatus habitu inter sacrificulos vanæ superstitionis. scrib. solertia liberti lineo amictu turbæ sacrificolarum immixtus. Ouid.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Fiebant potissimum Ægyptiorum sacerdotum vestes ex lanugine, quæ ex frutice gosipio nascebatur ad superiorem partem Ægyptij. Alij xilon dixerunt, vnde vestes xilinæ appellabantur.

SISTRATA] Isidis sacerdotes baculo, quem sistrum appellabant, vtebantur: & supra poëta dixit,

Et pileata iubis, itque, reditque cohors.

Ad Aprum. XXX.

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Seruum sic ego laudo, non amicum.

DOMITIVS.

SICCVS] Aper cùm pauper esset, parcam habebat mensam, volebatque videri id agere instituto, & moribus suis: poëta deridet, aitque sibi non videri laudandum Aprum, quòd sobrius sit, quoniam ea laus sit in seruo, hoc ait secutus sectam suam Epicuream, in qua non sobrium esse, sed indulgere genio laus erat.

NON *amicum*] Quia volo amicum, qui indulgeat genio.

De hortis Marcellæ vxoris. XXXI.

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis vmbra supini
Palmitis, hoc rigua ductile flumen aquæ:
Prataque, nec bifero cessura rosaria Pæsto:
Quódq; viret Iani mense, nec alget olus:
Quæque natat [a] *clusis anguilla domestica lymphis,*
Quæque gerit similes [b] *cãdida turris aues:*
Munera sunt domino: post septima lustra reuerso
Has Marcella domos, paruaque regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, malo meos.

[a] v. Clausis.

[b] Ouid. Aspicis, vt volitent ad candida tecta Columbæ.

Idem Græcè.

Τοῦτ' ἄλσος, κρῆναί τε, καὶ ὑμμείδων τόδ' ὕφασμα
Εὔσκιον, ἥτ' ἐλατὴ ῥύακος ὑδροχόη,
Καὶ λειμὼν, καὶ Παίστῳ ἐρίζοντες ῥοδεῶνες,
Χείματί τ' οὐ ῥιγοῦν τηλεθάον λάχανον·
Ἔγχελυς ἐν σταγόνεσσι ἰθαγενοῦσα κολύμβοις,
Ἥτ' ὄρνις λευκὴ πύργοις ἔχουσ' ὁμόχροος,
Μαρκέλλης δῶρ' ἐστί. μεθ' ἑβδομάδας λυκαβάντων
Πέντε, μοι ἐρχομένῳ μικρὰ τάδ' οἰκί' ἔδω.
Εἴ μοι Ναυσικάα πατρῴους ἐχαρίζετο κήπους,
Εἶπον ἂν Ἀλκινόῳ, τούσδε προαιρέομαι.

DOMITIVS.

HOC *nemus*] Marcella, cuius supra meminit, istiguos hortos ei donauerat, quos hoc epigrammate celebrat.

TEXTILIS *vmbra*] Dicitur quæ ex textis & insertis in vicem ramis fit.

SVPINI] Iacentis, & hærentis.

DVCTILE] Quòd aliunde deriuatur.

PÆSTVM] Oppidum Lucaniæ vbi rosæ vernant bis singulis annis, vt triferæ dicuntur in Sannio.

OLVS] De caule intelligit, cuius perpetua viriditate hyems etiam vernat, & colliculi Apitij industria pruina ad condimenta parabantur: supra,

Algentem modo, qui reliquit hortum.

NEC *alget*] Nec vllum signum frigoris præbet.

TVRRIS] Peristerium siue columbarium.

CANDIDA] Nam calce ex præcepto Columellæ tectoria obstruebantur columbaria, ne feles, & meles possent irrepere.

SIMILES *aues*] Columbas candidas.

REGNA] Agellum.

NAVSICAA] Filia fuit Alcinoi regis Phæacum: quæ naufragum Vlyssem ad regiam paternam ex littore perduxit: longum extat Homer. carmen. Horti autem & pomaria Alcinoi inclyta sunt monumentis & Græcorum & Latinorum. Bifera erant vt scrib. Homer. & Papin.

Quid bifera Alcinoi referam pomaria regis?

MALO *meos*] Potius volo, quos dedit Marcella, quàm tuos.

In Vacerram. XXXII.

O Iuliarum dedecus Kalendarum,
Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi:
Quas non retentas [c] *pensione pro bima*
Portabat vxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore [d] *cana mater ingenti.*
Furias putaui nocte ditis emersas.
Has tu priores frigore, & fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare cliuum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, & bipes mensa,
Et cum lucerna, corneoque cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphora ceruix.
Fuisse gerres, aut inutiles manas
Odor impudicus vrcei fatebatur,
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tolosatis,
Quadrima nigri nec corona [e] *pulei,*
Caluæque restes allioque, cepisque,
Nec plena turpi matris olla resina,
Summaniana qua pilantur vxores.

[c] Pensio hic merces est ædium aut cellularum conductarum. Turn. l. 30. cap. 16.

[d] v. Casta, sed cana magis ad rem facit.

[e] Puleium, extrito, g. pro Pulegium, & Cicero & Columella legunt. Pulegium enim aridũ ipso brumali die florescere solet Cic. lib. 2. de Diuinat.

A

Quid quæris ædes, villicósque derides,
Habitare gratis, ô Vacerra, cùm possis?
Hac sarcinarum pompa conuenis * *ponti.*

* Rogatores enim & mendici pontes frequentabant.

DOMITIVS.

O *Iuliarum.*] Vacerram deridet, qui Kalendis Iuliis rus migrabat, vt diues videretur, & alicuius æstimationis: nam Kalendis Iuliis, vt ex Tranquil. in Tiberij vita percipi licet, senatores migrabant rus, nec ante licebat secedere nisi auaro & ignobili. poëta recenset Vacerræ totam supellectilem eunti rus, & eius quidem inopiam deridet, qui solenni die migrabat.

PRO *bima.*] Pro pensione duorum annorum.

INGENTI.] Adulta & carente viro.

IRVS.] Mendicus fuit Ithacensis, cui nihil erat roboris præter linguam: erat autem binominis: nam olim dicebatur Arneus, postea Irus à loquacitate mendicitatis: Homer.

Arneo nomen erat quod indidit mater infanti.

Irum pueri omnes vocabant. supra.

Iro pauperior licet fuissem.

CLIVVM *Aricinum*] i. omnes pauperes, qui Aricinum locum tenent.

TRIPES.] Qui tribus pedibus sustentabatur.

MATELLA.] Vas vrinarium.

MEIEBAT.] Effluebat.

SVBERAT.] Supposita erat.

IMPVDICVS.] Fœdus.

GERRES.] Genus locustarum, vt scrib. Plin. supra.

Téque iuuant gerres.

MÆNAS.] Pisces qui colorem hyeme mutant.

CASEI *Tolosatis.*] Ex Gallia caseus Nimosensis optimus erat: afferebantur inde Tolosates mali saporis.

QVADRIMA.] Quatuor annis seruata.

CVLEI.] Manipulum seruare docet Cato in re rustica, ad rustica cibaria condienda.

CORONA.] Manipulum.

RESTES.] Appellat colligata allia.

DERIDES.] Quid videris deridere villicos tam tenui supellectile, dum eorum paupertatem ipsis, ad quos accedis, repræsentas?

PONTI.] Proseuchæ pontis, i. ista supellectile habitare inter mendicos ad pontem, non cum villicis.

GRATIS.] Sine pensione.

De Labieno. XXXIII.

Vt pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

DOMITIVS.

VT *pueros.*] Iocus est ex dictione.

FICETVM.] Dicitur locus vbi multæ arbores ficulneæ sunt. Item ficetum potest dici vbi multi sunt laborantes fico morbo: cùm Labienus hortos vendiderit, & emerit pueros laborantes fico morbo, quem assidua subagitatio creabat.

FICETVM *habet.*] i. multos ficos, cùm poëta videatur dicere nihil, nisi consitum ficis.

Ad Iulium. XXXIV.

Triginta mihi, quatuórque messes
Tecum, si memini, fuere Iuli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris,
Sed iucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc, & illuc
Diuersus, bicolórque digeratur:
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cauere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
B *Gaudebis minus, & minus dolebis.*

DOMITIVS.

TRIGINTA.] Consilium est à perito, vt si velis agere felicem vitam, nulli te facies nimium familiarem: nam neque felicitate amicorum nimium ita poteris efferri, nec calamitate nimium torqueri. Siue enim nimium gaudeas, siue doleas nimium perturbatio est vitæ quietæ.

IVCVNDA.] Pars voluptatis.

BICOLOR.] Niger, & ruber.

* CANDIDA *turba.*] Candidorum lapillorum.

CAVERE.] Declinare.

MORSVS.] Tristem mœrorem animi.

C

Ad Callistratum. XXXV.

Tamquam simpliciter mecum Callistrate viuas:
Dicere præcisum te mihi sæpe soles.
Non es tam simplex quam vis, Callistrate, credi.
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

DOMITIVS.

TAMQVAM.] Eodem argumento supra scripsit in Seniam, quæ vt fellationis crimen dissimularet, dicebat se esse fututam à latronibus: nam hic Callistratus dicebat se esse præcisum, cùm irrumationis
D crimen vellet tegere: quod poëta indicat ex coniectura: nemo enim scelus aliquod fatetur, nisi maius velit dissimulare.

TANQVAM *viuas mecum.*] Tanquam mihi soli omnia aperias.

TACET *plura.*] Vult dissimulare grauiora: & qui fellant, vt diximus, tacent.

In Labullum. XXXVI.

Libras quatuor, aut duas amico,
Algentémque togam, breuémque lænam,
Interdum aureolos manu crepanteis:

Poßint ducere qui duas Kalendas,
Quòd nemo, nisi tu Labulle donas,
Non es, crede mihi, bonus. quid ergo?
Vt verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecásque Memmiósque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus vltimus bonorum.
Vis cursu, pedibúsque gloriari?
Tigrim vince, leuemque Passerinum.
Nulla est gloria praterire asellos.

DOMITIVS.

LIBRAS.] In Labullum, qui paruis muneribus volebat videri liberalissimus, cùm omnes sui temporis auaros superaret. Poëta ait eum dignum esse B laude, facile enim est auaros liberalitate superare, quòd si contendet cum antiquis, erit illorum vltimus: cùm sibi videatur suorum temporum primus.

AVREOLI.] Numismata erant, quæ præter cætera tinnitum habebant: vt supra,

Qui crepet aureolos forsitan vnus erit.

DVCERE.] Substentare amicum duobus mensibus.

OPTIMVS.] Liberalissimus auarorum.

REDDE.] Mihi repræsenta liberalitate tua.

SED *priores.*] Antiquos non nostri temporis.

FIES *vltimus.*] Quia vltimum locum non assequetis.

TIGRIM.] Supra,

Vtrum ne currat Passerinus, aut Tigris.

Nam velocissimi erant: comparat Tigrim & Passerinum antiquis.

ASELLOS.] Nouis & recentioribus.

In nasutum. XXXVII.

Nasutus nimium cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

DOMITIVS.

NASVTVS.] Nasuti dicuntur, qui acriter iudicant: in eos scribit, qui vt scire aliquid viderentur, acriter potius quàm peritè iudicabant: ex metaphora igitur huiusmodi homines appellat polyposos. Polyposi sunt, quorum nasus polypo morbo in fœdam magnitudinem excrescit.

NASVTVS.] Nimium iudicator.

GEORGIVS.

Nasutus nimium cupis videri.

Nasutum volo, nolo polyposum.] Postea quam de naso toties disseruimus, iam possum coarguere hominem de iudicio nasi, quo non ad iudicium, sed ad dolosam irrisionem vtimur, nec est sensus quem hic putat, immo potius notat ineptum derisorem, qui absurdis dictis iocetur, quo nomine polyposus, hoc est immundi & non emuncti nasi, quam nasutus appellari potest, sed in diffinitione polypi & audax & insanus videtur plura dicere, nisi alibi de polypo abunde tractauissem: non enim nasus excrescit, in fœdam magnitudinem laborantibus polypo: sed A potius caro interiora nasi occupat intumescens maxime flante Euro.

Ad candidum. XXXVIII.

Hunc qui fœmineis noctésque diésque cathedris
Incedit tota notus in vrbe nimis.
Crine nitens, niger vnguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber.
Vxori qui sæpe tua comes improbus haret:
Non est quod timeas Candide: non futuit.

DOMITIVS.

HVNC *qui.*] Mollem designat, qui vxori Candidi amici hærebat, vt vir videretur, cùm esset cinædus.

NON *est quod timeas.*] Non debes timere.

GLABER *crure.*] Depilato crure.

IMPROBVS.] Insatiabilis.

NON *futuit.*] Quia est cinædus, vt supra.

Irrupi Lupe, non erat cinædus.

Quia scilicet ille futuebat, sed hic pædicabatur.

In Sabellum. XXXIX.

Odi te, quia bellus es Sabelle.
C *Res est putida bellus, & Sabellus,*
Bellum denique malo, quàm Sabellum.
Tabescas vtinam Sabelle, belle.

DOMITIVS.

ODI *te.*] Sabellum deridet qui bellus nolebat dici, cùm perabsurda sit appellatio voce ipsa, vt dicas Sabelle belle.

BELLVM.] Mutilato nomine à Sabello.

BELLE.] Iocus est in voce.

TABESCAS.] Fias tabidus. Alludit ad illud *Res putida:* nam res putidæ tabescunt: volo, inquit, potius bellum Sabellum. i. mallem tamen bellum præcurto nomine, quam Sabellum bellum: nam bis bellum ita inculcamus.

SABELLE *belle.*] Vocantis est, & deridentis inculcationem nominis diceretis inepte.

D

In Pontilianum. XL.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto, bibis Pontiliane, bibo.
Pedis, dißimulo: gemma vis ludere, vincor.
Res vna est sine me, quam facis, & taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi. mortuus, inquis,
Accipiam bene te. nil volo: sed morere.

A

DOMITIVS.

MENTIRIS.] In Pontilianum, qui poëtæ omne genus officij præstanti nihil dabat, sed pollicebatur se daturum post mortem: nihil ait se velle Martial. nisi vt moriatur, vt ostendat eum stultum, qui amico ex morte spem proponat, cùm ea sit causa non conciliandi amici, sed vt mortem optet.

GEMMA.] Latronibus.

DISSIMVLO.] Ostendo non audiuisse.

VINCOR.] Cedo.

QVAM *facis*.] Prædicas.

ACCIPIAM *bene te*.] Id est, bonis relictis bene tecum agam.

In Tuccam. XLI.

Non est Tucca satis, quòd es gulosus:
Et dici cupis, & cupis videri.

DOMITIVS.

NON *est*.] In Tuccam, qui & gulosus erat, & ita volebat videri: eodem argumento supra in eum, qui volebat videri pauper, & erat.

De Callistrato & Afro. XLII.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est. nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis? exspectas nũquid & vt pariat?

DOMITIVS.

BARBATVS.] Seniorum nuptias celebratas iusto ferme ritu testatur Iuuenal.

——Nubit amicus

Dixit: & Nero suo Pythagora nupsit.

Qui & Doriphorus dicebatur: nuper Callistratus Afro nupserat celebratis nuptiis: in quo poëta vrbis patientiam detestatur, quòd sileat tanquam partum expectet.

RIGIDO.] Id est, mentulato & mutoniato: erat enim draucus.

FACES.] Tædæ geniales, nam ante ferebantur faces vna cum aqua, vt ait Varro.

THALASSE.] Nuptiarum Deus, proprium erat carmen vt supra.

Quid si me iubeas Talassionem
Verbis dicere non Talassionis.

VT *pariat*?] Vt illud Iuuen.

Interea tormentum ingens nubentibus hæret:
Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos.

In Sabellum. XLIII.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium Sabelle versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris nouæ figuræ:
Quales perditus audiat fututor.
Præstent, & taceant quid exoleti,
"Quo symplegmate quinque copulentur, [Vel Quo symplegade alij symplegmate, i. complexu.]
Qua plures teneantur à cathena:
B *Exstinctam liceat quid ad lucernam.*
Tanti non erat esse te disertum.

DOMITIVS.

FACVNDOS.] Sabelli poëtæ imprudentiam carpit, qui composuerat carmen de vario concubitus genere, aitque eum non debuisse tanti facere ingenij, & eloquentiæ suæ laudem, vt hæc scriberet puellæ.

DIDYMI.] Mangonis, qui Didymus dicebatur. Nam Spasio & Hemus puellas quidem habebant molli carmine eruditas. Papin.

Diues Spasio quos agit tumultus.
Hac intrant faciles Hemi puellæ.

Sed Didymus molliores habebat: nomen tali magistro conuenit, cùm supra legerimus Didymum spadonem, & mollem, hoc magis placet, quàm vt dicas Didymi, id est, Phrygiæ à monte Didymo.

C ELEPHANTIDOS *lib*.] Scripsit varia concubitus genera Elephantis. ex eius libris Tiberius cubiculum instruxit editis picturis, quales libri designabant. & Virgilij lasciuo carmine Elephantis nobilis est, vbi Lalage tabellam vnam dicat Priapo.

ILLIC.] In libris tuis.

NOVEM.] Nouem genera concubitus.

TACEANT.] Fellationem.

QVO *symplegmate*.] Id est, quo amplexu. Symplegma est complicatio.

CATHENA.] Serie in speciem cathenæ.

TANTI] i. tanti non debeas facere te haberi disertum, vt hæc scriberes: debuisses in aliis rebus eloquentiam, & ingenium ostentare.

D

GEORGIVS.

DIDYMI *sciunt puellæ*.] Hic enarrator non solum sua temeritate Martia. inuoluit, sed & vna opera siluas Papinij contaminat, & patentes sensus sua quadam affectata disquisitione obscurat, & interim corrumpit, si quidem apud Stati. legimus,

Diues Sparsio, quos agit tumultus.

Qui calen. Decembris Do. sub noctem iussisset spargi in populum missilia omnium generum, quam rem Mar. sæpe notauit. quid? non legimus spargere stipem? idem sparsio, quid? non Suet. de eodem Do. sic ait, Inter spectacula muneris largissimum epulum septimumciali sacrorum die quidem senatui, equitique panaris plebeis sportellis cum obsonio distributis initium vescendi primus fecit, diéque proximo omnegenus missilia sparsit: quam rem & idem Sta-

significat, nam ad Domi. conuersus sic ait.

Vna vescitur omnis ordo mensa:
Parui, fœmina, plebs, eques, senatus,
Libertas reuerentiam remisit.
Et tu quin etiam (quis hoc vocare?
Quis promittere possit hoc Deorum)
Nobiscum socias dapes inisti.
Iam se, quisquis is est, inops, beatus
Conuiuam ducis esse gloriatur.

Et paulo infra.

Iam noctis propioribus sub vmbris
Diues sparsio, quos agit tumultus.

Quis obsecro, nisi mente captus, hæc clarissimorum scriptorum dicta non contulisset? sed & Sene. scrib. rhetorem quendam huiusmodi sparsiones odoratos imbres dixisse: ad quam sententiam alludere Sta. videtur his versibus.

Non tantis hyas inserena nimbis
Terras obruit aut soluta pleias,
Qualis per cuneos hyems Latinos
Plebem grandine concutit serenam.
Ducat nubila Iuppiter per orbem,
Et latis pluuias minetur agris.
Dum nostri Iouis hi ferantur imbres.

At quàm falso exponit,

Huc intrant facilis Hemi puella.

Nam cum emi sit infinitiuus ab emor emeris, contra naturam syllabæ de nomine proprio intelligit, cuius prima syllaba apud Iuue. producitur.

Cum molli Demetrius Hæmo.

Et rectè quidem: nam per diphthongum scribitur à Græcis, sed & sensus expeditior est, si verbum legerimus emi, hoc est quæ paruo precio conduci possunt. quod & Martia. tetigit, vbi dicit.

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

Et Horati. ait, se amare parabilem, facilémque Venerem, hoc est quæ paruo pretio paratur.

Ad M. Vnicum. XLIV.

Vnice cognato iunctum mihi sanguine nomẽ,
Quique geris studijs corda propinqua meis.
Carmina cùm facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cùm tenero te posset amare Catullo,
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela iuuaret:
Sed tu litus amas. hoc quoq; fratris habes.

v. Non deerant.
v. iuuabit.

DOMITIVS.

VNICE *cognato.*] Ad M. Vnicum, qui elegiacum carmen scribebat, & abstinebat heroico, ne æmulus fratri videretur, quemadmodum supra dixit de Turno in Memorem: alius codex habet Attice cognato.

COGNATO *sanguine.*] Quia erat affinis.

PROPINQVA.] Qui eadem studia amas, quæ ego.

LESBIA.] Amica Catulli.

TE *posset amare.*] Adeo eleganter scribis.

ZEPHYRI.] Fauor ingenij.

A DARE *vela.*] Scribere graue carmen, tractum à nauigantibus.

HABES *fratris.*] Et in hoc fratris officium demonstras, quoniam non vis certare cùm posses.

Ad Phœbum. XLV.

Hædina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticémque caluæ;
Festiuè tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit caput esse calciatum.

DOMITIVS.

HÆDINA.] Pellicea veste vtebantur olim, quam scorteam vocabant, vt dicetur in distichis, Phœbus nuper caput texerat indumento corij, quidam iocans dixit eum habere caput calceatum, quod vrbaniter, & vere dictum poëta laudat. B

NVDÆ *temporum.*] Nam hic carens pilis, pellem hædi apposuerat, vt ita caluam tegeret, & ostentaret pilos.

Ad Classicum. XLVI.

Vendunt carmina Gallus, & Lupercus.
Sanos Classice nunc nega poëtas.

DOMITIVS.

C VENDVNT.] Gallus & Lupercus mali poëtæ insani habebantur, tam malorum carminum emptores inueniebant: iam sanos & prudentes esse dicit, qui sciant vendere mala carmina.

In habentem varios mores. XLVII.

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem,
Nec tecum possum viuere, nec sine te.

Idem Græcè.

Δύσκολος, εὔκολος, ἐπιτερπής θ' ἅμα καὶ
D πικρός ἐσσι·
Οὐ δύναμαι σὺν σοὶ ζῆν, κ' ἀπάνευθε σέο.

DOMITIVS.

DIFFICILIS.] In Varium amicum, cuius moribus modo alienabatur, modo alliciebatur.

TECVM.] Propter acerbitatem.

SINE *te.*] Propter iucunditatem.

In lautum inuitatorem. XLVIII.

Boletos & aprum si tamquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota: volo.

Si

Si fortunatum fieri me credis, & heres
Vis scribi, propter quinq; Lucrina: vale.
Lauta tamen cœna est: fateor lautissima: sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil,
Quòd sciat infelix [a] *dănata spongia* [b] *virgæ,*
Vel quicumque canis, iunctaque testa viæ.
Mullorum, leporúmque & suminis exitus hic est,
Sulfureúsque color, carnificésque pedes.]
Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ, pontificúmque dapes.
Imputet ipse deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Conuiuas alios cœnarum quære [c] *magister,*
Quos capiant mensæ regna superba tuæ.
Me meus ad subitas inuitet amicus ofellas:
Hac mihi, quă possŭ reddere, cœna placet.

[a] vide Corn. Vitellij Annotationes in Georg. Merulam. [b] v. damnata. [b] n. virga. [c] Magistros.

DOMITIVS.

BOLETOS.] Ex stomacho scribit epigramma in captatorem, qui cœnam dabat, vt scriberetur hæres: quam cœnam, etsi lauta videtur, acerbissimam sibi esse scribit poëta, neque tangi à se, sed malle inuitari ad tenuem cœnam, quam possit reddere.

SI *tanquam vilia.*] Si lege, & non sic, vt mendosi habent codices.

TANQVAM *vilia.*] i. tanquam paruifaciens ea.

MEA *vota*] i. me capis iis cibis.

VOLO.] Gustabo.

VALE.] Non cœnabo tecum.

PROTINVS *immo nihil.*] i. cùm primum fuerimus cœnati, nihil erit. nam gulæ voluptas statim finitur. Præterea ea tota conuerteretur in emissionem ventris, quæ à cane lambetur, aut in lotium versa fundetur in testam proximam viæ: quodque grauius est, hoc vnum in cœna lautissima manet, vt sulfureo colore simus & podagrosi.

QVOD *sciat.*] Spongia & ad mensas tergendas vtebantur, & ad vasa in demissione ventris polluta, ea dicebatur spongia damnata. damnata enim instrumenta dicimus turpibus ministeriis dicata.

INFELIX *spongia.*] Dicata tam vili ministerio.

SCIAT.] Sentiat abstergendo.

DAMNATÆ *virgæ.*] Nam spongia virgæ alligabatur.

QVICVMQVE *canis.*] i. quid erit mihi cœna, quam paulo post in stercus emissam canis lambet? Verecunde se ex ea cœna nihil habiturum significat, dum vult ostendere se paruifacere.

TESTA.] Testæ viis proximæ erant in quas prætereuntes meiebant. Titius in oratione, qua legem Fanniam suasit: Dum eunt nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habent.

PEDES *carnifices.*] Podagrosi.

ALBANA.] Epulum in Albano instituerat Dom. i. non tanti facere epulum Albanum, vt vellem pati hæc.

NEC *Capitolinæ.*] Intelligit de septemviris epulonibus, qui in Capitolio epulabantur.

A DAPES *pontificum.*] Lautiores, & luxuriosæ erant: hæ dicebantur adipales, vt alij scribunt adiiciales, Festus, & Plinius authores. vide Macrobi. de cœna Metelli pontificis, quam lauta fuit.

IPSE *Deus.*] Vel Iuppiter, vel imperator.

IMPVTET.] Si laudat, & magnificat.

VAPPA.] Significat fecem vini, vt Probo placet. vt alij scribunt vilius vinum est.

PERFIDA.] Id est, venenata.

MAGISTER.] Structor cœnarum.

SVPERBA.] Felicia, & magnifica.

CAPIVNT.] Denunciant, & delectent.

SVBITAS.] Ad imparatos cibos.

GEORGIVS.

Quod sciat infelix damnata spongia virgæ,
Vel quicumque canis, iunctaque testa viæ.] Similis hic mihi videtur homini per tenebras ambulanti, & quidquid occurrerit apprehendenti, & perinde nonB numquam grauiter, ac turpiter casum facienti. nam de spongia nihil nisi commenticium hic nugator tradit. nos autem quæ apud Senecam legimus de spongia subiungemus. De morte præoccupanda ad Lucilium hæc scrib. Nuper in ludo bestiariorum vnus è Germanis, cùm ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus, nullum aliud illi dabatur sine custode secretum ibi lignum, quod ad emundanda obscœna adhærente spongia ponitur, totum in gulam farsit, & in præclusis faucibus spiritum emisit. hoc fuit morti contumeliam facere. Per hæc Senecæ verba, quæ foret spongia damnatæ virgæ iam cognoscitur. hic ergo videtur sensus Poëtæ, vt intelligat de cœna illa opipara nihil superaturum, quod sit aut custodi infelicis spongiæ dandum. Nam loca illa C vbi solent saturi ventrem exonerare, mendici sæpe obsident, necnon & canes comedunt, hoc est agentes vitam cynicam: aut testa iuncta viæ, hoc est, egeni stipem quærentes in marginibus viarum. Tertulianus in apologetico scribit, morem fuisse bestiariis suprema cœnantibus in publico discumbere. Quare per spongiam damnatæ virgæ bestiarium capiemus, cui in publico discumbenti cum bestiis objiciendus foret, nihil reliquiarum de illa cœna dari possit.

Ad Pædagogum. XLIX.

[a] *Crinitæ Line pædagoge turbæ,* [a] Turneb. li. 26. cap. 11.
Rerum quem dominum vocat suarum,
D *Et credit cui Postumilla diues*
Gemmas, aurea, vina, concubinas:
Sic te, perpetua fide probatum,
Nulli non tua præferat patrona:
Succurras misero precor furori,
Et serues aliquando negligenter
Illos qui male cor meum perurunt:
Quos & noctibus & diebus opto
In nostro cupidus sinu videre,
Formosos, niueos, pares, gemellos,
Grandes non pueros, sed vniones.

DOMITIVS.

CRINITÆ.] Linus pædagogus libertus Posthumillæ, tantæ erat apud Patronam gratiæ, vt ei committerentur gemmæ concubini totum penu. Poëta nunc geminos pôscit, cùm videatur velle petere pueros geminos, petit vniones. Acumen poëtæ ex eo est, quòd ad exitum vsque epigrammatis habet lectorem suspensum, quasi petiturus sit concubinos, cùm tandem petat vniones.

TVRBÆ *crini.*] Puerorum crinitorum.

NVLLI.] Non omnibus.

PARES.] Laus est vnionibus.

NON *pu.*] Scilicet peto vt putabas.

SED *vniones.*] Et ita risum mouet.

In habentem amœnas ædes. L.

Daphnonas, platanos, ac aërias cyparissos,
Et non vnius balnea solus habes.
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.
Puluereumque fugax hippodromon vngula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus vbique sonat.
Atria longa patent: sed nec cœnãtibus vsquã,* * v. non cœnat tibi quisquam.
Nec somno locus est. quã bene non habitas.

DOMITIVS.

DAPHNONAS.] Diuitis auaritiam deridet, qui locum amœnum parauerat arboribus, porticibus, balneis, riuulis aquarum, nusquam aperta cœnatione amicis. locum igitur pulchrum habebat ad non habitandum, cùm nec dormiret illic, nec cœnaret.

DAPHNONAS.] Loca lauro consita dicuntur Latinè laureta.

PLATAN.] Ad vmbram tantum ferebantur.

CYPARISSOS.] Cupressos. cyparissus cupressum significat. nam in delitiis erat cupressus, quæ variis animalium figuris formabatur.

NON *vnius balnea.*] Non priuata sed magnitudine prope publica.

SOLVS *habes.*] Superas alios lauretis. vel solus habes, quia hæc non communicas cum amicis, quos cœna non accipis. vt supra,

Omnia solus habes. Iuuen.
Gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet.

STAT.] Erecta est, centenis columnis sustentata.

ONYX.] Lapis onychites, qui in pauimentis & thermis erat preciosus. onyx pauimentum ex onychite lapide.

HIPPODROMOS.] Spatium est, quo equi cursus exercetur. ἵππος Græcè, Latinè significat equum, δρόμος cursum. hîc accipit locum spatiosum, quo currens equus posset euagari.

VNGVLA *fu.*] i. vngula celeris.

VBIQVE *sonat.*] Vbique resonat.

VBIQVE.] Toto domicilio.

SED *nusquam locus cœnantibus.*] Id est, nusquam est cœnatio, & nec locus vbi dormias, cùm ergo

A non habeas hæc, non habes vbi habites: erat enim inhospitalis, & amicos non accipiebat mensa.

De Fabullo. LI.

Tam sæpe nostrum decipi Fabullum, quid
Miraris Aule? semper bonus homo tiro est.

DOMITIVS.

TAM *sæpe.*] Notat versutiam hominum suorum inter quos vir bonus semper decipitur. Fabullus igitur ea de causa sæpe decipiebatur.

TIRO *est.*] Id est, semper imperitus, tanquam miles nouus inter veteranos.

B

Ad Semproniam. LII.

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hîc situs est, hîc ille tuus, Sempronia, Rufus:
Cuius & ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo,
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redisti:
Illa virum voluit nec repetita sequi.
Ridet, & Iliacos audit Menelaus amores:
Absoluit Phrygium vestra rapina Parim.
C *Accipient olim cùm te loca læta piorum,*
Non erit in Stygia notior vmbra domo.
Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas: Vide Turn li. 11. cap. 6.
Iste tibi dominam conciliauit amor.

Idem Græcè.

Στέμμασι Πιερίοις εἰωθὼς κρόταφα πυκάζειν,
Ἠ πλείσταις χρυσῇ γλῶσσα δικασπολίοις,
Κεῖνος ὁ σὸς Ῥοῦφος, Σεμπρωνία, ἐνθάδε κεῖται·
Οὗ καὶ πυρσοῦται λείψανα σῷ πόθῳ.
D Τερπνὸς ἐν Ἠλυσίῳ πεδίῳ θρυλλισμὸς ἀκούεις.
Σοῦ τε περὶ ἁρπαγμὸν Τυνδαρὶς ἐξεπλάγη.
Νόστου δ' ἐμμαθὴς σοῦ τὸν ἁρπακτῆρα λιποῦσα.
Ἡ δ' οὐχ ἕσπετο μὲν τἀνδρὶ μετερχομένῳ.
Ἰλιακοὺς γελάων αὖ Μενέλαος ἔρωτας·
Τὸν Φρύγ' ἀθῳώσαι δ' ἁρπαγὴ ὑμετέρη.
Ἀλλ' ὁπότ' εὐσεβέων σε δεδέξεται οἶκος, ἁπάσας,
Μέλλεις τὰς ψυχὰς κεῖθι ὑπερδοκιμεῖν.
Περσεφόνη πεφίληκ', οὐκ ἀλλοτρίην σφε βλέπουσα,
Ἁρπακτάς· ὅδ' ἔρως σοι φιλίωσε θεάν.

DOMITIVS.

TEMPORA.] Rufus in tumulo celebratur, cuius vxor rapta fuerat, sed ea deserto raptore, redierat ad maritum. hoc totum epigramma non tam commemorat mortem Rufi, quàm raptum Semproniæ.
REIS.] Clientibus non minus quàm poëta.
TYNDARIS.] Helena.
AD *tuos rap.*] i. dum audit te raptam rediisse ad virum.
ABSOLVIT.] Id est, liberat odio.
LOCA *læta.*] Id est, Elysij campi.
NON *aliena.*] Non alieno animo.
ISTE *amor.*] Rufi quo arsit in te Placet quòd potius fuerit rapta à Rufo, quàm quòd fuerit coniux.
DOMINAM.] Proserpinam.

In Paternum. LIII.

Nummi cùm tibi sint, opesque tantæ,
Quantas ciuis habet, Paterne, rarus:
Largiris nihil, incubasque gazæ,
Vt magnus draco, quem canunt poëtæ
†v. aidi. *Custodem Scythici fuisse* ° *luci.*
Sed caussa, vt memoras, & ipse iactas,
†v. es. *Diræ filius* ° *est rapacitatis.*
Et quid tu fatuos, rudésque quæris,
Illudas quibus, auferásque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti.

DOMITIVS.

NVMMI.] In Paternum auarum iocatur, qui nihil amicis dabat, afferens causam per iocum, quòd ipse esset filius rapacitatis. tu, inquit poëta, numquam fuisti filius vitij, sed pater peritissimus.
CIVIS *rarus.*] Id est, magni ciues.
LVCI *Scythici.*] Id est, templi Martis. nam vellus aureum lx. stadijs à regia Colchorum, vt scribit Diodo. in templo Martis custodiebatur à dracone vigili, quem Medea veneficijs in gratiam Iasonis necauit, vnumquodque templum suum habebat lucum: vnde lucum pro templo accipimus. Scythicum autem propter Martem, qui Thrax & Scytha est, & illic Scythæ sunt, vnde alibi Geticum legimus Martem.
ET *quid quær.*] Id est, cur non quæris.
ILLVDAS *quibus.*] Id est, quos fallas.

In Zoilum. LIV.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

DOMITIVS.

CRINE.] Fieri non potest, vt Aspasius scribit, vt qui omnino deformis est bonus sit, ex hoc Poëta in Zoilum scribit, quem ex oris deformitate malum esse suspicatur.

A LVMINE *læsus.*] Luscus scilicet.
REM *magnam facis.*] Nam tanta deformitate homines non solent esse boni: Mirum igitur est, si es bonus.

Ad Puellas. LV.

Gratis qui dare vos iubet ° *puellæ,* †v. puellas.
Insulsissimus, improbissimúsque est:
Gratis ne date, basiate gratis.
Hoc Ægle negat, hoc auara vendit.
Sed vendat bene, basiare quantum est.
Hoc vendit quoque nec leui rapina:
Aut libram petit illa Cosmiani,
B *Aut binos quater à noua moneta:*
Ne sint basia ° *multa, nec maligna,* †v. muta legendum putat Domit.
Nec clusis aditum neget labellis.
Humanè facit hoc tamen, sed vnum est,
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Ægle.

DOMITIVS.

GRATIS] In Æglen meretricem, quæ cùm gratis fellaret, basia postea vendebat: humane inquit Poëta facit, quòd magno precio vendit basia, ne sæpius basietur cùm sit fellatrix. Fellatricis enim osculum impurissimum est.
C HOC.] Basiare.
BENE *ven.*] Id est, magno precio.
LIBRAM *cosmiani.*] Id est, foliati vnguenti.
QVATER *binos à noua moneta.*] Id est, octo flauios.
BASIA *non muta.*] Id est, non sine lingua inserta.
FACIT *hoc humane.*] Nam si daret gratis, multi basiarent, & oris fœtore offenderentur.
LINGERE.] Id est, fellare. alibi,
Lingua non mihi.

In Polycarmum. LVI.

Ægrotas vno decies, aut sæpius anno,
Nec tibi, sed nobis hoc Polycarme nocet.
D *Nam quoties surgis,* ° *soteria poscis amicos,* †v. solebant valetudine cli pro salute recepta munera, quæ σωτήρια & σῶστρα vocabant, amicos poscere. Scripsit & Statius soteria, pro Rutilio Gallico.
Sit pudor: ægrota iam Polycarme semel.

DOMITIVS.

ÆGROTAS.] In Polycarmum, qui vt munera ab amicis exigeret sæpius simulabat se ægrotare. Nam conualescentes dona ab amicis poscebant, quæ Diis vouerant pro salute. ea dicebantur soteria. nam σώζω significat seruare, vnde soteria dona data amico seruato, & reduci. Papin. carmen quod pro Rutili Gallici salute cecinit, soteria appellauit, hoc, quod diximus, argumento.

NOCET *nobis.*] Quia mittimus soteria.

ÆGROTA *semel.*] i. morere, & absolue vitam vna ægrotatione. hoc autem dixit ambigue, cùm dicere videatur, opto vt in vnam tantum ægrotationem incidas, nec sæpius ægrotes, intelligit moriaris.

Ad Sparsum. LVII.

Cur sæpe sicci parua rura Nomenti,
Larémque villæ sordidum petam, quæris?
Nec cogitandi ° *spatium, nec quiescendi*
In vrbe locus est pauperi: negant vitam
Ludimagistri mâne, nocte pistores,
° *Ærariorum marculi die toto.*
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana numularius massa:
Illinc ° *paludis malleator Hispanæ*
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonæ,
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Iudæus,
Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet quot æra verberent manus vrbis,
Cùm secta Colcho Luna vapulat ° *rhombo.*
Tu Sparse nescis ista, nec potes scire,
Petilianus delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in vrbe est, vinitórque Romanus:
Nec in Falerno monte maior autumnus,
Intráque limen clausus essedo cursus,
Et in profundo somnus, & quies nullis
Offensa linguis, nec dies nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbæ,
Et ad cubile est ° *Roma: tædio fessis*
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

° v. pars est, legit: Sed Ianus Douza iuuenis à Musis tactus pulchrè restituendam censuit, Sparse.
° Ærarios vocat, qui in cudenda moneta sedentariam operam obeunt: marculos verò malleolos.
° balucis, Turn. li.30. cap. 26.
° v. bombo. sed illud malim.
° v. Ieroma.

DOMITIVS.

CVR.] Strepitus vrbanos & dormientibus & mendicantibus aliquid molestos fuisse Iuuenal. testatur ex Vmbricij persona: eodem argumento Mart. hoc scribit, afferens causam, quare secedat in Nomentanum suum: nam prædium illic habuisse ipse sæpe supra testatus est.

CVR *petam.*] i. accedam.

SICCI.] Aridi, & laborantis inopia aquarum.

MAGISTRI *ludi.*] Nam vicinos habebat magistros, vt alibi indicat.

ÆRARIORVM.] Ærarij dicuntur milites facientes stipendium: ærarij item qui æs cudunt, vt hic.

MARCVLI.] Malleoli.

NVMMVLARIVS.] Trapezita: Latinè

A nummularius, trapezita Græcè.

OTIOSVS.] Quia in otio est.

MENSA *Nero.*] Neronianum argentum intelligit purissimum, vt arbitror: nam, vt Tranquil. scribit in Nerone, Exegit ingenti fastidio, & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum: nam argentum pustulatum (quod alij codices habent pusulatum) erat purissimum: & pustula, siue pusula erat bractea argenti purissimi: vt supra legimus, felix pusula siue pustula, de phiala: id argentum purissimum insequentia verba Tranquilli demonstrant, qui scribit Neronem exegisse præter argentum pustulatum, aurum obrizum: quod est purissimum, sæpius excoctum in similem igni colorem. vel mensa Neroniana, quod placet, intelligit mensam Claudij fœneratoris, alludens ad vetus cognomen. Nam Claudij, Nerones dicebantur.

Mensa Neroniana.

B Id est, mensa Claudij: de qua ante est locutus. Oppignerauerit, inquit, anulum modo ad mensam Claudij.

PALVDIS *Hispanæ.*] Ramenti aurei, quod ex Tago Hispaniæ mittebatur.

MALLEATOR.] Percussor.

HISPANÆ.] Aurum ex Hispania allatum rude in vrbe conflabatur, cudebatúrque malleis, ad ramenta excutienda. in Hispania tantum in balnæis quæ appellabant chrysoplysia lauabatur.

TVRBA *en. Bel.*] Cybelis in furorem actæ, id est, chorybantes, qui non cessant à clamore, dum sacra faciunt.

TRVNCO *fas.*] i. tabella: nam naufragi solebant mendicare alligato collo tabella naufraga.

ROGARE.] Mendicare.

IVDÆVS.] Iudæi nemus Ægeriæ incolentes

C mendicabant.

LIPPVS.] Ob opus sulfureum.

INSTITOR.] Negociator.

MERCIS *sulfurata.*] Id est, lignorum sulfuratorum.

DAMNA] i. quis posset numerare quantum somnus amittit de suo.

QVOT *manus vrbis.*] Id est, mulierum Romanarum.

COLCHO.] Propter Medeam, quæ magicam exercuit.

RHOMBO.] Carmine magico. Luna de Cœlo trahi dicebatur, vt despumaret herbas paratas ad incantationem: Lucan.

——Phœbésque serena
Non aliter diris verborum obsessa venenis
Palluit. Præterea.
Donec suppositas propior despumet in herbas.

D Eo tempore, vt mulieres laboranti Lunæ succurrerent, æra verberabant: sic enim incantationem impediri posse putabant: Iuuen. de loquaci muliere.

Vna laboranti poterit succurrere Lunæ.

RHOMBVS.] Instrumentum magicum, quo deductam lunam à maga adiuuabant, vt supra ex Theocriti descriptione, & poëtarum nostrorum verbis recitauimus.

PETILIANIS *regnis.*] Vel de Petilia Lucanorum metropoli, quia illic agrum habuit. Petiliam Philoctetes à Melibœa profugus ædificauit, Samnites muniuerunt.

IN *regnis Petilianis*] i. agro Petiliano: vel de domo Petilij intelligit, quæ in summo Ianiculo erat.

NEC *maior autumnus*] i. nec est maior vindemia, nec plures fructus.

CVRSVS *effedo*] Id est, spatium currendo, id est, tu habes gestationem: nam gestatio erat locus vbi gestabantur, ob valetudinem, vel de Hippodromo, vt supra dixit.

——Pulvereamque fugax
Hippodromon vngula plandit.

SOMNVS *in profundo*] i. altus somnus est.

NEC *dies nisi admissus*] i. non tibi est lux nisi quando volueris aperire molestias vrbis, quas ne in cubiculo quidem licuit euitare.

Ad Alaudam. LVIII.

*Vide Corn. Vitellij Annotationes in Mertulã, & Turn. lib. 30. cap. 26.

"Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa
Lecticariola est: estis Alauda pares. B

DOMITIVS.

ANCILLARIOLVM] Ancillariolus dicitur, & qui ancillas sectatur, & qui ancillare officium præstat. Vxor obiurgans Alaudam maritum, quòd ancillare officium subiret, vel quòd ancillas sectaretur, appellabat eum ancillariolum: ipsa rem habebat cum lecticarijs: nam & ancillariolus & lecticariolus nomina sunt seruilia.

ALAVDA] Alludit ad nomen, cùm vtrunque sit seruile. Alauda hîc proprium nomen, alibi est auis nomen, quæ nomen dedit legioni. legionis Alaudæ meminit Sueton. & Cicer. in Anton. & ad Atticum, & Plin. C

GEORGIVS.

ANCILLARIOLVM, *&c.*] De consuetudine Romana sumptum verbum, atque iocum nimis insulsè interpretatur arrogans literator: ergo humile & seruile nomen est Ancillariolus. Audi Senec. de beneficijs hæc scribentem: Si quis nulla se amica fecit insignem, nec alienæ vxori * anulum præstat, hunc matronæ humilem & sordidæ libidinis & ancillariolum vocant. inde certissimum sponsaliorum genus est adulterium, & in consensu vidui cœlibatus nemo vxorem duxit nisi qui abduxit. Hic igitur erit sensus, Vxor tua ô Alauda, quemadmodum solent matronæ Romanæ, quòd nulla amica te insignem fecerit, nec alienæ vxori anulum præstiteris, ancillariolum & sordidæ libidinis vocat, vtpote existimans parum firmum matrimonium, quando priùs nulli certo amori te addixeris: in vxorem autem rectè poteris conuicia regerere, si eam appellaueris lecticariolam, vt quæ certum nunquam amatorem habuerit: sed ancillariolum ab ancilla deriuari puto, dum prostitutam & lenoni seruientem significat: vnde Plin. Messalina Claudij Cæ. coniux regalem existimans palmam elegit in id certamen nobilissimam è prostitutis ancillam mercenariæ stipis. D

*al. annuli.

De importunis basiatoribus. LIX.

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reuerso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus A
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo.
Hinc sutor modò pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc "defioculus, & inde lippus,
Fellatorque, recensque cunnilingus.
Iam tanti tibi non fuit redire.

*luscus, cui vnus deest oculus.

DOMITIVS.

TANTVM] Sæpe detestatus est basiatores: idem facit nunc cùm amicus reuersus à basiatoribus dissuauietur.

VICINIA] Tribules.

OSCVLO *hirco'o*] Fœtido.

DEFIOCVLVS] Cui deest oculus dicitur, ità habet codex antiquus: alij codices habent dexioculum: hoc est. qui dextrum tantum habet oculum: placet prior scriptura.

LIPPVS] Vtroque oculo stillante.

RECENS] Qui nuper fuit in opere.

NON *tanti*] Hoc est, non debeo tanti facere reditum, vt hæc velis pati.

Ad suum natalem. LX.

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnáque siderei vidimus ora Dei:
Si te rure coli, viridésque" pigebit ad aras,
Qui fueras Latia cultus in vrbe mihi:
Da veniam, seruire tuis quòd nolo Kalendis,
Et qua sum genitus, viuere luce volo.

*v. pudebit.

DOMITIVS.

MARTIS] Natalem in agro celebrat, quem in vrbe solebat colere lautius: causam affert quare non sit in vrbe hoc die, quia scil velit esse eo die liber, quod in vrbe non dabatur.

ALVMNE *Martis*] Kalendæ Martiæ.

ROSEAM] Phœbeam, & solarem.

DEI *siderei*] Id est, huius diuinæ machinæ, id est, cœlum.

VIRIDES *aras*] Ad cespites incultos & virides.

CVLTVS *meis Kalend.*] Id est, die mearum Kalendarum.

VIVERE] Relaxare animum, vt sæpe est dictum.

* De Sabello. LXI.

*v. De Alauda.

Natali pallere suo "ne calda" Sabello
" Desit, & vt liquidum potet Alauda merum,

*v. nec. *v. Sabelle. *v. Desinet.

DOMITIVS.

CONTIGIT] Congratulatur poëtis & virtuti, quod principem doctum & virtute præditum Roma habeat: simul assentando ait populos Romanorum socios optare, vt Roma semper habeat talem ducem, & Neruam, quia semper viuere non potest, diutissime viuere.

CONTIGIT] Diuinitus datus est.

AVLÆ *Ausoniæ*] Imperio Romano.

FRVI *Helicone*] Libere vacare musis.

CAVTA] Prudens, & sapiens, & non temeraria.

IAM *redeunt*] In secula nostra.

METVS] Hoc dicit in Domit. quem metuebant olim.

TVÆ] Quæ tibi parent.

MACTE *animi*] Laus Neruæ, quem optimum fore vaticinatur principem, cùm ei data sit potestas benefaciendi, qua olim, quamuis careret, tamen multis prodesse non dubitabat, etiam sub Nerone crudeli principe. B

MACTE] Magis aucte, & felix.

QVEM] Qualem animum.

QVOS] Quales mores.

HILARIS] Cùm alioquin Stoicæ frontis esset.

CENSVS] Exercere liberalitatem: nam qui liberalitatem exercent, dicuntur extendere diuitias: quoniam, vt supra dixit,

Quas dederis solas semper habebis opes.

BREVES] Cito interituros.

QVAE *Dei*] Id est, dare potes, quæ Dei rogati vix dare possunt.

PRINCIPE *duro*] Nerone, in cuius aula versabaris. C

ESSE *bonus*] Exercere liberalitatem.

De Ligia, VII.

Toto vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Ligia, trima est.

DOMITIVS.

TOTO] Caluam Triphilem appellauit supra, id est, trium capillorum: hanc vrbaniter Lygiæ inesse scrib. Lygia vero nomen fuit vnius ex Sirenibus: hæc alia est. D

TRIMA] Trium annorum.

In commendationem Traiani. VIII.

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Traiani modò læta cùm futuros
Tot per secula computaret annos,
Et fortem, iuuenemque, Martiumque
In tanto duce militem videret:
Dixit præside gloriosa tali,
Parthorum proceres, ducesque Serum,
A *Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,*
Possum ostendere Cæsarem, venite.

DOMITIVS.

TERRARVM *dea*] Traianum laudat, cui tam longam vitam fore ait, & tantum inesse roboris iuuenilis & lacertorum, vt Roma plane confidere possit, omnes populos aspectu tanti ducis perterritos, venturos sponte in deditionem.

SECVNDVM] Proximum in laude, quasi dicat, extra omnem comparationem.

COMPVTARET] Animo colligeret.

MILITEM] Robur militis.

PARTHORVM *proceres*] Hi omnes sunt populi, qui sæpius hostes erant Pop. Rom. Parthi lingua Scythica dicuntur exules, vt Trogus: nam ex Orientali Scythia migrantes venerunt in Assyriam, ibique locatis domicilijs Parthi dicti sunt nobiles nece Crassi: & pugna adeo tuti, vt maximos exercitus Romanos sæpe vel eluserint, vel deleuerint. Seres, Claudio imperante, opera liberti Annij amicitiam cum pop. Rom. iniuerunt, magnitudinem humanam non excedunt, rutilis comis, cæruleis oculis, nullum cum externis commercium linguæ habentes: arbores lanigeras habent, vnde vestes Romanis mulieribus texebantur, quibus pellucebant. Ferri item & pellium præstantia abundant, supra centum annos viuere dicuntur: quemadmodum Æthiopes, Macrobij. Seres lingua illa significat siluis nobiles.

SAVROMATÆ] A Græcis dicuntur, à nostris Sarmatæ, authore Plin.

GETAE] Istrum flumen accolentes, finitimi sunt Dacis, quorum sermone vtuntur, sed notiores ipsi fuerunt Græcis, quoniam in vtramque ripam euagabantur.

POSSVM *ostendere Cæsarem*] i. habeo quem admiremini, & possitis venerari, hic iuuenis mihi satis est ad totum orbem in officio continendum.

Ad Cæsarem. IX.

Palma regit nostros, mitißime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina iugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

DOMITIVS.

PALMA] Traianus de Dacis, & Scythis triumphauit, author. Euseb. Iberos, præterea Sauromatas, Arabas in fidem accepit: agit gratias poëta, quod eius triumphis & victorijs, ita sedata sit Hispania, vt in quietissima viuat pace: nam palmam accipio pro victoria, quamuis suspicari liceat proprium nomen esse præfecti prouinciæ, quod placet intelligas.

PEREGRINA] Hispania.

IVGO *placido*] Imperij tui.

TVOS *mores*] Placidos: docuisti viuere moribus tuis.

De Africano. X.

Habet Africanus millies, & tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Idem Græcè.

Ὀπλοῦτα Λὶψ χιλιοταλάντος, ἀλλὰ σπεύδει.
Πολλοῖς τύχη ἄγαν ὤπασεν, ἅλις οὔπω τῳ.

DOMITIVS.

HABET] Africani diuitis auaritiam carpit, qui cùm multa haberet, plura seruilibus officijs aucupabatur.

NIMIS] i. supra quàm necesse sit.

SATIS] Quantum optat: omnes plura cupiunt, quàm habeant.

Mittit librum ad Parthenium. XI.

Parthenio dic Musa tuo, nostroque salutem.
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cuius Pimplæo lyra clarior exit ab antro,
Quē plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si fortè, sed hoc vix est sperare, vacabit:
Tradat vt ipse duci carmina nostra, roga.
C *Quatuor & tantùm, timidumque, breuemque libellum*
Commendet verbis: hunc tua Roma legit.

DOMITIVS.

PARTHENIO] Parthenio præfecto cubiculariorum, quem superiore carmine sæpè appellauit, commendat librum reddendum Imperatori.

TVO] Qui te colit: nam doctus erat.

QVIS *bibit plus*] i. quis est doctior.

DE *grege Pierio*] Id est, inter poëtas.

VACABIT] i. vacuus erit negocijs.

BREVEM] Pauca continentem.

HVNC *tua Roma legit*] Verba Parthenij ad Imperatorem: Deo Imperatori mando cætera, id est, reliqua in arbitrio Imperatoris relinquo, vt scilicet det aliquid, quasi dicat, cùm duo mihi optem in hoc, id est, commendationem & munus, tibi tribuo partes commendationis, munus expecto ab Imperatore.

In Postumum. XII.

Omnia promittis, cùm tota nocte bibisti:
Mâne nihil præstas: Postume mâne bibe.

DOMITIVS.

OMNIA] In Postumum ebrium, qui madidus vino omnia promittebát, sobrius nihil præstabat, optat poëta vt cùm nunquã sit liberalis, nisi cùm sit ebrius,

A bibat etiam manè: nam si nocte ebrius promisit, & manè ebrius dabit.

Ad Auctum. XIII.

Genus, Aucte, lucri diuites habent iram.
Odisse quàm donare vilius constat.

DOMITIVS.

GENVS *Aucte*] Supra etiam dixit in diuites eos irasci non iure, sed quia id ipsos iuuabat, quia scilicet nihil irati dabant.

Ad Priscum. XIV.

B

Parcius vtaris moneo rapiente veredo;
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo.
Insidias & campus habet, nec fossa, nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent:
Inuidia fati sed leuiore cadunt.
Si te delectant animosa pericula; Tuscis,
Tutior est virtus, insidiemur apris.
Quid te frena iuuant temeraria? sæpius illis
Prisce datum est equitem rumpere, quàm leporem.

DOMITIVS.

PARCIVS] Priscum venatorem fuisse supra ostendit epigramma: *Retia dum cessant.* Hunc monet ne præcipiti equo imprudentius feratur, cùm id non faciat sine capitis periculo.

PARCIVS] Lentius, & tardius.

D VEREDO] Equi veredi à velocitate rhedæ trahendæ dicti sunt, quorum aurigæ veredarij appellabantur.

SATISFECIT *prædæ*] Casu suo.

INSIDIAS] Loca parata ad mortem.

FALLERE] Vestigia equi.

LEVIORE] Quoniam querela de te esset grauior, quàm de alijs in Deos.

FRENA *temeraria*] Equi præcipitis.

EQVITEM] Sessorem.

RVMPERE *leporem*] Defatigare.

RVMPERE *equitem*] Interimere sessorem.

Adulatorium. XV.

Quidquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris.

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iupiter, & stupet superbus
Regis delicias, grauesque" lusus. fort. lutus.
Hæc sunt pocula, quæ decent tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Ioue nunc sumus beati:
At nuper, pudet, at" pudet fateri, v. piget.
Omnes cum Ioue pauperes eramus.

DOMITIVS.

QVIDQVID] Traianus: ornamenta priuatæ mensæ Domitiani, cùm primum ad Imperium peruenit, dicauit Ioui, authore Plin. in Panegyrico ad Traianum: hoc factum laudat poëta.

PARRHASIA] Palatia.

FLAMMAS *Scythicas*] Smaragdos Scythicos, quod placet potius, quàm de auro Scythico, quod à formicis, & gryphibus eruitur: nam smaragdi Scythici præter cæteros commendabantur, & in gemmatis poculis erant.

STVPET] Cum admiratione inspicit.

LVSVS *graues*] Hoc est, speciosas lasciuias poculorum.

NVPER] Sub Domit. Iuppiter carebat ornamento, & nos pauperes eramus omnibus opibus collatis in supellectilem priuatam: nihil enim nobis dabat.

In Labienum. XVI.

Addixti, Labiene, tres agellos:
Emisti, Labiene, tres cinædos:
Pædicas, Labiene, treis agellos.

DOMITIVS.

ADDIXTI] In eundem ferme sensum est, quo in eum, qui seruum edit. Hic vendit tres agellos, & totidem emit pueros. Addicere est plus pretij pollicenti aliquid vendere, quemadmodum res sub hasta.

In Lentinum. XVII.

Quare tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & vsque gemis.
Gestatur tecum sella, pariterque lauatur:
Cænat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe, & sæpe Falerno:
Nec nisi post niueam Cæcuba potat aquã.
Circumfusa rosis, & nigra recũbit amomo,
Dormit & in pluma, purpureoque toro.
Cùm" sic tam pulchrè," tam bellè viuat apud te, v. sic. v. cùm tam bene.
Ad Dammam potius vis tua febris eat?

A

DOMITIVS.

QVARE *tam*] Lentini gulam accusat, qui febricitans nullo genere delitiarum abstinebat, conquerebaturque, quod febris non discederet, poëta respõdit eam rectè agere, cùm tam opulentum & delicatum dominum habeat.

SETINO] Vino, quod iudicio Augusti tenuit principatum.

NIVEAM] Expressam ex niuibus.

CIRCVMFVSA *rosis*] i. coronis rosaceis.

NIGRA] Vncta amomo.

PVRPVREO] Nam tori purpura tegebantur.

DAMMA] Lippus erat sordidus & pauper, vt poëta alibi indicauit.

SIT *tam pulchrè*] i. tam bene habeat.

B

Ad Iuuenalem. XVIII.

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Iuuenalis in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Maior Cælius, & minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit
Auro Bilbilis, & superba ferro.
C *Hîc pigri colimus labore dulci*
Bothrodum, Plateamque: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improboque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Terdenos vigilaueram per annos.
Ignota est toga: sed datur petenti
Rupta proxima vestis è cathedra,
Surgentem focus" excipit superba v. accipit.
Vicini strue cultus iliceti,
Multa villica quem coronat olla.
Venator sequitur: sed ille, quem tu
D *Secreta cupias habere silua.*
Dispensat pueris, rogatque longos
Leuis ponere villicus capillos.
Sic me viuere, sic iuuat perire.

DOMITIVS.

DVM *tu*] Lætus otio in quo ab vrbe discesserat post xxxiiij. annum ad Iuuen. amicum scrib. versantem in laboribus vrbanis, vitæque suæ quietem cõmemorat, in qua & ætatem degere vult & mori. Duo, vt supra dictum est, fuerunt Iuuen. quorum alter consulatu, & historia Taciti nobilis est, alter satyrarum scriptor sui temporis testem non habuit præter Mart. qui ad eum scrib.

SVPERBA]

SVPERBA] Edita, abundans adro & ferro.

FECAT rm.] Vitæ rusticanæ addixit.

CLAMOSA] Ob clamorem vendentium res.

DIANÆ] Cuius foribus pendebat cornua boum, cùm in alijs ceruorum essent, author Plutarc.

MAIOR & minor Celius] Ad colliculos Cælij refert, qui ita surgebant, vt ad radicem frequens esset habitatio ditiorum, nam cliuosus erat.

BOTHRODVM] Op. cum nemore.

PLATEAM] Op. finitimum.

DVLCI la.] Animi relaxatione.

TERTIA ho.] Quæ Romæ data est causidicis.

TOTVM repono] Quantum ego vigilaueram Romæ, tantum hîc dormio & resarcio quicquid Romæ amisi. Quidam nostrorum temporum scriptor accipit hoc loco repono pro scribo: heu dementiam hominis! ô verecundiam! nonne hîc de somno loquitur? nonne dicit se reparare somnum dormiendo, quem in vrbe vigilando amiserat. plura in Iuuen. diximus, Iuuenal.

Melior a; at plura reponit

Persicus orborum lautissimus.

REPONIT] Reparat, resarcit, vt hîc.

TOGA] Vestis quæ præstabat officium erga diuites.

PETENTI] Scilicet cùm surgo à cathedra. nam ibi reposita vesperi fuerat. & morem ostendit hominis rusticantis, qui dum it dormitum, vestem conijcit in cathedram solutus curis & omnes delitias aspernatus contemnens repositoria.

RVPTA] Auget paupertatem dum ait cathedram quoque ipsam ruptam fuisse. Ruptum pro lacerato supra dixit, *Quis sanet ruptos.*

Alludens ad morbum, & auaritiam suorum temporum.

VICINI iliceti] Proximi luci.

CORONAT] Circundat.

SEQVITVR] Me egredientem domo.

LEVIS] Politus, nam rustici fiebant tonsi abhorrentes à cultu vrbano; vbi intonsi erant.

De Æmilio. XIX.

In thermis sumit lactucas, oua, lacertum,
Et cœnare foris se negat Æmilius.

DOMITIVS.

IN thermis] Æmilius cùm cœnas captaret, nolebat videri id agere, & ne apud diuitem cœnaret, post thermas ibidem sumebat tantum ientaculorum, vt cœna non indigeret, iactabat ergo sæpe se non cœnare foris, quod habebatur ludibrio: poëta ostendit causam quare id faciat, quia scilicet in thermis lautum sumat prandium.

IN thermis] Nam captatores cœnarum lauabantur prius cum diuitibus in thermis, postea sequebantur cœnam paratam.

SVMIT] Gustat, ita inanem hominis iactantiam eludit.

Ad Fabullum. XX.

Quare non habeat, Fabulle, quaeris
Vxorem Themison. habet sororem.

A

DOMITIVS.

QVARE] Themison discipulus fuit Æsclepiadis medici, alter hîc est, qui sorore vtebatur pro vxore.

Ad Marcellam. XXI.

Municipem rigidi quis te Marcella Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarũ, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam.
[a] Nulla nec in media certabit nata Subura, villa, lego.
Nec Capitolini collis alumna tibi.
B *Nec citò ridebit peregrini gloria partus*
Romanam [b] ducat quã magis esse nurum, [b] dicet cũ al. deceat.
Tu desiderium dominæ mihi mitius vrbis
Esse iubes: Romam tu mihi sola facis.

DOMITIVS.

MVNICIPEM] Marcellam Hispanam laudat, quæ & voce & moribus Romana plane videbatur.

TAM rarum] Id est, tam grauitatem cum comitate coniunxisti.

CERTABIT] Et grauitate & moribus.

SVBVRRA] Regio vrbis dicebatur, vel quod sub muro terreo carinarum esset, vel, vt Iunius scribit, sub antiqua vrbe.

C PEREGRINI partus] Sensus est. Ne filij ex te nati cito te agnoscent putantes te esse mulierem Romanam non Hispanam. risu autem filij se parentes agnoscere testatur Virg.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

PEREGRINI par.] i. natus ex te peregrina.

DVCAT] Putet Romanam, & non Hispanam.

IVBES esse] Facis vt minus desiderem Romam.

FACIS Romam] Repræsentas mihi Romam cùm te audio.

De Philænide. XXII.

Quàm sit lusca Philænis indecenter,
D *Vis dicam breuiter tibi Fabulle?*
Esset cæca decentior Philænis.

DOMITIVS.

QVAM sit lusca] Philænis lusca, & deformis erat tanta deformitate, vt si esset cæca minus videretur, nam cùm alterum habeat oculum, & cætera conueniant, habet formam mentulæ: vt supra,

Non basio te Philæni, lusca es.

In Læliam. XXIII.

Dentibus, atque comis, nec te pudet, vteris emptis.
Quid [c] facies oculo Lælia? non emitur. [c] Pulm. Cod. facies oculus, Lælia, &c.

DOMITIVS.

DENTIBVS] Lelia anus, accersitis capillis & dentibus, volebat puella videri, oculi deformitatem quo carebat, non poterat emendare. in quo iocatur poëta.

Ad Iuuẽcum de couino curru. XXIV.

O iucunda, Couine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus ["] *Heliani:* ["v. Hadriani.]
Hic mecum licet, hic ["] *Iuuence, quidquid* ["Iuuante.]
In buccam tibi veneris, loquaris.
Non vector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio, mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Auitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quàm bene sic dies abiret!

DOMITIVS.

O *iucunda*] Couinus currus Britannicus erat, qui sine auriga equis pusillis trahebatur. hunc donauit Helianus Martial. eius laudat solitudinem, alloquiturque Couinum.

ESSEDO] Genus currus. Couini meminit Luc.

Et docilis rector monstrati Belga Couini.

IVVANTE] Quoniam ego ero adiutor.

VECTOR *niger*] Sessor Maurus.

CABALLI *Li.*] Equi Massilei.

SVCCINCTVS] Velox, contra discinctus piger.

MANNVLI] Equi pusilli dicuntur, quos vulgo burdos vocabant. hi sine rectore currum regebant. Horat.

Si per obliquum similis sagitta
Terruit mannos.

Id est, mannulos: mannorum meminit Pompeius.

TIMEREM *tertiam aurem*] Id est, non timerem ne ipse ad alium verba nostra deferret.

SIC] Mutui sermonis libertate.

In Thelesinum. XXV.

Cùm rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis:
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quòd mihi nõ credis veteri Thelesine sodali,
Credis ["] *colliculis, arboribusque meis.* ["v. Cauliculis.]
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
["v. Exsilio.] ["] *Exilij comitem quæris? agellus eat.*

DOMITIVS.

CVM *rogo te*] Thelesinum fœneratorem accusat, qui pecuniam non eius fidei, sed pignoribus credat.

A HABES] Dicis habere.

CARVS] Delator tempore Domit. vt in commentarijs Iuuen. testimonio epistolæ Plin. demonstrauimus.

ADSIT] Defendat causam tuam.

EXILII] Si fueris damnatus.

AGELLVS *eat*] Veniat tecum agellus. nam huic credidisti pecuniam, non mihi.

In auarum amicum. XXVI.

Sexaginta teras, cùm limina mane senator,
Esse tibi videor desidiosus eques,
Quòd non à prima discurram luce per vrbem, B
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureus vt des noua nomina fastis,
Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum,
Quid petitur? rupta cùm pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamator verna lacernis,
Accedit gelidam seruus ad auriculam, C
Et, rogat vt cœnes secum Latorius, inquit:
Viginti nummis non ego malo famem?
Quòd sit cœna mihi, tibi sit prouincia merces,
Et faciamus idem, nec mereamur idem.

DOMITIVS.

SEXAGINTA] Senatorem accusat, qui plurima diuitum limina adibat vt salutaret, simul obiurgabat poëtam, quòd desidiosus esset, cùm ipse Senator obiret officia in diuites, & Martial. eques idem non faceret. respondet poëta, & causam docet, cur idem munus non subeat, quia scilicet ille ex salutationibus suis aut consulatum assequebatur, aut magistratus, poëta ex his laboribus vix cœnulam.

D DES *noua nomina*] Id est, consulatum.

MATVTINVM] Id est, inter matutinum.

VAGVS] Non constructo calceo.

AQVÆ *crassæ*] Sudoris.

GELIDAM] Refrigerato sudore.

NON *ego malo*] Non debeo magis velle.

IDEM *faciamus*] i. eosdem labores.

NEC *mereamur idem*] Scilicet pretium.

In Seniam. XXVII.

A latronibus esse te fututam,
Dicis Senia: sed negant latrones.

DOMITIVS.

A *latronibus*] Latrones dicuntur, qui latus custodiunt, vnde ijdem & custodes sunt, qui assistunt regi, & qui obsident itinera. Senia cum nollet videri fellatrix, prædicabat se à latronibus fuisse fututam: poëta negat eos futuisse, sed irrumasse. in quem sensum supra dixit,

Hi puto non dubie se futuisse negant.

NEGANT] Quia irrumant.

In Cinnam. XXVIII.

Sextās duo Cyathi. *Poto ego* " *sextantes : tu potas Cinna* " *deunces,*

Deunx, vndecim Cyathi. *Et quereris quòd nō Cinna bibamus idem.*

DOMITIVS.

POTO *ego*] Cinnam conquerentem quòd Martialis aliud potaret vinum, quàm ipse, reprimit hoc disticho, non dabatur ei bonum vinum, quoniam nimium potabat. Bibere idem, est bibere idem vinum. Bibere idem, est tantumdem potare: quod Martial. intelligens, fatetur se idem non potare, intelligens tantumdem. quibus verbis notat ebrietatem Cinnæ.

DEVNCES] Vasa vndecim vnciarum ad mensuram.

De Hermogene fure. XXIX.

Hermogenes tantus mapparum Pontice fur est,
Quātus nummorū vix, puto, Massa fuit.
Tu licet obserues dextram, teneasque sinistram:
Inueniet, mappam qua ratione trahat.
Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
Casuras altè sic rapit Iris aquas.
Nuper cum Myrino peteretur missio læso:
Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
Vide Tura. Lib. cap. 33. " *Cretatā prætor cùm vellet mittere mappā:*
Prætori mappam surripit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile è mensa surripit Hermogenes.
f. distin-gere. *Hoc quoque si deerit: medios* " *distringere lectos,*
Mensarumque pedes non timet Hermogenes.
Quāuis non modico caleāt spectacula Sole:
Vela reducūtur, cùm venit Hermogenes.
Festināt trepidi substringere carbasa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
A *Linigeri fugiunt calui, sistrataque turba,*
Inter adorantes cùm stetit Hermogenes.
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit vnquam:
A cœna semper rettulit Hermogenes.

DOMITIVS.

HERMOGENES] Tigelius Hermogenes citharœdus fuit, suauitate cātus Iulio Cæsari primum placuit, tum Cleopatræ. hîc nomen fictum est in fure appositum. nam Hermogenes dicitur natus ex Mercurio. Autolycus autem Mercurij filius furacissimus fuit. est igitur Hermogenes alter Autolycus, sed is mappas surripiebat, in quarum furtis recensendis poëta risum mouet.

B MASSA] Bebius Massa spoliatæ prouinciæ accusatus est temporibus Domitiani, quam accusationem peregit Plin. vt ipse multis in locis epistolarum testatur. Bebij item meminit Tacitus quem Africæ prouinciæ procuratorem fuisse scrib. Massam Senetio Bithynicæ prouinciæ aduocatus oppugnauit vehementer. quod nonnulli scribunt de Massa nummulario nondum comperi. cum delatorem reum vellet nominare Iuuen. inquit,

Quem Massa timet, quem munere palpat Carus.

TRAHAT] Surripiat.

HALITVS] Spiritus ceruorum, authore Lucretio & Plin. serpentes etiam è cubiculo retinentes extrahit.

IRIS] Quæ fit ex mistura nubium, & percussione radiorum solis, vt scribit Plinius, aquas ad se trahit. C Lucretius,

Tum color in nigris existit nubibus arci. &c.

MYRINO] Gladiator erat Myrinus vt supra,

Cum peteret pars hæc Myrinum.

Is volebat missionem impetrare, amicisque parauerat conuiuium.

LÆSO] Debilitato. nam debilitati gladiatores vulneribus missionem impetrabant. Iuuen.

Sergiolus, nam reddere guttur
Cœperat, & requiem sectò sperare lacerto.

CRETATAM] Candidam. nam prætores ex ludis suis mappam mittebant in eum, hoc est emittebant in eum, qui in Circo aurigaret. Tranquil. de Nerone aurigante. Aliquo, inquit, libertoriam mittente mappam, vnde magistratus solent. Expone igitur mitteret, id est, emittere vellet, aurigantì in Circo Hermo- D genes subiens clam subripuit.

DISTRINGERE] Nudare, & spoliare.

PEDES *mensarum*] Nam ad pedes sedebant serui.

VELA] Quibus theatrum tegitur.

SVBSTRINGERE] Colligere.

CALVI *linigeri*] Sacerdotes Isiaci dicebantur, quod & calui essent, & lineo vterentur habitu. nam tertio quoque die tondebantur, ne pilorum sordibus inter sacrificandum piaculum committerent, vt Herodotus. Lineum fuisse habitum illorum testatur Tacitus, qui vbi Tranquillus dixit de Domitiano, Mane Isiaci celatus habitu inter sacrificulos vanæ superstitionis. scrib. solertia liberti lineo amictu turbæ sacrificolarum immixtus. Ouid.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Fiebant potissimum Ægyptiorum sacerdotum vestes ex lanugine, quæ ex frutice gosipio nascebatur ad superiorem partem Ægyptij. Alij xilon dixerunt, vnde vestes xilinæ appellabantur.

SISTRATA] Isidis sacerdotes baculo, quem sistrum appellabant, vtebantur: & supra poëta dixit,

Et pileata subit, itque, reditque cohors.

Ad Aprum. XXX.

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Seruum sic ego laudo, non amicum.

DOMITIVS.

SICCVS] Aper cùm pauper esset, parcam habebat mensam, volebatque videri id agere instituto, & moribus suis: poëta deridet, aitque sibi non videri laudandum Aprum, quòd sobrius sit, quoniam ea laus sit in seruo, hoc ait secutus sectam suam Epicuream, in qua non sobrium esse, sed indulgere genio laus erat.

NON *amicum*] Quia volo amicum, qui indulgeat genio.

De hortis Marcellæ vxoris. XXXI.

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis vmbra supini
Palmitis, hoc rigua ductile flumen aqua:
Prataque, nec bifero cessura rosaria Pæsto:
Quódq; viret Iani mense, nec alget olus:
Quaque natat * *clusis anguilla domestica lymphis,* (* v. Clausis.)
Quaque gerit similes * *cãdida turris aues:* (* Ouid. Aspicis, vt volitent ad candida tecta Columbæ.)
Munera sunt domino: post septima lustra reuerso
Has Marcella domos, paruaque regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, malo meos.

Idem Græcè.

Τοῦτ' ἄλσος, κρῆναί τε, καὶ ἡμερίδων τόδ' ὕφασμα
Εὔσκιον, ἥτ' ἐλατὴ ῥύακος ὑδροχόη,
Καὶ λειμὼν, καὶ Παιστοῦ ἐρίζοντες ῥοδεῶνες,
Χείματί τ' οὐ ῥιγοῦν τηλεθάον λάχανον
Ἔγχελυς ἐν στεγανοῖσι ὑδαινομένουσα κολύμβοις,
Ἡ τ' ὄρνις λευκὰ πύργοις ἔχουσ' ὁμόχροους,
Μαρκέλλης δῶρ' ἐστί. μεθ' ἑβδομάδας λυκαβάντων
Πέντε, μοι ἐρχομένῳ μικρὰ τάδ' οἰκί' ἔδω.
Εἴ μοι Ναυσικάα πατρίους ἐχαρίζετο κήπους,
Εἶπον ἂν Ἀλκινόῳ, τούσδε προαιρέομαι.

DOMITIVS.

HOC *nemus*] Marcella, cuius supra meminit, irriguos hortos ei donauerat, quos hoc epigrammate celebrat.

TEXTILIS *vmbra*] Dicitur quæ ex textis & insertis in vicem ramis fit.

SVPINI] Iacentis, & hærentis.

DVCTILE] Quòd aliunde deriuatur.

PÆSTVM] Oppidum Lucaniæ vbi rosæ vernant bis singulis annis, vt triferæ dicuntur in Sannio.

OLVS] De caule intelligit, cuius perpetua viriditate hyems etiam vernat, & colliculi Apitij industria pruina ad condimenta parabantur: supra,

Algentem modo, qui reliquit hortum.

NEC *alget*] Nec vllum signum frigoris præbet.

TVRRIS] Peristerium siue columbarium.

CANDIDA] Nam calce ex præcepto Columellæ tectoria obstruebantur columbaria, ne feles, & meles possent irrepere.

SIMILES *aues*] Columbas candidas.

REGNA] Agellum.

NAVSICAA] Filia fuit Alcinoi regis Phæacum: quæ naufragum Vlyssem ad regiam paternam ex littore perduxit: longum extat Homer. carmen. Horti autem & pomaria Alcinoi inclyta sunt monumentis & Græcorum & Latinorum. Bifera erant vt scrib. Homer. & Papin.

Quid bifera Alcinoi referam pomaria regis?

MALO *meos*] Potius volo, quos dedit Marcella, quàm tuos.

In Vacerram. XXXII.

O Iuliarum dedecus Kalendarum,
Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi:
Quas non retentas * *pensione pro bima* (* Pensio hic merces est ædium aut cellularum conductarum. Turn. l. 30. cap. 16.)
Portabat vxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore * *cana mater ingenti.* (* v. Casta, sed cana magis ad rem facit.)
Furias putaui nocte ditis emersas.
Has tu priores frigore, & fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare cliuum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, & bipes mensa,
Et cum lucerna, corneoque cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphoræ ceruix.
Fuisse gerres, aut inutiles manas
Odor impudicus vrcei fatebatur,
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tolosatis,
Quadrima nigri nec corona * *pulei,* (* Puleium, extrito, g. pro Pulegium, & Cicero & Columella legunt. Pulegium enim aridũ ipso brumali die florescere solet Cic. lib. 2. de Diuinat.)
Caluæque restes allioque, cepisque,
Nec plena turpi matris olla resina,
Summaniana qua pilantur vxores.

Quid quæris ædes, villicósque derides, A
Habitare gratis, ô Vacerra, cùm possis?
Hæc sarcinarum pompa conuenit * *ponti.*

* Rogatores enim & mē dici pontes frequentāt.

DOMITIVS.

O *Iuliarum.*] Vacerram deridet, qui Kalendis Iuliis rus migrabat, vt diues videretur, & alicuius æstimationis: nam Kalendis Iuliis, vt ex Tranquil. in Tiberij vita percipi licet, senatores migrabant rus, nec ante licebat secedere nisi auaro & ignobili. poëta recenset Vacerræ totam supellectilem eunti rus, & eius quidem inopiam deridet, qui solenni die migrabat.

PRO *bimu.*] Pro pensione duorum annorum.

INGENTI.] Adulta & carente viro.

IRVS.] Mendicus fuit Ithacensis, cui nihil erat roboris præter linguam: erat autem binominis: nam olim dicebatur Arneus, postea Irus à loquacitate mendicitatis: Homer.

Arneo nomen erat quod indidit mater infanti.

Irum pueri omnes vocabant. supra.

Iro pauperior licet fuissem.

CLIVVM *Aricinum*] i. omnes pauperes, qui Aricinum locum tenent.

TRIPES.] Qui tribus pedibus sustentabatur.

MATELLA.] Vas vrinarium.

MEIEBAT.] Effluebat.

SVBERAT.] Supposita erat.

IMPVDICVS.] Fœdus.

GERRES.] Genus locustarum, vt scrib. Plin. supra.

Téque iuuant gerres.

MÆNAS.] Pisces qui colorem hyeme mutant.

CASEI *Tolosatis.*] Ex Gallia caseus Nimosensis C optimus erat: afferebantur inde Tolosates mali saporis.

QVADRIMA.] Quatuor annis seruata.

CVLEI.] Manipulum seruare docet Cato in re rustica, ad rustica cibaria condienda.

CORONA.] Manipulum.

RESTES.] Appellat colligata allia.

DERIDES.] Quid videris deridere villicos tam tenui supellectile, dum eorum paupertatem ipsis, ad quos accedis, repræsentas?

PONTI.] Proseuchæ pontis, i. ista supellectile habitare inter mendicos ad pontem, non cum villicis.

GRATIS.] Sine pensione.

De Labieno. XXXIII.

Vt pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

DOMITIVS.

VT *pueros.*] Iocus est ex dictione.

FICETVM.] Dicitur locus vbi multæ arbores ficulneæ sunt. Item ficetum potest dici vbi multi sunt laborantes fico morbo: cùm Labienus hortos vendiderit, & emerit pueros laborantes fico morbo, quem assidua subagitatio creabat.

FICETVM *habet.*] i. multos ficos, cùm poëta videatur dicere nihil, nisi consitum ficis.

Ad Iulium. XXXIV.

Triginta mihi, quatuórque messes
Tecum, si memini, fuere Iuli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris,
Sed iucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc, & illuc
Diuersus, bicolórque digeratur:
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cauere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
B *Gaudebis minus, & minus dolebis.*

DOMITIVS.

TRIGINTA.] Consilium est à perito, vt si velis agere felicem vitam, nulli te facies nimium familiarem: nam neque felicitate amicorum nimium ita poteris efferri, nec calamitate nimium torqueri. Siue enim nimium gaudeas, siue doleas nimium perturbatio est vitæ quietæ.

IVCVNDA.] Pars voluptatis.

BICOLOR.] Niger, & ruber.

CANDIDA *turba.*] Candidorum lapillorum.

CAVERE.] Declinare.

MORSVS.] Tristem mœrorem animi.

Ad Callistratum. XXXV.

Tamquam simpliciter mecum Callistrate viuas:
Dicere præcisum te mihi sæpe soles.
Non es tam simplex quam vis, Callistrate, credi.
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

DOMITIVS.

TAMQVAM.] Eodem argumento supra scripsit in Seniam, quæ vt fellationis crimen dissimularet, dicebat se esse fututam à latronibus: nam hic Callistratus dicebat se esse præcisum, cùm irrumationis D crimen vellet tegere: quod poëta indicat ex coniectura: nemo enim scelus aliquod fatetur, nisi maius velit dissimulare.

TANQVAM *viuas mecum.*] Tanquam mihi soli omnia aperias.

TACET *plura.*] Vult dissimulare grauiora: & qui fellant, vt diximus, tacent.

In Labullum. XXXVI.

Libras quatuor, aut duas amico,
Algentémque togam, breuémque lanam,
Interdum aureolos manu crepanteis:

Possint ducere qui duas Kalendas,
Quòd nemo, nisi tu Labulle donas,
Non es, crede mihi, bonus. quid ergo?
Vt verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecásque Memmiósque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus vltimus bonorum.
Vis cursu, pedibúsque gloriari?
Tigrim vince, leuemque Passerinum.
Nulla est gloria praeterire asellos.

DOMITIVS.

LIBRAS.] In Labullum, qui paruis muneribus volebat videri liberalissimus, cùm omnes sui temporis auaros superaret. Poëta ait eum dignum esse B laude, facile enim est auaros liberalitate superare, quòd si contendet cum antiquis, erit illorum vltimus: cùm sibi videatur suorum temporum primus.

AVREOLI.] Numismata erant, quae praeter caetera tinnitum habebant: vt supra,

Qui crepet aureolos forsitan vnus erit.

DVCERE.] Substentare amicum duobus mensibus.

OPTIMVS.] Liberalissimus auarorum.

REDDE.] Mihi repraesenta liberalitate tua.

SED *priores.*] Antiquos non nostri temporis.

FIES *vltimus.*] Quia vltimum locum non assequetis.

TIGRIM.] Supra,

Vtrum ne currat Passerinus, aut Tigris.

Nam velocissimi erant: comparat Tigrim & Passerinum antiquis.

ASELLOS.] Nouis & recentioribus.

In nasutum. XXXVII.

Nasutus nimium cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

DOMITIVS.

NASVTVS.] Nasuti dicuntur, qui acriter iudicant: in eos scribit, qui vt scire aliquid viderentur, acriter potius quàm peritè iudicabant: ex metaphora igitur huiusmodi homines appellat polyposos. Polyposi sunt, quorum nasus polypo morbo in foedam magnitudinem excrescit.

NASVTVS.] Nimium iudicator.

GEORGIVS.

Nasutus nimium cupis videri.

Nasutum volo, nolo polyposum.] Postea quam de naso toties disseruimus, iam possum coarguere hominem de iudicio nasi, quo non ad iudicium, sed ad dolosam irrisionem vtimur, nec est sensus quem hic putat, immo potius notat ineptum derisorem, qui absurdis dictis iocetur, quo nomine polyposus, hoc est immundi & non emuncti nasi, quam nasutus appellari potest, sed in diffinitione polypi & audax & insanus videtur plura dicere, nisi alibi de polypo abunde tractauissem: non enim nasus excrescit, in foedam magnitudinem laborantibus polypo: sed A potius caro interiora nasi occupat intumescens maxime flante Euro.

Ad candidum. XXXVIII.

Hunc qui foemineis noctésque diésque cathedris
Incedit tota notus in vrbe nimis.
Crine nitens, niger vnguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber.
Vxori qui saepe tuae comes improbus haeret:
Non est quod timeas Candide: non futuit.

DOMITIVS.

HVNC *qui.*] Mollem designat, qui vxori Candidi amici haerebat, vt vir videretur, cùm esset cinaedus.

NON *est quod timeas.*] Non debes timere.

GLABER *crure.*] Depilato crure.

IMPROBVS.] Insatiabilis.

NON *futuit.*] Quia est cinaedus, vt supra.

Irrupi Lupe, non erat cinaedus.

Quia scilicet ille futuebat, sed hic paedicabatur.

In Sabellum. XXXIX.

Odi te, quia bellus es Sabelle.
C *Res est putida bellus, & Sabellus,*
Bellum denique malo, quàm Sabellum.
Tabescas vtinam Sabelle, belle.

DOMITIVS.

ODI *te.*] Sabellum deridet qui bellus nolebat dici, cùm perabsurda sit appellatio voce ipsa, vt dicas Sabelle belle.

BELLVM.] Mutilato nomine à Sabello.

BELLE.] Iocus est in voce.

TABESCAS.] Fias tabidus. Alludit ad illud *Res putida*: nam res putridae tabescunt: volo, inquit, potius bellum Sabellum. i. mallem tamen bellum praecurto nomine, quam Sabellum bellum: nam bis bellum ita inculcamus.

SABELLE *belle.*] Vocantis est, & deridentis inculcationem nominis dicereris inepte.

D

In Pontilianum. XL.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto, bibis Pontiliane, bibo.
Pedis, dissimulo: gemma vis ludere, vincor.
Res vna est sine me, quam facis, & taceo.
Nil tamen omnino praestas mihi. mortuus, inquis,
Accipiam bene te. nil volo: sed morere.

A

DOMITIVS.

MENTIRIS.] In Pontilianum, qui poëtæ omne genus officij præstanti nihil dabat, sed pollicebatur se daturum post mortem: nihil ait se velle Martial. nisi vt moriatur, vt ostendat eum stultum, qui amico ex morte spem proponat, cùm ea sit causa non conciliandi amici, sed vt mortem optet.

GEMMA.] Latronibus.

DISSIMVLO.] Ostendo non audiuisse.

VINCOR.] Cedo.

QVAM *facu.*] Pædicas.

ACCIPIAM *bene te.*] Id est, bonis relictis bene tecum agam.

In Tuccam. XLI.

Non est Tucca satis, quòd es gulosus:
Et dici cupis, & cupis videri.

DOMITIVS.

NON *est.*] In Tuccam, qui & gulosus erat, & ita volebat videri: eodem argumento supra in eum, qui volebat videri pauper, & erat.

De Callistrato & Afro. XLII.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est. nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis? exspectas nũquid & vt pariat?

DOMITIVS.

BARBATVS.] Seniorum nuptias celebratas iusto ferme ritu testatur Iuuenal.

——Nubit amicus

Dixit: & Nero suo Pythagora nupsit.

Qui & Doriphorus dicebatur: nuper Callistratus Afro nupserat celebratis nuptiis: in quo poëta vrbis patientiam detestatur, quòd sileat tanquam partum expectet.

RIGIDO.] Id est, mentulato & mutoniato: erat enim draucus.

FACES.] Tædæ geniales, nam ante ferebantur faces vna cum aqua, vt ait Varro.

THALASSE.] Nuptiarum Deus, proprium erat carmen vt supra.

Quid si me iubeas Talassionem
Verbis dicere non Talassionis.

VT *pariat?*] Vt illud Iuuen.

Interea tormentum ingens nubentibus hæret:
Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos.

In Sabellum. XLIII.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium Sabelle versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris nouæ figuræ:
Quales perditus audiat fututor.
Præstent, & taceant quid exoleti,
"Quo symplegmate quinque copulentur, "v Qua symplegade alij symplegmate, i. complexu.
Qua plures teneantur à cathena:
B *Exstinctam liceat quid ad lucernam.*
Tanti non erat esse te disertum.

DOMITIVS.

FACVNDOS.] Sabelli poëtæ imprudentiam carpit, qui composuerat carmen de vario concubitus genere, atque cum non debuisse tanti facere ingenij, & eloquentiæ suæ laudem, vt hæc scriberet puellæ.

DIDYMI.] Maigonis, qui Didymus dicebatur. Nam Spasio & Hemus puellas quidem habebant molli carmine eruditas. Papin.

Diues Spasio quos agit tumultus.
Hæc intrant faciles Hemi puellæ.

Sed Didymus molliores habebat: nomen tali magistro conuenit, cùm supra legerimus Didymum spadonem, & mollem, hoc magis placet, quàm vt dicas Didymi, id est, Phrygiæ à monte Didymo.

C ELEPHANTIDOS *lib.*] Scripsit varia concubitus genera Elephantis. ex eius libris Tiberius cubiculum instruxit editis picturis, quales libri designabant. & Virgilij lasciuo carmine Elephantis nobilis est, vbi Lalage tabellam vnam dicat Priapo.

ILLIC.] In libris tuis.

NOVEM.] Nouem genera concubitus.

TACEANT.] Fellationem.

QVO *symplegmate.*] Id est, quo amplexu. Symplegma est complicatio.

CATHENA.] Serie in speciem cathenæ.

TANTI] i. tanti non debeas facere te haberi disertum, vt hæc scriberes: debuisses in aliis rebus eloquentiam, & ingenium ostentare.

D

GEORGIVS.

DIDYMI *sciunt puellæ.*] Hic enarrator non solum sua temeritate Martia. inuoluit, sed & vna opera siluas Papinij contaminat, & patentes sensus sua quadam affectata disquisitione obscurat, & interim corrumpit, si quidem apud Stati. legimus,

Diues Sparsio, quos agit tumultus.

Qui calen. Decembris Do. sub noctem iussisset spargi in populum missilia omnium generum, quam rem Mar. sæpe notauit. quid? non legimus spargere stipem? idem sparsio, quid? non Suet. de eodem Do. sic ait, Inter spectacula muneris largissimum epulum septimumciali sacrorum die quidem senatui, equitique panaris plebeis sportellis cum obsonio distributis initium vescendi primus fecit, diéque proximo omnegenus missilia sparsit: quam rem & idem Sta.

significat, nam ad Domi. conuersus sic ait.

Vna vescitur omnis ordo mensa :
Parui, fœmina, plebs, eques, senatus,
Libertas reuerentiam remisit.
Et tu quin etiam (quis hoc vocare?
Qui promittere possit hoc Deorum)
Nobiscum socias dapes inisti.
Iam se, quisquis is est, inops, beatus
Conuiuam ducis esse gloriatur.

Et paulo infra.

Iam noctis propioribus sub vmbris
Diues sparsio, quos agit tumultus.

Quis obsecro, nisi mente captus, hæc clarissimorum scriptorum dicta non contulisset? sed & Sene. scrib. rhetorem quendam huiusmodi sparsiones odoratos imbres dixisse: ad quam sententiam alludere Sta. videtur his versibus.

Non tantis hyas inserena nimbis
Terras obruit aut soluta pleias,
Qualis per cuneos hyems Latinos
Plebem grandine concutit serenam.
Ducat nubila Iuppiter per orbem,
Et latis pluuias minetur agris.
Dum nostri Iouis hi ferantur imbres.

At quàm falso exponit,

Huc intrant facilis Hemi puellæ.

Nam cum emi sit infinitiuus ab emor emeris, contra naturam syllabæ de nomine proprio intelligit, cuius prima syllaba apud Iuue. producitur.

Cum molli Demetrius Hæmo.

Et rectè quidem: nam per diphthongum scribitur à Græcis, sed & sensus expeditior est, si verbum legerimus emi, hoc est quæ paruo precio conduci possunt. quod & Martia. tetigit, vbi dicit.

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

Et Horati. ait, se amare parabilem, facilémque Venerem, hoc est quæ paruo pretio paratur.

Ad M. Vnicum. XLIV.

Vnice cognato iunctum mihi sanguine nomē,
Quique geris studijs corda propinqua meis.
Carmina cùm facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cùm tenero te posset amare Catullo,
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela iuuares:
Sed tu litus amas. hoc quoq; fratris habes.

v. Non deerant. v. Iuuabit.

DOMITIVS.

VNICE *cognato.*] Ad M. Vnicum, qui elegiacum carmen scribebat, & abstinebat heroico, ne æmulus fratri videretur, quemadmodum supra dixit de Turno in Memorem: alius codex habet Attice cognato.

COGNATO *sanguine.*] Quia erat affinis.

PROPINQVA.] Qui eadem studia amas, quæ ego.

LESBIA.] Amica Catulli.

TE *posset amare.*] Adeo eleganter scribis.

ZEPHYRI.] Fauor ingenij.

A DARE *vela.*] Scribere graue carmen, tractum à nauigantibus.

HABES *fratris.*] Et in hoc fratris officium demonstras, quoniam non vis certare cùm posses.

Ad Phœbum. XLV.

Hædina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticémque caluæ;
Festiuè tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit caput esse calciatum.

DOMITIVS.

HÆDINA.] Pellicea veste vtebantur olim, quam scorteam vocabant, vt dicetur in distichis, Phœbus nuper caput texerat indumento corij, quidam iocans dixit eum habere caput calceatum, quod vrbaniter, & vere dictum poëta laudat. B

NVDA *temporum.*] Nam hic carens pilis; pellem hædi apposuerat, vt ita caluam tegeret, & ostentaret pilos.

Ad Classicum. XLVI.

Vendunt carmina Gallus, & Lupercus.
Sanos Classice nunc nega poëtas.

DOMITIVS.

C VENDVNT.] Gallus & Lupercus mali poëtæ insani habebantur, tam malorum carminum emptores inueniebant: iam sanos & prudentes esse dicit, qui sciant vendere mala carmina.

In habentem varios mores. XLVII.

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem,
Nec tecum possum viuere, nec sine te.

Idem Græcè.

Δύσκολος, εὔκολος, ἀιτεάπελος ὁ᾽ ἅμα καὶ πικρός ἐσσι·
Οὐ δυνάμαι σεῦ Gι ζῆν χ᾽ ἀπάνευθε σέο. D

DOMITIVS.

DIFFICILIS.] In Varium amicum, cuius moribus modo alienabatur, modo alliciebatur.

TECVM.] Propter acerbitatem.

SINE *te.*] Propter iucunditatem.

In lautum inuitatorem. XLVIII.

Boletos & aprum si tamquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota: volo.

Si

Si fortunatum fieri me credis, & heres
Vis scribi, propter quinq; Lucrina: vale.
Lauta tamen cœna est: fateor lautißima: sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil,
Quòd sciat infelix[v] dãnatæ spongia[v] virgæ,
Vel quicumque canis, iunctaque testa viæ.
Mullorum, leporúmque & suminis exitus hic est,
Sulfureúsque color, carnificésque pedes.]
Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ, pontificúmque dapes.
Imputet ipse deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Conuiuas alios cœnarum quære[v] magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ:
Me meus ad subitas inuitet amicus ofellas:
Hæc mihi, quã possũ reddere, cœna placet.

[v] vide Corn. Vitellij Annotationes in Georg. Merulam. [v] damnata. [v] virga. [v] Magistros.

DOMITIVS.

BOLETOS.] Ex stomacho scribit epigramma in captatorem, qui cœnam dabat, vt scriberetur hæres: quam cœnam, etsi lauta videtur, acerbissimam sibi esse scribit poëta, neque tangi à se, sed malle inuitari ad tenuem cœnam, quam possit reddere.

SI *tanquam vilia.*] Si lege, & non sic, vt mendosi habent codices.

TANQVAM *vilia.*] i. tanquam paruifaciens ea.

MEA *vota*] i. me capis iis cibis.

VOLO.] Gustabo.

VALE.] Non cœnabo tecum.

PROTINVS *immo nihil.*] i. cùm primum fuerimus cœnati, nihil erit. nam gulæ voluptas statim finitur. Præterea ea tota conuerteretur in emissionem ventris, quæ à cane lambetur, aut in lotium versa fundetur in testam proximam viæ: quodque grauius est, hoc vnum in cœna lautissima manet, vt sulfureo colore simus & podagrosi.

QVOD *sciat.*] Spongia & ad mensas tergendas vtebantur, & ad vasa in demissione ventris polluta, ea dicebatur spongia damnata. damnata enim instrumenta dicimus turpibus ministeriis dicata.

INFELIX *spongia.*] Dicata tam vili ministerio.

SCIAT.] Sentiat abstergendò.

DAMNATÆ *virga.*] Nam spongia virgæ alligabatur.

QVICVMQVE *canis.*] i. quid erit mihi cœna, quam paulo post in stercus emissam canis lambet? Verecunde se ex ea cœna nihil habiturum significat, dum vult ostendere se paruifacere.

TESTA.] Testæ viis proximæ erant in quas prætereuntes meiebant. Titius in oratione, quia legem Fanniam suasit: Dum eunt nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habent.

PEDES *carnifices.*] Podagrosi.

ALBANA.] Epulum in Albano instituerat Dom. i. non tanti facere epulum Albanum, vt vellem pati hæc.

NEC *Capitolinæ.*] Intelligit de septemviris epulonibus, qui in Capitolio epulabantur.

A DAPES *pontificum.*] Lautiores, & luxuriosæ erant: hæ dicebantur adipales, vt alij scribunt adiiciales, Festus, & Plinius authores. vide Macrobi. de cœna Metelli pontificis, quam lauta fuit.

IPSE *Deus.*] Vel Iuppiter, vel imperator.

IMPVTET.] Si laudat, & magnificat.

VAPPA.] Significat fecem vini, vt Probo placet. vt alij scribunt vilius vinum est.

PERFIDA.] Id est, venenata.

MAGISTER.] Structor cœnarum.

SVPERBA.] Felicia, & magnifica.

CAPIVNT.] Denunciant, & delectent.

SVBITAS.] Ad imparatos cibos.

GEORGIVS.

Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
Vel quicumque canis, iunctaque testa viæ.] Similis hic mihi videtur homini per tenebras ambulanti, & quidquid occurrerit apprehendenti, & perinde nonnumquam grauiter, ac turpiter casum facienti. nam de spongia nihil nisi commenticium hic nugator tradit. nos autem quæ apud Senecam legimus de spongia subiungemus. De morte præoccupanda ad Lucilium hæc scrib. Nuper in ludo bestiariorum vnus è Germanis, cùm ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus, nullum aliud illi dabatur sine custode secretum ibi lignum, quod ad emundanda obscœna adhærente spongia ponitur, totum in gulam farsit, & in præclusis faucibus spiritum emisit. hoc fuit morti contumeliam facere. Per hæc Senecæ verba, quæ foret spongia damnatæ virgæ iam cognoscitur. hic ergo videtur sensus Poëtæ, vt intelligat de cœna illa opipara nihil superaturum, quod sit aut custodi infelicis spongiæ dandum. Nam loca illa vbi solent saturi ventrem exonerare, mendici sæpe obsident, necnon & canes comedunt, hoc est agentes vitam cynicam: aut testa iuncta viæ, hoc est, egeni stipem quærentes in marginibus viarum. Tertulianus in apologetico scribit, morem fuisse bestiariis suprema cœnantibus in publico discumbere. Quare per spongiam damnatæ virgæ bestiarium capiemus, cui in publico discumbenti cum bestiis obijciendus foret, nihil reliquiarum de illa cœna dari possit.

Ad Pædagogum. XLIX.

[v] Crinitæ Line pædagoge turbæ,
Rerum quem dominum vocas suarum,
Et credit cui Postumilla diues
Gemmas, aurea, vina, concubinas:
Sic te, perpetua fide probatum,
Nulli non sua præferat patrona:
Succurras misero precor furori,
Et serues aliquando negligenter
Illos qui male cor meum perurunt:
Quos & noctibus & diebus opto
In nostro cupidus sinu videre,
Formosos, niueos, pares, gemellos,
Grandes non pueros, sed vniones.

[v] Turneb. li. 26. cap. 21.

DOMITIVS.

CRINITÆ.] Linus pædagogus libertus Posthumillæ, tantæ erat apud Patronam gratiæ, vt ei committerentur gemmæ concubini totum penu. Poëta nunc geminos pòscit, cùm videatur velle petere pueros geminos, petit vniones. Acumen poëtæ ex eo est, quòd ad exitum vsque epigrammatis habet lectorem suspensum, quasi petiturus sit concubinos, cùm tandem petat vniones.

TVRBA *crini.*] Puerorum crinitorum.

NVLLI.] Non omnibus.

PARES.] Laus est vnionibus.

NON *pu.*] Scilicet peto vt putabas.

SED *vniones.*] Et ita risum mouet.

In habentem amœnas ædes. L.

Daphnonas, platanos, ac aërias cyparissos,
Et non vnius balnea solus habes.
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.
Puluereumque fugax hippodromon vngula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus vbique sonat.
Atria longa patent: sed nec cenātibus vsquā,*
Nec somno locus est. quā bene non habitas.

* v. non est tibi quisquam.

DOMITIVS.

DAPHNONAS.] Diuitis auaritiam deridet, qui locum amœnum parauerat arboribus, porticibus, balneis, riuulis aquarum, nusquam aperta cœnatione amicis. locum igitur pulchrum habebat ad non habitandum, cùm nec dormiret illic, nec cœnaret.

DAPHNONAS.] Loca lauro consita dicuntur Latinè laureta.

PLATAN.] Ad vmbram tantum ferebantur.

CYPARISSOS.] Cupressos. cyparissus cupressum significat. nam in delitiis erat cupressus, quæ variis animalium figuris formabatur.

NON *vnius balnea.*] Non priuata sed magnitudine prope publica.

SOLVS *habes.*] Superas alios lauretis. vel solus habes, quia hæc non communicas cum amicis, quos cœna non accipis. vt supra,

Omnia solus habes. Iuuen.
Gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet.

STAT.] Erecta est, centenis columnis sustentata.

ONYX.] Lapis onychites, qui in pauimentis & thermis erat preciosus. onyx pauimentum ex onychite lapide.

HIPPODROMOS.] Spatium est, quo equi cursus exercetur. ἵππος Græcè, Latinè significat equum, δρόμος cursum. hîc accipit locum spatiosum, quo currens equus posset euagari.

VNGVLA *fu.*] i. vngula celeris.

VBIQVE *sonat.*] Vbique resonat.

VBIQVE.] Toto domicilio.

SED *nusquam locus cœnantibus.*] Id est, nusquam est cœnatio, & nec locus vbi dormias, cùm ergo

A non habeas hæc, non habes vbi habites: erat enim inhospitalis, & amicos non accipiebat mensa.

De Fabullo. LI.

Tam sæpe nostrum decipi Fabullum, quid
Miraris Aule? semper bonus homo tiro est.

DOMITIVS.

TAM *sæpe.*] Notat versutiam hominum suorum inter quos vir bonus semper decipitur. Fabullus igitur ea de causa sæpe decipiebatur.

TIRO *est.*] Id est, semper imperitus, tanquam miles nouus inter veteranos.

B

Ad Semproniam. LII.

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hîc situs est, hîc ille tuus, Sempronia, Rufus:
Cuius & ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo,
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redisti:
Illa virum voluit nec repetita sequi.
Ridet, & Iliacos audit Menelaus amores:
Absoluit Phrygium vestra rapina Parim.
C *Accipient olim cùm te loca læta piorum,*
Non erit in Stygia notior vmbra domo.
" *Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas:* (Vide Turn li. 21. cap. 6.)
Iste tibi dominam conciliauit amor.

Idem Græcè.

Στέμμασι Πιερίοις εἰωθὼς κρᾶτα πυκάζειν,
Ἡ πλάταις γοερῇ γλῶσσα διωκομένοις,
Κεῖται ὁ σὸς Ῥοῦφος, Σεμπρωνία, ἐνθάδε κεῖται·
Οὗ καὶ πυρσοῦται λείψανα σοῦ πόθῳ.
D Τερπνὸς ἐν Ἠλυσίῳ πεδίῳ θρυλλισμὸς ἀκούεις.
Σοῦ τε πρὸς ἁρπαγμὸν Τυνδαρὶς ἐξεπλάγη.
Νόστου δ' ἐμοῦ πάθης σὺ τὸν ἁρπακτῆρα λιποῦσα.
Ἡ δ' οὐχ ἕσπετο μὲν τἀνδρὶ μετερχομένῳ.
Ἰλιακοὺς γελόων ἀκούει Μενέλαος ἔρωτας·
Τὸν Φρύγ' ἀθωώσατο δ' ἁρπαγὴ ὑμετέρη.
Ἀλλ' ὁπότ' εὐσεβέων σε δεδέξεται οἶκος, ἁπάσας,
Μᾶλλον τὰς ψυχὰς κεῖθι περιδοκιμεῖν.
Περσεφόνη πεφίληκ', οὐκ ἀλλοτρίην σφε βλέπουσα,
Ἁρπακτάς· ὅδ' ἔρως σοι φίλος ἐστὶ θεαίν.

DOMITIVS.

TEMPORA.] Rufus in tumulo celebratur, cuius vxor rapta fuerat, sed ea deserto raptore, redierat ad maritum. hoc totum epigramma non tam commemorat mortem Rufi, quàm raptum Semproniæ.
REIS.] Clientibus non minus quàm poëta.
TYNDARIS.] Helena.
AD *tuos rap.*] i. dum audit te raptam redisse ad virum.
ABSOLVIT.] Id est, liberat odio.
LOCA *læta.*] Id est, Elysij campi.
NON *aliena.*] Non alieno animo.
ISTE *amor.*] Rufi quo arsit in te Placet quòd potius fuerit rapta à Rufo, quàm quòd fuerit coniux.
DOMINAM.] Proserpinam.

In Paternum. LIII.

Nummi cùm tibi sint, opesque tantæ,
Quantas ciuis habet, Paterne, rarus:
Largiris nihil, incubasque gazæ,
Vt magnus draco, quem canunt poëtæ
Custodem Scythici fuisse * *luci.* *v. nihil.
Sed caussa, vt memoras, & ipse iactas,
Dira filius * *est rapacitatis.* *v. ca.
Et quid tu fatuos, rudésque quæris,
Illudas quibus, auferásque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti.

DOMITIVS.

NVMMI.] In Paternum auarum iocatur, qui nihil amicis dabat, afferens causam per iocum, quòd ipse esset filius rapacitatis. tu, inquit poëta, numquam fuisti filius vitij, sed pater petitissimus.
CIVIS *rarus.*] Id est, magni ciues.
LVCI *Scythici.*] Id est, templi Martis. nam vellus aureum lx. stadijs à regia Colchorum, vt scribit Diodo. in templo Martis custodiebatur à dracone vigili, quem Medea veneficijs in gratiam Iasonis necauit, vnumquodque templum suum habebat lucum: vnde lucum pro templo accipimus. Scythicum autem propter Martem, qui Thrax & Scytha est, & illic Scythæ sunt, vnde alibi Geticum legimus Martem.
ET *quid quær.*] Id est, cur non quæris.
ILLVDAS *quibus.*] Id est, quos fallas.

In Zoilum. LIV.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

DOMITIVS.

CRINE.] Fieri non potest, vt Aspasius scribit, vt qui omnino deformis est bonus sit, ex hoc Poëta in Zoilum scribit, quem ex oris deformitate malum esse suspicatur.
A LVMINE *læsus.*] Luscus scilicet.
REM *magnam facis.*] Nam tanta deformitate homines non solent esse boni: Mirum igitur est, si es bonus.

Ad Puellas. LV.

Gratis qui dare vos iubet * *puellæ,* *v. puellis
Insulsissimus, improbissimúsque est:
Gratis ne date, basiate gratis.
Hoc Ægle negat, hoc auara vendit.
Sed vendat bene, basiare quantum est.
Hoc vendit quoque nec leui rapina:
Aut libram petit illa Cosmiani,
B *Aut binos quater à noua moneta:*
Ne sint basia * *multa, nec maligna,* *v. mota lingendum patet Douza.
Nec clusis aditum neget labellis.
Humanè facit hoc tamen, sed vnum est,
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Ægle.

DOMITIVS.

GRATIS] In Æglen meretricem, quæ cùm gratis fellaret, basia postea vendebat: humane inquit Poëta facit, quòd magno precio vendit basia, ne sæpius basietur cùm sit fellatrix. Fellatricis enim osculum impurissimum est.
C HOC.] Basiare.
BENE *ven.*] Id est, magno precio.
LIBRAM *cosmiani.*] Id est, foliati vnguenti.
QVATER *binos à noua moneta.*] Id est, octo flauios.
BASIA *non multa.*] Id est, non sine lingua inserta.
FACIT *hoc humane.*] Nam si daret gratis, multi basiarent, & oris fœtore offenderentur.
LINGERE.] Id est, fellare. alibi,
Lingas non mihi.

In Polycarmum. LVI.

Ægrotas vno decies, aut sæpius anno,
Nec tibi, sed nobis hoc Polycarme nocet.
D *Nam quoties surgis,* * *soteria poscis amicos,* *v. solebant valetudinarii pro salute recepta munera, quæ σωτήρια & σῶστρα vocabant, amicos poscere. Scripsit & Statius Soteria, pro Rutilio Gallico.
Sit pudor: ægrota iam Polycarme semel.

DOMITIVS.

ÆGROTAS.] In Polycarmum, qui vt munera ab amicis exigeret sæpius simulabat se ægrotare. Nam conualescentes dona ab amicis poscebant, quæ Diis vouerant pro salute. ea dicebantur soteria. nam σώζω significat seruare, vnde soteria dona data amico seruato, & reduci. Papin. carmen quod pro Rutili Gallici salute cecinit, soteria appellauit, hoc, quod diximus, argumento.

CVRSVS *essedo*] Id est, spatium currendo, id est, tu habes gestationem: nam gestatio erat locus vbi gestabantur, ob valetudinem, vel de Hippodromo, vt supra dixit.

——Puluereamque fugax
Hippodromon vngula plaudit.

SOMNVS *in profundo*] i. altus somnus est.

NEC *dies nisi admissus*] i. non tibi est lux nisi quando volueris aperire molestias vrbis, quas ne in cubiculo quidem licuit euitare.

Ad Alaudam. LVIII.

Vide Corn. Vitellij Annotationes in Merulã, & Turn. lib. 20. cap. 26.

"Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa
Lecticariola est: estis Alauda pares.

DOMITIVS.

ANCILLARIOLVM] Ancillariolus dicitur, & qui ancillas sectatur, & qui ancillare officium præstat. Vxor obiurgans Alaudam maritum, quòd ancillare officium subiret, vel quòd ancillas sectaretur, appellabat eum ancillariolum: ipsa rem habebat cum lecticarijs: nam & ancillariolus & lecticariolus nomina sunt seruilia.

ALAVDA] Alludit ad nomen, cùm vtrunque sit seruile. Alauda hîc proprium nomen, alibi est auis nomen, quæ nomen dedit legioni. legionis Alaudæ meminit Sueton. & Cicer. in Anton. & ad Atticum, & Plin.

GEORGIVS.

ANCILLARIOLVM, *&c.*] De consuetudine Romana sumptum verbum, atque iocum nimis insulsè interpretatur arrogans literator: ergo humile & seruile nomen est Ancillariolus. Audi Senec. de beneficijs hæc scribentem: Si quis nulla se amica fecit insignem, nec alienæ vxori * anulum præstat, hunc matronæ humilem & sordidæ libidinis & ancillariolum vocant. inde certissimum sponsaliorum genus est adulterium, & in consensu vidui cœlibatus nemo vxorem duxit nisi qui abduxit. Hic igitur erit sensus, Vxor tua ô Alauda, quemadmodum solent matronæ Romanæ, quòd nulla amica te insignem fecerit, nec alienæ vxori anulum præstiteris, ancillariolum & sordidæ libidinis vocat, vtpote existimans parum firmum matrimonium, quando priùs nulli certo amori te addixeris: in vxorem autem rectè poteris conuicia regerere, si eam appellaueris lecticariolam, vt quæ certum nunquam amatorem habuerit: sed ancillariolum ab ancilla deriuari puto, dum prostitutam & lenoni seruientem significat: vnde Plin. Messalina Claudij Cæ. coniux regalem existimans palmam elegit in id certamen nobilissimam è prostitutis ancillam mercenariæ stipis.

al. annulũ.

De importunis basiatoribus. LIX.

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reuerso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo.
Hinc sutor modò pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
*Hinc * defioculus, & inde lippus,*
Fellatorque, recensque cunnilingus.
Iam tanti tibi non fuit redire.

Luscus, cui vnus deest oculus.

DOMITIVS.

TANTVM] Sæpe detestatus est basiatores: idem facit nunc cùm amicus reuersus à basiatoribus dissuauietur.

VICINIA] Tribules.

OSCVLO *hirco[s]o*] Fœtido.

DEFIOCVLVS] Cui deest oculus dicitur, ita habet codex antiquus: alij codices habent dexioculum: hoc est, qui dextrum tantum habet oculum: placet prior scriptura.

LIPPVS] Vtroque oculo stillante.

RECENS] Qui nuper fuit in opere.

NON *tanti*] Hoc est, non debeo tanti facere reditum, vt hæc velis pati.

Ad suum natalem. LX.

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnáque siderei vidimus ora Dei:
*Si te rure coli, viridésque * pigebit ad aras,*
Qui fueras Latia cultus in vrbe mihi:
Da veniam, seruire tuis quòd nolo Kalendis,
Et qua sum genitus, viuere luce volo.

v. pudebit.

DOMITIVS.

MARTIS] Natalem in agro celebrat, quem in vrbe solebat colere lautius: causam affert quare non sit in vrbe hoc die, quia scil velit esse eo die liber, quod in vrbe non dabatur.

ALVMNE *Martis*] Kalendæ Martiæ.

ROSEAM] Phœbeam, & solarem.

DEI *siderei*] Id est, huius diuinæ machinæ, id est, cœlum.

VIRIDES *aras*] Ad cespites incultos & virides.

CVLTVS *meis Kalend.*] Id est, die mearum Kalendarum.

VIVERE] Relaxare animum, vt sæpe est dictum.

* De Sabello. LXI.

v. De Alauda.

*Natali pallere suo * ne calda * Sabello*
* *Desit, & vt liquidum potet Alauda merum,*

v. nec.
v. Sabelle.
v. Desinat.

Albi quæ superas oues Galesi, A
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore viuo:
Dic vestro rogo° sit pudor poëtæ, °al. sit pudor.
Ne gratis recitet meos libellos.
Ferrem, si faceret bonus poëta,
Cui possem dare mutuos honores.
Corrumpit sine talione cælebs.
Cæcus perdere non potest, quod aufert.
Nil est deterius latrone nudo:
Nil securius est malo poëta.

DOMITIVS.

VNCTO *Corduba*] In Cordubensem poëtam, B qui poëtæ carmina recitabat, quod dolet cùm sua recitet, & nihil de se scribat, quod Martial. pro suo velit ostentare, in quo par pari referri possit: nam erat malus poëta: rogatque Cordubam illius patriam, vt eum moneat ne recitet.

VENAFRO] Campaniæ regio. Venafrum, oleo nobilissima. Tenet enim in eo principatum, proximum est Licianum non procul: tertio loco Bæthicum Hispaniæ, cum quo de palma certet Histrum. Blandiens poëta Cordubæ eius oleum & Venefrano & Histro anteponit.

VNCTO] Ferente oleas.

TESTA *bistra*] i. testa olei Histri.

GALESI *albi*] Flu. Tarentini, qui reddit oues candida lana.

NEC *mendax*] Quia lanæ Bæthicæ non tinge- C bantur.

VIVO] Natiuo.

NOSTRO] Hispano.

FERREM] Scilicet æquo animo.

MVTVOS *honores*] Id est. versus, & ego pro meis recitarem: alius codex habet mutuos dolores.

SECVRIVS] Quia non timet, vt recitentur carmina, cùm non scribat.

De Cinna. LXV.

Vincentem roseos, facieque, comaque ministros D
Cinna cocum fecit. Cinna gulosus homo est.

DOMITIVS.

VINCENTEM] Coci olim conducebantur ex macello: inualescente autem luxuria inter seruos habebantur. nuper Cinna puerum emptum pulcherrimum cocum fecit, in quo poëta iocatur: ait enim eum hoc fecisse, quia sit gulosus, & cùm videatur intelligere de cibis conditis, intelligit eum tales pueros amare.

GVLOSVS *homo est*] Hoc est, vult eleganter pueros solus.

De Phyllide. LXVI.

Formosa Phyllis nocte cùm mihi tota
Se præstitisset omnibus modis largam,
Et cogitarem mâne quod darem munus,
Vtrumne Cosmi, Nicerotis an libram,
An Bæticarum pondus° æve lanarum, °v. nota.
An de moneta Cæsaris decem flauos:
Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quàm sunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.

DOMITIVS.

FORMOSA] In ebrietatem mulieris, quæ pluris faciebat vinum, quàm vllum genus pretij, eiusque amphoram petijt à poëta, cùm prius ipse esset anxius an libram vnguenti, an lanas Bæticas pro coitu daret.

LARGAM *omnibus modis* :] Liberalem omni genere concubitus.

VTRVMNE *Cosmi*] Tabernæ vnguentariæ, vt Cosmus.

DE *moneta Cæsaris*] Id est, Domitiani, id est, Flauios.

AMPHORAM *vini*] Non propter vilitatem pretij, hoc deridet potius, quàm propter genus præmij, quod ebria poposcerat.

Ad Amœnum. LXVII.

Bis quinquagenis domus est tibi millibus empta,
Vēdere quam summa vel breuiore cupis.
Arte sed emptorem vafra corrumpis Amœne,
Et casa diuitijs ambitiosa latet.
Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.
Argentum atque aurum non simplex Delphica portat:
Stant pueri, dominos quos precer esse meos.
Deinde ducenta sonas, & ais, non esse minoris.
Instructam vili vendis Amœne domum.

DOMITIVS.

BIS *quinquagenis*] Amœnus domum centum millibus emerat, quam minore etiam precio volebat vendere, sed vt emptorem falleret ingenti ornauerat apparatu. in hunc poëta iocatur.

BREVIORE *summa*] i. minore precio.

A

CORRVMPIS] Alliciendo eum.
VAFRA] Callida, ambitiosa, luxurians, apparata.
DIVITIIS] Magnificentia apparatus.
GEMMANTES] Argento, quia incrustabantur argento, quod Seruilius primus instituit, vel quia erant Pauonini, vt in disti. dicemus.
CITRVM] Arbor in Atlante monte Mauritaniæ, vnde citreæ mensæ maximæ luxuriæ apud Romanos, vt supra dictum est.
RARA *pondera*] Id est, ingentia ligna & preciosa.
DELPHICA] Potest accipi pro nomine ancillæ, quæ ex Delphis venerit, vt alibi legimus,
Delphicum puerum: Vt intelligas Delphicam ancillam exposuisse venientibus argentum & aurum, nam & apud Hom. ancillæ penu custodiunt, paran-

B

que mensam hospiti venienti: quod cùm multis in locis poëta ostendat, Euricliam præsertim celebrat custodientem penu Vlyssis. & placet magis vt intelligas de cortina, quæ epulantibus & templo Delphico communis est. Tripodes enim, siue cortinæ cùm Apollini in primis gratæ sint. Delphicæ sunt appellatæ, vt Plin. scrib.
NON *esse minoris*] Non posse vendi vilius.
INSTRVCTAM] Apparatam tantis diuitijs.

De Idibus Maronis. LXVIII.

Maiæ Mercurium creastis Idus.
Augustis redit Idibus Diana,
Octobres Maro consecrauit Idus.
Idus sæpe colas & has, & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

DOMITIVS.

MAIÆ *Mercu.*] Idus octo. natalem Virgilij celebrat. Natus enim est poëta Pomp. & Crasso consulibus, vt scrib. Euseb. Idibus Octobris celebratione numinum, idus Maiæ sacræ sunt propter Mercurium, cui eo die sacrificant mercatores, vt scribit Macr. nam tunc natus dicitur, & idus Augusti propter Dianam, quæ colebatur in Auentino, vbi erat eius templum.
CREASTIS *Mercur.*] Id est, idibus Maiis natus est Mercur.
REDIT] Celebratur.
CONSECRAVIT] Nascens.
IDVS] Diem natalem Virgilij.

Ad clientes. LXIX.

Matutine cliens vrbis mihi caussa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Non sum ego caussidicus, nec amaris litibus aptus:
Sed piger, & senior, Pieridumque comes.
*Otia me, somnusque iuuant, quæ magna *negauit*
Roma mihi: redeo, si vigilatur & hîc.

* v. negabit.

DOMITIVS.

MATVTINE] Excludit clientem qui manè accesserat, & somnum interpellabat. nam & ipse ait, ex vrbe hac vna de causa exierat vt dormiret, interpellatum fuisse somnum in vrbe ipse dixit.
AMBITIOSA] Quæ delectantur isto honore.
LITIBVS *amaris*] i. molestijs, & proprium epitheton est litis.
NEGAVIT] Non promisit mihi.
ET *hic*] In vrbe faciebam.

Ad Paullum. LXX.

Sic tamquam tabulas, scyphosque Paulle
Omnes archetypos habes amicos.

DOMITIVS.

SIC *tanquam*] Paulum auarum carpit, qui nihil dabat veteribus amicis, sed eos inter sua bona connumerabat tanquam archetypa, quæ domino nihil sumptus afferunt sed plurimum laudis.

De Apro. LXXI.

C

*Lintea ferret Apro *vacuus cùm vernula nuper,*
Et supra togulam lusca sederet anus,
*Atque olei stillā *donaret Opelicus vnctor:*
Nudorum tetricus censor, & asper erat.
Frangendos calices, effundendumque Falernum
*Clamabat, *biberet qui modò lotus eques.*
A sene sed postquam nummi venere trecenti:
Sobrius à thermis nescit abire domum.

D

*O quantum *diatheca valent, & quinque comati?*
Tunc, cùm pauper erat, non sitiebat Aper.

* v. Vanus.
* v. tetrici Emporicus forte ab Emporijs oppido Tarraconensis Hispaniæ.
* v. biberet.
* v. diatreta. Diatreta, calices sunt tornatiles & cælati, et diatheca testamentum dicitur. Vide Turn. lib. 27. c. 15.

DOMITIVS.

LINTEA] In Aprum, qui quandiu pauper fuit, solebat eos carpere qui in thermis pōtabant. factus diues luxuriosius ipse bibebat.
NVPER] Superiori tempore.
VERNVLA *vac.*] Parui precij, vt supra.
Et vani triplices.
LINTEA] Quibus abstergeret se lotum.
SEDERET] Custodiens vestem in apodyterio, qui locus erat, vbi ponebant vestes loturi. Enthero-celici dicuntur, qui entherocelas curant. hic morbus est cùm intestina defluunt.

VNCTOR]

VNCTOR] Medicus.

NVDORVM] Eorum qui se lauabant.

STILLAM] i. guttam è vase, quod guttum appellabant, & eo in balneis vtebantur. Iuuen.

Et pleno componit lintea gutto.

VENERE] Propter hæreditatem.

SOBRIVS] Quia prius potauerit.

DIATHECA] Dicuntur tabellæ testamentariæ. verbum est Græcum, quo illi in ea significatione vtuntur.

DIATHECA] Bona relicta testamento.

QVINQVE comati] Quinque pueri relicti testamento.

Ad Lygdum. LXXII.

Nil non Lygde mihi negas roganti:
At quondam mihi Lygde nil negabas.

DOMITIVS.

NIL non] Qui nil negant dicuntur fellare, vt ipse exponet infra: nunc in Lygdum scrib. quem difficiliorem supra conquestus est. nam fefellerat poëtam sæpe expectantem. hunc tamen olim fuisse fellatorem indicat verecunde, vt miretur quare nunc sit tam difficilis. Iccirco superiorem locum in Gallam,

Nil mihi Galla nega: Ita interpretor, vt poscat fellationem.

NIL negabas] i. dabas mihi fellationem.

Ad Pannicum. LXXIII.

Iugera mercatus propè [a] busta latentis agelli, — [a] Gallica vidélicet.
Et malè [b] compactæ culmina fulta casæ, — [b] Compositæ.
Deseris vrbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parnaque sed trita præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas
Vendere pragmaticus, nũc emis agricola.

DOMITIVS.

IVGERA] Pannicum causidicum deridet, qui relicto foro agellum emerat ad busta Gallica. locus erat ad cloacam maximam, vbi coaceruata fuerunt ossa Gallorum, qui vrbem possederant. idem dicebatur ad Doliola, quoniam in nonnullis doliolis Gallorum cineres inesse putarentur. putabant tamen alij quædam mystica Numæ Pompi. illinc condita esse. Busta prætetea erant in esquilijs, quoniam illic sepeliebantur cadauera, quod primus Mecœnas prohibuit ob aëris salubritatem: authores sunt Varro, Plutarchus, & Porphyrio.

PROPE busta] In Esquilijs, vel ad cloacam maximam.

MALE compa.] Ruentis.

VRBANAS lites] Forum Romanum, vbi agebas causas.

PARVA] Quia paruus erat agellus. qui versabantur in otio vtebantur tunica.

A

FRAGMATICVS] Dicebatur qui suppeditabat iura causidicis, author Quin.

VENDERE] Quoniam mittebant tibi clientes.

PTYSANA] Inuentum est Græcorum, conficitur ex hordeo. Hor. *Ptysanarium oriza.*

EMIS] Quia non mittuntur amplius, nec ager suppeditat.

AGRICOLA] Nam agrum emisti, & colis.

Ad Catullum. LXXIV.

B

Heredem tibi me Catulle dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

DOMITIVS.

HAEREDEM] Catullus hæredem scripserat poëtam, vrbane eius mortem optat, cùm ait se non credere hoc nisi legerit. Id enim legendum erat post mortem.

NISI le.] Nisi fueris mortuus.

Ad Flaccum. LXXV.

C

*Cùm tibi Niliacus portet crystalla [a] * catastus,* — [a] v. Cataplus, nauigij genus. *Vide Turn. l. 10. cap. 25. & l. 30. c. 26.
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi [b] magis audaces, an sunt qui talia mittunt — [b] Vide Turn. l. 30. cap. 26.
Munera? sed gemmis vilis vsus inest.
Nullum solicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.
Quid, quòd securo potat conuiua ministro,
Et casum tremulæ non timuere manus?
Hoc quoque non nihil est, quòd propinabis in istu,

D

Frangendus [c] fuerit si tibi Flacce calix. — [c] v. fuerit.

DOMITIVS.

CVM tibi] Erant nonnulli calices qui audaces dicebantur, insertis gemmis ex lapide obsidiano vitreo, nam vsque eo processerunt officinæ vitri, vt pocula formarent, & pari propè artificio & toreumate, quo argentea. Erant tamen exigui pretij, nam & lapilli obsidiani inserti erant ex specie vitrei, ex qua dicauit Augustus quatuor elephantos. distichon de his calicibus extat,

Non sumus audacis plebeia toreumata vitri,
Nostra neque ardenti gemmia feritur aqua.

Poëta hæc pocula mittit Flac. addito epigrammate.

CIRCA Fla.] Vbi fiebant calices.

CATAPLVS] Nauigatio.

DOMITIVS.

DENTIBVS] Lelia anus, accersitis capillis & dentibus, volebat puella videri, oculi deformitatem quo carebat, non poterat emendare. in quo iocatur poëta.

Ad Iuuẽcum de couino curru. XXIV.

O iucunda, Couine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus "Heliani:
Hìc mecum licet, hìc "*Iuuence, quidquid*
In buccam tibi veneris, loquaris.
Non vector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio, mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Auitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quàm bene sic dies abiret!

"v. Hadilani. "iuuante.

DOMITIVS.

O *iucunda*] Couinus currus Britannicus erat, qui sine auriga equis pusillis trahebatur. hunc donauit Helianus Martial. eius laudat solitudinem, alloquiturque Couinum.

ESSEDO] Genus currus. Couini meminit Luc.
Et docilis rector monstrati Belga Couini.

IVVANTE] Quoniam ego ero adiutor.

VECTOR *niger*] Sessor Maurus.

CABALLI *Li.*] Equi Massilei.

SVCCINCTVS] Velox, contra discinctus piger.

MANNVLI] Equi pusilli dicuntur, quos vulgo burdos vocabant. hi sine rectore currum regebant. Horat.
Si per obliquum similis sagitta
Terruit mannos.
Id est, mannulos: mannorum meminit Pompeius.

TIMEREM *tertiam aurem*] Id est, non timerem ne ipse ad alium verba nostra deferret.

SIC] Mutui sermonis libertate.

In Thelesinum. XXV.

Cùm rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis:
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quòd mihi nõ credis veteri Thelesine sodali,
Credis "*colliculis, arboribusque meis.*
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
"*Exilij comitem quaeris? agellus eat.*

"v. Coullenlis. "v. Exsilio.

DOMITIVS.

CVM *rogo te*] Thelesinum fœneratorem accusat, qui pecuniam non eius fidei, sed pignoribus credat.

A HABES] Dicis habere.

CARVS] Delator tempore Domit. vt in commentarijs Iuuen. testimonio epistolæ Plin. demonstrauimus.

ADSIT] Defendat causam tuam.

EXILII] Si fueris damnatus.

AGELLVS *eat*] Veniat tecum agellus. nam huic credidisti pecuniam, non mihi.

In auarum amicum. XXVI.

Sexaginta teras, cùm limina mâne senator,
Esse tibi videor desidiosus eques,
Quòd non à prima discurram luce per
B *vrbem,*
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureus vt des noua nomina fastis,
Aut Numidum gentes, Cappadocumve petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum,
Quid petitur? rupta cùm pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ:
Nec venit ablatis clamator verna lacernis,
Accedit gelidam seruus ad auriculam,
C *Et, rogat vt cœnes secum Latorius, inquit:*
Viginti nummis non ego malo famem?
Quòd sit cœna mihi, sibi sit prouincia merces,
Et faciamus idem, nec mereamur idem.

DOMITIVS.

SEXAGINTA] Senatorem accusat, qui plurima diuitum limina adibat vt salutaret, simul obiurgabat poëtam, quòd desidiosus esset, cùm ipse Senator obiret officia in diuites, & Martial. eques idem non faceret. respondet poëta, & causam docet, cur idem munus non subeat, quia scilicet ille ex salutationibus suis aut consulatum assequebatur, aut magistratus, poëta ex his laboribus vix cœnulam.

D DES *noua nomina*] Id est, consulatum.

MATVTINVM] Id est, inter matutinum.

VAGVS] Non constructo calceo.

AQVÆ *crassæ*] Sudoris.

GELIDAM] Refrigerato sudore.

NON *ego malo*] Non debeo magis velle.

IDEM *faciamus*] i. eosdem labores.

NEC *mereamur idem*] Scilicet pretium.

In Seniam. XXVII.

A latronibus esse te fututam,
Dicis Senia: sed negant latrones.

DOMITIVS.

A *latronibus*] Latrones dicuntur, qui latus custodiunt, vnde ijdem & custodes sunt, qui assistunt regi. & qui obsident itinera. Senia cum nollet videri fellatrix, prædicabat se à latronibus fuisse fututam: poëta negat eos futuisse, sed irrumasse. in quem sensum supra dixit,

Hi puto non dubie se futuisse negant.

NEGANT] Quia irrumant.

In Cinnam. XXVIII.

Sextās duo Cyathi. Deunx. vndecim Cyathi.

Poto ego " sextantes : tu potas Cinna " deunces,
Et quereris quòd nō Cinna bibamus idem.

DOMITIVS.

POTO *ego*] Cinnam conquerentem quòd Martialis aliud potaret vinum, quàm ipse, reprimit hoc disticho, non dabatur ei bonum vinum, quoniam nimium potabat. Bibere idem, est bibere idem vinum. Bibere idem, est tantumdem potare: quod Martial. intelligens, fatetur se idem non potare, intelligens tantumdem. quibus verbis notat ebrietatem Cinnæ.

DEVNCES] Vasa vndecim vnciarum ad mensuram.

De Hermogene fure. XXIX.

Hermogenes tantus mapparum Pontice fur est,
Quātus nummorū vix, puto, Massa fuit.
Tu licet obserues dextram, teneasque sinistram:
Inueniet, mappam qua ratione trahat.
Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem:
Casuras altè sic rapit Iris aquas.
Nuper cum Myrino peteretur missio læso:
Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
Vide Turn. Lib. cap. 11. " *Cretatā prætor cùm vellet mittere mappā:*
Prætori mappam surripit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile è mensa surripit Hermogenes.
f. distringere. *Hoc quoque si deerit: medios " distringere lectos,*
Mensarumque pedes non timet Hermogenes.
Quāuis non modico caleāt spectacula Sole:
Vela reducūtur, cùm venit Hermogenes.
Festinat trepidi substringere carbasa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
A *Linigeri fugiunt calui, sistrataque turba,*
Inter adorantes cùm stetit Hermogenes.
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit vnquam:
A cœna semper rettulit Hermogenes.

DOMITIVS.

HERMOGENES] Tigelius Hermogenes citharœdus fuit, suauitate cātus Iulio Cæsari primum placuit, tum Cleopatræ. hic nomen fictum est in fure appositum. nam Hermogenes dicitur natus ex Mercurio. Autolycus autem Mercurij filius furacissimus fuit. est igitur Hermogenes alter Autolycus, sed is mappas surripiebat, in quarum furtis recensendis poëta risum mouet.

B MASSA] Bebius Massa spoliatæ prouinciæ accusatus est temporibus Domitiani, quam accusationem peregit Plin. vt ipse multis in locis epistolarum testatur. Bebij item meminit Tacitus quem Africæ prouinciæ procuratorem fuisse scrib. Massam Senecio Bithynicæ prouinciæ aduocatus oppugnauit vehementer. quod nonnulli scribunt de Massa nummulatiō nondum comperi. cum delatorem reum vellet nominare Iuuen. inquit,

Quem Massa timet, quem munere palpat Carus.

TRAHAT] Surripiat.

HALITVS] Spiritus ceruorum, authore Lucretio & Plin. serpentes etiam è cubiculo retinentes extrahit.

IRIS] Quæ fit ex mistura nubium, & percussione C radiorum solis, vt scribit Plinius, aquas ad se trahit. Lucretius,

Tum color in nigris existit nubibus arci. &c.

MYRINE] Gladiator erat Myrinus vt supra,

Cum peteret pars hæc Myrinum.

Is volebat missionem impetrare, amicisque parauerat conuiuium.

LÆSO] Debilitato. nam debilitati gladiatores vulneribus missionem impetrabant. Iuuen.

Sergiolus, nam reddere guttur
Cœperat, & requiem sectō sperare lacerto.

CRETATAM] Candidam. nam prætores ex ludis suis mappam mittebant in eum. hoc est emittebant in eum, qui in Circo aurigaret. Tranquil. de Nerone aurigante. Aliquo, inquit, libertorum mittente mappam, vnde magistratus solent. Expone igitur mitteret, id est, emittere vellet, auriganti in Circo Hermo- D genes subiens clam subripuit.

DISTRINGERE] Nudare, & spoliare.

PEDES *mensarum*] Nam ad pedes sedebant serui.

VELA] Quibus theatrum tegitur.

SVBSTRINGERE] Colligere.

CALVI *linigeri*] Sacerdotes Isiaci dicebantur, quod & calui essent, & lineo vterentur habitu. nam tertio quoque die tondebantur, ne pilorum sordibus inter sacrificandum piaculum committerent, vt Herodotus. Lineum fuisse habitum illorum testatur Tacitus, qui vbi Tranquillus dixit de Domitiano, Manc Isiaci celatus habitu inter sacrificulos vanæ superstitionis. scrib. solertia liberti lineo amictu turbæ sacrificolarum immixtus. Ouid.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Fiebant potissimum Ægyptiorum sacerdotum vestes ex lanugine, quæ ex frutice gosipio nascebatur ad superiorem partem Ægyptij. Alij xilon dixerunt, vnde vestes xilinæ appellabantur.

Sistrata] Isidis sacerdotes baculo, quem sistrum appellabant, vtebantur: & supra poëta dixit,

Et pileata subit, iisque, reditque cohors.

Ad Aprum. XXX.

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Seruum sic ego laudo, non amicum.

DOMITIVS.

Siccvs] Aper cùm pauper esset, parcam habebat mensam, volebatque videri id agere instituto, & moribus suis: poëta deridet, aitque sibi non videri laudandum Aprum, quòd sobrius sit, quoniam ea laus sit in seruo, hoc ait secutus sectam suam Epicuream, in qua non sobrium esse, sed indulgere genio laus erat.

Non amicum] Quia volo amicum, qui indulgeat genio.

De hortis Marcellæ vxoris. XXXI.

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis vmbra supini
Palmitis, hoc rigua ductile flumen aquæ:
Prataque, nec bifero cessura rosaria Pæsto:
Quódq; viret Iani mense, nec alget olus:
*Quæque natat * clusis anguilla domestica lymphis,* (*v. Clausis.)
*Quæque geris similes * cădida turris aues:* (*Ouid. Aspicis, vt volitent ad candida tecta Columbæ.)
Munera sunt domino: post septima lustra reuerso
Has Marcella domos, paruaque regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, malo meos.

Idem Græcè.

Τοῦτ' ἄλσος, κρῆναί τε, καὶ ὑμμείδων τόδ' ὕφασμα
Εὔσκιον, ἥτ' ἐλατὴ ῥύακος ὑδροχόη,
Καὶ λειμὼν, καὶ Παιστῷ ἐρίζοντες ῥοδεῶνες,
Χείματί τ' οὐ ῥιγεῦν τηλεθάον λάχανον
Ἔγχελυς ἐν στεγανοῖσι τιθασσεύουσα κολύμβοις,
Ἥτ' ὄρνις λευκὴ πύργοις ἔχουσ' ὁμόχροας,
Μαρκέλλης δῶρ' ἐστί. μεθ' ἑβδομάδας λυκαβάντων
Πέντε, μοι ἐρχομένῳ μικρὰ τάδ' οἰκί' ἔδω.
Εἴ μοι Ναυσικάα πατρείους ἐχαρίζετο κήπους,
Εἶπον ἂν Ἀλκινόῳ, τούσδε προαιρέομαι.

DOMITIVS.

Hoc nemus] Marcella, cuius supra meminit, istriguos hortos ei donauerat, quos hoc epigrammate celebrat.

Textilis vmbra] Dicitur quæ ex textis & insertis in vicem ramis fit.

Svpini] Iacentis, & hærentis.

Dvctile] Quòd aliunde deriuatur.

Pæstvm] Oppidum Lucaniæ vbi rosæ vernant bis singulis annis, vt triferæ dicuntur in Sannio.

Olvs] De caule intelligit, cuius perpetua viriditate hyems etiam vernat, & colliculi Apitij industria pruina ad condimenta parabantur: supra,

Algentem modo, qui reliquit hortum.

Nec alget] Nec vllum signum frigoris præbet.

Tvrris] Peristerium siue columbarium.

Candida] Nam calce ex præcepto Columellæ tectoria obstruebantur columbaria, ne feles, & meles possent irrepere.

Similes aues] Columbas candidas.

Regna] Agellum.

Navsicaa] Filia fuit Alcinoi regis Phæacum: quæ naufragum Vlyssem ad regiam paternam ex littore perduxit: longum extat Homer. carmen. Horti autem & pomaria Alcinoi inclyta sunt monumentis & Græcorum & Latinorum. Bifera erant vt scrib. Homer. & Papin.

Quid bifera Alcinoi referam pomaria regis?

Malo meos] Potius volo, quos dedit Marcella, quàm tuos.

In Vacerram. XXXII.

O Iuliarum dedecus Kalendarum,
Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi:
*Quas non retentas * pensione pro bima* (*Pensio hic merces est ædium aut cellularum conductarum. Turn. l. 30. cap. 16.)
Portabat vxor rufa crinibus septem,
*Et cum sorore * cana mater ingenti.* (*v. Casta, sed cana magis ad rem facit.)
Furias putaui nocte ditis emersas.
Has tu priores frigore, & fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare cliuum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, & bipes mensa,
Et cum lucerna, corneoque cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphoræ ceruix.
Fuisse gerres, aut inutiles manas
Odor impudicus vrcei fatebatur,
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tolosatis,
*Quadrima nigri nec corona * pulei,* (*Puleium, extrito, g. pro Pulegium, & Cicero & Columella legunt. Pulegium enim aridũ ipso brumali die florescere solet Cic. lib. 2. de Diuinat.)
Caluæque restes allioque, cepisque,
Nec plena turpi matris olla resina,
Summaniana qua pilantur vxores.

Quid quæris ædes, villicósque derides,
Habitare gratis, ô Vacerra, cùm possis?
Hæc sarcinarum pompa conuenit * *ponti.*

* Rogatores enim & mē dici pontes frequentabāt.

DOMITIVS.

O *Iuliarum.*] Vacerram deridet, qui Kalendis Iuliis rus migrabat, vt diues videretur, & alicuius æstimationis: nam Kalendis Iuliis, vt ex Tranquil. in Tiberij vita percipi licet, senatores migrabant rus, nec ante licebat secedere nisi auaro & ignobili. poëta recenset Vacerræ totam supellectilem eunti rus, & eius quidem inopiam deridet, qui solenni die migrabat.

PRO *bima.*] Pro pensione duorum annorum.

INGENTI.] Adulta & carente viro.

IRVS.] Mendicus fuit Ithacensis, cui nihil erat roboris præter linguam: erat autem binominis: nam olim dicebatur Arneus, postea Irus à loquacitate mendicitatis: Homer.

Arneo nomen erat quod indidit mater infanti.

Irum pueri omnes vocabant. supra.

Iro pauperior licet fuissem.

CLIVVM *Aricinum*] i. omnes pauperes, qui Aricinum locum tenent.

TRIPES.] Qui tribus pedibus sustentabatur.

MATELLA.] Vas vrinarium.

MEIEBAT.] Effluebat.

SVBERAT.] Supposita erat.

IMPVDICVS.] Fœdus.

GERRES.] Genus locustarum, vt scrib. Plin. supra.

Téque iuuant gerres.

MÆNAS.] Pisces qui colorem hyeme mutant.

CASEI *Tolosatis.*] Ex Gallia caseus Nimosensis optimus erat: afferebantur inde Tolosates mali saporis.

QVADRIMA.] Quatuor annis seruata.

CVLEI.] Manipulum seruare docet Cato in re rustica, ad rustica cibaria condienda.

CORONA.] Manipulum.

RESTES.] Appellat colligata allia.

DERIDES.] Quid videris deridere villicos tam tenui supellectile, dum eorum paupertatem ipsis, ad quos accedis, repræsentas?

PONTI.] Proseuchæ pontis, i. ista supellectile habitare inter mendicos ad pontem, non cum villicis.

GRATIS.] Sine pensione.

De Labieno. XXXIII.

Vt pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

DOMITIVS.

VT *pueros.*] Iocus est ex dictione.

FICETVM.] Dicitur locus vbi multæ arbores ficulneæ sunt. Item ficetum potest dici vbi multi sunt laborantes fico morbo: cùm Labienus hortos vendiderit, & emerit pueros laborantes fico morbo, quem assidua subagitatio creabat.

FICETVM *habet.*] i. multos ficos, cùm poëta videatur dicere nihil, nisi consitum ficis.

A

Ad Iulium. XXXIV.

Triginta mihi, quatuórque messes
Tecum, si memini, fuere Iuli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris,
Sed iucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc, & illuc
Diuersus, bicolórque digeratur:
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quadam,
Et tristes animi cauere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
B *Gaudebis minus, & minus dolebis.*

DOMITIVS.

TRIGINTA.] Consilium est à perito, vt si velis agere felicem vitam, nulli te facies nimium familiarem: nam neque felicitate amicorum nimium ita poteris efferri, nec calamitate nimium torqueri. Siue enim nimium gaudeas, siue doleas nimium perturbatio est vitæ quietæ.

IVCVNDA.] Pars voluptatis.

BICOLOR.] Niger, & ruber.

* CANDIDA *turba.*] Candidorum lapillorum.

CAVERE.] Declinare.

MORSVS.] Tristem mœrorem animi.

C

Ad Callistratum. XXXV.

Tamquam simpliciter mecum Callistrate viuas:
Dicere præcisum te mihi sæpe soles.
Non es tam simplex quam vis, Callistrate, credi.
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

DOMITIVS.

TANQVAM.] Eodem argumento supra scripsit in Seniam, quæ vt fellationis crimen dissimularet, dicebat se esse fututam à latronibus: nam hic Callistratus dicebat se esse præcisum, cùm irrumationis D crimen vellet tegere: quod poëta indicat ex coniectura: nemo enim scelus aliquod fatetur, nisi maius velit dissimulare.

TANQVAM *viuas mecum.*] Tanquam mihi soli omnia aperias.

TACET *plura.*] Vult dissimulare grauiora: & qui fellant, vt diximus, tacent.

In Labullum. XXXVI.

Libras quatuor, aut duas amico,
Algentémque togam, breuémque lanam,
Interdum aureolos manu crepanteis:

Poßint ducere qui duas Kalendas,
Quòd nemo, nisi tu Labulle donas,
Non es, crede mihi, bonus. quid ergo?
Vt verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecásque Memmiósque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus vltimus bonorum.
Vis cursu, pedibúsque gloriari?
Tigrim vince, leuemque Passerinum.
Nulla est gloria praterire asellos.

DOMITIVS.

LIBRAS.] In Labullum, qui paruis muneribus volebat videri liberalissimus, cùm omnes sui temporis auaros superaret. Poëta ait eum dignum esse laude, facile enim est auaros liberalitate superare, quòd si contendet cum antiquis, erit illorum vltimus: cùm sibi videatur suorum temporum primus.

AVREOLI.] Numismata erant, quæ præter cætera tinnitum habebant: vt supra,
Qui crepet aureolos forsitan vnus erit.

DVCERE.] Substentare amicum duobus mensibus.

OPTIMVS.] Liberalissimus auarorum.

REDDE.] Mihi repræsenta liberalitate tua.

SED *priores.*] Antiquos non nostri temporis.

FIES *vltimus.*] Quia vltimum locum non assequetis.

TIGRIM.] Supra,
Vtrum ne currat Passerinus, an Tigris.
Nam velocissimi erant: comparat Tigrim & Passerinum antiquis.

ASELLOS.] Nouis & recentioribus.

In nasutum. XXXVII.

Nasutus nimium cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

DOMITIVS.

NASVTVS.] Nasuti dicuntur, qui acriter iudicant: in eos scribit, qui vt scire aliquid viderentur, acriter potius quàm peritè iudicabant: ex metaphora igitur huiusmodi homines appellat polyposos. Polyposi sunt, quorum nasus polypo morbo in fœdam magnitudinem excrescit.

NASVTVS.] Nimium iudicator.

GEORGIVS.

Nasutus nimium cupis videri.

Nasutum volo, nolo polyposum.] Postea quam de naso toties disseruimus, iam possum coarguere hominem de iudicio nasi, quo non ad iudicium, sed ad dolosam irrisionem vtimur, nec est sensus quem hic putat, immo potius notat ineptum derisorem, qui absurdis dictis iocetur, quo nomine polyposus, hoc est immundi & non emuncti nasi, quam nasutus appellari potest, sed in diffinitione polypi & audax & insanus videtur plura dicere, nisi alibi de polypo abunde tractauissem: non enim nasus excrescit, in fœdam magnitudinem laborantibus polypo: sed potius caro interiora nasi occupat intumescens maxime flante Euro.

Ad candidum. XXXVIII.

Hunc qui fœmineis noctésque diésque cathedris
Incedit tota notus in vrbe nimis.
Crine nitens, niger vnguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber.
Vxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret:
Non est quod timeas Candide: non futuit.

DOMITIVS.

HVNC *qui.*] Mollem designat, qui vxori Candidi amici hærebat, vt vir videretur, cùm esset cinædus.

NON *est quod timeas.*] Non debes timere.

GLABER *crure.*] Depilato crure.

IMPROBVS.] Insatiabilis.

NON *futuit.*] Quia est cinædus, vt supra.
Irrupi Lupe, non erat cinædus.
Quia scilicet ille futuebat, sed hic pædicabatur.

In Sabellum. XXXIX.

Odi te, quia bellus es Sabelle.
Res est putida bellus, & Sabellus,
Bellum denique malo, quàm Sabellum.
Tabescas vtinam Sabelle, belle.

DOMITIVS.

ODI *te.*] Sabellum deridet qui bellus nolebat dici, cùm perabsurda sit appellatio voce ipsa, vt dicas Sabelle belle.

BELLVM.] Mutilato nomine à Sabello.

BELLE.] Iocus est in voce.

TABESCAS.] Fias tabidus. Alludit ad illud *Res putida*: nam res putidæ tabescunt: volo, inquit, potius bellum Sabellum. i. mallem tamen bellum præcurto nomine, quam Sabellum bellum: nam bis bellum ita inculcamus.

SABELLE *belle.*] Vocantis est, & deridentis inculcationem nominis dicereris inepte.

In Pontilianum. XL.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto, bibis Pontiliane, bibo.
Pedis, dissimulo: gemma vis ludere, vincor.
Res vna est sine me, quam facis, & taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi. mortuus, inquis,
Accipiam bene te. nil volo: sed morere.

A

DOMITIVS.

MENTIRIS.] In Pontilianum, qui poëtæ omne genus officij præstanti nihil dabat, sed pollicebatur se daturum post mortem: nihil ait se velle Martial. nisi vt moriatur, vt ostendat eum stultum, qui amico ex morte spem proponat, cùm ea sit causa non conciliandi amici, sed vt mortem optet.

GEMMA.] Latronibus.

DISSIMVLO.] Ostendo non audiuisse.

VINCOR.] Cedo.

QVAM *facis.*] Prædicas.

ACCIPIAM *bene te.*] Id est, bonis relictis bene tecum agam.

In Tuccam. XLI.

Non est Tucca satis, quòd es gulosus:
Et dici cupis, & cupis videri.

DOMITIVS.

NON *est.*] In Tuccam, qui & gulosus erat, & ita volebat videri: eodem argumento supra in eum, qui volebat videri pauper, & erat.

De Callistrato & Afro. XLII.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est. nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis? exspectas nũquid & vt pariat?

DOMITIVS.

BARBATVS.] Seniorum nuptias celebratas iusto ferme ritu testatur Iuuenal.

——Nubit amicus
Dixit: & Nero suo Pythagoræ nupsit.

Qui & Doriphorus dicebatur: nuper Callistratus Afro nupserat celebratis nuptiis: in quo poëta vrbis patientiam detestatur, quòd sileat tanquam partum expectet.

RIGIDO.] Id est, mentulato & mutoniato: erat enim draucus.

FACES.] Tædæ geniales, nam ante ferebantur faces vna cum aqua, vt ait Varro.

THALASSE.] Nuptiarum Deus, proprium erat carmen vt supra.

Quid si me iubeas Talassionem
Verbis dicere non Talassionis.

VT *pariat?*] Vt illud Iuuen.

Interea tormentum ingens nubentibus hæret:
Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos.

In Sabellum. XLIII.

Facundos mihi de libidinosis
Legisti nimium Sabelle versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris nouæ figuræ:
Quales perditus audiat fututor.
Præstent, & taceant quid exoleti,
"Quo symplegmate quinque copulentur; "v. Qua symplegade alij symplegmate, i. complexu.
Qua plures teneantur à cathena:
B *Exstinctam liceat quid ad lucernam.*
Tanti non erat esse te disertum.

DOMITIVS.

FACVNDOS.] Sabelli poëtæ imprudentiam carpit, qui composuerat carmen de vario concubitus genere, atque eum non debuisse tanti facere ingenij, & eloquentiæ suæ laudem, vt hæc scriberet puellæ.

DIDYMI.] Mangonis, qui Didymus dicebatur. Nam Spasio & Hemus puellas quidem habebant molli carmine eruditas. Papin.

Diues Spasio quos agit tumultus.
Hæc intrant faciles Hemi puellæ.

Sed Didymus molliores habebat: nomen tali magistro conuenit, cùm supra legerimus Didymum spadonem, & mollem, hoc magis placet, quàm vt dicas Didymi, id est, Phrygiæ à monte Didymo.

C ELEPHANTIDOS *lib.*] Scripsit varia concubitus genera Elephantis. ex eius libris Tiberius cubiculum instruxit editis picturis, quales libri designabant. & Virgilij lasciuo carmine Elephantis nobilis est, vbi Lalage tabellam vnam dicat Priapo.

ILLIC.] In libris tuis.

NOVEM.] Nouem genera concubitus.

TACEANT.] Fellationem.

QVO *symplegmate.*] Id est, quo amplexu. Symplegma est complicatio.

CATHENA.] Serie in speciem cathenæ.

TANTI] i. tanti non debeas facere te haberi disertum, vt hæc scriberes: debuisses in aliis rebus eloquentiam, & ingenium ostentare.

GEORGIVS.

D DIDYMI *sciunt puellæ.*] Hic enarrator non solum sua temeritate Martia. inuoluit, sed & vna opera siluas Papinij contaminat, & patentes sensus sua quadam affectata disquisitione obscurat, & interim corrumpit, si quidem apud Stati. legimus.

Diues Sparsio, quos agit tumultus.

Qui calen. Decembris Do. sub noctem iussisset spargi in populum missilia omnium generum, quam rem Mar. sæpe notauit. quid? non legimus spargere stipem? idem sparsio, quid? non Suet. de eodem Do. sic ait, Inter spectacula muneris largissimum epulum septimumciali sacrorum die quidem senatui, equitique panaris plebeis sportellis cum obsonio distributis initium vescendi primus fecit, diéque proximo omnigenus missilia sparsit: quam rem & idem Sta.

significat, nam ad Domi. conuersus sic ait.

Vna vescitur omnis ordo mensa:
Parui, fœmina, plebs, eques, senatus,
Libertas reuerentiam remisit.
Et tu quin etiam (quis hoc vocare?
Quis promittere possit hoc Deorum)
Nobiscum socias dapes inisti.
Iam se, quisquis is est, inops, beatus
Conuiuam ducis esse gloriatur.

Et paulo infra.

Iam noctis propioribus sub vmbris
Diues sparsio, quos agit tumultus.

Quis obsecro, nisi mente captus, hæc clarissimorum scriptorum dicta non contulisset? sed & Sene. scrib. rhetorem quendam huiusmodi sparsiones odoratos imbres dixisse: ad quam sententiam alludere Sta. videtur his versibus.

Non tantis hyas inserena nimbis
Terras obruit aut soluta pleias,
Qualis per cuneos hyems Latinos
Plebem grandine concutit serenam.
Ducat nubila Iuppiter per orbem,
Et latis pluuias minetur agris.
Dum nostri Iouis hi ferantur imbres.

At quàm falso exponit,

Huc intrant facilis Hemi puella.

Nam cum emi sit infinitiuus ab emor emeris, contra naturam syllabæ de nomine proprio intelligit, cuius prima syllaba apud Iuue. producitur.

Cum molli Demetrius Hæmo.

Et rectè quidem: nam per diphthongum scribitur à Græcis, sed & sensus expeditior est, si verbum legerimus emi, hoc est quæ paruo precio conduci possunt. quod & Martia. tetigit, vbi dicit.

Si plebeia Venus gemino tibi vincitur asse.

Et Horati. ait, se amare parabilem, facilémque Venerem, hoc est quæ paruo pretio paratur.

Ad M. Vnicum. XLIV.

Vnice cognato iunctum mihi sanguine nomẽ,
Quique geris studijs corda propinqua meis.
Carmina cùm facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cùm tenero te posset amare Catullo,
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
v. Non deerant. *Nec deerant Zephyri, si te dare vela iuuares:* v. Iuuabis.
Sed tu litus amas. hoc quoq; fratris habes.

DOMITIVS.

VNICE *cognato.*] Ad M. Vnicum, qui elegiacum carmen scribebat, & abstinebat heroico, ne æmulus fratri videretur, quemadmodum supra dixit de Turno in Memorem: alius codex habet Attice cognato.

COGNATO *sanguine.*] Quia erat affinis.

PROPINQVA.] Qui eadem studia amas, quæ ego.

LESBIA.] Amica Catulli.

TE *posset amare.*] Adeo eleganter scribis.

ZEPHYRI.] Fauor ingenij.

A DARE *vela.*] Scribere graue carmen, tractum à nauigantibus.

HABES *fratris.*] Et in hoc fratris officium demonstras, quoniam non vis certare cùm posses.

Ad Phœbum. XLV.

Hædina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticémque caluæ;
Festiuè tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit caput esse calciatum.

DOMITIVS.

HÆDINA.] Pellicea veste vtebantur olim, quam scorteam vocabant, vt dicetur in distichis, Phœbus nuper caput texerat indumento corij, quidam iocans dixit eum habere caput calceatum, quod vrbaniter, & vere dictum poëta laudat. B

NVDA *temporum.*] Nam hic carens pilis, pellem hædi apposuerat, vt ita caluam tegeret, & ostentaret pilos.

Ad Classicum. XLVI.

Vendunt carmina Gallus, & Lupercus.
Sanos Classice nunc nega poëtas.

DOMITIVS.

C VENDVNT.] Gallus & Lupercus mali poëtæ insani habebantur, tam malorum carminum emptores inueniebant: iam sanos & prudentes esse dicit, qui sciant vendere mala carmina.

In habentem varios mores. XLVII.

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem,
Nec tecum possum viuere, nec sine te.

Idem Græcè.

D Δύσκολος, εὔκολος, ὁ ἰσπάπλός δ' ἅμα καὶ πικρὸς ἐσσί·
Οὔ δύναμαι σοὶ ζῆν' ἀπόλλυμαι οἴα. [illegible]

DOMITIVS.

DIFFICILIS.] In Varium amicum, cuius moribus modo alienabatur, modo alliciebatur.

TECVM.] Propter acerbitatem.

SINE *te.*] Propter iucunditatem.

In lautum inuitatorem. XLVIII.

Boletos & aprum si tamquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota: volo.

Si fortunatum fieri me credis, & heres
Vis scribi, propter quinq; Lucrina: vale.
Lauta tamen cœna est: fateor lautissima: sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil,
Quòd sciat infelix[a] dãnatæ spongia[b] virgæ,
Vel quicumque canis, iunctaque testa viæ.
Mullorum, leporúmque & suminis exitus hic est,
Sulfureúsque color, carnificésque pedes.]
Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ, pontificúmque dapes.
Imputet ipse deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Conuiuas alios cœnarum quære[c] magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ.
Me meus ad subitas inuitet amicus ofellas:
Hac mihi, quã possũ reddere, cœna placet.

[a] vide Com. Vitellij Annotationes in Georg. Merulam. [a] v. damnata. [b] v. virga. [c] Magister.

DOMITIVS.

BOLETOS.] Ex stomacho scribit epigramma in captatorem, qui cœnam dabat, vt scriberetur hæres: quam cœnam, etsi lauta videtur, acerbissimam sibi esse scribit poëta, neque tangi à se, sed malle inuitari ad tenuem cœnam, quam possit reddere.

SI *tanquam vilia.*] Si lege, & non sic, vt mendosi habent codices.

TANQVAM *vilia.*] i. tanquam paruifaciens ea.

MEA *vota*] i. me capis iis cibis.

VOLO.] Gustabo.

VALE.] Non cœnabo tecum.

PROTINVS *immo nihil.*] i. cùm primum fuerimus cœnati, nihil erit. nam gulæ voluptas statim finitur. Præterea ea tota conuerteretur in emissionem ventris, quæ à cane lambetur, aut in lotium versa fundetur in testam proximam viæ: quodque grauius est, hoc vnum in cœna lautissima manet, vt sulfureo colore simus & podagrosi.

QVOD *sciat.*] Spongia & ad mensas tergendas vtebantur, & ad vasa in demissione ventris polluta, ea dicebatur spongia damnata. damnata enim instrumenta dicimus turpibus ministeriis dicata.

INFELIX *spongia.*] Dicata tam vili ministerio.

SCIAT.] Sentiat abstergendò.

DAMNATÆ *virgæ.*] Nam spongia virgæ alligabatur.

QVICVMQVE *canis.*] i. quid erit mihi cœna, quam paulo post in stercus emissam canis lambet? Verecunde se ex ea cœna nihil habiturum significat, dum vult ostendere se paruifacere.

TESTA.] Testæ viis proximæ erant in quas prætereuntes meiebant. Titius in oratione, quia legem Fanniam suasit: Dum eunt nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habent.

PEDES *carnifices.*] Podagrosi.

ALBANA.] Epulum in Albano instituerat Dom. i. non tanti facere epulum Albanum, vt vellem pati hæc.

NEC *Capitolina.*] Intelligit de septemviris epulonibus, qui in Capitolio epulabantur.

A DAPES *pontificum.*] Lautiores, & luxuriosæ erant: hæ dicebantur adipales, vt alij scribunt adiiciales, Festus, & Plinius authores. vide Macrobi. de cœna Metelli pontificis, quam lauta fuit.

IPSE *Deus.*] Vel Iuppiter, vel imperator.

IMPVTET.] Si laudat, & magnificat.

VAPPA.] Significat fecem vini, vt Probo placet. vt alij scribunt vilius vinum est.

PERFIDA.] Id est, venenata.

MAGISTER.] Structor cœnarum.

SVPERBA.] Felicia, & magnifica.

CAPIVNT.] Denunciant, & delectent.

SVBITAS.] Ad imparatos cibos.

GEORGIVS.

Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
Vel quicumque canis, iunctaque testa viæ.] Similis hic mihi videtur homini per tenebras ambulanti, & quidquid occurrerit apprehendenti, & perinde nonnumquam grauiter, ac turpiter casum facienti. nam de spongia nihil nisi commenticium hic nugator tradit. nos autem quæ apud Senecam legimus de spongia subiungemus. De morte præoccupanda ad Lucilium hæc scrib. Nuper in ludo bestiariorum vnus è Germanis, cùm ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus, nullum aliud illi dabatur sine custode secretum ibi lignum, quod ad emundanda obscœna adhærente spongia ponitur, totum in gulam farsit, & in præclusis faucibus spiritum emisit. hoc fuit morti contumeliam facere. Per hæc Senecæ verba, quæ foret spongia damnatæ virgæ iam cognoscitur. hic ergo videtur sensus Poëtæ, vt intelligat de cœna illa opipara nihil superaturum, quod sit aut custodi infelicis spongiæ dandum. Nam loca illa vbi solent saturi ventrem exonerare, mendici sæpe obsident, necnon & canes comedunt, hoc est agentes vitam cynicam: aut testa iuncta viæ, hoc est, egeni stipem quærentes in marginibus viarum. Tertulianus in apologetico scribit, morem fuisse bestiariis suprema cœnantibus in publico discumbere. Quare per spongiam damnatæ virgæ bestiarium capiemus, cui in publico discumbenti cum bestiis objiciendus foret, nihil reliquiarum de illa cœna dari possit.

Ad Pædagogum. XLIX.

[a] Crinitæ Line pædagoge turbæ,
Rerum quem dominum vocat suarum,
Et credit cui Postumilla diues
Gemmas, aurea, vina, concubinas:
Sic te, perpetua fide probatum,
Nulli non tua præferat patrona:
Succurras misero precor furori,
Et serues aliquando negligenter
Illos qui male cor meum perurunt:
Quos & noctibus & diebus opto
In nostro cupidus sinu videre,
Formosos, niueos, pares, gemellos,
Grandes non pueros, sed vniones.

[a] Turneb. li. 26. cap. 21.

DOMITIVS.

CRINITÆ.] Linus pædagogus libertus Posthumillæ, tantæ erat apud Patronam gratiæ, vt ei committerentur gemmæ concubini totum penu. Poëta nunc geminos pòscit, cùm videatur velle petere pueros geminos, petit vniones. Acumen poëtæ ex eo est, quòd ad exitum vsque epigrammatis habet lectorem suspensum, quasi petiturus sit concubinos, cùm tandem petat vniones.

TVRBÆ *crini.*] Puerorum crinitorum.

NVLLI.] Non omnibus.

PARES.] Laus est vnionibus.

NON *pu.*] Scilicet peto vt putabas.

SED *vniones.*] Et ita risum mouet.

In habentem amœnas ædes. L.

Daphnonas, platanos, ac aërias cyparissos,
Et non vnius balnea solus habes.
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.
Puluereumque fugax hippodromon vngula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus vbique sonat.
Atria longa patent: sed [a] *nec cœnātibus vsquā,*
Nec somno locus est. quā bene non habitas.

[a] v. non cœnat tibi quisquam.

DOMITIVS.

DAPHNONAS.] Diuitis auaritiam deridet, qui locum amœnum parauerat arboribus, porticibus, balneis, riuulis aquarum, nusquam aperta cœnatione amicis. locum igitur pulchrum habebat ad non habitandum, cùm nec dormiret illic, nec cœnaret.

DAPHNONAS.] Loca lauro consita dicuntur Latinè laureta.

PLATAN.] Ad vmbram tantum ferebantur.

CYPARISSOS.] Cupressos. cyparissus cupressum significat. nam in delitiis erat cupressus, quæ variis animalium figuris formabatur.

NON *vnius balnea.*] Non priuata sed magnitudine prope publica.

SOLVS *habes.*] Superas alios lauretis. vel solus habes, quia hæc non communicas cum amicis, quos cœna non accipis. vt supra,

Omnia solus habes. Iuuen.
Gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet.

STAT.] Erecta est, centenis columnis sustentata.

ONYX.] Lapis onychites, qui in pauimentis & thermis erat preciosus. onyx pauimentum ex onychite lapide.

HIPPODROMOS.] Spatium est, quo equi cursus exercetur. ἵππος Græcè, Latinè significat equum, δρόμος cursum. hîc accipit locum spatiosum, quo currens equus posset euagari.

VNGVLA *fu.*] i. vngula celeris.

VBIQVE *sonat.*] Vbique resonat.

VBIQVE.] Toto domicilio.

SED *nusquam locus cœnantibus.*] Id est, nusquam est cœnatio, & nec locus vbi dormias, cùm ergo

A non habeas hæc, non habes vbi habites: erat enim inhospitalis, & amicos non accipiebat mensa.

De Fabullo. LI.

Tam sæpe nostrum decipi Fabullum, quid
Miraris Aule? semper bonus homo tiro est.

DOMITIVS.

TAM *sæpe.*] Notat versutiam hominum suorum inter quos vir bonus semper decipitur. Fabullus igitur ea de causa sæpe decipiebatur.

TIRO *est.*] Id est, semper imperitus, tanquam miles nouus inter veteranos.

B

Ad Semproniam. LII.

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hîc situs est, hîc ille tuus, Sempronia, Rufus:
Cuius & ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo,
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redisti:
Illa virum voluit nec repetita sequi.
Ridet, & Iliacos audit Menelaus amores:
Absoluit Phrygium vestra rapina Parim.
C *Accipient olim cùm te loca læta piorum,*
Non erit in Stygia notior vmbra domo.
[a] *Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas:* [a] Vide Tarn. li. 21. cap. 6.
Iste tibi dominam conciliauit amor.

Idem Græcè.

Στέμμασι Πιερίοις εἰωθὼς κρᾶτα πυκάζειν,
Ἡ πολλάκις γοερῇ γλῶσσα διωκομένοις,
Κεῖνος ὁ σὸς Ῥοῦφος, Σεμπρωνία, ἐνθάδε κεῖται·
Οὗ καὶ πυρσοῦται λείψανα σῷ πόθῳ.
D Τερπνὸς ἐν Ἠλυσίῳ πεδίῳ θρυλλισμὸς ἀκούεις.
Σοῦ τε πρὸς ἁρπαγμὸν Τυνδαρὶς ἐξεπλάγη.
Νόστῳ δ' ἐμμόναθης σὺ τὸν ἁρπακτῆρα λιποῦσα.
Ἡ δ' οὐχ ἕσπετό μιν τ' ἀνδρὶ μετερχομένῳ.
Ἰλιακοὺς γελόων αἴει Μενέλαος ἔρωτας·
Τὸν Φρύγ' ἀθωώσας δ' ἁρπαγὴ ὑμετέρη.
Ἀλλ' ὁπότ' εὐσεβέων σε δεδέξεται οἶκος ἁπάσας,
Μέλλεις ταῖς ψυχαῖς κἀνθάδε προευδοκιμεῖν.
Περσεφόνη πεφίληκ', οὐκ ἀλλοτρίην σφε βλέ-
πουσα,
Ἁρπακτάς· οὐδ' ἔρως σοὶ φιλίωσε θεάν.

DOMITIVS.

TEMPORA.] Rufus in tumulo celebratur, cuius vxor rapta fuerat, sed ea deserto raptore, redierat ad maritum. hoc totum epigramma non tam commemorat mortem Rufi, quàm raptum Semproniæ.

REIS.] Clientibus non minus quàm poëta.

TYNDARIS.] Helena.

AD *tuos rap.*] i. dum audit te raptam redisse ad virum.

ABSOLVIT.] Id est, liberat odio.

LOCA *læta.*] Id est, Elysij campi.

NON *aliena.*] Non alieno animo.

ISTE *amor.*] Rufi quo arsit in te Placet quòd potius fuerit rapta à Rufo, quàm quòd fuerit coniux.

DOMINAM.] Proserpinam.

In Paternum. LIII.

Nummi cùm tibi sint, opesque tantæ,
Quantas ciuis habet, Paterne, rarus:
Largiris nihil, incubasque gazæ,
Vt magnus draco, quem canunt poëtæ
Custodem Scythici fuisse [*] *luci.* v. aldi.
Sed caussa, vt memoras, & ipse iactas;
Diræ filius [*] *est rapacitatis.* v. ex.
Et quid tu fatuos, rudésque quæris,
Illudas quibus, auferásque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti.

DOMITIVS.

NVMMI.] In Paternum auarum iocatur, qui nihil amicis dabat, afferens causam per iocum, quòd ipse esset filius rapacitatis. tu, inquit poëta, numquam fuisti filius vitij. sed pater peritissimus.

CIVIS *rarus.*] Id est, magni ciues.

LVCI *Scythici.*] Id est, templi Martis. nam vellus aureum lx. stadijs à regia Colchorum, vt scribit Diodo. in templo Martis custodiebatur à dracone vigili, quem Medea veneficijs in gratiam Iasonis necauit, vnumquodque templum suum habebat lucum: vnde lucum pro templo accipimus. Scythicum autem propter Martem, qui Thrax & Scytha est, & illic Scythæ sunt, vnde alibi Geticum legimus Martem.

ET *quid quær.*] Id est, cur non quæris.

ILLVDAS *quibus.*] Id est, quos fallas.

In Zoilum. LIV.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

DOMITIVS.

CRINE.] Fieri non potest, vt Aspasius scribit, vt qui omnino deformis est bonus sit, ex hoc Poëta in Zoilum scribit, quem ex oris deformitate malum esse suspicatur.

A LVMINE *læsus.*] Luscus scilicet.

REM *magnam facis.*] Nam tanta deformitate homines non solent esse boni: Mirum igitur est, si es bonus.

Ad Puellas. LV.

Gratis qui dare vos iubet [*] *puellæ,* v. puellis.
Insulsissimus, improbissimúsque est:
Gratis ne date, basiate gratis.
Hoc Ægle negat, hoc auara vendit.
Sed vendat bene, basiare quantum est.
Hoc vendit quoque nec leui rapina:
Aut libram petit illa Cosmiani,
B *Aut binos quater à noua moneta:*
Ne sint basia [*] *multa, nec maligna,* v. muta legendum putat Dousa.
Nec clusis aditum neget labellis.
Humanè facit hoc tamen, sed vnum est,
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Ægle.

DOMITIVS.

GRATIS] In Æglen meretricem, quæ cùm gratis fellaret, basia postea vendebat: humane inquit Poëta facit, quòd magno precio vendit basia, ne sæpius basietur cùm sit fellatrix. Fellatricis enim osculum impurissimum est.

C HOC.] Basiare.

BENE *ven.*] Id est, magno precio.

LIBRAM *cosmiani.*] Id est, foliati vnguenti.

QVATER *binos à noua moneta.*] Id est, octo flauios.

BASIA *non muta.*] Id est, non sine lingua inserta.

FACIT *hoc hũmane.*] Nam si daret gratis, multi basiarent, & oris fœtore offenderentur.

LINGERE.] Id est, fellare. alibi,

Lingas non mihi.

In Polycarmum. LVI.

Ægrotas vno decies, aut sæpius anno;
Nec tibi, sed nobis hoc Polycarme nocet.
D *Nam quoties surgis,* [*] *soteria poscis amicos,* v. solebant valetudine sibi pro salute recepta munera, quæ σωτήρια & σῶστρα vocabant, amicos poscere. Scripsit & Statius Soteria, pro Rutilio Gallico.
Sit pudor: ægrota iam Polycarme semel.

DOMITIVS.

ÆGROTAS.] In Polycarmum, qui vt munera ab amicis exigeret sæpius simulabat se ægrotare. Nam conualescentes dona ab amicis poscebant, quæ Diis vouerant pro salute. ea dicebantur soteria. nam σώζω significat seruare, vnde soteria dona data amico seruato, & reduci. Papin. carmen quod pro Rutili Gallici salute cecinit, soteria appellauit, hoc, quod diximus, argumento.

CVRSVS *esfedo*] Id est, spatium currendo, id est, tu habes gestationem: nam gestatio erat locus vbi gestabantur, ob valetudinem, vel de Hippodromo, vt supra dixit.

——Pulueream que fugax
Hippodromon vngula plandit.

SOMNVS *in profundo*] i.altus somnus est.

NEC *dies nisi admissus*] i.non tibi est lux nisi quando volueris aperire molestias vrbis, quas ne in cubiculo quidem licuit euitare.

Ad Alaudam. LVIII.

Vide Corn. Vitellij Annotationes in Merulã, & Turn. lib. 30. cap. 16.

Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa
Lecticariola est: estis Alauda pares.

DOMITIVS.

ANCILLARIOLVM] Ancillariolus dicitur, & qui ancillas sectatur, & qui ancillare officium præstat. Vxor obiurgans Alaudam maritum, quòd ancillare officium subiret, vel quòd ancillas sectaretur, appellabat eum ancillariolum: ipsa rem habebat cum lecticarijs: nam & ancillariolus & lecticariolus nomina sunt seruilia.

ALAVDA] Alludit ad nomen, cùm vtrunque sit seruile. Alauda hîc proprium nomen, alibi est auis nomen, quæ nomen dedit legioni. legionis Alaudæ meminit Sueton. & Cicer. in Anton. & ad Atticum, & Plin.

GEORGIVS.

ANCILLARIOLVM, &c.] De consuetudine Romana sumptum verbum, atque iocum nimis insulsè interpretatur arrogans literator: ergo humile & seruile nomen est Ancillariolus. Audi Senec. de beneficijs hæc scribentem: Si quis nulla se amica fecit insignem, nec alienæ vxori* anulum præstat, (*al. annuã.*) hunc matronæ humilem & sordidæ libidinis & ancillariolum vocant. inde certissimum sponsaliorum genus est adulterium, & in consensu vidui cœlibatus nemo vxorem duxit nisi qui abduxit. Hic igitur erit sensus, Vxor tua ô Alauda, quemadmodum solent matronæ Romanæ, quòd nulla amica te insignem fecerit, nec alienæ vxori anulum præstiteris, ancillariolum & sordidæ libidinis vocat, vtpote existimans parum firmum matrimonium, quando priùs nulli certo amori te addixeris: in vxorem autem rectè poteris conuicia regerere, si eam appellaueris lecticariolam, vt quæ certum nunquam amatorem habuerit: sed ancillariolum ab ancilla deriuari puto, dum prostitutam & lenoni seruientem significat: vnde Plin. Messalina Claudij Cæ. coniux regalem existimans palmam elegit in id certamen nobilissimam è prostitutis ancillam mercenariæ stipis.

De importunis basiatoribus. LIX.

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reuerso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo.
Hinc sutor modò pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc * *defioculus, & inde lippus,* (*luscus, cui vnus deest oculus.*)
Fellatorque, recensque cunnilingus.
Iam tanti tibi non fuit redire.

DOMITIVS.

TANTVM] Sæpe detestatus est basiatores: idem facit nunc cùm amicus reuersus à basiatoribus dissuauietur.

VICINIA] Tribules.

OSCVLO *hircoso*] Fœtido.

DEFIOCVLVS] Cui deest oculus dicitur, ita habet codex antiquus: alij codices habent dexiocùlum: hoc est. qui dextrum tantum habet oculum: placet prior scriptura.

LIPPVS] Vtroque oculo stillante.

RECENS] Qui nuper fuit in opere.

NON *tanti*] Hoc est, non debeo tanti facere reditum, vt hæc velis pati.

Ad suum natalem. LX.

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnáque siderei vidimus ora Dei:
Si te rure coli, viridésque * *pigebit ad aras,* (*v. pudebit.*)
Qui fueras Latia cultus in vrbe mihi:
Da veniam, seruire tuis quòd nolo Kalendis,
Et qua sum genitus, viuere luce volo.

DOMITIVS.

MARTIS] Natalem in agro celebrat, quem in vrbe solebat colere lautius: causam affert quare non sit in vrbe hoc die, quia scil velit esse eo die liber, quod in vrbe non dabatur.

ALVMNE *Martis*] Kalendæ Martiæ.

ROSEAM] Phœbeam, & solarem.

DEI *siderei*] Id est, huius diuinæ machinæ, id est, cœlum.

VIRIDES *aras*] Ad cespites incultos & virides.

CVLTVS *meis Kalend.*] Id est, die mearum Kalendarum.

VIVERE] Relaxare animum, vt sæpe est dictum.

* De Sabello. LXI. (*v. De Alauda.*)

Natali pallere suo * *ne calda* * *Sabello* (*v. nec.* *v. Sabelle.*)
* *Desit, & vt liquidum potet Alauda merum,* (*v. Desinat.*)

Albi quæ ſuperas oues Galeſi, A
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore viuo:
[a] al. ſi pudor. *Dic veſtro rogo [a] ſit pudor poëtæ,*
Ne gratis recitet meos libellos.
Ferrem, ſi faceret bonus poëta,
Cui poſſem dare mutuos honores.
Corrumpit ſine talione cælebs.
Cæcus perdere non poteſt, quod aufert.
Nil eſt deterius latrone nudo:
Nil ſecurius eſt malo poëta.

DOMITIVS.

VNCTO *Corduba*] In Cordubenſem poëtam, B qui poëtæ carmina recitabat, quod dolet cùm ſua recitet, & nihil de ſe ſcribat, quod Martial. pro ſuo velit oſtentare, in quo par pari referri poſſit: nam erat malus poëta: rogatque Cordubam illius patriam, vt eum moneat ne recitet.

VENAFRO] Campaniæ regio. Venafrum, oleo nobiliſſima. Tenet enim in eo principatum, proximum eſt Licianum non procul: tertio loco Bæthicum Hiſpaniæ, cum quo de palma certet Hiſtrum. Blandiens poëta Cordubæ eius oleum & Venefrano & Hiſtro anteponit.

VNCTO] Ferente oleas.

TESTA *hiſtra*] i. teſta olei Hiſtri.

GALESI *albi*] Flu. Tarentini, qui reddit oues candida lana.

NEC *mendax*] Quia lanæ Bæthicæ non tingebantur. C

VIVO] Natiuo.

NOSTRO] Hiſpano.

FERREM] Scilicet æquo animo.

MVTVOS *honores*] Id eſt. verſus, & egò pro meis recitarem: alius codex habet mutuos dolores.

SECVRIVS] Quia non timet, vt recitentur carmina, cùm non ſcribat.

De Cinna. LXV.

Vincentem roſeos, facieque, comaque miniſtros D
Cinna cocum fecit. Cinna guloſus homo eſt.

DOMITIVS.

VINCENTEM] Coci olim conducebantur ex macello: inualeſcente autem luxuria inter ſeruos habebantur. nuper Cinna puerum emptum pulcherrimum cocum fecit, in quo poëta iocatur: ait enim eum hoc feciſſe, quia ſit guloſus, & cùm videatur intelligere de cibis conditis, intelligit eum tales pueros amare.

GVLOSVS *homo eſt*] Hoc eſt, vult eleganter pueros ſolus.

De Phyllide. LXVI.

Formoſa Phyllis nocte cùm mihi tota
Se præſtitiſſet omnibus modis largam,
Et cogitarem mane quod darem munus,
Vtrumne Coſmi, Niceротis an libram,
An Bæticarum pondus [b] ære lanarum, [b] v. aere
An de moneta Cæſaris decem flauos:
Amplexa collum, baſioque tam longo
Blandita, quàm ſunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.

DOMITIVS.

B FORMOSA] In ebrietatem mulieris, quæ pluris faciebat vinum, quàm vllum genus pretij, eiuſque amphoram petijt à poëta, cùm prius ipſe eſſet anxius an libram vnguenti, an lanas Bæticas pro coitu daret.

LARGAM *omnibus modis*:] Liberalem omni genere concubitus.

VTRVMNE *Coſmi*] Tabernæ vnguentariæ, vt Coſmus.

DE *moneta Cæſaris*] Id eſt, Domitiani, id eſt, Flauios.

AMPHORAM *vini*] Non propter vilitatem pretij, hoc deridet potius, quàm propter genus præmij, quod ebria popoſcerat.

C

Ad Amœnum. LXVII.

Bis quinquagenis domus eſt tibi millibus empta,
Vendere quam ſumma vel breuiore cupis.
Arte ſed emptorem vafra corrumpis Amœne,
Et caſa diuitijs ambitioſa latet.
Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti,
Et Mauruſiaci pondera rara citri.
D *Argentum atque aurum non ſimplex Delphica portat:*
Stant pueri, dominos quos precer eſſe meos.
Deinde ducenta ſonas, & ais, non eſſe minoris.
Inſtructam vili vendis Amœne domum.

DOMITIVS.

BIS *quinquagenis*] Amœnus domum centum millibus emerat, quam minore etiam precio volebat vendere, ſed vt emptorem falleret ingenti ornauerat apparatu. in hunc poëta iocatur.

BREVIORE *ſumma*] i. minore precio.

CORRVMPIS] Alliciendo eum.
VAFRA] Callida, ambitiosa, luxurians, apparata.
DIVITIIS] Magnificentia apparatus.
GEMMANTES] Argento, quia incrustabantur argento, quod Seruilius primus instituit, vel quia erant Pauonini, vt in disti. dicemus.
CITRVM] Arbor in Atlante monte Mauritaniæ, vnde citreæ mensæ maximæ luxuriæ apud Romanos, vt supra dictum est.
RARA *pondera*] Id est, ingentia ligna & preciosa.
DELPHICA] Potest accipi pro nomine ancillæ, quæ ex Delphis venerit, vt alibi legimus,
Delphicum puerum: Vt intelligas Delphicam ancillam exposuisse venientibus argentum & aurum, nam & apud Hom. ancillæ penu custodiunt, parantque mensam hospiti venienti: quod cùm multis in locis poëta ostendat, Euricliam præsertim celebrat custodientem penu Vlyssis. & placet magis vt intelligas de cortina, quæ epulantibus & templo Delphico communis est. Tripodes enim, siue cortinæ cùm Apollini in primis gratæ sint, Delphicæ sunt appellatæ, vt Plin. scrib.
NON *esse minoris*] Non posse vendi vilius.
INSTRVCTAM] Apparatam tantis diuitijs.

De Idibus Maronis. LXVIII.

Maiæ Mercurium creastis Idus.
Augustis redit Idibus Diana,
Octobres Maro consecrauit Idus.
Idus sæpe colas & has, & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

DOMITIVS.

MAIÆ *Mercu.*] Idus octo. natalem Virgilij celebrat. Natus enim est poëta Pomp. & Crasso consulibus, vt scrib. Euseb. Idibus Octobris celebratione numinum, idus Maiæ sacræ sunt propter Mercurium, cui eo die sacrificant mercatores, vt scribit Macr. nam tunc natus dicitur, & idus Augusti propter Dianam, quæ colebatur in Auentino, vbi erat eius templum.
CREASTIS *Mercur.*] Id est, idibus Maiis natus est Mercur.
REDIT] Celebratur.
CONSECRAVIT] Nascens.
IDVS] Diem natalem Virgilij.

Ad clientes. LXIX.

Matutine cliens vrbis mihi caussa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Non sum ego caussidicus, nec amaris litibus aptus:
Sed piger, & senior, Pieridumque comes.
*Otia me, somnusque iuuant, quæ magna *negauit* *v. negabit.
Roma mihi: redeo, si vigilatur & hîc.

A
DOMITIVS.

MATVTINE] Excludit clientem qui manè accesserat, & somnum interpellabat. nam & ipse ait, ex vrbe hac vna de causa exierat vt dormiret, interpellatum fuisse somnum in vrbe ipse dixit.
AMBITIOSA] Quæ delectantur isto honore.
LITIBVS *amaris*] i. molestijs, & proprium epitheton est litis.
NEGAVIT] Non promisit mihi.
ET *hic*] In vrbe faciebam.

Ad Paullum. LXX.

B *Sic tamquam tabulas, scyphosque Paulle*
Omnes archetypos habes amicos.

DOMITIVS.

SIC *tanquam*] Paulum auarum carpit, qui nihil dabat veteribus amicis, sed eos inter sua bona connumerabat tanquam archetypa, quæ domino nihil sumptus afferunt sed plurimum laudis.

De Apro. LXXI.

C *Lintea ferret Apro * vacuus cùm vernula nuper,* *v. Vani;
Et supra togulam lusca sederet anus,
*Atque olei stillã * donaret Opelicus vnctor:* *v. tetrici Emporicus, fortè ab Emporijs oppido Tarraconensi Hispaniæ.
Nudorum tetricus censor, & asper erat.
Frangendos calices, effundendumque Falernum
*Clamabat, * biberet qui modò lotus eques.* *v. biberet
A sene sed postquam nummi venere treceenti:
Sobrius à thermis nescit abire domum.
D *O quantum * * diatheca valent, & quinque comati?* *v. diatreta. Diatreta, calices sunt tornatiles & cælati, at diatheca testamentum dicitur. Vide Turn. lib. 27 c. 15.
Tunc, cùm pauper erat, non sitiebat Aper.

DOMITIVS.

LINTEA] In Aprum, qui quandiu pauper fuit, solebat eos carpere qui in thermis potabant. factus diues luxuriosius ipse bibebat.
NVPER] Superiori tempore.
VERNVLA *vac.*] Parui precij, vt supra.
Et vani triplices.
LINTEA] Quibus abstergeret se lotum.
SEDERET] Custodiens vestem in apodyterio, qui locus erat, vbi ponebant vestes loturi. Entherocelici dicuntur, qui entherocelas curant. hic morbus est cùm intestina defluunt.

VNCTOR]

VNCTOR] Medicus.

NVDORVM] Eorum qui se lauabant.

STILLAM] i. guttam è vase, quod gutturni appellabant, & eo in balneis vtebantur. Iuuen.

Et pleno componit lintea gutto.

VENERE] Propter hæreditatem.

SOBRIVS] Quin prius potauerit.

DIATHECA] Dicuntur tabellæ testamentariæ. verbum est Græcum, quo illi in ea significatione vtuntur.

DIATHECA] Bona relicta testamento.

QVINQVE *comati*] Quinque pueri relicti testamento.

Ad Lygdum. LXXII.

Nil non Lygde mihi negas roganti:
At quondam mihi Lygde nil negabas.

DOMITIVS.

NIL *non*] Qui nil negant dicuntur fellare, vt ipse exponet infra: nunc in Lygdum scrib. quem difficiliorem supra conquestus est. nam fefellerat poëtam sæpe expectantem. hunc tamen olim fuisse fellatorem indicat verecunde, vt miretur quare nunc sit tam difficilis. Iccirco superiorem locum in Gallam,

Nil mihi Galla nega: Ita interpretor, vt poscat fellationem.

NIL *negabas*] i. dabas mihi fellationem.

Ad Pannicum. LXXIII.

Iugera mercatus propè ° *busta latentis agelli,* — °Gallica videlicet.
Et malè °° *compacta culmina fulta casa,* — °° Compositæ.
Deseris vrbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parnaque sed trita præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas
Vendere pragmaticus, nũc emis agricola.

DOMITIVS.

IVGERA] Pannicum causidicum deridet, qui relicto foro agellum emerat ad busta Gallica. locus erat ad cloacam maximam, vbi coaceruata fuerunt ossa Gallorum, qui vrbem possederant. idem dicebatur ad Doliola, quoniam in nonnullis doliolis Gallorum cineres inesse putarentur. putabant tamen alij quædam mystica Numæ Pompi. illinc condita esse. Busta præterea erant in esquilijs, quoniam illic sepeliebantur cadauera, quod primus Mecœnas prohibuit ob aëris salubritatem: authores sunt Varro, Plutarchus, & Porphyrio.

PROPE *busta*] In Esquilijs, vel ad cloacam maximam.

MALE *compa.*] Ruentis.

VRBANAS *lites*] Forum Romanum, vbi agebas causas.

PARVA] Quia paruus erat agellus. qui versaban-

A tur in otio vtebantur tunica.

PRAGMATICVS] Dicebatur qui suppeditabat iura causidicis. author Quin.

VENDERE] Quoniam mittebant tibi clientes.

PTYSANA] Inuentum est Græcorum, conficitur ex hordeo. Hor. *Ptysanarium oriza.*

EMIS] Quia non mittuntur amplius, nec ager suppeditat.

AGRICOLA] Nam agrum emisti, & colis.

Ad Catullum. LXXIV.

B *Heredem tibi me Catulle dicis.*
Non credam, nisi legero, Catulle.

DOMITIVS.

HAEREDEM] Catullus hæredem scripserat poëtam, vrbane eius mortem optat, cùm ait se non credere hoc nisi legerit. Id enim legendum erat post mortem.

NISI *le.*] Nisi fueris mortuus.

Ad Flaccum. LXXV.

C *Cùm tibi Niliacus portet crystalla* °° *° catastus,* — ° v. Cataplus, naulegij genus. °° Vide Turn. l. 10. cap. 25. & l. 30. c. 16.
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi ° *magis audaces, an sunt qui talia mittunt* — ° Vide Turn. l. 30. cap. 10.
Munera? sed gemmis vilis vsus inest.
Nullum solicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.
Quid, quòd securo potat conuiua ministro,
Et casum tremulæ non timuere manus?
Hoc quoque non nihil est, quòd propinabit in istu,
D *Frangendus* ° *fuerit si tibi Flacce calix.* — ° v. fuerat.

DOMITIVS.

CVM *tibi*] Erant nonnulli calices qui audaces dicebantur, insertis gemmis ex lapide obsidiano vitreo, nam vsque eo processerunt officinæ vitri, vt pocula formarent, & pari propè artificio & toreumate, quo argentea. Erant tamen exigui pretij, nam & lapilli obsidiani inserti erant ex specie vitrei, ex qua dicauit Augustus quatuor elephantos. distichon de his calicibus extat,

Non sumus audacis plebeia toreumata vitri,
Nostra neque ardenti gemma feritur aqua.

Poëta hæc pocula mittit Flac. addito epigrammate.

CIRCA *Fla.*] Vbi fiebant calices.

CATAPLVS] Nauigatio.

NILIACVS] Nam ex Ægypto crystalla afferebantur.

TALIA mu.] Scilicet tam vilia.

SOLLICITANT] Alliciunt ad furtum.

AQVIS ni.ca.] Vt in distic.

Nostra neque ardenti gemma feritur aqua.

SECVRO] Non obseruante. nam in manibus conuiuantium posita pocula preciosa custodiebantur à ministris. Iuuen. *Custos affixus.*

Ibidem.

Qui numeret gemmas, vnguesque obseruet acutos.

NON ti.] Scilicet si frangatur. præterea, inquit, si male olenti voles propinare, poteris facile hos frangere post propinationem, & leuis erit iactura.

GEORGIVS.

CVM tibi *Niliacus portet crystalla catastus*] O quã impudenter amice erras, dum nimis Græcè nugaris, & ad Græcos omnia referre tentas. veteres codices habebant catastus, non cataplus: dicebanturque catasti, authore Victruuio pueri formosi, & transmarini, à catastis deductum nomen, vt arbitror. De his intelligere videtur Mart. vbi ait alibi,

Niliacis primum puer hic nascatur in oris,
Nequitiam tellus scit dare nulla magis.

Quod si cataplum legerimus, plane ridiculum fuerit, & nimis affectatum nulla venustate, vel gratia inhærente, at quia minus vsitata est dictio, Victruuij verba subiungam. Caius Iulius Massinissæ filius, cuius erant totius oppidi agrorum possessiones, cum patre Cæsare militauit. his hospitio meo vsus est, ita quotidiano conuictu necesse fuerat de philologia disputare. interim cùm esset inter nos de aquæ potestate, & eius virtutibus sermo, exposuit esse in ea terra eiusmodi fontes, vt qui ibi procrearentur voces ad cantandum egregias haberet. Ideoque semper transmarinos catastos emere formosos, & puellas maturas, eosque coniungeret, qui nascerentur ex his non solum voce egregia, sed etiam forma non esse inuenusta.

De pueris. LXXVI.

Festinat Polytimus ad puellas:
*Inuitus puerum fatetur * Hymnus,*
** Pastas glande nates habet Secundus.*
Mollis Dindymus est, sed esse non vult.
Amphion potuit puella nasci.
Horum delicias, superbiamque,
Et fastus querulos amice malo,
Quàm dotis mihi quinquies ducena.

* forte Hypnus. de quo ante, lib. 11. Epigr. 17. Hypne quid expectas piger? * Vide Philippi Beroaldi Annotationes in diuersos auctores, c. 17.

DOMITIVS.

FESTINAT] Polytimus cogitabat de ducenda vxore. quod cùm ageret ex auaritia, vt haberet dotem, iactabat id à se fieri, quoniam affectus esset tædio puerorum, neque aliquem reperiret qui sibi placeret. Poëta ostendens eum quærere dotem, ait se eos malle pueros quàm dotem.

INVITVS] Verba Polytimi.

HYMNVS] Nomen pueri.

PASTAS] Pingues. tractum à suibus, qui pin-

A guescunt glandibus.

NASCI pu.] Vel quòd mollis, vel quia negat.

HORVM] Verba Martial. respondentis Polytimo.

De caritate vini. LXXVII.

Amphora vigessis, modius datur ære quaterno,
Ebrius, & crudus nil habet agricola.

DOMITIVS.

B AMPHORA] Agricola cœnam captabat, & quãuis summa esset annonæ caritas & vini, tamen aliena mensa ebrius semper erat, & repleto stomacho.

CRVDVS] Crudi dicuntur qui nimium edunt quod decoquere non possunt.

EBRIVS *aliena mensa*] Nam captator est.

De Ethonte. LXXVIII.

Multis dum precibus Iouem salutat,
Stans summos resupinus vsque in vngueis,
Æthon in Capitolio pepedit.
Riserunt comites: sed ipse diuũm
Offensus genitor trinoctiali
C *Afficit domicanio clientem.*
Post hac flagitium misellus Æthon,
Cùm vult in Capitolium venire,
** Sellas antè petit Patroclianas,*
Et pedit deciesque, viciesque:
Sed quamuis sibi cauerit crepando,
Compressu natibus Iouem salutat.

* Latrinas videtur significare, à Patrocle Aristophanico. qui κοπρος cognomento, quasi cacator, audiebat, nominatus. * Vide Turn. l. 10. c. 26.

DOMITIVS.

MVLTIS] Æthon nomen equi solis est ab Ætho, quod significat ardeo. Æthon item nomen propriũ hic viri, qui pedendi vitio ita laborabat, vt nuper in templo capitolino non potuerit eo abstinere, sed affectus hoc supplicio, vt triduo cœnauerit domi, D dicit comprimere nates, ne eadem pœna iterum afficeretur. nam aliena mensa victitabat.

VSQVE in *summos vngues*] Mos erat precantium, vt cœlum respicientes resupini summis pedum digitis insisterent.

OFFENSVS] Affectus iniuria.

CLIENTEM] Sequentem diuites.

DOMICOENIO] Vt tribus noctibus domi cœnaret.

PATROCLIANAS *sel.*] Patroclus temporibus Neronis ad consulatum vsque ex infimo genere prouectus iuxta Capitolium inambulationem struxit cum latrinis. quas Mart. appellat sedes Patroclianas à conditore.

CAVERIT *sibi*] Prouiderit sibi.

CREPANDO] Pedendo. vnde ventris crepitum di-

xerunt antiqui. & edictum Claudij extat, ne quis A comprimeret crepitum in senatu, cùm deprehendisset senatorem ea de causa extinctum.

De eodem. LXXIX.

Ante Iouis statuam crepuit satur histrio, pœnam
Iuppiter indixit viuere de proprio.

Ad Bithynicum. LXXX.

Nil in te scripsi Bithynice: credere non vis, B
Et iurare iubes, malo satisfacere.

DOMITIVS.

NIL *in te*] In Bithynicum qui conquerebatur quòd poëta in se carmen emisisset, & iusiurandum exigebat à Martial. negante. Mos in foro est, vt qui iurare non vult, soluat. Ex hoc vrbane poëta dicit se scripturum in Bithynicum, vult enim satisfacere potius, quàm iurare.

MALO *satisfacere*] Scribere in te. Argute dictum, nam qui à debitore poscit iusiurandum, mallet eum soluere. aduersus se igitur carmen videtur malle Bithynicus, cùm poscat iusiurandum à Mart.

Ad Atticillam. LXXXI.

Donaui tibi multa, quæ rogasti:
Donaui tibi plura, quàm rogasti:
Non cessas tamen vsque me rogare.
v. fallat. *Quisquis nil negat, Atticilla: "fellat.*

DOMITIVS.

DONAVI] Nil negare est promittere omnia: nil item negare apud poëtam, est fellare. supra,

Nil mihi Galla negas.

Præterea,

At quondam mihi Lygde nil negabas.

Ex hac elocutionis ambiguitate iocatur in Atticillam, nam quamuis plura ab eo accepisset, plura tamen poscebat, notans imprudentiam eorum, qui nihil negant. Eiusmodi enim homines, vt Augustus dicere solebat, vitam male instituerunt.

QVISQVIS *nil negat, fellat*] Quasi dicat, adeo turpe est nil negare, vt idem etiam fellare significet.

De Callistrato. LXXXII.

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

DOMITIVS.

NE *laudet*] Nouam Callistrati versutiam notat, qui ne quempiam laudaret, omnes laudabat. is enim non videtur laudare, qui neminem vituperat.

DIGNOS] Eos, qui digni sunt laude ab eo.

CVI *nemo est malus*] Id est, qui neminem vituperat, quasi dicat, nulla est laus laudari ab eo qui omnes laudat.

De Vmbro. LXXXIII.

Brumæ diebus, ferijsque Saturni
Mittebat Vmber aliculam mihi pauper:
Nunc mittit alicam: factus est enim diues.

DOMITIVS.

BRVMÆ] Iocatur in auaritiam Vmbri, qui olim cùm pauper esset, in Saturnalibus poëtæ munus mittere solebat aliculam, nunc factus diues mittit alicam. Alicula est maioris pretij, quàm alica, sed ex nomine iocatur poëta: nam alicula diminutiuum esse videtur minus alica, cùm tamen maioris sit precij. Alicula alicæ genus, alterum dicebatur secundarium, tertium apherema, quod grande erat, & vilius.

C

De Menogene. LXXXIV.

Effugere " è thermis, & circa balnea non est v. in.
Menogenen, omni tu licet arte velis:
Captabit tepidum dextra, læuaque trigonem,
Imputet exceptas vt tibi sæpe pilas.
Colliget, & referet " lapsum de puluere follem, v. laxum.
Etsi iam lotus, iam soleatus " erit. v. erat.
D *Lintea si " sumas, niue candidiora loquetur,* v. sumes.
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comantem dente capillos,
Dicet Achilleas disposuisse comas.
Fumosæ feret ipse " tropin de fæce lagenæ, " τρύγας siue ὀξίνην, vappidum vinum.
Frontis & humorem colliget vsque tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus dicas tædia mille, veni.

DOMITIVS.

EFFVGERE] In Menogenem, qui cœnam ex Thermis captabat, neque antea desistebat minima quæque officia præstare, quàm inuitaretur.

TRIGONEM] Genus pilæ.
DEXTRA & *laua.*] Nam in pila trigonali exercenda robur manus sinistræ commendabatur: Iccirco supra dixit:
Nec laudet Polybi magis sinistras.
Et in distichis ita loquitur,
Si me nobilibus, scis expulsare sinistris,
Sum tua.
Mendose in multis codicibus fenestris pro sinistris legitur.
IMPVTET] Adscribat laborem suum in exercendis pilis.
PLENVM] Lana.
LINTEA] Quibus vtebantur in balneis: supra,
Lintea feret apro.
SINVS *infantis*] Semper sordidus.
DENTE] Pectine.
ACHILLEAS] Quales habuit Achilles, vt scribit Homerus, pulcherrimas.
TROPIN] Bibebant post balnea, vt ad vomitionem incitarentur, quod in mulieribus notauit Iuuenal. id vinum apte appellat tropen: nam inuersionem significat, quæ stomachum agitat.
DE *face*] Vini Massiliani. quod fumosum erat.
VENI] Cœnatum mecum.

De Fabiano. LXXXV.

Derisor Fabianus herniarum,
Omnes quem modò colei timebant
Dicentem tumidas in hydrocelas,
Quantum nec duo dicerent Catulli,
In thermis subitò Neronianis
Vidit semiser, & tacere cœpit.

DOMITIVS.

DERISOR] In Fabianum, qui alienas hernias solebat deridere, sed cùm suam paulo ante inspexisset, siluit.
SVBITO] Repente præter opinionem.
OMNES *colei timebat*] Scilicet ne deriderentur.
HYDROCELAS] Morbus erat ex genere entherocelarum, vt scrib. Celsus, cùm intestina defluunt, colliguntur que.
DVO *Catulli*] Catullus virilium mensurarum hyperbolice solet dicere: Catullus,
Mentulam habet instar triginta iugera prati.

Ad Polytimum. LXXXVI.

Nolueram Polytime tuos violare capillos:
Sed iuuat hoc precibus me tribuisse tuis.
Talis eras modò tonse Pelops, positisque nitebas
Crinibus, vt totum sponsa videret ebur.

DOMITIVS.

NOLVERAM] Polytimus tonsus factus est cùm

A cogitaret de ducenda vxore, vt supra est dictum. Poëta dicit noluisse vt tonderetur: verebatur enim ne deformis videretur, sed iam lætatur hoc permisisse, cùm totus sit eburneus, & videatur formosior.
PELOPS] Dicitur humerum eburneum habuisse à Cerere, quæ eum imprudens comederat. Iccirco alludit ad fabulam.
TOTVM *ebur*] Totum candorem tuum.

In Fabullum. LXXXVII.

Pædiconibus os olere dicis.
Hoc si sic, vt ais, Fabulle, verum est,
B *Quid tu credis olere cunnilingis?*

DOMITIVS.

PÆDICONIBVS] In Fabullum cunnilingum, qui animum pædiconum male olere dicebat.
OLERE] Scilicet malè.

In non arrigentem. LXXXVIII.

Triginta tibi sunt pueri, totidemque puellæ:
Vna est, nec surgit mentula. quid facies?

DOMITIVS.

C TRIGINTA] Vaticinatur hunc fore cunnilingum, & fellatorem, cùm mentula vti non possit, & habeat pueros & puellas.
SVRGIT] Arrigit.
QVID *facies?*] Quasi dicat, linges.

De Cotta. LXXXIX.

Bis Cotta soleas perdidisse questus,
*Dum negligentem * ducit ad pedes vernã,* [Vernam ad pedes dicere videtur à pedibus, vt Propertius lib. 4. Eleg. *Vide Turn. l. 3. c. 23. & l. 19. c. 14.]
Qui solus inopi præstat, & facit turbam:
Excogitauit homo sagax, & astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum,
D *Excalceatus ire cœpit ad cœnam.*

DOMITIVS.

BIS *Cotta*] Soleas ad conuiuium gestabant, quas deponebant cœnaturi, ne pauimenta contaminarent, seruabanturque à seruis. Cotta pauperrimus iactabat se bis amisisse soleas, & propterea se incedere pedibus nudis. deridet hominis inopiam & iactantiam: nam ibat excalciatus ob inopiam, non quòd soleas amisisset, aut surreptum iri timeret.
TVRBAM] Facit comitatum.
SAGAX] Ironice.
FACERE *damnum*] Est pati damnum.
EXCALCEATVS] Dicitur qui deposuerit calceos. Idem verbum venit in iocum aduersus seruũ

Luctatij: qui dum omni tempore & loco furaretur, subreptámque nummulario pecuniam indidisset calceis, coactus est calceos deponere, vbi reperta pecunia in eum dictum est, nummularius te excalciauit, hoc est, pecuniam abstulit: nam calceus significat æs, vnde deduxit verbum excalciare, auferre æs & pecuniam.

De Tongiliano. XC.

Tongilianus habet nasum: scio, non ego: sed iam
Nil præter nasum Tongilianus habet.

DOMITIVS.

TONGILIANVS *habet nasum.*] Qui iudicat acriter, Habet item nasum, qui nares habet. Tongilianus censor acerrimus, in extremam deuenerat inopiam: in hunc poëta iocatur.

NIL *præter nasum.*] Hîc accipit habere nasum simpliciter: nam erat pauperrimus: in superiore vero pro censura, & mordacitate.

HABET *nasum.*] i. censuram.

NIL *præter nasum.*] Nam est pauperrimus, & ex hac ambiguitate iocatur.

Ad Charinum. XCI.

Quòd lana caput alligas Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

DOMITIVS.

QVÒD *lana.*] Focale, de quo supra est dictum, recitaturi oratores sumebant, vt inter strepitus audirent nihil, ita enim erat compositum, vt aures tegeret demissum à vertice. Charinus caluus vt caluitij deformitatem tegeret, induerat focale. Vrbane ait poëta eum non tueri aures, sed capillos.

NON *aures.*] i. non sumpsisti focale propter clamorem, sed propter caluitium.

SED *capilli.*] Nam propter caluitium id sumpsisti.

De Marone. XCII.

Pro sene, sed caro, votum Maro fecit amico,
Cui grauis, & feruens hemitritæos erat.
Si Stygias æger non esset missus ad vndas,
Vt caderet magno victima grata Ioui.
Cœperunt certam medici spondere salutem.
Ne votum soluat, nunc Maro vota facit.

DOMITIVS.

PRO *sene.*] Maro captator laborante auersa valetudine amico sene & diuite, votum suscepit pro illius salute, vt scilicet scriberetur hæres. Hic amoris significatione scriptus hæres, & post votum medicis spondentibus illius salutem, contraria vota faciebat, vt scilicet moreretur: ne si conualesceret, & promissam victimam persolueret, hæreditatem amitteret.

HEMITRITÆOS.] Genus febris tertianæ, vt scribit Celsus.

NE *soluat votum.*] Quia vellet eum mori.

In Magullam. XCIII.

Communis tibi cum viro Magulla
Cùm sit lectulus, & sit exoletus,
Quare, dic mihi, non sit & minister?
Suspiras: ratio est, times lagenam.

DOMITIVS.

COMMVNIS.] Magulla viro nupserat, qui exoletum habebat, quo & ipse & vxor vtebatur, sed cùm vir esset veneficus, ac puero contentus, vxorem negligeret, timebat vxor ne veneno extingueretur, propterea eodem ministro mensæ non vtebatur: hoc poëta indicat.

TIMES *lagenam.*] i. veneficium. nam lagena ministra est veneficij: supra.

Diceris hac cælebs factus quater esse lagena.

Ad Priscum. XCIV.

Sæpe rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repente potens:
Quemquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

DOMITIVS.

SÆPE *rogare.*] Priscum deridet, qui sæpe rogabat quales mores induceret, si esset diues, id enim nemo potest prædicere, nisi illud vnum diuitem diuitis moribus vsurum.

De Fabulla. XCVI.

Qua mœchum ratione basiaret
Coram coniuge repperit Fabulla.
Paruum basiat vsque morionem:
Hunc multis rapit osculis madentem
Mœchus protinus, & suis repletum
Ridenti dominæ statim remittit.
Quanto morio maior est "*maritus?* "v. mulito.

DOMITIVS.

QVA *mœchum.*] Fabullæ verſutiam ita commemorat, vt mariti ſimplicitatem accuſet: nam hæc vt mœchum baſiaret, puerum morionem ſuis oſculis madidum ei remittebat: idem faciebat mœchus: maritus ſtupidus hoc non animaduertebat.

QVANTO *eſt magis morio.*] Quàm ſtolidior eſt maritus, qui hoc non animaduertit.

In Tuccam. XCVI.

*Scribebamus** *epos: cœpiſti ſcribere: ceſſi,*
Æmula ne ſtarent carmina noſtra tuis.
Tranſtulit ad tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos:
Aptaſti longum tu quoque ſyrma tibi.
Fila lyræ moui doctis exculta Camenis:
Plectra rapis nobis ambitione noua.*
Audemus ſatyras: Lucilius eſſe laboras.
Ludo leues elegos: tu quoque ludis idem.
Quid minus eſſe poteſt? epigrammata fingere cœpi:
Hinc etiam petitur iam mea fama tibi.
Elige quid nolis. quis enim pudor omnia velle?
Et ſi quid non vis, Tucca, relinque mibi.

* v. Scribebam verſus.

* v. ambitioſe.

DOMITIVS.

SCRIBEBAMVS *epos.*] Carmen trimetrum iambicum ſignificat epos, cui dimetrum ſuccedit perfecta clauſula. Horat.

——*Pede ter percuſſo*
Forte epos acer, vt nemo Varius ducit.

Eo qui vtuntur epici poëtæ ſunt appellati. Accuſat Tuccam, qui omne genus carminis attingebat, in quo verſaretur Martialis.

CESSI.] Scilicet, ſcribere, nam deſtiti.

SYRMA *tibi.*] Tragicam ſignificat. Ita locus Iuuenal.

Syrma vel Antigones.

Id eſt, tragœdiam Antigones quam ſcripſit Accius poëta. Nec placet eorum ſententia, qui ſyrma tractum orationis exponunt. Val. *Quid hic cum tragicis verſibus, & ſyrmate facis.*

Syrma: σύρω, quod eſt traho dicitur, i. & tu tragœdiam cœpiſti ſcribere.

FILA *lyræ.*] Carmen lyricum.

AMBITIOSE.] Nimium cupide laudis.

NOVA.] Quia pauloante accepimus.

LVCILIVS.] Primus ſatyrarum ſcriptor, tanta fuit laude & æſtimatione, vt non modo eius carmen poëtis, ſed etiam aliis anteponeretur, Fab. teſte. Hunc carpit Horat. nimium ambitioſe, quem ait lutulentum fluere.

LVDO.] Ludere dicuntur poëtæ cùm verſantur leuiori carmine.

PETITVR] i. inuaditur à te vt ſuperes, vel ſis par famæ meæ.

GEORGIVS.

SCRIBEBAMVS *epos, &c.*] En qualem Zeno-A dotum noſtri temporis! En item qualem Cratetem: ceu vnus hic ſit, qui cæteros ingenio, atque doctrina vincat, non veretur aperte & audacter à Grammaticis Latinis & Græcis diſſentire, ſiquidem Euſtathius titulum Iliados exponens affirmat epos eſſe carmen heroïcum, *ἰδίως δὲ ἔπος ὁ ἔμμετρος λόγος· ἰδιάζεται δὲ ἡ λέξις ἐπὶ τῶν ῥαψῳδουμένων κατ᾽ ἐξαίρετον μάλιστα δὲ τοῖς ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ ἡρωϊζόντως ἐπικοῖς ὀνόμασιν συνθέτοις*. hoc idem ſentit Diomedes, exponens qualitates & genera carminū hoc modo, epos Græce carmen hexametrum diuinarum rerum, quod heroïcarum, humanarúmque comprehenſio, quod à Græcis ita diffinitum eſt, *ἐμπεριοχὴ θείων καὶ ἀνθρωπίνων καὶ ἡρωϊκῶν πραγμάτων*, ſed nec Horat.

Pede ter percuſſo, vt nemo Varius ducit.

Intellexit de ſenario iambico cum dimetro, ſed heroïcum ſignificat carmen: eſt enim ordo hic talis: O Fundani Pollio vnus viuorum regum facta canit, peB de ter percuſſo, hoc eſt, Pollio ſcrib. tragœdiam carmine iambico: *forte Epos acer vt nemo Varius ducit.* Id eſt, Varius poëta, de quo ſæpe Horat. ſcrib. epos forte, hoc eſt heroïcum carmen: ſed Virgil.

Muſæ gaudentes rure ceſſerunt epos molle, atque facetum:

De quo hæc Quint. Neque enim diceret Horat. facetum orationis genus conceſſum eſſe Virgil. decoris magis & excultæ cuiuſdam elegantiæ appellationem puto.

Ad Rufum. XCVII.

Muſæi paticiſſimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
C *Et tinctas ſale pruriente chartas*
Inſtanti lege Rufe: ſed puella
Sit tecum tua, ne Thalaſſionem
Indicas manibus libidinoſis,
Et fias ſine fœmina maritus.

DOMITIVS.

MVSÆI.] Muſæus laude lyræ prope par Orpheo: alter hic ſcripſerat molliſſimos libros, qui non ſine pruritu legi poterant: horum laſciuiam ſignificat poëta Inſtantio Rufo.

SYBARITICI.] Libri molliſſimi fuerunt compoſiti temporibus Ouid. dicti Sybaritici, vel à Sybari poëta vel à Sybari vrbe, quæ in ingentem luxum aucta ſe ſuis delitiis perdidit: deleta enim eſt à Crotoniatis intra lxx. dies: horum meminit Ouid.

D *Nec qui compoſuit nuper Sybaritica fugit,*
Nec qua concubitus non tacuere ſuos.

Quo verſu Elephantidem meretricem notat, quæ genera concubitus carmine eſt complexa: ſupra,

Nec molles Elephantidos libelli.

Et in Priapeia Lalage vouet tabellam pictam exemplo horum librorum.

PATICISS.] Molliſſimos.

In Zelotypam. XCVIII.

Cùm tibi nota tui ſit vita, fidéſque mariti,
Nec premat vlla tuos, ſolicitétque toros.

Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris,
In quibus & breuis est, & fugitiua Venus?
Plus tibi quàm domino pueros præstare probabo:
Hi faciunt, vt sis femina sola viro.
Hi dant, quod non vis vxor dare. do tamen, inquis,
Ne vagus à thalamis coniugis erret amor.
Marisca, insipida, sed maiori mole ficus. *Non eadē res est: Chiā volo, nolo ° mariscam.*
Ne dubites quæ sit Chia, marisca tua est.
Scire suos fines matrona, & fæmina debet.
° v. suam. *Cede ° sua pueris: vtere parte tua.*

DOMITIVS.

CVM *tibi.*] Vxorem accusat, qu[illegible]conquerebatur poëtam habere quosdam cinæd[illegible], vt ipse ostendit, plus vxori præstabant, quàm marito.

NEC *solicitetque toros.*] Non afficiat te vlla cura.

SOLA.] Quia non accedo ad alias.

CHIAM.] Ficus chia saporem salis habet. Ficus marisca nullius est saporis, author est Varr. inde vxorem dicit esse mariscam. in cinædis chiam, quæ placet, vt supra,

Hæc mihi quæ nouis pungere, chia sapit.

In Bassum. XCIX.

Vxor cùm tibi sit puella, qualem
Improbis, nullus legis. *Votis vix petat ° improbus maritus,*
Diues, nobilis, erudita, casta:
Rumpis Basse latus, sed incomatis,
Vxoris tibi dote quos parasti.
Et sic ad dominam reuersa languet
Multis mentula millibus redempta:
Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata surgit.
Sit tandem pudor, aut eamus in ius.
Non est hæc tua, Basse: vendidisti.

DOMITIVS.

VXOR *cùm.*] Bassum accusat, qui ex dote vxoris multos emerat comatos, in quibus officium vxoris præstabat, cùm tamen mentulam vendiderit vxori pro dote: eum igitur in ius vocat, aut certe monet, vt eam seruet vxori emptrici.

Ad Bætim. C.

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis:
A *Quem Bromius, quem Pallas amat, cui rector aquarum*
Albula nauigerum per freta pandit iter.
Ominibus lætis nostras Instantius oras
Intret, & hic populis, vt prior, annus eat.
Non ignorat, onus quod sit succedere Macro.
Qui sua metitur pondera, ferre potest.

DOMITIVS.

BÆTIS.] Instantium Rufum euntem in Hispaniam prouinciam & succedentem Macro, qui eam administrabat: vt supra indicauit,

Ibis litoreas Macer Salonas.

Hoc prosequitur epigrammate. Bætin alloquitur, rogatque, vt lætis auspiciis venientem magistratum suspiciat.

B CORONA *oliuifera.*] Hoc propter vbertatem olearum dicit.

AVREA.] Coloris auri, quia lanæ Bæticæ coloris sunt rufi.

BROMIVS.] Bacchus, copia vini.

PALLAS.] Propter copiam olearum.

RECTOR] i. dominus.

CVI.] In cuius gratia.

ITER *naui.*] Nauigationem.

ORAS *nostras.*] Hispaniam.

VT] Ea felicitate.

ONVS.] Difficultatem: difficultas est succedere ei, qui se bene gesserit.

C

In effrontem. CI.

Os attaui, patris nasum, duo lumina patris,
Et matris gestus dicis habere tuæ.
Cùm referas priscos, nullámque in corpore partem
Mentiris, frontem dic mihi cuius habes?

Ad Mattum. CII.

D *Qui negat esse domi se, tūc cùm limina pulsas,*
Quid dicat, nescis? dormio Matte tibi.

Ad Milonem. CIII.

Tura, piper, vestes, argentum, pallia, gēmas,
Vēdere Milo soles, cū quibus emptor abit.
Coniugis vtilior merx est: quæ vendita sæpe,
Vendentem numquam deserit, aut minuit.

Finis lib. duodecimi Epigrammat. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBER XIII. CVI XENIA INDITVM NOMEN.

SVMMA.

Diximus in Libro cui Apophoreta nomen inditum est, duo munerum genera officiosique mimi Dona, vicissim in saturnalibus mitti solere, Xenia primum, sed deinde Apophoreta Romanorum mos erat remitti: De his igitur cùm peractum sit in superioribus, nunc demùm de xenijs se narratorem fore pollicetur.

I.

NE toga cordylis & penula desit oliuis,
Aut inopem metuat sordida blatta famem:
Perdite Niliacas Musa mea damna papyros:
Postulat ecce nouos ebria bruma sales.
Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.
Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus:
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

DOMITIVS.

NE *toga cordylis, & penula desit oliuis*] In Saturnalibus duo munerum genera mittebantur, xenia primum, & hi quibus data erant, mittebant Apophoreta. Xenia autem dicuntur munera hospitalitia, id est, amicorum. nam ξένος significat hospitem, Apophoreta dicuntur ab ἀποφέρειν, id est, referre. hæc Vespasianum & alios imperatores dedisse legimus. Nam ipsi donati à populo xenijs, remittebant munera. Hi duo libri continebunt singulis distichis vtrumque muneris genus, priore sunt xenia, posteriore leguntur Apophoreta. Quod autem nonnulli putarunt Apophoreta inscribi etiam lemmata, falsi

A sunt. nam lemma non solum distichis sed cuiuscunque epigrammatis breuiter præscriptum argumentum dici potest: licet Cic. Philosophiæ præceptis seruiens, lemma aliter sit interpretatus, hoc est, comprehensionem. Lemma præterea est genus argumentationis Stoicæ, quod in Zenone scrib. Diogenes. Primo epigrammate lusurus carmine, Poëta in saturnalibus ait, se malle vti hoc genere ludi, quàm aut nucibus, aut alea: nam nuces pueris in saturnalibus permittebantur, alea viris.

CORDYLIS] Est genus piscis ex Thynno, vt suprà est declaratum, cuculis papyraceis salsamenta vendebantur.

PAPYROS] Papyrum ostendit primus Alexander in Ægypto condita Alexandria, nam anteà palmarum folijs, posteà quibusdam arborum libris, tum publica monumenta in plumbeis, priuata in linteis scribebantur. Nascitur autem papyrus in Æ-

B gypto non excedens altitudinem duorum cubitorum, vt Plin. scrib. eius flore Dij coronabantur: inde etiam chartæ fiebant varijs nominibus.

PERDITE] Dando rebus venalibus.

PENVLA] Vestis seruorum. ponit togam, & penulam pro cuculis.

BLATTA] Vermis vna cum tineis corrodens papyros.

METVAT *famem*] Id est, vt blatta possit pasci.

EBRIA *bru.*] Id est, dies hyemalis saturnalitius, quo vino indulgetur.

NON *mea*] Pueri nucibus, viri alea ludebant. In alea hæc erant, talus, tessera, alueolus, senioque canis, Venus.

TESSERA] Erat talus quatuor laterum. Talus sex, vt infrà dicetur. Talus autem dictus à talo pedis. nam talus in pede, auctore Aristotele in secundo de animalibus, tres habet partes, exteriorem quam antiqui chias dixerunt: Interiorem quam colias, superiorem quam atenas. Inde seculum eruditius talum dolauit in sex latera, & imitatione pristinorum nominum, vnoquoque in latere sua nomina dederunt punctis. In quibus canis afferebat iacturam, erat enim vnius puncti, vt Pollux scrib. Senio & Venus, victoriam & lucrum. Pers. Sat. 3.

——quid dexter senio ferret
Scire erat in votis, damnosa canicula quantum
Raderet.

Suetonius præterea in Octauio Augusto cap. 71. ita scrib. talis iactatis, vt quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios conferebat in medium, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. nam Venus in talo, colias dicebatur opposita cani, vt scribit Pollux. Colias Venus dicitur, authore Stra. à promontorio Atticæ in quo colitur. idem punctus dicebatur coris: & canis alio verbo dicebatur chius. Iuxta Venerem Coliadem in Attica erat templum Panos, quo per Aristonem spolia delata sunt, oraculo ita prædicto. Coliades mulieres remos timebunt.

MEA *tes.*] Meus ludus minor.

NON *depugnat talo*] Qui habet sex latera, & numero superat tesseram.

EBVR] Quia tali fiebant ex ebore.

FRITILLVS] Alueolus, & fimum dicitur tabula, qua alea exercetur. Porphyrio putat dici fritillum à sonitu, vt puto, quo alea mouetur. Sen. in Clau.

Iam quoties missurus eras resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera talo.

Antiqui præterea appellarunt pultem fritillam, qua natalium sacra celebrantur.

ISTA *al.*] Carminis.

NEC *fa. damn.*] i. non patitur damnum.

GEORGIVS.

NON *mea magnanimo depugnat tessera talo, &c.*] Tam multa conquirit pertinax hic, & insanus Domitius, vt iam me pudeat ea addere quæ vanissimus iactator in defensionem suæ stultitiæ afferat, sed quæso audiamus quo pacto disticha duo exponit, vt vno labore corrigatur quicquid de talis & tesseris hic peccauit, cùm alibi etiam distichon,

Cùm steterit nullus vultu tibi talus eodem.

sic interpretetur. Tali eburnei quo numero sint, initio superioris libri dictum est: sunt plurium angulorum, quàm tesseræ, quæ tantum quatuor habent partes, sed ipsi sex. gloriantur igitur nunc, quòd numquam eodem puncto consistant (nam modò binos proferunt numeros, modo ternos) vicissimque alternant.

VVL. *eo.*] i. eodem numero punctorum: nam quoties fermè iaciuntur tali punctum mutant. Et de tessera subdit. Et si tessera pauciores habet partes, tamé non minorem habet ludum, cum grádior sæpe tesseris pecunia committatur, quàm talis; ex hoc tesseræ putant se non esse inferiores talis, quamuis numero angulorum superentur.

PAR *numero*] Id est, non habet tot puncta. nam vt apud Græcos scri. Pollux. Astragalus quem ego puto tesseram esse, quatuor tantum habet latera: nam vno latere duo puncta, altero quinque desunt. cubus autem, id est talus, habet sex latera.

MAIOR *alea*] Id est, maior pecunia committitur A ludo meo, quàm talis. De forma autem, iactu & positione tesserarum, atque talorum, declaratum est à nobis in fine operis, in quo Galleotum carpsimus. illic enim & accuratè & copiosè ex sententia Eustath. quid sit tessera, & quot latera habeat, atque puncta, tùm etiam quæ forma tali, expositum est. hîc tantum addam Plinij verba, quibus liquidò cognoscitur astragalum latinè dici talum, non autem tesseram, nam in naturali historia de Polycleto. Fecit & distringentem se, & nudum talo incedentem: duosque pueros item nudos talis ludentes, qui vocantur astragalizontes, & sunt in Titi imperatoris atrio. quo opere nihil absolutius plerique iudicant. hæc verba Plinij adduxit in expositionem illius, *Iuno labor Polyclete tuus*, hic heluo & crapula omnia tractans. Victruuius item docet cubum esse tesseram his verbis. Cubus etiam est corpus ex lateribus æquali latitudine planitiarum perquadratus is cùm est iactus, quam in partem B incubuit, dum est intactus, immotam habet stabilitatem, vt sunt etiam tesseræ, quas in alueo ludentes iaciunt. Iulius item Pollux, cuius verba hic garrulus iactat, à nobis stat, eaque subiungemus, *δυὰς δὲ καὶ πεντὰς ἐν ἀστραγάλοις, ὥσπερ ἐν κύβοις, οὐκ ἔστι. οἱ δὲ πτώσεις, τὴν μὲν ἑξίτην χῖον, τὴν δὲ κύνα χῖον καλεῖσθαι λέγουσι.* Excludit ab astragalis, hoc est à talis, hic scriptor duo & quinque puncta per oppositionem laterum cótraria, quæ quidem in cubis habentur, quod sic intelligendum est quantum docet Eu. ex sententia Zorchi, his verbis *ἐπαίζοντο δὲ ἡ πολλὰ, τέσσαρσιν ἀστραγάλοις. ὧν ἕκαστος, πτώσεις εἶχε τέσσαρας, οὐ μὴν ἓξ κατὰ τοὺς κύβους. ἐξ ἑβδομάδος κατ' ἀντίθεσιν συμβαινούσης· ἀντίκειται γὰρ, μονὰς καὶ ἑξάς. εἶτα τριὰς καὶ τετράς. δυὰς δὲ καὶ πεντὰς, ὅτι μόνοι κύβοι τὰς ἔχουσιν ἐπιφανείας ἕξ. ἔοικε δὲ φασὶν αἱ πᾶσαι πτώσεις τῶν ἀστραγάλων παραλαμβανομένων εἰς ἔθος, πέντε καὶ τριάκοντα.* Casus autem astragalorum quatuor habet oppositus, quemadmodum & cubus. Sex enim vni sunt opposita, postea tribus quatuor. Duo enim (vt aiunt) & quinque sibi C inuicem opposita in cubis solis habentur, vtpotè superficies sex habentibus.

In detractorem. II.

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Athlas,
Et possis ipsum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipse ego quam dixi: quid dentem dente iuuabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis.
Ne perdas operam: qui se mirantur in illos
D *Virus habe: nos hæc nouimus esse nihil.*
Non tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
Nec matutina si mihi fronte venis.

DOMITIVS.

NASVTVS] Lectorem monet, ne sua carmina reprehendat, quoniam ipse satis ea deriserit epigrammate superiore.

NASVTVS] Nasuti dicuntur, qui viliore censura subsannant aliena. & Hora. à Persio dicitur suspendere populum naso, hoc est deridere.

PLVRA] Quàm ego dixerim.

LICET *esses tibi tantus nasus*] i. tanta censura.

LATINVM] Mimum Domitiani, qui alios deridet.

Est *opus carne*] Dicit eos habere carnem, qui possunt derideri.

Habe *virus*] Morde & exerce maledicentiam.

Qui *se miratur*] Qui sibi placet.

Hoc *nimium nihil*] Non tamen hoc est omnino nihil.

Candidus *aure*] i. sine inuidia ad legenda epigrammata.

Fronte *ve. ma.*] i. exhilarata. nam matutina frōs tristior est, contra post cœnam exhilarata.

Ad Lectorem. III.

Omnis in hoc gracili xeniorum turba libello
Constabit nummis quatuor empta tibi.
Quatuor est nimium, poterit cōstare duobus, B
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas,
Si tibi tam rarus, quàm mihi, nummus erit.
Addita per titulos sua nomina rebus habebis:
Prætereas, si quid non facit ad stomachum.

DOMITIVS.

Omnis *xeniorum*] Eodem verbo vsus est Plin. ad Cor. scribens. Xenia inquit dedi. Xenia autem sunt munera quæ amicis mittuntur.

Gracili *li.*] Paruo.

Turba *xenior.*] i. disticha.

Duobus] Alludit ad disticha, quæ duorum carminum sunt.

Titulos] Lemmata.

Non *facit ad stoma.*] i. non placet, & simul alludit ad esculenta, quæ sunt in distichis.

Thus. IV.

Serus vt ætheria Germanicus imperet aula,
Vtque diu terris, da pia thura Ioui.

Ὀψ' ἵνα κοιρανέοι Γερμανικὸς ἐν Διὸς αὐλῇ,
Δηθάκι δ' ἐν γαίῃ, τῷ Διῒ δὸς λίβανον.

DOMITIVS.

Servs] Saturnalitia carmina sunt addita muneribus quæ amicis mittebantur. Duo autem erant genera, vt supra est dictum, alia enim dicebantur xenia, alia Apophoreta. hæc xenia sunt in quibus initium habet thus, cùm sacris dicatum sit. Id colligitur in Arabia in Sabota monte excelso regione Saba. Saba vero mysterium significat, vt Græci interpretantur. Mineum dicitur à Mineis populis, per quos primum vehitur, Carphiatum, Dactiacum. Masculum à Vir. à rotunditate guttæ, cum in thure fœmininum non reperiatur. olim in maxima penuria, posteà in abundantiam excessit armis Alexandri, qui subegit Arabiam.

Servs] Alloquitur amicum.

Germanicvs] Traianum potes intelligere. qui Germaniam subegit, vt scrib. Euseb. Sed ma- A gis placet de Domit. intelligas, hoc distichon Domitiani temporibus, inter Saturnalia compositum esse.

Pia *thu.*] Quæ mitto: ita alibi ait Deos cito Herculi cœlum dedisse, sed serò daturos Dom. idem sæpè optat.

Piper. V.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

Συκαλὶς ἣ ξανθῇ λελαχῶς πεδαλῷ ἐν ὀσφύϊ,
Πᾶσαν ἐπιχνήσαις, εἰ σὺ φρονεῖς, πέπερι.

DOMITIVS.

Cerea *ficedula*] Ficedula à fico, cuius cibo delectatur, dicitur. Pinguescit etiam vuis. Inter aues optimi saporis à Celso numeratur. saporis fatui est, conditur autem sinapi, aut pipere. Piper addere cibariis, prius gloriatur se inuenisse Catius apud Hor.

Primus & inuenio piper album cum sale nigro,
Incretum pueris circum posuisse catillis.

Piper quod album dicitur in precio est.

Lucet] Præ pinguedine cærea pinguis.

Cum *tibi dat.*] Obuenit fortè.

Alica. VI.

Nos alicā, mulsum poterit tibi mittere diues,
C *Si tibi noluerit mittere diues, eme.*

Χόνδρον ἐγώ σοι ἔδωκα· δότω μελίκρατον ὁ πλοῦτ'.
Πλούσιος οὐκ ἐθέλῃ δοῦναι, ἄπαρ σὺ πρίω.

DOMITIVS.

Nos *alicam*] Alica ab alendo dicitur, vt Pomp. scrib. inuenta est à Romanis. nam tonsa fiebat triplici genere, vt suprà est dictum, minimo secundario apheremate, ætate Pompeij magni non reperiebatur. vtilis tamen habita est, & saluberrima, siue potanda daretur in modum ptysanæ, siue aqua mulsa. In tanto precio erat, vt Var. scrib. morbum regium dictum esse, quod mulsa preciosissimo remedio curabatur. licet aliter supra sit dictum ex sententia Cornelij.

D Mulsum) Vinum mulsum, quo elota alica vtaris.

Eme *mul.*) Nam omnino indiges si volueris vti alica.

Dives) Nam mulsum diuitis est.

Conchis faba. VII.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Σοὶ χύτρος εἰ κύαμος κοχλάζει ἐνὶ πύελιδι,
δείπνοις
Οἰμώζειν μακάρων δειπνολέσαι λέγε.

DOMITIVS.

SI *spumet conchis*] Conchis fabatiæ virides dicebantur conditæ liquamine coriandro, ciminó, porro conciso, & oleo, quod nisi plurimum inesset, nullus erat conchis sapor. Iccirco supra dixit in male cœnantem.

Et bene si cœnas conchis inuncta tibi est.

Hæc igitur si fuerit bene vncta, poteris bene cœnare sine mensa diuitum.

SPVMET] Multo oleo.

RVBRA] Fictili vase rubro.

POTES *ne.*] Subtrahete te.

LAVTORVM *cœn.*] Mensis laut. nam domi concha bene cœnabis. Iuuen.

Cuius concha tumet.

Far. VIII.

[*Plin. l. 18. cap. 8.] [*Vide Turneb. lib. 25. cap. 18.] * *Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas,*
Vt satur in vacuis dulcia musta bibas.

Δημοτικῶν πολτοῖς Κλουσίναις ἔμβρεχε χύτρας,
Γλυκὺς ἵν᾽ ἐμφορεθεὶς ἐν κενεῇσι πίῃς.

DOMITIVS.

IMBVE] Far diu in precio fuit, quod in vsum mensæ docuit Numa: id autem cùm sit salubre si igne torreatur, primus persuasit Romanis id non esse purum, nisi torreatur. in sacris igitur bis erat tostum, & patiebatur ignem, quoniam & olim fuerat igne purgatum & tunc inurebatur, authores sunt Plin. & Dionys. inde farina dicitur ccc. annis ex frumento factum clusinum, vt Plin. Var. & Colu. scribunt, candore & magnitudine reliquum superauit.

PVLTIBVS] Pulte diu Ro. victitarunt, vt docet Enni. cùm scrib. in obsidione offam infantis fuisse ereptam. puls ex farre clusino dulcem reliquit vasis saporem. Docet igitur vinum eiusmodi vase posse dulcescere, in quo puls farrea cocta fuerit.

IMBVE] Imbuere est primum saporem dare.

PLEBEIAS] Quibus vtuntur pauperes.

DVLCIA *musta*] Id est, vinum æque dulce ac est mustum.

SATVR.] Cùm inde ederis pultem.

VACVIS] Exhaustis pulte.

Lens. IX.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem:
Vilior est alica, carior illa faba.

DOMITIVS.

ACCIPE] Lens in Ægypto prouenit duplici genere, altero rotundiore & nigro, altero suæ figuræ. putauit antiquitas æqui animi fieri homines, qui lente vterentur. vnde lenti dicti sunt homines, qui non mouentur vllo affectu.

PELVSIA] Ægyptia.

VILIOR *alica*] Id est, minoris precij, quàm alica. nam iam de ea dixerat.

A CARIOR *faba*] Scilicet viridi conchæ, de qua paulo ante.

Simila ex tritico. X.

Nec poteris similæ dotes numerare, nec vsus,
Pistori toties cùm sit & apta coco.

Οὐκ ἀξίως ἂν σιμιδάλεως χρείας λέγοις·
Οὕτω μαγείροις, ἀρτοποιοῖς τ᾽ εὔθετον.

DOMITIVS.

NEC *poteris simila*] Simila ex tritico fiebat minutim conciso: huius panis in maximo erat precio. Condimentis item plurimis seruiebatur, vt scrib. Apicius.

B NEC *numerare poteris*] Quia est minutim concisa.

PISTORES] Qui faciebant farinam, & panem coquebant.

PISTORI] Qui inde panem faciet.

COQVO] Qui inde plurima parabit cibaria.

Ordeum. XI.

Mulio quod non det [*] *tacituris accipe mulis.* [*Hinnitus enim cerebat mulos concutit ordeo pastos] [*coponi.]
Hæc ego [*] * *cauponi, non tibi dona dedi.* [*Vide Turneb lib. 24. cap. 18.]

DOMITIVS.

C MVLIO] Hordeum olim panem dedit, qui damnatus est, postea destinatum fuit reficiendis quadrupedibus: demum excogitatum facere ptysanam ex eo, quæ validissima erat & saluberrima, vt Hippocrat. vno volumine testatus est.

COPONI] Copo vini venditor dicitur & potus. Monet igitur amicum se mittere hordeum, quod nō dandum sit quadrupedibus, cùm nuper inuentum sit facere ex eo ptysanam.

MVLIS *tacituris*] Quos velit tacere: nam hinniũt pingues hordeo.

NON *det mulis*] Quia scil. sublatus sit vsus hordei dandi quadrupedibus: vt scrib. Plin.

NON *tibi*] Vt scil. & facias ex eo panem, quod item damnatum est, authore Plin.

D COPONI] Vt scil. ex eo faciat ptysanam: nullus enim maior ex hordeo fructus percipi potest, quàm vt inde fiat ptysana, quod postremo est inuentum. authore Plin. Var. tamen canes pane hordeaceo alendos scrib.

Frumentum triticeum. XII.

Tercentum Libyci modios de messe coloni
Sume, suburbanus ne moriatur ager.

DOMITIVS.

TERCENTVM] Frumentũ triticeum, quod summa vbertate proueniebat. agri sæpius sati sterilescũt: mittit ergo copiam frumenti Libyci. ne frequenti satione agrum suburbanum sterilem reddat, qui comparatus est ad voluptatem.

MORIATVR] Sterilescat frequenti satione.

Betæ. XIII.

Vt sapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ,
O quàm sæpe petet vina, pipérque cocus!

Ὄφρ' ἦ, τεχνιτικὴ δαὶς, ἄστομα τεῦτλα, μάγειρος
Πολλάκις αἰτήσει καὶ μέθυ, καὶ πέπερι!

DOMITIVS.

Vt *sapiant*] Betæ distinguntur in duo genera, ab alijs in nigram & candidam, ab alijs in vernam & autumnalem: leuissimæ sunt omnium herbarum hortensium, sed condiuntur acrimonia synapi, vt Plin. docet: vt Mart. vino & pipere: ita conditæ dicuntur prandia fabrorum, ab alijs dicuntur dapes rusticanæ.

Fatvæ] Saporis salsi expertes.

Prandia] Ientacula fabrorum: Columella,

Quæque fabis humilis fabrilia miscet,

De faba fabrorum loquens.

Lactuca. XIV.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Ἡ τὶς τῶν προγόνων θρίδαξ τεκμήρατο δαῖτας,
Εἰπὲ, τί νῦν δείπνων ἄρχεται ἡμετέρων;

DOMITIVS.

Clavdere] Lactucæ post cœnam olim sumebantur vt Horat. docet, nunc prima mensa: dicuntur à lacte, quo miconium vnum inter eas genus. abundat, solum olim cognitum. In tria genera distinguntur, purpureas, crispas, Cappadocas.

Clavdere] Finire.

Inchoat] Id est, sumitur prima mensa.

Ligna acapna. XV.

Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, rustice, ligna feras.

Χωρία Νωμέντῳ ναίων σύγχορτα, γεωργὲ,
Μέμνησ' εἰς αὖλιν κάγχανα κᾶλα φέρειν.

DOMITIVS.

Si *vicina*] Ligna acapna dicuntur, quæ ardent sine fumo, α enim significat sine, καπνὸς fumum: ea quo modo fiant docet Cato in re rusti. consperguntur enim amurca, & exponuntur ad solem, vt eum imbibant liquorem.

Nomento] Villam habebat poëta, loca vicina erant palustria & saliceta. vnde Plut. scrib. Cæsarem statuisse siccare Nomentanas & Pontinas paludes:

A monet igitur vt si ad loca Nomento vicina velit accedere, ferat secum ligna acapna, quoniam illic sunt viridia & palustria.

Nomento] Quod erat ad x. lapidem: de quo alibi multa diximus.

Rapa. XVI.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa Vide Turneb. lib. 18. cap. 15.
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Ἃς σοι γογγυλίδας χαιρούσας ψύχει πέμπω.
Τάσδε μετ' οὐρανίων Ῥωμύλος ἐσθίεται.

DOMITIVS.

B Hæc *tibi*] Rapum, & rapa dare simplici antiquitati cibus gratissimus, adeo vt legati afferentes aurum Curio, quo eum corrumpere cogitabant, hominem reperierint rapa voluentem. Græci rapam plumbeã in templo Delphici Apollinis dicarunt, eius fatuitatem indicantes: sed, vt Plin. scrib. non erant Romæ, vbi Curius rapis contentus aurum contempsit. In tantam excrescunt magnitudinem, vt xl. lib. aliquando fuerint conspectæ, Nursinæ palmam obtinent.

Romvlvs] Per Romulum, simplicem antiquitatem intelligit Romæ, quæ, vt proposuimus, rapis vtebatur. Fuit prætereaalter Pollio Romulus, qui supra centesimum vixit annum mulsi potu & olei vnguento.

Gavdentia *frigore*] Quia in vsu sunt brumali tempore.

Esse] Comedere: quia non nouit alium cibum quàm rapam. vult ostendere fuisse in precio secu-

C lo Romuli, adeo vt meliorem in cœlo non optet cibum.

Coliculi. XVII.

Ne tibi pallentes moueant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua. Nitro enim Olera viridiora fiunt. Plin. l. 31. c. 10.

Ναυτιάας κράμβης θαλλοῖς εἰ δείδιας ὠχροῖς,
Τεῦξαι σφι χλοερὴν χεῦμα νιτρῶδες ὕδωρ.

DOMITIVS.

D Ne *tibi*] Nitrum salis genus est, quod circa Acathin & Memphim Ægypti prouenit: eo Ægyptij vtuntur ad ea quæ nolunt inueterascere. Cucumeres eo seruantur recentes, & brassicæ ea aqua consparsæ, quia & Plin. de caule ita scrib. Nitrum etiam in coquendo viriditatem custodit. Caulis multis à Catone laudibus celebratur, singulisque remedijs adhibetur, eo dum imperite vteretur vxorem necauit.

Brassica] Dicitur quasi prassica: vel à præsecando, vt Festo placet, quoniam præsecatur, hoc est præciditur ex thyrso.

Brassica] Interior pars caulis.

Pallentes] Quia dum inueterascunt, pallescunt.

Fiat *viridis*] Renouetur.

A

Porri sectiui. XVIII.

Fila Tarentini grauiter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clusa dato.

Βρωμῶδες τὸ πέλωμα Ταρεντίνοιο πράσοιο
Εἰ ἔφαγες, κλείσας δ᾽ στόμα κῦσον ἐμέ.

DOMITIVS.

FILA *porri sectiui*] Sectiuo porro vsus est Nero quotidie sine alio cibo æstiuo tempore ad vocem seruandam: acrius est quàm capitatum. Tarenti optime prouenit. Sectiuum dictum, quoniam in multas incisuras secatur, idemque sectile dicitur: Iuuen. B

Quis tecum sectile porrum:

OSCVLA *clausa*] Nolito aperire os ob fœtorem.

Porri capitati. XIX.

v. Mittis. *Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:*
In niueo virides stipite cerne comas.

Ἄλσος Ἀρικῖνον πράσα ἡμῖν ἔξοχα δίδωσι
Λευκῷ ὅρα χλοερὰς καυλῷ ἔχοντα κόμας.

DOMITIVS.

MITTIT] Porrum capitatum Hostiæ & Aritiæ optime prouenit: Columella.

Et mater Aricia porri.

Capitatum fiebat supposita tegula, aut silice, aut alio translatum in caput excresceret: mitius est sectiuo.

NEMORALIS] A nemore vicino.

PRÆCIPVOS] Peculiares.

VIRIDES *comas*] i. folia viridia.

Napi. XX.

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Ἡμεῖς εὐκάρπου πέλομεν κήποις μ᾽ Ἀμιτέρνης·
Γογγυλίδων Νύρσης σὺ ἂν ἔχοις σὺ πόθος.

DOMITIVS.

HOS] Napi in tria distinguntur genera. Alij enim sunt Amiternini, vbi principatum obtinent Nursini: demum nostrates præstantiores sunt rapis.

AMITERNVM] Patria Sal. non procul ab Aquila.

PILAS] Rapas à rotunditate, i. cùm rapas habueris, poteris napis abstinere.

Asparagi. XXI.

Plin. l. 21. cap. 13. in totum spina est asparagus. Vide & lib. 19. cap. 4. & 8.

*Mollis in æquorea quę creuit * spina Rauēna,*
Non erit incultis gratior asparagis.

Οὕνεκα πὰρ ῥηγμῖνι μαλαχθὲν ἐθρέφθη Ῥαβέννη;
Οὔτοι ἀκηπεύτων ἀσπαράγων προφέρῃ.

DOMITIVS.

MOLLIS] Asparagus ab asperitate dicitur, vel potius quòd asparagus externa lingua significat virgultum: olim tantum reperiebatur incultus passim, postea luxuria mortalium cœpit eos colere & educare, adeò vt Rauenna trium librarum asparagum aliquando produxisse videatur, nunc mittuntur asparagi inculti, non hortenses. & altiles: Plin. de asparagis, Nullum gratius ijs solum quàm Rauennatium hortorum indicauimus quorundam: hunc intelligimus siluestrum asparagum, quem Græci olum aut myacantum vocant, alijsve nominibus.

MOLLIS] Molli cultu.

SPINA] Id est, asparagus, nam, vt Plinius scribit, Asparagus in totum spina est.

ÆQVOREA] Quia ad mare est.

INCVLTIS] Sponte sua nati, quos nunc mitto, quasi dicat. Rauenna, vbi altiles spectantur asparagi, non habet meliores, quamuis hi sint inculti, quos mitto.

* Vua duracina. XXII.

Plin. l. 14. cap. 1.

Non habilis cyathis, & inutilis vua Lyæo;
Sed non potanti me, tibi nectar ero.

C Εἰμὶ μὲν οὐ χρηστὴ κυάθοις, οὔτ᾽ εὔθετος οἴνῳ·
Οὐ πίνοντι μ᾽ ὅμως εἰμί σοι εἶδαρ ἐύ.

Chia ficus. XXIII.

Chia seni similis Baccho, quam Setia misit,
Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

Γηραλέῳ Βάκχῳ Σητίνῳ Χῖον ἐοικὸς
Σῦκον, ἄκρατον ὁμοῦ καὶ ἅλας ἡδὺ φέρει.

DOMITIVS.

CHIA] Chia ficus gratissima poëtæ est, vt sæpe dixit. ita à Macrobio nominatur. Pungit palatum D grato sapore & vini veteris. & salis. Aridis ficis, vt authore Catone excogitatum est, loco salis & casei, sed hîc de sapore Chiæ intelligit.

BACCHO *seni.*] i. veteri vino.

PORTAT *secum merum & salem*] Quia habet saporem salis & meri.

Cydonia. XXIV.

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
Ponantur, dicas hæc melimela licet.

Εἰ μέλιτι μεθύοντα κυδώνια σοί ποτε δῶσιν
Σοί ποτε, ταῦτα καλεῖν σὺ μελίμηλα θέμις.

DOMITIVS.

Si tibi] Poma Cydonia ex Creta afferebantur, vbi proueniunt tanta vbertate, vt incuruatis ramis prohibeant parentem crescere: ea melle seruari docent Columella & Cato. Fiunt enim prope melimela, quæ melitum saporem habent sua sponte, & dicuntur mustea à celeritate mitescendi, & maturitatis.

GEORGIVS.

Si tibi *Cecropio saturata Cydonia*] Nouisse vnde cydonia afferantur, & quo pacto seruentur, nihil ad distichi interpretationem, sed potius alludit poeta ad compositionem nominis, nam cum melimela composita sit dictio & tota græca, significétq; mel & pomum, cydonia melle condita vere melimela possunt appellari, quo nomine dicuntur & poma illa mustea à celeritate mitescendi denominata.

Nuces pineæ. XXV.

Poma sumus Cybeles: procul hinc discede, viator,
v. Mec. *Ne cadat in miserum nostra ruina caput.*

Τῆλε σὺ ὁδοῦ, ὁδῖτα, Ῥέης ἀκρόδρυόν εἰμι,
Ὄφρα μὴ εἰς χέτλιον κρᾶτα πέσοιμι τεόν.

DOMITIVS.

Poma] Nuces pineæ in Tarentinas, Arpinas, Phthias distinguuntur, ipsæ dicatæ Cybeli ob copiam quæ in Ida est ei sacra, sed arbor in tutela Siluani. poma loquuntur.

Nostra ruina] Ne nos ruentes cadamus in caput tuum.

Sorba. XXVI.

Sorba sumus, molles nimiũ durantia vẽtres:
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis.

Οὖα μέν ἐσμεν, ὑγρῆς γαστρὸς σκληρωτῆρι ὀπώρη·
Παιδὶ δὲ μᾶλλον ἔοιγ', ἤ σοι, ἁρμοδίη.

DOMITIVS.

Sorba] Sorba noto extant nomine: In quatuor diuiduntur genera. arida aluum sistant, recentia stomacho prosunt. docet Cato ea condiri melle.

Durantia] Quæ sistimus, & sicamus.

Ventres mol.] i. fluxos.

Puero] Cuius venter sæpe mollis est, & laxus.

Spathalion caryotarum. XXVII.

Spathalion termes ab arbore palma decerpt. de Spathe. Diosc. lib. 1. cap. 123.

Aurea porrigitur Iani caryota Kalendis;
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Χρυσοχόος δίδοται καρυωτὶς ἐν ἤματι πρώτῳ
Ἰανοῦ· δῶρον ὅμως αὐτὸ πένητος ἔφυ.

A DOMITIVS.

Aurea] Caryotarum petalium folium significat arboris: hic accipitur pro ramusculo palmæ. Caryota fructus est palmæ inter cætera genera cibo & succo vberrimus, inde vina fiebant noxia capiti, ex quo nomen datum est fructui: nam cara significat caput, vnde caryota. eadem caryotis dicta est à Papi. 1. Sylu.

Et latente palma Pregrandes caryotides cadebant.

Et à Mart. suprà,

Et nota caryotides theatris,

Authores sunt Plin. & Strab. in vlt. Tegebatur autem leni bractea auri Kalendis Ianuarijs, mittebatúrque à pauperibus: suprà,

Hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert cum paruo sordidus asse cliens:

In omen futuræ suauitatis insequentis anni, vt O-
B uid. ex Iano in fastis,

Quid vult Palma sibi, rugosáque carica dixi:

Sed tamen quamuis aurata solet mitti à paupere, qui auro caret, potes accipere petalion pro bractea illa subtilissima, qua tegebatur caryota.

Tamen hoc munus] Quamuis auratum sit.

GEORGIVS.

Aurea *porrigitur Iani caryota Kalendis, &c.*] Delirat plane in hac explanatione Domit. qui nunc pethalion pro ramo accipiat, paulo post pro bractea, cùm nihil simile habeant ramus & bractea: sed homo nimiæ licentiæ, sine discrimine quidquid cogitauit effundit cum iactura scilicet nostrarum literarum quam nos quoad licet corrigemus. Igitur meo periculo, fremant licet Græci & Latini, spathalium le-
C gendum dixerim, qua dictione Plaut. & Plin. vsi sunt, facilísque fuit librariorum error, vt pro spathalio pethalion facerent: nisi forte magis audaculus Græcus veram lectionem corrupit Verum cùm originem verbi docuero, in sententiam nostram quicunque bene senserit, facile deueniret: apud Iulium Pollucem legimus spathem appellari ramum palmæ à quo dependeant balani, hoc est, palmæ. Hoc idem in Plinio lectum est, vbi vnguenta is fieri docet: ab spathe itaque recte forma diminutiua secundum Græcos spathalion deducitur: apud Herodotum item spathes mentionem habemus pro palma. quod cùm ita sit. lectio erit verissima cum sensu absolutissimo Spathaliô caryotarum, hoc est ramulus cum caryotis dependentibus, quales inauratæ Kalendis Ianuarijs, ex consuetudine mittebantur: quod si nunquam veri & integri codices aliquo fato recuperati fuerint, quam supra diximus inscriptionem cognoscemus esse verissimam: nam frequens titulus, qui
D est pethalion sensum confusum & pene vanum continere mihi videtur.

Coctana. XXVIII.

Coctana. Turneb. lib. 25. cap. 28.

Hæc tibi quæ torta venerũt condita mentha,
Si maiora forent coctana, ficus erat.

Ταῦτά σοι ἃ συνειδεῖ κορυφούμενα κὰκ πτόμῳ πλεκτῷ
Ἤλυθον, εἴπερ ἔην μείζονα, σῦκα ἂν ἔην.

DOMITIVS. A

Hæc] Syria quosdam fructus habet peculiares, inter quos sunt coctana de genere ficorum, sed minora sunt: horum meminit Iuuenal.

Quo pruna & coctana vento.

Hæc mittebantur coronata mentha, vt recentia seruarentur.

Condita *mentha torta*] i. corona menthæ.

Si *forent maiora*] Nam sunt minora ficis, vt scrib. Plin.

Vet Damascenarũ. Turneb. lib. 25. cap. 18.

Pruna Damascena. XXIX.

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri soluere ventris onus.

Τὰ βεάβυλα ξείνῳ ῥυτιδώδεα γήραϊ δέξαι·
Σκληρῆς μαλθάσσειν γαστέρος ἁρμόδια.

DOMITIVS.

Prvna] Damascena pruna erant peculiaria Syriæ, quæ vetustate fiunt rugosa, citantque ventrem. mittebantur in Saturnalibus, vt indicat Papin.

Quæ ramis pia germinat Damascos.

Damascena, à Damasco vrbe & monte, in quo nascuntur: supra etiam ea rugosa dixit.

Carie] Vetustate.

Peregrinæ *senectæ*] Quia ex Syria mittuntur.

Plin. lib. 2. c. 42. Lunensem magnitudine conspicuum dicit.

Caseus Lunensis. XXX.

Caseus Etruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Τυῤῥηνῶν τυρὸς κεχαραγμένος εἰκόνι Λουνῆς
Παισὶ χορηγήσει μυρία δεῖπνα τεοῖς.

DOMITIVS.

Casevs] Barbaræ gentes diu caseum ignorarunt, etsi lacte victitabant. Roma hoc bonum Italiæ ostendit: inter casei genera mittebantur à Luna vrbe inter Hetruriam & Liguriam, nobili portu & marmore candidissimo: hic magnitudine admirandus erat, nam singulæ massæ ad millena pondo nonnunquam premebantur, author Plin. Apti igitur erant ad puerorum turbam numerosam alendam.

Mille *prandia*] Multas ientationes.

Lvna] Op. Hetruriæ.

Plin. li. 2. cap. 42.

Caseus Vestinus. XXXI.

Si sine carne voles ientacula sumere frugi;
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Βυλομένῳ σοὶ ἄριστον ἑλέσθαι λιτὸν ἄσαρκον,
Τοῦτ' ἀπὸ Βεστίνων ἦλθε φύραμα βοτῶν.

Si] Caseus Vestinus in precio erat, testimonio Plin. & Apitij, adeo vt vicem carnium posset præstare.

Hæc *massa*] Hic caseus.

De *grege Vestino*] i. ex ouibus vestinis.

Caseus valebrensis. XXXII.

Non quencumque focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ipse sapit.

Οὐ μὲν πῦρ ὅ, πῦν, ὃδ' ὄπτησά γ', ἀλλ' ὃ τὸν ἀτμὸν
Βηλαβρίω πιὼν τυρὸς ἄριστος ἔφυ. B

DOMITIVS.

Non] Caseo caprino sua est gratia & laus, vt Plin. scribit, recenti maxime: conditur præsertim fumo, qualis in vrbe conficiebatur, cunctis præferendus. Velabrum & maius & minus, vt Var. scrib. in vrbe erat, vbi ganeatæ epulæ parabantur: cùm ergo velit significare caseum vrbanum appellat eum Velabrensem, quia in eo vrbis loco condiebatur fumo, non quia fumus Velabrensis aptior esset ad condiendum, alio quoque fumo.

Qvi *bibit fumum Velabrensem*] i. qui fit in vrbe: nam, vt Plin. scrib. caseus qui in vrbe fiebat, præferebatur cæteris.

GEORGIVS.

C Non *quencumque focum, &c.*] Verba sunt Plinij in xj. naturalis historiæ: Laudatissimum & capityrum gregibus, sua laus est: Agriganti maximè, eam augente gratiam fumo. nos conuersis duabus primis literis legendum dicimus epityrum, qua voce vritur Plaut. in milite, & Varro exponit epityrum genus esse edulij, quo frequentius vtitur Sicilia, quàm Italia. Ergo cùm Agrigentum Siciliæ ciuitas sit, rectè Plin. laudem epityro Agrigentino dat. Iulius quoque Pollux inter preciosa priscorum edulia Siculum caseum enumerat. quin etiam compositio hanc nostram sententiam iuuat: Fit enim ab ἐπὶ, & τυρός, hoc est caseus, inde epityrum. Redigatur ergo in priscam & veram lectionem hoc modo. Laudatissimum & epityrum gregibus sua laus est, Agriganti maxima. quod si liberius otium nactus aliquando fuero, annotamenta in asserenda Plin. lectione conficiam. D

Casei Trebulani. XXXIII.

Trebula nos genuit, commendat gratia duplex;
Siue leui flamma, siue domamur aqua.

Τρεβλάνδεν φύσατο, ... χάρις ἔστι φερ... ἡμᾶς,
Εἴθ' ἡμᾶς βραχὺ πῦρ δαμάζεται, εἴτε λιβάς.

DOMITIVS.

TREBVLA] Trebula oppidum erat in agro Reatino, vt Varro scrib. in originibus. erat præterea iuxta Crustumium colonia Romanorum eodem nomine. Crustumini autem casei laudatissimi erant præsertim ex campo Cediciæ: authore Plin. Trebulæ siue igne parentur, siue aqua calida.

GRATIA *duplex*] i. duo vsus: siue igne, siue aqua parantur, habent gratum saporem. Columel.

Bulbi. XXXIIII.

Cùm sit anus coniux, & sint tibi mortua membra:
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Γεγαμῶ μὴ ἔχων γαμετήν, τὰ μέρη δ' αὐτὸ γαστρὶ νεκρωθείς,
Μηδὲν ἔχοις, βόλβων πλὴν κορέσασθαι, ἄκος.

DOMITIVS.

CVM] Bulbi sunt minores ascaloniæ multis generibus. Cato Megaricos laudat: inter eos est epimenidum, vt Theophrastus scribit, quod laudatissimũ prouenit in Libya: legitimis nuptijs apponuntur sponsis, vt Varro & Apitius scribunt, cum nucleis pineis, aut cum erucæ succo & pipere ad vsum Veneris.

MEMBRA *mortua*] Ita vt non possis arrigere, id est, illo medicamine, quasi dicat, iis tantum prosunt bulbi, qui in vsum libidinis possunt recreari, ijs vero quibus membra mortua sunt, & coniux anus, nihil afferunt præter saturitatem, cùm pruritum excitare nequeant.

Lucanicæ. XXXV.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
fr. albet. *Pultibus hinc niueis grata corona ° datur.*

Πικλωνῆς ἀγαὶ χεμφαίης εἰμὶ θύγατρον,
Χιονέοις πολτοῖς στέμμα δὲ δηπόθηνος.

DOMITIVS.

FILIA] Lucanica dicta est à Lucania prouincia, in qua milites id farciminis genus inuenerunt: has fieri docet Apitius pipere, cimino, saturea, concisis carnibus. Botellus eiusdem generis est, vnde pultes coronatæ mensis apponebantur: suprà,

Et pultem niueam premens botellus.

Pultes autem fiebant vario & nomine & condimentorum genere, vt Julianæ: præterea cum iure œnogari cocti.

GRATA *corona*] Apposita & condita.

°Oliuæ. XXXVI.

°Cistella Oliuarum. Turneb. lib. 25. cap. 18.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliua dapes.

A

Πικηνοῦ τελητῆρος ἀπεκκλεφθεῖσα, καὶ ἀρχὴ
Ἡ ἐλαία δαιτός, καὶ τέλος αὐτὴ ἔφυ.

DOMITIVS.

HAEC] Oliuæ picenæ mensis seruabantur in cibum: nam his tota ducebatur cœna sumptis ab initio ad finem.

TRAPETIS] Trapetum torcular oliuarium, à τρίβω, quod est verto.

SVBDVCTA] Ablata, quia non torquebatur.

INCHOAT] Sumitur in principio.

Mala citrea. XXXVII.

Aut Corcyræi sunt hæc de frondibus horti,
B *Aut hæc Massyli poma draconis erant.*

Ἡ Κορκυραίης τάδε κλωνῶν ἦν ἀπὸ κήπου,
Ἡ καὶ Μασσύλου μῆλα δράκοντος ἔην.

DOMITIVS.

AVT] Mala Citrea eadem mala medica dicuntur, quæ Oppius antiquæ authoritatis, Macrob. Plinius eadem esse demonstrant, quæ à Virg. in Georgicis describuntur,

Media fert tristes succos.

Hæc intersecta vestibus tineas arcent, vnde vestis citrosa dicta est his seruata, vt Neuius appellat. Quid C velit Festus non intelligo, qui scribit vestem citrosam dictam à similitudine citri *Corcyræi*. Duo in terris pomaria commendabantur, Alcynoi, & Hesperidum. Iuuen.

Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat
Credere, quæ possis surrepta sororibus afris.

DRACONIS *Massili*] i. à dracone Massiliæ in hortis Hesperidum.

Colostrum. XXXVIII.

Surripuit pastor quæ nondum stãtibus hædis,
D *De primo matrum lacte colostra damus.*

Πύρεφθον, ποιμὴν χιμάρων τόδ' ἥρπασεν ὕπω
Ἱσταμένων, πρώτου δὲ γε γάλακτος ἔχω.

DOMITIVS.

SVRRIPVIT] Colostrum significat lac quod exprimitur ex vberibus armentorum, antequam nati pulli os admouere possint: cogitúrque in speciem pumicis si aqua non adhibetur. Aristoteles trophalida appellat.

HAEDIS *nondum stantibus*] i. non erigentibus se ad vbera: Plinius, Est autem colostra prima à partu spongiosa densitas lactis. Stomacho accommodatissimum caprinum, quoniam fronde magis, quàm herba, vescuntur.

A

Hædi. XXXIX.

Lasciuum pecus, & viridi non vtile Baccho,
Dat pœnas: nocuit iam tener ille deo.

Τιτύλλος ἰταμὸν, καὶ Βάκχῳ ζῶον ἀπηχθὲς·
Τὸν θεὸν ἤδη γὰρ βλάψε νεογνὸν ἐόν.

DOMITIVS.

LASCIVVM] Hirci mactantur Bacco, cùm vites lædant.

PECVS *lasciuum*] Id est, hædus. vt illud, *Lasciua capella.*

DAT *pœnas*] Mactatur.

DEO] Baccho, quia corrosit vites. ostendit eum fore inutilem mensis postea quàm cœperit corrodere vites, nam quamdiu suggit lac mensis est aptus.

Oua. XL.

Candida si croceos circumfluit vnda vitellos,
Hesperius scombri temperet oua liquor.

Εἰ κροκίνους λευκὸν λεκίθους περιδέδρομεν ὕδωρ,
Ὠ σκόμβρων ἰχὼρ ὠὰ κεραννύτω.

DOMITIVS.

CANDIDA] Fractis ouis adhibebatur garum scombrorum. Scombros autem aptos ad garum mittunt Mauritania, Bætica, Carteia, & insula Herculis in Hispania dicta Scombria à multitudine scombrorum, qui illic capiuntur ad garum.

LIQVOR *hes.*] Id est, liquamen scombrorum, qui capiuntur in Hispania. Salsamento supra oua condita legimus.

Diuisis cibium latebit ouis.

VNDA *candida*] Ouorum.

VITELLOS *croceos*] à colore.

Porcellus lactens. XLI.

Lacte mero pastū pigræ mihi matris alumnū
Ponat, & Aetolo de sue diues edat.

Ἀχρήτῳ μεθύοντα γάλακτι μοὶ δέλφακα θείτω
Πλούσιος, Αἰτωλοῦ δ' αὐτὸς ἔδοιτο κάπρου.

DOMITIVS.

LACTE] Porcellus lacteus dicitur, qui nondum aliud cibi genus attigit quàm lac, hic habebatur gratissimi saporis.

PONAT] Id est, apponat mihi: nam porcellum lacteum pluris facio, quàm aprum.

EDAT *diues de sue Aeto.*] i. ipse diues sibi habeat ingentem aprum, quantus fuit Ætolus interfectus à Meleagro, modo ego edam porcellum lacteum, quasi dicat, hunc pluris facio.

* Apyrina & tuberes. XLII.

*Apyrina, Punici fructus, à quibus ligneus abest nucleus, blandioribus gēnis. De Apyrinis Plin. lib. 13. cap. 19. & lib. 15. cap. 6.

Non tibi de Libycis tuberes, & apyrina tamus,
Dè Nomentanis sed damus arboribus.

DOMITIVS.

NON *tibi*] Tuberes & Apyrina Sextus Papini. nouissimis Augusti temporibus attulit in Italiā, zinzipha ex Syria, tuberes ex Africa, quæ vtraque sunt similiora baccis, quàm pomis, & malis. Tuberes erant in precio duplici genere, candido & serico.

APYRINON] Ab α, sine, pyrinon, id est, nucleus: genus mali granati est quod nucleo lignoso caret, mitiorisque est saporis. hoc quoque ex Africa translatum est: nam illic circa Carthaginem benignissimè nascitur, Plin. author: nunc hi fructus ferebantur. Poëta habebat villam in Nomentano, quod supra dixit.

B

ARBORIBVS *Nomen.*] i. villæ meæ Nomentanæ.

DE *Libycis*] Vnde scilicet olim petenda erant.

Idem. XLIII.

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes. quid tibi cum Libycis?

DOMITIVS.

C

TVBERES *vernæ*] Domi nati.

QVID *tibi cum Libycis?*] Quid quæris Libycos cum habeas domesticos, id est, natos in agro Romano?

Sumen. XLIV

*Esse * putes nondum sumen: sic vbere largo* *v. potes.
** Effluit, & viuo lacte papilla tumet,* Effluet, vt in uco, ita MS. Cod.

Οὐχ ὑποσυάγριον ἂν φαίης· τόσσης ὕθατος ὄγκος,
Καὶ θηλῆς, σπαργῶν ἐρχνεοῦσι γάλακτι.

DOMITIVS.

ESSE] Sumen ex papillis porcæ lactentis fit: quo plus lactis continebat, eo plus commendabatur.

D

PVTES] Putare possis.

NONDVM] Scil esse sumen, sed papillam.

LARGO *vbere*] Nam ex vbere fiebat papilla: nam videbatur papilla lacte tumens.

Pulli gallinacei. XLV.

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes, at nunc accipe cortis aues.

Εἰ γαίης Λιβύης, καὶ Φάσιδος εἴχομεν ὄρνεις,
Ἐλλάβες ἄν· νῦν δ' αὖ δέξο χαλκιδίας.

DOMITIVS.

SI *Libycæ*] Aues Libycæ dicuntur gallinæ Numidicæ. de quibus satis supra est dictum.

PHASIDES *au.*] i. phasiani.

AVES *cortis*] Pullos gallinaceos.

ACCIPERES] Id est, tibi mitterem.

AVES *cor.*] i. gallinas quas solas habeo.

* Persica, Nucipersica. XLVI.

*Hoc Lemma Aldina editio & Iunij liber habent nescio qua de causa in Iunij editione mutatum sit. alij Persica, omisso Nucipersica legunt.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis:
Nunc in adoptiuis Persica cara sumus.

DOMITIVS.

VILIA *præco.*] Persica dicuntur quæ æstate maturescunt, cùm cætera mitescant post autumnum. Id genus excogitatum est xxx. annis antè imperium Vespasiani tanta æstimatione, vt singula singulis denarijs venirent. Plin. author. hoc fiebat noua insitione.

VILIA] i. parui precij.

RAMIS *ma.*] i. nostræ matris, in quibus eramus antequam insita essemus.

ADOPTIVIS] In quibus insita sumus.

CHARA] i. magni precij.

Panes Picentini. XLVII.

Picentina Ceres niueo sic nectare crescit,*
Vt leuis accepta spongia turget aqua.

*v. sine nectare crescit.

Τοῖος ὁ Πικέντων ζυμοῦται νέκταρι λευκῷ
Ἄρτος, σπόγγος ὅπως ἤξετο νᾶμα πιών.

DOMITIVS.

PICENTINA] Picentes pane excogitato laudantur, quem conficiebant ex alicæ materia macerata, nouem diebus ea subigebatur vua passa, torrebatúrque in furno imposita ollis quoad frangerentur. hi ob duritiem frangi non poterant, nisi lacte mulsoue molliti. vt docet Plin.

CERES *Pi.*] Id est, panes Picentini.

CRESCIT] Tumescit.

NIVEO *ne.*] i. lacte, quo, authore Plin. molliebatur. aliter enim frangi non poterant.

Boleti. XLIIX.

Argentum, atque aurum facile est, lenamque togamque
Mittere: boletos mittere difficile est.

Εὐχερὲς ἀργυρέου, χρυσοῦ τ', ἐρίου τε, καὶ ἐσθῆς,
Τῶν δὲ μυκήτων αὖ δυσχερὲς ἐστὶ δόμεν.

DOMITIVS.

ARGENTVM] Boleti in maximo erant precio, A nobiles veneficio Claudii.

BOLETOS] Quia vnusquisque vult vesci potius, quàm mittere amico.

Ficedula. XLIX.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis;
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

Βοσκομένη γλυκεροῖς σύκοις, καὶ βότρυας ἡδῦς,
Τίπτ' ὄνομ' οὐ μᾶλλον δῶκεν ὁ βότρυς ἐμοί;

Tubera. L.

Rumpimus altricē tenero quæ vertice terram B
Tubera, boletis poma secunda sumus.

Ῥηγνῦντα χθόνα θρέψασαν γαίης κορυφῇσι
Τὰ δευτερεῖα τῶν μυκήτων ἴσχομεν.

DOMITIVS.

RVMPIMVS] Tubera in lautis mensis fuisse Iu. carmen testatur,

Radentur tubera si ver Tunc erit.

Magnitudine librali nonnumquam visa sunt. Africana præstant, vt scrib. Plin. inde Iu. illud.

Tibi habe frumentum Attilius inquit,

O Libye disiunge boues, dum tubera mittas.

Imbres autumnales, eodem authore, & crebra præsertim tonitrua ea generant, idem Iu.

Et faciant optata tonitrua cœnas Maiores.

C Sunt tenerrima verno tempore. Iuuen. *Si ver Tunc erit.* Id in annalibus est de tubere. Laërtio Licinio prætori mordenti tuber denarium deprehensum dentes primos inflexisse. minoris tamen pretij sunt, vt poëtæ placet, quàm boleti.

RVMPIMVS *ter.*] Quia rumpitur vbi nascuntur.

Turdorum* corona. LI.

* Decuria. Turneb. lib. 25. cap. 28.

Texta rosis fortasse tibi, vel diuite nardo;
At mihi de turdis facta corona placet.

D Ἐκ μὲν ῥόδων τάχα σοὶ στέφανος, νάρδου τε συνεστώς·
Ἐκ κιχλάδων δὲ πλαγεὶς ἁνδάνει μᾶλλον ἐμοί.

DOMITIVS.

TEXTA] In coronam pendentes turdi mittuntur qui inter aues primum obtinent saporem, iudice poëta. nobiles sunt loquacitate turdi Agrippinæ, qui sermonem humanum effingebat: hyeme in Germania apparent. Coronæ sutiles in solennibus conuiuiis dabantur, primum ex rosis, postea Plin. teste, datæ sunt ex foliis nardi.

NARDO *diui.*] i. pretioso.

TEXTA *ro.*] i. sutilis corona.

VEL *nardo diuite*] i. luxurioſa. nam ex foliis nardi data eſt. A

Anas. LII.

Tota quidẽ ponatur anas: ſed pectore tantũ,
Et ceruice ſapit: cætera redde coco.

Νῆσσαν ὅλην παρθῆς· τὴν δ' αὐχένα νόσιμός ἐστι,
Καὶ τὰ στέρνα· τὰ δ' αὖ λοιπὰ μάγειρος ἔχοι.

DOMITIVS.

TOTA *quidem*] Anates à nando dictæ ſunt, vt placet Cic. harum pectus tantum & ceruix gulæ dabatur, reliqua inutilia. B

SAPIT *ceruice*] i. & ceruix grata eſt.

REDDE *coco.*] Sunt enim vilia.

Turtur. LIII.

Dũ pinguis mihi turtur erit: lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe, perdere nolo famem.

DOMITIVS.

DVM] Turtures condiuntur ab Apitio, qui ſaginatis animalibus non eſt contentus, poëta tanti facit, vt nihil ante guſtandum erit, cùm ponetur turtur.

LACTVCÆ *& coclea*] Excitando ſtomacho prægustabantur. ſupra, C

Non deerunt tibi ſi ſoles & ſeruirem.

Id eſt, prægustare.

VALEBIS *la.*] i. non guſtabo te.

PERDERE *no. fa.*] i. nolo conſumere eſuritionem hanc rebus vilioribus, cùm habeam turturem & rem delicatam.

* Perna. LIV.

* *Cæretana mihi fies, vel maſſa licebit*
De * *Menapis: lauti de petaſone vorent.*

*Vide Turneb. lib. 16. cap. 16.
* A Cæretanis Hiſpaniæ populis perna Cæretana & infra Epig. 124 Vinum Cæretanum nominantur.
* Menapiorũ pernæ olim, vt etiã nunc in deliciis habitæ.

DOMITIVS.

CÆRETANA] Pernam antiqui dixerunt in ſue partem cruribus propinquiorem, nam ſuem ita diuidebant, in pernam, petaſonem, & lardum. Plin. pro cruribus accepit, nam caſtrandum ſuem prioribus pernis ſuſpendi iubet. Ex Gallia à populis Menapiis, & ex Hetruria à Cæretanis optimæ pernæ mittebantur. D

MENAPIS] Galliæ populi vtramque Rheni ripam incolentes per paludes & nemora. his finitimi ſunt Sicambri.

LAVTI] Delicatioris menſæ homines.

MASSA *Cæretana*] Perna Cæretana, vel de Menapiis, id eſt, de Menapia.

Petaſo. LV.

Muſteus eſt: propera, caros nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo ſit petaſone nihil.

DOMITIVS.

MVSTEVS *eſt*] Saliendum Petaſonem monet Cato in re. ru. Id verbum, apud alios authores rarius precipuè commendatur, cum muſteus. i. recens: quo verbo Plin. in hac ſignificatione ſæpe vſus eſt, & Apitius condit petaſonem ex muſteis cum bilibri hordei & caricis.

PROPERA] Cito ede.

SIT *mihi nihil*] i. non apponatur vetulus petaſo.

Vulua. LVI.

Te fortaſſe magis * *capiet de virgine porca:* * v. capiat.
Me materna graui de ſue vulua capit.

Ἡ ἀτόκοιο συὸς τάχα σε κατατοδομιός ἐστι
Μήτρα μᾶλλον· ἐμοὶ δ' ὠδίνουσα ἐκ τοκάδος.

DOMITIVS.

TE *fortaſſe*] Sumen ex papillis porcarum fit: ex iiſdem abſcinditur pars, quam vuluam appellabant, quæ præſertim comedebatur, ſi porca nondum peperiſſet: vnde vuluam ſterilem dixit Apit. quæ nondum fœtui paruiſſet, & eam variis condimentorum generibus aptam gulæ. nunc mittitur vulua ex porca, quæ peperit.

VIRGINE *porca*] i. ſterili.

CAPIET] Delectat me.

GEORGIVS.

TE *fortaſſe magis*] Strepitu vigetur hæc expoſitio, ſed rebus ipſis flaccida eſt, nam vt ſumen ex papillis porcarum fieri fatemur, ita ex iiſdem abſcindi partem, quæ vulua ſit appellata, diffitemur: mihi quoque hic poëta ſuperuacanea ſcribere videtur, qui tale diſtichon de ſumine confecit.

Eſſe putas nondum ſumen: ſic vbere largo
Effluit, & niueo lacte papilla tumet.

Sed vuluam ex Plin. didicimus eſſe inteſtinorum partem, in qua conceptus fiat, & fœtus contineatur. Duplici autem nomine appellabatur eiectitia, ſcilicet, & porcaria, meliórque erat eius, quæ peperiſſet, quam virginis. nam à partu ſtatim ſuem interficiebant, tum habendæ vuluæ gratia, tum vt ſumen optimum conficerent: turpiſſimum itaque fuit lectori iactabundo, hæc apud Plin. non obſeruaſſe, niſi fortè mandragoræ, vt Demoſtheni obiectum fuit, ſomniferum ſuccum ebibit. Repeterem hîc verba Plin. niſi ea & contra Galeotum, & in commentariis in Iu. ſubnotaſſem. Græci item & bonitatem vuluæ cognouerunt, & de ea non ſiluere, ſiquidem lego apud Athenæum vulua vſos etiam Græcos fuiſſe, quam conditam in fine cœnæ apponebant: cuius obſonij venditor dicebatur metropolis: Vnde eſt illud Alexidis in Callimedontem, quem vnum rempub. Athenienſium ſecundum Demoſthenem adminiſtrantem comici Carabum contumelioſe nuncuparunt, & præcipue Alexis ſic dicens: ὑπὲρ πάτρας μὲν πᾶς τις ἀποθανεῖν θέλει. ὑπὲρ δὲ μήτρας Καλλιμέδων ὁ Κάραβος. i. pro patria quicunque mori vult, pro vulua Callimedon: & alius de eodem, Magiſter meus vuluam parans Callimedonti appoſuit, quam vt comedit, ſaltauit, vnde Carabus eſt appellatus.

Colocaſia.

Athen. lib. 3. Plin. li. 21. cap. 15. Stephan. in ἀκα.

Colocasia. LVII.

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila, manuque trahes.

Νειλιακὸν λαχάνιν γελάσεις ἐρίδια ῥυσμὸν,
Ελικτοὺς ἕλκων χερσὶν, ὀδάξ τε μίτους.

DOMITIVS.

NILIACVM] Colocasiam nonnulli cyamum dixerunt, peculiaris est Ægypti, vndè eam in Italia serere didicerunt. Caulem habet arenosum, cùm coctus est fila item stamen lanæ imitantia cùm comeditur. supra, *Tenui colocasia fila.* Ait quamuis in precio sit colocasia, tamen ob hoc esse paruifacienda, quòd dum editur filis molesta est.

OLVS] i. colocasiam peculiarem Ægypto.

LANAS] Tenuissima fila.

IMPROBA] Nimia.

Iecur anseris. LIIX.

Adspice quàm tumeat magno iecur ansere maius,
Miratus dices, hoc rogo creuit vbi?

Χηνὸς, ὅρα, μεγάλου πῶς μεῖζον ἀείρεται ἧπαρ.
Θαυμάζων φήσεις, ποῦ ποθ᾽ ἐπηύξανετο;

DOMITIVS.

ADSPICE] Iecur anserum in amplitudinem crescit, præsertim si fartilia anseri obijciuntur. Idem cū ita creuit, exemptum ex ventre anseris lacte, mulsoue augetur: habebatúrque olim inter lautissima cibaria. Incertum Scipio an Metellus vir consularis, an M. Seseius eadem ætate eques Romanus id docuerit.

TVMEAT] Tumidum sit.

VBI] Quasi dicat, in tam angusto ventre crescere adeo non potuit, sed lacte, mulsoue, vt dixi, exemptum tumescit.

Glires. LIX.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Χειμῶνος μὲν ὅλου καθεύδω, πίων δ᾽ τότ᾽ εἰμὶ,
Ὁππότε μοῦνον ἐμὲ ὕπνος με τὸ κῶμα τρέφει.

DOMITIVS.

TOTA] Glires inter saginata animalia & dapes ganeatas habebantur, adeo vt Qu. Scaurus & Marcus legem sumptuariam ferentes prohibuerint ne glires apponerentur. Hyberno somno pinguescunt. his Fuluius Lupinus vinaria in doliis excogitauit ad saginam. hyeme iuuenescunt.

QVO] Scilicet tempore hyberno.

Cuniculus. LX.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstrauit tacitas hostibus ille vias.

DOMITIVS.

GAVDET] Cuniculi verbum Hispanum est, ex genere leporum habentur, tanta multitudine messes Balearicas olim populabantur, vt incolæ opem petierint ab Aug. aduersus cuniculos: horum fœtus laurices dicuntur, qui ablati vberibus non purgatis interaneis inter lautas dapes apponebantur: ab his cuniculi viæ subterraneæ dicti sunt. nam milites terram ita fodere inde didicerunt, vt Catoni placet de re militari.

ANTRIS *effossis*] Viis subterraneis.

HOSTIBVS] Qui vrbem obsessam viis subterraneis inde egredi didicerunt.

Ateganæ. LXI.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus atagenarum.

Ἐν ὀρνιθείοις γεῦσιν μάλιστα χυλοῖς
Τῶν ἀτταγηνῶν ἐστ᾽ Ἰωνικῶν γεῦσις.

DOMITIVS.

INTER] Atagen auis inter raras epulas olim, sed postea Gallia & Hispania his vesci didicerunt, in Ionia præsertim optimi saporis, testis est Plin. & Hor.
Non afra auis, non atagen Ionicus.
Vocem quidem habet, sed cùm capitur obmutescit.

ALITVM] Auium.

Gallina altilis. LXII.

Pascitur & dulci facilis gallina farina,
Pascitur & tenebris. ingeniosa gula est.

Οἴκοις ἐν ὀρφναίοις σιτίζεται ὄρνις ἀλφίτοις
Ἡδεῖ; λιχνείης ὀξὺ σόφισμα πέλει.

DOMITIVS.

PASCITVR] Saginare gallinas Deliaci primi inuenerunt. Id quomodo fiat Colu. & Var. docent: tantæ olim gulæ, vt C. Fannius veteri interdicto prohibuerit aliquid volucrum apponi mensis præter vnam gallinam, quæ non esset altilis. Si altiles autem apponebantur, ars culinarum erat, vt ab vno pede laceratæ tota repositoria occuparentur. inde exit illud satyricum,
Quo gestu lepores, vel quo gallina secetur.
Eligebantur ad saginam, quarum cutis in ceruice fartilibus capiendis apta videbatur.

DVLCI *far.*] i. elota mulso, lacteue adhibito & farina milij.

TENEBRIS] Breui tegiculæ, vt docet Col. recōditæ,

& luminibus clusis altiles fiunt.

INGENIOSA] Quæ sciuerit hæc excogitare.

Capo. LXIII.

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus
Amisit testes: nunc mihi gallus erit.

DOMITIVS.

NE nimis] Capones interdictis gallinis lege Censoria inuentum est diuerticulum legi. nam cœperunt gallos saginare adhibito lacte & conuulsis testibus, tamen castrabantur apud antiquos lumbis adustis candente ferro, aut imis cruribus: mox illita vulnere creta.

GALLVS] Gallinaceus.

EXHAVSTO *ing.*] i. sanguine in coitu.

AMISIT *te*] Castratus est.

NVNC *mi. e.*] i. nunc mihi videtur gallus. i. castratus: gallum, inquit, nunc appellabo, non intelligens de aue, sed castratum, vt Galli sacerdotes Cybeles.

Idem LXIV.

Succumbit sterili frustra gallina marito:
Hanc matris Cybeles esse decebat auem.

Τηΐσίως ἀγόνῳ ὑποπίπτει ὄρνις ἀκοίτῃ·
Τοῦτο θεᾶς Κυβέλης ὄρνεον εἶναι ἔδει.

DOMITIVS.

STERILI] Castrato: nam Cybeles sacerdotes castrati erant.

Perdix. LXV.

Ponitur Ausonijs auis hæc rarißima mensis:
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

DOMITIVS.

PONITVR] Perdices inter externas aues habentur, & lautissimas tanti pretij, vt in pauperis mensam non venirent.

RARISSIMA] Præciosissima.

IN *lautorum*] Scilicet mensis.

*Columbini. LXVI.

* Sabinealige. pulli. al. Columbæ.

Ne violes teneras præduro dente columbas,
Tradita si Cnidiæ sunt tibi sacra deæ.

Ἀβληχρὰς ἐπίορχος ὀδὰξ μὴ βλάπτε πελειάς.
Εἴπερ ἐπιστάμενος ἱερὰ θεᾶς Κνιδίης.

DOMITIVS.

NE violes] Columbæ dicatæ sunt Veneri, eique mactantur. Proper.

A *Sed cape torquata Venus ô regina columba,*
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

Virgil. *Maternas agnouit aues.*

Monet amicum cui mittit columbinos, vt si sacerdos fuerit Veneris, his abstineat: debet enim Deæ mactare non vesci. Tanti olim precij columbæ erant, vt Largius eques Romanus quadrigenteis denariis vendiderit antè bellum Pompeianum.

GNIDIÆ *d.*] Veneri cui sacra est Gnidos. nam debes eas mactare, & non vesci, vel certe non violare, cùm sint Deæ sacræ, cuius es sacerdos: quod placet.

Palumbus torquatus. LXVII.

Inguina torquati tardant, hebetantque palumbi:
B *Nō edas hanc volucrē, qui cupit esse salax.*

Φάσσαι ἐπαμβλύνουσι γονῆς μῆδος ὁρμαδίοισι·
Μὴ πλεῖον τοῦδ' ἔδειν, ὅς γε φίληδος ἔφυ.

DOMITIVS.

INGVINA] Palumbi & Palumbes dicuntur, à columbis different, nam columbi assignatas in altis ædificiis, aut turribus cellas frequentant conueniúntque: agrestiores euagantur.

TORQVATI] Dicuntur à signo torquis quod collo præferunt. Propertius,

C *Torquata Venus ô regina columba,*

Salacitatem retardant.

SALAX] Fortis in libidinem.

*Galbula. LXVIII.

*Galgulum Pli. vocat, l. 30. cap. 2. Græci, icteron.

Galbula decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cùm rudis vua mero.

Τύρεον ἡ χαλκὴ μοῦνος δόλοισιν ἔχεται, ἠδὲ λίνοισι
Χλωεὶς, ἔτ' ὀργῶντος βότρυος ὀμφακίου.

DOMITIVS.

D GALBVLA] Galbula raro visitur in Italia, nam cùm fœtum eduxit euolat. à colore dicta est galbula. viridibus adhuc vuis capitur, visco, & retibus.

CALAMIS] Viscatis.

RVDIS] Immatura.

GEORGIVS.

GALBVLA *decipitur, &c.*] Non legi, quod equidem meminerim, hanc auem vocari à colore, galbulam. Plin. tradit auem vocari à colore, quæ si spectatur sanari id malum tradunt, & auem mori. hanc puto latine vocari galbulam. Hoc idem tradunt Aristoph. atque Sui. icteron venalem proponit, vt ab ictericis spectaretus, & emeretur.

Cattæ. LXIX.

Pannonicas nobis numquam dedit Vmbria cattas:
Mauult hæc domino mittere dona Pudēs.

Παννονικὰς ὔ μὲν Ὀμβρων ἀπὸ δέγμεθα κάττας.
Τάσδε θέλει πέμπειν μᾶλλον ἄνακτι Πόδης.

DOMITIVS.

PANNONICAS] Catta auis est Pannoniæ peculiaris: rarò alibi: in Italia sæpiùs quàm in Vmbria capitur. Aulus Pudens poëtæ amicissimus, vt supra est lectum. in Vmbria municipium habebat, & agrum, cùm Cattas caperet illic non nisi ditioribus mittebat, quos coleret.

VMBRIA] Vbi præcipua est Catta.

DOMINO] Diuiti quem colit. nam dominum dicimus quem colimus. Mendosi codi. habent Dominæ, sed antiqui domino, quod placet.

Pauo. LXX.

Miraris quoties gemmatas explicat alas,
Et potes hunc sæuo tradere dure coco?

Τὸν ταρσοὺς ποσάκις λαμπροὺς πετάοντα τεθηπὼς,
Πῶς δύνῃ, ὦ μόφρων, ὀπτᾶν μαγείρῳ σὺ διδόμεν; C

DOMITIVS.

MIRARIS] Pauo in trimatu explicat caudam, quam ostentat aduerso sole vt irradietur. hanc auem inter epulas posuit primus Horten. in cœna adipali sacerdotij sui: mendose scriptum est apud Plin. adialitij cœna sacerdotij, cùm scribi oporteat adipali cœna sacerdotij, quam adialitij dixerunt mendose legentes hanc dictionem: eadem verba sunt apud Varronem in re rustica.

EXPLICAT] Pandit.

GEMMANTES] Imitantes gemmas.

SÆVO] Eam laniaturo.

COQVO] Quasi dicat, cùm pauo edat tam pulchra spectacula non deberet laniari.

Phœnicopterus. LXXI.

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit. quid si garrula lingua foret?

Οὔνομα τὰ πτερὰ δῶκεν ἐρυθρά. ἡ γλῶσσα δὲ λίχνοις
Νόστιμός ἐστι· τί δ' εἰ γλῶσσα πέτυκτο λάλη;

DOMITIVS.

DAT *mihi*] Phœnicopterus à rubentibus alis nomen accepit. nam phœnix purpureum significat, & A præterea alæ. inter mediocres aues recensetur à Celso, sed quo maior est, eo est gratior. Iuue. *Et phœnicopterus ingens.* Huius linguam primus Apitius nepotum gurges altissimus, vt Pli. scri. optimi esse saporis docuit, vndè Vitellius in patinam illam delitiarū luxu nobilem habere voluit linguam phœnicopteri.

DAT *mihi*] Dicor phœnicopterus, vocor à colore.

QVID *si*] Quasi dicat, quanto magis expectaretur lingua si accederet sermo, & sciret exprimere verba? cùm aliarum, inquit, auium linguæ propter garrulitatem tantum expectantur, vt lusciniæ, &c, ego non expector nisi propter saporem.

Phasianus. LXXII.

Argiua primum sum transportata carina,
Antè mihi notum nil, nisi Phasis, erat. B

DOMITIVS.

ARGIVA] Phasiani. ex Ponto primum allatæ sunt hæ aues. Argutè igitur ab Argonautis se ex Pōto allatas fuisse aiunt: illic tamen auriculas subrigunt inter plumas, quod alibi non faciunt. à Phasi flu. Colchorum phasiani sunt dicti. Columella docet eos saginari auiariis insulis Italiæ adiacentibus.

ARGOA *carina*] Ab Argonautis, qui primi in Ponto fuerunt.

NIL *nisi phasis*] i. in Ponto tantum eram.

PHASIS] Ponti flu. de quo alibi.

Numidicæ. LXXIII.

Ansere Romano quāuis satur Hānibal esset:
Ipse suas nunquam barbarus edit aues.

DOMITIVS.

ANSERE] Gallinæ Numidicæ Africæ etiam dicuntur & meleagrides, vt Plin. placet. Colu. distinguit crista quam Africæ, vt ipse scrib. habent rubrā, meleagrides cæruleam. In genere gallinarum sunt conspartis plurimis variis notis, de his Papin.

Quas vdo Numidæ legunt sub austro.

Vltimæ peregrinarum auium sunt receptæ in mensas propter ingratum succum. ait igitur Mar. anserem prius in mensis fuisse.

SVAS *aues*] Gallinas Numidicas, quia nondùm erant datæ mensis eius temporibus.

D

Anser. LXXIV.

Hæc seruauit auis Tarpeij templa tonantis,
Miraris? nondum fecerat illa deus.

Ορνις ἔσωσε νεὼν Ταρπήιον ἥδε· τί θαῦμα;
Οὐ γὰρ ἐγηγερκὼς ἦν θεὸς αὐτὸν ἔτι.

DOMITIVS.

HÆC] Anser ob excitatas excubias Capitolinas tantum fauoris meruit, vt publice anseres alerentur, censoribus locantibus cibaria singulis annis. Solenni præterea pompa singulis annis inter ædem Iuuentutis & Summani, canes viui affixi cruci

sambuceæ circumferebantur, ansere puluino insidente, nam canes qui in Capitolio erant, superati sunt vigilia anserum. hoc à paucissimis traditur. Plut. in libello de fortuna Romanorum, & Plin. authores. Iuniores anseres ganeæ dicuntur.

SERVAVIT] i. clangore suo, quia excitauit excubias.

DEVS] Domi. placet enim potius de hoc, quàm de Traiano. nam illa instaurauit, quasi dicat, si fuissent tã munita capitolia, quàm quæ instaurauit Do. nõ irrepsisset hostis, qui olim ab ansere est proditus.

Grues. LXXV.

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Vnam perdideris si Palamedis auem.

Τὴν στίχα συγχεύσεις, καὶ τὸ στοιχεῖον ὀλεῖται,
Εἰ Παλαμήδειον πλειὼν ἓν ὀλέσῃς.

DOMITIVS.

TVRBABIS] Grues in saturnalia mittebantur. Papin. in Saturn.

Catúraque vagis grues rapinis.

Nobiles carmine Horat. de earum pugna aduersus Pygmeos. In mensas receptæ sunt: non tamen tanta gula quanta veniebant temporibus Vespasiani: nam Cor. Nepos scrib. Diui Augusti temporibus magis placuisse ciconias, quàm grues, sed grues manserunt inter primas aues, quibus dixi temporibus, ciconiis omnino repudiatis. Cùm volant Y litteram faciunt agmine disposito. Aues Palamedis dicuntur, quoniam vt Philostra. in eo libello scrib. qui heroïca inscribitur, glorianti Palamedi se tres literas comperisse, quibus carebant Græci φ. χ. θ. Vlysses repentè obiecit eam laudem esse gruum, quæ Y. literam faciunt, iussitque eas suspici, nam præteruolabant.

VERSVS] Ordines.

VNAM *auem*] i. tam compositè volant vt si vna sit amissa turbetur ordo.

GEORGIVS.

TVRBABIS *versus, &c.*] Quæ ab hinc sexenniũ ad Antonium Chronicum scripsi ea surripiens in expositionem suam transtulit, Philostrati mentionem facit, quem, vt puto, nunquã legit. Nam infrequentem iam deprehendo Græcorum scriptorum lectorem, velut in hoc quod de Coracino pisce scribens nihil de nominis etymologia, atque ratione disseruit, tantum piscem esse dixit oscitabundus præceptor. Ego vero de nomine piscis inuenio hoc apud commentatores Oppiani, Coracini appellari διὰ τὸ ἀπαύστως τὰς κόρας κινεῖν, καὶ οὐδέποτε παύεσθαι, quod continue pupillas moueat, & nunquam cesset: vocatúrque ab accolis Nili Platacas.

Rusticula. LXXVI.

Rustica sum perdix. quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix: sic sapit illa magis.* *v. est.

DOMITIVS.

RVSTICA] Male interpretantur, qui rusticam gallinam hoc loco accipiunt, cuius mentionem factam à Columel. non negauerim, eam scrib. in seruitute non parere & alendam cibo ad saturitatem, sed inter gallinas est: hîc autem de aue quæ sit è genere perdicum intelligendum est, qualis est rusticula, quam priuatum habere incessum scrib. Plin. Eiusdẽ prope est saporis, cuius est perdix, sed minus grata, quoniam, vt ipsa cõqueritur, minore emitur precio. & Hor. pauonem hac vna de causa mensis gratum scrib. quod multo veneat auro.

QVID *refert*] Quid vtilitatis affert.

SI *est idem sapor*] Cum perdice: quasi dicat, non propterea expector.

CARIOR] Venditur maiore precio.

SIC] Maiore precio empta.

Cycnus. LXXVII.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

Θνησκούσῃ γλώσσῃ μινυρίζεται ἡδὺ μέλισμα
Αὐτὸς τυμβῳδὸς κύκνος ἑαυτῷ ἐών.

DOMITIVS.

DVLCIA] Cygni Latinè olores, ob plumam vnde lecti struebantur in precio erant: morituri flebilem emittunt cantum, vt credidit antiquitas: id falsum esse aliquando nonnulli deprehenderunt: mutua carne vescuntur.

IPSE *sui*] Hac causa dicatus est Apollini, quia prædicit sua fata cantu.

LINGVA *defecta*] i. vitali motu pæne destituta.

°Porphyriones. LXXIIX. *Porphyrio vide Lips. lib. 1. Epi. 5.

Nomen habet magni volucris tã parua Gigantis,
Et nomen Prasini° Porphyrionis habet.* °v. Purpurionis. *Prasinus Purpureonis. Lipsius.

Οὔνομα πορφυρὶς ὄρνις ἔχει μεγάλοιο Γίγαντος.
Οὔνομα καὶ Πρασίνου Πορφυρίωνος ἔχει.

DOMITIVS.

NOMEN] Porphyriones prælonga habent crura rubentia, & rostra: præter aliarum auium naturam morsu bibunt, tinguntque cibum sæpe aqua & pede perinde ac manu ori admouent. inter gigantes, vt apud Lycophronis interpretem antiquissimum reperio, duo principatum tenuerunt Porphyrio & Alcioneus. Prasinus item auriga: Cuius Tranquillus in Nerone meminit. Prasinus Porphyrio dicebatur. laus est Porphyrionis auis: quod & gigantis & nobilissimi agitatoris appellationem habeat.

PRASINI] Auriga.

Mullus. LXXIX.

v aduectos et tum.

Spirat in v aduecto, sed iā piger æquore mullus
Languescit: viuum da mare, fortis erit.

Τεῖλα συνῳδοὶ κτῳ πνεῖ ... ἤδη ἐν ἅλμῃ·
Εκψύχει· ζωρὸν δός ἅλ', αἰα φλογιεῖς.

DOMITIVS.

SPIRAT] Mullus piscis à colore molliorum calciamentorum nomen accipit, vt scrib. Fenestella, cùm expirat versicolori squammarum mutatione nitescit: olim non reperiebatur ferme supra duas libras. Asinius Celer temporibus Claudij mullum octo millibus nummum emit, ne fabulosum videatur quod scrib. Iuuen.

Mullum sex millibus emit.

Nunc emitur viuus in aqua marina: ad amicum inde poëta scrib.

IN *æquore aduecto*] Aqua marina, quæ vna cum pisce aduecta est.

DA *mare viuum*] i. restitue eum mari viuo.

FORTIS] Ad fugiendum.

Muræna. LXXX.

Quę natat in Siculo grādis muræna profūdo,
Non valet exustam mergere Sole cutem.

Η Σικελοῖς νήχουσα βυθοῖς ἔνι χερσὶ ... μύραινα,
Οὐ καταβαπτίζειν ἡλιόκαυστον ἔχει.

DOMITIVS.

QVÆ] Muræna in tantis delitiis olim fuit, vt & nomen Liciniorum familiæ dederit, Varrone teste, & mortua in piscina defleta sit à Crasso pullato, habueritque in aures Baulis ab Antonia Drusi: in Sicilia obtinet principatum, vbi præ pinguedine in summum pelagus erumpit, & sole torrefacta nequid se curuare, vt manu capiatur, vt Var. scrib. in lib. qui inscribitur Gallus. tunc dicuntur Græcè plotæ, Latine flutæ à fluitando: nam per summum æquor fluitant, profundo mari Siculo prope Rhegium.

EXVSTAM] Quia est sole torrefacta.

Rhombus. LXXXI.

Quamuis lata geras patella rhombum:
Rhombus latior est tamen patella.

Εἰ καὶ ῥόμβον ἔχει λοπὰς μεγίστη·
Μείζων τῆς λοπάδος πέφυχ' ὁ ῥόμβος.

DOMITIVS.

QVAMVIS *lata gerat*] Rhombus est instrumentum magicum, de quo supra. Rhombus piscis noto ad ætatem nostram nomine Rauennæ, reliquos alibi superat magnitudo, nouam nonnunquam exigit patinam, quod satyrice in Domitianum scriptum legimus, ad hoc alludens poëta scrib.

A PATELLA] Mensarium vas est diminutiuum à patina, est item vas dicatum sacris ligneum resignatum, in quam accipitur significationē apud Liuium, cùm scrib. nihil relictum patribus præter patellam sacrorum causa.

Ostrea LXXXII.

Ebria Baiano veni modò concha Lucrino:
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

DOMITIVS.

EBRIA] Sergius Orata primus deprehendit optimum esse saporem ostreis Lucrinis quamobrem excogitatum est, vt aliunde aduecta in Lucrino, compascerentur: sapore dignoscebantur an essent nata Circæis, an aduecta ex britannia, quæ nouissima Italica superarunt, designata à Iuuen.

B *Rutupino ve addita fundo.*

Lucrina condiuntur ab Apit. pipere & liquamine,

EBRIA] Compasta: alibi,

OSTREA *tu sumis stagno saturata Lucrino,*

LVCRINO *Baiano*] Ad Baias.

NOBILE *garum*] Conditur ab Apit. pipere & liquamine, qui etiam docuit eadem, vt mullos necari in garo sociorum, quia fierent melioris saporis.

SITIO *garum*] i. vellem garo condiri.

LVXVRIOSA] In maiores delitias.

Squillæ LXXXIII.

Squillæ Latini, Græcis σκίλλαι.

Cæruleus nos Liris amat, quē silua Maricæ
Protegit: hinc squillę maxima turba sumus.

C Ἡμᾶς Λεῖρις ἔθρεψεν, ὃν ἄλσος ἔρυτο Μαρίκης,
Ἐντεῦθεν σκίλλαι ἐσμὲν ἄθροισμα πολύ.

DOMITIVS.

CAERVLEVS] Squillæ pisciculi sunt Minturnenses, qui gregatim degunt: loca vbi capiūtur Cicer. in oratione pro lege Agraria Silleta appellat, quamuis nonnulli codices Saliceta habeant.

LYRIS] Fluuius ortus in Apennino, præterlabitur Minturnas.

MARICAE] Vxor olim Fanni. littoris Minturnensis Dea est.

MAXIMA *turba*] Quia gregatim natamus.

D

Scarus LXXXIV.

Hic Scar⁹, æquoreis qui venit obes⁹ ab vndis
Visceribus bonus est: cetera vile sapit.

Οὗτος, ὃς εἰναλίων πίων σκάρος ἦλθ' ἀπὸ κυμάτων,
Μυελὰ (τὰ λοιπὰ δὲ ἄχρηστ') εἴσχατ' ἐδώδιμ' ἔχει.

DOMITIVS.

HIC] Scarus olim principatum tenuit inter pisces, solus ruminat, vt scribit Plin. herbis vescitur nō aliis piscibus, nomine Latino caret. in mari Carpatio

frequens est, ignotus olim Italiæ: sed Eliptius, vt Plin. & Macrob. scri. Multos aliunde aduectos disseminauit, inter Hostiam, & Campaniæ oram, edicto, vt si intra v. annos caperentur, remitterentur incolumes. ex piscinis non est aptus, nec si aliunde quam ex mari capitur gratus est. Iecinora lautissimæ gulæ sunt, quibus non caruit patina illa Vitellij, cuius meminit Tranquil.

OBESVS] Pinguis.

VISCERIBVS] Iecinore.

CÆTERA] In cæteris partibus.

VILE *sapit*] Vilis est saporis.

Coracinus. LXXXV.

v. Niliaci. v. macelli. v. est. *Princeps Niliaci raperis Coracine macelli:*
Pellææ prior est gloria nulla gulæ. B

Πρεσβεύων Νείλου, Κορακῖν', ἁρπάζεαι ὄψων·
Τοῖς Πέλλης λίχνοις δόξα τις οὐ προτέρη.

DOMITIVS.

PRINCEPS *Niliaci*] Coracinus principatum in Ægypto obtinet inter pisces, quemadmodum zeus siue faber Gadibus, salpa circa Ebusum, saluo in Aquitania. Peculiares autem Ægypti pisces sunt alabetæ, coracini, siluri: vt Plin. & Strab. scribunt. Alexandria vrbs condita est ab Alexandro in Ægypto Dynocrate architecto, vt Victruuius scribit. Alexāder Pelleus dicitur à Pella Macedoniæ vrbe. Dicitur igitur ab eo in Ægypto condita Alexandria Pellea.

MACELLVM] Locus obsoniorum.

PELLÆÆ] i. Alexandrinæ.

NVLLA *gloria*] i. nullius cibi laus.

EST *prior* potior *gula Pellea*] i. Alexandrinæ. C

Echinus. LXXXVI.

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

Εἰ καὶ ἀκανθοφόρῳ καλύψεις ἀπὸ δάκτυλα κέντρῳ,
Ὄστρακον ἐκδὺς ὅμως ἔσται ἐχῖνος ἁβρός.

DOMITIVS.

ILLE] Echinus spinas habet, quibus vtitur pro pellibus, voluitur in orbem cùm mouetur: incitatus naues dicitur retinere si hæserit, quod à Plin. recitatum, Luca. carmine inseruit syllaba prima producta vsus, cùm alibi corripiatur. D

In medijs echinus aquis.

Miseni oriuntur grati saporis. Horat.

Ostrea circeis Miseni oriuntur echini.

ACVTA *te.*] i. spinosa vt in castaneis est.

GEORGIVS.

ISTE *licet digitos testudine pungat acuta, Cortice, &c.*] Differunt hi pisces & nomine & re, siquidem echini è genere cancrorum sunt, vt scrib. Plin. In quibus spinæ pro pedibus ingredi, & his in orbem volui: itaque detritis sæpe aculeis inueniuntur. Tradunt sæuitiam maris præsagire eos, correptisque operire lapillis, mobilitatémque ponderis stabilientes A volunt volutatione spinas atterere, quod vbi vidêre nautici, statim pluribus anchoris nauigia infrænant. est & alius paruus admodum pisciculus, qui cogat nauigia stare, impetúsque infrænet, & rabiem mundi domet, & quia naues teneat, echineus à quibusdam appellatur, vt diximus contra Galeotum, & in commentariis in Iuuenalem.

Murices. LXXXVII.

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Εἵματα σοῦ ἀχάριστε ἐμῷ πεφορυγμένα λύθρῳ B
Ἀμπίχῃ· οὐκ ἀρκεῖ τοῦτο· ἔδεσμα πέλω.

DOMITIVS.

SANGVINE *de nostro*] Murices inter conchilia numerantur: vnde purpura tingitur, quæ in medijs eorum faucibus latet. eorum testæ vnguentis gestandis destinatæ sunt, vnde supra legimus muricem vnguenti.

ESCA *sumus*] Capiuntur in cibum etiam.

Gobius. LXXXVIII.

In Venetis sint lauta licet conuiuia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Εἰ καὶ δαψιλέως Βενετῶν πολὺ δαίνυται ἔθνος,
Ἀρχὴ ἐκεῖ πάσης κωβιὸς εἰλαπίνης.

DOMITIVS.

IN *Venetis*] Gobius & gobio dicitur. Iuuen.

Cum sit tibi gobio tantum.

Hic piscis captus in regione Ponti ex glacie Mæotidis non ostendit motum natalem, nisi calore patinæ. Romæ exigui erat pretij. in stagnis Venetis & frequentissimus capitur. & lautissimis mensis olim adhibebatur: illic mutilatum seruat nomen.

LICET *sint lauta*] Hoc est, Veneti lautis me adhibent mensis.

Lupus. LXXXIX.

Laneus Euganei lupus excipit ora Timaui,
Aequoreo dulces cum sale pastus aquas.

Εὐγανέων λάβραξ προχοαῖς ὑποδύνει Τιμαύου
Τὸ γλυκὺ βοσκόμενος νᾶμα θαλασσομιγές.

DOMITIVS.

LANEVS] Lupus est piscis à voracitate lupina dictus, vt Var. placet: celebris est præsertim qui capitur inter duos pontes in Tiberi: nam qui tantum degût in flumine, nullius habêtur saporis. necesse est

siquidem commendari culinis à marinis aquis enantem in fluuiatiles, quales sunt qui in Liburnis ad ostia Timaui aluntur: nam & marinas combibunt aquas, & proximo Timaui flumine abluuntur. Lanei dicuntur à candore carnium. Recte interpretatus est Porphyrio, licet ambigens hoc dixerit piscem inter duos pontes apud Hor. accipi pro lupo.

Ora *Timaui Euganei*] In populis Euganeis, ex quo Foroiulienses suum garum faciunt.

Aurata. XC.

Non omnis laudem, pretiumque Aurata meretur:
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Τίμιος οὐ πᾶς Χρύσοφρυς, καὶ ἐπαινετός ἐστιν·
Ἀλλ' ὁ μόνον Λυκρίν' ὄστρεα δαιτύμενος.

DOMITIVS.

Non] Aurata à colore dicta, vnde Sergius Aurata dictus familiæ dedit nomen: ea maxime appetitur à gulosis, quæ conchis educata fuerit in Lucrino. tales commendabat mullos Api. qui & conchis & limo vescuntur.

a' Acipenser. Aldus: Acipenser piscis est, qui vulgo sturio dicitur. Vide Iunij nomenclatorem. * Acipensera Aldus.

a Acipensis. XCI.

*Ad Palatinas * acipensem mittite mensas:*
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Πέμψον ἀνακτορίησι ἰχθύν δῶρημα τραπέζαις
Ἀμβροσίην στολὴν δαῖτα δόσις σεφέτω.

DOMITIVS.

Ad *Pala.*] Acipensis squamas ad os versas habet, & contra aquam natando meat. in precio olim maximo fuit, vt ex parasito apud Plaut. in Baccharia percipitur, cuius hæc sunt verba. *Qui mihi in mari acipenser latuit, cuius latus in latebras dedam meis dentibus.* Idem docet Cic. in libello de fato, apud quem dicitur Scipioni Numantino acipenserem esse paucorum hominum. Idem distichum poëtæ indicat. quamobrem miror Plin. scribere qui eodem tempore vixit, Acipenserem tunc non fuisse in precio. simul diligentiam desidero in Macrobio, qui scri. opus Plinianum confectum esse temporibus Traiani, cùm & multo ante compositum fuerit & dicatum Tito Vespasiano.

Palatinas] Imperatorias.

Acipensem] Id est, acipenserem. dicitur etiam acipensis.

Mvnera *rara*] Qualis est acipenser.

Ornent *dapes ambrosias*] Quasi dicat, debeatur lautis & diuinis mensis.

Lepus. XCII.

Inter aues turdus, si [a] quis me iudice [b] certes,
Inter quadrupedes [c] gloria prima lepus.

a v. quid. b v. certum est c mattya, sic Cælius l.9. c.12. in MS. legebatur, ethica, vocis vicinia cum Mattya conspirate. Mattya autem pro delicijs accipi videtur, de qua voce Athenæus, li. 14. qua vtitur & Tertull. & Mart. supra l.10. ep.59. Sed te mattya sola iuuant. Vide Nomenclatoc. Iunij.

A Τῶν πτηνῶν ἡ κίχλη, ἐμοὶ κριτῇ εἴ καν ἐρίζοις·
Τῶν δ' αὖ τετραπόδων πρῶτον ἔδεσμα λαγώς.

DOMITIVS.

Inter *aues*] Et temporibus Augusti turdos fuisse saginatos Cornel. scrib. & ætate sua in lepore idem fieri author est Var. tertio de re rustica. Iudice poëta & turdus inter aues, & lepus in quadrupedes est primus, & sapit melius.

Aper. XCIII.

B *Qui Diomedeis metuendus setiger aruis*
Aetola cecidit cuspide, talis erat.

Ὃς Διομηδείοις φοβερὸς πεδίοισι, σιδήρῳ
Αἰτωλῷ πληγαῖς ἤλυθε, τηλίκος ἦν.

DOMITIVS.

Qvi] Aper mittitur, ex quo, vt supra, octoginta sapores Apitius excogitauit. Rutilius primus integrum apposuit mensis, tam luxuriosa imitatione, vt & terni aliquando postea ponerentur: fuit autem illius Rulli Rutili, in quem Cic. scrib. de lege Agraria: magnitudo in hoc animali in pretio erat, à qua nunc commendatur.

C Cvspide *Aetola*] Meleagri.

Diomedeis] Id est, Ætolis. quia Ætolus erat Diomedes, id est, hic aper Ætolo illi prope par est.

Damæ. XCIV.

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruũ:
Imbelles damæ quid, nisi præda, sumus?

Κάπρῳ ὀδούς, ἐλάφῳ κέρας ἀμυντήριόν ἐστι·
Κύρμα μόνον πελόμεσθ' ἔθνε' ἄοπλα, τρέχειν.

D DOMITIVS.

Dente *timetur*] Damæ non mansuescunt, quod Plin. scrib. sed iure feræ dici non possunt, quemadmodum hirundines, nec siluestres sunt, nec plane familiares. Conqueruntur nunc sibi arma deesse aduersus canes, cùm cornibus careant & validis dentibus.

Cornva] Aduersus canes.

Imbelles] Sine armis.

Nisi *præda*] Capiuntur, nec reluctari possumus.

Oryx. XCV.

Matutinarum non vltima præda ferarum
*Sæuus oryx, constat * qui mihi morte canum.*

Vide Turneb. l.5. c.18. quod.

Πρωϊνοῦ οὐκ ἐλάχιστον ὄρυξ θήρευμα θεάτρου
Γάσπων μοι σκυλάκων αἴτιός ἐστι φόνου;

DOMITIVS.

MATVTINAR.] De hystrice necesse est intelligas, qui est ex genere erinacei. in India præsertim & Africa habebantur: cute spinis contecta, cùm intendit cutem spinæ emittuntur è propinquo, cùm pugnat aduersus canes. & validius iaculetur. sub primam lucem hæ capiuntur. Oryx autem inter capreas numeratur, quos nonnulli solos dixerunt contrario pilo vestitos ad caput verso.

MATVTINARVM] Quæ mane capiuntur, quia sæpe mortuis canibus capitur.

MORTE *canum*] Nam canes iaculatione spinarum necantur,

GEORGIVS.

MATVTINARVM, *&c.*] O certæ & notæ insaniæ hominem, qui cùm toties apud Plin. de oryge non pauca legerit, & item quid sint hystrices, tam confidenter contendat de hystrice intelligi oportere. sed eum decepit, quod morte canum cõstare orygem scrib. Poëta: vtpote ignorantem, quo pacto interficerentur canes ab oryge, nisi iactu spinarum: ceu oryx cornu non habeat in fronte, quo in matutino spectaculo quoties bestiæ in pugnam exhibebantur, canes in arena configeret. Et quanquam de oryge in comment. Iuuen. multa dixerim, tamen hîc repetam, Orygem esse de genere caprarũ & vnicornem, quam rem tradit Arist. in ij. de animal. & Plin. in xj. Lamprid. item de comment. Cæs. sic ait, Vitium ad conficiendas feras tantarum fuit, vt elephantum conto transfigeret, & orygis cornu vasto transmitteret. Atqui insipide interpretatur.

MATVTINARVM *ferarum*] Id est, quæ mane capiuntur, cùm spectacula intelligat matutina. Solebant enim mane, vt Senec. scrib. spectacula ferarum exhiberi, his verbis: Manè leonibus & vrsis, homines meridie spectatoribus suis obijciuntur, interfectores interfectis iubent obijci, & victorem in aliam retinent cædem: & alibi. Nam multa exempla in ludo bestiario, quàm in ducibus belli ciuilis ostendam, cùm adueheretur nuper inter custodias quidam ad matutinum spectaculum. Illud autem quod meridie exhibebatur, pomeridianum in libris confessionum Augusti. appellat.

GARVM *sociorum*] Calderinus (Foroiulienses vero ex lupo pisce garum sociorum: mendose est apud Plin. vbi de mullis ait, eos necari in sociorum garo: nam ea res cognomen inuenit: deprauatum est pro sociorum insectorum, quem errorem indicat xxxj. libro) Ab ingenio & more suo non discedit Cal. qui inuentorem se eorum scrib. & sibi vendicat, quæ olim ad chronicum de menda Plin. scripsimus, de insectorum, scil. garo. Debebat hic aliquid apponere quod suum vere dici posset: quam rem nostro periculo nunc faciemus. quæsiui sæpe, cur sociorum cognomen inditum garo foret, tandem ab Auson. poë. non incelebri, videor hoc elicere posse: Fastidiebant prisci Latini, & quidem scientissimi vocabula Græca: Vnde cùm garo sæpe vtendum foret, & fere ex Hispania & à socijs Romani populi mitteretur, ideo sociorum garum appellatum est. vt voce Latina adiuncta fastidium Græci nominis leuaretur. De Antipoli quoque & Antipolitana muria dissidentia hic scrib. Cùm Antipolis auth. Plin. & Pto.

A oppidum Latinum in Gallia Narb. esset: vnde & Gel. scribit: laudatissimus thynnus erat ex Antipoli. meritoque à nomine loci, poëta muriam Antipolitani thynni commendauit.

Ceruus. XCVI.

Hic erat ille tuo domitus, Cyparisse, capistro:
An magis iste tuus, Siluia, ceruus erat?

Μὴν ὅδ᾽ ἔην ποτὲ σοῖσι δαμεὶς, Κυπάρισσε,
λεπάδνοις·
Ἢ ὅδε σὸς μᾶλλον, Σιλβία, ἦν ἔλαφος;

B DOMITIVS.

HIC] Ceruus in precio erat, vel hac vna de causa, quòd carnes tutum præstant à febribus, si mane edãtur. Affirmat Plin. principem fœminam vsam diu sine febribus vixisse: quod verum maxime putant, si ex vulnere perierit. ceruis ætas longissima est, cùm nonnulli cerui commemorentur torquibus obducta carne contectis, qui Alexandri fuisse dicuntur. Cerua præterea Sertorij fatidica nobilitatem huic feræ dedit: seorsum celebrata est Cerua campana à Silio: antiquiores non fuerunt ceruo Cyparissi, & altero Siluiæ Virgilianæ.

CYPARISSE] Puer à Phœbo amatus ceruam habuit, quam eques regebat: Ouid.

Nunc eques in tergo residens huc latus & illuc,
Mollia purpureis frenabas ora capistris.

C Ceruus, hîc commendatur antiquitate. Cyparissus versus in arborem sui nominis, dolore quòd eum interemerit per imprudentiam.

DOMITVS] Mansuefactus.

CAPISTRO] Vt illud Ouid.

Mollia purpureis frenabas ora capistris.

Lalisio. XCVII.

Lalisiones Africa appellat onagrorum pullos, ceu sapore præstantes.

Cùm tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans, sed breue nomen habet.

Μέχρι νέος τρέφεται τῇ μητρὶ λαλίσιος, ἴσχει
D Οὔνομα τοῦτ᾽ ὄναγρος νήπιος, ἀλλὰ βραχύ.

DOMITIVS.

CVM] Onager cùm paruus est dicitur lalisio, cuius sapore tunc Africa gloriabatur: nã illic onagri habentur, in Phrygia quoque & Licaonia circa montes frigidos, vt Strab. scrib. Lalisio igitur verbum Punicum est vt ex Plin. discimus. Quandiu sola matre, id est, solo matris lacte pascitur, dicitur lalisio. quod Isid. quidam addit lalisionem pasci in locis semotis, vix sola matre præsente, nec Arist. tradidit, nec Plin. sed ipse confinxit.

SED *breue*] Nam cito adolescit, & in onagrum transit, vt fere omnes bélluæ grandiores.

SOLA *matre*] Solo lacte matris pascitur.

Oleum Venafrum. XCVIII.

Hoc tibi Campani sudauit bacca Venafri:
Vnguentum, quoties sumis, & istud olet.

Καμπανοῦ τόδε σοὶ λιπαρὸν θλῖμμα Βενάφρου
Στάξε λίπος, καὶ ὁσάκις ὄδωδε μύρου.

DOMITIVS.

Hoc *tibi*] Oleum venafrum in Campania nobilissimum duabus de causis, quod & optimi esset saporis, & odorem vnguenti haberet. secunda palma erat oleo Liciano ex proximo agro. de tertia palma contendebat Hystria, & Bætica. nobilitas ex carmine Iuuen. etiam indicatur,

Ipse venafrano piscem perfundit oliuo.

Bacca] Oliua.

Svdavit] Emisit per sudorem, non autem ad fecem expressis.

Svmis *vnguentum*] i. olfacis vnguentum.

Olet] Plin. scrib. vnguento adhibetur, vnde id vnguentum olet.

Dorcas. XCIX.

Vide Turneb. lib. 5. cap. 18.

Delicium paruo donabis dorcada nato:
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

Νηπιάχῳ μέλπηθρον ὀπάσσεις δορκάδα παιδί·
Εἵματα δ᾽ αὖ σείων τήνδ᾽ ἀφίησι λεώς.

DOMITIVS.

Delitivm] Dorcades à Plin. dicuntur. hæ non transeunt montes Syris vicinos. in delitijs potius habendæ, quàm mensis. imprudenter igitur faciunt qui eas mittunt nobilioribus, vt edant, nam mittendæ sunt, vt dent filijs delitias.

Iactatis *togis*] Nobilioribus. Iactatis togis potes & sic intelligere, vt dicat vile esse munus, & quod mitti soleat vilioribus personis, quales sunt ministri togati.

Iactatis *togis*] Hoc est, fessis, & fatigatis togatis.

Tvrba] Scil. Diuitum.

Caprea. C.

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres, decipit illa canes.

Ῥωγὸς ἀπορρῶγος πλὴν ζόρκα ὑψόθεν ἄκρης·
Ἐλπίζεις κε πεσεῖν· ἥδ᾽ ἀπατᾷ κύνας.

DOMITIVS.

Pendentem] Capræ in varia distinguntur genera, nam sunt pigargi, sterpsicerotes, ibices, Soli-

A Capras quæ extremas rupes summa leuitate adeunt, canes sub rupibus collocati casuram expectant, vt excipiant, sed ipsæ summa agilitate per rupes omnes euadunt, falluntque canes.

De *sum. ru.*] i. ex rupe fragosa.

Decipit *ca.*] Qui eam sectantur.

Onager. CI.

Pulcher adest onager; mitti venatio debet
Dentis Erythræi: iam remouete sinus.

Θοὔνεκ᾽ ὀδοντομάχου θήρη ἐλέφαντος ἀφείλατο·
Καλὸς (ἀφαιρείσθω λίνα) πάρεστ᾽ ὄναγρος.

B

DOMITIVS.

Pvlcher *adest*] Onager quæ prouincia sit, supra est dictum. hoc distichon est tanquam è media venatione offerente se onagro venationi, dum venator indagaret elephantes. A laboriosa igitur venatione elephantorum reuocat venatorem ad onagrũ, qui se obtulit, vt ostendat maiorem eiusmodi venationi voluptatem inesse, cùm sine vllo periculo peragatur.

Dentis *ery.*] Elephanti, qui Indicus dicitur. Sunt enim & indici elephanti authore Plin.

Sinvs] Retia, quibus non indigemus ad onagrum. Is enim facilius & maiori voluptate capitur. Iun. *Impleuitque sinus*, i. retia.

Garum [i] scombrorum. CII.

[i] sociorum. Aldina editio. Huius gari meminit Antoni⁹ Epist. 11. ad Paullinum. Vide Cornel. Vitellij annotatio. in Geor. Merulam.
[v] v. fastosum. Hadrian. Iun. anim. lib. 6. cap. 17.

C *Exspirãtis adhuc scombri de sanguine primo,*
Accipe [v] fasto sum munera cara garum.

Σκόμβρου ἔθ᾽ ἡμιθνῆτος ἀποστάζοντα φόνοιο
Πρωτοτόμου δέξαι, τίμια δῶρα, γάρον.

DOMITIVS.

Exspirantis] Garum erat liquamen salsum, quod olim ex garo pisce fiebat, vnde nomen accepit. didicit luxus è scombris piscibus facere tanta æstimatione; vt singulis millibus nummum vix singuli congij emerentur: non tamen omnes scombri ad hoc erant apti, sed qui ex Hispania mittebantur ab insula Herculis, quæ Scombria appellabatur, aut à Clazomenis Asiæ palmam obtinuerunt, aut à Pompeijs
D Italiæ, aut à Lepti Africæ. Foroiulienses vero ex lupo pisce garum conficiebant præstantissimum: cognomen garum sociorum. Garo mendose est apud Plin. vbi de mullis ait eos necari in sociorum Garo. nam ea res cognomen inuenit. deprauatum est pro sociorum insectorum, quem errorem indicat lib. xxxj. vbi garum sociorum apertè nominat.

Exspirantis] Viuentis.

Fæcosvm] Nam quòd multam habebat fæcem commendabatur, & garum nihil aliud est quàm fex liquore denso.

[v] Fæcosvm] Ita habet codex antiquus. si fastorũ legis hoc refertur ad epulas lautiores, vel ad cerimonias, in quibus garo vtebantur, authore Plin. confecto è piscibus squama carentibus.

A

Muria. CIII.

Antipolitani, fateor, sum filia thynni:
Essem si scombri non tibi missa forem.

Εἰμὶ (τί δή ἀρνοίμην;) θύννου τέκος Ἀντιπολίτεω·
Σοὶ δ', εἰ σκόμβρου ἔην, οὐκ ἂν ἔπεμψαν ἐμέ.

DOMITIVS.

ANTIPOLITANI] Liquamina tres habebant gradus, garum primum è scombris. alterum muria, è thynnis. tertium è minutioribus piscibus alec, qui nihil videbatur quàm fex colata. B

ANTIPOLIS] Opp. tribus in locis, vt supra, in Asia vbi in primis capiebantur thynni, vnde muria Antipolitana: è Dalmatia item mittebatur, & ex Hetruria. mittitur Antipolitana nunc hoc disti.

SI *es. sc.*] i. si essem garum ex scombro, quod preciosissimum est.

NON *tibi mis. fo.*] Sed sum missa quia non sum tam preciosa: sum enim muria ex thynno, non garum ex scombro.

Mel Atticum. CIV.

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti,
Pallados à siluis nobile nectar apis. C

Σοὶ τόδε Θησείου πορθουμένη τεια πέμψεν Ὑμήττου
Παλλάδος ἐκ ξυλόχων ἡδὺ μέλισσα γάνος.

DOMITIVS.

HOC *tibi*] Mel Atticum toto orbe celeberrimum est magnis laudibus, vt Plin. tradit præsertim ad Hymettum montem, vnde marmora etiam effodiuntur, quæ hymettia dicuntur, vt Strab. scrib.

POPVLATRIX] Quæ populatur flores.

HOC *nectar*] Id est mel, quod est perinde ac si esset nectar.

HYMETTI *Thesei*] Id est, Hymetti Attici à Theseo rege. D

A *siluis Pallados*] Id est, à siluis Atticis, nam Athenæ sunt Palladis.

Faui Siculi. CV.

*Cùm dederis * Siculos medijs de collibus Hybla,*
Cecropios dicas tu licet esse fauos.

* v. Siculis media.

Εἰ δοίης Σικελοὺς Ὕβλης ἄπο, τούσδε καλοίης
Οὐκ ἂν ἁμαρτάνων Κεκροπίους χαλίδας.

DOMITIVS.

CVM] Hybleum mel tam notæ gloriæ fuit. vt eius causa Hybla ab Hyblone rege dicta, auth. Thucydide, pristinum seruauerit nomen, cùm à Megarensibus esset secundo condita & Megara dici deberet.

HYBLA] Mons, & oppidum.

CECROPIOS] Dices eundem saporem Hyblei mellis & Attici. quasi dicat, Hybleum non est inferius Attico.

LICET *dicas*] Poteris iure appellare.

Passum. CVI.

Cnoßia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

Μινώος Κρήτης Γνωσσοῦ τόδε φέρει τρυγητὸς,
Ἀντὶ μελικρήτου δ' ἔλλαχεν αὐτὸ πένης.

DOMITIVS.

GNOSIA] Passum vinum post Græcum, Cilicium, & Africum probatur: fit ex vua quam Græci sticam. nos appianam dicimus ex scripula. præterea diutius adustis sole vuis, aut feruenti oleo, donec paulo amplius dimidium supersit, tonsas leuiter exprimunt, inde fit passum dulcetum: addita aqua vinaceis fit secundarium. vsus vini meminit Plau. in Pseudolo. Passum myrinum dulce quidem, sed minoris precij, vt Var. morbum regium dictum putet, quod eo remedio curetur. authore Varrone, & Plin. supra,

Nos alica, mulsum poterit tibi mittere diues.

Ait igitur hoc disticho passum à paupere haberi loco mulsi.

SOLET *esse mulsum pauperis*] Id est, loco mulsi apud pauperem.

Picatum vinum. CVII.

Hæc de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites: misit Romulus ipse mihi.

DOMITIVS.

HÆC *de vitifera*] Vinum picatum, hoc est picis odore excogitatum est à Viennensibus, authore Plin. cùm, eodem teste, vites quæ eius odoris vuas habebant, in Italia sponte nasci cœperunt. Mittitur ergo nunc vinum pica. non medicatum à Viennensibus, sed natum in solo Romano. id enim erat gratius.

IPSE *Romulus misit mihi*] Id est, natum est in agro Romano.

Mulsum. CIIX.

Attica nectareum turbatis mella Falernum:
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Κεκροπίῳ μέλιτι μέθυ μίσγεται, ὄφρ' ὑπὸ χερσὶν
Τῶν Γανυμηδείων οἰνοχοεῖσθαι ἴδῃ.

DOMITIVS.

ATTICA] Mulsum vinum de quo paulo ante dictum est: magno impendio fiebat melle temperatū. huius confecturam docet Col. & Plin.

MISCERI] Propinari à Ganymede in cœlo. supra. *Ambrosias ornent munera rara dapes.*

Albanum. CIX.

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quæ sibi monte placet.

Τοῦτ' ἀπὸ Καισάρεων ἀποθηκῶν πέμψε πέπειρος
Βότρυς, Ἰουλείων ἐμφιλόχωρος ὀρῶν.

DOMITIVS.

HOC] Cùm bona vina bonas ferme vuas esui habere non soleant, vinum Albanum habebat vuas prædulces. id oriebatur in vicinis collibus Albæ, quæ ab Iulo Æneæ filio condita est.

MITIS *vind.*] Quia sunt vuæ prædulces.

QVÆ *sibi placet*] Gloriatur.

MONTE *Iuleo*] Albano ab Iulo Aeneæ conditore.

CELLIS *Cæsa.*] Nam Dom. Cæsar secessu Albano oblectatur.

Surrentinum. CX.

Surrentina bibis? nec murrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

Συῤῥέντινον ἔχων μή μοι χρυσώματα δίζου.
Τοῖς ἰδίοις κύλικας δώσεται οἶνος ὅδε.

DOMITIVS.

SVRRENTINA] Surrentinum vinum à patria nomen accepit vbi oritur. in Campania olim in precio fuit ob salubritatem, sed Tiberius Cæsar dicere solebat medicos hoc iactare, vt ei authoritatem afferrent, alioquin esse generosum acetum. Caligula idem appellabat nobilem vappam. eodem ex loco afferebatur terra, vnde nobiles calices fictiles fiebant.

PICTA] Maculis distincta.

HÆC *vina*] Surrentina.

SVOS *calices*] Populares. nam Surrentinos etiam habebis calices.

Falernum. CXI.

De Sinuessanis venerunt massica prælis.
Condita quo quæris consule? nullus erat.

DOMITIVS.

DE *Sinuess.*] Vinum Falernum in secunda palma

A fuit. in agro oriebatur, qui à ponte Campano incipit: nomen sortitum à Falerno agricola, qui primus eas vites coluisse dicitur, si fabulosis Silij carminibus credimus. imis collibus nascebatur, medijs Faustianum, summis Gauranum. Centum falerni amphoris triumphales cœnas Cæsar ornauit: eiusdem vini meminit Anaxipolis comicus: eadem massica dicebantur. Sinuessa iuxta Falernum.

CONSVLE] Nam consulum nomina amphoris addebantur. Horat.

O nata mecum consule Manlio.

NVLLVS *erat*] Antequam consules essent, diffusum fuit: ostendit vetustatem.

Setinum. CXII.

B *Pendula* * *Pōtinos quæ spectat Setia campos,* *Pomptinos.
Exigua vetulos misit ab vrbe cados.

Σητία, ἣ καθορᾷ Πομπτῖνα μετήορος ἄστεα,
Ἐκ τυτθῆς πόλεως πέμψε γέροντα κάδον.

DOMITIVS.

PENDVLA] Setinum diuus Au. primus, postea reliqui principes illius iudicium secuti, primo loco statuerunt: nomen à Setia vrbe, non procul à Velitris: celebre est testimonijs Plin. Strab. Silius,

Ipsius mensis seposta Lyæi Setia.

PENDVLA] In colle sita.

PAMPINEOS] Vitiferos.

C VETVLOS *ca.*] Vinum vetus.

Fundanum. CXIII.

Hæc Fundana tulit felix autumnus Opimi:
Expreßit mulsum consul, & ipse bibit.

DOMITIVS.

HÆC] Fundanum vinum à Fundis oppido campaniæ, vbi nascebatur. commendatur hoc disticho à vetustate, & à præcipua cœli temperie, quæ fuit, L. Opimio consule sexcentesimo & tricesimo quarto D anno ab vrbe condita: ex dicta est coctura, quia omnia vina eius anni solis opera præcipuum habuerunt saporem, nataque sunt magna copia, vt in ducentesimum annum fuerint seruata, deuenerintque in speciem mellis, vnde vinum Opimianum supra legimus & expositum est. Ci. Aniciana vina eadem vetustate celebrat ab Anitio consule.

OPIMI] Consulis Opimij.

MVLSVM] Vinum Opimianum appellat, quoniam in speciem mellis erat. laus vini est, quòd eo anno quo expressum, esset iam mulsum: hoc est, mulsum videretur.

Trifolinum. CXIV.

Non sunt de primo, fateor * *trifolina Lyæo,* *De his vinis Athen.
Inter vina tamen septima vitis ero.

A

Εἰ καὶ μὴ πρώτου Βάκχου Τεισφολίνος ἐπῆλθεν
Ἔμπης τῶν οἴνων ἕβδομός εἰμι βόηες.

DOMITIVS.

NON *ſum*] Trifolinum an trifilinum ſit legendum non ſatis habeo compertum. Triſilam vrbem fuiſſe multis in locis docet Strab. ſed in Italia Trifolinum agrum legimus, non Trifilinum. Iuuen.

Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet.

Hoc vinum inter plebeia numerabatur.

DE *primo Lyæo*] De primo vino.

SEPTIMA *vitis*] i. ſeptimo loco. Nam ſeptem genera vini iam numerauit poëta.

Cæcubum. CXV.

Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis:
Vitis & in media nata palude viret.

Φοινώδεσι χυμεύουσιν ἐν Καίκυβοι Ἀμύκλαις,
Ἄμπελος ἐν τε μέσου φύεται τέθηλεν ἕλει.

DOMITIVS.

CÆCVBA] Cæcubum vinum principatum vendicauit, naſcebatur in Campania in locis paluſtribus, ſed interijt negligentia colonorum, & foſſa præſertim Neronis, quam inchoauerat nauigabilem à Baiano lacu Oſtiam vſque.

AMYCLIS] Vrbs Laconiæ, patria Caſtoris & Pollucis eiuſdem nominis iuxta Terracinam, quæ ſunt deletæ à ſerpentibus, vt hiſtoriæ credimus, quamuis ex verſu Lucilij ob ſilentium perijſſe appareat. nam ait, Mihi loqui neceſſe eſt, nam ſcio Amyclas tacendo perijſſe. alius codex habet ahenis.

COQVVNTVR] Sole perueniunt ad maturitatem.

Signinum. CXVI.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimium ſiſtant, ſit tibi parca ſitis.

DOMITIVS.

POTABIS] Signinum à Signa patria, cuius meminit Strab. inter medicamenta numeratur, nam fluxum alui ſiſtit.

MORANTIA] Siſtentia.

NE *nimium ſiſtant*] Ne nimium morentur. ita habet codex antiquus.

SIT *ſitis*] i. parce bibas, & ſitias.

Mamertinum. CXVII.

Amphora Neſtorea tibi Mamertina ſenecta
Si detur, quod vis nomen habere poteſt.

Εἰ Μαμερτίνου γέρων οἴνοιο δοθεῖεν
Ἀμφιφορεὺς, ὅ, ποιοῦ οὔνομ' ἔχειν δύναται.

DOMITIVS.

AMPHORA] Meſſana vrbs Siciliæ à Græcis cōdita, vt meminerunt Thucydides & Strab. habitata olim à Mamertinis populis Campaniæ, vt Polybius refert. vinum optimum ferebat, quod cum Italicis & præſtantiſſimis, vt Strab. ait. certaret. nam de Siculo intelligo omnino, neque aliqua eſt mihi ſuſpitio, de Campano. Meſſanenſe dictum eſt Mamertinum à Mamertinis, qui tenuerunt Meſſanam. Immo Meſſanenſe non dicimus, ſed Mamertinum, vt Strab. tradit.

QVOD *vis*] i. poteſt & Cæcubum & Falernum dici. vt ſupra.

B

Et quicquid voluit teſta vocatur anus.

Tarraconenſe. CXIIX.

Tarraco, Campano tantùm ceſſura Lyæo,
Hæc genuit Tuſcis æmula vina cadis.

Καμπανοῖο μόνῳ Ταρράκων ἡσσώμενος οἴνῳ
Τυρρηνοῖσι κάδοις φύει τόδ' ἀντίπαλον.

DOMITIVS.

TARRACO] Oppidum Hiſpaniæ nobile emporio & portu, conditum à Phocenſibus. vinum mittebat nobiliſſimum, ſed Luſitania maiore copia, cùm in Tarraconenſi ſit maior elegantia. Silius in iij.

C

Phocaica dant emporio, dat Tarraco pubem,
Vitifero & Latio tantum ceſſura Lyæo.

THVSCIS *ca.*] Vino Thuſco.

GEORGIVS.

TARRACO, *Campano tantùm, &c.*] Tarraco Romanos non Phocenſes conditores habuit. Plin. Tarraco Scipionum opus ſicut Carthago Pœnorum: ſtipulatur autem Plin. Soli. Carthaginem apud Iberos, quæ mox colonia facta eſt, Pœni condiderunt, Tarraconem Scipiones, adeo eſt caput prouinciæ Tarraconenſis, ſed audiant quæſo docti viri, vt intelligant quantum confidentiſſimi hominis inuenta à veritate abſint, manifeſtiſſime appareat in omnibus enarrationibus iſtum meras effucias ab ore ſtudiorū, offerre. adduxit verſus Silij de emporijs, & Tarracone in confirmationem, ſcilicet, ſtultitiæ ſuæ, velut probaturus Tarraconem emporium & portum habuiſſe, & à Phocenſibus conditam, cùm Silius de emporijs loquatur, quæ longe abſunt à Tarracone: de quibus hæc Liui. Iam tunc emporiæ duo oppida erāt muro diuiſa. Vnum Græci habebant à Phocea, vnde & Maſſilienſes oriundi: alterum Hiſpani: ſed Græcum oppidum in mare expoſitum totum orbem muri minus quadringentos paſſus habebat. Hiſpanis retractior à mari trium mil. paſ. in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni à Iulio Cæſare poſt deuictos Pompeij liberos allecti, nunc in corpus vnum confuſi omnes, Hiſpanis prius, poſtremo & Græcis in ciuitatem Romanam aſcitis. miraretur quis cùm cerneret aperto mari ab altera parte, ab altera

D

altera Hispanis, tam fera & bellicosa gente obiectis, quæ res eos tutaretur: disciplina erat custos infirmitatis, quam inter validiores optime timor continet. Ad quam historiam egregius vates respiciens Phocaicas emporias dixit, sed quæ mala ratio linguam hominis ad hæc mouit? polluit scriptores omnes, quorum manes euocandi forent, vt pariter iniuriam & dedecus a se propulsarent.

Nomentanum. CXIX.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum.
Si te Quinctus amat; commodiora bibes.

B

Νωμεντανὸς ἐμὸν τόδε σοὶ μέθυ δῶκε τρυγητός.
Εἰ Κοΐντῳ φίλος εἶ, λώϊτερόν κε πίοις.

DOMITIVS.

NOMENTANA] Nomentanum vinum à Nomento patria ad x. lapidem, vbi ager olim erat sterilis, sed cura colonum optima vina cœpit ferre: ibi Palæmon grammaticus habitauit, & Mar. vt ipse dixit, & Qui. Marti. amicus, qui vina diligentius illic colebat & habebat meliora, vndè in eum dixit tertio.

Centenis quod emis pueros, & sæpe ducentis:
Quòd sub rege Numa condita vina bibis.

MEVM *Bacch.*] Ex agro Nomentano mitto tibi vinum.

BIBES *commo.*] Quia ipse potest dare meliora.

C

Spoletinum. CXX.

De Spoletinis quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quàm si musta Falerna bibas.

DOMITIVS.

DE *Spoletinis*] Spoletinum sola vetustate conditur, vt antiquissimum possit optimo musto falerno comparari.

CARIOSA] Antiquissima.

Pelignum. CXXI.

Massica Peligni mittunt turbata coloni. — al. Marsica.
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

DOMITIVS.

MASSICA] Peligni pessimum mittebant vinum, vt supra indicauit:

Non hæc Pelignis agitur vindemia prelis.

TVVS *liber.*] Cui peius vinum dandum est.

Acetum. CXXII.

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti:
Esset cùm vinum, vilior illa fuit. — al. Vini.

A

Μὴ δὴ ἀτιμάσῃς Νειλῴου ἀμφιφορῆα
Ὀξέος· οἶνος ἐὼν ἔσκεν ἀτιμότερος.

DOMITIVS.

AMPHORA] Acetum in Ægypto ex vino Mareotico, & ex vilioribus vinis, fiebat maiore precio quàm ipsum vinum esset.

VILIS] Significat contemnendus & parui precij.

Massilianum. CXXIII.

Cùm tua centenos expugnet sportula ciues,
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

DOMITIVS.

CVM] Massilianum vinum à Massilia vrbe Galliæ conditum fumo: vt supra,

Aut cocta fumis musta Massilianis.

Præterea,

Improba Massiliæ quidquid fumaria cogunt.

Docuerunt Massilienses medicari vinis, non solum fumo, sed aloë, vt Plin. tradit.

EXPVGNET] Gregatim pascit; cùm multos habeas clientes potes dicere Massiliense.

Cæretanum. CXXIV.

Supra Epigram. 54.

Cæretana Nepos ponat, Setina putabis.
Non ponit turbæ, cùm tribus illa bibit.

DOMITIVS.

CÆRETANA] Nepos agrum Cæretanum habuit vt supra meminit. vbi vinum colendo optimũ seruabat, quo paucis cum amicis exhilarabatur.

CVM *tribus*] Allusit ad triclinium, quod à triplici ordine dictum est.

Tarentinum vinum. CXXV.

Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

Κλεινὸς ἐὼν ἐρίοις τε, καὶ ἀμπέλῳ, εἴρια κεῖνό σοι
D
Αὐλὼν πολυτελῆ πέμποι, ἐμοὶ δὲ μέθυ.

DOMITIVS.

NOBILIS] Aulon, iuxta Tarentum opp. Achiuorum, nobile vino & lanis Tarentinis.

DET *pretiosa vellera*] Id est, habeas pretiosas lanas, quasi dicat, sola vina mihi placent. Loquitur ex sententia & secta Epicuri.

Vnguentum. CXXVI.

Vnguentum heredi numquam, nec vina relinquas.
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

A

Μὴ λίπε κληρονόμῳ τοὺς σοὺ μύρα, μήτε σου οἶνον.
Κέρμα μόνον κλάσθω· σοὶ δ' ὅλα ταῦτα δίδου.

DOMITIVS.

VNGVENTVM] Vnguentum mittit cuius luxum multis versibus carpit Plin. Nam hæredi non relinquitur: cùm omnis alia supellex preciosa ad hæredem perueniat. est enim comparatum ad luxum & præsentem voluptatem ex secta Epicurea. igitur Martial. hortatur amicum ad vnguentum & vinum, vt supra etiam dixit:

Et potius plenos ære relinquere cados.

B

HÆC] Scil. vina.

Corona rosea. CXXVII.

Dat festinatas Cæsar tibi bruma coronas.
Quondam veris erant, nunc tua facta rosa est.

Σοὶ στεφάνους, ὦ Καῖσαρ, ὁ χειμὼν δῶκε πρεσῴρους.
Εἴαρος ἦν τὸ ῥόδον· νῦν δὲ τεὸν γέγονε.

DOMITIVS.

DAT] Coronæ roseæ in solennibus cœnis sumebantur, sed cùm non essent hyeme, tamentis argenteis effingebantur: demum diligenti satione in Cæsaris gratiam excogitatæ hyeme proueniebant: vnde illud supra,

Mitte tuas messes, accipe, Nile, rosas.

FESTINATAS] Ante legitimum tempus.

VERIS] Quia vere proueniebant.

NVNC *facta tua est*] Nam mensis October Domit. dictus est, authore Tranquil. Referatur igitur hoc ad nomen mensis, quod placet: nam dicebatur Domit.

FACTA *tua*] Id est, tuo mense prouenit ô Domitiane.

GEORGIVS.

DAT *festinatas Cæsar, &c.*] Iam oportet hunc hominem circumagi, quem laruæ exagitant: obsecro nonne insani est secum dissidentia dicere, & tempora quæ vel imperitum vulgus discreta nouit enarrando confundere? quam rem hic facit cùm exponit festinatas brumæ tempore coronas per Octobrem mitti, quo mense ne brumæ quidem principium habetur: autumnales præterea fructus & flores ferè serotini dicuntur, atque tardi probis scriptoribus. ergo hoc modo exponi distichon oportuit: studio & arte hominum per brumam rosas, quæ alioquin vere proueniunt, accedente clementia benignioris cœli Domitiano, dari. non enim festinatæ possent esse rosæ per Octobrem datæ.

Finis lib. decimi tertij Epigrammat. Martialis.

M. VAL. MARTIALIS

EPIGRAMMATON

LIBER XIV. CVI APOPHORETA INDITVM NOMEN.

SVMMA.

Saturnalia festa Decembri mense per dies septem Romæ celebrari mos erat. Quæ quidem cùm lætitiæ & gaudij plena essent, Romanis toga deposita synthesim breuiorem vestem sumere licebat, & officiosi animi munera vltro citroque mitti, ac remitti solebant: seruisque, quod per Aediles negatum erat alijs temporibus, aleæ ludus impune concessus erat. Quoniam igitur, quæ ad huiusmodi festa spectarent, poëta non haberet (Troianum enim bellum aut Myceneam classem tractare incongruum videbatur) operæprecium futurum existimauit, se totum hoc opus descriptione eorum munerum (quæ Apophoreta appellauit) idipsum claudere & absoluere.

I.

SYnthesibus dum gaudet eques, dominusque senatus,
Dúmque decent nostrum pilea sumpta Iouem:
Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Cùm videat gelidos iam prope verna lacus:
** Diuitis alternas, & pauperis accipe sortes:*
Præmia conuiuæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius istis.
Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agā potius madidus Saturne diebus,
Quos tibi pro cælo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Troiamque, malásque Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.
Quo vis cūque loco potes hunc finire libellum:
Versibus explicitum est omne duobus opus.

*Vide Turneb. l. 9. Aduers. cap. 23.

DOMITIVS.

SYNTHESIBVS.] Vltimus est qui inscribitur Apophoreta, vt superioris initio dictum est. Tranquil. hoc verbum vsurpauit pro muneribus, quæ ab Imperatore ciuibus remittebantur: ait enim Ca-

A ligulam agitatori Cythico apophoretis vities sextertium contulisse: & Vespasianum dedisse apophoreta viris in saturnalibus: mulieribus Kalendis Martiis. addit hunc. cùm nihil aliud habeat agendum.

SYNTHESIBVS] Describit dies Saturnales, quibus senatores & equites synthesibus vtebantur, depositis togis: aliis diebus vti synthesi luxuriosum habebatur. Vnde illud notatur in Neronem, quòd synthesinam vestem indutus, discalciatus aliquando in publicum prodierit. Sumebantur præterea pilea à seruis in libertatis indicium, quæ illis diebus permittebantur. In monumentis tamen Cesij est, seruos pileatos vænales fuisse in toga, quemadmodum in libello coronati vendebantur, vt Cato docet, & versus Aristophanis in Plutone.

NEC *timet spectare ædilem*] Nec timet ædilem venientem cùm ludit.

B CVM *videat verna*) Id est, cùm videat omnia vernantia propè dies saturnales, quibus omnia vernabant.

GELIDOS *lacus*) Describ. in vrbe, & si hyems erit non placet legas.

VERNA) Id est, seruus est: nam nullus est sensus nisi ita exponas, quod verna non timet ludere, *cùm videat gelidos lacus*: i. cùm videat esse Decembrem mensem & saturnalia, quo tempore ludus aleæ permittebatur.

ALTERNAS *sortes*) Mutua munera.

NOSTRVM *Iouem*) Cōueniunt clementiæ nostri Imperatoris.

ÆDILEM) Ædiles præficiebantur aleæ prohibendæ in saturnalibus.

A APINÆ] Nam res leuiores solebant mitti in apophoretis.

APINÆ] Ab apino fructu fragilis corticis.

TRICÆ] Impedimenta dicuntur: vnde extricari expedire quasi tricæ, vt placet Marcello, hoc est, capilli, quibus gallinarum incessus impeditur. Cic. hoc verbo vsus est, Tricas, scil. domesticas, loquens de vxore.

QVID *agam potius*] Quàm scribam tale carmen.

PRO *cælo*] Vnde olim te deiecit.

TROIAM] Bellum Troianum.

MYCENAS] i. classem Mycenam.

NVCIBVS] Pueri nucibus ludebant in saturnalibus.

Apophoreta. II.

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo:
Vt si malueris, lemmata sola legas.

DOMITIVS.

LEMMATA] Vt supra bis est expositum, inscriptiones dicuntur, quæ argumenta continent, quales sunt in distichis. Explosus est error eorum, qui putarunt hunc librum lemmata inscribi, cùm id non magis huic libro, quàm superiori conueniat. supra pro argumento accipit.

SI *malueris*] Scil. legere solas inscriptiones, quòd pigeat legere disticha.

Pugillares citrei. III.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Εἰ μὴ λεπτομερεῖς χύλος πινακηδὸν ἐτρίβθην.
Τιμῆεν Λιβυκοῦ βρῖθος ὀδόντος ἂν ἦν.

DOMITIVS.

SECTA]. Pugillares tabellæ sunt, in quibus scribere licet. has ex ligno formauit Homeri carmen in causa Bellerophontis, quando ad Lytiorum regem missus est: vt ante epistolas pugillares fuisse demonstretur: hi mittebantur in saturnalibus, quia cultus humani elegantioris author habitus est Saturnus. D Primus luxus citreos cœpit componere, cùm ex citro ligno solæ mensæ magna æstimatione dolari solerent, vt supra est recitatum, quæ à dentibus elephantinis sustinebantur. Mendosa dictio in plerisque codicibus inualuit: nam cùm onus scribi oporteat, vitio veteris scripturæ, opus est in versu.

IN *tenues tabellas*] Pugillares.

NOBILE *onus*] Quia mensæ fuissemus, & sustentatæ à dente elephantino.

DENTIS *li.*] Dentis elephanti, quo mensæ citreæ sustinebantur.

Quincuplices. IV.

Cæde iuuencorum domini calet area felix,
"Quincuplici cera cùm datur altus honor.

* Domitius annotat. quincuplicibus tabellis triũphos decretos nunciari.

DOMITIVS.

CÆDE] Quincuplices tabellæ dicebantur à numero quinque foliorum, cùm alij pugillares leuioribus rebus essent dicati, his triumphus decretus nunciabatur imperatori, vel consuli. hunc morem distichon demonstrat.

CERA *quincuplici*] Tabellis quincuplicibus.

CALET *cæde iuuencorum*] i. tepescit cæsis iuuencis in hecatomben.

Pugillares eburnei. V.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

B Ὄφρα μὴ ἀβληχρὰς ἀμβλώσῃ κηρὸς ὀπωπάς,
Στίξαι λευκοφαῆ γράμμ' ἐλέφαντα μέλαν.

DOMITIVS.

LANGVIDA] Pugillares eburnei dabantur senioribus & lippis, vt apertior his esset visus ad scribendum.

NIGRA *littera*] Nigrum atramentum.

LANGVIDA] Debilia.

TRISTES *ceræ*] Id est, obscuræ tabellæ ceratæ quibus alij solent vti.

C

Triplices. VI.

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cùm se venturam scribet amica tibi.

Ἡμᾶς ἐλεύσεσθαι σοι γράψῃ ἐρωμένη αὐτή,
Εὐτελὲς οὐ φήσεις τέτυχα δῶρον ἐμέ.

DOMITIVS.

TVNC *triplices*] A tribus folijs, quincuplices à quinque: sed hi rebus amatorijs & leuioribus seruiebant.

Pugillares membranei. VII.

Esse "puta ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis, quoties scripta nouare voles.

" v. puta

Διφθέρα ἐκλήθη μὲν, ἀτὰρ σοι κηρὸς ἔοικε·
Γράμματα ποχμόσαις τεύξει ἀπαλειψάμενος.

DOMITIVS.

ESSE] Membrana charta inuenta est Pergami in Asia, vt Varr. tradit, & repetitum est à Plin. vnde pergamena dicta est tanta crassitie. pugillares inde fiebant, vt non secus quàm ex tabella scripta deleri possent.

PVTA *ceras*] i. tabellas ceratas, quia eundum vsum præstabit.

NOVARE] Scribere.

Vitelliani. VIII.

*v. hæc. *Nondum legerit* hos licet puella,*
Nouit quid cupiant Vitelliani.

DOMITIVS.

NONDVM] Vitellianæ chartæ viris amicis scribentibus seruiebant, vt triplices mulieribus ad viros.

NOVIT *quid cupiant*] Quid velint sibi.

Iidem Vitelliani. IX.

Quòd nummos cernis, mitti nos credis amicæ:
Falleris, & nummos ista tabella rogat.

Ημβεϱτες, εἰ πέμπεσθ' ἡμᾶς τῇ ἐϱωμένῃ ἡγῇ
Κέϱμα βλέπων· αἰτεῖ χέϱμα ἢ ἥδε σελίς.

DOMITIVS.

QVOD *nummos*] Vitelliani sunt loculi ex corio Vitelliano confecti: cùm autem id genus chartæ soleat mitti amicæ, vt supra dixit, *Nondum legeru, &c.* & loculus ex vitellianis sit inanis, iocatur: Tu, inquit, putas hanc chartam mitti amicæ, cùm sit vitelliana, sed falleris: nam est loculus inanis ad pecuniam seruandam accommodatus, & cùm velit ostendere inanem esse, subdit.

ROGAT *nummos.*] Quia nullos, scil. intus habet.

Chartæ maiores. X.

*v. pute. *Non sunt munera quæ* putas pusilla,*
Cùm donat vacuas poëta chartas.

Μὴ δωϱήματα τυτθά σοι δοκεῖν,
Τοὺς χάϱτας ὅτε δῷ κενοὺς ποιητής.

DOMITIVS.

NON] Chartæ maiores sunt loculi chartei grandiores, quæ puellæ mittuntur inanes, vt supra sunt vitelliani.

CHARTAS] Charteos loculos vacuos.

Chartæ* epistolares. XI.

*Epistolicæ.

Seu leuiter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet charta vocare suos.

Η ὀλίγως γνωτοῖς πεμφθεὶς φίλῳ, ἢ καὶ ἑταίϱῳ,
Παῖδας ὁμῶς χάϱτης οὗτος ἔλεγεν ἑούς.

DOMITIVS.

SEV] Cùm varia essent chartarum genera auth. A Plin. ea quæ dicebatur augusta authoritatem retinebat in epi. hæc nunc mittitur.

ISTA *charta*] Augusta.

SVOS] Alludit ad inscriptionem, vt Cic. Lentulo suo.

LEVITER *noto*] Parum noto.

Loculi eburnei. XII.

Hos nisi de fulua loculos implere moneta*
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

*v. flaua vt supra lib. 12. epig 66. An de moneta Cæsaris decem flauos.

Χϱυσέου πεπλῆσθαι μούνου τόδε γλωσσοκομεῖον
Κόμματος· ἀϱγύϱεον τὰ ξύλα χέϱμα φέϱοι.

DOMITIVS.

HOS] Loculi minores capsulæ dicebantur, in quibus seruabantur pecuniæ: vnde Tranquil. scrib. Galbam ex priuatis loculis Cano tibicini dedisse pecuniam. Hi cum erant eburnei aureolis seruandis destinabantur.

FVLVA *moneta*] Aurea.

LIGNA *vilia*] Loculi lignei viles.

Loculi lignei. XIII.

Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est? ipse locellus erit.

Εἴ τι ἐμοῦ λοιπὸν σοὶ πυθμένι γλωσσοκομείου,
Δῶϱον ἔχ'· οὐκ ἔστι; γλωσσοκομεῖον ἔχε.

DOMITIVS.

SI *quid*] Loculi lignei cùm vilem monetam seruarent, parum diligenter exhauriebantur, hærebatque fundo sæpenumero denarius: ex hoc loquentes loculi lignei iocantur.

FÆCE] Fundo, tractum à vino, cuius fæx est in fundo.

ERIT *munus*] Habebis hoc munus.

LOCELLVS *erit*] Scil. munus.

NIHIL *est*] Si nihil est pecuniæ.

Tali eborei. XIV.

Cùm steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

*Vide Turneb. l. 17. c. 4.

Οὐδενὸς ἀστϱαγάλου ἐπὶ ταὐτὸ σχῆμα πεσόντος,
Φαίης κεν παϱ' ἐμοῦ δῶϱα μέγιστα λαβεῖν.

DOMITIVS.

CVM *steterit*] Tali eburnei quo numero sint initio superioris libri dictum est. sunt plurium angu-

lorum quàm tesseræ quæ quatuor tantum partes habent, sed ipsi sex. gloriantur igitur nunc quòd nunquam eodem puncto consistant: nam modo binos proferunt numeros, modo ternos, vicissimque alternant.

VVLTV *eodem*] i. eodem numero punctorum: nam quoties ferme iaciuntur tali punctum mutant.

MAGNA *munera*] Cùm eodem munere tantam videbis varietatem.

Tessera. XV.

*Vide Turneb. l. 9. cap. 24 & lib. 17. cap. 5.

Non sim talorum numero par tessera, dũ sit
Maior, quàm talis, alea sæpe mihi.

DOMITIVS.

NON *sim*] Tessera, etsi pauciores habet partes, tamen non minorem habet ludum, cùm grandior sæpe pecunia tesseris committatur, quàm talis. ex hoc tesseræ putant se non esse inferiores talis, quamuis numero angulorum superentur.

PAR *numero*] i. non habeam tot puncta: nam vt apud Græcos scrib. Pollux, astragalus, quem ego puto tesseram esse, quatuor tantum habet latera. nam vno latere duo puncta, altero quinque desunt. κύβος autem. i. talus, habet sex latera.

MAIOR *alea*] i. maior pecunia committatur ludo meo quàm talis.

Turricula. XVI.

*Vide Turneb. l. 17. c. 5.

Quæ scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Η μεθοδοδεύτεσ χεὶρ βάλλειν ἄσριας ἴδρις,
Εἰ δὲ ἐμοῦ βέβληκ᾽, εὔγματα μοῦνα ποιεῖ.

C

DOMITIVS.

QVÆ SCIT] Turricula instrumentum erat quo concussi tali emittebantur, ne lusoris fraude compositi optato puncto consisterent. Hora. verbo Græco vsus est, *Talos mitteret in pyrgum.* Nam pyrgus turrim significat: hæc igitur gloriatur, quòd dolosæ manus fraudes compescat.

FACIT *vo.*] Facere vota. i. optare & suscipere vota. manus ergo cùm iacit talos per turriculam, nihil aliud potest facere quàm vota. i. potest optare bonum punctum, certum præstare minime.

D

PER *me*] Turriculam.

Tabula lusoria. XVII.

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto,
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Δωδεκάκεντος ἔνεστιν ἐμοὶ κύβος, ἠδ᾽ ἑτερόχροος,
Αντιπάλου διδύμου ψῆφις ὄλωλεν ὕπο.

A

DOMITIVS.

HIC *mihi*] Tabula lusoria alueum puto intelligi: nam & in annalibus illud est, Pomp. è tertio triũpho alueum lusorium reportasse è gemmis, cum tesseris latum pedes tres, longum quatuor. eadem tabula & tesseris & calculis seruiebat. In calculis autem, vt infra dicitur, alij dicebantur milites, alij hostes.

HIC *numeratur*] Id est, hæc tabula seruit tesseræ & calculis.

Nuces. XIIX.

Alea parua nuces, & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.* *v. illa

B

Τῶν καρύων μὲν ἄθυρμα, μικρὸν δαπάνημα καλεῖται·
Αλλὰ θαμὰ γλουτῶν παιδία νοσφίσατο.

DOMITIVS.

ALEA] Nuces permittebantur pueris in saturnalibus: si præterea ludebant, vapulabant à magistro supra,

Iam tristis nucibus puer relictis
Clamoso reuocatur à magistro.

PARVA *alea*] Paruus ludus.

ET *non damn.*] Quæ scil. non ferant aliquid damni.

NATES] Verberatas à magistris.

Theca calamaria. XIX.

Sortitus thecam calamis armare memento;
Cætera nos dedimus, tu leuiora para.

Κλήρῳ σχὼν θήκην καλάμοις ὅπλισσον· ἐγὼ μὲν
Λοιπὰ δέδωκα· σὺ δ᾽ αὖ ἔστω ἐλαφρότερα.

DOMITIVS.

SORTITVS] Theca repositorium cuiuscumque rei dicitur. Libraria, siue calamaria, quæ communes librorum. hanc donat sine calamis.

SORTITVS] Cùm ea tibi sorte data sit.

LEVIORA] Calamos.

Calculi. XX.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Κόπτων τοὺς δολερῶν πολέμους παίζοντι ληϊστῶν,
Σοὶ μὲν ὅδ᾽ αὖ στρατιώτης, σοὶ πολέμιος ἔσται ὅδε.

DOMITIVS.

INSIDIOSORVM] Calculi idem latrones dicebantur, qui vitrei erant duas in partes diuisi, cùm alij milites, alij hostes dicerentur. Oui.

Siue latrocinij sub imagine calculus ibit,
Fac pareat vitreo miles ab hoste tuus. ſupra.
Sic vincas, Nouiúmque, Publiúmque Meandris
Et vitreo latrone clusos.

S I *ludis hec.*] Si delectaris ludo latronum.
I S T E] Calculus.
G E M M E V S] Vitreus.
E R I T *miles, & hostis*] Quia inde habebis tuos milites, & reliquos hostes.

* Graphiarium. XXI.

*Vide Annotationes Philippi Beroaldi in Georg. Merulam. Centur. I.

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leue munus erit.

Δέξο σιδηρείαις κεχαρισμένον ἔρχος ἀκωκαῖς,
Εὐτελὲς οὐ δῶρον παιδί ποτ' ἐσσόμενον.

DOMITIVS.

H Æ C] Graphiarium à γράφω dicitur, quod significat scribo. Latini stylum dixerunt, vnde extat fœdus Porsenæ cum Romanis, ne alicui liceret ferro præterquàm ad agriculturam vti, quo styli etiam comprehenduntur. nam vt additum est annalibus, non satis tutum habebatur scribere stylo. Is si longior fuerit telum habetur, & dicitur graphium, quali Cæ. vtebatur, & vsus est in vulnere Cascæ.

D E *graphio*] i. stylo ad scribendum. Sueton. in Clau. Graphium & libellos quos tenebat in manu. stylus autem totus ferreus est.

P V E R O] Pueri stylo vtebantur ad scribendum.

Dentiscalpium. XXII.

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

Ἐκ σχίνου μὲν ἄμεινον αἰεὶ· εἰ δ' οὐ ξύλον ἐστίν,
Κνηφῆσαι πτερίνη σοὶ τοὺς ὀδόντας γλυφίς.

DOMITIVS.

L E N T I S C V M *melius*] Dentiscalpium instrumentum quo dentes scalpebantur. id ex lentisco fiebat frutice celebrato monumentis Virg. Plin. & Ciceronis, aut certe ex penna rubra. supra. *Stat exoletus Suggeritque ructanti pennas rubentes, cuspidesque lentisci.* Contra dentifricium dicebatur quicquid remedium dentibus tergendis aptum erat.

L E N T I S C V M] Instrumentum ex lentisco.
L E V A R E] Expurgari.
M E L I V S] Quàm penna.
F R O N D E A] Cuspis lentisci.

Auriscalpium. XXIII.

Si tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

A

Εἴ σε κνισμὸς ἔπεισι χαλέπτων ὦτα, δίδωμι
Ἔντεα τοιαύταις ἄρμενα γαργαλίαις.

DOMITIVS.

S I *tibi*] Auriscalpium scalpendis auribus instrumentum olim in precio. cùm prurientem aurem scalpere summæ sit voluptatis, antiqui verminari dixerunt pro torqueri à vermibus, qui facile se torquent, author est Marcel.

A R M A] Instrumenta.
Libidinibus tantis morosa prurigine. Difficili & nimium eleganti, nam morosi dicuntur, qui nimiam quærunt elegantiam à moribus, quos peculiares & ab alijs separatos habere videntur.

B

Acus aurea. XXIV.

*Tenia legit Aldus & Turn. lib. 9. cap. 13. *v. Tænia

* * *Tænia ne madidi violent bombycina crines,*
Figat acus tortas, sustineátque comas.

Ὡς λιπαρὴ μὴ λιπὰ κόμη βομβύκινα χραίνοι,
Ἡ καλαμὶς σφίγξαι ῥεμβομένους πλοκάμους.

DOMITIVS.

T Æ N I A] Acus piscis genus. acus item crinalis componendis crinibus inuenta est, qualem Propertius celebrat. amomo vncti crines in globum colli-
C gebantur antequam vitta tegerentur, nullum enim seruabant ordinem, & decor omnis amittebatur si passis & vagantibus superinduceretur vitta, præsertim cùm vncti essent. Capillorum igitur globus acu sustinebatur. hæc mittitur.

T Æ N I A] Verbo græco vsus est. nam ταινία Græce, latine vittam significat.
F I G A T] Globum.
M A D I D O S] Amomo.

Pecten ad caluum. XXV.

Quid faciet nullos hic inuentura capillos,
D *Multifido buxus quæ tibi dente datur?*

Εὑροῦσ' οὐδεμίαν ἐν σοὶ τρίχα, πῶς σ' ἂν ὀνήσαι
Εἰς πυκινοὺς σχεσθεὶς πύξος ὀδοῦσιν ἐμή;

DOMITIVS.

Q V I D] Iocatur in caluum, qui pectine non indiget, cùm non habeat capillos. fiebat ex buxo vt nunc.

B V X V S *multifido dente*] Periphrasis pectinis.

Crines sapo. XXVI.

*Id est, rutilas & rufas Turn. l. 9. cap. 13.

Caustica Teutonicos accẽdit spuma capillos:
Captiuis poteris cultior esse comis.

Τευτονικὸν χαίτης πλοκάμοις ἄφελσμα· ποιήσει
Ἡ δουλείκτιπος κομψότερόν σε κόμη.

DOMITIVS.

CAVSTICA] Sapo inuentus est à Gallis capillis rutilandis ex seuo & cinere: cinis autem faginus & seuum caprinum in hoc tenent palmam. Germani eodem vtebantur liquido & denso, sed viri potius, quàm fœminæ, vt author est Plin. ea dicuntur habere vim causticam, quæ siccitate adurunt, vt cinis. Nam καυστικὸς Græcè, Latinè significat ignitum. hoc verbo multis in locis vsus est Plin. Mituli, inquit, in cineribus vim causticam habent. Sapo igitur nihil aliud est, quàm spuma caustica, in quo poëta seruata metaphora dixit, accendit.

TEVTONICOS co.] Germanicæ dictæ sunt in Do. gratiam, qui Germaniam domuerat. supra hisdem verbis vsus est.

SPVMA ca.] Sapo.

ACCENDIT] Rutilat.

CAPTIVIS ca.] Germanis capillis si sapone vti volueris.

Mattiacæ pilæ. XXVII.

Si mutare paras longæuos cana capillos:
Accipe Mattiacas, *quo tibi calua? pilas.*

"Mattiacæ pilæ, è sapone conflati trochisci rufandis capillis. "Vide Turneb. lib. 9. cap. 13. v. quid.

Ζητεῖς ἀλλάξαι πολιῶν τρίχα (σοὶ γὰρ, φαλακρή,
Οὐκέτι δεῖ) δέξαι σφαιρία Ματτιακά.

DOMITIVS.

SI] Mattiacum oppidum Germaniæ, vt Pto. scribit, quamuis latinus codex mendose sit scriptus. iuxta sunt Artaunum & Nuesium. Sapo canis vsui est vt rutilentur crines, caluis non necessarius. ex hoc constat disticho.

MVTARE] Rutilatione.

QVO ti. calua.] Id est, quem vsum erit tibi ô calua mulier? quasi dicat nullum: nam caluis non est necessarius.

QVO tibi] Illud interpositum est: si iam tibi, legis, nec antiquam seruas scripturam nec vllus est sēsus, alibi eadem elocutione vsus est,

Quo tibi decocta nobile frigus aqua.

ACCIPE pilas] i. saponem factum in speciem pilarum, vt nunc apud tonsores cernimus.

QVO ti. ca.] i. quem vsum potest tibi ô calua præstare? nullum.

Vmbella. XXIIX.

Accipe quæ nimios vincant vmbracula Soles,
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Δέχνυσαι ἠλιακοῖο θέλιστρον καύματος ἄγχαρ,
Καὶ ῥιπῆς ἀνέμων σοὶ σκέπας ἐσσόμενον.

DOMITIVS.

ACCIPE] Vmbella exiguum erat tentorium: A quo singuli tegi poterant, vnde diminutiuum accipit ab vmbra. vsui erat cùm flante vento spectacula edebantur in theatro: nam vela superiora omnibus communia agitata solem admittebant.

TVA ve.] Vmbella tua.

" Gausapa. XXIX.

"Causia, lego cum Domitio, quæ pileus tegmenue erat capitis defendendo soli comparatum, vnde & καυμαλαυκιον vocabatur.

In Pompeiano tectus spectabo theatro:
Nam ventus populo vela negare solet.

DOMITIVS.

IN *Pompeiano*] Causea verbum externum est, quod nusquam præterea legi, nisi apud Vale. Max. significat autem tentorium, quo spectans populus solebat vti cum agitata vela ventis ea negarentur.

B TECTVS] Causea.

NEGARE ve.] Propterea vtar Causea, qua tectus spectabo.

" Venabula. XXX.

"Venabulū diuitis est: culter venatorius paupertis. Turn. lib. 9. cap. 13.

Excipient apros exspectabuntque leones:
Intrabunt vrsos, sit modo firma manus.

Ἄρκτους ἐκδέξασθαι, ὑφίστασθαί τε λέοντας
Ἄρκτα, σῦς τε λάβω· χεὶρ μόνον ἰσχυέτω.

DOMITIVS.

C EXCIPIENT] Venabulum, telum venatorium, quod Piseus primus inuenit, vt Plin. placet. longiorem habebat cuspidem, excipiebátque quamuis feram, modo forti dextra consisteret.

EXCIPIENT] Vulnere.

FIRMA] Fortis.

Culter venatorius. XXXI.

Si deiecta "*geres longo venabula rostro:* "gerens
Hic breuis in grandem cominus ibit aprū.

Ἢν περίβολος γλωχῖνος ἀπαμβλύνηται σ' ἀκωκή,
Εἰς χλούνην χερσὶ ἤδη ἐν χερσὶ ἐσδύεται.

D

DOMITIVS.

SI DEIECTA] Duplici telo aduersus grandes feras vtebantur, altero longiore, quod venabulum dictum est, breuiore altero vt venabulo more feræ occupato hoc vulneratum conficerent, præcipuæ formæ fuisse verba Tranquilli demonstrant, qui scribit Lixam ex Illyrico deprehensum fuisse in cubiculo Augusti cinctum cultro venatorio.

COMINVS] Propè.

GERES] Proprium est venatoris cùm premit feram telo.

LONGO *rostro*] Vel venabuli vel feræ, quod placet. nam apri os acutum rostrum videtur.

*Parazonium gladiolus, quo accingebantur zonæ appensio. Vide Turn. lib. 9. cap. 23. & lib. 12. ca. 6.
*v. quærit grati decus omen.

*Parazonium. XXXII.

Militiæ decus hoc, & grati nomẽ honoris.*
Arma tribunicium cingere digna latus.

Κόσμημα στρατιῆς, τιμῆς σύσσημα ποθεινῆς
Τοῦτο, τριβουνείας ζῶμα πρέπον λαγόνι.

DOMITIVS.

Militiæ] Paracon officij genus est sumpto nomine à vehiculis quæ præit. Varro, Hic omnia erat idem sacerdos, præbitor, paracos. Paracos item significat principem populi, qualis est tribunus. paracos telum est. vt hoc loco. quod nomen cùm commune sit quòd significat tribunum, poëta ex his facit distichon. & ait, paracon telum, quod mittitur esse omen futuri tribunatus, cùm paracos caput populi significet. Qui parazonium scripserunt decepti sua interpretatione, à veteri scriptura discesserunt & à sensu poëtæ.

Hoc] Paracon.

Nomen *grati honoris*] i. tribunatus.

Arma *digna cingere latus tribunitium*] Cùm paracon significet caput populi, sunt qui tueantur multis etiam contumeliis suum errorem, contendántque legendum esse parazonium quod sit ensis, dicatúrque à para, quod est ab, & zona cingulum, quia scilicet, cingulo pendeat. O impudentiam, si errorem suum intelligunt, & defendunt! O ignorantiam & stultitiam, si non percipiunt. proferte Martia. codicem antiquum, quem habetis: quòd lemma est parazon inquient, vel parazonium: O vanos homines, non pudet affirmare parazonium extare vsquã, quod numquam legistis, nisi à vobis deprauatum. Nullus codex, nulla pagina tam mendosa est, quæ parazonium habeat. Atqui parazon dictio est imperfecta, vt Imp. pro imperatore. opt. max. pro optimo maximo. ne arguti vobis sunt oculi & admodum curiosi, qui ex parazon parazonium legatis, ingenium vero nullum: quod ita parazum scribi putetis, vt opt. vt max. vt imp. notas antiquas peruertistis, boni viri Mar. verba dissipatis, inuertitis, confunditis. prô Dei immortalis fidem, quis vnquam persuaderi poterit parazon pro parazonium scriptum esse: nisi idem temerarius, insanus, amens sit? An aliæ inscriptiones apud hunc poëtam vsquam sunt mutilatæ? nimirum hæc vna dictio imperfecta esse debuit? Quis præterea obsecro vos parazonium vnquam vel apud Græcos vel apud Latinos scripsit? Paracon legendum esse contendimus: nam ne vobis quidem inficiantibus immutata littera, parazon in antiquis extat codicibus: paracon autem caput populi esse Var. scri. quemadmodum & parici quæstores dicebantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum, & siue paricos siue paracos legas, & Nonius & Festus id verbum interpretari conati sunt. Nonius aliter ex Varronis testimonio, ait enim, paracon esse etiam populi caput, quàm Festus, qui paricon legit, scribítque esse rei capitalis quæstorem. Nam cùm vtérque eam dictionem pro magistratu apud antiquos legeret, originis ratione inuestigata, Nonius paracon legendum putauit à paraco id est, vehiculo. Id cùm affirmaret ex Var. verbis docuit paracon esse populi caput. Fe-

A stus, vt proposui, parrico legit à parricidio. nam rei capitali præerat parricus. Quid multa? paracos vox antiqua est & magistratum significat, vel quæstorem, vt Pompeio placuit, vel caput populi, id est, tribunum, vt ex Var. discimus. ad quod alludens disticho poëta mittit eodem nomine ensem, atque cùm paracos dicatur omen esse futuri tribunatus illud tantum istos offendit, quòd tribunus militum non sit populi caput. Iocus est poëtæ, dementissimi homines, & non ad milites, sed tribunum argute alludit, qui populi caput est. sed iam valeant isti cum suo parazonio, quod merito tanquam filium amant. ipsi enim id crearunt, ipsi fecerunt, neque vsquam prætereà reperitur. nos paracon legamus ex fide veteris scripturæ, & Var. authoritate.

GEORGIVS.

Militiæ *decus hoc &c.*] Nunquam vidi hominem peruicacius falsa defendentem, & vt de mu-
B lieribus poëta dixit,

Iras atque animos à crimine sumit.

Nam cùm in hac parte veræ lectionis admonitus fuerit, velut crimen diluturus, rabularum more vecordissimus iste clamitat, quia scilicet quæ in vnum congessit tũ friuola, tũ falsa sunt, nec Nonius Marcellus, quo scriptore nititur, paracum ex dictis Varr. sentit esse caput populi, sed velut irridens sic ait de quodam: Hic enim omnia erat, idem sacerdos, præbitor, parochus, denique idem senatus: idem populi caput: hunc enim significat fungentem omnibus superioribus magistratibus, vno & eodem tempore, sed eum miror, qui græca nouit ad etymologiam nominis minus respexisse. Fit enim à verbo græco παρέχω. Quod est præbeo. inde parochi, præbitores, siue copiarij, vt exponit Porphyrio. Horum erat publice magistratibus præbenda conducere. Vnde Ventidium, velut parochum, scribit Gellius victum sibi ægre quæsiuisse, eumque sordide inuenisse comparandis
C mulis & vehiculis magistratibus, qui sortiti prouincias forent, præbenda publice conduxisse. Hoc idem ex Horatio colligimus, cùm ait.

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & parochi, quæ debent ligna, salemque.

Et alio loco.

Tum Vibidius Balatroni,
Nos, nisi damnosè bibimus, moriemur inulti,
Et calices poscunt maiores. vertere pallor
Tum parochi faciem nil sic metuentis.

Græci quoque ipsi hac dictione in hoc significatu vtuntur: sed quia audacter nimis pernegat parazonium non inueniri, nos contra dicimus, authore Eusta. parazonida inueniri pro gladio à zona dependente. Apud Athenæum vero parazonidion altera
D forma diminutiua legi, cuius verba ad conuincendam inauditam Domitij stultitiam subnotare volui. Ποσειδώνιος δὲ ὁ ἀπὸ τῆς στοᾶς φιλόσοφος ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν διηγούμενος περὶ τοῦ Ἀπαμέων πρὸς Λαρισαίους πολέμου γράφει τάδε, παραζωνίδια καὶ λογχάρια ἀνειληφότες ἰοῦ καὶ ῥύπου κεκρυμμένα. Subiungit sumpta de Festo inconstans expositor, quod parici quæstores appellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum. quæ verba manifestè arguunt hunc hominem allucinantem, & sibi ipsi parum constare. aliud est enim crimina inquirere, aliud vehicula, & ad viam necessaria publice præbere. quare, me authore, vetus & vera scriptura asseratur, hoc est parazonium, eiecta ista contentiosa atque vanissima hoc in loco de parochis sententia.

Lucerna cubicularia. XXXIX.

Dulcis conscia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias, licet tacebo.

Κοίτης λύχνος ἐγὼ τῆς συνίστωρ,
Ποίει ὅ, τι ποτ' αὖ θέλῃς, σιωπῶ.

DOMITIVS.

DVLCIS *lucerna*] Candelabrum prius in vsu fuit, quàm lucerna, vt Varro scrib. dicta hæc à luce, quod placet ex eodem authore: vel à lychnos, quod lucernam significat. Cubicularis dicebatur, quæ vna tantum flamma cubiculo seruiebat. ea quæ plures haberet flamma destinata esset conuiuiis illustrandis.

LICET *facias quidquid vis*] Relaxa animum in quamuis voluptatem, & tuo arbitrio sis in cubiculo: illud Propertij,

Quam multa apposita narramus verba lucerna.

Candela. XL.

°v. Lucerna *Ancillam tibi sors dedit° lucernæ,*
Totas quæ vigil exigit tenebras.

Λύχνου σοὶ θεράπαιναν ἦκε κλήρῳ
Ὀρφνῆς παννυχίδος φύλαξ ἄγρυπνος.

DOMITIVS.

ANCILLAM [Candela pauperiores vtebantur, vt Festus scribit, quod & Iuuen. ostendit:

Cuius dispenso & tempero filum.

Dicitur ancilla lucernæ, quòd cùm lucerna hæreat immobilis, ipsa circumgestatur in omnes angulos.

SORS] Nam sorte dabantur hæc munera.

VIGIL] Quæ ardet.

EXIGIT] Expellit. Vult enim ostendere ne paruum munus mittere videatur, quamuis candela sit pauperis, tamen eam præstare eundem vsum, quàm cereorum & lucernarum lumina. Data, inquit, candela tibi.

QVÆ *vigil*] i. cùm ardebit totas tenebras expellat quasi dicat, nihil plus alia lumina præstant. Audio temerarios quosdam commentariorum nostrorum calumniatores hoc loco à nobis dissentire, & vernaculam quandam vocem sectantes, non candelam sed cicindelam, deleta veteri scriptura, pro lemmate proponere: aiunt enim cicindelam lampadem esse, quæ ex vitro partim aqua, partim oleo impletur, atque ita vulgo nominatur sumpto nomine à lampadibus. quæ cicindelæ dicuntur, authore Plin. Id me ignorasse prædicant. quod me fateri non pudeat, cùm ipsi idem male à vulgo didicerint, pyralem, pyrantem, hiredulam, noctilucam, cicindelam volucrem esse iampridem legi apud Plin. & Grammaticos nostros. sed cicindelam ipsi iactent, pro lampade magnifaciant, & istud suum inuentum ament, me certe riualem non habebunt, qui eiusmodi voces nisi antiquorum, vel auctoritate, vel vsu confirmentur, facile vulgo vtendas relinquo. Dicite obsecro qui docti haberi vultis, & eo nomine plurimum

A gloriamini. vbi cicindelam pro lampade legistis? Plin. id lampadis genus lychnum pensilem appellat. Is autem quæ scriptoris est diligentia & cura, si aut vitrea, aut ænea fuisset cicindela, aut certe lampas, aliquo in loco appellasset. Quæ ista est temeritas, quæ imprudentia, quæ stultitia, vt cùm in omnibus codicibus reperiatis candelam pro lemmate scriptã, cicindelam inculcetis, & si dijs placet, etiam ostentetis? Nimium amatis vernaculam linguam & plebeiam: nam & vt multa alia omittam, in Polybio, quem totum aut peruertistis, aut certe reddidistis barbarum, pro conserere manus, venire ad manus non puduit sæpissime transferre, & pro sociis Hannibalis, sequaces Hannibalis scribere. Cur nimirum? quia ita vulgo loquimur. O homines plebeios, vulgares & plane contemnendos. Sed de Polybio alia est lucubratio, quam infantiam vestram & puerilem sermonem facile vel refellimus, vel certe in commu-
B nem vtilitatem emendauimus. Videte ne cùm parum Festi Pompeij verba percipitis, nouum vobis concinneritis verbum. Festus enim, cicindela, inquit, genus est muscarum, quod noctu lucet, videlicet à candeo, vnde etiam candelabra putantur appellata. Aperite oculos, qui Plautinis vobis sunt duriores. Adhibete aures Festo, quasi clamanti, non dixit cicindelam esse candelabrum, sed cicindelam muscam à candeo, id est, mico & ardeo deriuari, quòd noctu lucet, vnde etiam candelabra à candeo dicta putantur, quòd candeant & luceant. Candela inquam scribendum est, nam hæc in saturnalibus mittebatur. inter munera autem saturnalitia, quæ apud Martial, sunt: nullum est candelæ distichon præter hoc: Codices & antiqui & recentes ita habent. Videte quod inter meam & vestram interpretationem interest?
C ego Latinum verbum, vos vulgare sequimini: ego antiquam scripturam, vos nullam nisi à vobis deprauatam. Virgil. autem candela expellit totas tenebras, non quia tota nocte ardeat, quod calumniator noster deridet, sed quia cùm nihil est, id est, ardet, quocunque illata fuerit: expellit totas tenebras & locum illustrat, vt non minoris vsus videatur, quàm cereus aut lucerna, quæ nihilo plus præstant, & ex eo etiam laudatur, quòd sit ancillæ lucernæ preciosæ, scil. & vnctæ, quoniam vt proposui ea immobili hærente ipsa circũgestatur in omnes angulos domus: nam lucerna nec solet, nec facile potest circumferri. Pudet refellere puerilem Iuuenal. interpretationem, aiunt enim quod apud Iuue. est: *Cuius dispenso & tempero filum*, quod vt ostenderemus candelam pauperis esse, non paulo ante vsurpauimus ita accipiendum, vt
D intelligas iuuenem è fenestra prætereuntes aspicere, quo testas in eos iaculet. Est ne hoc interpretari poëtas: an peruertere cicindelam, quod nusquam extat pro lampade? Videtis locum apud Iuuen. aptum, expositum, facilem, non intelligitis. Id enim dictum est de iuuene, qui occurrentes pulsabat pauperes: non autem fenestra dispiciebat. Sed nimium insector istam vestram sententiam, quæ sua leuitate ab omnibus facile est explosa. De cereo vero quod diximus, candelabro & lucerna, suis distichis explicatum est.

Lucerna° polymyxos. XLI.

Illustrem cùm tota meis conuiuia flammis,
Tòtque geram myxos, vna lucerna vocor.

°Polymyxos pluribus ellychniis lumen in diuersa spargens.
°Vide Turn. lib. 9. cap. 21.

Εἷς λύχνος κέκλημαι, ἐμῇ φλογὶ καὶ περ ὅλοισι
Συμποσίοις φαίνων, καὶ πολύμυξος ἐών.

DOMITIVS.

ILLVSTREM] Μύξος significat lucernæ angulum: lucerna polymyxos dicitur, quæ habet multos angulos, & totidem flammas, author est Suidas, qui id confirmat epigrammate. Et Pollux, qui cùm scribit de naribus, myxam, ait, nares appellari à Sophocle, vnde, & dimyxa lucerna potest videri dicta, ita & polymyxa dicetur, id est, habens multos angulos cum lychnis & flammis. Calumniator quasi polymycon & non polymyxon legerimus, hoc loco clamat & obiurgat. Atqui & apud Suidam, & apud Pollucem hæc iam diu legimus, sed olim quoniam scriptum reperiebam polymycum, ex ea quoq; scriptura sententiam alteram dixi. Cùm vero emendarentur commentarij, hanc tantum probaui, vt scilicet polymyxos legatur. Itaque in hoc sine aduersario litigat, sed illud præterire non possum, quod scrib. Obelisco. Lychnon militarem esse lampadem, ita est vt ait, quod Pollux scribit testimonio Theopompi, & Aristot. in iiij. de Republ. & Plin. notans suorum temporum luxum in tribunis militum, qui candelabra Corinthia magno emebant. Nec pudet inquit, tribunos militum salariis ea emere, quod ipse non intelligens Salinis scripsit pro salariis, quia, vt ipse interpretatur, ex candelabri tribuni salina constabant, quod periculum est sentire: nos ex hoc Plinij loco in commentariis Iuuen. diximus tribunum illis versibus designari à poëta:

Quem coccina lana, &c.

Multum præterea flammarum & anea lampas.

Quod autem contendit μύξω, pro secessu & angulo non posse accipi, longe fallitur. Sed de Græcis literis quas vix primis rudimentis didicit, non est à nobis cum eo disputandum. nam quamuis parum Græcè sciamus, tamen si audiret cùm in academia Romana docemus, vbi literas quoque Græcas publica mercede profitemur, fortasse ita proficeret, vt aliquando Græca in Latinam vocem conuerteret, quod nondum potuit, nam in eo aliena vsus est ope. Sed hæc in alia sunt lucubratione nostra, quam edere tot exemplis noluimus. Neque enim nos constantiæ nostræ pœnitet, quamuis lacessitos. Hæc, vt proposui, conuiuiis illustrandis erat destinata.

TOT *myxos*] Id est, tot angulos in speciem narium.

VNA *lucerna*] Quasi dicat, vsum complurium lucernarum præsto, & tamé lucerna tantum appellor.

Cereus. XLII.

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes:
Subducta est puero namque lucerna tuo.

DOMITIVS.

HIC] Cereus mittebatur ditioribus, vt scrib. Festus: nam illi soli ijs vtebantur. Cur autem mittantur in saturnalibus in superioribus libris fuit expositum, quia scil. Publitius tribunus plebis cùm diuites per occasionem saturnaliorum grauiora exigerent à pauperibus munera: edixit ne quid mitteretur præter cereos.

LVCERNA] Maioris erat luxus, quod Plin. vel

A ex eo ostendit, cum ait Iuliam Paulinam tot gemmis processisse, vt ad lucernarum lumen spectaretur.

CEREVS] Secundum tenebat locum: quam æstimationem hoc disticho poeta ostendit.

SVBDVCTA *lucerna*] Quasi dicat, cùm careas lucerna, cereo vtaris.

*Candelabrum Corinthium. XLIII.

*Vide Turneb. lib. 9. cap. 24.

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt.
Non norat parcos vncta lucerna patres.

Λαμπτῆρές ποτ' ἐγὼ μὲ ἐπώνυμος εἰμὶ παλαιοῖς·
B Ἀγνώστος προγόνοις νήφοσι λύχνος ἐών.

DOMITIVS.

NOMINA *candelæ*] Ex ære cœperunt fieri candelabra: è quibus Æginetici homines superficiem optime elaborabant, Tarentini scapos. Nullum tamen erat Corinthium, quamuis Corinthia dicerentur, vt Plin. tradit, sed ex proximis Corinthio Achaiæ vrbibus mittebantur, cum Mumius Corintho delata æra Corinthia in proxima oppida dispersserit. Non igitur Corinthium intelligas Corinthi laboratum, sed ex ære Corinthio, quod propinquis locis datum est. Lucerna candelabro successit, vt proposui maiore luxu: quod etiam hic locus affirmat, & Varro scrib. his verbis: Candelabrum à candela, ex hoc enim funiculi ardentes figebantur, lucerna post inuenta, quæ dicta à luce, &c.

NOMINA *candelæ*] Dicta sumus à candelis.

C VNCTA] Oleo.

PARCOS *patres*] Quasi dicat, cum maiores nostri parci essent, vncta lucerna non vtebantur, sed id postea est inuentum, propterea sumpsimus nomen à candela quæ est hominis pauperis & frugi, non autem lucerna, quæ nunc vsurpatur.

Candelabrum ligneum. XLIV.

Esse vides lignum: serues nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

D Ην μὴ τηρήσῃς τὸ φάος (ξύλον εἰμὶ γὰρ) ἐκ τοῦ
Λυχνούχου λύχνος κ' ἄμμια γένοιτο μέγας.

DOMITIVS.

ESSE] Candelabrum à candelis ibi ardentibus nomen accepit: vt Plin. & Varroni placet: nam funes in eo fixi accendebantur. Ligneum fuisse hic indicat locus & credimus, cum Cic. lychno ligneolo delectaretur, vt ipse scribit: & Cecilius in meretrice ita ait, Memini hic vidisse candelabrum ligneum ardentem.

VIDES *lignum*] Me esse lignum.

MAGNA *lucerna*] Nam pariter ardebit candelabrum.

Pila

Pila paganica. XLV.

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

DOMITIVS.

Hæc quæ] Pila pagánica à Pagis dicta est, vbi primum est inuenta: hæc nec tam mollis erat, quàm follis, nec tam dura quàm pila rusticana est. erat enim & ad rusticorum voluptatem inuenta.

Tvrget] Plena est.

Plvma *difficilis*] Asperiore.

Arcta] Stricta & dura medium tenet inter follem, & pilam.

Pila trigonalis. XLVI.

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis rustice, redde pilam.

Εἰμὶ τεή, λαιῇ παίζων εἴ μ' οἶδας ἀπωθεῖν·
Εἰ δέ τι οὐκ οἶδας, σφαῖραν, ἄγροικ', ἀπόδος.

DOMITIVS.

Si me] Pila trigonalis. In Gymnasio hæc pila erat in qua iactanda sinistrarum industria & fortitudo commendabatur: suprà

Palmam det tibi de trigone nudo,
Nec laudat Polybi magis sinistras.

Nam Polybius sinistra in hoc ludo palmam obtinebat: alibi

Captabat tepidum dextra, leuáque trigonem,
Imputet acceptas vt tibi sæpe pilas.

Mendose igitur scriptum est fenestris, cùm & antiqui codices sinistris habeant, & ita sit legendum.

Svm *tua*] Potes ludere.

Rvstice] Indocte.

Redde *pilam*] Depone.

Follis. XLVII.

Ite procul iuuenes: mitis mihi conuenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Τῆλε νεηνίαι ἐστέ· πρέπουσι γὰρ ἥμερον, ἀμφοῖν
Κωρύκῳ παίζειν παισί, γέρουσι πρέπει.

DOMITIVS.

Ite *procul*] Follis pila laxior erat, quæ pueros & senes exercebat spiritu tumefacta, qui nec paganicæ, nec trigonali pares habebant vires: hac exercitatione vsus est Augustus, teste Tranquillo.

Ite *procul*] Facessite.

Mitis *ætas*] Imbecillis.

A

"Harpasta, XLVIII.

"*Hæc rapit Antæi velox in puluere draucus,*
Grandia qui vano colla labore facit. Cæl lib 2. c 16. Iunius in Nomenclat. Vide Turn lib. 9. c. 25.

Ταῦθ' ἥρπασ' Ἀνταίου ἐν σταδίοισιν ἀθλητής
Ἠλεμάτῳ τείνων μακρὰ τράχηλα πόνῳ.

DOMITIVS.

Hæc] Harpasto exercebantur tirones in palæstra, in quo Gymnasio opus erat velocitate, dum harpastum è terra raptum certatim adolescentes tollerent, curuato dorso sese erigentes: nam palæstrita qui pectus retroflectit peritissimus olim habebatur: infra de palæstrita,

Non amo qui vincat, sed qui succumbere nouit,
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

B Id est, retroflexionem, qua aduersarium exceptum suspendit. mox deiecit in terram facilius ea arte. huic industrię harpastum assuefaciebant. quod drauci hoc exercerentur supra ostendit,

Harpasto quoque subligata ludit,
Et flauescit Aphe, grauesque draucos
Alternos facili rotat lacerto.

Antæi] Antæus palæstræ certamine statuit.

Dravcvs *Antæi*] i. palæstrita studiosus Antæi.

Qvi *facit grandia colla*] Nam hac exercitatione producebat collum, cuius longitudine in palæstra opus est. Iuuen.

Longis ceruicibus aquat
Herculis Antæum procul à tellure tenentis.

Vano *labore*] Molli & delicato harpasti labore: nam labores Gymnasij vanos solet appellare: nam molliorum hominum sunt: mox, *Quid pereunt, &c.*

Alteres. XLIX.

C "*Quid pereunt stulto fortes altere lacerti?* "v. Quod. Cornarius in Galen. de composit. medicament.
Exercet melius vinea fossa viros.

Τίπτε μάτην ἁλτῆρσι πονοῦσι βραχίονες; κρείσσω
Ἐστὶ βροτοῖς ἀσκεῖν ἔργα φυτοσκαφίης.

DOMITIVS.

Qvid] Quæstio est Aristo. in quinto problematum, quare alteribus vtentes agilius saliant. sunt enim alteres pondera, quibus pariter manibus comprehensis exercemus corpore, vel ambulantes, vel saltantes. ijs vtimur vt agilius saliamus: Aristo. Saltans ponderibus susceptis innititur, & qui currit manus obquatiens se sustentat, cur ille plus prosilit habens alteres, quàm non tenens. hic velocius currit

D manus obquatiens, quàm non obquatiens. mollitiem huius Gymnasij carpit.

Alteres] Ab alo, quod est salio.

Perevnt] Conficiunt.

Stvlto *altere*] Id est, vano alteris labore.

Melivs *exercet*] Meliorem præstat exercitationem.

Galericulum. L.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Ὄφρα τὸ πηλῶδες τεύχη μὴ κήρωμα μιαίνοι
Μυρόβρεχα, πόκῳ τῷδε πλοκαμῖδα κόμιζε.

DOMITIVS.

N*E lutet*] Galericulum capitis erat indumentum: quo crines operiebantur. hoc capiti adaptauit Otho vt scribit Tranquil. propter raritatem capillorum. In vsu etiam erat palæstritis, ne crines ceromate cõtaminarentur. quid sit ceroma supra exposuimus.

PELLE] Galericulo ex pelle.

LVTET] Contaminet. Apto verbo vsus est, nam ceroma ex luto, & oleo erat.

Strigiles. LI.

v. destringere. *Pergamus has misit curuo** distringere ferro,*
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Περγαμόθεν πέμφθησάν· ὅπλῳ στλεγγίζεσθαι κυρτῷ·
Οὐχ οὕτως ὁ γναφεὺς λευκὸν ὕφασμα τελεῖ.

DOMITIVS.

PERGAMVS] Stringere est radere, vt ait Marcellus: vnde strigiles instrumenta erant, quibus sudantes in thermis radebantur vncti oleo. Tranquil. scribit Augustum læsisse cutem nimio strigilis vsu. & ita exponendum est apud Iu.

Et sonat vnctis strigilibus.

Nam parabantur ad balnea.

Et pleno componit lintea gutto.

Nam & lintea in vsum balneorum veniebant: supra,

Lintea ferret apro. Pythagoras laudatur, quod quendam se distringentem ita expresserit dicatum ab Agrippa ante thermas, vt Tiberius imperator id signum in cubiculum transtulerit, quod statim restituit efflagitante populo. τὸν ἀποξυόμενον. id est, se distringentem. Strigiles Græcè στλεγγὶς dicuntur: & quæ, corpore eraduntur strigmenta quorum multitudinem miratus est Strabo, factam ab Argonautis Populoniæ. Pergamus ex Asia hoc instrumentum misit.

HAS] Strigiles.

DISTRINGERE] Radere.

LINTEA] Quibus vtebantur in balneis, hoc est tu potes strigilibus ita purgare, vt fullo non purget lintea sæpe, quia non contaminabuntur si te prius strigilibus erasum linteis abstergas.

Guttus corneus. LII.

Gestauit modò fronte me iuuencus;
v. putabas. *Verum rhinocerota me** putabis.*

Ἀκμαίου βεῖθις ἦν βοὸς μετώπου·
Δόξεις ῥινοκέρωτός μ' αὐτὸν εἶ(ναι).

DOMITIVS.

GESTAVIT] Guttus, siue guttum vas erat, quod guttatim aquam emittebat. hoc vtebantur in sacris ligneo, vt placet Var. vnde Curius negauit se ex præda habere quicquam præter guttum faginum ad sacra. erat item corneus guttus aptus ad balnea, ex

A cornu rhinocerotis: vnde & rhinoceros dicebatur, & ita intelligendum est apud Iuu.

Cum rhinocerote lauari.

Vt de hoc vase sit locutus. nunc mittitur guttus ex cornu iuuenci, sed tanta arte laboratus, vt rhinocerotis videatur.

IVVENCVS] Sum ex cornu iuuenci.

Rhinoceros. LIII.

Nuper in Ausonia domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

DOMITIVS.

NVPER] Reperit spectaculum rhinocerotis, qui taurum non secus ac pilam iactauit, vt in spectaB culis legimus.

ARENA Au.] Theatro Domi.

HIC] i. hic guttus est confectus ex cornu illius rhinocerotis, qui taurum vt pilam iactauit. ita vas laudat à nobilitate materiæ.

Crepitaculum. LIV.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Εἴ σου παῖς κλαίων τις ἀπ' αὐχένος ἠώρηται,
Νηπιέῃ σείοι χειρὶ λάλα σεῖστρα χερί.

C DOMITIVS.

S*I quis*] Crepitaculum instrumentum erat, quod nomen assumpsit à frequenti crepitu, in deliciis puerorum ad fletum sedandum, quod & Quint. ita docuit, ne sonum reddant pene puerilium crepitaculorum.

VERNVLA] Puer.

GARRVLA *si.*] Crepitacula ad sedandum fletum, quæ sistra videntur.

Flagellum. LV.

Proficies nihil hoc, cædas licet vsque, flagello,
D *Si tibi purpureo de grege currit equus.*

Οὐκ αὖ μάστιξ ἤδη, εἰ καὶ τρέχοι ἵππος, ὀνήσαι,
Εἴ γ' ἱπποστασίων ἐς ἀπὸ πορφυρέων.

DOMITIVS.

PROFICIES] Flagello vtebantur aurigæ agitandis equis. Menda est in hoc disticho recentiorum codicum: nam in antiquis purpureo legitur, & non puluereo. & est ita legendum. Prasinum agitatorem fuisse celeberrimum temporibus Neronis celeritate equorum, supra ex poëtæ carmine & Tranquilli testimonio recitauimus: eundem appellatum

Purpurionem distichon superioris libri docet,

Et nomen Prasini Purpurionis habet.

Appellat gregem purpureum equos Purpurionis, qui velocitate præstabant. Non proderit, inquit, tibi flagellum hoc ô auriga, si certaueris cum equis purpureis, quia omnino superabuntur. non placet intelligas de equo spadice, cuius colorem honestum commendat Virgil.

CÆDAS] Verberes.

CVRRIT *tibi*] Certat tecum, vel dicat si habueris equum ex grege equorum Prasini, non indigebis flagello. nam licet eum assidue verberes, nihilo plus curret quàm sponte: quasi dicat, tam sponte currit, quàm cæsus.

Dentifricium. LVI.

Quid mecum est tibi? me puella sumat,
Emtos non soleo polire dentes.

DOMITIVS.

QVID] Dentifricium frequens verbum est apud Plin. dum poliendis dentibus remedium assignat: id enim appellat dentifricium. datur non carenti omnino dentibus, & puellis quæ habent nigriores dentes.

QVID *mecum est tibi*] Dentifricium ipsum alloquitur anum habentem dentes emptos, & ait, Quid vsus potero tibi ô anus præstare, quæ habes dentes emptos. alibi ad Æglen dixit, *Emptis dentibus vti.*

PVELLA] Quæ scilicet suos habet dentes.

EMPTOS *dentes*] Quales tu ô anus habes.

Myrobalanum. LVII.

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex vnguento constat, & ex balano.

Ο, ῥ' οὐ Βιργιλίοιο, ἐδ' οὐκ ἔπος εἶπεν Ὁμήρου, D
Ἐκ τε μύρου συνέφυ τοῦτο, καὶ ἐκ βαλάνου.

DOMITIVS.

QVOD] Myrobalanum nomen arboris est ferentis glandem aptam vnguentis in Troglodytis, Thebaide & Arabia, vt Plin. scri. vnde nomen accepit. Μύρον enim significat vnguentum, & βάλανος glandem. hanc compositionem docet distichon poëtæ iocantis, & Plini. affirmat. Cortices tamen ab vnguentariis premebantur, nuclei à medicis.

QVOD *nec Virgi. nec Hom.*] i. myrobalanum.

EX *vnguento*] i. myro.

ET *balano*] Nam nec Ho. dixit vnguentum quod est latinum, nec Virgil. balanum, quod est græcum. neuter igitur dixit vnguentum balanum, sed solus Martia. dicebatur autem myrobalanum.

A

Aphronitrum. LVIII.

Matthiolus & Cornar. in Dioscor.

Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicar.
Spuma vocor nitri, dicor & aphronitrū.

DOMITIVS.

RVSTICVS] Aphronitrum componitur ab Aphros, quod significat spumam, & nitrum. nam erat spuma nitri, quæ colligebatur in Asia in specubus, quos collegas appellabant. mittebatur ex Ægypto in vasis picatis, ne liquesceret.

RVSTICVS] Indoctus.

SPVMA *nitri*] i. ita latine vocor cùm literas græcas ignoras, Græcus es.

B APHRONITRVM] Ita codex antiquus habet, vt dicat, Græcus es interrogantis. i. si scis Græcas literas.

APHRONITRVM] i. dicor aphronitrum, quasi dicat, apud Græcum dicor aphronitrum.

Opobalsama. LIX.

Balsama me capiunt, hæc sunt vnguenta virorum,
Delitias Nini vos redolete nurus. v. ninio sed.

C Βάλσαμά μ' ἐγὼ πεφίληκα· τὸ γὰρ μύρον ἀνδρικόν ἐστι.
Τῆς Κοσμοῦ δὲ τρυφῆς ὄζετε θῆλυ γένος.

DOMITIVS.

BALSAMA] Balsamum in sola Iudæa nascitur, vt Theophrastus, Plin. Trogus scribunt. in duobus tantum hortis regis arboris cortex vulneratur, vnde succi manantis gutta colligitur in cornua, lanis abstergentibus, hoc dicitur opobalsamum. simile oleo crassiori durescit, & in rubrum exit colorem miri odoris. huius præstantiam laudat distichon, quam viris conuenire ait, cùm vnguenta Assyria, vt amomum & alia sua mollicie conueniant mulieribus. Menda est in recentioribus codicibus. in veteribus minime. nam cùm scribi oporteat Nini, in versu est Cosmi: cùm non perciperent Ninum hoc loco poni pro vnguento Assyrio. nam balsamum Iudæum est. quidam legunt Hini.

DELITIAS] Vnguenta Assyria, nam Ninus rex fuit Assyriorum.

VOS] Vobis enim conuenit.

Lomentum. LX.

Gratum munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes. v. petas.

Δῶρον ἐρεῖ ἡδὺ λάβοις, ῥυτίδεσσί τε γαστρὸς ἀρωγός
Εἰς βαλανεῖον ἰὼν ἤματι μεσσατίῳ.

DOMITIVS.

GRATVM *munus*] Lomentum è farina fabæ emendandis rugis vteri aptum erat: quo mulieres vtebantur, ne in balneis spectatæ ludibrio essent: suprà,

Lomento rugas vteri quod condere tentas.

SCISSO] Rugoso.

Laterna cornea. LXI.

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Φανὸς ὁδηγὸς ἔχω μὲν φῶς ἔμφρουρον· ἐμῷ δ᾽
Ἐγκαὶ τηρεῖται λυχνίον ἀσφαλέως.

DOMITIVS.

DVX *Laterna*] A latendo est dicta laterna, nam lumen occultat. hæc cornea dum pellucet videtur aurea. inde est distichon.

AVREA] Habens colorem aureum.

CLAVSIS *flam.*] Dum lumen est inclusum.

LVCERNA] Quæ in laterna collocatur.

Laterna ex vesica. LXII.

Cornea si non sum, numquid sum fuscior? aut me
Vesicam contrà qui venit esse [a] *putat?*

[a] v. putet.

Εἰ μὴ ἐκ κεράτων, τί δ᾽ εἰμὶ μελαντέρη; ἤ τις
Κύστιν ἐπερχομένων οἴεται εἰσορᾶν;

DOMITIVS.

CORNEA] Laterna ex vesica.

SVM *fuscior*] Id est, minus luminis habeo, quasi dicat, non.

AVT] i. non putat vesicam, quia videor cornea.

Fistula. LXIII.

Quid me cõpactam ceris, & arundine rides?
Quæ primũ exstructa est fistula, talis erat.

Τίπτε γελᾷς καλάμοις πηκτὴν με, καὶ ἐσθὶ κηρῷ;
Ἡ πρώτη γεγαυῖ᾽ ἔσκεν ὁμοιοπαγής.

Tibiæ. LXIV.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis:
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

Ἡμᾶς αὐλητρὶς φυσᾷ μεθύουσα γνάθοισι·
Καὶ πῆ μὲν διδύμους, πῆ δὲ μόναυλον ἔχει.

DOMITIVS.

EBRIA] Monaulos dicitur vnica tibia, quam Mercurius inuenit, authore Plin. geminis vti docuit Marsias. Idem duas potes sumere & aliquando vnicam. quod disticho poëta docet.

TIBICINA] Mulier.

NOS] Duas. geminarum autem tibiarum certamen propositum est xiiij. olympiade, vt scrib. Pausanias.

Soleæ lanatæ. LXV.

Defuerit si fortè puer, soleasque libebit
Sumere: pro puero proderit ipse sibi.

Mamillare. LXVI.

Taurino poteras pectus constringere tergo:
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

Εὐρέα ταυρείῃ σφίγξαις ἂν στήθεα βύρσῃ·
Οὐ χαδέει πίσκος πτῆθια σοῖο τόδε.

DOMITIVS.

TAVRINO] Mamillare compescendis mamillis indumentum erat inuentum. ex hoc iocatur in mulierem mammosam.

TAVRINO *tergo*] Alludit ad carmen. Vir. simul notat magnitudinem mammillarum,

Muscaria pauonina. LXVII.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Ἡ μυίας σοβέουσα τεῆς ἀπὸ δαιτὸς ἀναιδεῖς,
Ἦν οὐρὴ πλῶνος μυοσόβη γλαφυρῷ.

DOMITIVS.

LAMBERE] Pauon. flabella abigendis muscis inuenta, muscaria dicuntur. ea ex cauda pauonis fiebant, vt & Propertius canit. Argum autem in pauonem conuersum fabula est vulgatum.

EXIMIÆ *alitis*] i. pauonis.

[b] Copta Rhodia. LXVIII.

[b] κοπτοπλακοῦς Athen. lib. 14. cap. 14. Vide Corn. Vitellii Annotationes in Georg. Merulam.& Turn lib. 10 cap. 10.

Peccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptã, quã tibi misit, edat.

Δούλου ἁμαρτόντος μὴ πὺξ τύπτησον ὀδόντας·
Ἣν δὲ Ῥόδος κοπτὴν πέμψεν, ἔδοιτο μόνον.

DOMITIVS. A DOMITIVS.

PECCANTIS] Copta rhodia panis durissimus, qui ex Rhodo mittebatur. Copton item insula in Ægypto sacra Isidi.

COPTAM] Panem durissimum: quæ per antiphrasim dicta est. nam copto significat incido.

GEORGIVS.

PECCANTIS *fa. &c.*] Nimis fatua est hæc enarratio, vt pote quæ ab insulsissimo homine profecta est. siquidem copta genus est placentæ, quæ apud Athenæum legitur κοπτοπλακοῦς. Suidas quoque, ἀμαξίς, εἶδος πλακοῦντος ἢ τὴν κοπτὴν φασίν: genus esse placentæ tradit, quam alij coptam vocitant: de qua intellexit Aristophanes in fabula, quæ inscribitur νεφέλαι, hoc est nebulæ, ὃν ἐπρίω τὸν ὀβολὸν ἔλαβον ἡλιαστικὸν, ὅτ' ἐπρίαμην σοι διασίοις ἀμαξίδα, i. curricula, qualia frequenter pistores dulciarij & faciunt & vendunt ante sacras ædes, festis diebus potissimum.

Priapus siligineus. LXIX.

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum:
Ipse licet rodas inguina, purus eris.

DOMITIVS.

SI *vis esse*] Vtraque inguina ex siligine fiebant apud antiquos, aptissima esui: vt illud supra,

Ipsa siligineis pinguescit adultera cunnis.

Nunc mittitur Priapus siligineus.

ERIS *purus*] Non fellabis. quia hæc inguina sunt siliginea, non vera inguina.

Porcus. LXX.

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

Σοὶ ξυφερὴν τελέσει Κρονίων ὅδε χοῖρος ἑορτήν
Ἀκύλῳ ἐν σιάλοις ἀφρόεσσι τραφείς.

DOMITIVS.

ISTE] Porcus in domesticis tantum suibus dicitur, vnde verbum deduxit Columella porculator pro custode suum, vt à suibus colendis subulcum dixerunt. nunc in saturnalibus factus pinguis in silua inter apros. nam cùm ita fiebant altiles porci gratioris erant saporis, & maioris æstimationis.

BONA *saturnalia*] Lautam mensam saturnalitiam.

Muscarium bubulum. LXXI.

Cauda ad tergendas vestes. Aldus.

Sordida si flauo fuerit tibi puluere vestis,
Colligat hunc tenui verbere cauda leuis.

Αὐσταλέος λιτὴν εἰ χνὺς ἐσθῆτα ῥυπαίνοι,
Κέρκος ἀπο[illegible] τόνδε πτάξει[illegible].

DOMITIVS.

SORDIDA] Cauda bouis in speciem muscarij pauonini excutiendo pulueri delegata erat, quemadmodum pauonis cauda abigendis muscis.

CAVDA *leuis*] Bubula.

TENVI *verbere*] Pulsatione.

Botulus. LXXII.

Qui venit botulus medio tibi tẽpore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

DOMITIVS.

B QVI *venit Botulus*] Initio hyemis conficiebantur farcimina, inter quæ & botulus struebatur, gratus quidem omnibus mensis, sed celebratus præcipuè in saturnalibus dum ex eo corona fieret pulti. supra diminutiuo vsus,

Et pultem niueam premens botellus.

Et Festus Pom. botulum scri. esse farciminis genus. Saturnalia ad xiiij. calen. Ianuar. vno tantum die rudis antiquitas celebrauit, mox in triduum sunt producta, intercalatis diebus à Cæsare, quibus annus persiciebatur, accedente edicto Augusti, qui triduo ea obseruari iussit. Sumebant igitur initium ad xvj. calen. Ianu. desinebantque in xiiij. sed cùm sigillaria, & alia munera mittenda essent interiecta in vij. creuerunt dies, ex quo numero, v. tantum festi habebantur.

MEDIO *tempore brumæ*] i. mediis saturnalibus.

VENERAT] Quia ante factus est initio hyemis.

C

Psittacus. LXXIII.

Psittacus à vobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere, CÆSAR AVE.

Ψιττακὸς οὐνόματα τῶν ἄλλων παρ' ὑμῖν μάθοιμι·
Αὐτόματος ΚΑΙΣΑΡ ΧΑΙΡΕ λέγειν ἐδάην.

DOMITIVS.

PSITTACVS] Psittacus Græcè dicitur ψιττακός. auis Indica effingendi sermonis humani industria celebris. Imperatores salutat, vt Plini. tradit. inde exit distichon.

D CÆSAR *aue*] Nam, vt dixi, imperatores salutat, & hoc in assentationem imperatoris dicitur.

Coruus. LXXIV.

Corue salutator, quare fellator haberis?
In caput intrauit mentula nulla tuum.

DOMITIVS.

CORVE] Coruus sermone exprimendo nulli cedit: nobilitatus olim funere publico quatuor seruis feretrum subeuntibus: sepultus ad secundum lapidẽ in Flaminia: hic erat qui Cæsarem Augustum magna omnium admiratione salutabat. ore concipere

hanc autem putat vulgus inserto maris rostro: quod libidinis genus cùm fellationi simillimum sit, coruus dictus est fellator. Ex hoc iocatur poëta quo pacto fellatio possit videri in coruo esse, cùm nulla inseratur mentula, sed rostrum.

SALVTATOR] Epitheton corui ex historia: nam olim, authore Plin. & Macr. Augustum salutauit. Aue, inquiens, imperator, aue triumphator.

Luscinia. LXXV.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Η Φιλομήλα ἄχος Τηρέος ὀδύρεται ἥ τε
Παρθένος ἦν ἄφωνος, ὄρνεόν ἐστι λάλον.

DOMITIVS.

FLET] Notissima est fabula Prognem in hirundinem conuersam esse & Philomelam sororem, cui Tereus linguam absciderat, in lusciniam. Probus tamen in commentariis bucolicorum secutus quorundam Græcorum fidem scriptum reliquit Philomelam in hirundinem, Prognem in lusciniam fuisse cõuersam, Thucydides aliter. huius auis musicam compluribus verbis laudat Plin. affirmans ei studium tantum esse, vt plerumque ad extremum spiritum certet mutuo cantu, soláque nec die nec nocte vocem intermittat. Augurium dedit suauitati carminis Stesicori poëtæ, in cuius infantis ore cecinit.

TEREOS *incesti*] Qui commisit stuprum cum Philomela. Luscinias Cæsarei iuuenes habuerunt Græco & Latino sermone dociles, præterea meditantes in diem & assidua noua loquentes longiore etiam contextu.

Pica. LXXVI.

Pica loquax certa dominum te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis auem.

Κίττα λάλη προσφημί σ' ἀκριβέι κύριον αὐδῇ·
Φαίης κ', οὐχ ὁρόων μ', ὄρνεον οὐκ ἔμεναι.

DOMITIVS.

PICA] Pica loquacitate sermonis contendit cum superioribus: nec cederet nisi memoria falleretur. Quamuis meditetur assidue tradita verba, adeo ficta difficultate verbi exprimendi plerumque interiit. præstantiam sermonis laudat distichon.

NEGABIS *auem*] Quia putabis esse hominem.

Cauea. LXXVII.

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hîc habitare potes.

A DOMITIVS.

SI *tibi talis*] Virgeæ argenteæ ebori insertæ caueam faciebant, qualem describit Papin.

At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo.

Nunc mittitur exigua, quæ vix passerculum capere posset.

HIC] In cauea eborea.

*Narthecium. LXXVIII.

Artis ebur medicæ narthecia cernis *habere*
Munera, quæ cuperet *Pactius esse sua.*

*Narthecium, medicamẽtaria capsula. Vide nomenclat. Iunij.
*v. habebis.
*Pacchius, forte. meminit Pacchii Antiochi medici & Chirurgi Scribonius Largus.

DOMITIVS.

ARTIS *ebur*] Narthecium genus ferulæ est leuissimæ: vnde Baculi senibus dabantur, excogitatis etiam remediis ex eadem arbore à medicis, quæ quidem venenata habebantur, sed mixtura emendabat veneficium. Narthecium igitur virga medica est.

B EBVR] Dicitur vel à candore, vel quoniam scipiones eburnei fiebant magno precio, vt scrib. Liui. in quorum locum succedit narthecium: alij codices habent, Artis opus, &c.

HABERE *munera, quæ cuperet pactius esse sua*] Laudat præstantiam muneris, cùm dicat Pactium desiderare tale munus: nam Pactius orbus erat temporibus Mart. cui munera mittebantur multa. Iuuen. *Gallita & Pactius*, quasi dicat, ne ipse quidem Pactius, cui multa mittuntur munera, tam præclarum munus habet.

Flagra. LXXIX.

C *Ludite lasciui, sed tantùm ludite serui:*
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Παίζετε νῦν ἱταμοὶ (μόνον ἀλλὰ παίζετε) δοῦλοι·
Σφραγὶς ἔχει μοι ταῦτ' ἤμασι πέντε μόνοις.

DOMITIVS.

LVDITE] Flagris serui cædebantur, sed in Saturnalibus his v. diebus, qui festi habebantur, domini seruis ius omne remittebant. Loquitur nunc dominus depositis flagris.

D SED *tantum ludite*] Abstinete scelere.

SIGNATA] Clausa.

QVINQVE *diebus*] i. in saturnalibus, quibus vobis data est libertas.

Ferulæ. LXXX.

Inuisæ nimium pueris, gratæque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Κλεινὰ Προμηθείῳ πέλομεν ξύλα δῶρα ἴσως τι,
... ἀπεχθέα μὲν, παιδοτρίβαις δὲ φίλα.

DOMITIVS.

INVISÆ] Ferula puerorum magistri vtebantur ad manus cædendas. Columela,

Nec mitis manibus ferulas.

Nobilitatem ferula accepit à furto Promethei, qui ignem de cœlo ferula detulisse dicitur, hanc fabulam primus cecinit Hesiod. in carmine rusticano. historiam tradiderunt alij, quod scil. primus Prometheus docuerit ignem optime ferula seruari: Ægyptia ad id aptissima habebatur. Vtrumque igitur vsum ferulæ distichon ostendit.

PVERIS] Quia cæduntur ferulis.

GRATAQVE *magistris*] Quia his retinent pueros in officio.

LIGNA *clara*] Nobilia.

MVNERE] Furto Promethei: nam ferula surreptum ignem seruauit.

Pera. LXXXI.

Ne mendica feras barbati prandia nudi,
Dormias & tetrico cum cane, pera rogat.

Γυμνοῦ τοῦ λευκήτου πήρη μὴ δόρπον ἀείραις
Δέσποτ᾽, ὁμιλήσαις μήτε κυνὶ στυγερῷ.

DOMITIVS.

NE *mendica*] Philosophi cynici pera, & scipione vtebantur: cùm igitur nunc pera mittatur, rogat ne detur cynico: designans in quem vsum frequenter accipitur.

NVDI *barbati*] i. philosophi cynici qui habebat longam barbam.

CANE *tetrico*] i. cum cynico.

Scopæ. LXXXII.

In pretio scopas testatur palma fuisse:
*Sed pretium scopis nunc * analecta dabunt.*

* De analectis Cælius lib. 11. c. 31. & Iunius in Nomenclatore.

Ὡς πολύτιμον χρῆμα σάρον πάλαι, μάρτυς ὁ φοῖνιξ.
Ἐστὶ κατήργησθαι νῦν δ᾽ ἀνάλεκτα σάρον.

DOMITIVS.

IN *pretio*] Scopæ domus, quæ verrerunt purgamenta ex pauimento. Cic. hic mihi quasi dissipare videtur. Sunt enim ipsa verricula, quæ ex virgis vlmeis aridis fiebant præcepto Catonis ad tergenda vasa, ex palma arbore ad mensarum reliquias vertendas. Palmæ igitur precio scopæ olim erant in æstimatione: inualescente autem luxu, vt ipsæ aiunt, poterunt haberi precio: quia preciosissimas reliquias ciborum verrant.

ANALECTA] Reliquiæ dicuntur, vt in superioribus libris expositum est.

PALMA] Ex qua scil. scopæ olim fiebant: ex tamarice etiam fiebant, vt scribit Plin. Tamarix, inquit, scopis tantum nascitur.

A TESTATVR] Argumento est scopas fuisse in precio.

SED *analecta*] Id est, reliquiæ ciborum quas nunc verrunt.

DABVNT *precium*] i. afferent æstimationem scopis. Ita suorum temporum luxum notat, & apte opponuntur priore versu: *In precio*, & sequenti, *Sed precium*: ita codices antiqui habent: alij habent otia; sed mendosa scriptura, quare in superioribus libris eo loco Analecta quidquid & canes reliquerunt. Ibi aliam sententiam diximus de analectis, quod scil. instrumenta quædam essent ad reliquias colligendas. Placet tamen sentire analecta reliquias esse. Qui otia legendum putant, aiunt hoc disticho pauimentorum luxum à poëta notari, quod scil. cùm pauimenta subtegulanea erant & barbarica dicebantur, scopis euerri poterant. Postea inuenit luxuria alia pauimentorum genera elaborata arte picturæ, quæ euerri non B poterant, sed ex his manu purgamenta colligebantur, vnde & asarota dicta sunt, ab α particula priuatiua, & σαίρω verro: de his locutus est Lucilius poëta:

Ante pauimenta atque emblemata vermiculata:

Et Papinius,

Subierantque nouas asarota figuras.

Faciunt mihi difficilem errorum multitudine confutationem: nam vnde initium sumam, non satis statuere possum: à Plin. hæc de pauimentis verba accipiunt inuersa illa quidem, & plane confusa, partim ignorantia, partim verbis additis, quam Plin. non scripsit, sed quod ad disceptationem nostram pertinet, in eo maxime occupati sunt, vt ostendant asarota non solita esse verri scopis, sed purgari reliquiis manu collectis: propterea inquiunt, Otia erant scopis, quod asarota non verrebant. O vanitatem & verecundiam vestram: Si scopæ iam cessant, nec vllum C præstant vsum, cur mittuntur ab amico. Nullum enim apud hunc poëtam munus mittitur, cuius vsum & commodum non ostendat, præsertim si id exiguũ fuerit, vt scalptorium quod sequitur:

Defendet manus hæc scapulas.

Solet enim poëta cùm parua mittuntur munera, vt ferulæ, scopæ, scalptorium, manuale, & reliqua id genus, ea aliqua vsus commendatione extollere. Accipite quàm arguta sit, & Martial. digna sententia istorum interpretatione: Nam si eos audiemus, ita erit exponendum: Mittimus nunc scopas, quæ olim in precio fuerunt, adeo vt ex palma arbore fierent. Nunc vero cessant, & nullum præstant vsum. Cur ergo mittuntur, boni viri? an vt inter tabulas & signa collocentur? discite tandem aliquando melius & loqui & sentire: pudeatque illud addere, Asarota non solita esse verri, cùm asarota dicta sunt, quod diligenter verrantur: vt apud Papin. docuimus eo loco,

D *Gaudet humus superaque nouis asarota figuris,*

Cùm publicè siluas profiteremur. Non enim asarota ab α particula priuatiua dicuntur, sed ab α particula intentiua, & quæ auget, quod apud Græcos plerumque fit, & σαίρω verro: nam diligentissime verrebantur. Iuuen.

Verre pauimentum, & nitidas ostende columnas.

Plin. de asarotis: Celeberrimus fuit in hoc Zenodotus qui Pergami strauit, quem vocant asarotõ, œcon: & qui reddens rationem quare asarotos dicatur subdit. Quoniam purgamenta cœnę in pauimento quæque euerri solent, veluti relicta. est ne obscura Plin. interpretatio, cur dicantur asarota, quoniam scilicet bene verrantur, vt ipse scrib. Sed iam vos quoque (vt arbitror.) pudet stultitiæ vestræ. Quid ergo ineptius, quàm dicere cœnæ purgamenta manu solita

esse colligi? Quis instruit, quis potuit cernere, vt A serui tanquam canes triclinia lustrarent purgamenta manu colligentes sordidi, & contaminati: vbi hoc vel legistis, vel vidistis vnquam? codices præterea ferme omnes, *Sed precium* habent, non otia: & ita est legendum: nam laudantur scopæ, etiam quod olim fuerint in precio: ait poëta argumento esse quod ex palma arbore nobilissima fiebant, nunc æstimationem accipient à delicatissimis ciborum reliquiis, quas verrunt, & ita, vt proposui, temporum luxus notatur. De Lucilliano versu nihil laboro, quamuis cum quoque male accipiant. Plin. enim non vt de asarotis Lucillium locutum ostendat, hunc versum refert, sed vt pauimenta ante Cimbricum bellum frequentata fuisse demonstret: verba hæc sunt Plin. Frequentia vero pauimenta ante Cimbricum magna gratia animorum indicio est ille Lucillianus versus:

Arte pauimenta atque emblemata vermiculata.

Quem versum Cic. quoque, quod isti ignorabant, B in suo oratore antequam Plin. inseruit. Sed iam satis explosimus eorum leuitatem, & ignorantiam.

Scalptorium. LXXXIII.

Defendet manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Τὸν ὤμων χεὶρ ἥδ᾽ ἀπαλέξεται, εἴ σε δάκνῃ
Ψύλλα δάκῃ· ψύλλης ἤ τι βδελυκτότερον.

DOMITIVS.

DEFENDET] Scalptorium instrumentum erat eburneum in speciem manus confectum, quo pruritus scapularum terebatur, cùm manus eo protendi non possit.

SCAPVLAS] Pruritum scapularum.

SI *quid sordidius*] Id est, pediculus.

Manuale. LXXXIV.

Ne toga barbatos faciat, vel penula libros;
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Αἱ βίβλοι πώγων ἵνα μὴ φύωσι· πινόεν
Πλάκη τῆς χάρταις ἤδε πολυχρονίους.

DOMITIVS.

NE *toga*] Tabulæ erant ex abiete, quibus libri seruabantur, ne vsu attriti fierent pilosi aut sordidi.

HÆC *abies*] Hæc abiena tabula.

BARBATOS] i. pilosos vt supra:

Quæ duro nondum inhorruit mento.

Lectus pauoninus. LXXXV.

Nomina dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Iunonis auis: sed prius Argus erat.

Οὔνομα δῶκε λέχει καλλίπτερον ὄρνεον Ἥρης
Ἐστὶ δὲ νῦν· Ἄργος δ᾽ αὐτὸ πρόσθεν ἔην.

DOMITIVS.

NOMINA *dat*] Tabulæ citreæ erant in magno precio vndatim imitantes oculos pauonum: author est Plinius. vnde mensæ ex his confectæ pauoninæ dicebantur, & Tricliniorum lecti discubitorij pauonini his tabulis operti. Lectos autem acere arbore, aut citro fuisse opertos scrib. Plin. mittitur igitur nunc lectus pauoninus ex fabula pauonis.

NOMINA *dat sponde*] i. lectus accepit nomen à pauone: nam dicitur pauoninus: nam ex tabula citrea pauonina consistit.

Ephippium. LXXXVI.

Stragula succincti, venator sume veredi:
Nam solet à nudo surgere ficus equo.* *Pectus, Aldus.

Στρῶμαθ᾽ ὑποζώσαι, θηρευτά, μάνυχι κοῦφο·
Ἵππος γὰρ σῦκον γυμνὸς ἔφυσε θαμά.

DOMITIVS.

STRAGVLA] Ephippium sella in equo dicitur, nam ἐπὶ significat in: ἵππος, equum.

VEREDI] Equi velocissimi in vsu venatorum: supra,

Parcius vtaris moneo rapiente veredo.

Hic ephippio indiget, cùm sæpe excutiat sessorem nudus.

STRAGVLA] Id est, ephippium: quidquid sternitur stragula sunt. C

SOLET *surgere pectus*] i. excuti sessor.

EQVO *nudo*] Non habente ephippium: vt supra dixit de veredo: Hunc datum esse frangere sæpius sessorem, quàm leporem. Alia scriptura habet *Ficus*: vt dicat ficus solet surgere, quòd sessor sine ephippio ficosus fiat podice attrico dorso equi.

Stibadia. LXXXVII.

Accipe lunata scriptum testudine signum:* *v. signum Cæl. l. 11. c. 18. & Bayf. lib. de Vasculis, & Iunius in Nomenclatore.
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

D Σίγμα σεληνοειδὲς χελωνείῳ λάβ᾽· ὀγδοάδος μέν
Δεξάμενον ἐστίν· ἵκοιθ᾽ ὅστις ἔσοιτο φίλος.

DOMITIVS.

ACCIPE] Stibadium locus erat aptus cœnationi, vt epistola Plinij docet. nunc mittitur triclinium testudineum in speciem stipadij, vbi octo poterant discumbere: de triclinijs factis supra est expositum.

SCRIPTVM] Distinctum & pictum.

SIGMA *octo*] Discumbentes: supra.

Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum. Id est, voca,

LVNATA *testudine*] In speciem lunæ.

VENIAT] Ad octauum vsque.

Gustatorium. LXXXVIII.

Fœmineam nobis cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

DOMITIVS.

FOEMINEAM] Gustatorium mensa erat, vbi gustabant tecti è testudinibus sectis, è quibus & lecti & triclinia operiebantur. quod inuentum est temporibus Neronis. quædam erant testudines terrestres in desertis Libyæ inuentæ, quæ in operibus chersinæ dicebantur, hoc est, terrestres: nam chersos significat terram. Alebantur rore, neque eodem in loco aliud aliquod animal nascebatur. Erant præterea testudines aquaticæ, ex quarum maribus testæ in tegendis lectis aut triclinijs palmam tenebant. loquitur gustatorium ex persona testudinis, affirmans se non constare ex terrestribus testudinibus, qui viliores sunt: sed ex marinis, & ex maribus: nam sunt præstantiores.

FOEMINEAM *cherson*] Testudinem fœmineam.

PRÆDA *mascula*] Mares captæ in mari, non chersinæ.

Mensa citrea. LXXXIX.

Accipe felices, Atlantica munera, siluas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Εὐδαίμον δώρημα, κίτρεις Ατλαντίδος ὕλης
Λάμβανε· δῶρα λαβὼν χρύσεα, ἔλαττον ἔχοις.

DOMITIVS.

ACCIPE] Atlas Mauritaniæ mons citrum arborem producit. vnde mensæ citreæ fiebant tanta taxatione, vt harum sumptum fœminæ viris exprobrarent. Venditæ sunt magno precio ex hæreditate Asinij Pollionis & multorum. in his laus erat, vt media commissura non appareret, sustinebanturque pedibus elephantinis.

SILVAS *felices*] Mensas preciosas ex Atlantea.

MINORA *dabit*] Quasi dicat, hæc dona superant aurea.

Mensa acerna. XC.

Non sum crispa quidem, nec siluæ filia Mauræ;
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Μήτ' ὕλη, μήτ' εἰμι θρόος Μαυρειτίδος ὕλης·
Ἔγνω δαψιλέας καὶ ξύλα δαῖτας ἐμά.

DOMITIVS.

NON] Mensa ex acere arbore cõfecta proximam citreæ dignitatem obtinebat, & cùm citreum desideraretur, succedebant tabulæ acernæ. Mensa igitur A acerna loquens ait se non minus lautis epulis onerari, quàm citrea soleat.

NON *sum crispa*] Id est, non sum citreà crispis venis preciosa, nam citreæ, quæ in vena erant crispæ, magnæ erant taxationis, & Tigrinæ dicebantur, author Plinius.

FILIA] Non sum nata.

SILVÆ *mauræ*] Id est, citri Atlantici, nam Atlas Mauritaniæ est mons.

Dentes eborei. XCI.

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris
An Libycas poßint sustinuisse trabes?

B Σώματ' ἀειρόμενοι ταύρων πελώρια, πῶς οὐ
Καὶ σανίδας Λιβυκὰς ἀρκιοί εἰσι φέρειν;

DOMITIVS.

GRANDIA] Inualescente luxu excogitatum est pedes elephantinos mensis citreis supponere: quod supra repetito carmine poëta sæpe ostendit, & ita exposuimus locum illum in iactabundo, qui in septis volebat omnia coemere, qui poposcerit ebur alte expositum, id est, dentes elephantinos. Plinius hunc luxum detestatur in duodecimo naturalis historiæ: Nondum, inquit, natum erat ius ex eodem ebore, vt C Deorum simulachra aspectarentur, & pedes mensarum. Nunc igitur pedes eburnei ex dentibus elephãtorum confecti habent hoc distichon.

PORTANT] Substinent.

TAVRORVM] Quia tauri iactantur in theatro ab elephantis.

TRABES *Libycas*] Id est, mensas citreas.

*Quincupedal. XCII.

*al. Quincupeda, vt Decempeda

Puncta notis ilex, & acuta cuspide clausa
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

D Κεντητὸν σημείοισι, δοκὴ γλωχῖνι δεθεῖσα
Πεῖνος, ἔλεγξε πυκινῶς ἐργολάβοιο κλοπάς.

DOMITIVS.

PVNCTA] Quincupedal à mensura quinque pedum nomen habet. hoc vtebantur ad parietes ædificatos dimentiendos tanto artificio, vt etiam si redemptor, hoc est, qui susceperat parietem ædificandum, male exædificasset, hoc instrumento deprehenderetur.

ILEX] Pertica ex ilice.

PVNCTA *notis*] Id est, distincta signis mensarum.

CLAVSA *acuta cuspide*] Compacta.

CLAVSA] Munita.

PRODERE] Deprehendere.

NOTIS] Mensura.

FVRTA] Si minus ædificauit.

Pocula archetypa. XCIII.

'v. Doliex. " v. merito, dum facit illa bibis.

Non est ista recens, nec nostri" gloria cæli:
*Primus in his * Mentor, dum facit illa, bibit.*

Οὐ νέον ἔςʼ, οὐδʼ ἡμετέρου κέςροιο πόνημα·
Πῖνε πάλαι Μέντωρ ζῶσδʼ ἐνὶ, τοῦτα ποιῶν.

DOMITIVS.

NON] Pocula archetypa nota sunt huius poëtæ carmine. nam sæpe hoc verbo vsus est: Et nos didicimus ea esse pocula archetypa, quæ antiquissimorum opificum manibus elaborata ferebantur. vnde alia ad exemplum effingerentur. Mentor autem nobilis monumentis antiquorum summam laudem adeptus est argenteis poculis elaborandis.

Nec est gloria nostri cæli.

Id est, non est gloria artifici nostrorum temporum. nam cœlum sculptoris instrumentum est, quasi dicat, hæc pocula non sunt elaborata ad alienũ exemplum, sed ipsa Mentoris artificio elaborata alijs exemplo stant. Sunt enim archetypa, & hæc forma primum in ijs à Mentore edita est.

" "Calices audaces. Turn. l. 30. cap. 26.

"Calices. XCIV.

Non sumus audacis plebeia toreumata vitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Τολμηρῆς ὑέλου δημοτερεπίς εἰμι τόρευμα,
Οὐδʼ ὕλῳ ὕδωρ θερμὸν ἔζλαψαν ἐμῶ.

DOMITIVS.

NON *sumus*] Calices audaces vitrei erant exigui precij ad Circum maximum expositi suis officinis. de his supra extat carmen. Audaces dicti, quòd vasa chrystallina falsa ipsi imitarentur. nunc negant se appellandos esse audaces, cùm plebeij sint, & vitrei & gemmas non habeant, quæ aquis calidis solent vitiari in alijs poculis, supra,

Et nimium calidis non vitiantur aquis.

VITRI] Cùm sumus vitrei.

PLEBEIA *to.*] Vasa tornata plebeia.

FERITVR *aqua ardenti*] i. vitiatur aqua calida, vt alia pocula.

Phiala aurea cælata. XCV.

Quamuis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam meus iste labor.

Εἰ καὶ Καλλαϊκοῦ πέλομαι γλέπνμα μετάλλου,
Καυχῶμαι τέχνῃ, τοῦ Μυὸς οὖσα πόνος.

DOMITIVS.

QVAMVIS] Phiala aurea cælata cum alijs vasis.

A cælaturæ fiebant gemmis aut crustatione aliqua inserta phialæ, celebrantur ex sua tantum materia. erant aureæ, adeo duarum vnciarum phiala à Phitea sculpta incredibili æstimatione venierit. erant autem in emblemate Vlysses & Diomedes palladium surripientes. nunc phiala se anteponit alijs vasis hac vna laude, quod nihil habeat insertum, aut alienum, sed totum emblema ex eius constet materia.

MAGIS *glorior arte*] Id est, maiorem habeo gloriam ex emblemate.

ISTE *la*] Emblema.

MEVS *est*] Ex me.

Calices Vatini. XCVI.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
B *Accipe:" sed nasus longior ille fuit.* Vide Tur. adb. l. 9. c. 24

DOMITIVS.

VILIA] Vatinius Beneuentanus calices conficiebat prominentibus nasis: modo singulis, modo binis, modo quaternis. Iuuen.

Et Beneuentani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor.

Vilia quidem erant vasa: sed Vatinij opificio commendabantur. ex hoc extat distichon.

SVTORIS] Magistri.

NASVS] Illa prudentia, & ars Vatinij: alludit ad nasum. nam Vatinius Sutriniæ alumnus distorti corporis erat temporibus Neronis, vt ex historia Cornelij Taciti propagatum est, quamuis vilia hæc sint, tamen à perito opifice confecta sunt.

LONGIOR *nasus*] Calicis. erat enim nasutus Va-
C tinius, & peritus.

Lances chrysendetæ. XCVII.

Grādia ne viola paruo chrysendeta" mulso: "forte, mullo.
Vt minimum, libras" debet habere duas. "v. dicas.

Μὴ μεγάλα χαίροις τυτθῷ χρυσένδετα πέλαγη·
Ἢ γὰρ δὴ λίτρας ὅμως, ὡς ἐλάχιστον, ἔοι.

DOMITIVS.

GRANDIA *lances*] Chrysendetæ patinæ erant latiores aureæ, quibus pisces in primis gestabantur,
D sed pretiosiores, quales erant mulli.

NE *viola*] Ne affice ignominia.

VT *minimum*] Ad minimum.

Vasa aretina. XCVIII.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

DOMITIVS.

ARETINA] Vasa fictilia ex terra Aretina fiebant magna laude, vt Plin. tradit. Rudis antiquitas fictilibus vtebatur, quod Numa instituisse & docuisse

dicitur. Agathocles Siciliæ rex, cùm ex humili conditione in regiam peruenisset dignitatem, prioris fortunæ non oblitus, fictilibus perpetuo vsus est. Nunc ait poëta Porsena vsum fuisse Aretinis: duo designans, & temporibus Porsenæ hæc in vsum fuisse magna æstimatione, & Aretinos illi pàruisse: erat enim rex Clusinorum in Hetruria. A

TVSCIS] Aretinis.

Bascauda. XCIX.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis:
Sed me iam mauult dicere Roma suam.

Ηκω ἀπὸ ϛικτῶν ξείνη βάσκαυδα Βρεττανῶν·
Ρώμη ἐμὼ δὲ καλεῖ μ' ἐξιδιασαμένη. B

DOMITIVS.

BARBARA] Bascauda vas erat peregrinum: nam Britannia hoc dedit seruato patriæ nomine. Iuuen.

Addas & Bascaudas & mille escalia.

Escalia, id est, escis apta. Picti dicuntur Britanni, quoniam glasti, ea est herba similis plantagini, succo tingebantur, vt horribiliores in bello essent: nam eo nigrescebant in speciem Æthiopum, eorumq; vxores eodem medicamento vtebantur in quibusdam sacris Plutonis.

BARBARA] Vasa peregrina.

PICTIS] Glasto.

SVAM] Quia dicit me Romanam.

Panaca. C.

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potasti testa Rhætica vina mea.

Εἰγ' οὐκ ἀγνοιεῖς πάτρην λογίοιο Κατύλλου,
Εν κεράμοις ἔπιες Ραιτικὸν οἶνον ἐμοῖς.

DOMITIVS.

SI non] Menda est apud Ptolemæum, pro Panacis populis Rhetiæ, Panaris scriptum est: inde mittebàtur vasa vinaria de nomine patriæ Panaca dicta. Rheti autem populi in Italiam vsque supra Veronam & Comum extenduntur: habentque vina, iudicio Virgilij, falerno tantum cedentia. Strab. sententia, certantia cum omnibus: grata Augusto, vt scribit Tranquil.

RHETII] A Rheto duce.

SI non est ignota] Id est, si aliquando fuisti Veronæ.

POTASTI vina Rhætica] Panaca.

MEA testa] Me Panaco vase.

Vide Turneb. lib. 15. cap. 10.

* Boletaria. CI.

Cùm mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu! seruio *** *coliculis.*

* v. Colliculis.

Εἰ κ᾽ ἐγὼ κλῆσιν ἐπώνυμός εἰμι μύκησι·
Πρωτοτόμοις, ὢ πῶ αἶσχος ὑπηρετέω.

DOMITIVS.

CVM mihi boleti] Boletaria vasa condiendis boletis comparata ex forma, sed destinabantur coliculis, qui inter cibaria ganeata numerantur sententia Apicij, qui id docuit temporibus Tiberij: conqueruntur quod cùm nomen habebant à boletis, coliculis seruiant.

PROTOTOMIS coliculis] Id est, teneris, & qui primi succiduntur.

NOMEN tam nobile] Quia dicor boletaria. nam boleti nobilissimi erant. Alibi,

Boletos mittere difficile.

Calices Surrentini. CII.

Accipe non vili calices de puluere natos:
Sed Surrentinæ leue toreuma rotæ.

Οὐ μὴν δημοτικῆς ἐξ ἰλύος, ἀλλὰ κυλίχνας
Τοῦ Σουῤῥεντίνου δέξο τόρνου ἔργον.

DOMITIVS.

ACCIPE] Surrenti in Campania à qua æstimatione terra erat, ex qua vasa confecta cum Aretinis certabant, sed præstabant leuitate. nam leuigabantur.

C NON vili] Non ignobili.

LEVE] Politum rota.

Colum niuarium. CIII.

Setinos, moneo, nostra niue frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Σητίνους κώθωνας ἐμῆς χιόνεσσι δάμαζε·
Ταῖς δ' ὀθόναις οἴνῳ τίγγε χερειοτέρῳ.

DOMITIVS.

SETINOS] Niues seruatæ in penu vina refrigerabant hoc pacto. nam cola, hoc est, sacci niuibus implebantur: per quas effusa vina colabantur gratissimo frigore, hoc est quod supra dixit vina transmissa sacco sollicito: cola autem lautioribus seruiebant, habebanturque maioris precij, nam ex politis viminibus, aut certè panno crassiore constabant. eadem vuis exprimendis erant apta. Vir. D

——Tu spisso vimine qualos,
Colaque prælorum fumosis deripe tectis.

Conficiebantur item sacci ad eundem vsum linteis, sed minore precio. Cola autem dicta sunt à colando. nam inde vina colabantur. Plin. Hi niues, illi glaciem potant, pœnasq; montium in voluptatem vertunt, seruatur algor æstibus, excogitaturque vt alienis mensibus nix algeat.

FRANGE trientes Setinos] Cola vina Setina, hoc est, præstantissimum nullo inferius.

NOSTRA] i. per nostram niuem.

LINA] Hoc est vinum vilius potes colare per A saccos linteos.

Saccus niuarius. CIV.

Attenuare niues norunt & lintea nostra,
Frigidior colo non salit vnda tuo.

Καὶ χιόνας λινοῦ λεπτυνέμεν οἶδεν ὕφος μου.
Ψυχρότερον δ' ὕδωρ οὐ τεὸς ἠθμὸς ἔχει.

DOMITIVS.

ATTENVARE] Saccus niuarius ait se non inferiorem esse colo, quando niuibus suis colatum vinum non sit minus recens quàm manet ex colo niuario.

NOSTRA *lin.*] Panni lintei.

TVO *co.*] Scilicet niuario.

SALIT] Exit.

Vrceoli ministratorij. CV.

Frigida non desit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

DOMITIVS.

FRIGIDA] Vrceoli ministratorij dicebantur, quibus frigida & aqua calida ministrabatur mensæ, cùm vtraque vicissim miscebatur. Monent potaturum, ne nimis morosam temperationem, & misturam disquirat.

LVDERE] Lasciuire.

SITI *mo.*] Difficili, & quæ nulla mensura con- C tenta sit.

Vrceus fictilis. CVI.

Hic tibi donatur panda ruber vrceus ansa:
*Stoicus hoc gelidam Fronto * petebat aquam.*

* v. bibebat.

DOMITIVS.

HIC *tibi do.*] Vrceus fictilis hoc loco commendatur ab opificio, quo vel seuerissimum conuiuam ad sitim aquæ gelidæ quæ luxuriantibus tantum datur, allicere posset.

FRONTO] In Historia est Cor. Taciti, de quo D non loquitur hoc loco: est item in epistola Plinij Secundi laudatus ab arte dicendi.

FRONTO] Tertius stoicus, cuius meminit poëta, quoniam recentiorum temporum erat.

PANDA *an.*] Lata ansa & discreta, vt pandi boues habentes cornua in diuersum tendentia.

STOICVS] Quamuis stoicus esset.

*Calathi. CVII.

* Calathi factorum calices. Virgil. Vina nouum fundam calathis. Et Euseb. l. 2. c. 5. Arnob. l. 5.

Nos Satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

DOMITIVS.

NOS *Satyrus*] Calathi bacchanalibus celebrandis dicati erant calices vinarij. Vir.

Vina nouum fundam calathis aruisia nectar.

Horum vsu nunc gloriatur.

SATYRVS] Comes Bacchi.

BACCHVS] Cuius sacra peragimus.

TIGRIS *ebria*] Quæ vino delectatur.

Calices Saguntini. CVIII.

Quæ non solicitus teneat, seruetque minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

B Οὓς δμῶος οὐ κρατέοι περιστρεφέως, οὔτε φυλάσσοι,
Δέξο Σαγυντίου πλάσμα ἔχου κύλικας.

DOMITIVS.

QVÆ] Saguntum mittebat terram vasis fictilibus aptam, vndè lagæna Saguntina à Iu. dicitur: Saguntinis calicibus conferta pugna: nunc commendantur quod cùm alia pocula tractentur & custodiantur magna sollicitudine: in his nulla cura opus sit. Sunt enim vasa vilia, & si franguntur, aut nullã, aut certe paruam afferunt iacturam. alibi,

Ficta Saguntino cymbia malo luto. Alibi,
Septenaria synthesis Sagunti. Papin.
Vnam mittere synthesim quid horres
Alborum calicum, atque cacaborum.

Calices gemmati. CIX.

Gemmatum Scythicis vt luceat ignibus aurum,
Adspice quot digitos exuit iste calix.

Ὄφρα ἀγλαΐλλοι Σκυθικαῖς χρύσωμα λίθοισι,
Δάκτυλ' ὅρα πόσσους ἀπέδυσεν κύλιξ.

DOMITIVS.

GEMMATVM] Calicibus inserebantur gemmæ, smaragdi in primis, qui Scythici dicuntur, quoniam illinc aduecti cæteris præstant: author est Plin. eo vsque procedente luxu, vt multi gemmas digitis detractas poculis insererent. Iuu.

Nam Virro (vt multi) gemmas ad pocula transfert
A digitis.

IGNIBVS *Scy.*] Id est, smaragdis Scythicis perlucidis.

AVRVM] Id est, poculum aureum.

Ampulla potoria. CX.

Hac licet in gemma, quæ seruat nomina Cosmi,
*Luxuriose bibas, si * foliata sitis.*

* Foliatum quod & nardinum. Plin. l. 13. c. 1.

Ἐξ ὑέλου

Ἐξ ὑέλου τοιώτης, ἢ Κόσμου ἐπώνυμός ἐστι,
Γίνοις κ', εἰ δίψῃς πίονα μαλόβαθρα.

DOMITIVS.

HAC *licet*] Ampulla potoria vnguentis tantum dicata erat, sed in bibendis vsum vsurpata potoriæ cognomen sibi adoptauit. Ex hoc iocatur Poëta: itaque aliquem posse vti ampulla, si quidem potare vnguenta foliata. quæ nardina dicebantur.

COSMI] Vnguentarij.

SI *fi. fo.*] i. vnguentum foliatum optas bibere.

Crystallina. CXI.

B *Frangere dum metuis, frangis crystallina:* "*peccant*
** Securæ nimium, solicitæque manus.*

*peccat. * v. Securæ nimium sollicitaque manu.

Θερμῦσαι δεδιὼς, θραύεις κρυστάλλινα· χεῖρες
Σφάλλεται ἤτε τρέμον, ἤτ' ἀμέριμνος ἄγαν.

DOMITIVS.

FRANGERE] Crystallina ex gelu concreta preciosissima vasa erant: hæc mittebat oriens. Indica cæteris præstabant. nascebantur præterea in Asia ad Alabandam & Drosiam. Xenocrates author est. Vas Crystallinum sextariorum quatuor ex India fuisse allatum. mittuntur nunc monente poëta, quo pacto seruari possint, ne frangantur, vt scilicet seruus, qui C ea tractabit, nec nimium negligat, nec nimium sit sollicitus. nam & non curanti temere excidunt, & à timente sustineri non possunt labantibus manibus.

PECCANT] Sinunt excidere.

Nimbus vitreus. CXII.

Ab Ioue qui veniet miscēda ad pocula, largas
Fundet nimbus aquas: hic" *tibi vina dabit.*

v. quoque.

DOMITIVS.

AB *Ioue*] Nimbus vitreus vas erat, cuius in primo meminimus, vitreum quo spargebatur in theatris crocum vino dulci mistum: supra,

Et calices nimbis hic maduere suis.

D Nomen datum est à nimbo cœlesti, cuius instar odoramenta illa fundebat.

NIMBVS] Cœlestis.

HIC *nimbus*] Hoc vas.

VINA *mi.*] Scilicet croco.

Myrrhina. CXIII.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Conuenit, & melior" *sit sapor inde mero.*

v. fit.

DOMITIVS.

SI *cal. myr.*] Vasa myrrhina constabant ex quodam humore sub terra concreto in varias maculas.

A Parthia & Carmania præsertim hæc vasa suppeditabant. Myrrhina item genus vini erat conditi myrrhæ odore, vt Plaut. in Persa fabula docet. & in Pseudolo, dum dulcia vina recensēt, hæc ait,

Et quid habeant roga, myrrhinam, passum, defrutum, mella.

Nunc de vasis loquitur, quorum colore iocans, ait posse his fieri calidum vinum, nam eorum maculæ ex purpura & lactis colore ignescunt. Odor etiam in his commendatur, authore Plin.

MYRRH.] Vas myrrhinum, eodem verbo vtitur Papin. in Ear. no. *Myrrhasque graues*, i. vasa myrrhina.

FIT *melior*] Quia odor in myrrhinis commendatur.

Patella Cumana. CXIV.

Hanc tibi Cumano rubicundam puluere testam,
Municipem misit casta Sybilla suam.

Σοὶ λοπάδ' ἐκ πηλοῦ ταύτην Κύμηθεν ἐρυθρήν,
Δημότιν ἐξ ἰδίης πέμψε Σίβυλλα πάτρης.

DOMITIVS.

HANC] De patina Cumana hoc scribi existimo: nam cùm patinarum luxuriam multis verbis redarguisset Plinius, addidit Rhegium & Cumas hac nobilitari, hoc est Rheginas, & Cumanas esse in precio: erat autem hæc fictilis.

CASTA] Virginitate nobilis.

MVNICIPEM] E municipio suo Cumano.

Calices vitrei. CXV.

Adspicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dū cupit, ah! quoties perdidit auctor opus.

*Vide Tur. lib. 10. c. 25.

Τοῦ Νείλου σοφίην ὁρᾷς, ᾗ πλείονα προσθεὶς
Πολλάχ' ὁ τεχνίτης ὤλεσεν ἔργον ἑόν!

DOMITIVS.

ADSPICIS] Calices vitrei ex Ægypto aduehebantur elaborati magno opificio: pereuntesque sæpe in medio opere, dum opifex plus industriæ adhibet, vt faciat ornatiores.

INGENIVM *Nili*] Calices ingeniose factos ab Ægyptiis.

PLVRA] Ex artificio.

PERDIDIT] Id est, fregit.

Lagæna niuaria. CXVI.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis,
Quò tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

A

DOMITIVS.

SPOLETINA] Lagæna niuaria aqua ex niuibus expressa magni habebatur precij. apte igitur monet lagæna niuaria, ne aut Spoletino, aut Peligno vino, hoc aquæ genus misceret, sed tantum falerno, & alijs, quorum precio conuenit. Loquitur autem de aqua decocta, quæ niuibus refrigeratur, qualis est apud Iuuen.

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Et Plin. Seruatur algor æstibus, excogitaturque, vt alienis mensibus algeat nix, decoquunt alias quas mox & illas hyemant.

CELLIS *Marsis*] Pelignis.

QVO *tibi*] i. in quem vsum erit tibi.

SPOLETINA] Pessima scil. vina bibis: in quem igitur vsum poscis aquam niueam, quæ præstantissimo tantum vino solet infundi.

NOBILE *frigus aqua decocta*] i. aqua hæc non est in tuum vsum, si aut Pelignum, aut spoletinum bibis, quæ pessima sunt vina, sed bonis adhibenda est. B

Niues. CXVII.

Non potare niuem, sed aquā potare rigentem
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Οὐ χιόνας πίνειν ἀλλ', ἀτὰρ ψυχρὸν τε ὕδωρ
Ἐκ χιόνων πίνειν, δίψος ἔφευρε σοφόν.

DOMITIVS.

NON] Eadem lagæna.

COMMENTA *est*] Inuenit, id est, excogitauit aquam decoctam.

DE *niue*] Refrigeratam ex niue.

Idem. CXVIII.

Massiliæ° fumos miscere niualibus vndis ° v. fumū.
Parce puer, constet ne tibi pluris aqua.

Μασσαλίης καπνοὺς χιονώδεσιν ὕδασι μίσγειν
Φείδεό σοι· ἵνα μὴ πλείονος εἴη ὕδωρ.

DOMITIVS.

MASSILIÆ] Idem argumentum.

VNDIS *niualibus*] Aqua refrigerata ex niue.

PLVRIS *constet*] Quàm tale vinum: quasi dicat, isto vino est hæc aqua preciosior.

Matella fictilis. CXIX.

Dum poscor crepitu digitorum, & verna moratur,
O quoties pellex culcita facta mea est.

Δεσπότιν ψόφῳ αἰτουμένης μ', ἀμβλύνοντος θεράποντος,
Ποσσάκις ἡ στρωμνὴ παλλακὶς ἔπλετ' ἐμοί!

DOMITIVS.

DVM] Matella vas vrinarium, quod à domino poscebatur percussu digitorum: supra,

Digiti crepantis signa nouit eunuchus:
Et delicatæ suscitator vrinæ:

PELLEX] Ab vxore dicitur meretrix viri.

CVLCITRA *pellex*] Fit matellæ, cùm in eius locum perfunditur.

MEA *pellex*] Perfusa est loco meo cùm ego deberem.

Ligula argentea. CXX.

Quamuis me ligulam dicant equitesque, patresque:
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

DOMITIVS.

QVAMVIS] Ligula instrumentum argenteum tractandis aromatis aptum, quod in saturnalibus mittebatur: est item vinculi genus, quo calcei alligabantur, vt Festus scrib. & Pollux apud Græcos. Lingula vero gladius erat à similitudine linguæ dictus, authore Gel. Cùm autem & illud instrumentum argenteum linguæ speciem haberet, lingula dicebatur à Grammaticis contendentibus primitiui rationem seruandam esse, & cùm à lingua lingula diceretur, lingulam esse accipiendum: sed ciuili quadam vsurpatione ligula dicebatur, indoctis grammaticis volentibus analogiam seruare, quasi dicat, in vsu est ligula, in ratione, de qua sunt solliciti grammatici, lingula: sed indocte faciunt, quòd lingulam vsui aduersantes me appellant. C

Cochlearia. CXXI.

Sum cochleis habilis, sed nec minus vtilis ouis:
Numquid scis potius cur cochleare vocer?

DOMITIVS.

SVM] Cochlearia à cochlearum similitudine dicta sunt: nunc interrogat quare dicantur cochlearia, cùm non minus alijs cibis seruiant, quàm cochleis, sed appellata sunt à specie cochlearum, non ab alicuius cibi vsu. Oua autem & cochleæ mensarum initio apponebantur: supra, D

Et cochleas tibi habe, perdere nolo famem.

Anuli. CXXII.

*Antè frequens, sed nunc rarus nos * donat amicus:* * Lege Turneb. lib. 9. cap. 14. v. mittit.
Felix cui comes est non alienus eques.

DOMITIVS.

ANTE] Anuli in vsu equitum erant. Equites autem ante legem Othonis à Domit. renouatam complures erāt multis infra censum equestrem dignitaté occupātibus, sed post legem illam rari facti sunt: nam

pauci poterant se equites ostentare: nam & à consessu in xiv. theatri arcebantur, & nusquam pro equitibus habebantur, qui infra censum erant: supra,

Rarius nunc adhibetur eques.

Equites dicebantur, qui faciebant stipendium equo. hi erant alieni: nam in militiam conducebantur aliena stipe, ad quorum differentiam qui censu & dignitate erant equites, dicebantur equites non alieni, sed sua tantum dignitate & censu equites. Ita locus ille exponatur: vt supra,

Aut quem prosequitur non alienus eques.

Id est, eques diues & censu non conductus militia, qui alieni dicebantur ex historia. Itaque renouatæ legis à Domit. anuli mittuntur hoc disticho.

ANTE] Scil. quàm renouata esset Othonis lex.

FREQVENS] Id est, multi, qui se dicebant equites: supra, *Vt posset domino*, id est, Cæsari, *plaudere iustus eques.*

NVNC] i. post renouatam legem.

RARVS] i. pauci. Nam pauci sunt qui habeant censum equestrem, & anulos mittere possint tanquam equites.

FELIX] Ille potest videri,

Cui eques non alienus comes est:

Nam equites comites erant imperatorum, vt supra, ac si diceret, adeo pauci nunc sunt equites, vt plane felix sit, qui habet equitem comitem magnæ nunc dignitatis.

Dactylotheca. CXXIII.

Sæpe grauis digitis elabitur anulus vnctis:
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Πολλάκι δακτύλιος λιχανοῦ λιπόωντος ὄλισθε·
Τηρήσω δὲ λίθον τὴν σὴν σῷ πίστει ἐμῇ.

DOMITIVS.

SÆPE] Dactylotheca nomen non habet Latinũ, significat autem plures gemmas eodem repositorio collocatas, & repositorium ipsum. id Scaurus Syllæ priuignus primus inuenit. Pomp. dactylothecam Mithridaticam in Capitolio dicauit. nunc loquitur, & vsum sui laudat.

ELABITVR] Effluit.

GRAVIS] Ponderosus.

MEA *fiet*] Mea custodia, quia seruabo gemmam, id est, anulum.

Toga. CXXIV.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

DOMITIVS.

ROMANOS] Versus est Virgil. sed, vt puto, aliter acceptus à poëta, quàm scripserit Virg. Nam ille intelligit per gentem togatam Romanum populum, cùm toga olim Romanorum tantum vestis esset nulla inter eos discretione: postea in vsum venit tantum eorum, qui diuites sequebantur, vnde togati sæpenumero dicti sunt à poëta anteambulones. Gentem A igitur togatam ipse intelligit comites togatos, vt dicat Domitianum, qui patrem cœlo consecrauit, facere, vt Romani sint domini rerum & habeant togatos.

MAGNO *patri*] i. Vespasiano.

ASTRA] i. cœlum.

GENTEM *togatam*] i. comites togatos: vel armá dedit magno patri, quoniam Domit. adhuc puer Capitolium defendit cum Sabino patruo: Tacitus & Suet. authores.

DEDIT *arma*] Suppeditauit præsidium.

MAGNO *patri*] i. Ioui.

Idem. CXXV.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos:
B *Attrita veniet sportula* ° *sæpe toga.* ° v. multi.

DOMITIVS.

SI] Idem est argumentum, quo indicatur vsus togæ, quæ sumebatur ab his, qui diuites salutabant, & eorum comites errabant per vrbem.

SÆPE *sportula veniet*] i. dabitur tibi.

SI *facile est*] i. si facile potes mane surgere. Alibi de salutatione:

Discursus varios, vagumque mane.
Iuuenal. *Sollicitus ne*
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem.

° Endromis. CXXVI.

° Endromide in Gymnasijs induebantur opidentiores.

C *Pauperis est munus, sed non est pauperis vsus:*
Hanc tibi pro togula mittimus endromida.

Εἰ καὶ ἔδωκε πένης, οὐκ ἔστι φόρημα πένητος·
Τὴν δ' ἀντὶ χλαίνης πέμπομεν ἐνδρομίδα.

DOMITIVS.

PAVPERIS] Endromis vestis villosa, quæ in gymnasijs sumebatur ab his qui se exercebant in palæstra. mittebatur è Gallia quamuis nomen esset Lacedæmonium: supra,

Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet.

D Iuuenal.

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma.

Exigui erat precij, licet à diuitibus tantum vsurparetur: nam soli diuites in gymnasijs exerceri solebant.

PAVPERIS *est munus*] Pauperes mittunt.

NON *est vsus pauperis*] Nam soli diuites in Gymnasio exercentur, vnde alibi Gymnasij labores, modo vanos, modo stultos appellat.

Canusinæ Fuscæ. CXXVII.

Hac tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit. gaude: non citò fiet anus.

A

DOMITIVS.

HÆC *tibi*] Lanæ canusinæ, nullo medicamento, suo tantum vellere rutilæ erant, quas erythreas appellabant: imitabantur igitur colorem mulsi, sed cùm erant fuscæ, speciem mulsi mixti præ se ferebant: nunc mittuntur fuscæ, quæ hac vna re possunt commendari, quòd diu eundem retinebunt colorem, nec cito videbuntur attritæ.

SIMILLIMA *mulso turbato*] i. misto & confuso: ita enim subrufum videbatur.

NON *fiet anus*] i. non videbitur attrita.

Bardocucullus. CXXVIII.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum pænula nuper erat. B

DOMITIVS.

GALLIA] Bardocucullus vestis Gallica erat, cuius supra meminit. Hæc cùm & vilis esset, & noua quadam forma consuta, videbatur pænula cercopithecorum: cercopitheci autem simiæ caudatæ sunt.

SANTONES] Populi Galliæ.

PÆNVLA] Vestis.

Canusinæ rufæ. CXXIX.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

DOMITIVS.

ROMA] Canusinæ rufæ, suo, vt diximus, vellere rubebant. sed fuscæ tantum placebant Romanis: rufæ autem Gallis pueris, & militibus. C

FVSCIS *Ro.*] Canusinis fuscis.

Pænula scortea. CXXX.

Ingrediare viam cælo licet vsque sereno,
v. nunqua. *Ad subitas* " *nusquam scortea desit aquas.*

Εἰ καὶ ὁδοιπορέοις ὑπὸ ἐν εὐδίᾳ, οὐκ ἐπιλείποι
Σκύλων εἰς ὄμβρους μανδύη αἰφνιδίους.

DOMITIVS. D

INGREDIARE] Pænula scortea pellibus consuta dicebatur. nam scortea apud antiquos pelles significabant: vnde impudicæ mulieres nomen duxerunt. Vetus est ædilitium edictum, ne quid scorteum, hoc est, ex pellibus templis inferatur. Nefas enim erat aliquid morticinium adesse, vt scrib. Var. Hæc autem arcendis pluuijs sumebantur.

AD *subitas*] i. si subito & repente plueret.

NVSQVAM *desit*] Quin tecum afferas.

Lacernæ " coccineæ. CXXXI.

Coccinæ Conradus Gesnerus mallit.

Si veneto, prasinóue faues, quid coccina sumis?
v. fiant. *Ne* " *fias ista transfuga forte, vide.*

DOMITIVS.

SI *veneto*] De cocco satis in superioribus libris dictum est, cuius color notus est. nunc cùm mittantur lacernæ coccineæ, iocatur poëta amicum monens, vt si aut prasinæ, aut venetæ factionis est: (nam Prasinus & Venetus agitatores suas habebant factiones, quemadmodum alij aurigæ habent: authores sunt Festus & Tranq.) non induatur veste coccinea: hoc autem ait iocans ex colore, nam Prasinus agitatoris nomen, quamuis proprium sit, tamen in Latinum conuersum significat viridem, & venetus color subobscurus erat. Qui igitur induit coccineas, à Prasino & à Veneto discedit.

NE *fias transfuga*] Ne relinquas factiones.

ISTA *forte*] Munere vestis: amplius enim nec Veneti nec Prasini, quorum neutrius colorem habebis.

Pileus. CXXXII.

Si possem, totas cuperem misisse lacernas:
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

Εἴθε ὁλοκλήρους σοὶ ἐπωμίδας ἤθελον πέμψαι·
Νῦν δὲ δίδωμι μόνον κρατὶ κάλυμμα τεῷ.

DOMITIVS.

SI *possem*] Pileum libertatis indicium in saturnalibus, in quibus cùm lacernæ etiam sumerentur: causam affert pauper, quare eas non miserit cum pileo.

MVNERA *capiti*] Pileum.

Lacernæ Bæticæ. CXXXIII.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aëno:
" Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis. v. si;

DOMITIVS.

NON *est*] Lana Bætica, authore Plin. rutila erat, vt canusina: lacernæ ex ea confectæ nunc gloriantur, quòd nullo medicamento sint coloratæ, sed sua tantum natura, in quo præferri volunt Tyrijs, quæ aheno purpure tinguntur.

LANA *mendax*] Tincta.

SIC *placeant*] i. esto, quod placeant, & sint gratę Tyrię suo medicamine.

OVIS] Quia ita eram colorata, vt nunc sum in oue.

TINXIT] Nam in oue ita nata sum.

Fascia pectoralis. CXXXIV.

Fascia, crescentes dominæ compesce papillas,
Vt sit quod " capiat nostra, tegatq; manus. v. faciat.

Σφίγγε κόρης μαστοὺς ὀργῶντας, ταινίη, ὥστε
Καὶ κρύπτειν αὐτοῖς τὴν χέρα, καὶ χαδέειν.

A

DOMITIVS.

FASCIA] Fascia pectoralis compescendis papillis dabatur, ne nimium tumescentes deforme pectus redderent.

NOSTRA *manus*] i. vt papillæ stent intra gratam mensuram, id est, vt manibus comprehendi possint, nam ita sunt gratiores.

Cœnatoria. CXXXV.

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hic opus est pictis accubuisse toris.

DOMITIVS.

NEC] Vestis cœnatoria, quæ intra domum sumebatur ad mensam, suum profitetur vsum. Numero tamen multitudinis & genere neutro, supra dixit, *cœnatoria mittat aduocato*, & hoc loco.

NEC *fora*] Hoc dicit propter vestem quæ forensis dicebatur à foro, vt Cic. scribit, vbi tantum gestabatur. cœnatoria vult præferri forensibus, quia ipsa sunt ad quietem, & otium.

NOBIS *fora*] Vt vestes forenses.

HOC *opus est*] Hoc agimus nos.

PICTIS *toris*] Pauoninis, & cultis triclinijs.

Læna. CXXXVI.

Tempore brumali nō multum léuia prosunt:
Calfaciunt villi pallia ° *vestra mei.* ° v. nostra.

C

Τὰ ψιλὰ χειμεριναῖς ὥραις οὐ χρήσιμα· μαλλοῖς
Ἡμετέροισι τεὸν θέρμεται ἱμάτιον.

DOMITIVS.

TEMPORE] Læna vestis hyemalis apud Græcos chlæna dicta, villos grandiores habebat, & superinduebatur pallijs. sola igitur non poterat frigus arcere, sed pallia superinducta crassitudine villorum calefaciebant.

LEVIA] i. vestes leues: alius codex habet lænia, id est, vestes lænæ.

MEI *villi*] Pallia vestra, quæ subsunt.

Lacernæ albæ. CXXXVII.

D

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus,
Cùm tegit algentes nostra lacerna togas.

DOMITIVS.

AMPHITHEATRALES] Prodibant in spectaculum imperatores comite senatu, & equestri ordine gestantibus omnibus lacernas albas nonnunquam: supra,

Sancto cum duce candidus sederet.

Hunc vsum disticho profitentur lacernæ albæ.

VSVS *amphitheatrales*] Vsus spectaculorum.

Gausapa villosa, vel mantile. CXXXVIII.

*° Nobilius villosa * tegant tibi lintea citrum:* ° Vide Turneb. lib. 9. cap. 24. * v. tegunt.
Orbibus in nostris circulus esse potest.

DOMITIVS.

NOBILIVS] Mantile mappa villior erat, quamuis abusione Virgiliana alicuius videatur authoritatis, qui mantilia pro mappis dixit.

Tonsisque ferunt mantilia villis.

Mappæ autem villosæ citreis mensis ob nobilitatem erant delegatæ: mantile nullum mensæ genus repudiabat, erat enim vile.

B

LINTEA] Panni ex lino quicunque sint. lintea item peculiari significatione in vsu thermarum erant corporibus abstergendis. ea dicebantur lintea teritoria, quòd sordes tererent è corporibus, nunc lintea villosam mappam significat, quæ villorum subtilitate erant in precio.

ORBIBVS *in nostris*] Hoc est in mensis rotundis quas his tegimus: quod dixit propter mensas citreas, quæ rotundæ erant, & orbes Libyci appellatæ sunt à Martiale.

CIRCVLVS] Panis erat mixta farina, caseo, & aqua, quem qui incondite faciebant, lixulæ, & semilixulæ dicebantur: hîc autem accipit circulum pro omni genere rotunditatis ex quouis ligno, cùm mantile dicat circulum etiam sibi satis esse quem tegat, adeò à citreis orbibus abest.

Cuculli Liburnici. CXXXIX.

Iungere nescisti nobis ô stulte lacernas;
Indueras albas, exue ° *callaicas.* ° v. Callainas, rectè, ita veneti coloris vestes Photiō exponit, à Calai gemma, quæ Sapphirum imitatur.

DOMITIVS.

IVNGERE] Liburnicæ lanæ similiores erant pilis, quam velleribus inutiles pexis vestibus, textorum tantum arte commendatæ, vnde togæ textæ tinctæ rufo colore parum cum retinebant inficientes super inductam lacernam. accusat igitur ille, qui liburnicis superinduat albas lacernas, nam rufo colore inficiuntur.

IVNGERE] Superinduere.

CALLAICAS] Rutilas, vel ab auro callaico, quod rutilum est, vel à lanis, quæ rutilæ sunt.

° Vdones Cilicij. CXL. ° Vide Turn. lib. 1. c. 14.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti,
Cinyphio ° *poteris planta latere sinu.* ° poterat.

Τούσδ' οὐ λάχνος ἔδωκε· τράγου δ' ἦν θρίξα δυσώδεα·
Κινύφιος κόλπος πέλμα δύναιτο χαδεῖν.

DOMITIVS.

NON *hos*] Cilicia dicuntur indumenta ex caprinis pilis, contexta à Cilicibus, qui ea primi instituerunt. Vdones verbo peregrino calciamenta sunt. nunc mittuntur, indicatque ex quo genere lanæ constent.

MARITI *olentis*] Hirci.
PLANTA] Pes.
SINV *Ciny.*] Pilis hircinis. nam hirci Cinyphi sunt dicti à Cinypho Africæ flu. ad quem sunt magna copia.

Synthesis. CXLI.

Dũ toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Τηβέννα ἀμφὶ πέντε χρυσείοις ἡμέραις,
Εἵματ᾽ ἐφέσσασθαι ταῦτα δίκαιος ἔοις.

DOMITIVS.

B DVM] Synthesis vestis saturnalitia, nota superioribus libris: in luxum sumpta nonnunquam à Nero. quamuis saturnalia non agerentur, cùm tantum induatur saturnalibus deposita toga, Synthesis item vas fictile: supra.

Septenaria synthesis Sagunti.

Et Papinius,

Vnam mittere synthesim quid horres
Alborum calicum, atque cacaborum.

TVO *iu.*] Sine reprehensione.
PER *quin. lu.*] Id est, in saturnalibus, quæ durabant v. diebus.

*Focale tegmen capitis aurium tenus demissum.

*Focale. CXLII.

C *Si recitaturus dedero tibi fortè libellum,*
Hoc focale tuas asserat auriculas.

DOMITIVS.

SI *recitaturus*] Focale capitis tegmentum erat ad aures promissum, quo recitaturi oratores vtebantur, vt inter strepitus obaudirent actioni intenti: à faucibus dictum. Fabi. Quin. hoc delicatis tantum oratoribus & valetudinarijs permittit, vt eo disticho expositum est:

Quid recitaturus circundas vellera collo?
Conueniunt nostris auribus ista magis.

Ex hoc disticho existit argumentum, vt ostendat focale non conuenire oratoribus, sed audientibus, ne obtundantur: inanem & delicatum nimis vsum focalis designans. D

ASSERAT] Vendicet à strepitu.
LIBELLVM] Meum.

Tunicæ Patauinæ. CXLIII.

Vellera cùm sumãt Patauinæ multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Λαίνεαι πυκνοῦνται πολλοῖς Παταβῖνα τρίμιτα·
Καί κε παχὺν πρίων ἔαθος αὖ αὐτὸ τάμοι.

DOMITIVS.

VELLERA] Tunicæ Patauinæ contextæ multa lana in tantam complebantur crassitudinem, vt per-

A inde ac tabulæ secari posse viderentur. Stra. copiam vestium & pannorum missam fuisse à Patauinis Romam testatur.

TRILICES] Dicuntur triplici litio textæ.
SVMANT] Dum texuntur.
MVLTA *trili.*] Multam lanam.

Spongia. CXLIV.

Hæc tibi sorte datur tergendis spõgia mensis
Vtilis, expresso cùm leuis imbre tumet.

Σπόγγον πὴν δὲ λαχὼν ἀπομάξῃ τάσδε τραπέζας
Οἰδαίνοντας, ὕδωρ ἀσταγὲς ἐκπιέσας.

DOMITIVS.

HÆC] Spongia, Græca dictio est, vnde integram seruauimus appellationem: perfusa aqua mensarum colorem instaurabat tergendo.

SORTE] Muneris.
TVMET] Inflatur aqua: eadem in mundis vasis tergendis erat in vsu: supra,

Damnata spongia virgæ.

Pænula gausapina. CXLV.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Vt me vel media sumere messe velis.

Τοιαύτη χιονή, μαλλῶν χάρις ἐστὶ τοσαύτη,
Ἀσπασίως με θέρους ὥστε μεσοῦντος ἕλοις.

DOMITIVS.

IS *mihi*] Pænulæ seruorum vestes & pauperiorum ex lana Appula optime texebantur. Panni gausapini villosi dicuntur: nam gausape stramentum erat militare, grossioribus pilis. pænulæ igitur gausapinæ, quamuis hyemales essent, æstate tamen poterant delectare, quod supra diximus,

Mense vel Augusto sumere gausapinas.

IS *candor*] Id est, talis candor esset.
MEDIA *messe*] Quamuis sim hyemalis.

Ceruical. CXLVI.

Tinge caput Cosmi folio, ceruical olebit:
Perdidit vnguentum cùm coma, pluma tenet.

Μαλοβάθρῳ Κόσμου χρίσον τρίχα, τὸ λῆν αὖ ὄζοι·
Ὁ γνάφαλος κρατεῖ, θρὶξ ὅτ᾽ ἀφῆκε, μύρον.

DOMITIVS.

TINGE] Ceruical ex plumis refertum sustentandæ ceruici iacentium paratum erat: eratque in vsu tantum delicatorum hominum, iccirco conducuntur apud Iuu. *Ceruical amice clamante.*
Plinius, Vsque eo processisse delitias, vt ne cerui-

ces quidem virorum sine pennis sustineri possint. inde monet eum cui mittitur ceruical, vt tingat caput nardo, tanquam luxuriosum & delicatum hominem. A

Folio *nardi*] Ex quo foliatum vnguentum fiebat.

Plvma] Ceruical.

Tenet] Seruat.

Cubicularia gausapina. CXLVII.

Strágula purpureis lucent villosa tapetis:
v. contegit. *Quid prodest, si te*" *congelat vxor anus?*

Στρωματὰ πορφυρέοις εἶσ' εὐτειχὲς ἀμφιτά-
πησιν·
Εἴ σε καταψύχει γραῦς, τίς ὄνησις ἂν ᾖ;

DOMITIVS.

Stragvla] Cubicularia stragula erant cubiculi.

Gavsapina] Id est, villosa, vt supra exposuimus. Iocatur in eum qui habet vxorem anum. Etenim nihil possunt calore suo prodesse, cùm proxima vxore congelatur.

Stragvla *villosa*] Cubicularia.

Tapetis *purpureis*] Instar tapetorum.

Congelat *vxor*] Quasi dicat, & si villosa sumus, nihil prosumus tibi ad calorem.

Lodices. CXLVIII.

Nudo stragula ne toro paterent,
Iunctæ nos tibi venimus sorores.

Ὡς μὴ στρώματα δεμνίων ὁρῷτο
Γυμνῶν, σύζυγε σοι δύο πάρεσμεν.

DOMITIVS.

Nvdo] Lodicibus totus lecti apparatus contegebatur. erant autem geminæ in opertorium coeuntes. hunc vsum ex se docent.

Nos] Lodices.

Toro *nudo*] Id est, lecto non operto à nobis.

Stragvla *essent nuda*] Nisi nos essemus quæ ea tegimus.

'Amictorium. CXLIX.

' Amictoriũ puellare præcinctum è tenuissima sindone.

Mammosas metuo: teneræ me trade puellæ,
Vt possint niueo pectore lina frui.

DOMITIVS.

Mammosas] Amictorium indumentum erat pectoris dormienti, ne temere iactatus nocturno frigore offenderetur: erat autem ex lino, mulieribúsque maxime in vsu. Rogat nunc amictorium, vt tradatur potius puellæ, quàm mammosæ.

Lina] Id est, ego linteum amict.

Niveo *pe.*] Scilicet puellæ.

Cubicularia polymita. CL.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco iam Babylonis acus.

Μεμφῖτις γαίη τάδε σοὶ δωρήσατο· νικᾷ
Ἡ Νείλου βελόνη τὴν Βαβυλῶνος ὑφήν.

DOMITIVS.

Hæc *tibi*] Polymita dicebantur multis liciis contexta, quæ Alexandrini primi inuenerunt. author est Plinius in viij. natu. historiæ. tanta autem arte exercebantur, vt maiore ferme industria singula in his di-
B stinguerentur, quã Babylonia acu possent. nam Babylonii acu vestes intexere cœperunt, quamuis Home. hoc texturæ genus tribuat Helenæ, quàm introduxit intexentem varia certamina Troia ruente.

Memphitis] Martia. Memphiticam tellurem dixit, cùm alij hoc de Alexandria scribant: sed tamen Alexandria in Ægypto est, vt Memphiticam exponas, id est, Ægyptiam.

Victa *est*] Superata est.

Niliaco] Ægyptio.

Zona. CLI.

Longa satis nunc sum: dulci sed pondere venter
C *Si tumeat, fiam tunc tibi Zona breuis.*

Νῦν ἱκανῶς μὲν μακρόν· ἀτὰρ τῆς γαστρὸς ἐς
ὄγκον
Αὐξομένης, ἔσομαι ζῶμά σοι αὐτὰ βραχύ.

DOMITIVS.

Longa] Zona puellæ datur monens se tamdiu fore vtilem ad cingendum, quo ad venter non intumuerit. placet hoc referas ad puellam: potius exponens, *Dulci pondere*, id est, fœtu, quàm ad omnes: exponens dulci pondere, hoc est, gulæ voluptate,
D quæ ciborum suauitate capta, pondus immittit ventri.

Gausape quadratum. CLII.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos" *Helicaonia de regione sumus.* v. Lycaonia.

Στρώματα μὲν πέμψει λογίου σοι γαῖα Κα-
τύλλου·
Ἡμεῖς δ' ἐσμὲν ἄρ' ἐξ Ἑλικαονίων.

DOMITIVS.

Lodices] Gausape stramentum erat, vt diximus, militare grossioris villi, quadratum dictum à

forma, vt ego arbitror. nam & Fenestela scribit, A Triclinia se puero quadrata & compacta aut acere operta, ac cedro cœpisse. erat autem hoc gausape pauperiorum: cùm lodices stragulis in eundem vsum lautioribus seruirent. Helycaonia, id est, Patauina. nam Lycaonia finitima Pamphyliæ socios dedit Antenori, qui Patauium condidit: dicta olim Helycaonia ab Helycaone rege, sed postea Lycaoniam, Stra. Plin. & Pto. dixerunt. supra.

Si prior Euganeas clemens Elicaonis ad oras.

TERRA *Cat.*] Verona.

Semicinctium. CLIII.

* v. locuples. *Det tunicã* diues: ego te præcingere possum:*
** v. diues. *Essem si** locuples, munus vtrumq; darem.* B

Πλούσιος εἵματα δοίη, ὑποζώσαιμι δέ γ' ἐγώ σε·
Εὔπορος ὢν αὖ ἔδων δῶρά κεν ἀμφότερα.

DOMITIVS.

DET *tunicam*] Semecinctium. compositione declarat quid sit, nam medium cingebat hominem tunica demissum.

VTRVMQVE] Togam & semicinctum.

Lanæ amethystinæ. CIV.

Ebria Sidoniæ cùm sim de sanguine conchæ, C
* ἀμέθυστος enim sobriũ sonat. *Non video quare* sobria lana vocer.*

Σιδονίης πορφυρέῃ μεμεθυσμένον αἵματι κόγχου,
Εἴρεον αὐδῶμαι τίπτ' ἀμέθυστον ἐγώ;

DOMITIVS.

EBRIA] Color in lanis amethystinis dictus est à colore lapidis amethysti. Amethystus autem à particula α priuatiua, & methystus, quod significat ebrius, dicitur. ex ratione nominis iocatur. cùm sint ebriatæ purpura Laconica, quærunt quare amethystinæ dicantur, quasi non ebriæ, sed vt diximus, appellationem sortitæ sunt à lapide, non à nominis deriuatione. Tinctæ purpura Tyria Tyriæ amethystinæ dicebantur, & ita puto oportere scribi lemma lanæ Tyriæ amethystinæ. D

LANA *sobria*] Id est, amethystina.

Lanæ albæ. CLV.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ouis.

DOMITIVS.

VELLERIBVS] Lanæ albæ candore certabant. Plin. & Var. ita distinguentibus, vt Apulicam omnibus anteferrent: secundam palmam darent lanæ, quæ Græci pecoris in Italia dicebantur: tertiam Milesiæ. Mart. hoc disticho alium seruat palmæ ordinem.

PARMA] Oppidum Galliæ Cisalpinæ.

TERTIA *ouis*] Tertia palma lanarum.

ALTINVM] Non procul à Taurisio erat nobile oppidum.

Lanæ Tyriæ. CLVI.

Nos Lacedæmoniæ pastor donauit amicæ:
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Ἡμᾶς δῶρα φίλῃ ποιμὴν ἐπέδωκε Λακαίνῃ·
Πορφύρη τῶ Λήδας μητρὸς ἀτιμοτέρη.

DOMITIVS.

NOS] Purpura Tyria cæteris anteferebatur, quãuis Laconica suum etiam locum vindicaret. Gloriantur igitur lanæ Tyriæ, se in Laconia quoque vbi purpura est, habitas fuisse pretiosi muneris: quod argutè dicunt, dum aiunt se à Paride donatas fuisse Helenæ, & purpuram Ledæ, hoc est, purpuram Laconicam fuisse deteriorem.

PASTOR] Paris.

AMICÆ] Helenæ.

DETERIOR] Nobis.

Lanæ Polentinæ. CLVII.

Non tantùm pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Εἴρια οὐ μοῦνον φαιῇ πενθήρεα λάχνῃ·
Ἀλλ' ἰδίας κύλικας γαῖα καὶ ἥδε φέρει.

DOMITIVS.

NON] Polentia oppidum ad alpes, quod & Potentia dicebatur: nigris lanis ferax,

Nigrique ferax Polentia villi.

In Hispania esse Polentiam scribunt Plin. & Stra. vnde & lanæ mittuntur, & calices fictiles, quemadmodum ex eadem prouincia Saguntini & Astei. Duplici igitur munere laudatur nunc Polentia, lanis scilicet. & calicibus.

PVLLO *vellere*] Lana nigra.

Idem. CLVIII.

Lana quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.* * v. Vetat.

Λείως μὲν στυγνόν· δούλοις δ' ἢ κρεῖσσον ἀρνειός,
Οἵους δ' οὐ πρώτους οὐδὲ τράπεζα καλεῖν.

DOMITIVS.

LANA] Idem indicat lana Polentina se vestibus seruilibus aptam esse, his præsertim seruis, qui deformes sunt.

TRISTIS] Fusca.

TONSIS *ministris*] Deformibus.

MENSA] Officium mensæ.

Tomentum [a] Lingonicum. CLIX.

[a] v. Leuconicum.

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ?
Vellera [b] Lingonicis accipe rasa sagis.

[b] v. Leuconicis.

DOMITIVS.

OPPRESSÆ] Tomentum farcimen erat culcitrarum ex quauis re. Tomentum autem Lac. erat farcimen ex pilis & lana panno detonsa è Lingonia regione. Tomentum à τέμνω, quod est incido. nam quicquid in farcimen inciditur tomentum est. Caduci Galliæ populi in tomentis culcitrarum ex suo lino palmam obtinebant. Varro sagum aut tomentum in culcitra solitum inculcari ferì.

FASCIA] Vt author est Porphyrio, lecti sustinebantur, & Cic. refert, ad coniectorem, quendam somniasse se ouum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. Cùm igitur lectus erat plenus, pluma ob tenuitatem facile opprimebatur ad fasciam vsq;. Tomentum igitur Lingonicum meliorem potest præstare vsum, quando ita lectum implet, vt fascia non sentiatur.

RASA] Id est, detonsa.

SAGIS *Lingonicis*] Ex sagis detonsa.

Tomentum Circense. CLX.

[a] Vide Turn. lib. 9. c. 24.
[b] v. Leuconico. Culcitra tomẽto vel Circensi, id est, Plebeio, vel Leuconico sumptuoso & nobili farciebãtur, quod à candoris præstantia nomen accepisse videtur.

[a] Tomentum concisa palus Circense vocatur:
Hæc pro [b] Lingonico stramina pauper emit.

DOMITIVS.

C TOMENTVM] Tomentum Circense erat è stramine grossiore, quod legebatur in palude Circensi. nam Circæi olim paludem habebant. antiquitas in lectis stramento vtebatur, authores sunt Varro & Plinius: sed inualescente luxu ad tomentum Lingonicum peruentum est, cùm tantum pauperes stramento vterentur.

CONCISA] Nam arundines palustres ad farcimen conciduntur, vnde & ipsæ tomentum sunt. Plinius de arundinibus, Aut enim pro pluma strata cauponarum replet, aut vbi limosiore callo induruit, &c.

PRO *Lingonico*] Non enim potest Lingonicum emere.

Pluma. CLXI.

Lassus Amyclæa poteris requiescere pluma,
Interior cygni quam tibi lana dedit.

Τῷ ἐν Ἀμυκλαίᾳ κεκμηὼς ἀναπαύε γναφάλῳ,
Ἐνδότερος κύκνου τὸν σοὶ δῶκε χνόος.

DOMITIVS.

LASSVS] Pluma cygni tantis delitiis lectum implet, vt non alia vti dicatur Venus. hæc nobilissima est, præsertim quæ supereminentibus pennis subest.

INTERIOR *lana*] Id est, interior pluma cygni,

A quæ lana videtur.

PLVMA *Amyclæa*] Id est, pluma cygni Amyclæi: nam cygni assiduo epitheto Amyclæi dicuntur. Papinius, *Amyclaos ad frena citauit olores.*

Fœnum. CLXII.

Fraudata tumeat fragilis tibi culcitra pluma
Non venit ad duros pallida cura toros.

Ὀλλυμένου χλαῖν στρωμνὴ γναφάλοιο σεσάχθω·
Οὐκ ἐς σκληρὰ μολεῖν οἶδε μέριμνα λέχη.

DOMITIVS.

B FRAVDATA] Et fœno pro tomento vtebantur pauperiores, qui hac vna re lætari possunt, quòd nulla ambitionis cura torquentur. ex hoc fœnum se anteponit plumæ, quando quietem præbet sine vlla cura.

TVMEAT *tibi*] Impleatur à te.

FRAVDATA *pluma*] Exclusa pluma.

PALLIDA] Quæ facit homines pallidos.

DVROS *toros*] Id est, fœno repletos.

Tintinnabulum. CLXIII.

Redde pilam: [a] sonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

[a] Hadrianus Iunius Aduers. lib. 3. cap. 11. Vide Turn. li. 7. cap. 4.

DOMITIVS.

REDDE] Tintinnabulum instrumentum erat quo è gymnasio lauaturi reuocabantur ad thermas paulopost claudendas. monetur igitur is qui in Gymnasio est, vt si lauari vult, sonante tintinnabulo lauari properet. nam paulopost non erit lauandi locus clausis thermis, oportebitque lauari aqua frigida, si quidem lauari volet.

REDDE *pilam*] Id est, depone pilam. supra, *Si nescis rustice redde pilam.*

ÆS] Tintinnabulum.

SOLA *virgine*] Solis aquis Virginis, siquidem pergis ludere.

Discus. CLXIV.

D *Splendida cùm volitent Spartani pondera disci,*
Este procul pueri: sit semel ille nocens.

Δίσκου Ἀμυκλαίοιο δίνη ἐερ ῥιπτομένοιο,
(Εἴη ἅπαξ ἔνοχος) τηλόθι στῆτε, κόροι.

DOMITIVS.

SPLEND.] Discus ludus, quo pueri Græci in gymnasio exercebantur: numeratus inter quinq; exercitationes, iactabatur autem massa plumbea alutæ iuncta, in qua referenda & periculum erat, & apparebat ars, vt Pindari interpres docet. hoc genere lu-

di Hiacynthus à Phœbo est necatus.

DISCI *Spartani*] Laconici.

VOLITENT] Iactantur.

SEMEL *nocens*] Satis sit quòd semel interfecerit Hyacinthum Spartanum.

Cithara. CLXV.

Reddidit Eurydicen vati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Τἀνδρὶ μὲν Εὐρυδίκην ἀπέδωκεν· ἀπώλεσε δ' αὐτὸς
Αὐτῷ ἀπιστήσας, ἐκμανέως τ' ἐρῶν.

DOMITIVS.

B REDDIDIT] Cithara inuenta ab Orpheo Euridicen vxorem ab inferis impetrauit, sed data lege ne respiceret sequentem. amoris impatiens respiciendo eam amisit.

SIBI *ipsi*] Non fidebat sibi.

Idem. CLXVI.

De Pompeiano *sæpe est eiecta theatro,*
Quæ duxit siluas, detinuitque feras.

Πολλάκις ἐκβλήθη τῦ Πομπηίοιο θεάτρου
Ἡ ἀγαγοῦσ' ὕλην, θῆρας ἐφεξαμένη.

C

DOMITIVS.

DE *Pompeiano*] In Pompeiano theatro Orpheus recitatus est, repræsentatis siluis & feris, quæ sono allicerentur: supra extat de hoc epigramma.

Plectra. CLXVII.

Feruida ne trito tibi pollice " *pustula surgat:* Lege Turneb. lib. 9. cap. 14. & l. 14. cap. 2. "v. pustula, quæ & pusula. Vide Iunij Nomenclat. Pulsula legit Domitius, & pro ima chorda accipit, sine authore tamen.
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Θλιβομένων λιχάνων ἵνα μή σοι φλυκτὶς ὀρούσῃ,
Λιγέα καλλύνωσιν πλῆκτρα ἠθοῖτο λύρῃ.

D

DOMITIVS.

FERVIDA] Plectrum instrumentum, quo fides plectuntur, hoc est, percutiuntur.

PVSTVLA] Vt alij codices habent pulsula, citharæ fides est, quæ ex imo acutiorem sonum reddit: hæc facile frangitur, si percutitur digito: cùm & digitus ipse teratur, vtrumque incommodum vitatur, si adhibetur plectrum.

GARRVLA] Resonantia, calefacta percussione si vis legere pustula, intellige pustulam nasci in digito, si fidem pulsat sine plectro, calumniator pulsulam nusquam reperiri contendit: accipe bone vir alteram sententiam si prior non placet. nam ea de causa vtranque diximus, vt si minus altera placeret, probares alteram: pulsulam legi posse, & dictionis A ratio & antiqui codicis scriptura suadet: nam pulsula illa in imo fides dicitur, quoniam maxime pulsatur præter cæteras: ita codices antiqui habent, & cùm Mart. alia finxerit verba, hoc quoque potuit deriuare: sed id non laboro magnopere: nam cùm vtranque dixerim sententiam, alteram & ego non ignoraui, & tu probare debuisti.

Trochus. CLXVIII.

Inducenda rota est: das nobis vtile munus.
Iste trochus pueris, at mihi " *cantus erit.* "al. Canthus

DOMITIVS.

INDVCENDA] Trochus ferrum rotundum est instar rotæ, quod terræ infixum pilas ligneas admittit, vertitúrque dum tangitur. canthus, ferrum significat, quo rotæ vinciuntur, author est Fabi. Quint. Trochus itaque pueris potest esse ludus, grandioribus canthus ad vsum rotæ vinciendæ: nam in cantho vertitur. Alij cantus, id est, harmoniam dixerunt, quod placet.

ROTA *est*] i. trochus dandus.

CANTHVS] Alludit ad illud ferrum rotæ vinciendæ.

ANVLVS] Trochus.

Idem. CLXIX.

Garrulus in laxo cur anulus orbe vagatur,
Cedat vt argutis obuia turba trochis?

Τίπτε κρίκος κύκλῳ ψοφέων περιρέμβεται; ἆρα
Ὥστε τροχοῖς εἴκειν ὄχλον ἐπερχόμενον;

DOMITIVS.

GARRVLVS] Resonans.

VAGATVR] Flectitur.

TVRBA *ob.*] Hominum.

Signum victoriæ. CLXX.

" *Hæc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus* "Hoc Plin. lib. 34. ca. 8.
Vera dedit: decies adde Falerna puer.

Ἡ δ' αὐτῷ κλήρου ἄτερ ἦλθ', ᾧ Ῥῆνος ἔδωκε
Οὔνομ' ἐδὸν· δεκάκις, χεῦε, καὶ οἰνοχόει.

DOMITIVS.

HOC *illi*] Signa fictilia in saturnalibus mittebantur veteri instituto. siue vt in monumentis est Epicardi, authore Macro. quoniam Hercules ex ponte Sublicio hominum simulachra pro numero sociorum amissorum deiecit, vt nudi in patriam veherentur: siue quod Pelasgi eadem simulachra instituerint pro hominibus, qui olim Saturno mactabantur, redigentes crudele sacrum ad mitiorem ritum. cùm

reliqua munera dentur sorte, signum, inquit, Victoriæ Germanico extra sortem dandum est, cùm toties pop. Rom. victoriam pepererit hoc signum Victoriæ. A

DECIES] Pro numero literarum.

GERMANICI] i. decem cyathos in hilaritatem: satis supra.

Βρούτου παιδίον. CLXXI.

Gloria tam parui non est obscura sigilli:
Istius pueri Brutus amator erat.

Δείκελον, ὅ, ῥ' ὀργίας, οὐκ ἀκλεὲς ἔπλετο, καὶ τὸ
Τοσσάτιχον ὄν· τούτου Βροῦτος ἐραστὴ κόρου. B

DOMITIVS.

GLORIA] Lemma βρούτου παιδίον, i. Bruti pusio: nam Brutus ille qui in Philippicis occubuit puerum amando ei cognomen dedit, quem Apollodorus cognomine insanus æneum fecit, vt scribit Plin. nunc idem est fictilis.

SIGILLI] Statuæ.

OBSCVRA] Incognita.

[a] Sauroctonos Corinthius. CLXXII.

[a] Plin. li. 34. cap. 8. Fecit & puberem subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant.

Ad te reptanti puer insidiose lacerta
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Φείδεο τῆς σαύρης ἑρπούσης πρός σε, δολόφρων
Κοῦρε, χερῶν θανέειν σῶν ὑπὸ γλιχομένης.

DOMITIVS.

AD te] Sauronytius, Sauroctonos: σαῦρος Græcè, Latine significat lacertam, νύσσω significat vulnero. Sauronytius igitur erat puer ære expressus obseruans lacertam obreptantem, vt vulneraret.

CORINTHIVS] i. ex ære Corinthio fabricatus.

CVPIT *perire*] Videtur velle mori. D

[a] Hyacinthus in tabula pictus. CLXXIII.

[a] De Hyacinthi tabula, Plin. lib. 35. cap. 8.

Flectit ab inuiso morientia lumina disco
Oebalius, Phœbi culpa dolórque, puer.

Δίσκου ἀπ' ἐχθοδοποῦ θνήσκοντας ἀποστρέφει ὄσσους
Οἰβάλιος, Φοίβου πένθος, ἔρως τε, κόρος.

DOMITIVS.

FLECTIT] Hyacinthus puer pictus moribundus ex vulnere disci.

[a] Hermaphroditus marmoreus. CLXXIV.

[a] Plin. lib. 4. cap. 8.

Masculus intrauit fontes: emersit vtrumque.
Pars est vna patris: cetera matris habet.

Ἄρρην εἰσῆλθε κρήνην· ἐξῆλθε τὸ δισσόν.
Ἓν μέρος ἐστὶ πατρὸς, θἄτερα μητρὸς ἔχει.

DOMITIVS.

MASCVLVS] Hermaphroditus marmoreus.

FONTES] Salmacidis.

VTRVMQVE] Fœminam & virum.

PATRIS] Mercurij.

MATRIS] Veneris.

Danaë picta. CLXXV.

[a] Cur à te pretium Danaë, regnator Olympi,
Accepit, gratis [b] si tibi Leda dedit?

[a] Plin. lib. 35. cap. 1. v. Seruasse
[b] v. Sed.

Τίπτε, θεῶν βασιλεῦ, Δανάη σ' ἐπεδέξατο μισθὸν,
Τῆς Λήδας, Ζεῦ, σοὶ προῖκα χαριζομένης;

DOMITIVS.

CVR] Danaë picta corrupta auro à Ioue. C

SI *Leda*] Quæ erat pulchrior.

DEDIT *gratis*] Sine precio: *cur accepit Danaë precium à te*, quasi dicat, non debuit.

Persona Germanica. CLXXVI.

Sum figuli lusus [a] Rufi persona Bataui.
Quæ tu derides, hæc [b] timet ora pater.

[a] v. Rufi.
[b] Puer ora timet, Aldus.

Πλάστου παίγμα πρόσωπον ἐγὼ Ῥούσοιο Βαταύου
Εἰμί· γέλως μὲν σοὶ, παιδαρίοις δὲ φόβος.

DOMITIVS.

SVM] Signum erat captiui Germani fictile.

BATAVI] Populi qui incolunt Rhenum domiti à Domitiano.

LVSVS] Lasciui ingenij figuli, qui ludens me ita effinxit.

PATER] Dom.

TIMET] Nam Bataui hostes fuerant Dom. Alij sic legunt hoc vltimum carmen, *hæc puer ora timet.*

[a] Hercules corinthius. CLXXVII.

[a] Plin. l. 35. cap. 9. Et Hercules infans dracones strangulans.

Elidit geminos infans, nec respicit angues.
Iam poterat teneras hydra timere manus.

A

Θλίβεσκ' ὄφεις διδύμους, οὐτ' εἰσιδε νήπιος· ἤδη
Καὶ παῖδας Ὕδρη δείδιεν αὖ παλάμῃ.

DOMITIVS.

ELIDIT] Hercules Corinthius, id est, ex ære Corinthio expressus, in cunis necat angues, ex histor. fabulosa. inde poëta ludit disticho.

RESPICIT] Non auertit vultum.

HYDRA] Quæ ab adulto fuit domita.

IAM] Cùm videret id à puero fieri.

*Hercules fictilis. CLXXVIII.

*Plin.lib.35 cap.12 Herculem qui hodiéque materiæ nomen in vrbe retinet.

Sum fragilis: sed tu moneo ne sperne sigillum.
Non pudet Alciden nomen habere meum. B

Γηϊνός εἰμι· σὺ δ' οὐκ ἀθετοῦ βραχὺ δείκελον· οὐ γάρ
Αἴδεται Ἀλκαΐδης οὔνομα τοὐμὸν ἔχων.

DOMITIVS.

SVM] Turianus à Fregellis accitus est à Tarquino rege, Iouis effigiem fecit in Capitolio, & Herculem fictilem, qui perpetuo cognomine dictus est Hercules fictilis. hoc igitur signum Herculis, quod nunc mittitur, cùm fictile sit, hoc gloriatur, quòd Hercules habebat suum cognomen, quod dicatur in vrbe Hercules fictilis.

SIGILLVM] Paruum signum.

MEVM *nomen*] Appellari fictilem.

C

Minerua argentea. CLXXIX.

Dic mihi virgo ferox, cùm sit tibi caßis & hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Εἰπέ, κόρη ζυγῶπι, κυνῆν φορέουσα, καὶ ἔγχος,
Πῶς οὐ βαστάζεις αἰγίδα; Καῖσαρ ἔχει.

DOMITIVS.

D

DIC *mihi*] Palladis clipeus quem ægidem appellabant, imaginibus Dom. additus est: inde Palladis imagines sine ægide formabantur: hoc autem erat familiaritatis indicium cum numine quod imperator precipue coluit: mittitur nunc imago Mineruæ argentea.

CÆSAR *habet*] Respondet Pallas: datam ante ægidem Dom. supra indicauit Martial.

Accipe belligeræ crudum toraca Mineruæ.

*Europa picta. CLXXX.

*Plin li.35. cap. 10.

Mutari melius *tauro pater optime diuum*
Tunc poteras, *Io cùm tibi vacca fuit.*

*v. auro. *v. ludo.

Ὤφελες, ἀθανάτων γενέτωρ, ἐς ταῦρον ἀμείψασθαι,
Τῆς Ἰοῦς εἰς βοῦν τότε ποτ' ἀμειβομένης.

DOMITIVS.

MVTARI] Hanc Iuppiter taurus traiecit in Cretam. Argute, inquit poëta, tunc oportuisse Iouem mutari in taurum, cùm Io, quam amabat, versa est in bouem, fefellisset enim custodem, & iniisset bouem.

Leander marmoreus. CLXXXI.

Clamabat tumidis audax Leander in vndis,
Mergite me fluctus, cùm rediturus ero.

Καρτερόφρων ἐβόα Λείανδρος ἐν οἴδμασι μέσσοις,
Κλύζετε με, κῦμα, δόμονδ' ἂψ ἀπονισσόμενον.

DOMITIVS.

CLAMABAT] Nota fabula in freto Sestiaco: cùm ad Hero puellam nataret, mersus est: quæ mors ob eam causam ei fuit acerba, quòd ante optatum puellæ amplexum moreretur.

AVDAX] Qui se commisit aquis natatu.

Sigillum *Giberij fictile. CLXXXII.

*Quid si legas, Sigeri, transposita litera? memoratur enim à Dione Nicæo Sigerus Domitiani Cubicularius, his verbis. ὁ πρωτεύων ἐν τῇ κοιτωνίᾳ καὶ αὐτὸς ὤν. *v. fortis. forte leg. formis.

Ebrius hæc fecit *terris puto monstra Prometheus:*
Saturna licio lusit & ipse luto.

DOMITIVS.

EBRIVS] Sigillum Giberi fictile in saturnalibus dabatur.

GIBERI] Hoc est, gibbosi signum: nam Clesippus fullo, gibere & toto aspectu fœdus, à Gegania fabricatus est ex ære: vnde defluxit mos, vt talis hominis forma in saturnalibus fingeretur. Prometheus primus fuit, qui fictile signum fecit.

HÆC *monstra*] Hominem gibbosum.

LVSIT] Lasciuit.

LVTO] Signo fictili in saturnalibus mittendo.

Homeri batrachomyomachia. CLXXXIII.

V. nodis. *Fotiis Lips. lib. 1. Epist. 5. Foriæ quid sint, vide in Nonio. V. surpantur vt quisquiliæ, butræ. Varro Quinquatoris Clodiani forias ac poëmata gargaridias dicens, o fortuna, o fors fortuna. *scilicet Carminibus.

Perlege Mæonio cantatas carmine Ranas,
Et frontem *nugis soluere disce* *meis.*

Μαιονίοις ἔπεσι Βατράχους ἀδέντας ἀναγνώς
Παίγμασι τοῖς ὄφρυν μάνθαν' ἐμοῖς λύεσθαι.

DOMITIVS.

DOMITIVS.

Perlege] Homeri batrachomyomachia ex tribus verbis compositum: βάτραχος significat ranam: μῦς est mus, μάχη pugna. opus est Homeri contra inscriptum de murum & ranarum pugna. Contendunt tamen multi, authore Plutarch. hoc opusculum ab Hom. non fuisse scriptum, sed Papin. & alij nostri ita crediderunt. Mittebantur autem libri in saturnalibus, quoniam etiam Saturnus cultus humani author habitus est, & eius temporibus Hercules primus in Italia literas docuit, vnde Herculis numen cum multis colebatur: authoribus Plut. & Macr.

Ranas] Pugnam ranarum.

Maonio] Homerico.

Solvere frontem] Exhilarare.

Homerus in membranis. CLXXXIV.

Ilias, & Priami regnis inimicus Vlysses
Multiplici pariter condita pelle latent.

Ἐχθρὸν Ὀδυσσῆα Πριάμοιο, καὶ Ἴλιον ἱρὴν
Διφθερέων κρύπτει πτύγμα πολυπτυχέων.

DOMITIVS.

Ilias] Quadraginta octo libros edidit Hom. quorum xxiv. excidium Troianum complectuntur, reliqui errores Vlyssis: illi Ilias inscribuntur: hi Odyssea ab Vlysse: mittuntur vna compacti.

Vlysses ini. &c.] Id est, Odysseæ liber.

Mvltiplici pelle] i. multa charta pergamena: nam in xlviij. libros surgit.

Virgilij Culex. CLXXXV.

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis,
Ne nucis positis, Arma, virumq; canas. Pro Nugis.

Τὸν λογίου Κώνωπα δέχου, φιλόμουσε, Μάρωνος,
Μὴ τὰ χλοῖ ἀφιείς, Ὅπλα, τε ἄνδρ' ἀναγνοῖς.

DOMITIVS.

Accipe] Culex, Virgilianum opus, quo Culicis fatum defletur: nihil magis admirandum habet, quã quod à Poëta puero editus sit: vbi magnitudinem illam nonnunquam assurgendo designat, quam in Æneide impleuit: huius meminit Papin.

Ante annos culicis Maroniani.

Vnde Luc. cùm iuuenis Orpheum expleuisset, ait,

Quid ad Culicem Vsr.

Cvlicem] Opus Culicis Maroniani.

Positis nugis] i. iocis & ludis saturnalitijs, quasi dicat, leuiora in saturnalibus sunt legenda.

Arma] i. Æneida.

Virgilius in membrana. CLXXXVI.

Quàm breuis [a] *immensum cœpit membrana* [a: v. tantam]
Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Διφθέρη ὡς ὀλίγη μεγάλου χάδε πτύγμα Μάρωνος!
Τοῦ αὐτοῦ δὲ πίναξ εἰκόνα πρῶτος ἔχει.

DOMITIVS.

Qvam breuis] i. tria opera Virg. eodem volumine compacta: prima pagina poëtæ personam profert: nam Tityrus primo verbo carminis Bucolici Virgilium designat.

Membrana] Volumen.

Maronem immensum] Tria opera Virgilij.

Menandri Thais. CLXXXVII.

Hæc primum iuuenum lasciuos lusit amores,
[a] Nec Glycere, verè Thais amica fuit. [a: Vide Tur. l. 3. c. 24.]

Ἡ δὲ νεωτέρων πρώτη ἔπαιξεν ἔρωτας·
Κ' οὐ Γλυκέρη, μᾶλλον Θαΐς ἐραμένη ἦν.

DOMITIVS.

Hæc primum] Menander comœdiæ author apud Græcos, iuuenum amores & fraudes meretricias singulari ingenij laude expressit: celebrat autem Thaidem nobilissimum scortum, cui omnes meretricias veneres concedit, vnde Thais Menandria dicta est à Prop. Glycere alterum scortum, quod cùm poëmate non celebretur, tanta carminis præstantia quanta Thais perscripta est, nullum illecebrarũ nomen est adeptum, quibus maxime valebat. Thais igitur Glyceræ anteponitur carmine Menandri.

Nec Glycere] Scil. fuit amica.

Vere Thais amica fuit] Ob illecebras visa est vere amica: Meretricis laus est si persuaserit se amari.

Hæc Thais Menandri] i. Thais in comœdia Menandri.

Lvsit] Decepit, quia illic erant amores iuuenum deceptorum.

Cicero in membranis. CLXXXVIII.

Si comes ista tibi fueris membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Εἰ ξυνετός σοι ὁδοῦ ὅδε διφθερὶς ἤδε γένοιτο,
Σὺν Κικέρων μακρὰν οἴου ὁδοιπορέειν.

DOMITIVS.

Si comes] Cic. in membranis. Allusio est ad chartas membranas, quæ à membris dicuntur: nam qui scriptus fuerit in membranis videtur in membris esse. Cic. qui in membranis est.

Cvm Cicerone] Nam in his membranis viuit.

Propertius. CLXXXIX.

Cynthia facundi carmen iuuenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

DOMITIVS.

Cynthia] Monobyblos Propertij carmen ita

inscribitur, qui ardentissime amauit Hostiam, ficto nomine appellatam Cynthiam, nonnullorum iudicio primas tenet partes in carmine elegiaco, authore Quintiliano: nam amoris affectus, præsertim, qui ardentiores sunt, melius expressit nemo.

ACCEPIT *famam*] Carmine Propertij.

NEC *minus dedit*] Nam poëta eo carmine claruit.

Liuius in membranis. CXC.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Ον μόλις ὐδ' ὁλόκληρον ἐμὴ χάδε βιβλιοθήκη,
Λίβιος εἴλυται διφθερίοισι μικροῖς.

B

DOMITIVS.

PELLIBVS] Titi Liuij magnitudo exprimitur, qui orsus historiam à condita vrbe in centum & xl. libros excreuit descendens ad Augusti tempora.

PELLIBVS *exiguis*] Membranis.

Salustius. CXCI.

Hic erit, vt perhibent doctorũ corda virorũ,
Primus Romana Crispus in historia.

Οὗτος ἔοι, λογίων ὡς ἔννεπε πραπίδα φωτῶν,
Πρῶτος Ῥωμαϊκῇ Κρίσπος ἐν ἱστορίῃ.

C

DOMITIVS.

HIC] Sallu. cum Thucydide certatur, authore Quint. maiori laude futurus, si verbis Catonis Censorini ex originibus abstinuisset: nam inde magnam verborum copiam deduxit, disticho prodente furtum, *Et verba antiqui multum furate Catonis*
Crispe Iugurtinæ conditor historiæ.
Breuitas in eo laudatur à Fabio. laceratus est à Leneo Pompeio Pompeij magni liberto, quoniam scripsisset Pompeium oris probi, animi inuerecundi. primam in historia laudem obtinet.

CORDA *doctorum*] i. vt docti homines iudicant.

Ouidij Metamorphosis in membranis CXCII.

Hæc tibi multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinq;, decémq; gerit.

Τοῦτο πολυπλασίων σελίδων ἄθροισμα πινακὶς
Νάσωνος πεντὰς, καὶ δεκὰς ἐστὶ βίβλων.

Tibullus. CXCIII.

Vßit amatorem Nemesis lasciua Tibullum:
Nec ma[illegible]. Volumen. *"In tota iuuit quem nihil esse domo.*

DOMITIVS.

A

VSSIT] Nemesis nomen est deæ quæ caret nomine Latino. hæc colebatur aduersus superbos in Capitolio. male accipiunt qui pro fortuna interpretantur. est item puella amata à Ioue, vt Higin. scrib. altera à Tibullo, qui Planiam amauit sub nomine Deliæ, delectatus paupertate, vt initio scrib.
Me mea paupertas vita traducat inerti.
Sed inde est distichon, quod ipse poëta scribit de amica, *Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ:*
At iuuet in tota me nihil esse domo.
Ad quod alludens Mar. hoc ait.

QVEM *iuuit*] Cui optatum fuit.

NIL *esse in tota domo*] Qui ita scribit.
At iuuet in tota me nihil esse domo.

Lucanus. CXCIIII.

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam:
Sed qui me vendit bibliopola putat.

DOMITIVS.

SVNT] Lucanus historicis potius quàm poëtis imitandus, vt Fab. scrib. dum grauitatem ciuilis historiæ sequitur, historico, quàm poëtæ propior. iudicio tamen ferme omnium in poëtarum ordinem est redactus.

Catullus. CXCV.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parua suo Mantua Virgilio.

DOMITIVS.

TANTVM] Catull. varietate carminis, & antiquorum verborum simplicitate, laudem insignem meruit. Cloam amauit quam Lesbiam appellabat. Firmionem peninsulam lacus Benaci habens, patriam in agro Veronensi, sed Verona eum sibi vendicat ciuem, qué Mantuæ opponit ostentanti Virg.

DEBET] Ob nominis laudem.

calda & frigida aqua. CXCVI.

D

Hæc tibi quę fuerint caldarũ nomina dicunt:
Ipsa suas melius charta° natabit aquas. °v. notabis

Ἡ δὲ βίβλος κρύψας, καὶ τὰ μάλα τειχολογοῦσα,
Ὕδασι νήχοιτ' αὖ σφοῖσι δεξιωτέρως.

DOMITIVS.

HÆC] Carmine descriptæ aquæ frigidæ & caldæ mittuntur, sed, inquit poeta, hi versus melius natarent aquas suas, quàm emitti debeant, sui carminis laudem extenuans.

QVÆ *fuerunt*] Id est, quæ aquarum nomina describunt.

DICVNT] Fatentur.

MELIVS *na.*] Mergenda est hæc charta. alibi,
Vis puto cum libro Marce natare tuo.

Mulæ pomilliæ. CXCVII.

His tibi de mulis non est metuenda ruina:
Altius in terra pæne sedere soles.

Σοὶ μὲν ἀφ' ἡμιόνων τούτων οὐ δεινὸν ἂν εἴη
Πτῶμα· χαμαὶ δ' ἵζεις μικρὸν ἂν ὑψοτέρω.

DOMITIVS.

HIS] Ex mulo & equa, authore Plini. nascitur Inus mulus exiguus, quem alij ginnum dicunt. sunt præterea inter mulas, quæ pumiliæ dicuntur, hoc est nanæ, nam Pumiliones nani sunt.

ALTIVS] Quàm sis in mula.

Catella Gallicana. CXCVIII.

Delitias paruæ si vis audire Catellæ,
Narranti breuis est pagina" *tota mihi.* "r. prima.

Εἰρομένῳ τρυφερῆς σκύλακος πάνυ χρείους, ὅλη μοι
Σοὶ σελὶς ἐξειπεῖν ἄρκιος οὐκ ἂν ἔοι.

DOMITIVS.

DELITIAS] Catella Gallicana in delitiis, vt Melitea, & Issea.

PAGINA *est breuis*] i. Non sufficit.

Asturco. CXCIX.

Hic breuis, ad numerum rapidos qui colligit vngues,
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Τυτθὸς ὁ δ' ἐρρύθμοις ὁπλαῖς πεδίοιο χρεαίνων,
Ἤλυθε χρυσογόνων ἵππος ἀπ' Ἀστυρίων.

DOMITIVS.

HIC *breuis*] In Galitia & Asturia prouincia Hispaniæ equi nascuntur parui, qui crura alterna molliter explicant glomerando, dicunturque Asturcones ab Asturia prouincia. inde eundem incessum arte docere præceptum est. de his carmen extat Silij, cùm de Asturibus populis loquitur,

His paruus sonipes nec Martii notus, at idem
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
Aut molli pacata celer trahit essæda collo.

EQVVS *Astur*] Qui venit ex Asturia.

AD *numerum*] In ordinem.

AVRIFERIS *gentibus*] Id est, Hispanis.

Canis vertagus. CC.

Non sibi, sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

A

Οὐχ αὑτῷ θηρᾷ, τῷ κτήνει δ' ὀξὺς ἐπακτὴρ
Οὗτος ὁ δάξ ἀβλαβῆ πτῶκα δόμονδε φέρων.

DOMITIVS.

NON] Canes vertagi, qui sponte in venationem exeunt, leporibus insidiantur, quos morsu comprehensos domum referunt. verbum est peregrinum, quamuis alij à vertendo, & agendo vertagum inepte deducunt.

Palæstrita. CCI.

Nō amo, qui vincit, sed qui succūbere" *nouit,* "v non vult. Tranquillus in Domitiano.
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

B

DOMITIVS.

NON] Palæstrita in gymnasio vincebat, maxime si cedens reducto pectore aduersarium reflecteret. hæc exercitatio dicebatur clinopali, hoc est inclinata palæstra, nam κλίνω significat inclino, πάλη palæstra, vnde Do. concubitum appellabat clinopalem, tanquam palæstræ exercitationem. anaclinopalis significat reflexionem in palæstra.

Τὴν ἀνακλινοπάλην] Id est, reflexionem palæstræ, in quo longo collo opus erat. vt supra,

Grandia qui vano colla labore facit. Et Iuuen.
Longis ceruicibus æquat Herculis
Antæum procul à tellure tenentis.

NOVIT *suc.*] Id est, qui scit retroflectere pectus tanquam oneri suspensi aduersarii succumbat. Inde enim aduersarium pendentē inclinato latere deiicit.

C QVI *vincit*] Id est, qui tantum & simpliciter, ac sine arte superet aduersarium, quasi dicat, plus delectat in palæstra ars, quàm robur tantum.

Simius. CCII.

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Ῥιπτομένους ἰοὺς σιμὸς φιγμένος εὖ δὴ ἀλέασα,
Εἰ κέρκον κτεάμην, κερκοπίθηκος ἂν ἦν.

DOMITIVS.

CALLIDVS] Simiam genere tantum fœminino proferri putauit Porphyrio in Ho. Simium qui ab Hora. scriptum tanquam inusitatum notauit. eodem genere hîc profertur à Mar. hac laude adhibita, D quòd hastas immisas declinare sciat. Id Mutianus cùm de simiarum ingenio scriberet, non tradidit, neque eum secutus Plini. illud tantum affirmant eas latrunculis è cera fictis nonnunquam lusisse, nucesque distinguere visu.

ELVDERE] Propulsare.

ERAM *cerco.*] Id est, simia caudata.

Puella Gaditana. CCIII.

Tā tremulū crissat, tā blandū prurit, vt ipsū
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

DOMITIVS.

TAM] A Gadibus lasciua saltatione eruditæ puellæ

mittebantur, venereos motus saltando edentes. nunc mittitur puella Gaditana.

IPSVM *Hip.*] Exemplum pudicitiæ.

FECERIT *mastur.*] Cogeret masturbari allectum illecebris suis.

Cymbala. CCIV.

Aera Celænæos lugentia matris amores,
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Γάλε, Κελαιναίων θρήνητορα μητρὸς ἐρώτων
Χάλκεα ἐπώλησας πολλάκι πειναλέος.

DOMITIVS.

ÆRA] Cymbala instrumenta sacerdotum Cybelis, quibus sacra numinis agentes sono lugebant Atyn puerum, quo Cybele olim potiri non potuerat.

CELÆNÆOS] Phrygios. Celænæ patria Atys Phrygis, & Marsiæ.

Puer cinædus. CCV.

Sit nobis ætate puer non pumice leuis,
Propter quem placeat nulla puella mihi.

DOMITIVS.

SIT *pumice leuis*] Nam expoliebantur pumicibus qui molles volebant videri. Plini. Sed hi pumices, qui sunt in vsu corporum læuigandorum fœminis, iam quidem & viris, atque, vt ait Catul. libris.

Cestos. CCVI.

Collo necte puer meros amores,
Ceston de Veneris sinu calentem.

DOMITIVS.

COLLO] Cestos significat balteum Veneris, quo Martis adulteria reprimebantur, cùm Deus eo cædebatur. de hoc plura dicta sunt in imagine Iuliæ in superioribus libris. quicumque habebat hoc balteum, poterat, quem vellet, ad amorem incitare.

MEROS *amo.*] i. ceston calentem.

DE *sinu Veneris*] Qui nuper à Venere acceptus est. Ho. flagellum dixit Venerem alloquens,

Sublimi ferias Coloen flagello.

Idem. CCVII.

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston:
Vt sit amatorem balteus iste Iouem.

Δέξο Κυθηριακῷ φαρμακτὸν νέκταρι κεστόν.
Εφλεξε ζωστὴρ ὅστις ἐρῶντα Δία.

DOMITIVS.

SVME *Cytheriaco*] Idem amatorem Iouem. hoc est ex versu Homeri, qui scribit Iouem cohibendum

A balteo à Iunone, & compulsum ad amorem fuisse; cùm alienis tamen amoribus antea esset deditus.

Notarius. CCVIII.

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondũ lingua suum, dextra peregit opus.

Χεὶρ καὶ ἐπειγομένων ταχυτέρη ἐστὶ λόγων·
Οὔπω γλῶσσ' · αὐτὴ δ' ἤνυσεν ἔργον ἑόν.

DOMITIVS.

CVRRANT] Notarij dicebantur, qui aliquo orante verba singula excipiebant notis designata. horum velocitas in precio erat, author est Plutar.

B in vita Catonis Vticensis.

CVRRANT] Velocia sint.

SVVM *opus*] Extulit verba.

DEXTRA] Notarij.

PEREGIT *opus*] Scripsit.

Concha. CCIX.

Leuis ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat: inoffensa curret arundo via. v. Fit liber offensa cursu.

Εἰ ἁλίη κόγχη λειαρέσθω Μαρεώτης
Φλοιός· ἀκώλυτον δρέξει δόνακα δόναξ.

DOMITIVS.

C LEVIS] Papyraceæ chartæ leuigabantur, authore Plinio, dente concauo, quod puto scribendum dente concaui. inde illud apud Ciceronem, Res agetur temperato calamo, & dentata charta: expoliebaturque vt splenderet, & vt facilior esset cursus calamo.

CORTEX *Mareotica*] Id est, papyrus Ægyptia. nam Mareotis insula est Ægypti.

INOFFENSA *via*] i. leuigata, vt calamus offendere non possit, & nusquam hærere.

Morio. CCX.

Nõ mẽdax stupor est, nec fingitur arte dolosa
D *Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.*

Μωρίη οὐ πλαστὴ τ' ἀνδρὸς πέλει, οὔτ' ἐπιτηδής·
Καὶ γὰρ ὁ μωρὸς ἄγαν μέτριον, ἐστὶ σοφός.

DOMITIVS.

NON] Hoc distichon supra recitauimus,

Morio dictus erat, viginti millibus emi.
Redde mihi nummos Gargiliane, sapit.

Nam moriones dicuntur, qui mentis simplicitate quadam & deformitate oris delectant, nihil scurrile suo excogitantes ingenio. hi cùm alij stulti videantur, sapientes iudicantur à Martia. perpetua enim fruuntur quiete nullis anxii curis, qualem vitam delegit Epicurus. & Martia. eum secutus.

STVPOR] Hebetudo, hoc est, non simulant se stupidos, sed ita nati sunt.

N e e *fingitur*] Vt à scurris.

N o n *sapit*] Non anxius est, & is grauitatem quãdam sustinet.

S a p i t] Iudicandus est sapiens vt Morio.

Caput arietinum. CCXI.

Mollia Phryxæi secuisti colla mariti:
Hoc meruit, tunicam qui tibi sæpe dedit!

Φριξείου δασύμαλλον ἀπέθρισας αὐχένα κριοῦ.
Εσθος ὁ σοὶ θαμὰ δοὺς, σὺ δ' ἀπέλαυσε τόδε.

DOMITIVS.

M o l l i a *Phryxei secuisti*] Caput arietinum & cor bubulum in saturnalibus mittebantur veteri instituto.

M a r i t i *Phryxei*] Qualis Phryxum & Hellem traiecit aries.

M e r v i t *hoc*] Aries ex quo sæpe habuisti tunicam. Iuuenalis notans hunc morem capitis, scilicet veruecini mittendi,

Et elixi veruecis labra comedit.

Pumilio. CCXII.

Si solùm spectes hominis caput, Hectora credes:
Si stantem videas, Astyánacta putes.

Ανθρώπου μὲν κρᾶτα βλέπων μόνον, Εκτορα φαίης
Εμμεναι· ὀρθὸν ὁρῶν, Αστυάνακτα λέγοις.

DOMITIVS.

S i *solùm*] Pumilio Latinè, Græcè nanus dicitur. inter portenta olim erat, sed in delitias luxu temporum est receptus, authore Plin.

C a p v t] Nam nanus habet magnum caput.

H e c t o r a] Fortem & magnum vt Hector fuit.

A s t y a n a c t a] Id est, paruum, vt fuit Astyanax filius Hectoris, qui puer de turri deiectus est. Aptè cùm Hectorem patrem nominasset, subdit Astyanactem filium.

Parma. CCXIII.

Vide Tur. lib. 9. c. 4. *v. erit. *Hæc quæ sæpe solet vinci, quæ vincere rarò,*
*Parma tibi, scutum pumilionis * erat.*

Η νικᾶσθαι ἐθὰς, καὶ μὴ νικᾶν δεδαυῖα,
Σοὶ πέλτης, ναίῳ δ' ἔσσεται εὐρὺ σάκος.

DOMITIVS.

H æ c] Parma magna indigebat arte in ludo theatrali, in quo Agatinus præcipuam obtinuit laudem. est autem breuior clypeus, scutum autem longius

A totum contegit hominem. Quæ igitur parma est grandiori homini, eadem est scutum pumilioni, quæ totum tegit. hoc igitur in laudem Agatini, quem supra laudauit victorem in ludo parmæ.

V i n c i] Ab Agatino.

T i b i] Magno.

S c v t v m *pumilionis*] Parui scilicet.

Pueri comœdi. CCXIV.

Non erit in turba quisquam μισούμενος ista: Vide Tur. l. 9. Aduers. cap. 24.
Sed poterit quiuis esse διοξάπιθος.

DOMITIVS.

N o n] Pueri comœdi, qui in agendis comœdijs

B placebant, corporis elegantia, & arte, verbo attico dicebantur διαξάπιθες, hoc est iucundissimi & maxime optandi, contra qui non placebant, dicebantur μισούμενος, hoc est odio digni. Egregia nunc comœdorum puerorum turba mittitur.

Μισούμενος] Id est, dignus odio.

Διοξάπιθος] Iucundissimus, & qui placebit.

Fibula. CCXV.

Dic mihi simpliciter comœdis, & citharœdis v. Si quid præstiterint, Carius.
Fibula quid præstas? carius vt futuant.

DOMITIVS.

D i c *mihi*] Fibula histrionis indumentum ab vmbilico ad genua, non tam ad pudenda velanda, quam ad venereum coitum reprimendum, quo histriones raucescebant: vnde fiebat vt mulieres in rem nega-

C tam pronæ, magno precio coitum ab histrione conducerent, vt in superioribus libris copiosius est expositum. Iuuen.

Soluitur his magno comœdi fibula.

F v t v a n t] Conducti à mulieribus.

C a r i v s] Maiore precio: verba sunt fibulæ respondentis.

Accipiter. CCXVI.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis idem
Decipit, & captas non sibi mæret aues.

D

Αρπαξ ἦν πτηνῶν, νῦν δ' ἰξευτῆρος [illegible]οπουργὸς
Κηλεῖ, κ' οὐχ αὑτῷ μέμφεθ' ἁλισκόμενα.

DOMITIVS.

P r æ d o] Accipiter prædo volucrum, scilicet olim liber, nunc quoque capit aues, sed domino.

M o e r e t] Dolet quòd dominò, non sibi capiat aues.

Obsonator. CCXVII.

Dic quotus es, quãti cupias cœnare, nec vnũ* v. &.
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

A

Πόσος, ἢ πόσου δεῖπνον, μόνον εἰπὲ, παρέσται,
Καὶ μηδὲν λέγε πρὸς, δόρπον ὁπλισσώμεθα.

DOMITIVS.

DIC] Obſonator dicitur qui emit obſonia. quo verbo vſus eſt Tran. Huius eſt pares conuiuarum numero epulas parare precio, quo dominus iuſſerit.

QVOTVS] Quo numero.

NEC *addideris verbum*] Nec moneas quid ſit emendum.

Calami aucupatorij. CCXVIII.

Non tantùm calamis, ſed cantu fallitur ales.
Callida dum tacita creſcit arundo manu. B

Οὐ καλάμοις μόνον ὄρνις ἁλίσκεται, ἀλλὰ καὶ ᾠδῇ,
Κερσὶν ἕως δολερῇς αὔξεται ἧκα δόναξ.

DOMITIVS.

NON] Viſcatis calamis aues arboribus inſidentes veteri aucupio capiebantur, dum auceps in digitos ſurgens, eos ſubijceret auium pedibus. hoc ſupra eſt expoſitum & confirmatum carmine Silij. ſimul cantu mulcebantur, ne interea euolarent. Silius,

Vt qui viſcata populatur arundine lucos,
Dum nemoris celſi procera cacumina ſenſim
Subtracta certat &c.
Sublimen calamo ſequitur creſcente volucrem.

CALAMIS] Viſcatis.

CRESCIT] Subijcitur.

*Aldina editio an. M. D. XVII. Cor bubulũ habet; quod etiam Turnebus l. 9. c. 24. ſe reperiſſe ſcribit. Lipſ. verò l. 1. epi. 1. legit Corculũ, &c. cor quod abeſt. Cor non habere dicitur, qui deſipit. quod facere ait cauſidicum pauperem, qui verſus potius ſcribat, quàm cauſas agat, ex quibus lucrum facere poſſit. Cor igitur non cordato homini mittit. Notum de Scipione Naſica, cui cognomen à ſapientia, Corculum.

* Corculum. CCXIX.

Pauper cauſidicus nullos referentia nummos
Carmina cũ ſcribas: accipe cor, quod habes.

DOMITIVS.

PAVPER] Puto de crumena legendum eſſe in formam cordis, nam & bullam legimus formam cordis habuiſſe, authore Macrobio, quæ nonnunquam ex loro fiebat. mittitur nunc cauſidico, qui poëticæ nonnunquam dabat operam cauſis omiſſis, reprehenſor carminis. Mart. ſupra.

Carpere cauſidicus fertur mea carmina.

Datur igitur ei cor bubulum anguſtiſſima crumena, cùm male ſcribens carmina nullam conſequatur pecuniam, vel ſi placet, intellige de corde bouis.

COR *quod habes*] Id eſt, accipe cor bouis, quia imprudens es, & alter bos.

Cocus. CCXX.

*Coco ſeruire parato, Atque cocus, &c. Vide Turn. l. 9. c. 24.

Non ſatis eſt ars ſola * *coco, ſeruire palato:*
Namq; cocus domini debet habere gulam.

Αἱ καρυκεῖαι μόνον οὐ τέχνημα μαγείρου
Εἰσίν· δεσποτικὴν καὶ ὅγε γεῦσιν ἔχοι.

DOMITIVS.

NON] Ars coquinaria non ſatis eſt.

DEBET *habere*] Scire gulam domini.

* Craticula cum veru. CCXXI.

*Craticula abſque veru, Turn. l. 9. c. 24.

Parua tibi curua craticula ſudet ofella:
Spumeus in longa cuſpide fumet aper.

Σαρκίδιον μὲν μικρὸν ἐπ᾽ ἐσχαρίδος τεφλεγέσθω·
Σῦν δ᾽ ὀβοὶ γλωχῖν᾽ ἀφριόωντα μακρῇ.

B

DOMITIVS.

PARVA] Craticula diminutiuum à crate, quæ ferrea eſt.

OFELLA] Ofellam condiri è carnibus docet Varro. Hæc poteſt coqui craticula, cùm aper, & grandiores feræ torreantur veru.

FVMET] Dum torretur.

CVSPIDE] Verũ.

Piſtor dulciarius. CCXXII.

** Mille tibi dulces operum manus iſta figuras* *v. Mille.
** Exſtruit: huic vni parca laborat apis.* *v. Exſtruet.

C Αὕτη χεὶρ ἔργων σοι σχήματα μυρία τεύξει·
Ἡ ξουθὴ μούνῃ τῇδε μέλισσα πονεῖ.

DOMITIVS.

MILLE] Piſtor dulciarius ad differentiam piſtoris dicitur, qui panem tantum conficit. hic enim mel adhibet & cruſtulam varijs figuris format. Ars adeo laudatur vt dicat Mart. apes mel ſuum conficere propter hunc vnum.

ISTA *manus*] Piſtoris.

PARCA *apis*] Quia melle abſtinet.

LABORAT *huic*] Id eſt, propter hunc virum mel conficit.

* Ientacula. CCXXIII.

*Ientacula adipata. Turn. lib. 9. cap. 24.

D *Surgite, iam vendit * pueris ientacula piſtor,* *pueri. Calepinus.
Criſtataque ſonant vndique lucis aues.

DOMITIVS.

SVRGITE] Ientacula cibi ganeati dicuntur, qui à pueris emebantur ſummo mane à piſtore. quaſi igitur noctem ſaturnalitiam egiſſet, euagatus per munera ſingulis diſtichis monet diem aduentare impoſiturus vltimam manum. à duabus autem rebus lucis aduentãtis ſignum accipit, & à pueris ementibus ientacula, & à gallis canentibus, qui, authore Plinio, geniti à natura ſunt ad excitandos mortales in opera, & ſomnum rumpendum.

FINIS.

NIC. RIGALTII
AD MARTIALEM
NOTAE ALIQVOT.

AD LIB. I.

EPIGRAM. III. *Sacrum Florae.*] Scribsit olim M. Cato librum de re Floria, concisa oratione, vt indignationem magistratuum in Florales excitaret. Cur. Fortunatianus lib. 2. Artis Rhet. Scholicæ, p. 61. Eius libri de re Floria meminêre & Gellius lib. 2. cap. 13. & Non. Marcell.

Epigram. IX. *Facili sanguine.*] Facilis sanguis eius qui singulos artus suos fortunæ prodigendos dat, quæstu atque compendio gloriarum. Vid. Gell. lib. 11. cap. 27.

Epigram. XII. *Cum data sint equiti*] Frustra sunt qui difficultatem faciunt in Epigrammate perfacili, si conferatur & componatur cum 33. huius lib. in eundem Sextilianum.

Epigram. XVII. *Sunt mala plura.*] In libro edendo saltem seruari debet temperamentum, quod in melle vendendo proposuit Apicius, doctus gulæ artifex, Epimeles 15. *Mel malum*, inquit, *bonum facies ad vendendum, si vnam partem mali, & duas boni simul miscueris.*

Epigram. XLII. *Pallentia sulphurata.*] Sic in lege 55. De legatis III. *Sulphurata de ligno.* Vid. Epig. 10. & 57. lib. XIII.

Epigram. LVI. *Albus in officijs.*] Vetus Interpres Iuuenalis ad illud Satyr. x.

——niueos ad frena Quirites.

In candidis togis, inquit, *officium facientes.* Hinc explicandus Martialis. Et fallitur Calderinus.

Epigram. LVII. *Continuis vexata.*] Videatur epigram. ad Ouidium lib. IX. ep. 100.

Epigram. LXXVII. *Hac sapit.*] Phædrus lib. III. Fab. 56.

O nata merito sapiens dicere omnibus, &c.

Alludit enim Martialis ad eam Phædri de Minerua fabulam. Videsis & quæ ad eam notauimus.

Epigram. LXXVIII. *Sole vtitur.*] Insolatur. ἡλιάζεται. Vetus Gloss.

Epigram. LXXXVI. *Non amat inde locum.*] Phædrus lib. 1. fab. 8. *Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.*

Epigram. LXXXVIII. *Animæ odor*] Titinnius. Fullonibus: *Interea fœtida anima nasum oppugnas.* Et de inferiore gutture Plautus Aulularia, Sc. Postquam obson. *nequid anima forte amittat dormiens.* Alludit ad gulam Follis, qui in veteribus Glossis exponitur, Θύλακος χαμένε. ἀσκός. *Follex.*

Epigram. CVII. *Interponis aquam.*] Sic ille nequam paralyticus apud Petronium: *Hausi*, inquit, *parcius merum*, &c. Ebrij scilicet in venerem segniores. Et aptissimè ad Martialis mentem dixit Epigrammatarius ἀνώνυμος lib. 11. Antholog. ἐν συμποτικοῖς ἀστείσμασι.

Χαίρει κεράσμενος πολὺ νύμφαις πίπτρας αὐτός.
Τῆλος καὶ θαλάμοις οὐκ ἐπιμόνταις.
Εἰ δὲ πολὺ πιθόιεν, ἀπεστράφθαι μὴ ἐρώτης. &c.

AD LIB. II.

Epigram. XXXI. *Supra quod fieri.*] Ancipiti ioco inest nequitia, quam nolo clarius declarare.

Epigram. XXXVII. *Tra. pu. domum ferenda.*] Sordidus iste mos helluonum notatur à Theophylacto Simocata in epist. 14. ὁ δὲ Θεαίτητος οὑτοσὶ ὁ ματαῖος τῶν ἰχθύων τὰ πλεῖστα κατεβίβρωσκε, καὶ τὰς ἀκρίδας οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἐξερρόφησεν, ὁ δὲ τρυγίας ἐκεχύθη. καὶ μοιχεύειν ἔοικεν ὅτι μὴ κόρον κομίζεσθαι οἴκαδε.

B

Epigram. XLVII. *Conchis Cytheriacis.*] Conchas puellarum intellige. vel potiùs, Conchas Venerias, virginali seu feminali glabro consimiles, de quibus Plinius lib. IX. cap. 33. *Nauigant ex his veneria, præbentesque concauam sui partem, & auræ opponentes, per summa æquorum velificant.*

Epigram. LXIV. *Marsia caussidicus*] Videatur Sollius Apollinaris, Carmine XIII.

Eigram. LXVI. *Hoc facinus Lalage.*] Iuuenalis Satyra VI.

Disponit crinem laceratis ipsa capillis, &c.

PLECVSA.] Nomen ornatricis, Πλέκουσα. à componendis, comendis, nectendisque crinibus. Sic apud Iuuenalem d. Sat. Psecas, ab eo quod Græci dicunt, ψεκάζειν. Vetus Interp. ad vers. 489. Glossarium vetus ms. Κομμοῦν, τὸ σῶμα ὡραΐζειν, ἐπὶ δὲ κομμώτριαν λέγουσι τὴν κοσμοῦσαν ἢ ἱματίζουσαν.

C

AD LIB. III.

Epigram. XVI. *Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.*] Scitè nimis subulam cum sica componit. Subula enim ὀβελὸς est, & stilum siue graphium fere repræsentat, quo veluti sica infestæ & armatæ Patrum manus apud Senecam lib. 1. de Clementia. Sic etiam obelisco, tanquam sica, malos versus iugulabat Aristarchus. Item subula coquinarium fuit instrumentum. Glossæ veteres: ὀβελὸς ὁ ᾧ ὀπτῶσιν, *Subula, veru.* Vnde & hastæ quibus præfixæ erant quasi subulæ, ὀβελίσκοι. Scholiastes Aristophanis: τὸ δὲ ὀβελίσκῳ ἐχρῶντο αὐτῷ δόρατος.

Idem. τὸν ὀβελίσκον. ὥστε ὀβελὸν ἡμῖν δόρυ. Sic apud Dionys. Halicarnas. lib. v. ξύλα ἀκρωμένα καὶ χαλκοῦ σιδηροῖς ὀβελίσκοις ἔχοντα. Veruta pila, Festo & alijs.

Ibidem. *Coactos non amare capones.*] Aliter de se sentiebat Apuleianus ἀνεχόμενος:

Amare, inquit, *liceat, si potiri non licet.*

Epigram. LXIII. *Femineas cathedras.*] De femineis cathedris habes apud Phædrum lib. III. fab. 47.

Epigram. LXXXII. *Hos Malcionis patimur.*] Malcio, quasi, Malacio, μαλακός. Totum autem hoc epigram. bene conuenit in Trimalcionem illum, de cuius cæna Petronius Satyr.

Epigram. C. *Cursorem sexta.*] Cursor, seruus, Vid. l. seruis vrbanis. De leg. III. Glossæ Κούρσωρ, *excercipes.* Ταχυδρόμος, δρομεύς, καὶ κούρσωρ. Suidas: Κουρσῶρες, οἱ διατρέχοντες. κοῦρσε γὰρ, τὸ τρέχε.

AD LIB. IV.

Epigram. IIX. *Matutinum Iouem.*] Cæsarem Martialis Iouem suum vocat. Sic domini à seruis suis, humani Ioues, appellantur. Plautus, Casina, Scæ. *Vna edepol.*

—— ST. *quid id refert tua?*
Vnus tibi hic dum propitius sit Iupiter,
Tu istos minutos caue deos flocci feceris,
OLY. *Nugæ sunt istæ magnæ, quasi tu nescias,*
Repente vt emoriantur humani Ioues. &c.

Epigram. XX. *Cerelia pupa.*] Pupus, pupulus, & pupillus, puerilia & blandæ appellationis nomina. Tranquillus lib. IV. cap. XIII. de Caligula, *Densissimo & latissimo obuiorum agmine incessit, super fausta nomina. Sidus, & Pullum & Pupum, & Alumnum appellantium.* Pulli enim & Pupæ eadem fuit Latinis auctoribus vsurpatio, quæ Pulli; nempe pro tenella & mollicella ætate. Glossæ veteres, παιδάριον, *hic puellus, hic pupus.* Varro, Tithono,

Ac mamma lactis sugentem pascere pupum.

Catullus quoque à Pupo ὑποκοριστικῶς deduxit Pupulum.

Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem.

Pupulum interpretor puerum paruulum facie & garrulitate amabilem, quales pueri in delicijs erant Octauio, vt refert Suetonius, cap. 83. cuiusmodi etiam, sed nequitia improbiore, pueros primæ teneritudinis committebat Tiberius, eosque non Pullos, sed Pisciculos vocabat, instituebatque vt natanti sibi inter femina versarentur ac luderent, nouo libidinis inuento. Venuste igitur & Romane Catullus Pupulum suæ puellæ *trusantem*, ἐν ἔργῳ, se deprehendisse ait. Nam trusare est agitare & frequenter obtrudere, vnde & Plauti *molæ trusatiles* apud A. Gellium. Porro, vt osculum & oscillum, pupula & pupilla, sic pupulus & pupillus. nimirum tutores vt suum in pueros parentibus orbatos, suæque fidei creditos amorem testarentur, pupillos vocauerunt, quasi paruos pupos siue pupulos, vt fauorem blanda & mollis appellatio prouocaret. ac certe teneræ ætatulæ *simplicitas*, quæ suis rebus superesse minime potest, *digna fauore fuit.* Pupilli nomen à iuris auctoribus refertur ad tutorem; nec ætatem solum, sed & condicionem indicat. Sic in Persij Sat. IV.

Quo fretus? dic hoc magni pupille pericli.

Pericli, pro periculi. nec enim audiendi sunt qui

A hoc Satyræ initium ad nescio quam de Alcibiade & Pericle historiam referunt. Sed cum tota Satyra in Neronem scripta sit, magis puto Persium, allusisse ad Poppææ dictum, *qua sibi matrimonium*, Taciti verba sunt lib. XIV. Annal. *& dissidium Octauia, incolumi Agrippina haud sperans, crebris criminationib. aliquando per facetias incusare principem & pupillum vocare, qui non modo imperij, sed libertatis etiam indigeret.* Dicacitas scotilli Neronem pupillum vocabat, quasi puerulum & infantulum, nec dum sui iuris. Et legendum esse, pericli, hoc est, periculi, euincunt eiusdem Poppææ verba quæ paulo post in Tacito leguntur, quæque Persij interpretes neglexerunt. His enim verbis Poppæa arte adulteræ penetrantibus ventura pericula principi objiciebat, vt & Satyricus: *Quod si nurum Agrippina non nisi filio*
B *infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis coniugio: ituram quoque terrarum, vbi audiret potius contumelias Imperatoris, quam viseret periculis eius immixta.*

Epigram. XXII. *Perspicua plus vetuistis aqua.*] Scilicet, ne vltimam amoris lineam pertingerem, neue oscula quinta parte venerei nectaris imbuta carperem. Τὸ, plus, in re amorum idem est Martiali, quod Ouidio, *cetera*:

Oscula qui sumsit, si non & cetera sumpsit,
Hæc quoque quæ sumsit perdere dignus erat.

Et Eustathio Philosopho, τὸ ἐρωτικώτερον. lib. IV. Ismenes & Ismeniæ: καὶ πάλιν ἐφίλουν αὐτήν, καὶ πάλιν ξυνεθλίβομεν, καὶ τὸ δρᾶν ἐπεχείρουν ἐρωτικώτερον. Clitophon verò apud Tatium, illud Plus, si oscula desint, nihil esse ait. τὸ μὲν γὰρ ἔργον τῆς ἀφροδίτης, καὶ ὅρον ἔχει καὶ κόρον, καὶ οὐδέν ἐστιν ἐὰν ἐκείνης αὐτοῦ τὰ φιλή-
C ματα. φίλημα δὲ καὶ ἀόριστόν ἐστι καὶ ἀκόρεστον καὶ καινὸν ἀεί. τρία γὰρ τὰ κάλλιστα ἀπὸ τοῦ στόματος, ἀναπνοή, φωνὴ καὶ φίλημα.

Epigram. XL. *Atria P. stabant cum stemmate toto*] Plena erant infulis, lineis, flexuris cognationis & gentis. Plinius lib. XXXV. cap. 2. *Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas.* Seneca lib. III. de Beneficijs cap. 38. *nomina familiæ multis stemmatum illigata flexuris.* Hinc apud Ausonium in Gratiarum actione, *Replicare stemma.* & Sidon. Apollin. Epist. 12. lib. 7. *Explicare stemmata.* Plutarch. initio Numæ: καίπερ οὐδ᾽ ἀρχῆς εἰς τοῦτο κατάγεσθαι τῶν στεμμάτων ἀκριβῶς δοκούντων. Nec leuis error in Gallica versione ob minimè intellectam stemmatis significationem.

Epigram. LXXXVII. *Inuersa pueris arande charta.*] Olim vix inuersa charta scribebant. Sidon.
D Apollin. lib. II. ep. IX. *Quarum quoque replicatio fieret amœna narratu, nisi epistolæ tergum madidis sordidare calamis erubesceremus.* Hinc ipse Mart. epigr. XVI. lib IIX. *Scribit in auersa Picens epigrammata charta.* &c.

AD LIB. V.

Epigram. XXXIX. *Ducenties accepit, & tamen viuit.*] Vide supra epigr. 65. lib. II. Hic verò placet nodum in scirpo quærere. Iocatur Martialis in Pætum, qui morte vxoris ducenties H-S lucri fecerat: ait eum fortissimum esse, qui ducenties accepit, & tamen viuat. quasi, scilicet, CC. plagas accepisset, siue CC. ictus sustinuisset. Atque hoc etiam epigrammatis acumen esse aio.

AD LIB. VI.

Epigram. XXI. *Tam frugi Iuno vellet habere Iouem.*] Salax & petulans Iupiter à Poëtis celebratur. quod illis eleganter exprobrat Arnobius

lib. iv. aduers. Gentes. *Nonne illi fuerat satis Iuno. nec sedare impetum cupiditatum in regina poterat numinum, quum nobilitas eam commendaret, tanta facies, oris dignitas, & ulnarum niuei marmoreique candores? An uxore contentus haud unâ, concubinis, pellicibus, atque amiculis delectatus, impatientiam suam spargebat passim (ut bacchari adolescentes solent) salax deus?* Legendum verò: *ut vagari adol. sol.* Sic Martialis supra hoc ipso epigr.

Legitimos esset cum vagus ante toros.

Sic etiam Persius Sat. vi. *vagum inguen* dixit:

Quum morosa vago singultiet inguine vena:

Glossarium vetus: Σποράδην, *vagé, passim.* Scribo: *vagè, passim.*

Ibidem. *Arcano percussit pectora loro.*] Id est, κεστῷ, cesto. sic emendandus Minutius: *Loro Veneris illectum, flagrantiùs quàm in adulteras soleat, cum Iunone uxore concumbere.* vulgò legitur, *thoro.* malè. Lorum Veneris, cestus est: & ab Homero. Ιλιάδ. γ. vocatur ἱμὰς πολύκεστος. Scholiastes: πολυκέντητος, ποικίλος, ποικίλος. ἀπὸ δὲ καὶ ὁ τῆς Ἀφροδίτης ἱμὰς ὀνομάζεται κεστός. Idem: Ιμάς, λῶρος. Vetus Glossarium ms. Ιμάντες, λῶροι.

Epigram. lxxiix. *Oculo, valebis, inquit.*] Sic in Epigr. Lucillij lib. ii. Anthologiæ, amissurus oculum dixit: χαῖρ' ἱερὸν φῶς.

Epigram. xc. *Uxor est duorum.*] Quasi binas nuptias eodem tempore constitutas habet. quod turpe est, & infamiam parit, ex verbis Prætoris. D. De his qui not. infam. Biuiram veteres dicebant uxorem duorum virorum. Nonius: *Biuiras,* inquit, *usus viduas appellat.* Imo forte an potiùs adulteræ dictæ biuiræ. & ita meliùs quàm de vidua, locus Varronis accipietur, *Ad biuiram venio, cùm vellem ostendere quid vellem, Metamelos Inconstantiæ filius me reprehendit.* Et contra vniuira dici potest, vnico gaudens mulier marito.

AD LIB. VII.

Epigram. xvii. *Accessi quoties ad opus, mistisque mouemur*] Hoc est quod Ulpianus dixit, *in ipsis rebus Veneris.* quod Solo & Draco dixerant, ἐν ἔργῳ. l. 23. D. ad l. Iul. de Adult. Harmenopulus, ἐν αὐτῷ ἔργῳ τῆς μοιχείας, ἐν συμπλοκῇ. Tertullianus lib. de Anima cap. 27. *In solenni sexuum officio, quod marem ac feminam miscet. in concubitu communi. in illo ipso voluptatis vltimæ æstu, quo g. v. ex.* Ouidius *in Veneris gaudijs.* Papinianus lib. Responsorum, tit. 26. *ita ut vnum sint, & sese commisceant.*) Catullus, *trusantes.* Hyginus in fab. *venerantes.* Fabius Declam. 291. *Dum rem faciunt maritorum.* Martianus Felix lib. 1. *in maritali vacatione.* Petronius, *in officio nuptiali, &c.*

AD LIB. IX.

Epigram. xij. *Dicunt Earinon.*] Earinus, vernus. Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 18. Deum, ait, creare potuisse oues earinas: id est, virides. qui color propriè verni temporis est.

Epigram. xvi. *celebrata.*] non malè in quibusdam codd. *scelerata.* dici tamen potest, celebrata Chloe, famosum & nobile scortum.

Ibidem. *Se fecisse.*] Trifariam accipi potest ambiguitas huius verbi. Se fecisse, hoc est, se tumulum posuisse. vel, se fecisse, se necasse septem viros. vel denique referri potest ad res venereas: & pulcrè conueniet Chloe meretrici.

Epigram. xlij. *Quod digitis Pontice perdis, homo est.*] Notandus in hanc rem Minutij locus: *Vos enim nec inuicem agnoscitis, & in mutua odia sæuitis nec fratres vos, nisi sane ad parricidium recognoscitis.* Nimirum illi Fratres dicebantur qui nefario concubitu turpe perdendi hominis præstabant officium.

Epigram. lxxxix. *Denso cùm iaceam triente blæsus.*] Ebrij scilicet ut mentis, sic & linguæ compotes non sunt. Etenim caput sensuum omnium arcem occupat grauedo, sopor, κάρος ὁ ἐξ οἴνου, καρηβαρεία, quæ Latinis Elucus siue helucus. Apuleius Apol. *Crassus ipse vbi gentium est? An Alexandriam tædio domus remeauit? an parietes suos detergit? an, quod verius est, ex crapula heluco attentatur?* Sic emendandum puto hunc locum. nam corruptè vulgò legitur: *ex crapula helluo att.* De eluco Festus, & Tertullianus lib. De coron. mil.

AD LIB. X.

Epigram. xxv. *Tunica præsente molesta.*] De hac tunica dixi ad Onosand. pag. 17. & Phædrum, lib. iv. Fab. 60.

AD LIB. XI.

Epigram. xx. *Diserta es.*] Lasciua es & salax. Sic intellige lib. ix. Epigr. xii.

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus seueriores.

Et lib. vj. Ep. in Laberium:

Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi, virum putabo.

Et lib. xij. Epig. in Sabellum:

Tantis non erat esse te disertum.

Epigram. lxxiij. *Draucı Nata sui vocat pipinnam.*] Si quid mutandum, libens scriberem *pisinnam.* hoc est paruulam. aptissimè ad sequentem versum. Auctor Glossarum in Persium citat hunc versum Labeonis Gram.

Crudum mãduces Priamum, Priamiq; pisinnos.

Id est, paruulos filios.

Epigram. xcv. *Iura, verpe, per Anchialum.*] Rumor erat Anchialum puerum Martialis, à poëta quodam Iudæo pædicari. arguit eum Martialis quod natus in ipsis Solymis, adeoque sanctior & castior putaretur, tamen pædicaret. Negabat ille simul & per Deum iurabat. At proterue Martialis, iura, inquit, per ipsum Anchialum, puerum meum. In odium Iudaicæ religionis. Nec assentior viris doctissimis qui aliter interpretantur. Quod attinet ad nomen Anchiali exstat vetus Epigramma: Anchialus Lesbiæ.

Hospes sta, & lacruma, si quid humanius in te est,
Ossua dum cernis consita mœsta mihi.
Quoius laudati mores, & forma probata 'st
Anchialo. quem cura anxia debilitas.
Lesbia sum, quæ dulcis mores sola reliqui,
Et vitam viuens parui in officijs.
Sei nomen quæris, sum Lesbia: si duo amantes,
Anchialus dulcis cum suo homine Spurio, &c.

Epigram. xcix. *Labra pingui delibuta ceroto.*] Pinguia labra, quasi cerata, siue ceroto inducta. Cerotum, κηρωτόν. Vet. gloss. κηρῶ, *cero.* κήρωμα, *ceroma.* Hinc emendandus Arnobij locus insignis l. vj. *Inter deos, inquit. videmus leones toruissima facie, mero oblita minio, & nomine frugi ferio nũcupari.*

Si simulacra hæc omnia superiorum sunt imagines numinum, ergo & in cælo habitare dicendus est deus talis, ad cuius formam & speciem simulacri huius similitudo directa est: & videlicet vt hic, iste, ita illic, ille, sine reliquo corpore persona est, & facies sola, fremibundus hiatibus tornidis, dirus, sanguineo decocoro malum dentibus suis comprimens, &c. Si verum amamus, legendum: *dirus sanguineo de ceroto.* hoc est, quod ipse supra dixerat, *facie mero oblita minio.* quo modo etiam, pro *toruissima facie*, dixit: *fremibundus hiatibus tornidis.* Ceterùm, vt de vna fidelia duos parietes dealbemus, hæc Arnobiana de Sole accipienda sunt, qui leonino vultu pingebatur, dicebaturque Osyris frugifer: Papinius Statius Thebaid. I.

——seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu: seu præstat Osyrin
Frugiferum.

B Vnde & iocatur Arnobius, ait enim eum nomine frugi serio nuncupari, cùm tamen ebrij faciem potiùs præ se ferat, mero oblitam minio, quasi, si placet, nimio mero. Nihil autem mutandum in illis verbis, *nomine frugi serio nuncupari.* quamuis aliter putet Theod. Marcilius Interpretam. Leg. XII. pag. 127. De leonina Solis facie, Placidus Lactantius Comment. ad Thebaid.

AD LIB. XII.

Epigram. XLIX. *Grandes vniones.*] Insignes baccas, Horatio Satyra 3. titulatos, elenchos, indices, margaritas oblongas. Vet. Gloss. *Elenchi*, μαργαρεῖται μεγάλαι. Iuuenalis Sat. VI.

Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Videatur vetus Interpres.

Epigram. LXXIIX. *Multis dum precibus.*] Simile illud decanum legatis ad Iouem apud Phæ-A drum lib. IV. Fab. 76.

Ibidem. *Offensus genitor &c.*] Quasi Aethon crepando religioni vitium fecisset. Elegans fragmentum ex lib. M. Catonis in L. Veturium: *Domi quum auspicamus, honorem me Deum immortalium velim habuisse. Serui, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem seruo aut ancillæ dormienti euenit quod comitia prohibere solet, ne id quidem mihi vitium facit.*

Ibidem. *Post hoc flagitium.*] Sic Plauto fores crepantes flagitium facere dicuntur.

Epigram. LXXXIX. *Qui solus inopi præstat & facit turbam.*] Phædrus lib. III. Fab. 78. *Æsopus domino solus quum esset familia.*

AD LIB. XIV.

B

Epigram. LXXIX. *Priapus siligineus.*] Vide ad Phæd. Fab. 72.

Epigram. LXXIII. & LXXIV. *Psitacus. Coruus.*] Arnobius lib. II. *Discit verba psitacus integrare, & nomina prorsus expromere.* Liber ms. in Bibliotheca Regia. *& nom. corsus expromere.* Inde coniicio scribendum esse: *& nomina coruus exprom.*

Epigram. CLIII. *Semicinctium.*] Vn demiceinct, vne estreinte. Nicetas Choniates in codice barbaro-græco dicit, τρυαίπιον, ἤτοι βύκλας. Semicinctio, quasi laqueo, ad informem nodum, vtebatur ille apud Petronium Sat. *Et iam semicinctio stanti ad parietem spondam iunxeram*, &c. Nec erat quod hunc locum, quasi desperatum, deponeret eruditissimus author Animaduersionum in Petron. pag. 336.

Epigram. CXCII. *Ebrius Prometheus.*] Vid. Phædrus lib. IV. Fab. 73.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN M. VAL. MARTIALEM.

VIRO integritate, fide & doctrina summè conspicuo D. PETRO CAGNERIO Regij Nauarræ Collegij Primario Stephanus Clauerius in Cur. Par. Aduocatus, affectum suum ingenuè secutus hos Annotationum electarum flosculos lubens merito dedicauit: vt qui vel proclinem ipsius beneuolentiam vbiuis perspexerit, vel humanitatem in eo singularem sæpiùs expertus sit.

HIC Poëta quia ducit originem à gente Celtica atque inde nonnihil gloriatur: meritò etiam à Celta aliquo vel pluribus omni genere officij prosequendus est. Itaque non inuitus feci vt vnus è multis ei quoque venirem suppetias, si modò ars nostra quid noui aut exquisiti meditari valeat. atque vtinam mihi rem adeò eleganti poëta non indignam præstare alicubi cõtingat. Is enim est qui vix vlli priorum vel in structura elegiaci versus, vel in scazontis & phaleucij numeris, vel denique in Epigrammatis peritia facilè cesserit. cuius certe rei sibi ingenuè conscius, multos sibi præferri non quidem patitur, sed tamen vni Catullo, quod & voluit Muretus, palmam relinquit. propter centum scilicet plus minus aristas, vt ita dicam, nulla profectò ipsi pars deest ad sui operis vel argumenti laudem & industriam. quem si quis non legerit multa & præclara ignoret necesse est. Etenim styli acumine & elegantia, natiua denique vrbanitate & facetiis in tantum excellit, vt nihil supra emineat. Quæ quidem dicteria vel ioci magnis etiam oratoribus sunt idonea. quinimo si Tullio ipsi fides oppidò quàm necessaria quod sane in causa fuit, cur tanti viri Libertus ea de re volumen colligeret, vt patroni optimi memoriæ tali munusculo benigne litare posset, vel potius vt sua ipsius dicta auctori iucundissimo gratè refunderet. neque frustra Fabius plures paginas in eiusmodi venustate ac deliciis mordaci quidem aceto dilutis, & post eum Aurelius Macr. consumpsit. Nostrum profectò poëtam Plinius Iunior ab ea parte laudat potissimum. ita vt in eo salis plurimum & fellis prædicet non sine candoris nota insigni, cuius rei ergò se ipsi amicum nuncupat, eiusque hendecasyllabis sese honoratum fuisse non parui ducebat. Ex eo nimirum non solum copiosa & varia, sed etiam subtilis materia ad quaslibet argutias elici queat; siue domi, siue foris, priuatim quoque & propalam. Seria enim sæpius miscet nec minus illustria, vt venam aut Peligni vatis aut sane Tibulli animam in plærisque sortitus videatur. Neque vero Marullus Byzantinus ferendus est, qui vana cuiusdam opinione deceptus cultum Epigramma in Latio reperiri negat: cum Palladas & alij quidem minores græculi nihilo plus agant quam si data opera vbiuis ineptiant. Abesset tantum alicunde mira quædam loquendi simplicitas & plus satis Romana locutio, atque aulica blandimenta qualibus hodie in regia quoque nostra honor est. Si tamen huic Poëtæ vel vnicum I-ta dempseris gratia omnis actutum perierit, lepos denique omnis abfuerit. quamuis multò sit consultius pleraque leuiter & in transitu legi quam toto sinu pressiùs & amabiliùs foueri. Verum ea videtur auctorum indolis raræ aut genij felicioris esse conditio, vt apud eos viola vrticæ & spinis rosa sit vicinior. neque tamen id semper aut necessariò bonis moribus, longéque minus firmatæ iam ætati præiudicat. Ludorum siquidem lasciuia nonnulla in Spectaculis, Principum legibus vel placitis permissa est: ne populus videlicet quid peius moliatur dum lætitiæ expers aliquid, vt sæpe, monstri alit ac nouis rebus animum intendit. Atqui homines nostri plærisque sanctis doctoribus, non quidem sapientiores, sed zeli sui impulsu pauló seueriores operi non solum Satyrico, sed etiam huic poëtæ pudoris lineas, non semel euaganti

suæ nouaculæ aciem gnauiter adhibuerunt. Quod qui magnæ & eruditæ societati primitus ascribi volunt, vetustatem vnius tantum sæculi videre exemplaria. Id enim satis docet Parisina quædam Editio, quam Vascosanus multis post lustris splendide imitatus est. Fr. vero Siluius Ambianus tum iuuenis Præfatione sua verbis quidem obsoletis & scrupeis, à quibus tamen postea defecit, composita omnibus palam facit meriti sui hac in parte fiduciam. Quod antiquissimum nec ignobile volumen inter aliquot S. Marionis viri Clarissimi libellos quasi aliud agendo à me repertum est. Longolij sane chirographum præ se ferebat. Quæ quidem res mirum in modum viris deuoti ordinis placere potuit. Si modo insignis ille & cum primis disertus E. Augerius id præuiderit. quem profecto si P. Melissus poëta Germanus consuluisset, longe aliò amandasset præsidem istum Hellesponti olim castæ Æneidi adiunctum, suâ tamen operâ huic nostro ex manuscripto codice assertum, satis aliàs probabili indicio. Non tamen hæc eo dicimus quo Martialem ab omni penitus lasciuia immunem præstare velimus. Satis erit ei non fuisse penitus improbum, nemo enim sine vitiis nascitur. qui minus malus est, magis quoque bonus intelligitur. Et vero auctoris huius genuinus candor & occulta, vt sic dicam integritas tantam sæpiùs facit cum verborum nequitia mixturam vt confusio illa vix ad suas species reduci queat, nisi cum ipsius detrimento. nam de suo aliquid addere vel ex ingenio mutare, id vero sit ardui operis, & quod iecur Cratetis, vel cor Zenodoti forsan cluserit. Qua in re tamen quotus quisque est qui non miretur ac suspiciat ingenium illud nobile cui Sparta illa tandem obtigerit? Ceterùm dixeris non immerito Poëtam hunc fuisse sui propè fati augurem. dum scilicet obnixe orat. Ne quis suos libros curtare velit, ita enim hic efferre libet. Et vero Pudens Claudiæ, à diuo Paulo in Epistolis laudatæ, maritus quædam emendari optauit, & quidem calamo & manu ipsius Martialis, quod & ipse non siluit. Sed minuenda est eorum opinio qui speciem adulationis in eo circa Imperatorem suum denotant. quod vt fiat exemplum viri alicuius optimi & honoratissimi supra denique omnem ingenii aleam positi in medium afferre non grauabor. Is est Quintilianus, qui Principem illum satis, opinor, perspexerat. Domitianum hercle à cœlesti iudicio effusè laudat, moresque suos à sanctissimo Censore probatos gloriatur. ac se cauere ait: ne videatur fefellisse principem, vt in studiis, sic in eloquentia quoque eminentissimum. denique cum omnes in auxilium deos inuocet, Domitianum in primis appellat, quo neque præsentius aliud neque magis propitium numen agnoscit. vt quantum sibi expectationis adiecit tantum ingenii aspiret, denique talem ipsum faciat qualem esse credidit. Idem auctor admirandus alio loco significat hunc ingentem Cæsarem doctioribus musarum alumnis fuisse annumerandum, nisi eum ab institutis studiis deflexisset cura terrarum. Quid enim, inquit, iis ipsis eius operibus, in quæ donatus Imperio iuuenis secesserat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius? Quis caneret bella meliùs, quàm qui sic gerit? quem præsidentes studiis deæ propiùs audirent? cui magis suas artes aperiret familiare numen Mineruæ? Dicent hæc pleniùs, inquit, futura sæcula. Quæ cum ita sint, iam non ampliùs indignari libet poëtæ, cui potestas quidlibet audendi maior fuit. vtut sit, laudanda sunt Principum initia, si bona illa sunt; si finis inclinat, silentium præstò erit. quanquam non fuit tunc temporis adeò tutum siluisse de Principe, auctore Plinio, qui eâdem operâ Martialem proculdubiò absoluit. Fuit autem eius animi vt Neruæ ac Traiani principatu eiuraret omnes illas blanditias; quas quidem attritis labellis miserabiles vocitat. nec tamen memoriæ sui quondam fautoris ac domini temere vel vbique illudit. quod non est exile sinceritatis vel modestiæ argumentum. Fabius enim vix probat Catulli distichon in Iul. Cæsarem. Nec satis æquum fuisset conuicia Principi reponere, qui Epigrammata ipsius in magna honoris parte posuerat. Domi nobilem & Equestri apud suos familia fuisse non ambigitur. prædia quoque opimi in patria reditus possedit. Quo magis succensere licet iis qui cuiusdam textus historici prauitate delusi ipsi vera aut craticulam in manum indidere. Legendum enim ibi fuit ex veteri codice: Martialis quoque Epigramma. non, Coci. quod tamen auidè arripuit litteratissimus ille hominum Th. Marcilius. eique obieci per iocum, ita vt subridens non adeò instaret. Sic olim, inquam, Nouita fuit Propertius, qui non ita diues erat. Quinimo poëta noster coquos data occasione vbiuis exagitat. ac præcipuè eo loci vbi apertè indicat, se malle conuiuis placere quàm coquis: vtpote vilibus ac nullius fere precii famulis. Iuuenis Romam se contulit, vbi triginta quinque annis moratus est. Ædes quoque habuit in vrbe proprias & rus suburbanum. Is an-

num agens circiter quinquagesimum septimum in Iberiam reuersus est: cùm in votis haberet sibi à superis concedi ætatem M. Antonii Tholosani sui necessarii; quiquidem annorum erat septuaginta quinque. Quin verò sub Traiano Principe terras reliquerit nullus dubito. Scripsit denique carmina tanquam victura, nec falsus fuit. Eo namque viuo ac superstite lecta sunt apud Getas vel in Dacia ad signa martia, vt ipse loquitur. In Gallia Togatâ, & aliis istius cœli regionibus ac præcipuè Viennæ, quæ tunc temporis erat prouinciæ caput, ac deliciarum omne genus spirabat. In Germania quoque musa ipsius effloruit, atque apud vltimos orbis Britannos, vt ille ait. De Hispania nihil miror: Toto denique in orbe notus fuit Martialis, ac pauci post cineres adepti sunt, quod illi viuenti ac sentienti optimo iure contigit. atque hæc, quodammodò selecta, saltem animi causa præfari libuit.

MARTIALIS PATRIA.

Nos Celtis genitos & ex Iberis.

GRATIA APVD DOMITIANVM.

Sæpe meos laudare soles Auguste libellos,
Inuidus ecce negat: num minus ergo facit
Quid quod honorata non solum voce dedisti,
Non alius poterat quæ dare dona mihi.

IN BRITANNIA LECTVS EST.

Dicitur & nostros cantare Britannia versus.

APVD GETAS VEL IN DACIA, VT ALIBI,

Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis,
A rigido teritur centurione liber.

COQVOS NIHILI FECIT.

Non nimium curo. nam cœnæ fercula nostræ
Malim conuiuis quàm placuisse coquis.

VIENNÆ IN GALLIA IPSIVS EPIGRAMMATA celebrata sunt.

Fertur habere meos, si vera est fama libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, iuuenisque, puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim quam si mea carmina cantent
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt.
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat & Hybla meas, pascat Hymettus apes.

IPSI ERGO FAVETE GALLI
QVANDO IPSI TANTI ESTIS.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN M. VAL. MARTIALIS SPECTACVLA.

AD EPIGR. I.

BARBARA.] Hæc aspera vox in ipso limine aliquem sistere valeat. aut sane exciter. nam & genus dubium videri potest ac simul de nùmero non satis constat. nisi si quis vel ingenij acumen vel iudicij scintillam propiùs admouerit. Ego verò quod pace dicam vestra, ô candidiores huius sæculi animæ, *Barbara miracula* effero libentiùs. quandoquidem alibi dixit: *Regia pyramidum miracula.* quod epitheton profecto non impedit quo minus reges illi Ægyptij fuerint barbari: qui prodigiosum opus & penitus immane, imo vero vanissimum pro se quisque fieri iusserint. non enim id agit poëta hoc in loco vt *Memphin barbaram* appellet, neque si voluisset id potuit salua cõstructione & verborum ordine, quippe vt sentit Fabius huius rei arbiter omnium qui scripsere vnquam peritissimus: *Multum habet obscuritatis vitiosa distinctio & locatio.* Obscuritas quoque eiusdem relatu vbique vitanda est, vt ænigmati affinis: siquidem dilucide loqui vt idem ait est virtus. Aberit igitur amphibolia si hoc mobile vt ita loquar fixo minus remoto libere accedat. quod & rerum natura & ratio structuræ plus satis efflagitat. Alia enim causa subest illi versiculo: *Iam taceat Eoum barbara Memphis opus.* quia omnia sunt ibi plana neque vllo modo inuoluta. cum hic adiectiuum proximiori substantiuo iure viciniæ obtigerit. Neque vero sum nescius tractus Memphitici incolas hoc quoque epithero sed non perpetuo insigniri, & quidem habita ratione cultus externi ac nimium quantum superstitiosi: vnde Nazianzeno dicta est ἀθέα quam ἠγαθέην Orpheus vocat, quod firmat Iuuenalis Satyra contra Iudæos composita: vbi hæc *Barbara famoso non cedit turba Canopo.* atqui Titus Imp. ibidem consecrauit bouem Apin. Tibullus item: *Te canit atque suum pubes miratur Osirin Barbara Memphiten plangere docta bouem.* Scitum est autem Pyramidas plus ostentare materiæ quam artis, vt solent plæraque *regum*, vt ex Horatio dicam, *barbarorum*, aut gentis alicuius illepidæ vel obtusæ monumenta. in quibus nihil præter molem & saxa immania demirari licet. quo spectat illud Statij: *Educere molem Cyclopum scopulos vltra atque audacia saxa Pyramidum.* Indignatur autem Lucanus: quod Littora Pompeium feriant: *Cum Ptolemæorum manes seriemque pudendam Pyramides claudant.* & alibi: *Non mihi Pyramidum tumulis euulsus Amasis, Atque aly reges Nilo torrente natabunt?* ex quibus patet vsus tantæ molis quæ suas ipsius vmbras consumit quartæ Græcorum litteræ figuram effingens vndique. Est vero vbi *Memphis dædala vel ingeniosa* dici queat, si picturæ acus, aut astrorum peritiæ calculus ponatur. *piam* quoque dici posse eo nomine docet Claudianus Panegyrico in Manlium de iustitia dea quæ ipsum *Inuenit æthereos signantem in puluere cursus, Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis.* Restat vt *Barbara miracula* exemplis in eam rem adductis declarem. Plinius certe hoc satis innuit eo loci: A Memphi sex millibus passuum distant Pyramides. Non constat à quibus factæ sint: *iustissimo casu obliteratis tanta vanitatis auctoribus.* Q. Curtius lib. VIII. satis docet quid barbaries à cultu differat: *Barbara*, inquit, *opulentia* conuiuium, quoniam regem accipiebat, instruxerat. apud Cic. quoque vetus poëta dixit: *Ope barbarica.* quibus accinit Virgilius: *Barbarico postes auro spolijsque superbi.* apud Ouidium in Ep. sunt in eo: *fuerant certe delubra Dianæ: Aurea barbarica stat dea facta manu.* vide plane eundem poëtam in amatorijs de cultu, huic barbariæ opposito.

BABYLONA.] has duas vrbes iunxit quoque Lucanus. *Tunc Babylon Persæa licet, secretaque Memphis.* Autenus: *Qua sunt flabra noti, Babylon subducitur arce Procera in nubes. hanc prisca Semiramis vrbem Vallauit muris quos non absumere flamma Non aries penetrare queat. Stat maxima Beli Aula quoque argento. domus Indo dente nitescit; Aurum tecta operit latè sola contegit aurum.* quibus nihil magnificentius.

LABOR] *Assiduus* catenatus, actus in orbem. Ouidius: *Anxietas animi, continuusque labor.* hunc vero locum apertiùs explicat Albius Tib. *Quem labor assiduus vicino terreat hoste.* vt indicet eum videri quidem nec esse felicem qui multis terræ cultissimæ iugeribus polleat, aut qui sit, vno verbo, locuples: si vicini hostis potentiam timeat, ac munimenta bellica & propugnacula quotidie vel singulis horis, imo verò assiduè aucta & ampliata; ne quid vnquam deesse videatur. exemplo erit Argentoratum, aut Vienna sedes Imperij. Herodotus de muris Babylonis in Clio: τῆς δὲ Βαβυλῶνος ταύτης πολλοὶ ἐγένοντο βασιλῆες, οἱ τὰ τείχεά τε ἐπεκόσμησαν, καὶ τὰ ἱρά. Ex quibus colligitur magnos illos Persarum reges assiduam nauasse operam mœnibus ac templis vrbis opulentissimæ vndiquaque exornandis. Neque vero soli Reges eodem teste, hanc sibi gloriam vindicarunt. nam & Reginæ in partem illius vel opti-

mam ac præcipuam venere. cui rei aptare libet illud Maronis distichon: *Certatim ornabant omnes Heroida diua, Certatim diua, munere quaque suo.* vt sit Babylon quasi Heroina vel princeps vrbiū. Claudianus: *Creditur & centum portis Babylona superbam Femineus struxisse labor.* Inde quid elaboratum dicitur à Cic. & Arte laboratæ vestes Virgilio. laboratas etiam aquas Martialis dixit. Hic sane labor assiduus nihil aliud signat quam *muros Babylonis.* vel teste Cassiodoro, qui *septem orbis miracula* ordine recenset, ac statuit vltimum *Pyramidas Aegypti.* Præterea meminit Herodotus cuiusdam regis cui nomen Asychis à quo Pyramis lateritia sit relicta cum inscriptione, vbi iactat illa se tantū lapideas anteire quantum Iupiter ceteris diis præstantior est. Ille verò est princeps qui, eodem historico teste, *Cadauer patris pignori dare instituit.*

MOLLES *honores.*] Vt quid enim *Iones* conieceris? *Molles* igitur *honores* sunt opera quælibet statuarij aut sculptoris molliter spirantia. atque adeo delicata vt artis subtilitas grata simul & miranda eluceat. quod referri potest vel ad effigiem ipsius Dianæ vel ad columnas templi ipsius, de quibus à singulis regibus factis stupenda narrat Plinius. vbi testatur cetera eius operis ornamenta pluriū librorum instar obtinere. Statius verò in Siluis: *His & femineum vultu decus, oraque supra Mollis honos.* Claud. in Manlium: *Ne careant molles nota testudine ludi.* Incruenti scilicet. Contra Statius in Thebaide: de aqua infera. *Saeuus honos fluuio.* Claudianus item de Crystallo: *Auctus honor, liquidi crescunt miracula saxi.* Sic gemmei honores in hortis florulentis. sic ruris honores. & oris honos in viro illustri, ex optimis auctoribus dici queant. Quid si poëta noster omnia in templo Dianæ adeò effecta & splendida fuisse intelligat, vt oculis spectantium & mentibus aduenarum sint voluptati & admirationi, vt speciem quandam religionis floridę potiùs quàm sacrificij cruenti exhibeant? Diana siquidem apud Tauros templum habuit, vel potius aram humano sanguine aspersam. vnde Claudianus: *O templis Scythia atque hominem sitientibus aris Vtraque digna coli.* Ouidius lib. III. de Ponto. de ara illa Dianæ Scythicæ: *Sacrifici genus est, sic instituere priores Aduena virgineo caesus vt ense cadat.* vide totam Elegiam vnde colligas quam diuerso honore Diana olim venerata sit, *molli* scilicet, vt Ephesi. *sanguineo ac barbaro* vt in Taurica regione. vbi dea illa non nisi cæde placabilis est.

DISSIMVLET.] Deum. *Apollinem scilicet.* qui quadrimus adhuc post reditum sororis è venatione caprarum siluestrium ab ipsa interfectarum cornua innumera prope paludem cumulauit ibique Aram ex tali materia construxit; muri instar aut maceriæ sine calce eductæ. non tamen sine artis miraculo. Ouid. in Fastis: *Mille feras siluis Phœbe venata redibat, Aut plus, aut medium Sole tenente diē.* ex quibus patēt innumera cornua. Huc vero nonnihil respicit lorica nexilis Domitiani. de qua idem poëta libro VII. *Quam vel ad Aetolæ securam cuspidis ictus, Texuit innumeri lubricus vnguis apri.* quod sane artificium mihi sæpiùs animo reputanti visum est olim satis nobile & ingeniosum.

MAVSOLEA.] Mausoli regis opus. quod meliore nota pensile poëtæ nostro videbatur quam horti illi Babylonici qui pensiles quoque erant. κρεμαστοὶ Græcis.

CAESAREO.] Tito Cæsari, vel potiùs Domitiano quasi auctori Amphitheatrum adscribit. quippe is vt Claudianus loquitur præsumptum diadema tulit. ac teste poëta nostro in suo orbe tertium se dici passus est. id enim sibi priuatim assumebat vt esset reuera Imperator vel viuo parente & fratre. eadem ratione vel temeritate quidam se vrbium magnarum & venerandæ antiquitatis, dici conditores non abnuerant. Sic Eutropius apud Claudianum appellari sustinuit: *Tertius vrbis conditor.* & Caligulæ natalis Palilia vocatus est argumento *Vrbis ab ipso rursus conditæ.* quasi vero idem sit reparare aut aliquid reficere quod condere, vel à fundamentis nouum opus extruere. Cæterùm si Domitianus fuit iure ipso aliis viuētibus Imperator, sequitur indubiè quicquid ab illis gestum est ipsius meritis & gloriæ accedere. atque ita opinor tacite concludit poëta in gratiam Domitiani.

AD EPIGR. II.

SIDEREVS] Diuini quasi operis. vt Propertius *Non, non humani culices sunt talia dona.* alioqui videtur hoc epitheton abundare vt sit species ταυτολογίας, aut πλεονασμός quæ superfluitas est; vel, vt Cicero extulit, redundantia. propiùs enim videre astra, & sidereum esse nihilo pænè differunt, imo vero plus est sidereus, ac sequentia in versu destruit. Claudianus magis est tolerabilis hoc loco: *mediisque volantia signa Nubibus.*

REGIS.] Hoc ad inuidiam Neronis dicitur. & quasi ad Bruti sæculum redit quo regis nomen odiosum erat.

PEGMA.] πῆγμα à verbo πήγνυμι concresco compingo.

AD EPIGR. III.

RHODOPEIVS.] Vt poëta doceat quot è regionibus & quam penitis & adiacentibus externi Romam veniant, confundit Rhodopen eiusque accolas cum Hæmo. & quidem figura aliis vsitata Ouidius: *Qua patet vmbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum.* & est quasi συναθροισμός vel congeries pæne indigesta. vel αὔξησις seu amplificatio lineas aut limites fere transgressa. vt apud Claudianum insigni exemplo: *Thuriferos Arabum saltus, vada Caspia Medi, Armenij Phasin, Parthi liquere Niphaten.* quæ omnia fines potius vltimos istarum gentium vel regionum denotant quàm ipsam eorum natalem terram. quî enim fieri possit vt Rhodopes incola ab Hæmo veniat? nisi id saltem καταχρηστικῶς accipias. vide plane Virgilium lib. VII. de gentium Italicarum venusta enumeratione.

SONAT.] Hic statuunt plerique omnes comma aut quid simile. ego verò pleniùs ac veriùs dici existimo: *Vox diuersa sonat populorum.* dein aptè sequitur: *Est vox tamen vna.* apud Virg. legimus gentes linguis & habitu varias.

AD EPIGR. IIII.

TVRBA.] Hoc totum Epigramma de expulsis delatoribus agit. Suet. in Domitiano: Ferebatur vox eius: *Princeps qui delatores non castigat, irritat.*

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN M. VAL. MARTIALIS SPECTACVLA.

AD EPIGR. I.

BARBARA.] Hæc aspera vox in ipso limine aliquem sistere valeat. aut sane excitet. nam & genus dubium videri potest ac simul de numero non satis constat. nisi si quis vel ingenij acumen vel iudicij scintillam propiùs admouerit. Ego verò quod pace dicam vestra, ô candidiores huius sæculi animæ, *Barbara miracula* effero libentiùs. quandoquidem alibi dixit: *Regia* pyramidum *miracula.* quod epitheton profecto non impedit quo minus reges illi Ægyptij fuerint barbari: qui prodigiosum opus & penitus immane, imo vero vanissimum pro se quisque fieri iusserint. non enim id agit poëta hoc in loco vt *Memphin barbaram* appellet, neque si voluisset id potuit salua cõstructione & verborum ordine, quippe vt sentit Fabius huius rei arbiter omnium qui scripsere vnquam peritissimus: *Multum habet obscuritatis vitiosa distinctio & locatio.* Obscuritas quoque eiusdem relatu vbique vitanda est, vt ænigmati affinis: siquidem dilucide loqui vt idem ait est virtus. Aberit igitur amphibolia si hoc mobile vt ita loquar fixo minus remoto libere accedat. quod & rerum natura & ratio structuræ plus satis efflagitat. Alia enim causa subest illi versiculo: *Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.* quia omnia sunt ibi plana neque vllo modo inuoluta. cum hîc adiectiuum proximiori substantiuo iure viciniæ obtigerit. Neque vero sum nescius tractus Memphitici incolas hoc quoque epithero sed non perpetuo insigniri, & quidem habita ratione cultus externi ac nimium quantum superstitiosi: vnde Nazianzeno dicta est ἄθεα quam ἠγαθέην Orpheus vocat, quod firmat Iuuenalis Satyra contra Iudæos composita: vbi hæc *Barbara famoso non* C *cedit turba Canopo.* atqui Titus Imp. ibidem consecrauit bouem Apin. Tibullus item: *Te canit atque suum pubes miratur Osirin Barbara Memphiten plangere docta bouem.* Scitum est autem Pyramidas plus ostentare materiæ quam artis, vt solent plæraque *regum*, vt ex Horatio dicam, *barbarorum*, aut gentis alicuius illepidæ vel obtusæ monumenta. in quibus nihil præter molem & saxa immania demirari licet. quo spectat illud Statij: *Educere molem Cyclopum scopulos vltra atque audacia saxa Pyramidum.* Indignatur autem Lucanus: quod Littora Pompeium feriant: *Cum Ptolemaorum manes seriemque pudendam Pyramides claudant.* & alibi: *Non mihi Pyramidum tumulis auulsus Amasis, Atque aly reges Nilo torren-*

A *te natabunt?* ex quibus patet vsus tantæ molis quæ suas ipsius vmbras consumit quartæ Græcorum litteræ figuram effingens vndique. Est vero vbi *Memphis dædala vel ingeniosa* dici queat, si picturæ acus, aut astrorum peritiæ calculus ponatur. *piam* quoque dici posse eo nomine docet Claudianus Panegyrico in Manlium de iustitia dea quæ ipsum *Inuenit æthereos signantem in puluere cursus, Quos pia sollicito deprendis pollice Memphis.* Restat vt *Barbara miracula* exemplis in eam rem adductis declarem. Plinius certe hoc satis innuit eo loci: A Memphi sex millibus passuum distant Pyramides. Non constat à quibus factæ sint. *iustissimo casu obliteratis tanta vanitatis auctoribus.* Q. Curtius lib. VIII. satis docet quid barbaries à cultu differat: *Barbara*, inquit, *opulentia* conuiuium, quoniam regem accipiebat, instruxerat. apud Cic. quoque vetus poëta dixit: *Ope barbarica.* quibus accinit Virgilius: *Barbarico postes* B *auro spolijsque superbi.* apud Ouidium in Ep. sunt in eo: *fuerant certe delubra Dianæ: Aurea barbarica stat dea facta manu.* vide plane eundem poëtam in amatoriis de cultu, huic barbariæ opposito.

BABYLONA.] has duas vrbes iunxit quoque Lucanus. *Tunc Babylon Persea licet, secretaque Memphis.* Auienus: *Qua sunt flabra noti, Babylon subducitur arce Procera in nubes. hanc prisca Semiramis vrbem Vallauit muris quos non absumere flamma Non aries penetrare queat. Stat maxima Beli Aula quoque argento. domus Indo dente nitescit; Aurum tecta operit latè sola contegit aurum.* quibus nihil magnificentius.

LABOR.] *Assiduus* catenatus, actus in orbem. Ouidius: *Anxietas animi, continuusque labor.* hunc vero locum apertiùs explicat Albius Tib. Quem *labor assiduus* vicino terreat hoste. vt indicet eum videri quidem nec esse felicem qui multis terræ cultissimæ iugeribus polleat, aut qui sit, vno verbo, locuples: si vicini hostis potentiam timeat, ac munimenta bellica & propugnacula quotidie vel singulis horis, imo verò assiduè aucta & ampliata; ne quid vnquam deesse videatur. exemplo erit Argentoratum, aut Vienna sedes Imperij. Herodotus de muris Babylonis in Clio: τῆς δὲ Βαβυλῶνος ταύτης πολλοὶ ἐγένοντο βασιλῆες, οἱ τὰ τείχεά τε ἐπικοσμήσαντο, καὶ τὰ ἱρά. Ex quibus colligitur magnos illos Persarum reges assiduam nauasse operam mœnibus ac templis vrbis opulentissimæ vndiquaque exornandis. Neque vero soli Reges eodem teste, hanc sibi gloriam vindicarunt. nam & Reginæ in partem illius vel opti-

mam ac præcipuam venere. cui rei aptare libet illud Maronis distichon: *Certatim ornabant omnes Heroida diua, Certatim diua, munere quæque suo.* vt sit Babylon quasi Heroina vel princeps vrbiũ. Claudianus: *Creditur & centum portis Babylona superbam Femineus* struxisse *labor.* Inde quid elaboratum dicitur à Cic. & Arte laboratæ vestes Virgilio. laboratas etiam aquas Martialis dixit. Hic sane labor assiduus nihil aliud signat quam *muros Babylonis.* vel teste Cassiodoro, qui *septem orbis miracula* ordine recenset, ac statuit vltimum *Pyramidas Aegypti.* Præterea meminit Herodotus cuiusdam regis cui nomen Asychis à quo Pyramis lateritia sit relicta cum inscriptione, vbi iactat illa se tantũ lapideas anteire quantum Iupiter ceteris diis præstantior est. Ille verò est princeps qui, eodem historico teste, *Cadauer patris pignori dare instituit.*

B MOLLES *honores.*] Vt quid enim *Iones* conieceris? *Molles* igitur *honores* sunt opera quælibet statuarij aut sculptoris molliter spirantia. atque adeo delicata vt artis subtilitas grata simul & miranda eluceat. quod referri potest vel ad effigiem ipsius Dianæ vel ad columnas templi ipsius, de quibus à singulis regibus factis stupenda narrat Plinius. vbi testatur cetera eius operis ornamenta pluriũ librorum instar obtinere. Statius verò in Siluis: *His & femineum vultu decus, oraque supra Mollis honos.* Claud. in Manlium: *Ne careant molles nota testudine ludi.* Incruenti scilicet. Contra Statius in Thebaide: de aqua infera. *Saeuus honos fluuio.* Claudianus item de Crystallo: *Auctus honor, liquidi crescunt miracula saxi.* Sic gemmei honores in hortis florulentis. sic ruris honores. & oris honos in viro illustri, ex optimis auctoribus dici queant. Quid si poëta noster omnia in templo Dianæ adeò effecta & splendida fuisse intelligat, vt oculis spectantium & mentibus aduenarum sint voluptati & admirationi, vt speciem quandam religionis floridę potiùs quàm sacrificij cruenti exhibeant? Diana siquidem apud Tauros templum habuit, vel potius aram humano sanguine asperſam. vnde Claudianus: *O templis Scythiæ atque hominem sitientibus aris Vtraque digna coli.* Ouidius lib. III. de Ponto. de ara illa Dianæ Scythicæ: *Sacrifici genus est, sic instituere priores Aduena virgineo cæsus vt ense cadat.* vide totam Elegiam vnde colligas quam diuerso honore Diana olim venerata sit, *molli* scilicet, vt Ephesi. *sanguineo ac barbaro* vt in Taurica regione. vbi dea illa non nisi cæde placabilis est.

DISSIMVLET.] Deum. *Apollinem scilicet.* qui quadrimus adhuc post reditum sororis è venatione caprarum siluestrium ab ipsa interfectarum cornua innumera prope paludem cumulauit ibique Aram ex tali materia construxit; muri instar aut maceriæ sine calce eductæ. non tamen sine artis miraculo. Ouid. in Fastis: *Mille feras siluis Phœbe venata redibat. Aut plus, aut medium Sole tenente diẽ.* ex quibus patet innumera cornua. Huc vero nonnihil respicit lorica nexilis Domitiani. de qua idem poëta libro VII. *Quam vel ad Aetolæ securam cuspidis ictus, Texuit innumeri lubricus vnguis apri.* quod sane artificium mihi sæpiùs animo reputanti visum est olim satis nobile & ingeniosum.

MAVSOLEA.] Mausoli regis opus. quod meliore nota pensile poëtæ nostro videbatur quam horti illi Babylonici qui pensiles quoque

A erant. κρεμαστοὶ Græcis.

CÆSAREO.] Tito Cæsari, vel potiùs Domitiano quasi auctori Amphitheatrum adscribit. quippe is vt Claudianus loquitur præsumptum diadema tulit. ac teste poëta nostro in suo orbe tertium se dici passus est. id enim sibi priuatim assumebat vt esset reuera Imperator vel viuo parente & fratre. eadem ratione vel temeritate quidam sę vrbium magnarum & venerandæ antiquitatis, dici conditores non abnuerant. Sic Eutropius apud Claudianum appellari sustinuit: *Tertius vrbis conditor.* & Caligulæ natalis Palilia vocatus est argumento *Vrbis ab ipso rursus condita.* quasi vero idem sit reparare aut aliquid reficere quod condere, vel à fundamentis nouum opus extruere. Cæterùm si Domitianus fuit iure ipso aliis viuẽtibus Imperator, sequitur indubiè quicquid ab illis gestum est ipsius meritis & gloriæ accedere. atque ita opinor tacite concludit poëta in gratiam Domitiani.

AD EPIGR. II.

SIDEREVS] Diuini quasi operis. vt Propertius *Non, non humani cultus sunt talia dona.* alioqui videtur hoc epitheton abũdare vt sit species ταυτολογίας, aut πλεονασμός quæ superfluitas est; vel, vt Cicero extulit, redundantia. propiùs enim videre astra, & sidereum esse nihilo pænè differunt, imo vero plus est sidereus, ac sequentia in versu destruit. Claudianus magis est tolerabilis hoc loco: *medijsque volantia signa Nubibus.*

REGIS.] Hoc ad inuidiam Neronis dicitur. & quasi ad Bruti sæculum redit quo regis nomen

C odiosum erat.

PEGMA.] πῆγμα à verbo πήγνυμαι concresco compingo.

AD EPIGR. III.

RHODOPEIVS.] Vt poëta doceat quot è regionibus & quam penitis & adiacentibus externi Romam veniant, confundit Rhodopen eiusque accolas cum Hæmo. & quidem figura aliis vsitata Ouidius: *Qua patet vmbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum.* & est quasi συναθροισμός vel congeries pæne indigesta. vel αὔξησις seu amplificatio lineas aut limites fere transgressa. vt apud Claudianum insigni exemplo: *Thuriferos Arabum saltus, vada Caspia Medi. Armenij Phasin. Parthi liquere Niphaten.* quæ omnia fines po-

D tius vltimos istarum gentium vel regionum denotant quàm ipsam eorum natalem terram. quî enim fieri possit vt Rhodopes incola ab Hæmo veniat? nisi id saltem καταχρηστικῶς accipias. vide plane Virgilium lib. VII. de gentium Italicarum venusta enumeratione.

SONAT.] Hic statuunt plerique omnes comma aut quid simile. ego verò pleniùs ac veriùs dici existimo: *Vox diuersa sonat populorum.* dein aptè sequitur: *Est vox tamen vna.* apud Virg. legimus gentes linguis & habitu varias.

AD EPIGR. IIII.

TVRBA.] Hoc totum Epigramma de expulsis delatoribus agit. Suet. in Domitiano: Ferebatur vox eius: *Princeps qui delatores non castigat, irritat.*

GAETVLIS.] Nulla orbis plaga fuit exulibus addictior quibusdam Libyæ tractibus, ac desertis. vbi sane vita erat supplicio. testis mihi Iuuenalis, quod Pithœus confirmat: Is vero in Oasin Libycam fuit relegatus: vt & Timasius vir consularis, quod ex Zosimo probari queat. licet apud beatum Hieronymum Assæ nomen reperias. Claudianus in Eutr. *Exulibus Meroe; campique gemiscunt Aethiopum. pœnis hominum plaga personat ardens.* Gætuli autem populi sunt hîc pro ipsa regione positi. Plinius hist. *Gætulis exaduerso iaculantibus.* Aldi vero Manutij codex ante centum & viginti fere annos editus hanc firmat lectionem: *Tradita Gætulis.* quod & S. Marionis V. C. liber asserit & Catanæus probat.

ARENA.] Vel μονομαχῶς pro theatro sumitur vt sæpe. ita vt intelligatur nocentes indignos fuisse habitos qui Spectaculis adeo nobilibus interessent. vel qui in arenam ceu gladiatores ac damnati descenderent. quo sensu poëta Nilotes insultat Eunucho qui multos facultatibus exuerat, ac suæ sortis hominem iugulauerat: *Tu tamen exemplo non feriere tuo. Viue pudor fatis.* huc vero pertinet locus insignis ex Panegyrico Plinij vbi, *Piaculares victima ad lenta supplicia grauioresque pœnas ducebantur. Congesti sunt*, inquit, *delatores in nauigia raptim conquisita ac tempestatibus dediti.* deinde: *Memoranda facies delatorum classis permissa omnibus ventis*; vide inibi plura & satis copiosè tractata. I. Lipsij tamen coniectura meritò quibusdam aculeum reliquit. nec enim adeo aliena est. imo vero nescio quid priscæ elegantiæ sapit. quippe *Traducere titulis* ex eodem poëta, licet ægrè, elici queat. vide quæ dicam Ep. LIV. lib. I.

DELATOR.] Quasi lege antiqua talionis. Plinius qui supra: *Quantum diuersitas temporum posset tum maximè cognitum est, cum ijsdem quibus antea cautibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus affigeretur.* & paulo pòst: *Spectent paria præmio damna*: timeantque quantum timebantur.

VITAM.] Huc pertinet eiusdem Plinij locus: *Ingenti quidem animo diuus Titus securitati nostræ vltionique prospexerat; ideoque numinibus æquatus est.* hunc vero Cæsarem poëta noster satis nouerat quod ex quibusdam locis deprehendi potest.

AD EPIGR. V.

PASIPHAEN.] Qui omnibus apparet dici queat πανφαής, hæc fuit dedita opera aut potius ex industria tauro quem amabat supposita. Ouidius in Arte: *Hanc tamen implenit vacca deceptus acerna Dux gregis.* hæc denique si nunquam armenta fuissent, teste Virgilio, fortunata erat. eandem vero *Virginem infelicem* dolentis affectu vocitat.

AD EPIGR. VI.

BELLIGER.] Tanta fuisse videtur hîc Romani principis Maiestas vt deos ipsos suis voluptatibus desudare compulerit quasi seruili obsequio. si quidem ita se res habet vt inde Mars inde Venus, venatoriis armis aut telis insignes, feras nobilioris generis confecerint. Mars, inquam, id est vir aliquis fortis & præsentis audaciæ statura minime vulgari, & femina quædam forma illustri & prope diuina, Veneri ipsi denique comparãda.

A NEMEES.] Hic versus sic habet in quodam codice: *Prostratum Nemees in vasta valle Leonem.* Vasta autem vallis non imperite dici queat. vastum quippe locum & inanem Varro dixit. Cicero autem, vastas solitudines. sed hæc nil faciunt ad Leonis prodigium. nisi si regem egerit in Valle spaciosa. Aliàs legitur. *& Vasta mole leonem.* quod est maioris efficaciæ. vt apud Columellam. *boues pectore magno, armis vastis.* Ouidius in Met. *quem vastum vastior ipse sustulit.* quod planè repræsentat nostrum leonem cum suo domitore; aut sanè Anteum. Claudianus in allusione quadam: *Crassa mole Leo.* quod est viri proprium. Idem de Marte & summo illo belli duce: *Et clypeis & mole pares.* Ouidius de Terræ filiis: *Obruta mole sua cum corpora dira iacerent.* quæ faciunt vt minus suspecta sit hæc posterior lectio. B

AD EPIGR. VII.

NIMIO.] Eleganter mea quidem sententia. quia miser ille dolebat sibi in damnum suum & pœnam assiduam crescere intestina. quod satis aperte docet Claudianus in Proserp. vbi de Tityo loquitur, in re consimili: *Inuitus trahitur lasso de pectore vultur, Abreptásque dolet iam non sibi crescere fibras.* Atqui *nudo pectore* planum satis est. sed propè inutile. Cæterum quatuor versus pænultimi non creduntur esse poëtæ huius & à quibusdam id notatum est. sed non video cur ita sit. Eos enim plus satis confirmat vetus exemplar. & Epigramma elegans de Scæuola fictitio qui constanter adeo se gessit: *Scire piget post tale nefas quid fecerit ante. Quam vidi satis est hanc mihi nosse manum.* ex quibus colligere est diuersi generis flagi-C tia variis & exquisitis supplicijs expiata. vt in hoc Epigrammate, vbi: *Viscerat antiqua sceleratus nomina fama.* Sic enim legendum ex vet. libro. non *crimina*. Statius de sua Thebaide: *Tentat audaci fide Mantuana Gaudia famæ.* homo vero magni nominis est gloriosus, sine nomine est inglorius. Atqui *Scæuola* fuit magni nominis. & ipse *Prometheus*, qui teste Claudiano Prudentia excellit: & faber multo melior fratre suo extitit. eoque maioris nominis & famæ.

AD EPIGR. VIII.

DÆDALE.] Hoc epigramma breue quidem est & ex præcepto cuiusdam græculi in Anthologia. sed obscurum satis. Ego vero crediderim posse intelligi de quodam qui cum seruus pœnæ, D vt ita loquar, effectus esset, ei sortito obtigerit schema vel imitatio Dædali illius volatici; qui tamen euasisse fertur amisso filio. quæ fabula nulli incognita est. nescio quid simile de Simone mago refertur in Eccl. historia & apud Suetonium: *Primo*, inquit, *statim conatu iuxta Neronis cubiculum decidit, ipsúmque cruore respersit.* Iuuenalis quoque in re absimili de quodam homine Attico qui suo periculo idem tentauit: *Non Maurus erat, nec Sarmata nec Thrax, Qui sumpsit pennas.* Fieri autem potest vt hîc Dædalus Icari fato in arenam deciderit; atque ab vrso, inibi quasi excubias agente, dilaceratus fuerit. ex composito nimirum, & quasi de sententia iudicis, aut ipsius Cæsaris. ea tamen lege, vt si prospero volatu ad locum securum allapsus fuisset, vitam quoque lucri facere potuerit. atque eiusmodi spectacula

edidit Cæsar ille non ad suum sed populi arbitrium vide Suet. in Tito.

AD EPIGR. IX.

RHINOCEROS.] Dicitur ἀπὸ τῆς ῥινὸς καὶ κέρατος. Est autem animal vnum in nare cornu habens. quod me audiente plurimi è suggestu confudere cum monocerote: cuius cornu in fronte apparet. legimus autem ῥινᾶν apud Menandrum, id est decipere. Eustathius vero irridere explicat. quod est naso suspendere apud Satyricos.

PILA.] Eadem figura seu hyperbole dixit Terentius homines à diis tāquam pilas haberi. quod Græcis est ἀποσφαιρίζειν. Cicero: quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, *nec tanquam pilam retorserit*. atque hoc est illudere apud comicum vel, si pluribus sis ludibrio, datatum excipi. vt Plautus extulit.

AD EPIGR. X.

MANVS.] Inde mansuetus ὁ καὶ χειροήθης quasi manui assuetus. manum patiens Virgilio. *mansuetarij* verò sunt Lampridio, qui feras quasi sub iugum mittunt, aut leniunt.

INGRATO.] Apud Varronem, Onager è fero fit mansuetus facile, è mansueto ferus nunquam. ἰδίᾳ πη ἐχειῶτης. Sed leonis feritas hîc reuersa est.

FERIS.] Ouidius: *Candida pax homines, trux decet ira feras.* quæ tamen ira bono principi visa est vel in leone castiganda. propter inofficiosum illud erga magistrum facinus.

AD EPIGR. XI.

VRSVS.] Turpe & informe atque ignobile animal. & quod prostratis insultet. vnde Ouid. postquam Leonis naturam laudauit: *At lupus & turpes instant morientibus vrsi, Et quæcunque minor nobilitate fera est.* Idem: *fœta violentior vrsa.* propter catulos. vt & Leæna aut tigris aliqua.

AVCVPIS.] Ouidius met. *Artesque dolosas Tollite, nec volucres viscata fallite virga.* Idem de Philoctete in oratione Aiacis: *Venaturq́ue, aliturque auibus.* vbi legitur in omnibus excusis: *Velaturq́ue.* quod summus quidam Aduocatus mihi, aliàs cunctanti, facile persuasit.

AD EPIGR. XII.

DIANÆ.] Hæc enim præses venationis, vel theatralis. vt vero hîc *sus grauida* sic *enixa* Virgilio dicitur. & *nati* postea dicentur. ITER. Hoc quoque sulcato latere quædam experiuntur sæpius. de Baccho vide Metamorphosin. & Q. Curtium de monte qui ἀπὸ τοῦ Μηροῦ, id est à femore nominatur. apud Ouidium quoque legitur sus *famulus vindexq́ue Dianæ.* quod Maximus vertit: ὁ θεράπων καὶ ἐκδικητὴς τῆς Ἀρτέμιδος. κάπρος videlicet non ὗς simpliciter.

AD EPIGR. XIII.

VTRIVSQVE.] Vt Diana præest siluis ac venatoribus, sic etiam vtero laborantibus præsto esse legitur, nomine Lucinæ. eadem ratione *Pallas vtraque* apud Claudianum visitur, in Europium imbellem: *quid te turpissime bellis Inseris aut saui pertentas Pallada campi? Tu potes alterius studijs hærere Mineruæ. Tu telas non tela pati.* pulchre id quidem.

AD EPIGR. XIV.

SVS *fera.*] Hinc patet fuisse agrestem suem Græcis σύαγρος.

INGENIVM.] Statius: *Casus agit virtutis opus.* Ouidio quoque: *grande doloris Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.* Idem in Epist. *Non subiti casus, numinis ista mora est.* plura dixit ad Claud.

AD EPIGR. XV.

MOLE.] De hac voce satis multa retuli Epigram. vi.

DECVISSE.] Innuit esse opus Herculeum, aut laborem dignum Hercule. Ouidius de Arione phrasi non dissimili vtitur. *capit ille coronam, Qua posset crines Phœbe decere tuos.*

PORREXIT.] Statius dixerit *Explicuit.* de Serpente: *per iugera campi Vix tandem explicitum.* id est porrectum & exanimem.

AD EPIGR. XVI.

FRATERNA.] Neptunia æquora. vide Oden Horatij hac de re ac Metamorphosin.

ALCIDEM.] Hic locus subobscurus excuti meruit. scitum est Domitianum affectasse Herculis numen, aut quia erat καλὸς καὶ μέγας, vt est apud Suet. aut quia malorum profligator siue ἀλεξίκακος audire voluit. Quinetiam maior Hercule dictus est: lib. IX. quoque legimus: *Herculis in magni vultus descendere Cæsar Dignatus, Latiæ dat noua templa viæ.* deinde: *Alcide, Latio nunc agnoscende Tonanti, Postquam pulchra dei Cæsaris ora geris.* priori autem Epigr. dixerat: *Maiorem Alciden nunc minor iste colit.* quæ quidem sunt hîc verisimilia.

CÆSARIS.] Lib. I. Epigr. VI. *Quæ maiora putat miracula?* deinde: *Hæc sunt Cæsaris illa Iouis.* multis vero Epigr. suum Cæsarem cum Ioue committit.

STEMMA.] Vetus & recepta lectio. pro nobilitate vel insignibus. qualia in clypeis & galeis apud Græcos & Latinos poëtas. ita vt Stemmate minus splendido illustres, videantur quoque ignobiliores, id est, vt Euripides loquitur σημάτων ἥσσονες. Sed enim Schema quoque legitur. idque referendum erit ad formam bouis quam Iuppiter assumpsit. quæ sane minus est nobilis Alcidæ persona quam sibi Domitianus hîc imposuisse visus est. nisi malis & hunc Tauri imagine censeri.

VT.] Concessio, sed ficta tacitè forsan innuit Alciden quid maius sibi videri ipsa Europa.

TVLIT.] Machina enim eiusmodi fuit, bouis imagine, quæ arte quadā occulta sessorem ipsum Alcidem siue Cæsarem quasi ad astra, vel in altum aëra sustulerit, cum Europæ taurus planitiem æquoris tantum sulcauerit quod magis in procliui erat. quo pertinet tritum illud τὰ καλὰ χαλεπά. quæ difficilia pulchritudine excellunt.

AD EPIGR. XVII.

DOCENTE.] Apud Aelianum Elephas idem

præstat coram Indiæ rege sed ὢν διδαχθείς. quod minoris est miraculi.

AD EPIGR. XVIII.

HYRCANO.] Tigris à Claudiano dicitur *bellua Hircana*. eique maritum Zephyrum propter velocitatem assignat, quod Oppianus non serio agnoscit, vt qui mares videri dicat.

SÆVA.] Vel vt Ouid. ait fame extimulata: *Τίγρις ἐρεθιζομένη τῇ πείνῃ*.

LEONEM.] Hæc duo animalia iunxit Horatius: *Dictus ab hoc lenire tigres, rabidosque leones.* feræ autem illæ non adeo dissident vt sibi obuiam factæ in siluis aut locis desertis insiliant nocendi animo. vnde & pardi, Claudiano teste;

Semine permixto geniti: cum fortè leæna
Nobiliorem vterum viridis corrupit adulter.

FERITATIS.] Inclusæ nimirum tigres in suis caueis irritantur sæpius. atque iis feritas sua redit aliquando. sic magni exules olim efferati sunt, vt Tiberius. de quo in Suet. *regnabit sanguine multo*. quia Rhodi inuitus detinebatur.

AD EPIGR. XIX.

TAVRVS.] Hic verò cornu periit cui natura cornu defensionis causa dederat. notum est illud: *φύσις κέρατα ταύροις ἔδωκεν* ex Anacr. quod & dixerat Phocyl. hæc autem vox homonyma est. vnde vetus Ænigma Cælij: *Mœchus eram regis: sed lignea membra sequebar. Et Cilicum mons sum; sic non sum nomine solo. Et volo in cælis, & in ipsis ambulo terris.*

ELEPHANTA.] Elephantus quoque dicitur. ac non solum pro ipso animali dicitur sed etiam pro materia eburnea sumitur. vnde Virgilius: *In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto.* & alibi: *candenti perfecta nitens elephanto.* Eboris autem Romani adeo studiosi & appetentes fuere, vt vix ipsos satietas eius rei tenuerit, quinimo venatores vt eorum desiderium explerent cornua vel dentes miseris animalibus in Africa excutiebant. atque in naues onerarias iniecta, Romam vel ad publicum vel ad priuatum opus auehebant. vnde Claudianus: *ereptis Elephas inglorius errat Dentibus.* quæ sane fuit prodigiosa luxuries. Elephantinus autem dicitur pænultima breui ne quis erret cum dictionariis. vt crystallinus. quod firmat Teïus poëta hoc versiculo: Ελεφαντίνους τραχήλους. Elephantinum collum pro eburneo vel candido.

AD EPIGR. XX.

TRIVMPHVM.] Nomen proprium inde ortum quod homo ille voluptatibus populi addictus excellere videbatur. Comicus id satis, licet figurate innuit eò loci: *Id vero seriò triumphat.*

PROMISIT.] Mira Principis popularitas & ciuilitas qui cum alteri faueret impensius, vtrumque tamen admiserit, quod plane conuenit Imp. Tito: qui, vt ait Suetonius, Studium armaturæ Thracum præ se ferens sæpe tamen cum populo & voce & gestu ipsam cauillatus est.

AD EPIGR. XXI.

THEATRO.] Orphei Theatra fuere montes & Siluæ. vnde Virgilius: *tum Siluis Scena coruscis.* A Ouidius lib. x. venuste in primis de Orphei theatro fortuito: *Vmbra loco deerat.* deinde *Vmbra loco venit.* postillà: *Tale nemus vates attraxerat, inque ferarum Concilio medius, turba volucrumque sedebat.* Claudianus in Epigram. de Orpheo: *Præbuerat dulcis mira theatra lyra.* Poëta quoque noster lib. x. dixit Orphea: *Vdo vertice lubricum Theatri, Mirantesque feras.*

IPSE.] Id est Orpheus fictitius in arenam damnatus vel ad bestias propter suum flagitium. quod vero Th. Marcilius vir ingeniosissimus legit supra: Adfuit immistum *pecori*, clarius quidem est: Sed nullo codice id firmari video. Itaque sic distingui potest: Adfuit immixtum pecudum genus; omne ferarum. Talem vero mixturam & confusionem vt ita loquar videre est B libr. III. Georgicωn: *Omne adeò genus in terris hominúmque ferarúmque Et genus æquoreum, pecudes pictæque volucres.* Pecora enim à feris non discernit Virgilius libr. IIII. Æn. hoc in loco: *Spumantemque dari pecora inter inertia votis optat aprum.*

AD EPIGR. XXII.

COLLIGIT.] Proritabantur enim feræ quantumuis immanes: territæ, primo intuitu, multitudine illa theatrali. vnde Claudianus de fera commota: *Illa pauet strepitus.* deinde: *& tanti miratur sibila vulgi.* Iram verò colligere & ponere dixit Horatius. at enim quid maius est se in iram colligere.

IS redyt.] Legendum iis vel his. duo enim intelliguntur. vt Rhinoceros & Taurus Siluestris aut Vrus. qui quidem gemino cornu grauis erat aduersario, cui vnum & simplex à natura da- C tum est.

EXTVLIT.] In Apophoretis de eodem: *Hic erit ille tibi cui pila taurus erat.* Extulit scilicet vrum grauem sibi gemino cornu. eadem figura dixit Horatius: *Sithoniis non lenis Euxus*, id est grauis & onerosus tyranni instar qui cum telo suis subditis incubare solet, vt videantur onus Ætna grauius sustinere. Dicam obiter ex Plinio spississima ex omni materia maioris quoque esse ponderis, atque ideo & grauissimam iudicari ebenum & buxum. quod etiam ad metalla referri queat.

AD EPIGR. XXIII.

DORICA.] Non ab ratione admiserim *Norica* ex Plin. & Horatio. Sed quæ tandem inuidia est textui recepto subscribere? Dores enim D fuere opinor, satis industrij vt venabula magis aliis idonea fabrili arte conficerent, nec defuit ipsis materia. Si liceret itaque nobis aliquid coniicere, præsto est locus Plinij lib. XXXV. vbi: Ex omnibus generibus palma Serico ferro est: Seres hoc cum vestibus suis pellibusque mittunt.

TVLIT.] Forte subsidens fero vt Virg. loquitur & Ausonius.

GEMINOS.] Viri magni huic dicto fidem non adhibent. Sed vt ait Petronius iocose id quidem sed probabili modo Taurum geret qui vel quæ vitulum sustulerit. qui enim suarum virium insigne olim periculum facere voluerunt ita vsi perhibentur. quod ad geminos quoque extendi queat. Sed si separatim id præstitit Carpophorus nihil restat scrupuli: nota est Milonis historia & Herculis labor, qui magnum illum & immanem

Aprum teste Papinio: clamantibus, vel, *miranti-bus intulit Arges.* vt est in vet. codice.

In *tela.*] Forte eorum qui quasi in statione positi erant ad proritandas feras vel conficiendas si minus gnauiter se gererent, aut fugerent suam antagonistam.

AD EPIGR. XXIV.

Prima.] Id est qui non antea tali spectaculo adsueris.

Enyo.] Bellona quibusdam creditur. dea bellica, πολεμικὴ θεός. Claudianus I. in Eutropium: *Erubuit Mauors, auersaque risit Enyo.* alibi à poëta nostro *ciuilis Enyo* pro bello ciuili dicitur.

Laxent.] Verbū militare. Silius: *Laxātur cunei.*

AD EPIGR. XXV.

Quod.] Hoc distichon videtur instar esse vnius Epigrāmatis & sane verū est. propter sequentia quæ per se cōstant. vbi etiā persona mutata est.

Leandrus.] Vel Leander. vt Celtiber. quod est tamen suspectius. vide Epistolam Ouidij, & opus illud venustissimum poëtæ Græci.

AD EPIGR. XXVI.

Lusit.] Lemma huius Epigrammatis est, de natatoribus, suspectum plane: & nisi me animus fallit prorsus alienum. Ipsum quoque Epigramma Oedipum aliquem requirit. viri sane docti qui nos in hoc puluere præcesserunt ingenue profitentur se non assequi. Ad quid enim illa sunt idonea: *Credidimus remum, credidimusque ratem.* vbi nulla est lectionis controuersia, neque aliter poëta scripsit, etsi animi sui sensa in operto reliquit. Ego verò facilè euincam id non posse intelligi de naue aut remis fabri lignarij aut architecti manu dedolatis: Sed potiùs de pictura aut artificio, adeo subtili, vt sit meritò omnibus admirationi, ad stuporem vsque. Sedenim memini quid in eam speciem haud ita pridem Parisiis contigerit in Pancelrio siue magno illo omnium ordinum consessu, munificentia magnæ Galliarum Cybeles, idq; explicare erit mihi facilius; vel cuiuis alij qui tali spectaculo interfuerit.

Pinxit.] Hoc verbum satis docet fuisse picturatum opus. sed artis secreto mirabile simul & oculis periucundum.

Sidus *fulgere.*] Vt supra vndarum fictio & nauium, sic etiam hoc loco ignis innocuus & stellatus emicat. quo forte aliquā alludit Claudianus nullius prope rei inscius. quod satis probat illis versibus quibus ignem & aquas eiusmodi oculis subijcit: *varios effingat Mulciber orbes Per tabulas impune vagus; pictaque citato Ludant igne trabes.* deinde: *Lasciui subito confligant aequore lembi Stagnaque remigibus spument inuersa canoris.* quod quidam referunt ad Naumachiam, qualem, Dione teste, Nero exhibuit, aqua subito inducta. neque omnino inficior, sed aliquid mihi subesse iam videtur discriminis.

Liquidis.] Vndas forsitan fingit populari opinioni indulgens. cum id aëre contigerit opera quadam & inuentione Dædalea. Aer quoque à Virgilio simili epitheto decoratur:

Apparet liquido sublimis in aëre Nisus.

Didicit.] Vtrem nouam ac penitus inauditam quid enim ipsi notius est nauibus aut remis aut stella Castorum? denique ludis Actiacis & Siculis, Thetis ipsa non semel vt ita dicam recreata est. quod satis Ausonio patet in Mosella: *pugnasque iocantes Naumachiæ: Siculo quales spectante Peloro Caeruleus viridi reparat sub imagine pontus.*

A vide & Epithalamium Honorij, vbi Nereides, vbi Cadmeïa ludit Leucothoë, ac Nereides natant & lasciuiunt.

AD EPIGR. XXVII.

Iam *nullum.*] Versus propter nouitatem locutionis non adeo expositus. Gruterus ex vet. libro legit: *Iam nullum in monstris.* Ego vero nihil addiderim. ac malim sumere illud *opus* pro operæ precio, aut labore. Sensu isto: Si olim Carpophorus, nempe Herculis sæculo, vixisset; monstra omnia vbique terrarum facile deleuisset; atque ipsi Alcidæ gloriam suam præripuisset, aut sane minuisset. ita vt leuè iam ac prope futile videretur monstrum vnum atque alterum singulatim elidere ipsius exemplo. vel: *Nullum opus fuisset*, id est res non adeo immensi aut magni operis videretur, monstris debellandis vacare. quod enim Hercules longa annorum serie præstitit, id Carpophorus vna die effectum dedisset. Is nēpe duodecim labores hodie pariter impleuit. Eodem fere modo Claudianus magnum illum belli ducem

B præfert Druso & Traiano: *Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit Transcurrens egit Stilichon totidémque diebus Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis.* vix mihi tamen satisfeci.

AD EPIGR. XXVIII.

Augusti.] Hoc initium satis explicate aperit Ouidius in Arte: *Quid modo cum belli naualis imagine Cæsar Persidas induxit Cecropiasq; rates? Nempe ab vtroque mari iuuenes, ab vtroq; puella Venere, atq; ingens orbis in vrbe fuit.* quod quidem ad historiam pertinet. vt ego quidem ad Persium notaui de porticu Medis illita. Idem vero Augustus Actiacum littus nauali certamine animi causa celebrauit.

Freta.] Non solum de mari sed etiam de fluminibus enuntiantur apud Poëtas.

C Pars *quota.*] Supra: *Quantula portio.* Iuuenalis: *Quota portio.* quæ sunt priscæ elegantiæ.

In *vndis.*] Subita hic & mirabilis elucet mutatio aut vicissitudo, vbi enim Galatea natitat aut ludit, statim aqua pæne refusa & regesta, currus cum aurigis suis apparent arenam aut planitiem etiamnum liquentem, neq; penitus aqua immunem decurrentes, ita vt Triton: qui nondum loco se amouerat, crediderit equos curules, Neptuni equos esse: scitum est enim nobile illud animal à Neptuno primitus eductum. Claudianus ad Arc. & Honorium Impp. *Vobis Ionia virides Neptunus in alga Nutrit equos.* Quod si malis Neptunum curru quadrijugi per aquam nouo more euectū; quod etiam Cardinalis Borbonius olim in Sequana ad

D Lunæ radios exhibuit, nihil repugno. ita tamen vt *pulsus* ille qui intextu pro æquata vndarum facie non sine abusu accipiatur.

Pedester.] Abnuit scilicet ire per aquas vt alij solēt. voluit enim per vndas quasi equitare & curru vehi contra rerum naturam. supra quædam vidimus eiusmodi. vbi versus visco est implicitus.

Cæsarea.] Hic versus malè habet. in quibusdam sanè libris variat. vnde veritas hæc elici potest: *Cæsaris hoc diues præstitit vnda tibi.* supra; Ep. xxv. *Desine mirari Cæsaris vnda fuit.* sunt & alia menda apud hunc poëtam quæ nos olim minimo negotio ex vet. libros sanauimus, vt suo loco videris. Sequuntur nescio quæ disticha & Epigrāmata vt non inepta, sic neq; γλυκέα τῷ πάνυ. quibus explicandis alius erit forte aptior.

FINIS.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. I. EPIGRAMMATVM M. VAL. MARTIALIS.

IN PRÆFATIONEM.

SPERO.] Hæc Præfatio elegans satis indicat quid hîc Poëta sermone soluto præstare potuerit. Sensa enim ipsius nec vulgaria sunt, & exactum stylum professi oratoris nescio qua insigni dote, vt mihi quidem videtur, anteeunt, aut sanè implent. ita vt hæc edera vino nec vendibili etiam prodesse queat. Illa certe huic Operi lepidissimo non parum gratiæ & commendationis addit. Nec iam demiror magnum illum Rhetorem ex Iberia qui nobis de poëtarum lectione toties verba fecerit: multoque minus Ciceronem ipsum qui non solum fatetur, sed & palam prædicat Archiam sibi principem fuisse in ratione studij, eiusque præceptis se fuisse confirmatum non abnegat. quia videlicet Poëtice & Prosa oratio habent quoddam commune vinculum. Statius quoque præfatur æquè nobili successu.

SCRIBAT.] Scitum est quid hoc in loco scribere sit, ex Catullo & aliis: quod quidem notas in fronte, aut stigmata vbiuis impressa designat. hîc verò lituras. Sedenim quia vidi in codice veteri *strigat*, libens admiserim *Stringat*. metaphora quoque sumitur à militibus qui gladium stringunt feriendi animo. Virg. *Horrescit strictis seges ensibus.* Inde calamum stringere satis receptum vt & linguæ spicula vel dentem. inde Caius Princeps facundus & promptus, auctore Suetonio. *Stricturum se lucubrationis suæ telum minabatur.* atque in secretis eius reperti sunt duo libelli diuerso titulo: alteri enim *gladius*, alteri *pugio* index erat. *perstringere* etiam satis notum est. vnde verbum diminutiuæ speciei *Obstrigillo*, quo Varro vsus est. atque idem signat quod καταβλαπτήματα. quare apud Catullum in Septenariis versibus (sic enim Varro appellat) legi potest ex antiquæ scripturæ vestigiis *manus mollicellas constrigillent.* Strigilem vero à stringo dici, quis sani capitis negare velit? aut quis poëtæ Veronensi notam impingat vnius syllabæ malè productæ? siquidem legatur inibi Conscribillent. vtut sic illud *Scribat*: quod hactenus inualuit, non mihi quidem tussim, vt Catullus ait, sed frigus persæpe attulit, id tamé vt non etado, sic neque vlli inuideo. certè vix ea mens poëtæ nostro vt sit vlla sui parte obscurus, vel dubius. quinimo facilitas natiua ipsum à scriptorum vulgo vbique secernit.

A TRISTIS.] Eiusmodi ambitio nostri fere téporibus inoleuit, quæ mera ὑποκρίσεως. vnde ὑποκριταὶ gens malesuada & malefica. cuiusmodi viperas in sacris damnari palam est. quia proditioni sæpius affines videntur. Ouidius: *Dij quoque, vt à nobis hilari pietate colantur, Tristitiam tolli per sua festa iubent.* cauendum est profectò à ieiunis facie tenus, quibus se scribere Ausonius negat.

IN EPIGR. I.

VIVENTI.] Gloriatur tamen illustris poëta Claudianus suam viuentis effigiem & carmina in Foro Traiani efflorescere. atq; Vrbem orbis parentem vna cum Impp. sibi suæque laudi propalam astipulari. Sic teste Plinio vnius Varronis adhuc viui imago posita est.

IN EPIGR. II.

CAPIT.] Idem alibi de papillis. Propertius: *Et sum quod digitis quinque leuatur onus.* quibus ἰσχιάδιον signatur.

B

IN EPIGR. III.

NOSSES.] Hoc Epigramma primum facit libri secundi I. Gruterus. Sed nil opus est.

AD EPIGR. IIII.

BASIA.] Legendum est proculdubio *Basia captas.* non *iactas.* qui enim libellus vt est res inanima iactarit basia? nota sunt illa: Osculo excipere. in osculis habere, quæ sunt legentium aut eorum qui depereunt, vel suauiantur volumen aliquod sibi tandem oblatum.

LITVRAS.] Emendationem intelligit quæ sæpius deteriore nota auctore Ausonio mutat aliquid, vt succus prope nullus remaneat. tales sunt matres quæ vt filias amabiles præstent quotidie nonnihil in earum ornatu vel mundo variát: iisque interim subducunt alimenta, faciunt denique illas curatura iunceas, vt Comicus loquitur.

AD EPIGR. V.

PROBA.] Quotus enim quisque est ex iis qui Curios aut Cleantas simulant, cui non sit vapida vulpes in pectore, honestas vero in lingua? & cui satis non sit præcipere, dum-

modo fucum suis sectatoribus facere impunè queat? magis profectò est tolerabilis verborum simplicitas & libera quædam locutio quam vitæ segnioris illusio; malitas, & malitia.

IN EPIGR. VI.

Do tibi.] Breue quidem hoc sed non adeo lete aut apertum quidam volunt auctorem esse Principem quod inficetum ac nullius prope est intellectus. Ego verò qui sæpiùs notaui Epigrammata huius poëtæ ad Marcum. facile conijcio vel potius percipio huius distichi sententiam, quæ opinor talis est: Mitto ad te versus de Naumachia quam edidit Imperator, tu vero inde occasionem arripis mittendi vicissim ad me Epigrammata: & quidem futilia eiusdem argumenti, credo te non satis aduertere tuas ineptias, dignus es profectò qui in aquam ipsam vbi nauibus certatum est proijciaris cum tuo artificio vel poësi. vide Epigr. XXIIII. in Spectaculis de Naumachia Domitiani. Cæterum olim si quid minus acceptum esset id vel igni vel aquæ immitti solebat. Aquæ in primis Ouidius Eleg. I. lib. III. Amorum de versibus missis dominæ: *at illa Rupit, & apposita barbara mersit aqua*. Martialis autem lib. III. Epigr. IX. *Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat, Non aliter mitti debuit iste liber*. Idem lib. V. Ep. LIV. *Materia est mihi crede tuis aptissima chartis Deucalion: vel si non placet hic, Phaethon*. Prætereà lib. XIIII. Epig. CXCVI. *Hæc tibi, quæ fontes & aquarum nomina dicit Ipsa suis melius charta natabit aquis*. Sic enim legendum ex optimis codicibus. vide quid Suet. & alij dixerint de scriptis Rhetorum ad aram Lugdunensis olim Athenæi.

IN EPIGR. VII.

Timidis.] Timebat scilicet Aquila ne læderet diuinum hunc puerum quem κάλλιστον καὶ αἴζηον Homerus vocat. γάνυμαι. & μήδος Ganymedis nomen efficiunt. de hoc vero Cicero Tusc. I. hic certe Aquila ceu numen pueri sentiat vnguibus quamlibet strictis ita temperat, vt oneri suo timeat. non sine rationis indicio, vnde Horat. *Expertus fidelem Iuppiter*. Claudianus in Siculis fratribus idem fere notat: *In iuuenum membris animosus cernitur horror. Atque oneri metuens, impauidúsque sui*. dicitur & Ganymedes Κατάμιθος Ausonio vnde & καλαμίξις permixtio: *Aut Iouis Elysij tu Catamitheus eris*. Huius sane Epigrammatis conclusio modesta simul & figurata est. multoque tolerabilior ea quæ in Epigr. XVI. Spectaculorum visitur. vt vero Aquila regina auium, sic Leo rex quadrupedum faciunt, vt comparatio iniqua non sit. vide Vopiscum de Aureliano qui ab Aquila innoxia infans è cunis leuatus est.

Vtrique.] Præualet, opinor, *Vtrinque*. nisi malis Aquilæ & Leoni auctorem adscribere.

IN EPIGR. VIII.

Columba.] Natiuus ille profectò & venustulus Stellæ affectus. nihil enim amabilius aue illa quam sibi Venus ipsa vendicat. Anacreon ea de re ipsam ode suauissima prosecutus est. vt quæ generi humano se sponte addixerit. malitque heri sui domum peruolitare quam in agris & montibus versari. imò serua esse quàm libera. cum aliæ

A aues proferant siluas caueæ. Ouidius: *Nititur in siluas quaque redire suas*. vide illa Ἐρασμίη πέλεια quam Ἀνακρέων ἔπεμψε, Πρὸς παῖδα τὸν Βάθυλλον sic ait: Καὶ νῦν ὁρᾷς ἐκείνου ἐπιστολὰς κομίζω, καὶ φησὶν ἐγγὺς δ' αὐτὸν ἀφῇ με δουλεύειν αὐτῷ. Quare idem poëta noster de Columba niuea quæ in sinum puellæ ex aëre sublimi delapsa est. *Luserat hoc casus. nisi inobseruata maneret, Permissáque sibi nollet habere fuga*. Ceterum sub Traiano memoratur in antiquo lapide. *L. Arruntius Stella consul*. cũ Iulio Marino.

IN EPIGR. IX.

Qvod.] Naturæ bonitas in poëta nostro plurimum hîc elucet. qua gladiatorium, vt ita loquar, animum non probat. Natio enim Stoïca procliui lapsu sectæ suæ dogma sæpe transiliens mortem non solum oblatam contempsit, sed auidè arripuit. eoque paratior fuit ad necem alterius. B tales fuere Brutus & Cassius viri cætera ingentes, sed furiis agitati. tædet ac piget plura addere; quia recens plaga. & cui obuiam ire licuit. Seneca in Epist. *Ridiculum est currere ad mortem*. idem non fugiendum è vita sed exeundum ait. *Vitetur*, inquit, *affectus & libido moriendi*. ex quibus patet vera Stoicorum disciplina.

IN EPIGR. X.

Bellvs.] Hoc Epitheton feminam sapit aliquando. sed hic nescio quid faceti & cordati. cũ proceri homines nullo sale aut aceto sint notabiles. sic Vlysses Aiacem superauit. *magnus* quidem ex Aristotele formosus dici queat, sed minoris staturæ homo ingenio supplet quod corpori deesse videtur: est enim plerumque ἀσπίδας σύμμαχος, C ἄρης. vide Tydei descriptionem apud Statium. & Claudianum in bello Getico, de quodam Alano *Cui natura breues animis ingentibus artus finxisse* dicitur.

IN EPIGR. XI.

Tvssis.] Quæ sæpe in Vetula est irremediabilis. Celsus: *Sicca tussis nihil emolitur*. eoque molestissima est, & periculo propior.

IN EPIGR. XII.

Nvmismata.] Putet quis esse lagenarum signa. quæ iudicio forent quo anno vel consule vina censeri possent. aut potius in Theatro cum singulis subsellijs bini sederent, vnicuique suam lagenam fuisse concessam. nummo ante accepto quasi tessera, fraudi euitandæ. quod ad sportulam nonnihil accedit. vide Ep. XXVII. infra. D

IN EPIGR. XIII.

Timvit.] Idem planè videre est lib. vij. Ep. XLVI. & lib. XII. de fati & fortunæ inuidia.

Stantia.] Idem Claudianus in Epig.
Non potuit pietas flamma cessante probari.
Emptum est ingenti clade perenne decus.

IN EPIGR. XXVII.

Svbsellia.] Dixi quædam ad Epigr. XII. de subsellijs.

Concessorvm.] Vel à rege conuiuij vel à Principe. quidam legunt concessorum, id est simul accumbentium.

AERA.] Vlteriora æra dixisse videtur Horatius *Interiorem notam*. quæ quidem non erant posita velut in prima acie, sed post principia. ne prædæ aut rapinæ essent magis obnoxia. finge tibi igitur quasi phalangem aut aciem lagenarum, ab antiquis ordinatam, qualem fortè habuit Ciceronis mater, quæ vacuas etiam obsignabat atque in primo ordine opinor. de industria collocabat, vt fures luderet.

IN EPIGR. XXIX.

IN *lucem*.] Sic ille apud Athenæum ἐκ νυκτὸς εἰς ἡμέραν πίνει. Sic vsus est quoque Claudianus.

IN EPIGR. XXXIII.

DOLET.] Princeps Iurisprudentiæ viso Eunucho cuius vultus ad mæstitiam erat compositus, venustè hunc versiculum extulit: *Ille dolet verè*. & reliqua. vt & intestabilem diceret figura ciuili, & legitima.

IN EPIGR. XXXVI.

PERLEGAT.] Vel *Prælegat*. Sic omnino Epigr. III. lib. VIII.

IN EPIGR. XXXVII.

LVCANE.] De iis lib. III. Epig. XX. Et lib. IX. Ep. LII. Plinius quoque in Epistolis. neque vero hic fuit Lucanus poëta, qui iam extinctus erat. vide Epigr. XX. lib. tertij. hi vero duo fratres de quibus idem Martialis alibi.

IN EPIGR. LIII.

PLAGIARIO.] Non à plaga, vel ἀπὸ τῆς πληγῆς: sed ἀπὸ τοῦ πλαγίου, ab obliquo. vnde & πλαγιάζω. signat autem eum cui fides non recta ambulat.

IN EPIGR. LIIII.

TRADVCIT.] Verbum elegans, & quo libenter vsus est poëta. nec dubito quin Epigrammate IV. Spect. retinendum sit. vbi sanè egregium se fecit Lipsius. vide quæ dicam infra suo loco.

VITIO.] Vnctum hîc dicitur vitium. constat enim panno illi crasso conficiendo adipem aut vnguinis speciem adhiberi, quod sane olidum est. vnde poëtria Eucheria: *Nobilis horribili iungatur purpura burra*; huic adsimili comparatione. quod viri magni vix perceperunt. vitium autē sæpius in colore, tinctura & arte. in his præcipue rebus vbi fraus vel fucus naturæ fieri videtur. vide quid idem alibi dixerit de bardiaco militis euocati. sic apud Virg. & Persium vsus olivi corrumpitur. sic illa vitio vtitur. sic lana vitiata & medicata legitur.

EFFVNDIT.] Legendum plane *offendit* ex duobus libris. sic à Propertio dicuntur: *Rumpere mugitu carmina docta boues*. quod & Claudianus firmat.

IN EPIGR. LVI.

SPARTANI.] Marmor viridi & herbida quasi pictura floridum atque omnium visu iucundissimum, de quo Plinium consule. Claudianus idem notat. vbi memorat, *cæsas Hyancinthi rupe columnas*. idem enim formosus puer fuit Spartanus.

PLAGAS.] Venationem rusticam indicat. siue lepores, siue malis volucres. aut quid amplius. Exiguum vero nemus & rus beatum licet modicum hic non parum habet gratiæ. quare nihil mutari debuit ex ingenio. plagas autem explicare plenas nemoris & ruris idem est quod prædam venaticam in suo nemore vel agris retiarius maculis captam domi exponere, ad obsonium.

ALBVS.] *Solicitus & pallidus* metu frigoris, quo magni illi proceres afficiunt sæpè clientes, aut captatores suos. est qui velit intelligi candidatos; sed frustra, cùm idem poëta dixerit alibi *Raptorem album*, id est metu pallidum, & exsanguem.

IN EPIGR. LXII.

APONA.] Legitur etiam *Aponi*. quod multo veriùs. Aponus autem fons est prænobilis, vnde tota regio Patauina illustrata est. in cuius laudem Claudianus & Cassiodorus plenis quasi velis sese effuderunt.

IN EPIGR. LXIII.

HELENE.] Optimè, præcedens enim syllaba non vna ratione tantum producta est. atque hæc duo rectè opposita. nam Helene causa fuit Iliados, Penelope vero Odysseæ. illa impudica, hæc casta. id Propertius & alij satis probant.

IN EPIGR. LXVII.

SOPHOS.] Sunt qui putent esse aduerbium σοφῶς. Quod non est necesse. licet apud Persium: *Bellè*. & alia eiusmodi. Olim siquidem vir peritus & insignis digito quasi monstrabatur, cum tacito susurro: *Ensophos*, id est, sapiens. quare Eustathio Iliados σ. σοφοὶ dicuntur cuiuslibet rei artifices, ex veteri vt ille probat consuetudine.

IN EPIGR. LXX.

PANA.] Martialis hic iocatur liberè & amabili quadam licentia super amico singulari Canio, cui perpetuus fuit gelasinus in facie. vnde lib. III. Ep. XX. *Vis scire quid agat Canius tuus? ridet*. hunc vero Pani deo comparat vel prælatum esse ait Pani deo mollè subridenti. qui ab Homero in Hymnis dicitur ἡδυγέλως. In quem Orpheus hymnum quoque scripsit.

IN EPIGR. LXXI.

HAC *pete*.] Legendum vel teste Grutero. *Hanc pete*. domum scilicet.

IN EPIGR. CI.

MANVS.] Id est Amanuensis. Sic *primum pilum* dixit Ouidius, pro eo qui Primipilaris est. Sic *latus clauus* à poëta nostro dicitur Laticlauius. Sic *rota posterior* apud Persium, pro eo qui in axe secundo est.

VIRIDES.] Legendum *viridis.* hoc est adhuc virens, vt Proserpina puella apud Claudianum. Auson. *viridi Traianus in auo.*

LIBER.] Non quidem is ex testamento libertatem habuit sed tamen directè liber esse iussus est, & quamuis Orcinus siue Χαρωνιτικ ex Iuris formula hic propriè non dicatur, nihil tamen impedit, quo minùs sui, non domini ratione id nominis quoque adeptus sit. cuiusmodi speciem in libris Iurisconsultorum non reperias quod mirum est. locus ergo hic singularis videtur.

IN EPIGR. CIV.

SORDIDIOR.] Vide Horatium de Natta & Maltino, ac Persium. aut si mauis Tertullianum in Pallio.

IN EPIGR. CV.

PICTO.] Mira hæc sunt spectacula. sed iis præfert lepusculi & Leonis lusus. Ceterùm in quibusdam exemplaribus insignis est transpositio inter hoc & præcedens Epigramma. vide lib. IV. post Epigr. XXIV. vbi inserta erant plurima ex hoc libro.

IN EPIGR. CXV.

TENENT.] Legendum ex vet. cod. *Tenet.* Ea poëtæ mens est: Thelesphorus Fænius hos tenet hortos tibi vicinos. *Tenet* id est possidet hortos, breue rus, & prata: vbi Antullam filiam sepelijt, turbato naturæ ordine. vide Epig. CXVII. infra.

IN EPIGR. CXVI.

INVIDE.] Viri perquam eruditi volunt hîc esse nomen vocandi casu & syllabam vltimam produci ratione vocis sequentis. sed verbum esse modi imperatiui nullus dubito. hoc sensu: *Inuide mihi ô Procille quantum voles.* Sic in Zoïlum: *Omnibus inuideas, Zoile, nemo tibi.* nullum enim malum inuidia peius aut molestius cuiquam optari potest. scitum est vero vltimam huius verbi produci.

COGITABIS.] Vetus liber. *Cogitabas,* & quidem verius.

VIVES.] Legendum plane ex vet. codice. hoc modo non *Viuis.* Totius autem Epigrammatis valde acuti, & subtilis vel sanè dolosi hæc sententia est. Quædam puella elegans amat me, ego vero amo deformem. Est itaque quod tu doleas, & est vicissim quod gaudeas. Inde fit vt velis emori, hinc fit vt velis viuere. Emori, quia me formosa deperit; Viuere, quia turpiculæ sum addictus misere. Atque ita viues qui iam de morte cogitabas. Huc pertinet Horatianum illud: *Inuidus alterius macrescit rebus opimis:* & contra gaudet ac fruitur aliena miseria.

IN EPIGR. CXVIII.

NIDO.] Claudianus de carminibus suis:
Nam mihi mox nidum pennis confisa relinquunt.

IN EPIGR. CXIX.

MALI.] Cicero de Finibus lib. ij. Hoc dixerit potius Ennius: *Nimium boni est, cui nihil est mali.*

A

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. II. Epigr. M. Val. Martialis.

IN PRÆFATIONEM.

TOGAM.] Antiquam & meritò receptam lectionem I. Gruterus vir magni in litteris nominis, non probat. securus forte aliud exemplar. Ego tamen vbique inueni: *Togam saltanti induere persona.* quod est *rem ridiculam facere,* vt idem poëta loquitur. quippe nihil togâ importunius ei qui saltare in scena instituit. idemque de cursoribus dici potest ex Ouidio in Fastis: *posito velamine currunt.* deinde *Nec satis ad cursus commoda vestis erat.* nimirum vestis oblonga puluerem trahit, eoque ingrata est, & ludibrio habita.

B

IN EPIGR. II.

CRETA.] Hoc prius distichon eleganter expressit Ouid. lib. I. Fastorum:
Africa victorem de se vocat; alter Isaurum
Aut Cretum domitas testificatur opes. deinde:
Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic socium magno cum Ioue numen habet.
De Augusto. quod hic de Germanico. Titus vero capris Solymis lauream respuit ac palam edixit se deo tantum hac in re operam nauasse.

C

IN EPIGR. III.

POTEST.] Quia ex Iure ipso ad impossibile nemo adigitur. qua voce vsus est Fabius & Iurisperiti, cum Cicero vt est lautus & elegans *ἀδύνατον* maluerit. Tenemur denique in quantum facere possumus.

IN EPIGR. IV.

SOROREM.] Hæc appellatio sororia semper fuit suspecta. vt alia maiora nequitiæ nomina. vide Claud. in Eutropium. & hunc ipsum alibi. huc pertinet quoque illud eiusdem poëtæ: *Quod sis esse velis nihilque malis.* licet alia de re, vt hîc. Quare non iuuat hoc quod estis esse? vide Codicem vbi non decet eum qui probabilem sæculo vitam agere velit ista suspicione contaminari.

D

IN EPIGR. VI.

RAPTA.] Quidam plus satis curiosi ac nouandi nimium cupidi, nescio quas syllabas more antiquo producere amant vel damno veritatis.

Quanto rectiùs Colinæus? *Raptim scribere.* quod A & Latinum & rectum est.

TRIDVO.] Dubia quibusdam visa est prima syllaba. sed proculdubio longa est. atque ita vtitur, si fas, Prudentius. putant quidam apud Plautum corripi. sed numeri illi innumeri nobis quasi nubeculam obijciunt.

INTERIVNGERE.] Verbum elegans & eiusdem formæ cum quibusdam aliis. vt *Intermitto.* signatque nil aliud quam interquiescere. Templum vero Camenarum extra portam Appiam fuit. *Camena* autem sine diphthongo quod nos docuit Porphyrius philosophus idemque poëta exactissimus vel in Græcis vel in Latinis, idq; forsan miretur posteritas. Eius sane poëmata manu mea descripsi ex vetustiss. codice, ac prope fuit vt ederem cum Annotationibus perpetuis, viri cuiusdam illustris suasu. sed operarum dexteritas in eo artificio tanta requiritur vt non nisi præuia, vt ita loquar moneta aut vi summa pecuniæ id tentare ausi sint.

IN EPIGR. VII.

ARBELIO.] Phædrus libertus Cæsarum tristissimi in Fabellis: *Ardelionum Romæ quadam natio, quæ quidem occupata in otio est.*

IN EPIGR. VIII.

LATINA.] Modestè potiùs quàm verè. Ouidius in Tristibus Latinè dedidicit. vt ipse suadere voluit.

QVÆSI.] Malim ex vet. codice: *quasi nos.* vel *quid enim manifesta negemus?* idque libens prætulerim. C

IN EPIGR. IX.

SCRIPSI.] Hoc Epigramma breuitatis exquisitæ adeo subtile est, vt vix vlli ante hunc diem patuerit, quod equidem aduerterim. Mens auctoris hæc est: Cum ad Næuiam litteras dederim, neque responsum vllum acceperim, spes mihi omnis adempta esse videtur. Sed enim mihi persuadere volo scriptum illud meum ab ea fuisse perlectum: quod si ita est. proculdubio votis meis illa satisfaciet. Quæ enim amantis aut proci legit blanditias, iam iam victa, & facilis creditur. quod satis hodie comprobatum est. Id clarè docet Ouidius in Arte. apud quem & Helena Paridi testatur cum à se lecta sit eius Epistola non esse quod in posterum fingat sibi castitatis gloriam. qui locus multis fuit imperuius, & explicatu difficilis: *Nunc oculos tua cum violarit Epistola nostros. Non rescribendi gloria visa leuis.* qua de re alibi plura retulimus. D

IN EPIGR. XI.

DOMI.] Id est, tristi domicænio laborat. vt idem alio in loco.

IN EPIGR. XVII.

INQVAM.] Legendum forte ex vet. libro: *Non tendes? inquis. ergo quid facis? radis.*

IN EPIGR. XXVI.

TVSSIT.] Supra lib. 1. de Maronilla vetula in qua nihil placuit amanti præter tussim. In sinum autem spuere hoc loco diuersè accipitur. ac referri debet ad ætatem senilē quæ sui impos est.

IN EPIGR. XXVII.

EFFETE.] Aduerbium hoc languidulum nullius hîc precij: quare optimè Gruterus è suo exēplari legit Effectè. vnde efficacia vel energia colligitur. rectam effectionem dicit Cicero, quæ non tam videtur ἐνέργεια quam κατόρθωσις. vt sit perfectio. Effectè inquam id est perfectè ἁπλῶς ἀκριβῶς Plato: πάλιν ἐκ πάντων τῶν μερῶν ὂν quod Cicero B vertit, ex perfectis partibus perfectum.

IN EPIGR. XXXII.

LICINO.] De hoc homine diuitiis affluente Satyrici non silent. legendum vero hic: Cum Licino est. ex vet. cod. metri causa.

PATROBAS.] De hoc videndus est Plinius & Catanæi Annotata in eiusdem Epistolas: dicitur tamen *Patrobius.* quod versum nō ingreditur.

IN EPIGR. XXXVI.

MITRARVM.] Figurate pro iis qui mitras gerunt. In vet. libro *Nec mitratorum.* quod æquè valet. effeminatos verò hîc denotat.

AD EPIGR. XXXVII.

MENS *vulsa.*] Exemplum Volsi hominis & quidem mirabile nuper oculis totius populi in hac vrbe patuit. vt facile quis coniiceret cum intus vt in cute fuisse depilem. quid enim cādidius, quid politius, luto & sordibus inquinari potuit? Atqui viuus neque gratia neque vlla dote fuit conspicuus.

IN EPIGR. XLI.

RIDE.] Multi delusi sunt hoc versu Politiano præeunte. neque enim est Ouidij, licet ex ipsius præcepto: *Spectantem specta, ridenti mollia ride.*

VENTVM.] Spanius hic tam pulchro & accurato ordine crines disposuit vt ventulum aut auram leuissimam extimesceret. contra nympha illa seu Venus apud Virg. quæ in siluis errabat: *dederatque comam diffundere ventis.* apud Claud. quoque Honorius *flamine crebro turbidus fuit,* quod ad Cæsariem ipsius referendum est, ipsique laudi ducitur vt minime effeminato.

IN EPIGR. XLVI.

SIC *tua.*] Legendum ex vet. cod. sine controuersia. *Sic tua compositus perlucent prela lacernus.*

IN EPIGR. LII.

LICTVRAS.] *Loturas* lege. ac sic distingue *Poposcit Mam. Spat. pro tribus, illa dedit.*

IN EPIGR. LXVII.

Vt *digna*.] Error non ferendus legendum ex vet. libro *Dignior vt speculo*. quod non videre plures satis oculati.

IN EPIGR. LXXIV.

Redvci.] Mos antiquus. in honorem Iurisconsultorum siue aduocatorum. Tibullus: *Deducat iuuenum sedula turba domum*. quod vidimus stante Cuiacio. Cæterum qui iudicio erant absoluti gratias dijs acturi templum inibant magno comitatu. & gloria ipsius aduocati qui ratione illa triumphum insignem videtur mihi cum palma & lauro minime comparabili meruisse. Ouidius:
Conueniens homini est hominem seruare voluptas,
Et melius nulla queritur arte fauor.

IN EPIGR. LXXXII.

Fingis.] Minus verè cum ex vet. cod. legendum sit *Fœdas*. Inde Virg. *ferro fœdare*. sunt autem hæc inhonesta vulnera. vide Ouid. vi. Met. de Philomela.

IN EPIGR. LXXXIII.

Pæantivs.] Hunc locum alicubi explicat nobilissimus ille Th. Marcilius ex Thucydidis Interprete. Φιλοκτήτης δὲ ὁ τοῦ Ποίαντος παῖς μετὰ τὸν θάνατον Πάριδος νόσον νοσήσας καὶ μὴ φέρων τὴν αἰσχύνην ἀπελθὼν ἐκ τῆς πατρίδος ἔκτισε πόλιν ἣν ἔφη τῇ πάθος Μαλακίαν ἐκάλεσε. Philoctetes nimirum Pæantis filius (Ouidio Pæantia proles) post mortem Paridis morbo laborauit femineo. quam ignominiam non ferens patria relicta vrbem condidit Malaciam, quam à sua mollitie denominauit.

Hoc *est*.] Sic vsus est sæpius. Hoc est: *Non cœnat quoties nemo vocauit eum*.

Ex *hoc*.] Forte ἐκ τοῦ Σερτωρίου. Ab hoc Sertorio quod satis nouum est. Eryx autem allusio est ad montem Siciliæ. cognominem puero qui forte ab hoc homine per nequitiā aut voluptatem exanimatus est, ideóque damnas est ligurire partem illam mediam: de Veneris ipsius sententia. sed enim magis vt rideat Sertorium dum causam inuestigat cur in vitium illud ac mollitiem delapsus sit eique magnum adscribit facilius per iocum, quasi Herculea manu Erycem Veneris filium debellauerit: nā phrasis illa græca plus satis videtur aliena.

IN EPIGR. XC.

Qvintiliane.] Magni illius & incomparabilis viri nomen ita scribendum, licet fabrilia errata aut quorundam malè sani capitis opinio mihi obloqui videatur. Vtinam vero qui serio benedicendi artem profiteri amant hunc auctorem amplecti ac toto sinu fouere tandem ausi essent. plures equidem in summa Galliarum curia flores natiuæ eloquentiæ quasi plena manu spargerent. plures æquitatis & humanitatis gloria excellerent. Enimuero cum diuersa & exquisita rhetorum huius sæculi aut memoriæ, compendia apud me reputo, tędet harum quotidianarum formarum, vt ait Terentius: deleo omnes de hinc ex animo quisquilias, hunc si non exactè legisset olim princeps Aduocatus nulla ipsius dispositio, nulla esset elocutio ac pronuntiatio, quæ nunc hodie vel in quinquagenario supra omne exemplum eminet pronuntiatio. cuius insignis filius vt iisdem passibus insisteret, abunde mihi cauisse videor. legimus enim & notauimus adeò grauiter vna in vnis ædibus eundem Fabium, vt neque me diligentiæ neque ipsum opinor studij tam nobilis pœniteat.

Herba *rudis*.] Natiua, inculta, sine arte. sic Ingenuum tophum laudat Iuuenalis, ac viridem aquæ marginem. Propertius lib. i. Elegia ii. *Aspice quos summittit humus formosa colores, Vt veniant edera sponte sua melius*. Sic alibi poëtæ nostro dicuntur prototomi rudes πρωτότομοι. incidui, vel intonsi.

IN EPIGR. XCIII.

Iota.] Græcis Ἰῶτα. inde figura vitiosa ἰωτακισμός. litteræ illius nimia repetitio. vt λαβδακισμός, & alia eiusmodi.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. III. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. I.

Togæ.] Plinius lib. iii. cap. xiv. *Ab Ancona Gallica ora incipit Togata Gallia cognomine*.

IN EPIGR. IIII.

Breviter.] Hic versus ita distinguendus est: Cur absim, quæret: *breuiter tu multa fatere*. quæ summa virtus est eloquij & vere loquens sapientia.

IN EPIGR. V.

Hospes.] Id est extraneus, aut alienus. sic plane Claudianus: *quem non aliena per arua induit hospes honor*. Iulium vero Martialem amicum & pernecessarium intelligit.

Primiqve.] Vetus exemplar multo certius præ se fert: *primi qui limine tecti*.

IN EPIGR. XII.

Vngitvr.] Persius id explicat de beatulo qui lecto funebri compositus & crassis amomis lutatus. Vngebantur enim mortui.

IN EPIGR. XIII.

Crvdvs.] Hæc vox non vbique obuia. vel intellecta. signat autem eum qui cibo quasi fartus est & saginatus. Horatius. *crudi tumidique lauemur*. Poëta noster alibi dixit *crudum agricolam*. quod fusius explicabitur suo loco.

IN EPIGR. XVI.

Cerdo.] Nomen proprium viri nullius

precij qui malis artibus ad summas opes emersit, quamuis sutor & opifex imi subsellij. hunc Persius notat hoc modo: *Tollat sua munera Cerdo.* quod magni illi Interpretes non perceperunt. Edidit autem Bononiæ munus gladiatorium vbi se argento emunxit.

PELLICVLA] Idem Persius ad hunc locum ita præfatus est. *Tecum habita & noris quam sit tibi curta supellex.* Vide quæ fusius notaui ad Persium ante aliquot annos.

IN EPIGR. XX.

SCHOLA] Poëtarum schola sæpiùs memoratur à poëta nostro. Persius eam opinor intelligit eo loci: *Ad sacra vatum carmen affero nostrum.* vide plura inibi.

PIGER] Huc pertinere mihi videtur locus quem alibi explico satis accuratè. vbi illud: *Non nautas puto vos, sed Argonautas.* quod epigr. hactenus deprauatum & vet. scriptura non malè tandem restituisse mihi videor.

RIDET] Vide epigr. 70. libri primi. de hoc homine risore venustissimo & ingenuo.

IN EPIGR. XXXVII.

IRASCI] Hoc epigramma quamlibet exile, verum simul & aceto dilutissimum est. ac diuites quorum superbia & belluina feritas hodie notissima est ad viuum percellit. nulla enim de causa sæpius tollunt supercilia, corrugant nares & frontem, atque iræ subito accersitæ indicia produnt, quo vel à suo limine, vel à conspectu tenuiores amoueant. dicas esse dracones qui mala Hesperidum aut Scythicum lucum, vt ait Martialis, custodiant: & quorum sit professa erga meliores asperitas. Rationem reddit ex eorum mente poëta noster lib. XII. ep. XIII. hoc modo: *Odisse quam donare vilius constat.* O homines si dicere liceat odio dignissimos.

IN EPIGR. XXXVIII.

EGIT] Hoc in versu non Ciuis sed Caius ex veteri codice legitur. nam alibi meminit eiusdem Caij hominis, opinor, forensis, hoc versu: *Quod peto da Cai, non peto Consilium.*

IN EPIGR. XXXIX.

MAGISTRO] Perperam hòc. Legendum vel meo periculo, *Ministro.* fuit enim Ganymedes is qui Ioui misceret nectar & pocula ministraret.

IN EPIGR. LXII

RES *pertricosa est*] In vet. epigr. Hercules, *Tricosus subitò post mea fata vocor.* Id est, res valde tricosa non quidem intricata aut inexplicata, sed tricis aut floccis pænè adsimilis, nullius precij Claudius Cæsar, & alij stolidi à funere tricosi eadem ratione dici meruerunt. Si tamen velis *Bellum hominem* rei pertricosæ instar videri, ad quem formandum tam multa requirantur vt sit difficile penitus ea verbis complecti, id verò tibi per me licuerit.

A

IN EPIGR. LXIV.

GLEBA] Locus elegans de terræ odore qui superat omnes narium delicias. qua de re apud Plinium lib. XVII. cap. V. hæc legimus: *Cicero lux doctrinarum altera* (prius vero dixerat Homerum fontem ingeniorum) *Meliora*, inquit, *vnguenta sunt quæ terram quam quæ crocum sapiunt.* Qualis autem sit ille odor inquirit Plinius, ac Martiali assentit. atque diuinum illum terræ halitum talem esse vt ei nulla suauitas comparari queat. Legitur & βῶλος ἀρώσιμος apud Sophoclem.

IN EPIGR. LXV.

PAR *scelus*] Hoc epigramma translatum fuit à quodam olim philologo. & insertum quibusdam alijs scriptis eiusdem generis, quod satis liquet ex veterum epigr. volumine quod Pithæus

B edidit. vbi hæc inscriptio *Valeriani de Antonio.* Sed loco vltimi distichi hoc substituitur: *Quid prosunt sacra preciosa silentia linguæ, Incipient omnes pro Cicerone loqui.* vide Senecã Rhetorem & vetusta Ciceronis Epitaphia apud eundem clariss. Pithæum. vide epig. 70. lib. V.

IN EPIGR. LXVI.

CESSATIS] Hoc epigramma in hunc vsque diem male habuit. Lipsius ei medicinam facere conatus est, sed nihil aut parum promouit: solus ipse Martialis hanc labem sibi inustam diluit sui notitia, qua sola sæpe hominis valetudo sustentari solet.

PVERI] Nautarum scilicet quos Theocritus Eid. 13. παῖδας vocat. vide epig. 20. supra.

C VETERNO] Error nullo modo tolerabilis. nunquam enim in hac sede Martialis Iambum statuit atque hac in parte Catullum ipsum emolliuit. qui teste Plinio historico in sua illa mirabili præfatione se duriusculum eo nomine fecerat. Legendum ergo est ex priscis vestigijs: *Resina Venetoque pigriores.* vbi notabilis apparet transpositio. vulgati enim libri sic habent *veterno resinaque.* alibi enim poëta noster dixit epigr. 73. *Resina Veneto nec resecare luto.* qui locus nobis commodum venit subsidio.

QVORVM] Melius: *Quorsum*, cum interrogatione. quod planum est, ac perspicuum.

FIGITIS] Aliàs: *Tingitis*, & quidem propriè.

IN EPIGR. LXVII.

D QVID *dicas*] Legendum ex vet. libro: *Quid dicat.*

SAVCIA] Id est vino percussa. alibi: *Incaluit saucia vena mero.*

SEXTO] Mense enim Iunio qui sextus est Templum est dicatum Menti. vnde illud diminutiuum quod Musæ furcillis è Pimplæo monte eijciunt apud Catullum, præterea Liuius lib. 23. meminit deæ Mentis & Veneris in Capitolio. alias secto mense, id est, Idibus Aprilis quiquidem findit vel secat mensem illum, vt canit Horatius.

IN EPIGR. LXXIV.

DESIT] Rectior mihi videtur antiqua lectio;

eamque firmat Terentius: *Nihil cum est, nihil deest tamen.*

A

MAGNO] Huius versiculi argutia est quantiuis precij Ouidius eadem phrasi dixit: *Stat mihi non paruo virtus mea.* alibi poëta noster: *Sed nescis quanti stet mihi talis honor.*

IN EPIGR. LXXXI.

CVBITIS] In Plantini & aliorum codicibus deest syllaba. legendum enim *Cubitosque trudis.*

MASSILIANIS] Manifestus error. & qui legem carminis violet. legendum Massilitanis. ab vrbe Massilia, cuius antepen. corripitur. non à gente Massylæa Africæ. multa vere sunt in hoc epigr. quæ clarat Petronius, vbi etiam Opimianum & Malcionem reperias.

B

IN EPIGR. LXXXIII.

LINGAM] Credo vitium Typographiæ. ac *linguam* hic legi oportere non dubito. Innuit autem puellam eiusmodi adeo fuisse loquacem, vt *lingua* dici mereatur. aut linguam instar canis Appulæ, & quidem sitientis vbique & semper exercere. sic Catullus dixit Nasutum hominem totum esse nasum. aut naso multum esse.

AD EPIGR. XCII.

CVM *tibi*] Hoc venustum & mordax epigramma multis in locis à Catullo & Horatio explicetur.

NVPTVM *ire*] Versus hic miserè claudicat, lege *Nupturire* ex vet. libro P. Syrus: *Anus cum ludit morti delicias facit.*

C

STERNATVR] Hic versus à multis vexatus est, scimus enim quid magnus Scaliger voluerit. legitur autem sic vbique:

Sternatur Achoride triclinio lectus.

Ego verò nihil muto in scriptura, sed vocem diffindo, ita vt Achori de agnosci queat. Achoreus autem fuit proculdubio Ægyptius homo clinicus, Sandapilarius aut Libitinarius qui mortuis lectulos fabricabat, atque eiusmodi supellectile quæstum faciebat, atque inde victitabat vt olim hæc misella natio erat abiecta, & quæ sulphurata vitreis permutaret. Lucanus lib. x. de Iul. Cæsare super Nili ortu implicato:

Linigerum placidis compellat Achorea dictis.

D

Achorei legendum vt Thesei. Iudæi autem illi trans Tiberim, vbi merces vehibant futiles.

TRICLINIO] Εἰρωνικῶς dixit. nec tamen à vocis illius significatione recedit. quippe τρικλίνιον locus est lectis constratus. nam κλίνω incumbo. prima longa. Cic. 4. in Verrem: *In foro sibi triclinium straueras.* Vbi tres lecti erant.

FAX] Non pars illa qua quondam aliquis apud Petronium Achilles erat, quæ designatur à Iuuenale per Anticatones, & ab Horatio per libellos stoicos. quippe volumina erant olim membranæ inuolutæ, quales pinguntur in Notitia Imperij, & qualem gestat Diocletianus in suo numismate. oblongæ autem illæ sunt & in speciem coliphiorum. Sed enim Fabius ait esse quędam in Horatio quæ interpretari nolit; cuius modestiam profectò imitari decet.

AD EPIGR. XCVIII.

SVTOR] De hoc vide epigramma 16. & 58. lib. huius.

AD EPIGR. XCIX.

IMBRIBVS] Hunc locum satis explicaui epigr. 6. libri primi.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. IV. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. III.

ASPICE] In hanc rem Suetonius de Principe illo: *Prospectauit inter maximos imbres.*

VELLVS] Pulchra niuis descriptio, & quæ explicet locum illum Psalmi: *Qui dat niuem sicut lanam.* descendit autem aqua illa in vellus nullo strepitu aut murmure, sed tacito lapsu. eadem figura dicitur: *Et nebulam sicut cinerem spargit.* quare Ausonius eleganter quoque dixit, *Cinerum nebulas.* Lactantius quoque in Phœnice dixit: *tendit sua vellera nubes.* figura prope simili.

IN EPIGR. VI.

MASSILIANE] Versus hic non bene habet: aliàs legitur *Maciliane.*

IN EPIGR. XII.

CLAVDIA] Hæc fuit docta simul & honesta, origine Britanna. cuius mentio fit in B. Pauli Epistolam ad Timotheum, eiusque postea mariti Pudentis; qui tunc sane erat iuuenis egregius neque adhuc iunctus matrimonio, cum puella adeo nobili.

IN EPIGR. XV.

NOCTE *roganti*] *Luce* in veteri cod. reperi.

IN EPIGR. XXV.

ÆMVLA] Ante hoc epigramma multa erant in alio codice ex libro 1. quod suo loco demonstraui.

IN EPIGR. XXXIX.

GLANIANA] Plinius lib. 33. cap. 11. *Vasa ex argento mira inconstantia humani ingenij variat. nunc Furniana, nunc Clodiana, nunc Gratiana.* vnde forte Martialis emendari queat.

IN EPIGR. LXXVI.

VT *bis*] Cuiacius manu sua in libello commentario scripserat: *Plus petendum est quam sat est, vt consequamur quantum sat est.* quod cuiusdam loci apud Fabium affine est: Iniquum pe-

tendum est vt æquum feras. quod nescio an vir bonus vbiuis sequi debeat.

IN EPIGR. *LXXVIII.*

Ad *cœnam*] Hoc epigramma quamuis tolerabile, neque adeo vanum, merito tamen suspectum est. caret enim aculeo, nec est vero simile. certè I. Gruterus in manuscr. suo non reperit.

IN EPIGR. XC.

Rvrs] Hoc etiam epigramma relatum est à P. Pithæo inter ea quæ ipse edidit. vbi cuidam Auieno V.C. tribuitur. duo tamen vltimi versus eo loci desunt.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. V. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. V.

Ingenio *frueris qui propiore Dei*] Item lib. 7. ep. 39. *Pectore non humili passus vtrumq; Deum.* qui locus fortè ab alijs tentatus aut excussus est, sed hi Statij versus tibi opinor satisfacient, lib. 3. Silu. in lachrimis Hetrusci:

Læta dehinc series, varijsque ex ordine curis
Auctus honos, semperque gradu prope Numina semper
Cæsareum coluisse latus, sacrisque Deorum
Arcanis hærere datum. Tibereia primum
Aula tibi. Vixdum ora noua mutante iuuenta
Panditur.

Deinde de Caligula eadem phrasi cum Mart.

Terribilem affatu passus, visuque tyrannum.

Vterque vero ille Deus à Martiale dicitur. Atque ita primus appellatus est, Aug. à Virg. & Propertio, ne solus arguatur Domitianus, & alij.

IN EPIGR. VIII.

Lacernas] Supra dixit *Mitras* pro mitratis, vt hic *lacernas* pro lacernatis.

IN EPIGR. XXIII.

Vixque *datur longas mulorũ vincere mandras*] Hæc nonnihil pertinent ad illud Horatij *Trans pondera.* quem locum subtili quadam & probabili ratione; libello denique edito explicaui, & placui. Sed pluribus in locis Ammianus Græcus auctor, sanè illustris, ac linguæ Latinæ satis studiosus, magis populariter accipit, vt lib. 18. *Trudente pondere plebis vniuersa, diffundimur.* Lib. 29. Theodosius comes paulatius, *trudente pondere plebis abcessit.* Eidem quoque dicitur *pondus multitudinis*, & *pondus armorum*, id est, armatorum. Quod si ita est, miremur sanè hominem externum qui Latini auctoris mentem clariùs ipsis indigenis perspexerit.

IN EPIGR. XXV.

Hermes *vincere*] Themistius Oratione

A quinta. Μελαγκόμας κάλλιςός τε καὶ μέγιςος καὶ τῇ τέχνῃ ἐνδοξότατος οὗ δὲ τὸν Τίτον φασὶν ἐρασθῆναι τὸν αὐτοκράτορα. *Melancomas*, inquit, *pulcherrimus maximusque & in arte sua nobilissimus, cuius Titum Imp. fuisse amicum dicunt.* οὐδένα πώποτε τρώσας, οὐδὲ πατάξας μόνῃ τῇ στάσει, καὶ τῇ τῶν χειρῶν ἀνατάσει πάντας ἀπηνήνας τοὺς ἀντιπάλους. *hic nullum vnquam vulnerans, neque percutiens, sed in solo vno statu corporis, ac manuum obiectu eludebat simul & petebat aduersos.*

IN EPIGR. XXIX.

Cvrios] Aliàs *Curtios.* quorum meminit vetus inscriptio: *Curtius Abasc. cum Curtio F.* non enim stabit versus si *Curios* legas.

Rvsones] Vetus Inscr. *M. Occius Ruso.*
B Cæterum de Rusone qui Cremutius dicitur, vide epist. 23. Plinij lib. 6. est autem hic enallage numeri & figura, de qua Fabius. Certè Plinius Rusonem laudat mirifice.

Marcos] Vide librum x. ep. 73. vbi multa de Marci probitate.

Mavricos] Mauricus hic sanè apud Plutarchum Mauriscus dici videtur. Mauricus autem vir optimus coram Senatu dixisse fertur se vereri ne breui Nero desideraretur. Plinius verò in epistolis Iun. Mauricum veris & amplis laudibus prosequitur. de Regulo & Paulo, vide hunc poëtam, qui quidem hîc sui temporis lumina commemorat.

IN EPIGR. *XXXVIII*

C Nitelam] Versus hic male desinit, atque in syllaba vna peccat. Nitela enim primam corripit. Itaque libri veteris excusi licet inemendati lectio præferenda est, vbi *Nidelam* reperi. à verbo minus vsitato *nideo.* cuius compositum ab Horatio vsurpatur eodem significatu: *neque aureum meâ renidet in domo lacunar*, vt hic *aurea nidela* visitur, atque à nidore nidela, vt à candore candela deriuari queat. sin minus legendum erit *auream nitelamque*, minore gratia. reperi quoque *micellam*, id est, paruam micam, quæ à Plinio sumitur pro lapillis in littore oblique auri vel argenti specie ad solem nitentibus.

IN EPIGR. LII.

Exprimere *Rufe fidicula licet cogant Haue Latinum, Chære non potest Græcum*, vbi D Martialis arguit mollitiem cuiusdam, qui longè dissimilis isti Arrio qui Hinsidias & Chommoda efferebat spiritu aspero vel barbara pronuntiatione. In antiquis autem libris ac monumentis *Haue* scribi satis compertum est. atque in cod. Persiano El. Vineti Chære legitur, non χαῖρε certe aut ipse vtriusque linguæ ignarus erat, aut vitio illi obnoxius. Persius Sat. 1. & Fabius de Pronunt. aut neminem prior vnquam salutabat, vt idem poëta loquitur. in vltimo versu legendum, vt constet versiculus,

Si fingere istud me putas, salutemus.

IN EPIGR. *LXVIII.*

Hibernos] Id est, aptos recessus ad hiemandum, vt Seruius interpretatur Hibernam Lyciam apud Virgilium.

A in nauigia ac tempestatibus dediti, *vt abirent in vastatas delationibus terras.* Suetonius in Tito: *Hos assiduè in foro ac traductos per Amphitheatri arenam, in asperrima insularum auehi iussit.*

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. VI. M. Val. Martialis.

AD EPIGR. XIII.

LYGDOS] Pro Lygdino marmore. Anacreon: περὶ Λυγδίνῳ τραχήλῳ. lib. 7. Anthol. τῆς Λύγδου λειοπέτρου. Philostratus habet τὴν Λυγδίτην καὶ Παρίαν λίθον. Lygdinum & Parium marmor, vide ep. 42. sic Taras dici videtur à Statio pro Tarento.

IN EPIGR. XX.

HIANTIDA] Imperite scriptum, Ianthis e- B nim est. Arsinoë Ptolemæi vxor dicitur à Lycophrone per Anagrammatismum Ἥρας ἴον Iunonis viola, & fuere librorum tituli istius nominis teste Plinio hist. in præfatione. Iam Ἴα, Μουσῶν vide reliqua.

IN EPIGR. XXXVIII.

AVDIAT] Feminæ enim illustres causis haud procul aberant. Plinius Iunior ad Hispullam id testatur de Calphurnia, quæ recitante ipso Plinio *in proximo, discreta velo sedebat.* Hodie vero matres filio primam causam agente ad templum confugiunt inter spem metumque positæ.

IN EPIGR. XLII.

SICCOS] Hic versus videtur esse transpositus, ac duos sequentes rectè sequitur in veteri libro.

IN EPIGR. LXXIV.

CALVAM *Triphilem*] Recta erit & vera lectio si *Trifilem* reponas. nam Tripilis penult. corripit, nisi legas: *Tripilemque caluam.* Depilis enim Varroni dicitur. Fila autem pro pilis figurate dici posse quis abnuat. Ouidius in Fastis:

Nec fuerant rubri cognita fila croci. Inde fila porri venuste dicta sunt. Epigr. 53. lib. xi. *Et porri fila resecta suis.*

SEMITATVS] Non segmentatus. Semitandi enim verbo vsus est Plinius, *Calua* autem hîc est *Caluitium* lib. 10. ep. 83.

Et lutum nitidæ, Marine, calua campum.

IN EPIGR. LXXVI.

FVSCVS] Corn. Fuscus Præf. Pr. periculum mallebat quam præmia, inquit Tacitus.

IN EPIGR. LXXVII.

TRADVCERIS] Hoc verbum notionis reconditæ locum asserit sibi in epig. 4. Spectaculorum. vbi Lipsius vere emendat: *Traducta est titulis.* Plinius in Panegyrico: *Nihil sæculo dignius quàm quod contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque ceruices.* deinde congesti sunt

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. VII. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. I.

VNGVIS] Vide plane quæ diximus ad primum Spectac. Epigramma.

IN EPIGR. XI.

AVRI] Locus notabilis de lectione poëtarum, quæ aurium iudicio probatur, non oculis. Inde Cic. dixit aurium iudicium esse superbissimum. alibi dixit: *Accipe sed certa quos legis aure iocos.*

IN EPIGR. LXXXIII.

TACENTEM] Danubius enim fluuius quamlibet ingens & magni nominis minimo sono delabitur. qua de re ego plura ad Claudianum eò loci: *tacitas prætermeat ingens Danubius ripas.* malè igitur *iacentem* legeris. Sic: *Lenè fluit Ni-* C *lus.* ibidem.

IN EPIGR. LXXXVI.

GLAVCOPIDE] Verissima hæc est coniectura magni Scaligeri. atque explodenda altera: *Lagopode.* scilicet.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. VIII. M. Val. Martialis.

D PVRPVREVM] Triumphantes enim teste Seruio faciem rubrica illinunt.

ELEPHANTA] His sumitur Elephas opinor pro ebore aut dente eburneo qui frequens erat in Arcu illo. non sine artis indicio. Sic supra *cornibus ara frequens.* Virgilius 3. Georg. *In foribus pugnam ex auro, solidoque elephanto.* quod fere hunc locum explicat. dicimus autem *numerare annos*, & *numerare consulatus* sequenti Epigr. idque non imperite. Epigr. 25. lib. 9. *Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes.* vide & Bucolicorum scriptores nouitios. epigram. XXVIII. lib. x. *Et fora tot numeras Iane quot ora geris.* sed hæc nimia.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. IX. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. LXXXVIII.

LINON] Linus poëta fuit Apollinis filius, quo pertinet illud Virgilij:

Orphei Calliopea Lino formosus Apollo.

Vnde hoc distichon Ouidij sic legendum est.

Et Linon in siluis idem pater abditus altis,
Dicitur inuicta concinnisse lyra.

Quæ sunt in omnibus libris deprauata.

IN EPIGR. CIV.

RECVSATO] Phrasis rara nec tamen adeo aliena. *Sæpe recusato*, id est, postquam sæpe recusasset, quæ sane breuitatis gratiam habet. Partos autem non Parthos legendum esse contenderim. quo pertinet illud Statij ad eundem Cæsarem:

Mille trophæa feres, tantum permitte triumphos.

Ouidius: *Esse parem virtute patri qui fræna rogatus, Sæpe recusati ceperis imperij.* Idem in Met.

Et multos meruisse alios egisse triumphos.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. X. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. V.

MOTO *Panno*] Huc forte pertineat illud Prudentij adeo à plerisque agitatum: *Quos lana terret discolor in stipite.* Prudentius enim *discolor* vltima producta enuntiat ratione genitiui producti, peculiari quadam licentia vt solet.

IN EPIGR. VII.

BVBVLCI] Viri docti hunc bubulcum pro Rege Germano, vel alterius nationis accipiunt. cum de Boote & plaustro eius forsan agat Martialis.

IN EPIGR. XXIV.

AVREIS] Scio quid viri docti in hunc locum attulerint. Sed vetus lectio est: Areis. quod significat *spacium* terendis frugibus destinatum. Claudianus certè dixit, *Ætatis spacium.* Ætas autem triplex est proprie, vnde idem poëta de Sene Veronensis agri: *Ætas robustum tertia cernit auum.* Item Græcus versus, vbi Opera iuuenum, consilia mediorum, & preces senum. præterea Hor. in Arte ætates tres designat. vbi Iuuenis imberbis, ætas virilis & senectus descripta sunt. Tres autem ætates signant ter xxv. annos. vnde Ciceroni media ætas inter iuuenem & senem: virilis scilicet. Idem sentit Horatius. M. vero Antonius de quo poëta noster id spacium impleuerat, hoc est quindecim olympiadas, nempe LXXV. annos,
A seu ter viginti quinque, quam ætatem viuere optat Martialis, vt olim Cuiacius vir immortalitate dignus. Area autem figurate dicitur multis modis etiam pro loco vbi decurrunt equi. Ouidius, *En patet in laudes area magna tuas.* Refertur etiam ad temporis spatium etiam vnius anni. *Tertia nudatas acceperat area messes.* Sed hîc latiùs patet. Quem locum ego volens submitto iudicio viri omnibus modis admirandi Io. LAVREMBERGII, qui me super hoc dubio vel experiri, vel sanè excitare voluit. animi caussa, vt est planè candidus & amabilis.

IN EPIGR. XLVII.

VITAM] Hoc insigne Epigramma non aptè inscribitur. Scribit enim hic & alibi poëta no-
B ster ad Iul. Martialem, sibi amicissimum.

IN EPIGR. *XLVIII.*

PILATA] Milites enim saltem prætoriani vel custodiæ Imperatoris Romani pila gerunt. Virgilius quoque hanc vocem firmat quæ sane primam syllabam producit:

Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis.

Sed Claudianus plane ad rem,

Non sic excubiæ, nec circunstantia pila,
Quàm tutatur amor.

Principem scilicet. Qui vero Parisijs agunt, hunc versum facile explicaturi sunt, si aduerterint quotidie submeridiem, quia mutantur excubiæ,

Et pilata redis iamque subitque cohors.

C

IN EPIGR. LXXXIII.

CYDÆ] Statius in Siluis istius præclari artificis meminit. *Cyda labor nomenque fuit.*

HALMYROTEN] Legendum ex vet. lib. *Hermeroten.* nomen conflatum ex Mercurio & Amore. Cicero Epist. ad Atticum dixit: *Signa nostra & Hermerotas*, legendum denique: *Cyda stare putabis Hermerotem.* Quantum ex scriptis veterum licet colligere hic Cydas fuit artis suæ peritissimus: pinxit enim, teste Plinio, nobiles illos Argonautas, dein septem poëtas Lyricos felici & laudabili euentu, etenim vt Eustathius quoque refert: Τεχνικοὶ ἑπτὰ, Γλαυκὰ ἐλέγοντο. vt & Lyrici, quorum septena fama, vnde Statius: *Et quibus Arcadia carmen testudine mensis Cyda la-*
D *bor nomenque fuit.* nam Mercurius Arcas curuæ lyræ parens, id est, inuentor ab Horatio dicitur. *Ac testudo resonare septem callida neruis.* metiri vero carmen, id est, aptare ad lyram, hoc sane loco.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN XI. LIB. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. *XLVI.*

SVSPICIO] Legendum plane *suspectio*, & apud Ausonium alioqui versus non stabit.

IN EPIGR. CV.

Hectoreo *equo*] Vxor enim Hectoris fuit instar Amazonis, & quæ statura militari esset prædita, ac viro suo forte robustior aut altior. nomen ipsius id prope sonat. Andromachen sanè qui dicit eadem opera bellatricem enuntiat. gaudebat nimirum illa exercitijs armorum ac marito suo alijs rebus intento plerumque equum ipsius inscendebat. Ouidius ait ipsam fuisse minus cultam natura, & consuetudine mariti, vnde versus:

Si fuit Andromache tunicas induta valentes,
Nil mirum: duri militis vxor erat.

Fuit certe longissima eodem teste, nec eam decuit quod paruas decere ait. duplex vero illa equitatio multis fuit diuidiæ.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. XII. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. I.

Retia] Hunc librum scripsit in Hispania, vt alium in Gallia Togata, dedicat Prisco. post triennij, vt ipse vocat desidiam. sic Claudianus triennio se quieuisse ait. Cæterum hic Priscus floruit maximè sub Traiano eumque Plutarchus ex animo dilexit, vt cui dedicarit librum de defectu oraculorum, vbi hæc videas ὦ Τερέντι Πρίσκε. quod firmatur epigrammate 4. huius libri. vbi *Prisce Terenti*. fuit autem Mæcenas poëtæ nostri, vt eodem loci videre est.

IN EPIGR. X.

Palma] Nomen proprium viri illustris. fuit autem A. Cornelius Palma consul sub Traiano. Idemque Syriæ præfectus. nunc verò Iberiæ præest, hoc est agente Martiale in Hispania.

IN EPIGR. XVIII.

Dum *tu*] Iuuenalis qui dicitur exulasse sub Domitiano, videtur hic quasi reuiuiscere, & à Traiano restitutus esse. Si tamen is est, multum diuersus est ab illo Hectore, *qui limina potentiorum priùs non obibat, neque Saburram colebat*, vt hic. Sed enim Tibullus in hanc rem:

Vidi qui iuuenum teneros lusisset amores,
Mox Veneris vinclis subdere colla senem.

Limina vero hic prope signant, ad annulos vel χρυσόδετα siue περόνην ἀργυρίαν sedere, de quibus aliàs.

IN EPIGR. XXI.

Nec *cito*] Legendum ex veteri libro:

Te citò ridebit peregrini gloria partus.
Romanam deceat quam magis esse nurum.

hi verò versus miris modis olim vexati sunt. Sed eorum hæc videtur esse sententia. O Marcella amantissima, quæ nihil præter honestatem & blanditiam spiras, breui certe

A futurum est, vt partu peregrino sis nobilitata, vt in Hispania sobolem edas quæ tibi subito arrideat. O quam ingenium illud laudabile ac venustum merebatur, vt tu Romæ (quæ regina vrbium) nata esses, non in regione externa! eandem vero laudem poëta noster tribuit Claudiæ Rufinæ in Britannia genitæ quæ adeo inclaruit, vt Romanas puellas omni dote vel superaret, vel sane æquaret. Statius idem ad amicum è Libya: *Externa non mens, Italus, Italus.* Locus enim communis à patriæ splendore ducitur apud Oratores. vide autem apud Fabium, quid sit *ridere parentes.*

IN EPIGR. XLIII.

B Elephantidos] Nomen fœminæ eruditæ, & artis suæ non ignaræ, cuius meminit Suet. in Tiberio, & auctor Carminis in custodem hortorum. talis quoque fuit, cuius & Elephantidos meminit Plinius lib. 28. quæ de abortiuis quoque scripsere. talis Astyanassa ancilla Helenæ de varia voluptate, quarum exemplum secuta est Philænis. vide Suidam.

IN EPIGR. XLVII.

Nec *tecum*] Theognis in eandem sententiam: Οὔτε γὰρ ἐχθαίρειν οὔτε φιλεῖν δύναμαι.

IN EPIGR. LIV.

C Gazæ] Notandus hic locus ijs, quibus res est cum tali genere hominum, ac nummis incumbunt, vt draco Hesperidum. sic fere aureum vellus difficile accessu fuit.

IN EPIGR. LVII.

Marculi] Vide nummos veteres Libonis, vbi puteal, vrna & marculi. vet. Inscriptio Steph. Ser Malliator monetæ Cæsarum. ad hunc verò Sparsum scribit Plinius Iunior.

IN EPIGR. LXIV.

Talione] Cælebs quibusdam dicitur, quod cælo dignam agat vitam. Hor.

Nil ait esse prius melius nil cælibe vita.

D ad hunc vero locum poëtæ nostri Claudianus de eo qui instar cælibis est,

Adde quod Eunuchus nulla pietate mouetur,
Nec generi natisve timet.

Talio autem Exodi 21. satis explicatur.

Securius] Plinius in ep. Peruersa ingenia confirmat audacia. ἀμαθία θράσος φέρει.

IN EPIGR. LXXVII.

Amphora] Epigramma subtilissimum mihique nuper instar ænigmatis obiectum. Eius hæc videtur esse sententia. Amphora vini viginti tantùm assibus vænit, modius tritici quatuor assibus. Iam licet agricolæ se mero quidem implere, ac pane saturum & crudum esse, sed vnde ipsi pecunia presto erit? Certè titulus male conceptus, nam de vilitate annonæ agit, quod Cicero in Verrem libro 3. diserte explicat: *Ad*

incertum, inquit, *casum & euentum, incertus quot-* A
annis labor & certus sumptus impenditur. Annona porro precium nisi in calamitate non habet, si vbertas fuit consequitur vilitas in vendendo.

IN EPIGR. LXXVIII.

SELLAS] Hic locus satis anceps, magnus Turnebus, & alij ex Aristophane quædam afferunt, sed longe vt videtur petita. Sedenim Patroclus à quo, sellæ istæ denominatæ sunt, fuit foricarum conductor, visitur enim in vet. inscriptione quidam, *Lucius & Patroclus curatores.* istius opinor loci. Mirum vero dictu est, quot fuerint eiusmodi loca Constantinopoli & Romæ. Tertullianus in Pallio quendam vocat Latrin. Antistitem. Marcellus vero medicus dixit purgare per vomitum vel per sellas, quas Varro & Vitruuius dixere familiaricas, quas ait quoque construi in porticibus. notatu vero dignum est, quod legi in vita Lucani auctore incerto, sed antiquissimo: Neque verbis aduersus Principem, neque factis extantibus temperauit, adeo vt in Latrinis publicis clamore cum strepitu ventris emisso hemystichium Neronis pronuntiauerit: *Sub terris tonuisse putes.* & famoso carmine ipsum prosciderit.

IN EPIGR. C.

SVCCEDERE] Plinius lib. x. Epistola. 78. & in Panegyrico: *Facilius est vt esse aliquis successor tuus possit, quàm vt velit: quis enim curæ tuæ molem sponte subeat? quis comparari tibi non reformidet? Expertus & ipse es quam sit onerosum succedere bono Principi.* cæterum epigr. sequentia absunt à C veteri codice nec immeritò.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. XIII. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. CI.

DENTIS] Calphurnius poëta nobilis: *Auro quoque torta refulgent Retia, quæ totis in arenam dentibus extant,* deinde: *nostro dens longior omnis aratro.* supra dictum est de elephante frequenti. quo pertinet hic locus.

IN EPIGR. CXX.

MVSTA] Legendum ex vet. codice. *Mista,* dixit enim alibi: *Scelus est iugulare Falernum.* vide epigr. 89. lib. 6. de lagena Spoletina. Cęterum Plinius de libertis aut famulis: *Non idem bibunt quod ego, sed ego idem quod illi.* modeste profecto & subtiliter.

IN EPIGR. CXXI.

MASSICA] Lege Marsica ex lib. 14. *Spoletina bibis vel Marsis condita cellis.* de vino Massilæano vel Massiliotico dictum est supra.

ANNOTATIONVM FLOSCVLI IN LIB. XIV. M. Val. Martialis.

IN EPIGR. I.

SATVRNE] Viri docti olim non solùm profestis, sed & festis diebus semper aliquid moliebantur, aut lineam aliquam ducebant. Id Aurelius Macr. satis exemplo suo probauit. ac Cælius Symposius qui venustissima, & sane arguta nobis reliquit ænigmata, quę diligenter collata, & à
B me fusius explicata propediem forte nido suo euolatura sunt. hæc vero cuilibet fritillo locis, denique ædilem aliàs metuentibus, aut synthesi equestri præferenda esse duco. Ἀποφόρητα sunt præuia munuscula conuiuæ oblata. λῆμμα autem ἐπίθεσις. Ausonius dixit *lemma tituli.* qui lectorem solicitet vel inuitet.

IN EPIGR. XVIII.

ABSTVLIT] Est qui legat *Abscidit*, ex illo versiculo,

Mauis Rufe coquum scindere quam leporem.

IN EPIGR. XXVI.

SPVMA] Apud Plinium lib. 28. cap. 12. *Sapo fit ex cinere & seuo.*

IN EPIGR. XXVII.

MVTARE] Q. Serenus:

Quos pudet ætatis longæ, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos.
His prodest acri contrita cupressus aceto,
Lumbrici quoque terrestres miscentur oliuo.
Prætereà niueum poteris depellere crinem,
Resina ex facili cera viscoque coacta.

Idem posteà:

Ad rutilam speciem nigros flauescere crines.
Vnguento cineris prædixit Tullius auctor.

Marcus vero Cato, ait Sosipater, scripsit vnguenta esse *ex cineribus* composita, quibus mulieres capillum vngebant, vt rutila esset coma. vide & Varronem lib. 4. inde *cinerarij.* Val. Maximus lib. 2. *Mulieres Romanæ summa cum diligentia ca-*
D *pillos cinere rutilarunt.* Scholiastes Theocriti: Νυμφιοδ. & Θεόφραστος. τῦ Κρᾶθιδος τὸ ὕδωρ ξανθίζει. vnde apud Ouidium: *Crathis & Sybaris Electro similes faciunt auroque capillos.* Idem poëta rem inuentu facilem detegit, eo loci: *Vt annos*

Dissimulet viridi cortice tincta nucis.

Neque verò solùm capillos, sed & oculos, quod mirum videri queat, tingebant. B. Cyprianus de habitu virginum: *Illi docuerunt oculos circumducto nigrore fucare, genas mendacio ruboris inficere. & mutare adulterinis coloribus crinem.* B. Hieronymus: *oculos stibio linit.* quod quidam vertunt στίμμι, vulgo antimonium. Xenophon de Cyro: ὑπογράφεσθαι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐχρῶντο. ὡς εὐοφθαλμότεροι φαίνοιντο. Iul. Pollux: τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει καὶ ὀφρῦς μελαίνει. Iuuenalis de supercilio: *pingitque, trementes Attollens oculos.* Ouidius in arte l. 3.

Nec pudor est oculos tenui signare fauilla,
Vel prope te nato lucida Cydne croco.

Atque hæc animi causa dicta sint, quando nobis per otium plura in totum hunc poëtam afferre vix licet. quia nimirum nundinæ instant iam planè, aut certe iam appropinquant.

QVO TIBI] Hic locus viris doctis obscurus videtur. quid si poëta velit suadere vetulæ, vt pila Mattiaca linat capillum, vt non sit necesse ipsi caput radere & empta cæsarie vti. quid enim inquit, iuuerit calua, id est, caluam esse? lib. VI. ep. 74. *Nuda tempora verticemque calua.* Id est, caluitij.

IN EPIGR. XXXI.

SI] Vulgata lectio mihi sincera est. quia fieri potest sæpius, vt Aper cum suo rostro oblongo & duro; excusserit. venatori suum venabulum, vel deiecerit. nam illud *gemes* & *delecta* sunt leuia in re huiusmodi.

IN EPIGR. XXXV.

CVM] Sensus hic videtur esse. Quidam ex numero Equitum, adeo æs grande alienum conflauerat, vt bona ipsius sub hasta non essent soluendo, ac sola hæc securicula creditori quadringenta millium. qui fuit aliàs sensus equestris. quam forte pecuniam eques futurus mutuam acceperat, vt posset in eum ordinem admitti. Hodie quid simile fieri nemo ignorat.

IN EPIGR. LI.

PERGAMVS] Inde vero Strigiles optimæ. curuum autem illud ferrum apte distringebat corpus in Balneo. Distringere autem imperandi modo extulit. de ijs plura dixi ad Symposium. vide Apul. Vitr. & Mercurialem. Cæterum in Ep. CXLII. Focale à faucibus dicitur. alibi,

Qui recitat lana fauces & colla reuinctus. inde Suffoco. Ep. CLXX. Nomina vera, id est, *Germanicus.* sic enim vocat Fabius, in eoque sunt decem litteræ. Epig. CLXXXII. Sigillum signum paruum aut effigiem homuncionis designat. vide Ausonium de Faustulo qui insedit formicæ, aut certe pueri statua deformis, & in suos artus

A concreta vel compacta, vt Propertius notat. Epigr. CLXXXV. Culex legendus proponitur ante Æneida, qua de re Fabium consule. Epig. CXCVI. sic legendum:

Hac tibi quæ fontes & aquarum nomina dicit,
Ipsa suis melius charta notabit aquis.

Et quidem ex optimis codicibus.

IN EPIGR. CCII.

Callidus emissas eludere simius hastas.

Huius loci explicatione ante duo lustra in editione Persij fusiùs dedi tractatu singulari in locum Iuuen. Sat. vbi, post tot huius sæculi gloriosa lumina dixi, hæc ad Simum pertinere qui scabie quoque fruitur mali ac flagelli metuens discat iaculum torquere à capella, quod firmari
B ostendi glossa veteri transposita, vbi hæc de malo seu pomo: Quale Simia manducat. alibi multo plenius & exemplis additis hac de re disserui.

Epigr. CCXIX. Legendum plane vt excusum vbique est: *Accipe cor quod habes*, cum titulo veteri: *Cor bubulum*. nihil enim magis vile aut insipidum corde bubulo, atque in homine quanto maius tanto deterius est & ignauius, aut languidius. Persius id satis innuit. dum ait nihil homini desidi & pigro salire in læua mamillæ parte, & alibi contra: *Cor tibi rite salit.* quod quidem exile est ac bene compositum. neque vero cordatiores sunt, qui maius & amplius cor olim sortiti. Cæterùm versus ille:

Arpis cedere non cogis disertis.

C Ciceronem indicat. sic Plutarchus tradit C. Marium natum esse in regione Arporum. fuit autem Tullij conterraneus, seu Arpinas. Item: *Sed Phlogis vlcus habet:* partem fem. mediam indicat, abusiuè. vt Persius eadem parte nominatâ signat vlcus aut vulnus mala aut in castris cupidinis acceptum. De *Lucano* altero & *Tullo* fratribus multa in Epistolis Plinij. Idem quoque meminit *Quintiani.* de quo multa Martialis. Quia verò P. Melissus V. C. quem nos & vidimus apud Noricos Val. Martiali adscribit diuersorum poëtarum, vt putant, Lusus. dicam quod sentio nihil mihi videri Martiale dignius, sed obniti fortius nolim. Vtut sit Telethusa Lalage & Elephantis à poëta nostro celebratæ in illo quoque carmine se videndas exhibent. Multa vero hic omisimus, quæ tam breui spacio includi non poterant. sed quæ nondum data sunt, negata non sunt.

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM ET VERBORVM,

quæ in toto hoc opere continentur.

Litera j. primam columnam paginæ. ij. verò secundam significant; A. B. C. D. regionem loci.

A.

Abdera vrbs Thraciæ. 459.ii.c.d
Abolla vestis tragica, & grauiorum personarum. 283.j.d
Accusator ac deffensor quomodo causam agebant. 95 j.a
Acerra potator. 75.j.a
acerra vas vbi ponebatur thus. 278.j.d.&ii.b.d
acetum. 577.j.d
achillas arte fefellit Gallos sacerdotes Cybeles, & supposuit Misitium, qui ab ipsis castratus est. 239.j.c.d. & seq.
achillas & Septimius interfectores Pompeij. 227.j.c.d.
achilles velox fuit pedibus. 143.j.c
achillis scyphus. 144.j.c
aci pisces. 464.j.b.d
accipensis qualis piscis. 571.j.c
accipiter prædo volucrum. 617.ii.c.d
acus aurea ad quid. 585.ii.b
adulteræ cogebantur prodire in medium indutæ toga. 157.ii.d
adulteria sustulit Domitianus reuocata lege Iulia. 333.j.b.ii.a.b,334.j.d.
aduocatis & causidicis mittebantur dona in Saturnalibus. 279.j.d. 280.j.b
Ædes summo pretio emptas qua arte curaret vendere Amœnus. 534.b.c
ædes Domitiani ædificatæ à Rabirio, & quàm excelsæ. 403.j.c.ii.a
ædes peramœnæ cum hortis. 526.j.b
ædilus caprificus, quod capris veheretur, & ficu morbo laboraret. 282.ii.c
ædilus cinædus impudicus. 89.j.b
ædificia publica numinibus consecrabantur. 2 j.a
ægis dicitur in pectore diuino, in homine vero lorica. 360 j.a.b
ægidem cur non haberet Pallas in Capitolio. 336.ii.a.
ægeria nympha, cuius congressu vtebatur Numa Pompilius. 463.ii.a.c
ægle fellatrix. 119.j.c.d
ægle cum gratis fellaret, basia vendebat. 527.ii.a.b
ægle fictitijs dentibus appositis, videbatur dentata. 107.i.a.b
Ægypti reges ædificarunt pyramides, qua intentione, & vbi maxime. 2.j.a.b
Ægyptij primi coluere Priapum, & quo inuento. 347.ii.a.b.
Ægyptij quanta veneratione colerent pudenda. 228.ii.d.
Ægyptiæ & Gaditanæ cantilenæ mollissimæ. 225.j.a
Ægyptus delitijs ac mollitie corruptissima. 274.ii.c.
Ægyptus nunquam aut rarò recipit imbres. 100.j d
ægyptus hyberno tempore mittebat rosas Romam. 267.j.d. & seq.
ælia quatuor dentium, quos expuit tussiendo. 69.j.c.
æmilianus pauper patronus. 331.ii.d
æmiliæ viæ dux. 192.ii.b
ænigma Sphingis solutum ab Oedipo. 116.i.b
æsculapius quot habuerit natos. 500.ii.c
æsculapio consecrabantur capilli ab antiquis. 423.ii.a.b.c.d
æsopus liquefactos vniones vorauit, vt gustum sentiret. 418.i.b
æthon cœnipeta pepedit ante Iouem Capitolinum; & qua pœna affectus. 540.b.c.541.j.a
æthon & Xanthus solis equi. 597.j.b
ætas breuis præcellentibus ingenijs. 341.i.d.ii.a
afer quot nomina debitorum numeraret, vt negaret mutuum. 271.i.d
afer nouo genere portenti duxit tanquam vxorem Callistratum. 523.j.c
afer iuuenis & pauper quam mollis. 355.j.b.c
afra vetula cum esset, vocabat matrem mammam, patrem vero tatam, vt videretur iuuenis. 123.i.d.ii.a.
africanus diues captator. 515 i.a
africanus nominatus Scipio ab Africa deuicta. 137.j.c.ii.b
agathinus quàm agiliter ludens parma. 430.ii.d
agrippina mater Neronis nefaris trucidata ab eo. 290.ii.a.c
alauda etiam nomen legionis apud Romanos. 310.i.b
alani populi inter Sarmatas. 368.ii.a.b
albanum vinum. 575.i.a
albium dicta olim Britannia. 484.ii.a
albula prope Tiburem sulfureis aquis semper fumans. 250.ii.c

Albulæ aquæ in agro tiburtino vulneribus maximè medentur. 65.ij.d.280.i.b
alcestis & Euadne ob maritos mortem obierunt. 297.j.d. ii.a.c.
alcinous pietate hospitalitatis laudatus. 291. j. b. ij. a.
alcinous rex Corcyræ iustissimus, ac ipsius hortorum amœnitas. 372.i.a.b
alcinoi regis Pheacum horti & pomaria quam inclyta. 520.j.c.ii.b
alcinus & Callistus pueri Martialis. 326.i.c
alcinus immatura morte peremptus, & eius tumulus à Martiale. 114.j.d
alcontius vulnerum medicus, exul in Gallia. 353. ij. b.
alea permittebatur in Saturnalibus viris, pueris nuces. 33.j.c.ii.a.b
alex ludus quis. 259. i.b
alece liquamen salsum. 233.i.a
alexandrinus populus quomodo diuisus. 341. j. d ii. a.
alexander Macedo quanti fecerit Pindarum. 396. ij. b.
algidum mons in Albano. 291. i.d
alica quid, & vnde dicta. 555. ii. c
alica genus præstantissimi tritici. 157.i.b
Alindar Hispanicè quid. 64.i.a
almo fluuius ad portam Capenam, quo lauabantur simulacra Cybeles, & cultri Gallorum. 214. ii.a
alpheus fluuius iuxta Pisam & Elidem. 357. ii. b. c.
altinum oppidum Venetiæ. 265.i.c.d
alteres quid. 589. ii.c
ambulator transtiberinus quis. 83.i.d
amethystus lapis purpureus, ebrietatem arcens, inde calor amethystinus. 120.i.b
amianus incestus cum matre, quam vocabat sororem. 138.i.c
amicus solicitus in natalibus, vt rectè exciperet amicos. 530.d.531.a
amici, coniuges, &c. claudebantur vnico sepulchro. 131. ii. d.
amici veri quam rari. 119.i.b
amici dona, quæ soteria vocabant, amicis conualescentibus è morbo donabant. 527.ii.d
amicis quod donatur solum restat ex diuitijs. 320. ii. c.
amica qualis optata à Martiale. 429.i.a.509.a
in amorem versi quoscumque cestu Venus verberasset. 337.j.d
amicitia non est vera in orbos & senes. 495.ii.d
ammon dicebatur Iupiter lingua Ægyptiaca. 2.ii.a
amœnus ædes maximo pretio emptas qua arte curaret fallere emptores, quibus curabat eas vendere. 534.c.d
amphitheatrum vnde dictum, conflatum ex duobus theatris. 3 ii.b. Marti dicatum. d
amphitheatrum Cæsaris destinatum ab Augusto, extructum à Vespasiano, à Tito dicatum est. 1.3.j.b. dictum est Colosseum. 3.j.c.7.j.c
In amphitheatro edebantur ludi gladiatorij, ac venatorij. 3.ii.d
amphitheatra plurima Romæ. 6.ii.d
amphitheatri Cæsaris altitudo. 11. ii.b.c
amphitheatrica venatio multiplex. 39.i.d
amphora genus mensuræ. 69.j.a
amphoræ vinariæ notabantur nominibus Consulum, vt scirent quàm vetus esset vinum. 116 ij. d.
amyntas pastor excutiens glandes ex arbore decidit. 494. ii.d
anaglypta vasa in asperitatem excisa. 371. j. a. b. c. ij. c.
analecta reliquiæ ciborum. 365. i.a. ii.a
anas vnde dictus. 564.i.a
anchiala vrbs Ciliciæ. 507.ii.a
ancillariolus quis. 530.j.b.c
andragora cum vespere cœnasset cum amicis, inuentus est mane mortuus. 348.i.d
andromeda Cephei filia monstro exposita liberata à Perseo. 48. i.a
angustus clauus vestis equestris. 280.ii.c
animi effeminati est mortem quærere in vita misera. 63.ii.a
anna soror Didonis dicta Perenna, & colebatur in Aricino. 291. i. d.292.i.a
annibal quo artificio celarit ac seruauerit opes suas. 24. ii.a
anser sacratus Iunoni, & quantæ æstimationis apud Romanos. 428.ii.b.d
anser in corte saginatus ob iecur. 219. ii.b.c
anseres quanto in honore apud Romanos. 567. ii. d.
anserum iecur præcipuè in delitijs. 236.ii.c
antenor condidit Patauium. 265. ii.c
anseris iecur. 565.j.b
antistij Rustici epitaphium. 428.j.d
antiochus quàm imperitus tonsor. 501.i.c.d
antium conditum medio saxo abluente mari. 307. ii. a.
antiope & Chione meretrices. 116. ii.c. 117.ii.a
antipolis in Ianiculo, in Hispania, ac in Asia. 303. ii. b
antistrophæ, strophę, &c. quo ordine fiebant, ac significatio. 46.i.d.ii.c
antiphilus pictor excellens. 143.ii.a
anthorum imagines collocatę in bibliothecis. 419. j. b.
antlia instrumentum ad aquam hauriendam. 424. i. a. c.
anteambulo quis. 147.i.d. 208.ii.c
antonius quam grauiter taxetur ob mortem Ciceronis. 328. i.b.c
antonius sępe vomuit in Senatu ob nimiam ebrietatem. 186.i.b.ii.a
antonium & Cleopatram eodem condidit sepulchro Augustus regali apparatu. 288.ii.b
M. Antonij Stoici quàm fœlix vita. 458. i.d
anulo donabantur Equites. 151. i.b
antullæ Fænij filiæ epitaphium. 131.i.a.ii.d
anus pulcherrima descriptio. 240.i. b.c
anulus Polycratis. 151.i.b
anxur Terracina est. 307.ii.b
aper quandiu pauper fuit reprehendebat eos qui potabant in thermis, factus diues nunqaam discedebat sobrius. 536. c.d
aper integer appositus mensę Rulli. 86.ii.c.571.b
ex apro fiebant sexaginta sapores. 365. i.b.
apes inclusa in electro. 269.i.c.d
aphronitrum quid. 591. ii.a
apicius cum fere patrimonium consumpsisset, veneno vitam sibi præripuit. 202.ii.b.c.d
apicius gulosorum omnium altissimus gurges. 173. ii. b.
apinæ res tenues. 130.ii.c
apis inclusa in electro. 269.i.c.d
apponum oppidum iuxta Patauium patria Liuij. 99. i. a. c.

Aponi aquæ incendebantur ingredientibus puellis. 345. ii. a
Apollo cur dictus Sminthæus. 432. j. c. d
Apollonius lapsa memoria amicos salutabat per numerum. 314. i. a
Apollodori sex fuere celebres. 99. i. d
Apophoreta quid. 553. i. a. b. 58. i. b
Appianus poëta, item captator. 350. ii. b. c
Apyrina quis prius attulerit. 562. ii. a
Aqua Nili dulcissima. 14. j. c. etsi turbida. d
Aquæ tributa diuinitas olim. 192. j. b
Aqua frigida potabatur olim, calida verò potabatur. 65. i. b. ii. a. b
Aquæ albulæ in agro tiburtino vulneribus maximè medentur. 65. ii. d
Aquam sumere quid. 165. i. d. ii. a
Aquæ ductus in vrbe quàm multi. 347. i. a
Aquila regina volucrum. 323. ii. c. d
Aquileia vrbs extra Venetis. 265. i. c. d
Aquinus & Fabricius amici in eodem tumulo. 118. ii. d. 119. j. a
Ara cornea in Delo. 6. ii. c
Arabia triplex, & vbi sita. 13. i. d
Arbores quæ circa sepulchra. 115. i. b
Arcarij serui, quibus domini pecunia commissa. 109. j. b
Archetypa vasa quæ. 362. ii. d
Archilocus carminibus Lycambem generum compulit ad laqueum. 363. i. a. b
Archimagiri. 93. ii. c
Archiphron architectus templi Dianæ Ephesianæ. 2. j. d
Architecti qui. 323. ii. d. 324. i. b
Arctophylax siue Bootes quis. 149. j. d
Ardea oppidum supra Laurentum pestilens. 288. ii. d 289. i. b
Ardelio quis & vnde. 140. i. d
Arenarius, gladiator. 18. i. b. & qui proprij. c. inermes cum feris committebantur. ibid.
Arena cauea amphitheatri propriè. 18. i. a
Aretulla cum esset in theatro columba decidit in ipsius sinum, nec inde voluit euolare. 401. ii. a. b
Aretium in Italia. 95. i. a
Argentum pustulatum. 528. ii. a
Argiletum locus prope palatium. 57. i. d
Argonautæ qua duxerint nauem. 265. ii. a
Aries & leo quàm pacificè agerent simul. 441. i. c
Aricinum nemus in quo Anna soror Didonis colebatur. 295. i. d
Arion Lesbius ex Methymna. 408. i. b
Artifices qui in militia. 306. ii. a
Arriæ duæ generosæ, ac magnanimes mulieres. 66. ii. d
Artemisia regina Cariæ Mausolei conditrix, & quanta magnificentia. 2. ii. b
Artemidorus vendidit agrum quo emeret puerum. 424. ii. d
Aruspicina ex Hetruria accita Romam. 204. i. a
Ascaules quis. 452. ii. c
Asillus & Hierus fratres quàm similes. 450. i. b. ii. a
Asparagus vnde dictus. 538. i. d. ii. a
Assertores debebant adesse in liberali causa. 94. ii. a
Asteris, opus stellæ poëtæ de Violantilla amica. 310. ii. d.
Asteris, Violantilla, Stellæ poëtæ amica. 339. i. c.
Asturco in Galitia & Asturia. 615. i. c
Attagena auis capta obmutescit. 157. i. a
Atagen inter raras epulas. 565. ii. b
Attaina oppidum Latij. 479. ii. a. c
Atellanæ fabulæ quid. 84. ii. b. c
Athenagoras quàm varijs artibus insudarit. 447. ii. a
Athanatus quantarum virium. 317. i. b
Athas quàm velox cursor. 261. ii. b. 262. i. a
Athys filius Prognes laceratus à matre. 327. ii. d
Athys Crœsi filius mutus, imminente percussore patri, locutus est. 406. i. d
Atlas mons Lybiæ citro abundat. 161. i. c
Atlas cœlifer repræsentatus in theatro. 355. i. b. d
Atlantes in ædificijs quid. 355. ii. b
Atria potentiorum erant, in quibus clientes & salutatores exspectabant egredientes dominos. 209. ii. d
in Atrijs collocabantur imagines & stemmata. 273. ii. a. b
Atrectus bibliopola. 132. i. d
Atropos vna Parcarum. 284. ii. c
Attalus ardelio omnes ferè artes bellè se prædicabat scire. 140. i. c. d
Attalus curiosus semper aliquid agens. 111. i. c
Attici Romæ vnde sic dicti. 369. i. d. ii. a
Attici præter cæteros vrbaniores censebantur. 302. ii. d
Atticum mel celeberrimum. 574. j. c
Atticilla quàm importuna. 541. c
Attis amatus à Cybele, ac inclamatus in ipsius sacris. 310. ij. b
Atys puer amatus à Cybele mollissimus. 184. j. a
Auctus versus omnes Martialis memoria tenebat. 374. j. d. ii. a
Auditorium populi idem quod theatrum. 3. j. d
Aufidius mœchus notissimus. 325. ii. a
Augustus librum epigrammatum edidit. 489. i. d ii. a.
Augustus Aiacem tragœdiam composuerat. 282. i. b
Augustus patres in curia sedentes omnes proprio nomine salutauit. 175. i. a
Aurora mater Memnonis. 597. j. c. d.
Aurata, piscis. 571. i. a
Auriscalpium. 583. j. d
Aurum putum, id est purum. 87. ii. b
Aurum Callaicum quod. 272. j. a. c. ii. c
Aurum obrizum. 528. ii. a
Aureo vase vtebantur antiqui etiam ad fœdissima officia. 80. i. d. ii. a

B.

Babylon caput Chaldearum gentium, à qua ædificata, & quanta amplitudine. 2. j. c
Baccara quot gausapinis tegeretur. 349. ii. c. d
Bacchara magna promittens dissimulabat se videre quid esset opus. 385. ii. d. 387. j. a
Baccaris, Nardus rusticus. 349. ii. d
Baccariones quid. 117. ii. b
Bacchus editus à femore Iouis in Isa monte Indiæ. 278. j. b
Bacchus, Pan, &c. in delubro Plutonis. 105. j. d
Bacchi origo. 327. j. b. c
Bæthis fluuius Hispanus. 398. ii. d. 399. i. c
Bætis Hispaniæ fluuius, ad quem sunt lanæ quæ non indigent alio coloro quam natiuo. 120. j. a
Bæticus sacerdos Cybeles cunnilingus. 234. i. c
Bæticus cunnilingus, quibus delectaretur cibis. 232. ij. d.
Baiæ vitiorum diuersorium. 101. ii. a

Baiæ quàm eximiæ. 501.ij.a
Baiæ optimæ ad lauandum. 98.j.d
Balbus ditiſſimus. 154.j.a.b
Balearicæ olim populatæ à cuniculis. 565.ij.a
Balneorum Etruſci elegans deſcriptio. 344. ij. a. b. c.
Balneum Tuccæ. 442. ii.a
Balnea communia olim viris & mulieribus, vbi lauabantur promiſcuè. 217.j.b.c
Baraton mons Celtiberiæ. 285. ii. a. 286. j. a
Barba fit tantum ex pilis natis in mento. 153.j.d
Barbam & capillos promittere ſolebant rei. 178. ij. b.
Barbam & crines vouebant Phœbo antiqui. 76.j.b
Barbæ lanugo magna celebritate deponebatur. 193. ij. d. 194.j. a.b
Bardi poëtæ Galli. 94. ij.d
Bardiacus aduocatus. 150.ij. a. & veſtis. ii.d
Bardocucullus veſtis. 94.ii.b.d
Baſcanda quid. 599.j.a.b
Baſia pueri Martialis quam dulcia. 486.ii.a
Baſiatores quam importuni & moleſti. 508. j.c. d 530. j. d. ii.b
Baſſa tribas & impudica mulier. 116.j.a.b
Baſſa quam male oleret. 250.j.a
Baſſa infantem cur ſemper geſtaret. 303.j.c
Baſſa onerabat ventrem aureo vaſe, & bibebat vitreo. 80.j.d
Baſſus rus emerat in quod oportebat olera deferre, non inde afferre in vrbem. 214.j.c.ii.d
Baſſus cum lacernas maximi pretij emiſſet, lucratus eſt, quòd non ſoluerit. 393.ii.d
Baſſus malus poëta, ſed audacis animi. 323 j.d
Baſſus vt videretur eques ſumpſit lacernas purpureas, & variorum colorum. 314.ii.c.d
Baſſi villa prolixè depingitur. 218.ii.d.219.j.a.b.c
Baſſus promptus ad vetulas, ad puellas frigidus. 232. ii. b.
Batavi in inſula Rheni. 356. ii.d. 357.j.a
Batrachus & Saurus templa ſtruxerunt magna ſpe, vt porticus eorum nominibus dicarentur, quod non obtinuerunt. 96. j. c
Batrobas libertus Neronis quam ſtudioſus paleſtræ. 154. ii. b.c
Batulus præcipuè in Saturnalibus. 593.ii.a
Bauli vicus in litore Campaniæ. 290.ii.a
Beata vita, ſiue iucunda & placida. 466. ii.b
Bellus diminutiuum à Bonus. 63.ii.d
Bello capti cum beſtijs pugnabant in amphitheatro. 5.j.c
Beſtiæ feræ arte manſuefactæ. 27.j.d. ii.a
Beſtiæ ſtimulatæ à magiſtris in arena. 41.j.b.ii.d
cum Beſtijs pugnare in theatro quinam ſoliti. 4.ii.d & ſeq.
Beſtiarij quinam dicti. 4.ii.d.5.b
Betæ in duo genera. 557.i.a
Bibliotheca Iulij Martialis. 364.j.b
in Bibliothecis locatæ authorum imagines. 419. j b.
Bibliopolæ doctiſſimi apud antiquos. 55.ii.a
Biblis fratrem amauit, tandem conuerſa in fontem. 463.j. d. ii.b
Bibebant antiqui per literarum numerum in nominibus amicorum. 106.j.d
Bilbilis Martialis patria. 99.j.a
Bilbilis oppidum in Celtiberia. 91.j.d
Bilbilis fluuius ferrum durans. 91.ii.a
Biſon animal deforme iubis in Germania. 42.i.c ii. d.
Bithynicus incredulus. 541.b
Bithynicus captator. 422.j.b
Bituntum oppidum Celtiberiæ Iteriſe. 285. ii. b. 286. i. a
Blatta quid. 553 ii. b
Brachæ genus veſtis qua vtebantur Britanni. 490. j. a. d
Brias vnus ex ſculptoribus Mauſolej. 2.ii.b
Britannia dicta olim Albium. 884. ii.a
Brutus percuſſit Cæſarem. 85.i.d
Boleti in cœnationibus extremum irritamentum gulæ. 69.ii.a
Boleti maximo in pretio. 563.i.d
Boletaria quid. 599.i.d.ii.a
Boótes, ſiue Arctophylax quis. 249.i.d
Botellis genus condimenti. 330.i.c.ii.c
Bothrodum oppidum Celtiberiæ. 90.ii.b.516.ii.c. 517. i.a.
Botryon quid. 491.ii.c.d
Bouillæ via celeberrima. 139.i.d
Bubalus, qui & Vrus. 42.i.c.ii.c
Buccella quid. 354.ii.b.c
Bulbi minores aſcaloniæ. 561. i.a
Bulbi genus herbæ capitatæ, incitant ad Venerem. 231. i. a. b
Bulla quid. 402.ii.a
Burrus filius Parthenij, ac vota Martialis pro ei ne ſalute in natalitijs. 278 i.d
Buſta Gallica quis locus. 537. c.d
Buſtuariæ anus quæ. 240.ii.a
Buxus in delitijs Romæ. 218.ii.d.219.ii.a
Buxus ſeri ſolitus circa ſepulchra, & cur. 115.i.b

C.

Caballus ſcurra peritiſſimus. 82.ii.c
Cacus filius Vulcani interfectus ab Hercule. 327.i.c
Cadauera mortuorum vngebantur. 196. ii.a.d
Cadus genus menſuræ. 69.i.a
Cæcilianus guloſus omnia aſportabat à menſa in ſequentem diem. 156. ii.d.& ſeq.
Cæcilianus aſſentator lugens carmina Martialis. 176. ii. a. b
Cæcilianus pauper vehebatur exaphoro, factus diues ibat pedes. 282.i.d
Cæcilianus zelotypia ductus pro vxore cuſtodes ſel adhibuit, ſed infidos. 107.i.d.ii.a
Cæciliani thermæ frigidæ. 180.ii.d.181.i.a
Cæcubum vinum. 540.i.c.d.ii.c.576.i.b
Cæcilius amicos excipiebat mira varietate ciborum, qui omnes confecti erant ex cucurbita. 492.ii.a.b
Cælia extraneis quibuſque iungebatur potius quàm Romanis. 368.ii.a
Cælia cum ſeruo lauabatur fibulato, ſed ſimulatoriè. 503.ii.a
Cære olim argilla. 354.j.c
Cæretanum vinum. 577.ii.c
Caieta à nutrice Æneæ nomen accepit. 307 ii.a
Caius auarus & parum amicus. 133.i.c.d
Caius promiſſis tantum diues. 456.ii.d
Calami aucupatorij. 618.i.b
Calami optimi vnde. 586.ii.c.d
Calami ſcriptorij fiebant ex arundine Ægyptia. 591 j. a
Calathi. 600. i.d
Calcei quàm varij apud Romanos. 152.i.c
Calceis lunatis vtebantur nobiles. 90.ii.d
Caledonia ſylua Britanniæ. 22.i.c.466.i.

Caleni fœlix coniugium. 464.ii.b.c
Calenus pauper liberalis erat, factus diues auarus fuit. 122.i.b.c
coliculus quid. 330.i.c.ii.c
caligula egit laureatum mimum in theatro. 22
callimachus celebris poëta inferior Brutiano. 264. ii. c. d
callistratus de diuitijs tantum poterat gloriari. 311. i. c.
Callistratus omnes laudabat, ne dignos relinqueret. 541.d
Callistus & Alcinus pueri Martialis. 326.i.c
calliodorus gulæ deditissimus. 462.i.d
calliodorus cœnipeta fellator. 346.i.b.c
calliodorum cum censum equestrem haberet, fratrem quoque habebat obstantem ne posset sedere in gradu equestri. 319.i.c.d
calliope præest Heroico vel Dithyrambo versui. 269. i. b
calix Nestoris Pylij. 144.i.c
calices Vatini. 598.ii.b
calices Surrentini. 599 ii.b.
calices singuli habebant antiqui qui erant honoratiores. 144.i.c
calices audaces. 538.c.d. 598.i.c
calybes in Ponto & Norici, iuxta Pannoniam illustres ferri præstantia. 285.ii.a.c
caluus comatus, prouerbium. 107.i.c
cammarus genus locustæ. 160.i.d.161.i.d
camoni pueri effigies. 442.i.d.ii.d
canaces epitaphium. 506.ii.d
candela vtebantur pauperiores. 587.i.b.c
candelabrum Corinthium. 588.ii.a.b.d
candidus dum prædicaret φίλων πάντα κοινά, nihil dabat. 160.ii.d
candidus omnia solus habebat præter coniugem. 204.i.d.ii.a.b
canis Sirius astrum nocentissimum frugibus & arboribus. 293.ii.a
candidus quis propriè. 176 ii.c
canis Lydiæ epitaphium. 502.i.a
canis vertagus quis. 615.i.d
canes quatuor iuncti currui ab Heliogabalo, qui veherent ipsum. 283.i.a
canes qua sagacitate bibunt, vbi periculum sentiunt. 118.c.d
canes ad venationem, vnde optimi. 512.i.d
canes appellati Philosophi Cynici, & cur. 283.i.b.c 284.i.b
canes viui cruci affixi apud Romanos, & cur. 567. ii. d
canius dulcis poëta. 225.ii.c.d
canius poëta perpetuo ridens. 200.i.d.ii.d
Theatrum Latinè visorium aut spectaculum. 3. i. c
in Theatro edebantur ludi sceñici. 5. ii. d
Theatrum orpheum. 39. i. d
Theatrum vnde dictum. 3. i. c. concionibus etiam inseruiebat. ii. a. hæmisphcrium erat. b. Marti dicatum. d
Theatri vasa perfundebantur croco trito mixto vino dulci. 13. ii. c. 15. i. c. d
Thelesina mœcha volebat nubere. 165. i. b
Thelesina à domino vendita cariùs deinde ab illo empta. 353. ii. c. d
Thelesina intra triginta dies decem viris nupsit. 335. i. d
Thelesinus ab impudicis dictatus. 347. ii. c
Thelesinus fœnerator nihil dabat, commodabat sine pignore. 518. i. d
Thelesinus iactator diues. 210. i. d. ii. a
Themison incestus cum vxore. 517. i. d. ii. a
Theodorus malus poëta, cuius ædes incensæ. 507. i. c
Theophila puella Canij, & eius castitas. 380. i. a
Theopompus pulcherrimus, cocus defletur. 472. ii. d. 473. a
Thermæ Neronianæ cæteras superabant. 164. ii. & 204. i. c
Thermarum Etrusci descriptio. 344. ii. a. b
Thermis, gymnasio, & stadio nudabantur. 229. i. b
Theseus & Pirithous quantæ inter se amicitiæ. 366. i. d. ii. b. c. 455. ii. b
Theseus cratere Euritium interemit. 391. ii. b. d
Testudo quid. 437. ii. c
Theta signum mortis. 370. ii. c. d
Tholus quid. 170. i. c
Thraseas à Nerone condemnatus quàm constans in morte. 62. ii. d. 63. i. a
Thyma flos gratissimus apibus. 496. i. c. d
Thymni statim ac nati sunt matrem sequuntur, ac redeuntes autumno vocantur Cordillæ. 191. i. c
Thymele saltationem prima docuit. 60. i. c
Thus in duo genera. 555. i. c
Thus è Saba regione. 13. b
Tibur conditum à Catulo Amphiarai filio. 287. ii. a. c
Tiburtina pila locus in vrbe. 314. i. d
Tigilinus fœtidus & turpis impudicitiæ gurges quàm miserè perierit. 200 ii. c. 202. i. c
Tigris ferocissimum animal. 126. i. c
Tigris data in spectaculis ac leonem lacerauit. 36. i. c
Tigrides à multis datæ in arenam, quos superauit Domitianus. 398. i. c. d
Timauus quis fluuius. 399. ii. d. 400. i. a
Timauus fons tantus vt lacus aut fluuius videri possit. 265. i. c. ii. c
Timotheus vnus ex sculptoribus Mausolei. 2. ii. b
Tintinnabulum quid. 609. ii. c
Titullus quàm assiduus salutator, ac sollicitus congerendis diuitiis. 405. i. c. d
Tityus quare dictus filius Terræ. 497. ii. a. b
Toga rasa in vsu æstiuo tempore. 182. ii. d. 183. i. b. c
Toga deposita in Saturnalibus. 339. ii. c
Toga sumebatur in rebus seriis, ponebatur in ludicris, & sumebatur pænula. 135. ii. b
Toga rasa & detrita quid differant. 183. i. c
Toga data à Parthenio. 434. ii. c
Toga propria Romanorum. 603. i. d
Togarum duo genera. 162. i. d
Togæ pulcherrimæ descriptio. 398. ii. d. & seq.
Tolosa oppidum Galliæ, & de auro Tolosano. 448. i. d. ii. a
Tomacula genus ciborum. 82. i. a. 84. ii. a
Tomentum lingonicum & Circense. 609. i. a. b. c
Tomus & volumen quo differant. 102. ii. d
Tongilianus cum domum incendio amisisset, plus contraxit pecuniarum ex donis quæ allata sunt quam ipsa valuisset. 217. ii. a. b
Tongilius gulosus fingebat morbum vt cœnas captaret. 158. i. c. d
Tongilion fellator. 237. ii. b
Tonstrix quæ non tondebat, sed radebat pecunias. 146. ii. b. c
Torquatus Mediolanensis quantus potator. 355. ii. d
Torus quid & vnde. 170. i. b
Traducere quid significat. 18. ii. c
Tragœdia poëma dramaticum. 135. i. c
Tragœdi prologo vtuntur. 134. i. a. 135. i. c
Traianus templum dedit Iano. 460. ii. b. d.
Traianus omnes ordines proprio nomine salutauit. 175. i. b
Traianus Dacos, Scytas, Iberos, &c. domuit. 514. ii. c. d
Traianus quibus virtutibus ornatus iuuenis. 514. j. d. ij. a.

Traiani temporibus quam felix status Romæ. 515. ii.d. 516.a.
Transtiberinus ambulator quis. 85.j.d
Trapetum quid. 368.j.a
Trebula oppidum in Campania non procul à Baijs. 328.ii.d.329.j.a
tribunalia maiorum erant subsellia minorum. 151.ii.a
Tribulani casei. 560.ii.d
Tribades mulieres quæ. 116.j.b.c
Trifolinum vinum. 575.ii.d
Trigon pila paganica. 261.ii.d
Trimalcio, cocus. 93.ii.a
Triomphus gladiator. 38.ii.c
Triomphi fiebant cum plurimorum iocorum licentia. 60.j.b.ii.a.b
Tripatinea quid. 324.ii.c
Triton Neptuni & Salaciæ filius. 49.j.c
Tyriæ lanæ. 608.ii.a
Tyrianthinæ vestes. 94.ii.d.95.i.a
Trochus quid. 610.ii.a.b.c
Trulla quid. 447.ii.d
Tryphon bibliopola. 296.j.j.c
Tubi quid. 500.i.a.b
Tucca quam mollis. 456.i.b.c
Tuca parcus. 68.ii.d
Tuccæ balneum. 442.ii.a
Tucius Romam petens sportularum spe, audito Domitiani edicto, redijt in patriam, nec ingressus est ciuitatem. 197.j.d
Tulli Martialis horti amplè descripti. 290.i.d.ii.c.d
Tullus & Lucanus fratres summæ amicitiæ. 80.i.a.b
Tumuli mortuorum, quibus ædificijs, & arboribus ornarentur. 115.i.b
in Tumulis istæ literæ apponi solitæ, S.T.T.L. & quo sensu. 114.ii.d
Tunicæ Patauinæ. 606.i.d
Turanius mango puerorum. 330.i.c.ii.a
Turdus quando apponendus. 564.i.b
Turdorum corona. 563.ii.d
Turricula quid. 582.i.c
Tuscus haruspex cum vellet hircum sacrificare iussit rustico cuidam vt secaret testiculos hirci, sed cum ille luctaretur cum hædo, rusticus secuit ipsi herniam. 203 i.d.ii.c
Tussis signum deploratæ valetudinis. 64.i.d
Tutella oppidum Celtiberiæ. 185.ii.a.d

V.

Valebrensis caseus. 560.ii.a
Vacerra quid, & in eum qui mortuos tantum poëtas laudabat. 414.ii.a
Vacerra quam deprauatis moribus. 501.ii.a
Vacerræ quàm tenuis supellex, & eius migratio rus. 520.ii.c.d
Vale æternum Pontificale verbum. 327.i.d.ii.a
Valerius Flaccus poëta, & scriptor expeditionis Argonautarum. 108.i.c.d.ii.a
Varro poëta excellens in omni ferè genere carminum. 317.i.a
Varus ornatam picturis & diuitijs cœnam parauit, non autem dapibus, quæ in illa maximè requiruntur. 298.ii.c
Varus mortuus in Ægypto defletur. 460.j.b.c
Varus poëta prudens ac imprudens. 396.ii.d
Vasa aretina. 598.ii.d
Vasa fictilia olim in pretio habita. 324.ii.b
Vasa archetypa quæ. 361.ii.d
Vasa theatri perfundebantur vino dulci mixto croco trito. 13.ii.c.15.j.c.d
Vase aureo vtebantur antiqui ad fœdissima officia. 80.j.d.ii.a
Vaticanum vinum pessimum. 359.j.b
Vaticana vallis iuxta ædem Petri. 69.j.a
Vatinessa vrbs cum fluuio eiusdem nominis. 285.ii.a.d
Vellus aureum in templo Martis à Dracone custoditum. 517.j.c
Velum tribunali Iudicum prætendebatur. 78.i.d
Velum meretricum ex centone. 78.i.a
Venabuli inuentor Piscus. 42.i.d
Venabuli ferrum vtrimque pinnas habet. 29.i.a
Venafrum oleum nobilissimum. 573.i.a
Venafrum, oleo nobilissima regio. 532.d.533.b
Venatio sacrata Dianæ, & cur. 4.i.c
Venatio amphitheatrica multiplex. 39.i.d
Venationes & gladiatores ludi Saturno sacri. 3.ii.d 4.i.a.b
Venationis ludicræ genus duplex. 4.j.d. discrimen. ii.c.d.
Venationes amphitheatri multis Dijs sacræ. 30
Venatorij ludi edebantur in amphitheatro. 3.ii.d
Veneta factio in theatro. 468.i.b.c
Venetus auriga. 346.ii.b
Venus genitrix dicata in foro Augusti. 132.ii b
Venus depicta ab Apelle celeberrimum opus. 383.ii.c.
Venus deprehensa cum Marte à Vulcano. 309.ii.a.c.
Venus quoscumque cestu percutiebat, in amorem vertebat. 337.i.d
Veneri dicatum erat theatrum, Marti verò amphitheatrum. 3.ii.d
Veris pulcherrima descriptio. 468.ii.d.469.j.a
Vero fluuius Celtiberiæ, & Verones populi. 90.ii.b
Verus & Priscus strenui gladiatores. 51.i.a
Versus sotadicus quis. & qua mensura constet. 184.j.d.& seq. item Galliambus. ii.b
Vesica quid. 402.ii.b
Vespasianus templum erexit Concordiæ. 257.ii.c
Vespasianus restituit monimenta Claudij Cæsaris. 12.j.a.
Vespillo, qui effert corpora ad sepulturam. 75.ii.a
Vestæ templum non procul à palatio. 105.ii.d
Vestales virgines sacerdotes alios dignitate & authoritate præstabant. 24.ii.c
Vestes stragulæ quid. 145.i.b.c.& seq.
Vestibulum idem cum atrio. 11.ii.a
Vestinus caseus. 560.i.d
Vesuuius mons in Campania conflagratus tempore Titi Vespasiani. 277.ii.a.c.d
Vestini pietas & liberalitas in morte. 296.i.c.d
Vesuia quid. 277 ii.c.d
in Vesuuio monte erant fana Veneris & Herculis. 278.i.c.
Veternus torpor somni morbosi. 218.i.c
Vetustina anus volebat adhuc nubere, & eius pulcherrima descriptio. 240.i.b.& seq.
Vetulæ epitaphium. 473.i.b
Vetulæ pulcherrima descriptio. 240.i.b.c
Vdones Cilicij. 605.ii.d
Via sacra cliuus montis Capitolini. 11.j.b.c
Viæ Æmiliæ duæ. 191.ii.b
Viæ tres celebres Romæ. 449.i.c
Victoriæ signum. 610.ii.d
Victoriæ signum in arena. 51.i.a
Victori vxorem ducturo quale consilium. 504.i.b
Vibij Crispi votum. 428.ii.b.d

Vindex qui alterius causam suscipit vindicandam. 191. ii. a. b
Vindices, qui asserunt à seruitute. 95.i.b
Vinum Massilianum. 577.ii.a
Vinum Falernum pretiosum & indomitum. 158. ii. b. 575.j. d
Vinum Mancertinum. 576.i.d
Vinum Fundanum. 575.ii.c
Vinum Spoletinum. 577.i.c
Vinum albanum. 575.i.a
Vinum Pelignum pessimum erat. Opimianum summæ excellentiæ. Massicum quod & Falernum nigrum. Laletanum turbidum & tantum vappa. 73.ii.c.d. 577.j.d.
Vinum Nomentanum nouum pessimum, vetus optimum. 126.ii.b. 577.i.a
Vinum notabatur nominibus Consulum, vt posset sciri annus illius. 126.ii.d
Vinum Surrentinum. 575.i.c
Vinum cæcubum. 576.i.b
Vinum Tarentinum. 577.ii.c.d
Vinum Tarraconense. 576.ii.b
Vinum vaticanum est vappa. 69.i.a
Vinum Setinum. 575.ii.b
Vinum picatum. 574.ii.c
Vinum mulsum. 574.ii.d
vinum Signinum. 576.i.c.d
Vinum passum. 574.ii.b
Vinum trifalinum. 575.ii.d
vini cocti genera duo, epsema, & defrutum. 279. ii. c.
violantilla adamata à Stella poëta. 62.j.b
violantilla amica Stellæ poëtæ, in cuius gratiam composuit Asteridem. 310.ii.d
violantilla, Stellæ poëtæ amica, dicta Asteris. 339.i.c
violantillæ columbam defleuit Stella poëta. 363. ii. a. b.
violantillæ post longos cruciatus tandem nuptijs potitus Stella poëta. 338.ii.d.339.i.b
violantillæ ædes. 374.i.b
vipera electro inclusa. 288.j.c
vipsana porticus Romæ. 128.j.b.c
vipsana porticus centum columnis suspensa. 261.j.c
virgilius Mantuæ natus. 99.i.a.b
virgilius in membranis. 613.j.d
virgilij culex. 613.i.c
viri viros ducebant tanquam vxores apud Romanos, nouo libidinis inuento. 72.j.d.ii.a
viri tanquam mulieres essent, nubebant feminis, genere libidinis nouo. 72.i.a
viris ac feminis balnea olim communia. 217.j.b.c
visco capiebantur etiam feræ. 28.i.b.c
visorium Latinè quod Græcè theatrum. 3.i.c. spectaculum Latinè quod Græcè theatrum. ibid.
vita duplex est, posse frui vita. 458.ii.d
vita beata quibus rebus fere impleatur in terris. 164. ii.c. d.
vita vera quæ sit apud Martialem. 313.ii.c
vita vera quæ. 67.j.d.353.ii.a
vita fœlix notabatur filis albis. 334.i.a.b
vita beata quæ, secundum Stoicos. 466.ii.b
vitæ rusticanæ laudes. 95.ii. c.d
vitæ vrbanæ, siue quæ in vrbibus transigitur quot & quanta incommoda. 518.i.b.c
vitæ modum quem teneret in agro Martialis explicat. 304.i.d
vitelli luxuria. 252.i.c
vitelliani pugillares. 139.c
vitelliani in Saturnalibus. 581.i.a.b
Viribus maritandis quæ arbores aptæ. 87.ii.b
vitia reprehendit Martialis parcens personis. 462. ii. b.
vitiorum irrisio efficacissima eorum reprehensio est. 122. ii. a.
vlysses qua arte effugerit Syrenum pericula. 225.ii.d
vmbella quid. 584.i.d
vmbella indumentum capitis. 503.i.c
vmber caussidicus quæ munera miserit in Saturnalibus. 375.i.b.c
vmbilicus quid. 309.i.a.c
vnguentum missum Saturnalibus. 577.ii.d
vnio à Romanis solis dictus, à cæteris margarita. 399. ii. a
M. vnicus poëta abstinuit ab heroico carmine ob reuerentiam fratris. 514.i.c.d
vrbani faceti sunt ciuili ioco. 82.i.d
vrbicus qua arte captaret Lupum orbum. 498.ii.c
vrbium strepitus & incommoda quanta. 528.j.b.c
vrbici tres. 387.i.c
vrbici epitaphium. 387.i.a.b
volsellæ instrumentum ad depilandum corpus. 427 j. a. b.
volumen de quolibet libro dicitur, & vnde sumptum. 102.ii. c. ac quo differat à tomo. ibid.
vrceoli ministratorij. 600.j.b
vrsi quomodo deuoluantur è montibus. 28. j. c. d. 29. ii. a.
votum Vibij Chrispi. 418.ii.b.d
votum Philænis. 451.ii.a.b
vropygium quid. 240.ii.d
vrus qui & Bubalus animal. 42.j.c.ii.c
vstores qui. 240.ii.c.243.i.b
vulcanus deprehendit Martem cum Venere vxore. 309.ii.a.c.
vulua in semine. 564.ii.b
vuæ duracinæ. 86.ii.a.87.i.b
vua duracina. 558.ii.b.c
vxor debet esse inferior marito, alioquin non erunt pares. 394.i.d.ii.a
vxor Martialis ab eo dimittitur, & qua de causa. 509. ii. b. c.
vxor legitima quæ. 529.ii.c

X.

Xenia munera hospitalitia. 553.j.a.b
Xenia munera quæ in Saturnalibus mittebantur. 303.ii.a
Xanthus equus Solis. 597.j.b

Z.

Zenodotus artifex colossi Neroniani. 9.j.d
Zephyra dicebatur olim Caria. 2.ii.b
Zizipha ex Syria allata Romam à Sexto Papyrio. 330. ii.d
Zoilus vt ostentaret stragula fingebat se sæpe ægrotare. 144.ii.c.d.& seq.
Zoilus ex seruili conditione peruenit ad equestrem dignitatem. 205.i. c.d
Zoilus quam superbus & mollis. 234.ii.c.d.& seq.
Zoilus ad ostentationem vndecies mutat vestem in vna cœna, fingens sudorem, & ne ab eo læderetur. 331.j.c
Zoilus quàm deformis. 257.i. d
Zoilus inuidus & votum in illum. 298. ii.a
Zona quandiu in vsum. 607.ii.c

FINIS.

IN LAVRENTII RAMIRESII AD M. VALERIVM MARTIALEM HYPOMNEMATA.

COMMONITORIA, QVÆ ET PLVRIMIS Poetæ locis obscuris lucem dant, & Ramiresij errorum euerricula sunt.

AMPLISSIMO SENATORI IN SVPREMA CVRIA DOMINO LE VOIS.

LIS mihi est cum Ramiresio, nupero Valerij Martialis interprete: huiusce rei siue litis te cupio adigere arbitrum (Senator amplissime) cuius cum quotidianis experimentis cognita, penitusque perspecta sit æquitas, cumque quod Romanus orator de M. Bruto iudice olim dixit, in te magis conueniens sit, *nihil te ad gratiam facere, omnia tamen grata videri quæ facis*, & cum rerum earum in quibus hæc causa vertitur, vnus omniũ scientissimus sis, cumque M. Valerij Martialis lectione nõ indelecteris: neque ego imprudenter aut impudenter fecisse videri potero, qui te arbitrum dilegi, neque Ramiresio causa tergiuersandi aut te iudicem recusandi vlla erit, quin ea ipsa recusatione, pro confesso iudicatoque omnibus esse videatur. Mea verò causa eiusmodi est, vt quamquam fauor & æquitas ipsa ei militet, quippe cum ego philologiæ sapientiæque ciuilis principes defendam, quos accusat Ramiresius, tamen non postulem valere hanc apud te gratiam, sed vltro cupiam iudicio eam tuo grauissimo iugulari, ni æquitas eius tam clara & illustris visa fuerit quàm *solis radij esse olim cum sudum est, solent*: ni patefecero, & ante oculos omnium posuero, omnia nostri aut potius omnium doctrinæ principum aduersarij, tela sic quasi andabatæ manu coniecta esse, nostra certo destinatoque ictu in pulmonibus eius & visceribus adhæsisse. Nec tamen dubito, quin vt hodie pleraque ingenia sunt, fore nonnullos, quibus etiam Ramiresius dixisse videatur aliquid: tales enim saliuæ ni essent aliquæ, quid betis ac blitis fieret? Sed profecto neque desunt, neque defuturi vnquam sunt, quibus glans fruge potior, qui fenum esse malint, quàm saturi esse ambrosia, cumque asellis stramenta malint quàm aurum. Hos suis sibi relinquamus delicijs, horum cauillæ, aut supercilia, non magis curæ nobis, quàm olim Demetrio illi voces imperitorum, apud Stoicum Senecam: eoque magis quod sub tuæ fidei ac tutelæ clypeo, Senator amplissime, tectior mihi tutiorque fore videor, quam si Vulcania arma induissem.

Sed si Ramiresiana illa tam nihili sunt, dixerit mihi forte iam aliquis, cur tu operam sumere voluisti vt ea vinceres at iugulares? quin contemsisti, vt cum fortissimo viro Diomede Homerico diceres.

Οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι, ἢ πάϊς ἄφρων *Non curo mage, quàm cum femina vel puer amens Tela iacit*——

Huic orationi satis iam superque feci. Etenim propter illos quibus blitum piper est, saperdaque acipenser, & fenum ambrosia, necesse habui hos quasi fines regere, & quantum hæc interessent, ostendere: non vt Ramiresio aliquid ægrè facerem: etsi enim omnes qui hoc sæculo literarum laude florentes, summoque propter ingenium doctrinamque honore & nomine sunt, & ipsissimi *Musarum* quasi *Pompilij*, vt Varro Terentius diceret, *eluentur*, aliosque *ingenij sui fascibus longe summouent*, hos inquam, & si omnes vnus Ramiresius *mordicibus* suis, vt Plauti verbum est, *scidit, & cornibus incursauit*: tamen quia in literarum studijs pertinaciter deditus est, & vt Libanius diceret, ἐν Μουσῶν χάριτας σκιρτῶ, diligitur à me, carusque habetur: sed ne tam multa quæ omni ingenij doctrinæque laude principes illi, aut rectè inuenêre ipsi, aut ab alijs inuenta, præclarè interpretati sunt, iacerent eo nomine, quod ea Ramiresius ciuncida specie aliqua probabilitatis reprehendisse videatur.

Non ergo Ramiresij reprehensio, quam tibi summe & Musarum & Themidis antistes, offero, sed C C. V V. Iacobi Cuiacij, Iosephi Scaligeri, Iusti Lipsij, aliorum, defensio est, quorum capitibus ille iuuenili prouectus lasciuia, insultauit. Defensio eadem æqualium meorum & iuuentutis, cuius interest, à Ramiresij spurca lectione, rerumque obscœnissimarum pictis quasi tabellis, auerti. Defensio est Reipublicæ totius, & Christianæ ciuitatis, ex qua omne turpiloquium, si D. Pauli præcepto parere volumus, excesse debet, longissiméque ablegari, quod ne in sua quidem ciuitate, siue quam ipse institutis & legibus informabat, vir summus Aristoteles, ferendum esse vllo modo arbitratus est, ciuitatisque suæ principi grauiter imprimis seuereque præcipit, vt verborum obscœnitatem spurceque dicta longè arceat. ὅλως μὲν, inquit, αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ ἄλλο τι (lego ἄλλο) δεῖ τὸν νομοθέτην ἐξορίζειν, &c. vt & in Politicis ac legibus suis ante præceperat magister eius Plato. Vnoque semper ore & cõsensu omnes dilectæ Christo Ecclesiæ Doctores atque interpretes sanctissimi, vt D D. a Basilius, b Augustinus, innumerabiles alij, aura S. Spiritus adflati Ecclesiæ proceres. extra conseptum, & quasi ἔξω περιρραντηρίων hanc pestem excesse voluêre. Neque non sapienter ea de re, scientia rerum diuinarum prope singulari, Origenes. Sed ego missum facio hunc locum, cuius pertractationi apud te locus non est, Senator amplissi. cui hæc omnia, si cuiquam mortali, cognitissima sunt, & domi nascuntur. Quod autem vix credibile dictu, & Ramiresio quidem meo imprimis, videri poterit, etiam Ramiresium ipsum defendo ego, patrocinioque meo ille ipse tutus si volet quidem, esse poterit, quem prima specie videar fortè accusare ego, sed planissimè quidem defensio illa est, si vetus quidem vera illa vox, *Qui monet, quasi adiuuat.* Moneo autem ego Ramiresium amantissimè, temperet deinceps, in cœno spurcarum interpretationum volutari velle, & quasi suburram struere, doctrinæque principes insectari parcat, ne si perrexerit in hypomnematis suis idem esse, qui fuit

Dignus principio exitus exodiumque sequatur, & dignus ipse pergat esse *Qui caput arguta præbeat historiæ.*

Mitto iam dispendium animæ, & vitæ post vitam, paratum his qui ad hoc exemplum spurcidicinæ indulgent, omnique petulantia & obscœnitate linguæ, aures violant, ipsasque mentes quasi consauciant. Hoc enim ex cõscientiæ suæ magistris quàm ex antelogio aliquo meo discat, satius est. Equidem multiplex in his cõmonitorijs meis defensor & patronus sum: huic ipsi tamen patrono te opus defensore est, Senator amplissime, vt si quis exstiterit, non quidem Ramiresius, cui quanquam irascendi causa nulla, gratias mihi verbis amplissimis agendi sexcentæ sunt, tamen si quidem irâ efferuescens, maledictis & conuicijs velitari voluerit, doloremq; suũ vlcisci, has iras, & vltiones, nihilo magis quã fulgur ex pelui, aut tonitru Claudianũ, & cassas terriculas, pertimescã ego: sed si quis alius prorepserit, qui aut commonitoria mea peruellere, aut Ramiresio velificari, & hypomnemata illa propugnare voluerit, quanquam *Et nos tela, Pater, ferrumque haud debile dextra Spargimus*,

Tamen etiam patrocinij tui clypeum, spero mihi non defuturum, *Vt melius duo defendant retinacula nauim*, Maioréque fiducia possim, vt ille inquit, ἐπὶ ταῖς δυοῖν ἀγκύραιν ὁρμεῖν. Sed tua quidem, ornatissime Senator, ancora magna siue sacra est, eaque mihi vt præsto sit, si vsus venerit, rogo, quæsoque.

Tuæ dignitati amplissimæ *cliens* CL. MVSAMBERTIVS *Abbauillæus*.

Polit. c. xvi. lib. vii.

a Orat. ad Nepot. b c. ix. l. ii. de ciu. Dei. c. xiii. xiv. xvi. xvii. l. i. Confess. lib. iii. contra Celsum.

Lucilius.

IN LAVRENTII RAMIRESII DE PRADO HYPOMNEMATA AD LIB. SPECTACVLORVM M. VALERII MARTIALIS,

COMMONITORIVM CLAVDII MVSAMBERTII ABBAVILLAEI.

DOMITIANVS olim *Vellem*, inquit, *tam formosus esse quàm Metius sibi videtur.* Ego nunc, vellem tam politus & ingeniosus esse, quàm Ramiresius sibi videtur. Quis enim elegantior, quis capitalior te vno, qui Cuiacios, Scaligeros, Lipsios, hoc genus omne, albis, vt dicitur, dentibus rides, albis equis præcurrere in tuæ sapientiæ speculo tibi videris, atque instar cæci illius Homerici, οἶος πέπνυται, cæteros omnes ad formulam illam pertinere putas, ——τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.
Tamen ego, vide obsecro facinus, etsi de me dici non potest,

Se quoque principibus permixtum agnouit Achiuis:
Tamen iterum dico, vide facinus, ausus sum, tibi omnium doctrinæ & ingenij principum, quasi Aiaci flagellifero, his commonitorijs meis obstrepere. Quæ in optimam quæso interpretare partem, atque hoc breue commonitoriolum in primis, vt ante Kalendas Iulias, & ardores canceri & leonis bilem purgare ne pigriteris, ne pro Ramiresio Rabiresius esse incipias, vt Labienus ille olim Rabienus, & Timæus factus Epitimæus.

Sed quare, inquies, tu potissimum exstitisti, qui salutis meæ curam ageres? Quia ætate & literularum studio non admodum dispari sumus, extra quá quod ego tam festiua & blanda hypomnemata non scribo. Inter pares autem, vt nosti, vltrò nascitur amicitia. Atque pro huiusce amicitiæ necessitudine, vellem, Ramiresi, K.N. à conuitijs, aculeis, maledictis abstinuisses: melius fuisset à doctè, acutè, facetè dictis auspicari. Sed ego, inquis, vt Romæ adolescentes olim, accusationibus mihi nomen facere volui. Verùm vide quæso, an forense iurgium & certamen, rectè ritéque in Musarum castra, sedesque otij & quietis transferatur. Sed hoc agamus.

Ego te quàm mollissima fieri potest manu tangere volo, nō vt Petronianus ille *stricto acutoq; articulo*, aut vt illa Martiani Nemesis, *complicatis in condylos digitis vulnerare*. Ac principio, si possim, dolori tuo mederi cupio, quem ex conterranei tui M. Valerij Martialis iniuria, aut contumelia potius, acerbissimum hausisti. Ille enim Iberiæ tuæ flos delibatus, ille summus Floræ Deæ antistes, prò facinus, à nonnullis Coquus nominatus est. Sed diceret ille ipse tibi Valeriolus tuus, si nunc ea de re vocem mittere posset, *Quid tu-* A *multuaris frater? quid insanis? quid clamore exorsus, verbis paruam rem magnam facis?* Quid est? tu nescis coqui mihi ex varietate materiolarum, vt Virgilio Maroni ex castitate pudicitiaque Partheniæ cognomentum adhesisse? Nequá coquus est, qui plura iuscella cōcinnare nescit: non nauci anathematicus, qui librú suum varietate & mixtura illa condire nequit. Quod mihi summæ laudi esse Quirites illi boni voluere, tu frater, nūc in crimen & probrū & contumeliam trahis? Nimis herclè tu laudi meæ faues apage, nimiū quantum officiosus es, & officis. Me à principio, & re integra, si in conciliū adhibuisses, nō de cognomento meo cura tibi tātopere, sed de carminū meorum & acutè dictorū intelligētia fuisset, ne Grammaticorū fabula fieres, culpas tuas aliorū laudibus poriores ducēs, & quasi in somnis laborās. Sed tu qui me coquum vocari tá fers B dolenter, tam irasceris, quin te ipse scutica, aut hoc si durum est, ferula cædendū fateris, qui me ciuem tuū, & equitem Romanum, ausus es scurram dictis cōcinnare tuis? Ais enim ad epigramma XIII. lib. I. *munusculis subornari me* solitū à Regulo, *bipedū omnium*, sic honoris puto causa eum C. Plinius indigetat, *nequissimo*, *epist. 5. l. 1.* vt epigrāmatis ei parasitarer identidem, & laudum vanissimarū quasi folijs adspergerem. Quid quod vt inuidum me, & superbum & Valerij Catulli contemtorem traducis ad epig. IIX. lib. I. Vna quidem igitur hęc à te mihi iniuria est Ramiresi, sed ea leuis præ quàm illa est, quòd epigrammata mea quæ per se nitebāt, tu atramento sutorio tuo collutulare ausus es.

Hæc si tecum Valeriolus tuus expostulet, quæ tibi mens, qui sensus? quis nisi ποῦ μοι χάρις, aut κἀπειτ᾽ ... ? Sed iam de Martialis tui sententijs, quàm de ipso aut de te dicere satiùs opinor fuerit.

EPIGRAM. I.

C *Assiduus* tibi *labor* est Poëtarum assiduè laudantium Babylona. Sed qui obsecro illi Poëtæ? an quos Semiramis in comitatu & ianuis habuit? an quos alij Persarum posteà reges? & Græci ne illi an Assyrij? & tu Marcilium arguis, argutissime, ἰαλλεῖν.

Neque Radero parcis, qui maluit *Iones*, quàm *honores*. Sed vtrius culpa maior, illius qui coniecturam suam in medium proponit, an tua, qui plaustra conuiciorum reponis, & accumulas de triuio testimonia, honoris vocabulo intelligi pulchritudinem? Anne autem bellissimè conuenit, inquies? Haud vidi magis. Quid enim elegantius quàm *molles honores*

interpretari, *molles pulchritudines*? De dissimulatione autem quæ adgeris, non inuitus dissimulo, & quidem si præsens sis, Ramiresi, ames me, ita vicem tuam erubesco. Cur exorbitasti miser à rectè sana interpretatione, *honores*, sacrificia? vt & apud Symmachum, *vndecimus honor*, id est, vndecima victima?

Sed iterum Marcilij interpretatio tibi molesta. *Mausolea pendentia*, interpretatus ille, *subnixa quidem columnis, sed tali ingenio, vt sine fulmento suspensa viderentur in aëre sine cælo. &c.* Quid tu medulla Mineruæ, Musarum delicium? Pudet, pigetque memorare quæ tu de triuio ibi. *Pendere, quæ lapideis trabibus supra columnas innituntur, &c.* Sic enim latinitas tua est. Hoc quidem etiam baiuli sciebant. At tu omnis doctrinæ, omnis ingenij princeps, illud nescisti artificium, quo trabes sic nituntur columnis, vt non niti, sed pendere videantur. Alia quoque occultandi ratio, cùm ita suspensæ moles, vt minitari ruinam videantur, introrsum tamen rectæ, firmæque stent. Cuiusmodi Pisana turris, de qua illi hodie versus,

Turris & inclinata foris, minitansque ruinam
Pendula, recta intus si videris, &c.

Alius item suspensionis modus, quem L. Seneca tangit c. xv. lib. xvi. de benefic. cùm ait, *Labentem domum suscipere, & agentem ex imo rimas insulam, incredibili arte suspendere. &c.* Ad fulmenta eiusmodi respiciens Satyricus dixit,

Nos vrbem colimus tenui tibicine fultam.

Quanquam alij accepere de pariete communi craticio. Denique & fulcire omnino quasi suspendere est, vt epigram. XLIII. lib. II.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

& Tullij Top. *suspendere fornicem*. Iucundus verò es cum Gruterum arguis qui *suscipere* illud L. Senecæ metaphoricum siue tralatitium esse voluit, à liberorum susceptione. Tam tu non *Melior*, sed *Docilis* es, vt capere nequiueris quemadmodum puer editus, parentis sui gremio suscipitur: sic domum labentem suscipi à fulciente architecto. Susceptione parentis partus ille confirmatur: susceptione architecti, domus. Alia item suspensionis ars ingeniosissimæ apud Dionem lib. LIIX. Alia item apud Æl. Spart. in Hadriano. Alia item apud alium funibus rigatis, item aliæ quas in tuam gratiam prætereo, ne omnibus prænotatis videar industriæ tuæ materiam & segetem præripuisse. Tu quidem his omnibus quasi alba linea es, neque vllum discrimen facis.

Quàm autem callidè ingenioseque iunxisti nutationem saxorum in pariete, & siluarum in tectis, ἐγκλινοῦς τῆς ἀνδρο... , οἱ μήχανος αἴθριος Ραμφώνος.

Tu verò etiam Festum corrigis de eadem fidelia, & Vlpianum interpretaris, L. XI. § solutam D. De pign. act. *insulam* ibi pro *quauis domo* accipi ais. Nescisti domum genus ibi esse, domum generis nomine in specie, & insulam species, insulam videlicet domū magnam, in qua propter cœnaculorū multitudinem opus cœnaculario, qui & *domnadius* siue ναυκλόχος, qualis apud Petronium *procurator insulæ*, sub quo interdum etiam *diuersitores* & *insularij*. Diuersitores qui hospites accipiunt, insularij curam agentes insulæ, sub procuratore, vt L. CLXVI. CCIII. De verb. sign. L. XVI. §. I. De vsu & hab. L. vlt. De offic. præf. vigil. D. Has leges habe tibi pro vna illa quæ lecta tibi neque intellecta. Mihi autem præmansam illam tibi in os inserere, hoc tempore non est consilium.

Pergis deinde de suspensione fornicis, cupressum simulare, quam tibi & tuis habeto.

II.

A In hoc epigramma nihil habuisti quod diceres, nec nihil tamen diceres, post dixisti, quæ alijs antedicta.

Interim neque temperare potuisti, quin perblandè vt solitus Catanæum & Iustum Lipsium laudares vt cæcutientes. Tu autem tuo animo ita Lynceus, non vidisti quod Plinius ipse paullò ante Panegyrici pagella eadem laudauit Traianum vt *parcum in ædificando, diligentem in tuendo*. Quid quod non circum, sed circi latus in laudibus eius ponit? Nō vidisti idem tu Argus, & *oculeus totus* quæ menda C. Plinij locum illum obsederit, cum ait, *At quàm magnificus. &c.* Quam correctionem ego acumini tuo & solertiæ relinquo. Mimicè deinde in Marcilium velitaris, qui delicias populi interpretatus spectacula. Tu delicium Mineruæ nescis colossum, pegmata, amphitheatrum, thermas, porticus, rectè vocari spectacula, vt orbis B terræ ἑπτὰ θεάματα. Eademque ratione spectacula illa rectè vocari delicias populi, vt *horti* & *balnea* deliciæ apud Iul. Capitolinum in Gordianis. Ita, etiam triuijs notissima docendus es?

III.

De fontibus autem Nili quàm frigida? thermas Neronianas in fontes illos infudisti. Quanto melius veteres illi quorum edidit nomenclaturam Marcilius, in quibus etiam numera Vitruuium, Theophilactum, *c 2 lib. 8.* Simocatam Historiæ Mauritianæ, item alios. Et tibi *c 17. lib. 7.* Marcilij ambrosia farrago videtur, quasi lolio victites.

Præterea quàm hypercriticè Iuuenalis Poëtæ versum illum ex Sat. IV. restituis? Legitur enim

Tanquam de Chattis aliquid, toruisue Sicambris,

Reponendum inquis *tortisve*. Hui quāti est sapere. Nos enim arbitrabamur Satyricum *toruos* ad terrorem dicere voluisse, tu *tortos* mauis, nihil ad terrorem aut C bellum, nihil ad morsum Satyricum, nihil ad Iunij acumen.

IV.

Legis hoc epigrammate, *Traducta est titulis, &c.* cum Iusto Lipsio, & congeris nidum hirundininum exemplorum, vt declares verbum *traducere* accipi significatu infamandi. Sed in Lipsio παρόραμα illud, in te ἁμάρτημα est. Refellit vtrunque Valerius ipse. Traducta turba illa per arenam est, non autem tradita arenæ. Quid ita? Quia tam nocentes illi & tam multi, vt nec arena ipsa capere velle videretur aut posse, & tamen traductio illa sine infamia esse non potuit, sed illa ipsa intelligitur ex traductione per arenam, neque necesse habuit Poëta exprimere.

V.

Protrita hic tua proculcataque omnia, aut si quid boni, ex aliorum scrinijs est. Neque non seuerus in- D terim morum magister es, diligenterque mones vt cum huius epigrammatis obscœnitate, comparet iuuentus. L. Apuleij oscam & opicam de sua in asino latentis libidine fabellam.

Etiam verba verbis oneras vt narres post illud, *taurо*, periodi notam esse debere. O factum bene. Perierat Valerius, nisi per te rectè valere inciperet. Vide quam verum sit ingenij & virtutis cursum quam ætatis celeriorem esse.

VI.

Ais venatores introductos in arenam Deorum specie, Apuleium tibi testem facis lib. X. & Arnobium lib. IV. Sed illi defugiunt hanc testimonij dictionem. Debuisti quemadmodum alij rectè præiuerant, accipere Domitianum specie figuraque Martis aut Veneris præsedisse in podio.

Sequitur mox vara tua vibiam, de Augusti cœna δωδεκαθέῳ. Quorsum illa cupressus obsecro? an vt osten-

deres te scire quid cœna *secreta*? apertius verbo vno, quàm longis logis tuis, dici potuit. Prisco ritu cœnas fuisse in atrijs, nouo in cœnationibus. Illas propalam, has secretò. Priscos tamen etiam secretò interdum cœnitauisse, sed parsimoniæ causa, & paucioribus quàm in atrio ferculis: nouo autem ritu cœnitauisse in cœnationibus gulæ causa, & pluribus quàm in atrio ferculis, ciuiumque oculos & lucem fugisse gumias illos. Sic audiendum illud Iuuen. sat. I.

——quis fercula septem Secretò cœnauit auus?

non vt tu *inanilargiloquio* tuo expedire conatus es, *fatis in somnis homo exercite*. Totũ quidem hoc tuum de sexto epigr. commentum quasi cucurbitæ venter est, paucis verbis exceptis. quæ tanquam pisciculos in alieni prætorij aqua piscatus es.

VII.

O indoles, iterum dico, ὦ καλὴ ἐλπὶς ἐν νεωτέρῳ. Quæ maior spes in iuuene, quàm scire hoc epigrammate *arcanum aurum* intelligi debere, aurum ciuium priuatorum in templis depositum? Atqui si propius inspexeris, effluet adsensio illa de mente. quasi glacies de manu. Nam augere voluit facinus conterraneus tuus. Grauius autem est sacrum de sacro loco quàm profanum de sacro clepere, Ergo, &c. Tu collige. bonus enim Dialecticus es.

Plurima deinde stili tui ἀξιώματα de ritu pecunias in templis deponendi. Atqui cui non dictus Hylas ille? Iam messem illam fecerant Ræuardus Var. c. xv. lib. I. Iustus Lips. ad C. Taciti Annal. lib. I. Brodæus Miscellan. c. xvii. lib. iv. alij sexcenti ex quorum tu scriptis centonum tuorum paginas implesti. Mox etiam de sacramento, de sequestro deposita re, de tabulis testamenti, & id genus alijs custodiri solitis in æde sacra commemoras, quæ disertius & melius V.V.C.C. Iacobus Cuiacius, Iust. Lipsius, alij. Sed tu qui Iurisperitus audire vis, cur oblitus quæso L. VII. §. II. De minorib. l. vlt. De his quæ in test. del. l. III. §. II. De tab. exhib. l. v. Ad leg. Iul. pecul. D. & id genus alias? Etiam auctores laudare alios potuisti multos bonosque Herodot. lib. v. Aristophanem Pluto. Herodian. lib. I. Plautum Prologo Euclionis Bacchid. Scæna Ibo, Cæsarem III. belli ciuilis, Iuuenal. Sat. xiv. Interpret. Thucid. Alios sexcentos.

Adde quod Nageorgus tuus malè interpretatus Dionis locum. Sed ignoscimus tibi. nam Græca aut non habuisti, aut nescisti.

Dic autem cur in ædibus sacris depositæ res illæ? Quia, inquit Iust. Lipsius, excubiæ pro templis. Non malè; Sed hoc amplius, quia etiam religio templorum, quasi protelum.

VIII. IX. X. XI.

Hypomnemate IX. videris velle intelligi te nescire quid pila, cum ais, *Tanto fortior tauro, quanto taurus fortior pilis*.

Hypomnemate XI. triumphas planè, sed in montem Albanum sine SC^to^. Narras originationem vocabuli *præceps*, item alia id genus, *vitreas fractas*, *cucurbitas volantes*.

Marcilius rectum ferrum quid esset docuit te, & tamen irasceris. Tu autem *tectum ferrum* esse ais scorteis aut linteis sacculis opertum: At hoc quidem etiam illi sciunt, *Qui dum alij sectantur apros, hi retia seruant*. Et tamen quæ tua gloria est, *Raderus*, inquis, *nescio qua inepta comminiscitur. Ianus Gruterus audaculus rabula legit, tersò ferro*. Sic enim pudens & blandiloquus es. Deinde *Melissus*, inquis, *quidam* videlicet indignus, cuius nomen maiestas tua ore sacro ederet. Et polliceris huiusce rei *interpretationem accuratissimam* ad Epigr. sequens XXIII. Sed ibi non minùs quàm hic *inanilogus es*.

Admones autem vltimo versu legendum, *Si captare feras*, &c. quasi verò non ita pleræque omnes habeant editiones, vt Parisienses Colinæi, Lugdunenses item aliæ. Sola editio Plantini operarum errore ex literæ sequentis, vt sæpè fit, geminatione habet, *sic captare*, *&c.* quod vel puerculus prima elementa discens, notet facilè. Itaque noli sperare vocationem & immunitatem. Nulla tibi debetur l. II. §. vlt. D. illo titulo. Sed seriò. Eadem operarum elegantia post inrepsit quoque in officinas Parisienses illas, ex quibus tua bellissima illa commentaria, tanquam truones Cæciliani prorepsêre.

XII. XIII. XIV.

Pulcherrimus hic fasciculus tuus, aut si mauis pastillus, aut seruia, ex pappis, aut flosculis anemones.

XV.

Hîc de quota parte nugaris. Crede mihi non iam semel vicem tuam erubui. Pœnitet me introisse hoc tuum carectum, vbi neque lepus, neque lepor vllus.

XVI.

Iam ab alijs rectè huius epigrammatis lemma positum erat, tu quasi post festum venisti cum tua illa ignauia. *De tauro Domitiani*. Et tamen Ianum Dousam vellicas acerrimi iudicij, & ingenij amœnissimi hominem, qui scripserit Domitianum in specie figuraque illius tauri latuisse. quidni autem? Ipse Martialis tuus ita esse arguit. At tu quæ mirifica tua decori notitia est, negas credibile esse, *Imperatorem tantum* (sic enim loqueris) se tanto periculo exponere voluisse, aut tam indigna perpeti. Quid ais? an putas id sine periculo fieri nequisse machinarum securitate, & sine omni prolapsionis metu? aut nescis etiam magis ridicula Imperatorem illum subire voluisse? Nam quod *efferebatur* pro *efferebat* posuisti, de flosculis tuis; aut, si mauis, operarum ille est.

Venis deinde quasi compromissarius arbiter, iudicaturus inter Dousam & Marcilium, vter rectius, ille qui *schema*, an hic qui *scamma*. Et *scamma* quidem omnino explodendum ais. Sed Marcilius abnuit se compromisisse in talem arbitrum, & si opus sit, facilis ei scammatis defensio. Sed illi res ea tanti, opinor, non est.

XVII.

Hic tu iam punctim sentis & deprehendis. Vnde hæc sattago loquendi? & quasi *viulans victoria incedis*, quia ne rectè Marcilius si criticæ tuæ normam spectemus, correxerit, *——vllove docente magistro.* Tu autem ὀξύμωρον tuam profers, elephantum illum neque iussum hoc facere, & tamen nonnullo docente magistro, quia ei numen Domitiani pro magistro sit. Bene hoc tu ad maiestatem Domitiani, cuius numen facis ἰσόθεον. Si viueret hodie ille, acciperet te. Extra iocum. Misces tu diuina humanis: rectè Marcilius distinguit. intelligi Valerius tuus voluit, neque iussum, neque magisterio hic locum esse vllum, sed numini. Quam autem illud bene Latinè aut Romanè potius, *Vellem*, inquis, *vt adduxisset*, &c. *Nostri sic rure loquuntur*.

XVIII.

Pingis cucurbitas de Romanorum crudelitate, & id genus alias, his te tuosque delicijs oblecta.

XIX.

Quo tãtũ mihi lenius abit Cornuto ardore petitus, inquis, legẽdum est, non autem, *Cornuta ardore petitus*. Quid ita? Quia, inquis, dicitur *hostiũ petitus aliquis*. Ergo etiam *Cornuto ardore petitus*, inquis, erit, *Cornuum suorũ vehementia ipsa victus*. Di magni, minutique & patellarij vestram fidem, vigilas tu, an adstans cantheting

ritu somnias? ita deliramenta loqueris, *aues squamosas*, A *pisces pennatos*. ita commentum illud tuum vix etiam Ramiresio dignum est.

At, inquis, aliter cohærere non potest illud, *Dum facilem tolli sic elephanta putas*. Atqui bellissimè conuenit, siue vt tu loqueris, *cohæret*. Compone togulam & audi. Tauro pilæ faciles fuêre; postquam cum elephanto congressus est, didicit malo suo, non sic elephantos vt pilas tolli. Vide vt cogar tibi nucem frangere, vt tu nucleum esites.

XX.

Hic Alcedonia in mari tuo Hadriano, Vellem perpetuo essent, neque miseræ illæ chartæ sic perijssent.

XXI.

Bene hoc epigrammate reposuêre Marcilius, Gruterus, Raderus.

Adfuit immistum pecori genus omne ferarum.

Voluit intelligi Martialis tantam fuisse dulcedinem B carminis Orphici, vt pecudes, & feræ bestiæ conspirarent, atque exuerent ingenium discors. Quid opus est verbis? Tibi quidem opus, cui ne meridie quidem lucet.

XXII.

Peturbanè, *Tu*, inquis, *liberè indica de ijs*. Tutemet *iura qui & leges tenes*, qui *quantus quantus es, nihil nisi sapientia es*, hanc litem iudicare non potes, & dicis lectori, qui vt ipse de te modicè modestéque loqueris & sentis, præ te solo est, *tu indica?*

XXIII.

Lecythus hæc tua quam elegans est? *Noricos enses*, pro *Noricienses*. Prisciano, mihi crede, ludibrium debes tu homo. Criticæ verò tuæ illud specimen. *Norica venabula*, tibi placere, non Dorica. Credo ego te arbitrari, omnes hoc sæculo qui vbique gentium mortales, blennos, bliteos esse, Saturnias lemas lippire. Absque hoc esset, cum talibus deliramentis & striblignum aceruis, in oculos incurrere voluisses? C

Disputas deinde, *Tulit facili ceruice geminos iuuencos*. dictum, pro sustulit. siue confecit, facili ceruice geminos iuuencos. Addis mox: *Difficultatis vis in illo est, facili ceruice. &c.* Notate vos tirones amœnissimum eloquentiæ florem: *Difficultatis vis est, &c.* Ecce autem sequitur non iam flos, sed gemma, *Vbi*, inquis, *ceruicem omnes interpretes fregerunt, & doctissimus etiam Turnebus cum his, &c.* Di magni horribilem & sacrã loquelam. *Ceruicem sibi fregere interpretes*, pro, anxiè quæsiuere, aut multùm ac diu se torsere, vt scirent, &c. Miserum autem Hadrianum Turnebum, qui tanto sibi ante ceruicem fregit, quàm moreretur. Sed iocos mittamus. Tu mirifico inaniloquio sententiam tui Poëtæ veram te proditurum pollicitus, post longos magnosque hiatus & φρεμιμάσεις, quid profers? Nebulam pictam in pariete. Facili ceruice iuuencos esse D mobili, & quæ propterea venabulo non ita facilè transverberari posset. Sequitur mox ὅρκιον tuum, *Iuratus*, inquis, *adfirmarem, hoc idem sensisse Martialem*, &c. Adfirmem, aut adfirmarim dixisses, ô Latinissime tu. Sed hoc leue. Iurisiurandi quidem nos gratiam tibi facimus, nolumus enim periures. Genere videlicet ipso inepta stultaq; omnis, vt locuti olim, verbigeratio illa tua. Nam ecce rem. Vult poëta de Carpophoro mira quædam memorare, & quæ cum Herculis ærumnis certent. Atqui non mirum aut magnum aut Herculeum est duos iuuencos confecisse. *At*, inquis, *facili ceruice illi iuuenci*. & tu facili sincipite, iocari enim liber, in quo nascuntur hæc somnia: sed mirum & magnum & quasi herculeum duos à Carpophoro illo iuuencos gestari potuisse, vt rectè accepit Marcilius.

XXIV.

Iam tandem, *Titi*, inquis, siue *Domitiani*. Ante peruicax & contumax, nunc dubius & anceps, ita veritas ad extremum victrix semper. Voluerat Iustus Lipsius in Amphitheatro suo hæc epigrammata scripta Tito esse, hoc deinde etsi absonum absurdumque, secuti mox minorum gentium alij omnes cateruatim. Tantum opinio præiudicata valuit. Cetera hoc epigrammate tua sunt, id est, quæ quis titiuillitio non emerit.

XXV.

Mitto iam crocitationes tuas in Raderum, cui succenses quòd Valerij tui *verba prætextata*, *Veneris vocabula*, *Alexandrinarum deliciarum verba*, missa fecerit. Noli irasci, tibi hoc de messe sua ille spicilegium reliquit, & quasi præsagiret venturum Ramiresium talium rerum, tali ingenio scientiaque interpretem, adtingere opinor ausus non est, ne partes tibi tuas præriperet. Hic autem peramœnus quoque ille tui prati flos: *Satius fuisset, sanctissime vir, vt totum Martialem intactum relinqueres. &c.* Atque hic in verbis tuis flos delibatus, ille in sententia. *Sed te relinquamus, & interpretemur huiusmodi epigrammata amicis nostris, qui solent spectare Floralia. Interim secede Cato tertius è cælo lapsus, &c.* Herclè bene. Aurea γνώμη auro pingenda, non atramento illo sutorio. Amici tui sunt qui in floralibus assidui. Catones exesse iubes. Mirifica illa sacra sunt.

Neque interim abstinere quoque vngues potes à Marcilio. Sed vngues dico quales vrsi exarmati. *Non sentio*, inquis, *cum Marcilio, Leandrum hunc damnatũ fuisse, nam perisset proculdubio in ea natatione.* Vide lector, & ride, mirum acumen Dialectici Ramiresij. Omnes qui damnati, pereunt. Leander ille damnatus, ergo perijsset. Atqui non perijt. Ergo, &c. Tu criticorum ingeniosissime nescis, damnatos perijsse aliquos, non omnes? Omnes qui damnati ad gladiũ aut bestias periere? nullas missiones, nullas populi misericordias fuisse credis? Quid hoc est, si non ferulam lacessere est? Illa verò quanta κακοζηλία tua. *Notauit hoc*, inquis, *Marcilius, quamuis non primus.* Quin tu edis nomen primi notatoris. Noli obsecro non Marcilio tantùm, sed & primo illi notatori tuo, inuentionis huiusce laudem inuidere.

XXVI.

Tandem reperisti, quod pueri in faba. Nõ fuerunt, inquis, hæ strophæ antistrophæ, epodi, sed variæ rerum figuræ. ἰδοὺ νίκης, *Notis prædicas.* Sed nescisti tu anima Valerij, illas ipsas rerum imagines expressas non sine strophis, antistrophis, epodis. Vt choro in fabulis res suæ siue sententiæ & verba, & nihilominus strophæ, &c. Sic choro illi Nereidum imagines illæ pro verbis & sententijs: strophæ, &c. nihilominus in motu. propereaque *chorum* propriè signanterque Poëta dixit, non turbam aut gregem. Et *docilem chorum* dixit ex chorodidascali sui præceptis, dociliter in aquis se mouentem. Tu autem ex Potitio nescio quo, interpretaris *docilem*, *doctum natandi & peritum.* Quasi docilitas illa non alius rei fuerit quàm natationis. Et tamen idem quasi re bene gesta, triumphum agis de his qui interpretati, *Fuscinam dente minaci, natatorem specie Neptuni cum fuscina.* Obstringillandi studio cæcus non vidisti, Nereides illas in aquis ita fuscinam exhibuisse, vt personam quoque Neptuni exprimerent, cuius insigne fuscina, vt & cùm sidus Laconum exhiberent, imitatæ quasi Castores.

XXVII.

Bene habet, posuêre paulisper venti. Venti conuiciorum dico tuorum, videl. quia nihil consomniare potuisti, quod in epigramma festiuissimum diceres.

Vellem tua herclè causa, par in ceteris tua felicitas fuisset, ô Felicio.

XXVIII.

Hic iam nihil aliud, quàm ab aliis rectè cogitata dictáque recantas, sed non sine leuicula mutatione quali Epicurei illi & voluptarij signa mutant apud Ciceronem, aut quali ansas mutant illi apud M. Senecam clamatores.

XXIX.

Amo te, redisti cum Radero in gratiam. Sed anne ex animi sententia, corditùs, medullitùs, animitùs? Sic enim locuti olim. Equidem dubito. Quippe ne nunc quidem hirrire in eum desinis. Negas enim hoc epigramma intellectum Radero, & vt modicè modestéque omnia solitus es: *Ego*, inquis, *interpretationem veram adponam.* Di mentem tibi dent tuam, Ramiresi, hoccine tu interpretationem vocas? Nodus epigrammatis in vno versiculo est:

Lex erat ad digitum positam concurrere palmam.

Quomodo hunc nodum soluis, quomodo interpretaris Valerium tuum? Ad digitum, inquis, pugnare, sine missione pugnare est. Deinde pro tibi solita *superbiloquentia*, vt ille apud Ciceronem loquitur poëta, *Restituo*, inquis, *linguæ Latinæ paroemiam hactenus à nostris ignoratam. Pugnare ad digitum*, Qui illi *vestri* quæso? Anne ex Lucilio *Baronum & rusticum, squarrosa incondita rostra*? Nam quos Musæ respiciunt, hi nullum vsquam eiusmodi adagium exstare sciunt. At tu in Fabij Quinctiliani agro serere hanc adagionem voluisti, c. IIX. lib. v. Fabius autem auersatur, atque exstirpari velle ait, tanquam lolium aut filicem. Soror nempe ibi fratri suo in ludum insanienti præscidit pollicem. Fabius ex declamatione pro illa sorore aduersus fratrem, profert sententiam huiusmodi. *Eras dignus vt haberes integram manum* Deinde subiungit Fabius, *Sic enim auditur, vt depugnares*. Inscitia Græcarum literarum te induxit vt corrigeres, *Sic enim ad digitum pugnares*. Atqui, *sic auditur*, est, οὕτω νοεῖται, siue ὑπονοεῖται perinde vt si diceret, Noëma illud est, quia auditur siue subintelligitur, *vt depugnares*, siue vt in ludo in arena te dignam artem factitares. Post autem Fabius ex fratris contra sororem declamatione illud profert. *At digito pugnaui*, &c. vbi adscripsére in margine. *Ad digitum mihi pugna est*. Quid tu elegantiarum arbiter? Laudo, inquis, quia in centones meos ita conuenit. Atqui esse debuit literulæ vnius mutatione, & interrogatoriè, siue eroteticè, *An digito pugnaui*? vt si diceret. Quin tu manum meam præscidisti bona soror, non pollicem. Manu enim pugnaui, non digito. Extenuandæq; rei causa *digitum* magis quàm pollicem dixit. Bene Fabius notat hanc sententiam vt falsam & longè petitam. Falsa est, quia falsò negat se pollice pugnauisse, quippe qui sine pollice pugnare nullus potuisset. Longè verò petita, quia digitum dixit pro pollice. Quid horum potest conuenire in tuam pseudoparoemiam Ramiresi? Quis tibi ἀπαγγέλλει illum fratrem non pugnauisse ad digitum, vt falsa sententia sit? Vide quo recidant omnes φιλαυτολογίαι tuæ, & inanes gloriarum venti.

Nihilo magis intellectus à te Valerij versus ille hoc epigrammate quem dixi. Nec enim Poëta vt tu musinaris, intelligi vult de gladiatorum ad palmam concursu, quæ tua inscitia est: sed contra de palmæ concursu ad digitum sublatum. Lex nempe Cæsaris, vt palma posita siue proposita, concurreret tunc ad victoriam, siue tunc victori daretur cum alteruter se digito sublato victum fateretur. Nec enim aut victus hic, aut ille victor, ante quàm digiti sublatione

A constiterit de victoria. Atque hanc legem esse monomachię siue duelli ait Scholiastes Homeri ad Iliad. III. Tu autem valde quoque metricè Q. Ennij versum posuisti. Ita non tantum orator bonus, sed & Poëta ingeniosus es.

XXX. XXXI.

Perbellè quia non erant cucurbitæ quas hic adpingeres, transis vt Latinus tibicen, & μεγαλοφρόνως aut *corrupta*, inquis, *hæc, aut indigna Martiale*.

Sed iam hæc longa in spectaculorum tuorum quasi promulside, nobis militia; maius opus moueo, in ipsos Valerij libros vestigia tua relegere, erroresque tuos & frustrationes, gloriarum tuarum angulis & latebris peragratis, refellere.

IN LAV. RAMIRESI HYPOMNEMATA AD M. VALERII MARTIALIS librum I.

COMMONITORIVM CLAVDII MVSAMBERTII.

AD EPISTOLAM.

PRINCIPIO statim ipso, & quasi limine, & deinceps toto itinere, quo te *fert, ventoso gloria curru*, Raderus Palikanus tuus est, & os tibi ad malè audiendum præbet. Atque vt nunc quidem est Domitium ei anteponis. Verùm res facilis & proletaria est, & quam lector ὁ πεζὸς, siue gregarius sine interprete capere possit.

Beatus autem otij es, qui tam multis exemplorum quasi clitellis oneras lectorem, vt doceas rem triuiis notissimam, quod aliàs dicitur nomen, sæpe appellari etiam *vocabulum*.

Tamen, inquis, Accursium docui ego, l. IV. D. de præscript. verb. *negocia*, non esse, vt, ipse interpretatur, *actiones*, sed res omnes. At hoc quidem commentum tuum, etiam peius quàm si de triuio esset, nam est de inscitiæ biuio. Etenim neque Accursius ibi rectè, *negocia* interpretatus actiones, & tu peius quoque *res omnes* Itaque accipe rem. Plebi aut philosopho negocium res quælibet, vt Atticè πρᾶγμα: sed in Iure Ciuili negocia propriè contractus, & quidem potissimum d. l. IV. Eamque componere non cum l. II. sed l. III. quæ antecessit titulo illo, debuisti. nimirum l. illa III. Celsus dixerat, *Quoties contractus existunt, quorum appellationes nullæ Iure Ciuili proditæ sunt*, &c. Tribunianus rationem subiungit d. l. IV. ex Vlpiani lib. XXX. ad Sabinum: *Quia natura rerum, inquit, conditum est, vt plura sint negocia quàm vocabula*, &c. id est, plures contractus. Neque res aliæ siue corpora sint, vt prædia, aut serui: siue iura, vt seruitutes, dicuntur negocia in iure ciuili, nisi quatenus in contractum veniunt, aut eò referuntur.

Quod autem d. l. IV. est. *Natura enim rerum conditum est*, &c scripserat forte Vlpianus, *Natura enim rerum condictum est*, &c. *Condictum*, inquit Festus, est, quod in communi est dictum, &c. Lex naturæ est

quasi condictio naturæ, siue quod omnibus communiter natura dixit. Sic natura dicitur *constituere* L. IX. D. De iustit. & iure. Et apud Ciceronem III. Legum, malè scriptum, *ad ius condicionemque naturæ*. &c. pro, *ad ius condictionemque naturæ*. Malè item Topicis ad Trebat. *A naturane ius profectum sit, an ab aliqua quasi condicione, & pactione hominum*, &c. pro, an ab aliqua quasi condictione, &c.

Pergis porro surcule Papiniani, & corculum Themidis, de stellionatu veteres canere cantiones. Bene hoc iam olim summus iuris interpres Iacobus Cuiacius Obseru. XXXVI. lib. X. Rectéque in Glossis ἐπίθεσις ἡ χλεύη, *Impostura, stellionatus*, item *Stellionatus*, ἐπίθεσις, κακουργία: item ἐπιθέτης *impostor, stellionator*.

Explicans Raderus quid *nouissimum ingenium*, lapsus est, homo enim. At tu quàm humanè illud. *Stupide mehercle Raderus*, &c. Tu autem, ô ingenio, doctrináque supra ætatis cursum stupende, an non B passim stupidè? vt hac ipsa in re. Quippe ait Valerius: *Absit malignus interpres, nec epigrammata mea scribat*, &c. Tu Valerij tui Mercurius, *scribat*, interpretaris, inscribat, & putas voluisse poëtam dicere. Absit malignus interpres, qui ad suam libidinem epigrammata mea inscribat nominibus veris, cùm voluerim ego commentitiis. Atqui Poëtæ mens longè alia, neque sine acumine sibi suo, nempe, Scripsi hæc ego epigrammata semel: absit malignus interpres qui rursus ea scribat, siue rescribat tanquam sua, siue ad suam mentem. Propterea que Poëta subiungit *improbè facere, qui in alieno libro ingeniosus est*. id est, aliena scribit tanquam sua, siue ex ingenio suo. Non potuit nempe malignus interpres nomina mutare, nisi & ipsa epigrammata quasi refingeret, ac rescriberet. In ipsis enim epigrammatis nomina plerumque inserta, non vt tu erras, in lemmatis solum siue titulis adscripta. C

Pergis autem te inuoluere, & ius quoque ciuile turbare. nam ais l. V. §. pen. D. de iniur. epigrammata esse inscriptiones epigrammatum, tum te ostentans & quasi ἐπίδειξιν faciens. *Quid enim*, ais, *τὰ ἐπιγράμματα significare possunt quam inscriptiones?* Sic enim loqueris, *præsertim cùm in alijs ἐπίθεσιν legatur?* Pol tu, vt ille apud Plautum, *sapiculè peccas*. Epigramma est inscriptio epigrammatis? babæ: & ἐπίθεσις est inscriptio? bombax. Quid ἐπίθεσις populariter nihil attinet iam dicere: iuris ciuilis verbo quid ἐπίθεσις esset iam docui. Neutro sensu in d. l. V. conuenit quod est in Holoandri editione ἐπιθέσεις. Quippe Vlpianus intelligi vult iniuriam fieri famoso epigrammate, vt Paulus in Sent. tit. IV. lib. V. iniuriam fieri psalterio siue cantico. Nempe quia plerúmque famosa erant epigrammata, speciatim Vlpianus *epigrammata* dixit potius, quàm vt Iustinian. §. iniuria, Instit. de iniur. *generatim carmina*, vt & C. Tacitus I. Annal. *Tiberium*, inquit, *asperauêre carmina*. &c. id est, libelli carminum famosi. Eleganter hoc Valerius ipse D epistola libri seq. *Epigrammata*, inquit, *curione non egent, & contenta sunt suâ, id est, malâ linguâ*, &c. *Mala lingua* videlicet, quia plerúmque maledica & famosa. Perridiculè autem adiungis. Aliter si *epigrammata* d. l. V. accipiamus, non posse aptari quod sequitur, *emendum vendendumue curauerit*, &c. Atqui apertissimè conuenit. Ait Domitius, locum iniuriarum actioni esse, *si quis etiam sine scriptura in notam*, id est, infamiam, *aliquorum aliquid produxerit*. Item, qui eiusmodi aliquid *productum ab alio emendum ipse vendendumue curauerit*. Notissima res in crimine libelli famosi non eos solùm teneri, qui auctores libelli,

A sed *etiam qui vim eorum*, id est, sententiam manifestauerint, l. vn. C. de fam. lib.

Ambitiosè deinde pergis ingerere, ambitiosum esse adfectatum. Quid te delectauit in ipso quasi meridie lucernam adhibere? Et tamen neque lychnus ille tibi profuit, vt peruideres sententiam epigrammatis LXIX. lib. XII. nam quod est

Atria si sapias, ambitiosa colas.

Corrigis,

Atria si sapias, ambitiose colas.

Apage huiusmodi correctiones. Scripsit Valerius carmen illud in Iberia sua cùm esset. Veniebant autem & ibi qui rusticantem salutarent clientes matutini, siue antelucana officia: Valerius molestè fert, & ait, Quisquis es tu qui officia illa matutina sectaris & sportellas, quid tu ruti & in Iberia? Quin Romam abis vbi atria ambitiosa, id est, quæ eiusmodi officiis gaudent? Talem cum tali critica tua Ramiresi, ausus es te visorio orbis terræ committere?

EPIGRAMMA I.

Negas hoc epigramma primum esse, & ais poni extra ordinem. Vide quid agas. Quippe eadem ratione secundum quoque extra ordinem erit. Etenim vide si potes ordinem. Epigrammate primo, Ego, inquit, sum Martialis: secundo, cuius libri venales apud Secundum libertum Lucensis.

Magnificè autem quoque te circumspicis in A. Persij versu illo sat. V. --*digitum exsere peccas*, &c. *Hic à nemine*, inquis, *intellectus hactenus*. Neque ipsū *Cornutum excipis*. Nam de Erasmo nō miraris, nullo is numero tibi: *De ceteris*, inquis, *vmbris nihil dicam*. Ceteri ergo tibi vmbræ? At tu qui Solis filius ipse, quid adfers? nebulas, vitreas fractas, somniorum interpretamenta, cassas nuces: *Cùm ait*, inquis, *digitum exsere peccas*, intelligi vult. *Cùm indicem digitum tollere debuisses, medium exseruisti, quod stultorum est*. &c. ita Ramiresius delicium Criticæ: at Stoïcus ille Persij aliter. Nempe populariter stultum putari qui medium pro indice porrigit: ad Stoïcorum autem formulam, ne illos quidem rectè porrigere, qui non medium, sed indicem porrigunt, quia nesciunt porrectionis, hoc est officij articulum & momentum. Itaque qui vulgo imperitorum sani & sapientes sunt, hi Stoïcis nihilominus stulti & insani. Viden' tu sensum stoïcum? vide, desine inanes proflare glorias, & *doctorum discipulus* esse memento, vt te D. Hieronymus admonet, *ante quàm imperitorum magister*. Sequitur Dialectica Ramiresiana: *Et addit*, inquis, *argumentum à minore. Ecquid tam paruum est?* &c. Rem acu tetigisti, mi homo. Ten' acie illa diuina cernere nequisse, non Stoïci illud siue monitoris esse, sed Damæ, cùm ait, *Ecquid tam paruum est?* ita ne personas quidem Stoïci & Damę in satyram illam venire, suspicari potuisti.

Cetera quæ tu in hoc epigramma, prætereo. Iam pridem enim de fece hauris.

II.

Quia libellos suos Valerius *comites viæ* dixit, adfers locum Fabij ex c. IV. lib. I. vbi *Grammaticam dulcem secretorum comitem vocat. Et audiui*, inquis, *à praeceptore meo*, &c. Bene quòd præceptorem laudas: malè quòd neq. hic facundiæ tuæ caninæ & cōuiciis temperare potes, qui neque Ferdinandum Pincianum Iberiæ tuæ decus, absque sanna præteristi. Quid tamen magister tuus docuit te obsecro? *Grammaticam*

esse dulcem secretorum comitem, quia docet poëtas interpretari. Ain' tu? Nemini ergo illa dulcis secretorum comes erit nisi poëtas lectitanti. Non contentus, plurimos te inscitiæ tuæ testes, domestico quasi præconio tibi colligere, etiam magistrum in partes vocas discipulorum piissime. Accipe itaque cur literatura siue Grammatica *dulcis secretorum comes*, nempe quia secreta, siue de studiis cogitationes, literis committuntur. sic Horat. sat. IV. lib. I.

—— *ego mecum*
Compressis agito labris, vbi quid datur oti Illudo chartis.

Hinc parietes *cerati* ad *subitas cogitationes*, de quibus Helenius Acro.

Cetera tua de tabellis, de scriniis, de bibliopolis, næniæ pueriles.

Ἐγχειρίδιον recentiorib. esse *manuale* ais. Neque arbitraris aliud in linguâ Latinâ eiusce rei nomen esse. Legisses Aurel. Cassiodorum, docuisset te, vocari posse *codicem pugillarem*. In glossis autem quoque *Manualium* est. ἐγχειρίδιον *manualium*. Item *Manuale*, ἀναλόγιον. Cur ἀναλόγιον, hodie non dicam, nimium multa iam ex me discis. Sed seriò. Etiam Paulli tres libri manualium L. CCXXVI. de verb. sign. vt si diceret ἐγχειρίδιον.

Prosequeris deinde cursum eadem aura venti, & *Georgius*, inquis, *Merula adlatrat, Hadrianus Turnebus etsi vir doctissimus non videt*, &c. Hi tales eloquentiæ tuæ flosculi, aut potius nerui, quibus quasi arce literarum occupata in omnium capita insultas, Turnebus collibertam primam accipit, tu *primam vxorem*. Sed vin' tu verum scire? *Prima*, cognomentum est, vt alia inscriptione, *Petia* c. L. *Prima, vxori*, &c. Et alia *Peticia Prima*, &c. Mulierum crebra illa cognomenta, Prima, Secunda, &c. Etiam virorum vt Antonius Primus, &c.

III.

Hic etsi plebeia tua Musa, & veteres recantatæque cantiones, tamen quia θρασυστομίας tuæ venti paullisper posuêre, abire liceto.

IV.

Nugas agis de Argilero & tabernis, satius fuisset monere interrogationis notam deesse, legique debere.

Cum tibi paruus liber, scrinia nostra vacent?

Nescire autem & ignorare pro non agnoscere, quod tu mones, toga decore tritius est. Atqui Ramiresij

—— *vultus erat magna & praclara minantis.*

De domina autem Roma cùm velles τῇ λεωφόρῳ βαδίζειν, *publica via ire*: quin locupletiores tibi testes fecisti, vt Valerium tuum epigr. pen. lib. X. Amm. Marc. lib. XVI. Numesianum ecl. II. & V. quorum loca insignita, vt & adclamatio illa apud Dionem in Seuero Ῥώμη βασιλίς, *Roma regina*.

Illud autem tuum iucundissime stultum. Magno supercilio & solita superbiloquentia Grammaticorum deliramenta rides, eosque *in etymis insanire ais*, quia *curia* nomen à cura deriuent, & à Græca voce κύριος dictam esse pertendis. Nec vides syllabæ tempus repugnare, & Grammaticis succenturiatos adesse Poëtas & Rhetores apud quos frequens ἡ τῆς ἐπωνυμίας, à curia & curis.

Deinde, *Maiores*, inquit, Valerius, nusquam rhonchi, &c. *Supple*, inquis, *sunt*, Pulcherrimè. Et interpretaris *rhonchum*, *nasi sonum*: acutissimè, vt & magister tuus Domitius Calderinus. Post etiam mirificè de nasutis & naso concionaris.

De basiis quidem post recitationem quæ narras, alij ante narrauerant, vt & de sagatione, locum adscripserant ex C. Suetonij Othone c. II. tu si noui a-

A liquid proferre voluisses, aut potius valuisses, locum ex Vlp. lib. VII. De offic. Procos. in medium posuisses, ex consultatione quæ in veterum Iurisconsultorum fragmentis. Tit. I. *Inter Clodium optime Imp. & Euaristum cognoui, quod Clodius Lupi filius in conuiuio dum sago iactatur, culpa Marij Euaristi ita malè acceptus fuerit, vt post diem quintum moreretur*, &c. vbi liquet iuuenalem fuisse ludû & comessatorium, itaque adiungit, *vt ceteri eiusdem ætatis iuuenes*, &c. Proferunt aliqui ex Glossis *Sagacio*, παλμός. Sed ibi recta scriptura est, *Salissatio*.

Alius deinde tuus extra orbitam cursus, vt de lasciuia & lusione, item pictura illa', Veneris, Ioci, & Cupidinis qua iam pridem abusi quoque alij. Denique si aliena Valerio, aliena tibi, id est, digressiones, & veteres cantiones ac nænias de rhapsodiis tuis tollamus, vacua tibi charta relinquetur.

V.

B Multa hic proletaria tua de supercilio: de triumphorum autem iocis, qui locus notabilior, nihil, aut minus nihilo. *Et tuo*, quod quidem peracutum & subtile est, *iudicio*, inquis, omnium quæ in triumphis fierent, nihil mirabilius, quàm quod milites iocis velitarentur in triumphantem. Audi quod mirere magis, in Iouis illius miniati curru ipso, ad pensa tintinnacula reorum, & virgæ, apud Zonaram lib. II. quasi res denunciantes metum carnificis.

Iam de iocis paupertinè vnum ex Iulio C. Suetonij protritissimum adfers locum, neque Dionem saltem adiunxisti lib. XLIII. aut C. Plin. lib. XIX. c. IIX. non alia de his triumphalibus iocis, auctorum loca pulcherrima Varronis lib. IV. de Ling. Lat. T. Liuij lib. IV. & XLV. Velleij lib. II. Non Valerij tui denique epigr. VII. lib. VII. Horum vice de *dictis* nobis tua de triuio dicta ponis, qualia item cetera tua hoc

C epigrammate.

VI.

Lemma est, *Ad Marcum*: melius futurum, *Cæsar Martiali*. Est enim quasi materiola in persona Cæsaris siue prosopopœia.

VII.

Ais comparari leones cum Aquila, lepores cum Ganymede. Dixerat idem olim Domitius. Sed neque ille neque tu ex illo, satis ad scopum, siue vt locuti olim, ad petiuolum Valerij. Valerius enim Domitiano blandiens videri vult, maius & mirius esse, quod Cæsaris leones lepori pepercerint, quàm quod Iouis aquila Catamito siue Ganymedi. Quippe maior feritas Leonis. Præterea lepus leoni præda & pabulum aptum & conueniens, puer aquilæ non item. Præterea nec vidisti Poëtam significare datum & ante Domitiano spectaculum, vbi aquila catamitum raperet, de quo spectaculo est epigramma LVI. lib. V. & tangit Iuuenalis Sat. IV. cum ait

D —— *& pueros inde ad velaria raptos.*

Id autem Iouis imperio factum ita olim Poëtæ canunt. Hinc itaque nunc Valerij comparatio.

Quod autem editione tua est, *Nunc sua Cæsareos*, &c. in aliis est, *Hinc sua Cæsareos*, &c. Dic vtrum melius? Mitto diabolaria illa tua quid *exorare*, & μετωνυμικῶς & id genus alia tragemata. Quin tu dixisti, quid hoc epigrammate, *portare per auras*?

VIII.

Non capis similitudinem Catulli & Stellæ, qua parte capi rectiùs potuit. Etenim Valerius intelligi vult, vt passerem Lesbiæ Catullus: sic columbam Violantillæ Stella defleuit, Valerius ipse epigr. XIII. lib. VII. Papinius Silua. II. lib. I. Hinc itaque comparatio.

Deinde, *hic*, inquis, *Maximus forte Veronensis fuit*, aliasque id genus scholicas dapes adponis. Quin tu doces hunc Maximum Cæsonium esse, vt epigram. XLIII. lib. VII. Eundémque malè C. Taciti lib. XV. esse Cæsennium Maximum, vt rectè Iustus Lipsius notauit.

IX.

Decianum nescis. Atqui conterraneus quoque tuus ille, vt patet libri huius epigr. LXII. Tu tamen studio tricandi negas Emeritensem esse, neque caussam vllam profers negationis tuæ, cùm dixerit tamen epigrammate illo Valerius,

Gaudent iocosæ Canio meo Gades
Emerita Deciano meo.

Decianus hic poëta Græcè Latinéq; sciens epigrammate libri huiusce XL. & Emeritensis LXII.

Consummatum, inquis, *Catonem adpellat, id est, omni virtutum genere perfectissimum.* Melius dixisses Valerium eò respicere, quod Ciceroni Cato ille *perfectus*, & *perfectissimus Stoicus*, vt in Bruto & Prooem. Parad.

Eiusdem modi & illa nebula tua critica, *salutis vt esse velis*. Nam ea res vel cæco perspicua, & in libris aliis plerisque omnibus ita scriptum.

Sic & nugalia tua in illud. *Nolo virum*, &c. nec intelligis Valerium hoc velle. Non vitupero planè αὐτοχειρίαν & εὔλογον ἐξαγωγὴν & iustam moriendi caussam, sed famæ captatricem. qualis Catonis & Thraseæ. Nam aliàs, nisi ex mala conscientia, turpis non est iure ciuili αὐτοχειρία L. II. §. III. De his qui not. inf. L. XXXVIII. §. vlt. De pœnis L. III. §. IV. & seq. De bon. cor. qui ante sentent. L. VI. §. VII. De re milit. L. VI. §. VII. De iniusto rupt. D. Fabius Declam. CCC. LXXVIII. alij sexcenti.

X.

Bellæ hic de bello quisquiliæ tuæ. Dixisses compendio, Cotta hic pauper, sed qui diues videri vellet, siue potens & magnus, siue vno verbo Cotta hic πτωχαλαζὼν epigr. XXCIX. lib. XII. epigram. XLIX. & XXCIIX. lib. X. Eoque epigr. XXCIIX. malè scriptum *Accipis & ceras*, &c. Quæ fuerit Valerij manus video ego, sed commentationes tuas exspecto Idem quoque Cotta bellus homo videri volens, Atqui bellus & magnus, quasi pugnantia sunt.

XI.

Gemellus, inquis, *vel vt in alijs legitur, venustus*, Itarerum Romanarum & metricarum peritus es, vt nescius sis Gemellorum in gente Memmia esse cognomentum: neque exaudias, *venusti*, nomen hoc versu sono ipso inuenustum esse.

De tussi autem illa bene Valerius, aut deinceps noster potius epigr. XXVI. lib. II. & XLV. lib. V. Et Petronius in persona Eumolpi.

XII.

Densissimas, inquis, *tenebras hoc loco Heraldus offendit sed offundit densiores*, &c. Dicax enim esse interdum vis. Sed *sambucam citius calonis aptaueris alto*. Tu autem Sol tantus, quam profers nobis aut præfers facem, aut radium? quales perhibentur esse apud Cimmerios. Putemus enim rem, Sportula equitibus singulis data *bis quina numismata*, siue deni nummi, siue X. sestertij, siue X. nummi sestertij. Soliti autem equites in spectaculis conferre sportulas suas, tanquam symbolas, siue collectas de quib. essent. Sextilianus hic contulerat suos decem nummos, sed bibit vicies. Alij equites, si vicies quisque bibere voluissent, ne aquam quidem calidam ministri curare potuissent, quæ tot tantisque potoribus satis esset. Hæc meridiana Valerij mens, sed tibi nox intempesta. Esse

A intempestam tibi prodis tuo tanquam sorex indicio. Admodum enim moraliter & censoriè, *Quis enim*, inquis, *sobrius eques Romanus vnis spectaculis, centum vini quadrantes haurire non erubuisset?* Vide acumen tuum: Quia decem illi nummi centum quadrantes sunt, tu consomnias eis respondere, vini centum quadrantes, & eosdem esse quadrantes monetæ, & quadrantes vini. Eadem mox aberratione Valerium explicans, *Curtu*, inquis, *Sextiliane, adeo intemperanter te geris, vt solus bibas viginti sestertios?* Videlicet quod Valerius ait, *bis decies*, interpretaris XX. *sestertios*. Atqui Valerius intelligi vult vicies, aut bis denas vices bibis, neque exprimit, sextantes illi, an deunces, an trientes. Sed intelligi vult non posse vicies quenquam bibere quin longe pluris constet, quàm nummis decem, quæ summa sanè paruula est. Ad minimum enim illud *bis decies*, vini sunt trientes XX. qui longè excedunt pretium nummorum decem.

B Quomodo autem Poëta de XX. sestertiis dicere potuit. bis decies? Longè est aliud, decies, & bis decies, siue vicies, aliud X. aut bis X. siue XX. nummi. vt viderere tamen in hac ciuitate tua Contenebra aliquid & de Hadr. Turnebo iudicare posse, *Aliqua*, inquis, *habet discussione digna, quæ non sunt huius loci.* Apage te, quin dixisti, vt res est, *aliqua, quæ qualia sint, nescio?* Nihil explicatio Turnebi, discussione tua vel cuiusquam eget, excepto illo, *bis decies*, in quo tu Phœbe noster, sic heres vt mus in pice.

Cetera de epulatione in ludis, de potatione calidæ, veteres tuæ cantilenæ sunt. Epulandi quidem mos ille ortus primum videtur à Caio vt apud Suet. C. XIIX. Argumento est, quod Augustus equiti Romano in spectaculis bibenti, misit qui diceret. *Ego si prandere volo, domum eo*, &c. apud Fabium c. IV. lib. VI.

C Singulari porro acumine ex Tibulli Eleg. X. lib. I. locum vbi rustica viri sui focilationi aquam calidam præsto habet, profers, vt arguas, calidæ potionem medicamenti vicem *fuisse lassis & commotis*.

XIII.

Iterum περιαυτολογία iterum inanes gloriæ. Negas epigrammatis huiusce distichum postremum, à quoquam hactenus intellectum, te vno excepto. qui obseruaris *iuuare*, hoc versu esse quæstum facere: Vide acumen tuum, *iuuare*, inquis, nunc quæstum facere est. Saltim quæstui esse diceres. Atqui nullus hic quæstui locus. De lætitiæ, non de vtilitatis fructu agitur. *Nunc & damna iuuant*, &c. intelligi vult Poëta lætitiæ & voluptati sunt, & iucunditatis huiusce fructum permutare nollem porticu stante & incolumi. Sic

D neque rectè epigrammate huiusce libri CIIX. illud,

Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

Iuuat, interpretaris, *lucro est*, Atqui, *iuuat*, Poëta intelligi vult, iucundum est, Opponens scil. laborem iuuantem siue delectantem lassitudini, quæ iucunditate illa lenitur. At epigr. XXXVII. lib. III. haud dubiè inquis, *iuuat*, dictum *pro quæstui est*, immo enim lusit Poëta ex ambiguo, *iuuat*, iucundum est, aut, lucro est. Sic & Horatij Sat. I. lib. I. *iuuat* ambiguè, pro delectat, aut prodest. Pondus argenti & auri defossum iuuare non potest hominem auarum, id est, neque iucunditati. neque vtilitati auaro est. Non est iucunditati quatenus defossum, non vtilitati, quia non vtitur. Quippe thesaurus auaro iucunditati non est, nisi effossum spectet. Nihil ergo tibi facit locus ille ex Satyra eadem,

——— at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Æque diuino acumine, illo huiusce epigr. versu

Stantia non poterant tecta probare Deos.

Probare, intelligi vis, *probos esse ostendere*, vbi vnquam pictum aut scriptum, *probare*, esse, *se probum ostendere*?

Pari acrimonia censuræ illud Epigrammate XCI. lib. II. *Sospite quo, magnos credimus esse Deos.*

Omnino, inquis, *lego* —*manos credimus esse Deos. id est, bonos*. Pudet pigétque inertiæ tuæ, & delirationis obtrudentis Martiali vomitum Attij, aut Pacuuij, quo quàm ipse non delectetur, quàm ei vomitum casca illa verba excutiant, sat ipse testis locuples epigr. XCI. lib. XI.

At testem tibi facis quoque illum ex epigr. V. lib. I. versum *Sospite quo, gratum credimus esse Iouem.*

Atqui voluit etiam hîc dilogia ludere Poëta, *Iouem gratum*, propitium, beneuolum. Glossæ, Gratior, εὐχαριστος: aut quod magis conuenit, *Iouem gratum*, pro meritis Domitiani & beneficiis in Iouem, quæ qualia sint patet epigr. IV. lib. IX.

XIV. XV.

Conticinium hic tibi, quanquam essent pleraque indicta ore alio. Eadémque ad epigr. XV. tua solertia.

XVI.

Catenati, inquis, *labores, quia alij aliis ligati sunt, & cohærentes*. &c. Sed quid si Poëta intelligi voluit *catenatos labores*, quales vinctorum in ergastulis?

Sed properemus: bellissima enim critica tua sequitur, & vocat. Inquit Valerius,

Gaudia non remeant, sed fugitiua volant.

At tu, *omnino*, inquis, legendum, *remanent*. Ita? Etiam Valerij nunc linguam erudire incipis? Tibi placet, *remanent*, ille voluit *remeant*, & quidem fortè Horatianũ illud ruminans verbum sapiẽs, epist. XVIII.

Et semel emissum volat irreuocabile verbum.

Verbum semel emissum volat irreuocabile: gaudium semel omissum, non remeat, sed volat fugitiuum.

Illud autem explicans, *Sæpe fluent imò sic quoque lapsa sinu*, &c. *Endiadis*, inquit, Cuiusmodi vox illa *Endiadis*, Cimbrica, an Vtopica? Neque tamen eiusmodi quam tu credis figuræ locus est, sed schemati quod interpreti Aristophanis est σχῆμα ἐκ παραλλήλου. Vide sis & Priscianum, lib. XVIII. Bonum factum tibi adscissere hunc sæpe in concilium.

XVII.

Vitiosa interpunctio:

Qua legis: hic aliter non fit Auite liber.

Melius alij. *Qua legis hîc: aliter*, &c.

XVIII.

Frustra hîc ambigis de lectione, quippe nullus interrogationi locus est, & tamen, *Tu*, inquis, *vtramuis explicationem elige*. Quin tu κριτικώτατε, criticorum alpha, lectorem doces vtra eligenda. Sed videlicet ipse nescisti quam eligeres potissimum. Tanta in te iudicij vis innata est.

XIX.

Nobilis obseruatio tua illa, vinum dici etiam viuere. Quasi verò *interficere*, *mori*, *viuere*, non sint voces tralatitiæ ad res omnes. Neque tamen illud Petronij, *Ergo diutius viuit*? ita dicitur quasi vino propriè aliqua vita, sed quia Pittacium erat *Falernum Opimianum annorum centum*, quasi de ætate hominis, Trimalcio adludens dixit, *Eu, ergo diutius viuit*? Nam sic legendum est. Intelligi vult centum annos siue sæculum, metam viuendi esse longissimam, vt & in iure ciuili L. LVI. D. De vsufr. L. vt inter C. De sacros. eccles.

Sempronius porro Tucca hic est, de quo epigram. XL. lib. VII. epigr. XCVI. lib. XII.

A

XX.

Similiter de vetula Aristophanes Pluto ἐκ γὰρ πρὸς ἴσως, ἢ πελαγὸς videlicet ἐδόντας.

XXI.

Iam nugari desinis. Serio enim aduersus illos clamas qui dicere ausi conterraneum tuum obscœnum esse hominem, *& dispeream*, inquis, *si quid in eo obscœnum offendi*. Disperire vis opinor, vt tu quidem votum facis: aut nullam rem sapis.

XXII.

Dextram ait hoc epigrammate Valerius, iniectam foco: epigrammate autem XXX. lib. IIX. sic agit, quasi Mucius ille Cordus olim paratus quoque læuam immittere, vbi ea de re dicendi locus.

XXIII.

Turbas, ponens vt res easdem, frangere cursu leporem, & frangere morsu.

Signanter quidem Valerius dixit, *Seruantur isti vngues*, &c. eo respiciens quòd solitus Leo ambulans retrahere ac seruare vngues, vt acuti sint ad pugnam. Plinius XV. lib. IIX. Solinus c. XXX.

B

XXIV.

Hîc iam disertissimus es, & quasi ἵππος ἐν πεδίῳ, etsi nec bene Hostrus tibi, qui Hostius est.

XXV.

Ais, *alibi illi cuiusdam mentionem Valerio esse*. Nugæ. Nam *Hillus* ibi. Cetera, quæ συνεχεῖς ἀμοιβὴ, ἀπτῶσι, *adgeris sine interspiratione*. quid Valerio faciunt? *Idem quod Veueri donata à virgine puppa*.

Ais, *quæstionem de lege* XXXI. *C. ad leg. Iul. de adult. Dionysius Gothofredus eruditè discidit*. Atqui à te, mi Alexander, huius Gordij nodi sectionem exspectabamus. Nam Gothofredus quidem perdidit opus. Etenim nihil aliud quàm quod est vulgo d. l. XXXI. *Cùm vir nubit in fœminam, viris porrecturam*, &c. id corrigi à nonnullis ait, *Cùm vir nubit in fœmina, viris porrectura*, &c. Tibi corrigere hoc est, Ramiresi? mihi corrumpere est, neque lux illa sed caligo est. Inscitia hellenismi fecit, vt obscurus sermo ille videretur, *cùm vir nubit in fœminam*. Dictum Atticè, pro, cùm vir nubit tanquam fœmina, siue in modum fœminæ, vt Æneid. I. *in antrum*, pro, in modum antri, siue instar antri. Et II. Georg. *in arcus Ityraeos*, id est, inquit Seruius, *in similitudinem arcuum Ityraeorum*. Propert. eleg. VI. lib. IV.

C

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus.

Sic Æneid. III. *in arcum*, & XI. *in pluuiam*, pro in similitudinem siue speciem arcus, aut pluuiæ, vt Seruius, & Æneid. IIX. *Corripere in nodum*, & XI. *in plumam auro conserta*. Sic D. Paulli c. II. ad Thessalon. εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ. Interpretatur D. Augustinus c. XIX. lib. XX de Ciuit. Dei, *tanquam templum Dei*. Sed fortè ibi est εἰς τὸν ναὸν, pro ἐν τῷ ναῷ. Porrigere autem d. l. XXXI. vt & sæpe apud Valerium nostrum, & alios, *Dare* est χαρίζεσθαι.

D

XXVI.

Exclama, *Vicimus, ô socij, & magnam pugnauimus pugnam*. Quid ita inquis? quia docere potuisti, *præterire*? hoc epigrammate esse, ne adtingere quidem. Quis hoc nisi te præmonente suspicatus esset?

Cetera deinde, quid nisi *amphora cœpta institui*, &c. At inquis etiam *legem recipio* me explicaturum hactenus *ab aliquo non intellectam*, &c. Hic enim quoque de Latinitatis tuæ flosculis est. Addis, *Et quod mirememini magis à magno Cuiacio lib. III. Obseruat. c. II. ignoratam*. Ea est, inquis, l. IV. C. de aduoc. diuers. iudic. vbi est, *puncti solatia consequi*. Vera, inquis, lectio est, *punctis solatia consequi*. non *puncti*, vel *punctos*. Etenim *solatia punctis consequi est*, inquis, *quod l. III. &*

l. v. C. eod. dicitur *solatia communi consensu deputata consequi.* Non potes deinde quin exclames, quæ tua modestia & moderatio est. *Gotofredus cæcutiuit, Cuiacius æstuans voluit fingere nouam lectionem, & scribere solatia pacti,* &c. At tu summe Iuris antistes, quid tandem? sibilo vno videlicet locupletior es. At cogita interim, sapientissime, *solatia puncti,* anne oratoriè pro *punctorum solatia?* Et quæri potest, vtrum plenius, *solatia puncti,* an *solatia punctorum,* vt de officio, an de officiis. Quorsum ergo paratragœdiationes tuæ? Quin pergis, vt solitus, catillatum ire de *prætereundi* verbo, de *punctis suffragiorum,* & alia id genus trogalia.

Nam de Radero non miramur, locus ille tibi communis est, ille *acumen,* identidem *stili Ramiresiani tentat,* vt de bucca Fuluiæ olim lusit rhetor Sex. Clodius.

XXVII.

Ecce iterum Raderus. sed allucinatio tua lectori patebit ex antedictis ad epigramma xii.

Cùm autem ait hoc epigrammate Valerius *aqua toties ebrius esse potes?* aquam intelligi vis, vinum aqua dilutum. Solens sic more tuo, etiam id scis quod nescis. Ego clausum hoc tibi aperiam, Sextilianus ille, ne rubori ei tam frequens in spectaculis potatio esset, videri volebat aquam bibere. Interrogat Valerius εἰρωνικῶς, *aqua toties ebrius esse potes?* vt si diceret, quotidie in spectaculis bibis quantum quinque subsellia, identidem ebrius es, & tamen videri vis ὑδροπότης. Esse non potest, &c. interrogatoria nota malè omissa, huic loco fraudi fuit. Neque facit tibi quòd vindemiæ multa pluuia dilutæ vinum, *aquam* vocat epigr. c. lib. x. impropriè hoc enim & ioco. Cetera tua omnia de fece, de triuio.

XXIIX.

Illusio est, inquis, *in hoc epigrammate. Nam est expostulatio cum Procillo,* &c. Quid dici potest congruentius? Non congruus æquè congruus. *Illusio,* inquis, *est,* quare? *quia expostulatio.* Non iam criticum hoc tuum, sed plane Dialecticum acumen est, præ quo Zenonis, & Chrysippi dialectica stupor est.

Illa verò critica mens tua, cùm Valerius ait: *Tu factam tibi rem statim putasti,* interpretaris, *lucrum ad te peruenturum putasti,* & putas idem esse *rem facere,* & *rem factam sibi putare.* Atqui rem factam habere dicitur, cui confectum negocium, qui voti victor, siue compos, vt epigr. lx. lib. vi. Hinc Tibullus Eleg. vi. lib. ii. cùm dicere vellet κατὰ γνώμην ... inquit, *Et mihi facta tuba est.* Neque rectè Antonius Muretus reposuit, *& mihi grata tuba est.*

Iam & illud, *exemplo nimium periculoso,* aliorsum accipis, quàm Valerius voluit. Tu grandiloquè de periculis cœnarum ac perpotationum sub Tiberio, clamas. Poëta intelligi vult de periculo præstandi vocationes promissas in vino, siue per vinum, menteque iam *percussa flore Liberi.*

XXIX.

Ecce alius nebulæ tuæ cyathus. Saltim monuisses tyronem. *Bibere in lucem,* esse pergræcari. Plutarchus Catone Vticensi dixit ἐν οἴνῳ διάγειν εἰς ὄρθρον. *In vino agere noctem, ad manè diei sequentis.* Iulius Pollux c. xix. lib. vi. ... τὴν νύκτα εἰς τὸν ἥλιον. *Consumere noctem vsque in lucem,* peruigilio nempe & certamine poculorum. Sic apud Plaut. Menæchm. sc. iii. Horat. oda xxi. lib. iii. Propert. eleg. vi. lib. iv. Tibul. eleg. x. lib. i.

XXX.

Ais te nolle de plagiariis declamitare. Bene tibi hoc vidisti. Nimis enim; vt non nescis, multi hodie σκαίγυδοι, & alienæ industriæ catillatores, & sublingiones, quorum messis tota non ... , sed ... Neque tamen de his Ramiresius est.

XXXI.

De sententia huiusce epigrammatis, & de clinicis, omnia quæ reponis, cantatissima in triuiis, & Hieronymum Mercurialem vidisti opinor Variar. lib. iii. c. xxii. Pœne verò idem est libri huiusce epig. xlix.

XXXII.

Etiam hoc de triuio, Phœbo consecrari solitas comas, primi tonsus. Bonum factum si causam huiusce ritus adposuisses. Ioannes Tzetzes eam tradit in Hesiodum. *Apollini,* inquit, *& fluuiis soliti comas suas dedicare adolescentuli, quia incrementi & alimenti largitores Dy illi,* &c. Malè ibi ὑγιεῖς pro υἱῆος.

XXXIII.

Miri acuminis res, *non amare,* sumi pro odisse. At hoc ita dictum κατ' λιτότητα, *Vt munera nec sperno,* id est discupio, &c. etiam cucurbitarum pictores sciũt. Non amare autem, siue odisse, nec causam scire odij est, quod paroëmiacè, *odium gratuitum* dicitur. Fabius Declam. cccxxv. *Sunt quidam irrationabiles impetus animorum, quædam gratuita, vt vulgò vocantur, odia,* &c. Alius est adfectus medius inter amorem & odium, vt Theognis, *se neque amare posse, neque odisse.*

XXXIV. XXXV.

Totum Hypom. xxxv. copiæ tuæ cornu effudisti de titulis in fornice, & de Velariis. Sed vide ne pecces inscitiâ iuris. Vetant enim xii. *alienam segetem pellucere.* Aliena verò seges illa de iis titulis. Si negas, interpretes Petronii testes faciam, & Sauaronem ad Sidonium Apollinarem, & Danielem Aurelianensem ad Querulum. Tu autem λογιώτατε, quod in veterib. Glossis ad Iuuen. sat. vi. est, *Veteri centone, vt velo ex pannis facto,* &c. rescribis, *veteri velo ex pannis facto.* Quid potest meliùs? At Glossographus ille interpretari voluit, quid *velum ex pannis,* nempe, *vetus cento.* Deinde quæ tua est ἀξιοπιστία, Petri Fabri, & Casauboni ... laudas, expungentium ex Lampridij Auito illud *quod introitu erat cubiculi,* &c. Si expunctio illa recta fuisset, tu quæ tua felicitas critica est, eam pastoritia fistula excepisses: nunc quoniam distorta est, ei plaudis: Non expungi autem debere sic intellige. In cubiculis duplex velorum genus, vnum in limine cubiculi, alterum in cubiculo ipso. Prioris modi illud de quo Lampridius & passim alij: Posterioris modi, vt *vela circa columnas,* l. xii. §. de velis, D. de instructo vel instrum. leg. Sic reticuli circa columnas, l. xvii. §. iv. D. de act. emti. Præterea aulæa ipsa nihil aliud quàm *vela picta,* vt rectè Seruius ad Æneid. ii. vbi & Varro, *Vela,* inquit, *solere suspendi ad excipiendum puluerem, quia vsus cameræ ignorabatur,* &c. Quæ ibi vela Varroni, Horatio aulæa sunt sat. iix. lib. ii. vt & quæ vela theatri Propertio lib. iii. & iv. aulæa Ouidio sunt, fabular. lib. iii. & l. ii. §. cum quidam, D. ne quid in loco publ. *Velum in Maniano immissum:* Et apud C. Plinium epist. xxi. lib. vii. *Cubicula obductis velis opaca.* Et L. Senecam Natural. Quæst. lib. iv. c. ii. *Cœnationem velis ac specularibus munire.* Bene itaque ... expressit Lamprid. *Qui,* inquiens, *suberio militum strepitu, exterritus in angulum se condidit, obiectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit,* &c. Etenim vt ostendi vela quoque cubicularia in ipsis cubiculis. Cetera tua bellaria tam bella, quàm Calabri hospitis olim.

XXXVI.

Diceret Tullius, *Adsiduè iaciens, Venerem aliquando*

do iterris, &c. Equidem lætor vicem tuam, & tibi gratulor, qui quod sexcenta iam interpretum millia viderant, tu quoque obseruaueris, malè scriptum hoc epigrammate.

Nec quos perlegat in schola magister, pro, *nec quos prælegat*, &c. Sed nec vidisti mendam eandem esse epigrammate III. lib. IIX.

Perlegat vt tumidus rauca te voce magister.

pro, *prælegat*. Et videris nescisse quid prælegere. quippe qui persuasus *prælegere* esse interpretari. Atqui est prælegere, dictare, siue ὑπαγορεύειν, vt in Dialogis Græcis, de qua prælectione Fabius c. v. & xiv. lib. II. & tangit A. Gellius c. v. lib. XIIX.

XXXVII.

Domitius Tullus, Domitij Lucani frater minor epigr. LII. lib. IX. & C. Plinij epist. XIIX. lib. VIII.

XXXVIII.

Expediuisses rationem cur vitro biberet Bassa potius quàm auro: At tu de auri & argenti ad sellas vsu, locos explicas communes. Expedi. tu, inquies, Facerem, sed res turpicula est, industriæque tuæ debita. Nos à tali scabie tenemus vngues, neque interpretari Martialem: sed tibi commonitoria dictare volumus.

XXXIX.

Vapulat hîc Iustus Lipsius, qui vt tu ais Saturnalibus c. II. lib. II. ex Iuuenal. Sat. v. interpretatus eundem structorem & chironomonta: Et *caue*, inquis, *credas Lipsio*, &c. Melius dixisses, Caue mihi credas Lipsium culpanti. Vtere oculis tuis, & vide alia omnia dicere Lipsium.

XL.

Locum tuum de raritate amicorum, & id genus alios, quibus ceu mulum Marianum clitellis, hoc epigramma oneras, alij viderint & riserint.

XLI.

ὦ χρηστῶς ἐρμηνεῦ. Ten' vidisse *liuidi* nomen hoc epigrammate, esse non *fixum* sed *mobile*? Quis hoc Despauterius vates, tibi ἐπιτάκμιζε?

XLII.

Hic in Adrianum Turnebum incurris, vt ille apud Ciceronem *in columnas*. Etenim ille vir liberalissimis studiis circumfluens lib. XXIV. c. XLIII. *Transtiberinū ambulatorem*, accepit eum cui trans Tiberim gurgustium: tu hîc restas, nec vides *ambulatorem* illum dici, quatenus de mapalio suo transtiberino in vrbem prorepens, circitat. Deinde autem illud viro clarissimo adfingis, scribere illum, à Iudæis vendi sulphurata solere. Atqui nullum eiusce rei capite illo vestigiū est. *Nolim*, inquit Comicus, Ramiresi, *ceterarum rerum te socordem eodem modo*. Sed tu inanis gloriæ percussus thyrso, hæc surdè audies, opinor, neque obtemperabis. Nam & mox Apuleium pari diligentia corrigis, *exante*, pro, *inante* reponens; quod iam olim viderat Ianus Gulielmius, ex eoq; Petrus Colui.

Ridicula verò φλυαρία tua illa notantis non esse aliquos *circulatores equestres*, & intelligi *equestrem spatham* debere, non *agyrtam equestrem*. Hæc talia à te obtrudi huic sæculo tam sapienti & faceto?

Neque hic tamen modum ponis industriæ tuæ, sed pergis quoque ad Prudentium & hymno eius κατὰ στεφάνων, vbi est *falsus circulator*, tu rescribis, *falsus circulator*. Qua ratione, Quia, inquis, de vero ibi circulatore agitur. *falsus* autem *circulator* est, qui se fingit circulatorem, neque est. Sed ἀγχίνοιαν fugit acumen tuum, *falsum* etiam pro *fallaci* vsurpari Virgil. I. Georg. *falsum quis dicere Solem Audeat?* hoc est, *fallacem*, vt rectè Seruius. C. Sallustius, *Ambitio*, inquit, *multos mortales falsos fieri subegit*. Et Catulli

A Alfenus, *falsus sodalibus*, id est, fallax sodalibus, aut fallens sodales. Valerius noster epigram. xx. lib. III.

An quas Neroni falsus adstruit scriptor? id est ψευδόγραφος, ψευδοσυγγραφεύς. scriptor siue scriba, siue historicus mendax. Propriissimè autem circulator falsus, quia impostor; & qui nisi fallit opus perdit. I nunc, Ramiresi, subduc manum ferulæ, post modo commentare, comminiscere.

Vt autem es felix Poëta, & leges carminum sciens, siue vt Sidonius diceret, *Carminator*, vnum Prudentij versum sic legis, *Quos lana terret discolor in stipite*, nec vides Prudentium voluisse, *discolori in stipite*. Solito deinde tibi largiloquio pergis de duobus bacillis & chordis nugari quæ neque cælum, vt dicitur, neque terram: & Victoris Giselini vicem doles, qui tantæ illius scientiæ tuæ expers vixerit. Sed tuam potius vicem dole, nescientis lanam & discolorem stipitem non referri ad circulatorem, sed alius modi rem esse. Distinguit nempe Aurelius lanam in discolore stipite terrentem, à circulatore decipiente. Neque

B lana ei discolor, vt tibi in mentem fuit, sed stipes discolor est. Neque bacilla *tua* & chordæ nugatoriæ terrori, sed delectationi magis, iucunditate quoque ipsa stultitiæ tuæ. Quid ergo Prudentius voluit, inquies? Non licia illa quidem de quibus Victor, sed aliusmodi lanam. Sed quæ lana illa dicam ad Hypomnemata tua quæ ventura spondes. At nunc, iocari enim hoc libet, vt Plautinus ille, *Basilicus sum, quem nisi oras, nihil feres*.

XLIII.

Missam facio exorbitationem tuam, de posito ad caput gladio, quam tu nugarum tuarum quasi *auctarium* esse voluisti, & lectori tuo quasi *diludium*. Sed veriùs venatio illa est, qualis apud Persium adolescentuli.

Qui passim sequitur cornos testáque lutóque.

Corrigis tamen locum Fabij, siue Calpurnij alicu-

C ius est, ex pariete palmato. Est enim. *Cur ergo*, *inquis*, *gladium in cubiculo tuo habuisti? Quia habueram semper, quia vsurus illo non eram*, &c. At tu, *lege omnino*, inquis, *quanquam vsurus illo non eram*, &c. Vbi acies tua critica Ramiresi? Nam ille declamator intelligi vult. Habui in cubiculo gladium, quia solitus habere, & quidem solitus habere, quia vsurus non erā. Siue quod conscius mihi essem me non vsurum gladio, ideo palam positum gladium habui, &c.

Illud præterea si pateris moneo te, qui vulgò versus hoc epigrammate est.

Credideram satis hoc vos docuisse patrem.

Melius exstare perscriptum in libris antiquis;

Credideram fatis hoc docuisse patrem

Vt si Porcia diceret, Credideram patrem meum *fatis suis*, siue morte sua hoc iam docuisse. Sic enim Cato apud Plutarchum filio. *An nescis paullisper*

D *spiritu represso, aut capite ad parietem percusso & illiso, emori licere?*

XLIV.

Defricas hîc Pontanum sacerdotem sale tibi solito, id est, Siculo. Quippe litandum Gratiis, vt dicax sis & vrbanus. Nosti opinor fabellam de Arcadica pecude pro catullo Melitæo se esse volentis, & ad exemplum eius hero blandiri, scin' quo euentu? peiore quàm Mercurius apud Plautum, qui

Nequiter, inquit, *pænè expetiuit prima parasitatio.*

Perridiculum autem quòd ais. *Gordianum nodum* esse illo Maronis versu Ecloga. II.

Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est.

Et iucundè interrogas, cùm tempus æstiuum ponatur Ecloga illa, quo pacto, inquis, *vitis semiputata?* Deinde respondes ipse, per subiectionem μικρὰ ἐπιεικῶς. Sed Gordium hunc nodum sic dissolue, inquis. *Illud semiputata, non ad putationem referas, sed ad foliorum denudationem. Vites enim quæ vlmis maritabantur, solebant frondibus denudari, vt radiis solis maturarentur*, &c. O Atticos linguæ tuæ lepores! Sed neque mentem Poëtæ aperis tu, & non maximam rei rusticæ peritiam tuam ostendis. Principio enim quàm ἄκυρον illud tuum *folijs*, aut *frondibus denudare vitem*, pro pampinare? Deindè ἀμαθῶς, arbitrari, *putare vitem* esse *pampinare*. Putare vitem, *tailler la vigne*: pampinare vitem, *ebourionner*. Quæris ex me, quid ergo Virgilianus Corydon ille intelligi vult? Hoc nimirum. Iam vitem suam frondere, & tamen semiputatam esse, quod flagitium rusticum est, quia minuit prouentum C. Plinius lib. xvij. c. xxij. *Quicquid materia adimitur, fructui accedit.*

B Transpositio autem illa tua & ordinatio Catullianorum ex epithalamio Pelei versuum, cuiusmodi sit rogas? Nihil præposterius. Catullus enim variationem quæsiuit, delectationis parentem: tu reponis similitudinem satietatis & fastidij matrem.

XLV.

De minore maioréque charta, Raderum arguis, qui *minorem chartam* interpretatus librum spectaculorũ: *maiorem* autem *chartam* primum librum epigrammatum. Tu quid? *Magna minorque charta*, inquis, *quæuis charta* siue *omnis charta*, & ita esse confirmas genere loquendi Iberico: aut hæc interpretatio si fortè minus placeat, optionem das lectori, vt si malit, *maiorem chartam* accipiat epigramma sequens hoc libro cv. quod longiusculum est: *minorem* autem epigramma vnum de hexastichis eiusdem argumenti, vt vij. aut xxij. Quæ duo quia Valerius miserit Stellæ suo, icèirco dixisse, *Bis idem facimus*. Sed satin' latinè scitè, & propriè loqui, tibi Valerius videtur, qui epigrammata duo, chartas maiorem & minorem diceret? *Cinclicula præcinctus in sella hic Ramiresi adside*, & disce. Maior Valerio charta est ad Domitianũ: minor ad Stellam & alios amicos, vt maior Domitianus, minores ceteri. Et forte an ad Domitianum charta maioris formæ, vt regia siue Augustia, quàm maioris formæ fuisse ait Isidor. lib. vj. cap. x Optimæ nimirum chartæ latitudine xiij. digitorum, vt Augustia & Liuia, Hieratica deinde xj. digitorum, Fanniana x. amphitheatrica ix. Saitica pauciorum, emporetica vj. tantùm. Plin. lib. xiij. c. xij. Bis idem itaque ponere hoc epigr. intellige semel ad Domitianũ maiore charta: iterum ad Stellam minore charta.

Sed neque illius verbi argutiam critica tua mens capere potuit. *-bis leporem tu quoque pone mihi.* Est autem perargutum ex dilogia. *Bis mihi pone leporem*, duo epigrammata de lusu leporem, Stella enim Poëta, non vnus de multis: aut bis leporem in mensa mihi adpone. Stella enim minutus quasi Lucullus.

XLVI.

Homericum illud, τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος, *battologiam* vocas, mihi esse non videtur, sed œconomia. Iterare enim poëta solitus has voces, vt in ceteris copia eius & varietas magis eluceſceret, quasi ex purpuræ oppositione ad purpuram.

XLVII.

Iurgium hîc contractum inter te & Gruterum, quòd libens omitto. Ipse tibi sat scio responderit facile, atque vt tu eam modestissimè vocas, *inaniter gloriosam suam editionem*, defenderit. Tu quidem

A ἀνίατος nobis hodie non abires, nisi illa mihi in auribus Euangelica vox. *Turpiloquium nec nominetur in vobis.*

Turpiculum verbum, inquis, *fac si facis*, quin adposuisti, etiam honestum esse, vt L. Senecæ c. v. lib. ii. de benefic. *Inde illæ voces quas ingenuus dolor exprimit, Fac si quid facis*, &c.

XLVIII.

Vespillones, inquis, *mortuos efferunt: mali medici viuos efferunt, hoc est, occidunt, vel tollunt de medio.* Sed quis vnquam linguæ Latinæ principum *efferre* dixit pro necare? Vacillat itaque similitudo Valerij tui. Nam Diaulus, cum Vespillo esset, solitus efferre: at idem medicus factus non efferebat nisi figuratè, *efferebat*, pro faciebat vt efferrentur; aut nisi accipias *efferebat*, vt domesticos suos quisque efferre dicitur. Tullius epist. i. lib. xv. ad Atti. *Cn. Lucullus familiaris noster matrem suam efferebat*, &c. Et de Nat. Deor. lib. iij. *Cur Maximus filium extulit consularem?* Hinc itaque iocus Valerij, Medicus malus effert suos imperantes, quasi paterfamilias domesticos.

XLIX.

Hoccine placet Ramiresi? Valerium tuum Iberiæ decus à te Ibero exsibilari, quasi crambes repetitæ coquum, aut ministratorem? & te dicere, *putidum esse toties quem tibi ponit aprum?* Hoc quidem itaque præconium tuum: sequitur interpretatio pulcherrima, *Hoc*, inquis, *epigramma per se lucet.*

L.

Liciano scriptum hoc epigramma credis, quin tu Licinianum posuisti, ex Radero saltim ex quo etiam alia reponis, vt de Bilbili, *aquis armisque nobili*, Et de lectione illa, *venabitur vocatus*, &c. Sed quotidiana tamen lectio melior, *vocabitur venator*. Intelligi enim

C Valerius voluit, eos qui cum Liciniano in venatione, siue socios venationis, siue ita licet, conuenatores; qui quoniam vicini, opus non erit vocatore seruo. Nam venient clamati prope à Liciniano ipso; quippe vicini.

Missa facio ἀπειροκαλίας tua de vocandi verbo & vocationibus, & id genus alia.

Nec verò illud rectè legis, *Vobería prandenti feras*, &c. Bene quotidiana lectio, *Vobería prendenti feras*. Prendenti est venanti siue captanti, siue prensanti. Tu si negas, venient testes multi bonique.

Neque intelligenter à te acceptum illud ex Horatij Oda vlt. lib. ii. *Quem vocas dilecte Mæcenas*, profers interpretationem popularem: sed iam alia melior exstat aliunde, & apud alios.

Nihilo melius apud C. Plinium, quod est lib. ix.

D c. xxxix. *preterque ius temperatur aqua*, &c. legere mauis, *preterque vis temperatur aqua*, &c. At Plinius voluit *preterque ius temperatum aqua*, &c. Ius intellige succum muricis.

Etiam illa tua exertatio est, cum in calce huiusce epigrammatis, *non superbum*, accipis, *non ceteros contemnentem*, quia, inquis, qui se turi abdidêre, ceteros præ se homines non putant. Tua fide, Hoc interpretem agere, & hypomnemata scribere est, in re apertissima cæcutire? Quippe, *non superbus*, nunc Valerio est, qui contemnit adclamationes, & grande sophos. Gaudium duplex ponit Valerius, vnum gaudentium e aura populari, idque gaudium superbum & miserum: alterum gaudentium secessu, idque gaudium verum & non superbum.

LI.

Quid tuus Æneas in te committere tantum

Quid Troës potuêre? Valerius tuus in Æmilium velitatur, vt hominem stultè & barbarè φιλόμηρον,

qui ex Homerico verbo *μιςύλλω*, ceu circæa potione fecerit nomen *μίςυλλος*: tu contra, Valerij tui forcillans fidem, *Ego*, inquis, *profectò Æmilianum potius existimo argutum hominem & facetum fuisse, & non sine causa, nomen imposuisse hoc coquo suo*, &c. Tum pergis docere velle, ad exemplum Trimalcionis Petroniani, & vocare simul Æmilianum & imperare voluisse, vt ille cùm diceret, *Carpe*, hic verò, cum *Mistylle*.

Sed tu reipublicæ criticæ dictator, non vides Valerio inde ioci ansam esse, quod à nomine mistyllus non potest imperandi verbum esse, *mistylle*, si quis summo iure Grammatico agere velit, vt neque à nomine Carpus, imperatiuum carpe, aut à nomine Fundus, imperatiuum, funde. Esto igitur luserit Æmilianus vt Trimalcio, sed in illum ipsum ludum lusit Valerius.

Pergis deinde *ἀσύγκλω σκευγκλώθη*, & Mistyllum coquum ais domino eum vocante *Mistylle*, iuberi scindere *τ' ἄρα τ' ἅμα* siue scissorem agere. Ita? Coquus tuo genio idem qui scissor? Haud vidi magis. At, inquis, apud Lampridium in Auito siue Alagabalo dicitur, *Concide Magire*. Ergo inquis, magirus siue coquus etiam scissor est. Sed tu qui non minus Dialecticus bonus quàm poeta & criticus es, hæc interesse non vides? Coquus carnes concidit, scissor autem siue carptor scindit opsonia. Anne tu Gabalum illum opsonium fuisse adpositum in mensa putas? apage eiusmodi dapes. Concidere illud *μιςύλλειν* est, siue vt in Glossis *μαγειρεύειν*, siue *laniare*. Hinc coquus *κρεωδαίτης*, quippe carnes concidens in culina. Idemque vt apud Iul. Pollucem, *κρεωδαίτης*, *μάγειροι*, *ἀρταμος*. Et Plauti Trucul. Coquus *agnum distruncare* dicitur & *bellator in culina cluere*. Sic *concidere* apud Iuuen. sat. iv. Lampridij autem verba sunt: *Nupsit & coijt, ita vt pronubum haberet, clamaretque Concide Magire*, &c. Tu corrigis, *pronubam*. Sed solens hoc & tuatim, extra orbitam. Quippe Lampridius intelligi vult, non mulierem pronubam, sed pronubum auspicem. Glossæ, *Auspex pronubus*, *θαλάμαρχος Auspex* nempe *pronubus*, vt *anulus pronubus*. & *auspex pronubus*, ad discrimen aliorum auspicum. puto autem scripserat Lampridius non vt est vulgo *clamaretque*, sed *clamaret qui*, insolente quidem *ἀναςροφῇ*, sed neque aliena à genio stili Lampridiani. Scilicet non Auitum ipsum, sed auspicem fuisse qui clamarit, *Concide Magire*. vt si diceret, Liquido auspicio, *concide*. *Impetritum*, *inauguratum est*, *quouis admittunt aues*. Sic *auspicum verba*, id est, formulæ apud C. Tacitum Annal. lib. xi. Tangit etiam Fabius Declamat. ccxli. In his formulis fuisse videtur concordiæ votum, vt in huius pronubi auspicis Auito, obscœnum concisionis votum. Neque tamen captauere auspicia illi auspices, vt patet Tullij ii. de Diuinat. sed vsi carminibus siue formulis.

Ecce autem altera schola ex Iuuenal. sat. ix. accipis vt eosdem *archimagiros & carptores*. *Archimagirus*, inquis, *princeps carptorum*. quo pacto? *Quia*, inquis, *magiri sunt carptores*. At ego. Non hoc, inquam, ergo neque illud. Profers autem Sidonij Apollinaris locum ex epist. ix. lib. ii. At is contra te acerrimè. Nam archimagirus ibi nunciat cœnę tempus instare. Atqui coquus, aut archimagirus, siue vt loquelariter dicamus, magister coquus hoc nunciare potest, quippe cœnam paratam esse sciens: scissor siue carptor non potest, qui nescit. Hinc ille Plautinus coquus Pseud. *Quin is accubitum & conuiuas cedo*, *Corrumpitur iam cœna*. Et ille Menæch. *Cocta sunt, iube ire accubitum*. Crede hoc Ramiresi, loca auctorum corrigere, & interpretari, res tui neque fori, neque iudicij, neque comitii est.

LII.

Hic iam silet cortina tua. Saltim monuisses versiculum quartum legendum interrogatoriè.

Et quæ non cernunt, frangere colla velint?

LIII.

De secundis tertiisque adsertionibus, locuples tu ex V. C. Iacobi Cuiacij scrinijs ad Paulli Senten. tit. i. lib. v.

De *persusoriis* autem *adsertionibus* apud C. Sueton. Domit. c. iix. contra Læuinum Torrentium, secundùm Iacobum Cuiacium & Casaubonum dedisti, sed vide ne litem tuam feceris. I. Principio non dicis causa illæ adsertiones multiplicatæ, vt censet V. C. Iacobus Cuiacius ad l. xiij. D. de excusat. tut. sed reipsa, & fauore libertatis, vt victo primo adsertore, locus secundo & tertio esset. Itaque nec erant persusoriæ, l. i. C. de adsert. toll. II. Deinde autem neque arbitrarium erat iudici his assertionibus se accommodare, sed necessarium, quia leges ita præcipiebant d. l. i. At C. Suetonius sic loquitur, quasi nulla eiusmodi necessitas. Itaque adsertiones persuasorias Domitianus videtur intelligi voluisse. in his enim nulla iudici necessitas. III. Porro & persuasoriæ adsertiones rectè conueniunt ad *sententias ambitiosas*, & videtur vt res generis eiusdem iunxisse ibi Suetonius ambitiosas centumuirorum sententias & *adsertiones persuasorias*. In vtrisque locus ambitioni & gratiæ. IV. Postremò, si assertiones illæ iteratæ displicuêre Domitiano quin abrogauit vt post Iustinianus d. l. i. Sed haud dubiè vt in iudiciis centumuiralibus ambitioni: sic in reciperatorijs & adsertionibus, gratiæ Domitianus obuiam ire voluit, non autem frenos inijcere libertati, cuius fauor summus in iure ciuili, vt res notissima.

LIV.

Hadriani Turnebi c. xxv. lib. xxiii. lectio est.

Sic interpositus. vitio contaminat vncto

Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Raderi autem lectio

Sic interpositus filo contaminat vncto, &c.

Aut *villo contaminat vncto*. Eaque lectio placita etiam Ramiresio. Sed vetus lectio est.

Sic interposito vilis contaminat vncto Vrbica, &c.

Eaque mens & manus Valerij. Nam intelligi vult. Sic lænas Tyrianthinas vncto suo siue pingui, vt œsypo, veriùs quàm vt Ramiresius, *oleo*, vilis bardocucullus Lingonicus contaminat, si interponatur siue misceatur.

Deinde ais, Cicero pæne puer primam orationem habuit pro Sex. Roscio Amer. &c. Paucis verbis duo errata. Nam neque prima illa Ciceronis oratio, sed pro Quinctio: neque pœne puer habuit orationes illas, sed pro Quinctio dixit an. ætat. xxvj. M. Tullio Decula, & Cn. Cornelio Dolabella Coss. anno vrbis IↃCLXXII. Pro Sex. Roscio autem ætatis anno sequente, siue xxvij. A. Gellius c. xxiix. lib. xv. Asconius, Fabius c. vj. lib. xij. vbi cùm ait Ciceronem vj. & xx. annos natum pro Sex. Roscio dixisse, intelligi vult principium anni xxvij.

Fallitur autem quoque A. Gellius c. xxiix. lib. xv. censens Demosthenem habuisse orationes contra Androtionem & Timocratem anno ætatis suæ xxvij. Nam habuit v. & xx. vt testis locuples Dionys. epist. de Demosthene ad Ammæum.

LV.

Placet tibi inscriptio vetus *Ad Fuscum*, aut vtraque iuncta, *Ad Fuscum, de amicorum iudicio*. Sed neutra

satis conueniens. Nec enim illa Poëtæ visio est, hoc epigrammate, vt doceat Fuscum de amicis iudicare, sed efficere vt recipiatur in album amicorum, & quasi philothecam Fusci. At illa inscriptio ad Fuscum planè tralatitia est.

LVI.

Hic iam vt solitus θρασυστόμως, *Aliter ego*, inquis, *atque Lipsius. Domitius. Turnebus. Album expono in vmbra & otio degentem*, &c. Fundus tibi est locus ex epigr. XII. lib. X. vbi *albi amici*, vrbani & non colorati sole peregrinationis. Nunc vide ἀδιαφορίαν tuam. Illo lib. X. epigrammate, bene sic *albi amici* oppositi sole perustis: at hoc epigram. lib. I. salutatores antelucani, albi in togulis. Hoc qui non sentit, huic senticetum optem vt sentire incipiat. Albos verò in officiis, esse eiusmodi salutatores in togis candidis, patebit epigr. XXVI. lib. IV. & epigr. LXXIV. lib. X. Sic Iuu. sat. X. dixit, *Niueos ad frena quirites* Salutatores enim illi antecedere soliti, siue esse anteambulones regibus suis. Hinc *opera togata* epigr. XLVI. lib. III. &, *turba togatorum* epigram. XXV. lib. XI. epigr. LXXIV. lib. XII. & *tadia vana toga* epigr. IV. lib. III.

LVII.

Non potes, vt cuperes vendere caupo merum.

Sic melius libri veteres quàm vt tu legis cum vulgo,

Non potes, vt cupias, vendere caupo merum.

Ergo neque capere potuisti mentem Poëtæ, & sollemnia faciens, doces quæ nescis. Itaque nec moramur te cum *ioco tuo ab ironia*, & *aqua pro vino ex vua madente*, & omnibus quisquiliis tuis. Sententia quidem Poëtæ plana est. Solitus, inquit, tu caupo non merum vinum, sed aqua factum, & sublestum vendere: sed horno, quia propter pluuias, vindemia diluta est, & vinum leue, non potes vendere vinum vt cuperes & velles, siue more tuo dilutum, sed cogeris vendere merum. *Nam lenia*, vt inquit Tullius, *vina nihil valent in aqua*.

LVIII. LIX. LX.

Inscriptio epigrammatis LX. rectissima vt libri habent. *Ad Flaccum de sportula.* Nam iocus est in Flacci sportulam pusillam, siue centum quadrantes, quæ minuta summa est. Tu autem. *Huius*, inquis, *epigrammatis inscriptio futura fuisset. Ad Flaccum de secessu Baiano*, &c. Porro Quirites Latinitatẽ perdimus. Quid est Ramiresi, *futura fuisset?* Latina illa, an Iberica loquendi sartago est? Dicere voluisti. Melior inscriptio fuisset, aut, Melius inscribi potuit, &c. Sed missam faciamus Latinitatem tuam, *lingua enim tua disertus es*. Dicamus rem ipsam. Esse vis lemma, *De secessu Baiano*. Atqui hoc est errare à ianua, nec quicquam fieri aut fingi pote minus conueniens. Valerius enim de secessu illo neutiquam agit, sed in Flacci sportulam iocatur. Poëta Flaccum erat comitatus Baias, spe non paruæ alicuius & quotidianæ sportulæ. Itaque peracta ibi lotione, cùm sportellam minutam accepisset, frustrationem illam vlcisci voluit hoc epigrammate. Soliti clientes salutatores magnis suis amicis comitatum præstare, non in vrbe tantùm, sed ruri quoque & in balneis.

Sportula verò parua & quotidiana centum quadrantes vt res tritissima: sed aliquæ maiores & quasi decumanæ sportulæ, vt epigr. VII. lib. IX. Huiusmodi sportulam Poëta iam spe præceperat, re percepit proletariam.

LXI. LXII.

Hypomnemate LXII. Syllabas, inquis, pro numeris poëticè posuit, per συνεκδοχὴν *cùm constent numeri ex syllabis*, &c. Prò criticam fidem, vt tu ζαθέως, vt altè poëtarum sensa exploras, sed disce Ramiresi. Va-

A lerius Poëmatia & versiculos Catulli, syllabas vocauit, quia plerique omnes Phalæcij. Hi vero non pedibus tantum vt alij versus, sed & syllabis numerantur, pedibus videlicet quinis, & syllabis vndenis. Propttereaque & *Hendecasyllabi*, à numero syllabarum dicti, vt ab inuentore Phalæcio, Phalæcij. Eaque de re Grammaticorum scholæ, vt Terentianus, Victorinus, Diomedes, alij. Etiam Ausonius epist. V. Hinc & illud Valerij epigrammate IX. lib. X. Se gentibus notum esse.

Vndenis pedibusque syllabisque, &c. vt si diceret, vndenis syllabis ex quibus pedes quini, hoc est, versibus Phalæciis. Videri nempè vult magnam partem poëmatia sua Phalæcia esse ad exemplum Catulli, cui etiam æmulus Valerius hic noster, etsi impar, vt ipse prædicat epigrammate LXXXIX. lib. X.

Vni, inquit, *sed tibi sim minor Catulle.*

B Catullus autem Phalæciis delectatus est, & hos interminari solitus atque intentare, tanquam suum sibi telum, vt in Asinium furunculum epigr. XII.

Quare aut hendecasyllabos trecentos

Exspectat, aut mihi linteum remitte.

Et in mœcham epigr. XL.

Adeste hendecasyllabi, quot estis

Omnes vndique, quotquot estis, omnes.

Hinc & apud M. Senecam Controu. IV. lib. VII. *Catullus in hendecasyllabis.* Et quidem plera pars Catulli versuum in epigrammatis, hendecasyllabi siue phalæcij, & sicubi alij sunt versus, ij quasi fastidij ex similitudine vitandi causa interpositi. Bene itaque & ingeniosissimus, summaque poeticæ laude iuuenis, Sentius Augurinus apud C. Plinium epist. XXVII. lib. IV. Catullo phalæcios siue hendecasyllabos, siue *minutos* versus quasi peculiares adtribuit.

C *Canto*, inquiens, *carmina versibus minutis*,

His, olim quibus & meus Catullus

Et Caluus veteresque.

Iam verò illud *tuum*, syllabas vsurpari pro *vocabulis*, quo auctore, quibus exemplis nititur? loco, inquis, ex præfatione C. Plinij. Plinij locum mox videro, nunc spectemus paullisper flosculum periautologiæ tuæ anemonium. *Eodem*, inquis, *tropo*, (synecdochen intelligi vis) *vocabula ipsa vocantur syllabæ. Huius notionis ignoratio obscurrissimum reddidit locum Plinij Secundi*, &c. Verba Plinij hæc sunt. *Namque tu solebas meas esse aliquid putare nugas, vt obiter emolliam Catullum conterraneum meum (agnoscis & hoc castrense verbum.) Ille enim, vt scis permutatis prioribus syllabis, duriusculum se fecit, quàm volebat existimari Veraniolis suis & Fabullis.* Hæc ille, inquis, &c. missos enim facio *longissimos tuos logos*, & *gerras germanas*, & *lyras lyras*. Dicam ego lectori summatim quid velis.

D Syllabas loco illo Plinij esse vocabula, & *syllabis permutatis*, esse *vocabulis permutatis*. Et illud, *syllabis prioribus permutatis*, ita interpretaris. Scripserat Catullus,

Quoi dono lepidum nouum libellum

Arida modo pumice expolitum.

Hoc, inquis, C. Plin. sic emolliuit quasi κατ' ἀντίθεσιν *Libros Naturalis historiæ nouitium Camœnis Quiritium tuorum opus, natum apud me proxima fetura*, &c. Nam, inquis, *opus nouitium*, modestia maiore Plinius dixit quam Catullus, *nouum libellum*, *Arida modo pumice expolitum*, &c. Prò Superi, Ramiresium ita non vti oculis, vt permutationem illam priorum syllabarum referri putet, non ad Catullum sed Plinium: Atqui *syllabas* C. Plin. non dixit, vocabula intelligi volens, vt tu consomnias, sed syllabas propriè dictas carminis Phalæcij, de quibus dixi à principio. Duriuscula autem visa Plinio, non illa,

nouum libellum, aut *arida modo pumice expolitum*, &c. quibus neque mollius quicquam, neque minus immodestum aut φορτικὸν: sed duriusculus visus Plinio Catullus, quia priorib. Phalæcij syllabis iambum aut etiam choreum vsurpat interdum vice spondei. vt *Arida modo*, &c. *Meas esse aliquid*, &c. Molliens hoc Plin. scripserat, *Nostras esse aliquid*, &c. Critici deinde aliqui gemini germani tui, quia non extabat, ita in libris Catulli, putauere non correctionem à Plinio hanc, sed à librario mendam esse. Censuit autem C. Plin. spondeos primis phalæciorum syllabis conuenire mollius. Hæc enim iuniorum poëtarum opinio, eaque ratione duriusculi C. Catulli & Calui Licinnij versus apud C. Plinium nepotem epist. XVI. lib. I.

Veteres Poëtæ contra, varietatem primis syllabis quæsiere vt ordirentur modò spondæis, modo iambis, aliàs choreis. Atque hoc etiam artigraphi laudant vt Terentianus, Atilius, alii: Eamque triplicem varietatem Catullus & epigrammate illo & sæpe aliàs quæsiuit.

Ex vno itaque hoc cantherino tuo somnio expergefactus iam opinor es, sequitur alterum, syllabas pro vocabulis vsurpari, l. I. C. De formulis subl. vbi *aucupatione syllabarum*, inquis, est aucupatione vocabulorum. Immò enim *aucupatione syllabarum* ibi est, planè aucupatione syllabarum. Aucupium enim formularum fuit, non modò in totis formulis, aut earum vocabulis, sed & syllabis: & causa cadebat, non is tantùm qui formula, aut vocabulo, sed etiam qui syllaba, dico ampliùs, etiam qui litera excidisset. Stricti enim iuris formulæ sunt, adstrictæque non syllabis tantùm sed etiam literis, vnde & factum vt *carmina* dicerentur, & mandarentur memoriæ. Hinc Ciceronianum illud de formulis, pro Murena. *Res*, inquit orator, *sunt paruæ, propè in singulis literis, atque interpunctionibus verborum, occupatæ*, &c. Et pro Cæcina, Iurisconsultis tribuit *aucupia verborum, tendiculas literarum*. Et I. de orat. *Leguleius*, ei est, *auceps syllabarum*, &c. Tu syllabas ibi verba interpretère? Lege locum & intellige. Lenius ac leuius dixeris *formula cadere*, paullò strictius etiam, verbo cadere. Alios igitur quære quos antisteris, nam huiusce testimonij spes, vt vides, decollauit. Ac tu quidem quære vbi syllaba pro verbo: ego tibi ostendam vbi syllaba pro epistola vt συλλαβαὶ ἐγκύκλιοι, pro epistolis formatis apud Euagrium & Nicephorum Ecclesiast. histor. Etiam apices pro epistolis, vt res tritissima.

Sequuntur deinceps obsoletæ cantilenæ tuæ de verbo censendi de loco ex l. I. D. De inst. & iure, nempe, *iuris peritiâ censeri*, &c. Hæc taliaque missa facio ego, vt habeant lippi quoque & tonsores vbi delicientur.

Ais autem L. *Senecam Philosophum* Senecæ *declamatoris nepotem*, &c. imo filium: Et *Lucanum philosophi nepotem*, &c. imo fratris filium. Hæc te legere apud Iustum, Lipsium, item alia quibus & doctior & melior fieres, satius erat, quàm ea carpere quæ capere non potes.

LXIII.

Hoc epigrammate qui reposuerunt, *Thymele*, frustra metu ruinarum, siue ne non staret versus si esset *Penelope venit, abit Helene*. Helenam mutarunt in Thymelen, nescientes abît pro abiit, esse vltima producta: nec videntes Penelopæ ex Græca mythistoria *Helenam* rectè opponi non *Thymelen*.

LXIV. LXV.

His epigrammatis non iam *contentiosa* tua, sed voluntaria quasi *iurisdictio* est. Itaque nec nostræ hîc

A partes aliquæ: tantùm moneo de Fabulla Valerij, hanc qui videt dixerit, vt Plautinus ille, *speculum tuum video* Ramiresi. *Tua est imago, tam consimilis est quam potest*.

LXVI.

Hoc, inquis, *epigramma Grammaticis crux, ideò fœdata est ab ijs epigraphe, additis ineptis verbis, de genere & declinatione, ficus*, &c. Magnum videlicet flagitium illud vestrum, ô Grammatici. Tu autem Criticorum flos delibate Ramiresi epigraphen esse vis, *Ad Cæcilianum*, & resecari cetera. Meliùs dixisses, *In Cæcilianum*. Cetera tua pura puta nugalia sunt, in quib. morari velle, morari fuerit prima producta. Meliùs longè Caritius iocum & sententiam huius epigrammatis omnem exposuit non semel lib. I. quam tu longissimo tuo cursu & recursu.

LXVII.

Tomum esse ais partem voluminis, neque exemplum vllum adponis, at est illud A. Gellij c. VI. lib. XIV. vbi *Vlyxis tomus* pro Odyssea. Malè ibi, *domus*

B Notissimi autem eo significatu τόμοι Græcis, vt Laërtij Antisthene, & passim.

Pergis mox rabiosulè in Raderum: *Egregiè*, inquis, *hic se ridendum propinauit Raderus*. Et mox: *Sed*, inquis, *os hominis, qui elegantissimum poëtam & acutissimum sæpe facit ineptum. Accipe verum sensum*, &c. Cur autem ita sculponeis tuis Radero os batuis obsecro, quia, inquis, *rudes curas*, interpretatus, *rudia & impolita carmina*, tu autem accipi vis ea quæ *necdum in vulgus prodiere*. Atqui dixerit Raderus, talia plerumque rudia & impolita, limæque obnoxia. *Ambulatoria* enim scriptoris *voluntas*, vt diceret Vlpianus, vsq; ad tempus editionis. Itaque Horat. epist. ad Pisones

Membranis intus positis delere licebit

Quod non edideris. Nescit vox missa reuerti.

Neque tamen non verum est *rudes curas* dici vt *virginem chartam*. Sed causa nulla est cur vapulet Raderus, tu autem ad vapulandum mihi os præbes vicem

C tuam dolenti, qui *chartam virginem* à Marcello Empirico c. IIX. accipi ais *puram*, siue in qua nihil scriptum sit, & eandem esse quæ *pura* Vlpiano l. LII. §. IV. de legat. III. Atqui disce, argutissime. *Charta pura* genus est, species duæ, vna, charta pura, in qua nihil vnquam scriptum neque deletum, eaque propriè charta virgo vt Marcelli Empirici c. IIX, X, XIV, XXIII, XXVI. vt & *porri virgines* qui *non plantati*, eiusdem c. IX. Eademque *charta rudis*, vt eiusdem c. XXVI. altera species, charta pura, in qua scriptum quidem aliquid sed postea deletum, siue quæ impura prius, deinde rursus pura, quam Vlpianus l. IV. D. de bon. poss. chartam deletitiam vocauit, vbi chartarum genera duo. *Charta noua*, id est, virgo: & *charta deletitia*, eaque palimpsestus, παλίμψηστος, aut παλίμψηστος, vt Plutarcho βιβλίον παλίμψηστον lib. De dissertatione cum princi-

D pe. In Glossis autem Philoxeni est quoque παλιμψηστ[illegible] *deletitia*. Sic Catullus in Suffenum

Puto esse ego illi millia aut decem aut plura

Perscripta: nec sic vt fit in palimpsesto. Relata, &c. Scripserat Catullus *Releta*, intelligi volens. Scripta cum lituris, siue non scripta εἰς καθαρὸν, siue in mundum. Hadrianus Turnebus li. XXV. c. XXII. Palimpsestum esse ait *papyrum deletilem, in qua scribimus ea qua in aliam chartam deinde transferamus*, &c. Sed verius est. *palimpsestum* & *schidam* differre. Palimpsestum esse quod dixi: schidam verò id de quo Hadr. Turnebus & Sosipater lib. I. Isidorus c. XIV. lib. VI de palimpsesto patet etiam apud Cicer. epist. XIIX. lib. VII.

Ergo tu Ramiresi cum d. l. LII. *chartam puram*; & *chartam virginem* eandem esse autumas, Grammati-

cis (liceat enim bona venia tua, mihi hanc formulam, delicias tuas vsurpare) deridendum te propinas egregiè: at legum peritis etiam egregius. Etenim chartis puris legatis, si te corculum Themidis audire volumus, virgo charta debebitur, charta palimpsestus siue quæ delẽdo pura facta est non debebitur. At hoc tibi Vlpianus pernegauerit. A

Pingue autem etiam illud filum tuum. Ouidio lib. III. Nequitiæ *purum chartam* esse in qua notæ occultæ, imo charta ibi pura est, tabella, in qua nihil scriptum patet, siue tabellæ ita scriptæ vt nihilominus puræ videantur. At chartam in qua notæ occultæ, si notæ illæ conspicuæ sint, arcanam veriùs aut mysticam dixeris.

Facetè verò illud, *Quæ trita duro non inhorruit mento*, interpretaris, *quæ nondum sordidata sit mento duro, id est, mento & barba lectoris*, &c. Sequitur farinæ mox eiusdem ætiologia. *Quia*, inquis, *qui libellos exiguos in manu tenent* (sic enim tu hoc Tullianè) *lectione fessi, libellum mento applicant*, &c. B Tuus hic fortè mos, Ramiresi, mihi aliisve eiusmodi aliquid in more positum esse non memini ego. Sed quid moror, neque vt par est, explodo nugacissimum hoc commentum tuum? Etenim Martialis *chartam quæ duro non inhorruit mento*, necdum recitatam, necdum editam intelligi vult. Recitatos libros soliti auditores basiare, siue osculis terere, vt supra epigram. IV.

Audieris cùm grande sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.

Et epigram. sequen. LXXVII.

—— at circum pulpita nostra
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

Quem locum sic meliùs acceperis quàm vt Heraldus de basiatione recitatoris. Nec enim aut decorum, aut verisimile, omnes magni alicuius recitabuli auditores ad recitatoris basiationem accurrisse, verùm C exosculatos libri recitati exemplaria quæ distributa in auditores. Osculo nempe excepta illa cùm acciperentur. Sic ergo etiam lux epigrammati XCIII. lib. X. cùm ait.

Vt rosa delectat, metitur quæ pollice primo:
Sic noua, nec mento sordida charta iuuat. Id est, liber qui necdum editus & vulgatus. Interpres ea in re Valerius sibi ipse. Nam dixerat versu antecedente,

Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina —— *nondum vulgata carmina dixit*, quam mox, *nec mento sordidam chartam*, vtrobique intelligens carmina necdum recitata & edita: *sed*, vt poëta inquit, *purpurea modo sutæ toga*, id est, purpurea membrana velatum librum, sed apud dominam siue matrem libri Sabinam, necdum autem editum D aut recitatum, necdum prostantem ad pilas & bibliopolas.

LXVIII.

Summam huius epigrammatis ex Raderi cællæ promis. Sed neque tu, neque ille satis ad sensum poëtæ. Nec enim poëta vult, quæ vestra sententia est, liberum esse qui dicat in Chœrilum, hominem quippe contemtum ac terræ filium nescio quem, nec dignum in quem quis dicat, sed interrogatoriè legendus versus. *In te qui dicit Chœrile liber homo est?* Hoc primum: deinde poëtæ mens est. Dixerat cùm in alios plerosque malos poëtas & Musarum odia Valerius, tum in Chœrilum quoque. Hinc Chœrilus ei dicere solitus nimis libera lingua eum esse, siue παῤῥησιαστὴν, Valerius indignans. Tua fide, inquit, Chœrile, in te qui dicit liber est siue παῤῥησιαστής. & intelligi vult dignum qui omnib. omnium dicteriis tanquam scopus telis propositus sit.

LXIX.

Hic iam cum Scaligero tibi res. *Miror*, inquis, *doctissimum Scaligerum non intellexisse*, &c. Iustiùs mirarère, te neque hoc, neque aliud intelligere. Nam neque hîc vbi triumphas, vlla tua victoria est. Etenim quod est apud Propertium Eleg. XIII. lib. I. *Et quodcunque voles*, &c. *Quod*, inquis, *tibi optandum maximè*, nempe *vt vna sit*. Haud vidi magis. Etenim est, *Et quodcunque voles*, &c. pro, *& quoadcunque voles*, &c. Notissima res est, *quod* pro *quoad*. Terentius Eunucho, *Munus nostrum ornato verbis, quòd poteris*, id est, *quoad poteris*, siue vt interpretatus Helenius Acro, *in quantum poteris*, siue vt Priscianus, *quantum poteris*, aut *vt poteris*. Tullius Dial. de partit. *& quod poterit in singulis*, &c. id est, quoad poterit. Plautus Curcul. Quòd quidem pollu̇ctus virgis seruus sermonem seret? id est, quoad siue quo vsque, &c. Alij aliter neque rectè interpretati. Ergo quamdiu, inquit Propertius, voles tu Galle, ista puella tibi vna sit, siue solitaria, hoc est, vt neque illa vulgiuaga sit, neque tu alia cubilia perambules, vt ante solitu es. Non adtigit scopum & mentem poëtę Scaliger: esto, sed multò minùs Ramiresius qui curua nobis corrigit.

LXX. LXXI. LXXII. LXXIII.

Nullas hic lites seris, neque pugnas ordiris. Itaque & si non pauca essent quæ in tuis reprehenderem, & alia meliora supeterent, sic tamen abire te facilè patior, & neque tuas ex aliis transcriptiones, suis quasi vestigiis colligere ocium est.

LXXIV.

Ait Valerius. *Qui tangere vellet, Vxorem gratis*, &c. Hic tu interpres. Non significat, inquis, non fuisse *tactam, sed non gratis, propterea quod ipsa pretium tangentibus soluebat*, &c. Quid? hoc iam dormitare an stertere te est? Nihil enim apertius mente Valerij, de qua ita longè exetras tamen. Etenim vult Poëta Cæciliani vxorem deformem à nemine tactam etsi gratis, hoc est, sine pretio liceret, siue etsi vltrò daret: posita verò custodia cœptam esse ambiri & mœchos venisse pretium offerentes. Itaque ingeniosum esse ait hominem Cæcilianum, qui artem illam quæstum faciendi excogitarit, quasi Polyæni felicis fraterculus, alentis cælestem captam.

Consimilis verò ingenij quoque illa tua interpretatio cum ais, *Ne existimes eam violari à custodibus*, &c. Quis enim tam Suillus, qui hoc existimaret?

LXXV.

Soliti mœchi & mœchæ subsequente matrimonio, vti quasi *velamento adulterij* vt loquitur l. XXVII. C. De adult. Tangitur & l. seq. C. eod. l. XI. §. licet D. D eod. N. CXXXIV. c. XII. Sic Apollonius apud Philostratum lib. IIX. inter alia Romuli nepotum flagitia, ne illud quidem dissimulauit, τὸ μοιχεύειν μὲν ὃν λανθάνοιεν χρόνον, γαμεῖν δὲ ἐς ἐλεγχθείσας, ὅταν ἐπ' αὐταῖς ἁλῶσιν. *Mœchari eos quamdiu latenter possunt, ducere autem mœchillia sua, cùm in eis deprehensi.*

LXXVI.

Donare, inquit Valerius, Lino dimidium, est perdere dimidium, &c. Donare & dare quasi perdere est. Hinc crebri lusus apud scriptores, vt Plauti Euclio. *Nam*, inquit, *quod edit, tam duim, quàm perduim.* Sic & Trinummo, *Quod dat perdit*, &c. & l. VII. §. I. D. de donat. *Donare perdere est.* L. Sen. c. VII. lib. III. de benef. *Dedimus vel perdituri.* Valerius nóster epigr. XL. lib. IV. *Iam donare potes iam perdere.* Tertyllian. lib. de patiẽtia: *Non piget donare eum qui non timet perdere.*

LXXVII.

Multa hîc nugatus, non potuisti ad extremum abire, quin pugnam illam dares. *Cathedras*, inquis,

Grammaticorum subsellia hic interpretor, &c. Quid? etiam ludimagister Valerius tuus, non coquus tantùm? Sed seriò. Cathedræ hîc quæ in recitabulo siue loco vbi recitant Poëtæ alijve scripta sua, vt κοῖλα βάθρα apud Epictetum Arriani c. xxiii. lib. iii. *subsellia auditorij* apud auctorem dialogi de oratorib. Præterea neque distinguis cathedras discipulorum vt tuam, de quibus Horat. sat. x. lib. i. à magistri cathedra, de qua Iuuen. sat. vii.

LXXVIII.

Beasti, qui docueris nos à blattis *blattaria* vocari *balnea*, non *ballactearia*, &c. Nam quis hoc sine tripode tuo scire potuisset?

Sequitur mox λάπισμα illud tuum. Etenim Tullius ii. de Orat. *Sentio*, inquit, *orationem meam illorum* (Græcorum scilicet, rhetorum & scribarum siue historicorum) *cantu quasi colorari*, &c. Hic tu non potes quin exclames, quin sussultes, & paratragœdies quasi vix compos tui præ gaudio & aura gloriæ, quia correctionem verbi Ciceroniani repereris. *Non possum*, inquis, *mirari satis, Ciceronis magnos emendatores nostri sæculi, Victorios, Manucios, Lambinos, Gothofredos, & alios, qui manifestum mendum in illis vltimis verbis non sunt subodorati. Quid enim quæso est, cantu colorari orationem? Si dixisset modulari, aut aliud simile, non fuisset mirum. Sed quæ tandem acyrologia & metaphora? Error non ferendus in eloquentiæ parente & sole* ——*Solem quis dicere falsum Audeat? Tu omnino lege loco illius vocis, cantu, tactu, vt perseueret in eleganti Solis metaphora Antonius. Solis enim calor tactus dicitur. Idem Cicero de Nat. Deor. Et is eius (Solis) tactus est, vt non tepefaciat solum, sed etiam comburat, &c.* Hæc tua perridicula declamatio est, quam lectori tanquam diludium interponere volui. Pro superi autem, non enim possum & ego quin exclamem, hoc Ciceronem corrigere est? Hæc causa cur tu doctissimorum capitibus insultares? Apage te, desine φαρμακοπωλεῖν, discere incipe. Colorare Tullius soli adtribuit, huic colorationi quæ tactu Solis efficitur opponit colorationem quæ fit cantu Rhetorum, Rhetorum non tactus, sed cantus dicitur. Quod in Sole tactus, in rhetore cantus. Tullius in orat. perf. *Est in dicendo*, inquit, *etiam quidam cantus, sed obscurus*, &c. Et ii. de Orat. *artificiosam verborum conclusionem*, id est periodum, *quasi carmen esse*, &c. vbi peccant qui legunt, *constructionem*. Ergo intelligi vult apud Ciceronem loco illo tuo M. Antonius, Græcos cùm legit, quasi eos ipsos pronunciantes audiat, ita orationem suam & stilum, eorum quasi cantu colorari, siue elocutione aliqua tingi quodammodo & imbui, quemadmodum apud Aristophanem Nebulis est, *negotijs ingenium colorari*, id est, vsum siue peritiam adquirere. Νεωτέροις τὴν φύσιν αὐτοῦ πράγμασι χρώζεται. *Nouis negotijs mentem coloratur suam.*

Vereor autem quoque ne iratus Priscianus tibi sit, cui in pulcherrima illa declamatione tua iniuriam facis, cùm *orationem vt colorari* sic & *modulari* ais. Planissimè quidem à Prisciano tibi metuo si quotidiano & communi more verborum dici arbitraris, vt colorari orationem, sic & modulari: sin tibi archaicè loqui collibitum fuit, præmollitione aliqua innuere debuisti. Etenim *modulo*, vt te adiuuem, aliquos dixisse olim, Philoxenus siue quis alius est, in Glossis indicium facit, cum ait ῥυθμίζω, *modulo formo*.

Magnum verò illud λάπισμα, alterum minusculum λαπισμάτιον, quasi lembum oneraria secum agit. Quippe Tertyll. c. xi. lib. de pœnitentia. *Si quid*, inquit, *coacti ruboris, in labra* aut *genas vrgeat* &c. *Hoc*, inquis, *fugit Pamelium*, &c. Quid Pamelium fugerit, nescio: te quidem & hoc & alia omnia fugiunt. Tertyllianus autem neque illud populare, *vrgeat*: neque Ramiresianum *vigeat*, sibi placere ait, sed *vergat*.

Nec minor alia infelicitas tua. Nam Tertyllianus idem c. iv. de pallio dixit, *cutem fingere*, tu autem, *forte*, inquis, *legendum cutem tingere*. Sequitur mox ratio illa tua non mala. *Quia*, inquis, *sic in nostro epigrammate est*, &c. Admodum logicè. Quia sic Martialis locutus, etiam Tertyllianus sic voluit. Sed si verum amamus, magis est vt Tertyllianus, *fingere cutem*, dicere voluerit, quia sic princeps poëtarum dixerit Æneidis lib. iix. *& corpora fingere lingua*. Et Ouid. ii. Fast.

Et fingit lingua corpora bina sua.

Vterque ex Afranio cuius illud est. *Accedo ad te, vt tibi ceruicem fingam linteo*, &c. *Fingere*, scilicet, *cutem*, est abstergere cutem. Tullius pro Sextio, *Spongijs effingi sanguinem*, &c. Mulierum est *lauari, fricari, tergeri, ornari, poliri, expoliri, pingi, fingi*, &c. vt Plauti Patruo. posteaque *consulere speculum*, vt eiusdem Phasmáte: & Martial. epigr. xvii. lib. ix. *Consilium formæ, speculum*, &c. Sic itaque Achilles cùm ex Pelei & Thetidis filio, factus esset puella *Issa*, siue *Pyrrha*, siue *Cercosyra*, &c. in Lycomedis regia, *stolam*, inquit Theologus ille Afer, *fundit, comam struit, cutem fingit, speculum consulit.*

Alia item frustratio tua. Tertyllianum ibi de Achille puero agere ais. Atqui de Achille viro agit. *Feras*, inquit, *in puero, matris sollicitudinem pati: at certè iam istriculus iam virum alicuius clanculo functus*, &c. Sic enim correxêre locum illum. Sed meliùs ab histrice, histriculus vt in Glossis, *Histriculus* δασυπρώκτης Item δασυπρώκτης *Hirciculus*. Melius *Histriculus*. Rectè sic oppositus quoque pusioni histriculus apud Arnob. lib. v.

LXXIX.

Morbus hic tibi sonticus siue perpetuus est Ramiresi, vt si quid cui bene dictum, tu id malè dictum velis, & vice versa, si quid malè, tu id bene dictum autumes, vt nunc hoc epigrammate Valerij versus est,

Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno.

Hîc tu, *placet*, inquis, *Ianus Guilielmius lib* iii. *veris simil.* c. xix. *qui legendum putat, palluit*, vt apud Virgil. *de Cleopatra veneno peritura.* --*pallentem morte futura*, &c. His ita extrusis, de tua quoque fidelia mox cucurbitam adpingis. Adde, inquis, & rationem quod impropriè dixisset Poëta, --*polluit ora veneno, quæ iam mentagra & terra illa lue, satis essent polluta*, &c. Hæ tuæ nundinæ sunt. At Valerius planè scriptum voluit,

Nec tamen obscœno pia polluit ora veneno.

Pia ora Festi illius erant, quippe viri sancti, siue propter eius vitæ sanctitatem, de qua ipse ibi Valerius,

Sanctam Romana vitam sed morte peregit.

Venena verò esse obscœna, siue spurca & impura non nescis. Sic *obscœna fames* apud Poëtam, quia cogit ad spurcas siue impuras dapes. rectè itaque ori pio siue puro, Valerius venenum obscœnum opposuit. Quare facesse hinc cum ignobili obscuroque tuo interpretamento. *Obscurum venenum, id est, secretum, & quod intimis præcordijs noceat*, &c. Etiam Virg. Cleopatram missam facias suadeo, nihil enim ad tuam illa fideliam.

Non dissimili autem quoque iudicio & dilectu, qui hoc epigrammate in membranis versus habet,

Dimisitque animam nobiliore via.

Tibi magis placuit, ex vulgi lectione habens,

Dimisitque animam nobiliore rogo.

Et rogum ais à Poëta pro morte accipi. nec vidisti absurdum & absonum illud, hominem qui seipse interficit, dici rogo dimittere animam, cum ferro dimittat animam ille, rogus autem sit post animæ dimissionem. At dimittere animam hac aliave via mortis, pari & elegantia dictum est, & proprietate. Nam moriendi viæ plurimæ sunt. Festus hic nobilissimam dilegit, qui ferro animam suam dimisit, mortis genere scilicet Romano, & quasi militari. Meministi autem, opinor, quid Octauianus Cæsar olim prouocatus à M. Antonio, responderit apud Plutarchum, πολλὰς ὁδοὺς Ἀντωνίῳ παρεῖναι θανάτου. *Multas Antonio vias ad mortem præsto esse.* Similiterque Antigonus Pyrrho apud eundem, τῷ πύῤῥῳ πολλὰς ὁδοὺς ἀνεῷχθαι πρὸς θάνατον, εἰ ζῆν μὴ σχολάζει. *Multas Pyrrho ad mortem vias patere, si viuere ei non vacet.* Et Spendosthlabus Scytha Imperatori Ioanni Tzimiscæ prouocanti apud Cedrinum, εἰ μὴ ζῆν ἔχει σχολὴν, τῶν μυρίας ἄλλας θανάτου ὁδούς. *Si viuere ei non vacet, alias plurimas esse vias moriendi.* Non dissimile quiddam & C. Marius apud Iul. Frontinum Stratagem. lib. IV. c. VII. Sed desino plura, ne nimium quantum augeatur hic liber.

Singula dum capti circumuectamur amore.

XXC.

Conclusit epigramma suum Poëta ioco illo,

Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Similiter lusit quoque L. Seneca epist. XXVI. *Quid egeris tunc apparebit, cùm animam ages.*

Quorsum autem tuum illud *ablegmen*, de verbo *minaudi*, aut quid eiusmodi exorbitationes, & quisquiliæ poëtam iuuant?

XXCI.

Ne hîc quidem habuisti, præter latinitatem tuam latinissimam quod lectori adponeres.

XXCII.

Redis ad tuum illud τὸ φιλόσοφον καὶ ἰατικόν. Nam cuiusmodi hæc ampulla tua? *Obscurum*, inquis, *epigramma, & quod torsit omnes interpretes, intactum tamen & non intellectum omnes reliquerunt: sed planissimus est meo iudicio.* (quin addis, quod sanè grauissimum est) *sensus*, &c. Hæc postquam sic ampullatus es, sequitur vitrea fracta. *Patres*, inquis, *adpellari dominos à filijs insolens erat eo tempore*, &c. Hoc iam peccas primulum. Illo enim sæculo ritus hic quotidianus. Docere te Marcilius potuit, si ἀσκαρδαμυκτὶ scripta eius inspectare potuisses; vt ea quæ notauit ad epigramma de spectaculis vltimum. Nec verò parentes tantùm à liberis salutati domini & dominæ, sed & vice versa liberi à parentibus. Deinde autem scopæ illæ tuæ quàm dissolutæ? Domini seruos suos deridiculi causa vel blandientes quoque interdum vocitabant dominos, vt epigram. LIIX. lib. V. Ergo, inquis, Sosibianus verna, quòd seruum patrem eius, paterfamilias interdum dominum ridens vocaret, filius quoque Sosibianus blandiens patri suo dominum eum nominitabat, & sic patrem suum seruum esse fatebatur, &c. Hæc tua meis verbis sententia est. Sed te sic collineante, tutissimus à telis ad medium siue petiolum, siue scopum ipsum locus fuerit. Quænam igitur, inquies, tua collineatio? Equidem quoduis tecum pignus dare ausim, rectam epigrammatis huiusce scripturam, & ipsissimam Valerij manum esse, *E serua scis te genitum*, &c. intelligi vult malum poëtam Sosibianum, in quem & iocus est epigram. XXXIII. lib. IV. ancillæ filium esse, & tamen pro libero se gerere, fateri tamen, vt vis veritatis magna est, se filium esse ancillæ, siue genitum è serua, cùm

A patrem suum dominum salutat. Pater nempe ille Sosibiani eiusmodi paterfamilias qualis epigrammate XXCV. sequente, *Quirinalis*, ancillas quasi gallinas non parendi, sed pariendi causa possidens. Sed vitiosè quidem hoc ille. Nam bene admonet Vlpianus L. XXVII. D. De heredit. petit. *Non temere ancillæ eius rei causa comparantur, vt pariant*, &c.

XXCIII. XXCIV. XXCV.

Epigramma XXCIII. in Regulum causidicum magnum Valerij amicum, & XXCIV. in Manneiam ὀζόστομον siue *osputidam*, vt est in Glossis. Et XXCV. in talem patrem familias, qualis de quo dixi ad epigramma XXCII. Hæc, inquam, tria tu sine pugna prætereuectus es. Itaque nobis quies hîc quoque aliqua & quasi pax sequestra. Tantùm moneo non peruisum à te acumen illius versiculi epigr. XXCV.

B *Domumque & agros, implet equitibus vernis.*

Equites vernas à Poëta nominari illos patrisfamilias ex ancillis filios, quod plerique omnes se pro liberis gererent, vt epigr. XXCII. Sosibianus, aliqui etiam fortè loco equestri essent, patre illos habente pro liberis. Sed longa neque ex instituto nostro meta illa esset, dicere nunc de professione natali siue natalitia, de libertis & libertinis quæ ad intelligentiam huius epigrammatis facere possent. Ego, vt professus sum ab initio, interpretem agere non decreui, sed Ramiresio auriculam peruellere.

XXCVI.

Pergis esse καυχηματίας. *Hinc elice*, inquis, *veterem morem à paucis, aut, quod sciam, à nemine obseruatum*, &c. Sed quis tandem est ille mos præclarus, omnibus inobseruatus, tibi vni cognitus? Præcones, inquis, rem venalem proclamantes, siue in præconijs suis, solitos edicere causas & rationes cur ea res venderetur. Et quia præconum ordo dicax, temperare eos

C sibi nescisse quin & in vitia rerum venalium iocarentur. In quo tu quamuis sapiens, erras tamen, nec Valerium intelligis. Inducitur autem hic præco à Poëta non vt dicax, sed vt hebes & bardus, qui vt velificaretur gloriæ domini cuius ea res venalis, & vt omnem ab eo suspicionem angustiarum rei familiaris & æris alieni amoliretur, fundi venalis vitium aperit imprudens. Et verò è semita in viam reducere Tullius te ipse potuit, cuius locum ex libro III. de Offic. profers, cum ait. *Nihil tam absurdum, quàm si præco ita prædicet, Domum pestilentem vendo*, &c. Neque te Apuleius adiuuat lib. IIX. Præco enim ibi dicax in misellum *Apuleiasinum* venalem est, non more quidem modoque præconino, sed quia iratus huic Madaurensi asello, quem etsi assiduo præconio, *diruptus faucibus, & rauca voce saucius*, tamen obtrudere nemini potuisset. Neque dicacitas illa dominis eius noxia

D erat, quippe desperata iam Arcadicæ illius pecudis venditione. Sic & Luciani vitarum mercatu, præconem gerens Mercurius iacit aliqua in Philosophorum vitas venales subinde, sed quæ non minuant pretium, neque venditionem morentur. Solitos autem præcones non vitia sed laudes rei venalis prædicare, notissima res ipso præconij nomine pro laude, & Luciani Dialogo antedicto. At in emtores fortè ineptientes in præstinatione, & interrogatiunculis odiosos, soliti interdum iocis velitari præcones, vt eodem Apuleij libro *Isiacum lurconem*, præco tractat dicaculè, & Mercurius emtores apud Lucianum dialogo eodem. Ad summam facetus hic Martiali præco, non quia dicax, sed ironicè & deridiculi causa, quia insicetus & ineptus, & nocens domino.

XXCVII.

Microspicum esse ais quem Græcè dicamus *Mi-*

cropsopum pulchertima videlicet ac Ramiresiana fictione vocabuli. Etiam de Terentiano Valerij amico disputas, non esse hunc illum Terentianum qui scripsit de re metrica. Sed tibi vnum huiusce Terentiani versiculum gargaridiare satius fuisset. *Pompa gloria vilis est.*

XXCVIII.

Missa facio tua ἀνωφελῆ πολλά. At ille Valerij versic.

Ista linunt dentes ientacula: sed nihil obstat &c.

Forte melius habuerit ——*sed nihil obstant &c.* vt ad *ientacula*, siue pastillos respiciat verbum, *obstare &c.*

XXCIX.

Hic iam Iosephus Iustus Cæsar Scaliger vapulat, qui hoc epigrammate quod est.

Accipe care puer nostri monumenta doloris.

Legere maluit, *laboris*, castigationibus suis in Catullum. At qui rectè Scaliger, & sic libri veteres. Sed neque ille rectè labores accepit operis, nec tu peruidisti *laborem* Valerio non esse operis, aut ædificationis, aut structuræ, sed amoris. Poëtis amor est *labor*, vt Atticis πόνος, & *laborare* amare, vt Atticis πονεῖν, μοχθεῖν. Vide sis Marcilium ad Horatij Odam XVII. lib. I.

Perpetuum deinde *honorem* accipis de Valerij hoc epitaphio in Alcimum: Verius de perpetuo virore buxi & prati accepisses. Eumque & ipse honorem sepulchri, sibi optat Valerius, videlicet non Mausolei alicuius, sed prati, aut hortuli amœni. At tu importunè *allegorizare*, vt Tertullianus diceret, voluisti Valerium.

XC.

Cum de pœna diceres, aduersus reticentes aliquid pertinens ad salutem principis ex l. VI. D. de pœnis, quin adposuisti commemorabile exemplum de reticentia Philotæ apud Arrianum lib. III. de rebus Alexandri: & Q. Curtium lib. VI.

XCI, XCII, XCIII.

In his partem obscœnitas tua obscœnissima familiam ducit. quam despuo & abominor: partem silentium, quod dissimulo. Tu nimirum spurca & ἀνεκκαρπα *frugiperda*, scis: pura & βιωφελῆ. *vite vtilia* nescis, vt ad epigr. XCIII. effudisti *non modio, neque trimodio, verùm ipso horreo*, verba Veneris, quasi Baubo inuitares Cererem, aut fescenninos caneres, aut Cicinniæ Deæ litare velles, aut cotyttia celebrares, deinde quid cerea lacerna nescis. Nam *ceream*, inquis, *lacernam pro sordidissima dixit, quæ sudore sit veluti incerata. Sudoris enim congelati in veste vel in alia re, species est cera, &c.* Similiterque ibi perperam accipis versum ex epigramm. LIII. lib. X.

Cerea quem nudum tegit vxor abolla grabati.

De quo suus sibi dicendi locus. At illud quidem prorsus extra omnem orbitam recitas ex Iuuen. satyra X. de *inceratis genibus deorum, &c.* Disce itaque ceream lacernam esse Valerio, detritam ac decorem. Candidæ videlicet Romanis togæ, itaque tritura flauescebant, & fiebant quasi coloris cerei. Huiusce rei tibi Valerius ipse interpres, cum quasi κατ' ἐπεξήγησιν iunxit *ceream & tritam*. At illa sudoris tui ratio, quam tu sudans satis, adfers, quid quæso ad acernam, aut togam, aliumve eiusmodi amictum, qui longè à sudore & corpore, siue à corpore sudante?

Sequitur illa stribligo tua, *historia non vulgariter intellecta*, cum dicere velles, historiam vulgò non intellectam. Deinde tuum illud, *lambuerant*, etsi D. Hieronymus dixit *lambuerunt*.

Mirificum autem hic etiam Theologum agis &

A lambentes ac bibentes Gedeonis milites ita distinguis, illos ignauos & fugaces fuisse: hos autem strenuos & pugnaces. Et argumentum dicis pulcherrimum, quia canes ex Nilo lambunt & fugiunt. Quis non exosculetur pectus illud tuum tantæ sapientiæ thesauris oppletum ac refertum? Quàm autem conueniens & pium erat ex literis sacris narrationes, & theologias in tui commentarij & rerum obscœnissimarum, quasi latrinam aut fornicis fuliginem pertrahere?

Sed mox à Theologia quasi desultoriè pergis quoque ad ius ciuile, atque hic etiam curua corrigis. Ac principio quidem tueris quotidianam Velleij lectionem ex lib. II. *effusumque alterum Romani imperij lumen, &c.* Et tueris non sine nigro & agresti planeque Ramiresiano in C.V. Aldum Manucium sale, & *elegantiarum aucupem vocas.* Audi, homo vrbane, non

B tam *elegantiarum auceps* Manucius ille, quàm arbiter, cuius vellem elegantias tibi discere contigisset olim, saltim Latinè vt loquerere aliquoties, quia humanè nunquam potes.

Sed ego missos facio eiusmodi loliginis tuæ succos, rem ipsam putemus. Effossum oculum voluit Manucius, voluêre alij vt Dousa, Titius, &c. Tu contra venis, nulla re alia fretus quàm quod apud Domit. Vlpian. l. XIII. §. item Iulianus, D. Locati, Iulianus dixerit, *vt ei oculus effunderetur*, &c. Hoc tibi sollenne est, vt si quid simile aut eiusdem soni, siue παρήχησιν vspiam repereris, id statim quoque idem esse putes, & inde Criticæ tuæ litare velle incipias, non circumspiciens aut ruspans, vt locuti olim, si quæ forte alia subest ratio, cur eæ res differentes sint, vt in re præsenti, siue eapse qua de agitur. Quippe Iulianus d. L. XIII. agens de *sutore qui puero parum bene facienti,*

C *forma calcei, tam vehementer ceruicem percusserit, vt ei oculus effunderetur*, &c. aptè conuenienterque effundendi verbo vsus est, tali quippe instrumento vt forma calcei, aut cucuma *effundi*, aut *perfundi oculus potest*, vt L. V. §. vlt. D. Ad leg. Aquill. effodi non potest. Sic apud Aëtium Tetrab. II. Sermone III. c. XXIV. Oculi totius prolapsio ex vehemente capitis plaga, vbi etiam discas licebit prolapsionis, & effusionis huiusce historiam. Contra verò Velleius propriè signanterque *effossum alterum Imperij Romani lumen* dixit, agens de prælio & acie, vbi gladijs, pilis, hastis decernitur, quibus *effodi* oculus potest, magis quam *effundi*, aut vt loqui putatur d. lex V. §. vlt. *perfundi.* Viden' tu Ramiresi quorsum critica tua euaserit? quo videlicet glacies è puerimanu, volentis nec valentis retinere.

D Infelix, inquies, fateor illa κρίσις, sed feliciorem ecce aliam do succidaneam, quæ litabit haud dubiè. Nam quod ait lex IIX. D. de iniurijs, *Vulneris magnitudo atrocitatem facit, & nonnunquam locus vulneris, veluti oculo percusso*, &c. tu. lege, inquis, *perfuso. Non enim percussio lenissima poterat atrocitatem facere, nisi inflictum oculo vulnus, oculum perfunderet, &c.* En critica scabies, vt inquieta est. Atqui si oculi perfusio, quàm tu ab effusione differre non putas, atrocem facit iniuriam, cur adiunxit Paulus de loco, quasi atrocem faciente iniuriam? videlicet notare Paulus voluit, magnum vulnus alia corporis parte atrocem esse iniuriam: oculi verò quauis læsione iniuriam fieri atrocem. Primùm, quia vt præcipit sapienter Celsus c. VI. lib. VI. *Oculi cùm magnam partem ad vita simul & vsum & dulcedinem conferant, summa cura tuendi nobis sunt*, &c. Et apud C. Plinium c. XXXVII. lib. XI. *Oculi pars corporis pretiosissima, &c.* Hinc & notissimus amor oculorum, vnde paræmiacum illud Amare plus

oculis. Deinde verò quia omnis oculorum læsio ὑποφαλὴς vt apud Celsum loco eod. *Si ictus oculum lædit, vt sanguis in eum suffundatur*, &c. vbi etiam *perfusus oculus* perinde vt d. l. IIX. Sic de suffusione oculi Aëtius sermone eodem, vbi & alia oculi læsio c. XIX. nempe infixione aliqua, vt aculei aut ossiculi. Item alia puncturis, vt stilo aut re simili. Et c. XXI. ac sequente, vulnera oculi, in quibus periculum ne effluant oculi humores, &c. Has tales oculorum læsiones d. l. IIX. intelligi voluit, esse iniurias atroces: tibi nihil aliud quàm de oculi effusione, & perfusione tua in mentem venit, de qua ibi Aëtius vt omnium grauissima, ad extremum agit c. XXIV. I nunc ergo Ramiresi cum critica tua, *quasi lucerna vncto expletus linteo*, & corrige quoque §. Atrox. Instit. de iniur. vbi ait, *Nonnunquam & locus vulneris atrocem iniuriam facit: veluti si in oculo quis percussus fuerit*, &c. Emendo, inquis, *veluti si in oculo quis perfusus fuerit*, &c. Nimium quantum tu dispex & ἰξυδερκὴς Ramiresi Lynceus ipse præ te Cæcilius est, cum hæc ita peruidere & tam argutè corrigere potes.

Neque tamen illo tuo Lyncei acumine vidisti, aliud esse *oculum effusum*, vt d. l. XIII. §. Iulianus, aliud *oculum perfusum*, vt d. l. V. §. vlt. Atqui differunt *Oculus* enim *perfusus* est, qui sanguine suffusus apud Corn. Celsum loco prædicto: *Effusus* autem qui loco suo planè motus, siue qui excidit, de quo Aëtius. Siue autem *oculus effusus* siue *perfusus*. vterque & ad legem Aquiliam siue damni iniuria dationem, & ad iniuriarum actionem pertinere potest.

Iam ne igitur, vt pueri apud Varronem pigri, exspectas vt dimittantur hæ nundinæ? Perfer & obdura. Tu oculis nostris tam multas commentatus es κρίσεις tuas, ego vnam tibi reponere volo Plautini loci emendationem, eamque non tam libenter quàm necessariò. Etenim Plauti ex Bacchidibus versum ego sic reposui,

It magister quasi lucerna, vncto expletus linteo.

Libri autem de trimo habent,

It magister quasi lucerna vncto expretus linteo.

Expretum interpretati *expertum* alij, alij *exstinctum*. Sed veteres & de meliore nota libri, ita vt dixi, habent. Vult papas ille, magistrum à discipulo suo ita probè probèque multatum abire, vt quia deuinctus fascijs, multisque medicamentis delibutus sit, instar lucernæ esse videatur plenæ vncto linteo, id est, ellychnio, siue vt locuti olim, *Funalio*. Critica Ramiresiana, delicium meum.

Exemplum ad hoc Vticiab. scatens cane.

Πρὸς ταῦτα τηροῦ μὴ λάβῃς ὑγιώτατα.

XCIV.

Titulum breuiorem accipis vltima epigrammatis verba, *Amicus erat*, &c. Sed Valerio hæc duo sunt quasi epitaphia, longiusculum videlicet vnum hexastichum: alterum breuiusculum quod longiore illo continetur, nempe postremum distichum, idque plus esse ait Poëta, quanto plus laudis habet amicitiæ, quàm primi pili titulus. Ergo & illud peccas, cùm *fedus sacrum laudata vita*, interpretaris non de fœdere amicitiæ, sed de moribus sanctis. Quia *videntur*, inquis, *qui sic viuunt cum virtute fedus pepigisse*, &c. Sed alia Menecles, alia porcellus.

XCV.

Obscœnum, inquis, *epigramma, sed quod ausim affirmare à nemine adhuc intellectum*, &c. Hæc totidem verbis Ramiresij gloria, mox deinde spurcidicinæ suæ gloriam explicat, hoc illius regnum est, illa se iactet in aula.

XCVI.

Huius epigrammatis ioco similem esse ais quem adducis ex Fabij Quinctil. lib. VI. c. III. Sed tam quadrat, quàm boui clitellæ. Captauit hunc iocum Valerius ex illo Demosthenis olim dicto. *At ego plus accepi vt tacerem.* Narrat A. Gellius cap. XI. lib. IX. Ex quo dicto etiam alius Valerio captatus iocus epigrammate VII. lib. IIX. Item alius epigram. LXX. lib. IX.

XCVII.

Virgilij, inquis, *locus à nemine quod sciam, adhuc animaduersus*, is est lib. IX.

Pictus acu chlamidem & ferrugine clarus Ibera.

Sequitur interpretatio tua: *Ferrugine*, inquis, *Ibera, pro veste ferruginei coloris Bætici vel Iberi*, &c. Atqui occupauerat interpretationem illam Seruius iam olim ad lib. I. Georg. ne tu in vacuam te possessionem venisse putes. Quanquam Seruius idem quasi oblitus sui ad Æneid. IX. *ferrugineam Iberam* interpretatur, quæ ex Iberia Ponti.

Vapulat deinde Iustus Lipsius, cui literarum quasi dictaturam quoque abrogas, non vt qui vel tantillum peccarit, sed qui oblitus dicere, quæ Ramiresius dicta vellet, vt Coss. olim obliti edicere de natali Caij. Lipsius elect. c. XIII. lib. I. *lacernas coloris improbi* apud L. Senecam epist. CXV. interpretatus coloris *insolentis & audacis*: tu explicas, *non probati ab omnibus*. Eoque pertrahis quoque Martialem, qui epigrammate XVI. lib. X. *Tyron improbam* dixerit, *quia*, inquis, *improbos mitteret colores, & non probatos, mollitiei causa*. Tum adiungis locum ex C. Plinij lib. IX. cap. XLI. *Rursum absolutus, inebriatur Tyrio, vt fit ex vtroque nomen improbum, simulque luxuria duplex*, &c. Denique tuam πολυμαθημοσύνην ostentans. *Quæ loca*, inquis, *miror latuisse doctissimum Lipsium, in explicatione illius Senecæ loci*, &c. Quin tu miraris potius te nescisse, cur improbus color ille apud L. Senecam. Omnes etenim testes adducere in rem aliquam mirius, aut vt tu velles mirabilius est, quàm omittere aliquos, neque culpa hîc aliqua Lipsij est, sed tibi turpe nescire, quod docere vis, quare lacernæ purpureæ apud L. Senecam, *coloris improbi*. Vt autem te nescire scias, sic collige, *improbus labor*, sæpe iteratus & assiduus est, vt Virg. I. Georg. Nam eodem respiciens dixit lib. II.

——redit agricolis labor actus in orbem, &c. vt & agriculturæ ἀτελὴς Fauorinus dixit apud Stobæum Sermone CCXXIII. Seruius *improbum laborem* accepit, *magnum*, aut *nulli probabilem*. Sed neutrum probabiliter. Sic itaque *purpurea lacerna, improbi coloris*, dibaphæ siue iterati coloris. Itaque & Plinij loco antedicto dibapha, *nomen improbum* propter significantiam iterationis, & quasi assiduitatis tingendi. Et Valerij epigrammate illo XVI. *Tyros improba*, propter dibaphæ purpuræ tincturam, vt Horatij epod. XII.

Muricibus Tyrijs iterata vellera lana.

Quod autem libri omnes rectè habent,

Sed spectat oculis deuorantibus draucos.

Tu in controuersiam vocas, & *placet*, inquis, *Iani Gulielmij emendatio qui Verisimilium lib. III. c. XIX. despectat*, legit. Ecce iterum si felix Iani coniectura illa esset, tibi displiceret, nunc quia Valerio nolenti est, tibi ea placet. Noluisse autem sic Valerium patet, quia neque sat rectè iteraret, *Adspicit nihil sursum*, hoc est, *despectat*. Hoc despectare mox interpretans subiungit, *sed spectat*, &c. Par deinde felicitas illius criticæ tuæ. Eadem, inquis, medicina facienda epigrammati LXIV. lib. XI. *Spectas nos Philomuse cum lauamur*, & legendum, *despectas*. Atqui prouocabulum ibi, *nos*, deleri neutiquam potest. Tu ergo noua quadam artis metricæ ratione ex hendecasyllabis iam

dodecasyllabos deinceps facies hoc modo:

Despectas nos Philomuse cùm lauamur.

In causa denique commentationis tuæ Iberice loqui doces: saltim adiunxisses Latinis hoc esse, *monere salinam.*

XCVIII.

Artitus, vt locuti olim, es in restitutione versiculi hoc epigrammate primi. Nam est,

Dum clamant omnes, loqueris tu Nanole semper.

Tu reponis,

Dum clamant omnes, loqueris hinc Nanole tantum.

Ferulam lacessit correctio illa.

IC.

Libertorum alienorum sublingriones.

Hic iam Radetus inter λειχοδίδακας, vt *Quis sumpserit,* inquis, *ex Petro Nannio, suppresso eius nomine.* Sed Ramiresi, *non soles respicere te cùm dicis iniustè alteri.* Valerius quidem rectè auaritiam quasi chiragram esse vult, quali vsus comparatione Aurelius Prudentius in coronis, hymno x. Frustra verò illi sunt qui cheragram potiùs hoc epigrammate & alijs, quàm chiragram legunt, vt res tritissima.

C.

Irata nunc etiam tibi critica. Nam quod rectè est,

At tu sic quasi non foret relictum,

Sed raptum tibi centies, &c. ——— tu deprauans legis, *Sed partum &c. Alget,* inquis, *sententia. Quid enim est raptum tibi centies? Leuissima literarum transpositione restitue acumen suum Poëta, pro raptum lege, partum,* &c. Hæc tua critica est: sed alia Valerio mens. *Raptum* enim nunc & *relictum* opponere voluit, non autem vt epigrammate XLVII. lib. X. *partum & relictum.* Centies, inquit Poëta, tibi relictum est, & nihilominus sic esurire pergis, vt si centies habuisses, atque id tibi surreptum esset. Quippe non tam illi triparci & esuriones, quibus res *parta,* quam quibus res *rapta* siue surrepta. Sunt quidem minùs largi plerumque quibus partæ opes, quàm quibus relictæ res, vt rectè in Rhetoricis Aristoteles lib. II. sed etiam illi quibus raptæ siue surreptæ res minus largitores, quàm quibus partæ.

Illa etiam frustratio tua quod nigram monetam hoc epigrammate intelligi vis æream. inquit Poëta,

Nigra sordibus explices moneta.

Hic tu, *nigram,* inquis, *monetam æream appellat, & sordibus, dixit, quod ea moneta sordeat, &c.* Atqui Valerius ipse tibi monitor esse potuit. Sequitur enim mox de *plumbea selibra.* Explicat quid *nigra moneta,* videlicet, plumbea. Neque æs, sed plumbum nigrum dixeris. *Quadrantes* verò *plumbei* etiam epigrammate LXXIV. lib. X.

Centum merebor plumbeos die toto.

Et *plumbei nummi* Plauti Casina & Trinummo, Aliter plumbei nummi eiusdem Phasmate; videlicet non tam viles quam adulterini, vt & l. IX. D. de falsis *nummi stagnei & plumbei.*

Βαρέως ἔχω, ergo etiam illud *Romæ,* inquis, *non cudebatur plumbeus nummus, sed irrisoriè plumbeum adpellat æreum,* vt & lib. X. epigr. LXXIV. & Plauti Trinummo. Neque tibi facit quod pro re deteriore plumbeam poëta dixit tropicè, vt lib. X. epigram. XLIX. & XCIV. Neque tamen non etiam quadrantes æreí vt apud C. Plinium c. XIII. lib. XXXIV. sed ærei quadrantes fusi: plumbei cusi vt loco illo Phasmatis Plautinæ.

CI.

Hic si quid probi, de scrinijs vt & aliâs sæpe, Marcilij est vt de intellectu legis I. §. vlt. D. De obseq. par. præst. & de nutricio patre ac nutricia matre. De his enim Marcilius in Persij Sat. III. si quid autem

A adulterini hoc de loculis tuis est, vt quod sententiam epigrammatis adsecutus non es. Nec enim Afra mammas & tatas habet, quia patrem & matrem habet qui genuêre; patrem quoque & matrem qui aluêre, siue nutricios siue alerios, sed quod Afra illa, quasi pupa esset, mulieres paullò seniores, *mammas* vocaret, quasi matres: viros *tatas* quasi patres, vt de illa etiam pupam simulante vetula, est in epigrammate Græco.

Βάπτε δὲ τὰς τρίχας, καὶ λέγε πᾶσι τατᾶ.

Capillos tingito, & assiduum sit tibi in ore Tatá.

Quod etiam rectè Hadrianus Turnebus profert c. XXXIV. lib. XIIX.

CII. CIIJ. CIV.

Quasi Mercurius Sosiæ Plautino: sic tu Criticis nunc, *induciæ parumper fiant,* &c. Sed epigrammate CIV. versus est,

Dicebas nondum Scæuula factus eques.

B Tu autem, *placent,* inquis, *antiqui codices* Francisci Modij, qui vt ipse testatur epist. XXXIII. habent,

Dicebas nondum Scæuula iustus eques.

Sequitur ætiologia tua, Illud enim, *iustus,* inquis, *propriè dicitur de equite, qui iustam habet quadringentorum summam ad equestrem censum, epigr.* LXVII. *lib.* IV.

Vt posset domino plaudere iustus eques.

Hic etiam solens more tuo peccas in electione, & *similitudine quadam conturbatus non satis acutè, quæ sunt secernenda distinguis.* Quippe in epigrammate illo LXVII. rectè *iustus eques,* quia ibi Gauro illi erant trecenta, deerant centum, non vt esset eques, sed vt iustus eques, siue non optat nudè simpliciterque ordinem & censum equestrem, sed census equestris complementum. Quadringenta enim census eque-

C ster, vt C. Plinij epist. XIX. lib. I. Tua verò, aut quod tu videri voles, & ego facilè patior librarij manus *quadraginta* scripsit. Hoc autem epigrammate Scæuula necdum eques factus, sed plebs etiam tunc siue plebeius, optat decies. non cogitans de censu equestri eiusve complemento, sed illo *decies* tantum.

CV.

Multa verba tua de vno illo Valerij *indulgem patientiam flagello,* &c. neque tamen ad visionem poëtæ. Is enim hoc innuit, illa tigribus flagella non tolerabilia modò, sed & dulcia esse. Dulcedo significatur in verbo indulgendi. Nobis *indulgere est:* prisco autem scripturæ genere fuit indulcere. Glossæ *Indulceo,* ἐγγλυκαίνω.

CVI.

Argutè Valerius de Nomentano vino.

Et quicquid voluit, testa vocatur anus.

D Tu refers ad titulos siue pittacia inscripta nominibus Coss. & amphoris addita, censesque poëtam hoc dicere. Nomentano vino postquam vetus vetustum factum fuerit, posse adscribi. *Opimianum vinum,* vel *Falernum annorum centum,* &c. Aliud Poëta vult, Nempe cuiusuis generosissimi vini nomine, vinum illud indigetari posse vt vel Falernum voces, vel Calenum, vel Massicum, &c. Nullo enim deterius esse. Non igitur ad pittacia illa, & vini ætatem, sed nominationes eius Poëta respexit.

CVII.

Controuersiola est tua, *dilutum* vt vulgo est, *an lymphatum* vt Fr. Modius voluit *Falernum,* rectius hoc epigrammate. Sed cicum non interduim. Neque verò vt tu metuis obstat poëticum illud nimis vinum lymphatum, nec enim minus poëticum est, *ingulare dolorem.*

CVIII.

De iuuandi verbo scripsisse ais ad epigramma XIII.

Scripsisti fateor, sed mea ibi spongia deletilis tibi A non defuit.

CIX.

Velitaris honori Valerij, & vis non tam ei malè fuisse, vt habitaret in cœnaculis. χῆρος ἐπὶ χήρῳ. *Nugæ cumulata nugis*. Neque sat euoluis qui sint *togati* hoc epigrammate. Togati Valerio sunt salutatores, de quibus dixi ad epigramma LVI.

Etiam cassa illa tua quæstio de variante lectione *serius* ne an *sæpius* melior. Etenim *sæpius* illud nihilo magis huc facit, quàm succus sepiæ.

CX.

Omnes hic commentationes tuæ mera folia farfari, meræ muscarum imagines. In somnis nempe tu homo vidisti passerem Catulli, Stellæ columbam, Papinij psittacum, postridie in commentaria illos tua, vt in caueam inclusisti. Quid enim à sensu Poëtæ longius, quam ita comminisci, quod ait Poëta Issam catellam nequiorem passere Catulli esse, hoc eo pertinere, vt intelligi velit, suum de Issa epigramma esse melius epigrammate Catulli de passere Lesbiæ? Vbi & blenna illa ratio est tua. *Nam*, inquis, *si de naturali passere loqui vellet, non Catulli sed Lesbiæ passerem diceret*.

Eiusdem quoque illud ingenij, cum Issam Catellam Poëta puriorem esse ait osculo columbæ, suspicari id eo dictum à Poëta vt significet suum de Issa epigramma esse purius poëmate Stellæ de columba Violantillæ. Vbi etiam rosa illa spirat mirificæ Latinitatis, cum ais. *Nam & artificium in hoc subaleo Poëta*, &c. pro, *suboleo mihi*, aut agnoscere videor, aut subodorari. Sed valeant rosæ tuæ. Non enim semel tu homo ludibrium Prisciano debes.

Adfers mox eiusdem farinæ problemata duo ingeniosissima. Cur nullam psittaci mentionem Poëta fecerit, & cur Papinium, *magnum*, vt inquis, *Poëtam* Valerius in libris suis tacitum præterierit? Deinde. *Vellem*, inquis, *ab aliquo docto viro, huius rei causam doceri*, &c. Nunquam ergo disces causam illam Ramiresi. Tuo enim suffragio, phœnix tu hodie, neque rara, sed vnica in hoc critico regno auis es. Itaque iocaris tu quidem credo, cum te doceri velle ais. Quid enim est, quod tu ea ingenij magnitudine, doctrinæ copia, omnium literarum thesauris & supellectile homo, aut nescias, aut non vltro ipse melius reperire possis, quam quisquam illorum, qui hodie docti audiunt? Sed seriò quidem, non magna in re magnam quæstionem & puluerem multum moues, siue vt anus comica illa *magno conatu magnas nugas agis*. Atqui ego qui *non sum de magna professis*, neque primum in orchestra locum adfecto, sed qui bene prouenisse puto, si mihi in equestribus, aut etiam circulo siue cauea loci tantillum, hanc tibi facilè dubitationem exemero. Nihil ad Papinij psittacum Issa Valerij, quia neque Papinij psittacus ad Valerij Issam. Habes ad prius tuum problema. De Papinio autem ipso nihil Martialis, quia minimè anathematicus poëta Papinius. Itaque nec æmulus Papinio Valerius, quippe poëta cui laus in genere longè diuerso. Et quia nullus hic zelotypiæ siue obtrectationi locus, ideo ne mentionem quidem aliquam de poëta illo iaciendi occasio Martiali. Hoc ad posterius tuum problema. Verum sat scio, non satis hæc tibi factura, quis enim limatissimo illi tuo iudicio fecerit satis? sed etiam illud scio, satis an minus tibi fecero, me nihili pendere. Instabis tamen & quæres, cur ergo de alijs plerisque poëtis ne illis quidem anathematicis non tacuit? Quia hi vel conterranei eius, vel alia occasione aliqua in stilum eius incurrêre.

Porro cum ait poëta. Sentit *tristitiamque gaudiumque* putas catellam gaudere & tristari cum hero suo Publio læto aut tristi, & ratio tua eccilla. Nam alioqui Issa catella non excelleret cæteris catellis, vt pote quib. etiam ipsis sensus gaudij & tristitiæ. Sed poëtæ alia mens. Issa tristitiam & gaudium sentit more pœnè humano, siuè quasi cum vestigio aliquo rationis. vt & ante, *Hanc tu si queritur loqui putabis*, &c. facta comparatione ad hominem.

Rursus autem critica tua optio infelix. Nam quod ait Poëta, *Collo nixa cubat*, &c. Francisc. Modius epist. XXXIII. correxit, *Collo nexa cubat*, &c. Hic tu, *Placet*, inquis, *Franc. Modius qui legit*, &c. Sed *nexus* ille in molossum aliquem magis, quàm Issam Catellam conuenit, & mali ominis est: at nixa collo Issa, quasi collecta in orbem & corpore in caput nixo, quasi puella brachio aut latere.

B

CXI. CXII. CXIII. CXIV. CXV.

Hic iam quasi alternis, caui menses Lunares, plenos facerem ego si interpres Valerij, quam tuus monitor esse vellem, siue vt tu dixeris, mallem.

CXVI.

Mirum te illa ingenij tui acie, & quasi Lyncei geminum germanum, videre nequisse turbationem versuum. hoc epigrammate. Nam qui ordine nunc sextus est, quartus esse debuit, hoc modo.

Quædam me cupit inuide Procille
Toto candidior puella cygno,
Argento, niue, lilio, ligustro.
Iam suspendia saua cogitabis:
Sed quandam, &c.

C Hinc ergo & iudicij tui perspicuus error, cum *cogitabas* mauis, quàm vt est, *cogitabis*. At idem tu illud rectè, *viues*. pro, *viuis*. *Rectè* hoc tuum est ὡς ἐπὶ πὸ πολὺ χρηστόμενον, siue vt scholasticè dixeris, de rarò contingentibus.

Fugit præterea illud quoque aciem tuam acutissimam, malè scriptum vulgò esse,

Toto candidior puella cycno.

Poëtæ manum fuisse, *Loto candidior*, &c. vt candoris augeatur intentio, & sit puella candidior cycno etiam loto, siue qui ne leuissimo quidem puluere adspersus, aut spurcus à venere recenti. Tangere videtur velle poëta lotionem cycnorum, & purificationem, siue expiationem, siue lustrationem post libidinem eamque opponere lotioni aquariolorum, de quo ritu cygnorum aliarumque eiusmodi auium Physici. Hic tu autem fortè aliquid de olore ab ὅλος, D siue quasi ὅλος λευκός. atque id genus alijs Grammaticastrarum nænijs, argutari voles, sed caducus ille paries tibi futurus est. Vulgari tamen lectioni simile illud epigr. XXII. lib. IV.

Lucebat totis cùm tegeretur aquis, &c.

Sed non hoc agitur, neque tam dictionis, quàm acuminis causa, magis conueniens *loto*.

CXVII. CXVIII. CXIX.

Iterum caui menses, in CXIIX. tamen monendus es te frustra velificatum esse conterranei tui honori, vt & ante ad epigr. CIX.

AD M.

AD M. VALERII MARTIALIS LIB. II.

EPISTOLA.

AIT Poëta, siue mauis, nunc orator Valerius, ridiculum esse *togam inducere saltanti personæ.* Hic tu quanquam, vt adsoles multiloquus, tamen ad poëtæ sententiam penetrare non potuisti. *Per saltantem*, inquis, *personam, epigrammata intelligit, quæ plurimum ridicula sunt: Per togam epistolam vel prosphoneticam vel apologeticam quæ seria esse debet*, &c. Magis ad poëtæ saliuam dixisses. *Togam* tropicè prorsam siue solutam & liberam intelligi orationem: saltantem verò personam poëmata. Saltantur poëmata in vestibus scænicis: prorsa oratio habetur aut recitatur in toga. Dixeris in prætextis & togatis fabulis togas fuisse, & apud C. Plinium c. XLIIX. lib. VII. Stephanionem esse, qui primus togatus saltare instituit, &c. Sanè. Sed togæ illæ dictæ impropriè, siue togæ illæ mimicæ, consuti ex panniculis versi colorijs centones. Scenicæ nempe vestes ἐκ ῥακῶν πάνυ εὐτελῶν συγκεκομμένας, *Ex vilibus admodum pannis concisa.* Scripserat fortè Lucianus συγκεκροτημένας, id est, *consuta.* Noluere Quirites togam suam quæ nota propria ciuitatis, actionibus scænicis dehonestari.

Poterat iam epistola sic abire: verùm exercet nos critica tua. Corrigis enim loca L. Senecæ, vnum epist. VII. *Sed*, inquis, *latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit? vt suspendatur, occidit hominem: quia occidit, ille meruit vt hoc pateretur, tu quid meruisti miser vt hoc spectes? Occide, vre, verbera*, &c. Tu quid fers Ramiresi? *Ego*, inquis, *sic lego locum illum malè acceptũ ab operis typographis. Si latrocinium fecit aliquis, si occidit hominem, ille meruit vt hoc pateretur. Tu quid meruisti miser vt hoc spectes? occide, vre, verbera*, &c. Per fidem, Ramiresi, tueri hoc an iugulare Senecam est? Illud quidem, *vt suspendatur*, I. Lipsius mallet, *vt sic perdatur.* Sed modestè quasi συζητῶν *fortasse*, inquit. Sed profectò L. Seneca voluit, *vt suspendatur*, videlicet in cruce defixa in arena, vt Laureolus sup. in spectaculis epigram. VII. Quod autem est, *vt hoc spectes?* melius in membranis est, *vt hoc spectares?*

Videamus alteram correctionem tuam superiori geminam germanam. L. Seneca epist. XXXVII. *Eadem*, inquit, *honestissimi huius, & turpissimi auctoramenti verba, vri, vinciri, ferroque necari.* &c. *Emendo*, inquis, *vri virgis ferroque necari.* Nam hæc verba per parodiam desumta sunt ab Horatio lib. II. serm. satyra VII.

Quid refert vri virgis, ferroque necari:
Auctoratus eas, aut turpi clausus in arca?

Sed diceret tibi L. Seneca, ego illud, *vinciri*, volui. Nam & epistola LXXI. dixi, *Quid miraris, si vri, occidi, alligari iuuat?* Neque aliter quàm Seneca etiam Petronius. *In verba*, inquit, *Eumolpi sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferroque necari, tanquam legitimi gladiatores*, &c. Quæ loca rectè ad epist. XXXVII Iustus Lipsius protulit, & nullum censuit mutationi locum esse. Quanquam olim ipse Saturnal. c. V. l. III. pro *vinciri*, repositum voluisset *virgari*. Quid ergo est, inquies, L. Senecæ & Petronio *vinciri*? Idem quod virgari, siue vri virgis, virgis nempe vinciri, vt Plaut.

A Rud. *Quasi murteta iuncis item ego vos virgis circumuinciam.* Bene itaque Petronius loco antedicto iunxit *vinciri*, & *verberari*, vinciri, nempe virgis: *verberari* fustibus.

Nec verò illos Horatij versus legisti emendatè; Nam Horat. voluit,

Quid refert virgis vri, ferroque necari
Auctoratum eas, an turpi clausus in arca, &c.

Sequitur deinde in Valerij epistola. *Ego inter illos sedeo, qui protinus exclamant*, &c. perinde vt si diceret. Non placet mihi epistola contra obtrectatores, vt neque mirmyllo mihi placeret, qui cum ferula prodiret aduersus retiarium, sed reclamarem protinus. Vt parum in ferula aduersus retiarium, sic parum in epistola aduersus æmulos & obtrectatores præsidij est. Tu longè alia, longè aliena, longéque contraria menti Poëtæ, & tum verbis ineleganter:
|| tum sensu ipso perabsurdè.

Ne illud quidem, *Quid si scias*, &c. capere potuisti. Mens enim Valerij est. Longiorem tibi volui epistolam facere, & quidem si scires quanta eam volui esse longitudine, tum etiam magis hæc taliaque diceres, videlicet importunè misceri epistolas operi epigrammatum.

EPIGRAMMA I.

Qui epigrammatis huiusce versus quintus est,

Deinde quod hæc vna peragit librarius hora.

Libri manu exarati habent, *peraget*, &c. Sic enim & versu sequente est, *seruiet.*

De *quincunce* autem *misto*, ea scit Ramiresius etiam quæ nescit. Nam *miscere* putat, & de mero dici, idemque *merum* & *mixtum* esse, & profert epigr. VII. lib.
C IIX. vbi *merum* dicitur *misceri in scypho*, & epig. CIIX. lib. XIII. vbi misceri dicitur, *merum*: sed ijs locis *merum miscere*, nihil aliud quàm vinum miscere. Miscebatur autem vinum in cratere vt Homeri Iliade IX. Virgil. Æneide I. & VII. Tibulli Eleg. vlt. lib. III. Horat. oda XX. lib. I. Athenæi lib. III. Hanc mixturam Martialis figuratè transtulit ad scyphum, quia dum ex cratere fusum ministratur scypho, & mixtum datur, etiam misceri videtur, quod Homericè κρύαντο ἀπὸ κρητῆρος, vt Iliade I. Hoc itaque vnum mixturæ genus antiquum fieri solitum aqua frigida in cratere: alterum est aqua calida fieri solitum in calycibus ipsis, ne si ex cratera ministraretur, ante frigesceret, in quo genere hic *quinqunx mistus.* Ad prius illud genus refer incitegam, de qua Festus, vbi tu de Scaligeri scrinijs diues. Neque tamen etiam illo præeunte, sapere potuisti semitam tibi ad discrimen vtriusque mixturæ. Interim verò etiam Petrum Ciaconiũ
D vellicas, virum vt tutemet ei testimonium dicis ad spectacula epigr. XXII. *cum quo nullus*, sic enim tua ibi Latinitas, *seculi nostri mortalis comparandus*, &c. Tamen, vt dixi, vellicas ita incomparabilem, & quidem συμπαίκτην tuum siue vt dixere olim, *concinem*, & quasi *cornix cornici oculos configis.*

II.

Ne te fallat Raderus, inquis, *qui suo more fallitur.* Satis non visum illud, *Ne te fallat*, nisi & adlineres succum illum loliginis atræ, *Qui suo more fallitur.* Pergis deinde longissimis logis agitare quæstionem, cur cognomentum Germanici, Valerius statuat nobilius esse, quàm aut Cretici aut Africani: postremo, sic, inquis, *soluo nodum*, &c. Nobilius, inquit cognomentũ Germanici esse non quia maioris dignitatis & auctoritatis, sed quia notius: siue *nobilius* nunc Valerio esse quod notius. Notius autem esse cognomen-

tum Germanici, quia vnus alterve Africanus Scipio: A vnus Creticus, Metellus. At Germanici multi, Drusus, Germanicus Drusi filius, Nero, Galba, Otho, Vespasiani tres, &c. Hæc tua sapientia est. Atqui sic minuis tu laudem huius cognomenti, quam Poëta augere & amplificare vult. Planè itaque nobilius cognomentum Germanici est, siue tantò ad laudem & gloriam illustrius quàm aut Cretici cognomentum, aut Africani, quantò maius est Germanos ὄζοις Ἄρεος vicisse, quàm aut Cretenses γαστέρας ἀργὰς aut *discinctos Afros*. Sic itaque crescit collatio. Magnum & nobile Cretici cognomentum, maius siue nobilius Africani, maximum siue nobilissimum Germanici. Et tamen Cretici & Africani Metello & Scipionibus? iam viris contigêre: Germanici cognomentum Domitiano contigit etiam puero. Nec verò dubito quin Critici te *risuri albis dentibus*, cum illud tuum legent, *Germania præ Africa angulus quidam est ignobilis*, &c. Quippe ni, cum de bello hic B & victorijs, non de voluptatibus, diuitijs & vitijs agatur. Atqui iam tunc Germania, officina Martis: Africa Mercurij & Veneris. Sed alijs hæc declamatio integra esto, quibus etiam tuos φιλομούσους confricandos relinquo.

Ventres pigros.

Altera deinde Valerij comparatio est, fratri Tito anteponentis Domitianum. Tito enim triumphus Iudaïcus cum patre communis, & quasi diuiduus: ex Cattis Germaniæ populis triumphus, totus & proprius Domitiani est.

Hic tu abire non potuisti nisi antè dimisso in Lipsium & Heraldum aculeo. Lipsium mordes ac pungis. quia corrigit, *Quæ datur ex Cattis*, &c. Atqui iustissima illa Iusti correctio est. Nam quia ex triumpho de Cattis non traxit Domitianus cognomentum C triumphale proprium Cattici, sed commune Germanici: idcirco hunc triumphum argutè Valerius cum Iudaïco triumpho componit, quia neque ex illo triumpho cognomentum Vespasiano patri aut filio Tito fuit, Iudaïci. Nam vt apud Dionem est repudiauere cognomentum hoc vt infame: Domitianus autem cognomentum *Cattici* videtur accipere noluisse vt ignobile aut ridiculũ, quemadmodum magnus princeps Aurelianus Carpis populis deuictis *Carpicum* se dici noluit, apud Vopiscum.

Heraldi autem notas de laurea triumphali in Iouis gremio deponi solita, tu nihil facere huic loco existimas, sed apprimè facere, quiuis lector etiam de triuio viderit.

III.

Ne huiusce quidem epigrammatis iocum ex iure D ciuili sumptum, qualis esset, vidisti tu tantus iuris antistes. Atqui patet l. vi. D. de dolo, ex eaque rectè Raderus.

IV. V. VI. VII.

Posuêre nunc paulisper venti aduersi ἀψιμαχιῶν tuarum, itaque & nos præteruehamur licet.

VIII.

Agens de versu epigrammatis huiusce illo,

Tunc ego te credam cordis habere nihil.

Aut ego, inquis. *nihil cordis habeo, aut hic versus non est à Martiale sic scriptus*, &c. Prius illud quiuis tibi concesserit facile: posterius negauerit. Etenim rescribillas,

Numne ego te credam cordis habere nihil?

Id est, inquis, *si dixeris me peccasse, te cordatum & sapientem iudicabo*, &c. Enimuero iam nequeo contineri. Tu homo videris iuratus ad euertenda Valerij sensa & iocos accessisse. Quippe ex *linea antica* pugnat interpretatio tua cum mente Valerij. Nec enim, vt tu consomnias, in seipse iocari, sed in lectorem voluit. Patet conclusione ipsa

——*sed tu non meliora facis.*

At finem epigrammatis non pessimè legis, sed neque optimè intelligis. Nempe

Ista tamen mala sunt. Quasi nos manifesta negemus,
Hæc mala sunt. sed tu non meliora facis.

Peccas tamen cum erotericè legis, *negemus*? Sed grauius peccas cùm interpretaris quasi dictum per lectoris personam ad Valerium. *Si manifestum*, inquis, *est, esse mala tua carmina, cur me stultũ appellas, quòd errores tuos non librario, sed tibi imputẽ?* &c. Atqui Valerij verbum illud est ad lectorem. Quasi verò, inquit, ego manifesta mala ita diffitear, aut potius vltrò non fatear. Cùm dixisset poëta errores illos librarij esse, instat lector & vrget, inquiens, immò non librarij, sed tua ista mala sunt siue peccata. Quasi verò, inquit Valerius, ego diffitear esse illa peccata siue mala mea, & non ioci causa dixerim esse librarij. Sed vtcunque res habet, siue mea illa siue librarij sunt, tu meliora non facis.

IX. X. XI.

Etiam hic feriæ paulisper & λογομαχιῶν quasi induciæ. Stribligines autem tuas in epigramma XI. alijs descobinandas libens volens relinquo.

XII. XIII. XIV. XV. XVI.

Pergis *Quietem colere tanquam salutarem Deam* vt loquitur Ammianus. Idque consilium tuum laudo. Nam cur tu sic identidem, *quaso apertes brachium?*

Non tu scis quantum isti morbo tute nunc facias mali.

Sed ad epigramma XVI. gliscunt ecce iterum prælia, sed casca tamen & antiquorum hominum, stulta enim dicere mihi religio est. Vetera, inquam illa, & quæ non vnus iam,

Ad Troiam pro caris gesseris Argis.

Videlicet de l. XLV. D. De verbor. signif. adfers ea quib. nulla vsquam puerorum nænia decantatior est, & tamen ita insolescis. *Raderus ad Valla Lipsum labitur etiam, cæcorum more.* Mox de sindone agens. *Errat*, inquis, *more suo Raderus*, &c. vbi & illud doces sindonem Sabana non esse, siue vt tuas elegantias imiter, *Sabanas*. Quis nisi te præmonstrante, mortalis hoc scire potuisset?

Sequitur deinceps in epigrammate illud. *Quid torus a Nilo, quid sindone tinctus olenti?* Nascitur hic tibi quæstio illa. *Sed dices*, inquis, *quid commune habet sindon, amictoria vestis cum decumbente in lecto?* *Soluo*, inquis, *nodum, quem quæris in scirpo. Vestes quib. ornabãtur, solebant in lecto super stragula sternere, pauperes togulas: diuites vero & delicati sindones purpureas & vestes alias*, &c. Pauca verba tua, multa peccata. Nam neque ex sindone solum vestes amictoriæ, vt tu ex glossematicis tuis lexicisque suspicaris, sed etiam toralia quibus tori tecti, deque his nunc Valerius. De lectulorum tricliniarium toralib. narrare plura nunc operæ non est, tu Marcilium vide sic ad Horat. Sat. IV. lib. II. Mihi hæc iam longa historia esset, properanti, & quam primum me ex rancidis tuis hypomnematis euoluere cupienti. Veruntamen ex his quæ dixi patescit, cuiusmodi critica illa tua, cum inquis, *Tinctus substantiuum nomen. id est, tinctura. Est enim hypallage, tinctus olenti sindone, id est sindon olenti tinctu. Erat autẽ dibapha vestis, id est, bis tincta murice, quæ grauiter olebat ex tinctura purpuræ.* Sic lib. I. Epigr. L. *olidaque vestes murice*, &c. Sed quid te balbutientem diutius moror? apage te, nihil opus nomine tuo substantiuo & hypallagis. Intelligi Poëta vult. Quid faciet torus Niliacus siue Ægyptius? quid to-

rus ille idem cinctus sindone olenti, id est, circumdatus torali ex sindone Tyria? Id verò summarum deliciarum, vt Lampridij Gabalus siue Auitus *primus omnium priuatorum, toros aureis toralibus texit*, &c. At vulgo lintea toralia ad custodiam vestis stragulæ purpureæ, siue purpuræ qua torus instratus. Nisi tu non luscitiosus sed planè cæcus es, loco illo Marcilij quem tibi ostendi, videbis. Ægyptij autem siue Niliaci tori tunc in pretio, vt & lectuli Milesij & Siculi, & ceruicalia Sicula Athenæi lib. I. & sequente. Vulgò imperitorum idem est lectulus & torus, vnde & tibi caligo illa, vel nox intempesta potius hoc epigrammate. Est verò lectus κλίνη, torus στρωμνὴ, in toro stragula vestis, eaque cincta siue circumdata torali. Venio ad illud commentum tuum, solitos pauperes olim vestes *amictorias in lecto super stragula sternere: diuites & delicatos vestes amictorias purpureas è sindone*, &c. B Purum putum hoc quidem ægri somnium. Profers tamen illud ex epigrammate LVII. lib. XI. de paupere Cheræmone.

Et breuis atque eadem nocte dieque toga, &c.

Atqui non ille mos insternendi togulam, sed in togula cubandi vt & epigramm. LV. lib. III.

Cerea quem nudi tegit vxor abolla grabati.

Qui versus tibi tam herclè intellectus quàm si scriptus non esset, vt infra videndi locus. Diuitibus autem in more positum fuisse insternendi toro vestes amictorias, necquicquam docere hoc epigrammatis huiusce versu niteris, vt & versu illo ex epigram. LVII. lib. XI.

Constringitque tuos purpura texta toros.

Vbi, inquis, *pro texta, togam intellige prætextam.* Eu crudum, catum callidumque interpretem. Sic & prorsus abs re versum profers ex epigr. LXIII. lib. IX.

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte vtitur & die Philænis.

C Quippe intelligi poëta vult, *nocte* vestibus stragulis, *die* togis & tunicis. Ne tu Ramiresi, mirificam rei Romanæ vestiariæ peritiam nactus es, qui togas putes fuisse textas, stragulas vestes non fuisse. Non minùs bardè illum ex Iuuenal. sat. VI. versum promis

——tunc corpore sano
Aduocat Archigenem, onerosaque pallia iactat.

Nec vides pallium ibi esse, pallium περίστρωμα. Profertes fortè ex Petronio Encolpium *opertum amiculo*, &c. aut id genus alias nugas, sed crede, actum ages.

Pergis autem mox de pallijs cupressum adpingere, & triumphas quoque insuper, aut potius vt Tertylliani verbo dicam, *detriumphas. Vnde*, inquis, *soluo difficillimum nodum in l. xxiij. §. 1. D. de auro arg. leg. qui nodus difficultate sua deterruit, doctissimos quoque viros, coegitque dissimulare*, &c. Et quis tandem sacer ille & horribilis nodus? Quia, inquis, pallia fœminarum esse ait Vlpianus d. l. XXIII. eadem mox fatetur etiam D virorum pallia esse. Tum sequitur solutio tua. *Ego*, inquis, *me sic expedio*, &c. Nempe ais pallia & virorum & fœminarum fuisse, *sed diuersa figura*. Dixisses melius, sed non sine aliquo discrimine. Qui autem illi doctissimi viri qui ad nodum illũ tuum Gordium obstupuêre, aut qui nesciuêre & viriles & muliebres fuisse togas, & penulas, communia item pallia, vt Æliani Varijs c. IX. & sequente lib. VII. Et apud Laërt. in Socrate, & passim. Non dissimulauere hunc nodum doctissimi, sed sciuêre nullum esse, neque arbitrati sunt, fortè vt veniret Ramiresius aliquis, nodum hîc in scirpo quæsiturus.

XVII.

Radere dixit Valerius eo significatu quo *glubere*. Catullus epigram. in Lesbiam. Et *deglupitam* Plautus A Patruo. *Radit* nempe τρίβει τὰ γένεια.

XVIIII. XIX. XX. XXI.

Hypomnemate XXI. ais, solis Imperatoribus fas fuisse manum dare osculandam, & tamen hoc ipsum eis inuidiæ fuisse. Atqui cum discrimine dictum oportuit. Duplex Romæ osculorum ius fuisse, vnum ingenuum, osculandi nempe os aut oculos, aut collum: alterum seruile, osculandi manum. Epictetus Arriani c. XIX. agens de Felicione albæ gallinæ filio, πάντες, inquit, οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται, ἄλλος εἰς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον· οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας, *Omnes qui fortè obuij facti, gratulantur, alius oculos, alius collum dissuauiatur: serui manus*, &c. Primus itaque Domitianus manum præbuit exosculandam ciuibus, quasi dominus seruis, Suetonij c. XII. Traianus hoc deinde mutauit, vt testis C. Plinius Panegyrico. Nihilominus tamen etiam priuatorum dextras osculis adpetiuere, qui se illis quasi seruos ἐν ὑποτάξει declarare vellent. Hinc illud L. Senecæ epist. XLVII. *Hos* (delicatos videlicet) *ego eosdem deprehendam alienorum seruorum osculantes manum*, &c. Et in literis sacris, vt Panareti c. XXIX. de cupiente pecuniam accipere fenori. Ἕως οὗ λάβῃ, καταφιλήσει χεῖρας αὐτοῦ, *Donec accipiat osculabitur manum eius*, &c. Etiam in magni amoris & amicitiæ significatione, dextris amicorum oscula impressere, vt Apollonij Argonaut. lib. I. καί μιν δεξιτερῆς χειρὸς κύσεν.

Quid autem putidius quàm ex Horatij epist. VI. illud *——trans pondera dextram*
Porrigere, &c.

Sic interpretari, vt cùm ais, *Trans pondera, intelligo de his qui vel carnes vel pisces, vel aliud quid quod ponderaretur, populo vendebant: qui erant trans pondera, hoc est, trans lances & stateras sedentes, quibus magnì* C *illi Senatôres qui prensabant, admoniti à nomenclatoribus dextras porrigebant*, &c. Saltem de foro & argentarijs cogitauisses aliquid nitidiusculè, non ita magiricè de macello, de piscatoribus & lanijs. Quasi verò aut tam multi aut tam gratiosi Romæ piscatores & lanij, vt eorum suffragia plurimum in comitijs valerent. Verisimilius iam olim alij interpretati locum illum.

XXII. XXIII.

Etiam hic feriæ paulisper, vnum illud docendus es. Postumum à te scribi vitiosè, *Posthumum*, quæ iampridem explosa βλακογραφία est.

XXIV.

Actio iniuriarum datur, *Si quis ad inuidiam alicuius veste lugubri vtatur aut squalida, aut si barbam demittat, vel capillos submittat*, &c. l. XV. §. XXVII. D. de iniur. De huiusmodi iniuria M. Seneca Controuers. D lib. X. Sidonius Apollinar. epist. VII. lib. I. Sed si quis ita reo coniunctus est adfinitate, vt inuitus in reum testimonium dicere cogi non possit, non facit iniuriam accusatori, si cum reo vestem mutauerit, & sordidatus in publico fuerit, siue vt loquitur l. XXXIX. D. eod. *Si vestem sordidam rei nomine in publico habuerit, capillumve summiserit*, &c. Nimirum d. l. XXXIX. exceptio est regulæ illius d. l. XV. §. XXVII. iniuriarum actionem esse aduersus eum qui sordidatus cum reo fuerit, vt accusatori faceret inuidiam & infamiam. Etenim sic adfinitate coniunctos, non videri tam vt inuidiam conflarent accusatori aut infamiã, id fecisse quàm adductos officio & pietate. Tractauit hâc exceptionem Venuleius lib. I. Publicorum iudicior. ex quo d. l. XXXIX. ea scilicet occasione, quod non in priuatis, sed publicis iudicijs sordidati. Hinc itaque facere coniecturam licet, quid de indole

tua subolescente ad ciuilis sapientiæ laudem, spe præcipi possit, qui reprehendere ausus Tribunianum, quod d. l. xxxix. titulo de iniurijs adscripserit, *quia*, inquis, *nullum in lege illa verbum de iniuria*, &c. Nesciebat scilicet Tribunianus venturum Ramiresium, qui legem pertinere posse ad titulum de iniurijs nullam crederet, in qua non adscriptum esset verbum iniuriæ. Quid tu ais argutissime, siue mauis ἀλίζητε, cum Venuleius ait, *nulli licet*, ecquid parum apertè iniuriarum actionem tangit? Cur enim *nulli licet*? quia iniuria est, & in facientem datur iniuriarum actio.

Sed si bonus legiscrepa tu, etiam melior Grammatista es, nimirùm qui ne eos quidem solœcismos effugias, quos effugerent etiam pueruli, qui primis literis imbuuntur. Nam ecce verba tua ipsissima, quæ propter summam elegantiam adscripsi, *De verbo*, inquis, *annuendi, vide quas collexit Brissonius de formulis lib. 1. & quæ perperam fuisset hic transcribere*. &c. Pro superi, *collexit Brissonius*; quid pote latinius? Quidni enim vt neglexit, intellexit, ex Grammatica Ramiresiana dixeris quoque collexit? Deinde autem vide obsecro quam illud concinnum & elegans, *quas collexit, & quæ perperam est transcribere*. Sed abeamus à perperismis tuis, namque *operam celocem hanc tibi, non corbitam damus*.

XXV. XXVI. XXVII.

Lætor quoties ita quasi in fasciculum plura epigrãmata conijciendi facultas datur, quia mirificè cupio de nugarum tuarum nundinis exire. Neque tamen non etiam hic monendus es aliquid, vt cum epigram. xxvi. impingis rursus in errorem de formula, *rem factam habere*, quippe vt ostendi ad epigr. xxix. lib. 1. sic eam interpretatus es, vt *fractam haberes*.

Etiam illa ineptia tua cum quod bene est epigr. xxvii. *tace*, tu reponis, *tacet*.

XXVIII. XXIX.

Ad epigr. xxiix. oletum facis, & omnia impuritatum genera persequeris spurcissimè, quas forias tuas gargaridient. vt Varro diceret, quibus Cypriæ bonis merenda in delicijs esse potest.

Epigrammate autem xxix. suspicatus Heraldus sic legendum,

Cuique hesterna sedet lunata lingula planta,
Coccina cui læsum cingit aluta pedem.

A lectione illa tu discedis, eaque comminisceris, quæ neque cœlum, aiunt, neque terram. Atqui planissimè Valerius cum huiusce Rufi delicias omnes percensere vellet, ne de calceis quidem eius lunatis, & coccineis reticere voluit, *læsumque pedem* cum dicit, loripedem notat. Sequitur verò ad extremum etiam de splenijs, quæ Rufus ille videri voluit deliciarum causa vsurpare: Valerius contra his occultari notas seruiles, & Rufum illum stigmatiam esse, ὧν καταφωρᾶς ἐλθῆναι. Ergo si quis ei splenia illa demserit, fore vt totum illud senatoriæ dignitatis choragium, repente Ruso in risum & opprobrium vertatur.

Ridiculè deinde, quia tu nescis, etiam mortales omnes hodie nescire censes, quid Petronius intelligi velit, cum ait, *notum fugitiuorum epigramma*. Nec enim persuadere tibi potes, neque fas esse ducis, quenquam scire quod tu nescias. Atqui fas esse puta, & desine obsecro te, verbis Themistij dicam ἄγασθαι καὶ ὑπεράγασθαι ἀγχίνοιάν τε σεαυτοῦ καὶ ὀξύτητα, καὶ εὐμάθειαν, καὶ πολυμάθειαν καὶ μνήμην, &c. *Mirari & plusquam mirari tuã ipse sagacitatem & acumen, & docilitatem & multiplicem doctrinam, & memoriam*, &c. Quippe vt sapienter Fulgentius. *Primum scientiæ vestibulum est, Scire quod nescias*, &c. Id est scire te nescire. Etenim vide quàm

A pueriliter epigramma Petronio esse putes versuum aliquam inscriptionem, vt cum Valerij epigramma dicimus, cum tamen *Epigramma fugitiuorum* Petronius intelligi velit fugitiui nomen fronti inscriptum. Quippe vt furis epigramma tres literæ siue F V R: sic fugitiui epigramma ix. literæ siue FVGITIVVS, rectèque vt furem Plautus trium literarum hominem: sic fugitiuum nouem literarum dixeris.

Sequitur de *fronte stellante*, quam tu auctoritate Iusti Lipsij in *frontem stillantem* vertisti: & Francisc. Iuretus cum ad Symmachi epist. xi. lib. III. editione priore, *frontem stellantem* rectè legisset, posteriore deleuit hanc *frontem stellantem*, non ausus videlicet abire longius à Iusto Lipsio. *Tantum opinio præiudicata potuit, vt etiam sine ratione valeret auctoritas*. Sed *reputemus* quæso *rem recta via*. Qui potuisset Rufus ille in delicijs tantis perpeti frontem suam *stillare*, quod & B patienti molestum & spectanti fœdum? aut quis existimet illos qui splenia conficerent tam fuisse mentibus arietinis, vt vnguentum illud densare nescierint, & tollere stillationis deformitatem? Sed ita profectò est criticum acumen non sese minus sæpe, quàm alios compũgit. At Valerius intelligi voluit, frontem splenijs stellare, vt res pingues ac liquidæ in luce ac solis radio ita splendescunt, vt stellare videantur, vt & in rebus nitentibus accidit. vnde Ammian. Marcellin. lib. xix. arma stellare dixit. *Armis*, inquit, *stellantibus coruscabant*. Et Ouidius Fabular. lib. 1. *Stellantes gemmas* dixit. Denique natant exempla omnibus auctorum paginis.

XXX. XXXI.

Ad epigramma xxx. vapulat Agricola, ad xxxi. Robertus Titius: ille in re proletaria, hic in obscœna. Itaque restet sanè hoc vt alia non pauca, post meam messem, spicilegium.

C XXXII. XXXIII. XXXIV.

Nulla hic monitori, plurima interpreti seges. Epigramma quidem xxxiv. sine gloriæ tuæ bulla, transire non potuit. Nam versum illum.

Perpetuam Di te faciant Philerotis amicam.

Non video, inquis, *ab aliquo huc vsque intellectum, intactum video à plerisque. Ego sic intelligo vt optet Martialis eam quàm primum mori*, &c. Verum aliquis hactenus intellexerit nescio.

Οὐκ ἔμελέ μοι ταῦτα μεταλλῆσαι καὶ ἐρέσθαι.

Nulla mihi fuit hæc scrutari & quærere cura:

Te quidem prorsus nescisse scio. Nam hebete acumine tuo, *perpetuam* interpretaris *mortuam*, idque plaustris verborum explicas: poëtæ verò longè alia mens. Optat nempe huic Gallæ, vt *perpetua sit Philerotis amica*, id est egens & misera. Etenim bona sua omnia, siue dotem vniuersam, nulla eius parte recepta, Philerori suo consignauerat. Nihil itaque reliquum Gallæ, vnde vel seipsa vel tres ex priore matrimonio natos, aleret, nihil videlicet dante Philerote, nihil possidente Galla. Hinc illud.

Tres pateris natos Galla perire fame,

Itaque Poëta intelligi vult dignam esse mulierem illam, quæ quàm diuitissimè Philerotis vxor sit, hoc est egens ac misera, neque vllo diuortio liberetur. Sic apud D. Gregorium P. P. epist. xi. lib. ix. Theodora mater cum resculas suas omnes donasset filio propter nuptias, ipsa eguit, filio negante ei alimenta. Sapiens de huiusmodi donationibus præceptum in literis sacris Panaretic. xxxiii.

XXXV. XXXVI.

Hæc etiam quasi fora transitoria sunt. Remora tamen aliqua est. Nam epigr. xxxvi. versus est.

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos.

Hic tu *mallem*, inquis, *flectere*. *Nam pexus non est ni-*

inius in homine cultus, flexus verò feminarum est, vel virorum mollium, &c. Hæc tua Critica est, quàm spectemus quæso paulisper. Principio, *in homine* dicis, pro, in viro, & quis tibi sic loquendi auctor & fundus est? Cicero, inquies, vbi loci? in Consolatione, inquis, de morte Tulliæ. ὅτι καλὸς τὸ σῶμα. Ramiresius Pseudociceronem. Deinde vt vincas *pectere capillos* non esse parum virile, sed *flectere*, versum Valerij profers ex epigr. LXII. lib. III.

Bellus homo est flexos, qui dirigit ordine crines.

Sic enim perperam scribis pro, *digerit*. Sed vt fatear epigrammate illo *flexos crines* memorari, non iccirco vinces etiam hoc epigrammate rectum esse, *flectere*. Etenim *pectere capillos* & *turbare*, oppositæ res hoc epigrammate. Solent autem turbati capilli non flexis, sed pexis opponi. Etenim pexos capillos intelligi voluere, non nudè simpliciterque pectine perstrictos, sed pectine compositos ad elegantiam & venustatem, vt patet Fabij c. III. lib. XI. vbi opponuntur comis turbatis compositæ, id est pexæ. Sic pexi capilli delicatorum apud Ciceron. II. in Catilinam. *Quos*, inquit, *pexo capello nitidos videtis*, &c. An & ibi rescribilles, *Quos flexo?* &c. Sic & Horatianus Paris Oda XV. lib. II. *Cæsariem pectis*. Elegantes nempe ac delicati quotidie pexi, ceteri diebus festis vt Tibulli Eleg. V. lib. II. Persij Sat. I. Sic itaque *pectine crines componere* intelligens Ælius Spartianus de Hadriano dixit, *flexo*, eum fuisse *ad pectinem capillo*. *Statura*, inquit, *fuit procerus, forma comtus, flexo ad pectinem capillo*, &c. Qui locus, si saperes, monere te potuit, ne aut nunc *pectere* mutares in *flectere*, neue *flexos ad pectinem capillos*. Hadriani, putares non differre, à capillis qui flexi calamistris, siue acubus, siue qui calamistrati. Glossæ Isidori, *Acus, calamistratorium*. Atqui hæ flexuræ non mediocriter differunt, Flexura enim ad pectinem elegantium est, vt Hadriani loco antedicto: flexura calamistris, mollium, vt *Carmenionis* apud Valerium epigr. LXV. lib. X. *Cotili* epigr. LXII. lib. III. quæ tu loca malè profers ad hoc epigr. Accipe verò & aliud discrimen. Flexi ad pectinem capilli, sine crispatione, flexi autem calamistris siue acubus, siue veruculis capilli, crispi. Itaque rectè in Glossis Philoxeni *Calamistrare*, ἀγκιστρίζειν & εἰς τὸ οὖλον συστρέφειν τὴν κόμην, Id est, *vncinare*, & *crispare comam*. Et Lucianus in Amoribus calamistros verbis suis pingens, ita rem eandem expressit σιδηρᾶ ὄργανα πυρὸς ἀμβλεῖ φλογὶ χλιανθέντα βίᾳ, τὴν ἕλικα τῶν βοστρύχων... Id est, *Ferrea instrumenta*, siue ferramenta, *quibus ignis leui & hebete flāma tepefactis, crispatur coma in cirros*, siue vt Mæcenas diceret, *cirro crispatur*, &c. Acro item & Porphyrio ad Sat. II. lib. I. *calamistros*, inquiunt, *id est, verua in cinere calefacere, quibus matronæ capillos crispabant*, &c. Calamistri nempe quasi verucula erant siue ὀβελίσκοι.

Ad summam triplex capillorum genus, flexi ad pectinem siue pexi, flexi calamistris, & turbati. Primum genus elegantiæ, alterum mollitiei, tertium sine elegantia & venustate, non autem vt tu ineptis, *ferarum moris & alieni ab hominis*, sic enim loqueris, *humanitate*, &c. videlicet quasi duplex humanitas, vna ferarum, altera hominum.

Ad extremum laudas correctionem illam, qua, cum apud Arnobium esset, lib. II. *Nec in formas erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem*, &c. rescripsere, *Nec ijs formis*, &c. & formis accepère calidis. Sed melius qui legunt, *Nec in formis*, &c. Tu verò quæ tua est λογιότης, identidem vitiosè *fornis* & *fornum*, & *fornucapes*, & *fornipes*, & *forna*: pro *formis*, *formum*, *formicapes*, *formiceps*, *forma*, &c.

A

B

C

D

XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL.

In his omnibus tuis, Rhetorum figuræ locus est, quam præteritionem vocant, Forticulum tamen te facis, & Turnebo recalcitrare instituis, sed *contra stimulum calces*. Turnebus enim lib. XVII. c. XXIX. lib. XXIII. c. XXIV. versum illum huius epigrammatis, *Cæcuba siccentur*, &c. correxit. *Cæcuba saccentur*, &c. *Tu lectionem veterem ais velle retinere, ita vt siccentur, sit exhauriantur, & sit*, inquis, *hypallage, siccentur vina, id est, siccentur amphora Cæcubi vini & Opimiani*, &c. Sed tibi Hadrianus Turnebus responderit. Valerium agere de Tongilio febrim simulante, huic autem vinum saccatum aptius illo cui sacculus nihil demsit. Itaque duplicem à Valerio Tongilij gulam perstringi, vnam vinum adpetentem: alteram non cuicuimodi vinum, sed saccatum, quod summarum deliciarum est. Cumque Valerius sacci & parci vitri mentionem facit, decorum seruat in persona simulantis febrim.

XLI.

Falieris negans illud,

Ride si sapis, ô puella ride, &c. Ex epigrammate Ouidij aliquo esse, & ait nusquam *apparere Ouidij epigrammata*, dicere voluisti, *comparere*. Atqui comparent, consule Priapeiorum interpretes.

XLII.

Verbosissimè de solio, sed apertius omni tua historia, rem docet locus vnus alterve Marcelli Empirici, vt c. XXIII. &c. Festus in *Solia*, Glossæ, *Solium* ἐμβάτη & ἐμβάτης *Solium*. videlicet quia descenditur in soliū, vt apud Celsum, c. III. lib. IX. vbi agens de Archimede. *Casu*, inquit, *venit in balneum, ibique cum in soliū descenderet animaduertit quantum corporis sui in eo insideret, tantum aquæ extra solium effluere*, &c. cuius narratione patescet quam solida gloriola illa tua, neminem quæsisse, quæ sit *sella balnearis* in legato *mundi muliebris*, apud Paullum Sentent. tit. VI. lib. III. tuoque iudicio id solium esse. Nihil minus enim solium illud quam *sella balnearis*. Hæc enim magis iuxta solium, vt apud Petronium, *circa solium sedere*. Denique & alba linea quæ nullum discrimen facit in albo pariete, censes eandem esse rem, *solium*, *sellam balnearem* apud Paullum, & *lauationem*, l. XXV. §. 10. D. De auro arg. leg. Atqui lauatio illa est lauacrum, siue Oceanum, siue labrum, siue piscina, vt in vetere pictura Pyrrhi Ligorij apud Hieron. Mercurial. Artis Gymnasticæ c. X. lib. I. vbi tamen pictura solij longè differt à descriptione solij quæ passim apud auctores. verbi causa non est eiusmodi, vt aqua eo contineri, aut ex eo effluere possit.

XLIII. XLIV.

Ad epigramma XLIV. primùm quasi arbiter honorarius scil. iudicas Lipsium à Theodoro Marcilio bene reprehensum esse: mox autem quoque Marcilium adlatras, & *reprehensionis ratio*, inquis, *ineptior est ipsa re reprehensa*. Ratio autem Marcilij erat, *quia eadem toga pexa & recens*. Itaque bis idem Persius diceret, cum ait, *pexusque toga recenti*, &c. Di tibi dent tuam mentem, hypercritice. Disce si potes togas recentes pexas esse, quia nec dum detritæ siue *decotes* siue *decutes*. Nam idem est: vt in gloss. Philoxeni, *discote* & *discute*. Itaque passim *trita pexu* opposita, vt Horatij Epist. I. ad Mæcenat.

——*Si fortè subucula pexa*
Trita subest tunicæ.

Valerius ipse epigr. LIIX. libri huiusce.

Pexatus pulchrè rides mea zoile trita.

Sed tu quæ mirifica tua literatura est, nescisti nouum & recens etiam dici, quo iam vsi aliquo tempore. Sic

auctor Dialogi de oratorib. *Remotis & obliteratis exemplis opposuit noua & recentia.* Ita quamdiu pexa toga, etiam recens, desinit recens esse, cum tritura iam ὀφθαλμοφανής.

Alia verò est in Glossis Philoxeni *Prosapexa tunica* πεζὸν ἱμάτιον, vbi correxêre verbis diuisis, *Prosa, pexa tunica.* Malè. Nam pexa tunica vel recta est, eaque *prosa pexa*: vel inuersa siue auersa, eaque pexa quidem sed non *prosa*, verum auersa, vt si dixeris *versapexam*, & sint pexarum tunicarum species duæ *Prosapexa, versapexa.*

XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI.

His omnibus epigrammatis aut veteres tuæ cantiones additæ ex Radero & alijs: aut turpiculæ res & suburram olentes.

LII.

Quis credidisset fore vnquam vt Ramiresius aliquid se nescire fateretur? Fassus est & viuit. *Non minus,* inquit, *difficile quàm breue epigramma, hoc est, Ego ingenue fateor, me non satis eius sensum assequi,* &c. *Ecquid audes de tuo istuc addere?* Dicito, neque ceterorum quicquam assecutum, aut assequi. Patet hoc epigrammate cum perperam sic interpungis.

Nonis loturas Dasius, numerare poposcit, &c.

Et cum turpiloquia Valerio adfingis, de quibus ille οὐδὲ κατ' ὄναρ.

LIII. LIV. LV. LVI.

Hîc vel nugas tu, vel summœnianarum vxorum res agis.

LVII. LVIII. LIX.

V. C. Iacobus Cuiacius tractatu I. ad Africanum ostendit epigr. LIX. legendum esse.

Ipse iubet mortis dememinisse Deus, &c.

Non quemadmonum vulgò est, *te meminisse,* &c. De tua verò in Iosephum Scaligerum velitatione dicturus forte propediem aliquis

——*promitto, hostire contra vt merueris.*

LX. LXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV.

Hîc minus quàm adsoles pugnax es, & quasi paulisper cum Menæhmo dicis ——*neque ego pugnas, neque lites cœpio.* Mox tamen ad ingenium redis, & ad epigramma LXV. Lipsium vellicas qui ad C. Taciti lib. II. Annal. apud antiquos summam dotis censet fuisse, *decies*: tu autem certam dotis summam neque fuisse, neque profectò esse potuisse contendis. Atqui Lipsius non semper, sed ferè semper hanc summam fuisse notauit. Intelligi enim vult quod etiam V. C. Iacobus Cuiacius ad Nouell. XXII. adscripsit, decies olim maximum dotis modum fuisse vt l. VI. D. De vsuris. Et verò testes aliqui quos tu edis vt L. Seneca Consolatione Heluiæ c. XII. C. Tacitus Annal. II. Martial. epigr. XXIV. lib. XI. hoc ipsum adstruunt, nempè dotem illam, quia olim maxima fuerit, solere dicis causa vsurpari pro quauis dote, quemadmodum ὁ τυχών, est L. Titius. Ergo cum sic clamas, *quis adeo stupidus,* &c. stuporem tuum ipse prodis. Et quidem mox in hæc ipsa vestigia incurris, & probas sententiam illorum qui decies centena, pro quauis dote in exemplum poni censent. Itaque non magis constas tibi quàm fortuna aut Euripus. Nam & mox aberrans Lipsij vicem doles in clamitationis tuæ cauda, & *quod vellem,* inquis, *doctissimum Lipsium animaduertisse.* O pectus Ramiresij niueum & Lipsio deuotum, quale illius qui sic apud Flaccum.

Me Capitolinus conuictore vsus amicoque est, &c.

LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX. LXX. LXXI.

Multa prætereo quia non nugas tuas omnes ac frustrationes sed pugnas & glorias exagitare, suburra- A nas autem & δυσωχίας, nequitias tuas, nec adtingere consilium est.

Ad epigrammatis quidem LXXI. versum illum.

Hæc mihi das tanquam deteriora legas, &c.

Mirifica somnia vidisti, *quasi aues squamosas, pisces pennatos, spongias fractas, cucurbitas volantes.* Sed meliùs ipsissima tua verba, periucundum enim eloquentiæ tuæ specimen exhibent, adponere. *Fateor,* inquis, *ingenuè, me diu de huius carminis sensu dubitasse. Nam si illud, deteriora, ad mea carmina referas, est omnino cōtraria sententia. Nam sequenti versu statim subiungit, ex collata magis placeant mea,* &c. *Si deteriora, qui possunt magis placere? si verò deteriora referas ad carmina Catulli & Marsi, non potest conuenire. Hic enim notandum est, Martialis carmina legi à Cæciliano. Marsi verò aut Catulli recitari memoriter: ad illam contentionem & collationem, & quoties in hoc epigrammate legendi verbum* B *est, intelligi de carminibus Martialis: recitandi verò verbum de versibus aliorum. Non igitur potuit illud deteriora intelligi de veterum poematis, propterea quod legendi verbum in his ponitur. Nodum hūc neminem video soluisse adhuc, nedum soluisse. Ego leni immutatione sic expedio. Loco illius vocis deteriora repone, dexteriora, id est, meliora, & refer ad mea, vt sit sensus. Hæc mihi das, id est, has recitationes in meam gratiam suscipis, & mihi præstas tāquā dexteriora siue mea carmina, quæ tu legis,* &c. Hactenus interpretamentum aureū Ramiresij, quod non adposuissem, nisi, quia vt mihi iucundissimè stultum visum est, etiam lectori non iniucundum accidere posse, arbitratus essem, eique fore paulisper in lectionis huiusce cursu, quasi non inamœnum diuersorium. Etenim sursum deorsum se versat, & vt L. Seneca dixerit, *inconsultus ei vanusque cursus est, qualis formicis per arbusta repētibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur,* &c. Atqui facilis aperC taque mēs Valerij est, neque aut longis logis aut Critico cauterio in his opus. Cæcilianus poeta malus, & Valerij obtrectator atque æmulus, eidemq; familiaris, solitus interdum aliqua recitare Valerio, de epigrammatis eius, mox autem subijcere aliqua etiam de Marsi aut Catulli epigrammatis, eaque deinde Valerio, *dare,* id est, χαρίζεσθαι, siue gratificari, fingens ea se legere siue recitare, vt deteriora versibus Valerij, & vt collata cum his carmina Valerij magis placerent, quasi purpura contra purpuram: sed reipsa recitabat vt Valerij luminibus officerent hæc epigrammata, quasi altioris artificij opera. In hunc itaq; iocosè Valerius sic velitatur. Credo qua videri vis mente id à te fieri, sed omnino mallem tua recitares siue legeres. Argutè innuens facilius bonitatem suorum carminū adparituram ex comparatione ad versus Cæciliani, D quàm ad illos Marsi aut Catulli. Quippe cum his dubium sibi certamen esse, de Cæciliano certam victoriā. De certamine autem illo ipse epig. XCIIX. lib. VII.

Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.

LXXII.

De Postumi ore præciso vicisti, sed in stadio turpiloquij & obscœnitatis, *in palestra, in qua damnis desudascitur,* vt ait Comicus: at nescisti quod etiam puerculi sciunt, *Postumum* scribi, non *Posthumum.*

LXXIII.

Monostichum epigramma,

Quid faciat vult scire Lyris? quod sobria fellat.

Multum hîc pulueris obscœni excitas, sed scripserat Valerius,

Quid faciat vis scire Lyris quoque sobria? fellat.

Vt si diceret, illa se videri vult ebriam se tantum hoc facinus facere, vt Aristoph. vespis: sed idem opus etiam sobriæ.

LXXIV. LXXV.

In nugis tuis ad epigr. LXXV. Raderum vellicas, qui parum rectè notet cur dicta Valerio arena Martia. Tu Martiam intelligi vis Romanam. Hæc nimirum acies tua, in rebus etiam tritissimis identidem cæcilia, verbi causa, quæ non viderit, Martiam arenam vocari, quia Marti sacra sit. Lege sis Marcilium ad Amphitheatri principium. Ita nec vidit quod vulgò *perfide prædo*, melius legi *ἀφελῶς*, *perfide, prædo*, vt & Marcilius monuit.

LXXVI.

Eiusdem monetæ interpretamentum tuum hoc epigrammate. *Verba*, inquis, *nobis dant illi qui id faciunt, quod nobis præter spem est, &c.* Nihil fieri potest argutius. Ergo si thesaurum tibi fortuna præter spem tuam offerret, an verba tibi data esse à fortuna quiritareris? Satius tibi esset Priscianum terere, quàm de censura in literarum principes somniare. Non quisquis præter spem nostram aliquid facit, sed qui frustratur & fallit verba dicitur dare, nato inde sermone, quod qui rem debet, si verba tantùm det, siue dictis phaleratis ducat, & promissis & inaniis, fallit. Hinc Ouidius opposuit munera dare & verba dare.

Cum dare non possem munera, verba dabam.

Id est, blandimentis & promissis fallebam. Docebit A. Gellius c. II. lib. XVII. Euanthius in Eunuchum. Reminius Palæmo, alij. Sic itaque nunc Valerij hoc epigrammate Marius heredipetæ suo verba dedit, hoc est, decepit eum. Finxerat Marius ille, quasi coruum illum heredem facere vellet, sed parvulo eum legato adspersit, siue quinque libellis, sic coruo illi verba data, siue coruus ille hians delusus. Nam si hereditatem spectes, quinque libellæ pœnè nihil aliud quam verba & voces. Ait autem Valerius hanc verborum dationem meritò contigisse huic heredipetæ siue captatori, quia neque ipse Marium officiis & munusculis coluerat, quod facere soliti captatores, atque inde iocus. Coruus ille nihil vnquam Mario dedit: Marius ei verba dedit.

LXXVII.

Vtilem vngendis axibus, interpretaris, *stolidum, stultum, pinguem, crassum, ineptum, rudem*, &c. Denique totum hic copiæ tuæ cornu effudisti. Tum sequitur metalepsis tua pulcherrima. *Nam*, inquis, *axes vnguine vnguntur, vnguen autem extrahitur ab animalib.* (sic enim tuo arbitratu loqueris) obesis; *obesi homines stulti sunt. Si ergo vtilis es ô Cosconi vngendis axibus, pinguis, obesus, & ob id stultus es*, &c. Vtrum miremur hic magis acumen tuum, an eloquentiæ tuæ mel Atticum, an vtrumque? Et Raderum carpis, qui hanc tuam diuinam metalepsim ignorârit. Sed aliis vende has metalepses, vt hominibus *Gothalanicè gurdis*. Valerius quidem Cosconium qui breuia tantum epigrammata probaret, vtilem futurum ait aurigæ seruum, axibus vngendis ad celeritatem. Solitos scilicet in circo, & celeritate summa, & ad summam celeritatem axes vngere serui aurigarum. Aptum huic negocio futurum Cosconium celeritatis siue breuitatis studiosum, & qui epigrammata celerrima velit, siue breuissima. Breuis oratio celeritatem habet, quia cito prætereuchitur. Hinc Aristot. III. Rhetor. c. XVI. *διήγησις ταχεῖα. narratio velox*, id est, breuis.

In tragœdiis autem requisitam quoque breuitatem, quod ex Iuuenale Sat. I. elici vis, nugatorium est.

LXXVIII. LXXIX. XXC. XXCI.

Ad epigramma XXCI. de lectis feretri siue sandapilis, & lecticis conatus tuus est nescio quis, sed de quo illud Comici rectè vsurpemus.

A *Nam isti quidem hercle orationi Oedipo*
Coniectore opus est, qui Sphyngi interpres fuit.

Neque tamen ille inamœnus latinitatis tuæ flos in hoc quasi prato. *Vnde*, inquis, *colligere potest honestiores solitum ferri ad rogum lectica*, &c. pro, vnde colligi potest honestiores tantùm ferri solitos. &c.

XXCII. XXCIII. XXCIV.

Epigrammate XXCIII. malè scriptum, *Etsi qui fuerant*, &c. Valerius voluit. *Et si qui fuerant*, &c. Vide sis Marcilium ad Horat. sat. II. lib. I.

Ad epigramma verò XXCIV. de Philoctetæ mollitie siue muliebri morbo, *per iocum*, inquis, *à Poëta fictum est. Nusquam enim legimus fortissimum virum tale aliquid passum*, &c. Nos tibi vel iniurato credimus te in Græcis ita peregrinum & hospitem, id nusquam legisse. At si Thucydidis interpretem vidisses, docuisset te. Nam ad lib. I. sic narrat, *φιλοκτήτης δέ, τὸ παιδὸς θάνατον. ἀνελὼν τοῦτον ποιήσας, ὁ μὴ φέρων τὴν αἰ-*
B *σχύνην ἀπελθὼν ἐκ τῆς πατρίδος, ἔκτισε πόλιν, ἣν ἔθετο τὸ πάθος Μαλακίας ὀνόματι*, id est *Philoctetes propter cædem Paridis muliebri morbo affectus, neque infamiam ferens, relicta patria, condidit vrbem cui morbi huiusce occasione, nomen fecit Malaciæ, siue Mollitiæ*, &c. Malè ibi scriptum vulgò est *Μαχαχία*.

Quoniam autem vera de Passieno illo, siue Paschieno Philocteta narratio est: Valerius post de Sertorio agens, adiungit, *videtur*.

XXCV. XXCVI.

Quid sit epigrammate XXCVI. *per graciles vias Petauri*, facile suspicatus esses, legendo quæ Raderus ex Iosepho Scaligero, Hieronymo Mercuriali, Hadriano Turnebo diligenter collegit: sed tu Radero nihil debere vis, itaque refugis industriam eius.

Improuisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens.

C Vnde autem illud ægri somnium tuum? Aristotelem Topicorum Proœmio vsurpare *ἐγκυκλοπαιδείας* nomen & dicere, videlicet esse locorum disciplinam ad *ἐγκυκλοπαιδείας*, id est, inquis, *ad circulares hominum congressus*. Euge, nos te rhetorem, poëtam, legiscrepam esse tantum opinati sumus, at tu etiam dialecticus eras. & Aristotelis Topicorum ita sciens, vt principium ipsum ne scias, & ais detortum id ex Aristotele vocabulum a Quinctiliano in alium significatum, qui lib. I. c. X. dixerit, *orbem doctrinæ quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant*, &c. siue vt in membranis est *ἐγκυκλοπαιδείαν*.

XXCVII. XXCVIII. XXCIX.

Non deerant quæ diceremus, neque tam spicilegij quàm messis vberrimæ hic & passim copia: sed neque interpretem Valerij agere, neque lacunas tuas explere consilium est.

Ad epigramma quidem XXCIX. iis adsentiris, quibus Cicero malus Poëta est: quamuis copiosè hos
D teque refellerem si operæ nunc esset.

XC.

Numeremus hic errata tua. Principio peccas cum ais Fabium per XXIII. annos Romæ docuisse: Fabius enim ipse operis sui principio annos XX posuit. II. cum Fabium illum Calagurritanum facis. Etenim auus Calagurritanus fuit, Fabius quidem ipse quo de nunc agimus, natus ciuis Romanus, & Domitiani sororis nepotum magister, vt ipse testis locuples proœmio, lib. IV. propterea que nunc dictus Valerio, *summus moderator iuuentæ*. De auo autem M. Seneca Proœmio, lib. X. Controuers. clamatorem fuisse cuius *fama cum ipso exstincta*. Pater Fabii etiam ipse clamator, de quo facit mentionem Fabius ipse cap. III. lib. IX. Hic esse non potest is cuius *famam cum ipso*

exstinctam ait M. Seneca. Sedeamus enim sis paullisper ad calculos. Florente M. Seneca exstinctus est ille Fabius, de quo mentio Senecæ illa à M. Seneca autem & Augusto ad Domitianum anni amplius cxx. Finge itaque Fabio illi susceptum filium anno xv. residui anni V. Filio deinde illi natum esse hunc Fabium agenti annum xv. reliqui anni xc. Fuerit ergo necesse est: hic Fabius annorum plus centum, quo tempore Domitiani sororis nepotibus magister datus, qui anachronismus manifestarius. Videris ergo tu quemadmodum Chronica Eusebij stare possint, quorum auctoritate fretus, censes Fabium primum à Galba Imp. Romam perductum Olympiade ccxi. Præterea Fabium illum qui Domitiani sororis nepotibus magister Calagurritanum fuisse, Vtrobique Eusebij chronica illa *ἀναχρονίζειν* fateare oportet, aut M. Senecam & Fabium ipsos in errore versari, & nescisse aut Senecam de coæuo suo, aut Fabium de patre.

Iam illud tuum quale est, Quinctilianum à Martiale vocari, *gloriam Romanæ togæ*, quia ciuis Romanus fuerit, *Hoc*, inquis, *dicit Poëta, quod esset ciuis Romanus. Fuit etenim & senator*, &c. Vide sis dialecticum tuum acumē Ramiresi. Quinctilianus ciuis fuit, ergo & senator, vt si diceres. Cucurbita stirps est, cucurbita ergo etiam arbor est. Sed tu negabis te sic argumentari velle, sed potius, quia senator fuerit, ideo & ciuem fuisse. Manet nihilominus ἀσυλλόγιστον illud tuum. Ciuis Romanus fuit Quinctilianus, ergo Quinctilianus gloria togæ Romanæ fuit, vt si colligas, Onocratalus auis est, Onocratalus ergo totius auitij decus est.

Mitto iam, vt dicam ioco, sputatilica illa tua. *Prouerbialiter dici, fumosis maiorum imaginibus illustris.* Et *gramina viuis caespitibus innixa*, &c. cum viuus cæspes sine gramine non sit, recteque, Festus. *Caespes terra in modum lateris cæsa cum herba.*

XCI.

Versus Valerij est.

Sospite quo magnos credimus esse Deos.

Tu rescribillas. *Sospite quo manes*, &c. Sed iam hac de re tibi auriculam peruelli ad epigram. xiii. lib. i. Nunc itaque parco ne durior in te videar, si ex eadem causa iterum vapules.

XCII.

Scripsit Valerius.

Non debet domino perire munus.

Tu maluisti,

Non debet domini perire munus. Atqui scribere Valerius voluit, *domino*, & intelligi, quia trium liberorum ius à domino impetraui, *valebis vxor*, siue nihil iam mihi vxore opus. Quippe si ex te susciperem liberos, iam domino munus illud suum periret, siue frustra id dedisset. Hoc autem quodammodo peccare esset in dominum, & munificentiam eius ac beneficium obliterare.

De vulgarium deinde lexicorum cællis, explicas quid sit, *valere*, eaque promis, quæ neque ad Poëtæ, neque ad tuam, quod præclarius est, ipsius mentem, vel hilum faciunt.

XCIII.

Censes cum scriberetur hoc epigramma, primum librum necdum in lucem editum: sed falleris. Misit Valerius Regulo secundum sine primo. Hinc ei materiola epigrammatis. Fingis Regulum interrogare. *vbi primus*? Respondet Poëta, non ausum venire, quia spurcior sit primus ille hoc secundo, & arguatur, tamen etiam primum librum Regulo venisse, etsi primum nullus acceperit. Nam si de numero bi-

A nario, vnum iota demas, siue vnitatem, qui secundus liber est, hunc primum fore. Nec enim referre quis primus, quis secundus epigrammatum liber, quia nec cohærent argumentis.

Viden' autem tu Ramiresi, erubescit poëtæ primus liber, quia spurcissimus est ad tabulam forensem Regulum venire; tu non erubuisti omnes illius spurcidicinæ angulos peragrare, atque ita disserere, quasi Annæ Perennæ sacris operarere.

Primum autem librum hoc tempore iam editum fuisse, contra quàm tua mens est, Poëta ipse profitetur cùm ait primum venire non ausum, quia plus habet pudoris, vt pote spurcior.

B

AD HYPOMNEMATA LIBRI III.

EPIGRAMMA I.

Pergis nugari, hoc tempore necdum editum fuisse primum librum. & huic rei argumentum dicis, Quia, inquis, secundum librum *priorem* vocat. Primus autem si iam editus esset, non illum qui secundus est, priorem, sed primum dixisset. Diuinum hypomnema, & cedro digna ob-
C seruatio. Quasi verò non dixerit Poëta priorem, cōparatione ad tertium, sine respectu & relatione ad secundum. Deinde priorem eodem significatu quo primum dicere potuit exemplo Tullij Verrina iv. & epist. xi. lib. x. ad Famil.

Deinde Ianum Dousam vellicas qui versum illum huius epigrammatis.

Illa vel hæc mea sunt, quæ meliora putas, legi voluit interrogatoriè -- *quæ meliora putas*, &c. Ac verum quidem si amamus, nihil interrogatio facit huic loco. Nam dicere Poëta vult, Vtraque mea sunt vel hæc, vel illa, siue tam illa quæ tu deteriora putas, nempe libri secundi epigrammata, quàm hæc quæ tibi meliora videntur, nempe libri iii. epigrammata. Facile tamen patior, inquit, illa tibi magis placere, quia prærogatiuam quasi quandam habent quod na-
D ta in vrbe, siue Romæ, cum hæc nata in Gallia sint: illa sint quasi vernacula & domi nata, siue οἰκογενῆ, & Romana, hæc autem peregrina siue exotica & Gallica. Tu autem Ramiresi venis cum argumento tuo à minori, & esse vis vt cum dicimus, *hic occidet vel patrem suum*, &c. Quæ tam ad sensum Poëtæ, quàm sus ad sacra Veneris.

II.

Nunc vide crisim tuam ex intimo artificio depromtam, cum Martialis ait.

Ille vindice nec Probum timeto.

Doctissimus, inquis, Causobonus ad librum Suetonij de claris Grammaticis existimat hunc Probum esse, M. V. Probum (sic enim scribere tibi collibitum est) Berytium Phœnicem, &c. Atqui non Casauboni sed Eliæ Vineti illud notamentum est. Non poterit ergo inficias ire Casaubonus quin *trabali clauo*, vt dicitur, *beneficium hoc ei fixeris*, quod vt scabies sua critica locum aliquem scalpuriendi reperiret,

alienum ei commentum adfinxisti. Dices nulla id maleuolentia à te factum esse, verum vacillatione memoriæ. Esto, Nihilominus in Xantonem illum iniquus es, eademque opera malus criticus. Nam & Vinetus rectè sentit, & tu iniuria *Probo*, expulso, *probrum*, reponis. Ratio autem huius audaciæ tibi non alia, quàm *quia*, inquis, *Probus tunc superesse non poterat.* Quid ais? χενοχαφικώτατε, qui sub Nerone floruit, non videtur potuisse viuendo peruenire ad tempora Domitiani? Atqui si probe subducas, Probus Domitiano principe esse poterit plus minus annorum XL. Dixi *plus minus*. Nec enim laboro, aut errorem calculi metuo etsi, L. etsi, LX. annorum dixero.

III.

Formosam, inquit Poëta, *faciem, nigro medicamine velas*. Accurris tu, & ego, inquis legerem libenter, *nigro velamine celas*, &c. Mox perridiculè interpretaris, quid sit, *celare*. *Hæc enim femina*, inquis, *subligar adaptauerat ori*, & rationem æquè bellam atque concinnam de eadem fidelia adpingis, Quia, inquis, hoc Chione fellatrici suadet epig. XCIII. lib. III. Nō tu interpres Ramiresi, sed anima ipsa Valerii es. Quippe ni? Non vides à Poëta iocum ibi captari παρ' ὑπόνοιαν. Subligar fuit, quo verenda tegere soliti in balneis: at Chiones illius etiam magis pudenda facies. Itaque Poëta.

Si pudor est, inquit, *transfer subligar in faciem.*

Tu autem ridiculè hoc à turpi facie transfers ad formosam, nec vides feminam de qua hoc epigramma est, vt in balneo faciei suæ iniuriarum defenderet, nigro medicamine eam celauisse. Nigrum illud faciei medicamen œsypum, de quo medicamine est apud Nasonem lib. III. Nequitiæ & I. Remedij. Nigrum illud & sordidum esse, nota res.

Deinde autem scripsit Vlpianus l. I. §. Imbre D. De aqua & aquæ pl. arc. *Imbre autem crescere eam aquam, quæ colorem mutat, vel increscit*, &c. Furnerius Rerum quotid. c. XV. lib. I. putabat melius fore, *vel nigrescit*, &c. Tu, *emendationem illam calculo albo signandam duco*, inquis. Nec miror te ita ducere. Nam nescio quo tuo fato, vt si de cæcorum ciuitate esses, non Iberus, semper quod deterius est arripis. Etenim recta illa scriptura est, *vel increscit*. Vult Domitius an imbri aqua creuerit, duabus quasi notis adpositis docere, nempe coloris mutatione & ipso incremento, siue creuisse aquam quæ mutauit colorem, aut quæ solito maior. Etenim potest mutari color aquæ ita vt non appareat incrementum: & potest creuisse aliquantum, colore aut parum, aut nihil mutato. Hoc itaque discrimen notare operæpretium fuit. At is qui dixit aquam *crescere imbri quæ colorem mutat*, stultè adiungeret, *vel nigrescit*. Nec enim fungo aut frutici Vlpianus scripsit, aut dubitaturo, an aquæ nigrescenti color mutetur. Incrementum autem esse notam aquæ pluuiæ, patescit etiam definitione d. l. I. §. I. *Aquam pluuiam esse, quæ imbri excrescit.* Et apud Ciceronem Topicis.

Aqua pluuia est quæ de cœlo veniens crescit imbri, &c.

Post deinde quoque in Lipsio *magno*, inquis, viro, μνημονικὸν ἁμάρτημα vidisti. Sed vellem in *tuberibus* tuis quam illius *verrucis* oculatus fuisses.

IV.

Cur absim quæret breuiter, tu multa fatere.

Sic Valerius. Tu autem, *Malè dispunctus*, inquis, *versus: dispunxit Modius, & placet, ita.*

Cur absim quæret, breuiter tu multa fatere.

Mitto iam tuum illud, *dispungere*, rem ipsam videamus. Vitiosa tua illa interpunctio est. Valerius enim voluit,

Cur absim quæret, breuiter tu, multa, fatere,
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.

Neque vt tibi visum opposuit Poëta *breuiter* & *multa*, neque ad *fatendi* verbum refert multa, sed ad togæ vanæ tædia. Quæret, inquit, Roma cur absim: breuiter tu fatere, id est, dic ingenuè. Non poterat ferre tam multa tædia togæ vanæ siue salutatricis, siue quæ clientulorum salutationibus inseruit, &c. Iam illud *citharœdos* tibi esse cytharœdos, aliaque id genus aliis locis sexcenta. alij viderint.

V.

Inquit poëta libro suo quem mittit ad Iulium Cerealem,

Protinus hunc adeas, primique in limine tecti
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille lares.

Hic tibi res est cum Domitio, cum Radero, sed ita vt illi mulgere hircum postulent, tu cribro excipere. Sententia Valerij clara & illustris, & quasi Solis radio scripta est. Recta, inquit, adi Iulium Cerealem, eumque saluta in *primi tecti limine*, hoc est, in atrio ipso, vt si diceret: Nil opus tibi captare secretum, in atrio ipso, quæ prima pars ædium, & limini proxima est, inter salutatorum & clientium officia, eum adire poteris. Nulla enim mora interposita recipiet te & leget. Ne autem sis nescius vbi habeat, domum incolit eam quæ Daphnidis olim fuit, &c. Daphnidis fortè illius, cuius & balneum IV. regione apud Sex. Rufum & P. Victorē in vrbis Topographia.

VI. VII.

Ad epigramma VIJ. ais, centum quadrantes fuisse Baijs pro sportula. Sed iam ostendi ego ad epigr. LX. lib. I. plerumque Baijs fuisse sportulas maiores. Minores scil. in vrbe, maiores ruri.

Deinde tuum ipse acumen miraris, & quasi auis Iunonia te circumspicis, & de laudibus tuis declamitas: at verbo vno dixisses melius. Strophas sportularum fuisse, quia pro cœnis rectis dari solitæ: siue ad cœnam vocare, & non cœnam sed sportulam dare, stropha siue fallacia est.

Illud verò quàm elegans quod ais, *Romani cœna sola in diem pascebantur*, &c. cum dicere velles, Romani cœnare tantum soliti, siue semel cibum capere. Atqui non ita est. Nam & ientacula eorum, & prandia, & merendæ, & cœnæ, res tritissimæ in historiis.

IIX. IX. X.

Multa hic nugalia tua de sestertiis masculinis & neutris, nec vidisti interim versum illum epigrammatis X.

Et vitiis esset danda diurna tuis, à Valerio fuisse,

Et vitiis essent danda diurna tuis. Diurna pro diariis vt ante. *Perque omnes præstitit illa dies.* Sic *diurnum* pro diario apud L. Senecam Epist. XXC.

XI. XII. XIII. XIV.

Hæc tua hypomnemata vt sunt, lutulenta fluere sinamus. Epigrammate quidem XIV. falleris cum *sportularum fabulam* interpretaris edictum Domitiani, quo reuocatæ cœnæ rectæ prohibitis sportulis. Melius Raderus, *fabulam sportularum* accepit, de sportularum ieiunitate. Tuccius ille Romam esurior veniebat ex Hispania, non quæstus magni faciendi, sed ventris explendi causa. Itaque dixit Poëta.

Romam petebat esurior Tuccius. Non dixit, auarus siue æris auidus, aut æruscator. Apage te igitur cum edictis tuis, & vellicationibus Raderi.

XV. XVI. XVII. XIIX.

Iam frugi esse incipis, & pugnis paullisper abstines, moneo tamen cogites quale illud tuum ad epigramma XVI. *census equestris*, pro, census equester. Et illud, *Erat autem hic Harpocras libertus, cuius generi non permittebatur id ius*, &c. pro, cui hominum ge-

neri, aut conditioni. Et cùm ad epigram. xix. censes præfationem Persij esse non totius operis, sed vnius satyræ.

XIX.

Valde oportet Bulengero tunc tinnisse aures, cùm tu ad hoc epigramma inter alia quib. eum pectis, etiam ita scriberes. Quid facias illo? iubeas miserum esse libenter, & Anticyras nauigare, &c. Esto, Bulengerum lectio illa quæ in libris plerisque exstat, *picta fera*, frustrata sit, num iccirco Bulengerus seponendus mox quoque in Anticyras? Non equidem censeo. Nam idem, quod minimè vellem, periculum Ramiresio meo. Etenim si quis non dicam Ramiresius qui nihil nescit, verum alius Ramiresio multum dissimilis, & aliqua nesciens, aut incautior subinde versum huius epigr. qui sic habet,

Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit, ô facinus ausa quod vrsa fuit.

Si quis, inquam, Ramiresio dissimilis ita corrigat.

Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Comperit & facinus ausa quod vrsa fuit.

An parum dignus rescribillator hic, cui medicus Plautinus diceret.

Elleborum potabis faxo aliquot hos viginti dies,

Et de quo diceret.

Non potest haec res ellebori iugere obtinerier.

Apertissimè quidem Valerius. Puer, inquit, non sensit dolos viperæ, nisi dum perit dente recepto, id est, iam ictus. Deinde adclamat, *O facinus*, &c. Rescribillatio verò illa, *Comperit & facinus*, &c. Scythica pruina frigidior est, & tollit adclamationem, qua nititur vis tota & conclusio epigrammatis. Suum verò ille corrector somnium sic nobis interpretatur. *Exeunte vipera ab ore fera, visa est ipsa sua sponte fateri scelus illud*, &c. quasi non de vrsa, sed vipera poëta intelligi velit. Miserum Martialem, cuius fatum fuit, sub talibus interpretamentorum clitellis sudare. Atqui scripserat Valerius.

Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit, ô facinus falsa quod vrsa fuit. Vt si diceret. O factum malè quod non vera illa vrsa fuit potius. Nam aut puer ei manum in os non inseruisset, aut etiam inserenti, tamen propter speciem pulchritudinis, siue puero tam specioso, pepercisset. Atque hic argutia & acumen Poëtæ. Falsam siue fictam vrsam sæuiorem atque immaniorem fuisse vera. Ex illo, *falsa*, in plerisque libris, errore librarij, *fassa*.

XX.

Profers illud Maronis ex lib. I. Æneid.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
Purpureoque altè suras vincire cothurno.

Sequitur mox λάπισμα tuum. Qui *locus*, inquis, *à nemine quod sciam hactenus intellectus fuit.* Pectis deinde Scaligerum patremne an filium? Etenim patris etiam quæstio illa in Poëticis. Minus verò etiam Radero parcis, *germano*. vt inquis, *homini*, quia non viderit scilicet quo pacto venatrici virgini, cui currere necesse, aptus sit & conueniens cothurnus, calceamenti genus subere altè exaggeratum. Tu autem rullas tuas Iberas Salmanticenses nobis in scænam profers, quæ quanquam cothurnatæ, nihilominus facillimè currant, &c. Sed nihil necesse rupices illas tuas tanquam διὰ μηχανῆς ἀπὸ inducere. Nam cothurnum facit non exaggeratio illa & fulmentum, sed species figuraque qua id calceamenti genus conuenit in vtrúque pedem. Ergo alii tragici cothurni, alij vrbani, alij venatorij, omnes quidem specie illa inter se conuenientes, sed altiores aut depressiores alij aliis.

Alterum porrò delirium, quod censes Dianam cothurnatam non fuisse, non enim gustares Leuiana illa ex hymno. Triuiæ. *Et iam purpureo suras include cothurno.* Denique μάλα σμικρῶς aut potius αὐτὸ χλοίως inducis Venerem sic Æneæ filio suo præcipientem. *Obserua hanc proceritatem mihi non esse à natura, sed addititiam propter cothurnos, quibus calceata incedo*, &c. Ne tu *multinidus es*, quia non videris Venerem induci à Virgilio proceritate virginis Spartanæ, aut Threissæ, nihiloque ceteris feminis proceriorem, & Veneris diuinitatem agnitam à filio non ex proceritate, sed vultu & voce,

——*namque haud tibi vultus*
Mortalis, nec vox hominem sonat, ô Dea certè.

Post autem discedente iam Dea ex incessu quoque agnouit.

Et vera incessu patuit Dea ——Sed iam finis sit huius commonitorij. Quippe Augiæ fimentum egerere velit, qui prorsus expurgare eiusmodi hypomnemata.

XXI.

In Poëtæ versu illo,

Non fuit haec domini vita, sed inuidia.

Tu oscitans ita interpretaris quid *inuidia*, nempe *indignari omnes, quod dominus à seruo tam indigne ab eo accepto seruatus esset*. &c. Immo inuidia illa potius, quam vita domino illi, quia non tam viueret quàm odio esset, quod seruum tam frugi, notis olim compunxisset.

XXII. XXIII. XXIV.

Non perdidisti opus epigr. xxiv. qui de librarij errato sapienter monere scieris. *Vite nocens rosea*, &c. Malè scriptum, pro, *vite nocens rosa*. Illam verò elegantiam tuam *Nota his acruer*, &c. non equidem tibi inuideo, miror magis.

XXV. XXVI.

Etiam illud quam bellum ac venustum ad epigramma xxvi. vbi, *lege*, inquis, *cor dolium duabus formis. Est autem dolium epitheton cordis. vt apud Lucilium, crucium epitheton vini*, &c. Vnde ergo illud in vetere inscriptione, *flebile cordolium*? Et vide sodes anne ex Græco καρδιαλγίας, suum expresserint Latini *cordolium*. Verum hæc talia quærere ex Ramiresio, *aquam ex pumice postulare est, qui ipsus sitiat.*

XXVII. XXVIII. XXIX.

Mitto iam aceruos nugarum tuarum: saltim epigr. xxix. de similitudine anulorum & compedum aliquid notauisses. Quod manibus anuli, hoc pedibus compedes. Hinc illud epigr. xxxix. lib. xi.

Anulus iste tuus fuerat quoque cruribus aptus.

Hinc etiam Glossæ *Anatus* δακτυλοφόρος, πεδίσκη. Et apud C. Plinium c. I. lib. xxxiii. Promethei *vinculum, ferreus anulus*. Siue anulus ibi duplex, vinculum, vt compedes: & gestamen, vt in digitis.

XXX.

Etiam hic nescio quo tuo fato Chalcedoniensi opinor quod deterius id elegis, cùm enim rectè alii sic legissent, *Vnde datur quadrans? vnde vir es Chiones?* Tu venis cum editione tua Colinei, & sic corrigis.

Vnde datur quadrans, vnde vir es Chiones?

Nec vides Martialem hoc epigrammate, *vnde*, illud non iterare, nisi ad res singulas, vt vnde togula? vnde pensio cællæ? vnde quadrans balneatius? vnde pretium Chiones? Tu sic nauseas, vnde datur quadrans, vnde sis vir Chiones, siue quem quadrantem soluas *Chione*?

XXXI.

Iam Priscianus iratus tibi est, qui dixeris *feneras multos*, pro feneras multis.

Illud verò, *Vrbanique tenent prædia multa lares,*

sic interpretaris, *Lares vrbani, id est domus quam in vrbe possides, tenent prædia multa, id est, occupant multa ædificia*, &c. Pro superi: Orbilium videre videor cum ferula tibi imminentem, & sic tecum iurgantem. Sic tu magister vis doceri pupos, vt dicant, *Domus quam possides, occupant multa ædificia?* Etenim siue domum velis ab ædificiis occupari, ineptis tu homo: siue domum occupare ædificia bis ineptis semel lingua, iterum mente. Nam quæ, malùm, striobligo illa, domus quam possides occupant, &c. Valerius autem voluit; vrbani tui lares, siue Dij tui penates in vrbe, tenent multa prædia, id est, multum soli, siue soli quantum satis esset multis domibus, vt in veteribus Glossis, *Prædia vrbana sunt, quæ habent ædificia & sunt in vrbe.* Profert V. C. Barnabas Brissonius. Etenim solum & superficies iunctim, prædium dicitur plerumque, sed propriè quidem prædium est solum ipsum, idque si ruri rusticum, si in vrbe vrbanum. Iunctim verò etiam ruri vrbanum esse potest, & in vrbe rusticum.

Porro auream mensam dici ais hoc epigrammate, vel *propter coronam auream additam mensæ*, vel, *quia sit pulcherrima qualis citrea*, &c. Sed cur hoc potius quàm quia ex auro, vel inaurata vt Poëta expressit? Nec verò dubites aureas fuisse aliquando, cum argenteas vt iam populariter notas commemoret l. xxiix. D. de auro arg. leg. Ac de huiusmodi mensarum coronis Vlpianus audiendus l. xix. tit. eod. vbi ait, *In coronis mensarum, gemmæ coronis cedunt*, &c. De mensis quidem aureis eo minus etiam dubites, quod Carnilius Pollio eques Romanus iam olim lectos aureos fecit, de quo Plin. c. xi. lib. xxxiii. *Sic aurea carruca* epigrammate LXII. sequente.

XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII.

Cornicaris aliqua in versum illum epigrammatis xxxiix. *Si bonus es, casu viuere Sexte potes.*
Sed nihil ad acumen poëtæ. Is enim iocatur ex verbis Sexti qui dixerat. *Nam certum est viuere Romæ.* Ioci ansam Valerius arripuit ex dilogia verbi *certum*, quod vel decretum est, vel extra fortunæ aleam. Sextus intelligi voluit, certum mihi siue decretum est, siue sedet: Valerius accipit quasi dicere Sextus voluisset, non dubito quin Romæ viuere possim. Itaque ioco respondet Valerius. Si malus es, vita Romæ tibi certa est, malis enim omnibus vita ibi in procliui est: sin bonus es, fortuita, siue pendens à nutu fortunæ & casu, siue ὅπηρ' ἔτυχε. Fieri nempe poterit vt viuas, fieri etiam vt nec viuas, siue victum inuenias.

XXXIX.

Sæpe iam dico, non possum quin mirer acumen tuum, qui vt aiunt, necdum tres annorum hebdomadas compleris & quod excurrit, & tamen gloriari possis. *vim tantam in te & potestatem habere tantæ astutiæ*, nugas vt agendo, res videare ipsas agere, verbi causa, epigrammate hoc isto Valerius scriptum voluit. *Iliaco similem puerum Faustine magistro.*
Accurris tu ecce, &, *legendum omnino*, inquis, *ministro*, quia *Ganymedes est Iouis minister*, &c. Sed quid ais tu? diceret Valerius, Ego magistrum pecoris dicere volui siue pastorem, qualis Ganymedes antequam raperetur à Ioue, & tunc cùm metueret ἀγχοῦ λαμβάνειν ... ποιμένα, &c. eoque ludens nunc Valerius, videri vult paratam lupulam illam Lycorin ad pueri huiusce raptum, vt olim Iupiter Ganymedem rapuit. Etenim etiam feminæ rapiunt masculos, vt apud Plutarchum Amatorio. Propert. eleg. xx. lib. I. Persium Satyra II. At epigram. cv. lib. xi. recte est, *Iliaco ministro.* ibi enim Ganymedes inducitur pocillans Ioui.

XL. XLI. XLII.

Ad epigramma XLII. Petronij locum profers, & quod est *sopitionibus pinxit*, à Dousa inquis corrigi, *scipionibus*, à Scoppio *sopiti titionibus*, Grutero, *sopitis titionibus*. *Et hanc*, inquis, *ego lectionem prætulerim.* Sed iam alii docuère, Petronium voluisse *scriptionibus*, vt item apud Catullum est.

Vrbanissima quidem vernilitate Iosephum Scaligerum tangere voluisti, & quasi *laudatorio*, vt diceret Fulgentius, *palmula tactu cæsariem ei mulcens. Ego*, inquis, *assensum sustineo, & suspiciens tanti viri authoritatem, eius sententiam non ausim taxare, quamuis leuissima existimem coniectura prolatam.* &c. Os hominis. Liceat enim mihi per te hanc formulam vsurpare semel, quàm tu in hypomnematis tuis quasi tuam vsu fecisti. Aut si non licet. Dicam tibi Ramiresi. *Etiam mutis impudens?* non taxat, qui *sententiam* ait *leuissima coniectura prolatam?*

XLIII. XLIV.

Voluit Martialis epigrammate XLIV.
Ad cœnam veni, fugas sedentem.
Tu corrigis ——*fugas edentem, quia*, inquis, *veteres non sedentes, sed recumbentes cœnabant.* Sed audi tu qui vincis facile omnia criticorum ἄκριτα φῦλα, quid ergo illud est epigrammate, LXVII.
Sternantur lecti, Cæciliane sede.
Videlicet qui ante horam ad cœnam occurrerent, siue ita mauis πρεχδείπνους solitos sedere interim dum lectuli sternerentur. Sic itaque sedet hoc epigrammate Martialis, neque dixit, *cæno*, sed, *ad cœnam venio*, tu sedentem fugas, id est interim dum accumbendi tempus exspectans sedeo, tu mihi recitas & sedentem fugas, antequam accubuerim aut quicquam gustarim, quod etiam durius quàm fugare iam accumbentem aut semicœnatum & qui cum Plautino illo dicat,
Non sum necquicquam Coepulo factus, paululum Prædæ intus feci.

XLV. XLVI.

Non iniucundè stulta interpretatione quod epigrammate XLVI. est ——*Cunctos vmbone repellet*, &c. sic accipis, *vmbonem, liberti vel cubitos vel ventrem appellat*, &c. Ratio sequitur æquè sapiens. *Vmbo enim est*, inquis, *quicquid extumidum prominet*, &c. Quidni autem etiam pugni & calces, vmbo? Mirum te hic de hypallagis tuis oblitum esse, neque dicere, vmbonem accipi pro toga, cuius pars vmbo est, togam autem pro togato, vt sit *vmbone repellere*, pro, corpore togato repellere, vt Iuuenal. Sat. II.
——*sed illos*
Defendit numerus, iunctæque vmbone Phalanges.

XLVII. XLVIII. XLIX.

Quod est epigr. XLIX. ——*tibi Massica potas*, &c. Libenter, inquis, emendarem ——*tibi Massica ponis*, &c. Sed veriùs à Martialis manu ——*tu Massica potas.* Deinde vt es elegans arbiter Latinitatis, non sat Latinum esse censes illud, *pocula bibere*, quasi non bonus Latinitatis auctor Tibullus, cuius illud eleg. VI. lib. I.
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Aut Valerius conterraneus tuus cuius illud lib. IV.
Quincunces & sex cyathos, bessemque bibamus.
Nihil itaque moramur te cum scalpuritione illa tua. *Olfacere hic male*, &c.

L.

Vapulat *doctissimus Mercurialis*, qui variis suis c. XI. lib. IV. non animaduerterit, acetaria siue mensas

frigidas poni cœptas principio cœnæ, non vt ipse vult, Plutarchi temporibus aut Martialis, sed multò ante iam ita receptum fuisse L. Senecæ sæculo. Tu id arguis ex epist. eius CXIV. Sed Mercurialis de acetariis siue mensis frigidis agit, tu ostende L. Senecam de his agere, & viceris.

LI. LII. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LIIX.

Hic ego de tuo sumsi aliquid artificio, qui tua etsi inaniloga hypomnemata, numeras tamen, aut à seplasiariis, qui capsulis suis etsi vacuis titulos tamen adfigunt. Sed epigramma LIIX. sine rixa prætterire non potuisti. Quippe rursus in Hieronymum Mercurialem incurris qui Variis c. VII. lib. V. *ceream* Martiali *ficedulam* in Xeniis epigr. V. dictam velit à colore, non autem à pingui, & pertendis ceream ficedulam esse pinguem. Hoc vt tibi demus, non tamen peruinces vt intendis etiam hoc epigramm. LIIX. cereum turturem esse pinguem. Etenim Valerius in Xeniis de ficedula deplumi & parata gulæ agit: hic autem de *turture gemente*, & plumis vestito. Itaque, vt à plumarum colore ceteris auibus, ita & turturi suum addidit nomen, atque vt *pauones gemmeos*, & phœnicopterum *rubentibus pennis*, & *pictam perdicem* & *Numidicas guttatas*: sic *turturem cereum* dixit. Et quidem turturis dorsum, ruso superinspersum in superficie pennarum Physici notauêre, & res ipsa loquitur. Eiusmodi autem color cereum quodammodo refert, fierique potest, vt in Italia quos vidit turtures Valerius, etiam magis ad colorem cereum adpropinquarint. Soliti autem Poëtæ colores auium augere vel minuere suo arbitratu. Sic Ouidius epist. XXI. *turturem* opponens Psittaco lætissime virenti, *nigrum* vocat, quia præ psittaco niger est. Frustra igitur Ramiresij acumen, *cereum* hoc epigrammate *turturem* accepit, pinguem. Neque facit ei quod epigrammate huiusce libri LX. est.

Aureus immodicis turtur te clunibus implet, &c. Nam ibi *aureus turtur*, pro pingui, quia de turture deplumi & iam cœnæ parato agitur: hic autem vt ante dixi de *turture gemente*. Tu verò vt quicque tibi se offert aliquam similitudinis speciem habens, ita mox tanquam bellissimè conueniens rapis, nullo delectu & iudicio, *discrile*, siue dissimile illud ea sit parte qua tu arripis, an verò simile sit.

Quod autem te cupere ais Mercurialem ostendisse quoque cur suffusiones oculorum cæruleæ curari possint, ceteræ non item, responderit, talia in medicorum scholis doceri, non in Variis philologicis.

Sed si critica tua insolens, non minus dialectica noua est. Nam quod nesciuêre hactenus dialecticorum centuriæ, tu nunc *protrahis è latebris* in lucem, fieri posse vt sententiæ quasi frontib. aduersis pugnantes, tamen simul veræ sint, versus est Valerij hoc epigrammate,

Auidi sequuntur villica sinum porci.

Non malè, inquis, hoc emendatum à Titio in locis controuersis lib. II. c. XII. *villica sonum*, &c. sed tibi tamen videri argutius illud, *villica sinum*. Optimè, *& vitula tu dignus & hic*. Non malè Titius, bene autem & Ramiresius. Atqui longè aliud *sinus*, aliud *sonus*. Ego ne iniuriam accipiat Aristoteles, secundum Ramiresium liticulam illam iudico. *Sinum* videlicet Valerius voluit non *sonum*. Nam sinum sequuntur adlecti odore, sonum verò non tam sequuntur, quàm veniunt ad sonum, siue vocati.

Sequitur deinde. *Non perdit oleum lubricus palæstrita.* Tu malè interpretaris, palæstritam iisdem exercitationibus occupari quibus cauponem, planissimè &

A quasi ex linea antica, aduersus mentem Valerij. Etenim cauponem ait Poëta, *non pallere segnem otio albo*, sed occupatum esse in suo sibi negocio, nimitum vini dominici venditione: palæstritam verò nihil habentem quod agat negocii sui, aliud agere, vt turdos captare, aut piscari, aut venari. Nihil autem ei esse quod agat, Valerius dicit: cum ait eum non perdere oleum. Palæstrita enim qui suum negocium agit, perdit oleum siue consumit. Hinc *olei & palæstræ res* apud Ciceronem. Multaque Lucianus lib. de gymnasiis, Alexander problem, CXIX. lib. I. Sic Dionysius in arte, *τὰ γυμνάσια δίχα τοῦ ἐλαίου διαπονεῖσθαι*, *Exercitamenta illa non perfici absque oleo.* Sed desino communibus locis, ne centones farcire, & Ramiresius esse incipiam.

Post autem versus est Valerij. *Exercet hilares facilis hortus vmbellas*, &c. tu pro *vmbellis*, reponis *urbanos*, & interpretaris, *hortus facilis exercet & occupat urbanos, qui ab vrbe in villam veniunt rusticaturi*, &c. At ego, si quis coniecturæ locus est, dixerim fuisse à Valerii manu.

B *Exercet hilares facilis hortus ancillas.*

Etenim præ ceteris operibus quæ ruri, facilia sunt hortorum, itaque his idoneæ ancillæ. Nimirum ostendit Valerius per enumerationem, omnibus qui de familia Faustini, esse quo in villa eius occupentur, cauponi, palestritæ, ancillis, pueris pædagogianis, eunucho. Caupo vinum vendit, palæstrita aues captat, piscatur, venatur, ancillæ hortum colunt, pueri pædagogiani vltro & iniussu pædagogi operis aliquid leuiculi faciunt à villico præscripti. Tu illud, pueros parere villico spurcissimè & Valerio iratissimo interpretatione tua pertrahis ad obscœnitates, quibus pleniores tibi chartæ omnes *quàm magno vento plenum est vndarum mare.*

LIX. LX.

Quod epigrammate LX. est, *non tam venalis vt ante*, &c. tu rescribis --- *non iam venalis vt ante*, &c. & C dicis nescio quid leuiculi argumenti: sed vera lectio est--- *non tam venalis vt ante*. Intelligi vult, ante venitabam ad sportellas tuas, nunc venio ad cœnas rectas, sed ita vt cœnem tecum, & non tecum cœnem. Tecum, quia cœna, nobis & mensa eadem: non tecum, quia tu meliora, ego deteriora cœnamus. Eaque figura *ὀξύμωρον* siue *ὀξυμωρία* est, non vt tu notauisti, antithesis.

Per autem supinè ac *tuatim*, *mytilos* interpretaris ostrea. Sugi mytilos dixit Poëta, quia cum iuscello suo sumuntur, & quasi sorbentur.

Neque felicius illud, *inciso ore*, interpretaris, & *paruitatem ostrearum illarum* sic *ostendi* ais, *quæ cum non possent dentibus vel cultro anelli, simul cum ipsa testa erant sugendæ*, &c. Hæc Ramiresius: sed alia Valerius. Tu ostrea sumis, quorum testas nihil opus ori admo- D uere: ego mytulos siue musculos, qui sugi nequeunt, nisi testis ori admotis, itaque accidere interdum, vt os scindatur aliquantum, siue leniter.

Postremus epigrammatis versus est. *Sportula quod non est, prosit, edamus idem.* Tu, *legerem*, inquis, *libenter. Sportula quod non sit. Aliâs legitur. Sportula quæ non est*, &c. Atqui si capere potuisses sensum Valerij, à recepta lectione abire noluisses. Est vero mens Valerij. Prosit mihi quod non venio ad sportellam, sed ad cœnam rectam. Sportula enim accepta, mihi paupertina cœna, tibi opipara esset, nunc cum ad cœnam rectam vocer, edamus sanè idem.

LXI. LXII.

Non potuit reperire, si ipsi soli quærendum daret, Iustus Lipsius magis graphicum laudum suarum præconem, quam

quam tu ei oblatus es Ramiresi. Nam vbi Valerius scit epigrammate LXII.

Quod constat decies tibi non speciosa supellex.

Præconium Lipsij sic ordiris. *Lego libenter cum Lipsio, spatiosa.* Mox paucis interiectis, præconium illud tuũ ita procedit, præfascinie vt vetere verbo dicam, & τῶν βασκάνων. *Sed hac*, inquis, *emendatio non est Lipsii, sed ipsius Domitij, qui in veteribus legerat spatiosa, & explicat non spatiosa, id est exigua.* Sequitur ad extremum cauda scorpij. *Nostri autem*, inquis, *temporis critici multa venditant pro suis, quæ in vulgatis vetustis inueniuntur*, &c. Mitto infantiam tuam, & paupertatem oris, & Latinitatem ruentem potiùs quàm fluentem, & putidum illud, *ipsius Domitii*, & dissonum illud, *legerat & explicat*, pro explicarat: rem quidem ipsam si spectemus, an non amice tu & honorificè de Lipsio?

LXIII. LXIV. LXV. LXVI.
LXVII.

Aceruatim hic iam ad epigramma LXVII. vapulant Turnebi, Lipsij, Domitij, Pontani, Gruteri, Raderi, tota denique legio interpretum: quorum tamen vel infimus aliquis tibi dixerit, *Vapula papiria.* Etenim neque illud tuum--- *nihilque nostis*, rectè interpretaris, imperiti estis, siue, *non nostis remigandi artem*, &c. cum sit Atticè--- *nihilque nostis*, & nihil potestis, siue nihil efficere valetis, nihil promouetis. *Nosse* Atticè pro valere, siue posse, vt apud Aëtium οἶδε ἀνεγείρειν *nouit excitare*, id est, potest. Sic ὡς καλῶς οἶδε πάλλειν ἰαμβίζειν, vt bellè nouit Plato vibrare iambos, &c. & id genus alia. Sic epigr. huiusce libri LVII. *Non nouit inuidere*, id est, non potest, videlicet quia satur. Et epigr. XXIV. lib. VII. *Nam mihi quæ nouit pungere, Chia sapit*, &c. hoc est, quæ potest pungere. Sic Plauti Persa. *Quid ey nummi sciunt?* id est, quid possunt efficere. Deinde quæ sequuntur.

Quorum per vadat tarda nauigantes
Lentos figitis ad celeuma remos, &c. ea sic peruertis
Quorsum per vada tarda nauigantes,
Lentos figitis ad celeuma remos?

Nam, *quorum*, Poëta intelligi vult, *veterni*, & *resina*, quæ duo sumit παλαιῶς, & Poëticè quasi flumina.

Mitto iam solitas tibi κακοπλακίας, ne longum faciam: latinitatis quidem tuæ delicias tacitus præterire nullo modo possum, vt cum ais, *quos riuulos ego nunquam agnoui*, &c. pro, cognoui. Et illud longè pulcherrimum, caputque & florem cœnæ tuæ cum ais, *Resina verò sua tenacitate & lentitudine pigrissima est*, &c. pro pigerrima est. Tu magister nobis curua corriges, & eris ex quo pupi discant esse *pigri, pigriores, pigrissimi?*

LXVIII. LXIX. LXX. LXXI.
LXXII. LXXIII. LXXIV.

Hic iam numerare tantum, & quasi numerò expedire licet. Cessant enim paullisper hic tua *bella, horrida bella.* Monitore tamen opus habes cum epigrammate LXXIV. legis, *Psilothro faciemque leuas*, &c. & nugaris, *leuas* esse *exoneras.* Atqui legendum est, *Psilothro faciem leuas*, &c. Et quidem Heraldus te id docere potuit, digitum tibi intendens ad imitationem Ausonij. Cetera tua aut iam aliis antedicta sunt vt Radero, Heraldo: aut non sunt de quib. vetus ille Trimalcionis concœna dicat, *hic nescio quid boni debet esse.*

Dic tamen quæ illi Gargiliano caussa depilandi caluam? Nullam opinor reperies. Voluit autem Poëta--- *& dropace culum*, vt & in extremo--- *miserum traducere culum.* Tu, sat scio hanc meam laudabis

A coniecturam, eamque cupidè referes in commentarios tuos ad Martialem, proximis nundinis. Ego inire hanc à te volui gratiam, vt quia *rem videbam verti in tuo foro*, eam tui indicii facerem potissimum.

LXXV.

De correctione illa, *opicus*, &c. viceris sanè, & quidem potuisti etiam vti argumento versiculi postremi.

Quæ non stat, magno stare Luperca tibi.

Sed non æquè feliciter illud Petronij *mille iam mortibus frigida*, &c. reposuisti, *mille iam motibus frigida*, &c. Neque ad te, qui hæc talia acerrimè intelligis, plaustris verborum opus est.

LXXVI. LXXVII.

De *secta quadra placenta* ad epigramma LXXVII. nescio quæ proletaria & de triuio narras, plura magisque recondita & exquisita Illustriss. Baronius Annal. Tom. I. quæ discens plus compendii fecisses, quàm tua docens.

B Fine autem huius epigram. quod est--- *vt quid enim Batica* βασσοφάγις, tu corrigis, κασσοφάγις, quia Galenus κασσοφάγοι nomine vsus sit. Quæ ratio non tittiuillitij est. Prorsusque contra Valerius βασσοφάγις, dicere voluit βασσά, intelligens viles aut insuaues cibos & potiones, quales ante recensuit, *capparin, cepas, alecem, pulpam petasonis, gerres, melandrya, vinum resinatum*, &c. Tu nidore nescio quo, aut qua saliua ictus, βασσῶν ἀπὸ transtulisti cogitationem & animum ad κάσσεως, & κασσοφαγίας.

LXXIIX. LXXIX. XXC. XXCI.

In hypomnemate epigrammatis XXCI. ex Iuuen. Sat. VII. illud.

Mollia qui rapta secuit genitalia testa, &c. *legerem*, inquis, *libenter, fracta*, &c. Nec vides notari à Iunio illo celeritatem qua vsi Galli in sectione sua. Itaque & Lucilius Satyrar. IIX.

C *Testam*, inquit, *sumis homo Samiam, sibique ilico telo Præscidit caulem.*

Ilico. dixit propter festinationem illam à *furenti rabie profectam*, qua perciti à Dea Phrygia, cum vterentur sectione illa. Ergo dixit Iunius *rapta testa*, significans arreptam celeriter, vt & Arnobius lib. V. *Rapit*, inquit, *Atys testulam, quam instigator ipse gestabat insania*, &c. ex vetere mythistoria Timothei. Eamque Arinis rapinam Iuuenalis tangere voluit. Hinc & Catulli Atys,

Deuoluit ipse acuto sibi pondera silice, &c.

Deuoluendi verbo festinationem illam designauit. Præterea cum tu *fractam testam* mauis, hanc rem fractam potius quàm factam habes, ac te nescire ostendis, testam illam sectioni seruientem cultrum lapideum fuisse, vnde & Catullus *acutum silicem* dixit. Sic Plutarchus in Nicia cum ait ἀπέκοψεν αὐτοῦ λίθῳ τὰ αἰδοῖα, *Silice veretrum sibi abscidit*, intelligi vult

D μαχαίρᾳ λιθίνῃ. Etiam Iudaica circumcisio facta μαχαίραις πετρίναις, ἐκ πέτρας ἀκροτόμου. *cultris petrinis, ex petra præacuta.* Iosuæ c. V. *petrinam aciem* Tertyllianus dixit c. XVI. lib. III. aduersus Marcionem. Etiam Mexicanorum lapidei cultri acutissimi, de quib. Lopesius c. XXCIX. & alij in rebus Americanis.

XXCII. XXCIII. XXCIV. XXCV.
XXCVI. XXCII. XXCIIX. XXCIX.
XC. XCI. XCII.

Vellem, Ramiresi, quia te in hoc Valerij foro quasi prætorem à teipso creatum habemus, vt in his quæ numero percurrimus epigrammatis, ita & in aliis omnibus quasi *voluntaria* tua *iurisdictio* fuisset potius

quàm *contentiosa.* Hanc enim tè monendi operam *compendi fecissemus.* Neque tamen potuisti, quin ad epigram. xcii. elogio tali ornares Iustum Lipsium. *Agnosce*, inquis, *nimium in doctiss. viro emendandi & argutandi studium*, &c. In te autem ipse scabiem criticam Ramiresi non agnoscis? Vnum illud παρέργως viri magni in opere magno & præclaro: at tu in quisquiliis tuis, *quantus quantus es, nihil nisi sapientia es.*

Epigrammate xci. membranæ veteres habent, *At nunc pro ceruo.* &c. Tu mauis, *At nunc pro puero*, &c. Nec vides te Poëtæ ciui tuo facere iniuriam, qui tollis ei antithetum quod ipse captauit *cerua & cerui.* Olim cerua pro virgine: nunc ceruus pro, &c.

XCIII.

Verba Domitij Vlpiani sunt l. xii. §. vlt. D. de ædil. ed. *Is cui os oleat, an sanus sit, quæsitum est. Trebatius ait non esse morbosum, os alicui olere, veluti hircosum, strabonem: hoc enim ex illuuie oris accidere solere*, &c. Hic aperti Ramiresio carceres circi critici, hic insultat capiti legum scientissimi Cuiacij, qui eundem fecerit *oriputidum*, vt in Glossis est, siue ὀζόστομον & hircosum, & pro *strabone* reposuerit *scabronem* Obseruat. x. lib. xi. Et *malè*, inquit, *hominem habet, τὸ strabonem*, &c. non Atticè hoc tantùm, sed & verecundè tu Ramiresi, quippe ni, quasi dubitares hominem Cuiacium diceres, an animal. Mox cum magistri honore coniungis quoque discipulum Scaligerum. *Eius etiam discipulus*, inquis, *Iosephus Scaliger*, &c. Vapulat nempe Scaliger, quia pro *hircoso & strabone*, reposuerit *lurcosum & raponem, qui tamen*, inquis, *etiam fateatur posse hircosum eo loco defendi*, &c. Deinde arguens eius quasi τὸ φίλαυτον *Hac*, inquis, *interpretatione adeò sibi placet Scaliger, vt non satis dignè se expedire Cuiacium dicat*, &c. Sequitur postremò ἐπιμύθιον tuum. *Itaque ambo hi magni viri lapsi sunt hac in re*, &c. Ego verò tibi correctiones illas retractanti non refragor; sed neque te intellexisse quid Vlpianus vellet, hoc verò quauis sponsione certauero. Tu enim opinaris vt eiusdem modi mancipia, videlicet non morbosa, iungi ab Vlpiano, *oriputidum, hircosum, strabonem*, & neminem dubitare posse ais, quin *strabo* morbosus non sit. Atqui Ramiresie sic τὸ ζητούμενον συναρπάζεις Etenim quis morbosus? qui sic adfectus vt morbus ei impedimento sit obeundis seruitiis? Oris putor itaque morbus non est, quia illuuies oris, ex qua putor ille, potest elui: at hircus non externum aliquid, sed ex ipsa est corporis temperie mala, & impedit ministerium. Quis enim à cloaca sibi aut oleto ministrari velit? hircosus ergo vitiosus est, & locus in eo redhibitoriæ. In quo genere tamen differentia siue differitas illa, hircus ex temperie corporis, & hircus alarum. Ille morbus est, quia elui non potest: hic morbus non est, quia potest elui, siue vt loquitur Catul. *interfici.*

Ergo aut nasorum crudelem interfice pestem, &c.

Et Ouidius I. Nequitiæ,

Nec ladat nares virq. paterq. gregis. Et lib. III.

Quam sæpe admonui ne trux caper iret in alas.

Et medendi rationes tradit Marcellus Empiricus c. xix. Atqui corpore toto hircum olent, siue vt Aristoteles loquitur Problem. IIX. lib. XIII. τοῦ χρωτὸς ὄζοντας vix aut ne vix quidem cures. Etsi Aëtius Tetrab. I. Serm. I. totius corporis fetorem scolymo siue cynara curari posse censet. Necquicquam. Totius enim corporis temperiem vertat & mutet necesse est, qui tollere fetorem illum velit, vt neque Alexander M. suauem odorem toto corpore exspirans, mutari potuisset. De cuius odore Theophrastus apud interpretem Hesiodi Tzetzen & Plutarch. in Alexand.

A Et verò Tzetzes ille ibi, se quoque tali corporis odore fuisse. Qui ergo duo genera illa hirci siue χρωτὸς non diuisère, non mirum si allucinati, nec viderint, d. l. xii. *hircosum* à Trebatio in morbosis numerari. Sic haud dubiè in morbosis, fetentes Iudæi, & qui hodieque in Vasconiæ locis plerisque Capotij aut Gahetii, quibus cum nec consistere quisquam potest, ita non Arabiam sed mephitin olent. Ad idem exemplum strabo etiam morbosus est, si vitium illud, *ministerio eius aliquid subtrahit*: vt etiam oriputidus, si putor ille accidit non ex illuuie oris, *sed corporis vitio, veluti quod iecur, quod pulmo, aut aliud quid similiter doleat, morbosus est* d. l. xii. *aut aliud quid*, intellige vt ventriculum. De hoc putore Actuarius Methodi c. vii. lib. v. Et verò hic putor est Græcis propriè ὄζα, vt apud Celsum c. ii. lib. iii. & eiusmodi vitio adfecti, propriè ὀζόστομοι siue *oriputidi.* Ad summam itaque Trebatius cùm ait, B *veluti hircosum, strabonem*, &c. non copulare, sed disiungere voluit, & intelligi non vt hircosus aut strabo est morbosus ac redhibetur, sic etiam is cui os olet, nisi corporis vitio sic olet. Tu autem quæ tua diuina critica est, *Tò strabonem*, inquis, *glossema ab aliquo sciolo in ora libri adscriptum, quod posteà in Trebatij verba, nullo iure, vt ferè fit, inuasit*, &c. Tibi ergo panepistemoni siue omniscio, erit ἀκοσμόσοφος, siue sciolus, ipse Trebatius: adscripsit enim. Mox & vtilissimam quæstionem exagitare incipis, qua ratione sciolus ille permotus adscripserit nomen strabonis. Quin tu quæris potius, quid tibi mala obiectum manu. vt dispicere nequires, placuisse Trebatio interstitium fieri inter oriputidum & hircosum, siue hircorum duo genera esse, vt iam opinor satis expositum est.

Eodem epigrammate versus in libris antiquis ita C conceptus est.

Sternatur à Coriole triclinio lectus.

Tu profers ac præfers emendationem Iosep. Scaligeri, *Sternatur à Coriole clinico lectus. Quam*, inquis, *lectionem veram puto. Quid enim ibi faceret triclinium? Sed Scaliger non explicat quid hoc loco clinicus sit. Est enim* (pro, est autem) *vespillo*, &c. Ais clinicum pro vespillone accipi, vt epigr. xxxi. lib. I. Erras peruersè tu homo. Quippe impropriè & ioco tantùm ibi vespillo, clinicus: neque vllum sat scio repereris locum vbi vespillo idem qui clinicus, aut clinicus qui vespillo. Sed vin' tu scire quæ germana hoc epigrammate Valerij manus? *Sternatur à Coride in triclinio lectus.* In triclinio scilicet nuptiali, lectus feralis, siue tuas Latinitatis lautitias imitari volumus, *funeralis.*

Illud postremò quàm decenter, ac piè sancteq. in mentem tibi venit, vropygij comparationem facere cum mitra episcopali? Multa sciens omitto. Etenim

Qui ante lucem ire occipiat, à tuo primo abomine
D *Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perueneris.*

XCIV. XCV. XCVI. XCVII. XCIIX. IC. C.

Magnificè hypomnemate xcv. postquam spurcissimè de priore & posteriore, de Venere Thespia & Cnidia commentatus es, gaudio gestiens gloriaris, *neminem hoc præter te subodoratum esse.* Quid tu vis fieri? Non omnes possunt subodorari vnguenta ista exotica.

AD HYPOMNEMATA LIBRI IV.

EPIGRAMMA I.

HVIVS quoque libri hypomnematis tuis, omen à iurgio est. Versiculus est epigrammate LXIII. lib. X.

Bis mea Romano spectata est vita Terento.

Iustus Lipsius Centuria III. epist. XXVI. rectè censuit meliùs fore, *spectata est vitta*, &c. & aptè conuenienterque interpretatus est de matrimonio. Duplex nimirum epitaphio illo laus matronæ. Vna, quod *vitta* eius *spectata* binis ludis sæcularibus, hoc est, quod binis ludis sæcularibus, nempe Claudij primùm, post quoque Domitiani, cantarit inter matronas carmen sæculare secundum. Nam primum & tertium cantari solitum à pueris ac puellis patrimis & matrimis, & patriciis ex confarreatione. Vide sis quæ Theodorus Marcilius ad Horatij odam XXI. lib. I. Altera laus quòd annos XL. ipsos *vniuira* fuerit, quod magnum Romæ & insolens, ob crebra diuortia. Abi ergo iam Ramiresi, cum proteruia tua, & de Lipsio summo viro, *præ quo tu dignus non es vt figas palum in parietem*, ita loquere fastidiosè, & *quasi contorta ac vituperanti nare* discede, vt dicas, *Lipsius etiam nescio quid comminiscitur*, &c. Bonum factum Ramiresi, recantare hanc tuam Lipsij insectationem, & inimicam Valerij interpretationem, vbi perueneris ad hypomnema illud tuum lib. X. Quanquam vt res procedit, qui sic cecideris canterius in porta, magis est vt credam te hypomnemata reliqua tua, *tardipedi Deo daturum*.

II.

Stulta interpretatio tua illius Persiani satyra I.

—— maiorum ne quis amicus Frigore te feriat.

Nam frigus accipis *remissionem amoris ac languorem*.

Atqui de frigore mortis Satyricus accipi voluit.

Sequitur eiusdem farinæ correctio, qua quod l. XXXII. §. XII. D. De donat. inter vir. & vx. est *fribusculum*, tu contra omnem codicum fidem corrigis *frigusculum*. Sed te refellit non solum Isidori auctoritas lib. IX. in *Friuolum*. verum & ratio ipsa. Quippe à friuolo illud *friuusculum*, siue *fribusculum*, neq; Vlpianus quamuis intelligi vult coniugalis amoris refrigerationem, sed discidium quo permoti coniuges iam friuola sua transferre ceperint, hoc est migrare, vt cum Iuuenalis ait *—— iam friuola transfert Vcalegon*, id est, migrare incipit. siue intelligi vult Domitius discidium de quo constet *ex adsumto actu*, vt dixeris ex l. CCXXV. De verb. signif. A *friare*, *friuus*, *friuusculum*, *friuolum*.

III. IV.

Nescisti epigrammate IV. quæ *piscina marina* esset. De fetore illius est quoque epigr. XXXII. lib. XII.

Qualem marinæ mittit aura piscinæ. Et epigram. XXII. li. XI. ex quo patet piscinam illam balnei fuisse. De balnei autem piscinis copiosè D. Augustinus principiis Dialect. c. VI. Piscina eiusmodi aliqua Ro-

A mæ aquæ fetentis, & quasi marinæ.

V. VI. VII. VIII. IX. X.

X Epigrammate legis.

Curre, sed instructum comitetur Punica librum Spongia. Sed melius libri veteres.

Curre, sed instructus: comitetur, &c. vt si diceret Poëta, *Curre*, sed non sine instrumento necessario, videlicet, spongia.

XI. XII. XIII.

In epigrammatis XIII. interpretatione Raderum σκαιοφάγους. *Multa*, inquis, *hoc loco obtrudit nobis Raderus ex meris lexicis, quæ prætermittere est satius*, &c. Sed tibi Raderus L. M. reposuerit hoc tuum. Omnia Ramiresius de triuio, aut de aliorum scriniis congerit in nidum suum, & Æsopici graculi vetus exemplum referre meditatur. Vnum sibi suum & peculiare habet, quod identidem aut recta corrigit, aut

B curua frangit, vt Horatianum illud.

Aufidius forti miscebat vina falerno, &c.

Distinguit Ramiresius mulsum fieri solitum ex leni Falerno, ex austero non item. Atqui Dioscorides lib. V. cap. XVI. οἰνόμελι, inquit, διαφέρει τὸ ἐκ τοῦ παλαιοῦ οἴνου καὶ αὐστηροῦ καὶ μέλιτος καλοῦ γινόμενον, hoc est, *Mulsum excellit factum ex vetere vino austero & bono melle*, &c. Sed vult Catius ille gumia Horatianus, duo genera mulsi esse, vnum austerum, alterum lene. Hoc antecœnio siue promulsidi conuenire: illud verò cœnæ.

XIV.

Ioannes Sauarus, sic enim tibi, qui sibi & aliis *Sauaro* est. Sed Sauarus ille iudicio Ramiresij *vir doctus*, rectè sanè: sed nimium quantum vir doctior ipse Ramiresius, qui de viro illo docto sic triumphat. *Ioan-*

C *nes*, inquis, *Sauarus, doctus vir, in epist.* XII. lib. IIX. *Sidonij Apollin. ductus Spendoacronis* (sic enim balbè Ramiresius pro Pseudoacronis) *authoritate* (pro auctoritate) *qui Sat.* VII. *Horat. lib.* II. *Pyrgus, inquit, pyxis sine fundo*, &c. *existimat turriculam sanè* (quid opusillo *sane*) *sine fundo fuisse, vt per posticum foramen iacerentur tali: sed hic manifestus error est. Qui enim poterant tali rotari in pyxide sine fundo*, &c. Vin' tu scire quomodo? Audi. Non in pyxide aut pyrgo, siue turricula tali rotati, sed alueolo, cui pyxis imposita, siue iacti tali per pyxidem in alueolum. Pyxidis itaque nullus fundus, sed gradus aliqui tantùm. Quod autem tu ex Satyra L. Senecæ Claudiana profers, id contra te facit. De fundo enim ibi agitur non pyxidis sed alueoli. Tu omnia misces vt cum plura iuscella confundit coquus, *talos*, *tesseras*, *pyxidem*,

D *fritillum*, *alueolum*. res plurimùm differentes. Tabula quidem lusoria interstincta lineis propria tesserarum & calculorum, vt epigram. XVII. lib. vlt. Talorum verò non tabula, sed alueolus. Sed pax. Non ei rei hodie auspicaui vt Ramiresium literas docerem. Anne autem stupor ille tuus minor stupore Claudij, cùm ita scribis. *Hunc fritillum appellat turriculam*, &c. Sed iterum dico, mihi nunc operæ non est ferulam exercere. Orbilium tibi delego.

Versu autem illo. *Sic forsan tener ausus est Catullus*, &c. *summi*, sic enim vocas, *mendacij* conterraneum tuum Valerium arguis, *cum*, inquis, *multò ætate Catullus præcessisset*, &c. Deinde colorem excogitare vis aliquem, quo tegas mendacium illud. Nempe ita fingere Poëtam, vt risum moueat Silio. Ita? Ciuis tuus, summus anathematicus, eques Romanus Martialis, idq. Iberus, Silio Gelasimus siue Ridicularius & Bucco fuit? Atqui irascebaris iis qui coquum eum nominarent. Vtra autem persona coquine an bucconis

honestior? Sed ego qui non sum Iberus, volo defendere illam tuo conterraneo ignominiam, & docere nihil opus esse mimica ridentis persona induere Valerium. Quippe à Valerij stilo fuisse,

Sic forsan tenerausus & Catullus,
Magno mittere passerem Maroni.

Vt si diceret. Sic forsan etiam Catullus si vixisset, ausus fuisset, &c. Vt ego nunc Catulli æmulus, tibi Maronis compari mittere audeo, &c.

XV. XVI. XVII. XIIX. XIX.

Quæ tu in hisce hypomnematis tuis peccas, nōn dicam corrigere, sed enumerare longum esset. Præterea iste tuus hypomnematicus, quasi euerriculum alienarum lucubrationum est, & inter illas etiam Raderi, tamen superbiloquentiæ & magnidicinæ tuæ (insolentiæ quippe huic tantæ, dicendum verbum insolens) mantello ita tegis, quasi à te vltrò alij catillatum venerint. Itaque & hypomnemate XIX. sic in Raderum scurriliocovelitatus es. *Videndus Mercurialis, & Petrus Faber, à quibus omnia radens Raderus hoc loco ea congessit*, &c.

XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

Mitto cetera, illud epigrammate XXIV. vnde hariolatus es, Lycoridem illam *veneficam* fuisse, *quæ propter inuidiam amicas omnes occideret*, &c. Atqui longè aliter Poëta intelligi vult quasi fatale esse Lycoridi vt amicæ siue caritates eius omnes moriantur, ipsaque prodeat in earum funera.

XXV. XXVI. XXVII.

Quod epigrammate XXVII. est in libris antiquis,

—— *num minus ergo soles?*

Tu mauis sine interrogatione *Non minus ergo soles.*
Sed ita languet, ac minus *experrecti vigoris*, carmē est.

XXVIII. XXIX. XXX. XXXI.

In hypomnemate epigrammatis XXIX. sudas satis, *neque proficis hilum*. Explicarunt iam alij ad Horatij satyram IIX. lib. I.

At hypomnemate epigrammatis XXXI. planè ostendisti, quæ tua rei poëticæ peritia esset. Negat Valerius semper bellè dici aut satis conueniens Musis nomen esse Hippodami. Tu rationem reddis, *quia*, inquis, *Hippodami nomen solo pentametro in fine aptari potest*, &c. Quid? non etiam principio hexametri heroici conueniens?

Hippodamus Phœbe & Musis inamabile nomen.

Et medio etiam versu.

Phœbo est Hippodamus. Musisque inamabile nomen.

Sic & principio elegiaci & medij rectè, *Hippodamus*. Obliqui verò casus etiam aptiores, vt

Phœbo est Hippodami Musisq; inamabile nomen. Et
Aptior Hippodamo Mauors, quàm Musica Phœbi.

In Iambici quoque carminis curriculum aptus *Hippodamus* anapæsto vice Iambi. Denique & Melpomene, & Polyhymnia, & Calliopa tua Hippodami nomen recipit. Aliam itaque rationem alicunde aliquam rusperis oportet, cur Valerio *non semper bellè dicatur Hippodamus*. Neque vt tu persuasus, eiusdem hoc argumenti epigramma est cuius XII. & sequentia lib. IX. Illic enim dicitur *syllaba contumax* repugnare. Hic nomen ipsum Musis ingratum esse. Eaque ipsissima est ratio cur non semper bellè dicatur *Hippodamus*. Etenim pugnis ac bello conuenientius nomen Hippodami, quàm Apollini & Musis, siue Musis non semper gratum id acceptumque nomen, sed tunc forte cum arma canunt. Ergo nec Martiali qui totus in nugis & iocis & Veneris prælio, vix aut ne vix quidem gratum illud nomen. Denique vt Earini nomen gratissimum Valerio, sed repugnans legi carminis: sic nomen Hippodami rectè in carminum

A leges conuenit, sed sono & significatu ipso disconueniens. Quorsum enim aut Musis aut Valerio Hippodamus siue equiso, siue equorum domitor?

XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV.

Videbar ex criticæ tuæ fluctibus terram spectare, & portum sperare pôsse. Verùm ecce pusilla hic etiam hiems. Nam hypomnemate tuo XXXV. profers locum ex L. Senecæ epist. XXCVI. *O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via diuitibus, cursores & Numidas & multum ante se pulueris agentem* (lego, inquis, *agentibus*.) Cur potius quæso, quàm vt est, *agentem*? scil. *ex his trossulis agentem*, &c. Sequitur ex Seneca: *Hic sine dubio cultior comitatiorq; quàm M. Cato videretur: hic inter illos apparatus del catos, qui cùm maximè dubitat, vtrum se ad gladium locet, an ad cultrum*, &c. Corrigis. *Qui tum maximè dubitat*, &c. scilicet, quia nescisti quàm elegans illud, *cùm maximè*, vt epist. XII. *Deliciolum meum factus est, prorsus potest*
B *fieri, dentes illi cum maximè cadunt*, &c. T. Liuius lib. XL. *Tum cùm maximè in bestiam intuens*, &c. Neque dubitatio illa trossuli signum est egentis, vt tu erras, sed nequitiæ. Nam vltrò in venationes & arenam insaniebant etiam ditissimi, quæ res nota ex Iusti Lipsij Saturnalib. c. III. lib. II. Et P. Fabri Semestribus. in funere quidem Scipionum etiām reges ad gladium; apud Silium Italicum lib. XVI. Ergo etiam locus ille L. Senecæ legendus interrogatoriè, & *delicatus*, pro, *delicatos*. *Hic sine dubio cultior comitatiorque quam M. Cato videretur? Hic inter illos adparatus delicatus, qui cum maximè dubitat, vtrum se ad gladium locet, an ad cultrum*, &c. intelligi vult neque M. Catone illum cultiorem & comitatiorem videri posse sapienti, neque delicatum esse siue delitiis eneruatum, qui etiam paratus sit ad gladium aut cultrum. Vtroque igitur modo, aliusmodi trossulum illum esse quàm videa-
C tur. Nempe & desertum & sanguinarium. in rebus honestis timidum & ignauum: in turpibus & obscœnis strenuum ac fortem. Rectaque lectio in plerisque libris, *delicatus*: non vt in editionibus nuperis quibus tu fidem habes, *delicatos*.

XXXVI.

Spurcissimam huius epigrammatis, exque intimo Cincinniæ Deæ operto depromtam causam adfers, cum vera quidem & honesta sit. Olus ille comam tingere potest quia comam alit: barbam non potest, quia non pascit barbam. neque ritus Romanus eam pascere sinit. De triuio illa peti possunt, barbas tantum ali solitas in reatu. Primum fuisse de principibus Romanis qui barbam pauerit Hadrianum, &c.

XXXVII. XXXIIX. XXXIX.

Hypomnemate XXXIX. sollicitus es de *Glanianis*, & legisse negas. Non mirum, neque de his causa rixandi insta tibi fuit, cum ex C. Plinij c. XI. lib. XXXIII.
D constet, vasorum ex argento species & nomina variauisse pro tabernarum nominibus, vbi emerentur. Etenim, *tabernas*, inquit, *mensis adoptauimus*, &c. Glaniana itaque de taberna Glanii, vt *Graniana, Clodiana, Furniana*, de tabernis Granij, Clodij, Furnij.

XL.

Ait Valerius,

Et docti Seneca ter numeranda domus.

Ter numeranda illa domus ob tres Senecas fratres, Senecam, Nouatum, Melam. *Hoc*, inquis, *existimat doctissimus vir Delrius, & hoc sequitur Raderus, & secum facere Giraldum dicit. Sed nemo ex his animaduertit aliam multo maiorem esse in hoc loco difficultatem. Quis scil. Martialis tempore Seneca domū possideret*, &c.

Denique post longum largiloquium & linguæ inambulationem, ita concludis. Martialem itare solitum ad Pollam Lucani viduam, eamque salutare, & colere antelucanis officijs. Hoc quidem ferri iam potest aliquo pacto. Sed reuolueris mox in vestigia frustrationum tuarum solita & ais, *ter numerandam Senecæ domum* à Poëta dictam non ob tres Senecas, sed *Græco more, pro valde numeranda domo, siue memoranda*, &c. Sed cur obsecro ter numeranda illa domus magis quàm aliæ, vt Pisonum? videlicet quia vt domum Pisonum, imaginibus maiorum: sic Senecarum domum tribus illis Senecis, quasi adpositione notæ insignem facere voluit. Sed nihil necesse ipso meridie lucernam adhibere.

Quin tu autem ostendisti aculeum in clausula epigrammatis latentem? *Postumus imposuit*. Est enim vt si diceret, Postumus mihi fuit postumus. Vt postumus agnatione sua rumpit testamentum & fallit fratres: sic Postumus longam meam exspectationem fefellit.

XLI. XLII.

Alij alijs locis, Meursius quidem hoc XLII. hypomnemate *præconium* tibi debet, siue hoc mauis, præconis mercedem. Vbi enim de *nimbata meretricis fronte*. Meursius notauit ad locum ex Plauti Pœnulo, tu eum ibi sic accipis, cœna tua quasi aduentitia. *Sed meras agit nugas doctissimus iuuenis*, &c. Et mox. *Feminarum cosmetica continentissimus iuuenis*, &c. *ignorabat, apud nostrates notiora hæc sunt* &c. Ita & continentiam Meursij cauillaris mimicè aut rusticatim potius: & tuos ipse Iberos in scœnam eandem producis, quasi summos muliebrium cosmeticorum artifices, & qui tam frugi sint, vt omnia Gynæceorum & matronicorum arcana norint. Batauí autem quî scirent eiusmodi lenocinia & artes, homines ferè *quibus opera vita*, & turi se continentes, aut committentes mari? Ac Meursio quidem prior commentum illud de *nimbata fronte*, iam Dionysius Lambinus Plauto adpinxerat, post deinde Meursius, qui etiam firmamentum sibi fecerat correctionem suam, loci Arnobiani ex lib. II. *nimbis* ibi legendum esse, cùm tamen rectè scriptum esset, *limbis*. Tu verò explicas *nimbatam frontem*, in quam demissi capilli primùm, deinde retroflexi: quod vt ex opertis cosmeticorum tuorum depromtum esse non diffiteor, sic totam *à fronte nimbata* puellam parum bellam interpretari, durum est. Verius fuerit *nimbatam puellam* à Plauto intelligi, deformem, minimaque aut nulla specie nitentem, videlicet quasi lunam in nimbo. Luna extra nimbum pulcherrima, vt Petronij Circe, quasi *lunam plenum os extra nubem proferens*. Et Iustini Imper. filia apud Corippum lib. II.

It sacrum comitata latus, pulcherrima proles,
Luce sua plenam quæ possit vincere lunam, &c.

Formosa mulier, quasi πανσέληνος, & luna extra nubem & nimbum: deformis *pithecium & spinturnicium* eaque si formosa non est, eminus tamen spectanti esse videatur, nimbata est.

XLIII.

Hic iam neque rectè *Syrios tumores* accipis *tumores prouenientes ex verberibus & vulneribus, quæ sibi Galli fanaticum furorem simulantes infligebant*, &c. Nec vidisti quod in fine epigrammatis est,

Quod dixi tamen hoc leue & pusillum est;

Valerio placuisse,

Quid dixi tamen? hoc leue & pusillum est.

XLIV. XLV. XLVI.

Hypomnemate XLVI. versu illo,

Et ficus Libyca gelata testa.

A Perridiculè *vnam ficum* interpretaris, eaque de re seriò quasi de Hannibale declamas. Cetera quidem tua ibi plane quod dicitur crambe repetita.

XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI. LII.

Nulla sit finis si nugarum tuarum & spurcidicinæ tuæ, & quasi Annæ Perennæ sacrorum angulos omnes peragrare velim, vt ad epigram. XLIIX. de *visione* tua & *pedium*, & de reprehensione ibi Aristotelis. Ad epigramma XLIX. flos ille ex barbaria tuus. *vendicare*. Ad epigramma L. ex eisdem viretis *homines* pro viris, quod in tuis & aliàs notaui. Ad epigram. III. capras apud Horat. lib. I. epist. V. esse *meretrices olentes*.

LIII.

Valerio placuit,

Hunc quem sæpe vides inter penetralia Vestæ.

B At tu, *magis*, inquis, *placet, intra, vt sit vnum & idem templum Mineruæ Flauianæ à Domitiano extructum, vt sit sensus. Cynicum hunc stare sæpe solitum inter penetralia Mineruæ & limina eius templi*. &c. Vide lector; funiculum arenæ. Magis, inquit, placet *intra* quàm *inter*. Sed *intra* est *inter penetralia & limina templi*, &c. Quomodo autem Cynicus ille inter penetrale & limen, siue quis inter penetrale templi & limen locus habitatori Cynico? Valerius quidem planè *inter* voluit, & intelligi in *porticibus*; *quæ in æde circaque cellam*, vt Vitruuij c. II lib. III. vbi etiam c. I. & III. *Ambulatio circa cellam ædis*, &c. Sic Metrocles Cynicus, ἐν ταῖς στοαῖς τῶν ἱερῶν. *In vestibulis templorum*, Plutarchi comment. *An vitio infelices*.

Ceream deinde *abollam* interpretaris vt ad epigram. XCIII. lib. I. *ceream lacernam*. Sed interpretamentum hoc tuum ibi iam vapulauit.

Abollam, verò inquis, non existimo aliam quàm militarem & imperatoriam vestem: sed per translationem
C *cum quadam irrisione transferri ad cultum philosophorum, vt apud Iuuenal. de Stoico*

——audi facinus maioris abollæ, &c.

Mitto iam mel tuum Atticum illud, *per translationem transferri*, &c. De abolla quidem glossas audi, *Abolla, toga*, ἱμάτιον. ἱμάτιον autem etiam pallium est. Abollam itaque Poëta dixit pro pallio, nec opus per *translationem*, vt elegantias tuas imiter, *transferri*.

Pallium verò illud cereum siue detritum vxor huius Cynici, quia non solùm huic pallio incubitare solitus Cynicus, sed & immeiere. Significare nempe Poëta vult *subtneiulum* Cynicum illum esse, quale cōuicium Aristotelis in Cratinum, Equitibus.

Nec verò cur *nudum grabatum* poëta dixerit, intellexti satis. Nudus ille grabatus, quia surgens è grabatulo suo Cynicus, abibat cum pallio. Sic grabatulus ille miser nudus restabat, id est, sine veste stragula.
D Sed longum esset omnes tuas exertationes ad viuum resecare.

LIV. LV.

Hypomnemate tuo LV. non iam mediocriter ingeniosus es. Nam te diuinare ais nequisse, loca illa Hispaniæ, quorum mentionem ibi facit Valerius, qualia fuerint. *vnde*, inquis, *consultò prætermittimus*, &c. Atqui tuum erat patriæ tuæ laudibus velificari, & quanquam *tenebræ non parua in silua, vbi tales feræ capiantur, venaturam facere*, tamen, & ruspari, potius quàm Radero, Iacobo à Cruce & aliis identidem illud ingerere tuum, *Os hominis*. Dices mihi, cor tu non quæris? Quia vt præfatus sum, monitorem ego tuum ago, non interpretem Valerij. Itaque & nunc moneo te, vltimo epigr. huiusce versu bene ita scriptum esse.

Has tam rustica malo, quàm Britannos.

Tu nec quicquam rescribillas.

Hac tam rustica malo, quàm Bituntum.

Nimirum rustica quidem Hispaniæ vrbibus nomina, sed potiores illæ vrbes & nomina tamen Britannijs, *toto penitus orbe diuisis*, neque cum Hispaniæ prouinciæ elegantia, splendore, dignitate comparandis, vt si diceret Poëta Hispaniam Italia quidem cultu vitæ ciuili & ornamentis inferiorem se fateri, at prouinciarum quidem nulli cedere, maxime autem Britannis qui quales tunc fuerint Ramiresi, operæpretium tibi scire, & scies legens apud Dionem in Seuero, quales sæculo illo fuerint: at Augusti iam sæculo Celtiberia togata apud Geographum lib. III. Hanc te comparationem extricare satius erat, quam Bituntum in Apulia inuenire, & dicere oppidum illud nominis sui *rusticate omnia Hispania oppida* superare.

LVI. LVII. LVIII.

Breue hypomnema tuum LIIX. & leue, non tamen sine turestri, & satyrico & mordaci & Ramiresiano ioco in Raderum. vulgata lectio est.

Num plorare pudet, te, puto, Galla virum?

Tu aliam mauis.

Nam plorare pudet te, puto Galla virum.

Raderum autem qui vsitatam illam præoptauit, bene sic quemadmodum tu solens quidem, quasi aduentitia cœna accipis, *quod Raderus prafert*, inquis, *& interpretatur, id nec Latinitatis ratio, nec communis sensus admittit*, &c. Vt si diceres, Raderum neque Latinè scire, neque sensu aliquo communi esse, aut quod tantidem est, Raderum & indoctum, & bestiam esse. Nec enim Ramiresius segnis vnquam est, aut frigidè laudare didicit. At Valerij vera sinceraque manus.

Non plorare pudet te, puto, Galla virum.

Iocus ex dilogia. Nam aut sic capi potest. Puto Galla non pudet te, quasi turpe sit, plorare virum, sed puto te non plorare, eoque plorare in tenebris & secessu. Aut, Galla puto non plorare te virum: quod quia turpe est, ploras in tenebris. Si enim plorares, tenebras non sectarere.

LIX. LX. LXI. LXII. LXIII.

Pergama vicisti tu, homo, qui quod Raderus nunquam videre quiuit, tu peruidisti epigrammate LXIII. perire *Bayis innocentia gloriam*. Eaque digna causa cur illud in Raderum iaceres. *Ingeniosè Raderus hoc loco vt solet*, &c. vt si diceres, Raderum nullo esse ingenio, neque ingeniosè quicquam hactenus ab eo aut dictum aut cogitatum esse. Et qui potuit Raderus aliter, cum tu Ramiresi, vt Æsopicus Grammatistes olim, vnus omnia scires, vnus omnia quæ dici cogitariue ingeniosè possunt, occupasses?

LXIV.

Illud Valerij,

Et quod virginea cruore gaudet
Anna pomiferum nemus Perenna.

A nemine, inquis, *quod sciam intellectum est*. Deinde longissimas texens largiloquij lacinias, ad extremum ita decidis. *Cruorem* ibi accipi pro morte, & nemus gaudens cruore virgineo siue Annæ, nihil aliud esse quàm nemus gaudens siue *glorium*, & inclytum morte Annæ, & quamuis Annæ *mors incruenta*, quippe *qua suffocata*, nihilominus rectè cruorem ibi esse mortem, quia sanguis est vita. Ergo, sanguis effusus siue cruor est mors. Viden' lector indolem argumentationis? Sed quis vnquam Ramiresio excepto sanguinem fusum, aut cruorem dixit, qui mortem dicere vellet? Nec verò vides frustra te venire cum tuis metonymijs. Valerius enim rem ipsam tenuit, auctores

A illos secutus qui Annæ sanguinem profusum dixêre, cum è fenestra se præcipitem daret. Ouidius III. Fastorum *humilem* illam fenestram facit, quia sic in eius institutum, & veterem fabellam de Anna diuinata siue ἀποθέωσιν conueniebat. Itaque altitudinem fenestræ dissimulauit, ne fabulæ non constaret fides, Annam à Numicio amne raptam esse narranti. Qui verò illi auctores Valerio sint, scio, sed nunquam ex me hodie audies, tute quære, & incipe nare iam sine cortice.

LXV. LXVI.

Valerius vita municipali nihil esse ait dulcius, nempe comparatione ad vrbanam. In vrbe, siue Romæ, vita insuauis propter illa quæ recenset Valerius ipse epigram. huiusce lib. V. & lib. III. epigr. IV. & XXXIIX. Et lib. I. epigr. L. & LVI. Vberrimè autem Iuuenal. Sat. III. Hæc cum clarore ipso clariora sint, tamen aliqui tentauêre hanc lectionem, & quod Valerius

B dixit,

Qua nihil omnino dulcius esse potest.

Illi fecere,

Qua nihil omnino vilius esse potest.

Hos Criticos deinde spiculo ingenij sui cōfigens Ramiresius. Ego, inquit, omnino lego, *durius, id est, molestius ex parcitate*. Deinde nouo suo genere Latinitatis *exsultans, nimiumque gestiens*, adtexit porro ea, *qua captatori moueant fastidia Cosso*. In quibus etiam illud, *Vendicare*, aliæque sollennes deliciæ.

Ad extremum tamen idem seriò se iuris interpretem nobis exhibet, quodque est l. v. de peric. & cōm. rei venditæ, & l. XLVII. §. vlt. de legat. I. D. *fundi partem* aut *fundum* ipsum *chasmate perire*. *Ego*, inquit, *hoc non probo & legi volo, causmate*, & refert ad caniculæ

C siue Syrij ardores, *quibus*, inquit, *solent perire fundi*, &c. Proh Ramiresianum acumen, tuam fidem. Tun' sensu aliquo communi aut proprio es Ramiresi, qui fundi partes & fundos etiam ipsos interire putes radio Syrij? Fructus fundi partium, aut fundi saltim diceres, vt humanè diceres aliquid, nam ad ius ciuile quidem ne sic quidem dixisses quidquam, vt legum illarum inspectione, vel Saturnias lemas lippienti alicui patescet.

LXVII.

Non insuaue illud παρόραμα tuum, vbi ad causulam huius epigrammatis cum ait Poëta,

Quod non das equiti vis dare Prator equo?

Difficilis, inquis, *locus & qui videtur probare Scorpum non agitatorem, sed equitem esse*, &c. Tum fidei faciendę profers epigr. XXV. lib. V. quod tam facit huic rei, quàm

D *Penula solstitio, campestre niualibus auris,*
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.

Etenim vult Poëta perabsurdum esse, negare equiti centum sestertia, ad census equestris complementum & clauum, cui tamen causæ fauor militat: dare autem illa equo circensi, siue aurigæ Scorpo Thalloue ad impensam equi Circensis &c. Tu verò pergis nobis opplere aures tua vaniloquentia, &, *tamen*, inquis, *ita me expedio. Statua equestres inter alia pramia victoria ponebantur agitatorib.* &c.

LXVIII. LXIX. LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. LXXIV. LXXV.

Iterum hîc ad epigramma LXXV. oletum facis, & rursus olet tuum illud suboluisse. *Miror*, inquis, *neminem adhuc suboluisse mendum in hoc versu*, &c. versus autem Valerij est.

Tu melius certè meruisti pignore vita
Vt tibi non esset morte probandus amor.

At tu, *legendum*, inquis, *certa*, tum interpretaris, *nulla*

cogente mortis necessitate, &c. Nugæ. Valerius voluit.
Tu melius certo, &c. Tu inquis, melius Nigrina, quæ certo pignore vitæ, siue certo in maritum viuentem viua, pignore communicati cum eo patrimonij tui effecisti, vt etsi non pro viro aut cum viro moriaris, quemadmodum Euadna olim aut Alcestis, non minori tamen quàm illæ sis laude officij & amoris erga coniugem.

Etiam illud. *Gaudentem socio participique viro* ex lege Iulia siue Papia, si saperes, interpretatus esses, non ex commentariolis plebeijs.

LXXVI. LXXVII. LXXVIII. LXXIX.

Peringeniosè & commodè illo epigrammatis LXXIX. versu.

Discurris tota vagus vrbe, nec vlla cathedra est
Cui non manè feras, irrequietus, Aue.

Cathedras interpretaris lecticas, exquisitamque rationem subiungis. *Nam in lecticis*, inquis *paruæ sellæ collocabantur, vt cum vellent iacentes sederent aliquando*, &c. Principio illud quàm elegans, *iacentes sedere*. Tun' iacentes sedere vnquam vidisti, aut tu te sedisti iacens? Deinde autem quis stupor, illud Iuuenalis huc pertrahere ex Sat. I.

——cum iam sexta ceruice feratur
Hinc atque inde patens, ac nuda penè cathedra.

Tu inde vis elici cathedras in lecticis fuisse: at contra stat ipse Iuuenalis, & tantum non clamat, se distinguere lecticam à cathedra. In lectica esse specularia & vela siue plagulas: in cathedra nihil huiusmodi. Ergo lecticam *hinc inde* siue omni parte patentem, videri quasi cathedram esse, siue pæne nihilum differre à cathedra. Post autem ex illis somniorum tuorum interpretamentis, sic Valerij sensum explicas. *Hic igitur*, inquis, *Afer, importunus salutator, vagus per vrbem, quoties se lectica vel sella gestatoria offerebat, extemplò aduolabat vt salutaret eum qui gestabatur*, &c. Prò fidem, cui vnquam homini, Ramiresium semper excipio, sic Afer aliquis ardelio circum lecticas volitans quasi larus aut hirundo ripas & stagna circans, versari ante oculos, aut venire in mentem potuit? Tu Ramiresi, ambulans bibliotheca, Romanæ antiquitatis *cella promа*, sed *cella* magis tamen, quàm *proma*, nescisti ingens illud salutatori flagitium fuisse, quasi post festum venire, cum rex iam prodisset, lecticaque per vrbem vectaretur? Nonnulli de media etiam nocte occurrebant, ne quis præuerteret, aut ne frustra irent, ex eoque dicta *antelucana officia* illa, vnde & illud hoc ipso epigrammate,

Et sine te nulli fas est prodire Tribuno.

Sed desino, in triuijs enim hæc talia. Tu autem disce Ramiresi. Dum dormiunt illi magni amici mane, & vt Tertullianus dixerit, *decoquendis stercoribus æstuant*, dum deinde experrecti moliuntur, ornantur, clientuli in atrijs, siue suis sibi *salutatorum castris*, soliti musinari, & dum intromittantur exspectantes, *somnum*, vt ait Iun. Columella, *regis sui sermonibus inaugurari*. Post autem admissi tandem ad dominum in solio cathedraue sedentem. Atque hic quidem ad delicatos & otiosos qualis plera pars, admittendi ritus, negotiosi autem salutati, etiam dum amicirentur, vt Vespasianus Suetonij c. XXI. *Ac dum salutabatur, & calceabat ipse sese & amiciebat*, &c.

Esto, hæc quæ iam refelli, in sordibus tuis esse nec ipse diffiteris, veniamus ad splendida. Versus Valerij hoc epigramma te est.

Sigeriosque modos Partheniosque sonas.

Hic tu facta prius in Gruterum, *verbiuelitatione*, ad extremum decernis, veram esse lectionem Gruteri,

Sigeriosque meros Partheniosque sonas.

A Sed cum libri veteres nouique maximo consensu habeant illud *Sigeriosque modos*, &c. par erat te non temerè à lectione illa discedere, sed auriculam ipse tibi peruellere, ac redire in memoriam illius aurei Critici præcepti, quod tute ad epigramma LXVI. dedisti. *Vellem*, inquis, *in omnibus emendationibus summam haberi literarum ductus rationem*, &c. Cur ita numero, illius sapientiæ tuæ criticæ oblitus, nunc à ductibus literarum ita longè longeque abis, vt cum posses verè tutoque legere *Sigeriosque modo*, &c. malueris, *Sigeriosque meros*? &c. Sigeriosque modò dixit Valerius, prò tantum Sigerios, siue nihil aliud sonas quàm Sigerios & Parthenios.

XXC.

Occisa est hæc res dixerit antistes summus iuris Cuiacius, & porrò Quirites *artificium hoc perijt*, siquidem etiam Ramiresius nos iam docere vult animi
B possessio iuris an facti sit, siue vtapertius dixisset, qui possidet animo, is iure possideat, an facto. *Ego iure*, inquit Cuiacius, *possidere aio*; Ramiresius magister, facto ait, superbéque in me incurrens, *quicquid*, ait, *vel eminens ipse Cuiacius ex antiquorum consultorum responsis obseruans asserat vel inferat*, &c multa enim blatere pergit, Cimbricè incertum an vtopicè. Sed non faciam longius. Possidere animo est iuris, quia semper animus requiritur: qui autem corpore possidet sine animo, facto non iure possidet: qui vtroque siue & animo & corpore, is & iure & facto simul possidet. Quod autem Ramiresius ait, *possessionem esse iuris, prout ex eiusmodi acquisitione, retentione, vel amissione, ius possidendi quæsitum est*, &c. mirifica Ramiresij & quasi vtopica iurisprudentia est, vt si diceret, amissione possessionis, possessio acquiritur. legem vero XLIX. §. I. D. De acquir. poss. cum lege XIX. D. Ex quibus causis maior. conciliare volenti, hæc ineunda
C via & ratio est. Possessio facti est, quia requiritur factum possidentis: eadem iuris, quia requiritur titulus & causa. Itaque rectè illud d. l. XLIX. *possessio multum etiam ex iure mutuatur*, &c. Nec malè d. l. XIX. *possessio plurimum facti habet.*

XXCI. XXCII. XXCIII. XXCIV. XXCV. XXCVI. XXCVII. XXCVIII. XXCIX. XC. XCI.

Vltimo hypomnemate fluctuas in l. vlt. D. De iure immun. Ait lex. *Valetudinarij, medici, capsarij, & artifices, & qui fossam faciunt, veterinarij*, &c. Hic tu sollennia nugaris, longisque verborum lacinijs, hoc tandem efficis & consequeris, vt omnes intelligant te nescire qui sint d. l. vlt. *artifices*. In menda autem cubat locus ille, & sic legendus est. *Valetudinarij, medici, capsarij, artifices qui fossam faciunt, veterinarij*, &c. Non habuit Paternus quemadmodum illos qui fossam faciunt proprio priuoque nomine adpellaret,
D circuitione itaque vsus dixit, *artifices qui fossam faciunt*, genus cum differentia, pro specie. Renatus Vegetius c. X. lib. III. nec ipse habens aliud nomen, *fodientes* dixit. & Vlpianus l. XXXI. D. De solut. *fossæ facienda artifices*, nec enim *fossatores* eum dicere lingua Latina siuisset, nec *fossores* dicere potuit. Nam *fossores* sunt, qui agros rure, non qui fossas in castris fodiunt.

Hæc sunt Ramiresi quæ in hypomnematis tuis inani gloria & inscitia & obliuione ebrijs notaui, vt gratificarer tibi, cui impensè factum cupio. Ergo & iam nunc in procinctu sum ad plura quoque notanda in ceteris tuis hypomnematis si prorepserint.

Libenter, enim hoc & omne militabitur
Bellum, in tuæ spem gratiæ.

Ad hos quidem quatuor hypomnematum tuorum *terraces*, commonitoria mea, iussi quamprimum ire

te ſalutatum & nunciare, temperandum tibi eſſe deinceps maliloquijs tuis & ſuperbiloquentijs, & diſcendum quod doceas, ne vt illi apud D. Hieronymú *imperitorum ante magiſter audias quàm doctorum diſcipulus.* Me quidem ſi *canatim*, & ruſticella ſtili tui acie pupugeris ac momorderis, experiere me *agrum fertilem*, qui *multò plus adferet* quàm acceperit, *ſexcenta enim tanta*, vt Plautinus ille, *reddam ſi vino, tibi*, pluraque ex me audies te digna.

Quàm Clinia vnquam audiuit ex Demetrio.

Tute interim cogita quorſum tua tibi maledicta proceſſura ſint, qui neque non generis eiuſdem mercibus quaſi mulus Marianus clitellis, onuſtus ibis: & omnibus dabis occaſionem cogitandi, te quia nihil reſponſi reperires, nihil *mantelli*, aut *integumenti*, aut *deuerticuli* quo ſtribligines tuas. & ſtultiſſimas ipſorum doctrinæ liberalis principum taxationes, & *ſtultitiidas* epigrammatum correctiones & delira ſomniorum interpretamenta tua, & vitreas fractas, tegeres & occultares, iccirco te probris, conuitijs, maledictis rem gerere voluiſſe. *Ceterum hoc nihil ages.* Argumentis & rationibus certare & vincere oportet, ſi audire illud Plautinum vis, *Euge, euge Rameſi. Facile palmam habes, tua vicêre hypomnemata.*

Sin conuiciator quamuis pugnax & peruicax fueris, & cùm plauſtris maledictorum acceſſeris, atque vt Mileuitanus ille loquitur, de *fonte leuitatis, maledicta plurima effuderis*, tamen *ſoricina nania* illa erit, & confeſſio te victum eſſe, certiſſimumque noſtræ victoriæ argumentum ex vetere ceſti & pancratij lege

A notiſſima. Enimuero ſic comparatum eſt vt qui argumentis & rationibus conuictos & argutos ſeſe vident, iraſcantur: irati deinde conuicientur. Ira enim maledicentiæ *mater*, vt Ariſto Chius olim dixit, οἷς ἀνία. Eaque dolori ſuo ex opinione iniuriæ acceptæ nato, parentare, & rationes maledictis rependere concupiſcit; atque vt in cauſidicina factitatum Romæ olim Marcellinus tradit, *in maledicendi ferociam erumpit, quia cauſa ſuæ infirmitatem rationibus validis conuelare non poteſt.* Sed memento interim Rameſi, etiam ita comparatum eſſe, vt omnes æquiſſimum iudicent, quàm quis ex conuiciandi licentia voluptatem ceperit, hanc vt quaſi vice quadam ac talione, eadem plurave audiendi amittat. Nec non ſapiens illud Veſpaſiani A. iudicium olim, *Non oportere maledici Senatoribus, remaledici ciuile faſque eſſe.* Etenim
B verum in Leucippæ libris verbum illud λόγος σκιώεντος βέλος, ἄλλης σκιώσης βέλει θεραπεύεται, *Inclemens dictum, eſt lingua telum, & vulnus eius, alterius lingua telo ſanatur.* Tun' vt omnes in omni doctrinæ liberalis genere principes adlatres, & cenſeas fore, *vt offam laudis tibi obyciamus*, quæ te nobis *oleo tranquilliorem* faciat, potius, quàm rationibus te verberemus, etſi opus fuerit etiam de *canina facundia* tua mutuemur aliquid, quo tanquam fuſte probe probeque dedolatus, incipias velle muſſare, & moderationis, modeſtiæ, verecundiæ limites non migrare?

Erras, erras. nam exſultantem te & præfidentem tibi,
Repriment valida ſcripti habena, atque officij inſiſtent iugo.

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD LIB. XII. EPIGR.
M. VAL. MARTIALIS.

IVVENILE OPVS, SECVNDO EDITVM,
& ab auctore recognitum.

HENRICO TVRREO
BVLLONII DVCI, SEDANI ET RALCVRTII PRINCIPI ILLVSTRISS. TVRENÆ VICECOMITI, COMITI MONFORTII; &c. Franciæ Mareſchallo,

DESID. HERALDVS S.

NON dubito quin ruſticitatem & inſcitiam meam riſuri ſint nonnulli, qui tibi Duci illuſtriſſ. & rerum geſtarum gloria præſtantiſſimo neſcio quas obſeruatiunculas, & literarias quiſquilias offeram. Neque profecto ignorabam quam eſſet inſtitutum meum ineptum, & ab ipſo pæne ſenſu communi alienum. Verum vt id auderem fecit aliorum exemplum, & vſu recepta ἀβελτερία. Nempe ita hodie viuitur, vt ſi qui nugas aliquas in literis elaborarunt, eas ſummis quibuſque Principibus obtrudere non verecundentur; alij vt ad eorum gratiam aditum ſibi parent; alij, vt ſtudium ſuum & obſeruantiam, ſi non poſſunt alia ratione, iſto certe modo ipſis teſtentur. Iſtorum conſilium ſumus ſequuti. Nam vt beneuolentiam tuam hiſce artibus nobis conciliaremus, nihil fuit neceſſe; Parata nobis ea ſatis erat, & pluribus teſtimonijs comprobata. Voluimus igitur animi erga te noſtri, & ingentis, qua celſiſſimas virtutes tuas veneramur, admirationis monumentum aliquod exſtare. Et ſane etſi ſumma illa fortitudo, qua afflictiſſimis temporibus patriæ tuæ non modo ſalutem propugnaſti, ſed & gloriam propagaſti; Etſi ſumma illa prudentia ac ſapientia, quam ſtupent omnes qui te propius norunt, aut res à te domi, foris, in pace, in bello glorioſiſ-

ſime ordinatas ſciunt: (Quis autem eſt tam rudis, aut ab rerum humanarum notitia alienus: Quis ab orbe noſtro tam ſepoſitus, quem rerum à te fortiſſime ſimul ac prudentiſsime geſtarum fama non perculerit?) Etſi denique nominis tui tanta tot illuſtriſsimorum ac potentiſsimorum maiorum ſerie nobilitati ſplendor iſtarum lucubratiuncularum fece obnubilatur potius quam illuſtratur; ea tamen eſt animi tui magnitudo, vt ad humilia iſta, & à celſitudine tua renotiſsima, ὅσον οὐρανός ἐϛ' ἀπὸ γαίης, deſcendere quandoque non dedignetur. Quoties enim audij te de literis, & literatis hominibus non ſolum inquirentem, ſed & ita diſſerentem, vt in ipſis maximarum rerum incœptis & diſpoſitionibus id vnum agere videreris, vt Reſp. literaria eſſet quam ornatiſsima? Hæc igitur cum ita ſe habeant, exiſtimaui ineptias iſtas, quas iuuenile ſcribendi cacoëthes mihi expreſsit, impune tibi offerri poſſe; id eſt, eam eſſe æquanimitatem tuam, vt quidquid hoc eſt, quod iuuenilis ſedulitas ad elegantiſſimi & acutiſsimi poëtæ illuſtrationem contulit, ſi quid autem contulit; quodque homo non tam celciſsimæ tuæ fortunæ, quam ingentibus tuis virtutibus addictus ſignificandæ ſuæ erga te obſeruantiæ gratia nomini tuo conſecrare eſt auſus, æqui bonique cōſultum ſis iturus. Veniet, veniet aliquando dies, qua maiori in luce & conuenientiori argumento venerationem, qua laudes illas colo ac proſequor, quibus non domum tuam modo aut etiam patriam, ſed ſeculum ipſum ornaſti ac decoraſti, & quotidie ornas ac decoras, teſtari potero. Hoc interim animi penitus tibi deuoti qualecunq; pignus eadem mente qua tibi offertur, PRINCEPS GENEROSISSIME, accipe, & hominem tuæ Excellentiæ obſeruantiſſimum amare perge. Cal. Auguſti. M.D.C.

DESIDERII HERALDI

ANIMADVERSIONES

AD LIB. I. EPIGRAMMATVM

M. VALERII MARTIALIS.

AD EPISTOLAM.

SPERO *me sequutum*] Male Calderinus, *sequuturum*. Terentius:

Nam me eius spero fratrem
propemodum iam reperisse.

QVÆ *adeo antiquis auctorib⁹ defuit*] Ita ceteri pene omnes scriptores licentiam suam excusare conati sunt. Sic Horatio Eupolis atque Cratinus Aristophanesque Poëtæ, ipseque adeo Lucilius excusationis prætextum præbuere: Sic Persio idem ipse Horatius. Et Apuleius in Apologia hoc præcipue vmbone aduersarij argumenta repellebat; *Eadem igitur opera accusent C. Catullum*, &c. Nec aliter Plinius ipse homo sanctissimus epist. XIV. lib. IV. *Ex quibus tamen si nonnulla tibi paulo petulantiora videbuntur, eruditionis tuæ erit cogitare, summos illos & grauissimos viros qui talia scripserunt, non modo lasciuia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse.* Sed & epistol. III. lib. V. *Nec vero moleste fero hanc esse de moribus meis existimationem, & qui nesciunt talia doctissimos, grauissimos, sanctissimos homines scriptitasse, me scribere mirabuntur.* Et quæ sequuntur. Plura enim ibi in hanc sententiam. Sed recte Quintilianus Institut. Orator. lib. V. cap. XIV. *Non enim si quid vnquam contra leges factum est, idque tu es imitatus, idcirco te conuenit pœna liberari; quin è contrario, damnari multo magis. Nam vt si quis eorum damnatus esset, tu hæc non scripsisses; ita damnatus tu si fueris, non scribet alius.* Ita exprimebat sententiam Demosthenis contra Androtionem; quam & in ea aduersus Aristocratem repetitam legimus. οὐ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτ᾽ ἐμιμήσω, διὰ τοῦτ᾽ ἀποφύγοις ἂν δικαίως.

AT *mihi fama vilius constet*] Ms. Put. & Palatina editio particulam *at* non agnoscunt.

ABSIT *à iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres*] Iocorum simplicitatem appellat Martialis ingenuam quandam & innocentem in iocis libertatem. Simplici opponitur malignus; Et heic *malignus interpres* dicitur qui ea quæ simpliciter dicta sunt, malignitate sua corrumpit, & contra auctoris mentem alio traducit. Contra *bonus interpres*. Seneca lib. II. de Benefic. cap. XXX. *Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit; nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat.*

LASCIVAM *verborum licentiam*] Ms. Put. & edit. Palat. *veritatem*. Ita scripsisse existimo Martialem; quia nempe etsi lasciuiora paulo sunt, quibus passim vtitur Martialis, vocabula; vera tamen sunt & propria; nec si vere, id est Latine & proprie Numa ipse loqui voluit, alijs vsus est.

SI *quis tamen tam ambitiose tristis est*] Nihil dici potest magis Latine. Seueritatem morum appellant moderatam quandam grauitatem, quam Græci αὐστηρότητα dicunt, quamque interpretatur Aristoteles lib. II. Rhetor. cap. XVII. μαλακὴν καὶ εὐσχήμονα βαρύτητα. Ea si paulo intentior est, *tristitia* appellatur. Plin. epist. XXI, lib. VIII. *Vt in vita, sic in studijs pulcherrimum & humanissimum existimo, seueritatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam procedat.* Pendet autem plurimum ab hominum interpretatione. Cornel. Tacitus lib. I. Histor. *Piso M. Crasso & Scribonia genitus, nobilis vtrinque, vultu habituque moris antiqui, & æstimatione recta seuerus, deterius interpretantibus tristior habebatur.* Quod si affectationis aliquid inest, tristitia illa proprie ambitiosa appellatur. M. Tullius lib. I. de Offic. *At ijsdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druso adolescente singularis seueritas; in C. Lælio multa hilaritas; in eius familiari Scipione ambitio maior; vita tristior.* Nempe hunc animi habitum ἀηδία sæpe comitari solet. Virtutem contrariam describit eleganter Silius Italicus lib. VIII.

Læta viro grauitas, & mentis amabile pondus;
Et sine tristitia virtus. Non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat;
Nec famam læuo quærebat limite vitæ.

Tristitia igitur pro seueritate paulo morosiore, & sæpius affectata; qua tamen voce non sine præfatione vtitur Plinius epist. V. lib. II. *Quod tamen si quis exstiterit qui putet nos latius fecisse quam*

orationis seueritas exigua; huius, vt ita dixerim, tristitiam reliquæ partes actionis exorare debebunt.

AD EPIGR. I.

NOSSES *iocose*] Male fecerunt, qui hoc epigramma in alium locum transtulerunt. Sequitur enim, vel monente Poëta ipso, conclusionem præfationis.

AD EPIGR. II.

CVI *lector studiose*] Ouidius:

Tu mihi, quod rarum est, viuo sublime dedisti
Nomen, ab exsequiis quod dare fama solet.

AD EPIGR. III.

LIMINA *post Pacis Palladiumque forum*] Suetonius in Vespasiano: *Fecit & noua opera, templum Pacis foro proximum.*

AD EPIGR. IV.

AVDIERIS *cum grande sophos*] Vox sæpe audita in recitationibus, & frequens apud Martialem. Plura obseruamus ad Epigr. XXI. lib. II.

DVM *basia captas*] Alij *iactas*. Vtraque lectio explicari potest. Histriones quum placebant populo, ac plausu excipiebatur, basiorum iactatione gratias agebant. Sic fortasse significat Martialis, poëtas quum adclamationibus solẽnibus ab auditoribus exciperentur, basia iactare solitos. Verum quoniam scriptores, quorum probata industria erat, recitatione finita basiabantur, non male quoque heic, nisi etiam conuenientius, *dum basia captas*. Plinius epistol. XVII. lib. VI. *Recitatione finita, multum ac diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus stimulus monendi, laudibus incitaui pergeret qua cœpisset.* Atque eodem pertinet Epigramma XXXVII. huius libri:

—— At circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras basia sola crepant.

AD EPIGR. V.

TERRARVM *dominum pone supercilium*] Sic χαλᾶν τὰς ὀφρῦς eleganter Græci dicunt. Philo in explicatione Decalogi: ἵνα μηδεὶς τῶν βασιλέων ἢ πέρατες ἀφανοῦς ἰδιώτου καταφρονῇ, ἀλλ' εἰς τὰ τῶν ἱερῶν νόμων διδασκαλεῖα φοιτήσας, χαλάσῃ τὰς ὀφρῦς, ἀπομαθὼν οἴησιν.

CONSVEVERE *iocos*] Nihil notius; Atque eadem licentia passim in Græcorum pompis: quod cũ ex Demosthene & aliis, tũ ex Dionys. Halicarnass. lib. VII. histor. notum. His autem iocis milites animum suum erga Imperatores aperiebant. T. Liuius lib. XXXIX. *Multi omnium ordinum donati militaribus donis currum prosequuti sunt; carminaque à militibus ea in Imperatorem dicta, vt facile appareret in ducem indulgentem, ambitiosumque ea dici.* Appianus in Punica historia: καὶ τῶν ἀρχόντων τοὺς μὲν ἐπαινοῦσι, τοὺς δὲ σκώπτουσι, τοὺς δὲ ψέγουσιν. ἀφελὴς γὰρ ὁ θρίαμβος, καὶ ἐν ᾧ πάντα λέγειν ὅ,τι θέλουσιν. Nempe vno eodemque triumpho Imperatorum alter quandoque inconditis militum carminibus celebrabatur; alter carpebatur atque increpabatur: quod obseruatum in triumpho Liuij Salinatoris, & C. Claudij Neronis. Id ipsum quandoque

A vsuuenit etiam in ouationibus. T. Liuius lib. IV. *Itaque quum ex SC. vrbem ouans introiret, alternis inconditi versus militari licentia iactati; quibus Consul increpitus, Menenij nomen celebre laudibus fuit.*

MATERIAM *dictis*] Ouid. II. Trist.

Et se materiam carminis esse iuuat.

AD EPIGR. VII.

CONSVMMATIQVE *Catonis.*] Plinius epist. VII. lib. I. *Amaui consummatissimum iuuenem tam ardenter, quam nunc impatienter requiro.*

AD EPIGR. X.

BELLVS *homo & magnus*] Locus est ex ambiguo. Bellum appellabant hominem in cõgres-
B sibus & conuictu iucundum ac politum, qualem vulgo appellant *vn galland*. Quare in veteribus Glossis, *Bellus*, ἡδύς. Sane *bellus*, χαρίεις, ἀστεῖος, ac quandoque etiam ἐπαφρόδιτος. Plinius epist. XXI. lib. IV. *Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat? qui denique omnino in Senatu dicax, & vrbanus, & bellus est!* Sed generaliter bellum dicebant hominem ad vnguem factum, venustum, iucundum, & qui ἐμμελῶς omnes veneres haberet: quam rem esse petricosam dicit Martialis Epig. LXIII. lib. III. Cinnam igitur quum ait Martialis bellum videri voluisse, & magnum; Bellum videtur ea significatione vsurpare, Magnum autem propria & germana: Verum id esse ἀσύστατον ait; quoniam, inquit, bellum proprie pusillum hominem di-
C cimus, non item magnum. Atque heic bellum propria significatione accipere videtur, & aliã significationem simul respicere. Nam *bellum* dicimus potius ἀστεῖον & σύμμετρον, quod paruo corpori conuenit, quam καλὸν & pulchrum, quod de re perfecta tantum dicitur. Elegantes & apposite Aristoteles lib. Nicom. IX. cap. III. ἐν μεγέθει γὰρ ἡ μεγαλοψυχία, ὥσπερ καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι· οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. Hac igitur ratione bellus pusillus sit necesse est, nõ itẽ magnus. Verũ & metaphorica significatione id ipsum verũ erit. Nam si bellum accipimus pro homine affectatæ blanditiæ, idem ille pusillus erit, id est, μικρὸς τὴν γνώμην καὶ ταπεινός, quemadmodum de hoc hominum genere loquitur Lucianus; quomodo & Athenæus lib. VI. Φίλιππον δὲ φησὶ Θεόπομπος Θετταλοὺς εἰδότα τὸ Θετταλικὸν καὶ ἀσελγὲς τῶν ὁμιλητῶν πλέον ... μι-
D κρὸν μὲν ὄντα τὴν γνώμην, κόλακα δὲ μέγιστον. Et sane verum est quod ait Vlpianus in Demosthenis II. Olynthiacam, ταπεινὸς τὸ φρόνημα τοὺς κόλακας. Hac igitur etiam ratione bellus homo erit homo animi pusilli.

AD EPIGR. XI.

QVID *ergo in illa appetitur*] Sic melius, quam vt vulgo *petitur*.

TVSSIT] Id est, non longe abest à morte, quam mala tussis, quæ eam plurimum vexat, videtur promittere. Sic Epig. XXVI. lib. II.

Quod querulum spirat, quod acerbum Næuia tussit.

Horat. Sat. lib. II.

—— Si quis
Forte coheredum senior male tussiet; Huic tu
Dic ex parte tua, seu fundi, siue domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere.

Astute

Astute ortiatur ad hunc mimum Eumolpus captatores captans apud Petronium. *Secundum hæc formulam imperamus Eumolpo, vt plurimum tussiat; vt sit modo solutioris stomachi, cibosque omnes palam damnet; loquatur aurum & argentum, fundosque mendaces.* Ceterum non displicet quæ habetur in alijs libris lectio, *tussis.*

AD EPIGR. XII.

Cvm *data sint equiti*] Si quis locus obscurus est apud Martialē, is sane hic est. Multa excogitarūt viri docti ad eius interpretationem, quæ omnia ἀπροσδιόνυσα. Neque ego quidquam adferre possum, quod huc pertinere liquido iurare ausim. Existimo igitur certam pecuniam in solennibus illis Imperatorum muneribus spectatoribus distributam, qua pararent sibi vinum à cauponum pueris, potum circa theatrum, cum ederentur ludi, circumferentibus. De missilibus, & tesseris res protrita est. Solitos autem in spectaculis bibere spectatores non dubium: quod tamen tempore Augusti non satis
B erat honestum. Quintil. lib. VI. cap. III. *Hinc eques Romanus, ad quem in spectaculis bibentem cum misisset Augustus qui ei diceret, Ego si prandere volo domum eo: Tu enim, inquit, non times ne locum perdas.* Idem autem in Græcorum spectaculis fuisse factitarum cum ex Aristophane in Concionantibus, & Philochori loco ab Athenæo exscripto lib. XI. tum ex ipso Aristotele, lib. Nicomach. X. didicimus. Eodem autem pertinere videntur Martialis ista eodem libro:

Sextiliane bibis quantum subsellia quinque
Solus: aqua toties ebrius esse potes.
Nec consessorum vicina numismata tantum;
Æra sed à cuneis vlteriora petis.

Quis ita cæcus quin videat hæc ad legem sumptuariam referri nullo modo posse? Huc puto referendum Suetonij locum illum obscurissimum, & doctissimis viris qui in eum scripserunt,
C nondum satis intellectum, in Calig. *Scenicis ludis inter plebem & equitem caussam discordiarum serens, decimas maturius dabat, vt equestria ab infimo quoque occuparentur.* Habebant libri veteres, *Equestres*; & hæc lectio fors fuat reponenda: ita vt equestres decimas dicat Suetonius. Nam equestria non poterant occupari à plebe viuo Oceano, aut Lectio. Quæ spargebantur ab Imperatoribus numismata, si priora subsellia vacabant, à sequentibus rapiebantur. Vnde caussæ discordiarum inter Equitem & Plebem Caligulæ quæsitæ. Hinc capiendus Martialis:

Nec consessorum vicina numismata tantum,
Æra sed à cuneis vlteriora petis.

De rapone rapacissimo, qui non solùm raperet quæ in vicina subsellia, sed & quæ in vlteriora sparsa erant. Lucem dat aliquam huic obscurissi-
D mo epigrammati etiam hic Suetonij locus in Domitiano, cap. IV. *Dieque proximo omne genus rerum missilia sparsit: & quia pars maior intra popularia deciderat* (Nota hæc verba) *quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac Senatorij ordinis pronunciauit.* Demissilibus ad lib. VIII.

Nunc veniunt subitis lasciua numismata nimbis.

In his & eiusmodi locis *qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid nequiuerit, reprehendendum.* Quæ autem gloriosus puer in hunc locum effutit, ea ipse quandoque emendabit, si modo dederit ei Deus, vt cum ætate mēs quoque maturescat, & accesserit eruditio.

A
AD EPIGR. XIII.

Porticvs *ausa nefas*] Signate. Seneca Consolat. ad Polyb. *Erat aliquis, & fata tantum aliquando nefas ausura, sibi non pepercisse conqueratur.*

Nimirum timuit] Verissima lectio. Infra epigram. LXXXIII. in eodem argumento,

Tantæ Regule post metum querelæ, &c.

Statius lib. III. Syluarum.

Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati
Te tantum miserata dedit, superique potentes
Inuidiam timuere tuam.

Querelis igitur Deos onerabant, & maledictis impie vexabant, si quos ex charis amiserant, aut si quid secus contigerat. Idem Statius V. Syluarum:

—— Et iniustos rabidis pulsare querelis
Cælicolas solamen erat.

Claudianus præfat. lib. II. in Eutropium:

Improbe quid pulsas muliebribus astra querelis?
Quod tibi sub Cypri littore parta quies?

Hinc illud frequens, *Incusare Deos.* Sed & eorum aras, ac templa lapidabant, statuas deijciebant, & quid non? Sueton. in Caligula: *Tamen longe maiora, & firmiora de eo indicia in morte, ac post mortem exstitere. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subuersæ Deum aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expositi.*

Non erat inuidiæ] Proprie, & in vsu peculiari, vt Statij loco antea citato. Sic & III. Thebaidos:

Primæui que senes, & longo examine matres
Inuidiam planxere Deis, miseroque tumultu
Bina per ingentes stipabant funera portas.

Et V. syluarum:

—— Nonne horridus ipsos
Inuidia superos, iniustaque Tartara pulsem?

Sic Tertullianus, sed aliquomodo alio sensu, in Sodoma:

Pulsabant cælum inuidia, connubia mixta
Incestu parili: Veneris natura rebellis
In sese, læsumque viri cum corpore nomen.

Cælum inuidia tundere, simili sensu quo Statius *Deos inuidia pulsare*, idem dixit in Apologetico, cap. XL. *Nos vero ieiunijs aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, inuidia cælum tundimus, Deum tangimus, & cum misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur.*

Probare Deos] Eleganter. Seneca in Hercule Furente:

—— In laudes suas
Mea vertit odia. Dum nimis sæua impero,
Patrem probauit.

Quid sit *Patrem probare* eo loci docet Claudianus in eiusdem Herculis laudatione:

Inclyte principijs, tardo vix editus ortu
Fecisti de patre fidem.

Id est, patrem probasti, & Iouis esse te filium fecisti fidem. Iuuenalis Satyr. XIII.

Reddidit ergo metu, non moribus; Et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probauit,
Exstinctus tota pariter cum prole, domoque.

Probauit. Ἐβεβαίωσε, id est, euentu affirmauit, vt loquitur T. Liuius lib. VIII. *Eodem anno Alexandriam in Aegypto proditum conditam: Alexandrumque Epiri Regem ab exule Lucano interfectum sortes Dodonæi Iouis euentu affirmasse.* Sic & alij hoc verbo

vsi sunt. Cornel. Tacit. lib. XIV. Annal. *Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Martiæ ad Vrbem deductæ nando incesserat; videbaturque potus sacros, & cerimoniam loci toto corpore polluisse. Sequutaque anceps valetudo iram Deûm affirmauit.* Ruina igitur, de qua heic Martialis, Deos probauit, quia hinc paruit Regulum Deorum esse curã, vt alibi ait, & inde Deos humanarum rerum curam gerere. Eodem pertinet Stratonici dictum apud Athenæum lib. VIII. δοκῶ δέ ποτε καταπεσόντος, ἢ ἀπολομένης ἵνα τῶν πονηρῶν ἀνδρῶν, ἐγώ, δοκῶ, εἰσί θεοί· εἰ δὲ μὴ εἰσι, δοκῶ εἰσί. Cum homo sceleratus trabis ruina oppressus esset, Amici, ait Stratonicus, sane dij sunt, vt ego sentio; sed si nulli sunt dij, hæc trabes tamen, quæ sceleratum hominem quasi elegit in quem rueret, facit vt Deos esse credamus. Delicatulus iuuenis, qui non modo aliter sentit, sed & nescio quæ monstra ac portenta heic somniat, & in verbo *Iuuare* tanta mira deprehendisse se existimat alijs abscondita, si porculum emi sibi iusserit, non male collocârit pecuniam. A B

AD EPIGR. XVI.

Numerat paucos] Paucos dies meliore lapillo signauit. Illi soli dies censentur, qui nobis illuxere hilares, & beati. Vnde inscriptio illa sepulchro Similis incisa, qua annos plurimos βιῶν dicitur, septem tantum ζῆσαι: quia à rebus aulicis & publicis liberatus, septem postremos vitæ annos ruri degerat. Extat inscriptio apud Xiphilinum, in Adrian. ΣΙΜΙΛΙΣ ΜΕΝ ΕΝΤΑΥΘΑ ΚΕΙΤΑΙ, ΒΙΟΥΣ ΜΕΝ ΕΤΗ ΤΟΣΑ, ΖΗΣΑΣ ΔΕ ΕΤΗ ΕΠΤΑ. Βιῶν, vt heic vides, est quocumque modo, seu mauis humane & impedite viuere, ζῆν expedite & beate, quod *viuere* Latinis, vt hoc ipso epigrammate. Notum epigr. ζῆθι λέγουσι βροτοῖς. Plato Comicus ζῆν esse dicit delicate viuere, vncte & nitide, ad normam Epicuri vitam exigere. C

Διαπότης. Ἀπολώλεκάς μου τὸ μειράκιον παραλαβὼν
ἀκαπαρτη, κἀὶ πέπεικας ἐλθεῖν εἰς βίον
ἀνόμοιον αὐτῷ, ἢ πότους ἔωθινὰς
πίνει δι᾽ ἐσ τοῦ πρότερον οὐκ εἰθισμένος.

Παιδαγωγός. Εἶτ᾽ μεμάθηκε δέσποτα ζῆν, ἐγκαλεῖς;
ζῆν δ᾽ ἐστὶ τοῦτο, ὡς λέγουσιν οἱ σοφοί.

Hæc vtraque manu] ταῖς ἀμφοτέραις. hæc copulatio maiorem vim habet. Seneca lib. VII. de Benef. *Hæc Demetrius noster tenere vtraque manu proficientem iubet, nec vsquam dimittere.*

AD EPIGR. XVIII.

Magna res est] Eleganter. M. Tullius ad Atticum lib. XV. *De meo itinere variæ sententiæ. Sed tu incumbe, quæso, in eam curam. Magna res est.* Terentius in Phormione:

Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est.

Plautus in Epidico:

Thesprio exi istac per hortum; affer domum auxilium mihi,
Magna res est.

Sic μέγα πρᾶγμα Græcis. Timon apud Diogenem Laertium in Arcesila: ὁ μέγα πρᾶγμα Τίλας. ὦ πλαπύνται ὀλβίοις &c. Demosthenes in ea contra Lacritum: ἐπεὶ δὲ Λάκριτος φασηλίτης, μέγα πρᾶγμα, Ἰσοκράτους μαθητής. Ludit autem vocis homonymia Martialis. Res magna est, inquit, quam facit colonus, nempe quia rem auget & amplificat; ex amplo & opimo fundo res magna domino congeritur, vel etiam colono. Eadem homonymia ludendi argumentum præbuit Plauto in Curculione. Ibi Planesium virgo:

Phædrome propera. PH. Quid properem? PR. Parasitum ne amiseris.
Magna res est. PH. Nulla est mihi: Nam quam habui, absumpsi celeriter.

AD EPIGR. XIX.

Amphora *non m. tam p. mori*) Metaphora durior; sed dixerat iam *Iugulare falernum.* Non omnino absimile illud Aristophanis in Ranis: τὸ πρόβλιον τὸ πρόσωπον πιθανεῖ μοι.

AD EPIGR. XXI.

Dic *mihi quis furor est*] De superba ista ingluuie plura obseruamus infra. Acumẽ autem istius epigrammatis videtur ex vsitato & protrito in eiusmodi gurgites maledicto: aut certe si maledicti istius auctor est Martialis, eo auctore postea frequentari atque vsurpari cœpit. Iuuenalis in eodem argumento Sat. V.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus Domino; sed qualem Claudius edit.

Huius autem boleti Claudiani meminit idem Sat. VI. *—— Minus ergo nocens erit Agrippinæ*
Boletus: siquidem vnius præcordia pressit
Ille senis; tremulumque caput descendere iussit
In cœlum, & longam manantia labra saliuam.

Nota obiter huius loci venustatem. Allusit, vt opinor, Iuuenalis Neronis dictum, qui boletos Deorum cibum appellabat, eo quod Claudius boleto exstinctus consecratus erat, & in Diuorum numerum relatus. Dio lib. VII. ὁ Νέρων δ᾽ οὐκ ἀπαξιοῖ μνήμης ἔπος καταλιπεῖν. τοὺς γὰρ μύκητας θεῶν βρῶμα ἔλεγεν εἶναι, ὅτι καὶ ὁ Κλαύδιος διὰ τοῦ μύκητος θεὸς ἐγεγόνει. Consecratus igitur Claudius cum tremulo suo capite. Eadem festiuitate Vespasianus, *qui prima morbi accessione, vt, inquit, puto, Deus fio.* apud Sueton. Dicit autem Iuuenalis *in cœlum descendere* festiue: quia videbat sepeliri Imperatores, & idcirco terram potius, quam cœlum petere. Et nonne stultum erat, quem publico luctu mortuum confessi erant, in Deum consecrare? Quoniam autem post mortem consecrabantur Imperatores, dicit Tertullianus infauste illos ante apotheosim Deos nuncupari. Nam hoc pacto mortis omen triste obiiciebatur. Sic enim capio hunc locum in Apologet. cap. XXXIV. *Si non de mendacio erubescit adulatio, eiusmodi hominem Deum appellans, timeat saltem de infausto. Maledictum est ante apotheosim Deum Cæsarem nuncupari.* Nota de *infausto*: Nam omen triste *infaustum* signate. Cornel. Tacitus lib. I. histor. *Introitus in vrbem, trucidatis tot millib. inermium militum, infaustus omine atque ipsis etiam, qui occiderãt, formidolosus.* De eadem re Plut. in Galba. ἡ χρηστὴ ἐστὶ αἵματος πεσούσης τῷ Γάλβα τὴν εἴσοδον, εἰσιοῦσι διὰ πολλῶν φόνων, καὶ νεκρῶν τοσούτων εἰσελθεῖν πάλιν. *Fauere, fauere linguis*, & *fauentia*, ad rem ominum pertinere plusquam notum est. *Maledictum* quoque proprie, quia *benedicere*, & *bona verba dicere* iubentur, qui faustam ominationem exiguntur. Sed de hac re plura & meliora in Tertulliani Apologeticum. D

AD

AD EPIGR. XXV.

ADSPICIS *incomtus*] Notat hoc epigrammate Martialis nonnullos sui temporis ἀλαζόνας, quales erāt plurimi, qui sordibus, vultus ac frontis seueritate & tristitia, ac verborum asperitate nō modo philosophi, sed philosophorū sanctissimi videri volebāt, cū eorū vita interior omni flagitiorum ac nequitiæ genere esset sæpius contaminatissima. Hoc genus hominum traduxit Sat. II. Iuuenalis: traduxerunt & alij; atque in his Lucianus locis quamplurimis. Christianos enim scriptores, qui Philosophorum typhum & arrogantiā sæpius confoderunt, heic omitto. Sed & Gregorius Nazianzenus Orat. XIX. nonnullos describit elegātissime, ἁπλαστῶς ἢ οὐχ ἁπλῶς ἐσχηματισμένους φιλοσοφεῖν, qui ceteris sanctiores & à mundo alieniores videri volebant. Locus est elegans.

B INCOMTIS *capillis*] Ista enim philosophorum mendicabula, quique asperius viuendi propositum suscepisse videri volebant, cultum non modo aspernabantur & corporis curam, sed sordes etiam consectabantur. Hinc coma impexa & sordida barba promissa, &c. Seneca epist. V. *Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita. Satis ipsum nomen philosophiæ, etiamsi modeste tractetur, inuidiosum est.*

CVIVS *& ipse times triste supercilium.*] Supercilium Philosophorum & ἀλαζόνων passim quoque notatum. Plato Comicus de philosophis:

— οἱ γελῶ τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακότες,
ἢ τὸ φρόνιμον ζητοῦντες ἐν τοῖς σκέμμασιν.

Plut. in Erotico: κομῶσι δὲ ἢ ψυχολογοῦσι, ἢ τὰς ὀφρῦς αἴρουσι, φιλοσοφεῖν φασίν. Ita Philosophorum superbam tristitiam & seueritatem designāt: Nam τὰς ὀφρῦς αἴρειν, superbi plane & cæteros contemnētis: quod & ὀφρῦς ἀνασπᾶν dicunt. Demosthenes in ea περὶ παραπρεσβείας. ἐπειδὴ δ' μισθία εἰργασμένα κατά, τὰς ὀφρῦς ἀνέσπακεν. Heliodorus lib. IV. Æthiop. hist. ἀνασπῶντι τὴν ὀφρῦν, ἢ βλακώδες βαίνων. Sed elegāter Lucianus in Amoribus de Philosophorum supercilio: μετεωρολέσχαι δὲ ἢ ὅσοι τὴν φιλοσοφίας ὀφρῦν ὑπὲρ αὐτοὺς τοὺς κροτάφους ὑπερήρκασιν: *qui philosophicum supercilium supra ipsa tempora subrexerunt.* Eadem elegantia, τὰς ὀφρῦς ἐπάνω τῆς κορυφῆς ἔχειν, dicebat Alexis apud Athenæum:

τοὺς δ' ἰχθυοπώλας τοὺς κάτω ἀποβλέποντας
ἐπάνω ἢ κάτω βλέποντας, τὰς δ' ὀφρῦς
ἔχοντας ἐπάνω τῆς κορυφῆς, ἀποπνίγομαι.

Atque hinc profecto Iuuenalis illud:

Atque supercilio breuior coma.

ὑψῶ ὀφρυόμετρον autem Gregorius Nazianzenus in Sermone de plaga grandinis, τί δὲ οἱ τοῖς ὑψηλοῖς θρόνοις ἐγκαθεζόμενοι, καὶ τὴν ἀρχικὴν σκηνὴν αἴροντες, ἢ τὴν ὀφρῦν τῶν θεάτρων ὑψηλοτέραν; *Quid vero illi qui in sublimibus thronis sedent, magistratus atque imperij scenam, ipsumque adeo supercilium theatris altius euehentes?* Supercilia autem ita erecta eleganter *ardua* appellant, vt A. Gellius lib. IV. cap. I. Ammianus Marcellinus lib. XVI. *Ardua subrigens supercilia, vt sæpe secundis elatus.* Triste igitur supercilium, quia talis tristitiæ ac seueritatis habitus: Quare τὰς ὀφρῦς αἴρειν opponit Diphilus τῷ γελᾶν. Sic enim ad Bacchum:

τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν.

Ceterum huc plane pertinent ista Senecæ Epist.

A XLIX. *O pueriles ineptias! In hoc supercilia subduximus? In hoc barbam demisimus? Hoc est quod tristes docemus & pallidi?* Tristes, σκυθρωποὶ καὶ κατηφεῖς. Lucianus: οὓς λέγεις τοὺς φιλοσόφους; ἆρ' ἐκείνους τοὺς κατηφεῖς; τοὺς σκυθρωποὺς ξυνάγοντας; Sic describit eos Lucianus quos *obstipo capite terram figere* dicit Persius; qui est habitus hominis meditatione ac cura defixi. Epicrates apud Athenæum: ἢ κύψαντες χρόνον οὐκ ὀλίγον διεφρόντιζον. Aristophanes in Nubibus:

τί γὰρ οἵδε δρῶσιν οἱ σφόδρ' ἐγκεκυφότες;

Viri igitur graues, & philosophiæ studiis dediti eo habitu quandoque incedebant absque affectatione. Sed alij hactenus erant Philosophi, cetera turpissimis & contaminatissimis moribus; atque pro grauitate ineptam tristitiam & σκυθρωπότητα præ se ferebant. Tales describit nonnullos Greg. Naz. in Oratione funebri Basilij Magni, qui Basilij grauitatem imitari conabantur, quum ab eius virtute longe abessent. πολλὰ ἢ τῶν οἰκείων μικρῶν, ἤδη δὲ ἢ τῶν ἐκτὸς ἐπιτηδευμάτων, ἑτέροις εἰς δόξαν ἐποιεῖτο. οἷον, τὸ χρῶμα λέγω, ἢ τὴν γενειάδα, ἢ βαδίσματος ἦθος, ἢ τὸ περὶ λόγον μὴ πρόχειρον. σύννουν τὰ πολλά, ἢ εἴσω συννευκός, ὃ τοῖς πολλοῖς μὴ καλῶς ζηλωθὲν μηδὲ τεχνικῶς σκυθρωπότης ἐγένετο.

NOLITO *fronti fidere, nupsit heri*] Non absimile Luciani illud de istis hominibus: οἱ ἢ μάλα σεμνοί, ἢ σκυθρωποὶ τὰ ἔξω, ἢ τὰ δημόσια φαινόμενοι, οἱ παῖδας ὡραίους ἢ γυναικὸς κάλλος ἀγαπῶσιν, οἷα ποιοῦσι; Idem autem flagitium exagitat Iuuenalis Satyra II.

AD EPIGR. XXVI.

CINERI *gloria sera venit*] Qui huius Epigrammatis acumen assequuti non sunt, mira
C somniarunt. Totum autem acumen est in dictione *Sera.* Nam quæ optamus alicui post mortem optima & præstantissima, ea tamen vt sero contingant precamur. Sic immortalitatem, &, vt nonnulli loquuti sunt, diuationem seram Augusto exoptabat Horatius;

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini; &c.

Sic & Neroni Lucanus adulabatur lib. I.

— Te, quum statione peracta
Astra petes SERVS, prælati regia cæli
Excipiet gaudente polo.

Et ipse adeo Martialis lib. XIII.

Serus vt ætheria Germanicus imperet aula,
Vtque diu terris, da pia thura Ioui.

AD EPIGR. XXVII.

D SEXTILIANE *bibis*] Supra ad Epig. XII. De istis autem subselliis ad Epig. XXV. lib. V.

TESTA *sed antiqui felix siccatur opimi*] Sic Græci dicunt, ξηρὸν πεποίηκε τὸν κάδον. Aristias apud Athenæum lib. XI. μέγαν ποιῶ ἢ ξηρὸν ἐπίνεν διδοὺς τὸν κάδον.

AD EPIG. XXVIII.

MISEI *μνάμονα συμπόταν*] Scripserat Martialis, μισῶ μνάμονα συμπόταν. Hæc enim à Poëta Dorico. Lucianus; μισῶ γὰρ (φησὶ ἢ ὁ ποιητικὸς λόγος) μνάμονα συμπόταν. Sed & Plutarchus versu isto recitato statim initio lib. I. Quæst. Conuiu. addit, οἱ δὲ ἐν Σικελίᾳ Δωριεῖς (ὡς ἔοικε) τὸν ἐπίτροπον μνάμονα προσαγορεύουσιν. Diuersæ igitur proponebantur Prouerbij

istius interpretationes; sed acceptior erat illa, quam heic sequitur Martialis, τὴν παροιμίαν τὴν τῶν πάλαι λεγομένοις καὶ πραττομένοις ἀμελείας ἐπάγων. Stultus iuuenis qui nihil referre ait quomodo istic legatur, nimis impudenter stultus est.

AD EPIGR. XXIX.

Hesterno *fœtere mero*] Locus ex homonymia. Hesternum merum & hesternam crapulam appellabant, quam ne nox quidem concoquere potuerat; quod erat perquam probrosum. Virgilius in Sileno:

Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho.

Sic χθιζὴν μέθην Græci dicunt. Plutarchus: ἤδη ποτὲ χθιζὸς μεθύων ἀποπιών. Lucianus χθεσινὴν κραιπάλην dicit libello περὶ πταίσματος· οἱ δὲ χθεσινῆς κραιπάλης ἀνάμεστοι ἐξ ἕω ἔτι. Heic autem ait Martialis falli eos, qui mane quum Acerræ occurrerent hesterno fœtere mero eum existimarent. Quare? Quia compotationem in lucem protraxerat; quod erat multo probrosius. Claudianus lib. II. in Eutropium;

Inter quæ tumidus leno producere cœnas
In lucem, fœtere mero, &c.

Suetonius in Iulio Cæsare: *Dilexit & reginas, sed maxime Cleopatram, cum qua & conuiuia in primam lucem sæpe protraxit.* Hæc igitur omnia fœdissima; sed fœdior etiam matutina crapula. Lucianus in Deorum concilio, vbi Bacchum describit: ἁβρὸς οὕτω καὶ γυναικεῖος τὴν φύσιν, ἡμιμανὴς, ἀκράτου ἕωθεν ἀποπνέων. Idem in Iudiciis: ἀγρυπνεῖ γὰρ ἕωθεν ὁ ἄθλιος ἐπεμφανίζων, διὰ τῆς ἀγορᾶς μεθύων καὶ βωμολοχούμενος καὶ ὅ,τι ποτὲ ἀνῇ ...

AD EPIG. XXXI.

Chirvrgvs *fuerat*] Locus est ἐν ὁμωνυμίᾳ vocis *Clinicus*. Nam medici qui assident ægrorum κλίναις dicuntur *Clinici*, & Vespillones, qui κλίνας, id est, lectos, quibus efferuntur mortui, baiulant. Sic enim κλίνην accipi docuimus lib. I. Aduersariorum nostrorum. κλινικὸς sane Græcis ἰατρός. Lucillius:

Τὸν λίθινον Δία χθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος·
Καὶ λίθος ὤν, καὶ Ζεὺς σήμερον ἐκφέρεται.

Hos *tibi Phœbe*] De comæ & barbæ primitiis Deo consecratis passim apud scriptores. Alia obseruamus in Digressionibus.

Dvmqve *decent fusæ lactea colla iubæ*] Hic enim habitus delicatorum & perditorum puerorum. Theocritus Idyll. v.

κἠμὲ γὰρ ὁ Κρατίδας τὸν ποιμένα λεῖος ὑπαντῶν
ἐκμαίνει. λιπαρὰ δὲ παρ' αὐχένα σείετ' ἔθειρα.

Horatius:

Et, quæ nunc humeris inuolitant, deciderint comæ.

AD EPIGR. XXXIII.

Non *amo te Sabidi*] *Amor*, dicebat Calpurnius Declam. XXXII. *animi peculiare secretum est.* Hoc dictum esse verissime, non de amore solum, cui Venus præsidet, sed de omni amicitiæ genere vsus quotidianus satis testatur. Nam vt aliquem serio amemus, animi propensio accedat necesse est; Hæc si abest, frustra amari desideramus. Sed quandoque non solum non amamus; sed etiam odio habemus sine caussa. Aliud est non amare; aliud odisse. Sunt igitur quædam odia gratuita, quæ à cæco animorum impetu. Eleganter Quin-

A tilianus Declamat. CCCXXV. *Sunt quidam irrationabiles impetus animorum; quædam gratuita, vt vulgo vocantur, odia.* Spectatorum vota in Circo aut theatro maxime demonstrabant. Quare Tertullianus lib. de Spectaculis; *Inde maledicta; conuicia sine iustitia odij; etiam suffragia sine merito amoris, &c. Et amor apud illos otiosus; & odium iniustum. Et forsitan sine caussa amare liceat, quam sine caussa odisse.*

AD EPIGR. XXXV.

Raraqve *Summœni*] Ediderunt postrema editione, *si memini.* Pessime. Volunt heic quidam intelligi Summœnum lenonem coloratum, & notabilem, aut Summœnum locum in vrbe, vbi frequentia lupanaria. Sed vide an dicendum, *Summœni fornice* adiectiue. Summœnianarũ meretricum crebra mentio apud Martialem. Et ita
B fortasse appellatæ Suburanæ illæ meretrices, quarum etiam sæpe meminit Martialis. Meminit & Horatius in Epod. Nam Subura muro terreo suberat. Aut in ipsa etiam Subura Summœniũ locus sub muro illo, vbi ista prostibula. Varro lib. IV. de ling. Lat. *Eidem regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum. In ea est argeum sacellum sextum. Subura, Iunius ab eo scribit quod fuerit sub antiqua vrbe. Cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui Terreus murus vocatur.* Sed hæc sint iuris arbitrarij. Solemus sane sæpissime, quotquot has literas colimus, διὰ τὸ λιχνότερον ὁρᾶν, τὰ ταχύτερα περιορᾶν.

Abscondvnt *spurcas*] Pro *hæc monumenta* legendum, *& monumenta*, vt est in quibusdam libris. Scorta diobolaria heic dicit, & erraticas lupas, quæ in monumentis, siue sepulchretis stabant, quas *bustuarias mœchas* appellat lib. III. Chio-
C ne igitur, minus inhoneste stabat in inscripta sua cella.

AD EPIGR. XXXVI.

Versvs *scribere me parum seueros*] Plinius epist. III. lib. V. *Facio nonnunquam versiculos seueros parum.*

Qvid *si me iubeas*] Sic absurditas denotatur. Seneca: *Quid si me remittere manco pilam iubeas? Stultum est dare alicui, quod accipere non possit.*

AD EPIGR. XXXIX.

Qvem *recitas*] Locus est ab accidente. Imitatus autem hoc epigramma Ausonius, epistola priori ad Theonem:

D *Hæc quoque ne nostrum possint vrgere pudorem,*
Tu recita, & vere poterunt tua dicta videri.

AD EPIGR. XL.

Si *quis erit*] χαρακτηρίζει heic Martialis hominem singularis & raræ probitatis, quem nos dicimus *vn vray preudhomme.* Talem describit paucis verbis C. Septitium Plin. Epistol. IX. lib. II. *Habet auunculum C. Septitium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius noui.*

Et *vera simplicitate bonus*] Hæc est summa, ac pæne omnium, quas in Deciano commendat, virtutum, κορυφή. Verba adprime notanda sunt. Mores hominum eo reciderunt, vt quæ natura sua laudem merebantur, ea sæpius vitio, aut probro

bro vertantur. Simplicitas ac bonitas summa olim hominis probi ac pæne sola commendatio erat; Postquam hæ virtutes aliorum malitiæ, calliditati, & fraudi expositæ esse cœperunt, *bonos, simplices, minime malos*, εὐήθεις, χρηστούς, appellarunt homines parum cautos, & sæpe stolidos. Seneca lib. II. de Ira: *Simplicissimi, inquit, omnium habentur iracundi. fraudulentis enim & versutis comparantur; & simplices videntur qui expositi sunt; quos quidem non simplices dixerim, sed incautos. Stultis, luxuriosis, nepotibusque hoc nomen imponimus, & omnibus vitijs parum callidis.* Sane obseruat Aristoteles lib. Rhetor. I. cap. IX. sumi quandoque τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσι, quæ proxime accedunt, ὡς ταὐτὰ ὄντα, quasi res sint eædem, quum laudare aut vituperare volumus; quomodo, inquit, stolidum, εὐήθειαν appellamus χρηστόν· item, τὸν ὀργίλον ἁπλοῦν, τὸν μανικὸν ἁπλοῦν. Secundum præceptum hoc ἁπλότητα vsurpat Gregorius Nazianzenus Orat. XXI. de Constantij à Georgio circumuenti incauta simplicitate agés: εἰκείνου δὲ τὴν βασιλέως ἁπλότητα, ἵνα γὰρ ἐγὼ καλῶ τὴν κουφότητα, αἰδούμενος τὴν εὐλάβειαν. ... εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, ... κατ' ἐπίγνωσιν. Heic igitur Decianum Martialis ait *vera simplicitate bonum*: nempe cuius bonitas ac simplicitas dolo careret; prudentia, & iudicio non esset destituta. Hæc est virtus, quam in patre suo commendat Gregorius Nazianzenus Orat. XIX. ὁ δὲ κάλλιστον τὸν ... ἰδιώτην, ... οὐδὲ τοῖς πολλοῖς ἀγνοούμενον, ἡ ἁπλότης ἦν τῶν ... ἀδόλου.

S i *quis erit recti custos*] Hæc virtus ab eadem simplicitate, siue potius virtutis illius effectus. Nam viri vere simplices, & ab calliditate & sapientia temporibus accommodata alieni id tantum spectāt, quod verum, rectum, iustum existimant, de euentu securi. Talem describit eleganter Achillem Euripides Iphigeniâ in Aulide;

> ἐγὼ δ' ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφεὶς,
> Χείρωνος, ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν.
> Κ' τοῖς Ἀτρείδαις, εἰ μὲν ἡγῶνται καλῶς,
> πεισόμεθ'· ὅταν δὲ μὴ καλῶς, οὐ πείσομαι.

Hoc ait, Ita se à Chirone homine summa pietate instructo esse institutum, vt mores simplices gereret; Quare Atridis, si rectè & sapienter imperarét, obsequentem se futurum; sin contra, eos nec auditurum.

I m i t a t o r *honesti*] Qui honestum vtili præferat, atque eo tantum consilia sua referat. Lucanus de Catone:

> *Iustitiæ cultor, rigidi seruator honesti.*

E t *nihil arcano qui roget ore Deos*] Cuius vota aperta sint, & ad Pythagoræ præceptum formata, μετὰ φωνῆς εὔχου: quod est hominis simplicis, & qui sic cum Dijs loquatur quasi homines audiant: sic cũ hominibus, tanquam Dij audiant. Sane hæc est nota hominis ad vnguem probi; Nam quotusquisque qui non ea intra se optet, quæ nonnisi cum alterius damno possint ei contingere? Seneca lib. VI. de benef. cap. XXXVIII. *Denique se quisque consulat, & in secretum pectoris sui recedat, & inspiciat quid tacitus optauerit. Quam multa sunt vota, quæ etiam sibi fateri pudet! Quam pauca, quæ facere coram teste possimus!*

S i *quis erit magnæ subnixus robore mentis*] Vno verbo, si quis est vere μεγαλόφρων & μεγαλόψυχος, hic est quem depinximus; Nam animi magnitudinem omnes hæ dotes consequuntur; & omnia ista animi magnitudo complectitur & ornat. Sic Plinius postquam T. Aristonis singulares

A laudes descripsit, addit postremo: *Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem; omnia ad conscientiam refert; recteque facti, non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit.* Atque huc omnino pertinet quod obseruat Aristoteles libr. Nicomach. IV. cap. III. virtutem hanc omnium aliarum virtutum complementum esse & ornamentum; eas enim præstantiores efficere; nec sine ijs esse. ἔοικε μὲν οὖν ἡ μεγαλοψυχία οἷον κόσμος τις τῶν ἀρετῶν· μείζους γὰρ αὐτὰς ποιεῖ, καὶ οὐ γίνεται ἄνευ ἐκείνων. Quæ autem supra obseruata sunt, quomodo ea magnitudini animi conueniant videndum est. Primum igitur magnanimi sunt vere simplices, & aperti; nihil ex occulto, nihil de insidijs agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici. M. Tullius lib. I. de Officijs: *Ita viros fortes, & magnanimos, eosdem bonos & simplices; veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus: quæ sunt ex*

B *media laude iustitiæ.* Hinc ἁπλοῦς & γενναίους, itē τὸ ἁπλοῦν καὶ τὸ γενναῖον sæpissime coniungunt. Egregie Plutarchus in Lysandro, vbi πανοῦργον graphice describit in persona Lysandri, & homini simplici & generoso opponit: τοῖς δὲ τὸν ἁπλοῦν καὶ γενναῖον ἀγαπῶσι τῶν ἡγεμόνων τρόπον, ὁ Λύσανδρος τῷ Καλλικρατίδᾳ παραβαλλόμενος ἐδόκει πανοῦργος εἶναι, καὶ σοφιστὴς, ἀπάταις τὰ πολλὰ διαπραττόμενος τοῦ πολέμου. &c. Simplicitas igitur hæc facit vt omnia aperte, omnia palam agantur: & idcirco simplices & veritatis amici vulgo coniungũtur, veluti loco è Ciceronis Officiis modo exscripto. Capitolinus in Vero Imperatore: *Erat enim morum simplicium, & qui adumbrare nihil posset.* Atque omnia hæc ad animi magnitudinem pertinent. Quare ἁπλότητα & ἀλήθειαν eleganter coniungit Dio Chrysostomus Dissertat. I. de regno, vbi ostendit virtutes esse vere regias; fraudem autem & calliditatem vi-

C tia seruilia. τὴν μὲν γὰρ ἁπλότητα καὶ τὴν ἀλήθειαν ἡγεῖται βασιλικὸν καὶ φρόνιμον· τὴν δὲ πανουργίαν καὶ τὴν ἀπάτην, ἀνόητον καὶ δουλοπρεπές, ὁρῶν ὅτι τῶν θηρίων τὰ δειλότατα καὶ ἀγεννέστατα ἐκεῖνα ψεύδεται πάντων μάλιστα καὶ ἐξαπατᾷ. Aristoteles idcirco in Nicomacheis μεγαλόψυχον ait esse ἀληθευτικόν. Item φανερόμισον καὶ φανερόφιλον, & rationem adijcit, τὸ γὰρ λανθάνειν, φοβουμένου. Euenit autem aliquando vt hæc nisi sint temperata, nõ solum mala ingentia adferant, sed & homines ita affectos ridiculos faciant; Quare cautio est adhibenda. Hoc volebat Thucydides cũ hæc scriberet lib. III. καὶ τὸ εὔηθες (οὗ τὸ γενναῖον πλεῖστον μετέχει) καταγελασθὲν ἠφανίσθη. Iosephus cordate & eleganter lib. Histor. Iudaic. XVI. cap. VI. vbi de simultatibus quas Herodis filij cum Pherora patruo ac Salome exercuerunt: τὸ μὲν γὰρ μῖσος ἴσον ἦν ἐξ ἀμφοῖν. ὁ δὲ τρόπος τοῦ μισεῖν, οὐχ ὅμοιος. ἀλλ' οἱ μὲν ἐν τῷ φανερῷ λοιδορηθῆναι, καὶ προσονειδίσαι προπετεῖς, ἀπειρίᾳ τινὶ ὑπὸ τῆς ἀπειρίας οἰόμενοι τὸ τῆς

D ὀργῆς αὐθεντικώτερον. οἱ δ' οὐ τοῦτον τρόπον, ἀλλὰ πραγματικῶς καὶ κακοήθως ἐχρῶντο ταῖς διαβολαῖς προσειληφότες ἀεὶ τὰ μειράκια. &c. Loco autem proxime laudato addit Aristoteles μεγαλόψυχον esse παρρησιαστικόν. Hoc ipsũ est quod ait Iosephus lib. I. de Bello Iudaico, cap. XVIII. de iisdem filiis Herodis: τοῖς δὲ δι' εὐγένειαν παρῆν ἐντεῦθεν ἡ ἐπὶ γλώσσης. Ad hanc virtutem etiam pertinet quod de Deciano addidit Martialis, Eum esse *honesti imitatorem.* Nam qui est vere μεγαλόψυχος honestum tantum spectat, τὸ καλὸν, vtili insuperhabito. Quare Aristoteles: καὶ οἷος κεκτῆσθαι μᾶλλον τὰ καλὰ καὶ ἄκαρπα τῶν καρπίμων καὶ ὠφελίμων. Et in Rhetoricis, lib. II. cap. XII. iuuenes concludit esse μεγαλοψύχους, quia μᾶλλον

ἀποσώπει πράττειν τὰ κατὰ τὸ συμφερόντων. Contra homines πανοῦργοι vtile tantum spectant, de honesto, nisi idem vtile sit, parum soliciti: quod de Lysandro scribebat Plutarchus loco antea laudato. καὶ τὸ δίκαιον, inquit, ἐπὶ τῷ λυσιτελοῦντι μεγαλύνων. εἰ δὲ μή, τῷ συμφέροντι χρώμενος ὡς καλῷ, καὶ τὸ ἀληθὲς οὐ φύσει τοῦ ψεύδους κρεῖττον ἡγούμενος, ἀλλ' ἑκατέρου τῇ χρεία τιμῶν ὁρίζων, &c.

AD EPIGR. XLI.

Qvi *ducis vultus, & non legis ista libenter*] Describit eleganter Plutarchus libello περὶ τοῦ ἀκούειν plane aureo hominem eiusmodi inuidia perditum, & aliena scripta inuidis & iniquis auribus audientem. *Ducere* autem *vultus* heic est, vel seueritatem & tristitiam affectare, quasi quæ leguntur minime placeant, quod eleganter dicit Plutarchus, περὶ ὃ καὶ βαρύτητα καὶ σεμνότητα καὶ χασμησμῷ θηρῶνται δόξαν ἐπιεικοῦς καὶ βάθος ἔχοντος ἀνδρός, καὶ ἔχοντός τι τῶν λεγομένων βέλτιον εἰπεῖν. Vel est re vera tristitiam & anxietatem animi testari, ob alienam industriam, σκυθρωπάζειν, quod inuido plane conuenit. Quare Bion apud Diogenem Laërtium πρὸς τὸν βάσκανον ἐσκυθρωπακότα, οὐκ οἶδα, ἔφη, πότερον σοι κακὸν γέγονεν, ἢ ἄλλῳ ἀγαθόν;

AD EPIGR. XLII.

Vrbanvs *tibi Cæcili videris*.] Epigramma hoc Satyricum est, & simul ἠθικόν. Docet enim in persona Cæcilij Martialis quid vrbanitas à scurrilitate, & stolida procacitate differat; & quam sæpe contingat, vt qui vrbani & faceti videri volunt, in scurrilitatem incidant. *Vrbanos* igitur appellabant homines elegantis ac faceti ingenij, qui dictis & salibus suis risum non tam captarent quam exprimerent, idque cum moderatione quadam, & habita non personarum modo, sed temporis etiam & verborum ipsorum ratione. *Vrbani* autem appellati sunt, quemadmodum & Græcis ἀστεῖοι, vt ita tristibus & parum politis hominibus, quales rure sæpius aut nascuntur aut fiunt, opponerentur, quos ideo Græci ἀγροίκους καὶ σκληρούς appellãt, vt constat ex Aristotele lib. Nicomacheorum IV. cap. VIII. οἱ δὲ μήτ' αὐτοὶ ἂν εἰπόντες μηδὲν γελοῖον, τοῖς τε λέγουσι δυσχεραίνοντες, ἄγριοι καὶ σκληροὶ δοκοῦσιν εἶναι. Eosdem & σκυθρωπούς dixerunt. Xenophon de Cyri institutione lib. II. ἀνὴρ τῶν τρόπων τῶν σκυθρωποτέρων ἀνθρώπων. Homines istos non solum *tristes* Latini appellarunt, sed etiam *inhumanos*, quemadmodum virtutem contrariam *humanitatem* appellarunt. M. Tullius lib. 2. de Oratore: *Eo autem omni sermone confecto, tantam in Crasso humanitatem fuisse, vt, quum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis; eaque esset in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos Curiæ fuisse videretur, conuiuium Tusculani.* Idem iterum eodem libro; *Quid esse potest in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus, aut nulla in re rudis?* Sed & ἀγροίκους eosdem Græci appellarunt, & vitium ipsum ἀγροικίαν. Nam dictio hæc etsi latius patet, quandoque tamen huic vitio proprie ac peculiariter tribuitur. Philosophus lib. II. Nicomach. cap. VII. περὶ δὲ τὸ ἡδύ, τὸ μὲν ἐν παιδιᾷ, ὁ μὲν μέσος, εὐτράπελος· καὶ ἡ διάθεσις, εὐτραπελία. ἡ δ' ὑπερβολή, βωμολοχία· καὶ ὁ ἔχων αὐτήν, βωμολόχος. ὁ δ' ἐλλείπων, ἄγροικός τις. καὶ ἡ ἕξις, ἀγροικία. Quod autem obseruabamus antea, ἀγρίους eosdem & σκληρούς ap-

A pellari, non dissidet id à Latinorum loquendi ratione, qui eiusmodi homines quandoque non *inhumanos* tantum, sed & *truculentos* appellarunt. Vnde & Plauti Comœdiæ factum nomen. Quoniam autem rustici homines rure educati, & ad hasce facetias minime formati, hoc nomine male audiebant & viliores habebantur, idcirco virtutem contrariam & hominum in vrbibus expolitorum propriam odioso nomine scurrilitatem ipsi appellabant, atque quam iniuriam ab vrbanis sibi illatam putabant, hac ratione vltum ibant. Hinc ille apud Plautum in Mostellaria,

Tu vrbanus vero scurra, deliciæ populi,
Rus mihi tu obiectas?

Et profectò plebecula sæpe in vrbibus procax potius est quam vrbana, nec humanitate illa, quæ hominum politorum propria est, tincta.
B Cornel. Tacitus lib. III. Histor. *Vt sunt procacia vrbanæ plebis ingenia, petulantibus iurgiis illuserant.* Atque hactenus de nominis origine. Ad rem igitur vt propius accedamus, *vrbani* sunt qui Græcis εὐτράπελοι: quibus opponuntur ab vna parte βωμολόχοι, ab altera ἄγριοι & σκληροί, siue ἄγροικοι, quod pluribus docet Aristoteles quarto Nicomacheorum. Iidem χαρίεντες quandoque dicti & χαριεντίζεσθαι oppositum τῷ γελωτοποιεῖν, etsi illud quoque sæpius in deteriorem partem. Clemens Alexandrinus lib. II. Pædagogi. cap. V. χαριεντιστέον τι, οὐ γελωτοποιητέον. Plutarchus in Lucullo: βουλόμενος δὲ ὁ καὶ αὐτὸς ὁ Τιγράνης χαρίεις εἶναι καὶ σκωπτικός. Sozomenus lib. VIII. Histor. Eccles. cap. I. de Sisinnio Nouatianorum Episcopo, τὸ ἦθος ἦν χαρίεις καὶ ἡδὺς ἐν ταῖς συνουσίαις. Hoc ipsum est quod duobus verbis, iisque elegantibus dicit Diogenes Laërtius in Lacyde, εὔχαρις καὶ εὐόμιλος. Aristoteles libro su-
C pra laudato eandem virtutem quandoque etiam ἐπιδεξιότητα appellari obseruat. τῇ μέσῃ δ' ἕξει οἰκεῖον καὶ ἡ ἐπιδεξιότης ἐστί· τοῦ δ' ἐπιδεξίου ἐστὶ τοιαῦτα λέγειν καὶ ἀκούειν, οἷα τῷ ἐπιεικεῖ καὶ ἐλευθερίῳ ἁρμόττει. Ita sane τὸ ἐπιδέξιον sæpissime appellarunt. Plutarchus libello de discrimine adulatoris ab amico, ὥσπερ ἡ παρρησία δέχεται τὸ ἐπιδέξιον, καὶ τὸ ἀστεῖον, ἀλλ' ἡ χάρις τὴν σεμνότητα σώζει. Sane *dexteritatem* quoque Latini appellarunt virtutem illam, qua cum hominibus ita versari nonnulli sciunt, vt humanitate & morum facilitate sese iis non iucũdos solum, sed & gratissimos reddant, T. Liuius lib XXVIII. *Tanta autem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non Syphacem modo barbarum, insuetumque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum facunde alloquendo sibi conciliarit.* Et lib. XXXVII. *Multa in eo & dexterias, & humanitas visa, quæ commendabilia apud Africanum erant, vi-*
D *rum sicut ad cetera egregium, ita à comitate, quæ sine luxuria esset non auersum.* Talis humanitas & dexteritas Cimonis, quam verbis elegantissimis pingit Plutarchus in Periclis vita; ἐπαινοῦσι δὲ τὸ Κίμωνος ἐμμελές, καὶ ὑγρόν, καὶ μεμουσωμένον ἐν ταῖς περιφοραῖς. Nihil potest dici elegantius. Primum τὸ ἐμμελές verbum est ad hanc rem adprime proprium. Aristoteles; οἱ δὲ ἐμμελῶς παίζοντες, εὐτράπελοι προσαγορεύονται. Addit deinde ὑγρόν: qua dictione facilitas illa significatur, à qua εὐτράπελοι denominati sunt, οἷον εὔτροποι, vt docet eodẽ loco Aristoteles. Atque istius denominationem eleganter quoque explicat Thucydides lib. II. vbi Pericles de Athieniensibus. ξυνελών τε λέγω, τήν τε πᾶσαν πόλιν, τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν εἶναι, καὶ καθ' ἕκαστον δοκεῖν ἄν μοι τὸν αὐτὸν ἄνδρα παρ' ἡμῶν ἐπὶ πλεῖστ' ἂν εἴδη, καὶ

μετ'

μεϑ' χαρίτων μάλιϛ' αὖ εὐτραπέλως τὸ σῶμα εὔϑετος παρέχεσϑαι. Sane ijdem homines εὐφυεῖς etiam appellati sunt, quibus scilicet inesset naturalis illa ingenij dexteritas & facilitas; Verum quia difficile est hac in re modum tenere, & mediã viam insistere, ac sæpius contingit vt qui adhasce facetias paulo sunt propensiores, in scurrilitatem incurrant, aut ad eam proxime accedant, inde factum est vt εὐτραπελίαν sæpe pro βωμολοχίᾳ acceperint, atque ceteris omnibus vocabulis, quibus virtus illa, quam describit Aristoteles, significatur, in deterius abusi sint, quemadmodum obseruat Aristoteles loco supra laudato, vbi non solum εὐτραπέλους, sed & χαρίεντας quandoque dici τοὺς βωμολόχους ostendit. Sane qui iocandi & cauillandi artem professi sunt, χαρίεντες sæpissime appellati sunt: quemadmodũ qui apud nos dicũtur *Plaisans*. Et εὐτραπελίαν sanctissimi quique vt plurimum auersati sunt, nec solus eam damnauit Apostolus in ea ad Ephesios, sed & ipsi veteres Attici, si Isocrati credimus in Areopagitica, vbi & εὐφυεῖς ostendit appellatos eiusmodi dicaculos: σκυθρωπάζειν δ' ἐμελέτων, καὶ τὸ βωμολοχεύεσθαι καὶ τοὺς εὐτραπέλους δέ, καὶ σκώπτειν δυναμένους, οὓς νῦν εὐφυεῖς προσαγορεύουσι, ἐκεῖνοι δυστυχεῖς ἐνόμιζον. Hesychius optime: εὐφυεῖς, οἱ ἐκ τοῦ ἑτοίμου λέγοντες, καὶ σκώπτοντες. Sed ita sæpius appellati scurræ insigniores. Athenæus lib. VI. ἦσαν δὲ ἐν φύσει βωμολόχοι καὶ κατ' ἑκάστην ἡμέραν μισθούμενοι, καὶ χεῖρον τῶν ἐπιτηδευμάτων τοὺς τρόπους ταῦτα συνίεντες, καὶ τῶν αἰσθανομένων τοὺς εὐφυεῖς καλουμένους, ὑπὸ τῶν γέλωτα λέγουσι καὶ ποιοῦσι. Atque profecto ita est; Raro hac de re bene iudicamus: Nam & quos laudat hoc eodem Epigrammate Martialis, Sextius & Galba, scurræ erant certe εὐφυεῖς, sed vilissimi, & qui arte illa vitam colebant.

VERNA *es*] Quorundam γελωτοποιῶν ioci erant innocentes, aliorum contra procaciores, & petulantiores, quales vernarum, quorum dicacitate delectabantur, atque eos *quidam in hoc mercabantur procaces, & eorum impudentiam acuebant, & sub magistro habebant, qui probra meditate effunderent*, inquit Seneca lib. de Tranquill. vit. II. Hinc *vernile dictum* apud Cornel. Tacit. lib. III. Histor. *vernile dictum omnem inuidiam in eum vertit*, &c. Cetera in Digressionibus.

HOC *quod Transtiberinus ambulator.*] Sequuntur exempla hominum stolide procacium & petulantium, quales sunt tenues pæne omnes & abiectæ conditionis homunciones, atque in ijs maxime qui vili mercimonio vitam tolerant; vt pluribus ostendimus in Digressionibus. Tales autem *Transtiberini ambulatores*, qui trans Tiberim ambulant ac pererrant quisquilias suas venditantes. Sic omnino περιπατεῖν apud Diphilum de eiusdem fortunæ hominibus.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν πιθανόν, ἀλλὰ τοῖς ...
τὸ περιβοητόν. χθὲς τὴν ὁδὸν πολλοὺς περιπατοῦντ' εἶδον ...
ῥόδα, ῥαφανίδας, θερμοκυάμους, σίμφυλα,
ἄλλως ἅπαντα μᾶλλον, ἢ ταύτας τρέφειν.

Atque verbi istius significatio fugit Athenæi interpretem lib. II. Ceterum trans Tyberim tenuiores habebant. T. Liuius lib. III. *Pecunia à patre exacta crudeliter; vt is diuenditis omnibus bonis, aliquandiu trans Tiberim veluti relegatus, deuio quodam in tugurio viueret*. Ibi lanij, coriarij, & eiusmodi viles ac sordidæ personæ habitabant, & merces suas distrahebant; quod indicat Martialis ipse Epigr. XCIII. lib. VI. Iuuenalis Satyra XIV.

— Pares quod vendere possis
A *Pluris dimidio; Nec te fastidia mercis*
Vllius subeant ablegandæ Tiberim vltra.

Sane coriarij extra vrbes habitabant, vel in locis remotissimis. Artemidorus lib. II. cap. XX. γύπες δὲ κεραμεῦσι καὶ βυρσοδέψαις ἀγαθοί, διὰ τὸ τῆς πόλεως ἀπωκίσθαι.

QVI *pallentia*] Statius lib. I Syluar.

Heic plebs scenica, quique comminutis
Permutant vitreis gregale sulphur.

Iuuenalis Satyra V.

Siccabis calicem nasorum quattuor, ac iam
Quassatum, & rupto poscentem sulphura vitro.

QVOD *otiosæ*] Popello ludos Circenses, theatrales, aut Amphitheatri certamina spectanti. Horatius ad Pisones;

Non si quid fricti ciceris probat, aut nucis emtor.

MADIDVM *cicer*] Coctum. Virgilius.

Et quamuis igni exiguo properata maderent.

B QVOD *custos dominusque viperarum*, Circulator atque ærusc ator viperas atque alios serpentes mansuefactos circumferens, & popello spectandos atque attrectandos proponens; quod genus hominum solet esse procacissimum; Quare de ijs intelligebamus Tertulliani locum in Apologet. *Ex quo quidam in frustrandis bestijs mercenarius*. Vide sis quæ ibi obseruamus.

QVOD *viles pueri salariorum*] ταριχοπῶλαι. De his, atque alijs qui in foro vilibus mercimoniis occupantur plura in Digressionibus. Hinc igitur σκώμματα ἀγοραῖα, de quibus Aristophanes in Pace.

CIRCVMFERT *tepidis coquus popinis*] De coquorum ἀλαζονεία, atque eorundem dicacitate plura obseruauimus in Digressionibus nostris ad Tertull. Apologeticum. Huc igitur pertinent ῥήματα μαγειρικά, quibus ἀλλαντοπώλην, quem ad
C Remp. capessendam inuitabat ille, commendat in Equitibus Aristophanes:

— τὸν δῆμον ἀεὶ προσποιοῦ,
ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικοῖς.

RAVCVS] Frequenti clamore, quo merces suas publicat & pæne obtrudit. Seneca Epistola LVI. *Iam librarij varias exclamationes, & botularium, & crustularium, & omnes popinarum institores, mercem sua quadam & insignita modulatione vendentes.*

QVEM *de Gadibus improbus magister*] Qui Gaditanas puellas, quibus nihil lasciuius, vt ex hoc ipso Poëta, & alijs constat, tremulas illas saltatiunculas docet, & ad quæstum suum circumducit. *Improbus magister*, est quem Græci πορνοβοσκόν, siue βδελυρὸν vocant. Nam ita *Improbus* sæpe, quemadmodum docuimus ad Arnobium olim, & ad Tertulliani Apologeticum. Theophrastus
D vbi τὸν ἀπονενοημένον describit: δεινὸς δὲ καὶ πανδοχεῦσαι, καὶ πορνοβοσκῆσαι. Atque improbus hic magister, de quo Martialis, est πορνοβοσκός. Apud Comicos sæpe *Impurus leno*; Is est proprie βδελυρός. Improbus, ἀναιδής, ἀπονενοημένος.

QVI *Galbam*] De quo Iuuenalis Sat. V. Plura in Digressionibus.

NON *cuicumque datum est habere nasum*] Eleganter Artemidorus lib. I. cap. XXIX. ῥῖνα ἔχειν καλὴν καὶ μεγάλην καὶ εὔμορφον, ἀγαθὸν πᾶσι. πολλὴν γὰρ διάνοιαν καὶ προνοίαν ἐν τοῖς πραττομένοις σημαίνει. τὸ δὲ μὴ ἔχειν ῥῖνα αἰσχύνην ... σημαίνει.

LVDIT *qui stolida procacitate*] Singula verba aduertenda sunt, & expendenda. Quod Græci εὐτραπελίαν dixerunt, idipsum Latini *vrbanitatem* appellarunt, vt obseruabamus antea. Appella-

runt etiam *dicacitatem*, & *cauillationem*; quæ quomodo inter se differant docet optimus magister M. Tullius lib. II. de Oratore: *Etenim cum duo genera sint facetiarum; alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum & breue; illa à veteribus superior cauillatio; hæc altera, dicacitas appellata est.* Sane *cauillationes* eiusmodi argutias, atque vrbanitates, & qui ijs vterentur, *cauillatores* ac *dicaces* antiqui appellarunt. Plautus in Truculento:

Heus tu, iam postquam in vrbem crebro commeo,
Dicax sum factus; iam sum cauillator probus.
As. *Quid id est, amabo? istæcce ridicularia.*
Cauillationes vis fortasse dicere.

Sane *Cauillari* dicebantur congerrones, qui per lasciuiam istiusmodi nugis tempus terebant, vt recte Cicero obseruauerit facetiarum id esse genus, quod sit in omni sermone æquabiliter fusum. T. Liuius lib. XXXIX. *Hic Postumius accensus ira, tum quoque ait eam cũ Ebutio suo amatore cauillari credere, non in domo grauissimæ feminæ & cum Consule loqui.* Item: *Eum puerum, per lasciuiam quum cauillaretur, exprobrare Consuli persæpe solitum,* &c. Quoniam autem cauillatio illa in eo sæpe sita est, vt res aliter quam dicuntur accipiantur, alio detorqueantur, idcirco optimæ Glossæ *cauillationem* εἰρωνείας apposite interpretantur. Seneca de Beneficijs septimo: *Innumerabilia sunt, per quæ cauillantur, quum pulcherrime, quid à nobis dicatur, intelligant.* Quare idem sophismata, quibus Dialectici ludunt, & frustrationes ijs, cum quibus disputant, obijciunt, idem *Cauillationes* Latine dici posse ostendit Epistol. CXI. Atque hac voce vsus est eo sensu Epist. XLV. *Multum illis temporis verborum cauillatio eripuit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissoluimus.* In eiusmodi autem cauillationibus non minima iocorum ac facetiarum pars, quemadmodum vel ex vno Martiale constare potest. Sane ad cauillationem & εἰρωνείαν istam pertinet elegans Senecæ locus lib. II. de Benef. cap. XI. quem eruditissimi homines, qui hunc scriptorem illustrarunt, aliter acceperunt. *Quod adeo non est committendum, vt etiam si quis coram nobis narrabit, ei respondendum sit; Dignissimus quidem ille est maioribus beneficijs; quæ ego magis velle me scio præstare, quam posse. Et hæc ipsa non verniliter, nec ea figura, qua quidam reijciunt, quæ magis ad se volunt attrahere.* Nota *non verniliter*, id est, non sophistice ac cauillatorie, vernularum & hominum ἐθελοδούλων more, qui ita ludere solent, vt quædam negare videantur, quæ maxime volunt credi; quemadmodum alij specie recusantium magis experunt. Hæc omnia vernilia ac seruilia sunt, neque ingenuo homine & ἐλευθερίῳ, cuius facta & dicta omnia aperta esse debent, digna. Neque tamen εἰρωνείαν simpliciter aut semper damnarunt: Nam ea possunt incidere tempora, atque cum ijs personis congrediendum quandoque est, vbi eiusmodi εἰρωνεία non sit inutilis. Quare Socratem summa dexteritate, nec inutiliter ea vsum veteres obseruant, atque in his Aristoteles lib. Nicomach. IV. Seneca lib. V. de Beneficijs: *Quare ergo hoc Socrates dixit? vt facetus, & cuius per figuras sermo procedere solitus erat, derisor omnium, maxime potentium, maluit illi vafre negare, quam contumaciter ac superbe.* En, vbi εἴρων, *facetus & derisor*, &c. Atque hactenus de cauillatione. *Dicacitas* autem in dicto aliquo A peracuto & breui, vt ait Cicero loco antea citato: Nam & eiusmodi *salsa dicta*, *Dicta* proprio nomine appellabant, & quandoque *bona dicta*, vt ibidem obseruat Cicero, & constat infinitis aliorum scriptorum testimonijs. Vix tamen est vt dicacitas in bonam partem accipiatur: Nam nisi magna cautio, & summa prudentia adhibeatur, qui dicaces videri volunt, scurræ tandem habentur, aut etiam si asperius abutuntur lingua, procaces, petulantes, & χαλεπόθυμοι. Nam idcirco Glossæ *Cauillationem* non solum interpretantur εἰρωνείαν, sed & χαλεπότητα: quam interpretationem mirifice illustrat quod de Cicerone scribit Plutarchus in eius vita, quem ait quod eiusmodi cauillationibus vteretur paulo liberius ac plures offenderet, κακοήθους ὑπὸ quibusdam existimatum. ἡ δὲ περὶ τὰ σκώμματα, καὶ τὴν παιδιὰν ταύτην εὐτραπελία, δικανικὸν μὲν ἐδόκει καὶ γλαφυρὸν, χρώμενος δ' αὐτῇ κατακόρως, πολλοὺς ἐλύπει, καὶ κακοηθείας ἐλάμβανε δόξαν. B Qui igitur eiusmodi facetijs plus æquo vtuntur, & absque iudicio, aut etiam acerbe, non vrbani sunt illi, neque faceti; sed *procaces* & petulantes. Cornelius Tacitus histor. lib. III. *Natus erat Valens Anagniæ, equestri familia, procax moribus, neque absurdus ingenio famam vrbanitatis per lasciuiam petere. Ludicro Iuuenalium sub Nerone, velut ex necessitate, mox sponte mimos actitauit, scite magis, quam probe.* Heic homo *moribus procax*, idem pæne est, qui Græcis λιγυρογλωσσος, de quo dicebamus antea, qui omnia susque deque habet, cuique quid faciat aut dicat pensi non est. Certe est ἀσελγής, & ἰταμός. Glossæ: *Procax*, αὐθάδης, ἰταμός, προπετής. Sane αὐθάδης videtur esse quid aliud; vt alibi obseruamus; Et nihilominus arctissimo vinculo hæc inter se cohærent. Nam qui sibi plurimum placent, ijdem ceteros parui aut nihili faciunt; C Quare ὀργῆς τραχύτητα αὐθαδίᾳ adiungit Æschylus in Prometheo:

τὴν μαλθακίζου, τὴν δ' ἐμὴν αὐθαδίαν,
ὀργῆς τε τραχύτητα μὴ 'πίπληκτί μοι.

Et quem *turbulentiorem Deum* dicit Tertullianus ex Basilidæ Hæresiarchæ sententia, eum ἰταμώτερον καὶ αὐθαδέστερον dicit Epiphanius. Certe ἰταμοὺς appellabant homines petulantes ac procaces, θρασεῖς, βδελυρούς, τολμηρούς: vt vel ex Comicis constare potest. Quare Plutarchus in Nicia quod τόλμαν & βδελυρίαν dixerat, id ipsum postea appellat ἰταμότητα καὶ θράσος. Lucianus in vitarum addictione, ἰταμὸν χρὴ εἶναι, καὶ θρασύν, καὶ λοιδορεῖσθαι πᾶσιν ἑξῆς. *Procax* igitur *moribus*, homo petulans, & sui atque aliorum negligens, quales scurræ viles, aut homines scurrilis ingenij. Eiusmodi homines Græci quandoque appellant ὀλιγώρους, quasi ad quidlibet promptos & paratos absque respectu vllo officij D aut honestatis. Quare ὀλιγωρίαν & βωμολοχίαν coniungit Plutarchus in Nicia; & eodem libello ὀλιγωρίαν & ἀσχημοσύνην pro decori & honesti neglectione, vnde & morum incuriositas ac dissolutio sequitur, eleganter vsurpauit. Locus propter elegantiam omittendus non est. καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ βήματος κόσμον ἀνελών, καὶ πρῶτος ἐν τῷ δημηγορεῖν ἀνακραγών, καὶ περισπάσας τὸ ἱμάτιον, καὶ τὸν μηρὸν πατάξας, καὶ δρόμῳ μετὰ τοῦ λέγειν ἅμα χρησάμενος, τὴν ὀλίγον ὕστερον ἅπαντα τὰ πράγματα συγχέασαν ὀλιγωρίαν καὶ ἀσχημοσύνην τοῦ πρέποντος ἐνεποίησε τοῖς πολιτευομένοις. Hominem autem linguæ tam iniuriosæ & proteruæ describit non ineleganter Macrobius Saturnal. lib. I. cap. VII. *Erat enim amarulenta dicacitate & linguæ proteruæ, mendacij procax, ac securus offensarum, quas sine delectu chari, vel non*

vel non amici in se passim verbis odia ferentibus pro- A vocabat. Seneca lib. III. de Ira: *Demochares ad illum, parrhesiastes ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat.* Hæc de procacitate. Non autem temerarium est quod additur epithetum. Nam *stolidam procacitatem* appellat Martialis importunam, & insulsam dicacitatem, qualis esse potest hominis stolidi, & insulsi. Quinam appellentur *stolidi* docet A. Gellius lib. XVIII. cap. IV. Locum adscribam. *Stolidos autem vocari, non tam stultos & excordes, quam tetros, & molestos, & illepidos, quos Græci μοχθηροὺς καὶ φορτικοὺς dicerent.* Sane nouum mihi semper fuit quod ille scribit stolidos eos esse, quos Græci μοχθηροὺς dicunt. Nam vbi gentium μοχθηρὸς hac significatione? Μοχθηρὸν appellarunt hominem miserum; item πονηρόν: qui miserijs conflictatur; & qui alijs miserias importat. Profecto in A. Gellij verbis puto aliquid esse vitij. Sed si dictio- B nem illam eijcimus, quam subijciemus aliam? Non ausim liquido quidquam affirmare; sed si A. Gellius scripsit δυσχερεῖς, propriam, opinor, dictionem apposuit. Certe δυσχερεῖς homines sunt ij proprie, quos ille tetros, alij etiã fœdos appellãt; & proprie qui fœdo aliquo morbo maculati sũt. Ad mores postea translatum vocabulũ, & appellati δυσχερεῖς homines insulsi, & fœde stolidi. Sic qui Philippo fauebant, eos qui de eo secus sentiebant, atque eum barbarum appellabant, non solum ἀπαίδευτους, sed & δυσχερεῖς existimabant, vt scribit Demosthenes in ea περὶ παραπρεσβείας. οὗτοι δ᾽ ἀπαίδευτοί τινες ὄντες ἐν τῇ πόλει καὶ δυσχερεῖς ἀνθρώποι τε, ὡς ἔοικεν, οὐκ αἰσχύνεσθαι κινδυνεύσαντες αὐτῷ, καὶ βάρβαρον αὐτὸν ἀποκαλοῦντας. Idem eadem oratione: καὶ ἔτι ὡς ἐπὶ τοῖς δεινοῖς διαβολὰς ζητοῦσιν, ὥστε μηδὲν ἐμὲ αἰσχρὸν εἰπεῖν τινὶ περὶ αὐτοῦ δεῖν, μηδὲ δυσχερές. Coniungebat modo Demosthenes ἀπαίδευτος καὶ δυσχερεῖς: nec immerito. Nã ἀπαίδευτος quoque appellant homines absurdos, stolidos, & plusquam rusticos. Plutarchus in Agesilao: ἐπεὶ δὲ μᾶλλον τὴν αὐτοῦ ἀπειρίαν ἐθαύμασεν, ὅτι ξενίων προσκομισθέντων, καὶ προσαχθέντων, ἄλφιτα μὲν καὶ μόσχους καὶ χῆνας ἔλαβε, τραγήματα δὲ καὶ πέμματα καὶ μύρα διεώθει. Quod heic ἀπειρίαν dicit Plutarchus, *bonarum rerum ignorantiam* appellat Æmilius Probus in eiusdem Imperatoris vita, molliori paulo appellatione. *Quo facto, inquit, eum barbari magis etiam contempserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumpsisse arbitrabantur.* Verum hac de ipsa re plura suo loco.

LVSIT] παίζει. Nam σκώπτειν & παίζειν idem sæpe significant; quibus opponitur σπουδάζειν. Plura obseruamus ad Arnobium.

NON *est Sestius ille, sed Caballus*] Diuidit quæ coniuncta videbantur; atque iocus est ex eo quod ex parte tribuitur, ex parte negatur. Ait igitur hominem tam proteruæ stolidum, non esse Sestium, sed Caballum, id est, quadrupedem & bestiam insulsam. Sestium autem Caballum adhuc quæro apud Scriptores.

AD EPIGR. XLIIII.

PRÆTER *aprum*] Apros integros & solidos apponebant. Plin. lib. VIII. cap. LI. *Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui in consulatu legem agrariam promulgauit. Tam propinqua nunc quotidianæ rei est. Et hoc annales quidem notarunt, horum scilicet ad emendationem morum, quibus notata quidem esset cœna: sed principio bini ternique pariter mandebantur apri.* Plut. lib. II. Symp. quæst. X. ἐλάνθανες ὁ τοιοῦτος ἐπὶ σοῦ ... μᾶς, σοῦ ἄρχειν ἀμελήσαντος ... περὶ δεῖπνον ... ὅσα περὶ τὸ μερίζειν, ἅμα ἐν πολυμιξίᾳ ... τῆς ἀσελγείας διαφθαρῆναι. Vnde Tiberius Cæsar, *vt parcimoniam publicam exemplo quoque iuuaret, solennib. ipse cœnis pridiana sæpe, ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumque aprum, affirmãs, omnia eadem habere quæ totum.* Suetonius in Tiberio.

NIL *here*] Ita scribebant ea ætate. Quintil. lib. I. cap. VII. *Here nunc E litera terminamus, &c.* Sed ambigua & media erat vltimæ literæ pronunciatio. Idem cap. IV. eiusdem libri, *Et in Here, neque E plane, neque I auditur.*

CERTANT *fauis*] Theocritus Idyll. IV.

φαντὶ νιν Ἡρακλῆϊ βίαν, καὶ κάρτος ἐρίσδειν.

AD EPIGR. XLVII.

FAC *si facis*] Heic *facere* εὐφήμως & χαριέντως. B Ouid. eleg. IV. lib. III. Amorum:

Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est.
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.

Sic *Perficere* apud Iul. Capitolinum in Maximinis: *Nam dicitur cum eo iocatus esse Heliogabalus turpissime, dicens, Maximine sexdecim, & viginti, & triginta milites diceris aliquando lassasse; Potes tricies cum muliere perficere?* Sic ποιεῖν Græcis. Lucianus Dialogis meretriciis: ἡ δὲ ... καὶ ἐφίλει, καὶ ἐποίει, καὶ ... μοι ἐς ... Aristænetus epist. VII. lib. II. ἄρχομαι ... καλῶ; καὶ μάλα ... εὐμορφίαν ... τί φής; ποιήσεις ἤδη; ποιήσεις, οἶδα ἐγώ. Sic ἐργάζεσθαι apud Theocritum, Idyll. IV.

--- ... ...
καὶ ποτὶ ταν ... ...

Vox autem instantis, *fac si facis*, etiam hone- C sto sensu. Seneca lib. II. de Benef. cap. V. *Vnde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit, fac si quid facis.* Nota, *si quid facis.* Non, *si facis* simpliciter, vt apud Martialem: Sic autem *Bibe si bibis*, apud Plautum in Sticho, & alia eiusmodi. In Milite:

A matre illinc venio; si itura est, eat, omnes moratur.

Sic etiam Græci. Euripides Iphigenia in Aulide; δρᾶ γ᾽, εἰπὲρ δράσεις.

AD EPIGR. XLVIII.

QVOD *vespillo facit, fecerat & medicus*] Contra cum imperitus athleta medicinam profiteri cœpisset, Diogenes canis eum rogauit, an hac tandem ratione eos, à quibus sæpius victus fuerat, prostraturus esset. ἀθλητὴν παλαιστὴν ... ἰατρεύοντα, ἔφη, τί τοῦτο; ἢ ἵνα τοὺς ποτὲ σε νικήσαντας νῦν D καταβάλῃς; Diogenes Laërtius.

AD EPIGR. XLIX.

LEPVS *improbe*] Id est, lasciue, ludibunde. Supra: *Lasciuos leporum cursus, lususque leonum.* Sic *improbus* Phædrus, Epigr. XX. lib. III.

An æmulatur improbi iocos Phædri?

Sic vsurpata sæpe ea vox apud scriptores illius æui. Dicebamus supra.

AD EPIGR. L.

VIR *Celtiberis*] Adisis eos, qui hoc epigramma antea emendarunt & explicarunt. Si legis, *Tepidum natabis lene Congedi vadum*, nihil obstat,

quominus *lene* [illegible] tribuas *Vado*, quamuis *Tepidum* præponatur. Neque enim nouum est, duo epitheta eidem dictioni adiungi; quod Græcis vsitatissimum est. *Lene* etiam aduerbialiter accipere potes. Vt autem pro naui accipiam, quod volunt viri doctissimi, & vt aliquando accipitur, heic mihi persuaderi nequit. Nam natantibus quid lene, seu naui, aut cymba opus est? Lenis autem quandoque pro nauigio. Gloss. *Lemunculus*, [illegible]. Lege, *Lenunculus*. Ammianus Marcell. lib. XIV. *Et dum piscatorios quærunt lenunculos*, &c. Et lib. XVI. *Alium anhelanter auido flatu ventorum lenunculo se commisisse piscantis*. Placet autem lectio, *Tepidi natabis lene Congedi vadum*.

VICINA *in ipsum*] Sidon. Apollinaris lib. II. epist. II. *Balneum ab Africo radicibus nemorosæ rupis adhæresit; & si cædua per iugum sylua truncetur, in ora fornacis lapsu velut spontaneo, deciduis struibus impingitur.*

LVNATA *nusquam pellis*] Non video quo iure hæc lectio sollicitari queat. Quod dicit hoc loco vir doctus de pellitis vestibus, [illegible]: neque enim heic de Gothorum vestibus, de quibus intelligendus Sidonij locus, quem adfert ille. De lunatis autem calceis nobilium passim Statius, Iuuenalis, alij. Plutarch. quæst. Rom. [illegible] Hæc causa videtur paulo remotior.

NVSQVAM *toga*] Quam odio Vatiniano prosequitur, & de qua sæpe queritur Martialis. Togatulos fuisse clientes & salutatores matutinos nemo ignorat. Sueton. in Augusto: *Ac sæpe regnis relictis non Romæ modo, sed prouincias peragranti quotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientum præstiterunt.* Nihil crebrius. Commendat igitur secessum suum Martialis, vel eo nomine, quod molestis illis officiis, quibus Romæ cruciabantur, illic esset liber. Sic Plinius epist. VI. lib. V. *Nam super illa, quæ retuli, altius ibi otium, & pinguius, eoque securius. Nulla necessitas togæ; nemo accersitor ex proximo.*

QVERVLVS *cliens*] Cui te adesse necesse est. Vide Dionys. Halic. lib. II. Antiq. Rom. & Plaut. in Menech. sc. *At hoc vtitur.*

MERCETVR *alius*] Recte *Mercetur*. Horat.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

Sed nos de hac re alibi. Iocus autem [illegible] in his verbis, *Insanum sophos.*

AD EPIGR. LII.

SVB *hoste mori*] Hellenismus. Il. α.
— [illegible]

AD EPIG. LIII.

ASSERTOR *venias*] De assertoribus plura iam eruditissimi homines, Brissonius, Cuiacius, & alij. Hæc autem omnia petita è Græcorum fontibus. Si quis in seruitutem abducebatur aut petebatur, poterat quilibet eum in libertatem asserere, liberali asserere causa manu, id est, manum ei inijcere, & ad iudicem ire; quod ἀφαιρεῖσθαι

A εἰς ἐλευθερίαν Græci dicunt: quemadmodum contra ἄγειν εἰς δουλείαν, quum quis eum quem seruum suum autumabat, iniecta manu in seruitutem asserebat. Æschines contra Timarchum: [illegible] *Hominem, à quo nullam iniuriam acceperat, in seruitutem abducebat, suum esse seruum clamitans. Atque is quum in ijs angustijs esset, ad genua hominis optimi & humanissimi accidit, qui eum liberali asserit causa manu: ac postea iudiciorum sortitiones fiunt.* Sic & in foro Romano. Tit. Liuius lib. III. *M. Claudio clienti negotium dedit, vt virginem in seruitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias. Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis literarum ludi erant) minister Decemuiri libidinis manum iniecit, serua*
B *sua natam, seruamque appellans esse, sequique se iubebat, cunctantem vi abstracturum. Pauida puella stupente, ad clamorem nutricis fidem Quiritum implorantis fit concursus.* Quem ergo seruum suum dicebant, in seruitutem asserebant, & si quis contra nitebatur, aut eum eximere conabatur, clamabant se eius, quem abducebant, dominos, vt etiam ostendit Martialis hoc Epigr. Tum res ad Iudicem deferebatur.

SATISQVE *præstes*] Si quis eum, qui status controuersiam patiebatur, aut in seruitutem abducebatur, eximere volebat, ac liberali asserere causa manu, iudicio sisti promittebat, ac fideiussores dabat; atque interim vindiciæ secundum libertatem dabantur. Demosthenes contra Neæram: [illegible]
C [illegible] Graphice quoque Lysias in ea contra Pancleonem: [illegible] Contra iuris rationem igitur, Appius Decemuir Clienti suo à se subornato vindicias à libertate in seruitutem dedit, quo nomine dicta post ei dies à Virginio. Verissima contra Icilij postulatio apud Dionys. Hal. in eadem historia, lib. XI. vbi inter cetera; [illegible]
D *petere, nec quod non modo ceteris ciuibus Romanis, sed omnibus in vniuersum hominibus concedatur, Cum quis è libertate in seruitutem asseritur, ius eius esse non penes eum, qui libertatem adimit, sed penes eum qui tuetur, vsque ad litis disceptationem.* Sed hac de re alibi plura, si Deus volet.

AD EPIGR. LIV.

INDICE *non opus est*] Inscriptione, quæ libri auctorem ac dominum habet; ac sic eum vero domino vindicat. Libro III.

Et cocco rubeat superbus index.

A. Gell. lib. XI. cap. XVI. *Cum allatus esset ad nos Plutarchi liber, & eius libri indicem legissemus, qui erat*

Addit, *Nec vindice*, id est, assertore.

AD EPIGR. LVI.

QVISQVAM *picta colit*] Perstringit obiter quorundã ἐθελοδουλείαν, qui vt ambitioni suæ, aut aliis cupiditatibus satisfacerent, humillima quæque & liberis hominibus indigna patiebantur, qualia in potentiorum cultura concoquenda erant; Atque inter alia, quæ ab homine ingenuo aliena vere existimabat, clientulorum, aut aliorum, qui clientulorum humilitatem induerant, matutinas salutationes numerat. Idem volebat Seneca epist. IV. *Vt famem sitimque depellas, non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium graue, & contumeliosam etiam humanitatem pati; non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat, & expositum; Ad superuacua sudatur. Illa sunt quæ togam conterunt*, &c. Sed de hac ἐθελοδουλείᾳ plura postea.

SPARTANI *frig. saxi*] Marmor Laconicum ... & ad superbos vsus. Papinius Epithal. Stellæ, & Violantillæ:

Heic Libycus, Phrygiusque silex: heic dura Laconum
Saxa virent: Heic flexus onyx, &c.

Et lib. II. Syluarum:

Heic & Amyclæi cæsum de monte Lycurgi,
Quod viret, & molles imitatur rupib. herbas.

Lampridius in Alexandro Seuero: *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est Porphyretico & Lacedæmonio primus instituit, palatio exornato hoc genere marmorandi.* In Heliogabalo: *Strauit & saxis Lacedæmonijs ac Porphyreticis plateas in palatio, quas Antonianas vocauit.* Huius marmoris meminit & Lucianus βαλανείῳ, & λακωνικὸν λίθον appellat.

PICTA] Fortasse quia Laconicum marmor instar herbarum virebat, vt clarum è Papinij locis modo citatis. Marmora quælibet videntur vermiculata, & fulgentibus maculis distincta, ac naturaliter picta. Sed pingebantur etiam, vt docet Plin. lib. XXXV. cap. I. Vnde & cap. I. lib. XXII. *Nec committemus, vt subijciendo vtiliora, luxuriam vtilitate circunscribamus, dicturi & alias herbis tingi lapides, parietesque pingi.*

FRIGORA *saxi*] Sidonius Apollinaris epist. II. lib. II. *Sed etsi nullo peregrinarum cautium rigore ditamur, habent tamen tuguria, seu mapalia mea ciuicum frigus.* Appellat *ciuicum frigus* non peregrinum, neque exoticum, sed quasi αὐτόχθον. Idem in Propempt.

Seu contra rapidi Leonis æstus,
Vestit frigore marmorum Penates.

COLIT] *Colere* heic est θεραπεύειν; quomodo αὐλὰς θεραπεύειν dixerunt Menander, & Diphilus.

Αὐλὰς θεραπεύειν, ἐστὶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
ἢ φυγάδος, ἢ πεινῶντος, ἢ μαστιγίου.

ET *matutinum portat ineptus Aue*] Nihil crebrius apud istius æui scriptores, quam quod de importunis & ineptis salutationibus istis inculcãt non sine iusta indignatione. Recte igitur heic *Ineptus*. Nam quid ineptius excogitari potest quã quod de salutationum istarum dispositione scriptores obseruant: Seneca inter ceteros lib. VI. de Beneficiis: *Non sunt isti amici, qui agmine magno ianuã pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur*, &c. Item: *Amicum vocas, cuius disponitur salutatio? Aut potest huius tibi patere fides, qui per fores maligne apertas non intrat, sed illabitur? Hinc peruenire vsque ad distringendam libertatem licet, cuius vulgare & publicum verbum & promiscuum ignotis, AVE, non nisi suo ordine emittitur*, &c.

A

VRBANIS *albus in officijs*] Id est, togatus, quod optime docuerat olim Iustus Lipsius in Electis; à quo tamen nescio quis audet dissentire. Sed cum Musambertio castigandum remitto. *Vrbana officia* quæ dicantur à Martiale, omnibus iam notum, & aliquid ipsi antea obseruauimus. Seneca epist. XIX. *Cogita quã multa temere pro pecunia, quam multa laboriose pro honore tẽtaueris; Aliquid & pro otio audendum est, aut in ista solicitudine procurationum, & deinde vrbanorum officiorum, senescendum in tumultu, ac semper nouis fluctibus, quos effugere nulla modestia, nulla vitæ quiete contingit.*

AD EPIGR. LVII.

VT *cupias*] Nam boni illi viri vinum sæpe aqua temperant, & Nymphas Baccho conciliant: non lucri caussa, sed quia nobis optime consultum volunt scilicet, & grauedinem, quæ potioni meraciori comitari solet, prohibere. Hanc εἰρωνείαν Alexis festiue exsequutus est:

Κομψόν γε τοῦτ' ἔστι παρ' ὑμῖν ὦ Σόλων
ἐν ταῖς Ἀθήναις, δεξιῶς τ' εὑρημένον.
Σόλ. τὸ ποῖον; Α. ἐν τοῖς συμποσίοις οὐ πίνετε
ἄκρατον. Σ. οὐ γὰρ ῥᾴδιον. πωλοῦσι γὰρ
ἐν ταῖς ἁμάξαις εὐθέως κεκραμένον·
οὐχ ἵνα τι κερδαίνωσιν, ἀλλὰ τῶν ὠνουμένων
προνοούμενοι τοῦ τὰς κεφαλὰς ὑγιεῖς ἔχειν.

B. Hieronymus aduersus Vigilantium: *Iste caupo Calagurritanus, & in peruersum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino, & de artificio pristino suæ venena perfidiæ Catholicæ fidei sociare conatur.*

C

AD EPIGR. LX.

DAT *Baiana mihi q. sportula c.*] Qui amicos inuitabant & paulo lautius habere volebant, eos in balnea priuata, si qua habebant, vel publica mittebant, mercede pro iis persoluta, vt obseruamus ad lib. XI. Quandoque tamen potentiores ἀδέλτεροι quum cliẽtulos suos ad balnea misissent, non cœnam rectam, sed sportulam tãtum iis dabant. Flaccus, quèm heic notat Martialis, seu vero, seu supposititio nomine, amicos Baias secum duxerat in secessum amœnissimũ; atque quũ illi balneis Baiarum delicatissimis lauissent, non cœnam rectam, non summam aliquã honestam, sed centum quadrantes, sportulam ordinariam, dederat. Tangit hanc ἀβελτερίαν coniunctam σμικρολογίᾳ Martialis hoc Epig. & ait rem esse ridiculam à balneis tam delicatis ad cœnam tenuem & famelicam migrare, idque Baiis, vbi luxu plena omnia. Seneca Epist. LI. *Nos vtcunque possumus, contenti sumus Baijs; quas postero die, quam attigerã, reliqui. Locum ob hoc deuitandum, cum habeat quasdã naturales dotes, quia sibi illum celebrãdum luxuria desumsit*, &c.

D

QVADRANTES *sportula centum*] τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον Græcorum à Romanorum sportulis longe differebat. Nempe illi τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον appellabant, ὅταν τις αὐτὸς αὑτῷ σκευάσας δεῖπνον, καὶ συνθεὶς εἰς σπυρίδα, παρά τινα δειπνήσων ἴῃ, *quum quis cœnam domi coctam in sportula secum ferebat cum alio cœnaturus*, vt obseruant Magistri Græci. At Romæ τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον erat, quum pro cœna recta minoribus amicis & clientulis pecunia certa, vel partes & obsonia in sportula dabantur: quem morem tangit Hesychius in suo Lexico: ἀπὸ σπυρίδος

διωτεῖν ἢ δειπνίζειν, τὸ αὐτὸ δεῖπνον ἀργύριον ἢ μόνον ἐν σπυρίδι λαβεῖν ἢ δοῦναι. Summa autem ordinaria, *centum quadrantes*. Infra lib. III. Epig. VII.

Centum miselli iam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi.

Iuuenalis Satyra I. vbi eleganter quoque hominum sui æui dignitate & opibus pollentium sordes & αἰσχροκέρδειαν notat:

Sed cum summus honos finito computet anno
Sportula quid referat, quantum rationibus addat;
Quid facient comites, quib. hinc toga, calceus hinc est,
Et panis, fumusque domi. Densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur vxor.

INTER *delicias*] In tanto luxu, & in istis deliciis, quibus Baiæ celebres sunt.

TENEBROSAQVE *balnea*] Epig. XIV. lib. II.

Et Grylli tenebras Æoliamque Lupi.

Balnea antiquis obscuriora: Postea apertiora, & clariora. Seneca epist. LXXXVII. *Balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua. Non videbatur maioribus nostris calidum, nisi obscurum.* Paulo post: *In hoc balneo Scipionis minimæ sunt rimæ, magis quam fenestræ, muro lapideo exsectæ, vt sine iniuria munimenti lumen admitterent. At nunc Blattaria vocant balnea, si qua non ita aperta sunt, vt totius diei Solem fenestris amplissimis recipiant, nisi & lauantur simul & colorãtur, nisi ex solio agros & maria prospiciunt.* Hinc Plin. epist. III. lib. I. *Quid balineum illud, quod plurimus Sol implet, & circumit?* Sidonius Apollinaris lib. II. epist. II. *Intra conclaue succensum solidus dies, & hæc abundantia lucis inclusæ, vt verecundos quosque compellat aliquid se plus putare, quam nudos.* Artemidorus lib. I. cap. LXVI. πεπαρμοῦ λίνεῶ ἐν βαλανείοις καλοῖς ἢ φωτεινοῖς, ἢ ἀέρων εὐκράτως ἐχόντων, ἀπαιτεῖν ἢ ἀπραξίας σημαίνει.

TAM *male cum cœnem, cur male, Flacce, lauor?*] Quippe hæc male cohærent, & vt quæ pessime. Pertinent hæc ad caput περὶ ἀβλεψίας, de qua postea conuenientiori loco.

AD EPIGR. LXII.

IMBRIFER *Nilus*] Minutius Felix; *Ægypti siccitatem temperat Nilus.* Vbi glossema textui adiectum notauimus, *pro imbribus pensat.*

CENSETVR *Apona*] Censeri heic non vulgata, sed elegantiori significatione acceptum. Censebantur Romani ope sua, vt ait ille, quibus facultates suppetebant: quibus contra nihil præter paupertatem inerat, capite censebãtur. Vnde nata honesta loquutio, *Censeri armis, virtute,* &c. Iustinus lib. II. *Scythas virtute animi, & duritia corporis, non opibus censeri.* & alibi. Val. Maximus, lib. V. cap. III. *Aristides etiam, quo totius Græciæ iustitia censetur.* Vnde constat Gulielmum Budæum ætatis suæ lumen, verbi istius vim non satis aduertisse, vt ipse fatetur ingenue ad l. I. D. de Iust. & Iur. *Videmus etenim cetera quoque animalia istius iuris peritia censeri.* Quæ recte vertebat Theophilus: ὁρῶμεν γὰρ, οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ ἢ τὰ λοιπὰ ζῶα ἐν τῷ ἰδίῳ τούτῳ τῷ νόμῳ ἐγγεγυμνασμένα. Sed nonne mirum est Iustum Lipsium in re tantilla impegisse? Locus est elegans Senecæ lib. VII. de Benefic. cap. VIII. *Ergo quum animum sapientis intuemur, potentem omnium, & per vniuersa dimissum, omnia illius esse dicimus; Quum ad hoc ius quotidianum, si ita res tulerit, capite censebitur.* Ibi Lipsius: *Capite, Accipiam,* inquit, *statu & conditione sua censebitur.* Quid audio? Certe dormitabat eruditiss. vir & totius Latinitatis callentissimus, quum id scriberet. Hoc aiebat Seneca, Sapiens ille, quem rerum omnium dominum dicimus secundum decreta Philosophorum, si ius cõmune respicimus, nihil in cẽsum fortasse præter caput adferet, & inter proletarios cẽsebitur.

AD EPIGR. LXIII.

CASTA, *nec antiquis cedens Læuina Sabinis*] Notat hoc Epigrammate Martialis balneorum, & maxime calidorum nimium vsum, quem sæpius impudicitia cõsequebatur, quum eorũ fomentis ignis interior excitatus esset. Sane veteres θερμὰ λουτρὰ virtuti ac fortitudini cõtraria existimabãt; atque his vires eneruari, & corpora reddi ἄτονα ἢ μαλακὰ, quod ait Galenus alicubi. Hac de re elegans disputatio est apud Aristophanem in Nebulis. Sed & pudicitiæ in primis aduersari ea existimarunt; Quare sancti patres virginibus ac mulieribus castitatem professis ea adprime vitanda censuerunt, tum quia amoris flammæ hisce incentiuis concitari existimabãt, vt antea diximus; tum etiam quia nuditatem tam sui quam alieni corporis castitati & pudicitiæ nõ parum officere sibi persuadebant: Quapropter eorum vsus monachis interdictus. B. Hieronymus ad Rusticum, de monachi viuendi ratione: *Balnearum fomenta non quærat, qui calorem corporis ieiuniorum cupit frigore exstinguere.* Idem Epist. ad Saluinam, de seruanda viduitate; *Balnearum calor nouum adolescentiæ sanguinem non incendat.* Et ad Lætam, de institutione filiæ: *Scio præcepisse quosdam, ne virgo Christi cum Eunuchis lauet, ne cum maritatis feminis, quia aliij non deponant animos virorum, aliæ tumentibus vteris præferant fœditatem. Mihi omnino in adulta virgine lauacra displicent, quæ se ipsam debet erubescere, & nudam videre non posse.* Sed hac de re plura Commentario de Monachatu, ad Nouellam Iustiniani V. si Deus Opt. Max. volet.

ET *dum Baianis*] Præter commune balnearum omnium vitium, de quo dicebamus modo, Baiis insuper plura luxuriæ incentiua, vt Seneca non dubitarit Baias *diuersorium vitiorum* appellare epist. LI. Propertius eleg. XI. lib. I.

Tu modo quamprimum corruptas desere Baias,
Multis ista dabunt littora dissidium.
Littora quæ fuerunt castis inimica puellis,
Ah pereant Baiæ crimen amoris aquæ.

Et in quibuslibet balneis oblata sæpe, & arrepta delinquendi occasio. Ouid. lib. III. ἐρωτικῶν:

Cum custode foris tunicam seruante puellæ,
Celent furtiuos balnea multa iocos.

Vide Epigr. XCIII. lib. III.

INCIDIT *in flammas*] Caussam vides à B. Hieronymo notatam. Ouid. lib. I. ἁλιευτικῶν:

Quid referam Baias, prætextaque littora velis,
Et quæ de calido sulphure fumat aquam?
Hinc aliquis vulnus referens in pectore dixit,
Non hæc, vt fama est, vnda salubris erat.

AD EPIGR. LXV.

BELLA *es, nouimus*] Lemma sic habet; *Ad Fabullam ambitiosam.* Sane non tam ambitiosam puellam, quam vanam, φίλαυτον, atque ideo stolide ostentatricem notat Martialis, atque in eius persona ostẽtationis ac vanitatis stultitiã ostendit. Am-

dit. Ambitioso homini, item vaniloquo atque iactatori hoc videtur esse commune, quod vterque honorem affectat; sed non eundem, neque eadem via. *Ambitiosus* honores quærit, id est dignitates; Ostētator honorem nescio quē & gloriolam captat. Ille hominum prensatione, assentatione, humilibus obsequiis, atque aliis artibus huiusmodi ad finem suū grassatur; Hic autem inani tantum verborum iactatione & μεγαλαυχίᾳ magnum facere se conatur. Veteres glossæ; *Ambitiones*, φιλοτιμίαι, φιλοδοξοῦμαι Item, *Ambitiosus*, δημοκόπος. Optime. Exempla passim apud scriptores; Quare & *ambitiosa decreta* in Iurisconsultorum monumentis, id est gratiosa. Vitium autem quod heic tangitur, id ipsum est quod κενοδοξίαν Græci, κενότητα, & χαυνότητα appellant: Nam etsi virij istius plures sunt effectus, hic tamen vltimus non est, seipsum laudare, ac dotes suas prædicare. Aristoteles Nicomach. lib. IV. cap. IV. χαυνότητα opponit τῇ μεγαλοψυχίᾳ: atque de iis, qui hoc vitio contaminati sunt, hæc inter cetera, καὶ λέγουσι περὶ αὐτῶν, ὡς διὰ τούτων τιμηθησόμενοι. Latini eiusmodi homines quandoque *ambitiosos* quidem appellant; sed appellatione largiori & minus propria; sæpius *ventosos*, aliquando & magis speciali nomine *iactatores* atque *ostentatores*; aliquando etiam *gloriosos*; item *arrogantes*; Nam etsi omnes istæ appellationes ad eos pertinere videntur, qui ea sibi arrogant, quibus re vera sunt destituti; aliquando tamen iis quoque accommodantur, qui ea sibi tribuunt, quibus sunt quidem præditi, sed quæ ipsi agnoscere, certe prædicare non debent. Cicero Diuinatione in Verrem: *Intelligo quam scrupuloso, difficilique in loco verser; Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij atque eloquentiæ multo molestissima.* Certe vix est vt morbus hic hominem ἀληθευτικὸν & veritatis tenacē petat; Quare etsi quæ quis de se prædicat, ea vera quādoque sunt, sæpius tamen cōtingit vt falsa etiā, si vanitas ei suaserit, adijciat. Quapropter etsi ἀλαζὼν proprie appellatur, ὁ προσποιητικὸς τῶν ἐνδόξων, καὶ μὴ ὑπαρχόντων, καὶ μειζόνων ἢ ὑπάρχει, quomodo definit ἀλαζόνα Aristoteles in Nicomacheis; ἀλαζόνα tamen aliquando appellant hominem virtutes suas prædicantem simpliciter: nam ἀλαζονείας dicit idem Aristoteles alibi, non solum arrogantiam, qua sibi quis tribuit quæ ad ipsum minime pertinent, sed & inanem de se prædicationem. Lib. II. Rhetor. cap. VI. καὶ τὸ περὶ αὑτοῦ λέγειν, καὶ ἐπαγγέλλεσθαι, καὶ τὸ τὰ ἀλλότρια αὑτοῦ φάσκειν· ἀλαζονείας γάρ. En duos ἀλαζονείας effectus commemorat; non modo τὸ τὰ ἀλλότρια αὑτοῦ φάσκειν, quæ alterius sunt, de se ipso prædicare; sed & τὸ περὶ αὑτοῦ λέγειν, de se ipso loqui. Sane ἀλαζόνες sæpius, qui de se non minus falsa quam magnifica iactant, quemadmodum in Comœdiis milites κομπασταί, qua de re alibi. Heic autem simplex iactatio & inanis laudum suarum prædicatio notatur, qua nihil molestius est neque odiosius. Vere Themistius Euphrades Orat. I. οὐδὲν οὕτως ἀκουσμα φορτικὸν, ὡς ὁ καθ' ἑαυτὸν ἔπαινος, καὶ ἔοικεν ἡ ἀπειροκαλία, ἐφ' ἧ καὶ ἄλλων ἐπαινούντων ἐρυθριῶν χρεὼν τοὺς ἀληθινοὺς αὐτῆς ἐπαίνους. Hoc igitur Epigramma non tam de ambitiosa, quam de *ambitiosula* & *ventosa* muliere, quomodo Lepidus *ventosissimus* appellabatur apud Ciceronem.

QVIS *enim potest negare*] Sic omnino Plutarchus libello de suiipsius laudatione citra inuidiam: ὁμοίως ὁ Πίνδαρος φήσας καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν, μανίαις ὑποκρέκειν, οὐ παύεται μεγαληγορῶν περὶ τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως, ἀξίας δ' ἐγκωμίων οὔσης (τίς γὰρ οὐ φησι;) ἀλλά, &c.

NEC *diues, neque bella*] Egregie Plinius epistol. VIII. lib. I. *Quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat, recensente, vanescit. Homines enim quum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum; si laudanda, quod non sileas, ipse culparis.* Vitium hoc in Cicerone obseruatum a pluribus; sed eleganter Plutarchus: πολλοὺς δ' ἐλύπησεν αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπαινῶν ἀεὶ καὶ μεγαλύνων αὐτὸς ἑαυτὸν, ὑπὸ πολλῶν δι' ἀπεχθείας ἐκίνει, &c. Addit: καὶ τὸ λέγειν οὐδέποτε ὄντα ἐν χάριτι χαρίεντα πλείστη, ἐπαχθὴς καὶ φορτικὸς ἦν τοῖς ἀκροωμένοις, ὥσπερ κηρὸς ἀεὶ ἐκείνου τῆς ἀηδίας ταύτης συνούσης. Nota ibi quæ tribuit hoc morbo, τὸ ἐπίφθονον, τὸ ἐπαχθές, τὸ δυσχερὲς, τὸ φορτικὸν, τὸ ἀηδές. Dicit autem vitium hoc non esse proprie μανίας: Optime; Neque enim propter hoc vitium existimantur homines κακοὶ, aut κακοποιοὶ, sed ἠλίθιοι; quod obseruat in Nicomacheis Aristoteles.

AD EPIGR. LXVII.

MERCARE *tales abeo*] A quo? An a patre & domino virginis chartæ? Quidam ediderunt *adeo* a coniectura; satis temerarie, cum ipsi fateantur in codicibus Palat. scriptum *abeo*. Sane in cod. ms. Put. scriptum *habeo*, quam lectionem verissimam existimo. Sic igitur scribēdum cēseo:

Mercare tales; habeo; nec sciet quisquam.

Si vis, inquit, libros eiusmodi emere, præsto est qui tibi vēdat. Habeo enim, quos nemo vnquam vidit; nec cuiquam quid inter nos actum sit dicam; quod vnum præstare debet is qui merces eiusmodi vendit homini ἀλαζόνι & ex alienis laboribus famam & gloriam quærenti.

SED *silentium debet*] ἵνα μὴ κλέψας φανερὸς ὢν γένηται πολλῷ πλείονα αἰσχύνην τοῖς ἀνθρώποις, ἢ καὶ κατηγορηθῆναι ὑπὸ τῶν φρονίμων, καὶ τῆς κλοπῆς αἰτία ἔνοχος εἶναι μέλλει.

AD EPIGR. LXVIII.

LIBER *homo es nimium*] Id est, nimium παρρησιαστής, & qui paulo liberius de hominibus loqueris, nec eos times offendere. Libertas ista, nisi moderate & circumspecte ea vtimur, desinit quandoque in procacitatem ac petulantiam, &, vt ait Seneca lib. I. de Benef. *In petulantiam & audaciam erumpit male dispensata libertas.* Eleganter Philo dissertatione de Iosepho: ἦν δὲ πλημμελὴς μετ' αἰδοῦς, καὶ θαρραλέος, παρρησίας τὴν ἀπὸ αἰσχυνῆς ἀποτιθέμενος. Sane Plutarchus in Pompeio obseruat nonnullos, quum parum considerate libertatem illam vsurpant, pro parrhesiastis ὑβριστὰς & αὐθάδεις, petulantes & arrogantes euadere. Sic enim ille de Fauonio, qui Catonis libertatem praue imitabatur: Φαώνιος δὲ ὡς, αὐτὸς ἄλλα μὲν οὐ πονηρὸς, αὐθαδείᾳ δὲ καὶ ὕβρει πολλάκις τὴν Κάτωνος οἰόμενος ἀπομιμεῖσθαι παρρησίαν.

IN *te qui dicit Ch. liber homo est*] Multi Epigrammatis istius acumen quæsiuerunt; an inuenerint nescio. Nam aliis *liber* heic est homo curis & negotiis liber, cui multum otij, negotij nihil sit, cum in Chœrilum dicat: quam sententiam probare nequeo. Alij interrogationem reponendam existimant; quæ sententia videri possit acutior. Mihi simplex interpretatio minus displicet. Nempe qui in te dicit, qui de te loquitur, cum nimis liberum & παρρησιαστὴν Chœrile existimas, nec pati potes vt quisquam de te

loquatur. Verum neque hoc satis placet. An etiam? In te qui dicit vere, homo liber est & ingenuus, nec seruilis ingenij. Nam & ideo [illegible] Latini *liberos* appellarunt, quia liberi hominis est, dicere ac loqui libere quæ sentiat; sequioris contra ingenij multa ferre, dissimulare, & aliud sentire, aliud loqui, necessitate id flagitante. Euripides in Phœnissis:

[illegible]

AD EPIGR. LXIX.

VNA *est Næuia*] Sola ei in ore & in animo est. Sic amor vesanus significatur. [illegible] Diogenes Laërtius in Hipparchia: [illegible] Lucianus libello de Dea Syria: [illegible] Eleganter quoque is dicitur [illegible], cuius opera & auctoritas præcipua in re aliqua enitescit, & qui vnus est instar omnium. Appianus lib. II. de bell. Ciuil. [illegible] Et lib. IV. [illegible] Polybius lib. V. [illegible] Sed prius Herodotus Musa III. [illegible] Sic loquuti etiam Latini. Lucanus lib. III.

Omnia Cæsar erat.

T. Liuius lib. XL. *Demetrius ijs vnus omnia est. Eũ iam Regem vino patre appellant*, id est, [illegible] Hæc phrasis reponenda apud Petronium. *Et Trimalcionis* [illegible] *est. Ad summam mero meridie si dixerit ille tenebras esse, credet.* Hæc sane notaram, cum eandem correctionem in quæstionibus epistolicis doctiss. Lipsij inueni. Sed confirmanda ea est exemplo plane homogeneo. Lucianus igitur in Tyrannicida: [illegible] Dicebant autem [illegible], vt [illegible]. Aristophanes [illegible]. Id est, [illegible] De Archidamo loquitur.

PROPINAT] Quod etiam Parasitus ab heri sui amica stipulabatur, in ea quam scribebat syngrapha, apud Plautum in Asinaria:

Tecum vna postea pocula potitet;
Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.

INNVIT] Eadem syngrapha:

Neque vlla vlli homini nutet, nictet, annuat.

Heliodorus histor. Æthiop. lib. I. [illegible]

NÆVIA *lux, inquit, Næuia, lumen*] Sic melius, quam *numen*; Nam etsi amicæ amantium suorum vere deæ, nihilominus quia *lucem* antea Næuiam dixit, *lumen* quoque videtur adijcere. Tales igitur amatorum assentatiunculæ, frequentes in Comœdiis. B. Hieronymus ad Nepotianum; *Mel meum, lumen meum, meum desiderium; omnes delicias, & lepores, & risu dignas vrbanitates, & ceteras ineptias amatorum in Comœdijs erubescimus, in seculi hominibus detestamur.*

NÆVIA *non vna est*] Plurium est Næuia, nec tibi tantum, quod stolide credis, addicta.

A

AD EPIGR. LXX.

COEPIT, *Maxime, Pana quæ solebat*] De Canio Poëta ad risum non propenso modo, sed pene formato idem Martialis lib. III. Epigr. XX. vbi plura. *Ostendere* autem quomodo heic accipiendum sit proprie, docemus ad Epig. XIX. eiusdem libri.

AD EPIGR. LXXI.

OFFICIOSE] Quia hæc togata salutatio inter officiorum genera, de quibus antea. Idem lib. V.

Semper inhumanos habet officiosus amicos.

B

MADIDI *Lyæi*] *Madidus* pro approbe poto frequens, & elegans est apud Plautum, Martialem, Iuuenalem, alios. Sic & *Vuidus* Horatio Od. V. lib. IV. Atque eodem modo Græci [illegible], Athenæo teste lib. I. Antiphanes: [illegible] Vnde [illegible] eodem sæpe modo quo *Madidus*. Eubulus:

[illegible]

Madefactus eodem pacto Ammiano Marcellino, lib. XV. *Apud Sirmium poculis ampliorib. madefacti quidam.* Sic [illegible]. Lucianus Deorum dialogis: [illegible] Eadem verba & in Icaro; [illegible] Sic & in Somnio, & alibi. Et [illegible], apud eundem in Iudiciis, & [illegible] Platoni. *Siccus* contra, vt notum. Eadem autem similitudine, *Vino se irrigare* dixit Plautus in Pœnulo, sc. *Iam istuc ego reuertar.*

Vbi tu Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo,
Vetustate vino edentulo ætatem irriges.

C

Hunc locum illustraui lib. II. Aduersariorum meorum. Nunc fortasse corrigam. Rescribo igitur, *Vbi te Leucadio, &c. ætatem irriges. Ætatem* heic diu, & quasi [illegible], quomodo sæpe apud Plautum, & Terentium. Nisi eodem modo dixit Plautus *ætatem irrigare*, quo Alexis, [illegible]

Ceterum eadem pene vini genera enumerat Eubulus; [illegible]

ATRIA QVE] Quia in atriis salutatores, quod notissimum cum ex aliis, tum ex nostro Poëta. Papin. lib. I. Thebaidos:

Et nondum crasso laquearia fulua metallo,
Montibus aut alte Graijs effulta nitebant
Atria, congestos satis explicitura clientes.

D

NVLLA *magis toto ianua poste patet*] Antiquis temporibus portæ etiam priuatorum raro patebant; vnde in Comœdiis qui domum aliquam ingredi volunt, fores pulsant; Atque ad eum vsum appensa erant ianuis tintinnabula, vt recte obseruarunt ad Suetonium, vel mallei, aut pensiles circuli, quorum etiam hodie vsus: Postea ostiarij additi. Plutarchus libro de Curiositate; [illegible] Sane ostiarij illi vulgo petulantes erant ac inhumani; neque magnatum domus omnibus patebant. Seneca lib. III. de Ira, cap. XXXVII. *Iratum vidisti amicum tuum ostiario causidici alicuius, aut vidisti quod intrantem submouerat, & ipse pro illo iratus extremo mancipio fuisti.* Et quo maior eorum esset potestas, plures quandoque addebantur; ac plerumque barbari, quorum maior inhumanitas. Lucianus in

Votis:

Votis: καὶ προσπλῦναι γε αὐτοῖς, ἃ πρὸ τῶν ἄλλων εἰσδεχθῆναι δέξαιτο, θυρωροὶ ὑπὸ σολοικισμῷ, ἀμαθεῖς βάρβαροι προσμαρτυρῶσιν εἰς τὸ μέτωπον ὅθεν τὴν θύραν, εἶτα τῶν αὐτῶν ποιεῖν. Sed barbarorum istorum insolentiam ac proteruiam, & clientulorum contra ac A salutatorum humilem & indignam abiectionem idem eleganter describit dissertatione de mercede conductis. Locus est elegans. ἀλλὰ πολλῆς τῆς μὲν διαδρομῆς, συνεχὲς δὲ τῆς θυραυλίας, ἕωθέν τε ἐξανιστάμενον, περιμένειν ὠθούμενον, καὶ ἀποκλειόμενον, καὶ ἀναίσχυντον ἐνίοτε, καὶ ὀχληρὸν δοκοῦντα, ὑπὸ θυρωρῷ κακῶς συριζοντι, καὶ ὀνομακλήτορι Λίβυι ταττόμενον, καὶ μισθὸν τελοῦντα τῆς μνήμης τοῦ ὀνόματος. En, heic habes & ostiarium Syrum ac barbarum; & nomenclatorem Libycum, qui librum amicorum teneret, atque salutatores suo quemque ordine admitti iuberet, neque id gratis; alios etiā submoueri. De nomenclatoribus istis alij. Seneca de beneficijs lib. VI. cap. XXXIII. *Quid? Istos tu libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, amicorum existimas esse? Non sunt isti amici, qui agmine magno ianuam pulsant,* &c. Et lib. II. de Tranquill. B vitæ: *Quidam se à cinerario impulsos moleste ferunt, & contumeliam vocant ostiarij difficultatem, nomenclatoris superbiam, cubicularij supercilium.* Commendat igitur hoc Epigrammate Martialis Proculi humanitatem, cuius fores amicis & salutatoribus apertæ erant, neque ijs difficultatibus obseptæ. Sic de Cicerone scribit Plutarchus, eum, quum in prouincia esset, ne ostiarium quidem habuisse; sed ipsum mane ante vestibulum ambulātem amicos, à quibus salutabatur, excepisse: ἡ δὲ οἰκία θυρωρὸν οὐκ εἶχεν, οὐδ' αὐτὸς ὤφθη κατακείμενος ὑπ' οὐδενός, ἀλλ' ἕωθεν ἑστὼς ἢ περιπατῶν πρὸ τοῦ δωματίου, τοὺς ἀσπαζομένους ἐδεξιοῦτο. Veteres autem Græci quum aliquem φιλόξενον & erga hospites humanum describere volebant, eius ianuas toto poste semper apertas dicebant, ὑπέπτατο ἡ θύρα. Aristophanes Acharnanibus; C

> κᾆπειτ' ἐγὼ δῦτ' ἐνθάδι στρατεύομαι
> παρ᾽ ᾧ δε ξενίζειν, οὐδὲ πώποτ' ἴσχ' ἡ θύρα.

Callimachus;

> —— πολὺ δ' ὁ παίς οὐδὲ πω,
> ἡ ῥα φιλοξείνης εἶχε θύρας ἀναπίτνον.

Sic & Pindarus πιτναμένας ξείνων ἔντευ τᾶς θύρας dixit. Sane Gellias Agrigentinus hospitalitate celeberrimus, non solum ædes patentes & ἀκλείστους habebat, sed & seruos qui hospites omnes & peregrinos humane inuitarent. πρὸς ταῖς πύλαις ἔταττεν οἰκέτας, οἷς προσηγγέλλετο πάντας τοὺς ξένους καλεῖν ἐπὶ ξενία, inquit Diodorus Siculus lib. XIII.

Ipse *venit*] *Ipse*, Dominus tuus scil. Nam hic liber tanquam seruulus. Terent. in Hecyra act. III. sc. IV. D

> *Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.*

Donatus: *Ipsum, à quo missus sum; vel Dominum. Græci dicunt αὐτόν.* Vere. Aristophanes in Ranis:

> ἦ τοῦ, θεράπον τὸν τῆς αὐλητρίδα
> τῆς ἔνδον ἐκαὶς, αὐτὸς ὡς εἰσέρχομαι.

Theocritus idyll. XXIV.

> Ἄνσατε δμῶες ταλασίφρονες· αὐτὸς ἀϋτεῖ.

Sic enim accipiendus hic locus: quod non vidit Interpres. Sic & ἐκεῖνος aliquando. Aristophanes in Nubibus: ἀλλ' εἴσιθ' ἵνα μὴ κεῖνος ἡμῖν ἐπιτύχῃ. *Ipse* autem hoc modo non solum apud Terentium, sed & apud Plautum, & alios. In Casina:

> Stalino. *Quid tu agis? Ancilla. Ego eo quo me ipsa misit.*

Iuuenalis Sat. V.

> *Ipse capillato diffusum Consule potat.*

Et iterum:

> *Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem.*

Sic enim hæc accipe. *Ea* eodem modo in Truculento, pro Hera.

> *At enim amabo, sine me ire, quo iussit ea.*

AD EPIGR. LXXII.

Nævia *sex cyathis*] Pro numero literarum scilicet. Sic solebant aliquando. Vide Epig. XXI. lib. VIII. Item XCV. lib. IX. ac XXXVII. & XXXIX. lib. XI. Mentio autem sæpe amicarum, & amicorum in compotationibus, & ex eorum nominatione potus προπόσεις. Theocrit. Idyll. XIV.

> ἤδη δὲ προϊόντος ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον,
> ᾧ τινος ἤθελ' ἕκαστος, ἔδει μόνον ᾧ τινος εἰπεῖν.

Vbi recte scholia: ἔθος γὰρ εἰώθασι ποιεῖν ἐν ταῖς συμποσίαις, ἄκρατον λαμβάνειν, καὶ ὀνομάζειν ἅπερ ἐρωμένους, ὁ φίλους, ἐπιχέειν τῷ τε γῆ, καὶ ἐπιλέγεσθαι τῶν φιλτάτων τὸ ὄνομα. Formula hæc nota è Plauto, *Bene mihi, bene tibi, bene amicæ nostræ. Bibe si bibis.* Ouid. lib I. ἐλεγειῶν:

> *Et quidquid dices faciesve proteruius æquo,*
> *Credatur nimium caussa fuisse merum.*
> *Et bene dic Dominæ, bene cum quo dormiet illa:*
> *Sed male sit tacita mente precare viro.*

Et *quia nulla venit, tu mihi somne veni*] Probo eorum sententiam qui ad Mercurij cyathum Poëtam respicere existimant; sed ideo poculum istud & somnum videtur exoptare, quia nox longa quibus mentitur amica aut speratur. οἱ δὲ ποθοῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν. De diuersis istis crateribus in Digressionibus.

AD EPIGR. LXXIII.

Nostris *versibus esse te Poetam*] Fidentinum plagiarium, quem iam sæpius traduxit, pingit iterum hoc Epigrammate, ac paucis verbis φενακισμῷ eum esse concludit, qui alienis versibus Poëtam se facere velit, quomodo caluus assumta φενάκη & aliena cōma facit se comatum. Hinc φενακισμὸς Græcis & φένακς, ἀπατεών, ψεύστης, ἀλαζών. Sane qui alienis plumis bellos se faciunt, ἀλλοτρίαις πτίλοις σφᾶς αὐτοὺς ἐφαιδρύνοντες, &c.

> μόχθοισιν ἄλλων οἱ σοφοὶ ἐπηρμένοι,

quod ait ille in Tragœdia, sunt vere ἀπατεῶνες & ἀλαζόνες. Nam ἀλαζὼν idem est ἀπατεών. Egregie Xenophon Apomnemoneumatum li. I. in fine: ἀπατεῶνα δ' ἐκάλει τὸ οὐ μικρὸν μὲν, οὐδ' εἴ τις ἀργύριον ἢ σκεῦος παρά τινος πειθοῖ λαβὼν ἀποστεροίη, πολὺ δὲ μέγιστον, ὅστις μηδενὸς ἄξιος ὢν ἐξηπατήκει πείθων ὡς ἱκανὸς εἴη τῆς πόλεως ἡγεῖσθαι. ἐμοὶ μὲν οὖν ἐδόκει καὶ τὸ ἀλαζονεύεσθαι ἀποτρέπειν τοὺς συνόντας τοιάδε διαλεγόμενος.

Emptis *ossibus*] Plin. lib. VIII. cap. III. *Ceterum & in ijs* (Elephantis scil.) *quod corpus intexit, vilitas ossea. Quamquam nuper ossa etiam in laminas secari cœpere penuria.*

Indicoque *cornu*] Dentes Elephantis assignant Aristoteles, Plinius, Philostratus: Cornua contra Varro, Pausanias, Oppianus, & alij quidam. Sane Hebræi & dentem & ebur שן appellant.

Cerussata *sibi placet Lycoris*] Cerussa collum & totum os, purpurisso genas ac labia linebant. B. Hieronymus ad Furiam, de seruanda vir-

ginitate: *Quid faciat in facie Christianæ purpurissus & cerussa? quorum alterum ruborem genarum, labiorumque mentitur; alterum, candorem oris & colli.* Idem ad Demetriadem de seruanda virginitate: *Polire faciem purpurisso, & cerussa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere.* Et passim. Eubulus:

Μὰ Δί' οὐχ ἐπιπεπλασμέναι ψιμυθίοις.

Nihil crebrius.

AD EPIGR. LXXIV.

GRATIS] Absque dono dicunt, & referunt ad custodes mercede conductos, qui non gratis Cæciliani vxorem contrectabant. Sed si huius Epigrammatis acumen à dicto illo celebri, *Nitimur in vetitum semper,* &c. quo sane respexisse videtur Martialis, & ab Ouidio totum Epigramma accepisse, *Gratis*, hoc loco opponetur τῷ *Ingratijs*, quo sæpe vtuntur pro *ἀκόντως*: & *Gratis*, ac τὸ *licuit* sumentur pene ἐν ταὐτῷ.

POSITIS *custodib.*] *Appositis*, vernacula elegantia. Sueton. in Tiberio, *Hunc tribunus militum custos appositus occidit.* Sed & *Imponere* eodem modo. Ouid. eleg. IV. lib. III. Amorum, vnde Epigramma hoc sumsisse videtur Martialis:

Dure vir imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo est.

Sic *Addere* apud Plautum, & alios eleganter.

INGENIOSVS *homo es*] Namque inuenisti quo tandem modo vxor tua esset vere quæstuaria, & rem tibi faceret.

AD EPIGR. LXXV.

MOECHVS *erat*] Acumen huius Epigr. idem est, quod & Epigr. XXII. lib. VI. vbi vide quæ notamus.

AD EPIGR. LXXVII.

NVMMOS *habet arca Mineruæ*] Mineruæ scilicet tetricæ & seriæ, cui dant operam qui vtiliores ac fructuosiores literas colunt, in quibus caussarum patroni. Musæ autem, quas colunt Poëtæ, venustulæ sane sunt & elegantes, sed quod cultoribus suis donent nihil habēt, præter gloriolam aliquam & famæ ostentationem. Alij referunt ad forum Palladium.

PRÆTER *aquas*] Similis omnino locus Dialogo de caussis corruptæ eloquentiæ: *Nam carmina & versus, quib. totam vitam Maternus insumere optat (Inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem vllam auctorib. conciliant, neque vtilitates alunt. Voluptatem autem breuem, laudem inanem & infructuosam consequuntur.* Et paulo post: *Nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cuiusquam beneficium; sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre.*

ET *magnum semper inane*] Non solum in Palat. cod. sed & in eo quo vsi sumus, scriptum erat, *sed per inane*; Vnde non dubitamus quin Martialis manus fuerit, *sed perinane sophos.* Magnum quidem sophos habent, sed tamen perinane; id est, magna quidem & elata acclamatione excipiuntur, sed præter quam nihil omnino est.

Et steriles cathedras] Quibus sedebant auditores. Plinius epist. XXI. lib. VIII. Sterilis cathedra autem infructuosa, vt apud Iuuenalem satyra A VII. cathedra docentium:

Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ:
Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi Carinatis.

De basiis autem, quibus recitatores excepti, diximus supra.

AD EPIGR. LXXVIII.

Sole vtitur Charinus] Versus hic non est minimæ elegantiæ, etsi in nonnullis exemplaribus abest. Sole vtebantur quandoque post cibum, id est, in Sole iacebant. Plinius iunior de auunculo suo: *Vsus ille Sole, mox frigida, in gustauerat iacens, studebatque; Poscit soleas, &c.* Alibi de eodem: *Post cibum sæpe, (quem interdiu leuem & facilem, veterum more, sumebat) æstate, si quid otij, iacebat in Sole: liber legebatur, adnotabat, excerpebatque.* Idem; *Post solem* B *plerumque frigida lauabatur, deinde gustabat, dormiebatque minimum.* Id ἡλιάζεσθαι Græci dicebant, & ἡλίωσιν ac ἡλιοκαΐαν, *insolationem.* Sed & ante cibum vtebantur quandoque Sole, atque ad Solem vngebantur. Cornelius Celsus lib. I. cap. II. *Exercitationem recte sequitur modo vnctio, vel in Sole, vel ad ignem, &c.* Et cap. III. *Communis deinde omnibus sunt post defatigationem cibum sumturis, vbi parum ambulauerunt, si balneum non est, calido loco, vel in Sole, vel ad ignem vngi, atque sudare.* Atque hæc valetudinis caussa. Alij autem voluptatis occasionem inde quærebant, & Sole assiduo cuticulam curabant, quod sequenti versu *cutem tingere* dicit Martialis; Persius etiam *figere.* Quod hominum genus notat Seneca de breuitate vitæ, cap. XIII. *Persequi singulos longum est, quorum aut latrunculi, aut pila, aut excoquendi in Sole corporis cura consumsere vitam.* Cornutus ad Persij sat. IV. C *Chromatiarij dicuntur colorarij, vel qui toto die in arena sunt, vel in Sole.* Charinus tamen etsi Sole vteretur, & ad Solem vnguento cutem figeret, & colorem quæreret, pallebat nihilominus. Caussam palloris tam pertinacis explicat postremo versu.

AD EPIGR. LXXIX.

Nobiliore rogo] Ms. *vita* pro *via*, quæ optima lectio in aliis libris.

Huius Cæsar amicus erat] Sed dirus morbus fauces premebat, vt Cæsaris amicitia nihil eum iuuaret.

AD EPIGR. LXXX.

D *Semper agis caussas*] Describit ardelionem, & hominem qui variis occupationibus districtum se fingeret, aut quandoque etiam stolide distringeret; quo de hominum genere plura postea.

Agas animam] Iocus ex verbi homonymia & ὁμωνυμίᾳ. Seneca epistola LV. *Aliud enim quidquid est, ægrotare est. Hoc est, animam agere.* Tertullianus lib. de Anima: *Quid autem agere dicuntur moribundi, animum an animam?* Lusit autem & in hoc verbo Seneca eodem plane modo: *Quid egeris tunc apparebit, quum animam ages.* Sic & verbi *curare* homonymia ludendi caussam Plauto præbuit in Mostellaria.

Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio est?
An ruri quæso, non sunt quos cures boues?

AD

AD EPIGR. LXXXII.

E *seruo scis te genitum*] Nihil certius videtur eorum coniectura qui scriptum existimant, è *serua*: Nam quia partus sequitur ventrem, qui è serua genitus est, seruus est, & patrem eundem ac dominum habet, si quidem eius mater ab hero suo compressa est. Ridet igitur stultum seculi sui morem Martialis, quo ipsi etiam liberi patres suos quãdoque *dominos* appellabant. Atqui si patres domini erant, liberi è serua & ancilla erant geniti. De blanda autem ista siue potius seruili appellatione plura alij, & nos ipsi infra.

AD EPIG. LXXXV.

Vxorem habendam non putat Quirinalis] Ergo Quirinalis liberi eundem patrem & dominum habebant, quomodo & Sosibianus. Themistius Euphrades: οὐδὲ ἐκείνῳ πέρας, οὐδὲ ἐπιπείσθη ἑάλως, οὐδ᾽ ἐποίησεν τοὺς αὐτοὺς υἱὰς τε καὶ οἰκέτας.

Equitibus vernis] Iuuenalis sat. IX.

--Certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conuiua ioco mordente facetus,
Et salibus vehemens intra pomœria natis.

Pater familias] Fãcere Quirinalis, quod domũ vernis impleret, Paterfamilias dicitur: Nam familia proprie seruorum; quare & serui olim *familiares* dicti.

AD EPIGR. LXXXVI.

Venderet exc. coll. cum præco facetus] Qui intempestiue facetijs suis vsus est, & cum magno damno illius, cuius prædia publicabat. Præcones autem omnes faceti, aut certe dicaculi, quemadmodum ceteri qui cum plebecula vitam degunt: qua de re testimonia ab aliis iam congesta.

AD EPIGR. LXXXVII.

Lemma est, *De Nouio microspico*; quod qui inscripsit, quid voluerit sibi nescio. Nam tam bardum fuisse quemquam, vt monstrum hoc verbi finxerit, eo quod raro cõspiceretur Nouius, vix mihi persuadeo. Neque magis probare possum aliorum lectionem, *De Nouio micropsycho*. Nam quare Nouius μικρόψυχος? Vbi illius μικροψυχία notatur, aut significatur hoc Epigrammate? Quare totum hoc lemma delendum censeo, nec esse à bona manu. Videtur autem nonnullorum morbum exagitare voluisse Martialis, qui quæ ad manum habent, contemnunt & negligunt; quæ remotiora sunt, & paratu difficiliora, sectantur; vnde fit vt neque amicos, quorum copiam facilem ac promtam habent, magni faciant: quod hominum genus ματαιότατον appellat Pindarus II. Pythion. ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια, παπταίνει τὰ πόρσω. Huius rei plures caussas tentat Plinius Epist. XX. lib. VIII. *Ad quæ noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus; & sub oculis posita negligimus; seu quia ita natura comparatum, vt propinquiorum incuriosi, longinqua sectemur; seu quod omnium rerum cupido languescit quum facilis occasio est; seu quod differimus, tanquam sæpe visuri, quod datur videre, quoties velis.*

Vicinvs *Nouio, vel inquilinus*] In ipsis Nouij ædibus habitet oportet. *Inquilinus*, ἔνοικος, qui in conductis ædibus habet. Appianus lib. II. Belli ciuil. Ciceronem scribit à Catilina nouum hominem fuisse appellatum: (καλῶν δ᾽ ὅπως, inquit, τοὺς ἀφ᾽ ἑαυτῶν, καὶ οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους) & inquilinum; ᾧ ῥῆμα, ait, καλοῦσι τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις. Catilina ipse apud Sallustium: *Ne existimarent, sibi patricio homini, cuius ipsius, atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita* Rep. *opus esse, cum eam seruaret M. Tullius inquilinus ciuis vrbis* Romæ. Ceterum non absimilis valde Diogenis canis ludus, qui quum imperitum sagittarium videret, ad scopum ipsum sedere cœpit, eum se locum elegisse dictitans, ne feriretur à sagittario. ἰδὼν τοξότην ἀφυῆ, παρὰ τὸν σκοπὸν ἐκάθισεν, εἰπών, ἵνα μὴ πληγῶ. Diogenes Laërtius.

AD EPIGR. LXXXIX.

Sed *fragiles buxos*] De sepulchrorum ornamentis, frondibus, floribus, &c. deque toto hoc Epigrammate plura dicimus in Aduersarijs.

AD EPIGR. XC.

Garris *in aurem*] Verissima Iusti Lipsij sententia, Martialem, quum epigramma hoc scriberet, oculos habuisse ad Scauri dictum, quo Iunij Othonis tectum genus dicendi & suspiciosum notabat, vbi minime opus, & quum aperte liceret agere; quum cum diceret, *Acta in aurem legere*. Acute sane; Nam quid ineptius excogitari potest, quam acta, quæ publica sunt & omnibus exposita, in aurem legere? nisi tamen etiam ineptius, Cæsarem in aurem laudare, id est, Athenienses laudare Athenis in aurem.

Adeone *penitus sedit hic tibi morbus?*] Adeone fixum est & inueteratum stolidum hoc vitium? Seneca epist. LXXXVI. *Nunquid dubium est, quin vitia mentis humanæ inueterata & dura, quæ morbos vocamus, &c.* Et Epistol. LXXVI. *Quid inter morbos animi intersit & affectus, sæpe iam dixi. Morbi sunt inueterata vitia, & dura, vt auaritia, vt ambitio nimia; Postquam hæc animum implicuerunt, & perpetua esse mala eius cœperunt. Vt breuiter finiam, Morbus est iudicium in prauo pertinax, tanquam valde expetenda sint, quæ leuiter expetenda sunt: vel, si mauis, ita finiamus, Nimis imminere leuiter petendis, vel ex toto non petendis; aut in magno pretio habere in aliquo habenda, vel in nullo.* Sane morbum quandoque Latini dicunt, & Græci νόσον, prauã quandam & pertinacem alicuius rei affectationem, cuius rationem nullam reperire queas aliam, quam propensionem ἄλογον, vt pluribus obseruamus ad Arnobium, & in Digressionibus nostris ad Tertulliani Apologeticum.

AD EPIGR. XCI.

Qvodqve *tibi mœchum fabula nulla dabat*] Proprie *fabula*. Seneca Controuersia VII. lib. II. *Duxi vxorem mature; semper dilexi; Ad omnem metum fabulam præstiti.* Et Controuers. VIII. *Magnus pudicitiæ fructus est, pudicam credi; & aduersus omnes illecebras, atque omnia delinimenta muliebris ingenij, est veluti solum & firmamentum, in nullam incidisse fabulam.* Mater igitur quæ vixit sine fabula, aut in nullam fabulam incidit, ea est quam *secundo rumore gloriosam* dicit Apuleius Milel. IX.

Alioquin seruans pudoris, vt videbatur, femina, quæ semper secundo rumore gloriosa, Larem mariti pudice gubernabat.

AD EPIGR. XCIII.

Sæpe *mihi queritur*] Libido & voluptas immoderata opulentiam sæpius sequitur: certe cum paupertate & rerum inopia vix potest consistere. χαλεπώτατον ἐστὶ ... ἐκ φύσεως ἀκολουθεῖ συνουσίας ἡδονή. ὅταν γὰρ ὑπὸ ὀψοφαγίας καὶ ἀκράτου καὶ πολλῆς μέθης οἱ ... πιεσθῶσι, ... ἑαυτῶν δυνάσται, ait Philo lib. de Agricultura. Quare si quis penuria & egestate laborans, res nihilominus illas sectatur, & vitijs felicium vacat, id pro monstro pene est. Quod est huius Epigrammatis argumentum, quo Catullum imitatus est in Aurelium.

Tangi *se digito, Mamuriane, tuo*] Id est subagitari.

Sed *si nec focus est*] Artemidorus lib. II. cap. IX. obseruat, si quis in somnis videre se existimet focum multo igni, eoque puro atque illustri collucentem, prosperum esse somnium, & res bonas significare; sin contra ignem extinctum videat, id χρημάτων σημαίνειν. qua de re etiam obseruamus aliquid ad Tertull. Apologeticum.

Nudi *nec sponda grabati*] Atqui grabatus ipse miseriorum lectus erat; quare & Cynicorum, ac ceterorum philosophorum qui luxui bellum indixerant, aut indixisse videri volebant. Seneca Epist. XVIII. *Grabatus ille verus sit, & sagum, & panis durus ac sordidus.* Et Epist. XX. *Alioquin leue argumentum est bonæ voluntatis grabatus, aut pannus, nisi apparuit aliquem illa non necessitate pati, sed malle.* Idipsum est quod *cubile humi positum*, idem dicit Epist. V. *Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud ambitionem peruersa via sequitur, deuita.* χαμεύνην Græci dixerunt. Hesychius, χαμεύνη, σκίμπους, καὶ ἡ ταπεινὴ κλίνη καὶ χαμαὶ στιβάς. Item χαμεύνιον, κλινίδιον ταπεινόν. Hac de re iterum ad lib. IV.

Cerea *si pendet lumbis*] Dicemus ad Epigr. LIII. lib. IV.

Dimidiasque *nates Gallica palla tegit*] Strabo: ἀντὶ δὲ χιτῶνος, χιτῶνας σχιστοὺς φέρουσι μέχρι αἰδοίων, καὶ γλουτῶν.

Denique *p. Mamuriane satur*] Catullus.

Atqui si id faceres satur, tacerem.

AD EPIGR. XCIV.

Ara *duplex*] De aris sepulchrorum plura obseruamus ad Tertulliani Apologeticum. Cetera ab alijs sunt explicata.

AD EPIGR. XCVII.

Amator *ille tristium lacernarum*] Togam olim Romanorum vestem fuisse communem ac pene ordinariam nemo est qui nesciat. Lacernis vtebantur in bello; postea etiam domi: atque eæ quandoque togæ superiniectæ, quandoque separatim sumtæ. Qui modestiores haberi volebant, fuscas illas, aut coloris minus illustris habebant; quod præcipue obseruatum postremis temporibus: Nam monachos pene omnes, & virgines etiam ipsas, quæ castitati sese iam deuouerant, vel in eam spem educabantur, in pul-

A lis & furuis vestibus fuisse obseruamus alibi: delicatiorũ autem & minus virorum lacernæ purpureæ, hyacinthinæ, aut coloris eiusmodi erant: quod merito in ijs improbatum, cum ne in feminis quidem floridiores vestes probatæ fuerint, vt pluribus obseruamus ad Tertulliani Apologeticum.

Nativa *laudat*] Pullam igitur lanam, furuam, leucophæatam, aut etiam albam, nec coloribus illis infectam. Sic Clemens Alexandrinus lib. II. Pædagogi disputat vestes albas tanquam modestiores sumendas esse, vel certe quæ natiuum colorem seruauerint; ceteras viris probis respuendas. παραιτητέον δὲ τὰς ἐσθῆτας καὶ τὰς βαφάς· αὗται γὰρ πόρρω καὶ τῆς χρείας, καὶ τῆς ἀληθείας, πρὸς δὲ καὶ διαβολὴν τοῦ ἤθους ἐξαγθεῖν. τοῖς δὲ λευκοῖς, καὶ ἐσθῆτας τὰς ἔνδον, δικαίοις καὶ ἀπεριέργοις ἁρμοδιώτατον ἐσθίοντα χρῆσθαι. εἰ δὲ καὶ ἄλλό τι δεῖ χρῶμα ζητεῖν, τὸ αὐτοφυὲς τῆς

B ἀληθείας ἀπόχρη ἄχρωμα.

Excidit *mihi nomen*] Iocus in verbi homonymia, vt viri docti pridem obseruarunt. Putet quis Martialem dicere, nominis se oblitum, sed ait superioribus versibus nomen sibi quasi imprudenti excidisse.

AD EPIGR. C.

Lemma est, *Ad Calenum auarum.* Sane cum auaritiæ duæ sint veluti species, quarum altera ἐν ἐλλείψει τῆς δόσεως, *in dandi defectu*; altera ἐν ὑπερβολῇ τῆς λήψεως, *in accipiendi excessu* consistit, quemadmodum docet in Nicomacheis Aristoteles, priorem speciem heic tangit, quæ cum altera non concurrit necessario, sed quandoque ab ea omnino separata est. Nam auaritia

C ȣ̓ πᾶσιν ὁλόκληρος συνδυάζεται, vt idem Philosophus ait, ἀλλ' ἐνίοτε χωρίζεται· καὶ οἱ μὲν τῇ λήψει ὑπερβάλλουσιν, οἱ δὲ τῇ δόσει ἐλλείπουσιν. *Non omnibus semper inest tota atque integra, sed quandoque species eius separatim habent: atque alij in accipiendo & quærendo non seruant modũ; alij nihil dando liberalitatis omnia officia deserunt.* Huius generis est, quem heic describit Martialis; Item is quem infra describit Epigr. CIV. Vtroque autem Epigrammate hoc sibi vult; Quosdam, quum pauperes sunt aut tenuis fortunæ, liberales tamen, certe ad liberalitatem propensos videri, atque eam supra facultates etiam quandoque exercere; eosdem, si quo casu lautiorem fortunam nacti sint, tunc auaros, id est, parcos ac sordidos fieri. Nempe antea auaritiæ materia deerat; Nunc postquam oblata est, natura vim suam & propensionem exerit: atque exinde *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia*

D *crescit.* Sic obseruat Plutarchus libello de amore diuitiarum, nõnullos, dum parentes parci ac tenaces viuunt, atque opibus suis incubant, dissolute in summis delicijs viuere; mortuis ijs, easdem opes & diuitias nactos ἕτερον βίου χρῆμα suscipere, καὶ τραπέσθαι ἀχαλίνως, ἀσώτως, ἀνελευθέρως. Hac de re iterum infra.

Sed *tam prodigus atque liberalis*] Loquitur more vulgi, cui inter prodigum & liberalem discrimen sæpe nullum. Nam qui opibus suis abutuntur ad delicias, eos vulgus liberales existimat; philosophia prodigos: vt contra, qui iis moderate vtuntur, ὡς δεῖ καὶ ὅτε δεῖ, aliisque circunstantiis, quas ratio desiderat, obseruatis, vulgus eos parcos ἢ ἀνελευθέρους reputat. Suetonius in Nerone; *Diuitiarum & pecuniæ fructum*

non alium putabat, quam profusionem: Sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret; Prælautos, vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent.

E T *tam lautus eras*] Plinius Epist. VI. lib. II. *Vt homo minime familiaris cœnarem apud quendam, vt sibi videbatur, lautum & diligentem; vt mihi, sordidum simul & sumptuosum.*

V T *conuiuia sumptuosiora*] Hic est effectus auaritiæ, in quam Calenus inciderat, quod amicos haberet minus laute, aut paulo sordidius; quod est hominis vere μικροπρεποῦς, ac φειδωλοῦ κ. κίμβικος. Talem describit Euclionem suum Plautus; & Theophrastus in Characteribus μικρολόγον ait, ἑστιῶν τοὺς δημότας, μικρὰ τὰ κρέα κόψαντα παραθεῖναι. Capitolinus in Pertinace: *Et cum verbis esset affabilis, re erat illiberalis ac prope sordidus, vt dimidiatas lactucas, & carduos in priuata vita conuiuis apponeret; & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici, nouem libras carnis per tres missus ponebat.*

AD EPIGR. CII.

N E *tamen ad Stygias*] Sic solebant, si quos seruos dilexerant, eos ante mortem manumittere, vt liberi abirent. Plin. epist. XVI. lib. VIII. *Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem iuuenum. Solatia duo nequaquam paria tanto dolori; solatia tamen: Vnum, facilitas manumittendi: Videor enim non omnino immaturos perdidisse, quos iam liberos perdidi.* Hinc interpretor hoc Damascij epigramma lib. III. Anthologiæ:

> Ζωσίμη, ἡ πρὶν ἐοῦσα μόνῳ τῷ σώματι δούλη,
> Καὶ τῷ σώματι νῦν εὗρεν ἐλευθερίαν.

Dioscorides ibidem:

> Δοῦλος ἐγὼ, καὶ δοῦλος, ἐλευθερίῳ δέ με τύμβῳ
> Δέσποτα Τιμάνθη τὸν σὸν ἔθευ τρόφιμον.
> Αἰῶνα ἀπήμονα τείνοις βίον· ἢν δ' ὑπὸ γήρως
> Πρός με μόλῃς, σὸς ἐγὼ, δέσποτα, κἢν Ἀΐδῃ.

AD EPIGR. CIV.

Hoc epigramma eiusdem argumenti est cum epigr. C. modo explicato. Placet autem quorundam mss. lectio, *iustus eques*. Nam nondum iustus eques heic dicitur, qui etsi eques erat, tamen censum equestrem non habebat, siue quadringenta sestertium millia; quæ qui non habebat, sedere non poterat in quatuordecim ordinib' lege Roscia. Quare cui aliquid ex ea summa deerat, nō erat iustus eques, quia omnibus equitū priuilegiis vti non poterat, quorum non erat vltimum sedere in quatuordecim ordinibus. Suetonius in Augusto; *Cum plerique equitum attrito bellis ciuilibus patrimonio spectare ludos è XIV. non auderent metu pœnæ theatralis, Augustus pronunciauit, non teneri ea, quibus ipsis, parentibusve equester census vnquam fuisset.* Hinc & Epigr. LXVII. lib. IV.

> *Dicebatque suis hæc tantum deesse trecenta,*
> *Vt posset domino plaudere iustus eques.*

Sic *iusti milites*, & similia. Tit. Liuius lib. XXIV. *Neque ad exemplum iusti militis quidquam iis præter libertatem deesse.*

S O R D I D I O R *multo post hoc toga*] Primum argumentum ἀνελευθερίας à vestium sordibus, & vilitate. Theophrastus in characteribus μικρολόγων ait φορεῖν ἐλάττω τῶν μηρῶν τὰ ἱμάτια. Quemadmodum autem μικρολόγων vestes sordidæ, & ῥυπαραί: lautorum contra nitidæ & puræ, Græcis καθαραί: nisi A quod καθαρὰς quandoque appellant vestes non modo puras, sed splendidas etiam ac λαμπράς. Plut. in Catone Vticensi: ἐσθῆτας δὲ καθαρὰς εἶναι καὶ στεφάνους ἔχειν, ἱερεῖς θεῶν ὄντας ἢ ἀπάρχοντας. Vestem mundam sordidæ vesti opponit B. Hieronymus ad Eustochium: *Vestis nec satis munda, nec satis sordida, & nulla diuersitate notabilis, ne te obuiantium turba circumstet.* Sic legendus est hic locus ex optimo ms. Vulgatæ editiones aliter habent.

D E Q V E *decem plures semper seruantur oliuæ*] Quod est hominis fœdissime μικρολόγου, qualem describit etiam Iuuenalis Sat. XIV.

> *Hesternum solitus medio seruare minutal*
> *Septembri.*

Spartianus in Didio Iuliano: *Nam Iulianus tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret, si quis ei forte misisset.* Id est, vt vnica mensa tres pene cœnas explicaret, vt loquitur Martialis verbis proxime B sequentibus.

AD EPIGR. CV.

P I C T O *quod iuga delicata*] Quæ obseruat hoc Epigrammate Martialis, eadem obseruarat libello de spectaculis, & alibi. Seneca quoq; Epist. LXXXV. paucis verbis hæc eadem pene omnia complectitur. *Lecti sunt domitores ferarum, qui sæuissima animalia & ad occursum exterrentia hominem, docent pati iugum; nec asperitatem excussisse contenti, vsque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat; osculatur tigrim suus custos; elephantem minimus Æthiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem.*

AD EPIGR. CXII.

C

I G N O R A T *meritis dare munera, qui tibi librum*] Huius Epigrammatis ratio petita est ab eo Philosophiæ loco, vbi de munerum conuenientia agitur. Seneca lib. I. de Benef. cap. XI. *Vtique cauebimus, ne munera supervacua mittamus; vt fœminæ aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut studijs ac literis dedito retia.* At viro studioso libros, pio thus mittere, munus est plane εὔλογον. Sic etiam Aristides in Panathenaïco: μόνην δὲ ταύτην, γενναίαν τῆς εὐεργεσίας ἔξεστι προσειπεῖν· ἡ γὰρ ἐπὶ λόγων λόγῳ γενομένη χάρις, οὐ μόνον τὸ δίκαιον ἔχει μεθ' αὑτῆς, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ λόγου πρέπουσαν ἐπωνυμίαν βεβαιοῖ· μόνη γὰρ ἐστὶν ἀκριβῶς εὔλογος.

AD EPIGR. CXIII.

C V M *te non nossem, dominum regemque vocabam*] D Verum est quod obseruauit Georgius Merula, respexisse Martialem hoc Epigrammate consuetudinem à Seneca obseruatam, qua ignotos sibi homines & quorum nomen non habebant notum, *dominos* appellabant. Sed acumen est in homonymia verbi Noscere. Quos nō nouerant, quorum nomina sibi nota non erant, eos appellabant dominos; Sic Martialis quum Priscum non nosset, id est, quum sordes eius & abiectionem ignoraret, eum dominū ac regē salutabat. De domini & regis appellatione plura postea.

AD EPIGR. CXV.

E T *Stygias æquum fuerat*] Ex ipsius patris vo-

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD LIB. II. EPIGRAMMATVM
M. VALERII MARTIALIS.

AD EPISTOLAM.

EPIGRAMMATA *curione non egent*] Tragœdi, quia ipsi pro se loqui non poterant, accipiebant epistolam, quam curio aut præco quandoque legebat. Non poterant autem pro se loqui, quia tota Tragœdia alienis personis constat; Etsi Comici Poëtæ, quorum maior erat licentia, de se ipsis sæpius in Prologis, & quandoque in ipsa etiam fabula, maxime Græci, disserebant. At epigrammata curione non egent; non est necesse vt aliena opera vtantur; contenta sunt sua, id est, vt addit eleganter Martialis, mala & dicaci lingua. Per præcones & curiones quandoque populum alloquebantur. Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. καθάπερ δ' οἱ βυλόμενοι δήμῳ προσομιλῆσαι, διὰ κήρυκος τοῦτο πολλάκις ποιοῦσιν, ὡς μᾶλλον ἐξάκουστα γενέσθαι τὰ λεγόμενα. Suetonius in Augusto: *Pronunciabat dulci & proprio quodam oris sono, dabatque assidue phonasco operam; sed nonnunquam infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est.* De curione Scaliger ad Festum, & alij.

AD EPIGR. I.

MISTO *quincunce*] Nam lex vetus, ἢ τρία, ἢ πέντε, ἢ μὴ τέτταρα.

AD EPIGR. II.

QVÆ *datur ex Cattis*] Disputauit de hoc loco Lipsius. *Datur* autem *laurea* dicit, vel Domitiano victori, vel potius Ioui Capitolino. Plin. in Panegyrico: *Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus Dijs, vt inuicti Imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret: Hanc Imperator Nerua in gremio Iouis collocarat, &c.* Sueton. in Domitiano: *De Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui retulit.* Stat. lib. IV. Syluarum:

> *— Nondum gremio Iouis Indica laurus,*
> *Nondum Arabes, Seresque rogant.*

A Sil. Italicus lib. XV.

> *— Laurumque superbam*
> *In gremio Iouis excisis deponere Pœnis.*

Plin. lib. XV. cap. vlt. *Fasces Imperatorum decorat* (laurus scil.) *Ex his in gremio Iouis Opt. Maximi deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* Legit Torrentius ex cod. manus. *Ex hinc in gremio, &c.* Sed vulgatam lectionem retineo, quia ex fascibus Imperatorum laurus gremio Iouis quandoque deponebatur. Clare Dio lib. LIV. τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἔν τε τῷ παλατίῳ τὸν δῆμον ἠσπάσατο, καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν, τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθηκε. *Postridie populum in Palatio salutauit, & cum in Capitolium adscendisset, laurum fascibus detraxit, & in Iouis gremio deposuit.* Quippe parta victoria fasces ipsæ lauro decorabantur. Plut. in Lucullo: ῥάβδοι δ' ἀμφοτέρων περιεστεμμέναι δαφνηφόροι διὰ τὰς νίκας. Cæsar lib. III. de bello ciuili: *Pompeius eo prælio Imperator est*
B *appellatus. Hoc nomen obtinuit; atque ita se postea salutari passus est. Sed neque in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureæ protulit.* Atque huc pertinent *fasces laureati*, & *lictores laureati*, de quibus M. Tullius ad Atticum, non vno loco.

DATVR] Signate. Ouid. lib. IV. Trist.

> *Inde petes arcem, & delubra fauentia votis*
> *Et dabitur merito laurea vota Ioui.*

AD EPIGR. III.

SEXTE *nihil debes*] Nam etsi recte obligatus es, tanta tamen tua inopia est, vt creditoris tui inanis actio futura sit, vt loquitur Iurisconsultus l. VI. D. de dol. mal. nec quidquam sis soluturus; Quapropter nihil debes, ὀφείλεις οὐδὲν, quia nihil re vera soluturus es. Seneca apposite lib. V. de Beneficijs, cap. XXI. *Quomodo fænerator quosdam debitores non appellat, quos scit decoxisse, & in quorum pudorem, nihil superest quod pereat.* Sic argutatur Plautus in Curculione, non
C male credi ijs qui nunquam reddunt, quia non creditur proprie nisi reddituris; quod igitur datur non reddituris, non creditur, sed prorsus

perit.

Argentariis male credi qui aiunt, nugas prædicant.
Nam nec bene, nec male credi dico; id adeo hodie expertus sum.
Non male creditur, qui nunquam reddunt, sed prorsus perit.

Si igitur is qui dat nō redditurο, nō credit proprie, nec proprie creditor est; is qui nunquam redditurus est, eadem ratione nihil debet, neque est debitor.

AD EPIGR. IV.

CVR *vos nomina nequiora tangunt*] Nam blandis istis appellationibus excipiebant sese viri & fœminæ nequam; qua de re plura ad lib. x.

AD EPIGR. V.

NE *valeam*] Formula iurandi frequens. Sic *Ne sim saluus.* M. Tullius ad Atticum, epist. XIII. lib. XVI. *Ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta est. Illa omnium quidem elegantissima (ne sim saluus, si aliter scribo ac sentio.) Nihil legi humanius.* Contra in obtestationibus, *Sic valeas.* Phædrus fab. LX.

Sic valeas, inquit, vt farina es, quæ iaces.

Tertullianus ad Senatorem Refugam:

Dic mihi, sic valeas, cum talia sæpe rogares,
Et veniam peteres; quæ tecum verba loquuta est!

Sic enim locus est corrigendus. Mart. epigr. LX. lib. VI.

Sic lene flauorum valeat genus Vsipiorum.

AD EPIGR. VI.

SPECTAS *ἰξαπηχυλιαῖον Seuere*] Probo Iosephi Scaligeri emendationem, *ἰξαπηχύλιον*, de qua is plura ad Tibullum.

TRAHIS *oscitationes*] Sic solent qui tædiose, & parum attente audiunt. Plut. de audiendi ratione; ἀλλὰ καὶ νεῦμα, καὶ ψιθυρισμὸς πρὸς ἕτερον, καὶ μειδίαμα, χάσμαι τε ὑπνώδεις, καὶ κατανεύσεις, καὶ πᾶν ὅ,τι τοιοῦτον ἐστιν ὑπεύθυνόν ἐστι, καὶ δεῖται πολλῆς εὐλαβείας. Et sane oscitatio indicium est vagi, animi, & allucinãtis, & fluxæ atque apertæ securitatis, quemadmodum obseruat A. Gellius lib. IV. cap. vlt. Quare χασμώδη quandoque appellant hominem νωθρὸν, & stupidi ac hebetis ingenij. Elegãs Arcesilæ iocus apud Diogenem Laërtium; διήκουσε δὲ καὶ Ἱππονίκου τοῦ γεωμέτρου, ὃν καὶ ἔσκωψε, τὰ μὲν ἄλλα νωθρὸν ὄντα καὶ χασμώδη, ἐν δὲ τῇ τέχνῃ τεθεωρημένον, εἰπὼν τὴν γεωμετρίαν αὐτοῦ χάσκοντος εἰς τὸ στόμα ἐμπτῆναι. *Audiuit & Hipponicum geometram, in*
D *quem etiam iocatus est, quod cum in alijs hebes esset, & oscitator, in geometria tamen peritus esset: quare aiebat geometriam hianti atque oscitanti in os aduolasse.* Sic stolidi homines pingũtur sæpe à scriptoribus κεχηνότες. Aristophanes in Auibus,

μὴ περιπέτεσθαι πανταχῇ κεχηνότας.

Vbi scholiastes, κεχηνότες, οἱ μωροί. τὸ γὰρ κεχηνέναι ἐπὶ τῶν ἀνοήτων λαμβάνεται.

NVNQVAM *deliciæ*] Lege *Nusquam*, vt in antiquis editionibus. Postea *Interiungere* etiam legendum, non *Iter iungere*. Sententiam huius loci explicarunt alij.

NVSQVAM *deliciæ supiniores*] Apposite Plinius ad hoc argumentum, Epist. V. lib. II. *Quoties enim ad fastidium legentium deliciasque respicio, in-*
A *telligo nobis commendationem etiam ex ipsa libri mediocritate petendam.* De delicatorum & mollium hominum supinitate plura postea.

INTERIVNGERE *quæris ad Camœnas*] Seneca de Tranquillitate vitæ; *Quidam medio die interiunxerunt, & in postmeridianas operas aliquid leuioris operæ distulerunt.*

AD EPIGR. VII.

DECLAMAS *belle*] Belle heic χαρακτηρίζεται ardelio, qui cum nihil bene agat, agit omnia belle, id est, in omnibus bellus sibi videtur, & nullas artes, nullas scientias ignotas habet, ac de omnibus loquitur, belle potius, id est, tanquam homo qui politus videri vult καὶ εὔχαρις, quam perite. Tales igitur homines appellabant ardeliones, qui circa omnia volitarent, nullibi pedem
B figerent. Græci πολυπράγμονας appellarunt homines, qui quum multarum scientiarum cognitionem profiterentur, nullam proprie callerent; in quos exstat Palladæ epigramma non inelegans Anthol. lib. II. De ardelionibus iterum postea.

AD EPIGR. IX.

RESCRIPSIT *nil Næuia*] Nam meretriculæ si rescribebant, annuere videbantur. Iuuenalis Sat. VI.

Libertas emitur: Coram licet innuat, atque
Rescribat: Vidua est locuples quæ nupsit auaro.

Iterum:

Illa docet missis à corruptore tabellis,
Nil rude, nil simplex rescribere,

Lucianus: Οἱ δὲ περὶ συμποσιακὰς ὀκνηροὶ λόγοι εἴσω
C παρειλήφασι, ἐς τ' αὖ ὀκνεῖν ἀντιχαρίζεσθαι τῷ μοιχῷ ἐπαναδραμόντες πρὸς τὴν ἀκρόασιν.

NON *dabit ergo*] Quia non rescripsit scilicet. *Dare* heic καχίζεσθαι. χαρίζεσθαι Græcis, de quo dicimus ad Pindarum. Alibi apud Martialem:

--- *Vis dare nec dare vis.*

Et sæpius apud eundem. Ouid. lib. I. καχεπιχαίρας

Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse rogatæ.

Et,

Hoc opus, hic labor est: primum sine munere iungi,
Si dederit gratis, quæ dedit, vsque dabit.

Sic Martialis noster epigr. LXXV. lib. X.

Dat gratis: vltro dat mihi Galla, nego.

Atque ab hac significatione petitus Ciceronis iocus, de quo Suetonius in Iul. Cæsare, *Quondam etiam in Senatu defendenti Nysæ caussam, filiæ Nicomedis, beneficiaque in se commemoranti, Remoue, inquit, istæc, oro te: quando notum est, & quid ille tibi,*
D *& quid illi tu dederis.* παρέχειν eodem pene modo, nisi quod αὐτὸ τὸ ἔργον potius significat. Lucianus Dialogis Meretriciis: πάρεχε γοῦν ὦ Λέαινα εἰ ἄπειμι (ἔφη) καὶ γυναῖκα οὐδὲν ἀδικήσει με. οὐδ' ἀνδρῶν ἔχει σύ γε αὐτὴ τοῦ ἀνδρείου ἀλλὰ πάρεχε. Scholiastes Aristophanis, κασαλβάδες ἑταῖραι εἰσιν, αἱ ἀεὶ ἐπὶ τῶν οἰκημάτων ἑστῶσαι ἐπὶ μισθῷ παρέχουσι τοῖς βουλομένοις. Plenius Artemid. παρέχειν ἑαυτὴν, lib. I. Oneirocrit. cap. LXXX. εἰ δὲ ἀναβαίνοι ἡ γυνὴ, ὁ μὲν παρέχοι ἑαυτὴν, τὰ ἐναντία συμβαίνει. Item: καὶ γὰρ πρὸς τινας ἐργαστήριοι λέγονται, καὶ οὐδὲν ἀπαρνοῦνται παρέχουσαι ἑαυτάς. Sic accipiendum verbum hoc apud Clementem Alexandrinum in Protreptico: καὶ ἀφροδίσιος ἦν ἡ χάρις ὁ μισθὸς ὃν ᾔτει Διόνυσος· ἐκπομπεύων δὲ τῷ θεῷ λέγειν ἡ αἴτησις. καὶ δὴ ὑπισχνεῖται παρέξειν αὐτῷ εἰ

τῷ ἐν ἀναζεύξει, ὀρχησάμενος τὴν ἀπόφασιν. Sic *Præbere* dixit Ouidius lib. II. κακοπραγίας

Odi quæ præbet, quia sit præbere necesse,
Siccaque de lana cogitat ipsa sua.

SED *puto q. scr. legerit*] Nam legisse satis erat. Male interpolarunt hunc locum, & pro *Legerit* rescripserunt *Legerat*. Ouid. lib. I. de Arte amandi:

Legerit, & nolit rescribere: cogere noli:
Tu modo blanditias fac legat ipsa tuas.
Quas voluit legisse, volet rescribere lectis:
Per numeros veniunt ista, gradusque suos.

AD EPIGR. XL

QVOD *ambulator porticum terit seruus*] Palat. codd. & ms. quo vsi sumus, *seram*: quæ fortasse verior est lectio. Infra Epigr. XIV.

Si quis ibi serum carpat amicus iter.

PECTVS *pulsat*] Hoc frequens in funeribus. Lucianus de luctu: οἰμωγαὶ δὲ ἐπὶ τούτοις, καὶ κωκυτὸς γυναικῶν, καὶ παρὰ πάντων δάκρυα, καὶ στέρνα τυπτόμενα. Pectus pulsabant & in aliis calamitatibus atrocioribus. Cornelius Tacitus lib. I. Annalium: *Incendebat hæc fletu, & pectus, atque os manibus verberans*, &c. *Et os* dicit Cornelius, τὰ μέτωπα. Dionys. Hal. lib. X. Ant. Rom. ὡς δ' ἦλθον αὐτοὶ παίοντες τὰ μέτωπα, καὶ κατηφεῖς τὰς ὄψεις ποιοῦντες, αἰσχυνόμενοι. Et lib. II. ὡς δὲ ταῦτα εἶπε, οἱ μὲν ἄλλοι σιγῶντες, καὶ τὰ μέτωπα παίοντες, καὶ τὰ δάκρυα κατέχειν οὐ δυνάμενοι περιέμενον ἐκ τῆς ἀγορᾶς. Dixit Appianus, τύπτειν τὰ μέτωπα in Punica historia; σκυθρωπαὶ δὲ ὁρῶντες ἔτυπτον τὰ μέτωπα, καὶ διηπόρουν, οἱ μὲν ὁμοῦ πάντες, οἱ δ' ἕκαστοι, &c. Latini *caput offensare*, dicunt; quod proprie tamen est caput terræ, aut quandoque etiam parietibus illidere. Tit. Liuius lib. XXV. *Flere omnes repente, & offensare capita, & alij manus ad cœlum tendere, Deos incusantes.* Id ipsum est quod dicit Appianus, ἐς τὴν γῆν αὐτὸν ῥίπτειν, καὶ χερσὶ καὶ κεφαλαῖς αὐτὴν τύπτειν. In luctu hæc capitis offensatio maxime vsurpata. *Capitis persequutiones* appellat Cicero lib. III. Tuscul. quæst. Legunt quidam, *Capitis percussiones*. Lucianus de luctu, κόμαι καὶ ἐσθῆτες καταρρήγνυνται, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται. καὶ οἱ ζῶντες οἰκτρότεροι τοῦ νεκροῦ. οἱ μὲν γὰρ χαμαὶ κυλινδοῦνται πολλάκις, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀράττουσι πρὸς τὸ ἔδαφος. Dixit κόμαι καὶ ἐσθῆτες καταρρήγνυνται, & Orientales intelligit, quibus tamen solis hoc factitatum non est, quod vulgus literatorum existimat. Appianus lib. I. Bell. Ciuilium, de Cinna: ταῦτα εἰπὼν ἐς θρήνησιν, καὶ πολλὰ δεῖ αὐτῷ καταπειθόμενος, τήν τε ἐσθῆτα κατέρρηξε. Dio lib. XLVIII. μαθόντες δὲ τὴν ἀλήθειαν, τάς τε τρίχας ἀπέσπασαν, καὶ τὰς ἐσθῆτας περιερρήξαντο. Virgil. XII. Æneidos:

--It scissa veste Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina.

Papinius V. Syluarum.

--Tunc flere, & scindere vestes,
Et famulos lassare greges.

Claudianus lib. I. in Ruff.

--Et scisso mærens velamine Luctus.

Addidit Lucianus, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται. Quod etiam non soli Orientales fecerunt. Virg. loco modo laudato:

Canitiem immundo perfusam puluere turpans.

Imitatus est Claudianus præfat. lib. II. in Eutropium:

Canitiem raram largo de puluere turpat,
Et lacrymis rugas implet anile gemens.

Idem lib. de Raptu Proserpinæ:

Tum laceras diffusa genas, & puluere canos
Sordida siderea raptus plangebat alumnæ.

Statius III. Thebaïdos:

--Haustaque informis arena
Questibus implet agros.

Et alibi. Ceterum *Pectus pulsare*, id ipsum est quod *plangere* dicebant. Erant autem Præficæ, atque alij qui modum plangendi ceteris dabãt. Iuu. sat. X.

---Inter
Iliadum lacrymas vt primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla.

Heliodorus Æthiop. Histor. lib. V. ὀδυρμὸς ἅπασιν ἀθρόος ἀνεκινήθη, καὶ ὥσπερ ἐξ ἑνὸς συνθήματος ἡ πληθὺς αὐτῆς ἀνωλόλυξαν. Lucianus Mortuorum Dialogis: καὶ νὴ Δία γε, ἡ Δαμασίου μήτηρ κεκαρμένη ἐξάρχει τοῦ θρήνου σὺν γυναιξὶν ἐπὶ τῷ Δαμασίᾳ. Xiphilinus in exequiis Pertinacis in vita Seueri: αἱ μὲν οὖν ἄλλαι περὶ τῆς κλίνης περιέστημεν, καὶ ἦσάν τινες ὁμάδον ἐπὶ τὸν κοπετόν τε καὶ ἀπαυλούμενοι. Vnde in Euangelio secundum B. Matth. cap. XI. ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. Nam Præficæ, & alij, quidam quos σοφιστὰς θρήνων appellat Lucianus lib. de luctu, ἐθρήνουν, & κοπετόν τε καὶ ὑπαυλοῦσι, vt ait Xiphilinus. Capillos etiam scindebant, pectus plangebant, ac ceteris ad eiusmodi nugas præibant. Lucilius:

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere,
Multo & capillos scindunt, & clamant magis.

Imitatus est Lucilium Horatius:

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentib. &c.

Hi planctus in exequiis non minus celebres quam tibiæ. Euseb. lib. IX. hist. Eccles. cap. VIII. οὐδ' ἦν ἄλλο τι θεωρεῖν, ἢ θρήνους μετὰ τῆς συνήθους αὐλῶν τε καὶ κτύπων. Vides κτύπους μετ' αὐλῶν. Nam certe tibiæ nulli alij vsui quam ad næniam decantandam. Festus: *Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Sed antequam faces subiicerentur rogo Principum virorum, tuba luctificum vlulabat: quo clangore præeunte faces subdebant. Virg. XI.

It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.

Item quum mortui cremarentur. Val. Flaccus lib. III. Argon.

Inde ter armatos Minyis referentibus orbes
Concussi tremuere rogi, ter inhorruit æther,
Luctificum clangente tuba: iecere supremo
Tum clamore faces.

Appianus lib. I. de bell. Ciuil. in Syllæ funere: σαλπικτῶν τε ἄπειρον ἦν πλῆθος παρὰ μέρος ὑγρότατα καὶ πένθιμα μελῳδούντων. βοῇ δ' ἐπιλεγομένη ὑπὸ βουλῆς ποικίλον τε, καὶ οἱ ἱππεῖς ἐν μέρει, &c. Et sane Tubæ proprie in funere Imperatorum, & clarorum militum. Tertull. lib. de Corona militis, cap. XI. *Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari à tuba Angeli expectat? Et cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit?*

ET *comam vellit*] M. Tullius lib. III. Tuscul. quæst. *Ex hac opinione sunt illa varia, & detestabilia genera lugendi, Pedores muliebres, lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis persequutiones. Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus,*

Scindens dolore identidem intonsam comam.

In quo facetum illud Bionis, Perinde stultissimum Regem in luctu capillum sibi euellere, quasi caluitie mæror leua-

C

retur. Pro *capitis persequutiones*, probo *capitis percussiones*. πλήγματα κρατὸς dicit Euripides in Troadibus. Comam vellere autem Græci dicunt, τίλλειν τὴν κόμην. Lucianus de Luctu: παύσαι τιλλόμενος τὴν κόμην, καὶ τὸ πρόσωπον ἐς ὕστατον αἱμάσσων. Scholia Aristophanis ad Ranas: τὸ συντίλλειν τὰς τρίχας, καὶ κόπτεσθαι, ἅμα μὲν ὡς ἐπὶ πενθητικοῖς, ἀλλ' ἐρίοις. Apud Græcos quidam in luctu tondebant. Vnde πλόκαμος πενθητήριος, cuius meminimus alibi. Sed & mulieribus κουρὰ τίμημα assignatæ. Plut. Consolat. ad Vxorem, καὶ τὸ μὲν μύρον μὲν ἐνίοις καὶ πορφύρας ἐσθῆτα χρῆσθαι ταῖς γυναιξὶν, κουρᾶς δὲ συγχωρεῖν πενθήμασι, καὶ βαφὰς ἐσθῆτος μελαίνης, καὶ καθέσεις ἀμόρφους, καὶ χαλεπαὶς ἐπιπόνοις. Sed generalis illius consuetudinis tondendi in luctu apud Græcos plures meminerunt. Herodotus Musa v. Συβαρῖται γὰρ ἁλούσης ὑπὸ Κροτωνιητέων Μιλήσιοι πάντες ἡβηδὸν ἀπεκείραντο τὰς κεφαλὰς, καὶ πένθος μέγα προσεθήκαντο. Seneca lib. v. de Benef. cap. vi. *Si Regem in luce media errantem ad rerum naturam admisisset, vsque adeo eius ignarum, vt quo die solis defectio fuit, regiam clauderet, & filium (quod in luctu ac rebus aduersis moris est) tonderet.* Eadem consuetudo & Persis, qui & insuper equos quandoque, & iumenta radebant: Qua de re Herodotus Musa ix. & Plut. in Alexandro. Sed & de Chaldæis Iob. cap. 1. com. 20. & Ierem. Lamentat. cap. ii. com. 10. Græci autem si alia δυστυχία contigerat, ἐκόμων, teste Plut. Rom. quæst. Sed Ægyptij in luctu capillos promittebant. Herodotus lib. ii. τῶν ἄλλων ἀνθρώπων νόμος ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς, τοὺς μάλιστα ἱκνέεται. Αἰγύπτιοι δὲ ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνιεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ τῷ γενείῳ, τέως ἐξυρημένοι. *Apud alios homines more receptum est, vt in luctu statim capita ij tondeant quos potissimum is attingit: At Ægyptij in funere suorū, capitis barbæque pilos crescere sinunt, cum alioquin antea tonsi fuerint.* Sed Apim lugentes caput radebant. Plin. lib. viii. cap. xlvi. *Non est fas eum certos vitæ excedere annos* (de Api loquitur) *mersumque in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium quem substituant, donec inueniant mœrent, derasis etiam capitibus.* Lucianus de Sacrificiis: Ὁ μὲν γὰρ Ἆπις, ὁ μέγιστος αὐτοῖς, ἂν ἀποθάνῃ, τίς οὕτω περὶ πολλοῦ ποιεῖται τὴν κόμην, ὅστις οὐκ ἀπεξύρησε, καὶ ψιλὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ πένθος ἐνεδείξατο, κἂν τὸν Νίσου ἔχῃ πλόκαμον τὸν πορφυροῦν; Athenagoras Apologet. εἰς δὲ τὰ θεῖα θεοὺς ἄγουσι, καὶ ξυρῶνται ἐπὶ τοῖς νεκροῖς. Sanc & si canis alicubi mortuus erat, tota familia ὅλον τὸ σῶμα ἐξυρᾶτο, quod obseruat Herodotus Mus. ii. & post eum Euseb. lib. ii. de Præparat. Euangel. Iulius Firmicus, & alij. Quare Athenagoræ locus non ad Apim solum, sed & ad alia animalia est referendus. Dicit Herodotus ceteros mortales in luctu tondere solitos. Nam hæc consuetudo longe lateque fusa. Quare prohibetur à Domino in Leuitico, cap. xix. & xxi. & Deuteron. cap. xiv. Ceterum hæc omnia deplorati luctus signa. Vide sis & cap. ix. lib. i. Aduers. nostrorum. Vnde & *pedores muliebres, lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones.* De percussione diximus supra: Lacerationes genarum proprie etiam muliebres: quæ prohibitæ in duodecim tabulis. *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Heic *Radere* interpretatur Festus, *Vnguibus scindere.* Non dubito quin Collectores harum tabularum legerint in legibus Græcorum, ἀμύσσειν παρειάς. Nam ἀμύσσειν proprie, ξύειν. Plut. in Solone: Ἀμυχὰς δὲ κοπτομένων, καὶ τὸ θρηνεῖν, &c. Et Eustath. ad hunc locum Iliad. α.

—— σὺ δ' ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξεις

A ἀμύσσειν παρειὰς citat, & interpretatur. Sic ἀμύσσειν τὸ πρόσωπον dixit Lucianus loco antea citato: vbi meminit & σπαραγμῶν παρειῶν. Sophocles quoque eodem modo vsurpat in Aiace:

—— χεροπλήκτοι
δ' ἐν στέρνοισι πεσοῦνται
δοῦποι, καὶ πολιᾶς
ἀμύγματα χαίτας.

Artemidorus lib. i. cap. i. παρειὰς καθαιρεῖσθαι dicit, καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι καθαιροῦνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι. Loquitur de more vsitato, quamuis duodecim tabulis prohibito. Tibullus:

Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

Ouid. iii. Trist. eleg. iii.

Parce tamen lacerare genas: Nec scinde capillos:
Non tibi nunc primum, Lux mea, raptus ero.

Et ii. Amorum, eleg. vi. de morte Psittaci:

B *Ite piæ volucres, & plangite pectora pennis,*
Et rigido teneras vngue notate genas.

Vngue notare genas dicit, ξύειν τὰς παρειὰς τῷ ὄνυχι. Sic eleg. v. lib. iii.

Ilia cui placuit, quamuis erat horrida vultu,
Vngue notata comas, vngue notata genas.

Nec seipsos solum male tractabāt, sed & seruos, atque ancillas ac vniuersam familiam. Plut. Consolat. ad Vxorem: καὶ τῶν λεγομένων οἱ καὶ θαυμάζουσιν ὡς οὐδὲ ἱμάτιον ἀνείληφας πένθιμον, οὐδὲ αὐτῇ τινὰ θεραπαινίσιν, ἢ προσπολοις ἀμορφίαν καὶ αἰκίαν. Vnde Statius loco superiori notatione citato:

—— *Et scindere vestes,*
Et famulos lassare greges.

Sane famulos exemplo suo ad planctum & ad hasce αἰκίας incitabant. Idem Statius lib. vi. Theb.

C *Asperior contra, planctusque egressa viriles*
Exemplo famulas premis, hortaturque volentes
Orba parens.

MOERORIS *igitur*] Reponenda lectio codd. mss.

Mœroris igitur caussa quæ est? Domi cenat.

AD EPIGR. XII.

NON *bene olet*] Plautus:

—— *Ecastor mulier recte olet, vbi nihil olet.*

AD EPIGR. XV.

QVOD *nulli cal. t. propr.*] Nam ἐν προπόσει calicem ei porrigebant & dabant, quem propinatione salutabant. Neque tamen olim προὔπινον, id est, priores bibebant; sed nominabant eum, cui propinabant, antequam ipsi biberent. Athenæus

D lib. i. πληρουμένης γὰρ προέπινον ἀλλήλοις μετὰ προσαγορεύσεως. Et ibidem προπίνειν esse dicit τὸ ἑτέρῳ πρὸ ἑαυτοῦ δοῦναι πιεῖν. Vnde Eustath. ad Odyss. α. ἤγουν φασι κυρίως προπίνειν, τὸ πρὸ ἑαυτοῦ διδόναι τινὶ πίνειν. Dixi ἐν προπόσει poculum porrectum à propinante: Quod certissimum ex Athenæo, Luciano in Lapithis: quin & ex ipso Xenophonte histor. Græcæ lib. ii. vbi de Theramene: Cicerone lib. i. Tuscul. quæst. & Val. Max. lib. iii. cap. ii. Vnde προπόσεις δωρήσασθαι dixit Critias:

καὶ τόδ' ἔθος Σπάρτῃ, μελέτημά τε κείμενον ἐστὶ,
πίνειν τὴν αὐτὴν οἰνοφόρον κύλικα,
μηδ' ἀποδωρεῖσθαι προπόσεις ὀνομαστὶ λέγοντα.

Dicit idem significantius προπόσεις ὀρέγειν.

καὶ προπόσεις ὀρέγειν ἐπιδέξια, καὶ προκαλεῖσθαι

ἐξονο-

ἐξονειδίζουσι τὸ προπίνειν ἀλλήλοις.
Quid sit προπίνειν φιλοτησίαν docet Athenæus lib. xi. Sed hac de re in Digressionibus.

HVMANE *facis*] Superbi enim χαρακτὴρ nemini propinare. Iuuenalis Sat. v.

—— Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuus contacta labellis
Pocula?

At contra inferiori non licebat facile prouocare superiorem. Quare ibidem:

—— Quis vestrum temerarius vsque adeo, quis
Perditus, vt dicat Regi, Bibe? Plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.

Humanitatis igitur argumentum si potentior propinabat tenuiori; At contra istic Hermes, quod calicem suum propinaret nemini, humanus existimatur; propter oris fœtorem & spurcitiem. Seneca lib. ii. de Beneficiis, *Ego, inquit, ab eo beneficium accipiam, à quo propinationem accepturus non sim?*

AD EPIGR. XVI.

ZOILVS *ægrotat, faciunt hanc stragula febrem*] Notat hoc Epigrammate stultam diuitiarum ἐπίδειξιν, de qua dicemus plura ad lib. vi.

AD EPIGR. XVII.

NON *tondet*] Legendum puto:

Non tondet, inquis. Ergo quid facit? Radit.

Optime autem *radit*, de meretrice; vt eleganter ostendit Artemidorus lib. i. cap. LXVI. vbi ait si quis in somnis strigile se vti existimet, cum meretrice rem eum habiturum significari; & rationem reddit, quod meretrix corpori admota id ipsum faciat quod ξύστρα. Verba illius sunt; ἔτι δὲ ὅτι καὶ ἑταίραις μίξεται. τὸ αὐτὸ γὰρ καὶ ἑταῖρα τῷ σώματι προσιοῦσα ποιεῖ.

AD EPIGR. XVIII.

SVM *comes*] Habebant gloriæ ista animalia comites, qui latus tegerent. Nota res. Dicebantur *exteriores*. Horat. Sat. v. lib. ii. Plaut. Menæchmis, sc. *Bene obsonaui.* Contra *interiores*, quorum tegebatur latus. Ouid. v. Fastor.

Et medius iuuenum, non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes vnus erat.

Ex hoc more Seneca epist. xxxx. *Nudum erit latus? incomitata lectica?* B. Hieronymus ad Heliodorum: *Potentissimi quondam reges, nudo latere palpitabunt.* Et Iuuenalis Sat. iii. *—— Me nemo ministro*

Fur erit: atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, & extinctæ corpus non vtile dextræ.

Nam qui latus tegit alterius, is quasi dextra cassus est, cum eius ministerio saltem aliquo modo careat. Sic enim accipe hunc Iuuenalis locum, quem nullomodo intellexerunt interpretes. Pro *Ideo*, lubens legerim *Adeo*. De Anteambulonibus nihil notare possum, quod quisquam paulo humanior ignoret. E seruis, & clietibus alij præcedebant, alij sequebantur, alij latus tegebant. Hanc vanitatem damnarunt in Paulo Samosateno Antiochiæ Episcopo, vt patet ex Episcoporum epistola, quæ exstat apud Euseb. lib. vii. hist. Eccles. cap. xxx. βαδίζων δημοσίᾳ καὶ δορυφορούμενος, τῶν μὲν προπορευομένων, τῶν δ' ἐφεπομένων, πολλῶν τὸν ἀριθμόν.

REGIS] *Reges* referri ad Parasitos tam notum est, quam hunc Solem lucere. Beatiores quoque A *Reges* appellabantur, quod etiam tritum. Sic βασιλεῖς Græcis. Hi sunt quos τοὺς τρέφοντας etiam quandoque appellant. Plutarchus, de puerorum institutione; πανταχοῦ μὲν κόλακας, πανταχοῦ δὲ ἐκτρέπεσθαι. ὡς οὐκ ἀνελευθέρως τὴν γένεσιν ἔχουσι, ... τρέφοντες χλευῶσι. & alibi: καὶ τοὺς ἐλέγχοντας ἐπαινοῦσι, ὥσπερ παράσιτοι τοὺς τρέφοντας, ὅταν ὑπ' αὐτῶν λοιδορῶνται. Lucianus de parasito: τὸ δέ γε ἐπισκώπτειν λόγους λέγει ἐπιτηδείους, καὶ σχήματα σχηματίζειν, δι' ὧν οἰκειώσεται, καὶ ἀνέχεσθαι ἑαυτὸν τῷ τρέφοντι ἀποδείξει. Et iterum eodem libro: ἐπιεικῶς γὰρ οἱ παράσιτοι καὶ ἑταῖροι τῶν τρεφόντων εἰσίν. Athenæus lib. vi. Ἄλεξις δ' ἐν παροιμίᾳ Στέφανον τὸν παράσιτον εἰσάγει δυσχεραίνοντα τῷ τρέφοντι, καὶ λέγοντα ταδί. Timocles:

Ἀνὴρ παράσιτος τοῦτο ποιεῖ δίς; πάλιν
ἑτέρας; συμπαρὼν ἀπερίσπαστος γίνεται.
παράσιτε τί; τοῦτο συμπαρών ὅ, τι ἂν δέῃ.
δίκαια ταῦτα τῷ τρέφοντι γεγονέναι.

B Isaacus Casaubonus in doctiss. Com. ad Theophrasti Characteras notat, κόλακας referri πρὸς τοὺς τρυφῶντας, & adfert hunc locum è scholiis Aristophanis: πολλάκις εἰώθασι τοῖς τρυφῶσιν οἱ κόλακες λέγειν. Locus est in Equitibus. Et sane οἱ τρυφῶντες assentatoribus delectantur: sed non ij proprie videntur, qui appellantur *Reges* in re parasitica. τοὺς τρυφῶντας propter superbiam & ferociam κολακεύομεν: quia solent eiusmodi homines ἡμῖν ἐντρυφᾶσθαι, quod palpo auertere conamur; Quemadmodum in eo Aristophanis loco, vbi prædicta notatio, introducitur seruus morosum herum σαίνων, καὶ αἰκάλλων, nempe Cleon populum Atheniensem τρυφῶντα & proteruum κολακεύων. Maximus Tyrius, Dialogo iv. οὐδεὶς ἐν Λακεδαίμονι Κλέων ἦν, οὐδὲ Ὑπέρβολος κόλακες πονηροὶ τρυφῶντος δήμου. Et paulo post: κολακεύει C δὲ Ξέρξην Μαρδόνιος, βάρβαρον βάρβαρος, ἀνόητος ἀνόητον, δειλὸς οἰκέτης δεσπότην τρυφῶντα. Ceterum vt τρέφειν παρασίτους Græci dicunt, sic Plautus in Mostellaria:

Amicas emite, liberate, pascite
Parasitos, obsonate pollucibiliter.

Vicarius] Horatius:

Siue vicarius est, qui seruo paret, vti mos
Vester ait. & quæ sequuntur.

AD EPIGR. XIX.

DEBET *Aricino*] Iuuenalis.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,

AD EPIGR. XX.

NAM *quod emas possis dicere iure tuum*] Ludit in homonymia dictionis. Nam aliquid dicitur nostrum pluribus modis. Seneca lib. vii. de benef. cap. vi. *In omnibus istis, quæ modo retuli, vterque eiusdem rei dominus est. Quomodo? Quia alter rei dominus est, alter vsus. Libros dicimus esse Ciceronis, eosdem Doris librarius suos vocat. Et vtrumque verum est. Alter illos tanquam auctor sibi; alter tanquam emptor asserit: Ac recte vtriusque dicuntur esse: Vtriusque enim sunt, sed non eodem modo.* Idem autem D plane Cæsaris in Syllam iocus. Nam cum is potestate sua, ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ aduersus Cæsarem vsurum esse se diceret, ridens Cæsar, Recte, inquit, propriam appellas dignitatem ac potestatem, quam ipse pretio comparasti. ὀρθῶς, ἔφη, τὴν ἀρχὴν ἰδίαν νομίζεις· ἔχεις γὰρ αὐτὴν πριάμενος. Plut. in Sylla. Hinc phrasis illa, *Pretio quid suum facere.* Apul. Miles. ix. *Pistor ille, qui me pretio suum fecerat.*

Quare facete idem Milef. x. *Miles ille, qui me nullo vendente comparaueras, & sine pretio suum feceras.* -

AD EPIGR. XXI.

BASIA *das aliis*] Potentiores, & opibus, auctoritateve inflati homines tenuioribus dextram tantum, aut pectus basiandum præbebant. Id notatum in Caligula, & aliis id genus Imperatoribus, de quibus plena manu historici. Hinc Plinius in Panegyrico ad Traianum *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis.* Sed & alij imperatorio more idē fecēre. Lucianus in Nigrino: ἀλλὰ δεῖ προσελθόντα καὶ ὑποκύψαντα, καὶ πόρρωθεν τὴν ψυχὴν ταπεινώσαντα, καὶ τὸ πάθος αὐτῆς ἐμφανίσαντα τῷ τοῦ σώματος ὁμοιώματι, τὸ στῆθος ἢ τὴν δεξιὰν καταφιλεῖν. & Mortuorum Dialogis: εὐδαιμονίους ᾤοντο καὶ μακαρίους ὑπεφαίνετο τοῖς προσιοῦσιν, εἰ τὸ στῆθος, ἢ τὴν δεξιὰν προτείνειν αὐτὴν καταφιλεῖν. Idem in Alexandro: ἀλλὰ τοῖς ἄλλοις προτείνειν τὴν χεῖρα κύσαι, μόνοις τοῖς ὡραίοις καταφιλεῖ, & ἐκαλοῦντο οὗτοι οἱ ἐντὸς τοῦ φιλήματος. Quemadmodum basiare fere dici non poterant, qui manum tantum ἔκυσαν, ita neque φιλεῖν, vt vides ex hoc Luciani loco. Hanc consuetudinem notat etiam Rabbi Dauid Cimhi ad versum vlt. Psal. II. Sic autem & in gratulatione potentes colebant. Cornelius Tacitus lib. I. historiarum: *Ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum, quantoque magis falsa erant, quæ fiebant, tanto plura facere.* Phædrus fabula LXXXII.

> *Feliciter subclamant ipsi Principes,*
> *Illam osculantur, qua sunt oppressi manum.*

Plutarchus in Bruto; ἀσπαζόμενοι τὰ χεῖρας, στόμα, καὶ κεφαλὴν κατεφίλουν. Arrianus lib. I. Dissert. Epicteti, cap. XIX. ἐξ οὗ ἐστι δημαρχίας; πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται, ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. De hac seruili salutatione idem cap. XXIV. lib. III. & VII. ac X. lib. IV. Has omnes κολακείας species coniunxit Theodosius quū Meletium Antiochiæ Episcopum salutaret: quem περιπτύσσεταί τε, & καταφιλεῖ, & ὀφθαλμοὺς καὶ τὰ χείλη, & στέρνα, καὶ κεφαλὴν, καὶ τὴν εὐαγγελίσασαν δεξιάν. Theodoritus lib. V. hist. Eccles. cap. VII. Sed & genua osculo salutata. Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Ex his quidam quum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suauianda, vel manus, id illis sufficere ad beate viuendum existimantes.* Pedes etiā osculo præbuit Caligula. Dio lib. LIX. ἐφίλει τε ὀλίγους τοῖς γὰρ πλείστοις καὶ τῶν βουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα, ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. Manauit deinde hæc pestis & in priuatorum adulationem. Arrianus lib. III. Dissert. Epict. cap. XXVI. οὐδὲ τοῦ ὑπὸ τῆς ἐρωμένης ὑπεξάγεις οὐδὲν, ἂν ἐπὶ ἔλθῃς; οὐδὲ ποτέ σου τὸ δουλάριον ὀκολάκευσας, οὐδὲ ποτ' αὐτοῦ τοὺς πόδας καταφίλησας; καί τοι τοῦ Καίσαρος ἄν σε τις ἀναγκάζῃ, ὕβριν τοῦτο ἡγῇ. Certe non semper adulationis, sed quandoque amoris signum, manuum basiatio. Quare Plut. de honore habito Catoni Vticensi à militibus, & prouincialibus; προπεμπόμενος ὑπ' εὐχῆς (ὅ κοινὸν ἐστὶ) οὐδ' ἐπαίνοις, ἀλλὰ δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις, ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν, ᾗ βαδίζοι, καὶ καταφιλούντων τὰς χεῖρας.

MALO *manum*] Propter oris fœditatem. Sic

Lucianus in Nigrino impuratorum quorundam potentium superbiam & inhumanitatem laudat, quod non ore basia darent, sed dextram tantum basiandam porrigerent. ἐπαινῶ δὲ γε ἔγωγε τῆς ἀπανθρωπίας, ὅτι μηδὲ τῷ στόματι ἡμᾶς προσίενται. A

AD EPIGR. XXIV.

EXSVLIS *ibo comes*] Vide quæ notamus ad Epigramma XLIII. lib. VII.

AD EPIGR. XXVI.

INQVE *suos mittit sputa subinde sinus*] MS. habet *tuos*. Optime; vt ita summam hominis abiectionem significet, qui eiusmodi sputa patientissime & amicissime exciperet.

AD EPIGR. XXVII. B

LAVDANTEM *Celium*] De his parasitis laudicœnos, & σοφοκλεῖς acclamationibus suis pascentibus, nemo poëta qui non aliquid adsperserit. Lucillius,

> Ποιητὴς παιδείας ἀληθῶς ἐστιν ἐκεῖνος,
> ὅς τις δειπνίζει τοὺς ἀκροασαμένους.

SIVE *legas, siue patr. agas*] Siue recites scripta tua, siue patronus caussas agas. Habebant enim & caussarum patroni laudatores suos & admiratores, cum caussas agerent: quos aliquando pecuniæ, aut cœnæ pretio conducebant. Plin. epist. XIV. lib. II. *Sequuntur auditores actoribus similes, conducti & redempti mancipes: Conuenitur in media basilica, vbi tam palam sportulæ, quam in triclinio dantur.* Et paulo post: *Heri duo nomenclatores mei (habent sane ætatem eorum, qui nuper togas sumpserunt) ternis denarijs ad laudandum trahebantur. Tanti constat, vt sis disertissimus. Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur: Hoc ingens corona colligitur: Hoc infiniti clamores commouentur, cum* μεσόχορος *dedit signum.* Hinc & Iuuenalis sat. XIII. C

> *Nos hominum, Diuumque fidem clamore ciemus,*
> *Quanto Fesidium laudat vocalis agentem*
> *Sportula.*

Certus erat veluti chorus, cui signum dabat μεσόχορος, vt patet ex Plinij loco modo citato. Lucianus in Oratorum Magistro: Οἱ φίλοι δὲ τοῦ δέκατου ... ἀεὶ, καὶ μισθὸν τοῦ δείπνου ἀποτινέτωσαν, εἴ ποτε ἀσθανοιντό σε καταπιπτόμενον χεῖρα ὀρέγοντες, καὶ παρέχοντες ἀεί ποτε τὸ λεχθὲν ... τοῖς μεταξὺ τῶν ἐπαίνων διαλείμματα. & γὰρ αὖ καὶ τοῦτο μελέτω σοι τὸν χορὸν ἔχειν οἰκεῖον, καὶ εὐᾴδοντα. Hinc intelligendus locus in epistola illa Episcoporum de Paulo Samosateno. Inserta est ab Eusebio lib. VII. cap. XXX. Vbi notatur eadem vanitas in eo Paulo: ac σοφισταὶ dicuntur, qui ab eo quasi conducti erant, qui ipsi acclamarent, ac quæ diceret laudarent. παίων τε τῇ χειρὶ τὸν μηρὸν, καὶ τὸ βῆμα ἀράττων τοῖς ποσὶ ἐπιτιμῶν, μηδὲ ὡς ἐν τοῖς θεάτροις κατασείουσι τοῖς ὀθόναις ὡς μὴ ἐκβοῶσι τε καὶ ἀναπηδῶσι κατὰ τὰ αὐτὰ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν στασιώταις ἀνδράσι τε & γυναιξὶν ἀκόσμως οὕτως ἀκροωμένοις. τοῖς δ' οὖν ὡς ἐν οἴκῳ θεοῦ σεμνοπρεπῶς καὶ εὐτάκτως ἀκούουσιν, ἐπιτιμῶν καὶ ἐνυβρίζων, &c. Ceterum, vt hunc locum obiter illustremus, dicunt, παίων τε τῇ χειρὶ τὸν μηρὸν, &c. Id enim aliquando fiebat ab eiusmodi Oratoribus. Quintil. lib. II. cap. XII. *Iam collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere; mire ad pullatum circulum facit.* B. Hieronymus Apologetico ad Domnionem: D

Nam

Nam si applosisset pedem, intendisset oculos, rugasset frontem, iactasset manum, verba leuasset, tenebras illico A *ob oculos offudisset indicibus*. Sed & volebat suos σειοῦντας καθιέναι τὰς ὀθόνας, vestimenta excutere, & agitare, ὡς ἐν θεάτροις. Sic enim in theatris σειοῦται: Nam hæc dictio ibi peculiaris. Xiphilinus in Nerone de Seneca & Burrho Neroni histrioniam facienti assentantibus: καὶ αὐτοὶ τὰς τε χεῖρας, καὶ τὰ ἱμάτια ὁπότε φθέγξαιτο καὶ ἀνίστατο, καὶ τοὺς ἄλλους προσηνάγκαζον. De re hic locus: Alius de voce in Pertinace. τῶν οὖν σειοντων αὐτὸ μέγα ἀναβοησάντων, καὶ ἐπαινούντων, Πέρτιναξ εἶπε, καὶ ἕτεροι οἱ αὐτοὺς ἐπαινοῦσι, &c. Sed de factionibus theatralibus & circensibus alius nobis dicendi locus in hoc ipso opere. Ceterum hæc laudandi consuetudo etiam in Ecclesiam deuoluta est. Socrates lib. VII. hist. Eccl. cap. XIII. διάπυροι δὲ ἀκροαταὶ τοῦ ἐπισκόπου Κυρίλλου καθεστῶτες, καὶ περὶ τὸ κρότους ἐν ταῖς διδασκαλίαις αὐτοῦ ἐγείρειν ἦσαν σπουδαιότατοι. Verum hac de re alibi.

B ΕΓΓΕΤΕ, *grauiter*] Legendum diuinaram *Effecte*, quum postea didici ita scriptum esse in veteri codice, quo vsi sunt Martialis correctores: in qua sane lectione acquiescere debuerunt. Apuleius lib. II. Florid. *vel inde ante aram Bathylli statua à Polycrate tyranno dicata: qua nihil videor effectius cognouisse*. Et lib. III. *Sed de hoc tum ego perfectius, cum vos effectius*. Ammianus Marcellinus lib. XVI. *Sed tamen cum hæc effecte pleneque colligeret, nec humiliora despexit*. Plinius Epist. III. lib. II. *Syllogismi circumscripti, & effecti*.

NEQVITER] Sic laudabatur aliquis *ingeniose nequam*, vt eleganter loquitur Velleius Paterculus lib. II. *Bene, pulchre, recte, festiue, decenter*, & similia in his acclamationibus audita. Horatius:

—— Clamabit enim, Pulchre, Bene, Recte.

Pulchre, recte, καλῶς, καὶ ὀρθῶς. *Decenter* apud Persium πρεπόντως. Plutarch. de audiendis Poëtis: ἀλλὰ θαρραλέως ἐθιζόμενον ἐπιφωνεῖν μηδὲν ἧττον τοῦ ὀρθῶς, καὶ πρεπόντως, τὸ οὐκ ὀρθῶς, καὶ οὐ πρεπόντως. *Bene*, εὖ. Plut. de C disc. am. ab adulatore: ἀλλὰ τοῦτο συνεισελθὼν, καὶ δεχόμενος παῖδας, καὶ βοῶν παρ' ἕκαστον ὡς Εὖ καὶ ἱκανῶς. *Euge*, νὰ, vt docebimus ex Arriano. *Festiue*, ἀστείως. M. Tullius lib. III. de Oratore: *Quare Bene & Præclare quamuis nobis sæpe dicatur, Belle & festiue nimium sæpe nolo*. Plutarch. οὐχ ἧττον δὲ ταῦτα οἱ περὶ τὰς ποιητικὰς ἀσχολοῦντες, ὅταν φιλοσόφων ἐπιφωνεῖν ἀκούσωσι ὁρμίως, γίνεται δὲ σοφῶς ἢ ἀληθῶς. Sed non solum σοφῶς, sed & ἀσφαλῶς καὶ θαυμαστῶς. Arrianus lib. III. Dissert. Epicteti, cap. XXIII. πῶς δ' εἶπεν ἐκεῖνος; τὸ ποῖον; ὅπου διέγραψα τὸν Πᾶνα, καὶ τὰς Νύμφας; ὑπερφυῶς. Postea, ἀλλ' ἐπαίνεσον, εἰπέ μοι νὰ καὶ θαυμαστῶς. Nota νά. Id est, Euge. Sed & εὖ simpliciter vox est hortantis & animum accendentis. Diogenes Laërtius in Socrate: περὶ αὐτῆς ἐν ἀγορᾷ καὶ θοιμάτιον ἀπεληλυθὼς, συνεβούλευον οἱ γνώριμοι χρῆναι ἀμύνασθαι, Νὴ Δία, εἶπεν· D ἢ ὑμῶν πυκταευόντων ἕκαστος ὑμῶν λέγει, Εὖ Σώκρατες, Εὖ Ξανθίππη. Ceterũ eo processit adulatio, vt & θείως & δαιμονίως exclamare auderet, vt constat ex Plut. & aliis. Dicebantur autem acclamatores illi ἐπιφωνεῖν & ἐπισημαίνεσθαι: & acclamationes ἐπιφωνήσεις & ἐπισημασίαι appellabantur. Latinis non solum *Acclamationes*, sed & *significationes*, id est ἐπισημασίαι. T. Liuius lib. XXXI. *Deinde ex dignitate magis visum, scribere cum de quibus videretur, quam præsentem aut referendis suis in ciuitatem beneficiis erubescere, aut significationibus acclamationibusque multitudinis assentatione immodica pudorem onerantis*.

AD EPIGR. XXVIII.

DIGITVM *porrig. medium*] Quod σκιμαλίζειν veteres Græci dicebant. Iuuenal. Satyr. X.

—— Cum fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet vnguem.

Nota heic *Mandaret laqueum*. Sic omnino Apuleius Miles. IX. *Iamque ad extremam insaniam vecors, suspendium sese & totis illis, & ipsis legibus mandare proclamans, canes pastoritios feros, atque immanes immitti præcepit*. Summi igitur contemtus signum, digitum medium porrigere. Arrianus lib. III. Dissert. Epictet. cap. II. ἐν οἶδας, ὅτι Διογένης τῶν σοφιστῶν ἕνα οὕτως ἔδειξεν, ἐκτείνας τὸν μέσον δάκτυλον, εἶτα ἐκμανέντος αὐτοῦ, οὗτός ἐστιν (ἔφη) ὁ δεῖνα, ἔδειξα ὑμῖν αὐτόν.

AD EPIGR. XXIX.

NON *hesterna sedet lunata lingula planta*] Sic γλῶσσαι Græcis. Clemens Alexandrinus Strom. I. ἀμέλει καὶ καθάπερ τῶν παλαιῶν ὑποδημάτων τὰ μὲν ἄλλα αὐτοῖς ἀπώλετο, καὶ διαρρεῖ μόνη δὲ ἡ γλῶσσα ὑπολείπεται.

CINGIT *aluta pedem*] Optime in aliis libris *pingit*. Sic Ouid. lib. V. Fastorum:

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.

SPLENIA *tolle, leges*] Apposite omnino Seneca epist. LXXVI. *Vides illum Scythiæ Sarmatiæve Regem insigni capitis decorum. Si vis illum æstimare totumque scire, qualis sit, fasciam solue; Multum mali sub illa latet*. Hæc autem designant ἀλαζόνα σίγματα.

AD EPIGR. XXX.

ARCA *flagellat opes*] Vi premit ac continet, quomodo *flagellare annonam* Iurisconsulti dicunt. *Strangulare* eodem modo iunxit Papinius lib. II. Syluarum:

Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Diuitias.

Et eleganter Plutus apud Lucianum in Timone queritur se ab auaris ἀποπνίγεσθαι ἐν πολλῷ σκότῳ. Sic *strangulare* vsurpauit etiam Prudentius in hymno Vincentij:

Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.

QVOD *peto da Cai, non peto consilium*] Quin Epigrammatis istius acumen à Seneca petitum sit, dubium nullum esse potest. Sic ille epist. XLV. *Librorum istic inopiam esse quereris. Non refert quam multos, sed quam bonos habeas. Lectio certa prodest; varia delectat. Vellem, inquis, magis libros mihi, quam consilium dares.*

AD EPIGR. XXXIV.

PONTIA *deterior*] A qua duo filij veneno exstincti nouarum, & iam corruptarum nuptiarum gratia. Iuuenal. Satyr. VI.

Nos vtinam vani: Sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paraui.

Falluntur igitur heic, qui *Pontica* legendum putant, vt intelligatur Medea.

AD EPIGR. XXXVI.

BARBA *reorum*] Inculta scil. & horrida, de qua nos alibi. Quid per barbam mitrarum intel-

ligat, sciunt qui hunc Virg. locum legerunt:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Et ibi Seru.

NOLO *virum n. n. parum*] Parum viri dicebantur effœminati. Quintil. lib. v. cap. ix. *Vt fortasse corpus vulsum, fractum incessum, vestem muliebrem dixerit mollis & parum viri signa.* Agellius lib. i. cap. v. de Demosthene. *Hinc etiam turpibus, indignisque in eum verbis non temperatum, cum parum vir, ore quoque polluto diceretur.* Sic οὐκ ἀνὴρ Græcis. Pherecrates:

οὐκ ὢν ἀνὴρ γὰρ Ἀλκιβιάδης, ὡς δοκεῖ,
ἀνὴρ ἁπασῶν τῶν γυναικῶν ἐστι νῦν.

MENS *vulsa*] Effœminata, & luxuria madens. Dicerem, *Fatua*, ni hodmodo oppositio aliquo pacto claudicaret. Nam *Mens vulsa* dici aliquo modo potest, ἡ πυκινὴ, ἀραιά. Sic enim Græci. Eust. Il. ψ. ὁ δ' ἔχει καὶ παρὰ Θεοκρίτῳ πάραρος, δηλοῖ μὲν ὥσπερ καὶ ἐνταῦθα παράφορος. γίνεται δὲ οὐ παρὰ τὸ ἀείρω, ἀλλὰ παρὰ τὸ ἄραι τὸ ἁρμόζω, οἱονεὶ ὁ παρηρμοσμένος, ὁ μὴ συνοχὰς ἔχων, ὁ μὴ πυκνός, ὁ μὴ φρενήρης, ὁ ἀραιὸς τὸν νοῦν. εἰς δὲ τὸ οὕτω ἀραιὸν συντρέχει καὶ ἡ μανία, παρὰ τὸ μανὸν γινομένη, ὃ δηλοῖ τὸ ἀραιόν.

AD EPIGR. XXXVII.

QVIDQVID *ponitur hinc & inde verris*] Notatur hominis gulosi & sordidi impudentia, qui ea quæ ceteris conuiuis apposita erant, verreret, & mappis condita domum mitteret. γαστριμαργίας argumentum, ἁρπάζειν ἐδέσματα, inquit Athenæus lib. viii. & τὰ τῶν πλουσίων ὑπεξαιρεῖσθαι, quæ sunt Philonis verba libro περὶ φυγάδων. Verum heic non de eo, qui gulose in ipso conuiuio voraret, sed qui omnia inde auferret, de quo hominum genere plura ad Epigr. xxxiii. lib. iii. Ceterum licebat quandoque, quum σπυρὶς δεῖπνον dabatur, quædam ἀποφέρεσθαι, domum secum ferre, sed modeste atque intra modum. Lucianus in Lapithis: καὶ ἅμα εὐπαρεσκευάσμεθα ἡμῖν τὸ σπυρὶς ὀνομαζόμενον δεῖπνον, μία ὄρνις ἑκάστῳ, καὶ κρέας ὑός, καὶ λαγῷα, καὶ ἰχθὺς ἐκ τηγάνου, καὶ σησαμοῦντες, καὶ ὅσα ἐντραγεῖν, καὶ ἐξῆν ἀποφέρεσθαι ταῦτα.

OTIOSA *turba*] Nam & Græcis σχολάζειν dicuntur in conuiuio qui ab edendo & bibendo cessant. Xenophon lib. vii. Anabaseos: Ὁ δὲ Ἀρύστας, ἐπεὶ παρ' αὐτὸν φέρων τὸ κέρας ὁ οἰνοχόος ἧκεν, εἶπεν ἰδὼν τὸν Ξενοφῶντα οὐκέτι δειπνοῦντα, Ἐκείνῳ, ἔφη, δός· σχολάζει γὰρ ἤδη, ἐγὼ δὲ οὔπω.

NON *vocabo*] Legendum *Non vocaui*, vt erat in prioribus editionibus. Hunc locum argute explicant viri docti.

AD EPIGR. XXXIX.

MITTE *togam*] Iuuenal. Satyr. ii.

Damnetur si vis etiam Carphinia, talem
Non sumet damnata togam.

Vnde iocus lib. x.

Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Quare & *Mater togata* Epigr. lxvi. lib. vi. & alia passim exempla.

AD EPIGR. XL.

VRI *Tongilius*] Infelix orator, & tenuis fortunæ. Iuuen. Satyr. vii.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit. Exitus hic est
Tongilli, magno cum Rhinocerote lauari,

A CÆCVBA *siccentur*] Legit Turnebus ex fide veterum codicum, *Saccentur.*

OMNES *Tongilium medici iussere lauari*] Nam medici iubent & imperant. Vnde obstetrix illa apud Terentium: *Quod iussi dare bibere, & quantum imperaui, date.* Græcis dicuntur προστάττειν. Aristoteles lib. ii. Nicomach. cap. iv. οἱ τῶν ἰατρῶν ἀκούοντες μὲν ἐπιμελῶς, ποιοῦντες δ' οὐθὲν τῶν προσταττομένων. Ælianus Var. histor. lib. ix. cap. xxiii. Ἀριστοτέλης νοσῶν ποτὲ προσέταξε δ' αὐτῷ ὁ ἰατρὸς πρόσταγμά τι. Æsculapius autem iis, qui in ipsius fano incubabant, dicebatur proprie συντάσσειν, vt constat ex Artemidoro, & M. Antonino libro de vita sua v.

AD EPIGR. XLI.

RIDICVLI] γελωτοποιοί. Plautus Capteiueis:

B *Ita iuuentus ridiculos, inopesque ab sese segregat.*

Ridiculos, i. scurras, & γελωτοποιούς. Hinc ridiculum dictum ibidem:

Dico vnum ridiculum dictum de dictis melioribus.

Sic γελοῖος Græcis. Euripides:

αἰδοῦμαι δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος οὕνεκα
ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους. ἐγὼ δέ πως
μισῶ γελοίους, οἳ θύρας μὲν ἐπὶ σοφῶν
ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα.

Et γελοῖον ridiculum dictum, quod differt ἀπὸ τοῦ ἀστείου. Aristophanes Ranis:

Μὴ δῆτ' ἔπειτ' ἀστεῖόν τι; Δ. πλήν γ' ὡς θλίβομαι.
Ξανθ. Τί δαί; τὸ πάνυ γελοῖον εἴπω.

PHILISTIONIS] Huius meminerunt Ammianus Marcellinus, B. Hieronymus, Epiphanius, Sidonius, alij. Eiusdem epitaphium exstat lib. iii. Anthol. Epigr.

PLORA] Alludit fortasse Martialis acce-
C ptionem illam τοῦ Plorare, ἀντὶ τοῦ δυστυχεῖν: quo pacto sæpissime vsurpari notum vel infimis magistris, quemadmodum etiam κλαίειν & οἰμώζειν. Sed nota mecum τὸ αἰνεῖν. Hoc igitur verbo τὸ ἔσχατον τῆς δυστυχίας designatur: quia ad miseriarum terminum redactis nihil reliquum præter plorare, & miserias suas queri. Appianus in Punica historia: εἰ δὲ καὶ τοῦτον ἐκ ἀνέξεσθε, πείσομαι ἅπαντα, καὶ ὃ τῆς ἀτυχοῦσιν ἐστὶ λοιπὸν, ὀδυρόμεθα καὶ δεόμεθα. Ouid. eleg. ii. lib. iii. Trist.

Vt via finita est, & opus requieuit eundi,
Et pœnæ Tellus est mihi facta meæ;
Nil nisi flere libet: nec nostro parcior imber
Lumine, quàm verna de niue manat aqua.

AD EPIGR. XLIII.

D LIBYCOS *orbes*] Mensas μονοξύλους quas Mauritania Romanis suppeditabat è citro. Petronius:

—— Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa.

INDIS *suspendis dentibus*] Mensæ enim citreæ pedibus elephantinis fulciebantur. Iuuen. Satyr. xi.

—— Putere videntur
Vnguenta, atque rosæ; latos nisi sustinet orbes
Grande ebur.

Plin. lib. xii. cap. i. *Ex arbore & simulacra numinum fuere, nondum pretio excogitato belluarum cadaueri; antequam vt à Dijs nato iure luxuriæ eodem ebore numinum ora spectarentur, & mensarum pedes.* Vnde Martialis lib. xiv.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

ἀρεαλζας (?) ἡμιφαγίτιδας appellat Lucianus in Somnio. Οἰκίας, καὶ ζώνην, καὶ χευσᾶ ἐκπώματα, καὶ ἡμιφαγίτιδας ἔχων. Xiphilinus in Nerone de Seneca: καὶ τοῖς πολυτελείας τὴν ἄλλων αἰτιώμενος, πεντακοσίας τρίποδας κεδρίνου ξύλου ἡμιφαγίτιδας ἴσους καὶ ὁμοίους εἶχε, καὶ ἐπ' αὐτῶν εἰστία. Appellat τρίποδας heic mensas, de quibus Athen. lib. II. Sed & lecti quibus accubabant sæpe ἡμιφαγίτιδες. Plato Comicus: κἆτ' ἐν κλίναις ἡμιφαγίτισι, καὶ ζρώμασι πορφυροβάπτοις.

AD EPIGR. XLIV.

EMI *seu puerum*] Epigramma elegans, quo hominis sordidi mores describuntur, qui ne quid à se petant amici, angustias & penuriam ipse fingit, & vltro narratum it: Quo de genere hominum Seneca lib. de Beneficiis primo: *Quis non, quum aliquid à se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industria non inuenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & properantes necessitates elusit?* Sane Aristoteles lib. II. Rhetor. cap. VI. obseruat homines sordidos & ἀνελευθέρους solere quandoque δανείζεσθαι ὅτε δοκεῖ ὡς αἰτεῖν, mutuam pecuniam accipere, cum verentur ne quis quid à se petat: Atque eo pertinet hoc Epigramma.

SEV *tres, vel puto*] Duplex heic lectio; Alij legunt, *vel puto*, alij, *vt puto*. Neutra lectio mihi probatur. Nam quis inde sensus? Legendum fortasse, *Seu tres supputo*: quasi dicat, Cum me aliquam pecuniolam mecum putantem audit, tunc veretur ne eam ab ipso sim mutuo petiturus.

AD EPIGR. XLV.

CVM *ferro quid tibi*] Neque enim ferro, sed testa Samia execabantur Galli, vt obseruat Seruius ad lib. VI. Æneid. Iuuenal. Satyr. VI.

Mollia qui rupta secuit genitalia testa.

AD EPIGR. XLVI.

SIC *tua*] Melius priores editiones:

Sic tua suppositis perlucent præla lacernis.

Locum hunc illustrabit Seneca lib. I. de Tranq. vitæ, cap. I. *Placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, non ponderibus, aut mille tormentis splendere cogentibus expressa: sed domestica & vilis, nec seruata, nec sumenda sollicite.*

LATERIS *frig. tutat.*] Rescribit Lipsius; *frigora tute times.* Sed vereor ne subtiliter nimis. Hanc sententiam huius loci esse vult: *Adeo amicus tuus friget, vt tu vereri possis, ne frigus eius permanet ad te.* Ita vt heic *Latus* pro Comite latus tegente accipiatur. Sed vulgatam lectionem sic interpretor, Vides amicum algentem, & tu ipse frigus times, aut certe timere simulas, à quo tamen tutissimus es, quippe pluribus vestimentis probe munitus, & quasi circumuallatus. Verum id simulas, ne paucis & malis lacernis te fraudare, & amicum iuuare cogaris. Sed quid renuis? An tibi durum videtur paucis te lacernis fraudare? Te sane fraudari nolo, sed tineas, quæ vestes illas inutiles corrodunt. Sic enim postremum distichon legendum, vt est in veteribus libris:

Quantum erat infelix pannis fraudare duobus,
(Quid renuis?) non te, Næuole, sed tineas?

AD EPIG. LIII.

VIS *fieri liber*] Eleganter Martialis quorundam ἐθελοδουλείας perstringit, qui vel ventris, vel ambitionis caussa libertatem plane perditum eunt, & ad nutum alienum viuunt: Cui quidem malo obuiam iri posse ait, si forte nostra contenti neque delicias, neque opes superuacuas, neque gloriam inanem sectemur. Quod argumentum etiam tractat Seneca Epist. IV. *Vt famem sitimque depellas, non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium graue, & contumeliosam etiam humanitatem pati*, &c.

LIBER *eris, cœnare foris si Maxime non vis.*] Plurimi enim ventris caussa seipsos addicebant, quum potentiorum cœnas captarent, vbi omnia contumeliarum genera concoquenda erant, quod vel vnus Iuuenalis eleganter obseruat Satyr. V. Arrianus lib. III. Dissertat. Epict. cap. CII. ὅπου οὖν ἴδῃς τινὰ ὑποπεπτωκότα ἑτέρῳ, ἢ κολακεύοντα παρὰ τὸ φαινόμενον αὐτοῦ, λέγε καὶ τοῦτον θαρρῶν μὴ εἶναι ἐλεύθερον. καὶ μὴ μόνον εἰ δειπναρίου ἕνεκα αὐτὸ ποιεῖ, ἀλλὰ κἂν ἐπαρχίας ἕνεκα, κἂν ὑπατείας.

SI *plebeia Venus*] πάνδημος Ἀφροδίτη.

SI *tua non rectus tecta subire potes*] Si potes vel in cœnaculo habitare, vel in vili aliquo & depresso gurgustiolo, quo non possis nisi submisso capite intrare. Ouid. VIII. Metamorphos.

Ergo vbi cœlicolæ paruos tetigere penates,
Submissoque humiles intrarunt vertice postes.

Lucanus lib. VIII.

Haud procul est ima Pompeij nomen arena
Depressũ tumulo, quod non legat aduena rectus.

Heic igitur *tecta* ait πύργος, humilem gurgulionem, cui tabulata nulla; aut pluribus tabulatis elata cubicula; nec inter tegulas & solum quidquam interiectum est. Appianus lib. IV. de Bell. ciuil. ὁ δὲ ἐς τὸ πλάτος ἑαυτῷ τινα φυγὴν ὤρυξε, βραχὺ καὶ ἁπλῶς οὐ πύργος ἐν ὑποστέγῳ, καὶ δι' ἑαυτοῦ ἀκαταφρόνητον, ἐκρύπτετο ἀσφαλῶς.

LIBERIOR *Partho viuere rege potes*] Quem arma Romana sibi subiicere nunquam potuerunt.

AD EPIGR. LV.

SED *si te colo, Sexte, non amabo*] Id est, non potes habere me amicum, & adulatorem, quod aiebat ille. Multos colimus, & seruili veneratione prosequimur, quos non modo non amamus, sed etiam odimus: quod ostendit Seneca lib. VI. de Benef. cap. XXXIII. & sequentibus. Hæc igitur sæpe separata, & discriminata. Plutarchus de Alexandro: τῶν δὲ πρώτων φίλων καὶ κρατίστων ἡμᾶς ἀφ' ἰδὼν Κρατερὸν μάλιστα πάντων, φιλεῖν δὲ Ἡφαιστίωνα. Xiphilinus de Traiano: φιλούμενός τε οὐδὲν ἧττον αὐτοῖς μᾶλλον ἢ τιμώμενος ἔχαιρε. Sidonius Apollinaris Epistol. IV. lib. IV. *Simul & ipse hinc amplius capiebatur, quod se diligi magis, quam quasi coli intelligebat.*

AD EPIGR. LVI.

GENTIBVS *in Libycis vxor tua, Galle, notatur*] Ms. Put. *Galle male audit.* Scriptum profecto *male audit*; quam veram lectionem existimo.

NON *solet accipere*] Gradus iam ad liberalitatem: sed non satis firmus. Quidam enim τῶν ἀμετεχόντων ἐκ ἐφίενται, οὐδὲ βούλονται λαμβάνειν, qui tamen τῇ δόσει ἐλλείπουσιν, & appellantur φειδωλοί, γλίσχροι, κίμβικες, ait Aristot. IV. Nicom. Sed liberales non solum non accipiunt, verum etiam δαπανῶσι, & dant liberaliter. Quare liberalis bona ista Galli vxor, quæ non modo non accipiebat, sed etiam comiter & benigne dabat. Iocus est in homonymia verbi *dare*. Vide quæ notauimus supra ad Epigramma IX.

AD EPIGR. LVII.

Hoc epigramma non est vulgaris notæ. Lemma est, *In fictum diuitem*. Non male. Alibi, *de Micropsycho diuite*, quod omnino alienum est. Heic describitur homo ἀλαζὼν, qui quū videri velit opibus diffluere, re vera tamen egestate extrema laboret. Huiusmodi homines πτωχαλαζόνας eleganter Græci vocant, Latini *pauperes ambitiosos*; quæ appellatio exstat apud Quintil. Instit. Orat. lib. II. cap. IV. Nec valde diuersus est *ostentator pecuniosus*, quem eleganter depingit auctor Rhetoricorum ad Herennium.

HIC, *quem videtis gressibus vagis lentum*] Descriptio est hominis effeminati, quem τρυφερὸν Græci dicunt, vel certe delicias & mollitiem, qui est morbus hominum beatorum, mentientis. His igitur verbis exprimit quod eleganter dicebat Anacreon σαῦλα βαίνειν. Nam id ipsum est, gressibus lentis, vagis, ac varicatis incedere. Hesychius, σαῦλα, κοῦφα, ἥσυχα, τρυφερά. Clemens Alex. lib. III. Pædagogi: αἱ δὲ γυναικεῖοι κινήσεις, ἡ θρύψις, καὶ χλιδαὶ κωλυτέαι παντελῶς. τὸ γὰρ ἁβροδίαιτον τῆς περὶ τὸν περίπατον κινήσεως, ἢ τὸ σαῦλα βαίνειν, ὥς φησιν Ἀνακρέων, κομιδῇ ἑταιρικά. Archippus apud Plutarchum in Alcibiade, vbi Alcibiadis filium χαριεντίζεται· βαδίζει, inquit, διασεσαλευμένως, θοιμάτιον ἕλκων, ὅπως ἐμφερὴς τῷ πατρὶ μάλιστα δόξειεν εἶναι. Incessus ergo, quem heic designat Martialis, est incessus hominis τρυφεροῦ, & simul superbi, aut qui magnificus & potens videri velit; quod hominum genus *fluctuatim incedere* eleganter dicit Afranius, id est *gressibus vagis lentum*. Verba Afranij exstant apud Nonium: *Magnifice volo fluctuatim ire ad illum*. βάδισμα διασεσαλευμένον appellat Lucianus in Oratorum magistro. Idem in mortuorum Dialogis superbi argumentum proponit μεγάλα βαίνειν, quod non est citis passibus incedere, sed lentis potius & elatis. ἀλλ' ὑψαυχενικῶς μεγάλα βαίνων παρῄειν. Nempe μεγάλα βαίνειν istic est idem quod ἀκροβατεῖν, & ἄρδην ποσὶ μακρὰ βαίνειν, vt eleganter loquitur Philo Dissertat. de Somniis: μὴ πρὸς ὕψος ὑπὸ μεγαλαυχίας ἀρθεὶς, μηδ' ἀκροβατοῦσα ἐπιτηδεύσῃ, ὡς ἄρδην ποσὶ μακρὰ βαίνειν δυναμένη.

AMETHYSTINATVS *media qui secat septa*] Quod etiam est hominis τρυφεροῦ, & fortunam immodeste ferentis. Talem describit Alcibiadem Plutarchus, atque inter insolentiæ ipsius argumenta numerat θηλύτητας ἐσθήτων ἁλουργῶν ἑλκομένων δι' ἀγορᾶς. Heic vtrumque habes, & vestis insolentiam, & ostentationem in loco publico. Eiusmodi vestes sunt quas γυναικομίμους appellabat Sophocles tam propter coloris floriditatem quam laxitatem. Homines autem istiusmodi, vt vanitatem suam magis publicarent, loca publica quærebant; quare ait Plutarchus, δι' ἀγορᾶς: & heic Martialis ἀλαζόνα quem describit, in mediis septis amethystinatum vagari ait. Demosthenes
A in ea περὶ παραπρεσβείας· διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται, θοιμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν, ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ. Item in ea contra Midiam, vbi Midiæ fastum describit: ὁ πρὸς ἀκολούθους, ὑπάρχει αὐτῷ ἔχει διὰ τῆς ἀγορᾶς σοβεῖ, κυμβία, ὁ ῥυτά, καὶ φιάλας ὀνομάζων οὕτως, ὥστε τοὺς παριόντας ἀκούειν.

CODRVS *alpha pænulatorum*] Quomodo Eratosthenes appellatus βῆτα τῶν φιλοσοφούντων.

QVEM *grex togatus sequitur & capillatus*] Plures clientes & serui. Lucianus vbi Oratorem ἀλαζόνα format: ὁ ἀκόλουθοι πολλοί.

OPPIGNERAVIT *ad modo Claudij mensam*] Quod infimæ egestatis. Iuuenalis Sat. XI.

Talibus à dominis post cuncta nouissimus exit
Anulus; & digito mendicat Pollio nudo.

AD EPIGR. LIX.

B MICA *vocor*] Hoc epigramma expositum est à Scaligero lib. II. Auson. lect. cap. XXVI. Vbi plura obseruauit vir plane δαιμόνιος.

ROSAS *cape*] Corollarum, quib. vtebantur in conuiuiis, mentio crebra, quarum vsus præcipue ad arcendam ebrietatem, vt docet Plut. in sympos. Plinius lib. XXI. cap. XIX. *Crapulam, & grauedines capitis impositis coronis, olfactuve discutiunt.* Serta hæc florea à collo sæpius suspendebantur. Horat. de Polemone:

---- Potus vt ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas.

ὑποθυμίδας Græci appellabant. Hesychius, ὑποθυμίδες, στέφανος ὑποτράχηλος. Legendum fortasse ὑποθυμίς. Ita appellabantur, διὰ τὴν ἀποφορὰν καὶ ἀναθυμίασιν. Erant enim vnguento delibutæ, quo ipsum pectus inungebatur. Plut. lib. III. symp. probl. I. διὸ μάλιστα τοὺς αἰσθανομένους τῶν τραχήλων ἐχόντων
C ὑποθυμίδας ἐκάλουν, καὶ τοῖς ἀπὸ τούτων μύροις ἔχριον τὰ στήθη, &c. Vide si quæ sequuntur. De eiusmodi amuletis, quæ ideirco ἀμίθυσα appellabantur, idem Plut. lib. de audiendis Poëtis: καὶ δοκεῖ τι μᾶλλον εἶναι φαυλότερον τῶν ἀμεθύστων καλουμένων, ἃ ἔνιοι ἐν τοῖς πότοις περιάπτονται, καὶ προσαναλαμβάνουσιν. Ceterum sub finem etiam conuiuij, quum diis grates acturi essent, coronas sibi in caput sumebant. Plato Poëta: στέφανοι δ' ἐπὶ ἑκάστῳ δίδονται τῶν ξυμποτῶν. Hoc dicit sublatis mensis. Plut. in Conuiuio: ἐπεὶ δὲ ἐπήρθησαν αἱ τράπεζαι, καὶ στεφάνων περὶ τῆς Μουσικῆς διαδοθέντων, ἡμεῖς μὲν ἐσπείσαμεν, ἡ δὲ αὐλητρὶς ἐπιφθεγξαμένη μικρὰ ταῖς σπονδαῖς ἐν μέσῳ μετῆειν. Athenæus lib. XV. sub finem conuiuij: ὁρῶ γὰρ καὶ τοὺς παῖδας ἤδη φέροντας ὑμῖν στεφάνους καὶ μύρα. Habes τὸ ἐπὶ & τὸ διὰ in Plut. loco. Mensis igitur sublatis coronas accipiebant, quia tunc ἔσπενδον. Athenæus lib. I. ἔσπενδον ἀπὸ τῶν
D δείπνων ἀπολύοντες, καὶ τὰς σπονδὰς ἐποιοῦντο Ἑρμῇ, ὁ οὐχ ὡς ὕστερον Διὶ τελείῳ. Rationem addit, δοκεῖ γὰρ Ἑρμῆς ὕπνου προστάτης εἶναι. Sed & ante cœnam ἔσπενδον. Pyrgion apud Athenæum: μετὰ βαρβαρικῆς ἀποστάντες τοὺς θεοὺς, μεταζύγει τῶν κατὰ θυσίαν ἅπαν. In celebrioribus illis, & festis conuiuiis. Hermias apud eundem Athenæum, καὶ καταχλῆντος ἐπιστεῖσαντες εἰς γέρα, ὁ ἱεροκήρυκες καὶ πατέρας εὐχὰς κατηλίγετης, συναπένδοντες. Ceterum & cum aliæ mensæ inferrentur, & potus excitaretur, coronas accipiebant. Athen. lib. IV. καὶ ὡς ἄδην εἴχομεν βρώσεως, ἐχρισάμεθα, καὶ στεφάνους ἐστεφανώσαμεν πολλοὺς παντοδαπῶν ἀνθῶν. Quod ait ὡς ἄδην εἴχομεν βρώσεως, de prima mensa intelligendum est, & ἐχρισάμεθα additur de more. Nam cum secunda mensa apponeretur, lauabant. Aperte Matron ὁ παρῳδός:

Αὐτὰρ

Αὐτὰρ ἐπεὶ δόρποιο μελίφρονος ἐξ ἔρον εἷλον
χεῖρας ἐφαιδρύναντο ἀπ' ἀενάοιο ῥοάων
ὡραῖος παῖς ἦλθε φέρων μύρον ἴρινον, ἡδύ,
ἄλλος δ' αὖ στεφάνους ἐπιδέξια πᾶσιν ἔδωκεν,
οἱ ῥόδον ἀμφεπλέκοντο διάνδιχα κοσμηθέντες.
κρητῆρ δὲ βρομίου ἐκ ζαφόρου, πῖνον δ' οἶνος
λείβεσκ', οὐ δὴ πλεῖστον ἀνὴρ ὑπὸ ἀνέρα πίνει.
δεύτεραι αὖτε τράπεζαι ἐφοπλίζοντο γέμουσαι.

Caussa istius moris aperta est. Seneca Epistola LXXXIV. *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium; post quod non sunt lauandæ manus.*

IPSE *iubet mortis te meminisse Deus*] Quædam exemplaria habent, *dememinisse*, quam lectionem non possum probare. Nam mortis commemorationem ad concitandas voluptates, & luxum acuendum inseruire volebant, tantum aberat vt mortis iuberent dememinisse. Lucretius lib. III.

Hoc etiam faciunt, vbi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis, B
Ex animo vt dicãt, Breuis est hic fructus homillis;
Iam fuerit; neque post vnquam reuocare licebit.

Voluptas apud Sil. Ital. lib. XV.

Nunc aduerte aures; Currit mortalibus æuum;
Nec nasci bis posse datur; fugit hora, rapitque
Tartareus torrens, ac secum ferre sub vmbras
Siqua animo placuere, negat. Quis luce suprema
Dimisisse meas sero non ingemit horas?

AD EPIGR. LX.

DVM *ludis*] Ludere aliquando obscœno sensu. Horat.

Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti, &c.

Ex isto Liuij loco, qui apud Festum:

—— Adfatim edi, bibi, lusi.

τῶν δ' ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ ἀφροδίσια ἔδωκα.

Hæc tria coniuncta ex Sardanapali dicto, *Ede, bibe, lude*: quæ Græce exstant apud Plut. lib. II. de fortuna Alexandri: ἔσθιε, πῖνε, ἀφροδισίαζε, τἆλλα δὲ οὐδέν. Heic ἀφροδισιάζειν *ludere*. Ouid. I. Amorum eleg. VIII. C

Ludunt formosæ. Casta est, quam nemo rogauit,
Aut si rusticitas non vetat, ipsa rogat.

Sic παίζειν Græcis.

CASTRABERE] Nam & hæc pœna adulteris quandoque à maritis irrogata. Val. Max. lib. VI. cap. I. *C. Accienus à Vibieno: Item Pontius à P. Cernio deprehensi castrati sunt: Cn. etiam Furium, quem Brochus deprehenderat, familiæ stuprandum obiecit.* Hinc Plautus in Pœnulo:

M. Quid agis? S. Facio quod manifesto deprehensi mœchi haud ferme solent.
M. Quid id est? S. Refero vasa salua.

AD EPIGR. LXIII.

E *sacra Leda redempta via*] Leda prostibulum fuit insigne, & huic Poëtæ sæpe nominatum. Quare autem *è sacra via redempta*? An quod ibi prostarent meretrices, & lucernatæ domus frequentes essent? Nam in Subura lupanaria celeberrima. Subura autem in eadem regione, in qua Sacra via, vt docet Varro lib. IV. de lingua Latina. D

AD EPIGR. LXIV.

IAM *potes esse nihil*] Tractat hoc idem argumentum Epictetus, cap. XXVI. Enchirid. οἱ δὲ μὲν A ὡς τὰ παιδία, ἀναστραφήσῃ, ἃ νῦν μὲν ἀθλητὰς παίζει, νῦν δὲ αὐλητάς, νῦν δὲ μονομάχους, εἶτα σαλπίζει, εἶτα τραγῳδεῖ· οὕτω καὶ σύ, νῦν μὲν ἀθλητής, νῦν δὲ μονομάχος, εἶτα ῥήτωρ, εἶτα φιλόσοφος, ὅλῃ δὲ τῇ ψυχῇ οὐδέν, ἀλλ' ὡς πίθηκος, πᾶσαν θέαν ἣν ἂν ἴδῃς, μιμῇ, καὶ ἄλλο ἐξ ἄλλου σοι ἀρέσκει. οὐ γὰρ μετὰ σκέψεως ἦλθες ἐπί τι, οὐδὲ περιοδεύσας, ἀλλ' εἰκῇ, καὶ κατὰ ψυχρὰν ἐπιθυμίαν. Vide sis & sequens caput. Ceterum heic pro πᾶσαν θέαν ἣν ἴδῃς, legendum fortasse πᾶν ὃ ἂν ἴδῃς, ex Arriano cap. XV. lib. III. Prudenter autem etiam Quintilianus lib. XII. cap. VI. *Nec rursus differendum est tyrocinium in senectutem. Nam quotidie metus crescit, maiusque fit semper quod ausuri sumus: & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere iam serum erat.* Heic autem *esse nihil*, homonymum est; Nam nihil esse, οὐδὲν εἶναι, quod ait Epictetus, dicuntur qui in nulla arte sunt exercitati; qui nullam artem proprie sibi vindicare possunt; Et *nihil esse* etiam dicuntur mortui. Atque B vtramque significationem complexus videtur Martialis hoc loco. Plato apud Diogenem Laërtium: νῦν ὅτι μηδὲν ἀλέξεις. Id est, postquam non est amplius in rebus humanis. Sic intelligẽdus hic Plinij locus lib. II. cap. LXIII. *Cuius* (Telluris scil.) *numen vltimum iam nullis precamur irati graue; tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini.* Dicit *iam nullis*, id est, οὐδὲ μηδὲν οὖσι. Nam terram grauem mortuis imprecabantur irati.

AD EPIGR. LXV.

CVR *tristiorem cernimus Saletanum*] Acumen huius Epigrammatis idem est quod & Epigrammatis XXXIX. lib. V. Sed nonne mortua vxore dos ad heredes reuertebatur? Ita res erat. Mortua in matrimonio muliere, dos à patre profecta ad C patrem reuertebatur, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater vita decessisset antequam in matrimonio mulier moreretur, dos apud maritum remanebat. Aduentitia autem dos semper penes maritum remanebat, præterquam si is qui dederat, vt sibi redderetur stipulatus fuerat, quæ dos specialiter receptitia dicebatur. Hæc est doctrina Vlpiani lib. Regul. Tit. de dotibus. Atque eodem pertinent l. XXIII. D. de euict. l. V. D. de bon. damnat. l. Mulier. C. de condict. & plures alii textus.

CENTENA *decies*] Hæc olim dos maxima. Iuuenalis:

—— Ritu decies centena dabuntur
Antiquo.

Huius dotis meminerunt & Iurisconsulti.

D

AD EPIGR. LXVI.

INCERTA *acu*] Legendum *Inserta*. Tertull. lib. de Virgin. velandis, cap. XII. *Vertunt capillum, & acu lasciuiore comam sibi inserunt.*

HOC *facinus Lalage*] Nam morosæ erga ornatrices suas matronæ istæ. Ouid.

Tuta sit ornatrix: Odi, quæ sauciat ora
Vnguibus, & rapta brachia figit acu.
Deuouet, & tangit Dominæ caput illa, simulque
Plorat ad inuisas sanguinolenta comas.

Sed & deformitatem suam, quam dum comebantur & ornabantur speculo sese contemplantes, inspectabant, ancillarum suarum indigna pœna quædam vlciscebantur. Iuuenalis Satyra VI.

Componit crinem laceratis ipsa capillis,
Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen, facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? Quænam est heic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus tuus?

Peculiares autem ancillas habebant huic muneri adsignatas, quas *Ornatrices* appellabant. Ouid. loco modo citato. *Tuta sit ornatrix*, & c. Festus: *Acus dicitur, quæ sarcinatrix, vel etiam ornatrix vtitur.* Nam *Ornare* heic peculiare. Ouid. eleg. VII. lib. II. Amorum.

Ecce tuum solers caput exornare Cypaßis
Obijcitur Dominæ contemeraße torum.

Postea:

Adde quod ornandis operosa est illa capillis,
Et tibi per doctas grata ministra manus.

Ceterum aliæ etiam erant seruæ emeritæ iam, quarum consilio bellæ hæ matronæ vtebantur in ornandis capillis. Iuuenalis sat. VI.

Est in consilio Matrona, admotaque lanis
Emerita quæ cessat acu. Sententia prima
Huius erit. Post hanc ætate atque arte minores
Censebunt: Tanquam formæ discrimen agatur,
Aut animæ: Tanti est quærendi cura decoris.

ET *cecidit sectis icta Plecusa comis*] Nomen inditum à ministerio, Plecusa, ἡ ἐμπλέκουσα. Artemidorus lib. V. ἔδοξέ τις γυνὴ τὴν ἐμπλέκουσαν αὐτῇ κομμώτριαν, τὴν εἰκόνα αὐτῆς ἣν εἶχεν ὅτι ἦν μᾶλλον γεγραμμένην, καὶ τὰ ἱμάτια αὐτῆς χρῆσθαι, ὡς εἰς πομπὴν παρεσκευασμένην· αὕτη ἡ θεράπαινα τὸν ἄνδρα αὐτῆς ἀπέστησεν αὐτῇ διαβάλλουσα, καὶ ζημιῶν καὶ ἀποπομπῆς ἐγένετο αὐτῇ αἰτία. Sic lego hunc locum, & interpretor: *Mulieri cuidam in somnis visa erat ornatrix sua, imaginē suam in tabella depictam, & simul vestimenta cōmodato à se accipere, tanquam pompam spectatum itura. Seruula illa maritum eius ab ea alienauit calumniis suis, & magni detrimenti, ac repudij causa exstitit.* Vulgo legitur, τὴν ἐμπλέκουσαν αὐτήν. Item, καὶ πομπῆς ἐγένετο αὐτῇ αἰτία. Quod autem ait, ὡς εἰς πομπὴν παρεσκευασμένην, de more est. Iuuenal. Sat. VI.

Vt spectet ludos conducit Ogulnia vestem, &c.

HOC *Salamandra notet*] Petronius: *Quid dicis tu latro? Quæ sola Salamandra supercilia tua exussit?* Vide Plin. lib. VII. cap. 2.

AD EPIGR. LXVII.

OCCVRRIS *quocunque loco*] Describit hominem σχόλιον, & otio abundantem, atque idcirco inquietum, & huc illuc circuncursantem, ac obuios odio suo enicantem, quo de genere hominum plura postea. *Quid agis*, horum hominum prima verba sunt, quibus etiam minus notos aggredi solent. Quare & Horatij garrulus, *Quid agis, dulcißime, rerum?* Ex hac autem loquendi formula eleganter & venuste colligit Martialis vitium hoc à nimio otio manare, *Habes, puto, tu Postume, nil quod agas.* Sic & idem ille garrulus;

Nil habeo quod agam.

AD EPIGR. LXVIII.

Hoc Epigramma eiusdem argumenti est cum Epigrammate LIII. huius libri, quod antea interpretati sumus. Tangit iterum heic Martialis miseræ & abiectæ illius ἐθελοδουλείας originē, qua plerique fœde & spurce sese maculabant, nempe quod sorte sua & mediocritate contenti esse

A non possent, & superuacua, quibus qui carere possunt, ijdem possunt viuere hominū omnium liberrimi, quærerent. Quare eleganter concludit, eum qui seruo carere potest, & esse αὐτοδεσπότης, quemadmodum antiquis temporibus, posse etiam facile regem non habere, quem abiecte colat. Eleganter Lucianus libro de mercede conductis plane aureo: ἄνευ τῆς ἐπαγγελίας αὐτοὺς, καὶ δούλοις αὐτοῖς ἀντ' ἐλευθέρων ποιεῖν, οὐχ ἡ τῶν ἀναγκαίων χρεία, ἣν ἔφασκον, ἀλλ' ἡ τῶν οὐκ ἀναγκαίων ἐπιθυμία, καὶ ὁ τῶν πολλῶν καὶ πολυτελῶν ἐκείνων ζῆλος.

TOTIS *pilea sarcinis redemi*] Omnia vendidi vt liber essem, & sumtu meo ac mihi viuerem. Plura in Digressionibus.

AD EPIGR. LXIX.

AD *cœnam rectam*] Sic *rectum apparatum* dicit Se-
B neca Epist. CXI. Suetonius in Vespasiano: *Sed & conuiuabatur aßidue, & sæpius recte ac dapsile, vt macellarios adiuuaret.* De cœna recta passim.

DISPEREAM] κάκιστ' ἀπολοίμην. Aristophanes, κάκιστ' ἀπολοίμην, εἴ τι τούτων τι δρῶμαι.

AD EPIGR. LXXI.

CANDIDIVS *nihil est*] Elegans Epigramma, & quod, opinor, sumtum est à Demosthene in ea de Corona, vbi summus Orator Æschinis versutiam exagitat, qui vt Demosthenis laudes & summa in Remp. merita eleuaret, eum cum antiquis Oratoribus & Politicis comparabat; quorū virtutes cum ad cœlum vsque euexisset, Demosthenem postea ostendebat longe ab ijs abesse: quam comparationem iniquissimam esse ostendit Demosthenes; nempe quia defuncto-
C rum laudes æquis auribus audiuntur; viui autē inuidiæ & obtrectationi expositi sunt. Quare postulabat ab Æschine Demosthenes, vt comparationem suam aliter iniret, id est, vt cum aliquo ex ijs qui tunc florebant, vel potius cum seipso Demosthenem cōpararet; quod ipsum est quod à Cæciliano flagitat Martialis hoc Epigrammate. Quum Martialis Epigrammata legerentur, recitabat Cæcilianus Marsi vel Catulli poëmata, vt scilicet Martialis scripta cum ijs collata viderentur minus elegantia; Orat Cæcilianum Martialis vt sua potius legat, & conferat. Facete. Locus autem Demosthenis exscribendus est propter elegantiam. ἔπειτα τῶν πρότερον γεγενημένων ἀνδρῶν ἀγαθῶν μέμνησαι; καὶ καλῶς ποιεῖς. οὐ μήν τι δίκαιόν ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν πρὸς τοὺς τετελευτηκότας εὔνοιαν ὑπάρχουσαν προσλαβόντα παρ' ὑμῶν, πρὸς ἐκείνους ἐξετάζειν καὶ
D παραβάλλειν ἐμὲ, τὸν νῦν ζῶντα μεθ' ὑμῶν. τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων, ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὕπεστί τις ἢ πλείων ἢ ἐλάττων φθόνος, τοὺς τεθνεῶτας δ' οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ. οὕτως οὖν ἐχόντων τούτων τῇ φύσει, πρὸς τοὺς πρὸ ἐμαυτοῦ νῦν ἐγὼ κρίνομαι καὶ θεωροῦμαι; μηδαμῶς. οὔτε γὰρ δίκαιον, οὔτ' ἴσον, Αἰσχίνη· ἀλλὰ πρὸς σὲ, καὶ ἄλλον εἴ τινα βούλει, τῶν ταὐτὰ σοὶ προῃρημένων καὶ ζώντων. *Et præstantes viros, qui antea fuerunt, memoras? Recte quidem facis. Neque tamen æquum est, Athenienses, vt quum summa sit vestra erga defunctos beneuolentia, cum illis is me componat & conferat, qui etiamnunc vobiscum viuo. Quis enim tandem est qui ignoret, omnes qui istic vitam agunt, inuidiæ plus vel minus esse obnoxios; In defunctos autem, etiam inimicorum odia cōquiescere? Quæ cum natura ita comparata sint, cum ijs ego, qui ante me vixerunt, componar & spectter? Nequaquam. Neque enim iustum aut æ-*

quum

quum est, Æschines, sed tecum, aut cum alio quouis eorum qui sectam tuam sequuntur, & in viuis sunt. Iterum: ἀλλὰ πρὸς τοὺς ζῶντας, ὦ χρηστέ, ἵνα μηδὲν ἄλλο εἴπω, τὸν ζῶντα ἐξέταζε, καὶ τοὺς καθ' αὑτὸν, ὥσπερ τἆλλα πάντα· τοὺς ποιητάς· τοὺς χορούς· τοὺς ἀγωνιστάς. ὁ Φιλάμμων, οὐχ ὅτι Γλαύκου τοῦ Καρυστίου καί τινων ἑτέρων προτέρων γεγενημένων ἀθλητῶν ἀσθενέστερος ἦν, ἀστεφάνωτος ἐκ τῆς Ὀλυμπίας ἀπῄει, ἀλλ' ὅτι τῶν εἰσελθόντων πρὸς αὐτὸν ἄριστα ἐμάχετο, ἐστεφανοῦτο, καὶ νικῶν ἀνηγορεύετο. καὶ σύ, πρὸς τοὺς νῦν ὅρα με ῥήτορας, πρὸς σαυτόν, πρὸς ὅν τινα βούλει τῶν ἁπάντων. *Sed cum viuentibus, o bone vir (ne quid dicam aliud) viuentem compara, & cum ijs qui eodem viuunt tempore, vt in ceteris omnibus fieri solet, veluti si poetarum, chororum, scenæ artificum aut actorum fit mentio. Philammon, non quod Glauco Carystio, & quibusdam alijs veteribus pugilibus infirmior erat, coronis non donabatur in Olympicis certaminibus; sed quod omnium, qui secum congressi essent, optime pugnaret, coronabatur, & victor proclamabatur. Et tu, cum huius ætatis me confer oratoribus; tecum; cum quocumque vis omnium.*

Hæc *mihi das tanquam*] Probo Ms. Put. coniecturam, *Hoc mihi das.* Hoc tu ideo facis videlicet, tanquam Marsi & Catulli scripta sint meis deteriora, atque vt ea comparatione scripta nostra magis placeant & probentur. Tam simplices vero sumus vt istud credamus. Quare placet tolli interrogationis notam, & simpliciter legi, *Vt collata magis placeant mea.*

AD EPIGR. LXXIV.

Cinctvm *togatis*] Nullum genus est hominum, quorum stultitia sæpius traducatur à Martiale, & alijs etiam scriptoribus, quã ἀλαζόνων. Horũ imagines sæpius expressit Martialis, atque hoc Epigrammate eleganter depingit. Pertinet autem ad hunc locum quod scribit Xenophon sub finem lib. I. Ἀπομνημονευμάτων: cuius obseruationem omittere nequeo. Disputat eo loco περὶ ἀλαζονείας, ac de ostentatione, quam ostendit certissimam esse ad ridiculum sese præbendum viam; & eam totam in rerum externarum imitatione esse sitam; quemadmodum quia diuites aut gloria & opibus florentes multos clientes, multos comites habent, ita nonnulli quum rei familiaris detrimento eiusmodi hominum turbam sibi compararunt, putant haberi se omnium hominum beatissimos; Quemadmodum, inquit Xenophon, stultus esset & omnino ridiculus, si quis idcirco tibicen peritus videri vellet, quod multos sibi comparasset sectatores, multos laudatores; plura quoque instrumenta, quia præstantes tibicines plures habent discipulos, & laudibus ac plausu excipiuntur. ἐνθυμώμεθα γάρ, ἔφη, εἴ τις μὴ ὢν ἀγαθὸς αὐλητὴς, δοκεῖν βούλοιτο, τί ἂν αὐτῷ ποιητέον εἴη; ἆρ' οὐ τὰ ἔξω τῆς τέχνης μιμητέον τοὺς ἀγαθοὺς αὐλητάς; καὶ πρῶτον μὲν ὅτι ἐκεῖνοι σκεύη τε καλὰ κέκτηνται καὶ ἀκολούθους πολλοὺς περιάγονται, καὶ τούτῳ ταῦτα ποιητέον; ἔπειτα ὅτι ἐκείνους πολλοὶ ἐπαινοῦσι, καὶ τούτῳ πολλοὺς ἐπαινετὰς παρασκευαστέον; ἀλλὰ μὴν ἔργον γε οὐδαμοῦ ληπτέον ἢ εὐθὺς ἐλεγχθήσεται γελοῖος ὤν, καὶ οὐ μόνον αὐλητὴς κακὸς, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος ἀλαζών. καίτοι πολλὰ μὲν δαπανῶν, μηδὲν δ' ὠφελούμενος, πρὸς δὲ τούτοις κακοδοξῶν, πῶς οὐκ ἐπιπόνως τε καὶ ἀλυσιτελῶς καὶ καταγελάστως βιώσεται;

Cinctvm *togatis*] Cicero pro Sexto Roscio: *Ipse vero quemadmodum composito & delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterua togatorum, videtis Iudices, &c.*

Qvanta *reduci Regulus turba*] Nullam intermittit occasionem Regulo adulandi. Sane magnam fuisse Reguli factionem docet Plinius cum pluribus locis, tum epist. V. lib. I. *Nec me præterit esse Regulum* δυσκαθαίρετον. *Est enim locuples, factiosus; curatur à multis, timetur à pluribus, quod plerumque fortius amore est.* Ceterum oratores omnes εὐημερήσαντες ita reducebantur domum, qui erat eloquentiæ fructus non minimus. Auctor Dialogi de caussis corrup. eloq. *Iam vero qui togatorum comitatus, & egressus? quæ in publico species? quæ in iudicijs veneratio?* &c. Plut. in Demosthene: εὐημερήσαντος καὶ τοῦ Καλλιστράτου, καὶ θαυμασθέντος ὑπερφυῶς, ἐκείνου μὲν ἐζήλωσε τὴν δόξαν, ὁρῶν προπεμπόμενον ὑπὸ τῶν πολλῶν καὶ μακαριζόμενον.

Ad *alta tonsum templa cum reum misit*] Nam rei vinculis liberati aut iudicium salutare consequuti Dijs sacrificabant, & gratias agebant. Aristophanes in Pluto:

> καί τις τότε
> ὅτ' ἔτυχεν οὐδὲν, ὁ μὲν ἂν ἔμπορος
> ἔθυσεν ἱερεῖόν τι σωθείς· ὁ δέ τις ἂν
> δίκην ἀποφυγών.

Artemidorus lib. II. cap. XXXIV. prosperum esse somnium obseruat, si quis Dijs rite se sacrificare in somnis existimet; quia homines, inquit, boni aliquid nacti, vel periculis liberati sacrificare solent, & Deos salutare. θύειν θεοῖς τὰ νενομισμένα ἑκάστῳ, παντὶ ἀγαθόν. ἢ γὰρ τυχόντες ἀγαθῶν, ἢ καταφεύγοντες ἄνθρωποι θεοῖς θύουσι. Legendum existimo, ἢ κακὰ φυγόντες.

Tonsvm] Rei comã & capillos promittebant ac sordidati erant. Plutarchus in Cicerone: κινδυνεύων οὖν καὶ διωκόμενος, ἐσθῆτα μετήλλαξε, καὶ κόμης ἀνάπλεως περιιὼν ἱκέτευε τὸν δῆμον. Item: αὐτοῦ τε Μίλωνος θρασέως καὶ ἀνδρείως παρεισελθόντος τῷ ἀγῶνι, καὶ κόμην θρέψαι, καὶ μεταβαλεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιώσαντος. Lege, μεταλαβεῖν. Liberati postea & probata innocentia tondebantur, & sordes deponebant. Plutarchus eodem libello: λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα, καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ, τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθώς, ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων, ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε, κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος, καὶ καθαρὸν ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν, αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι. Mos est antiquissimus. Quare Geneseos cap. XLI. *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* Hæc enim ad istum morem esse referenda docet Philo dissertatione de Iosepho: ὁ οὖν βασιλεὺς ἀκούσας, προστάττει συντείναντας ἀνακαλεῖν τὸν νεανίαν. οἱ δ' ἀποκείραντες, βαθεῖαι γὰρ ἦσαν αὐτῷ χαῖται καθειργμένῳ κεφαλῆς τε καὶ γενείου, καὶ ἀντὶ ῥυπώσης λαμπρὰν ἐσθῆτα ἀντιδοῦντες, καὶ τἆλλα φαιδρύναντες, εἰσάγουσι πρὸς βασιλέα. Quare scribit Artemidorus lib. I. cap. XXII. si quis reus sit, ac videat in somnis comam sibi esse detonsam, prosperum ei esse somnium. ἄλλῳ δὲ τὴν κεφαλὴν ἔχειν ψιλὴν, ἀγαθὸν τῷ φεύγοντι δίκην. Atque hanc scientiæ vanissimæ doctrinam non esse omnino falsam docet Plinius insigni illa epistola, quæ est XXVII. lib. VII. vbi inter cetera: *Ex quo coniectari potest, quia reis moris est submittere capillum, recisos meorum capillos, depulsi, quod imminebat, periculi signum fuisse.* Hinc igitur eleganter Seneca *sordes reo detrahere* dixit, lib. II. de benef. cap. vlt. *Bona mihi donata sunt, & fama defensa, detractæ sordes,* &c. Idem lib. IV. cap. XII. *Reum gratia laborantem tutor, & hominum potentium factionem in me conuerto, quas illi detraxero sordes, sub ijsdem accusatoribus fortasse futurus.*

Fvscicvlenvs *præstat & Faventinus*] Prædia, vel vendita, vel pignori opposita, vt esset vnde adulatoribus illis satisfieret. Nam prædiorum potius quam fœneratorum nomina sunt.

AD EPIGR. LXXV.

Sangvineam *humum*] Arenam dicit sanguine adspersam. Notum enim Amphitheatri caueam arena stratam fuisse, ne sanguine lubrica pedes decertantium falleret. Sic autem dixit Ausonius *Sanguineam arenam* in Ephemeride:

Aut in sanguinea gladio grassamur arena.

Ouid. lib. III. καχοτεχνίας·

Spectentur tepido maculatæ sanguine arenæ,
Metaque ferventi circumeunda rota.

Quare *Tristem arenam* appellat lib. I. eiusdem operis:

B *Hos aditus, Circusque nouo præbebit amori,*
Sparsaque sollicito tristis arena foro.

AD EPIGR. LXXVI.

Is *tibi verba dedit*] Nihil præter verba reliquit. Nam legatum est inane.

AD EPIGR. LXXVII.

Non *sunt longa*] Eleganter Plinius epistol. VI. lib. V. *Vides quot versibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Æneæ, Achillis ille describat; breuis tamen vterque est, quia facit quod instituit. Vides vt Aratus minutissima etiam sidera consectetur, & colligat, modum tamen seruat. Non enim excursus hic eius, sed opus ipsum est. Similiter nos, vt parua magnis conferamus; si nihil inductum, & quasi deuium loquimur, non epistola, quæ describit, sed villa, quæ describitur, magna est.* Plinium imitatus est Sidonius eius simia epist. II. lib. II.

C

AD EPIGR. LXXX.

Ne *moriare mori*] Idem acumen apud Senecam epistol. XXIV. *Heic adiicias & illud eiusdem notæ licet, Tantam hominum imprudentiam esse, imo dementiam, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem.*

A Sic Plut. Consolat. ad Apollonium: τῷ γὰρ ὄντι πολλοὶ δίχα τὴν ἰσχύν, καὶ τὴν πρὸς θάνατον δειλίαν ἀποθνήσκουσιν, ἵνα μὴ ἀποθάνωσι.

AD EPIGR. LXXXIIII.

Ex *hoc occisus*] Id est, ab hoc. Sic ἐκ Græcis aliquando. Herodotus Musa II. οἱ δὲ ἐν Φρενὶ λαβόντες τοῦτο, τὸ ποιηθὲν ἐκ Ψαμμητίχου. Euripides Hecuba:

σφαγεὶς Ἀχιλλέως παιδὸς ἐκ μιαιφόνου.

Et in Andromacha:

ὅτι πόσιν μὲν Ἕκτορ᾽ ἐξ Ἀχιλλέως
θανόντ᾽ ἐσεῖδον.

Appianus in Mithridatica historia: τὸν δὲ Προυσίαν εἰς ἱερὸν Διὸς καταφυγόντα συνεκέντησαν τινες ἐπιπεμφθέντες ἐκ τοῦ Νικομήδους. & iterum ibid. καὶ περὶ Χάλκης αὐτοῦ ἐνίκησεν στρατὸς ἄλλος ἐπιπεμφθεὶς ἐκ Μιθριδάτου.

AD EPIGR. LXXXVI.

Tvrpe *est difficiles habere nugas*] Pertinent hæc ad κενοσπουδίαν, de qua Philosophi Græci, & Seneca cum alibi, tum epist. LXXXVIII. Exemplum habes eximium apud Ælianum Var. Histor. lib. II. de Anniceri auriga.

Sotadem *cinædum*] Nempe cuius ἰωνικοὺς λόγους, qui etiam κιναιδολόγος dicitur, fuit celeberrimus; qua de re Athen. lib. XIV.

AD EPIGR. XCI.

Natorvm *genitor*] Idem pene ius & Lacedæmone, quod obseruat Aristoteles Polit. lib. II. cap. IX. ἔστι γὰρ αὐτοῖς νόμος, τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱούς, ἄφρουρον εἶναι· τὸν δὲ τέτταρας, ἀτελῆ πάντων. Ælianus Var. Histor. lib. VI. πέντε dicit, non τέτταρας.

Fverint *solatia*] Proprie. Nam in certaminibus dabantur quandoque etiam victis dona, quæ *solatia* appellabantur. Virg. V. Æneid.

Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro, vittisque iuuencum;
Ensem atque insignem galeam solatia victo.

Ius autem trium liberorum datum est Liuiæ Drusi matri extincto filio, ἐπὶ παραμυθίᾳ, *solatij ergo*, vt ait Dio lib. LV.

DESIDERII

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD MARTIALIS LIBRVM III.

AD EPIGRAMMA. IV.

VENIET *quum citharœdus erit.*] Epigramma Satyricum est, ac seculi stultitiam & inscitiã traducit, quo citharœdorum atque id genus hominũ conditio multo lautior erat quàm poëtarum, aut eruditorum hominum. Idem lib. v. Epigr. LVII.

Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat citharœdus, aut choraules.

Idem querebatur Iuuenalis Sat. VII. —— *Tenta Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti Lautorum pueros, artem scindens Theodori.*

AD EPIGR. VI.

B LIBAT *florentes hac tibi prima genas*] Dies, qua barbæ primitias deponebant, magnis lautitiis celebrabatur. Dio de Nerone: μετ δὲ ταῦτα ἤγαγεν αὖ ἑορτὴν ἑτέραν. (ἐπεκλήθη δὲ Ἰουβενάλια, ὥσπερ ἐπὶ νεότητι) ἐτελέσθη ἐπὶ τῷ γενείῳ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τότε πρῶτον ἐξύρατο. Hoc idem exemplum sequutum fuisse Heliogabalum docet idem scriptor alibi. Quare tunc munera ab amicis missa, quemadmodum & aliis celebritatibus. Iuuenalis Sat. IV.

Ille metit barbam; Crinem hic deponit amati;
Plena domus libis venalibus.

Huc igitur pertinet Ammiani Marcellini locus lib. XVII. *Hocque exinde claruit, fraude potius quam tenacitate commissum, quod quum idem Cæsar petenti ex vsu gregario cuidam vt barbas detonderet, dedisset aliquid vile, contumeliosis calumniis appetitus est à Gaudentio tunc notario.*

AD EPIGR. VII.

C SALARIVM *dandum est*] Notat diuitum μικρολογίαν & auaram ambitionem, qui leuicula pecunia miserorum clientulorum atque anteambulonum officia bene munerati existimabant; Atqui mutatum esse rerum statum ait, ac iam, non sportulam tenuem, sed salarium dandum esse. His adprime conuenit quod scribit Suetonius in Tiberio: *Pecuniæ parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionúmque, nunquam salario, cibariis tantum sustentauit.*

AD EPIGR. X.

CONSTITVIT, *Philomuse, pater tibi millia bina*] Elegans Epigramma, & non vulgaris notæ. Adolescentibus, aut aliis parum prouidis, ac luxu dissolutis qui prouidere volebant, iis nõ magnas opes simul conferebant, sed certas summas certis pensionibus, veluti menstruis, quibus vitam tuerentur; nempe quia periculum erat, si magna aliqua summa iis data esset, ne eam statim perderent atque absumerent; vnde annua aut menstrua etiam alimenta quandoque relicta à testatoribus, prouidentia legatariorum, vt inquit Pomponius L. VII. De ann. legat. id est, vt legatariorum negligentiæ, si ij minus diligentes erãt, & rerum suarum curiosi, consuleretur; Quare & Philomusi pater menstrua filio suo luxu perdito constituerat, eaque singulis diebus erogabat, ne vno die totius mensis alimenta consumeret; Atqui filio suo tam prospecte cauerat & consuluerat dum viueret, is pessime eidem cauit testamento suo, quo eum heredem ex asse reliquit, quum ei alimenta potius diurna, & singulis diebus præstanda relinquere debuisset. Quare eo testamento quo heres scriptus est, re vera est exheredatus, Cum eo facto patrimonium, quod statim dilapidauit, ad eum sine vllis conditionibus peruenerit: quo pertinet L. XVIII. D. de lib. & post.

LVXVRIAM *premeret cum crastina semper egestas*] Quare in Trinummi Prologo Plautus luxuriæ filiam dedit inopiam eleganter.

Primum mihi Plautus nomen Luxuria indidit;
Tum hanc mihi gnatam esse voluit inopiam.
Adolescens quidã est, qui habitat in hisce ædibus;
Is rem paternam me adiutrice perdidit;
Quoniã ei, qui me aleret, nihil video esse reliqui;
Dedi meam gnatam, qui cum ætatem exigat.

Sed profecto Egestas acerbior quodammodo est quam Inopia; quare eam alij Luxuriæ filiam dederunt, aut comitem, vt heic Martialis, potius quã Inopiam. Claudianus lib. I. in Rufinum:

Et luxus populator opum; cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur EGESTAS.

Florus lib. IV. cap. I. *Catilinam luxuria primum; tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, in nefaria consilia opprimẽdæ patriæ suæ compulerat.* Cornel. Tacit. lib. VI. Annal. *Quo non aliud honorificentius Cotta euenit, qui nobilis quidem, sed egens ob luxum; per flagitia infamis.* M. Tullius li. II. de finibus; *Nolim enim mihi fingere asotos, vt soletis, qui in mensam vomant, & qui de conuiuiis*

auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent; Qui Solem ut aiunt, nec occidentem unquam viderint, nec orientem; Qui consumtis patrimonijs EGEANT. Sane differentia aliqua videtur inter Egestatem, & Inopiam siue Paupertatem. Nam quicunque pauper siue inops est, non idem est egenus. Egestatem luxuria aut aliqua huiusmodi pestis sæpius conflat; Inopia & Paupertas potest alio modo contingere. Quare Paupertas & Inopia innocens esse potest; Egestas vix absque scelere, aut ad scelus propensione; neque enim absque cupiditate. Quare *Indigentiam* definit Cicero lib. IV. Tuscul. quæst. *libidinem inexplebilem.* Quid sit *Egere* docet Seneca epistol. IX. *Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait sapientem nulla re indigere; & tamen multis illi rebus opus esse. Contra; stulto nulla re opus est, Nulla enim re scit uti; sed omnibus eget. Sapienti & manibus, & oculis, & multis ad quotidianum usum necessariis opus est; sed eget nulla re; Egere enim necessitatis est.* Quare & alibi Egestatem à paupertate separat. Epist. XVII. *Non est quod paupertas nos à philosophia reuocet; ne egestas quidem. Toleranda est enim ad hoc properantibus vel fames, quam tolerantes quidam in obsidionibus.* Et Epist. LIX. *Quanta verborum nobis paupertas, imo egestas sit, nunquam magis quàm hodierno die intellexi.* Sane Egestas, quemadmodum dixi, sæpe scelerum fax & incentiuum; Paupertas quandoque non modo innocens, sed & virtutis conseruatrix. De hac Sil. Italicus lib. I.

Concilium vocat augustum, castaque beatos
Paupertate patres.

De illa idem lib. XIII.

——*Sceleri proclinis egestas.*

Apposite Lucan. lib. I.

——*Fœcunda virorum*
PAUPERTAS fugitur, totoque accersitur orbe,
Quo gens quæque perit, &c.
Inde iræ faciles, & quod suasisset EGESTAS,
Vile nefas.

Quare homines *egentes* habiti ad scelera omnia paratissimi, & quietis publicæ inimici. *Egentes,* non simpliciter inopes aut pauperes. Cicero ad Att. epist. XVI. lib. I. *Hæc sunt in Rep. Nisi etiam ad Remp. pertinere putas, Herennium quendam tribunum plebis, tribulem tuum, hominem sane nequam atque egentem, sæpe iam de Clodio ad plebem traducendo agere cœpisse.* Item epist. VI. lib. IX. *Et quid te horum fugit, legibus, iudicijs, Senatu sublato, libidines, audacias, sumtus, egestates tot egentissimorum hominum, nec priuatas posse res, nec Remp. sustinere?* Cornel. Tacit. Histor. lib. III. *Corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque.* Et lib. III. Annal. *Aut quibus ob egestatem, aut metum ex flagitijs maxima peccandi necessitas.*

AD EPIGR. XII.

VNGVENTVM, *fateor, bonum dedisti*] Describit heic hominem stolide vanum, qui quum lautus videri velit, in rebus minime necessarijs sumtum faciat; in alijs autem quæ sumtum necessario desiderant, sordes suas explicet. Homines istos Græci βαναύσους appellant & ἀπειροκάλους. Nam βάναυσος, apud Aristotelem in Nicomacheis, ὃ μὲν δεῖ πολλὰ ἀναλῶσαι, ὀλίγα δαπανᾷ· ὃ δὲ ὀλίγα, πολλά. Sed omnium optime & conuenientissime Hierocles in aurea carmina Pythagoræ: αἱρήσεσθαι δὲ ζωὴν ἀπεριέργως, τοιήν ἢ περὶ τὴν

A δίαιταν ἔχοντες, ἢ τὴν τῆς ἀπειροκαλίας τῦφον ἐκκλίνοντες, ἐξ ὧν ἀποβλαστάνει δύο κακὰ, δυσκίνητα, ἡ φειδὼ χρημάτων ἄχαιρος· ὧν τὸ μὲν εἰς ὑπερηφανίαν ἐμβάλλεται· τὸ δὲ εἰς μικροπρέπειαν. *Vitam autem sine inuidia degemus, si tenuem & sordibus carentem viuendi rationem sectantes, fastum qui ex imperitia ac decori ignoratione proficiscitur, vitabimus; vnde mala existunt, Profusio, & parcimonia intempestiua, quorum alterum superbiæ; alterum infimæ auaritiæ tribuitur.*

NIHIL *scidisti*] *Scindere* heic est quod sequenti Epigrammate *Carpere.* Seneca lib. de Vita beata, cap. XVII. *Quare ars apud te ministrare: nec temere & vtlibet collocatur argentum, sed perite seruatur. & est aliquis apud te scindendi obsonij magister?* Et lib. de breuitate vitæ, cap. XII. *Quanta arte scindantur aues in frusta non enormia, quam curiose infelices pueruli ebriorum sputa detergant.* Sic *Secare.* Iuuenalis satyr. V.

B ——*Nec minimo sane discrimine refert,*
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Et satyr. XI.

——*Haud ideo peior gallina secatur.*

Sic τέμνειν Græcis.

RES *salsa est*] Ridicula res est; *C'est vne chose plaisante.*

HIC *vero mihi mortuus videtur*] Ludit sane eodem modo Lucianus libro de mercenarijs aureo; vbi ait miseros literatores, aut alios id genus, qui magnatum mensas colebant, cum alijs accumbere solitos, coronatos sane & vnguento delibutos; sed sæpius mala fame & siti perditos; cum nihil ijs ministraretur; Quare mortuorum columnis eos non esse absimiles, quas in parentalibus vnguento quidem perfunderent, & coronis ornarent, ipsi autem dapibus, quæ simul apponebantur, sese oblectarent. τῷ μὲν γὰρ λιμῷ ξυνόντα, καὶ

C τὰ Δία γε διψῶντα μύρῳ χρίεσθαι, καὶ στεφανοῦσθαι τὴν κεφαλὴν, ὅμοια καὶ πάσχειν· ἐοίκας γὰρ τοῖς στήλαις ἤδη τοῖς τῶν νεκρῶν, ἀγνῶς ἐναγίσματα· καὶ γὰρ ἐκείνας καταχέαντες μύρον, καὶ τὸν στέφανον ἐπιθέντες, αὐτοὶ πίνουσι, καὶ διαχρῶνται τὰ παρεσκευασμένα.

AD EPIGR. XIII.

CARPERE *mulum*] Carpere heic etiam proprie. Ouid. lib. III. κακοτεχνίας.

Carpe cibos digitis: Est quidam gestus edendi.

Vnde *Carptores* Iuuenali, qui *Scissores* Petronio Satyr. IX.

——*Audiet & quæ*
Finxerunt pariter librarius, Archimagiri,
Carptores.

D Hunc locum vulgo legunt indistincte.

AD EPIGR. XVI.

DAS *gladiatores*] Notatur heic hominis πολλὴν ἀλαζονείαν, & insana arrogantia, qui quum antea miser sutor esset, nescio quo casu amplas diuitias adeptus, eo insaniæ deuenerat, vt gladiatorum munera, quæ sine magno sumtu edi non poterant, populo daret, atque ita opes suas ostentaret, quod instam indignationis caussam Iuuenali etiam tribuit. Sane qui populi gratiam aucupabantur, iis præcipue artibus grassari solebant, quod, vt cetera, ridet Lucianus in somnio, vbi diuitum stultitiam & inanes molestias traducit. λευκὰ μὲν ὡς ἔχεις, καὶ ἀγῶνας, καὶ θεάματα, καὶ πάντα διαρκῆ, ἅπαντα ὀκνεῖται ποιεῖν. Atque hæc vanitas

plures facultatibus euertit. B. Ambrosius lib. ij. de Offic. cap. xxi. *Prodigium est popularis fauoris gratia exinanire proprias opes. Quod faciunt qui ludis Circensibus, vel etiam theatralibus, & muneribus gladiatorijs, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, vt vincant superiorum celebritates, cum totum illud sit inane quod agunt.* Egregie quoque B. Cyprianus sermone de Eleemos. vbi generis humani hostis ita disserit. *Et munera mihi quam pretiosa, quam grandia, quam nimio & longo tempore quæsita sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris apparatione, vel venditis, ac nisi editio honesta successerit, conuicijs ac sibilis eijciuntur, & furore populari nonnunquam pene lapidantur?* Sanè id accidisse Vatinio, de quo hoc Epigrammate Martialis, obseruat alicubi Macrobius. Eleganter autem Plutarchus in Præceptionibus Politicis scribit gratiam, quam inde consequebantur vani homines, meretricularum blanditijs non esse absimilem, quæ tantisper blandiuntur quantisper munera ijs obtruduntur; postea ne meminerunt quidem. Καὶ ἀπὸ τῶν ἑταιρῶν, ἢ πωλοῦσαι, ἢ μισθούμεναι χαριζόμεναι ζητεῖ.. καὶ ψευδοδοτεῖς, ἐπαινετικοῖς ἀρέσκει κολακείαις ὄχλων ἀεὶ τῷ διδόντι καὶ χαριζομένῳ προσμειδιώντων ἐφημερόν τινα καὶ ἀβέβαιον δόξαν.

Nec *enim faceres id sobrius*] Eleganter. Sic Græci sæpe, Lucianus; νεοττεύματα τηρήσατε. οὐ γὰρ ἂν ὑγιαίνων προσέθηκας τοῖς τοιαύτης λόγους.

Vt *velleus corio ludere cerdo tuo*] Prouerbium alludit, cuius meminit Tertullianus in Pallio, *de corio suo ludere.* Sed & *ludere de corio alieno.* Apuleius, *Re vera ludis de alieno corio.*

AD EPIGR. XVII.

Circvmlata *diu*] Quid sit περιφορά in re conuiuiorum, & alij obseruarunt, & nos etiam obseruamus in Digressionibus.

AD EPIGR. XIX.

Ostenditvr *vrsa*] Martialis lib. i.

Cœpit Maxime Pana quæ solebat,
Nunc ostendere Canium Terentos.

Heic *ostendere* est veluti portentum, aut rem sane nouam & parum cognitam exhibere. Sic δεῖξαι Græcis. Arrianus lib. iij. diss. Epict. cap. i. ἄνδρα σου καλλώπιζε, μὴ γυναῖκα. ἐκεῖνο φυσὶ λίαν γέγονε, τέρας ἐστί. κἂν ἔχῃ τέρατα πολλά, τέρας ἐστί, καὶ ἐν τοῖς τέρασιν ἐν Ῥώμῃ δείκνυται. Vnde & hoc verbo D
vtebantur ἐν προγράμμασι, quas fronti ædium appendebant, vbi prodigia istiusmodi ostendebantur; quod & hodie fieri amat. Arrianus capite laudato. ἀλλ' ἡμεῖς αὐτὸν ἑαυτοῦ ἐκκόψαι καὶ ἀποτεμεῖν, τί αὐτὸν ποιήσομεν; ποῦ αὐτὸν δείξομεν; ἢ τί προγράψομεν, ΔΕΙΞΩ ΥΜΙΝ ΑΝΔΡΑ, ΟΣ ΘΕΛΕΙ ΜΑΛΛΟΝ ΓΥΝΗ ΕΙΝΑΙ Η ΑΝΗΡ.

AD EPIGR. XX.

An *quæ Neroni falsuq adstruit scriptor?*] Nam Neronis historia à plerisque scriptoribus mendacissime fuerat conscripta, cum alij, dum is viueret, turpissime ei adularentur; alij autem eo sublato noua scelera commenti, multa ei adstruerent, de quibus ne cogitarat quidem. Id obseruabat Iosephus Iudaïc. Origin. lib. xx. cap. v. πολλοὶ τὴν περὶ Νέρωνα συντετάχασιν ἱστορίαν. ὧν οἱ μὲν, A διὰ χάριν εὖ πεπονθότες ὑπ' αὐτοῦ, τῆς ἀληθείας ἠμέλησαν· οἱ δὲ διὰ μῖσος, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀπέχθειαν, οὕτως ἀναιδῶς ἐνεπαρῴνησαν τοῖς ψεύσμασιν, ὡς ἀξίως αὐτοὺς εἶναι καταγνώσεως.

Spatia *Argonautarum*] Porticum Neptuni dicit, quam ædificauit Agrippa, & Argonautarum pictura exornauit. Dio lib. liii. Ἀγρίππας δὲ ἐν τούτῳ τὰ ἄστυ τοῖς ἰδίοις τέλεσιν ἐπεκόσμησε. τοῦτο μὲν, τὴν τοῦ Ποσειδῶνος ωνομασμένην καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις, καὶ τῇ τῶν Ἀργοναυτῶν γραφῇ ἐπελαμπρυνεν.

Lavatvr *Agrippa*] Nam idem Agrippa thermas construxit, & Laconicas appellauit. Dio loco modo citato. τό τε δὲ τὸ πυριατήριον τὸ Λακωνικὸν κατεσκεύασε. Λακωνικὸν γὰρ τὸ γυμνάσιον, ἐπειδήπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι γυμνοῦσθαί τε ἐν τῷ τότε χρόνῳ, καὶ λίπα ἀσκεῖν μάλιστα ἐδόκουν, ἐπεκάλεσε.

B

AD EPIGR. XXI.

Proscriptvm *famulus*] Historiam tāgit, de qua Appianus de bell. ciuil. lib. iv. Valer. Max. Macrobius, & alij. Verba Appiani apponam. Ῥηστίωνι διερχέω μόνῳ φεύγειν οἰκέτης εἵπετο λανθάνων, ἀνάθρεπτος μὲν αὐτοῦ Ῥηστίωνος, καὶ πολλὰ πρότερον εὖ παθών, διὰ δὲ μοχθηρίαν ὕστερον στιγματίας, &c. Dicit διὰ δὲ μοχθηρίαν στιγματίας: Quia priuati, id est, priuatorum serui (Nam de publicis aliter se res habet, vt docemus epigr. lxxv. lib. viii.) non notabantur nisi pœnæ ergo, διὰ μοχθηρίαν, aut quod fugere tentassent. Aristophanes in Auibus:

Εἰ δὲ τυγχάνει τις ὑμῶν δραπέτης ἐστιγμένος.

Hi autem non solum ἐστίζοντο, sed etiam compedibus onerabantur. Macrobius lib. i. Satur. cap. xi.
C *Antium enim Restionem proscriptum, solumque nocte fugientem, diripientibus bona eius alijs, seruus compeditus inscripta fronte, cum post damnationem domini aliena esset misericordia solutus, fugientem prosequutus est, &c.* Lucianus in Timone: ὡς εἶναι δὲ, ὥσπερ στιγματίας δραπέτης πεπεδημένος. Vide Plautum in Captiuis. Ergo stigmate puniebantur. Petronius: *Hic continuo radat vtriusque non solum capita, verum etiam supercilia: Sequar ego frontes notans inscriptione solerti, vt videamini stigmate esse puniti.* Caue heic rescribas cum viro literatissimo, *Stigmate esse puncti.* Proprium autem *fronte notari.* Nam Epigramma quoddam notis inscribebatur fugitiuorum frontibus: epigramma, inquam tritum, & huic vsui destinatum. Petronius: *Impleuit Eumolpus frontes vtriusque ingentibus literis, & notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Auson. epigr. xv.

Tam segnis scriptor, quam lentus Pergame, cursor,
Fugisti, & primo captus es in stadio.
Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Vide & epigram. xvi. Valer. Max. lib. vi. cap. viii. in historia nostri Restionis. *Cuius furtiuum egressum seruus ab eo vinculorum pœna coërcitus, inexpiabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, &c.* Sed omnium clarissimè B. Augustinus ad epistol. ad Galatas. *Stigmata dicuntur notæ pœnarum seruilium: vt si quis, verbi gratia, seruus in compedibus fuerit propter noxiam, i. propter culpam.* Sed non frontem tantùm, verùm & totam faciem notis quandoque complebant, vt ex Petronij loco clarum. Hinc Claudianus lib. ij. in Eutrop.

Pars humili de plebe duces: Pars compede suras,
Cruraque signati nigro liuentia ferro
Iura regunt; facies quamuis inscripta repugnet,
Seque suo prodat titulo.

Quare Bion se dicebat οὐ πρόσωπον ἔχειν, ἀλλὰ συγγραφὴν τῆς τοῦ δεσπότου πικρίας σύμβολον. Diogenes Laërtius in Bione: vbi ludit Bion in nominibus συγγραφῆς & συμβόλαια. Eodem pertinere videtur hic Senecæ locus Epistol. xlvii. *Stare ante limen Calixti dominum suum vidi, & eum, qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat.*

AD EPIGR. XXIII.

Lemma est *In Inuitatorem.* Male. In antiquis libris, *in cœnipetam auarum.* Melius. De hoc genere hominum aliquid obseruauimus supra.

OMNIA *cum retro*] Eandem impudentiam B pari iunctam σμικρολογίᾳ traducit Lucianus in Lapitharum conuiuio. ὁ δ' οὖν ὁ Κλεόδημος ἐπικύψας ἐς τὸν Ἴωνα, Ὁρᾷς, ἔφη, τὸν γέροντα, ὅπως ἐμφορεῖται τῶν ὄψων, καὶ καταπέπλησται ζωμοῦ τὸ ἱμάτιον, καὶ ὅσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἑστῶτι ὀρέγει, λανθάνειν οἰόμενος τοὺς ἄλλους, μεμνημένος τῶν μετ' αὐτόν. Et lib. de sectis: πολλὰ, καὶ μόνος ἀριθμῷ παραλαβὼν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ ἑστῶτι παραδέδωκε, καὶ σημηνάμενος ἀκριβῶς, τὸ ἀπ' ἐκείνου καθεύδῃ, μάλιστα εἰσδέχεσθαι παραγγείλας. Lucillius;

Οὐδὲν ἀφῆκεν ὅλως Διονύσιος λείψανον Αὔλῳ
Εὐτυχίδης δειπνῶν, ἦρε δὲ πάντ' ὀπίσω.

PONITVR *à pedibus*] Nam pueri heris conuiuantibus ministrantes à pedibus, siue ad pedes stabant, vt calceos seruarent, vt docebimus posteà, σὺν θεῷ. Vnde notus huius epigrammatis aculeus. Idem omnino apud Lucillium.

Καὶ τρώγεις ὅσα πέντε λύκοι Γάμε, καὶ τὰ περισσά, C
Οὐ τὰ σά, τῶν δὲ πέλας πάντα δίδως ὀπίσω.
Πλὴν μετὰ τοῦ κοφίνου τὸ πρὸς πόδας αὔριον ἔρχου,
Πείσματα, καὶ σπυρίν, καὶ σάρον εὐθὺς ἔχων.

AD EPIGR. XXIIII.

VITE *nocens rosa*] Mactabatur hircus Baccho propter contrarietatem, vt loquitur Seruius ij. Georg. Idem ad hunc locum, iii. Æneid.

Sic fatus meritos aris mactauit honores,
Taurum Neptuno: Taurū tibi pulcher Apollo:
Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Ratio victimarum, inquit, *fit pro qualitate numinum. Nam aut ha immolantur, qua obsunt eorum muneribus, vt Porcus Ceteri, quia obest frugibus: Hircus Libero, quia vitibus nocet. Aut certe ad similitudinem, vt inferis nigras pecudes, superis albas* D *immolent: Tempestati atras, Candidas serenitati.* Rectè *tempestati atras, &c.* Aristophanes in Ranis.

Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε.
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Duplex igitur caussa, *Propter contrarietatem,* & *Propter similitudinem.* Illa etiam de caussa lupus animal rapax & armentis infestum mactabatur Apollini armentorum præsidi. Vnde Apollo λυκοκτόνος cognominatus. Sophocles Electra:

Αὕτη δ', Ὀρέστα, τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ
Ἀγορὰ λύκειος.

Aliter ibi scholia & Camerarius. At Lycius eadem de caussa appellatus, teste Festo. *Lycij Apollinis oraculum in Lycia maxima claritatis fuit* A *ob luporum interfectionem.* λύκος *enim lupus est.* Sed expressus hac de re locus in scholijs Aristophanis, ad Aues. τοὺς λύκους ἀνῄρουν τὸ παλαιὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ νόμος ἦν λυκοκτονεῖν. διὸ ὁ μὲν φορβίον λύκου τίκτων, τάλαντον ἐλάμβανεν· ὁ δὲ τέλειον, δύο. ὅθεν καὶ τὸν Ἀπόλλωνα λύκειον, καὶ λυκοκτόνον φασίν. Hinc & Porci non solum capri Baccho mactabantur & Cereri. Scholia Aristophanis ad Ranas. χοῖροι τῇ Δήμητρι καὶ τῷ Διονύσῳ ἐθύοντο ὡς λυμαντικοὶ τῶν θεῶν δωρημάτων. Altera caussa est *Propter similitudinem.* Arnobius lib. vii. aduersus Gentes. *Sed si sexibus sexus pares, id est fœminas fœminis, mares autem hostias Dijs maribus immolari sacrificiorum iura praescribunt, quæ in coloribus ratio est, vt merito his albas, illis atras conueniat, nigerrimasque mactari? Quia superis Dijs, inquit, atque ominum dexteritate pollentibus, color letus acceptus est, ac felix hilaritate candoris, &c.*

AD EPIGR. XXVII.

NVNQVAM *me reuocas*] Proprium hac in re verbum. Phædrus fab. xxvi.

Qua vulpem quum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit.

AD EPIGR. XXIX.

HOS *cum gemina*] Horatius,

——*Quærebat catenam*
Ex voto Laribus donasset.

Nihil notius. Laribus autem hæc ἀναθήματα. Ouid.

Miles vt emeritis non est satis vtilis armis,
Ponit ad antiquos qua tulit arma Lares.

Ponit ad Lares. ἀνατιθέναι τοῖς καθιδρυμένοις θεοῖς.

ANVLOS *priores*] Apul. ix. Metamorph. *Frontes literati, pedes annulati, capillum semirasi, &c.*

AD EPIGR. XXX.

VNDE *datur quadrans*] Vnde quadrantem tibi paras, quo dato laues? Duo oboli in Græcia quibusdam τὸ ἐπίλουτρον. Lucianus in Lexiphane. σὺ δὲ ὦ, στλεγγίδα μοι, καὶ βύρσαν καὶ φωσώνια, καὶ ῥύμματα, ταυσοβεῖν εἰς τὸ βαλανεῖον, καὶ τοὐπίλουτρον κομίζειν· ἔχεις δὲ χαμαὶ παρὰ τὴν ἐγγυοθήκην δύ' ὀβολώ.

AD EPIGR. XXXII.

NON *possum*] Legebam,

Num possim vetulā quaris Matrinia: Possum &c.

Cognoui posteà legi in veteri codice:

An possum vetulam quaris Matrinia?

Legendum:

An possim vetulam quaris Matrinia.

Nota φρέσιν, *Posse vetulam.* Multa reticebant in rebus turpioribus. Vnde, *Cætera quis nescit?* & similia. Lucianus in Amoribus: καὶ τὰ γὰρ ἀρρήτου τελετῆς ἐμοὶ τὰ λοιπὰ ἐπ' ἀκριβὲς ἡμῖν διηγῆσαι. Vnde *Solere.* Plautus:

Qua cum viris suis prædicant nos solere.

Et συνεῖναι Græcis. *Esse cum muliere* Latinis. Varro lib. v. de ling. Lat. *Aeque eadem modestia potius cum muliere fuisse, quàm Concubuisse, dicebant.* Plautus in Amphit.

Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, tecum fui?

Consuescere etiam frequenter. συνουσιάζειν Græcis.

Lucianus Dialog. Deorum. οὐδ' ἂν ὀλιγωρήσειέ ποτε A ἐκείνης ὅταν τῇ κωμάζῃ.

AD EPIGR. XXXVII.

IRASCI *tantum*] Vide quæ obſeruamus ad Epigr. xiii. lib. xii.

AD EPIGR. XXXVIII.

IN *triplici*] Papinius iv. Siluarum.

Quæ trino iuuenis foro tonabas.

Seneca lib. ii. de Ira. cap. ix. *Circumſcriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non ſufficiunt fora.*

ATRIA *magna colam*] Ergo migrauit in atria Clio. Iuuenal. Sat. vii.

AD EPIGR. XLII.

LOMENTO *rugas*] Hoc diſtichon ita legit B vir incomparabilis:

Lomento, rugas vteri quo condere tentas,
Polla, tibi ventrem nonnihil abra linit.

Sed vereor vt hæc lectio ingenioſior & acutior quàm verior. ἄβρα quidem Græcis πρωτεία παιδίσκη: ſed an Latini hac voce vſi ſint adhuc quæro. ἄβραι ancillæ illæ mandatis perferendis deſtinatæ, & mediæ inter lenas naturæ. Lucianus de mercenariis. πολλάκις δὲ καὶ μεταξὺ τοῦ φιλοσόφου διεξιόντος ἡ ἄβρα προσελθοῦσα ἀπέδωκε τὸ παρὰ τοῦ μοιχοῦ γραμματίδιον. Ancillam generaliter dicit Ouid.

Quò ferat, & referat ſolers ancilla tabellas.

Ἄβραι etiam generalius θεράπαιναι. Simplicius igitur Iunius accipit, *Non mihi labra linis*, pro, *Non mihi os ſublinis*, Quomodo ſæpe loquitur C Plautus.

AD EPIGR. XLIII.

PERSONAM *capiti*] Lucillius:

Μὴ εἶναι τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμύθῳ καταπλάσσε,
Ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχειν.

AD EPIGR. XLIV.

OCCVRRIT *tibi nemo quod libenter*] Χαρακτηρίζει hoc Epigrammate Martialis hominem importunum, ſcriptorum ſuorum recitatione homines enicantem, quales traducuntur plurimi ab aliis.

LASSVS *dormio, ſuſcitas iacentem*] Character D ἀηδίας apud Theophraſtum: ὁ δὲ ἀηδής, τοιοῦτος οἷος ἐγείρειν ἄρτι καθεύδοντα εἰσελθὼν, ἵνα αὐτῷ λαλῇ.

VIR *iuſtus, probus, innocens timeris*] Neque enim homo iſtiuſmodi idcirco eſt μοχθηρός: ſed ἀηδής & importunus.

AD EPIGR. XLVI.

CVNCTOS *umbone repellet*] Tractum à militia. Cornel. Tacitus lib. iv. Annal. *Miles contra deturbare telis, pellere umbonibus.*

INGENTI *faciet conuitia voce*] καταβοήσει. Gloſſ. *Conuitiatur illi, & conuitium facit*, καταβοᾷ, ὑβρίζει. Heic igitur *Conuitia faciet*, καταβοήσει, & ἀναβοήσει, βοῇ ἐπιφωνήσει, μυκήσει. Dixit enim antea *mugiet.* Alias *Conuitium facere* ὑβρίζειν, καταβοᾶν, id eſt, κατά τινος βοᾶν. Ouid.

Quid queror, & toto facio conuitia cælo?

Seneca conſolat. ad Polyb. cap. xxxv. *faciamus illi conuitia, non noſtro tamen ore, ſed etiam publico: Non tamen mutabitur.*

AD EPIGR. XLVII.

CAPENA *g. p. q. pluit gutta*] Propter aquæ ductum. Frontinus: *Marcia autem parte ſui poſt hortos Pallantianos in riuum, qui vocatur Herculaneus, deijcit ſe per Cælium. Ductus ipſius, montis vſibus, nihil, vt inferior, ſubminiſtrans, initur ſupra portam Capenam.* Vnde & *Madidam Capenam* dixit Iuuenal. Sat. iii.

PHRYGIV *MQVE matris*] Legunt alij *Phrygiæ*, quod malo. De hac re autem vide Ouid. iv. faſt. Ammianus Marcellinus lib. xxiii. *Vbi ad diem ſextum Cal. quo Romæ Matri Deorum pompe celebrantur annales, & carpentum quo vehitur ſimulachrum Almonis vndis ab ea perhibetur, &c.*

B Ipſum igitur ſimulacrum lauabatur etiam, non ſola inſtrumenta religioſa. Vnde Callimachus hymnum ſcripſit εἰς λουτρὰ Παλλάδος.

Ὅσσαι λωτροχόοι τᾶς Παλλάδος ἔξιτε πᾶσαι.

Et quæ ſequuntur. Scholia ibi: ἐν ὡρισμέναις ἡμέραις ἔθος εἶχον αἱ Ἀργεῖαι γυναῖκες λαμβάνειν τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ Διομήδους, καὶ ἄγειν ἐπὶ τὸν Ἴναχον, καὶ ἀπολούειν. Theocrit. Idyll. xv.

Νῦν μὲν Κύπρις ἔχοισα τὸν αὐτᾶς χαιρέτω ἄνδρα·
ἀῶθεν δ' ἄμμες νιν ἅμα δρόσῳ ἀθρόαι ἔξω
οἰσεῦμες ποτὶ κύματ' ἐπ' ἀϊόνι πτύοντα.

HORATIORVM *qua viret*] Ibi enim ſepulti Horatij vbi ceciderunt, teſte Liuio. Atqui porta Capena Albam ibatur. Liuius: *Princeps Horatius ibat, tergemina ſpolia præ ſe gerens: Cui ſoror* C *virgo, quæ deſponſa vni ex Curiatijs fuerat, obuia ante portam Capenam fuit.*

ROMAM *petebat Baſſus*] Hæc lego cum interrogatione, *Romam petebat Baſſus?* Romam enim petere videbatur, cùm hæc omnia ſecum veheret: quæ in agris potius, quàm in vrbe reperiuntur. Hinc notanda ſuburbani Baſſiani ſterilitas, de qua poſtea.

AD EPIGR. XLVIII.

SED *vendidit olim*] Vt hanc cellam, quam emerat, in ædes magnificas reformaret. Sed nimio ſumptu pauper effectus, & facultatibus exutus, nuncdum etiam pauperis cellam habet. Seneca Epiſtol. xviii. *Non eſt nunc quod exiſtimes me dicere, vt te admoneas ad cœnas, & pauperum cellas,* D *& quidquid aliud eſt, per quod luxuria diuitiarum tædio ludit.*

AD EPIGR. LII.

NIMIVM *caſ. in vrbe freq.*] Idem queritur Iuuenalis ſat. iii.

Nam quid tam miſerũ, tam ſolũ vidimus, vt non
Deterius credas horrere incendia, lapſus
Tectorum aſſiduos, ac mille pericula ſæuæ
Vrbis?

Et: *Nos vrbem colimus tenui tibicine fultam*
Magna parte ſui, &c.

Quare Plutarchus in Craſſo incommoda iſta appellat συγγενεῖς καὶ συνοίκους τῆς Ῥώμης κῆρας. Locus eſt elegans. πρὸς δὲ τούτοις ὁρῶν τὰς συγγενεῖς καὶ συνοίκους τῆς Ῥώμης κῆρας, ἐμπρησμοὺς καὶ συνιζήσεις, διὰ βάρος

ἡ πλῆθος οἰκοδεμημάτων, ἑαυτῷ δούλους ἀρχιτέκτονας ἢ οἰκοδόμους. A

INCENDISSE *tuam*] Iuuenal. sat. III.

Si magna Asturi cecidit domus: Horrida mater,
Pullati proceres, Differt vadimonia Prætor.
Tunc gemimus casus vrbis: tunc odimus ignem,
Ardet adhuc? Et iam occurrit qui marmora donet,
Cõferat impensas: Hic nuda, & cãdida signa,&c.
Hic medium argenti: Meliora & plura reponit
Persicus orborum lautissimus: Et merito iam
Suspectus. tanquam ipse suas incenderit ædes.

Seneca Epist. XCI. *Multa ceciderunt, vt altius surgerent, & in alias imagines. felicitatis vrbis inimicus aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc vnum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent.* Non absimile est quod de L. Scipione peculatus ab ingrato populo damnato scribit T. Liuius lib. XXXVIII. *Collata pecunia à cognatis, amicisque & clientibus Lucio Scipioni; vt si acciperet, locupletior aliquando esset, quam ante calamitatem fuerat.* B

AD EPIGR. LIV.

ROGANTEM] Orantem noctem tuam. Sic *Rogare* absolute, frequens. Ouid. I. Amorum, eleg. VIII.

Ludunt formosæ: Casta est, quam nemo rogauit.

Plenius lib. II. eleg. II.

Protinus, vt placuit, misi, noctemque rogaui.

AD EPIGR. LV.

COSMVM *migrare putamus*] ὑπερβολὴ in re simili apud Lucianum ἐρωτ: ὅλην Ἀραβίαν σχεδὸν ἐκ τῶν πλοκάμων ἀποπνέουσα. *Totam pene Arabiam capite exhalans.* C

AD EPIGR. LVIII.

TONSILIQVE *buxeto*] Plin. lib. XVI. cap. XVI. *Tertium genus* (buxi) *nostrate vocant: syluestre, vt credo, mitigatum satu, diffusius, & densitate parietum virens semper, ac tonsile.*

RVRE *vero, barbaroque*] Qualia sunt barbarorum rura non ad voluptatem, vt in Romano solo, exculta: sed ad vsum & vtilitatem culta.

SENIBVS *autumnis*] Alibi apud Martialem.

Et acuta senibus testa cum damascenis.

Autumnos heic vocat autumnitatis fructus, Græcorum more, qui ὀπώρας se appellant, τοὺς ὀπωρινοὺς καρπούς. D

ET *delicatus*] Neque hîc Eunuchi in deliciis, vt alibi, sed ad opus ablegantur, aliorum seruorum instar. Quos delicatos vocitarint, notum. Sueton. in T. Vespasiano. *Quosdam è gratissimis delicatorum, quamquam tam artifices saltationis, vt mox scenam tenuerint, non modo fouere prolixius, sed spectare in publico omnino cœtu supersedit.*

AT *tu sub vrbe*] In suburbano tuo. Aul. Gell. lib. XIX. *Cœnam dabat amicis, ac magistris, sub vrbe in rusculo.*

AN *domus longe*] Hellenismus, quem qui non intellexerunt, hunc locum in mendo cubare existimarunt. Iunius legendum existimat, *An domus longa*. refragantibus libris. Male. *Domus longe* est ἡ ἀποτέρω οἰκία. Sic alij loquuntur. Catullus:

Sed tu olim magnos vicisti sola furores.

Tibullus.

Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus ante comas.

Ante comas, ὡς πρὶν κόμας, quomodo legit & explicat Scaliger.

AD EPIGR. LX.

CVM *vocer ad cœnam*] De hac diuitum superbia dicebamus antea. Huc pertinet quod ait Plin. lib. XIV. cap. XIII. *Idem Cato cum in Hispaniam nauigaret, vnde cum triumpho rediyt: Non aliud, inquit, vinum bibi, quam remiges: In tantum dissimilis istis, qui etiam conuiuis alia, quàm sibimetipsis ministrant, aut procedente mensa subijciunt.*

STAGNO *Lucrino*] Hæc enim optimi saporis, iudice Sergio Orta, de quo Plin. lib. IX. cap. IV. *Is primus optimum saporem ostreis Lucrinis adiudicauit.* Hæc Plinij verba pæne excerpsit Macrobius lib. II. Saturnal. cap. XI.

SPORTVLA *quod non est*] De sportula dicebamus aliquid lib. I. Plura in Digressionibus.

AD EPIGR. LXII.

AVREA *quod fundi*] Mira ἀπειροκαλία καὶ χαυνότης. Plin. lib. XXXIII. cap. XI. *Vasa coquinaria ex argento Caluus orator fieri queritur. At nos carrucas ex argento calare inuenimus.* Sueton. in D. Claudio. *Fuerunt & illa in censura eius notabilia, quod essedum argenteum sumptuose fabricatum ac venale, ad sigillaria redimi, concidique coram imperauit.* Lucianus; εἰ δὲ ὑπερεωρᾶτε αὐτῶν, καὶ καταφρονεῖτε, καὶ μὴ ἐπιστρέφεσθε πρὸς τὴν ἀργυρᾶν ἁρμάμαξαν μεταξὺ λεγόμενον, εἰς τὸν ἐν τῷ δακτυλίῳ σμάραγδον, &c. Lampridius de Alexandro Seuero. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus vt argentatas haberent permisit. Interesse Romanæ dignitatis putans vt his tanta vrbis Senatores vterentur.* Mutauit consuetudo, & postea diuersis temporibus regressa. Flauius Vopiscus in Aureliano. *Dedit præterea potestatem, vt argentatas priuati carrucas haberent, cum antea ærata, & eborata vehicula essent.* Imperatorum lecticæ variis modis ornabantur pro eorum libidine. Herodianus lib. V. de Heliogabalo. Ὁ δ' Ἀντωνῖνος ἐν δέει πολλῷ γενόμενος παραλαβὼν τὸν Ἀλέξανδρον, συγκαθεσθεὶς αὐτῷ ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅπερ διὰ χρυσοῦ πολλοῦ καὶ λίθων τιμίων ἦν, κατῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον σὺν τῷ Ἀλεξάνδρῳ. *Antoninus metu perculsus, assumpto Alexandro, atque cum eo vehens regia lectica, multo auro & lapillis pretiosis ornata, in exercitum cum Alexandro processit.* Carrucis etiam altioribus delectabantur homines illi, qui cæteros despicere exoptabant. Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Alij summum decus in carrucis solito altioribus, & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum.* Aureus autem hoc loco est *deauratus*. aut *inauratus*. B. Hieronymus lib. I. aduersus Iouinianum. *Multa esse quæ matronarum vsibus necessaria sunt, pretiosa vestes, aurum, gemmæ, sumtus, ancillæ, suppellex varia, lecticæ & esseda deaurata.*

CARRVCA] Hæc vox cognita etiam Hesychio, ἅρμα, ὄχημα, καροῦχα, δίφρος.

HÆC *animo magno*] Id est, liberali mente, & opum contemptrice. Plin. epist. vlt. lib. VI. *Illud quoque egregium, quod tam facilis, tam liberalis in emendo fuisti. Nam per hæc etiam magnus animus ostenditur.* Mamertinus Panegyr. *Quum quæreres virum animi magni aduersus pecuniam, liberi ad-*

uersus offensas, &c. Aliud *Animose liceri* apud Iurisconsultos, & *Animose comparare* apud Sueton. in Iul. Cæsare.

HAC *animus, Quinte, pusillus emit*] χαμαὶ καὶ ἄνισος, καὶ ἀπειρόκαλος. Eleganter Demosthenes contra Androtionem. (ἐὰν δ' ἐπὶ μικροῖς τις σεμνύνηται), ὥσπερ οὗτος ἐπὶ τῷ ὑμᾶς ἄξιος εἶναι ταῦτα τυχεῖν, ὥστε ἀπειρόκαλος φαίνεσθαι).

AD EPIGR. LXIII.

CANTICA *qui Nili*] Papin. v. Syluarum.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumue sui conuitia Nili
Infantem, linguaque simul, salibusque proteruũ,
Dilexi.

Ouid. I. Trist. Eleg. II.

Non vt Alexandri claram delatus in vrbem,
Delicias videam Nile iocose tuas.

Et lib. III. ματαιοτεχνίας.

Et modo marmoreis referant audita theatris,
Et modo Niliacis carmina lusa modis.

Vnde Quintil. lib. I. Instit. Orat cap. II. *Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs, risu & osculo excipimus.* Nam procaces Ægyptij, & lingua nimia, ac proteruis salibus insignes. Seneca Consolat. ad Albinam, cap. vlt. *Itaque loquax & ingeniosa in contumelias præfectorum prouincia, (Ægyptum dicit) in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam, velut vnicum sanctitatis exemplum suspexit: & quod illi difficillimum est, cui etiam periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit.* Herodianus de Alexandrinis lib. IV. πεφύκασι δέ πως τὸ φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ἐπιγραφὰς ἢ παιδιάς, ἀπορρίπτοντες ἐς τοὺς ὑπερέχοντας πολλὰ χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκωφθεῖσι. *Natura dicteriosi sunt, & figuratos iocos, ac multa in potentiores perite iaciunt, quæ quidem ijs videntur salsa, illis vero acerba qui dictis eiusmodi mordentur.* Dio eosdem futilitatis & procacis loquacitatis arguit lib. XXXIX. Οἱ γὰρ Ἀλεξανδρεῖς θρασύνεσθαι μὲν πρὸς πάντα ἐκλυόντατοι, καὶ ἐκλαλοῦσι πᾶν ὅ, τι ἂν αὐτοῖς ἐπέλθῃ σφίσι προπετέστατοι πεφύκασι.

FOEMINEAS *cathedras*] Cathedras dicit γυναικείας ἕδρας· δίφρακας Græci vocant. Hesychius: δίφραξ, κλιντὴρ, θρόνος γυναικεῖος. Theocrit. idyll. XIV.

ὠνητέα μαλακὰς ἀπὸ δίφρακας ἕδραμα τίνα.

Et ibi scholia: ἐκεῖνη λιποῦσα τὸν δίφρον, ἤγουν τὴν καθέδραν, ὤχετο. μαλακὰς δὲ παρ' ὅσον αἱ γυναῖκες μαλακῶς καθέζονται καθέδρας. Vnde, *Molles cathedras* eodem modo appellauit Iuuenalis sat. VI.

—— Famam contempserat olim,
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.

AD EPIGR. LXV.

SINE *inuidia*] ἀφθόνως. Hellenismus. Sic quum libenter promittunt, οὐδεὶς φθόνος, inquiunt. Res nota est.

AD EPIGR. LXVII.

CESSATIS *pueri*] *Nautarum.* Horat. satyr. v. lib. I.

Tum pueri nautis, pueri conuitia nautæ
Ingerere, Huc appelle: trecentos ingeris: Oha
Iam satis est.

A Rectè igitur heic *Pueri*. Theocrit. Idyl. XIII.

- ναύτας καὶ τις εἶπεν ἑταῖρος,
κουφότεροι ὦ παῖδες ποιεῖσθ' ὅπλα· πλευστικὸς οὖρος.

Sequentia explicata sunt & emendata ab aliis.

AD EPIGR. LXXIV.

PSILOTHRO *faciemque lauas*] Certe psilothro non lauabatur facies, sed leuabatur, id est, leuigabatur. Legendum igitur hoc loco, *Psilothro faciem leuas*, vt obseruarunt alij, & quomodo legit Ausonius, qui hunc locum proculdubio respexit epigr. CXXIII.

Inguina quòd calido leuas tibi dropace. Caussa est:
Irritant volsas leuia membra lupas.

Mulieres in balneis præcipue psilothro curaban-
B tur. Lampridius in Heliogabalo. *In balneis semper cum mulieribus fuit, ita vt eas ipse psilothro curaret. Ipse quoque barbam psilothro accurans: quodque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabatur, & eadem hora.*

QVID *faciem tingis*] Rectè diuinauit F. Modius legendũ heic, *Quid facient vngues?* Scriptum enim in codice manusc. quo vsi sumus, *Quid faciunt vngues?* Scriptum fuisse existimo, *Quid facient vnguis?* Nam *Vnguis* pro *Vngues* quis nescit veteres dixisse, quemadmodum alia multa? Bene idem notauit, Capillos & Vngues resecandi officium ad vnum eundemq; tonsorem pertinuisse. Quod & nos sciebamus, & Plautino insuper exemplo confirmabimus. In Aulul. igitur, sc. *Postquam obsonauit herus.* habes.

Quin ipsi tonsor pridem vngues dempserat,
Collegit, & omnia abstulit præsegmina.

Tibullus Eleg. IX. lib. I.

C *Quid fuco splendente comas ornare? Quid vngues*
Artificis docta subsecuisse manu?

Plutarchus in Bruto; λαβοῦσα μαχαίριον, ᾧ τοὺς ὄνυχας οἱ κουρεῖς ἀφαιροῦσι. Describitur hoc μαχαίριον Epigr. XXXVI. lib. XIV.

QVADRA *placenta*] Erant & placentæ quadratæ. κολλάβους quidam è Græcis appellarunt. Aristophanes in Ranis,

πλακοῦντας ὤπτα κολλάβους.

Vbi Scholia: τοὺς ἄρτους λέγει τοὺς ἐοικότας τῷ πλάσει τοῖς κολλάβοις τῆς κιθάρας. οἱ δὲ εἶδος πλακοῦντος τετραγώνου, ἢ ἄρτου μικροῦ. Sic etiam *quadra panis*, propter quadratos panes. Seneca lib. IV de Benef. cap. XXIX. *Quis beneficium dixit, quadrampanis, aut stipem æris abiecti, aut ignis accendendi factam potestatem?* Quadratus panis, ἐντομὰς ἔχων. Athen. lib. III. βλωμιαίους τινὰς ἄρτους ὀνομάζεσθαι λέγει,
D τοὺς ἔχοντας ἐντομάς, οὓς Ῥωμαῖοι κοδράτους λέγουσι. Istas quadras fortasse alludebat Iuuenalis;

—— Miserum est aliena viuere quadra.

Vulgo aliter accipiunt.

AD EPIGR. LXXVII.

VT *quid enim Bætice saprofagis*] Nam è fœdo & horrido illo, quem heic notat, morbo minime humano stomachi infirmitas contrahitur, quæ eiusmodi fœtibus curabatur. Eodem pertinet Ammiani Epigr. in Anthologia:

Οὔτε ὁ τῆς ἀρετῆς ἀδάμας θρίξ, οὔθ' ὁ παλαιὸς
Πᾶσιν ἐπαινούμενος, οὔθ' ὁ γεγηρακώς,
Καὶ πώγωνα τρέφων ἐάλω. τί γὰρ ἐς ἀφροσύνης εἴπω;
Ἀλλ' ἑάλω τοιῶν ἔργα κακοστομάχων.

AD EPIGR. LXXX.

LINGVÆ *te tamen esse mala*] Allusit Minutius Felix in Octauio: *Apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas: qui medios viros lambunt, &c. homines mala lingua, etiamsi tacerent.* Sic κακὰ γλῶσσα Græcis, maledica. Æschrion apud Athen. lib. viii.

> λοιγὸν τί πεπαίνυσα, ἢ κακὴ γλῶσσα
> ἔχειν ἔφην, ὅσα ἐχείρει.

AD EPIGR. LXXXII.

Describitur hoc Epigrammate homo superbe mollis, ac diuitijs insultans, qualem Trimalchionem suum describit Petronius. Imaginem fere similem habes apud Athenæum lib. vi. in Paphii regis adolescentuli descriptione. Horum hominum vitam ὑγρὸν βίον à Græcis esse appellatam docet eod. lib. Athen.

IACET *occupato galbanatus in lecto*] Athenæus: κατέκειτ' δὲ ... ἐπὶ ἀργυρόποδος κλίνης, ... Σαρδιανῇ ψιλοτάπιδι τῇ τῶν πολυτελῶν, &c.

OCCVPATO] Quem ipse iam occuparat, antequam cæteri sederent, ijs etiam, qui nondum venerant, non expectatis; quod de Demetrio Pompeij liberto scribit Plutarc. de quo paulo post.

GALBANATVS] Galbana indutus, vt Trimalcio. Iuuenal. sat. ii.

> *Cærulea indutus scutulata, & galbana rasa.*

Vnde & *Galbani more*, sup. lib. i.

CVBITIS *trudit hinc & inde conuiuas*] Athenæus: ... γὰρ τῷ ... κολακεύειν, καὶ τι χαμαὶ τῶν κολακευομένων ἐπακολουθοῦν ἀποπλανᾶται, ... καὶ παραρρίπτει ἑαυτὸν εἰς τραπέζας. ὅθεν αὐτῶν οἱ μὲν ... οἱ δὲ ... καλοῦνται.

EFFVLTVS *ostro*] Athenæus: ... ἁλουργοῦ ἀμφιέσματι. Val. Flaccus lib. ii. Argonaut.

> ——*Tyrios vibrat toruus igneus ostro.*

Seneca lib. de vita beata: *Nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum; quod purpura conuiuis meis substernetur.* Vide Plin. lib. ix. cap. xxxix.

SERICISQVE *puluinis*] Athenæus: προσκεφάλαια δ' εἶχε ... ὑπὸ τι ... παρακλιθῇ, δι' ὧν ἠμφιέσατο κάλυμμα. Petronius: *In his eramus lautitijs, cum ipse Trimalcio ad symphoniam allatus est, positusque in ceruicalia minutissima expressit imprudentibus risum.* Ergo & ceruicalibus, siue puluinis, iisque mollissimis in triclinio vtebantur. Vnde & μαλακῶς κατακεῖσθαι. Theopompo Ἐπινοίᾳ ... κατακείμενοι ... ἐπὶ τρικλινίῳ ... Et κλίνη μαλακὴ Xenophani Colophonio,

> ... παρὰ πυρὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν χειμῶνος ἐν ὥρῃ,
> ἐν κλίνῃ μαλακῇ κατακείμενον ἔμπλεον ὄντα
> πίνοντα γλυκὺν οἶνον, ὑποτρώγοντ' ἐρεβίνθους.

Sed graphice Plutarchus vbi Demetrij ... describit in Pompeio. λέγεται γὰρ ὅτι πολλάκις ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς τοῦ Πομπηΐου περιμενόντων, ἢ δεχομένων τοὺς ἄλλους, ἐκεῖνος ἤδη κατέκειτο σοβαρὸς ἔχων δι' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον.

STAT *exoletus*] Signate. Ministri & pocillatores *stare* dicuntur. Gracchus apud A. Gellium, lib. xv. cap. xii. *Nulla apud me fuit popina, neque*

A *pueri eximia facie stabant.* Nam pocillatores exquisita forma conquirebant, vt notum.

PINNAS *rubentes*] Nam pinnis excitabantur ad vomitum. Vnde Aristophan. Acharn.

> —— φέρε τοῦ ἀπὸ τοῦ κράνους μοι τὸ πτερόν.
> Λα. τοῦτί πτίλον ... Δι. τῆς κεφαλῆς τοῦ μου λαβοῦ ἵν' ἐξεμέσω. βδελύττομαι γὰρ τοὺς λόγους.

Vbi Scholia: πτερὸν αἰτεῖ ἵν' ἐξεμέσῃ. εἰώθασι γὰρ οἱ δυσπεπτοῦντες πτερῷ χρῆσθαι. Sueton. in D. Claudio; *Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens. & vt statim supino, ac per somnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum.* Sic gulosissimi quique vomitu sese exonerabant. Idem Sueton. in Vitellio, *Sed & vel præcipue sæuitiæ, luxuriaque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas, comessationesque, facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.* Xiphilinus

B in Seuero: ὁ δὲ Πλαυτιανὸς ἀσωτότατος τῶν ἀνθρώπων γενόμενος, ὥστε καὶ ἐμφορεῖσθαι ἅμα καὶ ἐμεῖν, ἐπεὶ μηδὲν ὑπὸ τοῦ πλήθους ... τι ... καὶ τὰ σιτία ... ἐδύνατο. *Plautianus omnium intemperantissimus, & ingluuiei deditissimus, ita vt simul pasceret & vomitaret, quod præ ciborum & vini copia concoquere non posset.* Seneca Consolat. ad Albinam, cap. ix. *Vomunt vt edant, edunt vt vomant epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Philo in Flaccum: πολὺ γὰρ ἄκρατος, καὶ ὀψοφάγα, καὶ θερμολουσίαι τε ἄκαιροι, καὶ ἐμετοί, καὶ αὖθις πάλιν οἰνοφλυγίαι, καὶ ἐπεγείρει γαστριμαργίαι. B. Hieronymus li. ii. aduersus Iouinianum: *Vnde & morbi ex saturitate nimia irritantur, multique impatientiam gulæ, vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt.* Sed perditissima illa vomen-

C di consuetudo, quam notat Plinius lib. xiv. cap. xxii. *Iam vero alios lectum expectare non posse, imo vero nec tunicam, nudosque ibi protinus & anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plene infundere, vt statim euomant, rursusque hauriant, idque iterum, tertioque, tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam illa effundi non possint, nisi per humanum corpus.*

DIGITI *crepantis*] Belli illi homines solo digitorum crepitu matellam poscebant. Martialis noster lib. xiv. de Matella fictili.

> *Dum poscor crepitu digitorum, ac verna moratur:*
> *O quoties pellex culcita facta mea est.*

Vide & epigr. lxxxix. lib. vi. Sed Eunuchi peculiariter huic ministerio attributi. Petronius: *Cum has miraremur lautitias, Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.*

D FLABELLO] ψύγμαν. Vide Athenæum ibidem.

PERCVRRIT *agili corpus arte tractatrix*] Athenæus: ὁ μὲν εἰς ἐπὶ τῆς κλίνης πρὸς τοῖν ποδοῖν καθίσας ... τὼ μειρακίου πόδας ἐπὶ τοῖς αὐτοῦ γόνασι ... ἀνατρίβων ... ὁ δὲ ἕτερος ... καὶ μὴ λέγεται ... &c.

AD EPIGR. XCI.

SEMIVIRO *cum grege*] Valer. Max. lib. vii. cap. vii. *Appellatus Mamercus à Surdino, cuius libertus Genutium heredem fecerat, Prætoriam iurisdictionem abrogauit: quod diceret Genutium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere.* Lactant. lib. i. cap. xxi. *Non minoris insania iu-*

dicanda sunt publica illa sacra, quorum alia sunt Matris Deûm, in quibus homines suis ipsi virilibus litant: Amputato enim sexu nec viros se, nec fœminas faciunt. Mamertinus Paneg. *Sed spadones quoque, quos quasi à consortio humani generis extorres, ab vtroque sexu aut naturæ origo, aut clades corporis separauit.* Sic Artemidorus lib. II. cap. LXXIV. spadonas ait φυσὶ μόνη ἐν ἀνδράσι, μήτ' ἐν γυναιξὶν ἀριθμεῖσθαι. Prudentius in Martyrio Romani:

Vterque sexus sanctitati displicet,
Medium retentat inter alternum genus,
Mas esse cessat ille, nec fit femina.

STERILES *viri*] Atys apud Catullum:

Egone Deum ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, Ego mei pars, Ego vir sterilis ero?

Quare dicat, *Ego mei pars*, clarum ex nota præcedente. Claudianus de Europio Consule Eunucho. ——*Quid fertile terris?*
Quid plenum sterili possit sub Consule nasci?

PLVTEO *vindice*] Sueton. in Calig. *Et cœnanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est.*

AD EPIGR. XCII.

VT *patiar mœchum, rogas vxor, Galla, sed vnum*] De more seculi. Seneca lib. III. de benef. A cap. XVI. *Infrunita & antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari vnius adulterium.*

AD EPIGR. XCIII.

CVM *te lucerna balneator*] In balneis sæpe stabant meretrices. Lampridius in Heliogabalo. *Omnes de circo, de theatro, de stadio, de omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quasi militarem, dicēs eas commilitones, &c.* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Tales vbi comitantibus singulos quinquaginta ministris tholos introierint balnearum, vbi vbi sunt, minaciter clamantes, apparuisse subito ignotam compererint meretricem, aut oppidanæ quondam prostibulum plebis, vel meritorij corporis veterem lupam, certatim concurrunt, palpantesque aduenam deformitate magna ita extollunt, vt Semiramim Parthi, &c.*

B VSTORQVE *tedæ*] Gloss. *Vstor*, νεκροκαύστης. *Vstrina*, καύστρα νεκρῶν. Lucanus lib. VIII.

Da vilem Magno plebei funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes:
Robora nec desint misero; nec sordidus vstor.

Robora dicit, quæ in plebeiorum & viliorum personarum rogis; Nam in alijs pinus, cupressi, & arbores bene olentes.

DESIDERII HERALDI

ANIMADVERSIONES

AD LIBRVM IV. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPIGRAMMA. I.

HIc *celat redeunt. secula*] Nā A Domitianus ludos seculares celebrauit. Suetonius: *Fecit & ludos seculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat.* De his ludis nos alibi.

Sacra *Terentus habet*] Somniat hîc Commentator. De Terento, vbi ludi seculares celebrari, vide Festum, & Val. Max. lib. ii. cap. iv. Dicit autem Martialis, *Sacra Terentus habet*, quia ante ludos Terenti sacrificabant. Val. Maxim. *Hoc postquam Valesius nuntiante seruo accepit, omisso emendæ aræ proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furua dicebantur, Terenti immolauit; ludos & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit. Cuius exemplum* B *Valerius Poplicola, qui primus Consul fuit, &c.*

AD EPIGR. II.

Nigris *m. H. lacernis*] In togis enim spectabant, non in lacernis, nisi pluuiali tempore. Vnde obscœnum omen ante Commodi mortem apud Ælium Lampridium. *Ipse autem prodigium non leue sibi fecit. Nam quum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit: Et contra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, non togatos, ad munus conuenire, quod funeribus solebat, in pullis vestimētis præsidens.* Sed de hac re alij.

Candidvs *sederet*] Quippe togatus.

AD EPIGR. III.

Indvlget *tamen ille Ioui*] Sueton. in Domitiano: *Edidit nauales pugnas pene iustarum classium, effosso, & circumstructo circa Tiberim lacu: atque inter maximos imbres perspectauit.* Nihil autem mutandum in ijs quæ sequuntur. Imbres, inquit, etiam contemnit, ne capite quidem, vt eos excutiat, aut declinet, moto.

Qvi *siccis*] Lego cum interrogatione,

Quis siccis lasciuit aquis, & ab æthere ludit?

AD EPIGR. IV.

Lassi *Bardiacus*] In prioribus editionibus legitur, *Lassi bardiaci os quod euocati.* Rescripsit doctiss. Turnebus, *Bardaici* pro *Bardiaci*. Iunius legit, *Lazi bardiacus quod euocati*, & *Bardiacum* esse dicit *lirinam, & pinguem lacernam, olidumve cucullum barbari militis.* Quod quidem affirmare facilius est, quam confirmare. Si quid mutandum est in veteri lectione, *Lassi bardaici os, &c.* præter Turnebi correctionem, legerem *Lassi bardaicus quod, &c.* Nam pro *Bardiacus*, quod legitur in quibusdam exemplaribus, rescribendū omninò existimo *Bardaicus*, quemadmodum pro *Bardiaci* reponendum existimauit Turnebus *Bardaici*, à bardis cantoribus, & sacrificulis Gallorum non ignotis. *Bardaicum* autem accipio pro Bardocucullo. Iul. Capitolinus in Pertinace: *Vestis in subtegmine serico aureis filis insignior, per tunicas penulasque, lacernas & chirodotas Dalmatarum, &c. & cuculli bardaici.*

B Qvod *ieiunia sabbatariorum*] Hæc ieiunia ab alijs notata. Augustus apud Sueton. *Nec Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium seruat, quam ego hodie seruaui.* Iustinus Martyr epist. ad Diognetum. ἀλλὰ μὴν τό γε περὶ τὰς βρώσεις αὐτῶν ψοφοδεὲς, καὶ τὴν περὶ τὰ σάββατα δεισιδαιμονίαν, καὶ τὴν τῆς περιτομῆς ἀλαζονείαν, καὶ τὴν τῆς νηστείας καὶ νουμηνίας εἰρωνείαν καταγέλαστα, καὶ οὐδενὸς ἄξια λόγου, νομίζω σε χρῄζειν παρ' ἐμοῦ μαθεῖν. Quare & sospitator noster Iesus Christus notauit in ijs τὸν ἀφανισμὸν τῶν προσώπων ἐν ταῖς νηστείαις. Huc olim referebam Luciani locum περὶ ἑβδομαίων πραγμάτων, quod quum obseruassem inuenti sunt alij qui errorem meum sibi vindicarint; qua quidem de re nullo interdicto cum ijs vnquam contendam.

C Qvod *sp. moriens l. Ledæ*] Quare Ledæ locus heic esse debeat, non video. Rescribo igitur *tedæ*. Neque dubium quin deficiens teda spurca graueolens sit. Si vera esset lectio Ledam acciperem pro meretrice, cuius alibi meminit Martialis. Nam scimus meretrices ad lucernas prostare solitas, quippe de nocte. Vnde *Nonariæ* appellantur à Persio. Iuuen. satyr. vi.

Et lassata viris nondum satiata recessit,
Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ.
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

Horat. sat. vii. lib. ij. *——acru vbi me*
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quæcunque excepit.

Quare & *Olidum fornicem* dixit Iuuenalis, quemadmodum Horatius *Olentem*, satyr. ij. lib. i.

——— Sunt qui nolint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste.
Contra alius nullam, nisi olēti in fornice stantem.

Seneca Controu. ij. lib. i. *Redoles adhuc fuliginem fornicis.* Hæc scripseram, cùm ad me allatus est Martialis Argentinæ excusus, in quo notauit Iunius in quibusdam exemplaribus esse *teda* pro *Leda*.

AD EPIGR. V.

PLAVDERE *nec Cano*] Citharœdi enim, cùm placebant, plausu excipiebantur. Suetonius in Vitellio, *Ac solenni conuiuio citharœdum placentem, palam admonuit, vt & aliquid de Domitio diceret, inchoantique Neroniana cantica, primus exultans etiam plausit.* Plutarc. lib. ij. de Fort. Alexandri. ὁ γὰρ τῶν Σκυθῶν βασιλεὺς Ἀντέας, Ἰσμηνίαν τὸν αὐλητὴν λαβὼν αἰχμάλωτον, ἐκέλευσε παρὰ πότον αὐλῆσαι. θαυμαζόντων δὲ τῶν ἄλλων καὶ κροτούντων, αὐτὸς ὤμοσεν ἀκροᾶσθαι τοῦ ἵππου χρεμετίζοντος ἥδιον. B *Scytharum rex Anteas, cum Ismeniam tibicinem bello cepisset, eum in conuiuio tibia canere iussit: cumque mirarentur ceteri & exultantes plauderent, iurauit ille equum se hinnientem audire lubentius.* Sed nescio quo plausu, & crepitu, canentem, ἤχουν τὸν αὐλοῦντα ἢ κιθαρίζοντα, saltatoremque iuuabant homines aliquando huic officio assignati. Lucianus Dialogis meretricijs. ἤδη δὲ προκεχειρισμένος τῷ πότῳ, ἐγὼ μὲν ἐπικρεκον τὸ τῆς Λυδίου, ὁ γεωργὸς δὲ ἤδη ἀναστὰς ὠρχήσατο. ἡ Κροκάλη δὲ ἐκρότει. καὶ πάντα ἦν ἡδέα. ἐν τούτῳ δὲ, κτύπος ἠκούετο, καὶ βοὴ, καὶ ἡ αὔλειος ἠράττετο. Ferreis calceamētis terrā quādoq; pulsabant. Idē Lucianus περὶ ὀρχήσεως. ἐκεῖ γὰρ τὸν τῷ σιδηρῷ ὑποδήματι ἐκτυποῦντα τὴν ἐσθῆτα κατέρρηξεν, ἐκεῖ δὲ τὸν ὑποκρουόντων τὸν αὐλὸν ὀρχήσεις &c. C Vnde Suet. in Caligula: *Saltabat autem nonnumquam etiam noctu, & quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitos, multaque & extrema metuentes super pulpitum collocauit: Deinde repente magno tibiarum & scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desultato cantico abijt.* Sed & spectatores ἐκρότουν: quod in priuatis αὐλήσεσι factum iam ostendimus: sed & in publicis ὀρχήσεσι. Ouid. lib. i. κακοτεχνίας.

Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco,
Ludius æquatam ter pede pulsat humum:
In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo prædæ signa petenda dedit.

Lucianus περὶ ὀρχήσεως. εἶτα γὰρ τοῦτό μοι τὸ λοιπὸν ἦν, D ἐν βαθεῖ τούτῳ πώγωνι, καὶ πολιᾷ τῇ κόμῃ, καθῆσθαι μέσον ἐν ταῖς γυναιξὶ, καὶ τοῖς μεμηνόσιν ἐκείνοις θεαταῖς, κροτοῦντά τε προσέτι, καὶ ἐπαίνους ἀπρεπεστάτους ἐπιβοῶντα ὀλεθρίῳ τινὶ ἀνθρώπῳ εἰς οὐδὲν δέον κατακλωμένῳ. Ex his omnibus intelligendus Plinius ep. xiv. lib. ij. *Plausus tantum, ac potius sola cymbala, & tympana illis canticis desunt: Vlulatus quidem, (Neque enim alio vocabulo potest exprimi) theatris quoque indecora laudatio large supersunt.*

VOCE *citare reos*] Seneca lib. i. de Tranquill. vitæ, cap. xiv. *Ludebat laterunculis, cum centurio agmen periturum trahens, & illum quoque citari iuberet. Vocatus numerauit calculos, & sodali suo: Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse.* Præconem igitur designat Martialis, à quo citabantur rei. Tit. Liuius lib. xxviij. *Præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio.* Et lib. A xxxviij. *Nec cum ijs, præter seruilem comitatum, & præconem, qui reum ex rostris citabat, quisquam esset.* Eusebius lib. vij. hist. Eccl. cap. xv. ὡς δὲ ἐκεῖθεν ἐπακηκοότα αὐτὸν, κῆρυξ ἰδίᾳ καλῶν πρὸ τοῦ δικαστηρίου.

VENDERE *nec vanos*] Hic locus a viris doctis pridem est explicatus. *Venditare* in eadem re vsurpauit Sidonius Apollinaris. *Sed neque ex illo, vt ferunt, numero, qui secreta dirigentium Principum venditantes, ambiunt à barbaris bene agi cum legato potius, quam cum legatione.* Sic ἀποδίδοσθαι Græcis. Nam ita accipiendus hic Xiphilini locus in Adriano. οὐ μέντοι οὐδ' ὑβρίσθη τις, οὔτ' ἀπέδοτό τι ὧν ἔλεγεν, ἢ ἐποίει, οἷα ὅσα Καισάρειοι καὶ οἱ ἄλλοι οἱ περὶ τοὺς αὐτοκράτορας ὄντες ποιεῖν εἰώθασι. *Neque tamen quisquam insolenter se gessit, aut quidquam eorum quæ diceret aut faceret imperator, venditauit, qualia solent & Cæsariani, & ceteri qui circa Imperatores sunt.* Proprie autem heic fumus, vt notarunt alij: Quare & Θεαγένης insignis Athenis καπνός appellatus, quia πολλὰ ὑπισχνούμενος, οὐδὲν ἐτέλει, vt B obseruat Aristophanis Scholiastes in Auibus.

AD EPIGR. VI.

IN *Stellæ recitat*] Hoc intelligi volunt de Stellæ puero quodam formoso, qui Domini versus recitare, & assidue cantillare soleret. Sed ego existimo poëtam aliquem notæ improbitatis hîc perstringi. Nemo enim ignorat solitos poëtas, & alios scriptores, qui ædes aut angustiores, aut viliores haberent, in alienis ædibus ornatioribus, & amplioribus scripta sua recitare. Exempla passim obuia apud Iuuenalem, & alios. Nec ædes alienas mutuabantur solum, verum & auditorium exstruebant & instruebant, conductis subsellijs, C &c. Iuuenalis sat. vij.

Nemo dabit Regum quanti subsellia constent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.

Huius incommodi meminit & auctor Dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ: *Nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit.*

AD EPIGR. VIII.

AMBROSIAS *dapes*] Sic alibi idem de iisdem Imperatoriis epulis. Eodem modo *Diuinæ epulæ* C. de Comit. & Trib. schol. vt recte rescripsit magnus Cuiacius.

AD EPIGR. X.

SPONGIA] Sueton. in Augusto: *Nam Tragœdiam magno impetu exorsus, non succedente stylo aboleuit: quærentibusque amicis quidnam Aiax ageret, respondit, Aiacem suum in spongiam incubuisse.* Idem iocus exstat & apud Macrob. lib. ij. Satur. cap. iiij. Idem Sueton. in Calig. *Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia, linguaue delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.*

AD EPIGR. XIII.

MASSICA *Theseis*] Vinum enim fortius & asperius admisto melle temperabatur. Virg. lib. iv. Georg.

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum

Et liquida, & durum Bacchi domitura soporem. Vide & Horat. sat. ij. & iv. lib. ij. Vnde cognosces falli eos, qui heic mulsum à Martiale significari putant.

AD EPIGR. XIIII.

CEDERE *cogis Afr.*] Eadem figura Horatius sat. vlt. lib. I.

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput.

Theophrastus περὶ λογοποιίας. οἱ δ' ἐν τῇ στοᾷ πεζομαχίας καὶ ναυμαχίας νικῶντες, ἐρήμους δίκας ὠφλήκασι. T. Liuius lib. xliv. *In omnibus circulis, atque etiam, si Dijs placet, in conuiuijs, sunt, qui exercitum in Macedoniam ducant; ubi castra locanda sint, sciant, &c.* Sed eleganter Alexander apud Lucianum de conscribenda historia, vbi Aristobulum historicum, qui Alexandri cum Poro μονομαχίας descripserat, adfictis, quæ ille ad Alexandrum maxime ornandum necessaria existimabat, castigat; καίτοι δὲ οὕτως ἐχρῆν, ὦ Ἀριστόβουλε, τοιαῦτα ὑπὲρ ἐμοῦ μονομαχοῦντα, καὶ ἐλέφαντας ἐν ἀκοντίῳ φονεύοντα, &c.

AD EPIGR. XVIII.

VIPSANIS *columnis*] Vipsanæ porticus meminit etiam Plutarc. in Galba. τῷ δ' ἱππείου τέρμαντος ἐν τῇ καλουμένῃ παστάδι Βιψανίᾳ φροντισθέντες. Porticus est à M. Vipsanio Agrippa constructa.

AD EPIGR. XXI.

PROBATQVE *quòd se*] Sic impij quique iudicare solent, non expectantes donec Ixion rotæ affigatur. Cic. lib. iij. de Nat. Deorum. *Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viueret. Dionysius, de quo ante dixi, cum fanum Proserpinæ Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: isque cum secundissime cursum teneret: Videtisne, inquit, amici, quam bona à Dijs immortalibus nauigatio sacrilegis detur?*

AD EPIGR. XXVIII.

SCYTHAS *smaragdos*] Scythicos. Sic σκύθην εἰς οἶμον. Æschylus.

NVDAM *te statuet*] γυμνήν σε καταστήσει. De hoc loquẽdi genere dixi in Animaduersionibus ad Iamblichum, quas edidi pene puer. Locum correxi cap. ij. lib. I. de vita Pythagoræ, ἀποσημαίνοντος τῇ Παρθενίδι ὅτι μεγίστας τὸν Ἀπόλλω, καὶ κινοῦσαν αὐτὴν ὅτι μὴ οὕτως ἐχούσης καταστήσει τι, &c. Ediderunt typographi κινοῦσαν. Sed quod cap. iv. rescribere volui apud Marinum Neopolitanum, μεθ' ἡμέρας, pro μεθ' ἡμέραν, peccatum est hominis somniantis, & aliud agentis.

AD EPIGR. XXX.

SACRIS *piscibus*] *Sacros* dicit *pisces*, quos postea *dedicatos*. Notum ex Athenæo lib. vii. solitos olim consecrari pisces, quemadmodum & greges, siue (vt verbis Eustathij vtar) ἀγέλας ὅλας ἱερῶν ζώων. de quibus etiam Suetonius in Iulio Cæsare. Sed in fanis præcipuè, & locis contiguis sacra animalia alebantur. Lucianus lib. de Dea Syria. ἔστι δὲ καὶ λίμνη αὐτόθι, οὐ πολλὸν ἑκὰς τοῦ ἱροῦ, ἐν τῇ ἰχθύες ἱροὶ τρέφονται πολλοὶ, καὶ πολυειδέες. γίγνονται δὲ αὐτῶν ἔνιοι κάρτα μεγάλοι. οὗτοι δὲ οὐνόματα ἔχουσι, καὶ ἔρχονται καλεόμενοι. ἐπ' ἐμέο δέ τις ἦν ἐν αὐτοῖσι χρυσοφορέων. ἐν τῇ πτέρυγι δὲ ποίημα χρύσεον αὐτέῳ ἀνακέατο. Horum piscium meminit & Plinius lib. xxxii. cap. ii. *Hierapoli Syriæ in lacu Veneris æditnorum vocibus parent vocati, exornati auro veniunt, adulantes scalpuntur, ora hiantia manibus inserendis præbent.* In pluribus Cæsarum villis pisces eiusmodi seruatos idem ibidem testatur. Athenæus lib. viii. ἐγὼ δὲ ἐν τῇ κατὰ Χαλκίδα Ἀρεθούσῃ τεθέαμαι, ἴσως δὲ καὶ ὑμῶν οἱ πλεῖστοι, κεστρεῖς χειροήθεις, καὶ ἐγχέλεις ἐνώτια ἐχούσας ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ, λαμβανούσας τε καὶ λαμβάνοντας παρὰ τῶν προσφερόντων τροφὰς, ἔτι ἀπὸ τῶν ἱερείων σπλάγχνα, καὶ τυροὺς χλωρούς. *Ego vero vidi, fortasse & vestrum plurimi in Chalcidis Arethusa, cestreos manu factos. & anguillas aureis & argenteis inauribus decoratas, cibos ab offerentibus accipientes, victimarum exta scilicet, & musteum caseum.* Sic enim explicandus hic locus, non vt vulgo. Non dubium autem quin ipse lacus, vbi hi pisces dedicati, sacer esset. Consecrabantur enim & illi, & ab ijs cymbæ arcebantur. Plin. lib. viii. epist. xxi. de Vadimone lacu. *Nulla in hoc nauis. (Sacer enim est) sed innatant insulæ herbidæ, omnes arundine, & iunco textæ.* Apud Petronium anus sacrificula, & superstitiosa *anseres sacros* asseruat. *Vix ad casæ ostiolum processeram, cum ecce tres anseres sacri, qui, vt puto, medio die solebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt.* Anseres hosce sacros, *publicos* posteà appellat. *Et ipsa flere vehementius cœpit, meique misereri, tanquam patrem meum, non publicum anserem occidissem.*

QVID *quod nomen habet*] Eadem Lucianus & Plinius locis modo citatis.

CALAMO] Lucianus Διὶ ἐλεγχομένῳ. ὡς καὶ αὐτὸν σε ἀνασπάσαντα ἠωρῆσθαι ἐκ τοῦ ἀγκίστρου, καθάπερ οἱ ἁλιεῖς ἐκ τοῦ καλάμου τὸ ἰχθύδιον.

CALAMO *tremente*] Sic *Tremula arundo* Ouidio.

Hos aliquis tremula dum captat arundine pisces,
Vidit.

ROGATORES] *Rogator* Martiali προσαίτης. Sic *Rogare stipem.* Seneca Controu. IIII. lib. x. *Stipem rogant, & vnius misericordia viuunt, omnium aluntur. Erogare stipem* dixit Apul. I. & vii. Miles. αἰτεῖν Græcis, προσαιτεῖν, & μεταιτεῖν: Item ἐπαιτεῖν, & plenius βίον ἐπαιτεῖν apud Euripidem, *demander sa vie.*

IACTIS *simplicibus cibis*] Quibusdam enim donis animalia eo modo dedicata, aut religiosa decorabant. Plin. epist. xxxiii. lib. ix. *Incredibile (Tam verum tamen quam priora) Delphinum collusorem, gestatoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum, vbi incaluisset, in mare reuolui. Constat Octanium Auitum, legatum Proconsulis, in littus educto religione praua superfudisse vnguentum, cuius illum nouitatem, odoremque in altum refugisse.* Vide & Plin. auunculum lib. ix. cap. viii. Delphina igitur venerabantur, vt piscem sacrum, & dijs charum. Quare & alijs eum honoribus prosequebantur, vt florum, coronarum, & cæterorum eiusmodi ornamento. Vnde lib. iij. Anthol.

Κύμασι καὶ τρηχύς με κλύδων ἐπὶ χέρσον ἔσυρεν
Δελφῖνα, ξυνῆς κοινὸν ὅρμισμα τύχης.

Ἀλλ' ἐπὶ

Ἀλλ' ἐπὶ μὲν γαίης ἱλίῳ πόνος. οἱ γὰρ ἰδόντες
Εὐθὺς πρὸς τύμβον μ' ἔσφερον ἐσθλίης.

Sed & res alias quanquam ἀψύχους Dijs consecratas donis onerabant. Vide Apul. Milef. xi. de naui Isidi dedicata.

AD EPIGR. XXXI.

IMPOSITVM *mater*] Alter parentum nomen infanti imponebat. Quandoque honoris gratia alicui ex amicis nominis imponendi dignatio concedebatur. Constat ex Suetonio in Nerone.

AD EPIGR. XXXIII.

TEMPVS *erat iam te Sosibiane legi*] Id est, iá debebas elatus esse; Tempus erat decessisse te, & ossa tua esse lecta. Nam ossilegium profecto videtur alludere.

AD EPIGR. XXXVII.

EX *insulis*] Notum sub Imperatoribus quasuis ædes locatitias *Insulas* appellatas fuisse. Glossæ, *Insula*, νῆσος συνοικία. aliæ, ἐνοικιολόγος, *Insularius*, ὁ τὸ ἐνοίκιον ἐκλεγόμενος, pensionum flagitator & collector. *Domini insularum* Suetonio dicuntur locatores, si bene memini.

AD EPIGR. XXXIX.

VETERES *Myronis artes*] Præclari illi artifices operibus suis nomen insculpebant suum. Seneca lib. I. de Tranq. vit. cap. I. *Placet minister incultus, & rudis vernula, argentum graue rustici patris, sine vllo opere & nomine artificis.* Idem Consolat. ad Albinam, cap. XI. *Si desiderabit aureis fulgentem vasis supellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, as paucorum insania pretiosum,* &c. Eleganter & apposite Phædrus, fabularum lib. v.

Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo
Si marmori adscripserunt Praxitelem, suo
Detrito, &c.

AD EPIGR. XLII.

SIT *niue candidior*] Sic frequentissime. Et ita Græci. Matron ὁ παρῳδός,

Οὗ δὴ καλλίστας ἄρτους ἴδον ἠδὲ μεγίστους,
Λευκοτέρους χιόνος, ἰδεῖν δ' ἀμύλοισιν ὁμοίους.

AD EPIGR. XLIII.

TEMERARIVS, *nec audax*] Vides distingui Temerarium ab Audaci. Distinxerunt & alij. T. Liuius lib. xxv. *Ob hoc cùm omnia neglecta apud hostes essent, exploratis ijs, Martius ad consilium prima specie temerarium magis, quàm audax, animũ adiecit, vt vltrò castra hostium oppugnaret.*

AD EPIGR. XLVI.

ET *l. var. mappa clauo*] Mappam laticlauiam appellat Petronius. *Pallio enim coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste ceruices laticlauiam immiserat mappam, fimbrijs hinc atque illinc pendentibus.*

A CVM *bulbis, cochleisque*] Bulbi & Cochleæ sæpe coniunguntur. Petronius: *Mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine iure ceruicibus, hausi parcius merum.* Vide & Plin. lib. I. epist. XV. Græcis quoque idem palati genius, vt ita dicam. Alexis:

——πίννας, κάραβον,
Βολβούς, κοχλίας, κήρυκας, ᾠά, ἀκροκώλια,
Τοιαῦτα τούτων αὖ τις εὕροι φάρμακα.

Theocrit. idyll. XIV.

Βολβός τις κοχλίας ἐξηρέθη· ἦν πίνος ἁδύς.

Legendum fortasse, βολβὸς ᾗ κοχλίας. Scholia legerunt, βόλβος κοχλίας. Notant enim, βολβός, εἶδος βοτάνης ὁμοίας κρομμύῳ κολχικῷ.

AD EPIGR. XLIX.

CRVDE *Thyesta*] ὠμέ. Ouidius:

Non tibi Theromedon, crudusve negabitur Atreus.

B

AD EPIGR. LIII.

INTER *penetr. nostra Pallados*] Nam Cynicorum hominum ἀοίκων & ἀστέγων habitationes in templis sæpius. Diogenes ipse Cynicorum κορυφαῖος οἰκίας ἐχρῆτο ταῖς πόλεσι & ἐνταῦθα διῆγεν ἐν τοῖς ναοῖς τε & ἱεροῖς, vt scripsit Dio Chrysost. De eodem B. Hieronymus aduersus Iouinianum lib. II. *Habitauit autem in portarum vestibulis, & porticibus ciuitatum.* Plutarchus: τύχη, πενίαν ἐπιπλήσσεις; καταγελᾷ σου Μητροκλῆς, ὃς χειμῶνος ἐν τοῖς προβάτοις καθεύδων, ᾗ θέρους ἐν τοῖς προπυλαίοις τῶν ἱερῶν, τὸν ἐν Βαβυλῶνι χειμάζοντα, ᾗ περὶ Μηδίαν θερίζοντα Περσῶν βασιλέα περὶ εὐδαιμονίας εἰς ἀγῶνα προὐκαλεῖτο. *Paupertatem*
C *minitaris, fortuna? At ridet te Metrocles, qui cùm anni hyeme in ouilibus dormiret, æstate verò in templorum vestibulis, Persarum Regem Babylone hyemantem, & in Media æstatem traducentem prouocabat in certamen de beatitate.* Nempe hæc receptacula miserorũ. Quare Lycophron Pisistrati filius, quũ eum nemo recipere vellet, ἐξαναρπηρίων ἐν τῇ στοῇ ἐκαλινδεῖτο, ait Herodotus Musa III.

CVM *baculo peraque*] Hæc insignia, & veluti γνωρίσματα istorum philosophorum. Auson. epig. III. *Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex Ista fuit Cynici.* Herodianus in Commodo: πρίν τε λέγεσθαι ἢ πράττεσθαι ἐπὶ τῆς σκηνῆς, ἀνὴρ φιλοσόφου φέρων σχῆμα (βάκτρον γὰρ ἦν αὐτοῦ μετὰ χεῖρας, ἡμιγύμνου τε αὐτοῦ ὄντος πήρα) εἰσδραμὼν & στὰς ἐν μέσῃ τῇ σκηνῇ, &c. Lu-
D cianus, qui non vno loco horum Philosophorum τυφομανίαν ridet, huius quoque supellectilis passim meminit. Sic igitur Cynici baculo suo clauam Herculis imitabantur. Vnde Apuleius lib. IV. floridorum. *Eas omnes pestes mentibus exegit: (Crates scil. Diogenis sectator) familias purgauit: malitiam perdomuit: seminudus & ipse, & claua insignis: etiam Thebis oriundus, vnde Herculem fuisse memoria exstat.*

CVI *cana putrisque*] Coma putris nota infimarum sordium, quæ hominibus illis placuere θαυμαστὸν ὅσον. Vnde & colorem nigriorem affectarunt. Lucianus δικασπείοις. πολλοὶ γοῦν τὰς τέχνας ἀφέντες, ἃς εἶχον πως ἐπὶ πλεῖ πέραν αὔξοντες ᾗ τὸ πρόσωπον, & τὸ σῶμα πρὸς ἥλιον εἰς τὸ αἰθιοπικὸν ἐπιχρώσαντες, αὐτοσχέδιοι φιλόσοφοι ἐκ σκυτοτόμων ὁ πλεῖστον περιέρχονται. De hac autem coma plura in Digressionibus.

E

CERTA *quem nudum*] Seneca lib. IV. de Benefic. cap. XIII. *Sic illiteratum, non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum. Sic qui male vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.* Sic γυμνοὶ & ἡμιγυμνοὶ Cynici sæpe apud Arrianum, & alios. Quare ineptiunt qui heic *nudi* legi volũt. De grabato dicebamus ad epigr. xciij. lib. i.

AD EPIGR. LV.

LIBIDINOSÆ *Lacedæmonis*] Atqui tanta olim Lacedæmone pudicitia, vt nullæ de adulterio leges prioribus temporibus fuerint, vt testatur Plutarchus. Quare ergo libidinosa Lacedæmon? Si propter Helenam (vt vult Domitius) Martialis certe Laconum genti iniurius. Nam quæ ciuitas est tam notæ castitatis, vbi non insignis aliqua meretrix Helena lasciuior, & nata, & denata sit? Si quia Venus ibi colebatur, vt idem autumat, hoc epithetum generale est: & vbicumque Venus culta est, vrbs libidinosa diceretur. Sed libidinosa Lacedæmon (vt opinor) quia Veneri quasi consecrata, & peculiaris. Vnde Martialis noster epigr. XLIV. huius libri.

Hæc Veneris sedes Lacedæmone gratior illi.

Vel an ideo libidinosa Lacedæmon, quia puellæ οὐδὲν ἧττον τῶν κόρων nudæ exercebant, καὶ συναποδυόμεναι ὅλον ἐν τῷ βαδίζειν τὸν μηρὸν, vnde φαινομηρίδες Ibyco appellatæ? Sanè sapientes existimarunt in constituenda Laconum πολιτείᾳ non mediocriter aberratum ad feminas quod attinet. Leges enim viris rigidas ac seueras positas fuisse, mulieribus non item. Ζῶσι γὰρ ἀκολάστως πρὸς πᾶσαν ἀκολασίαν, & τρυφερῶς, ait Aristotel. lib. ii. Polit. cap. ix. Idem obseruabat Euripides in Andromacha:

——οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις
Σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
Αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους,
Γυμνοῖσι μηροῖς, & πέπλοις ἀνειμένοις,
Δρόμους, παλαίστρας, τ' οὐκ ἀνασχετὰς ἐμοὶ,
Κοινὰς ἔχουσι. κᾆτα θαυμάζειν χρεὼν
Εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε;

ARMORVM *Salo temperator*] Antea epigr. 50. lib. i. *Et Salo qui ferrum gelat.*

AD EPIGR. LVII.

ARGIVI *reg.*] Argiuum colonum Tiburtum appellat Tiburis conditorem. Horat. Od. vi. lib. ii.

Tibur Argæo positum colono
Sit mea sedes vtinam senectæ.

Ouidius quoque *Tibur Argæum* appellauit eleg. v. lib. iij. Amorum. Vide quod notamus infra ad epigr. LX.

ERGO *sacri fontes*] *Sacri fontes*; quia fontibus & fluuiis diuinitatem nescio quam assignauit rudis illa antiquitas. Vnde ἱεροὶ ποταμοὶ, διὰ τὸ ἀέναον, inquit Eustath. ad lib. ii. Odyss. Persæ non solum πυρολάτραι (vt eleganter appellantur à Theodoro Prodromo) sed & ὑδρολάτραι. Arnob. lib. vi. aduersus Gentes. *Ridetis temporibus priscis Persas fluuios coluisse, memorabilia vt indicãt scripta.* Herodotus Musa i. σέβονται δὲ ποταμοὺς μάλιστα· ἐς ποταμὸν δὲ οὔτε ἐνουρέουσι, οὔτε ἐμπτύουσι, οὔτε χεῖρας ἐναπονίζονται, οὔτε ἄλλον οὐδένα περιορῶσι, ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τῶν πάντων μάλιστα. Meminit & Agathias tom. ii. hist. γεραίρουσι δὲ ἐς τὰ μάλιστα τὸ ὕδωρ, ὡς μηδὲ τὰ πρόσωπα αὐτῷ ἐναπονίζεσθαι, μήτε ἄλλως ἐπιθιγγάνειν, ὅτι μὴ πίνειν ἕνεκα & τῆς φυτῶν ἐπιμελείας. *Aquam autem præcipuo cultu venerantur, ita vt neque faciem ea lauent, neque aliter attingant, nisi potus gratia, & ob plantarum curam.* Vnde & per ignem, & per

A aquam iurabant. Sidonius Panegyrico.

-- Magis iuratur ab illis
Ignis & Vnda Deus: necnon rata pacta futura.

Recte igitur, & è religionis suæ ritu Darius ἐν Πέρσαις, Xerxis filij sui fluminibus & mari vim inferre conati, ἀσέβειαν & audaciam accusat apud Æschylum ἐν Πέρσαις.

Παῖς δ' ἐμὸς τάδ' οὐ κατειδὼς ἤνυσεν νέῳ θράσει,
Ὅς τις Ἑλλήσποντον ἱρὸν, δοῦλον ὡς, δεσμώμασιν
Ἤλπισε σχήσειν ῥέοντα Βόσπορον ῥόον θεοῦ.

Vbi malè notat Scholiastes ἱρὸν dici Ἑλλήσποντον διὰ τὸ ἱδρῦσθαι αὐτόθι Διὸς ἱερόν. Sed manifestum Darium ibi loqui è ritu religionis suæ fluuios consecrantis. Elegans etiam in hanc sententiam epigramma Dioscoridis lib. iii. Anthol.

AD EPIGR. LX.

B ARBEA *solstitio*] Mutata consuetudine scilicet. Nam loca hæc anni hyeme colebantur, non æstate. Solstitium autem συνεκδοχικῶς pro Solstitio æstiuo. Sic vulgo. Vnde recte in gloss. *Solstitium*, ἡμέρα θερινή. Seneca lib. i. de Benef. cap. xij. *Nemo tam stultus est, vt monendus sit, ne cui gladiatores, aut venationem iam munere edito mittat, & vestimenta æstiua bruma, hyberna solstitio.* Solstitium hybernum brumam appellabant, quod omnino notum. Vnde Gloss. *Bruma* ἡμέρα χειμερινή. Solstitium autem appellabant, non vnicum illum diem, quo Sol in Cancro summus est; sed & dies, quibus accedit & recedit propinquiores; quemadmodum & Brumam non stationem illam Solis in Capricorno, sed & τὰ μεταξὺ ἔτη.

CVM *Tiburtinas*] Ditiores villas & prædia circa Tibur, aut in ipsa vrbe ædes habebant, quò

C æstate secedebant. A. Gell. lib. xix. cap. 5. *In Tiburte rus concesseramus hominis amici diuitis, æstate anni flagrantissima.* Prædia illa *Tiburtina* appellabant: quemadmodum *Tusculana*, quæ prope *Tusculum*. Vnde *Tusculanum* villa Ciceronis. Seneca lib. iv. de Benef. cap. xii. *Nemo Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus, salubritatis caussa, & æstiui secessus, quoto anno empturus sit, disputat; Cũ emerit, tuendum est.* Florus lib. i. cap. ii. *Tibur nunc suburbanum, & æstiua Præneste deliciæ nuncupatis in Capitolio votis petebantur.*

SARDINIA *est*] Nam Sardinia νοσερὰ τοῦ θέρους, vt ait Strabo. Caussam explicat Claudianus.

AD EPIGR. LXVI.

TOGVLA *est excussa*] Reponenda lectio, quam adferunt è veteri codice, *Togula est tibi sumpta.*

D Diebus enim festis tantum & solennibus togas & candidiores vestes sumebant in municipiis.

AD EPIGR. LXIX.

DICERIS *hac factus*] Pittacia affigebantur ceruicibus amphorarum, vbi vinum vetus seruabatur, quibus annorum numerus notabatur. Vnde *de meliori nota.* Petronius. *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in ceruicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo*, FALERNVM OPIMIANVM ANNORVM CENTVM. Iuuenalis satyr. v.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam, titulumque senectus
Deleuit multa veteris fuligine testæ.

Notabatur igitur patria cum ætate. Vnde *Falernum* apud Petronium. Deinde *Opimianum centum annorum.*

MASSICA *ponis*] Petronius: *Verum est, Vinum Opimianum præsto, Heri non tam bonum posui, & multò honestiores erant.* Ergo *Ponere vinum* proprie. Iuuenal. Sat. v.

Non eadem vobis poni modo vina queretur.

AD EPIGR. LXXIII.

STAMINA *pulla*] Contra Stamina alba, cùm vita protenditur. Iuuenalis satyr. XII.

——Postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares, & staminis albi
Lanificæ.

AD EPIGR. LXXIX.

DISCVRRIS *tota vagus esse*] Hoc genus hominum elegantissime describitur à Seneca lib. de Tranquill. cap. XII. Vide locum.

AD EPIGR. LXXXVI.

PRODAT *perspicuus*] Lucianus de mercenarijs; μόνος σὺ πονηρόν τινα καὶ παχὺ πίνεις, ἀργυρίῳ ἀεὶ ἐν ἀργύρῳ ἢ χρυσῷ πίνειν, ὡς μὴ ἐλεγχθείης ἀπὸ τοῦ χρώματος, οὕτως ἄτιμος ὢν συμπότης. *Tu solus malum nescio quod & crassum vinum bibis, dans operam vt argento aut auro bibas, ne ex colore paruus te esse pretij conuiuam cognoscant alij.*

AD EPIGR. XC.

LAVO] Lauare, Tondere, Vestire, & alia quæ- A dam ὡς παθητικά. T. Liuius lib. XLIV. *Lauanti Regi dicitur nunciatum, hostes adesse.* Quintil. lib. I. cap. VI. *At lauamus, & tondemus, & conuiuimus ex consuetudine.* Vestire eodem modo auctores frequentes posuerunt. Tit. Liuius lib. XXII. *Præda ingens parta est, & præter equos virosque, & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat: Nã ad vestiendum facto perexiguo vtique militantes vtuntur.* Tertull. de Pallio. *Sic & in proximo soror ciuitas vestiebat, & sicubi alibi in Africa, Tyros.* Eodem modo *Exercere*, ἀσκεῖν, & alia multa. Sed notandus hic Suetonij locus in D. Claudio; *Comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia Iudicum coronauit. Coronauit* ἐστέφανε id est, ἐστεφανώθη. Hellenismus. Appianus in Hispanica historia: τῆς δ' ἐπιούσης οἱ πρεσβύ- B τεροι, ἐστεφανωμένοι τε καὶ φέροντες ἱκετηρίας, τὸν Λούκουλλον αὖθις ἠρώτων τί ποιοῦντες ἂν εἶεν φίλοι. Et lib. v. Bell. ciuil. Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκπληρωθείσης τῆς θυσίας, στεφανώμενος ἐδέχετο σύμβολον νίκης. Plutarch. de Dæmonio Socratis: μὴ γὰρ ἐλευθέραις στεφανώσαιμο τὰς Θήβας, μηδὲ θυσίας ἐπὶ τοῖς θεοῖς, ἐφ' ὧν κατηγόρουν πολλά τι παρεῖδε πολλάκις. Euseb. lib. v. hist. Eccles. cap. I. διὰ πολλῶν κλήρων ἐκβιβάσαντες τὸν ἀντικείμενον, καὶ δὴ ἀξίους τὸν τῆς ἀφθαρσίας στεφανωθῆν στέφανον.

AD EPIGR. XCI.

LIBRARIVS *hoc &*] Legendum fortasse.

Iam librarius Ohe & ipse dicit.

—— *Aut celsis de more feretris*
Praecedens prisca exequias decorabat imago.
Dio lib. xlvij. πρὸς δὲ τούτοις ἀπεῖπον μὲν (Trium viri scilicet) μηδεμίαν εἰκόνα αὐτοῦ, καθάπερ θεοῦ τινος ὡς ἀληθῶς ὄντος (Iul. Cæsarem dicit) ἐν ταῖς τῶν συγγενῶν αὐτοῦ ἐκφοραῖς πέμπεσθαι, ὅπερ ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου καὶ τότε ἔτι ἐγίγνετο, Idem decretum de Augusti imagine, vt scribit idem Dio eodem libro. In Principum autem funeribus, non solùm gentilitiæ, sed quorumlibet magnorum virorum, & virtute præstantium imagines prælatæ, vt in funere Augusti. Dio lib. lvj. καὶ μετὰ τούτας (τὰς εἰκόνας scil.) αἵ τε τῶν προπατόρων αὐτοῦ, καὶ αἱ τῶν ἄλλων συγγενῶν τῶν τεθνηκότων (πλὴν τῆς τοῦ Καίσαρος, ὅτι ἐς τοὺς ἥρωας ἐσεγέγραπτο) αἵ τε τῶν ἄλλων Ῥωμαίων τῶν καθ' ὁτιοῦν πρωτευσάντων, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Ῥωμύλου ἀρξάμεναι, ἐφέροντο. καί τις καὶ ἡ τοῦ Πομπηΐου τοῦ Μεγάλου εἰκὼν ὤφθη, &c. Idem postea factum in aliorum Imperatorum celebrioribus exequiis. Vide sis Xiphilinum in Seuero de exequiis Pertinacis. Sed vt à diuerticulis in viam regrediamur, de imaginum inscriptionibus aliquot insuper notabimus loca hanc doctrinam omnino illustratura. Sen. lib. iij. de Benef. cap. xxviij. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, non magis quam nobiles sunt.* Nota *in prima parte ædium.* Val. Max. lib. v. cap. viij. *Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati seueritate conspicua imago posita erat: prudentissimoq; viro succurrebat, effigies maiorum cum titulis suis, idcirco in prima ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* Res gestas imaginibus inscriptas fuisse pluribus insuper locis ostendi potest. Vnum atque alterum notasse sat fuerit. T. Liuius lib. viij. *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaque famam rerum gestarum, honorumque fallente mendacio trahunt.* Val. Max. lib. ij. cap. ix. *Sed & Censor & Cato duplex seueritatis exemplum, eo magis illum notandum statuit, quod amplissimi honoris maiestatem, tam tetro facinore inquinauerat, nec pensi duxerat, iisdem imaginibus adscribi, Meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus.* Vnde *Titulum imaginum amplificare* idem dixit lib. iiij. cap. iiij *Et plurimorum, ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum suarum amplificauit.* Hinc Ouid. epistola Phyllidis Demophoonti.

> *Inter & Aegidas media statuaris in vrbe,*
> *Magnificus titulis stet pater ante suis.*
> *Cum fuerit lectus Scyron, toruusque Procrustes,*
> *Et Scinis, & Tauri, mixtaque forma viri.*
> *Et domitæ bello Thebæ, fusique bimembres,*
> *Et pulsata nigri regia caca Dei.*
> *Hoc tua post illos titulos signetur imago,*
> *HIC EST, CVIVS AMANS*
> *HOSPITA CAPTA DOLO EST.*

VIVERE *cum sciat*] Id est, cum possit. Horat.
—— *Nescit vox missa reuerti.*
Sic ἐπίστανται Græcis. Callimachus hymno in Iouem:

> ὅτ' ἀφνειῆς ἀπὸ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
> ὅτ' ἀρετῆς ἀφένος.

AD EPIGR. XXII.

PRO *Crasso R. Marcum*] Præcipuum, opinor,
A huius loci acumen est ἐν ἀλλαγῇ nominum. Nam Quintus opponitur Decimo, & Macer Crasso. Legendum enim existimo, *Macrum*, non *Marcum*. Hæc scripseram, cùm ad me adlatus est Martialis Argentinæ excusus, vbi notant legi in quodam cod. manusc. *Macrum.*

AD EPIGR. XXIII.

SEMPER *inhumanos habet officiosus amicos*] Vide quæ scribit in hanc sententiam Seneca lib. vj. de Benef. cap. xxxiij. & sequentibus.

AD EPIGR. XXIV.

PLACIDI *censoris*] Domitianus enim morum præfecturam susceperat, vt scribit Suetonius.
B Vnde *Iudex morum* à Iuuen. appellatur τιμητὴς. Dio scribit cæteros Imperatores suis temporibus ab hoc magistratu abstinuisse: Caussam addit, quia absque nomine τὸ ἔργον τῆς τιμητείας εἶχον.

AD EPIGR. XXV.

HERMES *vincere nec*] Codex manusc. quo vsi sumus habet *Nec*, quemadmodum & vetus Iunij liber. Rectè vt animaduertere occupauit politissimus Duza ad Petronium. Idem error apud Arnobium libro I. aduersus Gentes. *Cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat non voluntatis, sed indicationis electi*, lego, *nec indicationis electio.* Apposite autem ad hunc locum & Martialis mentem Themistius Euphrades Orat. x. de
C Melancoma insigni pugili. ὅτι νικᾷ πάντας πύκτας, οὐδὲ παίσας, μόνῃ τῇ στάσει καὶ τῇ τῶν χειρῶν ἀνατάσει πάντας ἀπέκναιε διὰ τῆς καρτερίας. Suppositiij naturam explicat Lipsius in Saturnalibus. Cicero pro Sexto Roscio Amerino: *Credo propterea quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his opera nostræ vicaria fides amicorum supponitur.*
CVRA *laborque ludiarum*] Me non piget eorum sequi sententiam, qui existimant hunc locum intelligendum de mulieribus, quæ gladiatores ardebant. Res nota vel ex sola Sat. vj. Iuuenalis. Plut. in Galba: αἰτίαν δὲ ἴσχεν ἐκ Μαρκιανοῦ τοῦ μονομάχου γεγονέναι τῆς Νυμφιδίας ἐρασθείσης διὰ δόξαν αὐτοῦ, καὶ μᾶλλον ἐδόκει καθ' ὁμοιότητα τῆς ἰδίας ἐκείνῳ προσεοικέναι.

D
AD EPIGR. XXVI.

QVAM *rubro p. nimbo*] Notæ sunt sparsiones theatrales. Gloss. *Sparsio*, κρόκος ὁ ῥαινόμενος. Sed de hac re Lipsius in Amphitheatro. Vt autem *Nimbum rubrum* dicit Martialis, sic Apul. *Imbrem odorum* dixit Milesi. x. *Tunc de summo montis cacumine, per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus diluta, sparsimque defluens, pascentis circa capellas odoro perpluit imbre.* Hanc κακοζηλίαν, quam in his Apulei verbis vides, in oratore insulsam reprehenderat Seneca pater, procem. lib. x. controuers. *Omnia vsque ad vltimum tumorem perducta, vt non extra sanitatem, sed extra naturam essent. Quis enim ferret hominem de siphonibus dicentem, Cœlo repluerunt: de sparsionibus, odoratos imbres: & in cultum viridium, Calatas syluas: & in pictura, Nemora surgentia.*

AD EPIGR. XXVIII.

BIS *ſeptem tibi iam n. ſ. ſubſellia*] Bis ſeptem ſubſellia appellat Martialis quatuordecim ordines equitum. Male enim nonnulli ſubſellia heic accipiunt pro ſcamnis in cuneos,& gradus illatis. Ergo *Bisſeptem ſubſellia*, quatuordecim ordines, ſiue quatuordecim gradus, quos etiam ἕδρας appellauit Dio. lib. xxxvj. τοῖς γὰρ τῶν ἱππέων ταῖς ἐν τοῖς θεάτροις ἕδρας ἀκριβῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀφωρισε. *Nam equitum ſubſellia in theatris ab alijs ſollicite ſeparauit.* Recte. Nam in gradibus ſubſellia componebantur, vt ait Vitruuius. Quatuordecim ordines proprie; & quatuordecim gradus; Item quatuordecim ſimpliciter ſiue adiectione. Sueton. in Auguſto; *Quum autem plerique Equitum attrito bellis ciuilibus patrimonio, ſpectare ludos è quatuordecim non auderent.* Petronius: *Ex hac nota domina eſt mea: Vſque ab Orcheſtra quatuordecim tranſilit, & in extrema plebe quærit quod diligat.* Macrob. lib. ij. Saturnal. cap. iij. *Deinde cum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæſare è veſtigio in quatuordecim ad ſpectandum tranſiit.* Cæterum non poterant omnes Equites equeſtribus contineri: quod colliges ex hoc Senecæ loco, lib. vij. de Benef. cap. xij. *Praterea, non mentiar, ſi dicam me habere in Equeſtrib. locum: Sed cum in theatrum veni, ſi plena ſunt equeſtria, & iure habeo locum illic, quia ſedere eſt mihi liberum: & non habeo, quia ab his, cum quibus ius mihi loci commune eſt, occupatus eſt.*

AD EPIGR. XXIX.

HOMINEM *malignum*] Nam is vere malignus qui ſupra deſcribitur, nempe qui nec bene ſentire, nec bene loqui de quoquam poteſt, & qui omnia perperam interpretatur; quare Ariſtoteles lib. ij. Rhetor. cap. xiii. ait, κακοήθειά ἐστι, τὸ ἐπὶ τὸ χεῖρον ὑπολαμβάνειν ἅπαντα. Liuor igitur & obtrectatio malignitatis aſſeclæ ſunt. Cornel. Tacit. lib. 1. Hiſtor. *Sed ambitionem ſcriptoris facile auerſeris: Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi fœdum crimen ſeruitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.*

AD EPIGR. XXXI.

SATVRNALITIAS *nuces*] Nam in Saturnalibus nuces ἐπὶ κύβον ἴδαιτον. Vnde in legibus Saturnalitijs apud Lucianum. παιδιὰν παίζουσιν ἐπὶ καρύων. ὧν ὅτῳ ἐπ' ἀργυρίῳ παιδιά ἐστι, ἄσιτος ἐς τὴν ὑστεραίαν ἔστω. Martialis lib. xiii.

> *Hæc mihi charta nuces, Hæc eſt mihi charta*
> *fritillus.*

AD EPIGR. XXXII.

POSSENT *fallere*] σφάλλειν. Titus Liuius lib. xxi. *Tetra ibi luctatio erat, vt à lubrica via non recipiente veſtigium, & in prono citius pedes fallente.*

AD EPIGR. XXXVI.

NON *fuit illa tibi*] Sic Meleager.

> Παμμῆτορ γῆ χαῖρε· σὺ τὸν πάρος οὐ βαρὺν εἰς σὲ
> Αἰσιγένην, καὐτὴ νῦν ἐπίχοις ἀβαρής.

A
AD EPIGR. XXXIX.

AGNA *mollior*] Mollia enim Tarentinarum pecudum vellera, quia pellibus integebantur ad teneritudinem conſeruandam, vt notat Porphyrion ad Od. vi. lib. ii. Carm. Horat. Notant & alij. Fauorinus: *Itemque quidam Tarentinas oues, vel nuces dicunt, quæ ſunt Tarentinæ, à tereno, quod eſt Sabinorum lingua, Molle* Sic μαλακὰ πρόβατα dicuntur Polybio, & μαλακὰ ἔρια Æliano. Apud Megarenſes quoque oues pellibus côtectæ. Quare Diogenes ἐν Μεγάροις ἰδὼν τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα: τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνούς, ἔφη, λυσιτελέστερόν ἐστι, Μεγαρέως εἶναι κριόν, ἢ υἱόν. Diogenes Laërtius in Diogene Cynico.

B RHENIQVE *nodos*] Torti enim Germanorum capilli, & in nodum coacti, vt loquitur Seneca lib. iij. de Ira, cap. xxvi. quem vide ſis, & epiſt. CLXXXV. Martialis in Amphitheatro:

> *Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri.*

QVOD *ſuccinorum*] Alibi,

> *Quod myrtus, quod meſſor Arabs, quod ſuccina*
> *trita.*

Iuuenal. ſat. vi.

> *In cuius manibus, ceu pinguia ſuccina, tritas*
> *Cernis ephemeridas.*

QVAM *peſſimorum*] Reſcribo;

> *Quam peſſimorum lex auara fatorum*
> *Sexta peregit hyeme, nec tamen tota.*

Nec tamen tota, dicit, quia ſex dies defuerunt, vt ipſe ſupra dixit epigr. xxxvi. Pro *Peregit* reponendum videri queat *Peremit*. Nam ſic omnino epigr. lxi. lib. 1.

> *Hic feſtinata requieſcit Erotion vmbra,*
> *Crimine quam fati ſexta peremit hyems.*

C Sed *Peragere* etiam pro perimere. Val. Flaccus lib. 1. Argonaut.

> *Fert grauis inuito victorem Neſtora tergo*
> *Monychus, ardenti peragit Clytius Actora*
> *quercu.*

Sic διαπεραίνειν Græcis. Æſchylus ἐν Πέρσαις.

> Οἱ γῆς ἔκαλαια δ' ἔξω περαίνου στρατοῦ.

Et περαίνειν ſimpliciter. Idem χοηφόροις.

> Πεπεραμένοι γὰρ νῦν δὲ πως ἀλαίματα
> Γες: τῆς τεκούσης.

Vbi ſcholia, πεπερασμένοι, διηκρίβωσαι, κατεχωρισμένοι.
Sophocles in Trachinijs;

> ἅπας σε αὐθρώπων οἰμωγῇ λεώς,
> τὸ μὲν νοσοῦντας, τὸ δ' ἔξω περασμένον.

DVCENTIES *accepit*] Hic epigrammatis aculeus. Male verò cum Pæto noſtro agitur: qui cùm tantis calamitatibus vexetur, mirum quî
D poſſit viuere. Nam ducenties morte vxoris accepit. O fœda calamitas, & abominanda! εἰρωνεία.

AD EPIGR. XLI.

SACCVLVMQVE] Gloſſ. Saccellus, βαλάντιον. Catullus:

> *——Nam tui Catulli*
> *Plenus ſacculus eſt aranearum.*

Seneca lib. ij. de Benef. cap. x. *Arceſilaus, vt aiunt, amico pauperi, & paupertatem ſuam diſſimulanti, agro autem, & ne hoc quidem confitenti, deeſſe ſibi in ſumptum ad neceſſarios vſus, cum clam ſuccurrendum iudicaſſet, puluino eius ignorantis ſacculum ſubiecit*, κρύφα βαλάντιον ὑπέθηκε τῷ προσκεφαλαίῳ, ait Diogen. Laert. in Arceſilai vita. Iuuenal. ſatyr. xiv.

Pars humili de plebe duces: Pars compede suras,
Cruraque signati nigro liuentia ferro
Iura regunt; facies quamuis inscripta repugnet,
Seque suo prodat titulo.

Quare Bion se dicebat οὐ πρόσωπον ἔχων, ἀλλὰ συγγραφὴν τῆς τοῦ δεσπότου πικρίας σύμβολον. Diogenes Laërtius in Bione: vbi ludit Bion in nominibus συγγραφῆς & συμβόλου. Eodem pertinere videtur hic Senecæ locus Epistol. xlvii. *Stare ante limen Calixti dominum suum vidi, & eum, qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat.*

AD EPIGR. XXIII.

Lemma est *In Inuitatorem.* Male. In antiquis libris, *In cœnipetam anarum.* Melius. De hoc genere hominum aliquid obseruauimus supra.

B OMNIA *cum retro*] Eandem impudentiam pari iunctam σμικρολογίᾳ traducit Lucianus in Lapitharum conuiuio. ἐν τούτῳ δὲ ὁ Κλεόδημος ἐπικύψας εἰς τὸν Ἴωνα, Ὁρᾷς, ἔφη, τὸν γέροντα, ὅπως ἐμφορεῖται τῶν ὄψων, καὶ ἀναπεπλήρωται ζωμοῦ τὸ ἱμάτιον, καὶ ὅσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἑστῶτι ὀρέγει, λανθάνειν οἰόμενος τοὺς ἄλλους, μὴ μεμνημένος τῶν μετ' αὐτόν. Et lib. de sectis: πολλὰ, καὶ μόνον ἀριθμῷ παραλαβεῖν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ ἑστῶτι παραδεδώκει, καὶ σημειωσάμενος ἐπιμελῶς, τὸ ἀπ' ἐκείνου καθεύδειν, μηδὲ εἰσδέχεσθαι παραγγελίας. Lucillius,

Οὐδὲν ἀφῆκεν ὅλως Διονύσιος λείψανον Αὖλος
Εὐτυχίδης δειπνῶν, ἦρε δὲ πάντ' ὀπίσω.

PONITVR *à pedibus*] Nam pueri heris conuiuantibus ministrantes à pedibus, siue ad pedes stabant, vt calceos seruarent, vt docebimus posteà, σὺν θεῷ. Vnde notus huius epigrammatis aculeus. Idem omnino apud Lucillium.

C Καὶ τρώγεις ὅσα πέντε λύκοι, Γάιε, καὶ τὰ τραπεζά,
Οὐ τὰ σὰ, τῶν δὲ πέλας πάντα δίδως ὀπίσω.
Γλωσσ' μεθ' τοῦ κοφίνου τοῦ παρὰ πόδας αὔριον ἴσχων,
Πεισόμεθα, καὶ σιγῶν, καὶ ὄψιν ἔδωκας ἔχοι.

AD EPIGR. XXIIII.

VITE *nocens rosa*] Mactabatur hircus Baccho propter contrarietatem, vt loquitur Seruius ij. Georg. Idem ad hunc locum, iii. Æneid.

Sic fatus meritos aris mactauit honores,
Taurum Neptuno: Taurũ tibi pulcher Apollo:
Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Ratio victimarum, inquit, *fit pro qualitate numinum. Nam aut hæ immolantur, quæ obsunt eorum muneribus, vt Porcus Cereri, quia obest frugibus: Hircus Libero, quia vitibus nocet. Aut certe ad similitudinem, vt inferis nigras pecudes, superis albas* D *immolent: Tempestati atras, Candidas serenitati.* Rectè *tempestati atras, &c.* Aristophanes in Ranis.

Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε.
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Duplex igitur caussa, *Propter contrarietatem,* & *Propter similitudinem.* Illa etiam de caussa lupus animal rapax & armentis infestum mactabatur Apollini armentorum præsidi. Vnde Apollo λυκοκτόνος cognominatus. Sophocles Electra:

Αὕτη δ', Ὀρέστα, τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ
Ἀγορὰ λύκειος.

Aliter ibi scholia & Camerarius. At Lycius eadem de caussa appellatus, teste Festo. *Lycij Apollinis oraculum in Lycia maximæ claritatis fuit* A *ob luporum interfectionem.* λύκος *enim lupus est.* Sed expressus hac de re locus in scholijs Aristophanis, ad Aues. ἐπεὶ λύκους ἀποκτείνειν τὸ παλαιὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ νόμος ἦν λυκοκτονεῖν. διὸ ὁ μὲν φορβιὸν λύκου τίκτον, τάλαντον ἐλάμβανεν· ὁ δὲ τέλειον, δύο. ὅθεν καὶ τὸν Ἀπόλλωνα λύκειον, καὶ λυκοκτόνον φασίν. Hinc & Porci non solum capri Baccho mactabantur & Cereri. Scholia Aristophanis ad Ranas. χοῖροι τῇ Δήμητρι καὶ τῷ Διονύσῳ ἐθύοντο ὡς λυμαντικοὶ τῶν θεῶν δωρημάτων. Altera caussa est *Propter similitudinem.* Arnobius lib. vii. aduersus Gentes. *Sed si sexibus sexus pares, id est fœminas fœminis, mares autem hostias Dijs maribus immolari sacrificiorum iura præscribunt, quæ in coloribus ratio est, vt meritò his albas, illis atras conueniat, nigerrimasque mactari? Quia superis Dijs, inquit, atque ominum dexteritate pollentibus, color lætus acceptus est, ac felix hilaritate candoris, &c.*

AD EPIGR. XXVII.

NVNQVAM *me reuocas*] Proprium hac in re verbum. Phædrus fab. xxvi.

Quæ vulpem quum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit.

AD EPIGR. XXIX.

HOS *cum gemina*] Horatius,

——*Quærebat tamne catenam*
Ex voto Laribus donasset.

Nihil notius. Laribus autem hæc ἀναθήματα. Ouid.

Miles vt emeritis non est satis vtilis armis,
Ponit ad antiquos quæ tulit arma Lares.

C *Ponit ad Lares,* ἀνατίθεται τοῖς κατοικιδίοις θεοῖς.

ANVLOS *priores*] Apul. ix. Metamorph. *Frontes literati, pedes annulati, capillum semirasi, &c.*

AD EPIGR. XXX.

VNDE *datur quadrans*] Vnde quadrantem tibi paras, quo dato laues? Duo oboli in Græcia quibusdam τὰ ἐπίλουτρα. Lucianus in Lexiphane. σὺ δέ ὦ, στλεγγίδα μοι, καὶ βύρσαν καὶ φωσώνια, καὶ ῥύμματα, πανσαλεῖν εἰς τὸ βαλανεῖον, καὶ τὰ ἐπίλουτρα κομίζειν· ἔχεις δὲ χαμᾶζε παρὰ τὴν ἐγγυθήκην δύ' ὀβολώ.

AD EPIGR. XXXII.

NON *possum*] Legebam,

Num possim vetulã quæris Matrinia: Possum &c.

D Cognoui posteà legi in veteri codice:

An possum vetulam quæris Matrinia?

Legendum:

An possim vetulam quæris Matrinia.

Nota φέρειν, *Posse vetulam.* Multa reticebant in rebus turpioribus. Vnde, *Cætera quis nescit?* & similia. Lucianus in Amoribus: καὶ τὰ γὰρ ἄρρητα νυκτὸς ἐγὼ τὰ λοιπὰ ἐπ' ἀκριβὲς ἡμῖν διηγοῦμαι; Vnde *Solere.* Plautus:

Quæ cum viris suis prædicant nos solere.

Et συνεῖναι Græcis. *Esse cum muliere* Latinis. Varro lib. v. de ling. Lat. *Aeque eadem modestia potius cum muliere fuisse, quàm Concubuisse, dicebant.* Plautus in Amphit.

Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, tecum fui?

Consuescere etiam frequenter. κοινωνεῖν Græcis.

Lucianus Dialog. Deorum. οὐδ᾽ ἂν ἀκονώνησ ποτε ἐκεῖνος ὄντι γυναικί. A

AD EPIGR. XXXVII.

IRASCI *tantum*] Vide quæ obſeruamus ad Epigr. xiii. lib. xii.

AD EPIGR. XXXVIII.

IN *triplici*] Papinius iv. Siluarum.

Quæ trino iuuenis foro tonabas.

Seneca lib. ii. de Ira. cap. ix. *Circunſcriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non ſufficiunt fora.*

ATRIA *magna colam*] Ergo migrauit in atria Clio. Iuuenal. Sat. vii.

AD EPIGR. XLII.

LOMENTO *rugas*] Hoc diſtichon ita legit B vir incomparabilis:

Lomento, rugas vteri quo condere tentas.
Polla, tibi ventrem nonnihil abra linit.

Sed vereor vt hæc lectio ingenioſior & acutior quàm verior. ἅβρα quidem Græcis τρυφερὰ παιδίσκη: ſed an Latini hac voce vſi ſint adhuc quæro. ἅβραι ancillæ illæ mandatis perferendis deſtinatæ, & mediæ inter lenas naturæ. Lucianus de mercenarijs. πολλάκις δ᾽ καὶ μεῖζον τὸ φιλόσοφον διοξέσης ἡ ἅβρα προσελθοῦσα ὤρεξε παρὰ τῷ μοιχοῦ γραμματίδιον. Ancillam generaliter dicit Ouid.

Quò ferat, & referat ſolers ancilla tabellas.

Ἅβραι etiam generalius θεράπαιναι. Simplicius igitur Iunius accipit, *Non mihi labra linis*, pro, *Non mihi os ſublinis*, Quomodo ſæpe loquitur C Plautus.

AD EPIGR. XLIII.

PERSONAM *capiti*] Lucillius:

Μὴ δεῖσαι τὸ πρόσωπον ἅπαν φιμώσας καταπλάττε,
Ὥστε πρόσωπον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχε.

AD EPIGR. XLIV.

OCCVRRIT *tibi nemo quod libenter*] Χαρακτηρίζει hoc Epigrammate Martialis hominem importunum, ſcriptorum ſuorum recitatione homines enicantem, quales traducuntur plurimi ab alijs.

LASSVS *dormio*, *ſuſcitas iacentem*] Character ἀηδίας apud Theophraſtum: ὁ δὲ ἀηδής, τοιοῦτος ὡς οἷος ἐγείρειν ἄρτι καθεύδοντα εἰσελθὼν, ἵνα αὐτῷ λαλῇ.

VIR *iuſtus, probus, innocens timeris*] Neque enim homo iſtiuſmodi idcirco eſt μοχθηρὸς: ſed ἀηδὴς & importunus.

AD EPIGR. XLVI.

CVNCTOS *vmbone repellet*] Tractum à militia. Cornel. Tacitus lib. iv. Annal. *Miles contra deturbare telis, pellere vmbonibus.*

INGENTI *faciet conuitia voce*] καταβοήσει. Gloſſ. *Conuitiatur illi, & conuitium facit.* καταβοᾷ, ὑβρίζει Heic igitur *Conuitia faciet*, καταβοήσει, & διαβοήσει, βοῇ ὑποφωνήσει, μυκήσει. Dixit enim antea *mugiet*. Alias *Conuitium facere* ὑβρίζειν, καταβοᾶν, id eſt, κατὰ ὅλως βοᾶν. Ouid.

A *Quid querer, & toto facio conuitia cælo?* Seneca conſolat. ad Polyb. cap. xxxv. *faciamus illi conuitia, non noſtro tamen ore, ſed etiam publico: Non tamen mutabitur.*

AD EPIGR. XLVII.

CAPENA *g. p. q. pluit gutta*] Propter aquæ ductum. Frontinus: *Martia autem parte ſui poſt hortos Pallantianos in riuum, qui vocatur Herculaneus, deijcit ſe per Cælium. Ductus ipſius, montis vſibus, nihil, vt inferior, ſubminiſtrans. initur ſupra portam Capenam.* Vnde & *Madidam Capenam* dixit Iuuenal. Sat. iii.

PHRYGIVM MATRIS *matris*] Legunt alij *Phrygiæ*, quod malo. De hac re autem vide Ouid. iv. faſt. Ammianus Marcellinus lib. xxiii. *Vbi ad diem ſextum Cal. quo Romæ Matri Deorum pompæ celebrantur annales, & carpentum quo vehitur ſimulachrum Almonis vndis ab ea perhibetur, &c.* Ipſum igitur ſimulacrum lauabatur etiam, non ſola inſtrumenta religioſa. Vnde Callimachus hymnum ſcripſit εἰς λουτρὰ Παλλάδος.

Ὅσσαι λωτροχόοι τᾶς Παλλάδος ἔξιτε πᾶσαι.

Et quæ ſequuntur. Scholia ibi: ἐν ταῖς ὡρισμέναις ἡμέραις ἔθος εἶχον αἱ ἀργεῖαι γυναῖκες λαμβάνειν τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ Διομήδους, καὶ ἄγειν ἐπὶ τὸν Ἴναχον, καὶ ἀπολούειν. Theocrit. Idyll. xv.

Νῦν μὰν Κύπριν ἔχοισα τὸν αὔριον χαίρετε ἄνδρα.
Ἀῶθεν δ᾽ ἄμμες νιν ἅμα δρόσῳ ἀθρόαι ἔξω
Οἰσεῦμες ποτὶ κύματ᾽ ἐπ᾽ ἀϊόνι πτύοντα.

HORATIORVM *qua vires*] Ibi enim ſepulti Horatij vbi ceciderunt, teſte Liuio. Atqui porta Capena Albam ibatur. Liuius: *Princeps Horatius ibat, tergemina ſpolia præ ſe gerens: Cui ſoror virgo, quæ deſponſa vni ex Curiatijs fuerat, obuia ante portam Capenam fuit.*

ROMAM *petebat Baſſus*] Hæc lego cum interrogatione, *Romam petebat Baſſus?* Romam enim petere videbatur, cùm hæc omnia ſecum veheret: quæ in agris potius, quàm in vrbe reperiuntur. Hinc notanda ſuburbani Baſſiani ſterilitas, de qua poſtea.

AD EPIGR. XLVIII.

SED *vendidit olim*] Vt hanc cellam, quam emerat, in ædes magnificas reformaret. Sed nimio ſumptu pauper effectus, & facultatibus exutus, nunc dum etiam pauperis cellam habet. Seneca Epiſtol. xviii. *Non eſt nunc quod exiſtimes me di-* D *cere, vt te admoneas ad cœnas, & pauperum cellas, & quidquid aliud eſt, per quod luxuria diuitiarum tædio ludit.*

AD EPIGR. LII.

NIMIVM *ca. in vrbe freq.*] Idem queritur Iuuenalis ſat. iii.

Nam quid tam miſerũ, tam ſolũ vidimus, vt non
Deterius credas horrere incendia, lapſus
Tectorum aſſiduos, ac mille pericula ſæuæ
Vrbis?

Et: *Nos vrbem colimus tenui tibicine fultam*
Magna parte ſui, &c.

Quare Plutarchus in Craſſo incommoda iſta appellat συγγενῆ καὶ σύνοικα τῆς Ῥώμης κῆρας. Locus eſt elegans. πρὸς δὲ τούτοις ὁρῶν τὰς συγγενεῖς καὶ συνοίκους τῆς Ῥώμης κῆρας, ἐμπρησμοὺς καὶ συνιζήσεις, διὰ βάρος

ἐξ πῦθος οἰκοδομημάτων, ἑαυτὸν δούλοις ἀρχιτέκτοσι ἐξ οἰκοδόμοις. A

INCENDISSE *tuam*] Iuuenal. sat. III.

Si magna Asturi cecidit domus: Horrida mater,
Pullati proceres, Differt vadimonia Prætor.
Tunc gemimus casus vrbis: tunc odimus ignem.
Ardet adhuc? Et iam occurrit qui marmora donet,
Cōferat impensas: Hic nuda, & cādida signa, &c.
Hic modium argenti: Meliora & plura reponit
Persicus orborum lautissimus: Et merito iam
Suspectus. tanquam ipse suas incenderit ædes.

Seneca Epist. XCI. *Multa ceciderunt, vt altius surgerent, & in alias imagines. felicitatis vrbis inimicus aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc vnum dolori esse, quod sciret meliora resurrectura, quam arsissent.* Non absimile est quod de L. Scipione peculatus ab ingrato populo damnato scribit T. Liuius lib. XXXVIII. *Collata pecunia à cognatis, amicisque & clientibus Lucio Scipioni; vt si acciperet, locupletior aliquando esset, quam ante calamitatem fuerat.* B

AD EPIGR. LIV.

ROGANTEM] Orantem noctem tuam. Sic *Rogare* absolute, frequens. Ouid. I. Amorum, eleg. VIII.

Ludunt formosæ: Casta est, quam nemo rogauit.

Plenius lib. II. eleg. II.

Protinus, vt placuit, misi, noctemque rogaui.

AD EPIGR. LV.

COSMVM *migrare putamus*] ὑπερβολὴ in re simili apud Lucianum ἔρωσι: ὅλην Ἀραβίαν σχεδὸν ἐκ τῶν τριχῶν ἀποπνέουσα. *Totam pene Arabiam capite exhalans.* C

AD EPIGR. LVIII.

TONSILIQVE *buxeto*] Plin. lib. XVI. cap. XVI. *Tertium genus* (buxi) *nostrate vocant: syluestre, vt credo, mitigatum satu, diffusius, & densitate parietum virens semper, ac tonsile.*

RVRE *vero, barbaroque*] Qualia sunt barbarorum rura non ad voluptatem, vt in Romano solo, exculta: sed ad vsum & vtilitatem culta.

SENIBVS *autumnis*] Alibi apud Martialem.

Et acuta senibus testa cum damascenis.

Autumnos heic vocat autumnitatis fructus, Græcorum more, qui ὀπώρας se appellant, καὶ ὀπωρινὸς καρπούς. D

ET *delicatus*] Neque hîc Eunuchi in deliciis, vt alibi, sed ad opus ablegantur, aliorum seruorum instar. Quos delicatos vocitarint, notum. Sueton. in T. Vespasiano. *Quosdam è gratissimis delicatorum, quamquam tam artifices saltationis, vt mox scenam tenuerint, non modo fouere prolixius, sed spectare in publico omnino cœtu supersedit.*

AT *tu sub vrbe*] In suburbano tuo. Aul. Gell. lib. XIX. *Cœnam dabat amicus, ac magister, sub vrbe in rusculo.*

AN *domus longe*] Hellenismus, quem qui non intellexerunt, hunc locum in mendo cubare existimarunt. Iunius legendum existimat, *An domus longa*, refragantibus libris. Male. *Domus longe* est. ἡ ἀπωτέρω οἰκία. Sic alij loquuntur. Catullus:

Sed tu olim magnos vicisti sola furores.

Tibullus.

Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus ante comas.

Ante comas, ὡς πρὶν κόμας, quomodo legit & explicat Scaliger.

AD EPIGR. LX.

CVM *vocor ad cœnam*] De hac diuitum superbia dicebamus antea. Huc pertinet quod ait Plin. lib. XIV. cap. XIII. *Idem Cato cum in Hispaniam nauigaret, vnde cum triumpho rediȷt: Non aliud, inquit, vinum bibi, quam remiges: In tantum dissimilis istis, qui etiam conuiuis alia, quàm sibimetipsis ministrant, aut procedente mensa subijciunt.*

STAGNO *Lucrino*] Hæc enim optimi saporis, iudice Sergio Orta, de quo Plin. lib. IX. cap. IV. *Is primus optimum saporem ostreis Lucrinis adiudicauit.* Hæc Plinij verba pæne excerpsit Macrobius lib. II. Saturnal. cap. XI.

SPORTVLA *quod non est*] De sportula dicebamus aliquid lib. I. Plura in Digressionibus.

AD EPIGR. LXII.

AVREA *quod fundi*] Mira ἀπειροκαλία καὶ χαυνότης. Plin. lib. XXXIII. cap. XI. *Vasa coquinaria ex argento Caluus orator fieri queritur. At nos carrucas ex argento calare inuenimus.* Sueton. in D. Claudio. *Fuerunt & illa in censura eius notabilia, quod essedum argenteum sumptuose fabricatum ac venale, ad sigillaria redimi, concidique coram imperauit.* Lucianus; εἰ δὲ ὑφορμῷτο αὐτῶν, καὶ καταφρονεῖν, καὶ μὴ ἐπιστρέφεσθαι πρὸς τὴν ἀργυρᾶν ἁρμάμαξαν μεταξὺ λεγομένων, εἰς τὴν ἐν τῷ δακτυλίῳ σφραγῖδα, &c. Lampridius de Alexandro Seuero. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus vt argentatas haberent permisit. Interesse Romanæ dignitatis putans vt his tantæ vrbis Senatores vterentur.* Mutauit consuetudo, & postea diuersis temporibus regressa. Flauius Vopiscus in Aureliano. *Dedit præterea potestatem, vt argentatas priuati carrucas haberent, cum antea ærata, & eborata vehicula essent.* Imperatorum lecticæ variis modis ornabantur pro eorum libidine. Herodianus lib. V. de Heliogabalo. Ὁ δὲ Ἀντωνῖνος ἐν δέει πολλῷ γενόμενος ἀναλαβὼν τὸν Ἀλέξανδρον, συγκαθίσας αὐτῷ ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅπερ δὴ χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθοις πεποίκιλτο, κατῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον σὺν τῷ Ἀλεξάνδρῳ. *Antoninus metu perculsus, assumpto Alexandro, atque cum eo vehens regia lectica, multo auro & lapillis pretiosis ornata, in exercitum cum Alexandro processit.* Carrucis etiam altioribus delectabantur homines illi, qui cæteros despicere exoptabant. Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Alij summum decus in carrucis solito altioribus, & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum.* Aureus autem hoc loco est *deauratus*, aut *inauratus*. B. Hieronymus lib. I. aduersus Iouinianum. *Multa esse quæ matronarum vsibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumtus, ancillæ, suppellex varia, lecticæ & esseda deaurata.*

CARRVCA] Hæc vox cognita etiam Hesychio, ἅρμα, ὄχημα, καρρύχα, δίφρος.

HÆC *animo magno*] Id est, liberali mente, & opum contemptrice, Plin. epist. vlt. lib. VI. *Illud quoque egregium, quod tam facilis, tam liberalis in emendo fuisti. Nam per hæc etiam magnus animus ostenditur.* Mamertinus Panegyr. *Quum quæreres virum animi magni aduersus pecuniam, liberi ad-*

uersus offensas, &c. Aliud *Animose liceri* apud Iurisconsultos, & *Animose comparare* apud Sueton. in Iul. Cæsare.

Hac *animus*, *Quinte*, *pusillus emit*] χαμαὶ καὶ ἀνελεύθερος, καὶ ἀπειρόκαλος. Eleganter Demosthenes contra Androtionem. ἐὰν δ' ἐπὶ μικροῖς τις σεμνύνηται, ἐκεῖνο ἀπέχει τοῦ λαμπρὸς αὐτὸς διὰ ταῦτα τυχεῖν, ὥστε ἀπειρόκαλος προσδόξειεν.

AD EPIGR. LXIII.

Cantica *qui Nili*] Papin. v. Syluarum.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumue sui conuitia Nili
Infantem, linguaque simul, salibusque proteruũ,
Dilexi.

Ouid. 1. Trist. Eleg. 11.

Non vt Alexandri claram delatus in vrbem,
Delicias videam Nile iocose tuas.

Et lib. III. ματαιοτεχνίας.

Et modo marmoreis referant audita theatris,
Et modo Niliacis carmina lusa modis.

Vnde Quintil. lib. 1. Instit. Orat cap. 11. *Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs, risu & osculo excipimus.* Nam procaces Ægyptij, & lingua nimia, ac proteruis salibus insignes Seneca Consolat. ad Albinam, cap. vlt. *Itaque loquax & ingeniosa in contumelias præfectorum prouincia, (Ægyptum dicit) in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam, velut vnicum sanctitatis exemplum suspexit: & quod illi difficillimum est, cui etiam periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit.* Herodianus de Alexandrinis lib. IV. πεφύκασι δέ πως οἱ φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ἐπισκώψεις ἢ παιδιάς, ἀποῤῥιπτοῦντες εἰς τοὺς ὑπερέχοντας πολλὰ χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκωφθεῖσι. *Natura dicitiosi sunt, & figuratos iocos, ac multa in potentiores perite iaciunt, quæ quidem ijs videntur salsa, illis verò acerba qui dictis eiusmodi mordentur.* Dio eosdem futilitatis & procacis loquacitatis arguit lib. XXXIX. Οἱ γὰρ Ἀλεξανδρεῖς θρασύνασθαι μὲν πρὸς πάντα ἱκανώτατοι, καὶ ἐκλαλῆσαι πᾶν ὅ, τι ποτ' ἂν ἐπέλθῃ σφίσι προπετέστατοι πεφύκασι.

Foemineas *cathedras*] Cathedras dicit γυναικείας ἕδρας· δίφρακας Græci vocant. Hesychius: δίφραξ, καθέδρα, θρόνος γυναικεῖος. Theocrit. idyll. XIV.

ὠκυτέρα μαλακᾶς ἀπὸ δίφρακος ἵδρυμαι τήνα.

Et ibi scholia: ἐκεῖνο λιπόντα τὸν δίφρον, ἤγουν τὴν καθέδραν, ἔφυγε. μαλακαῖς δὲ παρ' ὅσον αἱ γυναῖκες μαλακῶς καθέζονται καθέδρας. Vnde, *Molles cathedras* eodem modo appellauit Iuuenalis sat. VI.

—— Famam contempserat olim,
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.

AD EPIGR. LXV.

Sine *inuidia*] ἀφθόνως. Hellenismus. Sic quum libenter promittunt, οὐδεὶς φθόνος, inquiunt. Res nota est.

AD EPIGR. LXVII.

Cessatis *pueri*] *Nautarum.* Horat. satyr. v. lib. 1.

Tum pueri nautis, pueris conuitia nautæ
Ingerere, Huc appelle: trecentos ingeris: Ohe
Iam satis est.

A Rectè igitur heic *Pueri*. Theocrit. Idyl. XIII.

— ταύτας καί τις εἶπεν ἑταῖρος,
κουφότερ' ὦ παῖδες παύσασθ' ὅπλα· πλευστικὸς οὖρος.

Sequentia explicata sunt & emendata ab aliis.

AD EPIGR. LXXIV.

Psilothro *faciemque lauas*] Certe psilothro non lauabatur facies, sed leuabatur, id est, leuigabatur. Legendum igitur hoc loco, *Psilothro faciem leuas*, vt obseruarunt alij, & quomodo legit Ausonius, qui hunc locum proculdubio respexit epigr. CXXIII.

Inguina quòd calido leuas tibi dropace. Caussa est:
Irritant volsas leuia membra lupas.

Mulieres in balneis præcipue psilothro curabantur. B Lampridius in Heliogabalo. *In balneis semper cum mulieribus fuit, ita vt eas ipse psilothro curaret. Ipse quoque barbam psilothro accurans: quodque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabatur, & eadem hora.*

Qvid *faciem tingis*] Rectè diuinauit F. Modius legendũ heic, *Quid facient vngues?* Scriptum enim in codice manusc. quo vsi sumus, *Quid faciunt vngues?* Scriptum fuisse existimo, *Quid facient vnguis?* Nam *Vnguis* pro *Vngues* quis nescit veteres dixisse, quemadmodum alia multa? Bene idem notauit, Capillos & Vngues resecandi officium ad vnum eundemq; tonsorem pertinuisse, Quod & nos sciebamus, & Plautino insuper exemplo confirmabimus. In Aulul. igitur, sc. *Postquam obsonauit herus.* habes.

Quin ipsi tonsor pridem vngues dempserat,
Collegit, & omnia abstulit præsegmina.

Tibullus Eleg. IX. lib. 1.

C *Quid fuco splendente comas ornare? Quid vngues*
Artificis docta subsecuisse manu?

Plutarchus in Bruto; λαβόντα μαχαίριον, ᾧ τοὺς ὄνυχας οἱ κουρεῖς ἀφαιροῦσι. Describitur hoc μαχαίριον Epigr. XXXVI. lib. XIV.

Qvadra *placenta*] Erant & placentæ quadratæ. κολλάβους quidam è Græcis appellarunt. Aristophanes in Ranis,

πλακοῦντας ὤπτα κολλάβους.

Vbi Scholia: τοὺς ἄρτους λέγει τοὺς ἐοικότας τὴν πλάσιν τοῖς κολλάβοις τῆς κιθάρας. οἱ δὲ εἶδος πλακοῦντος τετράγωνον, ἢ ἄρτου μικροῦ. Sic etiam *quadra panis*, propter quadratos panes. Seneca lib. IV de Benef. cap. XXIX. *Quis beneficium dixit, quadram panis, aut stipem æris abiecti, aut ignis accendendi factam potestatem?* Quadratus panis, ἐντομὰς ἔχων. Athen. lib. III. Βλωμιαίους τοὺς ἄρτους ὀνομάζεσθαι λέγει, D τοὺς ἔχοντας ἐντομάς, οὓς Ῥωμαῖοι κοδράτους λέγουσι. Istas quadras fortasse alludebat Iuuenalis;

——Miserum est aliena viuere quadra.

Vulgo aliter accipiunt.

AD EPIGR. LXXVII.

Vt *quid enim Batice saprofagis*] Nam è fœdo & horrido illo, quem heic notat, morbo minime humano stomachi infirmitas contrahitur, quæ eiusmodi fœtibus curabatur. Eodem pertinet Ammiani Epigr. in Anthologia:

Οὕτως ὁ τῆς ἀρετῆς ἀδάμας θάρις, οὗτος ὁ πάντη
Πᾶσιν ἀπεχθόμενος, οὗτος ὁ γρυπόμας.
Καὶ πιγονα τρέφων ἰάλω. Τί γὰρ ἢ ἀσθενὴς εἰπεῖν.
Ἀλλ' ἰάλω παῦσαι ἔργα κακοστομάχου.

AD EPIGR. LXXX.

LINGVÆ *te tamen esse mala*] Allusit Minutius Felix in Octauio: *Apud quos tota impudicitia vocatur vrbanitas: qui medios viros lambunt, &c. homines malæ linguæ, etiamsi tacerent.* Sic κακὴ γλῶσσα Græcis, maledica. Æschrion apud Athen. lib. viii.

> Λοιδορεῖ τι πολυπάλαια, κ) κακὴ γλῶσσα
> ἔγραψεν, ὧν ἔγραψεν.

AD EPIGR. LXXXII.

Describitur hoc Epigrammate homo superbe mollis, ac diuitijs insultans, qualem Trimalchionem suum describit Petronius. Imaginem fere similem habes apud Athenæum lib. vi. in Paphij regis adolescentuli descriptione. Horum hominum vitam ὑγρὸν βίον à Græcis esse appellatam docet eod. lib. Athen.

IACET *occupato galbanatus in lecto*] Athenæus: κατέκειτ' δὲ ἀμφιβαλλόμενος πορφυρᾶν ἐπὶ λεχοπόδος κλίνης, ὑποσεσωρευμένος ξύλοις ἀργυροῖς πολυτελῶν, &c.

OCCVPATO] Quem ipse iam occuparat, antequam cæteri sederent, ijs etiam, qui nondum venerant, non expectatis; quod de Demetrio Pompeij liberto scribit Plutarc. de quo paulo post.

GALBANATVS] Galbana indutus, vt Trimalcio. Iuuenal. sat. ii.

> *Cærulea indutus scutulata, & galbana rasa.*

Vnde & *Galbani more*, sup. lib. i.

CVBITIS *trudit hinc & inde conuiuas*] Athenæus: πρὸς γὰρ τὴν ἐνόπτην κελεύουσι, καὶ τὸ σχῆμα τῶν κατακλινομένων ταχὺ συνιδοὺν ἐκπληττέσθαι, μορμολύττεσθαι ζῶν καὶ ἀποχωρεῖν ἑαυτὸν τοῖς πρεσβυτέροις. ὅθεν αὐτὸν οἱ μὲν πολλοὶ ἐπεῖνον, οἱ δὲ χασμώδειαν ἐκάλουν.

EFFVLTVS *ostro*] Athenæus: ὑπεβέβλητο δὲ αὐτῷ πορφυροῦν ἀμφίταπον. Val. Flaccus lib. ii. Argonaut.

> ——*Tyrios vibrat toros igneus ostro.*

Seneca lib. de vita beata: *Nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum; quod purpura conuiuis meis substernetur.* Vide Plin. lib. ix. cap. xxxix.

SERICISQVE *puluinis*] Athenæus: προσκεφάλαια δ' εἶχε τὰ μὲν ὑπὸ τῇ κεφαλῇ ἔνοντα ἀμοργινὰ, δι' ὧν ἡμιτελὴς ὁ κάλυμμα. Petronius: *In his eramus lautitijs, cum ipse Trimalcio ad symphoniam allatus est, positusque in ceruicalia minutissima expressit imprudentibus risum.* Ergo & ceruicalibus, siue puluinis, iisque mollissimis in triclinio vtebantur. Vnde & μαλακῶς κατακεῖσθαι. Theopompo

> Ἐπιόμενοι μετὰ ταῦτα κατακείσθω μαλακῶς ἐπὶ τέλει πλαμμῶνος οἰμώζοντες ἀλλήλοις ἴσα. Et κλίνη μαλακὴ

Xenophani Colophonio,

> Πὰρ πυρὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν χειμῶνος ἐν ὥρῃ,
> ἐν κλίνῃ μαλακῇ κατακείμενον ἔμπλεον ὄντα
> πίνοντα γλυκὺν οἶνον, ὑποτρώγοντ' ἐρεβίνθους.

Sed graphice Plutarchus vbi Demetrij ὑπερόπτην describit in Pompeio. λέγεται γὰρ ἐν πολλάκις ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς τὸ Πομπήιου περιμένοντος, κ) δεχομένου τοὺς ἄλλους, ἐκεῖνος ἤδη κατακεῖσθαι σοβαρῶς ἔχων δι' ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον.

STAT *exoletus*] Signate. Ministri & pocillatores *stare* dicuntur. Gracchus apud A. Gellium, lib. xv. cap. xii. *Nulla apud me fuit popina, neque*

A *pueri eximia facie stabant.* Nam pocillatores exquisita forma conquirebant, vt notum.

PINNAS *rubentes*] Nam pinnis excitabantur ad vomitum. Vnde Aristophan. Acharn.

> —— φέρε τοῦ ἀπὸ τῦ κράνους μοι τὸ πτερόν.
> Λα. ἰδοὺ πάρεστι. Δι. τῆς κεφαλῆς τοῦ μου λαβοῦ
> ἵν' ἐξεμέσω. βδελύττομαι γὰρ τοὺς λόγους.

Vbi Scholia: πτερὸν αἰτεῖ ἵν' ἐξεμέσῃ. εἰώθασι γὰρ οἱ δυσπεπτοῦντες πτερῷ χρῆσθαι. Sueton. in D. Claudio; *Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens. & vt statim supino, ac per somnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum.* Sic gulosissimi quique vomitu sese exonerabant. Idem Sueton. in Vitellio; *Sed is vel præcipue sæuitiæ, luxuriæque deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas, comessationesque, facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.* Xiphilinus

B in Seuero: ὁ δὲ Πλαυτιανὸς ἀσωτότατος τε ἀνθρώπων γενόμενος, ὥστε καὶ εὐωχεῖσθαι ἅμα κ) ἐμεῖν, ἐπὶ μηδὲν ὑπὸ τῦ πλήθους τῶν τε σιτίων, καὶ τοῦ οἴνου πέψαι δύνασθαι. *Plantianus omnium intemperatissimus, & ingluuiei deditissimus, ita vt simul pasceret & vomitaret. quod præ ciborum & vini copia concoquere non posset.* Seneca Consolat. ad Albinam, cap. ix. *Vomunt vt edant, edunt vt vomant epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Philo in Flaccum: πολὺ γὰρ ἄκρατος, καὶ ὀψοφαγία, κ) ἁρμονίαι τε ἄκαιροι, καὶ ἐμετοὶ, καὶ ἐδωδαὶ παλιν οἰνοφλυγίαι, καὶ ἐπαλλοι γαστριμαργίαι. B. Hieronymus li. ii. aduersus Iouinianum: *Vnde & morbi ex saturitate nimia irritantur, multique impatientiam gulæ, vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt.* Sed perditissima illa vomen-

C di consuetudo, quam notat Plinius lib. xiv. cap. xxii. *Iam vero alios lectum expectare non posse, imo vero nec tunicam, nudosque ibi protinus & anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostentationem virium, ac plene infundere, vt statim euomant, rursusque hauriant, idque iterum, tertioque, tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam illa effundi non possint, nisi per humanum corpus.*

DIGITI *crepantis*] Belli illi homines solo digitorum crepitu matellam poscebant. Martialis noster lib. xiv. de Matella fictili.

> *Dum poscor crepitu digitorum, ac verna moratur:*
> *O quoties pellex culcita facta mea est.*

Vide & epigr. lxxxix. lib. vi. Sed Eunuchi peculiariter huic ministerio attributi. Petronius: *Cum has miraremur lautitias, Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.*

D FLABELLO] ψύγμαν. Vide Athenæum ibidem.

PERCVRRIT *agili corpus arte tractatrix*] Athenæus: ὁ μὲν εἷς ἐπὶ τῆς κλίνης πρὸς ποδῶν καθῆστο τοὺς τῦ μειρακίου πόδας ἐπὶ τοῖς αὐτοῦ γόνασι λεπτῷ λινδίῳ συνεμψάχων. ὁ δὲ ἐπεὶν δήπου καὶ μὴ λέγεται νῦν ἀδύνατον, &c.

AD EPIGR. XCI.

SEMIVIRO *cum grege*] Valer. Max. lib. vii. cap. vii. *Appellatus Mamercus à Surdino, cuius libertus Genutium heredem fecerat, Prætoriam iurisdictionem abrogauit: quod diceret Genutium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere.* Lactant. lib. i. cap. xxi. *Non minoris insaniæ in-*

dicanda sunt publica illa sacra, quorum alia sunt Matris Deûm, in quibus homines suis ipsi virilibus litant: Amputato enim sexu nec viros se, nec fœminas faciunt. Mamertinus Paneg. *Sed spadones quoque, quos quasi à consortio humani generis extorres, ab vtroque sexu aut naturæ origo, aut clades corporis separauit.* Sic Artemidorus lib. II. cap. LXXIV. spadonas ait φησὶ μήτε ἐν ἀνδράσι, μήτ' ἐν γυναιξὶν ἀριθμεῖσθαι. Prudentius in Martyrio Romani:

Vterque sexus sanctitati displicet,
Medium retentat inter alternum genus,
Mas esse cessat ille, nec fit femina.

STERILES *viri*] Atys apud Catullum:

Egone Deum ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, Ego mei pars, Ego vir sterilis ero?

Quare dicat, *Ego mei pars*, clarum ex nota præcedente. Claudianus de Eutropio Consule Eunucho. ——*Quid fertile terris?*
Quid plenum sterili possit sub Consule nasci?

B PLVTEO *vindice*] Sueton. in Calig. *Et cœnanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est.*

AD EPIGR. XCII.

VT *patiar mœchum, rogas vxor, Galla, sed vnum*] De more seculi. Seneca lib. III. de benef. A cap. XVI. *Infrunita & antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari vnius adulterium.*

AD EPIGR. XCIII.

CVM *te lucerna balneator*] In balneis sæpe stabant meretrices. Lampridius in Heliogabalo. *Omnes de circo, de theatro, de stadio, de omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quasi militarem, dicẽs eas commilitones, &c.* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Tales vbi comitantibus singulis quinquaginta ministris tholos introierint balnearum, vbi vbi sunt, minaciter clamantes, apparuisse subito ignotam compererint meretricem, aut oppidanæ quondam prostibulum plebis, vel meritorij corporis veterem lupam, certatim concurrunt, palpantesque aduenam deformitate magna ita extollunt, vt Semiramim Parthi, &c.*

B VSTORQVE *tedæ*] Gloss. *Vstor*, νεκροκαύστης. *Vstrina*, καῦστρα νεκρῶν. Lucanus lib. VIII.

Da vilem Magno plebei funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes:
Robora nec desint misero; nec sordidus vstor.

Robora dicit, quæ in plebeiorum & viliorum personarum rogis; Nam in alijs pinus, cupressi, & arbores bene olentes.

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD LIBRVM IV. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPIGRAMMA. I.

HIC *colat redeunt. secula*] Nā Domitianus ludos seculares celebrauit. Suetonius: *Fecit & ludos seculares, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat.* De his ludis nos alibi.

SACRA *Terentus habet*] Somniat hîc Commentator. De Terento, vbi ludi seculares celebrati, vide Festum, & Val. Max. lib. ii. cap. iv. Dicit autem Martialis, *Sacra Terentus habet*, quia ante ludos Terenti sacrificabant. Val. Maxim. *Hoc postquam Valesius nuntiante seruo accepit, omisso emendæ aræ proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furuæ dicebantur, Terenti immolauit; ludos & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit. Cuius exemplum Valerius Poplicola, qui primus Consul fuit, &c.*

AD EPIGR. II.

NIGRIS *m. H. lacernis*] In togis enim spectabant, non in lacernis, nisi pluuiali tempore. Vnde obscœnum omen ante Commodi mortem apud Ælium Lampridium. *Ipse autem prodigium non leue sibi fecit. Nam quum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit: Et contra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, non togatos, ad munus conuenire, quod funeribus solebat. in pullis vestimētis præsidens.* Sed de hac re alij.

CANDIDVS *sederet*] Quippe togatus.

AD EPIGR. III.

INDVLGET *tamen ille Ioui*] Sueton. in Domitiano: *Edidit nauales pugnas pene iustarum classium, effosso, & circumstructo circa Tiberim lacu: atque inter maximos imbres perspectauit.* Nihil autem mutandum in ijs quæ sequuntur. Imbres, inquit, etiam contemnit, ne capite quidem, vt eos excutiat, aut declinet, moto.

QVI *siccis*] Lego cum interrogatione,

Quis siccis lasciuit aquis, & ab æthere ludit?

AD EPIGR. IV.

LASSI *Bardiacus*] In prioribus editionibus legitur, *Lassi bardiaci os quod enocati.*

A Rescripsit doctiss. Turnebus, *Bardaici* pro *Bardiaci*. Iunius legit, *Lazi bardiacus quod enocati*, & *Bardiacum* esse dicit *trintam*, *& pinguem lacernam, olidamve cucullum barbari militis.* Quod quidem affirmare facilius est, quam confirmare. Si quid mutandum est in veteri lectione, *Lassi bardaici os, &c.* præter Turnebi correctionem, legerem *Lassi bardaicus quod, &c.* Nam pro *Bardiacus*, quod legitur in quibusdam exemplaribus, rescribendū omninò existimo *Bardaicus*, quemadmodum pro *Bardiaci* reponendum existimauit Turnebus *Bardaici*, à bardis cantoribus, & sacrificulis Gallorum non ignotis. *Bardaicum* autem accipio pro Bardocucullo. Iul. Capitolinus in Pertinace: *Vestis in subtegmine serico aureis filis insignior, per tunicas penulasque, lacernas & chirodotas Dalmatarum, &c. & cuculli bardaici.*

B QVOD *ieiunia sabbatariorum*] Hæc ieiunia ab alijs notata. Augustus apud Sueton. *Nec Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium seruat, quam ego hodie seruaui.* Iustinus Martyr epist. ad Diognetum. ἀλλὰ μὴν τό γε περὶ τὰς βρώσεις αὐτῶν ψοφοδεὲς, καὶ τὴν περὶ τὰ σάββατα δεισιδαιμονίαν, καὶ τὴν τῆς περιτομῆς ἀλαζονείαν, καὶ τὴν τῆς νηστείας καὶ νουμηνίας εἰρωνείαν καταγέλαστα, καὶ οὐδενὸς ἄξια λόγου, νομίζω σε χωρὶς παρ' ἐμοῦ μαθεῖν. Quare & sospitator noster Iesus Christus notauit in ijs τὸν ἀφανισμὸν τῶν προσώπων ἐν ταῖς νηστείαις. Huc olim referebam Luciani locum περὶ ἑβδομαίων τραγῳδῶν, quod quum obseruassem inuenti sunt alij qui errorem meum sibi vindicarint; qua quidem de re nullo interdicto cum ijs vnquam contendam.

C QVOD *sp. moriens l. Ledæ*] Quare Ledæ locus heic esse debeat, non video. Rescribo igitur *tedæ*. Neque dubium quin deficiens teda spurca graueolens sit. Si vera esset lectio Ledam acciperem pro meretrice, cuius alibi meminit Martialis. Nam scimus meretrices ad lucernas prostare solitas, quippe de nocte. Vnde *Nonariæ* appellantur à Persio. Iuuen. satyr. vi.

Et lassata viris nondum satiata recessit,
Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

Horat. sat. vii. lib. ij. ——*acris vbi me*
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quæcunque excepit.

Quare & *Olidum fornicem* dixit Iuuenalis, quemadmodum Horatius *Olentem*, satyr. ij. lib. i.

—— Sunt qui nolint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste.
Contra alius nullam, nisi olenti in fornice stantem.

Seneca Controu. ij. lib. i. *Redoles adhuc fuliginem fornicis.* Hæc scripseram, cùm ad me allatus est Martialis Argentinæ excusus, in quo notauit Iunius in quibusdam exemplaribus esse *tede* pro *Lede.*

AD EPIGR. V.

PLAVDERE *nec Cano*] Citharœdi enim, cùm placebant, plausu excipiebantur. Suetonius in Vitellio, *Ac solenni conuiuio citharœdum placentem, palam admonuit, vt & aliquid de Domitio diceret, inchoantique Neroniana cantica, primus exultans etiam plausit.* Plutarc. lib. ij. de Fort. Alexandri. ὁ δὲ τῶν Σκυθῶν βασιλεὺς Ἀντίας, Ἰσμηνίαν τὸν αὐλητὴν λαβὼν αἰχμάλωτον, ἐκέλευσε παρὰ πότον αὐλῆσαι. θαυμαζόντων δὲ τῶν ἄλλων τὸν ἄνδρα, καὶ κροτούντων, αὐτὸς ὤμοσεν ἀκροᾶσθαι τοῦ ἵππου χρεμετίζοντος ἥδιον. *Scytharum rex Anteas, cum Ismeniam tibicinem bello cepisset, eum in conuiuio tibia canere iussit: cumque mirarentur cæteri & exultantes plauderent, iurauit ille equum se hinnientem audire lubentius.* Sed nescio quo plausu, & crepitu, canentem, ἤγουν τὸν αὐλοῦντα ἢ κιθαρίζοντα, saltatoremque iuuabant homines aliquando huic officio assignari. Lucianus Dialogis meretricijs. ἤδη δὲ προκεχωρηκότος τοῦ πότου, ἐγὼ μὲν ὑπεκρουσάμην τῷ Λυδίῳ, ὁ Καύκασος δὲ ἤδη ὠρχεῖτο ὀρχησάμενος. ἡ Κροκάλη δὲ ἀνέστη. καὶ πάντα ἦν ἡδέα. ... καὶ ὁ αὐλὸς ἐκρότει. Ferreis calceamẽtis terrã quãdoq; pulsabant. Idẽ Lucianus περὶ ὀρχήσεως ἐπεὶ γὰρ τῶν τῷ σιδηρῷ ὑποδήματι κτυπούντων τὴν ἰσόπεδα κατήρρηξε, ἐπεὶ δὲ τῶν ὑπαυλούντων ἐν αὐλοῖς ὄρθιον &c. Vnde Suet. in Caligula: *Saltabat autem nonnumquam etiam noctu, & quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitos, multaque & extrema metuentes super pulpitum collocauit: Deinde repente magno tibiarum & scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abijt.* Sed & spectatores ἐκρότουν: quod in priuatis συμποσίοις factum iam ostendimus: sed & in publicis θεάτροις. Ouid. lib. I. περὶ ... .

Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco,
Ludius æquatam ter pede pulsat humum:
In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo prædæ signa petenda dedit.

Lucianus περὶ ὀρχήσεως. ... ἐν βαθεῖ ὄντας ... καὶ ... τὴν κώμην, καθῆσθαι μόνον ἐν τοῖς χοροῖς, καὶ τοῖς μεμνῆσθαι ἐκείνοις ... . Ex his omnibus intelligendus Plinius ep. xiv. lib. ij. *Plausus tantum, ac potius sola cymbala, & tympana illis canticis desunt: Vlulatus quidem, (Neque enim alio vocabulo potest exprimi) theatris quoque indecora laudatio large supersunt.*

VOCE *citare reos*] Seneca lib. I. de Tranquill. vitæ, cap. xiv. *Ludebat laterunculis, cum centurio agmen periturum trahens, & illum quoque citari iuberet. Vocatus numerauit calculos, & sodali suo: Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse.* Præconem igitur designat Martialis, à quo citabantur rei. Tit. Liuius lib. xxviij. *Præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio.* Et lib.

A xxxviij. *Nec cum ijs, præter seruilem comitatum, & præconem, qui reum ex rostris citabat, quisquam esset.* Eusebius lib. vij. hist. Eccl. cap. xv. ἕως ἐκεῖσε ἱστηθεὶς αὐτὸν, κήρυξ ἰδίᾳ καλῶν πρὸ τοῦ δικαστηρίου.

VENDERE *nec vanos*] Hic locus a viris doctis pridem est explicatus. *Venditare* in eadem re vsurpauit Sidonius Apollinaris. *Sed neque ex illo, vt ferunt, numero, qui secreta dirigentium Principum venditantes, ambiunt à barbaris bene agi cum legato potius, quam cum legatione.* Sic καπνίζειν Græcis. Nam ita accipiendus hic Xiphilini locus in Adriano. ὁ μέντοι οὔτ' ὀξύθεσθαι ἐς, οὔτ' ἀπέδοτό τι, ... οἷα ὅσοι Καισάρειοι, καὶ οἱ ἄλλοι οἱ περὶ τοὺς αὐτοκράτορας ἴσχοντες ποιεῖν εἰώθεσι. *Neque tamen quisquam insolenter se gessit, aut quidquam eorum quæ diceret aut faceret imperator, venditauit, qualia solent & Cæsariani, & cæteri qui circa Imperatores sunt.* Proprie autem heic fumus, vt notarunt alij: Quare & Ἑρμόλαος insignis Athenis καπνὸς

B appellatus, quia πολλὰ ὑπισχνούμενος, οὐδὲν ἐτέλει, vt obseruat Aristophanis Scholiastes in Auibus.

AD EPIGR. VI.

IN *Stellæ recitat*] Hoc intelligi volunt de Stellæ puero quodam formoso, qui Domini versus recitare, & assidue cantillare soleret. Sed ego existimo poëtam aliquem notæ improbitatis hic perstringi. Nemo enim ignorat solitos poëtas, & alios scriptores, qui ædes aut angustiores, aut viliores haberent, in alienis ædibus ornatioribus, & amplioribus scripta sua recitare. Exempla passim obuia apud Iuuenalem, & alios. Nec ædes alienas mutuabantur solum, verum & auditorium exstruebant & instruebant, conductis subsellijs,

C &c. Iuuenalis sat. vij.

Nemo dabit Regum quanti subsellia constent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.

Huius incommodi meminit & auctor Dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ: *Nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit.*

AD EPIGR. VIII.

AMBROSIAS *dapes*] Sic alibi idem de iisdem Imperatoriis epulis. Eodem modo *Diuinæ epulæ* C. de Comit. & Trib. schol. vt recte rescripsit magnus Cuiacius.

D

AD EPIGR. X.

SPONGIA] Sueton. in Augusto: *Nam Tragœdiam magno impetu exorsus, non succedente stylo aboleuit: quærentibusque amicis quidnam Aiax ageret, respondit, Aiacem suum in spongiam incubuisse.* Idem iocus exstat & apud Macrob. lib. ij. Satur. cap. iiij. Idem Sueton. in Calig. *Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia, linguaue delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.*

AD EPIGR. XIII.

MASSICA *Theseis*] Vinum enim fortius & asperius admisto melle temperabatur. Virg. lib. IV. Georg.

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum

Et liquida, & durum Bacchi domitura soporem.

Vide & Horat. sat. ij. & iv. lib. ij. Vnde cognosces falli eos, qui heic mulsum à Martiale significari putant.

AD EPIGR. XIIII.

CEDERE *cogis Afr.*] Eadem figura Horatius sat. vlt. lib. I.

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput.

Theophrastus περὶ λογοποιίας. οἱ δ' ἐν τῇ στοᾷ πεζομαχίας καὶ ναυμαχίας νικῶντες, ἐρήμους δίκας ὠφλήκασιν. T. Liuius lib. xliv. *In omnibus circulis, atque etiam, si Dijs placet, in conuiuijs, sunt, qui exercitum in Macedoniam ducant; vbi castra locanda sint, sciant*, &c. Sed eleganter Alexander apud Lucianum de conscribenda historia, vbi Aristobulum historicum, qui Alexandri cum Poro μονομαχίαν descripserat, adfictis, quæ ille ad Alexandrum maxime ornandum necessaria existimabat, castigat; καὶ σὲ δὲ οὕτως ἐχρῆν, ὦ Ἀριστόβουλε, τοιαῦτα ὑπὲρ ἐμοῦ μονομαχοῦντα, καὶ ἐλέφαντας ἑνὶ ἀκοντίῳ φονεύοντα, &c.

AD EPIGR. XVIII.

VIPSANIS *columnis*] Vipsanæ porticus meminit etiam Plutarc. in Galba. τῷ δ' Ἰουνίῳ ... ἐν τῇ καλουμένῃ στοᾷ Βιψανίᾳ ... Porticus est à M. Vipsanio Agrippa constructa.

AD EPIGR. XXI.

PROBATQVE *quod se*] Sic impij quique iudicare solent, non expectantes donec Ixion rotæ affigatur. Cic. lib. iij. de Nat. Deorum. *Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viueret. Dionysius, de quo ante dixi, cum fanum Proserpinæ Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: isque cum secundissime cursum teneret: Videtisne, inquit, amici, quam bona à Dijs immortalibus nauigatio sacrilegis detur?*

AD EPIGR. XXVIII.

SCYTHAS *smaragdos*] Scythicos. Sic σκύθην εἰς οἶμον. Æschylus.

NVDAM *te statuet*] γυμνὴν σε καταστήσει. De hoc loquẽdi genere dixi in Animaduersionibus ad Iamblichum, quas edidi pene puer. Locum correxi cap. ij. lib. I. de vita Pythagoræ, ἀποκομισάσης τῆς Παρθενίδος ... μηνύσαι τὸν Ἀπόλλω, καὶ κελεύσαντος αὐτὴν ... οὕτως ἐχούσης καταστῆναί τι, &c. Ediderunt typographi κυούσης. Sed quod cap. iv. rescribere volui apud Marinum Neopolitanum, μεθ' ἡμέρας, pro μεθ' ἡμέραν, peccatum est hominis somniantis, & aliud agentis.

AD EPIGR. XXX.

SACRIS *piscibus*] *Sacros* dicit *pisces*, quos postea *dedicatos*. Notum ex Athenæo lib. vii. solitos olim consecrari pisces, quemadmodum & greges, siue (vt verbis Eustathij vtar) ἀγέλας ὅλας ἱερῶν ζώων. de quibus etiam Suetonius in Iulio Cæsare. Sed in fanis præcipuè, & locis contiguis sacra animalia alebantur. Lucianus lib. de Dea Syria. ἔστι δὲ καὶ λίμνη αὐτόθι, οὐ πολλὸν ἑκὰς τοῦ ἱροῦ, ἐν τῇ ἰχθύες ἱροὶ τρέφονται πολλοί, καὶ πολυειδέες. γίγνονται δὲ αὐτέων ἔνιοι κάρτα μεγάλοι. οὗτοι δὲ καὶ οὐνόματα ἔχουσι, καὶ ἔρχονται καλεόμενοι. ἐπ' ἐμεῦ δέ τις ἦν ἐν αὐτοῖσι χρυσοφορέων. ἐν τῇ πτέρυγι δὲ ποίημα χρύσεον αὐτέῳ ἀνέκειτο. Horum piscium meminit & Plinius lib. xxxii. cap. ii. *Hierapoli Syriæ in lacu Veneris æditnorum vocibus parent vocati, exornati auro veniunt, adulantes scalpuntur, ora hiantia manibus inserendis præbent.* In pluribus Cæsarum villis pisces eiusmodi seruatos idem ibidem testatur. Athenæus lib. viii. ἐγὼ δὲ ἐν τῇ κατὰ Χαλκίδα Ἀρεθούσῃ τεθέαμαι, ἴσως δὲ καὶ ὑμῶν οἱ πλεῖστοι, κεστρεῖς χειροήθεις, καὶ ἐγχέλεις ἐνώτια ἐχούσας ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ, λαμβανούσας τε καὶ λαμβανόντας παρὰ τῶν προσφερόντων τροφάς, ἀπὸ τῶν ἱερείων σπλάγχνα, καὶ τυροὺς χλωρούς. *Ego vero vidi, fortasse & vestrum plurimi in Chalcidis Arethusa, cestreos mansuefactos, & anguillas aureis & argenteis inauribus decoratas, cibos ab offerentibus accipientes, victimarum exta scilicet, & musteum caseum.* Sic enim explicandus hic locus, non vt vulgo. Non dubium autem quin ipse lacus, vbi hi pisces dedicati, sacer esset. Consecrabantur enim & illi, & ab ijs cymbæ arcebantur. Plin. lib. viii. epist. xxi. de Vadimone lacu. *Nulla in hoc nauis. (Sacer enim est) sed innatant insulæ herbidæ, omnes arundine, & iunco textæ.* Apud Petronium anus sacrificula, & superstitiosa *anseres sacros* asseruat. *Vix ad casæ ostiolum processeram, cum ecce tres anseres sacri, qui, vt puto, medio die solebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt.* Anseres hosce sacros, *publicos* posteà appellat. *Et ipsa flere vehementius cœpit, meique misereri, tanquam patrem meum, non publicum anserem occidissem.*

QVID *quod nomen habet*] Eadem Lucianus & Plinius locis modo citatis.

CALAMO] Lucianus Διὶ ἐπιδιχουμένῳ. ὡς καὶ αὐτὸν σε ἀνασπάσειν ἀγωρόδοκεν ἐκ τοῦ ἀγκίστρου, καθάπερ οἱ ἁλιεῖς ἐκ τοῦ καλάμου τοὺς ἰχθῦς.

CALAMO *tremente*] Sic *Tremula arundo* Ouidio.

Hos aliquis tremula dum captat arundine pisces,
Vidit.

ROGATORES] *Rogator* Martiali προσαίτης. Sic *Rogare stipem*. Seneca Controu. IIII. lib. x. *Stipem rogant, & vnius misericordia viuunt, omnium aluntur. Erogare stipem* dixit Apul. I. & vii. Miles. αἰτεῖν Græcis, προσαιτεῖν, & μεταιτεῖν: Item ἐπαιτεῖν, & plenius βίον ἐπαιτεῖν apud Euripidem, *demander sa vie.*

IACTIS *simplicibus cibis*] Quibusdam enim donis animalia eo modo dedicata, aut religiosa decorabant. Plin. epist. xxxiii. lib. ix. *Incredibile (Tam verum tamen quam priora) Delphinum collusorem, gestatoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum, vbi incaluisset, in mare reuolui. Constat Octauium Auitum, legatum Proconsulis, in littus educto religione praua superfudisse vnguentum, cuius illum nouitatem, odoremque in altum refugisse.* Vide & Plin. auunculum lib. ix. cap. viii. Delphina igitur venerabantur, vt piscem sacrum, & dijs charum. Quare & alijs cum honoribus prosequebantur, vt florum, coronarum, & cæterorum eiusmodi ornamento. Vnde lib. iij. Anthol.

Κύμασι, καὶ τρηχὺς με κλύδων ἐπὶ χέρσον ἴσωρσε
Δελφῖνα, ξείνης κοινὸν ὅραμα τύχης.

Ἀλλ' ἐπὶ μὲν χεῖρας ἐλαίῳ πᾶσας. εἰ γὰρ ἰδόντες
Εὐθὺς πρὸς τύμβον μ' ἔσφερον ἀνδρὶ ἕως.

Sed & res alias quanquam ἀψύχους Dijs consecratas donis onerabant. Vide Apul. Milef. xi. de naui Isidi dedicata.

AD EPIGR. XXXI.

IMPOSITVM *mater*] Alter parentum nomen infanti imponebat. Quandoque honoris gratia alicui ex amicis nominis imponendi dignatio concedebatur. Constat ex Suetonio in Nerone.

AD EPIGR. XXXIII.

TEMPVS *erat iam te Sosibiane legi*] Id est, iá debebas elatus esse; Tempus erat decessisse te, & ossa tua esse lecta. Nam ossilegium profecto videtur alludere.

B

AD EPIGR. XXXVII.

EX *insulis*] Notum sub Imperatoribus quasuis ædes locatitias *Insulas* appellatas fuisse. Glossæ, *Insula*, ὑποστεγωνοικία. aliæ, ἐνοικολόγος, *Insularius*, ὁ τὰ ἐνοίκιον ἐκλεγόμενος, pensionum flagitator & collector. *Domini insularum* Suetonio dicuntur locatores, si bene memini.

AD EPIGR. XXXIX.

VETERES *Myronis artes*] Præclari illi artifices operibus suis nomen insculpebant suum. Seneca lib. I. de Tranq. vit. cap. I. *Placet minister incultus, & rudis vernula, argentum graue rustici patris, sine vllo opere & nomine artificis.* Idem Consolat. ad Albinam, cap. XI. *Si desiderabit aureis fulgentem vasis supellectilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, as paucorum insania pretiosum,* &c. Eleganter & apposite Phædrus, fabularum lib. v.

Vt quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo
Si marmori adscripserunt Praxitelem, suo
Detrito, &c.

AD EPIGR. XLII.

SIT *niue candidior*] Sic frequentissime. Et ita Græci. Matron ὁ παρῳδός,

Οὓς δὴ καλλίστους ἄρτους ἴδον ἠδὲ μεγίστους,
Λευκοτέρους χιόνος, ἴδειν δ' ἀμύλοισιν ὁμοίους.

AD EPIGR. XLIII.

TEMERARIVS, *nec audax*] Vides distingui Temerarium ab Audaci. Distinxerunt & alij. T. Liuius lib. xxv. *Ob hoc cùm omnia neglecta apud hostes essent, exploratis ijs, Martius ad consilium prima specie temerarium magis, quàm audax, animū adiecit, vt vltrò castra hostium oppugnaret.*

AD EPIGR. XLVI.

ET *l. var. mappa clauo*] Mappam laticlauiam appellat Petronius. *Pallio enim coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste ceruices laticlauiam immiserat mappam, fimbrijs hinc atque illinc pendentibus.*

A CVM *bulbis, cochleisque*] Bulbi & Cochleæ sæpe coniunguntur. Petronius: *Mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine iure ceruicibus, hausi parcius merum.* Vide & Plin. lib. I. epist. XV. Græcis quoque idem palati genius, vt ita dicam. Alexis:

——πίννας, κάραβον,
Βολβούς, κοχλίας, κήρυκας, ᾠά, ἀκροκώλια,
Τοσαῦτα τούτων αὖ ὡς εὗροι φάρμακα.

Theocrit. idyll. XIV.

Βολβὸς ὡς κοχλίας ἐξῃρέθη· ἦν πότος ἁδύς.

Legendum fortasse, βολβὸς καὶ κοχλίας. Scholia legerunt, βολβὸς κοχλίας. Notant enim, βολβός, εἶδος βοτάνης ἐμφερὴς κρομμύῳ κοχλιῶδες.

AD EPIGR. XLIX.

CRVDE *Thyesta*] ὠμέ. Ouidius:

Non tibi Theromedon, crudusue vegabitur Atreus.

AD EPIGR. LIII.

INTER *penetr. nostra Pallados*] Nam Cynicorum hominum αἰσίαν & οἰκίαν habitationes in templis sæpius. Diogenes ipse Cynicorum κορυφαῖος εἰώθει ἐν πᾶσι ταῖς πόλεσι & ἐνταῦθα διέτριβεν ἐν τοῖς κοινοῖς τε & ἱεροῖς, vt scripsit Dio Chrysost. De eodem B. Hieronymus aduersus Iouinianum lib. II. *Habitauit autem in portarum vestibulis, & porticibus ciuitatum.* Plutarchus: τύχη, πενίας ἀπειλάς, καταγελᾷ σου Μητροκλῆς, ὃς χειμῶνος ἐν τοῖς προβάτοις καθεύδων, καὶ θέρους ἐν τοῖς προπυλαίοις τῶν ἱερῶν, τὸν ἐν Βαβυλῶνι χειμάζοντα, καὶ περὶ Μηδίαν θερίζοντα Περσῶν βασιλέα περὶ εὐδαιμονίας εἰς ἀγῶνα προεκαλεῖτο. *Paupertatem minitaris, fortuna? At ridet te Metrocles, qui cùm anni hyeme in ouilibus dormiret, æstate verò in templorum vestibulis, Persarum Regem Babylone hyemantem, & in Media æstatem traducentem prouocabat in certamen de beatitate.* Nempe hæc receptacula miserorū. Quare Lycophron Pisistrati filius, quū cum nemo recipere vellet, ἐξαμαρτηρίων ἐν τῇσι στοῇσι ἐκαλινδέετο, ait Herodotus Mus. III.

CVM *baculo peraque*] Hæc insignia, & veluti γνωρίσματα istorum philosophorum. Auson. epig. III. *Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex Ista fuit Cynici.*

Herodianus in Commodo: περὶ δὲ λέγεταί τινα στρατηγὸν ἐπὶ τῆς σκηνῆς, σχῆμα φιλοσόφου φέροντα (βάκτρον γὰρ ἦν αὐτῷ μετὰ χεῖρας, ἡμιγύμνῳ τε αὐτῷ ὀκχουμένης πήρα) εἰσδραμεῖν & στάντα ἐν μέσῃ τῇ σκηνῇ, &c. Lu-
D cianus, qui non vno loco horum Philosophorum πορφυρίαν ridet, huius quoque supellectilis passim meminit. Sic igitur Cynici baculo suo clauam Herculis imitabantur. Vnde Apuleius lib. IV. floridorum. *Eas omnes pestes mentibus exegit: (Crates scil. Diogenis sectator) familias purgauit: malitiam perdomuit: seminudus & ipse, & claua insignis: etiam Thebis oriundus, vnde Herculem fuisse memoria exstat.*

CVI *cana putrisque*] Coma putris nota infimarum sordium, quæ hominibus illis placuere θαυμαστὸν ὅσον. Vnde & colorem nigriorem affectarunt. Lucianus δραπέταις. πολλοὶ γοῦν τὰς τέχνας ἀφέντες, ἃ ἔχοι πως ἐπὶ τῶν τεχνῶν αὔξοντες καὶ τὸ τριβώνιον, & τὸ σῶμα πρὸς ἥλιον εἰς τὸ αἰθιόπιον ἐπιχρώσαντες, αὐτοσχέδιοι φιλόσοφοι ἐκ σκυτοτόμων ἢ τεκτόνων μεταποιοῦνται. De hac autem coma plura in Digressionibus.

CERRA *quem nudum*] Seneca lib. IV. de Benefic. cap. XIII. *Sic illiteratum, non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum. Sic qui male vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.* Sic γυμνοὶ & ἡμιγυμνοὶ Cynici sæpe apud Arrianum, & alios. Quare ineptiunt qui heic *nudi* legi volũt. De grabato dicebamus ad epigr. xciij. lib. i.

AD EPIGR. LV.

LIBIDINOSÆ *Lacedæmonis*] Atqui tanta olim Lacedæmone pudicitia, vt nullæ de adulterio leges prioribus temporibus fuerint, vt testatur Plutarchus. Quare ergo libidinosa Lacedæmon? Si propter Helenam (vt vult Domitius) Martialis certe Laconum genti iniurius. Nam quæ ciuitas est tam notæ castitatis, vbi non insignis aliqua meretrix Helena lasciuior, & nata, & denata sit? Si quia Venus ibi colebatur, vt idem autumat, hoc epithetum generale est: & vbicumque Venus culta est, vrbs libidinosa diceretur. Sed libidinosa Lacedæmon (vt opinor) quia Veneri quasi consecrata, & peculiaris. Vnde Martialis noster epigr. XLIV. huius libri.

Hac Veneris sedes Lacedæmone gratior illi.

Vel an ideo libidinosa Lacedæmon, quia puellæ οὐδὲν ἧττον τῶν κόρων nudæ exercebant, καὶ συναποδύομεναι ὅλον ἐν τῷ βαδίζειν τὸν μηρόν, vnde φαινομηρίδες Ibyco appellatæ? Sanè sapientes existimarunt in constituenda Laconum πολιτείᾳ non mediocriter aberratum ad feminas quod attinet. Leges enim viris rigidas ac seueras positas fuisse, mulieribus non item. Ζῶσι γὰρ ἀκολάστως πρὸς πᾶσαν ἀκολασίαν, & τρυφερῶς, ait Aristotel. lib. ii. Polit. cap. ix. Idem obseruabat Euripides in Andromacha:

———οὐδ᾽ ἂν εἰ βούλοιτό τις
Σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
Αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους,
Γυμνοῖσι μηροῖς, & πέπλοις ἀνειμένοις,
Δρόμους, παλαίστρας, τ᾽ οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοί,
Κοινὰς ἔχουσι. κᾆτα θαυμάζειν χρεὼν
Εἰ μὴ γυναῖκας σώφρονας παιδεύετε;

ARMORVM *Salo temperator*] Antea epigr. 50. lib. i. *Et Salo qui ferrum gelat.*

AD EPIGR. LVII.

ARGIVI *reg.*] Argiuum colonum Tiburtum appellat Tiburis conditorem. Horat. Od. vi. lib. ii.

Tibur Argæo positum colono
Sit meæ sedes vtinam senectæ.

Ouidius quoque *Tibur Argæum* appellauit eleg. v. lib. iij. Amorum. Vide quod notamus infra ad epigr. LX.

ERGO *sacri fontes*] *Sacri fontes*; quia fontibus & fluuiis diuinitatem nescio quam assignauit rudis illa antiquitas. Vnde ἱεροὶ ποταμοί, διὰ τὸ ἀέναον, inquit Eustath. ad lib. ii. Odyss. Persæ non solum πυρολάτραι (vt eleganter appellantur à Theodoro Prodromo) sed & ὑδρολάτραι. Arnob. lib. vi. aduersus Gentes. *Ridetis temporibus priscis Persas fluuios coluisse, memorabilia vt indicãt scripta.* Herodotus Musa ii. ἐς ποταμὸν δὲ οὔτε ἐνουρέουσι, οὔτε ἐμπτύουσι, οὔτε χεῖρας ἐναπονίζονται, οὔτε ἄλλον οὐδένα περιορῶσι, ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τῶν πάντων μάλιστα. Meminit & Agathias tom. ii. hist. γεραίρουσι δὲ ἐς τὰ μάλιστα τὸ ὕδωρ, ὡς μηδὲ τὰ πρόσωπα αὐτῷ ἐναποπλύνεσθαι, μήτε ἄλλως ἐπιθιγγάνειν, ὅτι μὴ πότου ἕνεκα & τῆς τῶν φυτῶν ἐπιμελείας. *Aquam autem præcipuo cultu venerantur, ita vt neque faciem ea lauent, neque aliter attingant, nisi potus gratia, & ob plantarum curam.* Vnde & per ignem, & per

A aquam iurabant. Sidonius Panegyrico.

-- Magis iuratur ab illis
Ignis & Vnda Deus: necnon rata pacta futura.

Recte igitur, & è religionis suæ ritu Darius ὑπὸ μακαρίτης, Xerxis filij sui fluminibus & mari vim inferre conati, ἀσέλγειαν & audaciam accusat apud Æschylum ἐν Πέρσαις.

Πόρον δ᾽ ἱερὸν τόν ῥ᾽ ἐνεχειρήσει δούλου σχήσειν δεσμώμασι ...
Ος πε Ἑλλήσποντον ἱρὸν, δοῦλον ὡς, δεσμώμασι
Ηλπισε σχήσειν ῥέοντα Βόσπορον θεοῦ.

Vbi malè notat Scholiastes ἱερὸν dici Ἑλλήσποντον διὰ τὸ ἱδρῦσθαι αὐτόθι Διὸς ἱερόν. Sed manifestum Darium ibi loqui è ritu religionis suæ fluuios consecrantis. Elegans etiam in hanc sententiam epigramma Dioscoridis lib. iii. Anthol.

AD EPIGR. LX.

B ARDEA *solstitio*] Mutata consuetudine scilicet. Nam loca hæc anni hyeme colebantur, non æstate. Solstitium autem συνεκδοχικῶς pro Solstitio æstiuo. Sic vulgo. Vnde recte in gloss. *Solstitium*, τροπὴ θερινή. Seneca lib. i. de Benef. cap xij. *Nemo tam stultus est, vt monendus sit, ne cui gladiatores, aut venationem iam munere edito mittat, & vestimenta æstiua bruma, hyberna solstitio.* Solstitium hybernum brumam appellabant, quod omnino notum. Vnde Gloss. *Bruma* τροπὴ χειμερινή. Solstitium autem appellabant, non vnicum illum diem, quo Sol in Cancro summus est; sed & dies, quibus accedit & recedit propinquiores; quemadmodum & Brumam non stationem illam Solis in Capricorno, sed & τὰ μετέχοντα.

CVM *Tiburtinas*] Ditiores villas & prædia circa Tibur, aut in ipsa vrbe ædes habebant, quò
C æstate secedebant. A. Gell. lib. xix. cap. 5. *In Tiburte rus concesseramus hominis amici diuitis, æstate anni flagrantissima.* Prædia illa *Tiburtina* appellabant: quemadmodum *Tusculana*, quæ prope *Tusculum*. Vnde *Tusculanum* villa Ciceronis. Seneca lib. iv. de Benef. cap. xii. *Nemo Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus, salubritatis caussa, & æstiui secessus, quoto anno empturus sit, disputat; Cũ emerit, tuendum est.* Florus lib. i. cap. ii. *Tibur nunc suburbanum, & æstiuæ Præneste deliciæ nuncupatis in Capitolio votis petebantur.*

SARDINIA *est*] Nam Sardinia νοσερὰ τοῦ θέρους, vt ait Strabo. Caussam explicat Claudianus.

AD EPIGR. LXVI.

TOGVLA *est excussa*] Reponenda lectio, quam adferunt è veteri codice, *Togula est tibi sum-*
D *pta.* Diebus enim festis tantum & solennibus togas & candidiores vestes sumebant in municipiis.

AD EPIGR. LXIX.

DICERIS *hac factus*] Pittacia affigebantur ceruicibus amphorarum, vbi vinum vetus seruabatur, quibus annorum numerus notabatur. Vnde *de meliori nota*. Petronius. *Statim allata sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in ceruicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo*, FALERNVM OPIMIANVM ANNORVM CENTVM. Iuuenalis satyr. v.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cuius patriam, titulumque senectus
Deleuit multa veteris fuligine testæ.

Notabatur igitur patria cum ætate. Vnde *Falernum* apud Petronium. Deinde *Opimianum centum annorum.*

MASSICA *ponis*] Petronius: *Verum est, Vinum Opimianum presto, Heri non tam bonum posui, & multo honestiores erant.* Ergo *Ponere vinum* proprie. Iuuenal. Sat. v.

Non eadem vobis poni modo vina queretur.

AD EPIGR. LXXIII.

STAMINA *pulla*] Contra Stamina alba, cùm vita protenditur. Iuuenalis satyr. xii.

——Postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares, & staminis albi
Lanificæ.

AD EPIGR. LXXIX.

DISCVRRIS *tota vagus esse*] Hoc genus hominum elegantissime describitur a Seneca lib. de Tranquill. cap. xii. Vide locum.

AD EPIGR. LXXXVI.

PRODAT *perspicuus*] Lucianus de mercenarijs; μόνος σὺ πονηρόν τινα καὶ παχὺν πίνεις, θεραπεύων ἀεὶ ἐν ἀργύρῳ ἢ χρυσῷ πίνειν, ὡς μὴ ἐλεγχθείης ἀπὸ τοῦ χρώματος, οὕτως ἄτιμος ὢν συμπότης. *Tu solus malum nescio quod & crassum vinum bibis, dans operam vt argento aut auro bibas, ne ex colore parui te esse pretij conuiuam cognoscant alij.*

AD EPIGR. XC.

LAVO] Lauare, Tondere, Vestire, & alia quædam ὡς παθητικά. T. Liuius lib. xliv. *Lauanti Regi dicitur nunciatum, hostes adesse.* Quintil. lib. i. cap. vi. *At lauamus, & tondemus, & conuiuimus ex consuetudine.* Vestire eodem modo auctores frequentes posuerunt. Tit. Liuius lib. xxii. *Præda ingens parta est, & præter equos virosque, & si quid argenti, quod plurimum in phaleris equorum erat: Nã ad vestiendum facto perexiguo vtique militantes vtuntur.* Tertull. de Pallio. *Sic & in proximo soror ciuitas vestiebat, & sicubi alibi in Africa, Tyros.* Eodem modo *Exercere*, ἀσκεῖν, & alia multa. Sed notandus hic Suetonij locus in D. Claudio; *Comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia Iudicum coronauit. Coronauit* ἔστεψαν id est, ἐστεφανώθη. Hellenismus. Appianus in Hispanica historia: τῆς δ' ἐπιούσης οἱ πρεσβύτεροι, στεφανωσάμενοί τε καὶ φέροντες ἱκετηρίας, τὸν Λεύκολλον αὖθις ἠρώτων ὅ τι ποιοῦντες ἂν εἶεν φίλοι. Et lib. v. Bell. ciuil. Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκτελεσθείσης τῆς θυσίας, στεφανωμένος δάφνῃ σύμβολον νίκης. Plutarch. de Dæmonio Socratis: μὴ γὰρ ἐλευθέρας στεφανωσαίμην τὰς Θήβας, μηδὲ θυσίας ἐπὶ τοῖς θεοῖς, ἐφ' ὧν κατηύξω πολλὰ τῇ πατρίδι πολλάκις. Euseb. lib. v. hist. Eccles. cap. i. διὰ πολλῶν κλήρων ἐκβιβάσαντα τὸν ἀντικείμενον, καὶ δι' ἀγῶνος τὸν τῆς ἀφθαρσίας στεψάμενον στέφανον.

AD EPIGR. XCI.

LIBRARIVS *hoc &*] Legendum fortasse.

Iam librarius Ohe & ipse dicit.

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD LIBRVM V. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPIGRAMMA. I.

SEV *tua veridica*] Id est, Siue es Antij; quo non raro secedebant Imperatores. Strabo lib. IV. καὶ μὴν τοῦ Ἀντίου (Antium dicit) τοῖς ἡγεμόσιν, εἰς σχολὴν καὶ ἄνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὅτε λάβοιεν καιρόν. καὶ δὴ τῶν κατῳκοδόμηνται πολυτελεῖς οἰκήσεις ἐν τῇ πόλει συχναί, πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιδημίας. A

VERIDICÆ *sorores*] Fortunas dicit Antiatinas, quarum meminit Suetonius in Calig. Horatius:

O Diua gratum quæ regis Antium.

SIVE *salutiferis candidus*] Quare *Candidus* dicatur Anxur indicat Horat. satyr. V lib. I.

——Subimus

Impositum saxis late candentibus Anxur. B

PLANA *suburbani*] Cùm enim Antium sit ἐπὶ πέτραις ἱδρυμένον (vt scribit Strabo) & abluatur mari, cui adiacet, videtur mare esse veluti in suburbio Antij, ἢ τὸ οἱονεὶ προάστειόν ἐστι.

GALLA *credulitate fruar*] Mobilitatem, & credulitatem Gallorum notarunt quidam. Sed hæc vitia ab eorum simplicitate, & probitate. Nam τὸ σύμπαν τῶν Γαλατῶν, ἁπλοῦν, καὶ οὐ κακόηθες, à Strabone vere dicitur. Galli igitur οὐ κακοήθεις, & quia fideles ipsi, fidem cæteris facile arbitrantur. Quæ secus in Gallia acciderunt patrum nostrorum, quin & nostra ipsorum ætate, eorum expiationem in paucorum caput deprecamur.

CREDVLITATE *fruar*] Ouid. iij. Amor. eleg. xiii. C

Et liceat stulta credulitate frui.

AD EPIGR. VI.

CVM *fulget placidus*] Vultus enim Domitiano venustus, & quo commendari voluit. Suetonius: *Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, vt apud Senatum sic quondam iactauerit, vsque adhuc certe animum meum probastis, & vultum.* Vnde Plinius Panegyrico: *Et Pop. quidem Romanus dilectum principem seruat: quantoque paulo ante formosum alium, hunc fortissimum personat: quibusque aliquando clamoribus gestum alterius, & vocem, huius pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat.*

AD EPIGR. VII.

QVALITER *Assyrios*] Plura igni absumpta reparauit Domitianus, vt obseruat Suetonius in eius vita; quo pertinet hoc Epigramma.

SVMVS *Martis turba*] Rescribendum hîc esset *Turma*, si Turba semper de re abiecta & vili diceretur, quod volunt quidam, & inde Propertium, Martialemque nostrum reformant, epigr. LXVIII. lib. VII. Sed hoc affirmare nolim: præsertim cùm ita scriptum sæpissimè, & in ijs locis, vbi *Turma* non possit satis placere. Ouid. III. Trist. eleg. III.

Nec vos Pierides, nec stirps Latonia vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem.

In his & eiusmoli locis *Turba* τὸ πᾶν, seu potius τὸ ἄπαν significat. Sidon. epist. I. lib. VI. *Cùm sis procul ambiguo primus omnium toto, quà patet, orbe, Pontificum, cùm prærogatiua subijciatur, cùm censura tua attremat etiam turba collegij, &c.*

AD EPIGR. VIII.

DOMINI *deique nostri*] Sueton in Domitiano: *Pari arrogantia, cùm procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit, Dominus, & Deus noster sic fieri iubet. Vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem, ac sermone cuiusquam appellaretur aliter.* Vnde & Quintilianus, vir aliàs grauis, sed hîc ἐπιφέρων, ei obiter est adulatus lib. III. cap. VII. *Laudandum in quibusdam, quod geniti immortales: In quibusdam, quod immortalitatem virtute sunt consequuti: quod pietas Principis nostri, præsentium quoque temporum decus fecit.* Et multo ille apertius præfat. lib. IV. Locus est ad manum. Hac de caussa quæ in hunc tyrannum committebantur, impietatis crimine notabantur. Xiphilinus in Nerua. καὶ ὁ Νερούας τούς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε, καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε. Sed & primis retro temporibus impietas in Imperatores notata. Dio lib. LVII. de Tiberio. ἐπεὶ τήν τε ἐκείνου πρὸς αὐτούς, καὶ τὸ ἀσεβεῖν πρὸς αὐτὸν (ἀσέβειαν γὰρ ἤδη καὶ τὸ τοιοῦτον ὠνόμαζον, καὶ δίκας ἐπ' αὐτοῖς πολλὰς ἐσῆγε) ἥκιστα προσεποιεῖτο.

Et *puros Eques*] Suetonius in Domitiano, A *Susceptа morum correctione, licentiam theatralem promiscuè spectandi in Equite prohibuit.* Hinc & Iuuenal. satyr.iij.

—Exeat, inquit,
Si pudor est, & de puluino surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit, & sedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati.

AD EPIGR. IX.

Langvebam, *sed tu*] Idem pæne à Lucillio cantillatum, & ab Ausonio epigr. xxvii. *Languebam* autem, ἐνόσουν. Gloss. νοσῶ, *langueo, ægroto.* Auson.

Languenti Marco dixit Diodorus aruspex.
Et, *Languentem Caium moriturum dixerat agrum Eunomius.*

Petronius. *Opertis capitibus, an nudis? Opertis, & quis non dare manum languentibus volet.*

AD EPIGR. X.

Et *laud. Catuli Iul.*] Capitolium intelligit à Q. Catulo refectum. Vocat autem *Iulia templa*, quia (vt scribit Dio lib.xliii.) eraso Catuli nomine, Iul. Cæsaris nomen Capitolio inscriptum est. Mansit tamen eius nomen ad Vitellium vsque. Cornel. Tacitus. *Lutatij Catuli nomen inter tanta Cæsarum opera, vsque ad Vitellium mansit.*

AD EPIGR. XIV.

Deiectvs *in viam*] Vocabantur *viæ* in spectaculis interstitia illa, tum quæ inter ordines erant, tum quibus per proclium descendebatur. Sic igitur plures vias constituo: Circa balthea scil. quæ theatrum cingebant, & in popularibus per procliuum. Nam Romani illi maiorum gentium loca distincta habebant, & cardinibus obsepta, ne vulgus temere ingrederetur. At populi gradus non ita poterant occludi. Hæc videntur colligi posse ex loco illo Tertull. de Spectac. cap.iij. *Nam apud Spectacula & in via statur. Vias enim vocant cardines balthеorum per ambitum, & discrimina popularium per procliuum.*

AD EPIGR. XVII.

Cistigero] Adrianus Turnebus *Cistigeros* heic accipit pro ijs *qui sacra arcana in cista gerebãt*, quos ait *pro contemptissimis & despicatissimis habitos.* Cistæ vsus erat in sacris Eleusinijs. Clemens Alexandrinus in Protreptico: τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. Vertes ex Arnobio lib. v. aduersus Gentes. *Symbolum est sacrorum Eleusiniorum, Ieiunaui, atque ebibi cyceonem, è cista sumpsi, & in calathum misi: Accepi rursus, in cistulam transtuli.*

AD EPIGR. XVIII.

Cereiqve] Festus: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis vtebantur.* Varro lib.iv. de ling.Lat. *Quare quòd cœlum principium, ab satu est dictus Saturnus: & quod ignis Saturnalibus, hoc est, cerei superioribus mittuntur.* Vide omnino Macrob.lib.i. Saturn.cap.vii.

AD EPIGR. XIX.

Colit *ingrat. amicitias*] Proprie. Cornel. Tacitus lib.i. historiarum. *Insignes amicitias iuuenis ambitiosè coluerat.* Cultores inde designati. Seneca lib. de Breuitate Vitæ, cap.ii. *Interroga de istis, quorum nomina ediscuntur. His illos dignosci videbis notis. Hic illius cultor est, Ille illius, Suus nemo.*

AD EPIGR. XXI.

Disponere *tempus otios.*] Proprie & eleganter. Plinius epist. xxiii. lib. iv. *Magnam cepi voluptatem, cùm ex omnibus amicis cognoui, te, vt sapientia tua dignum est, & disponere otium, & ferre.* Ausonius epist. x.

Dulcia secreti repetantur vt otia ruris
Nugis amœna serijs.
Tempora disponas vbi tu tua: Iusque tuum sit,
Vt nil agas, vel quod voles.

B Sic Græci σχολὴν διαθέσθαι dicunt, quod difficillimum existimabat Chilo, vt obseruat Diogenes Laërtius in eius vita. Sed profectò διατίθεσθαι σχολὴν de ijs proprie qui tempus absumunt, vt ijs lubet, quum nullis occupationibus distringantur. Heliodorus lib. ii. ἀνύεται μοι κατὰ τὴν πόλιν, ὁ διαγενομένῳ σχολῶ. Lucianus de mercenarijs: ὡς εἰς καλὸν τὴν ἐν τῷ [illegible] διαθήσεται σχολήν. Sic *Disponere diem*, id est, quæ quaque diei hora facienda sint, constituere. Seneca Consolat. ad Polybium, cap. xxv. *Aut spectaculorum varietate animum detinere, ex tuo arbitrio diem disponere.* Plin. epist. xxxvi. lib. xix. *Quæris quemadmodum in Thuscis diem æstate disponam. Euigilo, quum libuit, plerumque circa horam primam sæpe ante, tardius raro, &c.* Sueton. C in Tiberio, *Forte quodam in disponendo die, mane prædixerat, quidquid ægrorum in ciuitate esset, visitare se velle, &c.* Operum vices disponere Tibullus eodem modo dixit, lib.i.

Illa nulla queat melius consumere noctem,
Atque operum varias disposuisse vices.

Et *dispositio* hac mente. Lampridius de Alexandro Seuero. *Iam enim inde tacebatur, & omnes ita ambulabant, ne dispositionem Romanam barbari scirent. Certum est autem eum nunquam id quod proposuerat, fefellisse, cùm diceret, nolle ab aulicis suas vendi dispositiones.* Appellat *dispositiones* ordinem itineris, mansionum, &c.

Imagines *superbas*] In quibus stemmata nobilium, quibus sæpius magis gloriabantur, quã virtute propria. Quibus oriundi essent parenD tibus & maioribus harum imaginum inscriptionibus cognoscebant. Res enim præclare gestas imaginibus inscribere mos erat. Plinius lib. xxxv. cap. ii. *Aliter apud maiores in atrijs hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra aut marmora. Expressi cera vultus singulis disponebantur armarijs, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera. Semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui vnquã fuerat, populus. Stemmata verò literis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum.* Nota obiter consuetudinem istam circumferendarum in funeribus gentilitijs imaginum gentilitiarum. Polybius lib.vi. ταύτας δὲ τὰς εἰκόνας ἐν ταῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι φιλοτίμως. ἐπὰν δὲ τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις ἐπιφανὴς, ἄγουσιν εἰς τὴν ἐκφοράν. Silius Italicus lib.x.

—— *Aut celsis de more feretris*
Præcedens priscæ exequias decorabat imago.

Dio lib. xlvij. πρὸς δὲ τούτοις ἀπεῖπον μὴ (Trium viri scilicet) μηδεμίαν εἰκόνα αὐτοῦ, καθάπερ θεοῦ τινὸς ὡς ἀληθῶς ὄντος (Iul. Cæsarem dicit) ἐν ταῖς τῶν συγγενῶν αὐτοῦ ἐκφοραῖς πέμπεσθαι, ὅπερ ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου καὶ τότε ἔτι ἐγίγνετο. Idem decretum de Augusti imagine, vt scribit idem Dio eodem libro. In Principum autem funeribus, non solùm gentilitiæ, sed quorumlibet magnorum virorum, & virtute præstantium imagines prælatæ, vt in funere Augusti. Dio lib. lvj. καὶ μετὰ ταύτας (τὰς εἰκόνας scil.) αἵ τε τῶν προπατόρων αὐτοῦ, καὶ αἱ τῶν ἄλλων συγγενῶν τῶν τεθνηκότων (πλὴν τῆς τοῦ Καίσαρος, ὅτι ἐς τοὺς ἥρωας ἐσεγέγραπτο) αἵ τε τῶν ἄλλων Ῥωμαίων τῶν καθ' ὁτιοῦν πρωτευσάντων, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ Ῥωμύλου ἀρξάμεναι, ἐφέροντο. καὶ ὥς γε τοῦ Πομπηίου τοῦ Μεγάλου εἰκὼν ὤφθη, &c. Idem postea factum in aliorum Imperatorum celebrioribus exequiis. Vide sis Xiphilinum in Seuero de exequiis Pertinacis. Sed vt à diuerticulis in viam regrediamur, de imaginum inscriptionibus aliquot insuper notabimus loca hanc doctrinam omnino illustratura. Sen. lib. iij. de Benef. cap. xxviij. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt.* Nota *in prima parte ædium.* Val. Max. lib. v. cap. viij. *Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati seueritate conspicua imago posita erat: prudentissimoq; viro succurrebat, effigies maiorum cum titulis suis, idcirco in prima ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* Res gestas imaginibus inscriptas fuisse pluribus insuper locis ostendi potest. Vnum atque alterum notasse sat fuerit. T. Liuius lib. viij. *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familiæ ad se quæque famam rerum gestarum, honorumque fallente mendacio trahunt.* Val. Max. lib. ij. cap. ix. *Sed & Censor & Cato duplex seueritatis exemplum, eo magis illum notandum statuit, quod amplissimi honoris maiestatem, tam tetro facinore inquinauerat, nec pensi duxerat, iisdem imaginibus adscribi, Meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus.* Vnde *Titulum imaginum amplificare* idem dixit lib. iiij. cap. iiij. *Et plurimorum, ac maximorum operum prætextu, titulum imaginum suarum amplificauit.* Hinc Ouid. epistola Phyllidis Demophoonti.

Inter & Aegidas media statuaris in vrbe,
Magnificus titulis stet pater ante suis.
Cum fuerit lectus Scyron, toruusque Procrustes,
Et Scinis, & Tauri, mixtaque forma viri.
Et domitæ bello Thebæ, fusique bimembres,
Et pulsata nigri regia cæca Dei.
Hoc tua post illos titulos signetur imago,
HIC EST, CVIVS AMANS
HOSPITA CAPTA DOLO EST.

VIVERE *cum sciat*] Id est, cum possit. Horat.
—— *Nescit vox missa reuerti.*

Sic ἐπίσταμαι Græcis. Callimachus hymno in Iouem:

οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο.

AD EPIGR. XXII.

PRO *Crasso R. Marcum*] Præcipuum, opinor, huius loci acumen est ἐν ἀντιθέσει nominum. Nam Quintus opponitur Decimo, & Macer Crasso. Legendum enim existimo, *Macrum*, non *Marcum*. Hæc scripseram, cùm ad me adlatus est Martialis Argentinæ excusus, vbi notant legi in quodam cod. manus. *Macrum.*

AD EPIGR. XXIII.

SEMPER *inhumanos habet officiosus amicos*] Vide quæ scribit in hanc sententiam Seneca lib. vj. de Benef. cap. xxxiij. & sequentibus.

AD EPIGR. XXIV.

PLACIDI *censoris*] Domitianus enim morum præfecturam susceperat, vt scribit Suetonius. Vnde *Iudex morum* à Iuuen. appellatur τιμητής. Dio scribit cæteros Imperatores suis temporibus ab hoc magistratu abstinuisse: Caussam addit, quia absque nomine τὸ ἔργον τῆς τιμητείας εἶχον.

AD EPIGR. XXV.

HERMES *vincere nec*] Codex manus. quo vsi sumus habet *Nec*, quemadmodum & vetus Iunij liber. Rectè vt animaduertere occupauit politissimus Duza ad Petronium. Idem error apud Arnobium libro i. aduersus Gentes. *Cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat non voluntatis, sed indicationis electi*, lego, *nec iudicationis electio.* Apposite autem ad hunc locum & Martialis mentem Themistius Euphrades Orat. x. de Melancoma insigni pugili. ἐπεὶ οὐδένα πώποτε τρῶσαι, οὐδὲ πατάξαι, μόνῃ τῇ στάσει καὶ τῇ τῶν χειρῶν ἀνατάσει πάντας ἀπενίκησε τοὺς ἀνταγωνιστάς. Suppositiij naturam explicat Lipsius in Saturnalibus. Cicero pro Sexto Roscio Amerino: *Credo propterea quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his opera nostra vicaria fides amicorum supponitur.*

CVRA *laborque ludiarum*] Me non piget eorum sequi sententiam, qui existimant hunc locum intelligendum de mulieribus, quæ gladiatores ardebant. Res nota vel ex sola Sat. vj. Iuuenalis. Plut. in Galba: αἰτίαν δὲ εἶχεν ἐκ Μαρκιανοῦ τοῦ μονομάχου γεγονέναι τῆς Νυμφιδίας ἐρασθείσης διὰ δόξαν αὐτοῦ, καὶ μᾶλλον ἐῴκει καθ' ὁμοιότητα τῆς ἰδέας ἐκείνῳ προσεοικέναι.

AD EPIGR. XXVI.

QVAM *rubro p. nimbo*] Notæ sunt sparsiones theatrales. Gloss. *Sparsio*, κρόκος ὁ ῥαινόμενος. Sed de hac re Lipsius in Amphitheatro. Vt autem *Nimbum rubrum* dicit Martialis, sic Apul. *Imbrem odorum* dixit Miles. x. *Tunc de summo montis cacumine, per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus diluta, sparsimque defluens, pascentis circa capellas odoro perpluit imbre.* Hanc περιεργασίαν, quam in his Apulei verbis vides, in oratore insulsam reprehenderat Seneca pater, procem. lib. x. controuers. *Omnia vsque ad vltimum tumorem perducta, vt non extra sanitatem, sed extra naturam essent. Quis enim ferret hominem de siphonibus dicentem, Cœlo repluerunt: de sparsionibus, odoratos imbres: & in cultum viridium, Calatas syluas: & in pictura, Nemora surgentia.*

AD EPIGR. XXVIII.

Bis *septem tibi iam n. s. subsellia*] Bis septem subsellia appellat Martialis quatuordecim ordines equitum. Male enim nonnulli subsellia heic accipiunt pro scamnis in cuneos, & gradus illatis. Ergo *Bisseptem subsellia*, quatuordecim ordines, siue quatuordecim gradus, quos etiam ἕδρας appellauit Dio. lib. xxxvj. καὶ γὰρ τῶν ἱππέων τὰς ἐν τοῖς θεάτροις ἕδρας ἀκριβῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀφώρισε. *Nam equitum subsellia in theatris ab alijs sollicite separauit.* Recte. Nam in gradibus subsellia componebantur, vt ait Vitruuius. Quatuordecim ordines proprie; & quatuordecim gradus; Item quatuordecim simpliciter siue adiectione. Sueton. in Augusto; *Quum autem plerique Equitum attrito bellis ciuilibus patrimonio, spectare ludos è quatuordecim non auderent.* Petronius: *Ex hac nota domina est mea: Vsque ab Orchestra quatuordecim transilit, & in extrema plebe quærit quod diligat.* Macrob. lib. ij. Saturnal. cap. iij. *Deinde cum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæsare è vestigio in quatuordecim ad spectandum transiit.* Cæterum non poterant omnes Equites equestribus contineri: quod colliges ex hoc Senecæ loco, lib. vij. de Benef. cap. xij. *Praterea, non mentiar, si dicam me habere in Equestrib. locum: Sed cum in theatrum veni, si plena sunt equestria, & iure habeo locum illic, quia sedere est mihi liberum: & non habeo, quia ab his, cum quibus ius mihi loci commune est, occupatus est.*

AD EPIGR. XXIX.

Hominem *malignum*] Nam is vere malignus qui supra describitur, nempe qui nec bene sentire, nec bene loqui de quoquam potest, & qui omnia perperam interpretatur; quare Aristoteles lib. ij. Rhetor. cap. xiii. ait, κακοήθεις εἶναι, τὸ ἐπὶ τὸ χεῖρον ὑπολαμβάνειν ἅπαντα. Liuor igitur & obtrectatio malignitatis asseclæ sunt. Cornel. Tacit. lib. i. Histor. *Sed ambitionem scriptoris facile auerseris: Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi fœdum crimen seruitutis, malignitati falsa species libertatis inest.*

AD EPIGR. XXXI.

Satvrnalitias *nuces*] Nam in Saturnalibus nuces ἀντὶ κύβων ἴβαρον. Vnde in legibus Saturnalitijs apud Lucianum. παιδιζέτωσαν ἐπὶ καρύων. ἢν δέ τις ἐπ' ἀργυρίῳ παίζῃ, ἄσιτος ἐς τὴν ὑστεραίαν ἔστω. Martialis lib. xiii.

Hæc mihi charta nuces, Hæc est mihi charta fritillus.

AD EPIGR. XXXII.

Possent *fallere*] σφάλλειν. Titus Liuius lib. xxi. *Tetra ibi luctatio erat, vt à lubrica via non recipiente vestigium, & in prono citius pedes fallente.*

AD EPIGR. XXXVI.

Non *fuit illa tibi*] Sic Meleager.

Παμμῆτορ γῆ χαῖρε· σὺ τὸν πάρος οὐ βαρὺν εἰς σὲ
Αἰσιγένην, καὶ αὐτὴ νῦν ἐπέχοις ἀβαρής.

AD EPIGR. XXXIX.

Agna *mollior*] Mollia enim Tarentinarum pecudum vellera, quia pellibus integebantur ad teneritudinem conseruandam, vt notat Porphyrion ad Od. vi. lib. ii. Carm. Horat. Notant & alij. Fauorinus: *Itemque quidam Tarentinas oues, vel nuces dicunt, quæ sunt Tarentina, à tereno, quod est Sabinorum lingua, Molle* Sic μαλακὰ πρόβατα dicuntur Polybio, & μαλακὰ ἔρια Æliano. Apud Megarenses quoque oues pellibus cōtectæ. Quare Diogenes ἐν Μεγάροις ἰδὼν τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα: τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνούς, ἔφη, λυσιτελέστερόν ἐστι, Μεγαρέως εἶναι κριόν, ἢ υἱόν. Diogenes Laërtius in Diogene Cynico.

Rheniqve *nodos*] Torti enim Germanorum capilli, & in nodum coacti, vt loquitur Seneca lib. iij. de Ira, cap. xxvi. quem vide sis, & epist. clxxxv. Martialis in Amphitheatro:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Qvem *succinorum*] Alibi,

Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita.

Iuuenal. sat. vi.

In cuius manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas.

Qvam *pessimorum*] Rescribo;

Quam pessimorum lex auara fatorum
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota.

Nec tamen tota, dicit, quia sex dies defuerunt, vt ipse supra dixit epigr. xxxvi. Pro *Peregit* reponendum videri queat *Peremit*. Nam sic omnino epigr. lxi. lib. i.

Hic festinata requiescit Erotion vmbra,
Crimine quam fati sexta peremit hyems.

Sed *Peragere* etiam pro perimere. Val. Flaccus lib. i. Argonaut.

Fert grauis inuito victorem Nestora tergo
Monychus, ardenti peragit Clytus Æctora quercu.

Sic διαπράττειν Græcis. Æschylus ἐν Πέρσαις,

Οἱ ἐγὼ βάλαμα διαπεπραγμένου στρατοῦ.

Et πράττειν simpliciter. Idem χοηφόροις.

Πεπραγμένοι γὰρ νῦν δὲ πῶς ἀλώμεθα
Πρὸς τῆς πεσούσης.

Vbi scholia, πεπραγμένοι, πεπονθότες, καταγωνισμένοι. Sophocles in Trachinijs;

ἅπαξ δ' ἀκούσω ... ,
τῷ μὲν γεγῶτος, τῷ δ' ἀπεπραγμένη.

Dvcenties *accepit*] Hic epigrammatis aculeus. Male verò cum Pæto nostro agitur: qui cùm tantis calamitatibus vexetur, mirum quî possit viuere. Nam ducenties morte vxoris accepit. O fœda calamitas, & abominanda! εἰρωνεία.

AD EPIGR. XLI.

Saccvlvmqve] Gloss. Saccellus, βαλάντιον. Catullus:

——*Nam tui Catulli*
Plenus sacculus est aranearum.

Seneca lib. ij. de Benef. cap. x. *Arcesilaus, vt aiunt, amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti, agro autem, & ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios vsus, cùm clam succurrendum iudicasset, puluino eius ignorantis sacculum subiecit*, κρύφα βαλάντιον ὑπέθηκε τῷ προσκεφαλαίῳ, ait Diogen. Laert. in Arcesilai vita. Iuuenal. satyr. xiv.

Intereà pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

Apul. lib. x. *Sed ne forte aliquis istorum nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipso sacculo conditos eos anulo tuo prænota.* Festus: *Dirutum ære militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiæ caussa non erat datum: quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum.* Sic Græci. Plutarchus: Γύλιππος ὁ Λακεδαιμόνιος τὰ σακκία τῶν χρημάτων παραλύσας, φυγὰς ἀπηλάθη τῆς Σπάρτης.

AD EPIGR. XLIII.

TRABEASQVE *& Idus*] Nam trabeati equites Idibus Iulijs transuehebantur. Val. Max. lib. II. cap. II. Dionys. Hal. lib. VI. Antiq. Rom. θυσίαι τε πολυτελεῖς, ἃς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὁ δῆμος ἐπιτελεῖ διὰ τῶν μεγίστων ἱππέων ἐν μηνὶ Κυιντιλίῳ λεγομένῳ, ταῖς καλουμέναις εἰδοῖς, ἐν ᾗ κατώρθωσαν ἡμέρᾳ τόνδε τὸν πόλεμον· ὑπὲρ ἅπαντα δὲ ταῦτα, ἡ μετὰ τὴν θυσίαν ἐπιτελουμένη πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἳ κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι, στοιχηδὸν ἐπὶ τῶν ἵππων ὀχούμενοι πορεύονται πάντες, ὡς ἐκ μάχης ἥκοντες, ἐστεφανωμένοι θαλλοῖς ἐλαίας, καὶ πορφυρᾶς φοινικοπαρύφους ἀμπεχόμενοι τηβέννας, τὰς καλουμένας τραβέας, &c. Statius:

Hic tum Romuleos equites, trabeataque Cæsar,
Agmina mille simul iussit discumbere mensis.

Coronabantur & oleæ ramis in ea transuectione, vt docet Dionysius loco modo citato. Plin. lib. XV. cap. IV. *Olea honorem Romanæ maiestas magnum præbuit, turmas Equitum Idibus Iulijs ex ea coronando.* Artemidorus lib. iiij. cap. iij. λαβεῖν ἀπὸ τοῦ καλέσαντος στέφανον ἐλάϊνον, ἐπεὶ, οὓς ἐν πομπαῖς φοροῦσιν ἱππεῖς Ῥωμαίων.

FIBVLASQVE] Nam & fibulæ equitibus, quibus trabea adstringebatur. Dionysius Halic. lib. ij. de Saliis. καὶ τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. Plut. libro, an vitium ad male viuendum satis sit. εἰ δὲ τοῦ ἀλύπου ἢ στρατείᾳ δοκοῦντος εἶναι μηδενὸς καλοῦ, ὠφελοῦνται δι' αὐτὸ ὅτι πράγματα εἰς αὐλὰς καὶ στρατόπεδα καὶ ἡγεμονίας ἐμβαίνουσι, ἵνα ἵππου τινός, ἢ πόρπης, ἢ ἐπιστολῆς τινός ἀξιωματικῆς τύχωσιν. vbi Interpres πόρπην male accipit pro *Bulla*. Glossarium, *fibula*, πόρπη φίβλα. Nam equites quandoque fibulis donabantur. T. Liuius lib. XXXIX. *Quintius alter Prætor suos equites catellis ac fibulis donauit.*

ET *pumicata manu*] Nam eo mollitiei, non dicam elegantiæ, deuoluti erant, vt non solum manus, sed & alias corporis partes pumice sibi leuigarent. Plin. lib. xxxvj. *Sed & his pumices, qui sunt in vsu corporum leuigandorum fœminis, iam quidem & viris.* Iuuenalis sat. IX.

Nam res mortifera est tunicatus pumice leuis.

Et VIII.

Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalentes traducit auos.

Ouid. lib. I. ματαιοπηγίας.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice membra teras.

Plin. epist. xj. lib. II. *Ipse præterea accepisse sestertium decem millia, fœdissimo quidem titulo, nomine vnguentarij, qui titulus à vita hominis compti semper, & pumicati, non abhorrebat.*

NON *licet maritorum*] Hoc dicit, quia sedes in theatro maritis assignatæ, in quibus hic locum habere non poterat, quod spado esset. Suetonius in Augusto: *Maritis è plebe proprios ordines assignauit. Prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis, sanxitque ne quis pullatorum media cauea sederet.*

A

AD EPIGR. XLIV.

QVAS *dederis, solas semper habebis opes*] Apposite Seneca lib. VI. de Benef. cap. II. *Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium Poëtam, quum fortunam suam transeuntem alio videbat, & sibi nihil relictum, præter ius mortis, id quoque si cito occupauerit, exclamare; Hoc habeo, quodcumque dedi.* Vide omnino quæ sequuntur. Melius sancti Patres, qui id nostrum tantum existimant quod in vsum pauperum erogauimus; quod ἀπολαύειν τῷ θεῷ eleganter dicit Gregor. Nazianz. Orat. XIX.

B

AD EPIGR. XLIX.

NON *cœnat quoties*] Allusit Sidonius Apollinaris epist. xiij. lib. iij. *Sed nec est prædicabilis viri in totum silenda frugalitas. Ieiunat quoties non vocatur, sed sic quoque leuitate parasitica.*

AD EPIGR. LI.

AREA] Aream dicit eleganter spatium capitis depilatum. Petronius;

Nunc vmbra nudata sua iam tempora mœrent,
Areaque extritis lucet adusta comis.

CVM *panariolis*] Sueton. in Domitiano, de hac largitione. *Panaria sparsa*, &c. & in Caligula; *Scenicos ludos & assidue, & varij generis multifariam fecit, quondam etiam & nocturnos, accensis tota nocte luminibus. Sparsit & missilia variarum rerum, & panaria cum obsonio viritim diuisit.* Id

C

autem est, mea quidem sententia, quod Persius appellat *Artocreas*, sat. vj.

——— Oleum, artocreasque popello
Largior, an prohibes?

Veteres glossæ, *Visceratio*, ἀρτόκρεας. Non satis vocem exprimunt. Nam Visceratio sola carne constabat. Verum panis postremis temporibus additus, & idcirco Viscerationem interpretantur ἀρτοκρέας. Cum visceratione epulum quandoque dabant ἐν μεγαλοπρεπείᾳ. Sueton. in Iul. Cæsare; *Adiecit epulum, ac viscerationem, & post Hispaniensem victoriam duo prandia.* Et alibi de eodem Cæsare. *Munus populo, epulumque pronunciauit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo.* Sane in ipso funere, populus sæpe largitione aliqua à popularibus hominibus exceptus. Tit. Liuius lib. viij. *Et populo visceratio data à M. Flauio in funere matris.* Dabatur aliquando mulsum funus prosequutis. Idem Liuius lib. xxxviij. *Ad hunc Prætorem adeo amicum Corneliæ familiæ, vt qui Romæ mortuum, elatumque P. Scipionem (Est enim ea quoque fama) tradunt, pileatum, sicut in triumpho erat, in funere quoque ante lectum isse memoriæ prodiderint: & ad portam Capenam mulsum prosequutis funus dedisse.*

D

SI *te viderit Hercules*] Est enim ille ἀλεξίκακος, & monstrorum profligator.

AD EPIGR. LIII.

HIC *qui libellis*] Notatur heic caussidicus aut orator ἀλαζών. Hi enim homines in via sæpe con-

spiciebantur libellis onusti, neque solum instrumentis suis, sed quibuslibet libris. Lucianus in Oratorum magistro: καὶ ἀκόλουθοι πολλοί, καὶ βιβλίον ἀεί. ταῦτα μὲν αὐτὸς χρὴ συντελεῖν. τὰ δ' ἄλλα καθ' ὁδὸν ἤδη προσιὼν, ὁρᾷς, καὶ ἄκουε. καὶ δὴ σοι τὰς τιμὰς δίειμι, αἷς χειραγωγεῖν σε ἡ ῥητορικὴ γνωρίσει. Sic etiam διαζῶντες illi & ὑποκριταὶ τῶν φιλοσόφων librum sinistra sæpius tenebāt in viis, & in ipsis triuiis. Lucianus in Iudicijs: τὸ δὲ νῦν ἔστι οὐχ ὁρᾷς ὅσοι τρίβωνες, καὶ βακτηρίαι, καὶ πῆραι, καὶ ἁπανταχοῦ πώγων βαθὺς, καὶ βιβλίον ἐν τῇ ἀριστερᾷ, καὶ πάντες ὑπὲρ σοῦ φιλοσοφοῦσι;

NOTARIORVM] Cingebatur etiam, & quasi stipabatur pluribus notarijs, tanquam multa dictare soleret, & diuersis negotiis distringeretur. Glossæ, *Notarius*, σημειογράφος. Recte. *Notare* ἐπισημειοῦσθαι, σημειογραφεῖν, ταχυγραφεῖν. Harum notarum repertor Mæcenas perhibetur. Dio. lib. LV. καὶ πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε, καὶ αὐτὰ διὰ Ἀκύλα ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξε. Nota πρὸς τάχος. Nam Notarij sunt ταχυγράφοι Græcis. Euseb. lib. vj. histor. Ecclesiast. cap. xij. ταχυγράφοι τε γὰρ αὐτῷ πλείους ἢ ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν παρῆσαν ὑπαγορεύοντι, χρόνοις τεταγμένοις ἀλλήλους ἀμείβοντες. βιβλιογράφοι τε οὐχ ἥττους ἅμα καὶ κόραις ἐπὶ τὸ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. Ταχυγράφους appellat Euseb. Notarios, βιβλιογράφους, antiquarios. Gloss. *Antiquarius*, ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος. Priorem interpretationem explicat Isidorus. *Librarij autem iidem & Antiquarij vocantur. Sed Librarij sunt qui & noua & vetera scribunt: Antiquarij, qui tantummodo vetera. Vnde & nomen sumpserunt.* Posteriorem significationem habes apud Ausoniū, & Sidonium epist. xvi. lib. ix. Notarij etiam ὀξυγράφοι dicuntur, non solùm ταχυγράφοι. Socrates lib. II. hist. Eccles. cap. XXXIX. παρῆσαν γὰρ δὴ καὶ ὀξυγράφοι τὰ παρ' ἑκάστου λεγόμενα σημειούμενοι. Idem lib. VI. cap. IV. ὁ μὲν δὲ εἶπεν εἴτε ἐκδόντος αὐτοῦ λόγοι, καὶ οἱ λεγόμενοι αὐτοῦ ὑπὸ τῶν ὀξυγράφων ἐκληφθῶσι, &c. Ταχυγραφεῖν autem & καλλιγραφεῖν, quod in scholis dicebatur εἰς τάχος, καὶ εἰς κάλλος γράφειν. Scholia Aristoph. ad Acharn. τὸ δὲ ἐς τάχος ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἐν διδασκαλείοις παίδων, ἐφ' ὧν οὕτως ἐλέγετο, ἐς τάχος γράφε, ἐς κάλλος.

AVE *Latinum*] Auere & χαίρειν sibi mutuo respondent. Nam & *Auere* proprie in salutationibus matutinis (Martial. epigr. LVI. & CIX. lib. I atque alibi sæpius) & generalius alias, sic & χαίρειν. Vide Lucianum libro περὶ πταίσματος. Saluere tamen crebro in salutatione matutina. Suetonius in Galba, *Quanquam autem nondum ætate constanti, veterem ciuitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissime retinuit: vt liberti bis die frequentes adessent, mane salutare, vespere valere sibi singuli dicerent.* Valere enim in salutatione vespertina. Xiphilinus in Adriano. καὶ ἀσπάσασθαι ὅλως γε τῷ ἑωθινῷ προσρήματι τῷ χαῖρε, ἀλλὰ τῷ ἑσπερινῷ τῷ Ὑγίαινε χρησάμενος.

AD EPIGR. LV.

QVID *tibi vel Niobe*] Testantur in quodam codice manu exarato scriptum esse,

Quid tibi vel Nioben Basse, vel Andromachen?

Sed hæc lectio non est tanti, vt vulgatam sollicitare debeat. Si locum hic haberet, aliquid subintelligendum esset, veluti, *Scriptio est*, aut quidpiam eiusmodi. vt, *Quid tibi meam tactio est?* apud Plautum. Constructio antiqua etiam pueris nota: quam & Cicero quodammodo vsurpauit, si

A vera hæc lectio lib. I. de Diuinat. *Fugientibus miserabilem respectum incendiorum fore: sed Rhodiorum classi propinquum reditum, ac domum itionem dari.* Hæc lectio ferri potest. Sed vide an rescribendum *Domuitionem*. Gloss. *Domuitionem* οἰκάδε. Apul. lib. I. Metam. *Eique caussas & peregrinationis diuturnæ, & domuitionis anxiæ, & spoliationis diurnæ dum misere refero.* Et lib. II. *Et appellata propere Byrrhena, titubante vestigio domuitionem capesso.* Ac lib. III. *Iam denique nec ianuam requiro, nec domuitionem paro, & nocti illi nihil antepono.* Arnobius lib. VII. aduersus Gentes. *Quid domuitiones illæ, quibus bene vt valeant auspicabili salutatione mandatis?*

MATERIA *est mihi crede*] Sic Leonidas,

χάρτας Δωδωναῖος Μείσραπι, καὶ Φαίδρον,
ζητεῖς ὡς πίστιν ἄξιος εἶ Ὕλος.
τὶς ἰδίους αὐτοὺς ἐμπέπτωκε. ἄξιος οὕτως
B ἐπὶ πυρὸς Φαέθων, Δωδωναῖος δ' ὕδατος.

AD EPIGR. LVIII.

FAC *discat citharœdus*] Hellenismus merus est: Ammianus:

εἰ βούλει τὸν παῖδα διδάξαι ῥήτορα Παῦλε,
οἷς ὅτι πάντες γράμματα μὴ μαθέτω.

Xenophon ἀπομνημονευμάτων lib. IV. οἱ μὲν ὡς βούλοιτο σκυτέα διδάξασθαι τινά, ἢ τέκτονα, ἢ χαλκέα, ἢ ἱππέα, &c.

PRÆCONEM *facias*] Præconum enim ars tunc temporis ad inuidiam vsque fructuosa. Vide epigr. VIII. lib. VI.

AD EPIGR. LIX.

ILLE *sapit quisquis, Postume, vixit heri*] Seneca lib. III. de Benef. cap. IV. *Præsentia bona nondum tota in solido sunt; Potest illa casus aliquis incidere; futura pendent, & incerta sunt; Quod præterijt, inter tuta sepositum est.*

C

AD EPIGR. LXII.

GANNITIBVS] Proprie; quia antea *Adlatres*. Gloss. *Gannit*, σκύζει: Impense bene. Nam vtrumque canum. Vide Nonium. Hesychius, σκύζεσθαι, ἡσυχῇ ὑποφθέγγεσθαι ὥσπερ κύνες. Vide Eustath. ad hunc versum Iliad. IX.

Σκυζομένη Διὶ πατρί. χόλος δέ μιν ἄγριος ᾕρει.

σκυζᾶσθαι etiam dicuntur. Vide Theocritum, & eius scholia, idyl. V. & vj.

PELLEM *rodere caninam*] Prouerbium est vetus apud Terentium Varronem lib. vj. de ling. Lat. *Canis caninam non est.*

D

AD EPIGR. LXIII.

CRISPVLVS *iste quis est*] Elegantissimum epigramma, quo nonnullorum stupiditas traducitur, qui formosulos iuuenes vxoribus suis adhærere patiebantur sub officij domestici prætextu. Respexit hoc epigramma B. Hieronymus pluribus locis. Lib. I. aduersus Iouinianum: *Vocanda domina; celebrandus natalis eius: iurandum per salutem illius: vt sit superstes optandum; honoranda nutrix eius, & gerula; seruus, patrinus, & alumnus, & formosus assecla, & procurator calamistratus: & in longam securamque libidinem exsectus spado; sub quibus nominibus adulteri delitescunt.*

Item ad Saluinam, de seruanda viduitate; *Non ambulet iuxta te calamistratus procurator: non histrio fractus in feminam: non iuuenis cultus & nitidus.* Et ad Furiam in eodem argumento. *Nec procurator calamistratus, nec formosus collactaneus; nec candidulus ac rubicundus assecla adhaereat lateri tuo.*

CRISPVLVS] Seneca Epistol. LXVI. *Paulatim fastidium tuum illo vsque procedat; vt ex duobus aeque iustis ac prudentibus, comatum & crispulum malis quam recaluastrum.*

O *quam dignus eras alapis Mariane Latini*] De alapis ac salapittis, quibus stupidi & de vxoribus suis parum soliciti obiurgabantur in Mimis dicimus ad Arnobij lib. VII. Adde elegantem Gregorij Nazianzeni locum Orat. XX. ὃ πῶς ἔτι τῆς σκηνῆς θαυμάζοι, ὡς ἡδύς τι ὃ φιλανθρώπους, ὅς τοῖς ἀνδράσι χαρίζονται, ὃ αυτοῖς γίνονται τοῖς ἔτι κόῤῥης ἐπιτίσμασι ὃ φαρμάκοις.

AD EPIGR. LXIV.

ABRVPTA *reste*] Apul. I. Milesf. *Et cum dicto restim qua erat intextus, aggredior expedire.* De grabatulo loquitur.

AD EPIGR. LXV.

IMO *tibi*] Sic regerebant aduersus eos, qui sibi imprecabantur. Tertull. de Idololat. cap. XXI. *Scio quendam, cui Dominus ignoscat, quum illi in publico per litem dictum esset, Iupiter tibi sit iratus, respondisse, imo tibi.*

AD EPIGR. LXVI.

TV *super astiuis*] Antiquae hae deliciae. Xenophon Ἀπομν. lib. II. ἵνα ᾗ ἡδέως πίῃς, οἴνους τε πολυτελεῖς παρασκευάζῃ, ὃ τῷ θέρους χιόνα περιθέων ζητεῖς. Seneca epist. LXXIX. *O infelicem agrum! Quare? Quia non vino niuem diluit: Quia non rigorem potionis suae, quam capaci scypho miscuit, renouat fracta insuper glacie.* Idem lib. de Diuina Prouidentia, cap. III. *Quanto magis huic inuidendum est, quam illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, exsectae virilitatis aut dubiae, suspensam auro niuem diluit.* Et lib. II. de Ira, cap. XXV. *Perpetietur hic famem, & astiuae expeditionis sitim, qui puero male diluenti niuem irascetur?* Plutarch. περὶ ἀοργησίας. χιόνος δὲ μὴ παρούσης, ἵνα αὖ πιῶν, οὔτε ἄρτον ἐξ ἀγορᾶς φαγών, οὔτε ὄψου χυτρόποδος ἐν λιτοῖς ἢ κεραμαίοις σκεύεσι. Stratis ἐν Ψυχαστῇ, Οἶνον γὰρ πιεῖν οὐ ἂν δεδέξαιτο θερμόν, ἀλλὰ πολὺ τοὐναντίον ψυχρόμενον ἐν τῷ φρέατι, χιόνι μεμιγμένον. Sed & niuem meram bibebant. A. Gellius lib. XIX. cap. V. *Is nos aquam multam ex diluta niue bibentes coërcebat, seueriusque increpabat.* Athen. lib. III. Ὅτι δὲ καὶ χιόνας ἔπινον ἐν Μανδραγοριζομένῃ ἔφη Ἄλεξις,

Καὶ χιόνα μὲν πίνειν παρασκευάζομεν.

Dexicrates in fabula, cui inscriptio erat, ὑφ' ἑαυτῶν πλανώμενοι. εἰ δὲ μαθόντες καὶ χιόνα πίνω. Vnde Martialis lib. XIV.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Ex vtraque consuetudine, vt opinor, Plinius lib. XIX. cap. IV. *Et ipsa natura elementa vi pecuniae discreta sunt. Hi niues, illi glaciem potant, poenasque montium in voluptatem gulae vertunt. Seruatur algor aestibus, excogitaturque vt alienis mensibus nix algeat.* Nix autem venalis erat ad hunc vsum. Euthycles ἐν Ἀσώτοις.

Πρῶτος μὲν οὐδεὶς εἰ χιὼν ἔσθ' ὤνια,
πρῶτον δ' ἐκεῖνον χαλάσαντα δεῖ πάντως φαγεῖν.

Caeterum aqua niuata vtebantur etiam ad lauationem εἰ ἄσωτοι καὶ διαθρυπτόμενοι τὴν πλύνειν. Petronius. *Tandem ergo discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus niuatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus.* Quomodo autem seruaretur nix ista docet Plutarch. lib. VI. symp. probl. VI.

PINGVESCAT *nimio*] Sic λιπαροὺς πλοκάμους dixerunt Graeci.

Αἰεὶ δ' αὖ λιπαροὶ κεφαλαί, καὶ καλὰ πρόσωπα.

Nimio autem, id est, multo. Gloss. *Nimis*, ἄγαν, πάνυ, κομιδῆ, σφόδρα. Plaut. in Amphit.

B *Legiones educunt suas nimis pulchris armis praeditas.* Hac voce sic vsi sunt etiam postremi aeui scriptores haud raro.

AD EPIGR. LXVII.

COLLOCAT *hasta suos*] Sumptum ab antiquo collocandi cadaueris more, de quo multa Lipsius lib. I. Elect. cap. VI. & alij. Sic προτίθεσθαι Graecis. Euripides in Hecuba.

——λύσω, προθήσομαι δ' ὡς ἄξιον.

Vbi caecutiunt interpretes. Sed nec hoc verbum capiunt in hoc Eubuli loco apud Athen. lib. II.

Ἐν τοῖς λαχάνοις τοῦτον γὰρ, ὡς ὁ λόγος, ποτὲ
τὸν Ἄδωνιν ἀποθανόντα προὔθηκεν Κύπρις,
ὡς ἔτι νεκρῶν βρῶμα.

C Sed non solum pro collocare in vestibulo aedium: verum & in loco publico, vt pro Rostris Romae, vbi & laudatio peragebatur. Sic frequenter apud Dionem, & Appianum.

AD EPIGR. LXVIII.

SIC *erit at.*] Tunc enim salutaberis, neque resalutare poteris. Placet vt legatur, *Aeternum Pontiliane vale*, coniunctim, vt sint verba salutantis Pontilianum iam μηκέτι ὄντα. Virgilius:

——*Salue mi maxime Palla*
Aeternumque vale.

Papinius III. Syluarum.

Salue supremum genitor, mitissime patrum,
Aeternumque vale

Nota res, & verbi ac θελήσεως proprietas. Inde autem nata, quia existimabant miselli illi τοὺς μακαρίτας se in aeternum amittere. Seneca lib. VII.

D de Benef. cap. XXI. *Pythagoricus quidam emerat a sutore phecasia, rem magnam, non praesentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditurus: & cum clausam diu pulsaret, fuit qui diceret: Quid perdis operam tuam? Sutor ille, quem quaeris, elatus combustus est. Quod nobis fortasse molestum est, qui in aeternum nostros amittimus: tibi minime, qui scis futurum, vt renascatur. Iocatus in Pythagoricum.*

AD EPIGR. LXX.

ARCTOA *de gente*] Aureus color capillorum Germanicorum, καὶ πάντων χαίτην τὴν πρὸς ἄρκτον οἰκούντων. Iuuenalis satyr. XIII.

Cærula quis stupuit Germani lumina? Flauam Cæsariem?

Claudianus Panegyr. in IV. Consul. Hon.

Ante ducem nostrum flauam sparsere Sicambri Cæsariem.

Emptæ autem hæ comæ à plerisque mulieribus capillorum colorem mentientibus. Ouid. I. Amorum, eleg. XIV.

Nunc tibi captiuos mittet Germania crines,
Culta triumphata munere gentis eris.
O quam sæpe comas aliquo mirante rubebis,
Et dices, empta nunc ego merce probor.

AD EPIGR. LXXI.

ANTONI *Phario nil ob. Photino*] Nam
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri, & homicida Miloni?

Notant autem historiæ omnes pessimum istum Eunuchum, qui Magno illi Pompeio perniciem molitus, iustas tandem sceleris sui pœnas luit. Meminit & Claudianus lib. I. in Eutropium Eunuchum.

—— En alio ledor grauiore Photino,
Et patior maius Phario scelus. Ille cruorem
Consulis vnius Pellæis ensibus ausit:
Inquinat hic omnes.

ET *lenius tabula*] Qua proscripta erant damnatorum nomina. πινάκα Græci verterunt. Plutarch. Dio. Appianus. Iuuenal. satyr. II.

In tabulam Syllæ si iurent discipuli tres.

ROMANA *stringis in ora*] Val. Max. in hac historia. *Ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis clarissimam dexteram, per summum & securum otium amputauit.*

INCIPIENT *omnes pro Cicerone loqui*] Imitatus est, ni fallor, Velleium Paterculum Martialis. Sic enim ille, postquam præstantissimi viri cædem descripsit, *Nihil tamen egisti, M. Antoni:* & quæ sequuntur eadem pene quæ hoc epigrammate.

AD EPIGR. LXXII.

IN *sellariolis*] Sic *sellariam* appellauit cellam suam, & sedem arcanarum libidinum Tiberius. Sueton. in Tib. Hinc illustrandus Iuuenalis satyr. X.

—— Tutor haberi
Principis, angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo.

Nota *Sedentis*, propter sellariam.

VAGVS *popinis*] Quo honesti homines, imo & paulo honestiora mancipia raro intrabant, præcipue Athenis. Sed nunc apud nos. O mores! Isocrates in Areopagitico. ἐν καπηλείῳ δὲ φαγεῖν ἢ πιεῖν οὐδεὶς δ' ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησεν.

AD EPIGR. LXXVI.

QVID *mirum toto*] Idem acumen apud Petronium.

Tres tulerat fortuna duces, quos obruit omnes
Armorum strue diuersa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet, Libyco iacet æquore Magnus,
Iulius ingratam perfudit sanguine Romam:
Et quasi non posset tot Tellus ferre sepulcra,
Diuisit cineres. Hos gloria reddit honores.

AD EPIGR. LXXVII.

VXOREM *legitimam*] Ludit in vocis homonymia. Vxor legitima erat, νόμιμος, quæ secundum leges in manum mariti conuenerat, κατὰ νόμιμον σύνοδον, vt loquitur Philo alicubi, & opponitur παλλακῇ & concubinæ. Heic autem vxor legitima quæ legis caussa nupsit, id est Iuliæ legis metu.

AD EPIGR. LXXX.

SI *soles* [illegible]] In cod. quo vsi sumus legitur *Si soles propinqui.* Merula testatur fuisse in veteribus libris *Sessiles propinqua.* De lactucis sessilibus plura obseruata ab alijs.

NEC *crassum*] Sic Lucianus:

Τὸν τῷ διωκεῖν [illegible] οἶδεν. [illegible]
Αὐλὴ καλῷ [illegible] δόγματι [illegible]:
Οὐ [illegible]
Οὐ [illegible] αὐτὸς [illegible] χαμαιζηλά.

AD EPIGR. LXXXIV.

AN *potes & non*] Corrigit eximius Lipsius lib. I. epistol. quæst. epist. V.

An potes, & non vis, rogo? Non est turpius istud
Si tibi: Dispereas Gaure pusillus homo es.

Et sic sane in Cod. Petau. Sed hæc lectio non minus intricata. Quid si ita?

An potes, & non vis? Rogo non est turpius istud
Si tibi? Dispeream, Gaure, pusillus homo es.

AD EPIGR. LXXXVI.

CLAMOSO *reuocatur*] In scholam scilicet. Nam Saturnalibus feruentibus cessabant scholæ: exactis aperiebantur. Plin. epist. VII. lib. VIII. *Neque vt Magistro Magister, neque vt discipulo discipulus (Sic enim scribis) sed vt discipulo magister (Nam tu magister, ego contrà, atque adeo tu in scholam reuocas, Ego adhuc Saturnalia extendo) librum misisti.* Dicit autem Martialis, *Nucibus relictis*, quia nucibus ludebant in Saturnalibus. Quod vulgo aliter accipiunt.

RAPTVS *è popina*] Vbi lurcones, ganeones, & aleatores ab Ædilibus vestigabantur. Seneca lib. de Vita Beata, cap. viij. *Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris: Voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem: Circa balnea ac sudatoria, ac loca Ædilem metuentia.*

ÆDILEM *rogat*] Neque enim ius Ædili in aleatores Saturni tempore: quo elapso pristina eidem auctoritas. Martial. lib. xiij.

Nec timet Ædilem moto spectare fritillo.

Saturnalibus forum aleatorium calfaciebant. Saturnus apud Lucianum. ἐγὼ δὲ ἐπὶ ῥητῆς παραλαμβάνω τὴν δυναστείαν. ἑπτὰ μὲν ἡμερῶν ἡ πᾶσα

βασιλεία, ἣν ἐκ περιτρόπου πάντων ἄρχομαι, ἰδιώτης εἶθ᾽ ὡς εἰμι, καί του μοῦ τῶν πολλῶν δήμου εἷς, ἐν αὐταῖς δὲ ταῖς ἑπτά, σπουδαῖον μὲν οὐδὲν ἀγοραῖον διοικήσασθαί μοι συγκεχώρηται, πίνειν δὲ καὶ μεθύειν, καὶ βοᾶν, καὶ παίζειν, καὶ κυβεύειν, καὶ ἄρχοντας καθίστασθαι, καὶ τοὺς οἰκέτας εὐωχεῖν, καὶ γυμνὸν ᾄδειν, καὶ κροτεῖν ὑποτρέμοντα. Suetonius in Augusto: *Alea rumorem nullo modo expauit: lusitque simpliciter, & palam oblectamenti caussa etiam senex: ac, praeterquam Decembri mense, alijs quoque festis, profestisque diebus.* Videndus & Macrobius.

SATVRNALIA *Martias cal.*] Iuuenalis sat. IX.

A *Munera foemineis tractas secreta Calen dis.*

Sed nihil tritius in tota antiquitate. Idcirco autem docet amandi magister, ne eo tempore puellarum captentur amicitiae: quia solent tunc temporis plurima pro iure suo flagitare: lib. 1. μαζαιοπαχίας.

Nec teneras tutum est semper captare puellas:
Saepe dato melius tempore fiet idem.
Siue dies suberit natalis: siue Calendae,
Quas Venerem Marti continuasse iuuat.

Addit postea.

Magna superstitio tibi sit natalis amica,
Quaque aliquid dandum est, illa sit atra dies.

DESIDERII

DESIDERII HERALDI ANIMADVERSIONES

AD LIBRVM VI. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPIGRAMMA. I.

LVSVS *erat*] Iuuenal. sat. IV.

Qualis erat tragico nuper pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges reuocabat amaras,
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas.

Hac de re Suetonius, Dio, & alij.

LVSVS *& immeritos*] Suetonius. *Castrari mares vetuit. Spadonum qui apud mangones erant, pretia moderatus est.* Papinius III. Syluarum.

Nondum pulcra Ducis clementia cœperat ortu
Intactos seruare mares. Nunc frangere sexum,
Atque hominem mutare nefas, gauisaque solos
Quos genuit natura, videt.

Idem Papinius IV. Syluarum, de hoc edicto Domitiani:

Qui fortem vetat interire sexum:
Et censor prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ.

Ammianus Marcellinus Eunuchorum hostis perennis, lib. XVIII. *Horum & similium tædio iuuat veterem laudare Domitianum, qui licet patri fratrique dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, tamen receptissima inclaruit lege, qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iurisdictionis Romanæ castraret quisquam puerum: Quod ni contigisset, quis eorum ferret examina, quorum paucitas difficile toleratur?* Hoc autem ideo vetuit, quia cum memoriam Titi fratris odio haberet, & is Eunuchos amasset, hoc in eius contumeliam edictum proscribendum censuit. Xiphilinus in Domitiano. Hanc eandem legem Nerua confirmauit. Xiphilinus in Nerua. Castrabantur autem à mangonibus vernulæ promercij caussa. l. IV. ff. de Sicariis. Seneca Controuersia IV. lib. X.

LVSVS *erat sac. fallere*] Seneca II. Contr. lib. I. *Non est credibile, temperasse à libidine piratas, omni crudelitate efferatos, quibus omne fas nefasque lusus est. Ludus* Claudiano lib. I. in Ruff.

Præda cibus, vitanda Ceres, fratresque necare
Ludus, & occisos pulchrum iurare parentes.

EXSECVISSI] Exsecare; ἐκτέμνειν. M. Tull. lib. II. de Nat. Deorum. *Nam vetus hæc opinio Græciam opplerat, exsectum Cœlum à filio Saturno,*

A *vinctum autem Saturnum à filio Ioue.* Auson. epigr. CVI.

Desectos sic fama viros, vbi cassa libido, &c.

Sic *Circunsectos* Iudæos dixit Sueton. in Domitiano, quos *circuncisos* vulgo appellamus. Gloss. ἐκτέμνω, *Amputo, excastro, excindo.* Excindere hoc sensu apud Martialem lib. III.

Excinduntque senem lecti qua parte iacebat.

ἐκτέμνειν hac notione notissimum. Sed noua constructione θηλυδριῶν ἑαυτὸν ἐκτέμνειν dixit Socrates lib. II. hist. Eccles. cap. XXVI. de Leontio Antiochiæ episcopo, τὸ θηλυδριῶν ἐξέτεμεν ἑαυτόν.

AD EPIGR. III.

TOTAM *nebit ouem*] Tibullus lib. II.

O pereat quicunque legit viridesque smaragdos,
Et niueam Tyrio murice tingit ouem.

AD EPIGR. V.

B NIL *mihi respondes*] Id est, tacite negas: Nam silentium tuum honesta denegatio est. Hinc & Plautinus ille parasitus in Captiuis: *Nam vt dudum hinc abij, accessi ad adolescentes in foro; saluete, inquam. Quo imus, vna, inquam, ad prandium? Atque illi tacent. Quis ait hoc, aut qui profitetur? inquam; quasi muti silent.*

AD EPIGR. VIII.

PRÆCONI *dedit Eulogo puellam*] Iis enim temporibus præconum fortuna ad inuidiam vsque lauta; quod Martiali indignationem excitabat supra Epigr. LVIII. lib. V. At olim infimorum & miserorum homuncionum ministerium erat. Demosthenes contra Leocharem: διετέλει γὰρ ἐν Πειραιεῖ κηρύττων· τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον ἀπορίας ἀνθρωπίνης τεκμήριον, ἀλλὰ καὶ ἀχρειότητος τῆς ἐπὶ τὸ πραγματεύεσθαι.

AD EPIGR. XI.

ME *pinguis Gallia vestit*] Pinguiores enim

crassiores que olim vestes à textoribus Gallis. Iuuenal. sat. IX.

—— Pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri, crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus.

Pingues lacernas dicit Iuuenalis παχείας. Sic *Pinguis toga* apud Sueton. in Augusto; *Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis, & subucula thorace laneo, & feminalibus, & tibialibus muniebatur.* παχεῖαι ἐσθῆτες Græcis. Lucianus: οἱ πένητες ἐθέλοιμι χαλεποῖς μετέχειν τῆς ἑορτῆς, ἐκέλευόν με ἀναγκάσαι ὑμᾶς ἐσθῆτάν τι, ὧν ἔχετε, μεταδοῦναι αὐτοῖς, εἴ τις παχεῖαι, ἢ παχύτερα ἢ κατ' ὑμᾶς.

SAGATVS *amem*] Dixit, *Me pinguis Gallia vestit.* Sagum autem gallicum erat: quin & ipsum nomen, si credimus Isidoro. Sed & Hispanicum. Appianus in Historia Hispanica:
B χρῶνται δ' ἐσθῆσι ἱματίοις παχέσι (pinguibus) ἀντὶ χλαμύδων αὐτὰ περιπορπώμενοι, καὶ τοῦτο σάγον ἡγοῦνται. Paulo post. ἐνεπορπήσατο σάγον ἰβηρικῶς, καὶ λαθὼν ἀνεμίχθη τοῖς χορηγοῦσι τῶν πολεμίων. Legatur & Strabo lib. III. Geograph. Tit. Liuius lib. XXVII. *Tum puero annulum aureum, tunicam lato clauo cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equumque ornatum donat.* Excripsit pæne hæc eadem verba Val. Max. lib. V. cap. I. Vide eundem lib. III. cap. II. facit etiam mentionem *Punici saguli* lib. V. cap. I.

MARCE *vt ameris, ama*] Allusit Ausonius epigr. XC.

Hoc tibi tu præsta, Marce vt ameris, ama.

Verum præceptum, & è sapientiæ fontibus. Seneca epist. IX. *Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine vllius venefica carmine: Si vis amari, ama.* Xenophon παιδείας IX. docet, qua ratione Cyrus hominum beneuolentiam sibi conciliarit, his verbis.
C ὡς μὲν οὖν ὅτι τὸ φιλεῖσθαι δοκεῖ ἡμῖν ἐλθεῖν, τοῦτο πειράσομαι διηγήσασθαι. πρῶτος μὲν γὰρ διὰ παντὸς ἀεὶ τοῦ χρόνου φιλανθρωπίαν τῆς ψυχῆς, ὡς ἐδύνατο μάλιστα, ἐνεφάνιζεν, ἡγούμενος, ὥσπερ οὐ ῥᾴδιον ἐστι φιλεῖν τοὺς μισεῖν δοκοῦντας, οὐδ' εὐνοεῖν τοῖς κακόνοις, οὕτως & τοὺς γνωσθέντας ὡς φιλοῦσι καὶ εὐνοοῦσιν, οὐκ ἂν δύνασθαι μισεῖσθαι ὑπὸ τῶν φιλεῖσθαι ἡγουμένων. Sed apposite idem ἀπομνημον. lib. II. τῶν μὲν ἐπῳδὰς φασὶν εἶναι, ἃς οἱ ἐπιστάμενοι ἐπᾴδοντες οἷς ἂν βούλωνται, φίλους ἑαυτοῖς ποιοῦνται. τῶν δὲ & φίλτρα, οἷς οἱ ἐπιστάμενοι πρὸς οὓς ἂν βούλωνται χρώμενοι, φιλοῦνται ὑπ' αὐτῶν.

AD EPIGR. XVIII.

SANCTA *Salonini*] Proprie *Sancta*. Nam Manes sancti. Vide Macrob. lib. III. Saturnal. cap. III. Virg. XI. Æn.
D
——Tuque ô sanctissima coniux
Felix morte tua.

Nota etiam *felix* μακαρίως. Seneca in Troade: *Sanctas parentis conditi sedes, age Aude subire.* Et *Deorum manium iura sancta sunt,* apud M. Tull. lib. II. de Legib. *Et Sanctitas* proprie *iustitia erga manes*, vt idē ait in Topicis. Recte igitur in gloss. *Sanctus.* ὅσιος, ἅγιος, Nam τὸ ὅσιον dicitur proprie περὶ τῶν ἐν ᾅδου. Plut. lib. de Iside, & Osiride. Ὁ δ' Ὄσειρις ἐν τῷ ὁσίῳ καὶ ἱερῷ πνεῦμα μεμιγμένον ἔχει. ταῦτα γάρ ἐστι τῶν ἐν οὐρανῷ, & τῶν ἐν ᾅδου λέγει; ὧν τὰ μὲν ἱερά, τὰ δ' ὅσια τοῖς παλαιοῖς ἦν προσαγορεύειν. Vnde ὅσιος hoc sensu ab eodem accipitur lib. de Dæmonio Socratis. ὅσιος γὰρ ὑπὸ τῶν φίλων κεκαθάρθαι τὸ Λύσιδος σῶμα. Dio lib XLVIII. ἡ δὲ βουλὴ ἀγανακτή-

A σιν τῇ πάσῃ τῇ πλήθους περὶ αὐτὴν σπουδῇ, τὰ ὅσια αὐτῷ, ὡς ἐχθῷ ὅπως ἐν τῷ ἱερῷ καίεσθαι, αἰτήσαν, παιδεῦσαι τοῖς πατράσι. Quare ἀνόσιος, ὁ μὴ τυχὼν τῶν ὁσίων. Sophocles in Antigone: ἔχεις δὲ τῶν κάτωθεν ἐνθάδ' αὖ θεῶν ἄμοιρον, ἀκτέριστον, ἀνόσιον νέκυν.

AD EPIGR. XIX.

TV *Cannas*] Hæc περιπλοκία omnino ἐξαγγελίας notata etiam Luciano in Oratorum Magistro. κἂν περὶ ὕβρεώς τινος, ἢ μοιχοῦ λέγης Ἀθήνησι, τὰ ἐν Ἰνδοῖς, & τὰ ἐν Ἐκβατάνοις λεγέσθω. ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ Μαραθὼν, καὶ ὁ Κυναίγειρος, ὧν οὐκ ἂν ἄνευ γένοιτο. & ἀεὶ ὁ Ἄθως πλείσθω, &c. Elegans etiam est Lucillij epigramma, in eandem plane sententiam:

Χοιρίδιον & βοῦν ἀπολώλεκα, καὶ μίαν αἶγα,
ὧν χάριν εἴληφας μισθάριον Μενεκλῆς.
οὔτε δὲ μοι κοινόν τι πρὸς Ὀθρυάδαν γεγένηται.
οὔτ' ἀπάγω κλέπτας τοὺς ἀπὸ Θερμοπυλῶν.
ἀλλὰ πρὸς Εὐτυχίδην ἔχομεν κρίσιν. ὥστε τί μοι
ἐνθάδε μοι Ξέρξης καὶ Λακεδαιμόνιοι;
μνῶ κἀμοῦ μνήσθητι νόμου χάριν. ἢ μέγα κράξω,
ἄλλα λέγει Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον.

Sucula, bosque mihi periyt, simul vna capella,
Idcirco merces est numerata tibi.
Nil mihi cum Othryada commune est, nec fuit vnquam:
Non ego latrones exigo Thermopylis.
Verū cum Eutychida lis est mihi. Quid mihi narras
Hic igitur Xerxem, quid Lacedæmonios?
Esto mei meminens igitur, vel sic ego fabor,
Sucula quod dicit, non ait hoc Menecles.

AD EPIGR. XX.

MVTVA *te centum*] Heic est ἀρνητὴρ hominis vani, & vt aiebat Comicus, lingua factiosi,
C inertis opera, & sublesta fide. Multi reperiuntur eiusmodi, qui non modo facile promittunt, sed sese vltro offerunt; quorum amicitiam si vis experiri, nihil inuenies alienius.

CVM *mihi dixisses. Exigis ergo nihil*] Quæ est oratio hominis prompti ad beneficia conferenda. Seneca lib. II. de Benefic. cap. III. *Adycias licet familiarem querelam. Irascor tibi, quod quum aliquid desiderasses, non olim scire me voluisti; quod tam diligenter rogasti; quod quenquam adhibuisti. Ego vero gratulor mihi, quod experiri animum meū libuit; Postea quidquid desiderabis, tuo iure exiges.*

INQVIRIS, *dubitas*] Solicitus es, qualis ille inficiator, ac fraudulentus solet, vt obseruat Seneca lib. III. de Benefic. cap. XVIJ.

IAM *rogo, Phœbe nega*] Seneca lib. II. de benefic. c. V. *Nihil æque amarum est, quam diu pendere. Aequiore quidam animo ferunt præcidi spem suam, quam trahi.* Item: *Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit, fac, si quid facis. Et, Nihil est tanti, Malo mihi iam neges: vbi in tædium adductus animus incipit beneficium odisse, dum expectat.*

AD EPIGR. XXII.

SED *fateris*] Sic epigrammate LXXV. lib. I.

Mœchus erat, poteras tamen hoc tu Paulle negare,
Ecce vir est: Nunquid Paulla negare potes.

Quomodo autem hoc intelligendum sit docebit te Nouell. CXXXIV. cap. XII.

AD EPIGR. XXIX.

IMMODICIS *breuis est*] Hæc fuit antiquorum sententia, immodicis & humanam sortem quacumque in re superantibus hominibus inuidere Deos, & inde fieri, ne inter nos diurnent. Quintil. præfat. lib. VI. *Quod obseruatum ferè est, celeriùs occidere festinatam maturitatem, & esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, inuidiam, ne videlicet vltra quam homini datum est, nostra prouehantur.* Quare dicebat Cato Censorius, *senilem iuuentam prematuræ mortis esse signum.* Plin. lib. VII. cap. LI. Optabant igitur ne quid nimis placeret, vt præcipit hic Martialis: & nimiam laudationem nocere existimabant. Hinc intellige hoc epigramma, quod apud Laërtium in Platonis vita, apud Apul. in Apologia, & in Anth. ep. B

> Νῦν ὅτε μηδὲν Ἄλεξις ὅσον μόνον εἶφ' ὅτι καλὸς
> ὦπται, καὶ πάντη πᾶς τις ἐπιστρέφεται.
> Θυμὲ, τί μηνύεις κυσὶν ὀστέον; εἶτ' ἀνιήσει
> ὕστερον; οὐχ οὕτω Φαῖδρον ἀπωλέσαμεν;

Diogenis interpres alibi parum cautus, heic pessime accipit hæc verba. —— καὶ πάντη πᾶς τις ἐπιστρέφεται. Accepisset saltem interpretationem ab Apuleio.

> —— *Et vertunt quilibet in te oculos.*

Cæterum hinc etiam interpretabor Ausonium penult. Carm. Professorum.

> *Grammatici in studio, vel Rhetoris, aut in vtroq;,*
> *Quos memorasse mihi morte obita satis est.*
> *Viuentum inlecebra est laudatio. Nomina tantum*
> *Voce ciere suis sufficiet tumulis.*

Et heic Commentatori literatissimo nox. Hinc & Ouidius ludo de morte Psittaci.

> *Raptus es inuidia: Non tu fera bella mouebas*
> *Garrulus, & placidæ pacis amator eras.*

Quidam etiam prodiderunt esse homines nimia laudatione effascinantes. Vide A. Gell. lib. IX. cap. IIII. Et heic proprie *fascinum*. Tertull. de Virginibus velandis, cap. XV. *Nam est etiam aliquid apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum.* Vnde *Præfiscini* dicebant, ad auertendum fascinum. Notus hic Virgilij locus.

> —— *Bacchare frontem*
> *Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

Nota, *Mala lingua*: Nam *fascinum* à fando, inquit Festus. At Cloatius Verrius quasi βάσκανον dictum autumat, & commode sane, & condecenter, ait Gell. lib. VI. cap. XII. Cæterum tota illa opinio ex eo fluxit, quod opinabantur Deos inuidere *enormiori gloriæ*, vt loquitur Tertullia- D nus. Impia sententia. Solon apud Herodotum Musa II. ὦ Κροῖσε, ἐπιστάμενόν με τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες ἐπειρωτᾷς ἀνθρωπηίων πρηγμάτων πέρι. In his verbis βλασφημίαν agnoscit etiam Plut. lib. de Herodoti malignitate, & Aristoteles eandem sententiam confutat lib. I. Metaphys. cap. XI. εἰ δὴ λέγουσί τι οἱ ποιηταὶ, καὶ πέφυκε φθονεῖν τὸ θεῖον, ἐπὶ τούτου συμβῆναι μάλιστα εἰκὸς, καὶ δυστυχεῖς εἶναι πάντας τοὺς περιττούς. ἀλλ' οὔτε τὸ θεῖον φθονερὸν ἐνδέχεται εἶναι, ἀλλὰ, κατὰ τὴν παροιμίαν, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. Νέμεσιν huic inuidiæ præsidere arbitrabantur, & inde νέμεσις, pro ipsa illa inuidia. Herodotus Musa I. Μετὰ δὲ Σόλωνα οἰχόμενον. ἔλαβε ἐκ θεοῦ νέμε- A σις μεγάλη Κροῖσον (ὡς εἰκάσαι) ὅτι ἐνόμισε ἑωυτὸν εἶναι ἀνθρώπων ὀλβιώτατον, Ausonius.

> *Ecce vbi se cumulat mea purpura (Mitibus audi*
> *Aurib. hoc Nemesis) post me dignatur oriri*
> *Augustus Consul.*

Certa etiam erat superstitio in his deprecationibus, quam notat Plin. lib. XI. cap. XLV. *Est in aure ima memoria locus, quem tangentes antestamur. Et post aurem æque dextram Nemeseos* (locus scil.) *quæ Dea Latinum nomen ne in Capitolio quidem inuenit, quo referimus tactu ore proximum à minimo digitum, veniam sermonis à Dijs exposcentes.* Idem lib. XXVIII. cap. II. *Cur & fascinationibus adoratione peculiari occurrimus? Alij Græcam Nemesim inuocantes, cuius ob id Romæ simulachrum in Capitolio est, quamuis Latinum nomen non sit.* Hinc & eodem capite. *Alius saliua post aurem digito relata, solicitudinem animi propitiat.* Cæterum Ne- B mesin graphicè depingit Ammianus Marcellinus non procul à fine lib. XIIII. Inuidiam autem istam ita metuebant, vt eam quocunque modo placare conarentur, & idcirco res turpiculas puerorum collo appendebant, bonæ scæuæ caussa, vt notat Varro in libris de lingua Latina. Quo sane videtur allusisse Plautus in Milite:

> *Enim iamdudum gestio mœcho hoc abdomen adimere,*
> *Vt faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.*

Et in suis ædibus hæc προβασκάνια (Mutonia appellat γλωσσοχάρος) habebant. Plut. & Pollux. Neque omittam hunc locum Magni Planudis in vita Æsopi. Σύ ποτε ἄρα καλὸν τὸ ἐμὸν ἐθεάσω, φησὶ, συμβέβηκε, οὐ σημεῖον αἰσχρὸν οὕτως ἐποίησα; ἀλλ', ὡς ἔοικεν, ἀντὶ βασκανίου πρὸ τῆς οἰκίας ὤφθησαν. Inde etiam fascino Mutini inequitare matronas Ro- C manas auspicabile arbitrabantur earum viri, vt ait Arnobius lib. IV. aduersus Gentes. Vnde & Lactantius lib. I. de falsa Relig. cap. XX. *Et Mutinus, in cuius sinu pudendo nubentes præsident, vt illarum pudicitiam prior Deus delibasse videatur.* Et bellus ille *fascinus* aliis quoque inuidiæ arcendæ ergo cultus. Plin. lib. XXVIII. cap. IV. *Et fascinus Imperatorum quoque, non solum infantium custos.* (Vnde res turpiculas earum collo appendi solitas Varro notatum habet) *qui Deus intra sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium sub his pendens, defendit medicus inuidiæ, iubetque eosdem recipere. Similis medicina linguæ, vt sit exorata à tergo fortuna, gloriæ carnifex.* Ita Nemesin appellat. Meminit & huius Mutonij Diodorus Siculus lib. IIII. Ab eadem caussa fluxit & illa superstitio, qua in sinum despuebant τὸ κεμασιτὸν ἐκπτυόμενοι, vt notant Scholia Theocriti, idyll. VI. & II. Plinius lib. XXIIX. cap. IIII. *Veniam* D *quoque à Deis spei alicuius audacioris petimus, in sinum spuendo. Etiam eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicina mos est, atque effectus adiuuare: Incipientes furunculos ter præsignare ieiuna saliua.* Lucianus πλοίῳ. ὑποψιμάζεις γε ὦ Ἀδείμαντε, καὶ ἐς τὸν κόλπον οὐ πτύεις, οὐδὲ οἶσθα ὅστις ὢν τυγχάνεις. Hic non omittendus elegans Æliani locus, Var. Histor. lib. I. cap. XV. ἐκ διαδοχῆς φασὶν ἐπῳάζειν τὰς περιστεράς, εἶτα τὸν νεοττὸν γενόμενον, ὁ ἄρρην ἐμπτύει αὐτῷ, ἀπελαύνων αὐτοῦ τὸν φθόνον, φασὶν, ἵνα μὴ βασκαίνηται δῆθεν. Vbi cæcutit interpres. Verum hæc superstitio muliercularum proprie: quanquam & virorum muliebres, & exanimes animos gerentium. Callimachus:

Δαίμων, ᾧ κόλποισιν ἐπιπλώουσι γυναῖκες;

AD EPIGR. XXXIV.

OCEANI *fluctus*] Theocritus χάρισι.

ἀλλ' ἴδε γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ἄοπι κύματα μαστῶν,
ὅσσ' ἄνεμος χρονίω κατὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὤθει.

Philippus Epigrammatarius,

Ἀντιάων δ' αἰγιαλοῖσιν ἐρευνώσας κράτος,
Καὶ σοῦ λίθοισιν ψαμμίδων κατεῖχες.

Inde quoque ψαμμακόσιοι, ψαμμακοσίων. vt dicitur ἐξακόσιοι, ἑπτακόσιοι, sic ἀπὸ τῆς ψάμμου ψαμμακόσιοι. Eupolis. ἀριθμὸν ὁ πατὴρ ψαμμακοσίους. Hæc similitudo frequenter occurrit. Fortasse autem hæc Martialis verba ab illa superstitione, qua numerum fascino obnoxium existimarunt. Res iam notata viris doctissimis.

VOCESQVE *manusque theatro*] Plausu enim, & faustis acclamationibus excipiebantur in spectaculis Imperatores. Iulianus Imperator in Misopogone. φωναῖς εἰς τὰ ἱερὰ δύοντας, καὶ δύσροφα, καὶ πάντα κακὸν μοχθηρῷ. ταῦτα δὲ εἶναι ἐν τοῖς πλήθεσι πρὸς τὰ παιδικὰ, καὶ μάλιστα δὲ οἱ πλεῖστοι τῶν ἐν πόλει, δὲ ἀποδεχόμενοι ἐν σοῖ βοῇ μετὰ κρότων λαμπρᾶς ἐν τοῖς τιμῶσιν, ὥσπερ ἐν ταῖς θεάτροις. Cæterum his acclamationibus Imperatori felicitatem cõprecabantur. Plutarch. in Galba, καί ποτε θέας οὔσης, τὸν χιλίαρχον καὶ λοχαγὸν τὸ Ῥωμαίοις σύνηθες εὐτυχίας ἐπευχόμενον τῷ αὐτοκράτορι Γάλβα, διεθρύλησαν οἱ πολλοί τι τοιοῦτον, εἶτα ταῖς εὐχαῖς ἐπιφθέγγεσθαι ἐκεῖνον, ἀντιφωνοῦσιν, Οὐκ ἄξιος. Nota τὸ Ῥωμαίοις σύνηθες εὐτυχίαν ἐπευχόμενον. Nam vox erat *feliciter*. Suetonius in Domitiano; *Acclamari etiam in amphitheatro epulari die libenter audijt, Domino & Dominæ feliciter*. Phædrus fab. LXXXII.

Demetrius qui dictus est Phalereus,
Athenas occupauit imperio improbo;
Vt mos est vulgi, passim & certatim ruit;
Feliciter subclamant ipsi Principes.

Aliis etiam blanditiis onerabantur. Vide Tertull. lib. de Spectaculis, cap. XXV. Huc etiam pertinet iste Plutarchi locus in Othone. τοῖς δὲ πολλοῖς χαριζόμενος καὶ ἐρρῶσθαι τὸ πρῶτον ἐν τοῖς θεάτροις Νέρωνα προσαγορεύσας. Sed & ad filios & nepotes Imperatorum acclamationes istæ pertinuere. Suetonius in Augusto; *Nunquam filios suos populo commendauit, vt non adijceret, Si merebuntur. Eisdem prætextatis adhuc assurrectum ab vniuersis in theatro, & à stantibus plausum grauissime questus est.* Vnde Dio lib. LIV. ἀλλὰ καὶ τῷ Τιβερίῳ ἐπεμέμφετο ὅτι τὸν Γάϊον ἐν τῇ εὐκταίᾳ, ἣν ἐπὶ τῇ ἐπανόδῳ αὐτοῦ ἐποίει, παρακαθίσειεν· καὶ τῷ δήμῳ, ὅτι καὶ κρότοις καὶ ἐπαίνοις αὐτὸν ἐτίμησαν. Hic lapsus interpres de literis optimè meritus.

PAVCA *cupit qui*] Pauperis est numerare pecus. Hinc ἀριθμητοὺς dicunt ἀντὶ ὀλίγων. Theocritus χάρισιν.

Ἐχθροῖς ἐν τ' αἴθῳ κακοῖ πήματα ἀνάγκῃ
Σαρδόνιον κατὰ κῦμα, φίλοιν μακρὰν ἀγαλλόντας
Τίνοις ἀπ' ἀρίγχοισι, ἀριθματοὺς ἀπὸ πολλῶν.

Numerabilis eodem modo Horatio.

—— *Numerabilis, vt pote paruus.*

Numerosus contra, πολύς.

AD EPIGR. XXXV.

SEPTEM *clepsydras*] Dabantur clepsydræ à Iudicibus, vt hinc etiam manifestum est, & plu-

A res defendenti, quàm accusanti. Vide Plin. epist. IX. lib. IV. Vnde fiebat, vt aliquando Oratores elaboratas suas orationes, & multarum noctium pretio æstimatas, totas recitare non possent. Quintil. lib. XII. cap. VI. *At illic & Index tacet, & aduersarius obstrepit, & nihil temere dictum perit, & si quid tibi ipse sumas, probandum est: & laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit.* M. Antoninus Imperator & Philosophus clepsydras Oratoribus liberaliter dedit. Xiphilinus in eius vita. ὁ δ' αὐτοκράτωρ, ὁσάκις ἀπὸ τοῦ πολέμου σχολὴν ἦγε, ἐδίκαζε, καὶ ὕδωρ πλεῖστον τοῖς ῥήτορσι μετρεῖσθαι ἐκέλευε. Vbi interpres iocularitet errat. Idem & de Seuero dicit: καὶ γὰρ τοῖς δικαζομένοις ὕδωρ ἱκανὸν ἐνέχει. Plinius de se ipso, epist. III. lib. VI. *Equidem quoties iudico (quod vel sæpius facio quam dico) quantum quis plurimum postulat aqua, do.* Cæterum vnaquæque

B clepsydra effluebat, vt opinor, spatio tertiæ partis vnius horæ. Colligo ex Plin. lib. II. epist. XI. *Dixi horis pene quinque. Nam decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor.*

POTAS *semisupinus aquam*] Quintil. lib. XI. cap. vlt. *Bibere aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam, ab Oratore meo procul absit. Nam si quis aliter dicendi onera perferre non possit, non ita miserum est non agere, quam & operis & hominum contemptum fieri.*

AD EPIGR. XXXVIII.

ADSPICIS *vt paruus*] De filio Reguli vide Plin. epist. II. lib. IV.

SIC *vitulus*] Claudianus Panegyr. de IV. Consul. Hon.

—— *Sic mollibus olim*
C *Stridula ducturum pratis examina Regem*
Nascentem venerantur apes, & publica mellis
Iura petunt, traduntque fauos. Sic pascua paruus
Vindicat, & necdum firmatis cornibus audax
Iam regit armentum vitulus: sed prælia differ
In iuuenem, patiensque meum cum fratre tuere
Me bellante locum.

AD EPIGR. XXXIX.

TEGETIBVSQVE *concepti*] In lupanari. Iuuen. satyr. VI.

—— *Dormire virum cum senserat vxor,*
D *Ausa Palatino tegetem præferre cubili,*
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.

Sed nonne allusit poëta eruditissimus ad dictum Diogenis canis, qui ἰδὼν παιδὸς πατέρα ζητοῦντος ἐρωτηθεὶς πόθεν εἴη, χαμαιτυπείου, ἔφη. Nempe χαμαιτυπεῖον ibi à τύπῳ, quod & τῦφος; quo verbo lupanar aliquando significari alibi ostendimus.

RETORTO *crine*] Nam Æthiopes & Mauri οὐλότριχες. Vide Aristot. lib. V. de Generat. Anim. cap. III. Martialis in Amphit.

Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.

Tales proprie qui prope Nilum habitabant: quod obseruat Diod. Siculus lib. III.

QVÆ *sic mouentur, vt aures asellorum*] Ratum hoc; Nam vere scribit Aristoteles lib. I de Histor. animal. cap. XI. ἀκίνητον τὸ οὖς ἄνθρωπος ἔχει μόνος τῶν ἐχόντων τοῦτο τὸ μόριον, Hominem solum

ribus esse immotis inter animalia, quibus eiusdem pestis consortium. Verum accidit aliquando, vt violata pæne naturæ lege, quibusdam aures moueant; Quare Melampus huius motus meminit libro περὶ παλμῶν μαντικῆς. Dicit quoque Epicharmus apud Athen. lib. x. Herculem ἀδηφαγίᾳ tanto impetu voracitati operam dedisse, vt is faucibus, maxillis, dentibus, nargibus denique streperet; simul aures motitaret, iumentorum instar. σίζει δ' ταῖς ῥισί, κινεῖ δ' ὦατα τῶν τετραπόδων οὐδὲν ἦττον.

AD EPIGR. XLII.

NEC *mollis Sinuessa*] Strabo lib. IV. Η δὲ Σινύεσσα ἐν Σητίνῳ κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ' ἧς καὶ τοὔνομα· σίνος γὰρ ὁ κόλπος. πλησίον ἐστὶ δ' αὐτῆς θερμὰ λουτρὰ κάλλιστα, ποιοῦντα πρὸς νόσους ἐνίας.

ILLOTVS *morieris*] Existimo ludere Martialem homonymia vocis. Quinam dicantur *Illauti* notum; quibus opponuntur *Lauti*, & *Prælauti*. Aristophanes de deparco, & infimis sordibus maculato in Pluto.

——— ἐκ Γαργηττίους ἔρχομαι,
Ος πῶ ἄλουτ' ἐξ ὅτου περ ἐγένετο.

Mortui autem lauabantur aqua calida, vnde ioci occasio. Res notissima est, & sexcentis exemplis confirmata. Sed elegans hic Æliani locus lib. IIII. Var. Histor. cap. I. Δαρδανεῖς τοὺς ἀπὸ τῆς Ιλλυρίδος ἀκούω τρὶς λούεσθαι μόνον παρὰ πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐκ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας. Ex eodem more iocus captatus Tertulliano in Apologet. cap. XLII. *Non lauor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam. Attamen lauor honesta hora, & salubri, qua mihi & colorem & sanguinem seruet. Rigere & pallere post lauacrum mortuus possum.*

AVRE *supina*] Contra *Aure prona*. Corn. Tacitus lib. I. hist. *Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur.*

AD EPIGR. XLIV.

ET *te conuiuam posse placere putas*] Plautus in Milite;

*Vel cauillator facetus, vel conuiua commodus
Idemero.*

AD EPIGR. XLVI.

MAGNAM *rem facit*] Nempe qui cum tantopere vapulet, non currat tamen. Eodem pertinebat Gallieni διάνοια, de qua Trebellius Pollio in Gallione. *Fuit præterea idem ingeniosissimus, cuius ostendentia acumen pauca libet ponere. Nam quum taurum ligatum in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque perductum decies potuisset occidere, coronam venatori misit, mussitantibusque cunctis quid res esset, quod homo ineptissimus coronaretur, ille per curionem dici iussit, Taurum toties non ferire, difficile est.*

AD EPIGR. L.

PVROS *amicos*] Quorum basia pura, & ab ore puro.

CVRARE] Hellenismus, θεραπεύειν. epigr. XVIII. lib. XI.

Turba tamen non deest sterilem quæ curet amicum.

Salustius: *Eum quæstor C. Vrbinus, aliique cognita voluntate, cum ad cœnam inuitassent, vltra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per aulæa & insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis.* Plinius epist. v. lib. I. *Nec me præterit esse Regulum δυσκαθαίρετον. Est enim locuples, factiosus, curatur à multis, timetur à pluribus.* Colere hoc sensu commune.

CONSCIVS *esto*] Iuuenalis satyr. III.

*Quis nunc diligitur nisi conscius, aut cui feruens
Aestuat occultis animus, semperque tacendis?*

Et quæ sequuntur.

AD EPIGR. LV.

ET *nido niger*] Thus intelligit, quod cinnamo adiunctum delicatis fragrantiam ministrauit. Sidonius epist. XIII. lib. II. *Hinc suffita cinnamo ac thure cœnatio spargeret peregrinos naribus odores, &c.* Thus autem inseruiuit etiam Phœnicis nido. Plinius lib. X. cap. II. Cinnamomum etiam ex his nidis decussum. Idem Plin. lib. XII. cap. XIX. *Cinnamomum & casiam fabulosa narrauit antiquitas, princepsque Herodotus, auium nidis, & priuatim Phœnicis, in quo situ Liber pater educatus esset, ex inuijs rupibus, arboribusque decuti, carnis quam ipsa deferrent pondere, aut plumbatis sagittis.* Non scripsit hæc omnia Herodotus, neque tanquam ex solo Herodoto hæc à Plinio exscripta: sed ex fabulis totius antiquitatis. De sagittis plumbatis Herodotus οὐδὲ γρύ. Sed Aristoteles lib. VI. de historia Animalium, cap. XIII. ποιεῖσθαι δ' ἐφ' ὑψηλοῦ δένδρου, καὶ ἐν τοῖς θαλλοῖς τῶν δένδρων. ἀλλὰ τοὺς ἐγχωρίους (φασὶ scil.) μολυβδίδας πρὸς τοὺς οἰστοὺς προσαρτῶντας, τοξεύοντας καταβάλλειν, καὶ οὕτω συνάγειν ἐκ τῶν φορυτῶν κιννάμωμον. Meminit & Dionys. περιηγητὴς huius fabulæ.

Ορνιθες δ' ἑτέρωθεν ἀοικήτων ἀπὸ νήσων
Ἦλθον φύλλα φέροντες ἀκηράσιον κινναμώμον.]

AD EPIGR. LVI.

SCIS *multos dicere multa*] πολλὰ καὶ παντοῖα dicunt Græci eleganter. Herodotus Musa IX. ἐπελθόντων δὲ σφεων ἐπὶ τοὺς στρατηγοὺς, ἔλεγε Ηγησίστρατος πολλὰ καὶ παντοῖα. Nos dicimus non minori venustate, *Dire choses & autres.*

AD EPIGR. LXIII.

SED *misit in hamo*] Seneca lib. IV. de Benef. cap. XX. *Si animo eius obuersatur spes; Si captator est, & hamum iacit.*

AD EPIGR. LXVI.

PATRIS *ad speculum tonsi*] Effœminati, & ex eorum numero qui curiosè & fastidiosè tondentur, quibus vita inter pectinem & speculum degitur. Audi Senecam lib. de Breuitate vitæ, cap. XII. *Quid? Hos ociosos vocas, quibus apud tonsorem multa hora transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit, tanquam virum tonderet? Quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est, si quid extra ordinem*

iacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt? Quis A *est istorum, qui non malit Rempublicam suam turbari quàm comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quàm de salute? qui non comptior esse malit, quàm honestior? Hos tu ociosos vocas, inter pectinem speculumque occupatos?* Scipio Africanus: *Nam qui quotidie vnguentatus aduersum speculum ornetur, cuius supercilia radantur, qui barba vulsa, feminibusque subuulsis ambulet, &c.*

C o r *limante Minerua*] Ipsa Minerua te erudiente. ἐμφατικῶς. Strabo lib. I. δεῖ δ' ἴσως ... προσβάλλειν εἰργασμένον τι, Ἡφαίστου, ὡς λέγεται, Ἀθηνᾶς ἔργα, τὰ καλὰ, καὶ Χαρίτων, καὶ Μουσῶν.

F i n x e r v n t *pectus Athenæ*] Horatius ad Pisones:

—— Quamuis & voce paterna
Fingeris ad rectum.

AD EPIGR. LXVII.

C v r *tantùm Eunuchos*] Iuuenalis satyr. VI.

Sunt quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ,
Et quòd abortiuo non est opus.

AD EPIGR. LXX.

D i g i t v m *impudicum*] Infamem, Posteà.

AD EPIGR. LXXII.

I p s v m *surripuit*] Hi namque Dij fures arcere non poterant. Vnde aureis & argenteis custodes addebantur; ligneis aut lapideis minime. Quod merito ridet Iustinus Martyr epist. ad Diognetum. οὐ πολὺ μᾶλλον αὐτοὺς χλευάζετε καὶ ὑβρίζετε, τοὺς μὲν λιθίνους καὶ ὀστρακίνους σέβοντες ἀφυλάκτους, τοὺς δὲ ἀργυρέους καὶ χρυσοῦς ἐγκλείοντες ταῖς νυξὶ, καὶ ταῖς ἡμέραις φύλακας παρακαθιστάντες, ἵνα μὴ κλαπῶσιν. C Horum custodum meminit & Tertullianus.

AD EPIGR. LXXVI.

I l l e *sacri lateris*] De quo Cornelius Tacitus, & Suetonius in Domit.

AD EPIGR. LXXVII.

N o n *debes ferri mortuus hexaphoro*] Id est non efferreris hexaphoro, sed sandapila; quippe cum sis persona vilis & intimæ paupertatis. Hellenismus, *Non debes ferri*, οὐ μέλλεις βαστάζεσθαι. Iocabantur autem nonnulli in eos qui lectica vehebantur, tãquam in mortuos, quod & hi lectica efferrentur. D Gracchus apud A. Gell. lib. x. c. III. *Is in lectica ferebatur. Ei obuiam bubulcus de plebe Venusina aduenit, & per iocum, quum ignoraret qui ferretur, rogauit num mortuum ferrent.*

AD EPIGR. LXXVIII.

B i b i t *venenum*] Perditam luxuriam fortassè alludit, quam notat Plin. lib. XIV. cap. XXII. *Quinimo vt plus capiatur, sacco franguntur vires, & alia irritamenta excogitantur. Ac bibendi caussa etiam venena conficiuntur, alijs cicutam præsumentibus, vt bibere mors cogat, alijs pumicis farinam, & quæ referendo pudet docere.*

AD EPIGR. LXXXII.

V e l v t *emtor*] Nam tanta diligentia mancipia venalia inspiciebant, vt ea etiam deuestirent, vt loquitur Apuleius. Seneca Pater Controu. II. lib. I. *Nuda in littore stetit, ad fastidium emtoris. Omnes partes corporis & inspectæ & contrectatæ sunt.* Suetonius in Augusto; *Et conditiones quæsitas per amicos, qui matres familias, & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.* Seneca epist. LXXXI. *Equum emturus solui iubes stratum: detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant.* Lucianus in Eunucho. οὐχ ὁμοψηφεῖ πάντες ἦσαν· ἀλλ' οἱ μὲν ἠξίουν ἀποδύσαντας αὐτὸν, ὥσπερ τοὺς ἀργυρωνήτους ἐπισκοπεῖν. Et apud eundem in vitarum addictione, is B qui Pythagoram mercabatur. ἀλλ' ἀπόδυθι, καὶ γυμνόν γάρ σε ἰδεῖν βούλομαι. Claudianus lib. I. in Eutropium.

Nudatus quoties medicum dum consulit emtor,
Ne qua per occultum lateat iactura dolorem,
Omnes pœnituit pretij, venumque redibat,
Dum vendi potuit.

C v r *ergo inquit*] Sic Petronius. *Ego, inquit, poëta sum, & vt spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet. Quare ergo, inquit, tam male vestitus es? Propter hoc ipsum: Amor ingenij neminem vnquam diuitem fecit.* Hinc & iocus ille apud Aristophanem in Auibus;

ἔχεις σὺ λέπτην σπολάδα καὶ χιτῶν' ἔχεις.
ἀπόδυθι, καὶ δὸς τῷ ποιητῇ τῷ σοφῷ.

AD EPIGR. LXXXIV.

C O c t a p h o r o] Is fuit potentiorum fastus tunc temporis eleganter notatus à Cynico Luciani. ὑμεῖς δὲ τοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ ὑποζυγίοις χρῆσθε, κελεύετε δὲ αὐτοὺς ὥσπερ ἁμάξας, τὰς κλίνας τοῖς τραχήλοις ἄγειν· αὐτοὶ δ' ἄνω κατακείμενοι τρυφῶντες, καὶ ἐκεῖθεν, ὥσπερ ὄνους, ἡνιοχεῖτε τοὺς ἀνθρώπους, ταύτην, ἀλλὰ μὴ ταύτην τρέπεσθαι κελεύοντες. Dicit Lucianus τοῖς τραχήλοις ἄγειν, quod *Succollare* Sueton. in D. Claudio; *Ab his lecticæ impositus, & quia serui diffugerant, vicissim succollantibus in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad pœnam raperetur insons.* Vtitur & Plinius lib. XXXV. cap. X. *Nobiles palustri accessu villæ, succollantium specie mulieres labentes, trepidæque feruntur plurima.* Eleganter Philo in explicatione decalogi, ἢ πλήθεσι σκεπαστῶν καὶ ὀχημάτων, ἐφ' ὧν οἱ λεγόμενοι μακάριοι καὶ εὐδαίμονες μετέωροι φέρονται, D ποτὲ μὲν ὀρεῖς καὶ ἵππους καταζεύγνυντες, ποτὲ δὲ καὶ ἀνθρώπους, οἳ τὰ φορτία κατὰ τῶν αὐχένων ἀχθοφοροῦσι, τὴν ψυχὴν πρὸ τοῦ σώματος δι' ὑπερβολὴν ὕβρεως πιεζόμενοι. Addit Lucianus κατακείμενοι τρυφῶντες. Nam in illis lecticis cubabant resupini. Ouid. lib. I. ματαιοτεχνίας.

Interea sine illatore resupina feratur,
Lecticam Dominæ dissimulanter adi.

Eleganter Plinius Panegyrico. *Ante te Principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu, vsum pedum amiserant. Illos ergo humeri, ceruicesque seruorum super ora nostra: Te fama, te gloria, te ciuium pietas super ipsos Principes vehunt: Te ad sidera tollit humus. Ita communia & confusa Principis vestigia.* Dicit Plinius, *Super ora nostra vehebant*, quomodo Iuuenalis.

——Turba cedente vehetur
Diues, & ingenti curret super ora Liburno.

Seneca epist. LXXXI. *Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit.*

Sed de lecticis, & de earum vsu multa scripsit doctiss. Lipsius lib. I. Electorum cap. 19. Qui tamen videtur falso credidisse, Lecticas *non fuisse in vsu sub bellum Punicum secundum, & venisse eas primùm in vsum post bellum Punicum secundum, Asia deuicta.* Sed sententiam mutabit vir eruditiss. monentibus grauissimis auctoribus Cicerone & Liuio. Hic de Crispino Marcelli collega, lib. XXVII. *Ipse cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticae agitationem prae grauitate vulnerum patiens, Romam, literas de morte collegae scripsit.* Ille lib. II. de Diuinat. de M. Marcello, qui bello Punico secundo oppetijt. *Et quidem ille dicebat, si quando rem agere vellet, ne impediretur auspicijs, lectica operta facere se iter solere.* Locum paulo altius repetam, quia is in mendo cubat. *Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerunt: Quàm multi anni sunt, cùm bella à Propraetoribus & Proconsulibus administrantur? Qui auspicia non habent. Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus ille quinquies Consul totum omisit, &c.* Lege me auctore. *Quàm multi anni sunt, quum bella à Propraetoribus & Proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur, nec ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est. Iam M. Marcellus, &c.* Quaedam editiones *Amnes* male mutarunt in *omnes.* Traiecturi fluuios auspicabantur, & *auspicia peremnia* appellabant, vt constat ex Festo, & Cicerone, lib. II. de Nat. Deorum. Dicebant Graeci θύειν τὰ διαβατήρια, vt docui lib. I. Aduersariorum meorum. Vnde & θύειν τὰ διαβατήρια dixit Anatolius Laodicensis Episcopus, Pascha celebrare. οὗτοι τὰ ζητούμενα μετὰ τὴν ἔξοδον ἐπιλύοντες, φασὶ δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ἐπίσης ἅπαντας μετὰ ἰσημερίας ἐαρινῆς μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός. & τὴν τῶν διαβατηρίων ἑορτὴν Pascha postea appellat. Sed & mare ingredientes Romani duces hostiam immolare fluctibus consueuerant, vt notat Cicero lib. III. de Nat. Deorum. Ex hoc more Virg. III. Aeneid.

Sic fatus meritos aris mactauit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo,
Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Et Val. Flaccus lib. I. Argon.

Tum laeti statuunt aras. Tibi Rector aquarum
Summus honor. Tibi caeruleis in littore vittis:
Et Zephyris, Glaucoque bouem, Thetidique iuuencam
Deijcit Ancaeus.

Plut. in Mario: ὁ δὲ πολλὴν ἀπὸ τοῦ στρατοπέδου τὴν ἐπὶ θαλάσσης ὁδὸν εἰς ἑπτὰ ἡμέραις δυσί, καὶ μιᾷ τοῦ στόλου, ἔθυε πρὸ τοῦ πλοῦ. Quae sequuntur recte à nobis (vt opinor) rescripta sunt, *Nec ex acuminibus quidem,* &c. Antiqui bellatores ex acuminibus auspicabantur Martium discrimen obeuntes, vt obseruat Arnob. lib. II. aduersus Gentes.

AD EPIGR. LXXXV.

Ex *numine laeuo*] Aut religionis inconstantia

A heic notanda, aut legendum *lumine laeuo*, vt in Iunij codice scriptum. Vt pede sinistro iter ingredi, sic lumine laeuo quid adspicere infaustum. *Numine laeuo* tamen dixerunt quidam in sinistritate. Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Vtque solent manum iniectantibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi, his illecebris ad meliorem expectationem erectus, egressusque Antiochia numine laeuo ductante, prorsus ire tendebat de fumo (vt prouerbium loquitur vetus) ad flammam.* Sed additur *ductante.* Nam malos quosdam genios hominibus infortunatis adhaerentes existimabant, & adfixos, donec eos in imum exitij barathrum deturbassent. Vnde dixit antea, *Solent manum iniectantibus fatis sensus hebetari hominum.* Sic Appianus in Syriaca: ὑπὸ δὲ θεοῦ βλαπτόμενος τι, ἢ θεοῦ βλάπτοντος ἤδη τοὺς λογισμούς (ὅταν ἅπαξ, προσ-

B ιόντων ἀτυχημάτων, ἐπιγίγνηται.) Ex hac doctrina Dio lib. XL. de Crassi militibus in Parthos tendentibus. πάντα γοῦν ἢ τὰ ἄλλα, καθάπερ ὑπὸ δαίμονος τινὸς καταχειρούμενοι ἢ ταῖς γνώμαις καὶ τοῖς σώμασιν ἐσφάλησαν. Sed signate Appianus loco citato. θεοῦ βλάπτοντος ἤδη τοὺς λογισμούς. Nam θεὸς βλάπτειν dicitur, cùm & ingenij, & corporis vires nobis adimit, & quibuscunque modis nobis instat. Idem Appianus Καρχηδονικῇ. Σκιπίων δὲ ἤρετο Σύφακα, ὅς σε δαίμων ἔβλαψε, φίλον ὄντα μοι ἐπὶ Λιβύην ἰδεῖν στρατεύσαντα, ... ὁμόσας.

Sophocles in Aiace:

——εἰ δέ τις θεῶν
βλάπτοι. φύγοι γ' ἂν χ' ὁ κακὸς τὸν κρείσσονα.

Sed haec obiter. Vt autem *Numine laeuo* ἐπὶ κακῷ, contrà *Numine dextro*, ἐπ' ἀγαθῷ. Val. Flaccus lib. II. Argon.

C ——*At vos numine dextro*
Missa manent.

Et lib. III. ——*Heu Diuis visa sinistris*
Terra mihi.

ABSENTIS *thura*] Nam thus & odores rogo amicorum inijciebant amici. *Dona.* & *Munera* appellata. Statius lib. II. Syluarum.

——*Quid ego ex, equias, & prodiga flammis*
Dona loquar? maestoque ardentia munera luxu?
Quòd tibi purpureo tristis rogus aggere creuit,
Quòd Cilicum flores, quòd munera graminis Indi,
Quodque Arabes, Pharijque (palàm est, vidique) liquores
Arsuram lauere comam: Cupit omnia ferre
Prodigus, & totos Melior succendere census.
Desertas exosus opes: Sed non capit ignis
Inuidus, atque arcta dejunt in munera flammae.

D Et eodem libro, ludicro de psittaco Melioris.

——*At non inglorius vmbris*
Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum respirant gramine plumae,
Sicanijsque crocis. senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phoenix felicior ignes.

Et saepiùs alibi apud eundem poëtam.

AD EPIGR. LXXXVIII.

QVANTI *libertas*] Libertas κατὰ παρρησίας non vno loco. Heic auté videtur accipi posse propria significatione. Nam qui dominum non habet liber est: vt contra. Vnde Martialis lib. I.

Eserno scis te genitum, blandeque fateris,
Cùm dicis Dominum Sosibiane patrem.

Multa simul cum libertate Romana aboleuerunt: Plurima verterunt. Domini vox in salutationibus frequens tempore Martialis. Imo antea. Nam & Seneca testatur ignotos ita salutari solitos. Sic δεσπότην vsurparunt Græci in salutationibus: & promiscue hac salutatione vsi sunt Romano imperio additi. Lucianus in somnio: καὶ ἐγὼ μὲν προσεῖπον, ὥσπερ εἰώθειν, δεσπότην, ἀποματτόμενον. *Dominum* Latinorum ita verterunt. Vnde Dio lib. LV. καὶ δεσπότης τε ποτε ὁ Αὔγουστος ὑπὸ τοῦ δήμου ὀνομασθεὶς, οὐχ ὅπως ἀπεῖπε μηδένα τοῦτο πρὸς ἑαυτὸν τῷ προσρήματι χρήσασθαι, ἀλλὰ καὶ πάνυ διὰ φυλακῆς αὐτὸ ἐποιήσατο. & lib. LVII. de Tiberio; οὔτε γὰρ δεσπότην ἑαυτὸν τοῖς ἐλευθέροις, οὔτε αὐτοκράτορα, πλὴν τοῖς στρατιώταις, καλεῖν ἐφίει. Socrates lib. VI. hist. Eccles. cap. I. ostendit ita solitos appellari Imperatores. ἄλλοι δὲ καὶ φιλοπραγμονοῦσιν ἔτι, ἵνα μὴ τοὺς βασιλεῖς δεσπότας, καὶ δεσπότας, καὶ ὅσα χρηματίζειν εἰώθασιν, ὀνομάζωμεν. Vnde Lucillius:

Εἰς Ἀΐδας κατέπεμψε πάλαι ποτὲ δέσποτα Καῖσαρ
Ὡς λόγος, Εὐρυσθεὺς τὸν μέγαν Ἡρακλέα.

Ita & antiqui Reges appellati. Xenophon de Cyri institutione lib. IV. καὶ πῶς ὦ δέσποτα, ἐγὼ εὑρήσω ἐκείνους; Sic alloquitur Cyaxaren paterfamilias è Medorum populo. & eodem libro. ὁ δὲ, ὡς εἶδε τὸν Κῦρον, ἔλεξεν ὧδε, ὦ δέσποτα ἐγώ εἰμι τὸ μὲν γένος Ἀσσύριος, &c.

QVANTI *libertas*] Quia libertatem adipiscebantur, qui eam redimere poterant. Dionys. Hal. lib. IV. Antiq Rom. ἐτύγχανον δὲ τῆς ἐλευθερίας οἱ μὲν πλεῖστοι προῖκα, διὰ καλοκαγαθίαν καὶ κράτιστος ἀπαλλαγῆς δεσποτῶν τρόπος οὗτος ἦν. ὀλίγοι δέ τινες λύτρα καταθέντες ἐξ ὁσίων καὶ δικαίων ἐργασιῶν συναχθέντα. Plaut. in Rudente. sc. *Benefactum & volupe est.*

——*Nunc hæc tibi*

Occasio Grype obtigit, vt liberet ex populo Prætor te.

Nunc sic faciam, sic consilium est: Ad herum veniam docte atque astute,

Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, vt sim liber.

Ouid. lib. I. Amorum, eleg. VIII.

Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus,
Despice gypsati nomen inane pedis.

Admonere satis fuerat. Vigesimam autem persoluebant. Vide T. Liuium lib. VII. εἰκοστὴν appellat Arrianus lib. II. Dissert. Epicteti cap. I. & lib. III. cap. XXVI. Corrigendus hîc Festi locus: *Emittebat eum è manu, eius tenens modo caput, modo membrum aliud eiusdem serui, ita edicite, hunc hominem liberum esse volo: ac pro eo auri 20. puri, probi, profani, mei soluo, vt priusquam digrediar, efficiatur iuris sui dum his seruum. Verbis è manu hominem liberum mittebat.* lego, *Ita dicens, hunc hominem liberum esse volo: ac pro eo auri vigesimam puri, probi, profani, sui soluo, vt priusquam digrediar, efficiatur iuris sui. Cum his verbis*, HOMINEM LIBERVM, vel, HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO, *seruum è manu mittebat.* Pro *Profani, mei*, legendum omnino, *Sui*, vt disces ex eodem Festo dictione *Puri*. Sic enim ille, *Puri, probi, profani, sui auri dicitur in manumissione, &c.* Et certè vigesima serui erat, non heri. Arrianus: ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος, διὰ τί δοκεῖτε; ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον; οὔ. &c.

AD EPIGR. VLT.

STABVLO] πανδοχείῳ. *Stabularius* πανδοχεύς.

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD LIBRVM VII. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPIGRAMMA. III.

VERSVS *scribere cœp. Opp.*] Vt videretur studio pallorem sibi contraxisse. Nam poëtæ pallidi, vt & philosophi à studio. Notum illud.

—— *Iuuat impallescere chartis.*

Lucianus initio Iouis Tragœdi, ὦ Ζεῦ, τί σύννους, καὶ κατὰ μόνας σαυτῷ λαλεῖς, ὠχρὸς περιπατεῖς, φιλοσόφου τὸ χρῶμα ἔχων; Et alibi apud eundem locis infinitis.

AD EPIGR. V.

VICTRICES *charta*] Laureatæ literæ. Ouid. I. Amorum, eleg. XI.

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.

Appianus in Mithridatica historia: ὁ Λούκουλλος περὶ τῶνδε Ῥωμαίοις ἐπέστελλε, τὰ γράμματα δάφνῃ περιβαλών, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις.

MARTIA *Laurigera*] Lauro enim, & frondibus festis ornabantur pila ἐν κατορθώμασι καὶ νίκαις. Plin. lib. XXXV. cap. vlt. *Ipsa pacifera,* (laurus scil.) *Vt quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipuè lætitiæ, victoriarumque nuncia additur literis, & militum lanceis, pilisque.* Papinius v. Syluarum.

Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Multaque famosa signatur lancea penna.

Plut. in Pompeio: γραμματηφόροι προσέπλευσαν ἐκ Πόντου κομίζοντες εὐαγγέλια. δῆλοι δ' εὐθὺς εἰσὶ ταῖς αἰχμαῖς τῶν δοράτων. δάφνῃ γὰρ ἀναστέφονται. Quare è Romano more Seneca in Agamemnone:

Sed ecce vasto concitus miles gradu
Manifesta properas signa lætitiæ gerens.
Namque hasta summo lauream ferro gerit.

CLAMAT *Io*] Vox in triumphis solemnis. Varro lib. v. de ling. Lat. *Sic Triumphare appellatum, quòd cum Imperatore milites redeuntes clamitant, Io triumphe, Io.* Ouid. I. Amorum, eleg. II.

Omnia te metuent, ad te sua brachia tendent,
Vulgus Iò magna voce, triumphe, canet.

Et lib. IV. Trist. eleg. II.

Tempora Phœbea lauro cingentur, Ioque,
Miles, Io magna voce triumphe, canet.

AD EPIGR. VII.

LAVRIGEROS *equos*] Ouid. lib. IV. Trist. eleg. II.

Vinclaque captiua Reges ceruice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos.

AD EPIGR. X.

POSCIT *iam dotem filia grandis*] Nam filiæ debitor est pater, cum eam dotare teneatur, l. XIX. D. de ritu nupt. l. I. §. sed si. D. si quid in fraud. patron. Quare Artemidorus obseruat eleganter filias in somnis sumtum & damnum portendere; quia dos ijs debetur. Sic ille lib. I. cap. XVI. τὰ δὲ θηλυκὰ, χείρονα τῆς ἀρχῆς τὴν πλευστὴν ἐπάγει, καὶ ζημίας προαγορεύει. ὅτι τὰ μὲν ἀρσενικὰ οὐδὲν ἀναστραφέντα παρὰ τῶν γονέων λαμβάνει. τὰ δὲ θηλυκὰ, προικὸς δεῖται. Eustath. quoque ad lib. VI. Iliad. πολυδάπανοι ἀληθῶς αἱ κόραι. ὅθεν παροιμία ἀστεία, τὸ, πᾶς μοι πενθερὸς εἴη, μὴ πενθερά. Et Dionys. Halic. lib. XI. Antiq. Roman. obseruat, θυγατέρας ἐπιγάμους φροντίδος οὐ μικρᾶς δεῖσθαι τοῖς ἔχουσιν.

AD EPIGR. XIV.

O *bene*] Vsitata φράσις, & elegans. Apuleius Apolog. *Bene quod integras epistolas matris Pontianus ex more asseruauit. Bene quod nos festinatio iudicij anteuertit.* Tertullianus lib. de carne Christi, cap. XXIV. *Sed bene quod idem veniet de cælis, qui est passus.* Ouid. Eleg. II. lib. I. Trist.

O bene, quod non sum mecum conscendere passus.

Sic Græcis ὡς εὐτυχῶς ὅτι. *O bene quod.* Aristophanes Equitibus.

Ὡς εὐτυχῶς ὅτ' οὐκ ἐλήφθην ἔνδοθι
Κλέπτων τὸν οἶνον.

AD EPIGR. XVII.

DE *quan. f. p. dicere*] Plautus in Milite glorioso.

—— *Hic est: Stat propter virum*
Fortem, atque fortunatum, & forma regia.

Tum bellatorem, Mars haud ausit dicere,
Neque aequiparare suas virtutes ad tuas.

AD EPIGR. XXVI.

CONTVRBATOR *aper*] Propter quem mihi conturbandum esset.

TVSCAE *glandis*] Iuuenalis:

——— Meuia Thuscum
Figat aprum.

AD EPIGR. XXVII.

TARTESSIACIS *trapetis*] Gloss. *Trapetum*, ἐλαιῶν μύλος, ἐλαιουργεῖον. Varro lib. IV. de ling. Lat. *Trapetes mola olearia vocantur.* Sidonius Panegyrico.

———Oleique liquores
Isse per attonitas bacca pendente trapetas.

Baetica autem oleo abundabat, eoque pretioso. Papin. lib. II. Syluarum.

Quae Tritonide fertiles Athenas
Vnctis Baetica prouocas trapetis.

Lucianus in Precibus: ἔστω δίαιτα ἐπὶ χρυσοῦ, εὐτελὴς γὰρ ὁ ἄργυρος, καὶ οὐ κατ' ἐμέ. Τάριχος μὲν ἐξ Ἰβηρίας, οἶνος δὲ ἐξ Ἰταλίας, ἔλαιον δὲ ἐξ Ἰβηρίας καὶ τοῦτο. Quanta fuerit Tartessi dignitas, norunt qui de Baetica quidquam legerunt. Sed operae pretium facturum me existimo, si Dionysium περιηγητὴν heic obiter illustraro. v. 337.

Ταρτησσὸς χαρίεσσα, ῥυηφενέων πέδον ἀνδρῶν.

Non temere dicit ῥυηφενέων. Nam ibi magna metallorum vis διὰ τὸ κατακεκαυμένης χώρας τὴν ἐπιφάνειαν ἀργύρῳ ῥυῆναι πολλῷ, vt quidam existimarunt. Adscribam locum è Diodoro Siculo lib. v. πολλῶν δὲ ὄντων ἐν αὐτῇ (Hispaniam dicit) δρυμῶν, καὶ πυκνῶν τοῖς δένδρεσι, φασὶν ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις ὑπό τινων νομέων ἀφέντων πῦρ κατακαῆναι παντελῶς ἅπασαν τὴν ὀρεινὴν χώραν. διὸ καὶ πολλὰς ἡμέρας συνεχῶς πυρὸς ἐπιφλέγοντος, καῆναι τὴν ἐπιφάνειαν τῆς γῆς. καὶ τὰ μὲν ὄρη διὰ τὸ συμβεβηκὸς κληθῆναι Πυρήναια, τὴν δ' ἐπιφάνειαν τῆς κατακεκαυμένης χώρας ἀργύρῳ ῥυῆναι πολλῷ, καὶ χωνευθείσης τῆς φύσεως, ἐξ ἧς ὁ ἄργυρος κατασκευάζεται, ῥύακας γενέσθαι πολλοὺς ἀργύρου καθαροῦ.

EXCOLAT *& g. p. palma*] Nam palma figebatur ianuis caussidicorum in caussis victorum. Ausonius Profess.

Palma forensis, & Camoenarum decus,
Exemplar vnum in literis.

Iuuenal. sat. VII.

Rumpe miser tensum iecur, vt tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria palmae.

Quem locum optime accepit doctissimus Casaubonus sub finem Animaduersionum in Suetonium. Nam Scalas heic pro aditu domus, siue ianua accipit, vt Oratorum pauperies indicetur, qui more omnium pauperum in coenaculis habitabant. Recte. Scalae hoc pacto & Martiali nostro lib. I.

Et scalis habito tribus, sed altis.

Sed clarissime Festus: *Coenacula dicuntur ad quae scalis ascenditur.* Apul. Miles. IX. *Nec oblitus ille veteris amicitiae, prompte suscipit: meque per scalas, complicitis pedibus, in superius coenaculum attracto, hortulanus, &c.*

AD EPIGR. XXXI.

AT *iuuenes alios*] Doctissimus Turnebus hunc

A locum erudite interpretatus est. Et sane Athletis non solum aures, sed & aliae corporis partes saepissime mutilatae. Lucianus lib. II. Anth. Epigram.

Πάσας ὅσσ' Ἕλλανες ἀγωνοθετοῦσιν ἁμίλλας
Πυγμῆς, ἀνδρείως πάσας ἀγωνισάμην.
Ἔσχον δ' ἐν Πίσῃ μὲν ἓν ὠτίον, ἐν δὲ Πλαταιαῖς
ἓν βλέφαρον, Πυθοῖ δ' ἄπνοος ἐξεφερόμην.

Ne igitur his exemplis athletae laederentur, ἀμφωτίδας habebant. Vnde dictum Xenotratis, quod apud Plut. lib. περὶ τοῦ ἀκούειν. διὸ καὶ Ξενοκράτης τοῖς παισὶ μᾶλλον ἢ τοῖς ἀθληταῖς ἐκέλευε περιάπτειν ἀμφωτίδας, ὡς ἐκείνων μὲν τὰ ὦτα ταῖς πληγαῖς, τούτων δὲ τοῖς λόγοις τὰ ἤθη διαστρεφομένων.

NVDI *stipitis*] Palum intelligit. Iuuenal. sat. VI.

Endromidas Tyrias, & foemineum ceroma
Quis nescit? Aut quis nō vidit vulnera pali? &c.

PROPE *Virginis*] Virginis frequens mentio apud Martialem. Istis autem iuuenes natatu
B exercebant. Ouid. III. καλοτεχνίας.

Non vos cāpus habet, nec vos gelidissima Virgo,
Nec Thuscus placida deuehit amnis aqua.

Statius I. Syluarum.

Quas praeceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo iuuat.

AD EPIGR. XXXII.

CALCEVS *candidior*] Calcei albi mulierum propriè erant. Ouid. lib. III. καλοτεχνίας.

Pes malus in niuea semper celetur aluta.

Apul. Miles. VII. *Sumpta veste muliebri florida, in sinus floccidos abundante, mitellaque textili ei contecto capite, calceis foemineis albis & tenuibus indu-*
C *tus*, &c. Lucianus in Oratorum magistro. ἡ ἐσθὴς δὲ ἔστω εὐανθής, καὶ λευκή, ἔργον τῆς Ταραντίνης ἐργασίας, ὡς διαφαίνεσθαι τὸ σῶμα. καὶ ἡ κρηπὶς ἢ Ἀττική, καὶ γυναικεία τὸ πολυσχιδές· ἢ ἐμβὰς Σικυωνία πίλοις τοῖς λευκοῖς ἐπιπρέπουσα. Sed & alia ornamenta circa calceos, quae ex hoc Plutarchi loco cognosces, qui ἐν γαμικοῖς παραγγέλμασι· τὰς Αἰγυπτίας ὑποδήμασι χρῆσθαι πάτριον οὐκ ἦν, ὅπως ἐν οἴκῳ διημερεύωσι. τῶν δὲ πλείστων γυναικῶν ἂν ὑποδήματα διάχρυσα περιέλῃς, καὶ ψέλια, καὶ περισκελίδας, καὶ πορφύραν, καὶ μαργαρίτας, ἔνδον μένουσι.

AD EPIGR. XXXIII.

THERMIS *Neronianis*] Papinius I. Syluarum

———Fas si componere magnis
D *Parua: Neronea nec qui modo lotus in vnda,*
Hic iterum sudare negat.

AD EPIGR. XXXIV.

TECVM *lauamur*] Foedissimo exemplo in iisdem locis lauabant viri cum mulieribus simul. Optime igitur moribus consuluit Traianus, cùm id ne fieret, edicto prohibuit. Xiphilinus in Adriano. καὶ γὰρ λούεσθαι χωρὶς ἀλλήλων αὐτοὺς προσέταξεν. Spartianus de eodem. *Lauacra pro sexibus separauit.*

AD EPIGR. XXXVIII.

DISCVRSVS *varios*] *Officiosam discursitationem* appellat Seneca lib. de breuitate vitae, cap. III. *Dic quantum ex isto tempore creditor, quantum*

Amica, quantum Rex (hanc enim lectionem probo, & *Regem* accipio pro potentiori aliquo, vt sæpe *Rex* accipi amat) *Quantum cliens abstulerit, quantum lis vxoris, quantum seruorum correctio, quantum officiosa per vrbem discursitatio.* Quare dicatur hæc discursitatio *officiosa*, clarum ex ijs, quæ alibi docemus de *officio*. Eleganter autem Lucia. in Nigrino, de hac discursitatione. πολὺ δὲ τούτων οἱ προσιόντες αὐτοῖς, καὶ δεξιούμενοι, γελοιότεροι, νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μέσης, περιθέοντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν (Iuuen. *Tota salutatrix iam turba peregerit orbem*) καὶ πρὸς τῶν οἰκετῶν ἀποκλειόμενοι, κύνες καὶ κόλακες, καὶ τὰ τοιαῦτα ἀκούειν ὑπομένοντες. γέρας δὲ τῆς πικρᾶς αὐτοῖς περιόδου τὸ φορτικὸν ἐκεῖνο δεῖπνον, καὶ πολλῶν αἴτιον συμφορῶν. Sic omnino Iuuen. sat. v.

Fructus amicitiæ magnæ cibus, &c.

Vide sis locum.

B

AD EPIGR. XLIII.

PROFVGI] Gloss. *Profugus.* φυγὰς τῆς ἰδίας πατρίδος: Recte. Sic *fuga* pro exsilio, φυγή. M. Tullius lib. III. Tuscul. quæst.

Aut mortem acerbam, aut exsilij mœstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali.

Vertit verba Thesei Euripidei,

φυγάς τ' ἐμαυτῷ προσετίθην πάτρας ἐμῆς,
θανάτους τ' ἀώρους, καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς.

Sic *fugari* φυγαδεύεσθαι, apud Ouid. eleg. VIII. lib. v. Trist.

EXSVLIS *comes*] Solebant aliquando amici certi hoc officium amicis in re eorum incerta præstare. Maximus Tyrius Dissertat. IV. διὰ φιλίας πολλοὶ ἤδη καὶ φυγῆς ἐκοινώνησαν, καὶ ἀτιμίας συνεπλήσαντο, καὶ θανάτης προείποντο. Senec. lib. VI. de Benef. cap. XXV. *Quorum animus similis est prano amore flagrantibus, qui amicæ suæ optant exsilium, vt desertam, fugientemque comitentur. Fugientem.* φεύγουσαν. Sueton. de Illustrib. grammat. cap. VI. *Dimissa autem schola, Rutilium Rufum damnatum in Asiam sequutus, ibidem Smyrnæ, simulque consenuit.* Hunc morem allusit Ouid. lib. IV. Trist. eleg. I.

Iure Deas igitur veneror mala nostra leuantes,
Sollicitus comites ex Helicone fugæ.

Huius autem Cæsonij, & eius fugæ meminit Tacitus lib. XV. Annal. Locum laudauit, & emendauit Lipsius.

AD EPIGR. XLVI.

FRVERIS *posteritate tua*] Plin. epist. I. lib. II. *Triginta annis gloriæ suæ superuixit. Legit scripta de se carmina: legit historias, & posteritati suæ interfuit.*

PERDIDERIT *nullum diem*] Petronius. *Non recusauit Ascyltos. Et hodie, inquit, quia tanquam scholastici ad cœnam promisimus, non perdamus noctem.* Qui metuebant, & cauebant ne dies ita perderent, *vitam se rapere* dicebant. Eleganter Plin. lib. XIV. cap. XXII. de ijs qui hesterna crapula mentem opprimebant. *Rapere se ita vitam prædicant, cum priorem diem quotidie perdant, imo vero & venientem.* Sic *lethum non perdere* dicunt eos, qui non inulti moriuntur. Lucanus lib. III.

——*Non perdere lethum*
Maxima cura fuit.

AD EPIGR. L.

VLTORIS *Martis*] Martis Vltoris templum constructum Parthis subactis, aut saltem in ordinem coactis, signis militaribus ad Augustum remissis. Dio lib. XLIV.

SIC *tenet absentis nostros*] Homerus Iliad. III.

δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος, εἴποτ' ἔην γε.

Heic enim nolo *Absentis* pro *Absentes*.

AD EPIGR. LII.

LALETANÆ *sapa*] Gloss. *Sapa*, ἕψημα. Sapa Laletana hoc loco, quia hoc vinum crassius. Vnde & alibi *fex Laletana*.

AD EPIGR. LIII.

IAM *prior ad fecem*] Tantum vini mei exhausisti ad peragendas expiationes tuas, vt neque ex priori, neque ex hac vindemia quidquam mihi supersit. Martialis epigr. L. lib. XI.

Amphora nunc petitur nigri cariosa falerni,
Expiet vt somnos garrula saga tuos.

Nam vini vsus erat in sacrificijs, & post molam salsam sæpe fundebatur. Eustath. Il. α. ὥσπερ δὲ, οἱ καὶ μὴ τοῖς οὐλοχύταις συμπαραλαμβάνοιεν, ἀλλ' οὐδ' ἐν ταῖς σπονδαῖς χρῷντο οἴνῳ μετὰ τὰς οὐλοχύτας. Quum vinum non haberent, aqua vtebantur. Eustathius ibidem. οἱ δ' αὐτοὶ καὶ οἶνον λείβειν μὴ ἔχοντες, ὕδωρ ἐσπενδον.

C

EXORAT *noctes*] Exorare heic ἐξιλάσκεσθαι, vt recte in Gloss. Oramus τὰ ὀνείρατα: Exoramus hoc modo τὰ ἀποτροπαῖα. Sic *Exsacrificare*, sacrificare ne quid accidat. Ennius apud M. Tull. lib. I. de Diuinat.

Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculsus, curis sumptis suspirantibus,
Exsacrificabat hostijs balantibus.

Eodem modo ἐξιλάσασθαι & ἐκθῦσαι. Item ἐξιλάσεις & ἐκθύσεις Græci dicunt.

SALSASQVE *molas*] Festus: *Mola vocatur etiam far tostum, & sale sparsum, quod eo molito hostia aspergantur.* Recte glossarium, *Mola salsa*, κριθαὶ πεφρυγμέναι. Recte, inquam, si ritum græcanicum respexeris. Nam in Græcia mola salsa hordeacea erat, vt farrea in Latio. Dionys. Halicarn. lib. 2. Antiq. Rom. ὥσπερ Ἕλληνες τὸν κρίθινον καρπὸν ἀρχαιότατον ὑπολαμβάνοντες, ἐπὶ τῶν θυσιῶν κριθαῖς κατάρχομεθα, οὐλὰς αὐτὰς καλοῦντες, οὕτω Ῥωμαῖοι ζειὰν νομίζοντες τιμιώτατόν τε καρπὸν καὶ ἀρχαιότατον εἶναι, διὰ τούτων ἁπάσης ἐμπύρου θυσίας κατάρχονται. Idem dicit & Plutarchus quæstionibus Græcis. Molæ salsæ igitur appellatæ, quia far sale adspergebatur. Ouid. I. Fast.

D

Inde vocor Ianus, cui cum cereale sacerdos
Imponit libum, farraque mixta sale.

Molam salsam περιφράζει. Et iterum.

Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Val. Max. lib. II. cap. V. *Ideoque in sacrificijs mola, quæ vocatur, ex farre & sale constat: Exta farre sparguntur: & pullis, quibus auspicia petuntur, puls obijcitur.* Plin. lib. XXXI cap. VII. *Maxime tamen in sacris intelligitur auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.* Molæ quoque Græcorum sale adspergebantur. Eustath. Iliad. α. Οὐλοχύτας, οὐλαὶ ὕδατι, ἤγουν κριθαὶ μετὰ ἁλῶν, ἃς ἐπέχεον τοῖς βωμοῖς

περὶ τῆς ἱερουργίας. Rationem addit, quare in sacrificijs οὐλῶν vsus esset. A ἐποίουν δὲ τοῦτο, ἢ πλυπλήθειαν καρπῶν οἰωνιζόμενοι, ὧν ἀπαρχαὶ, δὲ αἱ οὐλαὶ αὗται προσήγοντο, ἢ ἄλλως διὰ τὸ πρὸς θεοὺς εὐχάριστον ὑπὸ τῆς εἰς τὸ ζῆν ἐνεργείας. ἐπὶ τῇ βαλανοφαγίᾳ, καὶ τῆς τῶν δρυκάρπων ἀπαλλαγέντες τροφῆς, εἰς ἥμερον βίον τὸν ἐκ τῶν σπερμάτων μετέπεσον. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ κριθὰς προσεβάλλοντο, σιτηρὰ ἥμερον, ὡς πρώτως κεχρῆσθαι λόγος εἰς χρῆσιν ἐλθεῖν τοῖς πάλαι ποτὲ ἀπαλλαγεῖσι τῆς βαλανοφαγίας. διὸ καὶ κριθαὶ, φασιν, ἐκλήθησαν, διὰ αὐτῶν διακριθῆναι τῶν ἀλόγων ζώων οἱ ἄνθρωποι. Quare autem sale adspergerentur, idem docet. ἅλας δὲ ταῖς οὐλαῖς ἀνέμιγνον, οὐ μόνον διὰ χρησιμότητα, καὶ τὸ ἐν τροφαῖς ἥδυσμα, ἀλλὰ καὶ διὸ ἦν φιλίας οἱ ἅλες σύμβολον. διὸ καὶ τοῖς ἐπιξενουμένοις παρετίθεντο πρὸ τῶν ἄλλων βρωμάτων. ἢ διὰ τὸ τῆς φιλίας μόνιμον, καὶ σώζουσι καὶ ἀφθαρσίας γὰρ αἴτιος πολλοῖς τῶν σωμάτων καὶ ὁ ἅλς. ἢ καὶ εἰς σύμβολον τῆς κατὰ φιλίαν ἰσότητος. Doctissimus Turnebus scripsit lib.VII. Aduersariorum, cap. XIII. *Græcos fruges integras, nec fresas, nec molitas adspersisse hostia. Argumento est*, inquit, *quòd* οὐλαὶ à Græcis, & οὐλοχύται *vocantur, quæ erant hordei integræ fruges cum sale mixta.* Sed aliter Eustathius, qui id ante molarum vsum tantùm, factitatum asseuerat. ἄρτος τὴν ἀρχὴν ὅλαι, ὅτι σῶαι ἐσθίοντο, πρὶν ἐπινοηθῆναι τὰ τῆς ἀλετῆς. διὸ καὶ οὐλαὶ λέγονται κατὰ πρόσληψιν τοῦ υ.

S A L S. *m. & thuris aceruos*] Nam post tristius aliquod somnium mola salsa, & thure Ioui prodigiali comprecabantur. Vide sis quæ notamus lib.II. Aduersariorum nostrorum, cap.VI. Ibi notaui solitos antiquos post somnum lauare. Sed & post somnium. Vnde Æschylus in Persis.

> Καὶ ταῦτα μὲν δὴ νυκτὸς εἰσιδεῖν λέγω.
> ἐπεὶ δ᾽ ἀνέστην, καὶ χεροῖν καλλιρρόου
> ἔψαυσα πηγῆς.

Et quæ sequuntur. Aristophanes in Ranis;

> Ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε,
> κάλπισί τ᾽ ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε.
> θέρμετε δ᾽ ὕδωρ
> ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.

Vbi Scholia: ὄνειρον ἀποκλύσω, ἀποτρίψωμαι. ὅθεν εἰώθασι τοῦτο ἐν τοῖς ὀνείροις.

N O N *oua supersunt*] Hæc dicit, quia oua adhibebantur ad expiationes. Lucianus νεκρικοῖς διαλόγοις. Ταῦτα λέγε αὐτῷ, καὶ προσέτι ἐμπλησάμενον τὴν πήραν θέρμων τε πολλῶν, καὶ εἴπου εὕροι ἐν τῇ τριόδῳ Ἑκάτης δεῖπνον κείμενον, ἢ ᾠὸν ἐκ καθαρσίου, ἤ τι τοιοῦτο. Et in Cataplo: ἐν ἑδῷ τῆς Ἑκάτης τὸ δεῖπνον φαγόντα, καὶ τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ᾠά, καὶ πρὸς τούτοις γε σηπίας ὠμὰς, ἀποθανεῖν. Apul. Milesf.XI. *Nanctus summus sacerdos teda lucida, ouo, & sulphure, solennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam Dea nuncupauit.*

AD EPIGR. LVII.

S E D *habet tristis*] Iuuenalis.

> *Frontis nulla fides. Quis enim non vicus abundat*
> *Tristibus obscœnis?*

AD EPIGR. LVIII.

N O N *cœnas sine apro*] Iocus ἐξ ὁμωνυμίας. Sic dixerunt, *Prandere cum apro, cum lepore, &c.* Plaut. in Rudente:

> *Sed hic rex cum aceto pransurus est, sine pulmento bono.*

AD EPIGR. LX.

S E M I T A *facta via est*] Gloss. *Semita*, ἡμίοδιον. Plaut. *A semita in viam tegredere.* Ennius apud Ciceronem sub finem I. de Diuinatione.

> *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.*

M A G N A *taberna fuit*] Tertull. Apologet. cap. XXXV. *Grande videlicet officium focos & toros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.*

AD EPIGR. LXII.

S A C R A *cothurnati*] Nam sacri ipsi poëtæ, vt rectè notat Turnebus. Poëtæ enim inter vates & prophetas censentur, qui sacri habentur. Val. B Flaccus lib.I Argonaut.

> *Ecce sacer, totusque Dei, per littora Mopsus*
> *Immanis visu, vittamque, comamque per auras*
> *Surgentem, laurusque rotat, vox reddita tandem,*
> *Vox horrenda viris.*

Nota *Totusque Dei*, id est, Deo plenus, & furore diuino afflatus. Vates etiam Græcis dicuntur θεοῖς ἀνακείμενοι. Lucianus Μακροβίοις· πιθανὸν δ᾽ αὖ εἶναι ἄνδρα θεοῖς ἀνακείμενον, καὶ καθαρωτέρᾳ διαίτῃ χρώμενον τὸν Τειρεσίαν, ἐπιμήκιστον βιῶναι. Et ibidem· καὶ οἱ καλούμενοι δὲ μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν, καὶ θεοῖς ἀνακείμενον. Herodianus lib. v. ὡς ἄρα χρὴ ἐκεῖνον μὲν τῇ ἱερωσύνῃ καὶ θρησκείᾳ σχολάζειν τοῦ θεοῦ, βακχείαις καὶ ὀργίοις, τοῖς τε θείοις ἔργοις ἀνακείμενον. τὰ δ᾽ ἕτερα τὰ ἀνθρώπινα διοικεῖν. Vnde & in sacris literis C *Homo Dei* propheta dicitur. Hinc etiam explica hunc Dionis locum in compendio Xiphilini sub finem vitæ Commodi. τὴν δὲ δὴ θεὸν ταύτην ἐπιφοιτήσασάν μοι πρὸς τὴν ἱστορίαν, εὐλαβῶς πρὸς αὐτὴν, καὶ ὀκνηρῶς διακείμενον, καὶ ποθούμενον, ἀπαγορεύοντά τε, διακωλύειν δὲ ὀνειράτων, καὶ καλὰς ἐλπίδας ἀεὶ τοῦ μέλλοντος χρόνου δίδοσθαί μοι, ὡς ὑπολειψόμενος τὴν ἱστορίαν, καὶ οὐδαμῶς ἀμαυρώσοντος, ἐπίσκοποι τῆς τοῦ βίου διαγωγῆς, ὡς ἔοικεν, εἴληχα, καὶ διὰ τοῦτο ταύτῃ ἀνακειμαι. Hæc etiam verba huius loci ὡς ὑπολειψόμενος, quæ & retinentur ab Interprete, & explicantur, non mihi sana. lego ὡς ὑπολειψόμενον, τοῦ χρόνου, scilicet, id est, ὑποδεξόμενον, ἥγουν ὑπτίαις χερσὶ δεξομένου. ἐπίσκοπος τῆς τοῦ βίου διαγωγῆς, dicit genium suum: quem μυσταγωγὸν τοῦ βίου appellat Menander apud Ammianum Marcellinum, lib.XXI. D

> ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γενομένῳ
> ἅπαντας ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

AD EPIGR. LXII.

T R I B A S *Philanis*] Lacerata carmine Polycratis, cum mulierum omnium esset castissima, si verum quod de ea scribit Aeschrion apud Athenæum lib. VIII. Sed Aeschrionis apologia nihil eam iuuit apud posteros. Hinc & φιλαινίδεια διδάγματα apud Iustinum Martyrem Apologia prima.

C V M *coliphia*] Certo enim ciborum genere ad palæstras, & cæteras eiusmodi exercitationum formas præparabantur. Iuuenalis satyr. II. *Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca.* Aristoteles lib.II. Nicom. cap. VI. οὐ γὰρ εἴ τῳ δέκα μναῖ φαγεῖν, πολὺ, δύο δὲ, ὀλίγον, ὁ ἀλείπτης ἓξ μναῖ

μαῦ προσέξειν. ἔστι γὰρ ἴσως καὶ τοῦτο παρὰ τῆς λαμβανόμενης ἢ ὀλίγον, Eleganter Polybius lib. I. athletarum viuendi rationem, τὴν δίαιταν alludens, ait. ἀλλ' αἱ ἑκάστων ἡμέραι ἀνάπαυσις καὶ μαλίστα ποιῶν τοῖς πληρώμασιν οἰκείας τῆς ὑπεροχῆς, τῇ δὲ λοιπῇ τῇ κατὰ τὴν δίαιταν ἐπιμελείᾳ προσκαρτερῶν, ἀθλητὰς ἀπέλιπεν πρὸς τὸ προκείμενον ἐν πᾶσιν βραχὺ χείρω τῶν ταύτης. A

Et *flauescit haphe*] Epict. cap. XXVI. Enchiri. ἔστι δὲ ὅτι χεῖρα ἐκβαλεῖν, σφυρὸν στρέψαι, πολλὴν ἁφὴν καταπιεῖν. Corrigendus mihi hoc loco Arrianus lib. III. dissert. Epicteti, cap. XV. ἔπειτα ἐν τῷ ἀγῶνι παρορύσσεσθαι ἔστιν, ὅτε χεῖρα ἐμβαλεῖν, σφυρὸν στρέψαι, πολλὴν ἁφὴν καταπιεῖν, μαστιγωθῆναι, καὶ μεθ' τούτων πάντων ἔσθ' ὅτε νικηθῆναι. Lego, ἔπειτα ἐν τῷ ἀγῶνι παρορύσσεσθαι (Hæc pendent à præcedentibus) ἔστιν ὅτε χεῖρα ἐκβαλεῖν, σφυρὸν (vel σφυρὸν, vt apud Epictetum) στρέψαι, &c. pro μεθ' τούτων, legi commode potest μετὰ ταῦτα, vt etiam apud Epictetum. Hunc locum male omnino accepit Interpres. Ac primum τὸ παρορύσσεσθαι non intelligit. Hæc notabam, cùm mihi in mentem venit, aliquid de hoc verbo à doctissimo Casaubono obseruatum in lectionibus Theocriticis, & ne actum agerem, locum adeundum putaui; vbi vidi hunc Arriani locum ab eruditissimo homine laudatum, & eodem penè modo correctum. Quid sit παρορύσσεσθαι docet ille verbis luculentissimis. Pro χεῖρα ἐμβαλεῖν, rescripsi ἐκβαλεῖν. Idem Arrianus cap. XXIII. eiusdem libri. ἔρχεσθε γὰρ οὐχ ὑγιεῖς. ἀλλ' ὁ μὲν ὦμον ἐκβεβληκὼς, ὁ δὲ ἀπόστημα ἔχων, &c. Cætera plana sunt. ἁφῆς meminit idem Arrianus & cap. IV. lib. IV. Sed locum ibi corrigam, non ante, quod sciam, correctum. θέλω ὀλύμπια νικῆσαι. ἀλλὰ σκόπει τὰ καθηγούμενα, καὶ τὰ ἀκόλουθα. καὶ οὕτως ἄν σοι λυσιτελῇ, ἅπτου τοῦ ἔργου. δεῖ σε εὐτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην, ὥρᾳ τεταγμένῃ, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν. μὴ οἶνον ὅτ' ἔτυχεν ἁπλῶς. ἰατρῷ γὰρ παραδεδωκέναι σεαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ. Sic lege postrema hæc verba μὴ ψυχρὸν πίνειν· μὴ οἶνον, ὡς ἔτυχεν. ἁπλῶς, ὡς ἰατρῷ παραδεδωκέναι σεαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ. Hunc locum ita legendum docebit te Epictetus, cap. XXVI. Male autem doctissimus Lipsius lib. Saturnal. cap. XV. colligit ex hoc loco, in gymnasijs Græcorum fuisse medicos. Neque enim id dicit Arrianus. Sed eius mens est: Si vis athleta esse, corpus tibi curandum est, & certus viuendi modus obseruandus, tibi à magistro præstitutus, cui te tradere debes tanquam medico. Nam quemadmodum medici τὴν δίαιταν præscribunt, ita & Gymnasiorum magistri.

Verbere *vapulat*] Nam & hi Magistri, quos ἐπιστάτας Græci dicunt, ius virgæ habebant. Epictetus cap. XXVI. ἔσθ' ὅτε μαστιγωθῆναι, καὶ μετὰ ταῦτα πάντα νικηθῆναι. ταῦτα πάντα ἐπισκεψάμενος, ἐὰν ἔτι θέλῃς, ἔρχου ἐπὶ τὸ ἀθλεῖν.

AD EPIGR. LXVIII.

Magni *senis al. in hortis*] In Academia. Senes autem dicti magni illi viri, & γέροντες Græcis scriptoribus: quia in senectute τὸ ἄκρον τῆς σοφίας. Lucianus πρὸς ἀπαίδευτον. ἤκουσα γὰρ, οἶμαι, κἀκεῖνος οἱ τῶν παλαιῶν ἐπ' ἐκείνων τῆς λέξεως ἀναγινώσκει, αὐτίκα μάλα καὶ τὴν Επικτήτου θρυαλλίδα ὅταν ἐπιτήσεσθαι, καὶ ὅμως ἐσεσθαι τῷ θαυμασίῳ ἐκείνῳ γέροντι.

AD EPIGR. LXXII.

Quisquis *vbique habitat, maxime, nusquam habitat*] Tertull. de præscript. cap. X. *Ero itaque nusquam, dum vbique conuenior.*

AD EPIGR. LXXV.

Quod *te diripiunt*] Proprie. Seneca lib. de Breuitate vitæ, cap. VII. *Diripitur ille toto foro patronus, & magno concursu omnia, vltra quam audiri potest, complet: Quando, inquit, res proferentur?*

Delectas *Philomuse*] Aristoteles lib. VIII. Nicom. cap. III. οἱ μὲν οὖν διὰ τὸ χρήσιμον φιλοῦντες ἀλλήλους, οὐ καθ' αὑτοὺς φιλοῦσιν, ἀλλ' ᾗ γίνεταί τι αὐτοῖς παρ' ἀλλήλων ἀγαθόν. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ δι' ἡδονήν. οὐ γὰρ τῷ ποιούς τινας εἶναι ἀγαπῶσι τοὺς εὐτραπέλους, ἀλλ' ὅτι ἡδεῖς αὐτοῖς. B *Qui igitur vtilitatis gratia mutuam amicitiam colunt, eam non colunt per se, sed quà inde commodi aliquid mutuò percipiunt. Idem & ijs accidit, qui voluptatis caussa amant. Neque enim vrbanos & facetos, eo quod qualitate aliqua praditi sunt, sed quia delectant, diligunt.* Sidonius Apollinaris epist. XIII. lib. III. *Ita viuens paucis voluptati, nullis amori, omnibus risui, vesicarum ruptor, fractorque ferularum.*

AD EPIGR. LXXIX.

Quatenus] Recte in Gloss. *Quatenus,* ἐπειδή. Festus tamen distinguit inter *Quatenus* & C *Quatinus*. Sed indistincte scribitur, & accipitur sæpissime.

Matre *iubente*] Hæc Laconum διαμαστίγωσις nulli incognita. Sed nota, *Matre iubente.* Lucianus περὶ γυμνασίων. μάλιστα δὲ ἢν ὁρᾷς μαστιγουμένους αὐτοὺς ἐπὶ τῷ βωμῷ, καὶ αἵματι ῥεομένους, πατέρας δὲ καὶ μητέρας παρεστώσας, οὐχ ὅπως ἀνιωμένας ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις, ἀλλὰ καὶ ἀπειλούσας, ἢν μὴ ἀντέχωσι πρὸς τὰς πληγάς, καὶ ἱκετευούσας ἐπιμεῖναι διαρκέσαι πρὸς τὸν πόνον, καὶ ἐγκαρτερῆσαι τοῖς δεινοῖς. Tertull. lib. ad Martyras, cap. IV. *Nam quæ hodie apud Lacedæmonios solemnitas maxima est* διαμαστίγωσις, *id est, flagellatio non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur adstantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent, adhortantibus:* καὶ προτρεπόντων τι καὶ ἱκετευόντων ἐπιμεῖναι διαρκέσαι πρὸς τὸν πόνον, καὶ ἐγκαρτερῆσαι τοῖς δεινοῖς. D

AD EPIGR. LXXXV.

Sum *præteritus*] Verbum iuris, vbi is, cuius testator non meminit, dicitur præteritus. Nihil crebrius. Id παρελθεῖν & παραλείπειν Græci dixerunt. Plut. in Pompeio: ἑτέροις γὰρ φίλοις δωρεὰς ἀπολιπών, καὶ τῷ παιδὶ ἀποδείξας ἐπιτρόπους, τὸν Πομπήιον ὅλως παρῆλθεν. Et in Sylla: μόνον γὰρ αὐτὸν ἐν ταῖς διαθήκαις τῶν φίλων παρέλιπεν.

Libra *postulati*] *Postulati* pro *Pustulati*, propter affinitatem vocalium O & V. Suetonius Nerone; *Exegitque ingenti fastidio, & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam.*

Non *est sportula quæ negotiatur*] Seneca lib. II. de Benef. cap. XXXI. *Non enim sibi inuicem aliquid reddi voluit; aut non fuit beneficium, sed nego-*

tiatio. Item lib. VI. cap. XII. *Multum* (vt ait Cleanthes) *à beneficio distat negotiatio*. Et cap. XIV. *Illos ex toto præteribo, quorum mercenarium beneficium est, &c.*

AD EPIGR. LXXXVI.

TRISTI *Aethiope*] Tristem Æthiopem quare appellat? An ingratum & iniucundum? An quia ab eo triste omen? Infaustum enim videbatur mane, aut in quolibet principio Æthiopi occurrere, quemadmodum & simiæ, atque etiam Eunucho & claudo. Iuuenalis satyr. VI.

——Esses
Aethiopis fortassè pater, mox decolor heres
Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.

Appianus lib. IV. de bell. Ciuil. ἐξιόντι δὲ τῷ στρατῷ περὶ τὰς πύλας αὖθις ἐπέτυχεν Αἰθίοψ, καὶ τόνδε μὲν ὡς οἰώνισμα φαῦλον ὁ στρατὸς αὐτίκα συνέκοψε. B *Exercitui portas egredienti obuiam factus est Aethiops, quem tanquam infaustum omen milites interemerunt.* De Eunuchis Lucianus εὐνούχῳ. ἀλλὰ τοὺς εὐνούχους οὐχ ὅπως τούτων ἀποκεκλεῖσθαι ἀξίου, ἀλλὰ καὶ ἱερῶν αὐτῶν, καὶ περιρραντηρίων, καὶ τῶν κοινῶν ἁπάντων συλλόγων, δυσοιώνισμά τε ἀποφαίνων, καὶ δυσάντητον θέαμα, εἴ τις ἕωθεν ἐξιὼν ἐκ τῆς οἰκίας ἴδῃ τοιοῦτόν τινα. Claudianus lib. I. in Eutropium Eunuchum.

——Cum pallida nudis
Ossibus horrorem dominis præberet imago
Decolor, & macies occursu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia mensis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen.

C Non solum macies Eunuchi omen factura erat; sed & τὸ ἄπαις. De cæteris Lucianus περὶ ἀποφράδος. ὑμεῖς δὲ τοὺς χωλοὺς τῶν δεξιῶν ὑποτρεπόμεθα· καὶ μάλιστα εἰ ἕωθεν ἴδοιμεν αὐτούς. κἂν εἴ τις βάκηλον, ἢ εὐνοῦχον ἴδοι, ἢ πίθηκον, εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας, ἐπὶ πόδα ἀναστρέφει, καὶ ἐπανέρχεται, οὐ ἀγαθὰς μαντευόμενος τὰς ἐφημέρους ἐκείνας πράξεις ἐπ' ἀρχὴ αὐτῶ, ἐπὶ πονηρῷ τῷ πρώτῳ, καὶ δυσφήμῳ κληδονίσματι. De Claudis insuper Plinius lib. XXVIII. cap. IV. *Ita despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. Simili modo & fascinationes repercutimus, sinistra, dextraque claudicatis occursu.* Huc pertinet M. Tull. iocus epist. XIII. lib. I. ad Att. *Lurco autem Tribunus plebis, qui magistratum simul cum lege Aelia iniit, solutus est & Aelia & Fufia, vt legem de ambitu ferret, quam ille bono auspicio claudus homo promulgauit.* Duplex caussa huius rei: Deformitas, & imperfectio. Deformitas, vt in Æthiope, simia, fele. Imperfectio, vt in Eunucho, & claudo. D Quare & quocunque alio modo mutilati male ominati. Seneca Controuersia V. lib. X. *Serua oculos, vt videat, quem roget: Serua manus, vt habeat à quibus stipem accipiat. Occurrunt nuptiis omina dira, sacris publicis tristia: feriatis maxime ac solemnibus, & hilaritati dicatis diebus semianimes isti greges occurrunt.* Sacerdotes quoque non integri cor-

A poris eligi non poterant, quemadmodum neque victimæ. Seneca Controuers. II. lib. IV. *Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vitanda est. Hoc in victimis notatur. quanto magis in sacerdotibus?* Victimæ mutilatæ arcebantur à sacrificiis. Aristophanes in Acharnanibus.

Ἀλλ' οὐδὲ θύσιμός ἐστιν αὐτή· (suem dicit) Μεγ. σαμαύ·
τῷ δ' οὐχὶ θύσιμός ἐστ'; Δικ. κέρκον οὐκ ἔχει.

Vbi scholia, τὰ γὰρ κόλουρα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται, καὶ καθόλου ὅσα ἂν ᾖ μὴ τέλειον ἢ ὑγιὲς, οὐ θύεται τοῖς θεοῖς. Vide & Plin. lib. VIII. cap. XLV. Sed res notata aliis. Idem ritus in Israëlitarum sacrificiis obseruatus. Cæterùm omina illa, de quibus agimus, in principiis maxime obseruata. Nam Ouid. I. fast.

Omina principiis, inquit, inesse solent.

B Vnde horis matutinis, & cùm aliquid aggrederentur, aut domo egrederentur ea præcipue obseruabant. *Horis matutinis:* Vnde Iuuenalis loco citato, *——Heres nunquam tibi mane videndus. Cum domo egrederentur*, vt patet ex locis citatis; & aliis infinitis. Dio lib. LVIII. inter omina Seiano perituro oblata hoc quoque numerat, exeunte eo ex ædibus felem transcurrisse; καὶ προϊόντος αὐτοῦ ἐξ οἰκίας, γαλῆ διὰ μέσων σφῶν διῆξε. Vnde Aristophanes Βατράχοις.

Οἴμοι κακοδαίμων, τῷ ξυνέτυχον ἐξιών;

Vbi scholia: ἀντὶ τοῦ, τίνι οἰωνῷ ξυνέτυχον ἐξιὼν τῆς οἰκίας. Huc etiam referendum existimo hunc Arriani locum lib. II. Dissert. Epict. cap. VII. πῶς δὲ τρέμοντες τὸν ὀρνιθοσκόπον κρατοῦμεν, καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, κύριε ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν. C Nota ἐπίτρεψον. Nam ἐπιτρέψαι verbum augurale, pro quo Latini *Addicere*, & *Admittere* dicunt. Plutarch. in Numa. μέχρις οὗ προὐφαίνοντο ὄρνιθες ἀγαθοὶ, καὶ δεξιοὶ ἐπιτρέψαι. Sic & *Permittere*. Festus dict. *Nania*. *Cui ille permittente augurio, cum respondisset fieri posse.* Cæterum res iteranda erat, obiecto eiusmodi augurio, & redintegranda. Vnde domum regrediebantur, qui ita infauste egressi erant. Patet ex Luciani loco citato περὶ ἀποφράδος.

AD EPIGR. XCV.

DA *lacrymas tumulo*] Exoptatas fuisse morientibus lacrymas docuimus lib. I. Aduers. nostrorum, cap. IX.

CVI *g. & nom. M. Roma dedit*] Vrbicus enim ab Vrbe est appellatus. Errant Interpretes, qui D nomen pro ortu accipiunt. *Vrbs* Roma dicta κατ' ἐξοχὴν, vt pueri sciunt. gloss. *Vrbs*, πόλις Ῥώμη. Sic Athenæ ἄστυ. Diodorus Siculus lib. I. Eustath. in Dionys. περιηγητὴν. Donatus ad hunc Eunuchi locum.

——An scit iam ille quid meretrix siet?
An in astu venit?

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD LIBRVM VIII. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPISTOL.

IN *cuius locum m. successerat*] Callimachus hymno in Apollinem.

ἐστὶ γὰρ εὔυμνος. τίς ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον ἀείδοι;

RELIGIONIS *purificatione lustratus*] Nam ad Deos adituri, puri, casti, & procul ab omni labe, maculaue positi esse debebant. Vnde lustrationes illæ, de quibus plena manu tota antiquitas. Erant & *περιρραντήρια*, quibus *ἐρραίνοιντο*, & *ἐκκαθαίροιντο*, antequam in templum introirent. Certi enim æditui *τοὺς εἰσιόντας* aqua adspergebant. Theodoritus lib. III. hist. Eccles. cap. XVI. *ὁ μὲν γὰρ ἐμβρόντητος ἐκεῖνος εἰς τὸ τῆς τύχης τέμενος εἰσῄει χορεύων. ἑκατέρωθεν δὲ τῶν θυρῶν εἱστήκεισαν νεωκόροι περιρραντηρίοις τοὺς εἰσιόντας περικαθαίροντες, ὡς ἐνόμιζον.* *Alacer & quasi tripudians fortunæ ædem impotens ille ingressus erat. Ex vtraque autem singularum ianuarum parte aditui stabant aqua lustrali & circunferentes, & purificantes, vt existimabant, eos qui ingrediebantur.* Huius purificationis meminit & Sozomenus. Iustinus Martyr. Apolog. II. *καὶ τὸ λουτρὸν δὴ τοῦτο ἀκούσαντες οἱ δαίμονες διὰ τοῦ προφήτου κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, λοιβὰς καὶ κνίσας ἀποτελοῦντας. τέλεον δὲ καὶ λούεσθαι ἀπιόντας πρὶν ἐλθεῖν εἰς τὰ ἱερὰ ἔνθα ἵδρυνται, ἐνεργοῦσι.* Ritus iste in Ecclesiam Christianam postea deuolutus. Cæterum dijs superis sacra facturi corpus sæpius abluebant: Inferis vero adspergebant tantum. Vide Macrobium lib. III. Saturnal. cap. I.

AD EPIGR. I.

NVDA *recede Venus*] Ita pingebatur, cesto tantum præcincta. Christodorus Thebanus.

ἄλλην δ' εὐπατέρειαν ἴδον χρυσῆν Ἀφροδίτην γυμνήν, παμφαίνουσαν.

AD EPIGR. IV.

MVNDI *conuentus*] Proprie hic Conuentus. Festus: *Quarto modo* Conuentus intelligitur, *quum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis, aut gratulationis caussa colligitur. συνόδους* Græci verterunt. Dionys. Hal. lib. IV. Antiq. Roman. vbi de conuentibus à Seruio Tullio institutis, & à Tarquinio superbo sublatis, *καὶ ἀφῄρηται δὲ τὰς ἐφ' ἱερά, καὶ θυσίας συνόδους.*

A

SVSCIPIT *& soluit*] Commodum Ianuario mense redibat Domitianus, quo pro Imperatorum salute vota suscipiebant, & soluebant. Suscipiebant in proximum annum, soluebant priori anno suscepta. Plin. epist. XLIV. lib. X. ad Traianum. *Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus pariter, Domine, & soluimus, precati Deos, vt velint ea semper solui, semperque signari.* vide & epist. CI. eiusdem libri. Exstant & apud Plutarch. Suetonium, Cornelium Tacitum, huius ritus exempla. Cœpit autem mos temporibus Iul. Cæsaris, cui inter cæteros honores hic quoque decretus, vt vota pro

B

eo quotannis conciperentur. Dio lib. XLIV. *καὶ φρουρᾷ τινι ἐκ τῶν ἱππέων, καὶ ἐκ τῶν βουλευτῶν ἰδόντων· καὶ προσέτι καὶ εὐχὰς ὑπὲρ αὐτοῦ δημοσίᾳ κατ' ἔτος ἕκαστον.* Mense Ianuario scilicet. Vnde idem honos cæteris Imperatoribus postea habitus. Nuncupabantur vota ista à Magistratibus, & sacerdotibus præcipue. Dio lib. LIV. *τάς τε εὐχὰς τὰς κατ' ἔτος ὑπὸ τῶν ἀρχόντων, καὶ ὑπὸ τῶν ἱερέων ὑπέρ τε ἑαυτοῦ, καὶ ὑπὲρ τοῦ δημοσίου ποιουμένας*, &c. Celebrabant quoque diem suscepti imperij, & pro Imperatore vota suscipiebant. Vide epist. LX. & CIII. lib. X. Plin. Neque pro Imperatoribus tantùm, sed & pro eorum liberis & charis vota signabant. Sueton. in Tiberio: *Destitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filijs, Neronem & Drusum P.C. commendauit: diemque vtriusque tyrocinij, congiario plebi dato celebrauit. Sed vt comperit, ineunte anno, pro eorum quoque salute vota suscepta, egit cum Senatu, non debere talia præmia tribui, nisi expertis & ætate prouectis, atque ex eo patefacta interiore animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit.* Milites quoque specialiter pro Imperatore vouebant. formula exstat apud Tertull. lib. de Corona Militis, cap. XII. *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principijs, Secunda in Capitolijs? Accipe loca & verba.* HVNC TIBI IVPITER BOVEM CORNIBVS AVRO DECORATIS VOVEMVS ESSE FVTVRVM. Probo eorum coniecturam,

C

qui legi volunt, *falturum*, forma antiqua, de qua Gellius lib. I. cap. VII.

SVSCIPIT *& soluit*] Est igitur voti reus. Val. Maximus lib. VI. cap. vlt. de Polycrate *Omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere: Spes certum cupita rei fructum apprehendebant. Vota nuncupabantur simul, & soluebantur: Velle ac posse in aequo positum erat. Soluere* heic proprium, & *Persoluere*. Vide Macrob. lib. III. Saturnal. cap. V. Festus: *Minuitur populo luctus aedis dedicatione, cùm Censores lustrum condiderunt: cùm votum publicè susceptum soluitur.* Latinus Pacatus Panegyr. Theod. *Sic ego vota verborum, quae olim nuncupaueram, soluturus*, &c. locis alijs infinitis. Caussa autem ἐμφάσεως est, quia cùm vota nuncuparent, ligabantur: quibus persolutis ipsi quoque soluebantur: vt notat Acro ad od. VIII. lib. II. Carm. Horat.

——Sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput.

AD EPIGR. VI.

SAGVNTINO] Iuuenalis sat. V.

Inter vos quoties, libertorumque cohortem
Pugna Saguntina feruet commissa lagena.

ARGENTI *furiosa*] Rescripseram *fumosa*, cùm doctissimum Lipsium ita quoque emendasse cognoui. Fumosarum imaginum Cicero & Iuuenalis meminerunt: sed non soli. Seneca epist. XLIV. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus.* Quare *fumosae* dicantur, ostendit hic Boëthij locus lib. I. de Consolatione Philosophica. *Quarum speciem veluti fumosas imagines, caligo quaedam neglectae vetustatis obduxerat.*

AD EPIGR. VIII.

PVRPVRA *te felix*] Claudianus Panegyr. de IV. Consul. Honor.

Digna legi virtus, vltro se purpura supplex
Obtulit: & solus meruit regnare rogatus.

OMNIS *bonos*] Papin. IV. Syluarum.

Moribus atque tuis gaudent turmaeque, tribusque,
Purpureique patres, lucemque à Consule ducit
Omnis honos.

AD EPIGR. X.

ADEO *bene emis*] Id est, Tamne vili pretio lacernas hasce sibi comparauit? Cicero ad Att. epist. X. lib. V. *Quid id ad me? inquies. Tantum, quod ea emtione & nos bene emisse indicati sumus; & homines intelligere coeperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam peruenire.* Ouid. lib. I. μεταμορφώσεων.

Hoc fore contentam multos iurabit in annos,
Nunc opus esse sibi, Nunc bene dicet emi.

Seneca lib. VI. de Benef. cap. XV. *Praeterea nihil venditori debet, qui bene emit.* Sueton. in Iul. Caesare, *Quum quidem plerisque vilitatem mirantibus, facetissime Cicero, Quò melius (inquit) emptum sciatis, Tertia deducta est.* Idem iocus exstat apud Macrob. lib. II. Saturnal. cap. II. Contrario sensu, *Male emere*, quod notum.

AD EPIGR. XII.

INFERIOR *matrona*] Matronam dicit γυναῖκα γαμετήν. Sic enim graeci vertere. Vnde effatum illud Fortunae muliebris, quod apud Val. Max. lib. I. cap. VIII. RITE ME MATRONAE VIDISTIS, RITEQVE DEDICASTIS, ita vertit Dionys. Halic. lib. VIII. Antiq. Roman. Ὁσίῳ πόλεως νόμῳ, γυναῖκες γαμεταὶ δεδώκατέ με. Plutarchus γυναῖκες ἀσταὶ simpliciter vertit, lib. de fortuna Romanorum: Ὁσίως με πόλεως νόμῳ (lego ὁσίῳ, vt apud Dionys.) γυναῖκες ἀσταὶ καθιδρύσατε. Alibi γυναῖκας simpliciter dicit Dionys. Sed quia hac voce non satis explicatur quid sit *Matrona*, idcirco addit saepius Ῥωμαίων: vt sint γυναῖκες Ῥωμαίων, non Mulieres simpliciter, sed Matronae. Sic enim vxores suas, (quasi dicat) Romani appellant. Lib. IX. Αἱ δὲ γυναῖκες αἱ Ῥωμαίων ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον, πορφύραν καὶ χρυσὸν ἀποθέμεναι. Sic dixerat T. Liuius de Iunio Bruto libertatis assertore. *Sed multo maius morti decus publica fuit moestitia, eo ante omnia insignis, quia Matronae annum, vt parentem, eum luxerunt, quod tam acer vltor violatae pudicitiae fuisset.* Sed propriè honestioris conditionis feminae ita appellatae. T. Liuius lib. X. *Vulgata deinde religio à pollutis; nec matronis solum, sed omnis ordinis foeminis.*

AD EPIGR. XIV.

SPECVLARIA] Seneca epist. XCI. *Quaedam nostra demum memoria prodisse scimus, vt specularium vsum perlucente testa, clarum transmittentium lumen.* Et lib. de Prouident Diuina cap. IV. *Quem specularia semper à flatu vindicarunt, cuius pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cuius coenationes subditus, & parietibus circunfusus calor temperauit, hunc leuis aura non sine periculo stringit.* Plin. lib. XV. cap. XVI. *Pomaria in loco frigido ac sicco contabulari, septentrionalibus fenestris sereno die patere, austros specularibus arcere*, &c.

AD EPIGR. XV.

DAT *thura Senatus*] Signate Val. Max lib. I. cap. I. *Abstersis lacrymis, depositisque doloris insignibus, candidam induêre vestem, & aris dare thura coactae sunt.* Alias, *Aris thura imponere*: Vt *Aris imponere honorem* dictum Virgilio. Ouid. III. Amorum, eleg. III.

Et quisquam pia thura focis imponere curat:

Sic ἐπιθῦσαι graecis. Menander:

——Οἱ δὲ τὴν ὀσφῦν ἄκραν,
Καὶ τὴν χολὴν ἔτ' ἐς τὰ βρώματα τοῖς θεοῖς
Ἐπιθέντες, αὐτοὶ τἄλλα καταπίνουσι.

Et ἐν τῷ Μέθῃ.

Ἐγὼ μὲν οὖν ὤν γε θεὸς οὐκ εἴασα
Τὴν ὀσφῦν ἂν ἐπὶ βωμὸν ἐπιθεῖναί ποτε,
Εἰ μὴ καθήγιζέ τις ἅμα καὶ τὴν ἐγχέλυν.

Aristophanes in Ranis:

——ἐπίθες λαβὼν δὴ καὶ σὺ λιβανωτόν.

Sic ἐπιβαλεῖν postea dixerunt. Theodoritus lib. III. hist. Eccles. cap. XVI. προσέταξε δὲ τὸ χρυσίον κομιζόμενον ἕκαστον πρότερον ἐπιβαλεῖν τῷ βωμῷ τὸν λιβανωτόν. Sic *Thura iacere* dixerunt scriptores Ecclesiastici, vt Hieronymus epist. I.

AD EPIGR. XVI.

Et *panem facis, & facis farinam*] Id est, decoquis. Vide l. xv. de pistorib. & catabolens. C. Theod.

AD EPIGR. XVIII.

Sed *tibi tantus inest veteris respectus amici*] Seneca epist. lxxx. *Aut ego te non noui, aut Aetna tibi salinam mouet. Iam cupis grande aliquid, & par prioribus scribere. Plus enim sperare modestia tibi tua non permittit: Quæ tanta in te est, vt videaris mihi retracturus ingenij tui vires, si vincendi periculum sit: tanta tibi priorum reuerentia est.*

AD EPIGR. XXVI.

Raptor] Eleganter Val. Flaccus lib. i. Argon.

——Haud aliter saltus, vastataque pernix
Venator cùm lustra fugit, dominoque timentem
Vrget equum, teneras complexus pectore tigres,
Quas astu rapuit pauido, dum sæua relictis
Mater in auerso catulus venatur Amomo.

Hoc *l. sp. Iani caryota*] Hunc locum illustrauit summus Scaliger ad Tibullum. Cum cariota igitur simul & assem porrigebant pauperes. Nam ineunte anno stips Iano offerebatur. Vide Ouid. i. Fastorum, & Senecam lib. vii. de Benef. cap. iv. Sic & Dijs suis peculiaribus singulis calendis pe-
C cuniolam aliquam porrigebant. Lucianus Φιλοψευδεῖ. εἶδα ἐγὼ οἷα ἔπαθεν ὁ τοὺς ὀβολοὺς ὑφελόμενος, οὓς κατὰ τὴν νουμηνίαν ἑκάστην ἐτίθεμεν αὐτῷ. Ratio huius superstitionis est, quia Calendas, & annorum principia religiose obseruabant. Plut. quæst. Rom. καὶ γὰρ Ἕλληνες ἐν τῇ νουμηνίᾳ τοῖς θεοῖς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν ἥρωσι, καὶ δαίμοσιν ἀποδεδώκασι, καὶ κρατήρων ὁ δεύτερος ἥρωσιν ἐπικίρναται καὶ ἡρωΐσι. Sed non solum Ethnici, verum & ex Dei præcepto Israëlitæ initia mensium obseruabant, & sacrificijs celebrabant. Et idcirco hæc Gentilibus religio, quia in principijs vt antea docuimus, & nunc iterum confirmabimus. Plutarch. quæstion. Romanis. διὰ τί Κοΐντος Μέτελλος ἀρχιερεὺς γενόμενος, καὶ τἆλλα δοκῶν φρόνιμος εἶναι καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ, ἐκώλυεν οἰωνίζεσθαι μετὰ τὸν Σεξτίλιον μῆνα,
D τὸν νῦν Αὔγουστον προσαγορευόμενον; πότερον ὅτι καθάπερ ἡμέρας ἀκμαζούσης, ἢ ἀρχομένης πράττομεν τὰ τοιαῦτα, καὶ μηνὸς ἱσταμένου, καὶ αὐξομένου, τὰς δὲ ἀποκλίνεις ὡς ἀχρημάτιστους φυλαττόμεθα; *Quare Quintus Metellus Pontifex, & alias vir prudens, & in rebus politicis versatus, vetabat ne post mensem Sextilem, quem Augustum nunc appellant, captarentur auguria? An quod quemadmodum augescente, aut ineunte die, aut mense talia agimus, postremis verò diebus ab ijs abstinemus? &c.* Vnde ineunte anno lætis precationibus inuicem faustum ominamur, Ouid. i. fast.

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas, accipimusque preces?
Tum Deus incumbens baculo, quem dextra tenebat:
Omina principijs, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas aduertitis aures:
Et primum visam consulit Augur auem.

Plin. lib. xxviii. cap. ii. *Licet hanc in partem singu-*
A *lorum quoque conscientiam coarguere. Cur enim primum anni incipientis diem, lætis precationibus inuicem faustum ominamur?* Vnde intelligendus Sidonij locus, & notanda consuetudo, quam ille notat epist. v. lib. i. *Ilicet & si secus quapiam, sub ope tamen Dei ordiar à secundis, quibus maiores nostri primordijs etiam sinisteritatum suarum relationes euoluere auspicabantur.* Hæc etiam superstitio fecit, vt Calendis Ianuarij sacrificia publica à summis magistratibus fierent, quibus annus aperiretur. ἐσιτήρια Græci appellarunt, vt ex lectione Demosthenis constat: quam vocem retinuerunt, qui res Romanas Græce scripserunt. Dio lib. xlv. ἄλλως τε καὶ ἐπειδὰν τῷ Ἰουλίῳ τὰ ἐσιτήρια τῇ νουμηνίᾳ θύοντος, ῥαβδοῦχός τις αὐτοῦ ἔπεσεν ἐξαίφνης, καὶ ἀπέθανε. Et cum susciperent imperium Imperatores τὰ ἐσιτήρια ἔθυον Iano ante fores Senatus collocato. Xiphilinus in Didio Iuliano. καὶ τέλος, ἐπειδὴ πρὸς
B τὸ συνέδριον ἦλθε, καὶ τῷ Ἰανῷ τῷ πρὸ τῶν θυρῶν αὐτοῦ θύειν ἔμελλεν, ἐξέκραγον πάντες ὥσπερ ἐκ συγκειμένου τινός. Vnde paulo post. ὅτε τὰ ἐσιτήρια πρὸ τοῦ βουλευτηρίου ἔθυεν Ἰουλιανὸς παρόντων ἡμῶν. Vbi errat Interpres.

AD EPIGR. XXXV.

Cum *sitis similes*] Seneca Controuers. vii. lib. ii. *Potest nobis conuenire, similes sumus.*

Non *bene conuenire vobis*] Petronius: *Ascylte, inquam, intelligo nobis conuenire non posse: Itaque omnes sarcinulas partiamur, ac paupertatem nostram priuatis quæstibus conemur expellere.*

AD EPIGR. XXXVI.

Æthera *sic intrat*] Id est, ad cœlum vsque eius apex pertinet, ita vt nubes, & tonitrua inferiora habeat. Sic dictum vt illud,

Sub pedibusq; videt nubes, & sidera Daphnis.

Sed heic ὑπερβολή. Cùm igitur omnia infra quandoque turbentur, & fulminibus terreantur, fastigium tamen domus tam excelsæ immotum manet, & extra tempestatis impetum.

AD EPIGR. XXXVIII.

Qui *præstat pietate*] Conferto sis epist. xvii. lib. i. & ix. lib. ix. cum hoc epigrammate.

Ad *natalitium*] Antiquissima consuetudo diei natalis colendi, cuius etiam mentio Genes. cap. xl. comm. xlix. Persis summa religione obseruata. Vide Herodotum Musa i. Celebrabant & amicorum, atque Imperatorum natales. Sed & defunctorum. Plin. epist. vii. lib. iii. Plut. lib. viii. sympos. Iuuenalis sat. v.

Quale coronati Thrasea, Heluidiusque bibebāt
Brutorum & Cassi natalibus.

Atque honorem istum supremis tabulis præstari sibi cauit Epicurus; cuius ambitionem belle exagitat M. Tullius lib. de Finib. ii. Ab hoc autem more, ipsi etiam Christiani Martyrum natalitia celebrare cœperunt, εἰς τε τὴν τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν, inquit Euseb. l. iv. historiæ Ecclesiasticæ, cap. xv. in Polycarpi historia, *in memoriam eorum, qui prius in sacro martyrij agone decertarant, & vt alij ad eiusmodi adoream praexercitarentur, & pararentur.* Sed hac de re alibi.

Ad *natalitium diem colendum*] Sic omninò ἡμέρας γενεθλίους Græci dicunt. Herodotus Musa

III. *περὶ τὴν τῶν ἡμέρων διαγωγὴν Γέρων κατὰ μάλιστα τῶν ἡμερῶν. καὶ ἐν αὐτῷ, κατὰ ὀρθὴν μεγάλην ἄγουσιν.*

REFERT *sis bonus*] Hic versus legendus absque interrogationis nota. Refert autem, id est, plurimũ interest. Gloss. *Refert, διαφέρει, διαφέρει.* Sic locis cõpluribus. Loci mens ista est. Qui mortuum beneficijs prosequitur, re vera beneficus est: qui viuum, beneficus fortasse videri vult. Atqui magnum est discrimen inter τὸ ὄν, & τὸ φαινόμενον. Præclara illa Catonis laus apud Salustium, qui *esse quàm videri bonus malebat.* Æschylus de Amphiarao, in Thebaïde:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

AD EPIGR. XLI.

QVÆ *medio bruma*] Id est, Saturnalibus, quæ mense Decembri celebrabantur. Sed & ipso brumæ, id est, solstitij hyberni die, munera commeabant: quia tum annuus Solis cursus quasi redintegratur. Nam à puncto solstitiali hyberno ad nos regreditur, & est veluti principium noui anni solaris. Tertull. lib. de Idolatria, cap. XIV. *Nobis quidem sabbatha extranea sunt, & neomenia, & feriæ aliquando à Deo dilecta. Saturnalia, & Ianuariæ, & Bruma, & Matronales frequentantur, munera commeant, strenæ consonant, lusus, conuiuia constrepunt.*

AD EPIGR. XLII.

AD *beatos non corruperit*] Id est, Si te sportula maior non corruperit, & ad beatos ac diuites transtulerit, desertis tenuioribus. Sic dicunt Græci σωζέσθαι εἰς πόλιν, id est, φεύγειν, ἢ ἀπιέναι εἰς πόλιν σωθῆναι, καὶ ἐκεῖ σώζεσθαι. Similis phrasis apud Theocritum χαίειν.

—ἐκκύρωσαι
Θυμὸν ἐς εὐρῶεν χάος στυγνοῦ Ἀχέροντος.

AD EPIGR. XLIII.

EFFERT *vxores*] ἐκφέρει. *Efferre* dictum hac notione (quam pueri norunt) quia ὁ νεκρὸς ex ædibus efferebatur. Sic enim præco ipse loquebatur in funere indictiuo. Varro lib. IV. de ling. Lat. *Itaque ex ædibus efferri indictiuo funere præco etiam eos dicit, qui è taberneis efferuntur.*

FVNEREAMQVE *facem*] Facibus accensis elatos fuisse mortuos notissimum est. Eas gestabant, qui funus prosequebantur, quæ consuetudo non omnino sublata. Quo plures funus exsequebantur, eo & plures faces. Vnde hoc signo exsequiarum celebritas notatur. Corn. Tacitus lib. III. Annal. *Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modò per silentium vastus, modò ploratibus inquies: Plena vrbis itinera, conlucentes per campum Martium faces.* Sed & in annuis parentationibus facium vsus erat. Suet. Augusto: *Huius Masgaba, ante annum defuncti, tumulum cùm ex triclinio animaduertisset magna turba, multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronunciauit.*

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Has faces respici existimo in hoc Plut. loco, lib. An seni Respublica capessenda sit. Ὁ δὲ τὸν ἐμβεβιωκότα πολιτικαῖς πράξεσι, καὶ διηγωνισμένον, ἐπὶ τὴν δᾷδα, καὶ τὴν κορωνίδα τοῦ βίου προελθεῖν, ἀλλ' ἀνακαλούμενος, καὶ κελεύων ὥσπερ ἐξ ὁδοῦ μακρᾶς μεταβαλέσθαι, πάντα παρ' ἀγώνων, καὶ μηδὲν ἐκείνῳ προσοικεῖος ὤν. Quem locum non intellexit Interpres. Funeream autem facem dicit Martialis, vt distinguat à nuptiali.

Viximus insignes inter vtramque facem.

Meleager:

Αἱ δ' αὐταὶ καὶ φέγγος ἐδᾳδούχουν περὶ παστῷ
Πεῦκαι, καὶ φθιμένᾳ νέρθεν ἔφαινον ὁδόν.

AD EPIGR. XLIV.

CENT. *expl. pag. Calendarum*] Nam Calendis vsuræ exigebantur. Vide Plut. lib. de vitanda vsura. Ouid. lib. II. de Remedio amoris.

Ad mala quisque animum referat sua, ponet amorem,
Omnibus illa Deus, plusue minusue dedit.
Qui puteal, Ianumq; timet, celeresque calendas,
Torqueat hunc æris mutua summa sui.

Et alij passim.

Inde *Calendarium* appellarunt. Seneca: *Nemò beneficia in Calendario scribit*, & alibi sæpius. Tertull. sub finem libri de Habitu muliebri. *Graciles aurium cutes Calendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit.*

AD EPIGR. XLVIII.

SATVRATAS *murice Vestes*] Seneca Consolat. ad Albinam, cap. XI. *desiderat saturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, varijsque coloribus distinctam & artibus.*

AD EPIGR. L.

EXPLORATORES *faces*] Sic *Exploratores ignes* dixit Claudianus in præfat. Paneg. de IV. Consul. Honorij.

Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem.

Loquitur de aquilis. *Explorare* hoc sensu omnino proprium. Idem lib. II. in Ruff.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

AD EPIGR. LII.

TONSOREM *puerum*] Tonsores enim seruos priuatim habebant. Petronius: *Hæc loquutus, mercenario Eumolpi nouaculam rapit, & semel, iterumque ceruice percussa ante pedes collabitur nostros. Exclamo ego attonitus sequutusque labentem, eodem ferramento ad mortem viam quæro. Sed neque Gyton vlla erat vulneris suspicione læsus, neque ego vllum sentiebam dolorem. Rudis enim nouacula & in hoc retusa, vt pueris discentibus audaciam tonsoris daret, instruxerat thecam.*

AD EPIGR. LV.

ET *sine mente pecus*] Præ metu & stupore scilicet. Vnde Varro existimauit *Metuo* dictum, quasi *Mentem quodammodo amoueo*. Sed verius etymon, quod apud magnum Scaligerum, Scaligerum eruditorum, quantum terra gerit, facilè

principem. Sic ἔκφρων Græcis. Appianus de bell. Ciuilib. lib. II. Πομπήιος δ' ἐπειδὴ τὴν τροπὴν εἶδεν, ἔκφρων αὐτοῦ γενόμενος, ἀπῄει βάδην ἐς τὸ στρατόπεδον, καὶ παρελθὼν εἰς τὴν σκηνὴν, ἐκαθέζετο ἄναυδος.

A N *magis Herculeo*] Seneca in Thyestá.

Leo flammiferis æstibus ardens
Iterum è cœlo cadet Herculeus.

AD EPIGR. LVI.

C E L E R I *iussit*] In quibusdam libris, *Celebri iussit abire fuga.* Ita loquuti antiqui. Accius Ægysto:

Celebri gradu gressum acceleranisse addecet.

E R G O *ero*] Hunc locum lego cum interrogatione,

Ergo ero Virgilius, si munera Mæcenatis
Des mihi? Virgilius non ero. Marcus ero.

Hoc notaram, cùm hanc interrogationem vidi in editione Argentinensi: vbi etiam pro *Marcus*, *Marsus* scriptum, vt in alijs quibusdam libris. Sed prior lectio mihi potior. Marcus igitur ero Martialis, & huic nomini non minus celebritatis conciliabo, quàm Virgilius olim conciliauit suo. Simul inuidiam declinat, quæ veritatem & simplicitatem sequi solet.

AD EPIGR. LVII.

O S S A *licet*] Idem locus apud Quintilianum lib. VIII. cap. V. *Clarum auctorem iuuenis audiui, cum lecta è capite cuiusdam ossa sententiæ gratia tenenda matri dedisset. Infelicissima fœmina. Nondum extulisti filium, & iam ossa legisti.* Sic & Seneca consolat. ad Martiam, cap. XXII. *Adijce incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum ossa viuis legentium, & totas in viscera manus demittentium, & non simplici dolore pudenda curantium.* Idem lib. V. de benef. cap. XXIV. *Ad Mundam in acie oculus mihi effossus est, & in capite lecta ossa.*

AD EPIGR. LIX.

P V E R V M *tunc arte d.*] Puerum ad pedes scil. Nam calceos deponebant cœnaturi, & idcirco seruis eorum tutelam mandabant. Res nota. De hisce pueris intelligendus hic Plut. locus, sympos. VII. Probl. VIII. τὰ δὲ παίγνια, πολλῆς γέμοντα βωμολοχίας καὶ σπερμολογίας, οὐδὲ τοῖς τὰ ὑποδήματα περιμένουσι παιδαρίοις, ἄν ὦσι σπουδαῖοι ἢ σωφρονοῦντες, διαλέγεσθαι προσήκει.

C I R C V I T] Quod fures solent, furti faciendi occasionem captantes. Sic quicunque fraudem aliquam moliuntur. Plautus in Pseudolo:

——*Nam eum circumire in hunc diem*
Vt me si posset muliere interuorteret.

Æschines contra Timarchum: περιιὼν περὶ τὴν πόλιν θηρεύων νέους ὀρφανοὺς πλουσίους.

AD EPIGR. LXIII.

I *nunc, & dubita*] Iuuenalis satyr. VI.

I nunc, & dubita quin sorbeat aëra sanna
Tullia.

AD EPIGR. LXIV.

V T *poscas Clyte*] Ita solitæ & meretrices. Ouid.

A *Quid quasi natali cum poscit munera libo?*
Et quoties opus est, nascitur illa sibi?

Consuetudo autem mittendorum diebus natalitiis munerum peruulgata.

AD EPIGR. LXV.

F O R T V N Æ *reduci*] τύχην ἐπανάγουσαν appellat Dio lib. LIV. ἐπί τε τούτοις καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα ἐν τῇ ἀποδημίᾳ ἐπράχθη, πολλὰ καὶ παντοῖα ἐψηφίσθη. ὧν οὐδὲν προσήκατο (Augustum dicit) πλὴν τύχῃ τῇ ἐπαναγώγῳ (οὕτω γάρ πως αὐτὴν ἐκάλεσαν) βωμὸν ἱερωθῆναι. Meminit huius fortunæ & Claudianus Panegyr. de VI. Consulatu Honorij.

Aurea fortunæ reduci si templa priores
Ob reditum vouêre ducum.

B H I C *lauro redimita comas*] Principibus enim obuiam prodeuntes paulo solemnius, lauro coronabantur. Herodianus lib. I. δαφνηφοροῦντές τε καὶ πάντα ἐπιφερόμενοι ἄνθη τὰ τότε ἀκμάζοντα, ὡς ἕκαστος οἷός τε ἦν, πόρρω τῆς πόλεως ὑπήντων, θεασόμενοι τὸν νέον καὶ εὐγενῆ βασιλέα. Et lib. IV. ὡς δὲ ἀφίκετο εἰς τὴν Ρώμην, ὅτε δῆμος αὐτοὺς δαφνηφορῶν ὑπεδέξατο, ἥ τε σύγκλητος προσηγόρευσεν. Et quoslibet læta nuntiantes ad hoc exemplum excipiebant. Idem Herodianus lib. VIII. οἱ δ' ἱππεῖς οἱ τὴν Μαξιμίνου κεφαλὴν κομίζοντες ἀπὸ τῆς Ακυληίας, ὁδοιπορήσαντες μετὰ πάσης ἐπείξεως, οἷς ἐπιφοιτῶσιν αὐτοῖς τὰς λοιπὰς πόλεις, πύλαι ἠνοίγνυντο, καὶ δαφνηφοροῦντες αὐτοὺς οἱ δῆμοι ὑπεδέχοντο. Hoc modo lætitiam suam testabantur. Vnde & domos lauro & cæteris frondibus ornabant in lætitia publica, & eiusmodi solemnibus ὑποδοχαῖς. Iuuenalis satyr. X.

Pone domi lauros: Duc in Capitolia magnum
Cretatumque bouem: Seianus ducitur vnco
C *Spectandus. Gaudent omnes.*

Huc refero hunc Socratis locum, lib. II. hist. Eccles. cap. I. λόγος δὲ ὡς ὅτε εἰς τὸ τῆς πατρίδος εἰσελθόντος αὐτοῦ, σὺν φαιδροῖς ἀφ' ὧν ταῖς πόλεις κοσμοῦσιν, ἐν μέσῳ τῆς κοίτης ἡγεμόνος, τῇ κεφαλῇ κατεσχέθη ἁρμονίαν, ἐπί τε τούτῳ τοὺς παρόντας αἰσθέσθαι. Sed & in priuatis celebritatibus, vt in nuptiis, ornamenta eiusmodi. Huius rei exempla sunt πολλὰ apud Iuuenalem satyr. VI. & Apul. lib. IV. Papinius II. Thebaïdos, in nuptiis filiarum Adrasti.

Certant lætitia, superosque in vota fatigant
Inachidæ. Qua cuique domus, sacrique facultas,
Hi fibris, animaque litant: Hi cespite nudo.
Nec minus auditi, si mens accepta meretur
Thure Deos. Fractisque obtendunt limina syluis.

Sic interpungo hunc locum. Claudianus lib. II. de Raptu Proserpinæ.

Pars aulæa tenent: Alij prætexere ramis
D *Limina, & in thalamis cultas extendere vestes.*

Totus etiam vicus hac festiuitate fruebatur. Lucianus Dialogis amatoriis. ἐπεὶ δὲ κατὰ τὸ στενωπεῖον ἐγενόμην, ὁρῶ μοι ἡ Λεσβία μειδιῶσα, καὶ φησὶν, ὁ γείτων ὑμῶν ὁ Πάμφιλος γαμεῖ τὴν Φίλωνος θυγατέρα. εἰ δὲ ἀπιστεῖν, ἠξίου με παρακύψασαν ἐς τὸν στενωπὸν ὑμῶν ἰδεῖν πάντα κατεστεμμένα, καὶ αὐλητρίδας, καὶ θόρυβον, καὶ ὑμέναιον ᾄδοντάς. Vnde sese purgans postea Pamphilus. οἱ δὲ ἀπιστεῖς αὐτῆς ἀπελθοῦσα, ὦ Δωρὶς, ἀκριβῶς ἰδὲ, μὴ τὸν στενωπὸν, ἀλλὰ τὴν θύραν, ποτέρα ἐστὶν ἡ κατεστεμμένη. εὑρήσεις γὰρ τὴν τῆς γείτονος. Inde Iuuenalis satyr. VI.

Longa per angustos figamus pulpita vicos,
Ornentur postes, & grandi ianua lauro.

Sed & ἡ αὐλητρὶς per compita circuncursabat, & vicum canore suo implebat. Plutarch. ἐρωτικῷ

ἅμα δὲ αἱ γυναῖκες ἦγον αὐτὴν τὸ χρυσοῦν ἀφαρπάσασαι περίβολον ἱμάτιον νυμφικόν, νικῶσαι δὲ περιεκάλυψαν δραμοῦσαι, αὐτίκα ἐλαίᾳ καὶ δάφνῃ τὰς θύρας, οὐ μόνον τὰς τῆς Ισμηνοδώρας, ἀλλὰ καὶ τὰς τοῦ Βάκχωνος. ὁ δὲ αὐλητὴς αὐλοῦσα διεξῄει τὸν στενωπόν. Plautus in Casina:

Age tibicen; dum illam educunt huc nouam nuptam foras,
Suaui cantu concelebra omnem hanc plateolam hymeneo.

Sic solebant etiam, cum sibi infans nasceretur. Iuuenalis satyr. IX.

——Foribus suspende coronas,
Iam pater es.

Neque solum parentes, sed & amici. Papinius IV. Syluarum.

——Cumque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Littera, quæ festos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, postesque ornare iuberet.
Albaque cadum sordentem promere fumo?
Et cantu signare diem? Sed tardus, inersque
Nunc demum mea vota cano.

Ad summam, festiuitatis insigne laurus ianuis appensa. Hinc Ouid. lib. III. Trist. eleg. I.

Cur tamen opposita velatur ianua lauro?
Cingit & Augustas arbor opaca comas?
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata Deo?
Ipsane quod festa est? An quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris, pacis an ista nota est?

Quare & ipsa templa frondibus ornabant. Virgil. II. Æneid.

Nam delubra deum missi, quibus vltimus esset
Illa dies, festa velamus fronde per vrbem.

Val. Flaccus lib. II. Argonautic.

——Aequora cuncta
Prospiciunt, simulantque choros, delubraque festa
Fronde tegunt, lætaque viris venientibus adsunt.

Vnde l. VII. de Pagan. & Sacrif. *Absit à seculo nostro infandis execrandisque simulacris honorem pristinum reddi, redimiri sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes, &c.* Solebant etiam in solemnibus ὑποδοχαῖς & τιμαῖς (vt hæc plena manu heic explicemus) flores spargere, & corollas & lemniscos in eos proijcere, quos honoratos volebant. Tit. Liuius lib. XXXIII. *Ludis vero dimissis, cursu prope omnes tendere ad Imperatorem Romanum,* (T. Quintium Flamininum dicit) *vt ruente turba in vnum, adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque iacientium, haud procul periculo fuerit.* Ouid. lib. IV. Trist. eleg. II.

Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum,
Vndique iactato flore tegente vias.

Alia etiam proiecta, vt poma, &c. Stesichorus apud Athenæum libr. III. πολλὰ μὲν κυδώνια μᾶλα ποτερρίπτουν ποτὶ δίφρον ἄνακτι, πολλὰ δὲ μύρσινα φύλλα καὶ ῥοδίνους στεφάνους· φυλλοβολίαν Græci appellarunt, vt docuerunt viri doctissimi, quorum doctrinam nouis insuper locis confirmabo. Herodianus lib. VII. ἀνάγουσιν ἐς τὸ Καπιτώλιον εὐφημούμενον ὑπὸ τοῦ δήμου καὶ φυλλοβολούμενον. & lib. VIII. εὐφήμουν τε καὶ ἐφυλλοβόλουν τὸν Μάξιμον. Victores in ludis gymnicis ita excepti. Plutarch. lib. VIII. sympos. probl. IV. A. Gell. li. I. Sed alius de hac re dicendi locus. Crocum etiam spargebant, & varios odores incendebant, atque aulæis parietes ornabant. Val. Max. lib. IX. cap. I. *Quid enim sibi voluit Princeps suorum temporum Metellus Pius, tunc cum in Hispania aduentus suos aris, & thure excipi patiebatur? Cum Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur?* Herodianus lib. IV. ὑποδοχαί τε παρεσκευάζοντο, οἵας μάλιστα δεῖ πάντων βασιλεῖ γενέσθαι φασί. πανταχοῦ γὰρ μουσικῆς ὄργανα πανταχοῦ διακείμενα ποικίλον ἦχον εἰργάζετο. ἀρωμάτων τε παντοδαπῶν καὶ θυμιαμάτων ἀτμίδες εὐωδίαν παρεῖχον ταῖς εἰσόδοις. δᾳδουχίαις τε καὶ ἀνθέων βολαῖς ἐτίμων τὸν βασιλέα. Demochares apud Athenæum lib. VI. ἐπανελθόντα δὲ τὸν Δημήτριον ὑπὸ τῆς Λευκάδος καὶ Κερκύρας εἰς τὰς Ἀθήνας, οἱ Ἀθηναῖοι ἐδέχοντο, οὐ μόνον θυμιῶντες, καὶ στεφανοῦντες, καὶ οἰνοχοοῦντες, &c. Suetonius in Nerone; *Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aues, ac lemnisci, & bellaria.* Nota, *Victimæ cæsæ.* Vnde *aris excipi* dixit Val. Maximus loco modo citato. Herodianus lib. IV. Ὁ δὲ Ἀντωνῖνος διαβὰς τοὺς ποταμοὺς ἀκωλύτως, εἰσελάσας εἰς τὴν Παρθυαίων γῆν ὡς ἰδίαν ἤδη, πανταχοῦ θυσιῶν αὐτῷ προσφερομένων βωμῶν τε ἐστεμμένων, ἀρωμάτων τε καὶ θυμιαμάτων παντοίων προσφερομένων, χαίρειν τοῖς γινομένοις ὑπὸ τῶν βαρβάρων προσεποιεῖτο. Sic Dij excipiebantur. Tit. Liuius lib. XXVIII. *Ea per manus succedentes, deinde alia alijs thuribulis ante ianuas positis, quà præferebatur, atque accenso thure precantibus, vt volens propitiaque vrbem Romam iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in palatio, pertulere deam. Pridie Idus Apriles.* Sed μεῖζον ἄριστον.

C A N D I D A *vultu*] Alibi, *Cultu.* Quia tunc vestes candidiores, καὶ λαμπροί. Herodianus lib. VIII. οἱ λευχειμονοῦντες καὶ δαφνηφόροι, ὅπως πατρίων ἕκαστοι προσφέροιμεν ἀγάλματα, καὶ εἶχες ἦσαν στέφανοι, χρυσοῦ τε διαδημάτων. Xiphilinus in Nerone, τὸ μὲν γὰρ μέσον αὐτῆς ὁ δῆμος λευχειμονῶν, καὶ δαφνηφορῶν κατὰ τέλη εἶχε, τὰ δ᾽ ἄλλα οἱ στρατιῶται λαμπροῖς ὅπλοις ἀστράπτοντες.

S T A T *sacer ar. ouans.*] *Ouantem arcum* dicit, quia

Hic gemini currus numerant elephanta frequenter.

In eo arcu Domitiani victoriam, & triumphum depinxerant. De more. Iuuenalis satyr. IX.

——Et summo tristis captiuus in arcu.

Rationem adfert Plinius lib. XXXIV. cap. VI. *Columnarum ratio erat, attolli supra cæteros mortales, quod & arcus significat nouitio inuento.* Hosce arcus, ἀψῖδας τροπαιοφόρους Græci scriptores appellarunt, vt Dio sæpissime. Cæterum arcubus hisce delectatum fuisse Domitianum constat ex Suetonio & alijs.

S V F F I C I T *immensis*] Aureus enim & argenteus in istis arcubus stabat Domitianus. Suetonius in eius vita.

S A L V T A V I T *voce manuque Ducem*] Doctissimus Lipsius, hanc salutationem refert ad adorationis formam, quæ manu fiebat. Cui sane nullus hoc loco videtur esse locus, Simpliciter igitur accipio de salutatione, quæ ἐν εὐφήμια καὶ κρότῳ. Nam voce & plausu exceptos fuisse Imperatores probari potest facillime. Et ne te multis morer, in promptu est, quod antea apud Martialem nostrum exposuimus.

Quaque sonant pleno vocesque, manusque theatro,
Cum populus subiti Cæsaris ora videt.

Eadem simplicitate hunc Suetonij locum accipio in D. Claudio, *Cognitionibus magistratuum vt vnus è consiliarijs frequenter interfuit. Eosdem spectacula edentes surgens & ipse voce, ac manu veneratus est.* Quanquam adoratio manuaria hic magis agnosci potest. Sed ne ab hoc capite

c. lib. 2. Elect. * Lipsij ita recedam. citat is, & corrigit in hanc sententiam hunc Ouidii locum.

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.

Pro *mensam* reponit *mentum*, quamquam suspensa manu. Et ita legit, quia Plinius admonuit, *Antiquis Græcia in supplicando mentum attingere moris fuisse.* Sed hæc aliter accipit vir eruditissimus, & iudicij exactissimi, purgatissimique. Non enim loquitur Plinius de supplicatione illa religiosa, qua Deos veneramur: sed de humana, vt ita loquar, qua hominibus supplicamus. Vnde confundit Plinij locum cum loco Seruij. Mentum autem tangebant supplices, eorum, quibus supplicabant, non suum. Notum ex infinitis prope Euripidis locis. Homerus Iliad. I.

καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
σκαιῇ. δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα
λισσομένη προσέειπε Δία Κρονίωνα ἄνακτα.

Eustathius notarat antea, ὅτι τοῖς παλαιοῖς ἔθος ἦν ὁπηνίκα ἱκέτευον, κεφαλῆς τε λαμβάνεσθαι τῆς τοῦ ἱκετευομένου, καὶ χειρὸς δεξιᾶς, ἢ καὶ γονάτων. κεφαλῆς μὲν, διὰ μέσης γενειάδος κατ' Εὐριπίδην, ἢ ἀνθερεῶνος καθ' Ὅμηρον, διὰ τὸ ἡγεμονικόν. Euripides in Hecuba.

Ὁρῶ σ' Ὀδυσσεῦ δεξιὰν ὑφ' εἵματος
κρύπτοντα χεῖρα, καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν
στρέφοντα, μὴ σου προσθίγω γενειάδος.

Et,

Ἀγάμεμνον, ἱκετεύω σε τῶνδε γουνάτων,
καὶ σοῦ γενείου, δεξιᾶς τ' εὐδαίμονος.

Vnde antea,

ἀλλ' ὦ φίλον γένειον, αἰδέσθητί με,
οἴκτειρον.

Et alibi.

Idem in Medea: μὴ πρὸς γενείου κρύπτε σύνδουλον σέθεν. Sophocles in Electra: μὴ πρὸς γενείου, μὴ 'ξέλῃ τὰ φίλτατα.

C

AD EPIGR. LXVI.

Nobilique *virga*] Nam ædium, quas Consul adibat, fores virga percutiebantur. Plin. lib. VII. cap. XXX. *Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello, intraturus Posidonij sapientiæ professione clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit.*

AD EPIGR. LXVII.

Horas *q. p. n. t. nuntiat*] Serui horas nuntiabant. Plin. lib. VII. *Cn. Bæbius Pamphyliæ pretura & ipse functus obijt, quum à puero quæsisset horas.* Et proprium *Nuntiare horas*. Sueton. in Domitiano. *Tunc horas requirenti, pro quinta quam metuebat, sexta ex industria nuntiata est.* Iuuenal. sat. X.

D

——Clamore opus est, vt sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.

Nuntiabant igitur horas pueri, & monebant quando lauare, gestare, cœnare oporteret. Vide Senecam lib. de Breuit. vitæ, cap. XII. & Sidon. Apollin. epist. XII. lib. II.

Aut *cur non sero*] Iosias Mercerus ex vestigiis antiquæ scripturæ, *vt iam te sero*, rescribit ingeniosissime, *Vt ientes sero*, &c. Scriptum fuerat vt iantes. Vides acumen epigrammatis.

AD EPIGR. LXXIII.

Lesbia *dictantis*] Gloss. *Dictat*, ὑπαγορεύει, A ὑπαγορεύειν. *Dictatum*, ἄμμα. καὶ ἀναδιδόμενα. καὶ ὑποδιδόναι. lego, καὶ ἀναδιδόμενα τῷ μαθητῇ.

AD EPIGR. LXXV.

Quatuor *inscripti*]; Erant enim publica mancipia huic operi attributa. Catullus:

Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Quum deuolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur vstore.

Inscripti autem, vt *Literati* Plauto, & Apuleio. Iuuenalis satyr. XIV.

Quem mire afficiunt inscripta ergastula, Carcer Rusticus.

Seneca lib. III. de Ira cap. III. *Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, & bestiarum immanium cauea.*

Vile *cadauer*] Et idcirco ab inscriptis seruis, & vespillonibus baiulabatur. Eutropius in fine B lib. VII. de Domitiano. *Funus eius cum ingenti dedecore per vespillones exportatum, & ignobiliter sepultum.*

Accipit *infelix*] E pauperibus plures simul in vnum eundemque rogum imponebantur. At contra diuitum, & clarorum virorum rogi elati & superbi erant. Dionys. Halicarnass. lib. XI. Antiquit. Roman. τὸν μὲν Σίκκιον ἔθαψαν, ὃν κομιδῇ τῇ πυρᾷ ἐβάδιζον λαμπροτάτην, καὶ περιττοτέραν ἐσφαγίσθη, καὶ τῶν ἀγώνων ἐπιχορηγοῦντες κατὰ δύναμιν, ὧν νόμος ἐπ' ἀνδράσιν ἀγαθοῖς εἰς τὴν πολυτελῆ ταφὴν φέρεσθαι. Appianus in Hispanica historia: Οὐΐριατον μὲν δὴ λαμπρότατα κοσμήσαντες, ἐπὶ ὑψηλοτάτης πυρᾶς ἔκαιον. ἱερεῖά τε πολλὰ ἐπέσφαττον αὐτῷ. Val. Maximus lib. I. cap. de Miraculis. *Iam quod L. Lentulus littus prænauigans, in quo Cn. Pompei Magni, perfidia Ptolemæi Regis interempti, corpus, concisa scapha lignis comburebatur, ignarus casus eius, cum ipsi fortunæ erubescendum rogum vidisset, commilitonibus dixit,* C *Quid scimus, an hac flamma Cn. Pompeius crematur?* Ipsum etiam sepulchrum maius quandoque & altius exstruebant honoratioribus. Plut. in Othone. κρύψαντες δὲ τῇ γῇ τὰ λείψανα τοῦ Ὄθωνος, οὔτε μεγέθει σήματος, οὔτ' ἐπιγραφῆς ὄγκῳ, τὸν τάφον ἐποίησαν ἐπίφθονον. εἶδον δ' ἐν Βριξίλλῳ γενόμενος, καὶ μνῆμα μέτριον, καὶ τὴν ἐπιγραφὴν οὕτως ἔχουσαν, εἰ μεταφρασθείη, δηλώσει, ΜΑΡΚΟΥ ΟΘΩΝΟΣ. Vnde & Cornelius Tacitus lib. II. histor. *Othonis sepulchrum exstructum est modicum & mansurum.* Seneca sub finem libri de Breuitate vitæ. *Quidam vero disponunt etiam illa, quæ vltra vitam sunt, moles magnas sepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exsequias.* Vnde Alexander Epigrammatarius:

Ἄνθρωπ' οὐ Κροίσου λεύσσεις τάφον, ἀλλὰ γὰρ ἀνδρὸς
χερνήτεω. μικρὸς τύμβος, ἐμοὶ δ' ἱκανός.

Atque Alcæus.

D Ἥρως Πελάγοντος βαρὺς τάφος, οὐχ ὅδε τοίου
Ἄξιος, ἀλλ' ἐχθρῶν χερσὶν ἐχωσάμεθα.

Et Antipater:

Λοκρίδος ἐν νέμεϊ σκιερῷ νέκυν Ἡσιόδοιο
Νύμφαι κρηνιάδων λοῦσαν ἀπὸ σφετέρων.
καὶ τάφον ὑψώσαντο.

Lucianus mortuorum dialogis: μηδὲ ἔτι μέγαν τὸν τάφον ἐπὶ σοὶ ἔχουσαν λίθον.

Sandapila] Sandapila enim vilia cadauera efferebantur, vt notat Fulgentius. Notant & alij, atque exemplis confirmant.

Corpus *inane*] ψυχῆς ἐστερημένον. Ouidius in Epicedio Tibulli:

Ille tui vates operis, tua fama Tibulle,
Ardet in exstructo corpus inane rogo.

Sic *Inane solum* pro Inferis apud Papinium legere me memini. M. Tullius lib. II. de Legibus, ex Platone. *Tum ebur ex inani corpore extractum, haud satis castum donum Deo.* Platonis verba sunt lib. XII. de Legibus. ἐλέφας δὲ ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος οὐκ εὔχερις ἀνάθημα. Sed quomodo εὔχερις ἀνάθημα, *Castum donum Deo*? Nam εὔχερις nihil significat huiusmodi. Rescribendum εὐαγὲς, quod ex Clemente Alexandrino, & Eusebio animaduertit doctissimus P. Faber Aruernus, vir pietate eximia, probitate egregia, eruditione summa præstantissimus. Nescio autem quid in mentem esset eruditissimo Lipsio quum pro *inani corpore, immani* manifesto legendum existimaret, ad lib. II. Histor. Tacit.

AD EPIGR. LXXVII.

VERUM *dic mihi, Marce; dic, amabo*] Plautus in Mostellaria:

Ego verum amo; verum volo mihi dici; Mendacem odi.

AD EPIGR. LXXVIII.

LASCIVA *numismata n.*] De sparsilibus & missilibus scripserunt alij.

TESSERA *larga*] De tessera etiam alij dixerunt. Hunc Xiphilini locum, qui in Nerone, citare sat fuerit. πάντα μὲν γὰρ τὰ πολυτελέστατα ἃ ἄνθρωποι ἐσθίουσι, πάντα δὲ καὶ τὰ ἄλλα τιμιώτατα, ἵππους, ἀνδράποδα, ζεύγη, χρυσίον, ἀργύριον, ἐσθῆτα ποικίλην ἐδίδου διὰ συμβόλων. σφαιρία γὰρ μικρὰ γεγραμμένα ὡς ἕκαστα αὐτῶν ἔχοντα εἰς τὸν ὅμιλον ἐρρίπτει, καὶ ἐδίδοτο ἃ ἄν τις δι᾽ ἐκείνων ἥρπασεν. *Edulium omnium charissima & alia quæque pretiosissima, equos, mancipia, currus, aurum, argentum, vestes varias, per tesseras dedit: Sphærulas enim quasdam, quibus singulis aliquid ex istis inscriptum erat, in cœtum proiecit, & vnicuique datum est id, quod ea tessera, quam rapuerat, continebatur.* ἐδίδοτο dicit, nempe à dispensatoribus harum rerum. Idem in T. Vespasiano. σφαιρία μὲν γὰρ μικρὰ ξύλινα ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρρίπτει σύμβολον ἔχοντα, τὸ μὲν ἐδωδίμου τινὸς, τὸ δὲ ἐσθῆτος, τὸ δὲ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλο χρυσοῦ, ἵππων, ὑποζυγίων, βοσκημάτων, ἀνδραπόδων. ἃ ἁρπάσαντάς τινας ἔδει πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν, καὶ λαβεῖν τὸ ἐπιγεγραμμένον. Sed aliquando viris & mulieribus separatim proiectæ sunt: puto, ne quid dedecoris in iis rapiendis committeretur. Xiphilinus in Adriano: καὶ δῶρα διὰ σφαιρίων, ἔν τε τῷ θεάτρῳ, καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ, χωρὶς μὲν τοῖς ἀνδράσι, χωρὶς δὲ ταῖς γυναιξὶ διέρριψε. καὶ γὰρ καὶ λοῦσθαι χωρὶς ἀλλήλων, αὐτοῖς προσέταξε. Eadem igitur de caussa & ne simul lauarentur, vetuit.

NEC *l. auis*] Statius I. Syluarum.

Inter quæ subito cadunt volatu,
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas vdo Numidæ legunt sub Austro,
Desunt qui rapiant, simulque pleni
Gaudent, dum noua lucra comparantur.

Et toto isto carmine, quod adisis.

TERDENA QUE *pr. palmæ*] Palma multis præmium. Gladiatores victores cum palma discurrebant. Sueton. de Caligula; *Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem, & sponte prostratum, confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discucurrit.* Cicero pro Roscio Amerino: *Alter plurimarum palmarum vetus, ac nobilis gladiator habetur.*

AD EPIGR. LXXXIII.

NON *quercus te sola decet*] Ponebatur enim querna corona, ciuica dicta, in vestibulo palatij: laurus ante limina. Quod primum in honorem Augusti factum: deinde & cæteris Imperatoribus datum. Dio lib. LIII. καὶ γὰρ τό τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύινον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι, καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθη. Naso lib. I. Metam.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Sed res nota satis. *Ciuicam* verterunt Græci πολιτικὸν στέφανον, Verum hac de re plura in Digressionibus.

DESIDERII HERALDI ANIMADVERSIONES

AD LIBRVM IX. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPISTOLAM:

QVI *imaginem meam*] De more. Plin. lib. xxxv. cap. II. *Non est prætereundum & nouitium inuentum. Siquidem non solum ex auro argentone, aut certe ex ære in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur: quinimo etiam quæ non sunt finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero euenit: Quo maius (vt equidem arbitror) nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Asinij Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum Remp. fecit*, &c. Plinius Iunior epist. XXVIII. lib. IV. *Herennius Seuerus, vir doctissimus, magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelij Nepotis, & Titi Cassij: petitque, si sunt istic, vt esse credibile est, exscribendas, pingendasque delegem.* Seneca lib. I. de Tranquillitate vitæ, cap. IX. *Nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem & cultum parietum comparantur.* Sed & in publicis bibliothecis imagines clarorum eruditione virorum dedicabantur. Sueton. in Tiberio, *Fecit & Græca poëmata, imitatus Euphorionem, & Arrianum, & Parthenium quibus poëtis admodum delectatus, scripta eorum, & imagines publicis bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores, dedicauit.*

AD EPIGR. III.

DVCITVR *addictus*] Nempe creditori, & ducitur in ædes creditoris, cui addictus est, aut in carcerem priuatum T. Liuius lib. VI. *An placeret fœnore circumuentam plebem, ni potius quam sortem creditum soluat, corpus in neruum ac supplicia dare, & gregatim quotidie de foro addictos duci.*

AD EPIGR. IV.

PRO *Capitolinis*] Eodem palpo Augustum percutit Ouidius lib. II. Fast.

Cætera ne simili caderent labefacta ruina,
Cauit sacrati prouida cura Ducis:
Sub quo delubris sentitur nulla senectus:
Nec satis est homines: Obligat ille Deos.

PALLADA P. *res agit illa tuas*] Quin & Palladis filius dici volebat: cuius sacra ideo ab eo religiosissime culta scribit Suetonius. Quare & Quintilianus lib. X. cap. I. *Quis enim caneret bella melius, quam qui sic gerit? Quem præsidentes studijs Deæ propius audirent? Cui magis aures suas aperiret familiare numen Mineruæ?*

PRO *Capitolinis*] Sueton. in Domitiano; *Plurima, & amplissima opera incendio absumpta, restituit, in queis erat & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine vlla pristini auctoris memoria.* Vnde Eutropius lib. VII. Capitolium factum à Domitiano dicit, non refectum. *Roma quoque*, inquit, *multa opera fecit. In his Capitolium, & forum transitorium*, &c. Cæterum eadem vanitas notata in Lampadio Vrbis moderatore, Valentiniano & Valente A A. Quin & in ipso Traiano. Ammianus Marcellinus lib. XXVII. *Per omnia enim ciuitatis membra, quæ diuersorum Principum exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat, non vt veterum instaurator, sed conditor. Quo vitio laborasse Traianus dicitur princeps: Vnde eum herbam parietinam iocando cognominarunt.*

FLAVIA *templa*] Sueton. in Domitiano; *Nouam autem excitauit ædem in Capitolio Custodi Ioui, & forum, quod nunc Nerua vocatur. Item Flauiæ templum gentis*, &c.

ADDITA *polo*] Excelsissima enim hæc templa. Alibi:

Dum videt Augusti Flauia templa poli.

Et de his intelligendus hic locus epigram. LI. lib. X.

Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cælo proxima templa suo.

Solebant templa ista exstruere elata, & excelsa. Quod & Christiani fecerunt, præeunte Constantino. Eusebius lib. III. de vita Constantini. μονογενές τι χρῆμα ἐκκλησίας μεγέθους ἕνεκα, καὶ κάλλους ἀφιέρου, μακροῖς μὲν ἔξωθεν περιβόλοις τὸν πάντα νεὼν περιλαβὼν, εἴσω δὲ τὸν εὐκτήριον οἶκον εἰς ἀμήχανον ἐπάρας ὕψος, &c. de templo Antiochiæ à Constantino exstructo. Sic autem prius gentes. Euseb. lib. IV. de vita Constantini. ναούς τ' αὐτοῖς ἐς ὕψος ἤγειρα, μηδενὸς ἐπικωλύοντος, καθίδρυον.

AD EPIGR. IX.

A *b vbere raptus*] Claudianus lib. I. in Eutrop.
—— *Rapitur castrandus ab ipso*
Vbere, &c.

AD EPIGR. X.

A N N V A *leganit millia seria tibi*] Liberatus enim de præstatione illa annua, quæ morte eius finita est.

AD EPIGR. XII.

G R Æ C I , *quib. est n. negatum*]
ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία
ἐστὶ λέγειν ἅπαντα, καὶ ποιεῖν μόνοις.
Diphilus apud Athenæum lib. VI.

AD EPIGR. XV.

H V N C *quem cœna*] Horum amicorum duo sunt genera, quorum alios τὸ σχῆμα honestiores amicitia dignos iudicamus, cum tamen nidore culinæ potius, quam amicitiæ honestate aut voluptate ducantur, ἀεὶ πίνωσιν, καὶ μετ' ἄριστον φίλοι, vt dicebat Eupolis: Alios minus periculosos, & apertos, Parasitos nuncupamus, αὐτοκλινώδεις πόνοις λεγομένοις. καὶ μεθ' ὃ, κατὰ χειρὸς ἀκονιωμένους, vt dixit aliquis: De quibus hoc aptius, quam de cancro.

Γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῇ βλέπων
Ὀφθαλμὸς, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον.

E S S E *putas fide*] Magna vero amicitia & prodigiosa, si amici eiusmodi φίλου σκιὰν tantummodo habent. Menander apud Plutarchum, lib. de amore fraterno:

C Οὐκ ἐκ τόπων, καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς.
Ζητοῦμεν ὦ συνεργὸν τὰ τοῦ βίου
Πάτερ. ὁ ἀδελφὸς μετ' ἐξευρηκέναι.
Ἀγαθὸν ἕκαστος, ἐὰν ἔχῃ φίλου σκιάν.

AD EPIGR. XVII.

C O N S I L I V M *forma speculum*] Eodem ritu, quo virgines pupas Veneri. milites emeriti arma Herculi donabant. De hoc speculo Papinius III. Syluarum.

Tunc puer è turba manibus qui forte supinis
Nobile gemmato speculum portauerat auro,
Hoc quoque demus, ait: Patrijs nec gratius vllum
Munus erit templis, ipsoque potentius auro.

D C O N S I L I V M *forma speculum*] Tertullianus lib. de velandis virginibus, cap. XII. *Iam & consilium forma à speculo petunt, & faciem morosiorem à lauacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamine interpolant.*

D V L C E S Q V E *capillos*] Statius lib. III. Syluarum, præfat. ad Pollium. *Earinus præterea Germanici Dei nostri libertus scit, quandiu desiderium eius moratus sim, cum petysset vt capillos suos, quos cum gemmata pyxide. & speculo ad Pergameum Asclepium mittebat, versibus dedicarem.*

AD EPIGR. XXIII.

E T *sonet innumera compede*] innumeris seruis compedibus vinctis. Vinciebantur serui in agris. A Tibullus, lib. II.

Ducite. Ad imperium Dominæ sulcabimus agros:
Non ego me vinclis, verberibusque nego.

Et: *Sæpe etiam valida soluitur compede vinctum,*
Crura sonant ferro: Sed canit inter opus.

Sic Ouidius eleg. I. lib. IV. Trist.

Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor:
Indocili numero cum graue mollit opus.

Seneca lib. VI. de Benef. cap. X. *O miserum si quem delectat sui patrimony liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos.* Iuuenal. satyr. XI.

—— Curius, paruo quæ legerat horto,
Ipse focis breuibus ponebat olufcula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.

Lucanus lib. VII.

—— Vincto fossore coluntur
Hesperiæ segetes.

B Ablegebantur autem ad hæc opera sæpius serui noxij, & hunc laborem contumacia, aut alio peccato merebantur. Vide Plautum in Capteiueis. Plin. lib. XVIII. cap. III. *At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent: non tamen surda Tellure, quæ parens appellatur.* Tertullianus lib. de Patientia, cap. IV. *Seruos scilicet Dei viui, cuius iudicium in suos, non in compede, aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœnæ, aut salutis.* Quare & Cornel. Tacitus de moribus Germanorum: *Verberare seruum, ac vinculis & opere coërcere, rarum.*

V T *canusinatus*] Vides stultissimorum hominum fastum. Non solum conspici se volunt, sed & seruos suos. Vnde canusinatus ille, & rutilus in lecticariis color. Et in mulionibus. Sueton. in Nerone; *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata, & phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum.*

S Y R V S *assere*] Iuuenalis satyr. VII.

Perque forum iuuenes longo premis assere Medus.

E T *Massylenum virga g. eq.*] ῥάβδος οἰακίζει, vt loquitur Strabo, lib. vlt. χαλινοῖς δέ τε καὶ ἵπποι, καὶ οἱ ἱππεῖς Μαυρούσιοι, οἱ κοινῶς Λίβυες κατὰ τὸ πλεῖον, ὁμοιόσκευοι εἰσί, καὶ τἆλλα ἐμφερεῖς, μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὥστε ἀπὸ ῥαβδίου οἰακίζεσθαι. Silius Italicus lib. I.

Hic passim exultant Numidæ gens inscia freni,
Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis.

Vnde & *Numidæ infræni* Virgilius.

Æ S T V E T *vt nostro*] Pretiosores, & lectiores Asiatici erant. Iuuen sat. V.

Flos Asiæ ante ipsum pretio maiore paratus,
Quam fuit & Tulli census pugnatis, & Anci.

Et satyr. II.

Plebeius calices, & paucis assibus emptos
Porriget incultus puer, atque à frigore tutus:
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus,
Quisquis erit mango.

AD EPIGR. XXIIII.

P A L L A D I V M *decus*] Id est, Palladia corona, siue in certamine Palladi sacro reportata. Sic *Regium decus* diadema, & corona regia. Seneca lib. I. de Clementia, cap. I. *Quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iurisdictio est.* Tragicus in Agamemnone.

Hinc

Hinc auspicari regium capiti decus,
Mos est Pelasgis.

AD EPIGR. XXX.

CIRRATA *caterna*]
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?
Vide & epigr. LXII. lib. X. & XLIX. lib. XII.

NE *tua non possint*] Sic omnino Ammianus.
Εἴη σοι κατὰ γῆς κούφη κόνις οἰκτρὲ Νέαρχε,
Ὄφρα σε ῥηϊδίως ἐξερύσωσι κύνες.

AD EPIGR. XXXI.

RETTVLIT *ossa sinu*] Ita solebant ossa amicorum, & charorum, è terra peregrina ad patrium solum referre. Quod vt fieret, multi etiam testamento cauebant, vt patet ex Inscriptionibus. Mulieres autem ossa sinu legebant, vt docuimus lib. I. Aduersariorum nostrorum. Seneca Consolat. ad Albinam, cap. II. *Modo in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.* Tragicus in Hercule Oeteo:
——*Sed quid hoc? Mœstam intuor*
Sinu gerentem reliquias magni Herculis.
Cæterum de Ossilegio egimus in Aduersariis nostris. Heic autem duæ quæstiones nascuntur difficillimæ. Prima, Quomodo ossa discerni potuerint ab ossibus animalium, quæ sæpe simul cum cadauere cremabantur. Secunda, quomodo cinis, qui seruabatur, distingui potuerit, à cineribus ex ligno confectis. Priorem quæstionem dissoluit summus Casaubonus ad Suetonij Augustum: secundam nemo, quod sciam. Existimo igitur μετὰ τὴν τοῦ πυρὸς κατάσβεσιν, igne exstincto, ossa quæ supererant semiustulata collecta fuisse, & ex iis detersum, ac decussum cinerem. Tibullus eleg. II. lib. III.
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incincta nigra candida veste legant.
Nota, *Pars quæ sola mei superabit corporis.* Ergo ossa sola supererant, & sola legebantur, ac cinis inde detersus seruabatur. Dionys. Halic. lib. VIII. Antiq. Roman. κἄπειτα συναγαγόντες τὰ λείψανα, ἔθαψαν ἐν τῷ αὐτοῦ χωρίῳ. Nota τὰ λείψανα, ossa scilicet, quæ supererant, partem solam corporis, quæ superera, vt loquitur Tibullus. Sic Suetonius in Augusto, *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausoleo condiderunt.* Reliquias dicit, ossa. Ergo ossa sola supererant. Virgil. lib. VI. Æneid.
Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam:
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.

AD EPIGR. XXXII.

QVÆ *litat argento*] Non temere argentum ab anseris rostro pendet. Diis enim argento quandoque faciebant. Et in amicorum gratiam feriis solennibus, Diis, quibus dies illi sacrati erant, pecuniam meram offerebant. Lucianus Dialogis meretriciis. Πρώην δὲ ὁπότε ἀφροδίσια ἦν, τί χρυσοῦν δραχμὴν ἔθηκα πρὸς τοῖν ποδοῖν Ἀφροδίτης, ἐμοῦ ἕνεκα, ὡς ἐρεῖς.

IAM *ferro non opus*] Quia nihil est opus sanguine. Hoc enim sentit Martialis, non quod vult Commentator.

A

AD EPIGR. XXXIII.

QVAM *red. tot. denarius alter*] Viliores istæ meretrices, *Diobolares* à Pacuuio & Plauto eleganter appellantur. Eas χαλκιδίτιδας Græci vocitarunt, διὰ τὸ εὐτελὲς τοῦ διδομένου νομίσματος, vt ait Eustath. ὀδ. χ.

CRASSI *Burdigali*] An *crassum* dicit diuitem & in re bona? Nam παχὺς aliquando Græcis ὁ πλούσιος. Herodotus Musa III. Αἰγινητέων δὲ παχέες, ἐπανεστέωτες τῷ δήμῳ σὺν ἅμα Νικοδρόμῳ, ἐπικρατήσαι. Et Musa VII. τοὺς μὲν αὐτέων παχέας, ἀειραμένους τὸν πόλεμον αὐτοῦ, ἠνδραποδίσαντο. Aristophanes in Pace: τῶν δὲ συμμάχων ἔσειον τοὺς παχεῖς καὶ πλουσίους. Sed simplicius heic crassus Burdigalus.

B

AD EPIGR. XXXVII.

QVI *nectar misceant*] Antiqua φράσις, & ex more antiquo. *Miscere* simpliciter χέειν, sæpe apud Martialem. Iuuenalis sat. V.
——*Nescit tot millibus emptus*
Pauperibus miscere puer.
Ouid. eleg. IV. lib. I. Amorum.
Quod tibi miscuerit sapias, bibat ipse iubeto,
Tu puerum leuiter posce, quod ipsa voles.
Vbi lego.
Quod tibi miscuerit, sapiens bibat ipse iubeto.
Iubeto sapiens, id est, si sapis. Hellenismus. Sic Græcis κεράσαι, & μῖξαι. Plutarch. VIII. sympos. probl. VI. πῶς γὰρ ἂν ὕστερον ἐπὶ κῶμον ἐκάλουν τὸ κωμάσαι τὸν λέγεσθαι· καὶ τὸ Κεράσαι Μισκῦραι, καθ' Ὅμηρον.
C
Ἠ δ' αὖτ' ἐν κρητῆρι μελίφρονα οἶνον ἔμισγε.
Eustathius ad hunc locum, Ὀδ. α.
Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ.
Τὸ δὲ ἔμισγον, inquit, ἐν κρατῆρσι οἶνον καὶ ὕδωρ, ἀφορμὴ τῆς τοῦ κρατῆρος ἐτυμολογίας, ὡς ὑπὸ κεκλημένου, διὰ τὸ ἐν αὐτῷ τὰ τοιαῦτα συγκεράννυσθαι, ἤτοι μίσγεσθαι. Vbi obiter nota Græcos, qui τῇ πολυοινίᾳ καὶ παροινίᾳ malè audiunt, vinum tamen aqua temperasse, καὶ μαινόμενον θεὸν, ἑτέρῳ θεῷ νήφοντι κολαζόμενον σωφρονίσαι. Theophrastus in Characteribus τὸ ἀχρεῖον ponit τὸ ζωρότερον πιεῖν. Et τὸ ἀκρατέστερον πίνειν, Scythicum existimabant: vnde & id ἐπισκυθίζειν appellabant. Eustathius, Ὀδ. α. λέγεται δὲ καὶ Κλεομένης ὁ Λακεδαίμων βασιλεὺς Σκύθαις ὁμιλήσας, καὶ ἀκροποτὴς γενόμενος, ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ, μανῆναι ἐκ μέθης. ἐκ δὲ τούτου σκυθικοῦ πανού, τὸ ἀκρατέστερον πίνειν, ἐπισκυθίζειν φασὶν οἱ Λάκωνες. Locus Herodoti est Musa VI. quem Athenæus & Ælianus etiam exscribunt.

D

AD EPIGR. XXXVIII.

QVAM *serica*] Sericæ vestes matronis placuêre, & præcipue matronis è Veneris grege. Clare Seneca de Benef. cap. IX. *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. Quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse iurabit. Hæc ingenti summa, ab ignotis etiam ad commercium gentibus, accersuntur, vt matronæ nostræ, ne adulteris quidem, plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant.* Dio lib. XLIII. τῶν δὲ τὸ ὕφασμα χλιδῆς βαρβαρικῆς ἔργον, ἐς παρ' ἐκείνων. καὶ πρὸς ὑμᾶς εἰς τρυφὴν τῶν πάνυ γυναικῶν ἀφελῆ περιπεσεῖν. Vestibus perlucidis vsas fuisse Venereas illas matronas, testatur etiã Lucianus in Amorib. ἡ μὲν τῶν ἀμφορέων

πεδίλα τῆς ἀγορᾶς ἐνδότερον τοῖς πόδας ὑποτίθενται, & κα- φορινὰς ἐς προσφανὴ ἰᾶσιν, ὑπὸ τῆς δοκεῖν γεγυμνῶσθαι, παντα δὲ τὰ ὄντως αὐτῆς γυναικωνῖτις τὰ προσώπου χρώς τῆ ἀμόρφους προσπλασσομένη μαζῶν, αἱ ἀεὶ περιφέρουσι διομώνες. Seneca pater Controuersia vi. lib. ii. *Numquid gemmas, & ex alieno littore petitos lapillos, & aurum vestémque, nihil in matrona tecturam, concupiuit?* & Controuersia viii. eiusdem libri. *Prodite mihi fronte in omne lenocinium composita, paulo obscœnius, quam posita veste nuda, exquisito in omnes facetias sermone, tantum non vltro blandientes, vt quisquis viderit, non metuas accedere.* & iterum ibidem. *Infelices ancillarum greges laborant, vt adultera tenui veste perspicua sit. & nihil in corpore vxoris suæ, plus maritus, quam quilibet alienus, peregrinusve agnouerit.*

Q v o d *tibi prolatum est*] Prolatum, aut ex pyxidibus depromptum, aut productum. Nam supercilia fuligine sibi producebant. *Producere* hîc proprium. Iuuenalis satyr. ii.

B

Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitq́; trementes
Attollens oculos.

Tertullianus lib. de Habitu muliebri, cap. ii. *Lumina lapillorum, quibus monilia variantur; & circulos ex auro, quibus brachia arctantur: & medicamenta ex fuco, quibus lana colorantur: & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Idem lib. de Cultu fœminarum, cap. v. *In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt; genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* Dicit *Vngunt genas rubore.* Notauit & Apuleius Apologet. *Quis non disciplinam matris agnouit, cum in puella videret immedicatum os, & purpurissatas genas, & illices oculos?* Retineo lectionem, *Immedicatum os.* Neque enim, In, priuat, sed potius τὸ εἶσω ἢ τὸ ἐγκέφαλον significat: quomodo *Incœnare* dixit Suetonius in Tiberio, intus cœnare. Neque est sollicitandus hic Plauti locus in Rudente.

C

——Di te ament cum irraso capite.

Ibi salutatur aliquis ἐκ τῆς ναυαγίου ἀποσωθείς, & idcircò caput irrasum, id est, ἐν χρῷ κεκαρμένον habens. Cæterum superciliorum iacturam arte etiam reparabant. Petronius nequitiæ Arbiter, *Plura volebat proferre, credo, & ineptiora præteritis, cum ancilla Tryphænæ Gytona in partem nauis inferiorem ducit, corymbióque Dominæ pueri adornat caput. Imò supercilia etiam profert ex pyxide, sciteq; iacturæ lineamenta sequuta, totam illi formam suam reddidit.* Aliud est, *Tingere oculos*, vnde distinguit Iuuenalis loco anteà citato. Fauilla, & croco etiam quandóque eos tingebant. *Fauilla.* Vnde Cyprianus, *Oculos circumducto nigrore fucare* dixit. *Vtroque.* Ouid. lib. iii. *μαστιγίας.*

D

Nec pudor est oculos tenui signasse fauilla:
Vel propè te nato Lucide Cydne croco.

Nigri oculi croco & cerussa, rufi fuligine tingebantur. Alexis ἰσοστασίῳ. Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τις, ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ, συμβέβηκ' εἶναι μέλαιναν, καταπλάττει ψιμυθίῳ. Id ὑποχαράττειν Græci dicunt: qua de re in Digressionibus.

AD EPIGR. XLIII.

A v r e i s *cornibus iuuencum*] Plin. lib. xxxiii. cap. iii. *Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam vt auratis cornibus hostiæ maiores duntaxat immolarentur.* Tertull. lib. de Co-

A rona Militis. *Hunc tibi Iupiter bouem cornibus auro decoratis vouemus esse facturum.* Val. Flaccus lib. i. Argonaut.

——Dabit auratis & cornibus igni
Colla pater: niueique greges altaria cingent.

Et lib. iii.

Ibat agens lectas aurata fronte bidentes.

AD EPIGR. XLIIII.

N o n *est fama*] Lego,

Non est forma recens, nec nostri gloria cæli.

Docet enim sequenti versu ab artificis ætate antiquam esse statuam. Cœlum heic accipe pro instrumento noto. Alias legerem, *Secli.*

H v n c *puer ad Libycas*] Alludit (vt opinor) celeberrimũ illud Annibalis iusiurandũ, quod passim apud historicos, & apud Sil. Italicum lib. i.

Romanos terra atque vndis, vbi competet ætas,
Ferro, ignique, sequar, &c.

N o b i l e *Lysippi*] Lysippum huius signi significem testatur etiam Papinius lib. iv. Syluarum.

——Deus ille Deus: seséque videndum
Indulsit Lysippe tibi, paruusque videri,
Sentirique ingens, &c.

AD EPIGR. XLV.

A l c i d e n *modo*] Mauult Lipsius, *Alcides*, quia non ipsum Herculem Martialis interrogabat (inquit) sed alium, &c. Sed & vulgata lectio hanc expositionem admiserit. Nam potest esse phrasis Græca, quæ Latinis ita trita est, vt nihil exemplis opus sit. Terentius.

Postquam eius animum perspexi, quomodo sese haberet ad nuptias.

Et, *Fratrem male metuo, ne intus siet*, & locis aliis infinitis apud Plautum, Ciceronem, alios. Sed nescio quomodo hæc explicatio locum habere queat: Addit enim, *Risit: nam solet hoc.* his verbis clarum est, aliquem designari à Martiali nominatim. Quomodo enim aliter conueniret, *Nam solet hoc.* Nescio an legendum sit,

Alcidē (vel Alcides) modo Vindicē rogabā, &c.

Et sane lectionem meam confirmat codex Clariss. Petauij, vbi pro *Vindicem*, legitur male *Indicem.*

I n s c r i p t a *est basis*] Basis substernebatur statuis; cui aut artificis, aut dedicatoris, aut eius cuius esset statua, aut hæc omnia simul inscribebantur, & ea sæpius è marmore. Plinius epist. vi. lib. iii. *Emi autem, non vt haberem domi (neque enim vllum Corinthium domi habeo) verum vt in patria loco celebri ponerem, ac potissimum in Iouis templo. Videtur enim dignum templo, dignum Deo donum. Tu ergo, vt soles omnia, quæ à me tibi iniunguntur, suscipe hanc curam, & iam nunc iube basim fieri, ex quo voles marmore, quæ nomen meum, honorésque capiat, si hos quoque putabis addendos.*

ΛΥΣΙΠΠΟΥ *lego*] Inscriptum est βάσει, ΛΥΣΙΠΠΟΥ. ἔργον scil. Non autem omnibus operibus, sed præstantioribus, nomen suum inscribebant artifices. Lucianus εἰκόσι. Λυκ. τῶν δὲ Φειδίου ἔργων, τί μάλιστα ἐπῄνεσας, Πολυστρ. τί δ' ἄλλο, ἢ τὴν Λημνίαν, ᾗ καὶ ἐπιγράψαι τοὔνομα ὁ Φειδίας ἠξίωσεν. Plut. in Isocratis vita. ἀνάκειται δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν Ἐλευσῖνι εἰκὼν χαλκῆ, ἱμαστρο τὰ προστώου τοῦ Τιμοθέου τοῦ Κόνωνος, καὶ ἐπιγέγραπται.

Τιμόθεος φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν
Ἰσοκράτους εἰκὼ τήνδ' ἀνέθηκε θεαῖς.

ἀνεχάρυτ ἔργον. Sic Γλύκων ἐποίει, & similia passim in Inscriptionibus.

AD EPIGR. LI.

Tv *magnus luteum; G. Gigantea*] Alludit γηγενεῖς γιγάντων, qui & γηγενεῖς, & πηλογενεῖς appellati. Callimachus:

> Πηλογενεῖς ἐλατῆρες, διχαιτοῦν ἐγαρίζετο.

Luteus Gygas πηλογενής.

AD EPIGR. LVI.

Demervisse *duos votu est*] ἐπεί μοι τὸ δέλημα. Alias, *votum est*, εὐχῆς ἄξιον, quod optari potest facilius, quàm præstari. εὐχῆς ἔργον. Plut. sub finem lib. περὶ παιδ. ἀγωγ. τὸ μὲν οὖν πάσας τὰς προειρημένας συμπεριλαβεῖν παραινέσεις, εὐχῆς ἴσως ἔργον ἐστι.

AD EPIGR. LVIII.

Non *pallens toga*] Hunc locum explicauit doctissimus Lipsius in Electis. Togæ autem inuoluendis mortuis commodæ, quia albæ. Vnde & mulieres albis vestibus vtebantur in luctu, & vittis albis. Vide Plut. quæst. Romanis. Non autem Romæ solum, sed & Lacedæmone, honestiores ἐν πορφύρᾳ elati fuerunt. Quod tamen generaliter factum, absque vllo discrimine, docere videtur Plutarchus in Institutis Laconicis: συνθάπτειν δ' οὐδὲν ἐπέτρεψεν (Lycurgum dicit) ἀλλ' ἐν φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας θέντας, τὸ σῶμα περιστέλλειν κατ' ἴσον ἅπαντας. Distinguit tamen expresse Ælianus lib. vi. var. hist. cap. vi. & vult eos solos, quorum virtus inter cæteros enituerat, τοὺς πάνυ ἀριστεύσαντας, ἐν φοινικίδι θάπτεσθαι: mediocris fortitudinis homines ramis oleæ, & aliis frondib. decoratos. Οἱ δὲ καλῶς ἀγωνισάμενοι, inquit, καὶ ἀποθανόντες, θαλλοῖς ἀνεδοῦντο, καὶ κλάδοις ἑτέροις, καὶ δι' ἐπαίνου ἦγοντο. Οἱ δὲ πάνυ ἀριστεύσαντες, καὶ φοινικίδος αὐτοῖς ἐπιβληθείσης ἐνδόξως ἐθάπτοντο. De Romanis notata multa. Hinc & Marcus Antonius, cum M. Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidisset, quo honoratius cremaretur, iniici ei suum paludamentum (τὴν φοινικίδα) iussit. Vide Val. Max. lib. v. cap. i. Appianum lib. iv. bell. ciuil. Indecorum autem erat cadauer nudum cremare. Val. Max. lib. v. cap. v. *Vt fratrem germanum esse cognouit, multum ac diu conuitio Deos ob donum impia victoria insectatus, prope castra transtulit, & pretiosa veste opertum rogo imposuit.* Atque idcirco vestiebant cadauera, ne in inferis algerent. Vide sis quæ notamus ad epigr. L. lib. x.

AD EPIGR. LX.

Epigramma elegans, quo facetè describitur homo ἀλαζών. Notaremus plura, si per otiũ liceret.

Nec *hos quos prima prostituêre casa*] vbi scilicet viliora mancipia. & teiicula. Seneca epist. xlvii. *Stare autem limen Callisti dominum suum vidi, & eum qui illi impegerat titulũ, qui inter reycula mancipia produxerat, alijs intrantibus, excludi. Retulit illi gratiam seruus, ille in primam decuriam coniectus, in qua vocem præco experitur, &c.*

Et *turbata breui questus crystallina*] Seneca lib. vii. de benef. *Video istis crystallina, quorum accendit fragilitas pretium. Video murrhina pocula.*

A Expendit *veteres calathos*] Diogenes Laërtius in Aristippo: κατηγόρησέ τε τῶν ἀνθρώπων ὡς τὰ σκεύη μὲν ἐν ταῖς ἀγορασίαις κομπούντων, τοὺς δὲ βίους εἰκῇ δοκιμαζόντων.

Asse *duos calices emit & ipse tulit*] Similis pauperculo catilloni, quem eleganter describit Timocles apud Athenæum lib. vi.

> Ἦν δ' ὁ τὸ πάθος καλόν. οἴμοι, πτώχας
> Χαλκοῦς ἔχων αἰθρωπος. ἰσχάδας ἐνῶν,
> Θύννια, ἀφύας, καρύκας, ὁπωρίας.
> Καὶ ταῦτα πάντα μὲν ἐθέλουσιν πρίω
> Ὅσους, τὸ φαύλως δ' ἀπ' ἴσης τῆς μαμμέως ὅλας.

AD EPIGR. LXII.

Vellera *natiuo*] Iuuenalis sat. xii.

B
> *Atque alias, quarum generosi graminis ipsum*
> *Infecit natura pecus: sed & egregius fons*
> *Viribus occultis, & Baticus adiuuat aër.*

Vide librum v.

AD EPIGR. LXV.

Hercvlis *in m.*] Pingebantur aliquando, & fingebãtur eius specie & habitu, cui se similes haberi volebant. Dio lib. lix. de iis, quæ Drusillæ Caligulæ sorori defunctæ decreta sunt, καὶ εἰ τινα ἄλλα, ὅσα τῇ τε Λιουίᾳ ἐδέδοτο, ἐψηφίσθη, καὶ ἵνα ἀπαθανατισθῇ, καὶ ἐς τὸ ἐν τῇ ἀγορᾷ Ἀφροδίσιον ἄγαλμα αὐτῆς ἰσομέτρητον ἀνατεθῇ, ἔτι τοῖς ὁμοίαις τιμαῖς ἡρώων. *Hic omnia eadem, qua Liuia tributa sunt, & præterea decretum, vt in deam consecraretur, & aurea eius effigies in curia collocaretur, ac eius imago in Veneris templo foro addita eiusdem statura, cum Deæ ipsius*

C *imagine, & ijsdem honoribus consecraretur.* Postremam huius loci periodum male interpretatur Xylander. Lampridius in Commodo. *Amazonius autem vocatus est, ex amore concubinæ suæ Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam, & ipse Amazonico habitu, in arenam Romanam procedere voluit.* Suetonius in Caligula: *Vnus iam puerascens, insigni festiuitate, cuius effigiem habitu cupidinis in æde Capitolina Veneris Liuia dedicauit.* Apul. Miles. viii. *Et imaginem defuncti, quam ad habitum dei Liberi formauerat, affixo seruitio diuinis percolens honoribus ipso sese solatio cruciabat.*

Qva *triuia nemorosa*] De Rege Nemaurensi, vide Strabonem lib. v. Ouid. iii. Fast. & lib. i. μεταμορφώσεως. Val. Flaccum lib. ii. Argonaut. Hoc

D etiam nemus intelligit Plin. lib. xxxv. cap. vii. *Pingi autem gladiatoria munera, atque in publico exponi cœpta, à C. Terentio Lucano. Isque auo suo, à quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit, tabulámque pictam in nemore Dianæ posuit.*

AD EPIGR. LXIX.

Illvd *p. poposci*] ἄρρητον & abominandum. Sic sæpe hoc pronomen ponitur relato subintellecto. Catullus:

> *Et quærendum vnde, vnde foret neruosius illud.*

Sic *Res illas* dixit Arnobius τὰ αἰδοῖα. Et ἐκεῖνα dicit Lucianus, περὶ τῶν ἀποφράδος. κἀκεῖνα, εἰ δοκεῖ, ἄφες, τὸ μέχρι χειλέων ταῖς πλατείαις, ἢ τὸ πράττειν μόνα ἐκεῖνα. Dicebant aliquando *Multa illa*, id est, lasciuias illas, & obscœnas voluptates. Catullus:

> *Vbi illa multa tam iocosa fiebant.*

Græci ταῦτα vel ἐκεῖνα eodem modo. Lucianus

περὶ ἀπέδωκε, duobus locis, quos lubens omitto. Et πολλὰ ὄλβια. In Epitaphio Sardanapali apud Diod. Sicul. lib. II. Plut. Strabonem & alios.

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
Τέρπν' ἔπαθον. τὰ δὲ πολλὰ, καὶ ὄλβια ταῦτα λέλειπται.

Male apud Athenæum lib. VIII. λέλειπται. Vertit M. Tull. lib. V. Tuscul. quæst.

Hac habeo quæ edi, quaque exsaturata libido
Hausit: At illa iacēt multa, & præclara relicta.

Multa illa, τὰ πολλὰ, Deliciæ illæ, καὶ τὰ τῆς λαγνείας ἀθύρματα. Vertit M. Tullius, καὶ ὄλβια, *Et præclara.* Eleganter. Horatius sat. V. lib. II.

Si cui præterea validus male filius in re
Præclara sublatus aletur.

In re bona dixit Laberius in Mimo, quem scripsit Restorem, apud A. Gellium lib. X. cap. XVII.

——Sic ego
Fulgentis splendore pecunia volo
Elucificare exitum ætatis meæ,
Ne in re bona videam esse nequam filium.

Cæterum Theocritus distichon adscriptum allusit χάριεν.

Αμφαίνει δ' τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια ταῦτα λιπόντες.

Agathias pro τέρπν' ἔπαθον posuit in epigrammate suo πᾶς ἰδίδαξα. Sed hæc lectio ex rescriptione Cratetis, quæ apud Plut.

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔμαθον, καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ Μουσῶν
Τέρπν' ἐδάην.

AD EPIGR. LXX.

CAVSSIDICVM *medio*] Statuæ sæpe positæ Caussidicis. Auctor Dialogi de Oratoribus. *Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli, & statuæ, quæ neque ipsa tamen negliguntur, tam Hercule quam diuitiæ, & opes, quas facilius inuenis qui vituperet, quam qui fastidiat. His igitur & honoribus & ornamentis, & facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia caussis forensibus, & oratorio studio dederunt.* Sed & equestres statuæ, vt hinc cognoscis. Iuuenal. sat. VII.

Aemilio dabitur quantum petet, & melius nos
Egimus. Huius enim stat currus aëneus, alti
Quadriiuges in vestibulis: Atque ipse feroci
Bellatore sedens curuatum hastile minatur
Eminus, & statua meditatur prælia lusca.

Sic & Athenis. Diogenes Laërtius de Demetrio Phalereo: Δημήτριον ἐτίμησαν Ἀθηναῖοι, τῆς πόλεως ἀφηγήσατο ἐπὶ δέκα, καὶ εἰκόνων ἠξιώθη χαλκῶν ἑξήκοντα πρὸς ταῖς τριακοσίαις, ὧν αἱ πλείους ἐφ' ἵππων ἦσαν καὶ ἁρμάτων καὶ συνωρίδων.

NONDVM *cristati*] Misera hominum istorum conditio, qui media pene nocte scholam aperire incipiebant, id est, primo diluculo, vel ante, & pene priusquam Galli Solem aduenientem salutarent. Iuuenal. sat. VII.

Dum modo non pereat mediæ quod noctis ab hora
Sedisti: qua nemo faber, qua nemo sedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dum modo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Marcus, & hæreret nigro fuligo Maroni.

VINCENTI *parma cum s. turba*] Non temere dixit *Sua turba.* Erant enim in Theatro, Amphitheatro, & Circo factiones, & inde diuersus fauor. Sic loquutus Sueton. in Caligula. *Infensus turbæ fauenti aduersus studium suum, exclamauit, Vtinam Populus Romanus vnam ceruicem haberet.* Nota, *aduersus studium suum.* Sic Herodianus li. IV. de Antonino, & Geta. ἔτι νεάζων, περὶ τὰ ἐναντία ἐσπούδαζον. Et Dio lib. LIX. de Caligula. καὶ αὐτὸς τὰ μὲν πρῶτα θεατὴς καὶ ἀκροατὴς ἐγίγνετο, συνεσπούδαζέ τε ἔστιν οἷς καὶ ἀντεσπούδαζεν, ὥσπερ τις ἐκ τοῦ ὁμίλου ὤν. Quod ait Herod. περὶ τὰ ἐναντία σπουδάζειν, vnico nomine dicit Dio. ἀντισπουδάζειν. Idem in Seuero. καὶ τοὺς μονομάχους, τούς τε ἁρματηλάτας προσεταιρίζοντο τῇ μὲν ὁμοιότητι τῶν ἔργων ζηλοῦντες ἀλλήλους, τῷ δὲ ἀντισπουδάζειν στασιάζοντες. De Antonino & Geta. Sed & ἐναντία σπουδάζειν in Antonini Caracal. vita, initio. καὶ τὸν ἡνίοχόν τινα ἁρματηλάτην ἐπειδὴ ἐναντία αὐτοῦ ἐσπούδαζεν, ἀπέκτεινε. Epictetus cap. XXXVIII. Enchiridij. εἰς τὰ θέατρα πολλάκις παριέναι, οὐκ ἀναγκαῖον, εἰ δέ ποτε καιρὸς εἴη, μηδενὶ σπουδάζων φαίνου. Vide & Arrianum lib. III. Dissertat. Epicteti cap. IV. Studium igitur Latinis in hac re. Cornel. Tacitus lib. I. Annal. *Ludos Augustales tunc primū cœptos* (legit Lipsius *cœpta*) *turbauit discordia, ex certamine histrionum. Indulserat ei ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperat effuso in amorem Bathylli: Neque ipse abhorrebat talib. studijs, & ciuile rebatur, misceri voluptatibus vulgi.* Ouid. eleg. XII. lib. III. Trist.

Scena viget, studijsque fauor distantibus ardet:
Cumque tribus resonant terna theatra foris.

In Amphitheatro hoc studium notissimum. Sueton. in Domitiano. *Patrem familias, quod Thracem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum e spectaculis in arenam, canibus obiecit. cum hoc titulo, impie loquutus Parmularius.* De factionibus Circensibus postea.

LVDI *magister*] Sic enim in appellationibus audiebant, qui re ipsa Magistri erant. Sueton. lib. de Illust. Grammat. cap. XXIII. *Vis tu, inquit, Magister, quoties festinantem aliquem vides abligurire?* Petronius. *Donec Trimalcio, Rogo, inquit, Magister, quid putes inter Ciceronem, & Publium interesse.* Sic & apud Græcos διδάσκαλοι salutabantur, οἱ διδάσκοντες, pædagogi, & παιδοτρίβαι. Lucianus in somnio: καὶ ἰδὼν τὸν Θεσμόπολιν, τοῦτο γὰρ ὁ φιλόσοφος ἐκαλεῖτο, Διδάσκαλε, φησι, σὺ μὲν ἐπαινοῦς αὐτὸς ἥκων περὶ ἡμῶν.

AD EPIGR. LXXV.

SOLVM] Non terram, quod aiunt, sed soleam. De hoc verbo postea.

FESTINATA *fui*] Huius meminit & Plin. epist. VII. lib. III. *Erat illi (Silio) natus insanabilis clauus, cuius tædio ad mortem irreuocabili constantia decurrit, vsque ad supremum diem beatus, & felix, nisi quod minorem e duobus liberis amissis: sed maiorem, melioremque, florentem, atque etiam consularem, reliquit.*

AD EPIGR. LXXXI.

DE *effigie Camoni*] Huius epigrammatis acumen ab aliis demonstratum est: Defunctorum autem sibi charorum imagines seruabant. Hinc & Seneca consol. ad Martiam, cap. II. *Nullam habere imaginem filij charissimi voluit, nullam sibi fieri de illo mentionem. Nam omnino* (vt ait Lactantius lib. II. de fals. relig. cap. II.) *fingendarum similitudinum ratio idcirco ab hominibus inuenta est, vt posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati.*

AD EPIGR. LXXXII.

DOMINI *mores Cæs. habes*] Ex famulorum mo-

ſibus, Domini quoque mores æſtimantur. Sapienter de hac re Cicero in ep. ad Q. Fratrem. Sapienter etiam Mæcenas, apud Dionem lib. LII. μὴ μόνον τι καὶ ὑπέρογκον τι ἰσχύσωσιν, (ad Auguſtum Cæſarem dirigitur oratio, & de eius libertis, atque aliis circa illum, heic agitur) διὰ ἀκριβῶς πάνυ σωφρονίζωμεν, ὥστε σε μηδὲν ὑπ' αὐτῶν διαβάλλεσθαι. πάντα γὰρ ὅσα ἂν ἢ καλῶς, ἢ κακῶς πράξωσι, σοὶ προστίθεται, καὶ τοιοῦτος αὐτὸς ὑφ' ἁπάντων νομισθήσῃ, ὁποῖα ἂν ἐκείνοις ποιεῖν ἐπιτρέπῃς.

CÆSARIANVS] Cæſariani appellabantur, qui in aula Cæſaris verſabantur, & circa eum erant. Καισάρειοι Græcis. Xiphilinus in Adriano. μήτε τι ὑπ' ἐλευθέρου τις, ὑπ' ἀπελευθέρου τις, οὐδ' ὡς ἔλαβεν, οὐδ' ὡς ἐπράχθη, οἷα οἱ Καισάρειοι, καὶ οἱ ἄλλοι, οἱ περὶ τοὺς αὐτοκράτορας ἔχοντες ποιεῖν εἰώθασιν. & alibi ſæpè, vt apud Dionem, & alios illius ætatis hiſtoricos.

AD EPIGR. LXXXIV.

DIC *mihi, non hoc eſt, Cinna, perire cito?*] Elegans ſane Epigramma, & è Græcorum myrothecijs ſumtum. Nam ἄσωτον appellant hominem luxurioſum, & cuius ſalus eſt deplorata ac plane exhauſta, facultatibus ſcilicet exhauſtis. Eleganter & accommodate ad Epigramma hoc Ariſtoteles lib. IV. Nicom. cap. I. βούλεται γὰρ ἄσωτος εἶναι ὁ ἓν τι κακὸν ἔχων, τὸ φθείρειν τὴν οὐσίαν. ἄσωτος γὰρ, ὁ δι' αὑτὸν ἀπολλύμενος. δοκεῖ δ' ἀπώλειά τις αὑτοῦ εἶναι καὶ ἡ τῆς οὐσίας φθορά, ὡς τοῦ ζῆν διὰ τούτων ὄντος. Eodem omnino pertinebat Diogenis Cynici παρῳδία πρὸς τὸν πολυτελῶς ὀψωνοῦντα, ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ' ἀγοράζεις. Diogenes Laërtius. Hinc & ἄσωτος ille Mneſimachi apud Athenæum lib. VIII. ὄντως γὰρ ἀπολοῦμαι πολύ.

AD EPIGR. LXXXV.

QVOD *ſp. qui recitares.*] Sueton. de Domitiano. *Interdixit hiſtrionibus ſcenam, intra domum quidem exercendi artem iure conceſſo.*

AD EPIGR. LXXXVII.

SED *mea porrexit*] Horatius.

Optima quod ſi præda mergos iuuerit
Porrecta curuo littore.

Catullus.

Quamque ferunt rurſus voto ſeruiſſe maligno,
Poſtquam es porrecto facta marita ſeni.

Sic *Pedes extendere.* Perſ. ſat. III.

In portam rigidos calces extendit.

Et Extendere, vt ἐκτανύεσθαι Græcis, ſimpliciter. Lucillius:

ὡς δ' εὗρε πλείω δραχμὴν μίαν, ἣν διετρώθη,
λυπηθεὶς θνήσκειν, εἶπε, καὶ ἐξετάθη.

Papinius lib. I. Thebaïdos:

Tu Phryga ſubmittis cithara: Tu matris honori
Terrigenam Tityon Stygijs extendis arenis.

Sic & *Explicare* apud eundem V. Syluarum, in Patris Epicedio.

Sed te torpor iners, & mors imitata quietem,
Explicuit.

AD EPIGR. LXXXVIII.

TV *quoque vulnus habes*] *Habet* ſimpliciter. Tractum à gladiatoribus. Videndus Donatus ad hunc Andriæ locum:

A *Dicebam egomet mecum: Certe captus eſt, Habet.* Virgil. XII. Æn.

Deſuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatur,
Hoc habet: Hæc melior magnis data victima Diuis.

Imitatus Prudentius Pſychomachia:

Tunc exarmata iugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: Calidos vomit illa vapores
Sanguine concretos cœnoſo. Spiritus inde
Sordibus exhalans, vicinas polluit auras.
Hoc tibi habe exclamat victrix Regina: Supremus
Hic tibi finis erit.

AD EPIGR. LXXXIX.

SERVVLVS *eſt mihi paternus*] Quapropter bonus ſeruus. Nam qui diu iiſdem dominis ſeruierant, ſerui frugi habebantur: Contra, qui dominos ſæpe permutarant. Philo diſſertatione

B de Ioſepho: οἱ δὲ τελειωθέντες, καλοῖς κεχρημένοι τρόποις διατελοῦσι τοῖς κυρίοις, οὐχ ὑπομένοντες τὰς μεταπτώσεις διὰ τὴν ἀφιλόκερδον καὶ φιλόεργον τῶν ἠθῶν ἀνωμαλίαν. Claudianus lib. I. in Eutropium:

——— *Diſcrimina quædam*
Sunt famulis, ſplendorque ſuus, maculæq. minorem
Conditionis habet, domino qui vixerit vno.
Si pelagi fluctus, Lybiæ ſi diſcis arenas,
Eutropij numerabis heros, quot iura, quot ille
Mutauit tabulas, vel quanta vocabula vertit.

LIBERVM *eſſe iuſſi*] Phraſis hæc in re vſitata. Florus lib. I. cap. X. *Et Rex quidem tot tantisq; virtutis territus monſtris, valere, liberoſque eſſe iuſſit.* συγχωρῆσαι Græci verterunt. Dionyſ. Hal. lib. IV. ἐγὼ γοῦν ἐπίσταμαι τινὰς ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκότας εἶναι ἐλευθέροις. Sic ἀφεῖναι ἐλευθέρους, quod *amittere liberum* Latini dixerunt. Plut. in Catone Mi-

C nore: Νικίαν δὲ τὸν οἰκονόμον τῶν βασιλικῶν ἐλεύθερον ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀφεῖναι.

SIGNAT] Nam in manumiſſione, quæ fit inter amicos, qualis hæc eſt, quinque teſtes erant adhibendi. l. I. §. Sed etſi. C. de Latin. lib. toll. Atq; eo pertinet hic Senecæ locus lib. de Vita beata, cap. XXIV. *Serui liberine ſint iſti, ingenui an libertini, iuſtæ libertatis an inter amicos data quid refert?* Cæterum hunc locum ita legendum puto.

Et dicis, modo liberum eſſe iuſſi
Zenam: Seruulus eſt mihi paternus.

NVNC *ſignat meus annulus l.*] Alludit ad morem iam notum. Plin. lib. XXXIII. cap. I. *Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur? At nunc cibi quoque & potus vindicantur annulo à rapina. Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa acta.* Clem. Alexandrinus lib. III. Pædagogi. διδόασιν οὖν αὐτοῖς δακτυλίους ἐκ χρυσίου, οὐδὲ τοῦτο εἰς κόσμον, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἀπο-

D σημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς οἰκουρίας.

AD EPIGR. XCIV.

VILIS *lecticula*] Sueton. in Auguſto; *A cœna lucubratoriam ſe in lecticulam recipiebat.*

CHIRAGRAQVE *ſecatur*] Catullus.

Aut ſi quem merito tarda podagra ſecat.

AD EPIGR. XCV.

VT *ſi qui poſuit*] Germanicus ſcilicet. Nam hic decem litteræ. De hoc more antea.

AD EPIGR. XCVI.

SANTONICA *virga*] Herba Santonica, quam Santones maritimi satis norunt.

AD EPIGR. CXIX.

RVMPITVR *inuidia*]

—— Inuidia rumpantur vt ilia Codro.

Propert. Eleg. VIII. lib. I.

Hic erit hic: Iurata mea est. Rumpantur iniqui.
Vicimus. Assiduas non tulit illa preces.

Lucianus in Timone: ὅπως οἱ κόλακες ἐκεῖνοι διαρραγῶσι ὑπὸ φθόνου.

MONSTRAMVR *digito*] Monstrari digito τῆς εὐδοξίας τυγχάνειν. Et *digito demonstrari*. Plin. epist. XXIII. lib. IX. Auctor Dialogi de Oratoribus. Sic δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ apud Græcos. Lucianus περὶ γυμνασίων. & Ἡροδότῳ, atque Ἁρμονίδῃ. δακτυλοδεικτεῖσθαι vnico vocabulo. Vnde *Monstrabilis* ὁ ἀοίδιμος. Plin. epist. XXI. lib. VI. *Nescio an noris hominem, quamquam nosce debes. Est enim probitate morum, ingenij elegantia, operum varietate monstrabilis.* Sidonius Apollinaris, qui non

A vno loco Plinij simiam agit, epist. VII. lib. III. *Et ob omnia felicitatis, naturæque dona monstrabilis.* Et epist. III. lib. IV. *Ad hoc, vnica singularisque doctrina, & in diuersarum rerum assertione, monstrabilis.* Et epist. V. lib. I. *Aut campos præliorum replicatione monstrabiles.* Sed & δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ ἐπὶ κακίᾳ apud Lucianum in oratorum magistro. Et δείκνυσθαι, simpliciter ἐπ' ἀγαθῷ καὶ θαυμαστῷ. Socrates lib. VI. histor. Eccles. cap. XIII. οἱ δειλοὶ, ἐξ ἑαυτῶν μὴ δυνάμενοι φαίνεσθαι, ἐκ τοῦ ψέγειν τοὺς ἑαυτῶν κρείττονας δείκνυσθαι βούλονται.

IN EPIGR. CIII.

OBSERVARE *iubes atria*] Horatius:

Atria seruantem postico falle clientem.

B

AD EPIGR. CIIII.

SOLVS *Iulæas*] Adulatorie nimis: sed hæc adulatio Domitiano gratissima. *Nam principatum adeptus, neque in Senatu iactare dubitauit, & patri se, & fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse.* Sueton. in Domitiano.

DESIDERII HERALDI ANIMADVERSIONES

AD LIBRVM X. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPIGR. I.

SERAQVE *coronide*] Plut. lib. II. de Fort. Alexandri. ὥς ἦν πάλιν αὖ Διονύσιος ὁ τὸν πανάθλιον Φιλόξενον εἰς τὰς λατομίας ἐμβαλὼν, ὅτι τραγῳδίαν αὐτοῦ διορθῶσαι κελευσθεὶς, εὐθὺς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὅλην μέχρι τῆς κορωνίδος αὐτὴν περιέγραψεν. Sic κακῶν κορωνίδα dixit Eusebius lib. VIII. histor. Ecclesiast. cap. XIV. ἡ δὲ τῶν κακῶν τῷ τυράννῳ κορωνὶς ἐπὶ γυναικῶν ἤλαυνεν μανιώδεις ἐπιθυμίας. Eadem verba repetit lib. I. de vita Constant.

AD EPIGR. II.

DIMIDIOS, *C. mulio r. eques*] Iuuenalis satyr. VIII.

Et Curios iam dimidios, nasumque minorem
Coruini, & Galbam auriculis nasoq; carentem.

AD EPIGR. III.

VERNACVLORVM *D.*] Seneca lib. VI. de Benef. *Alter apud proximum circulatorem resedit, & dum vagus, atque erro vernaculis congregatur & ludit, transeuntem Platonem, quem non quæsierat, inuenit.* Congregabantur certis locis hi vernaculi, & scurræ conscripti, atque quasi gregem efficiebant. Vt Athenis erat conuentus, τῶν ξ΄ κοινῶν de quibus Athenæus lib. XIV.

ASCAVLES] Vtricularium Latini dixere.

AD EPIGR. IV.

AETIA *Callimachi*] Citat hunc Callimachi librum etiam Sophoclis Scholiastes ad Oedipoda Coloneum: φησὶ γὰρ ὁ Κυρηναῖος ἐν τῷ τέλει τοῦ δευτέρου τῶν αἰτίων, σύνευν οἰκτείρειν οἶδε μόνη τοκέων.

AD EPIGR. V.

SECTVS *Aeaci loris*] Horatius:

Sectus flagellis hic triumuiralibus.

Tibullus lib. I.

Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

A Ouid. lib. II. Amorum, eleg. VII.

Quis Veneris famulæ connubia liber inire,
Tergaque complecti verbere secta velit?

AD EPIGR. VI.

QVANDO *erit ille dies*] Nam arbores, fenestræ, ianuæ, &c. lucernis ornabantur, & ignis vbiq; excitabatur in solemnitatibus & ἐπιδημίαις Imperatorum. Quod notauit antea doctiss. Lipsius lib. I. Electorum. Nos & nouis exemplis confirmabimus. Tertullianus Apologet. cap. XXXV. *Sed & qui nunc scelestarum partium socij, aut plausores quotidie reuelantur post vindemiam parricidarum racematio superstes, quàm recentissimis, & ramosissimis laureis postes præstruebant? quàm elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabant?*
B Et lib. de Idololatria cap. XV. *Sed luceant, inquit, opera vestra. At nunc lucent tabernæ, & ianuæ nostræ. Plures iam inuenies Ethnicorum fores sine lucernis, & laureis, quàm Christianorum.* Paulo post. *Ergo, inquis, honor Dei est, lucerna pro foribus, & laurus in postibus.* Arrianus lib. I. Dissertationum Epicteti, cap. X. ἐξίσταται δημαρχίας; πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται, ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. ἔρχεται εἰς οἶκον, εὑρίσκει λύχνους ἁπτομένους. ἀναβαίνει εἰς τὸ καπιτώλιον, ἐπιθύει. Lege sis totum illud caput. Hinc intelligendus Papinius lib. V. Syluarum.

Præterea, si quando pio laudata marito
Vmbra venit, iubet ire faces Proserpina lætas,
C *Egressasque sacris veteres Heroïdas antris*
Lumine purpureo tristes aperire tenebras,
Sertaque, & Elysios animæ prosternere flores.

Herodianus lib. IV. δᾳδουχίαις τε καὶ ἀνθῶν βολαῖς ἐτίμων τὸν βασιλέα. Ammianus Marcellinus lib. XXI. *Eumque suburbanis propinquantem amplis nimiumque præsentis, militaris & omnis generis turba, cum lumine multo, & floribus, votisque faustis, Augustum appellans, & Dominum, duxit in regiam.* Non solum fores lucernis ornabant, sed & ipsi cum lucernis occurrebant, vt ex hoc loco cognoscis. Plut. in Pompeio; πολλοὶ δὲ καὶ στεφανηφοροῦντες ὑπὸ λαμπάδων ἐδέχοντο καὶ παρέπεμπον ἀνθοβολούμενον. Xiphilinus initio vitæ Seueri: καὶ ἐγένετο ἡ θέα πασῶν, ὧν ἑόρακα, λαμπροτάτη. ἥ τε γὰρ πόλις πᾶσα ἄνθεσί τε καὶ δάφναις ἐστεφάνωτο, καὶ ἱματίοις

πυκνοῖς ἀνεκάσμισεν, φωτί τε καὶ θυμιάμασιν ἔλαμπε, καὶ οἱ ἄνθρωποι λευχειμονοῦντες, καὶ γανύμενοι πολλὰ ἐπευφήμουν. Sic quum Heliogabalus Deum suum Romam introduceret, ὁ δῆμος (vt idem Herodianus scribit) ἐκατέρωθεν παρέθει μετὰ δᾳδουχίας, &c. His facibus & lucernis illustretur etiam Seneca in Thyesta:

> *Ornetur altum columen, & lauro fores*
> *Lætæ virescant: dignus aduentu tuo*
> *Splendescat ignis.*

Sic quoque accipiendus hic Eusebij locus lib. x. histor. Ecclesiast. ἀφόρητα γοῦν ἐξ ἀνθρώπων τῶν δεῖς, τῶν πρὶν αὐτῆς πεπεισμένων. λαμπαδὰς δ' ἐπίλουν, καὶ πανηγυρικὰς ἑορτὰς ἡμέρας. ὧν δὲ φωτὸς ἔμπλεα πάντα. Heic lapsus, qui acta Nic. Concilij nuper edidit. In ferijs hi ignes. Ouid. I. Fast.

> *Cernis odoratis vt luceat ignibus æther?*

Et quæ sequuntur. Hinc lumina & lampades in Ecclesia.

AD EPIGR. VII.

B Nec *te barbara*] Hic locus ingeniose explicatus est ab Elia Vineto, in Commentarijs Ausonianis ad Mosellam.

AD EPIGR. X.

Cvm *tu laurig ris*] Plin. lib. xxxv. cap. vlt. *Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuncia additur literis* (laurũ dicit) *& militum lanceis, pilisque. Fasces Imperatorum decorat.* Herodianus lib. vii. τῶν μὲν στρατιωτῶν, οἵπερ ἔθος ἐκεῖ, καὶ τῶν κατὰ τὴν πόλιν ἐπιμελητῶν ναυτικῶν, ἐν σχήματι τῶν κατὰ Ῥώμην στρατιωτῶν δορυφόρων, αἵ τε ῥάβδοι ἐστεφανωμέναι, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. τὸ δὲ πῦρ προπέμπουσι. Claudianus Panegyr. C in iv. Consul. Honorij:

> *Nec te laurigeras pudeat Gradiue secures*
> *Pacata gestare manu.*

Heic autem laureatæ Consulis fasces, quia anni principio.

Annvm *intras*] Annum aperis. Sic enim alij el ganter. Papinius lib. iv. Syluarum statim initio,

> *Læta bis octonis accedit purpura fastis*
> *Cæsaris, insignemque aperit Germanicus annum.*

Plinius Panegyrico; *Contigit ergo priuatis aperire annum, fastosque reserare, & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod Consul alius, quam Cæsar esset.* Claudianus Panegyr. de vi. Consulatu D Honorij:

> *Iamque nouum fastis aperit felicibus annum,*
> *Ore coronatus gemino.*

Sidonius Apollinaris lib. vi. epist. viii. *Sub cuius videlicet magistratu Consul Asterius anni sui fores votiuum trabeatus aperuerat. Pandere annum* eidem hoc sensu, Panegyrico,

> *Annum pande nouum, Consul vetus.*

Sæpivs *assurgam*] Nam signum erat fauentis, & attendentis assurgere, cùm quis recitaret. Plinius epist. xvii. lib. vi. *Recitabatur liber absolutissimus: Hunc duo, aut tres, vt sibi & paucis videntur diserti, surdis mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non mouerunt manum, non denique assurrexerunt, saltem lassitudine sedendi. Quæ tanta grauitas? quæ tanta sapientia? quæ imo pigritia, arrogantia, sinisteritas, ac potius amentia, in hoc* A *totum diem impendere, vt offendas, vt inimicum relinquas, ad quem tanquam amicissimus veneris?* Quintilianus lib. ii. Inst. Orat. cap. ii. *Minime vero permittenda pueris, vt fit apud plerosque, assurgendi exultandique in laudando licentia.* Paulo post. *At nunc proni, atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant.*

AD EPIGR. XII.

Libabitqve *tuas*] Virg.

> *Oscula libauit natæ, dehinc talia fatur.*

Claudianus Panegyrico de iv. Consul. Honorij,

> ——*Delibat dulcia nati*
> *Oscula.*

Forma huius osculi libati, ex Suetonio in Augusto, *Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus vnum ex ijs demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, eiusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset.*

Albis *amicis*] Non exustis Sole, λευκοὺς διὰ σκιατραφίαν, vt notant ex Plutarcho. Locus est in Agesilao, τῶν δὲ σωμάτων λευκῶν καὶ ἁπαλῶν παντάπασι διὰ τὰς σκιατραφίας γυμνουμένων καταγέλων. Dixit Polyænus in eadem historia lib. ii. Stratag. in Agesilao, comm. v. αἰχμαλώτους πέρσας ἀποδύσας, καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἐπιδείξας, τὰ μὲν σώματα αὐτῶν ἀσθενῆ, καὶ λευκὰ. διὰ τὴν τρυφὴν, &c. Dixerat Xenophon Histor. Græc. lib. iii. & Dissertatione de Agesilao, ὁρῶντες οὖν οἱ στρατιῶται, λευκοὺς μὲν, διὰ τὸ μηδέποτε ἐκδύεσθαι. Aristophanes in Ranis:

> Βαδοὺς ἀνθρώπους ὡς ἔσθ' ὁ κύψας,
> Λευκὸς, πίων, ἀπολεπτομένης.

AD EPIGR. XIII.

Et *Lybis*] Reges, & potentiores currus præcurrentes & præcursores suos habebant, cùm iter aliquod ingrederentur. *Cursores* simpliciter dicuntur, cùm præcursores re vera sint. Sueton. in Nerone; *Numquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, Soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum.* Petronius, *Hinc inuolutus coccina gausapa lectica impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor, & chiramaxio, in quo deliciæ eius ferebantur, puer vetulus, lippus, domino Trimalcione deformior.* Iuuenis satyr. v.

> ——*tibi pocula cursor*
> *Getulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri.*

Cursores autem isti re ipsa præcursores, vt diximus. Seneca epist. lxxxvii. *Omnes iam sic peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen cursorum antecedat.*

Bene *est*] Nam ἱερὸς est τῶν χαριζόντων εὐχαριστία. adde καὶ τῶν ἐχόντων. *Bene est*, elegantissime, ἔχει εὐδαιμόνως. Sed & locutio conuiualis honestissima. Horat. satyr. ii. lib. ii.

> ——*Bene erat, non piscibus vrbe petitis,*
> *Sed pullo, atque hœdo.*

Et viii. ——*Sic, vt mihi numquam*
> *In vita fuerit melius.*

Sic Græci. Plutarch. lib. vii. symp. probl. v. καὶ τὸ ἔχει καλῶς, καὶ μέγα καλῶς, καὶ καλῶς γεγένηται λέγειν, ἀπηνέγκαντες ἡδέως καὶ πολυτελῶς. Quare M. Tullius

lib. de finib. II. *Hos ego asotos bene quidem viuere; at beate numquam dixerim.* A

AD EPIGR. XXI.

ET *vix Claranus*] Huius Clarani meminit etiam Ausonius epist. ad Vrsulum Grammaticum.

Vrsule collega nobilis Harmonio;
Harmonio, quē Claranus, quem Scaurus, & Asper:
Quem sibi conferret Varro, priórque Crates.

AD EPIGR. XXVI.

CARMINE *numen*] Codex Iunij habuit *Munus*, Rectè. De his muneribus dicemus haud multo post.

AD EPIGR. XXVIII.

PVBLICA *quem primum*] Arnob. lib. III. aduersus Gentes, *Quod si accipiemus vt verum sit, sequitur vt intelligi debeat nullum vnquam fuisse Ianum, quem ferunt cœlo atque Hecate procreatum in Italia regnasse primum, Ianiculi oppidi conditorem, patrem Fauni, Vulturni generum, Iuturna maritum: atque ita per vos Dei nomen eraditur, quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis.* Vide & antea lib. VIII. B

Te primum pia thura rogant, te voce salutant.
Ouid. I. Fast.
Mox ego: Cur, quamuis aliorum numina placem,
Iane, tibi primum thura, merúmque fero?
Vt possis aditum per me, qui limina seruo,
Ad quoscunque voles, inquit, habere Deos.

Macrob. lib. I. Saturnal. cap. IX. *Xenon quoque primo Italicon tradit Ianum in Italia primum Dis templa fecisse, & ritus instituisse sacrorum: Ideo eum in sacrificijs præfationem meruisse perpetuam.* Et ibidem paulo post. Contra in Vesta precatio finiebatur. M. Tullius lib. II. de nat. Deor. *Cúmque in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt: quod ab eundo nomen est deductum: ex quo transitiones perniæ, Iani: foréſque in liminibus profanarum ædium, ianuæ nominantur. Nam Vestæ nomen à Græcis: ea est enim quæ ab illis ἑστία dicitur. Vis autem eius ad aras, & focos pertinet. itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio, & sacrificatio extrema est.* C

AD EPIGR. XXX.

NOMENCVLATOR] Sic scripserunt antiqui. Vt *Templum, extempulum, &c.* Sueton. in Augusto. *Ad extremum Telephi mulieris serui nomenculatoris.* Et in Caligula. *Misis circum fora, & basilicas nomenculatores ad inuitandos in libidinem iuuenes, senéſque.* D

AD EPIGR. XXXII.

QVÆ *colitur violis pictura*] Sic colebant aliquando imagines clarorum virorum, quas domi asseruabant. Lucianus Φιλοψευδεῖ. ἀξιοῖ γὰρ, ἦν δ' ἐγὼ, καὶ Ἱπποκράτης ἤδη ὁ ἰατρὸς θύεσθαι αὐτῷ, καὶ ἀγανακτεῖ, ἢν μὴ κατὰ καιρὸν ἀφ' ἱερῶν τελείων ἑστιαθῇ; ὃν ἔδει ἀγαπᾶν, εἴ τις ἐπιχέοι αὐτῷ, ἢ μελίκρατον ἐπισπένδοι, ἢ στεφανώσειε τὴν κεφαλήν.

AD EPIGR. XXXIV.

PARCERE *personis*] Lucianus in Demonacte: ἀλλὰ τῶν μὲν ἁμαρτημάτων καθήπτετο, τοῖς δὲ ἁμαρτάνουσι συνεγίνωσκε. καὶ τὸ παράδειγμα παρὰ τῶν ἰατρῶν ἠξίου λαμβάνειν, τὰ μὲν νοσήματα ἰωμένων, ὀργῇ δὲ πρὸς τοὺς νοσοῦντας οὐ χρωμένων.

AD EPIGR. XXXV.

FRVSTRA *n.*] Sic legendum existimo hunc locum.

Durus Sulpitiam Phaon amaret,
Frustra. Namque ea, &c.

Addito puncto post *Frustra.* Sententia enim est. Frustra eam amaret Phaon durus, & quem Sappho sibi conciliare non potuit. Frustra, inquam, quia Calenum virum suum nec Iouis, nec Bacchi, nec Apollinis connubio, aut societate commutare vellet.

AD EPIGR. XLI.

RES *sibi habere suas*] Caius l. II. §. I. D. de Diuort. & Rep. *In repudijs autem. i. renuntiatione, comprobata sunt hæc verba: Tuas res tibi agito. Item hæc; Tuas res tibi habeto.* Apuleius Milef. V. *Tu quidem ob istud tam dirum facinus, confestim toro meo diuorte, tibíque res tuas habeto.* Sic *res tuas tolle.* in dirimendis societatibus. Petronius, *Quoniam, inquam, fidem scelere violasti, Res tuas ocyus tolle, & alium locum quem polluas, quære.* Vide epigr. LI. huius libri.

AD EPIGR. LXXXVIII.

NVNCIAT *octauam Phariæ*] Iosephus Scaliger vir incomparabilis legit in Castigationibus suis ad Tibullum lib. I. *Atque pilata redit*, & hunc locum explicat. De his caluis dicemus lib. XII. εὐ θεῷ.

STRVCTORIS *Ofella*] Gloss. *Structor, ἀναδόμος.* At hic alius structoris vsus. Nam structorem appellat Martialis, quem *Cibicidam* veteres. Notum enim antiquis fuisse seruos, qui obsonium scinderent: quin & Magistros, qui obsonij carpendi artem docerent, ac profiterentur. Seneca plurib. locis. Plinius lib. X. Iuuenalis sat. XI. Vbi etiam *Structorem* nostrum cibicidam appellat, quemadmodum & Martialis, vt & satyr. V.

Structorem interea (ne qua indignatio desit)
Saltantem spectat, & chironomonta volanti
Cultello: donec peragat dictata Magistri
Omnia. Nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Cognoscis ex hoc loco, certis gestibus solitos structores illos obsonia scindere. Nam id ex arte. Vnde & ad symphoniam quandóque carpebant. Petronius, *Non minus & Trimalcio eiusmodi methodio latus, Carpe, inquit, Processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus lacerauit obsonium, vt putares Darium hydraule cantante pugnare.* Scissorem hic appellat Petronius, quem alij structorem. Sed idem alibi structorem à scissore distinguere videtur, & eum structorem appellare, qui fercula instruebat & disponebat. *Repositorium n. rotundum duodecim habebat Signa in orbe disposita, supérque propriū, conuenientemque materia*

structor imposuerat cibum. Nisi idem erat officium. Et hic propria vocis acceptione τραπεζοποιὸς Græcis dicebatur, & τραπεζοκόμος. Athenæus lib. IV. ζητητέον δὲ εἰ ὁ βασιλικὸς ὁ αὐτός ἐστι τῷ τραπεζοποιῷ. Ἰόβας γὰρ ὁ βασιλεὺς ἐν ταῖς ὁμοιότησι τὸν αὐτὸν εἶναί φησι τραπεζοκόμον, καὶ τὸν ὑπὸ Ῥωμαίων καλούμενον στρούκτορα, &c. Paulo post, ἐκάλουν δὲ τραπεζοποιὸν τὸν βασιλικὸν ἐπιμελητὴν, καὶ τῆς ἄλλης διακονίας. Structorum & scissorum meminerunt alij: & de iis notare occuparunt viri docti. *Diribitores* eosdem appellat Apuleius lib. II. Metam. *Diribitores plusculi splendide amicti: fercula copiosa.*

De *Prasino Venetoque*] Periculosum erat iis fauere, à quibus Principes alieni. De factionib. theatralib. & amphitheatralib. diximus antea. Hæ in Circo. Effusi autem toto studio sæpius potentiorum quidam ad alteram factionem. Iul. Capitolinus de Vero Imperatore, *Amauit & aurigas Prasino fauens.* Et paulo post: *Circensium tantam curam habuit, vt frequenter prouincialibus literas causa Circensium & miserit, & acceperit. Denique etiam præsens & cum Mario sedens, multas à Venetianis est passus iniurias, quod turpissime contra eos faueret.* Et quæ sequuntur. Totus populus hoc studio insanum arsit. Videndus Tertullianus lib. de Spectaculis. Iuuenal. sat. XI.

Totam hodie Romã Circus capit, & fragor aurem
Percutit, euentum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, mæstam attonitamq; videres
Hanc vrbem, veluti Cannarum in puluere victis
Consulibus.

Ausonius carmine de Ναὶ & Οὐ Pythagoreorum.

Hinc fora dissultant clamoribus, hinc furiosi
Iurgia sunt Circi: cuneati hinc læta theatri
Seditio.

Vbi commentator plane fallitur. A colore autem ita appellati sunt Veneti, Prasini, Rosei, Albi. Plenius de hac re Chorippus Africanus. Vnde Ouidius eleg. II. lib. III. Amorum.

Iamque patent iterum reserato carcere postes,
Et volat admissis discolor agmen equis.

Vide elegantem locum de hac re, apud Plin. epist. VI. lib. IX.

AD EPIGR. L.

Plange *fauor*] Fauor hîc propriè: vt & fauêre. De factionibus dicebamus modo. Inde fauere & fauor in circo, & theatris. Plaut. in Amphit. prologo. Ouid. initio eleg. II. lib. III. Amorum.

Non ego nobilium venio spectator equorum:
Cui tamen ipsa faues, vincat vt ille precor.

Ouid. lib. I. ματαιοτεχνίας.

Cuius equi veniant facito studiose requiras:
Nec mora, quisquis erit cui fauet illa, faue.

Tertullianus lib. de Spectaculis cap. XXV. *Imo in omni Spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ipse ille mulierum, & virorum accuratior cultus: Ipsa consensio, Ipsa in fauoribus aut conspiratio, aut dissensio; inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Plin. lib. VII. cap. LIII. *Felice russato auriga elato, in rogum eius vnum è fauentibus iecisse sese.* Cornel. Tacit. lib. II. histor. *Sed comitia Consulum cum candidatis ciuiliter celebrans, omnem infimæ plebis rumorem, in theatro vt spectator, in circo vt fautor affectauit.*

Mvtet *honor cultus*] .i. Magistratus & Principes ciuitatis cultum mutent, & quæ ad ornatum pertinent, deponant. Quod fieri solitum in luctu. Annulos & cætera eiusmodi ponebant. T. Liuius lib. IX. *Taberna circa forum clausa; iustitium in foro sua sponte coeptum prius, quam indictum; Lati claui, anuli aurei positi.* Ita in magnis quibusque calamitatibus. Lucanus lib. II.

Ergo vbi concipiunt quantis sit cladibus vrbi
Constatura fides superum, ferale per vrbem
Iustitium; Latuit plebeio tectus amictu
Omnis honor. Nullos comitata est purpura fasces.

Vestem etiam Senatoriam equestri veste quandoque mutabant. Dio lib. XL. Καὶ τὴν καὶ τὴν βουλὴν ἐσθῆτα καταθέσθαι καὶ τῇ ἱππάδι τὴν γερουσίαν, ὥσπερ ἐπὶ μεγάλῳ τινὶ πένθει, συναγαγόντες. Quare & in Commodo: παρήγγελλε ἡμῖν (τοῖς βουλευταῖς scil.) ἔν τε τῷ σχήματι τῷ ἱππάδι καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν ὅπερ οὐκ ἄλλως ποιοῦμεν, εἰσιόντες εἰς τὸ θέατρον, εἰ μὴ τινι τῶν αὐτοκρατόρων ὡς μεταλλάξει. Id fiebat quia hæc ornamenta εὐθυμίας insignia: vnde & cætera omnia recreationi dicata vitabantur. Euseb. lib. IV. de vita Constant. πένθος ἀρχῶν ἐποιοῦντο, λύπῃ δὲ ἀπαρηγόρητοι, καὶ ἀγοραὶ συνδέδεντο διὰ, καὶ πάνθ' ὅσ' ἐπὶ φαιδρότητι βίου τοῖς δὴ θυμουμένοις προστάττειν ἔθος ἦν. Matronæ etiam cultum suum deposuerunt. T. Liuius lib. XXXIV. *Quid aliud in luctu, quam purpuram atque aurum deponunt? quid cum eluxerunt sumunt?* Dionysius Halicarnasseus lib. VIII. Antiq. Rom. καὶ γυναῖκας αὐτῶν, ὁ νόμος ἐστὶν αὐτὰς ἐπὶ τοῖς ἰδίοις τε καὶ ἀναγκαίοις πενθεῖν κήδεσιν, ἀποθεμένας, χρυσόν τε καὶ πορφύραν, καὶ τὸν ἄλλον ἅπαντα κόσμον, μέλασιν ἀμφιασμοῖς χρωμένας, τὸν ἐνιαύσιον ἐπιθεῖναι χρόνον. & lib. IX. ἕως ἂν Ἀγρίππα Μενήνιον τε καταγαγόντες ἐκ τῆς φυγῆς τὸν δῆμον, καὶ διαλλάξαντες πρὸς τοὺς πατρικίους, ὃν ἀποθανόντα ἡ βουλὴ ἐκ τῶν δημοσίων χρημάτων λαμπροτάταις ἐκόσμησε ταφαῖς. αἱ δὲ γυναῖκες αἱ Ῥωμαίων ἐνιαύσιον ἐπέθεσαν χρόνον, πορφύραν καὶ χρυσὸν ἀποθέμεναι.

Mvnera *flammis*] Propriè Munera. Horatius od. XXVIII. lib. I.

Te maris & terræ, numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent Archita
Pulueris exigui prope littus parua Matinum
Munera.

Valerius Flaccus lib. III. Argon.

Et socios lustrate rogos, date debita cæsis
Munera, quæ nostro misisset Cyzicus igni.

Statius III. Syluarum.

Nos non arsura feremus
Munera: venturosque tuus durabit in annos
Me monstrante dolor.

Sueton. in Iul. Cæsare; *Præferentib. munera, quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est, vt omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus vrbis portaret in Campum.* Vnde & inferilia *Munera* dicit Ausonius præfatione Parentalium.

Annua ne tacitus munera prætereas
Quæ Numa cognatis solennia dedicat vmbris,
Vt gradus aut mortis postulat, aut generis.

Sic & *feralia munera* dicit Ouid. eleg. III. lib. III. Trist. Eodem modo δῶρα Græcis frequentissime. Nicarchus:

Ἀλλὰ κόρας τῷ παιδὶ λογάδα δῶρα φέρουσι
Θερμὰ δὲ ψυχρῷ δάκρυα χεῖτε τάφῳ.

Et ἐντάφια sæpissime. Xiphilinus in Seuero, καὶ μετ' αὐτοὺς οἵ τε ἱππεῖς καὶ οἱ πεζοὶ ὡπλισμένοι, οἵ τε ἀθληταὶ ἵπποι καὶ τὰ ἐντάφια ὅσα ὅ τε αὐτοκράτωρ καὶ ἡμεῖς, αἵ τε γυναῖκες ἡμῶν, καὶ οἱ ἱππεῖς οἱ ἐλλόγιμοι, οἵ τε δῆμοι, καὶ τὰ ἐν τῇ πόλει συστήματα ἐπέμψαμεν. Item: ἐς οὖν ταύτην τὰ ἐντάφια ἐνεβλήθη, καὶ ἡ κλίνη ἐνετέθη. Cæterum præter thus & cæteros odores, quæcumque poterant, coniiciebant in eorum rogum, quos honoratos

volebant. Vide Euripidem in Hecuba;& Suetonium in I. Cæsare, ac Dionem in funere Augusti. Nemesianus Eloga I.

Felix o Melibœe vale: tibi frondis odora
Munera dat, lauros carpens ruralis Apollo.
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omniaque ex arbore fruges.
Dat grandæua Pales spumantia cymbia lacte.
Mella ferunt Nymphæ, pictas dat Flora coronas;
Manibus hic supremus honos; dat carmina Musæ.

Vestes quandoque iniiciebant, & certe defunctorum vestes simul cremabant. Sil. Italicus lib. x.

Omnibus exequiis nudo, iamque Annibal vnus
Sat decoris laudator erat; fulgentia pingui
Murice suspirans iniicit velamina, & auro
Intextam chlamydem, & supremo affatur honore.

Lucianus de luctu: πόσοι γὰρ καὶ ἵππους, καὶ παλλακίδας, οἱ δὲ καὶ οἰνοχόους ἐπικατέσφαξαν, καὶ ἐσθῆτα, καὶ τὸν ἄλλον κόσμον συγκατέφλεξαν, ἢ συγκατώρυξαν, ὡς χρησομένοις ἐκεῖ, καὶ ἀπολαύσουσιν αὐτῶν κάτω. Diximus antea in togis fuisse crematos. Idem Lucianus eod. lib. καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι, προτίθενται, λαμπρῶς ἀμφιέσαντες, ἵνα μὴ ῥιγῷεν δηλαδὴ παρὰ τὴν ὁδὸν, μηδὲ γυμνοὶ βλέποιντο τῷ Κερβέρῳ. Habes τὸ ὅτι, & simul perstringit τὸ διότι, his verbis ὡς χρησομένοις ἐκεῖ, &c. & posteriori loco, ἵνα μὴ ῥιγῷεν. &c. Idem Lucianus in φιλοψευδεῖ satis docet existimasse homines sui temporis τοὺς μακαρίτας vestib. vti in inferis. Τὴν γυναῖκα πέπλον ἤδη ἀκριβῶς αὐτὰ ἐκεῖνα ἐπαμπεχόμενον, ἐν οἷς αὐτὴν κατέθαψα. Neque frustra addidit alio loco ἵνα μὴ ῥιγῷεν, &c. Existimabant enim mortuos absque vestibus rigere & frigore confici, & idcirco vestes non solum simul sepeliri; sed & comburi debere. Herodotus Musa v. ἔφη ἡ Μέλισσα ἐπιφανεῖσα ἔτι κατερέειν ἐν τῷ κέεται χώρῳ ἡ παρακαταθήκη. ῥιγοῦν τε γὰρ, καὶ εἶναι γυμνή. Τῶν γὰρ οἱ συγκατέθαψε ἱματίων ὄφελος εἶναι οὐδὲν, οὐ κατακαυθέντων. Res etiã defunctis charas, cum viuerent, simul cremabant, vt patet ex loco primo Luciani. Plin. epist. II. lib. IV. *Habebat puer mannulos multos, & vinctos, & solutos: habebat canes maiores, minorésque. Habebat luscinias, psittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidauit. Nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris.* Iosephus lib. XV. Iudaic. Orig. cap. III. de Herodis affectatione in Aristobuli, quem per insidias necari iusserat, exequiis. Τά γε μὴν εἰς πολυτέλειαν τῆς ἐκφορᾶς καὶ μᾶλλον ὑπερεβάλετο, πολλὴν μὲν τὴν παρασκευὴν περί τε τὰς θήκας καὶ τὸ πλῆθος τῶν θυμιαμάτων ποιησάμενος, πολὺν δὲ συγκαταθάψας κόσμον, ὡς ἐκπλῆξαι τὸ σφοδρὸν τῆς ἐν γυναιξὶν ἀλγηδόνος, καὶ παραμυθήσασθαι τούτῳ τῷ μέρει.

AD EPIGR. LI.

O TVNICATA *quies*] Quia in municipiis, tunicis potius, quam togis vtebantur, vt notat doctiss. Lipsius epist. v. lib. I. epist. quæst. Huc autẽ allusit Sidonius Apollinaris epist. vlt. lib. II. *Ilicet si horreis, apothecisque, seu penu impleta destinas illic vsque aduentum hirundinenum, vel ciconinum, Iani, Numæq; ningidos menses in otio fuliginoso, seu tunicata quiete transmittere, &c.*

AD EPIGR. LIII.

DVM *numerat palmas*] Sic Mamertinus Panegyr. Iul. *Itaque grandæuum iam Imperium videbitur his, qui non ratione dierum, aut mensium, sed operum multitudine, & effectarum rerum modo Iuliani tempora metientur.* Alexander apud Q. Curtium lib. IX. *Verũ ego qui non annos meos, sed victorias numero; si munera fortunæ bene computo, diu vixi.*

AD EPIGR. LIX.

VNO *si lemmate*] Notum quid dicatur λῆμμα apud Dialecticos. *Sumptio* quoque vulgo. At heic, & alibi apud Martialem, λῆμμα est τὸ ληφθὲν, ἢ τὸ ὑποκείμενον τοῦ ἐπιγράμματος, ἢ ἐπιγράμματος, ἢ ἄλλως ὅπως. Vnde Plin. epist. XXVII. lib. IV. *Nam lemma sibi sumpsit, quod ego interdum versibus ludo.* Nota *sumpsit*, λῆμμα εἴληφε. Sic Sidonius hac voce vsus epist. IX. lib. VIII. Ausonius non semel. Præfat. Idyll. VI. *Hanc ego imaginem specie, & argumento miratus sum. Deinque mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poetandi. Mihi præter lemma nihil placet.* Lemma erat. *Cupido cruci affixus.* Quemadmodum heic, IN DELICATVM LECTOREM. Lemma tituli dixit Ausonius præfat. Parent. *Sed quosdam solet commendare materia, & aliquotiens fortasse lectorem solum lemma sollicitat tituli: vt festiuitatẽ persuasus, & ineptiam ferre contentus sit.* Differt Titulus à Lemmate, non τῷ ὄντι, sed τῷ λόγῳ tantum. Nam Lemma idem est cum Titulo: Hoc differt, quod Titulus præcedit. Vnde etiam est titulus. Præcedit φύσει, quia est veluti materia, cui τὸ ἐπίγραμμα imprimitur. Secus in problemate dialectico: quod quidem φύσει prius est. (Est enim τὸ συλλογιστέον.) Sed τῇ τάξει posterius est. Nam est τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τεθέντων, tumque mutat nomen, ac vocatur συμπέρασμα.

MACELLO] Macellum generale primum. Varro lib. IV. de ling. Lat. *Hæc omnia postquam contracta in vnum locum, quæ ad victum pertinebãt, & ædificatus locus, appellatum Macellũ.* Sed postea in Macello & delicatiora, quemadmodum pisces vendebantur. Vnde M. Tullius lib. II. de diuinat. *Aut si Epicuri de voluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.* Plutarch. tamen quæst. Rom. Macella κρεωπώλια esse voluit. Διὰ τί κρεωπώλια Μάκελλα, καὶ Μακέλλας καλοῦσι. legendum puto, Μακέλλους. At in glossario, *Macellarius*, ὀψοπώλης. Sic, & Xyphilinus in Nerone. ταῦτα μὲν δὴ τοιαῦτα ἐποίει, ὡς δὴ ἑλληνίζων, καὶ τὴν ἀγορὰν τῶν ὄψων, τὸ Μάκελλον ὠνομασμένον, καθιέρωσε. Vide præterea Festum in hac voce. Suetonius in Iul. Cæsare: *Legem præcipuè sumptuariam exercuit, dispositis circa macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent, deportarentq́; ad se.* Et sane Macellum ἰχθυοπωλεῖον potius, quam κρεωπωλεῖον. Et pisces peculiariter ὄψα, vt docebimus lib. XI. Iuuenalis satyr. v.

Et iam defecit nostrum mare, dum gula sæuit
Retibus assiduis, penitus scrutante macello
Proxima: nec patitur Tyrrhenum crescere piscem.

MATTYA *sola*] Quid sit ματτύη, Athenæus & Eustathius docent. Tertullianus lib. de testimonio animæ, cap. IV. *Vocas porro securos, si quando extra portam cum obsoniis, & mattyis tibi potius parentans ad busta recedis, aut à bustis dilutior redis.* *Matteam* legimus apud Senecam lib. v. Controu. & Suetonium in Caligula.

AD EPIGR. LXI.

ANNVA *iusta dato*] τὰ νομιζόμενα. ἐνάγισμα appellant Pythagorei.

Τοὺς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας ἵστομα ῥίζων.

Nam φθιμένοις & ἥρωσιν ἐναγίζειν ἴδη, τοῖς δὲ θεοῖς θύειν, vt notat Herodotus. In his nugis libationes quædam effundebantur, χοαὶ ἐχέοντο, ad quas manes defuncti inuitabatur. Tragicorum fabulæ exemplis huius generis refertæ. Eximium illud, quod apud Æschylum, in Persis:

--- τῷ παιδὸς πατρὶ πρευμενεῖς χοὰς
Φέρουσ', ἅπερ νεκροῖσι μειλικτήρια,
Βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔποτον γάλα, &c.
Ἀλλ' ὦ φίλοι χοαῖσι ταῖσδε νερτέρων
Ὕμνους ἐπευφημεῖτε, τόν τε δαίμονα
Δαρεῖον ἀνακαλεῖσθε, γαπότους δ' ἐγὼ
Τιμὰς προπέμψω τάσδε νερτέροις θεοῖς.

Plutarchus de Dæmonio Socratis. ἐννοια πολλοῖς ἐπεισῆλθεν ὡς ἐπὶ ξένης ὁ Λύσις ἄλλως κεκήδευται, καὶ κινητέον ἐστὶν ἡμῖν, ὅπως ἐκεῖ μεταλάχῃ τῶν νομιζομένων. Τοιαύτη δὲ ἐννοίᾳ συνεπιφερόμενος, καὶ πρὸς τὸν τάφον εὐθὺς ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων ὁδηγηθεὶς, ἑσπέρας ἤδη χοὰς ἔχεον αὐτῷ, ἀνακαλούμενος τὴν Λύσιδος ψυχὴν καταθεσπίσαι, ὅπη ταῦτα ποιητέον. *Multis in mentem venit, Lysidem in peregrino solo aliter funeratum esse: & in patriam transferendum nobis illum, vt ibi iusta perciperet. Hoc igitur cum ita cogitassem, & ad sepulcrum è vestigio ab indigenis perductus essem, vespertinis iam horis libamina fudi, Lysidis animam vocans, quomodo hæc fieri oporteret, responsuram.* Vinum, mulsum, & cæteras libationes defodiebant, & quosdam cibos cremabant. Habes τὸ ἔνα, & τὸ δεῖπνα, apud Lucianum, ἐπὶ Νεκυομαντείαν. Nempe existimabant defunctorum animas ad has libationes excitari, easque auide sorbere, & cibos vorare. Τί οὖν ἐκεῖνοι στεφανοῦσι τοὺς λίθους, & χρίουσι μύρῳ; οἱ δὲ καὶ πυρὰν νήσαντες, πρὸ τῶν χωμάτων & βόθρον τινὰ ὀρύξαντες, καίουσί τε ταῦτα τὰ πολυτελῆ δεῖπνα, καὶ εἰς τὰ ὀρύγματα οἶνον καὶ μελίκρατον, ὡς γοῦν εἰκάσαι, ἐγχέουσι; Ἑρ. οὐκ οἶδα, ὦ πορθμεῦ, τί ταῦτα πρὸς τοὺς ἐν ᾅδου. πεπιστεύκασι δ' οὖν τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν, δειπνεῖν μὲν, ὡς οἷόν τε, περιπετομένας τὴν κνίσσαν, & τὸν καπνὸν, πίνειν δὲ ἀπὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον. Videndus & Homerus Ὀδυσ. λ. Atque plura olim obseruaueramus in hunc locum, quæ in Digressionum libros reijcienda existimauimus.

AD EPIGR. LXII.

NOTARIVS *velox*] De notarijs diximus supra. Hîc Notarius, magister ipse, qui notare docet. Prudentius περὶ στεφάνων.

Præfuerat studijs puerilibus, & grege multo
Septus magister litterarum sederat.
D *Verba notis breuibus comprendere cuncta peritus,*
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.

Theodoritus lib. IV. hist. Eccles. cap. XVIII. μειρακίων κατέστη διδάσκαλος, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν χρόνον τε εἰς τάχος ἐδίδασκε, καὶ τὰ θεῖα ἐξεπαίδευεν λόγια. Dicit γράφειν εἰς τάχος, id est, ταχυγραφεῖν, vt notauimus epigr. LIII. lib. V.

IVLIVS *coquit messem*] Persius:
—— Insana canicula messes
Iamdudum coquit.

Ausonius:
Iulius & segetes coquat, & mare temperet Euris.

SCYTHÆ *pellis*] Pro Scythicæ. Æschylus, σκύθην εἰς οἶμον.

LORIS *horridis*] Sed asperiora illa lora aluta quandoque obtegebantur. Ausonius protreptico ad Nepotem.
—— Quod fallax scuticam prætexit aluta.

Appellat lorum illud horridum aluta prætextū, A scuticam. Plutarchus in Pompeio: Λόγος ἀφεῖσθαι ὡς ὁ Σερτώριος κατὰ τὸ Γαμήλιον δίαιταν, καὶ σκύτινον ἔλαχε σῴζεσθαι αὐτῷ δῆθεν & σκύτεσι ἐπὶ τὸν τοῖς διατεθέν. Epiphanius ἱμάντα dicit Hæresi XXXIII. ἀλλὰ τῷ μὲν ὑποτεταγμένῳ διὰ ἁπλῆν παιδεία χρῆται: παιδὶ δὲ μείζονι διὰ χρὸς ῥαπίσματος μεταχειρίσῃ διὰ ἱμάντος ναρθήκων διὰ ῥάβδου, ἀνδρὶ δὲ ἐκδίκοις τῶν μειζόνων παραπτωμάτων μάχαιρα διὰ νόμου.

FERVLÆQVE *tristes*] *Minaces* Columellæ, lib. X.

Tempore non alio vili quoque salgama merce,
Capparis, & tristes inulæ, ferulæque minaces
Plantantur.

SCEPTRA *pædagogorum*] Ausonius protrept. ad Nepotem.

Quod sceptrum vibrat ferula: quod multa supellex
Virgea.

B En vero sceptrum Dionysio παιδαγωγεῖν Corinthi docente dignum.

AD EPIGR. LXIII.

BIS *mea Romano*] Quia bis potuerat videre ludos seculares, celebratos scil. à Claudio, & Domitiano. Nam D. Claudius ludos seculares celebrauit, non expectato tempore legitimo. Duplicem igitur vitam vixit hæc matrona. Siquidem vna hominis ætas hos ludos semel tantum spectare poterat. Vnde Præco, cùm ad eos populum inuitaret, ludos esse dicebat, *quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset.* Suetonius in D. Claudio. Herodian. lib. III. κήρυκες γοῦν κατά τε τὴν Ῥώμην, & τὴν Ἰταλίαν διεφοίτων καλοῦντες ἥκειν, & θεασομένους, ἃ μήτε εἶδον, μήτε ὄψονται. C Allusit Claudianus Panegyr. de IV. Consulatu Honorij.

Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos,
Circumflexa rapit centenus secula Consul.

Lego, *Spectandósque.* Nam ita in verbis Præconis.

AD EPIGR. LXVII.

PYRRHÆ *filia*] Myrinus:

— ἔχις δ' οὐ τοῖς ἐκαστοῖς
Δὶς πάππος, τρυφερῶν πεντακέρων Ἑκάβη.
Σισύφου ὦ μάμμη, καὶ Δευκαλίωνος ἀδελφή,
Βάπτε δὲ τὰς λευκάς, & λέγε πᾶσι τατᾶ.

AD EPIGR. LXIX.

HOC *est vxorem*] id est, Hoc modo vxores ducunt viros, non viri vxores, & Viri nubunt vxoribus, non vxores viris: atque inuerso ordine parent viri, mulieres contra imperant. Sententia simplex, & aperta.

AD EPIGR. LXX.

SIGNAT *mea gemma*] Atteius Capito: *Postea vsus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis cœpit insculpere: & certatim hæc omnis imitatio lacessiuit, vt de augmento pretij, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur. Hinc factum est, vt vsus annulorum exemptus dextera, qua multum negotiorum gerit, in læuam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu, & officio manus dextra, pretiosi lapides frangerentur.* Eadem pene Plinius.

AD

AD EPIGR. LXXII.

Frustra *blanditiæ*] κολακεία. Seneca lib. III. de Ira, cap. XIV. *Occasionem blanditiarum putauit, pectus filij in duas partes diductum, & cor sub vulnere palpitans.* Et Seneca Pater Suasoria. *Aiebat itaque apud Alexandrum dicendam esse sententiam, vt multa adulatione animus eius permulceretur. Seruandum tamen aliquem modum, ne nobis accideret tale aliquid, quale accidit Atheniensibus, cum publicæ eorum blanditiæ, non tantum deprehensæ, sed & castigatæ sunt.* Val. Maximus lib. VI. cap. III. *Athenienses autem Timagoram inter officium salutationis Darium Regem more gentis illius adulatum, capitali supplicio affecerunt: vnius ciuis humilibus blanditijs, totius vrbis suæ decus Persicæ dominationi submissum grauiter ferentes.* Suetonius in Augusto: *Dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco passus est, atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* Differunt tamen aliquo modo, *blanditiæ* ab *adulatione*. Cornelius Tacitus lib. I. histor. *Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuique vtilitas.* Differunt autem, quia Blanditiarum nomen blandius est, & minus asperum fœdo adulationis nomine. Sic ἀρέσκειαν Græci, ἀντὶ τῆς κολακείας, acceperunt. Athenæus lib. VI. ταύτην δὲ τὴν κολακείαν νῦν ἐκτρεπόμενοι τοὔνομα, ἀρέσκειαν προσαγορεύουσιν, ὡς & Ἀναξανδρίδης ἐν Σαμίᾳ, τὸ δὲ κολακεύειν νῦν, ἀρέσκειν ὄνομ' ἔχει. Polybius lib. V. ἐπ' ἄλλην τινὰ ὑπερβολὴν ἀρεσκείας, στεφάνοις & θυσίαις & βωμοῖς, καὶ πᾶσι τοῖς τοιούτοις ἔτιμων ἀμφοτέρους τοὺς Πτολεμαίους.

Dicturus *Dominum Deumque non sum*] Quod antea ipsi erat perquam familiare, vt patet ex præcedentibus libris. Addit, *Ad Parthos procul ite.* Nam eiusmodi appellationes apud eos solemnes. Heliodorus lib. V. Æthiop. histor. καὶ τὸν βασιλέα, τὸν μέγιστον θεὸν, καὶ φαίνεσθαι, καὶ ὀφθαλμοῖς ἄξιον. De Persarum in Reges obsequio plusquam seruili passim scriptores. Cicero ad Atticum Epist. VII. lib. X. *Nam cædem video, si vicerit, & impetum in priuatorum pecunias, & exulum reditum; & tabulas nouas; & turpissimos honores; & regnum, non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile.*

Parthos *pileatos*] Parthi enim & Persæ pileati, cum cæteræ gentes pileis raro vterentur, vt animaduertere occuparunt summi viri. Adrianus Turnebus & Iustus Lipsius. De Persis autem Herodotus in Thalia: vbi dicit Persas ἀσθενέας φορέειν κεφαλάς, ὅτι σκιητροφέουσι ἐξ ἀρχῆς, πίλους τιάρας περιέοντες.

Pictorum *sola basiare*] Hæc consuetudo notatur à Seneca lib. II. de Benef. cap. XII. *Cæsar dedit vitam Pompeio Penno, si dat, qui non aufert: Deinde absoluto, & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant eum, negant id insolentiæ caussa factum. Aiunt socculum auratum, imo aureum, margaritis distinctum ostendere eum voluisse. Ita prorsus: Quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum, & margaritam osculatus est, & alioquin nullam partem corporis eius electurus, quam purius oscularetur? Homo natus in hoc, vt mores liberæ ciuitatis Persica seruitute mutaret, parum indicauit, si Senator senex submissis honoribus, &c.* Sic enim distinguendus hic locus. Sub finem capitis legitur. *Parum enim fœde furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri socceatus audiebat; nisi in os Senatoris ingessisset Imperator pigres suos.* Quædam exemplaria habent, *Pictos soccos*, & fortasse bene. Vnde Picti reges hoc loco. His autem

A verbis innuit Martialis seruiles istas venerationes à Parthis ad Romanos manasse; quod obseruabat etiam Philo de legatione ad Caium Caligulam; ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ βαρβαρικὸν ἔθος εἰς Ἰταλίαν ἤγαγεν, τὴν προσκύνησιν, τὸ εὐγενὲς τῆς Ῥωμαϊκῆς ἐλευθερίας παραχαράττων. Nota προσκυνεῖν: Nam sane dictio est hac in re propria. Æmilius Probus in Conone: *Necesse est, si in conspectum veneris, venerari te Regem, quod προσκυνεῖν illi vocant.* Nempe προσκυνεῖν est προσπίπτοντα κυνεῖν, id est turpem, humilem ac proiectum basiare & adorare. Q. Curtius lib. VIII. *Itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora.* Lampridius in Alexandro Seuero: *Ipse adorari se vetuit, cum iam cœpisset Heliogabalus adorari Regum more Persarum.* Aristoteles in Rhetor. lib. I. cap. V. docet eleganter alia esse honorum genera apud Græcos; alia apud

B Barbaros: Apud illos, θυσίαι, μνῆμαι ἐν μέτροις, & ἄνευ μέτρων, &c. τὰ δὲ βαρβαρικὰ, προσκυνήσεις καὶ ἐκστάσεις.

Sola] Lucretius:

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo.

Summus Scaliger hanc vocem reponit in hoc Varronis loco, lib. IV. de ling. Lat. *Igitur terra tera, & ab eo poëtæ appellarunt summa terræ, quæ sola teri possunt, sola terræ* Rescribit, *Quæ solo teri possunt.* Sed, pace tanti viri dixerim, nihil heic mutandum existimo. Nam re vera, sola terræ superficies teri potest. Accedit loquutio, *Quæ solo teri possunt.* Nam alias scripsisset potius, *Quæ solo teruntur.* Id enim absque vllo τῷ δυνατῷ modo potius enunciandum. Præterea hæc non recedunt à Varronis acumine. Et istane etymologia minus acuta, ne dicam minus vana, *Vnde sumi pote puteus?* Omit-

C to sexcentas alias, quarum nollem Varronem doctissimum Romanorum esse auctorem.

AD EPIGR. LXXIII.

Vellet *Mæcenas*] Iuuenalis satyr. XII.

Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam.

AD EPIGR. LXXIX.

Vicus *fuit ille magister*] Sueton. in Tiberio, *Dedit & legata plerisque. Inter quos virginibus Vestalibus, ac militibus vniuersis, plebique Romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.*

AD EPIGR. LXXXIII.

Cida *stare*] Quid si legas, *Sic adstare putabis, &c.*

D AD EPIGR. LXXXVII.

Cœnatoria] Cœnatoria dicit, quemadmodum alij *forensia* dixerunt, vestes quibus vtebantur foris. *Lugubria* quoque dixit Seneca, vestes lugubres, Consolat. ad Albinam, cap. XVI. *Forensem habitum* appellauit forensia, Ausonius Ephemeride.

Habitum forensem da puer,
Dicendum amicis est, Aue.

Vbi male Elias Vinetus. *Forensem habitum* dicit Ausonius, quo vtebantur foris, quique distinguitur à domestico. Forensem vestitum dicit M. Tull. lib. de finib. II. Sic, & *forensẽ sermonẽ* dixit Apul. Milesi. I. quẽ alibi *exoticũ* appellat. Cæterum, *vestem cœnatoriam* plene dixit Iul. Capitolinus in Maximino Iuniore. *Ipse puerulus, cum*

ad cœnam ab Alexandro esset rogatus in patris honorem, quod ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit. στολὴν δειπνῖτιν appellauit Dio in Adriano. ἔτι τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, ὥσπερ εἶχεν, ἐς τὸ δικαστήριον αὐτὴν ἐσῆλθε.

AD EPIGR. XCVII.

I AM *scrobe*] Suetonius in Nerone; *Tunc vnoquoque hinc inde instante, vt quàm primum se impendentibus contumelijs eriperet, scrobem coram fieri imperauit, dimensus ad corporis sui modulum.* Sidonius epist. XII. lib. III. *Campus autem ipse dudum refertus tam bustualibus fauillis, quam cadaueribus, nullam iam diu scrobem recipiebat.* Vereor ne à vanitate Græca, quod Etymologus auctor scribit in voce Ἠρία· τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς ἔθαπτον, μήτε σοροῖς, μήτε χαλκῷ κεχρημένοι.

AD EPIGR. CIII.

D O M I N Æ *Romæ*] Sic Epigr. IV. lib. I. *Dominam vrbem* appellat Nemesianus, ecloga I.

Nam sic dulce sonas, vt te placatus Apollo
Prouehat, & felix dominam perducat ad vrbem.

Et II.

Tityrus è syluis dominam peruenit ad vrbem.

DESIDERII HERALDI ANIMADVERSIONES

AD LIBRVM XI. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPIGR. II.

REGVLA *morum*] Censura. Sic *Censoriam regulam* dixit Ausonius in Professf. carm. II. A

Mensa nitens, quam non censoria
regula culpet.

Præfecturam morum appellauit Suetonius in Iul. Cæsare, Et eodem modo *Indicemmorum* censorem dixit Iuuenalis.

AD EPIGR. VII.

VNCTIS *diebus*] Nam festis diebus vnguenti plurimus vsus. Et in ipsa castra hæc voluptatis lenocinia penetrauere. Plin. lib. XIII. cap. III. *Maxime tamen mirum est, hanc gratiam penetrasse & in castra. Aquilæ certe, & signa puluerulenta illa, & custodiis horrida, inunguntur festis diebus.* Quid autem Saturni feriis vnctius? Quando cœnæ vnctiores & elegantiores? B

PILEATA *Roma*] Seneca epist. XVIII. *Nam quod fieri nisi in tumultu, & tristi tempore ciuitatis non solebat, voluptatis causa ac festorum dierum vestem mutauimus. Si te bene noui, arbitri partibus functus, nec per omnia nos similes esse pileatæ turbæ voluisses, nec per omnia dissimiles.*

AD EPIGR. IX.

SERICA *prelis*] Vide quæ notauimus ad epigr. XLVI. lib. II. Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Dein cum à Syluani lauacro, vel Mammeæ aquis ventitant sospitalibus, vt quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat, quæ vna portantur sufficientes ad induendos homines vndecim, &c.*

AD EPIGR. XIIII.

NOLI *n. præterire marmor*] Ouidius:

Quosque legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.

AD EPIGR. XVII.

TARTESS. *manu*] Meminit antea Bæticorum κρουμάτων.

SIS *Patauina licet*] Plinius epist. XIV. lib. I. *Habet auiam maternam Serranam Proculam, e municipio Patauino. Nosti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoque seueritatis exemplum est.*

AD EPIGR. XIX.

NVCE *picata*] Nempe, quia dolia picabantur. Patet ex Plinio, Columella, & aliis.

HOC *Labullæ verum est?*] Terentius. *Ab! idne verum est?*

AD EPIGR. XXXIII.

NEC *toga, nec focus est*] Describit hoc epigrãmate Martialis insignem non paupertatem, sed extremam inopiam ac mendicitatem, nec dubito quin Aristophanem imitari voluerit in Pluto: vbi πενίαν à πτωχεία eleganter distinguit.

NEC *toga*] Sed vilis aliquis pannus. Sic apud Aristophanem dicit ille hoc nos, à paupertate habere, ἀνθ' ἱματίου μὲν ἔχειν ῥάκος.

NEC *focus*] De foco nihil expresse apud Aristophanem; sed aliquid eiusmodi. Obiicit Chremylus Peniæ: σὺ γὰρ ἂν πορίσαι τί δύναι' ἀγαθὸν, πλὴν φῳδῶν ἐκ βαλανείου; *Tu quid aliud dare possis, quam pustulas è balneo?* Nam pauperes quod foco carerent, & male vestiti essent, in balneis noctes transigebant: & inde φῳδῶνες ἤγουν φλύκταιναι.

NEC *tritus cimice lectus.*] Atqui lectum eiusmodi mendico non negat Aristophanes: ἀντὶ δὲ κλίνης στιβάδα σχοίνων κορέων μεστήν. C

NEC *tibi de bibula sarta palude teges.*] Sed nec tu tegetem habes pro peristromate & stragulo. φορμὸν dicit Aristophanes.

καὶ φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρόν.

ET *in populo quæris habere locum.*] Nam vulgus τὸν δῆμον, populum definiebat, τοὺς πένητας τῶν πολιτῶν, pauperes ciues, vt docet Xenophon ἀπομνημον. lib. IIII.

NON *est paupertas*] Aristophanes:

πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστιν μηδὲν ἔχοντα.
τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα.
περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν.

AD EPIGR. LX.

SI *Tyrios sumpsi cultus*] Hic cultus solutiorum & lasciuiorum. Athenæus lib. XII. καὶ ἡ Ἀθηναίων πόλις ἕως ἐτρύφα, μεγίστη τε ἦν, καὶ μεγαλοψυχοτάτους ἔτρεφεν ἄνδρας. ἁλουργῆ μὲν γὰρ ἠμπίσχοντο ἱμάτια, ποικίλους δ' ὑπεδύοντο χιτῶνας. Lucianus de sectis: ὄψει γυναῖ τινὶ εἰς μακρὰν, ὑπὸ πόρφυρα, ὥσπερ ταῶ, λάσιον, καὶ βαθὺν, ὑπὸ διαφανὲς κεκολασμένην, ἀλλ' αὐτὰ ταῦτα, καὶ ἰδοῦ θερα. τάχα δὲ καὶ προσειδὲς μὲ τεθρυφάσομαι, ὡς εἰδοῖεν ἅπαντες, οὐ μικροῦ μισθοῦ λοιπὸν οἰκείων μάτιον. Et Dicæarchus. ΑΡΕΤΗ. πότερον ἐμὲ χρὴ λέγειν τὴν Ἀρετὴν, ἐμὲ γὰρ ἔσθ' ἀείστατος, ὡς δηλοῦσιν οἱ λόγοι, καὶ τὰ ἔργα. ΤΡΥΦΗ. ὑμέναιοῦ. ἀλλ' ἐμὲ τὴν τρυφήν. ἐμὸς γὰρ ὁ ἀνὴρ, ὅς ἐστιν ὁρᾶ, ἀπὸ τῶν τρυφῶν, καὶ τὸ πρόσωπον, καὶ τὸν μύρον.

Sil. Ital. lib. XV.

Hinc Virtus, illinc virtuti inimica Voluptas,
Altera Achæmineum spirabat vertice odorem,
Ambrosias diffusa comas, & veste refulgens
Ostrum quam fuluo Tyrium suffuderat auro, &c.

ADSTRICTA *fronte*] Constricta fronte. Petronius.

Quid me spectatis constricta fronte Catones?

AD EPIGR. XLVI.

CELLÆ] Gloss. *Cella*, οἴκημα. Seruulorum propriereceptacula, & partes ædium abstrusiores, vbi serui habent, Cellæ dicuntur. Val. Maximus, lib. VII. cap. VI. *Eadem cellis seruilibus extracta corpora.* Et ædiculæ ac tenebræ pauperum. Apul. Miles. IX. *At ego misera & pernox, & per diem lanificio neruos meos contorqueo, vt intra cellulam nostram saltem lucerna luceat.* Legendum existimo, *at ego misera & pernox & perdia, &c.* Sic enim & lib. V. *Et perdia, & pernox, nec inter amplexus desinis cruciatus.* Sic dicitur A. Gellio Socrates *stare solitus perdius atque pernox*. Sed cellæ sæpe cubilia meretricum, φωλεοὶ ἑταίρων. Auctor Dialogi de causs. corrupt. eloq. *Iamprimum suus cuique filius ex casta parente natus; non in cella emta meretricis, sed gremio ac sinu matris educabatur.* Sic οἴκημα Græcis, teste Hesychio. Athenæus lib. XIII. καὶ Φιλήμων δ' ἐν Ἀδελφοῖς, προσιστορεῖ ὅτι πρῶτος Σόλων, διὰ τὴν τῶν νέων ἀκμὴν, ἔστησεν ἐπὶ οἰκημάτων γύναια πριάμενος, καθὰ καὶ Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιος ἱστορεῖ ἐν τρίτῳ Κολοφωνιακῶν, φάσκων αὐτὸν καὶ πανδήμου Ἀφροδίτης ἱερὸν πρῶτον ἱδρύσασθαι, ἀφ' ὧν ἠργυρίσαντο αἱ προστᾶσαι τῶν οἰκημάτων. τέγος proprie & τέγος. Iustinus Martyr Apolog. II. καὶ ἐκείνην ζωὰ, τὴν συμπεριεστηκέναι αὐτῷ κατ' ἐκεῖνο τὸ καιροῦ, προτρέπει ἐπὶ τέγους καθίσασα ἐν τόπῳ τῆς Φοινίκης τὴν ὑπ' αὐτοῦ ἔννοιαν πρώτην ἐξηγημένην λέγουσι. Clemens Alexandrinus Stromat. III. αἱ προεστῶσαι τὰ τέγους πόρναι, αἰδοῖον εἰσδεχόμεναι τοῖς βουλομένοις ἅπαντας. Erant autem *Cellæ*, non ipsa lupanaria, sed receptacula in lupanaribus: in quibus erant plures cellæ, tanquam cubicula, vbi scorta prostabant. Suetonius in Caligula; *Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit, distinctisque & instructis, pro loci dignitate, compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent.* Dio de hac re lib. LIX. ἔστι οὖν ὁ Θεὸς, ἐστὶ ὁ Ζεὺς, ἵνα ὡς πάντα ἄλλα τὰ αἰσχρὰ. ἐξ ὧν ἠργυρίζετο, παρελίπω, ἀλλὰ, τὰ οἰκήματα τὰ ἐν αὐτῷ τῷ παλατίῳ ἀποδειχθέντα, &c. Vbi Xylander οἰκήματα male interpretatur Lupanaria. Peccatur quoque in hac voce apud Xiphilinum in Nerone. ἐν μὲν τῷ μέσῳ, καὶ ἐπὶ τῷ ὕδατι τὸ συμπόσιον ἐπὶ ξύλινα τὰ μεγάλα ἐσκευάσθη, καὶ ἐπ' αὐτοῦ σανίδες ἐπεπήγνυντο. πέριξ δὲ περὶ

A αὐτὸ, καπηλεῖα καὶ οἰκήματα ἐπεποίητο. Vnde paulo post: τοῖς δὲ δὴ ἄλλοις πάντας ἐν τοῖς καπηλείοις ἐδίδυμεῖ ἐδεῖν, ἐπί τε πόρνας εἰσιόντων, καὶ συνεῖναι πάσας αἰδοῖον ἀπελθεῖν τῆς ἐπαύθα καθεσθείσας. Cellæ autem præfixos habebant titulos, vbi nomina meretricum, quæ ibi merebantur, inscripta erant, ita vt qua quæque cella staret, ex inscriptione nosse posses. Iuuenalis satyr. VI. de Messallina.

Et nigrum flauo crinem abscondente galero,
Intrauit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuã, atque suam: Tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lycisca

Hanc igitur inscriptionem *Titulum* appellabant. Seneca pater Contron. II. lib. I. *Deducta es in lupanar: Accepisti locum: Pretium constitutum est, Titulus inscriptus est.* Iterum. *Meretrix vocata es, In communi loco stetisti, Superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti.* Hinc etiam intelligendus hic locus ibid. *Stetisti cum meretricibus. Stetisti sic ornata, vt populo placere posses, ea veste, quam leno*
B *dederat. Nomen tuum pependit in fronte.* Frontem cellæ dicit. Hinc Petronium explicabimus, & fortasse emendabimus. *Cum ego negarem me cognoscere domum, video quosdam inter virulos, nudasque meretrices furtim conspatiantes. Tarde, imo iam sero intellexi, me in fornicem esse deductum. Execratus itaque aniculæ insidias, operui caput, & per medium lupanar fugere cœpi in aliam partem.* Hic pro *Quosdam inter virulos*, legendum existimo, *Quosdam intus titulos*. Et sane annotant in quibusdem codicibus legi *Titulos*, pro *Virulos*. Intellexit igitur, in lupanar esse se deductum, ex titulis, qui intus erant affixi, singulis scilicet cellis. Addit Petronius: *Nudasque meretrices furtim conspatiantes.* Nescio an legendum, *Nudasque meretrices confer-*
C *tim spatiantes.* In lupanaribus meretrices nudæ sæpius. In cellis sane suis nudæ stabant, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Iuuenalis satyr. XI.

——— *Audiat ille*
Testarum crepitus, cum verbis, Nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet.

Xiphilinus in Heliogabalo. καὶ τέλος ἐν τῷ παλατίῳ οἴκημά τι ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε, γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς ὥσπερ αἱ πόρναι, καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον, σείων, τούς τε παριόντας, ἁβρᾷ τε καὶ κεκλασμένῃ τῇ φωνῇ προσεκαλεῖτο. Vnde etiam Iuuenalis loco anteà citato de Messallina,

——— *Tunc nuda papillis*
Constitit auratis.

Hinc & Xenarchus πετάλοις.

ἐπὶ τοῖς προσήλοις μάλ' ἑξῆς ὀρθάς
εἱληκυίας, στέρνα' ἠμφιεσμένας,
γυμνὰς ἐφεξῆς.

D Papillas & τὰ στέρνα amiciebant, cætera nudæ erant bellæ illæ lupæ. Vnde, & inauratæ Messallinæ papillæ. Et omnibus sane vinctæ mulieribus. Lucianus in Amoribus: ταῦτα δὲ τὰ ἐκ τῆς αὐτῆς γυναικωνίτιδος τὸ πρόσωπον. χωρὶς τῶν ἀμόρφους περιπεπλεκότων μαζῶν, ὡς ἀεὶ ἀδελφίζουσι δεσμώτας. Solæ igitur papillæ obtegebantur, quæ & aliquando nudabantur. Hinc Apuleium intelliges lib. X. *Tunc illa cunctis prorsus spoliata tegmine, tænia quoque, qua decoras deuinxerat papillas, lumen propter adsistens, &c.* B. Hieronymus de vitando suspecto consortio: *Papillæ fasciolis comprimuntur, & crispante cingulo angustius pectus arctatur.* Cæterum nudæ stabant meretriculæ, vt eas inspicere possent amatores, ne qua occulta labe fallerentur. Philemon.

ἔστασι γυμναὶ, μὴ 'ξαπατηθῇς πάνθ' ὅρα.

Soluebant autem ganeones statim cum ingrede- A
rentur, mercedem cellæ pretium, vt loquitur Petronius. *Iam pro cella meretrix assem exegerat.* Iuuenalis satyr. VI.

——Voce

Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit.

Æra dicit, *Capturam*. Sic enim turpem illum quæstum Latini appellarunt. Glossarium, *Captura*, ἐμπολή. Xiphilinus in Heliogabalo. χρήματά τε παρ' αὐτῶν συνέλεγε, καὶ ἐγαυροῦτο ταῖς ἐμπολαῖς. Quare *captura* ἐμπολή, clarum vel hoc solo Theodoriti loco, lib. I. hist. Eccles. cap. XXII. γύναιον γὰρ ἑταιρικὸν τὴν ὥραν ἀπημπολημένον μισθωσάμενοι, καὶ ἐλπίδας αὐτῆς ἀποδίδοσθαι πείσαντες, συνῆλθον εἰς τὸ συνέδριον. Vnde Scholia Sophoclis ad hunc Aiacis locum.

ὦ φίλτατ' Αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμμ' ἐμοί,
ἆρ' ἠμπόληκας, ὥσπερ ἡ φάτις κρατεῖ;

Scholia, ἠμπόληκας, ἀντὶ ἐμπόλησας· ἐκέρδανας. καὶ ἐπὶ φαύ- B
λου λέγεται. ἐμπορικῶς δέ, ἀντὶ τοῦ ἐτελεύτησας.

LASCIVA *acu*] Tertull. de Virginibus velandis, cap. XII. *Simulque se mulieres intellexerunt, de virginibus educuntur, à capite quidem ipso deponentes quod fuerunt, vertunt capillum, & acu lasciniore comam sibi inserunt.*

AD EPIGR. XLVIII.

NEC *p. Inachidos limina*] In Isidis templis, & in theatris multa adulteria, & corruptelæ patrabantur. Historia vulgata est, quæ apud Iosephum Iudaïc. Orig. lib. XVIII. Ouid. II. Amorum eleg. II.

Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isim
Quæsieris, nec tu curua theatra time.

Et lib. II. de Arte amandi.

Nec fuge Niligenæ Memphitica sacra iuuencæ, C
Multas illa facit, quod fuit ipsa Ioui.

Et lib. III.

Quid faciet custos, cum sint tot in vrbe theatra?
Cum spectet iunctos illa libenter equos?
Cum sedeat Pharia sacris operosa iuuencæ?
Quoque sui comites ire iubentur, eat?

Iuuenalis satyr. VI.

—— Iamque expectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.

Et in alijs multis templis hæ corruptelæ. Iuuenalis satyr. IX.

Nuper enim, vt repeto fanũ Isidis, & Ganymedem
Pacis, & aduectæ secreta palatia Matris,
Et Cererem (Nã quo non prostat fœmina templo?)

Tertull. Apologet. cap. XV. *Cæterum adijciam quæ non minus conscientia omnium recognoscent, in tem-* D
plis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque æditiuorum & sacerdotum tabernaculis, sub ijsdem vittis & purpuris thure flagrante libidinem expungi, nescio plusne de vobis Dij vestri, quã de Christianis querantur. Isis tamen negandi occasionem quandoque dabat: quia eius sacris operaturæ secubabant. Ouid. eleg. VIII. li. III. Amorum.

Quid nos sacra iuuant? Quid nũc Ægyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?

Et eleg. VIII. lib. I.

Sæpe nega noctem: Capitis modo finge dolorem:
Et modo, quæ caussas præbeat, Isis erit.

Sic & in Cereris sacris secubabant. Ouid. III. Amorum, eleg. IX.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri,
Secubat in vacuo sola puella toro.
Flaua Ceres tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda nostra tuis?

Post:

Hanc quisquam lacrymis lætari credat amantum?
Et bene tormentis, secubituque coli?

Post συνουσίαν Deos adire non poterant, nisi religione purificati. Ouid. III. Amorum, eleg. VI.

A tenera quisquam sic surgit mane puella,
Protinus vt sanctos possit adire Deos?

Vnde elegans illud Pythagoræ dictum apud Iamblichum, lib. I. de vita Pythag. cap. XI. ἔτι δὲ τὸ περιβόητον γενόμενον ἀποφθέγξασθαι κατὰ τὴν σύνοδον, ὡς ἀπὸ μὲν τοῦ συνοικοῦντος ἀνδρὸς, ὅσιον δεῖν αὐθημερὸν προσιέναι τοῖς ἱεροῖς. ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ προσήκοντος, οὐδέποτε. *Præterea in conuentu isto illud dixisse perhibetur, quod postea celeberrimum fuit, & crebro vsurpatum, Vxorem à viri sui latere eodem posse die sanctè ad sacra accedere: ab alieni vero, & ad se nihil pertinentis, latere, nullo vnquam tempore.* Sic enim explicandus hic locus.

AD EPIGR. LXIX.

SILIVS *hic magni*] Huius pietatis meminit & Plin. epist. VII. lib. III. *Vergilij ante omnes, cuius natalem religiosius, quam suum celebrabat,* (Silius scil.) *Neapol. maxime, vbi monumentum eius adire, vt templum, solebat.*

AD EPIGR. L.

CADIT *aure lapis*] Hæc ars notata etiam Magistro amandi lib. I. ματαιοτεχνίας.

Quid cum mendaci damno mæstissima plorat?
Elapsusque caua fingitur aure lapis?

De lapillis, quibus aures onerabant mulieres, nihil obseruari potest, quod non sit peruulgatum. C
Plures autem vniones quandoque coniungebãt. Seneca lib. VII. de Benef. cap. IX. *Video vniones non singulos singulis auribus comparatos: Iam enim exercitatæ aures ferendo oneri sunt. Iunguntur inter se, & insuper alij binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina, ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* Plin. lib. IX. cap. XXXV. *Elenchos appellant fastigiata longitudine, alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes. Hos digitis suspendere, & binos ac ternos auribus fœminarum, gloria est. Subeunt luxuriæ eius nomina & tædia exquisita perditiore portatu: Siquidem cum id fecere, Crotalia appellãt, quasi sono quoque gaudeant, & collisu ipso margaritarum.* Idcirco *Aures onerare* dictum. Ouid.

Vos quoque non charis aures onerate lapillis, D
Quos tegit in viridi decolor Indus aqua.

Seneca lib. II. de Tranquill. vitæ, cap. XIV. *Tanta quosdam dementia tenet, vt contumeliam sibi posse fieri putent à muliere. Quid refert quantum habent, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam?* B. Ambrosius lib. I. de Virginibus: *Quid quod etiam odorum varia adhibentur illicebra, gemmis onerantur aures, oculis color ater infunditur?*

EXPIET *vt somnos*] Somnia. Petronius. *Cæterum Lychas vt Tryphanæ somnium expiauit.* Sueton. in Galba: *Quumque exterritus luce prima ad expiandum somnium, præmissis qui rem diuinam pararent, Tusculum excurrisset.* Eodem modo *Somnium expiare* dixerunt, quo *monstra, prodigia, portenta expiare.* Qua loquutione nihil crebrius apud T. Liuium: quemadmodum neque hac, *Procurare monstra, &c.* Vnde & *Procurare somnium* apud Tibullum. *Expiare* autem est, sacrificijs, & religione, malum, quod portentum est,

deprecari, quemadmodum & *Procurare*. Tibullus:

Ipse procuraui, ne possent sæua nocere
Somnia, bis sancta deueneranda mola.

Phædrus; *Si procurare vis somnium rustice.* Ἀποτρέπειν Græcis. Æschylus in Persis;

——θεοῖς δὲ προστροπαῖς ἱκνουμένη,
Εἴ τι φλαῦρον εἶδες, αἰτοῦ τῶνδ' ἀποτροπὴν λαβεῖν.

Lucianus in somnio: πῶς γὰρ οὐ τέρας; ἀλλ' ἀποτρέψειαν οἱ θεοὶ τὸ δεινὸν ἀφ' ἡμῶν. Sic ἀπεύχεσθαι. Sophocles in Aiace.

——ἀλλ' ἀπεύχομαι
Καὶ Ζεὺς κακὰν καὶ Φοῖβος Ἀργείων φάτιν.

Vnde *Auerruncare* Latinis. Cæterum non solum τὰ δεινὰ à se auerti: sed & in alios deriuari precabantur: quia existimabant τὸ θεῖον quocunque tandem modo placandum esse. Vnde deprecationes eiusmodi,

Hostibus eueniant conuiuia talia nostris.

B Ita existimabant, Deorum minas vix posse esse irritas, & idcirco in alicuius caput auerruncandas. Vnde Ægyptij in caput victimæ mala omnia deprecabantur. Vide Herodotum Musa II. Expiatio hanc ἀποπομπὴν designat. Val. Maximus lib. VII. cap. I. *Cæterum mendacem ante ipsam aciem constituit, vt haberent Dij, cuius capite, si quid iræ conceperant, expiarent.* Iul. Cæsar lib. I. de Bello Ciuili. *Atque hæc superioris ætatis exempla expiata Saturnini, atque Gracchorum casibus.* Suetonius in Nerone; *Anxius eare, vt ex Babilo astrologo didicit, solere Reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque à semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinauit.* Hæc ita Xiphilinus in Nerone. περάτων δὲ τινῶν γενομένων ποτὲ, οἱ μάντεις ἔλεγον αὐτῷ ταῦτα φέρειν ἐκεῖνα, καὶ συνεβούλευσαν εἰς ἑτέρους τὸ δεινὸν ἀποτρέψασθαι. In imprecationibus quoque, quod quis imprecatus erat, id in ipsius caput deprecabantur. εἰς κεφαλήν σοι, & εἰς κεφαλὴν σοὶ τρέποιτο. *Imo tibi* Latinis, vt docuimus antea. Plutarch. de Dæmonio Socratis. ἀγανακτοῦντος δὲ ἐμοῦ, καὶ κακῶς αὐτὸν λέγοντος, τρέπεται πρὸς δυσφημίας ἀποπομπὰς, ἐπαρωμένη κακὰς ὁδοὺς, κακὰς δ' ἐπιπνοίας. ἃ ἐν Διὰ πάντα περιῆλθε εἰς αὐτὴν ἐκείνην θεοί. Id *Deprecari*, Catullo, & alijs, vt rectè obseruauit A. Gellius lib. VI. cap. XVI. Val. Maximus lib. IV. cap. III. *Legatus enim ad Pyrrhum profectus* (Fabricium dicit) *cum apud eum Cyneam Thessalum narrantem audisset, quendam clarum sapientia suadere, ne quid aliud homines, quam voluptatis causa facere vellent, pro monstro eam vocem accepit, continuoque Pyrrho, & Samnitibus istam sapientiam deprecatus est.* Infausta quoque omina in ipsos ominantes sæpius deprecabantur. Theocritus idyll. VI.

——αὐτὰρ ὁ μάντις ὁ Τήλεμος ἔχθρ' ἀγορεύων
Ἐχθρὰ φέροι ποτὶ οἶκον, ὅπως τεκέεσσι φυλάξῃ.

Seneca Consolat. ad Martiam, cap. IX. *Quis vnquam nostrum de exsilio, de egestate, de luctu cogitare ausus est? Quis non, si admoneatur, vt suis cogitet* (legendum fortasse *de his*) *tanquam dirum omen respuat, & in capita inimicorum, aut ipsius intempestiui monitoris, abire illa iubeat?* Plura in Digressionibus.

I N D I X I T *cœnam*] Gloss. Indicit, ἐπιτάσσει, καλέσαι. Posterior interpretatio huic loco conuenit. Sueton. in Nerone; *Indicebat & familiaribus cœnas.* Sic sæpe *Condicere*. M. Tullius in illa ad Lentulum. *Nam cum mihi condixisset, cœnauit apud me, in mei generi Crassipedis hortis.* Sueton. in

A Tiberio; *Sestio Claudio libidinoso, ac prodigo seni, olim ab Augusto ignominia notato, & à se ante paucos dies apud Senatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret, aut demeret, vtque nudis puellis ministrantibus cœnaretur.*

AD EPIGR. LIII.

L A V A B I M V R *vna*] Qui cœnam dabat, balneum quoque calfaciebat. Notum ex Cicerone & Horatio. Qui balnea priuata habebant, eo conuiuas deducebant: qui contra, eos ad publica balnea mittebant de mercede securos. Vnde iubebantur conuiuæ, λουσάμενοι ἥκειν. Lucianus in somnio: σὺ δὲ αὐτὸς ἐκείνου ἧκε λουσάμενος. & in votis, καὶ λουσάμενοι ἥκειν κελεύσω τὴν ὥραν ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Terentius in Phormione, act. II. scen. II.

Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.
Tene asymbolum venire, vnctum, atque lautum è balneis,
Otiosum ab animo, cùm ille & cura, & sumptu absumitur.

Sane ante cœnam lauare solebant, miseris etiam & afflictis temporibus. Plut. in Pompeio. ἰδὼν ὁ φαύνιος εἰπεῖν ἀπορίᾳ τὸν Ῥωμαίων ἀρχόμενον αὐτὸν ἀπολούειν, προσέδραμε, καὶ ἀπέλυσε, καὶ συνηλείψατο.

O C T A V A M *poteris seruare*] Idcirco & solaria erant in balneis, quæ à conuiuaturis consulebantur. Lucianus ἑτέρωθι. καὶ τὸ ἄχρι λουτροῦ, αἰῶνα μακρὸν ἡγεῖσθαι, συνεχὲς ἐπισκοποῦντα, ὁπόσον ἔχει τὸ στοιχεῖον ἡ σκιὰ τὸ πλινθίον ἤδη λελοῦσθαι δεῖ. Vnde solebant miselli, & parasiti περιχάσκοντες, quibus venter pruriebat, σκιὰν καταμετρεῖν ἐπὶ δεῖπνον. Hinc exsecratio solariorum à parasito illo apud A. Gell. lib. III. cap.

C III.

M E N T I A R, *vt venias, pisces*] In lautioribus conuiuijs pisces locum præcipuum habebant. Vnde ὄψον propriè ad pisces relatum. Plutarch. lib. IV. Conuiual. quæst. ὡς γὰρ πολλῶν ὄντων ποιητῶν ἵνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν λέγομεν, οὕτως πολλῶν ὄντων ὄψων ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθὺς. μόνος ἢ μάλιστα γε ὄψον καλεῖσθαι, διὰ τὸ πολὺ πάντων ἀρετῇ κρατεῖν. Alexis:

Ὀρθῶς ἀγοράζει πτωχὸς ὢν ὄψον πολύ,
Ἀπορούμενός τε τἄλλα πρὸς τοῦτ' εὐπορεῖ,
Τοὺς νυκτὸς ἐπὶ τοὺς ἀπαντῶντας ποιεῖ
Γυμνοὺς ἅπαντας, εἶτ' ἐπὰν ἕως ὀφθῇ
Τηρεῖ ἕωθεν εὐθὺς ἐν τοῖς ἰχθύσιν.
Ὃν δ' ἂν ἴδῃ πρῶτον πένητα καὶ νέον
Παρὰ Μικίωνος ἐγχέλεις ὠνούμενον,
Ἀπάγει λαβόμενος εἰς τὸ δεσμωτήριον.

D Vides ibi ὄψα esse ἐν τοῖς ἰχθύσιν, id est, ἐν τῷ ἰχθυοπωλείῳ. Sic enim loquebantur Attici. Quomodo, & *in libris*, dixit Catullus, pro *In librariorum tabernis*, vt viris doctissimis iam obseruatum. Athenæus lib. VIII. καὶ ὁ Ἕρμιππος δέ φησιν ἐν τρίτῳ περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν, ἑωθινὸν τὸν Ὑπερείδην περιπατεῖν ἐν τοῖς ἰχθύσιν. Cæterum tanti fiebant obsonia ista, vt tintinnabulo monerentur insignes illæ gulæ, si qui pretiosiores pisces adsportati erant. Plutarch. in libro antea citato. καὶ γὰρ ὀψοφάγους, καὶ φιλόψους λέγομεν, οὐχὶ τοὺς βοείοις χαίροντας, ὥσπερ Ἡρακλῆς, ὃς τοῖς κρέασι χλωρὰ σῦκα ἐπήσθιεν. οὐδὲ τὸν φιλόσυκον, οἷος ἦν Πλάτων· οὐ φιλόβοτρυν, ὡς Ἀρκεσίλαος· ἀλλὰ τοὺς περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναδιδόντας ἑκάστοτε, καὶ τοῦ κώδωνος ὀξέως ἀκούοντας. Propter huius ὄψου lautitias, qui amicis bene esse volebant, eos ad actam inuitabant haud rarenter. Plutarch. ibidem. καὶ δ' οἱ πολλοὶ βούλονται πρὸς θεὸν, ὅταν ἡδέως

ῥαίνεσθαι προσεγκαλοῦντες ἀλλήλοις, λέγοντες, σήμερον ἀκτέ- A
ζειν; οὐχὶ τὸ παρ' ἀκτῇ, δύναται ἐκεῖνον ἀποφαίνειν, ὥσπερ ἐστίν; οὐ δὲ τὰ κύματα, &c. ἀλλ' ὡς ἰχθύες ἀφθόνου, καὶ παρ' οὗ τὴν ἀρχαίαν βάπτειν ἐπιτρέπουσι. In acta igitur conuiuabantur, vt & plures, & recentiores pisces haberent. Nam ἰχθυοπῶλαι os nobis sæpe sublinunt, pisces mortuos, aut veteres pro recentibus vendentes. Vnde vetitum quandoque Athenis, ne eos aqua irrigarent: quod facere solent, vt recentes videantur. Hanc in sententiam elegāter Xenarchus technas piscatorum notat, quorum cum aliquis pisces aridos videret, cum cæteris de compecto depugnabat, & postea tanquam male mulctatus procidebat. Hinc aqua postulabatur, quæ nebuloni illi, tanquam λειποψυχοῦντι, obsparetur. Vnde boni illi homines pisces suos, cum quibus ille iacebat, liberaliter irrigabant, securi de ficto cordolio. Versus Xenarchi elegantes sane sunt, & venusti, apud Athenæum lib. VIII. Vide locum. Non solum autem τὸ νεαρὸν, sed B
& magnitudo piscium notabatur à delicatis illis gurgitibus. Vide Iuuenalem satyr. IV. Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Poscuntur etiam in conuiuijs aliquoties trutinæ, vt adpositi pisces, & volucres ponderentur, & glires. Quorum magnitudo sæpius delicata, non sine tædio præsentium, vt antehac inusitata laudatur assidue. Maxime cum hæc eadem numerantes notarij prope triginta adsistant cum thecis & pugillaribus tabulis, vt deesse solus magister ludi literarij videatur.* Non autem solum pisces, & volucres, sed & alia, vt apri, magnitudine & pondere censebantur. Martialis epigr. XLIX. lib. IX.

Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Misimus.

Cæterum postrema periodo alludit fortasse Marcellinus morem illum, qui notatur ab Athenæo, C
lib. II. ὅτι ἔθος ἦν ἐν τοῖς δείπνοις τοῖς ἰχθύας καταπαίζειν προδίδοσθαι χειρομακτρίδιον καὶ, προσάγειν ἀνὰ χεῖρα τὸ παρεσκευασμένον, ἐφ' ᾧ ἐδέτας ὃ, καὶ μῆλον ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος. Sed, vt ad rem, gula τῶν φιλόψων pisces tam charos concinnauit, vt Cato dixerit, Romæ pluris vænire piscem, quam bouem. Nec solum Romæ: sed & in Græcia charissimi & pretiosissimi pisces. Vnde Corinthi lege cautum erat, ne quis in macello pisces sæpe emeret, nisi qui aut censum suum, aut artem qua vitam tutabatur, probare posset. Diphilus in Mercatore.

Τοῦτο νόμιμον ἐστὶ βέλτιστ' ἐνθάδε
Κορινθίοις, ἵν' ἐάν τιν' ὀψωνοῦντ' ἀεὶ
Λαμπρῶς ὁρῶμεν, τοῦτον ἀνακρίνειν πόθεν
Ζῇ, καὶ τί ποιῶν. Κἂν μὲν οὐσίαν ἔχῃ
Ἧς αἱ πρόσοδοι λύουσι τ' ἀναλώματα,
Ἐᾶν ἀπολαύειν ἤδη τοῦτον τὸν βίον.
Ἐὰν δ' ὑπὲρ τὴν οὐσίαν δαπανῶν τύχῃ,
Ἀπεῖπον αὐτῷ, τοῦτο μὴ ποιεῖν ἔτι. D
Ὃς δ' ἂν μὴ πείθηται, τ' ἐπιβάλλον ζημίαν.
Ἐὰν δὲ μηδ' ὅπως ἔχων ζῇ πολυτελῶς,
Τῷ δημίῳ παρέδωκαν αὐτόν.

Ratio est, quia non possunt pauperes laute simul, & innocenter viuere.

——ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
Ἢ λωποδυτεῖν τὰς νύκτας, ἢ τοιχωρυχεῖν,
Ἢ τῶν τοιούτων ταῦτα κοινωνεῖν τινά.

AD EPIGR. LVIII.

Nec *tamen extra Ioui*] Hæc quæstio explicatur à Seneca lib. VII. de Benef.

AD EPIGR. LXVI.

Lucis *ad officium*] Quos inuitaras ad celebrandum diem tuum natalem. Mane sacrificabant in eiusmodi solennitatibus. *Officium* autem heic proprie omnino. Plin. epist. v. lib. I. *Paucos post dies ipse me Regulus conuenit in Prætoris officio: Illuc me persequutus secretum petit.* & epist. IX. eiusdem libri. *Hodie quid egisti? Respondeat, Officio togæ virilis interfui, sponsalia, aut nuptias frequentaui.* Vide & epist. I. lib. II. & I. ac V. lib. III. & XV. lib. VI. Suetonius in Augusto: *Officia cum multis mutuo exercuit: nec prius dies cuiusque solennes frequentare desijt, quam grandior iam natu, & in turba quadam sponsaliorum die vexatus.* In nuptijs hoc officium frequens. Petronius: *Igitur ne maiorem iniuriam in secreto frater acciperet, consurrexit ad officium nuptiale.* Iuuenalis satyr. II.

——Officium cras
Primo Sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ caussa officij? quid quæris, Nubit amicus.

Tertullianus lib. de Idololatria, cap. XVI. *Circa officia vero priuatarum, & communium solemnitatum, vt togæ puræ, vt sponsalium, vt nominalium, nullum putem periculum obseruari de flatu Idololatriæ quæ interuenit. Caussæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium.* Hinc & officia dicuntur à Iuuenale satyr. X. clientes. hæc & eiusmodi officia patronis præstantes.

Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia.

Τὰ καθήκοντα eodem modo reperio apud Lucianum in somnio: καὶ αἰτιωμένου δὲ Ἀρχιβίου τοῦ ἰατροῦ, διότι οὕτως ἔχων ἀφίκετο, τὰ καθήκοντα, ἔφη, οὐ χρὴ προδιδόναι, καὶ ταῦτα φιλόσοφον ἄνδρα, κἂν μυρίαι νόσοι ἐμποδὼν ἱστῶνται. Quod Erasmus vir φιλολογώτατος non vidit, & τὰ καθήκοντα προδιδόναι male est interpretatus, *Promissa deserere.* *Officium* vertere debuit. Nam ad officium inuitatus erat ille ἐπ' ἀνδρὸς φίλου θυγατρὸς γενέθλια ἑστιῶντος.

AD EPIGR. LXXXV.

Alba *minus*] Brachia enim sibi lacerabant ministri Cybeles, cum numine corripi se fingerent. Seneca lib. de vita beata, cap. XXVII. *Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur: Cum aliquis secandi lacertos suos artifex: brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliquis per viam repens vlulat, laurumque linteatus senex, & medio lucernam præferens die, conclamat, Iratum aliquem Deorum, concurritis, & auditis, & diuinum esse eum affirmatis.* Apul. VIII. Miles. *Dinque capite demisso, ceruices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum, & nonnunquam morsibus suos incursantes musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecant.* De ministris Cybeles. Seneca in Agamemnone:

Tristis lacerat brachia tecum,
Quæ turrita turba parenti
Pectora rauco concita buxo
Ferit, vt Phrygium lugeat Atym.

AD EPIGR. XC.

A *te vexatas*] Solebant enim meretriculæ vexatas corollas, adrosa poma & eiusmodi nuga-

gamenta ad eos mittere, quorum amorem captabant. Lucianus in Toxari. καὶ γράμματά τι εἰσφοιτᾷ παρὰ τὰς γυναῖκας αὐτοῦ, καὶ στέφανοι ἡμιμάραντοι, καὶ μῆλα ἔνια ἀποδεδηγμένα, καὶ ἄλλα, ὁπόσα αἱ μαστροποὶ ἐπὶ τοῖς νέοις μηχανῶνται, κατὰ μικρὸν αὐτοῖς ἐπιτεχνώμεναι τοὺς ἔρωτας. Docet etiam Athenæus lib. xv. coronatos amare existimatos, ἐὰν λύωνται οἱ στέφανοι. Vide bene longam de hac re disputationem eo in loco. Amatores vero corollas & rosas in limine amicarum dissipare solebant, atque relinquere, cum ibi diu excubuissent. Ouidius lib. II. μαστροποτεχνίας.

Postibus & duræ supplex blandire puellæ,
Et capiti demptas limine pone rosas.

Et lib. III.

Nec sua frangetur nocturna ianua rixa,
Sparsa nec inuenies limine mane rosa.

Sed & ianuam ornabant, & coronabant hisce rosis, & corollis. Vide Athenæum lib. xv. Plutarch. lib. περὶ ἀοργησίας. αἱ μὲν γὰρ ἐρωτικαὶ πράξεις, ἃς ἐπικωμάσαι, καὶ ᾆσαι, καὶ στεφανῶσαι θύρας, ἔχουσιν ἁμωσγέπως κουφισμὸν οὐκ ἄχαριν, οὐδ' ἄμουσον. Propertius eleg. xvi. lib. I. vbi Ianua loquitur.

Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis sæpe queror manibus.
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, & exclusi signa iacere faces.

Ouid lib. I. de Remedio amoris.

Effice nocturna frangatur ianua rixa,
Et tegat ornatas multa corona fores.

Plura in Digressionibus.

A *te vexatas*] Sic *vexatas comas* dicit Iuuenalis, satyr. xI.

——Nec, prima si luce egressa, reuerti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat vxor,
Humida suspectis referens multitia rugis,
Vexatasque comas, & vultum, aurem q; calentem.

AD EPIGR. XCV.

VERPE] *Verpus*, λειπόδερμος, in glossario. Iuuenalis.

Quæsitum ad frontem solos deducere verpos.

PER *Anchialum*] Hunc locum ingeniosissime exposuit Iosephus Scaliger μουσικώτατος, in appendice librorum de Emendatione temporum.

AD EPIGR. XCIX.

EFFUGERE *non est basiatores*] De osculis quotidianis scripsere quam plurimi. Sueton. in Tiberio, & Othone. Persæ quoque hoc se modo salutabant, non sine discrimine tamen, vt notat Herodotus Musâ I. ἐντυγχάνοντες δ' ἀλλήλοισι ἐν τῇσι ὁδοῖσι, τῷδ' ἄν τις διαγνοίη εἰ ὅμοιοί εἰσι οἱ ἐντυγχάνοντες. ἀντὶ γὰρ τοῦ προσαγορεύειν ἀλλήλους, φιλέουσι τοῖσι στόμασι. ἢν δ' ᾖ ἕτερος ὑποδεέστερος ὀλίγῳ, τὰς παρειὰς φιλέονται. ἢν δὲ πολλῷ ᾖ ἕτερος ἀγεννέστερος, προσπίπτων προσκυνέει τὸν ἕτερον.

E *curuli iura*] Cornelius Tacitus lib. I. Annal. *Nec patrum cognitionibus satiatus, iudicijs adsidebat in cornu tribunalis, ne Prætorem curuli depelleret.* Erat enim Prætoris, siue τοῦ ἀρχιδικαστοῦ, locus in medio tribunali, ἐν μέσῳ τῶν συμβουλευτῶν. Lucianus ἐρωτ. ἐν μέσῳ τοῖν δικαστικοῖν καθεζόμενον.

AD EPIGR. CV.

AVIÆ *qualia mane soles*] Cum mane exirent, τοὺς συνήθεις ἐφίλουν. Sueton. in Iul. Cæsare. Sed & quibuslibet alijs horis cognati cognatas osculabantur, & contrà. Idem Sueton. in D. Claudio: *Verum illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per ius osculi, & blanditiarum occasionem, pellectus in amorem.* Notum quid ibi appellet Suetonius, *Ius osculi.* Arnobius lib. II. aduersus Gentes. *Affinibus & propinquis osculari eas ius est, vt sobrias comprobent, atque abstemias se esse.*

DESIDERII HERALDI
ANIMADVERSIONES
AD LIBRVM XII. EPIGRAMMATVM M. VALERII MARTIALIS.

AD EPISTOLAM.

ADVENTORIA *sua*] A Assentior Magno Turnebo allusum heic existimanti ad cœnam aduentoriam. Sic enim Latini appellarunt cœnam eam, qua peregrè aduenientes excipiebāt. Quæ cōsuetudo ex vnico Plauto notissima. ἀποδεκτικὸν δεῖπνον appellat Plutarchus probl. III. lib. VIII. symp. statim initio. Σύλλας ὁ Καρχηδόνιος εἰς Ῥώμην ἀφικομένῳ μοι διὰ χρόνου, τὸ ἀποδεκτικὸν (ὡς Ῥωμαῖοι καλοῦσι) καταγγείλας δεῖπνον, ἄλλους τέ τινας τῶν ἑταίρων παρέλαβεν οὐ πολλούς. *Salutatorias epulas* vertit Adrianus Iunius. Non bene. Sed melius quam Xylander, qui morem tantum notauit, non appellationem: & locum istum ita interpretatus est, quasi hæc consuetudo B Romanis peculiaris fuerit; quæ tamen & ad Græcos pertinuit, vt notamus ad Pindarum, Od. IV. Pyth. Sed, vt ad rem, Martialis hac aduentoria excipit Priscum suum in Hispaniam aduenientem. Male igitur quidam confundunt *aduentoriam* epistolam, cum *præcursoria* Plinij Epist. XIII. lib. IV. quam epist. IX. eiusdem libri πρόδρομον appellat: Sidonius *Metatoriam paginam*, epist. XI. lib. VIII. quam consuetudinem præcursoriæ mittendæ, clare declarat idem epist. XVI. lib. V. *Rauennas veniens quæstor Licinianus, cum primum tetigit, Alpe transmissa, Galliæ solum, literas aduentus sui prænias misit.* Sumpta autem consuetudo ista ab antiquo more, quo seruulos aduentus sui nuncios amicis, ad quos ibant, mittere solebant. Plinius epist. V. lib. I. *Euigilaueram. Nuntius à Spurina. Venio ad te. Imo ego ad te. Coimus in porticum Liuiæ.* Hinc Seneca epist. LXXX. *Sine ex denunciato videbatur, sine imparatus, ac subito.*

AD EPIGR. VIII.

IN *duce militem*] ἐν ἡγεμόνι ἀγρυπνοῦντι στρατιώτην κοιμᾶσθαι, καὶ ἀδεῶς. Sic dictum, vt τὸ ἔστιν ἐν σοὶ τύραννος. Dictum Dionysij senioris ad filium, apud Plutarchum. Sic dixit Sylla, *Cæsari multos Marios inesse*, apud Suetonium. Apud Plutarchum, ὡς ἔφη νοῦν ἔχειν αὐτούς, εἰ μὴ πολλοὺς ἐν τῷ παιδὶ τούτῳ, Μαρίους ἐνορῶσι.

AD EPIGR. XXI.

NEC *cito rid.*] Nihil heic mutandum existimo. Sententia est, aut fallor, Nec temere vllus alius partus peregrinus erit, quem Romanum existimari magis deceat. Nam pro *Ducat*, probo *Deceat*, quod in veteribus libris.

AD EPIGR. XXIV.

NON *vector Lybici*] De cursoribus diximus antea. *Vector* heic ὁ ἐποχούμενος ἐφ' ἵππῳ. Et Vehere equo, atque in equo, frequens pro vehi, ὀχεῖσθαι ἵππῳ. Quadrigarius apud A. Gellium, lib. II. cap. II. *Et Consuls Pater Proconsul obuiam in equo vehens venit.* T. Liuius lib. XXII. *Cn. Lentulus Tribunus militum cum præteruehens equo sedentem in saxo cruore oppletum Consulem vidisset.* Frustra igitur hoc verbum mutant apud Ciceronem in Bruto. Nam eadem opera hic eius locus reformandus esset lib. I. de Nat. Deorum. *Qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus inuehens belluis adiunctis humano corpori.* Contra Apuleium corrigendum existimo lib. I. Metam. *Postquam ardua montium, & lubrica vallium, & roscida cespitum, & glebosa camporum emersi, me equo indigena peralbo vehens.* Adduci non possum, vt existimem, ita scripsisse Apuleium, *Me vehens*, cum & elegantius & rarius, *Vehens* simpliciter. Lego igitur, *Roscida cespitum, & glebosa camporum emersimus, equo indigena peralbo vehens, &c. in pedes desilio.* Neque obstat numeri mutatio. illa enim C Apuleiana. Vnde eodem lib. *Abnuebam: Quippe iam cœna affatim piscatum prospexeramus.* Et: *Quid tam magnis pretijs pisces friuolos venditatis, & florem Thessaliæ regionis instar solitudinis & scopuli edulium charitate deducis?* Phrasis, vt opinor, Africana. Nam ita & Plautus in Pœnulo, scenæ *Ain tu dixe.*

——Tu qui Zonam non habes,
Quid in hanc venistis vrbem, aut quid quæritis?

AD EPIGR. XXVI.

PVRPVREIS *fastis*] Supra lib. XI. epigr. V.
Et iam purpureis das tertia nomina fastis.

Sidonius epist.VIII.lib.VIII. *Licet tu deductum nomen à trabeis, atque eboratas curules, & gestatorias bracteatas, & fastos recolas purpurissatos.*

AD EPIGR. XXIX.

TANTVS *mapparum fur*] Catullus:

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in ioco atque vino,
Tollis lintea negligentiorum, &c.

MYRINE *p. missio laeso*] Nam læso gladiatori missionem quandoque petebat populus. Seneca lib.II. de Tranquill.vitæ, cap.XVI. *Quæris quid inter duos intersit? Quod inter gladiatores fortissimos. quorum alter premit vulnus, & constat in gradu: Alter respiciens ad clamantem populum, significat, nihil esse, & intercedi non patitur.* Venia hæc proprie *Missio.* Seneca lib.II. de Benef.cap.XX. *Non enim seruauit is, qui non interfecit; nec beneficium accepit, sed missionem.*

MITTERE *mappam*] Quintilianus lib.I.cap.V. *Et mappam quoque, vsitatum Circo nomen, Pœni sibi vindicant.* Tertullianus lib. de Spectaculis. *Dehinc ad signum anxij pendent. Vnius dementia vna vox est. Misit, dicunt, & nuntiant inuicem quod simul ab omnibus visum est, nec vident missum quid sit. Mappam putant; sed est Diaboli ab alto præcipitati figura.* Sed de his satis. Nam περὶ μαππαρίου scripserunt iam viri docti.

MITTERE *mappam*] *Mittere signum* generaliter dixit Ennius apud Ciceronem, lib.I.de Diuinat. Signum hoc alludit Tertullianus, lib. de Spectaculis, cap. XXIX. *In his tibi ludos Circenses interpretare, cursus seculi intuere, tempora labentia dinumera, metas consummationis expecta, ad signum Dei suscitare, ad tubam Angeli erigere, ad martyrij palmas gloriare. Mittere* quandoque simpliciter, vt loco Tertulliani superiori nota laudato. Vnde ita accipio illud Varronis, lib.IV.de ling. Lat. *Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant, antequam magistratus misit.* Sed & equi mitti dicuntur. Et ita quoque ἀφεῖναι Græci accipiunt. Vnde & Carceres ἀφετήρια. Gloss. *Missus*, ἄφεσις. Sed & ἀφεῖναι, vt mittere signum. Aristophanes in Ranis.

Καθήρπυσε νυνὶ ἐς Κεραμεικόν. Διον. κᾆτα τί;
Ηρακ. ἀναβὰς ἐπὶ τὸν πύργον τὸν ὑψηλόν. Διον. τί δρῶ;
Ηρακ. ἀφιεμένην τὴν λαμπάδ' ἐντεῦθεν θεῶ.

Ibi Scholia: ὅτι ἐν τῇ ἀφέσει τῆς λαμπάδος, σημεῖον ἦν τοῖς μέλλουσι δραμεῖν, ὡς δεῖ τοῦ δρόμου κατάρξασθαι. ἦν δὲ τοῦτο, ὥσπερ τὸ ἐφιέναι παρὰ Τυρσηνοῖς τὴν σάλπιγγα.

VELA *reducuntur*] Proprie. Sueton. in Caligula. *Gladiatorio munere reductis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti quenquam vetabat, &c.*

LINIGERI *calui*] Nam sacerdotes Isidis caput radebant. Lampridius de Commodo: *Sacra Isidis coluit, vt & caput deraderet, & Anubim portaret.* Et in Pescennio Nigro. *Hunc in Commodianis hortis in porticu curua, pictum de musiuo inter Commodi amicissimos, videmus sacra Isidis ferentem: quibus Commodus adeo deditus fuit, vt & caput raderet, & Anubim portaret, & omnes partes expleret.* Plutarchus lib. de Iside, & Osiride, οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι, ὦ Κλέα, καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσιν, οὔτε Ἰσιακοὺς αἱ λινοστολίαι καὶ ξυρήσεις. Vide sis quæ de his à Plutarcho ibidem disputantur. Apuleius Miles.XI. *Hi capillum derasi funditus, verticepraeni-* A *tentes, magna religionis terrena sidera, æreis & argenteis, imo vero aureis etiam sistris argutū tinnitum constrepentes.* Lucianus φιλοψευδεῖ. Παγκράτην, ἔφη, λέγεις ὁ Ἀρίγνωτος ἐμὸν διδάσκαλον, ἱερὸν ἄνδρα, ἐξυρημένον, ἐν ὀθονίοις, νοήμονα, καθαρῶς ἑλληνίζοντα, &c. Radebantur autem de more cæterorum sacerdotum Ægyptiorum. Herodotus Musa II. Οἱ ἱρέες τῶν θεῶν, τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσι, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρῶνται. Vnde Lucianus περὶ θυσιῶν. ἀκούσῃ πολλῶν σοφιστῶν, καὶ γραμματέων, καὶ προφητῶν ἐξυρημένων. Quare dicit Artemidorus lib.I.cap.XXIII. *nulli prosperum somnium esse, quo caput sibi radi existimat, nisi si Aegyptius sit sacerdos, aut mimus,* ξυρᾶσθαι δὲ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ἄλλῳ πλὴν Αἰγυπτίων ἱερεῦσι καὶ γελωτοποιοῖς καὶ τοῖς ἐξ ἔθους ἔχουσι ξυρᾶσθαι, ἀγαθόν· πᾶσι δὲ τοῖς ἄλλοις πονηρόν. Clarum igitur, quare Isidis phanaticos *caluos* appellarint Martialis, & Iuuenalis. Tertulliani locus contra Senatorem refugam explicandus mi- B hi est.

Nunc etiam dicis, quod te non fecerit ætas,
Sed tua relligio caluum, caligaque remota,
Gallica sit pedibus molli redimita papyro.
Res miranda satis: deiectaque culmine summo;
Si quis ab Isiaco Consul procedat in vrbem,
Risus oris erit: Quis te non rideat autem,
Qui fueris Consul, nunc Isidis esse ministrum?

Franciscus Iunius, vir doctissimus, Gallicas hoc loco pro Gallorum calceis accipere non debuit. Neque enim hic de Gallis, sed de Isiacis sacerdotibus sermo, vt his verbis (*Sed tua relligio caluum, &c.*) & sequentibus patet. Erant igitur Isiacorum Gallicæ, siue viles calcei è papyro. Gallorum vero lintea calceamenta. Apul. lib. VIII. Metam. de hisce æruscatoribus. *Quidam tunicas albas, in modum lanciolarum quoquo versum fluente purpura,* C *depictas, cingulo subligati, pedes luteis induti calceis.* Scribendum puto, *Linteis*: quanquam & *Lutei calcei* mihi noti. Nam sacerdotes Phœniciæ Syriæ conterminæ, vnde belli isti Galli, talibus calceis vtebantur. Herodianus lib. V. ὑποδήμασί τε λίνου πεποιημένοις ἐχρῆτο, ὥσπερ οἱ κατ' ἐκεῖνα τὰ χωρία προφητεύοντες. Sensus igitur est, Turpe esse & indecorum, vt is, qui in castris caliga, id est, στρατιωτικῷ ὑποδήματι, interprete Dione, vsus fuerit, inducat sibi postea viles illas Isiacorum Gallicas. Additur postea loco, quem illustramus,

Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.

Nam & caninam faciem gestabant, vt docemus alibi ex Appiano. De sistro Isiacorum, nemo est, qui non aliquid audierit.

AD EPIGR. XXXII.

O *Iuliarum dedecus Calend.*] Migrabant enim è D conductis ædibus Calendis Iulijs. Cicero, *Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est: Sed, vt spero, paucis mensibus post calendas Quintiles in tuam commigrabis.* Vide Sueton. in Tiberio.

PENSIONE *probima*] Quia non nisi ex biennij cessatione pignorum retentio erat, vt bene notat Cuiacius ad Nouell. VII.

CONVENIT *Ponti*] Iuuenal. Sat.V.

Nulla crepido vacat, nusquam pons, & tegetis pars
Dimidia breuior?

Nam in crepidinibus etiam stabant mendici. Seneca Controu.I.lib.I. *Quis crederet iacentem super crepidinem Marium fuisse Consulem, aut futurum?* Et Controu.II. lib.VII. *Minturnensis palus exsulem Marium non hausit. Cimber etiam in car-*

rere vidit imperantem: Prætor iter à conspectu exsulis flexit. Qui in crepidine viderat Marium, in sella figurauit. Sed, vt ad pontem mendicos reuocemus, eius meminit iterum Iuuenalis satyr. xiv.

Inuitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.

Seneca lib. de vita beata, cap. xxv. *In sublicium pontem me transfer, & inter egenos abige. Non ideo tamen me despiciam, quod illorum in numero consedeo, qui manum ad stipem porrigunt.*

AD EPIGR. XXXVIII.

Crvre *glaber*] Sic spurci isti homines crura sua pice depilabant. Lucianus πρὸς τὸν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Τὸ μὲν πρῶτον ἐκεῖνο πάντων ἦν γελοιότατον, συγκαθίζεσθαι παρ' αὐτῷ, προσδεδόσθαι φιλοσόφῳ ὄντι, κίναιδον ἄνδρα τὴν πιττώσεις τὰ σκέλη, ὲ τὸν πώγωνα περιεξυρημένον. Athenæus lib. xii. dicit πάντας τοὺς πρὸς ἰατρείας οἰκείως βαρβάροις πιττοῦσθαι, ὲ ξυρεῖσθαι τὰ σώματα. Resina etiam ad id vtebantur, vt docet Plin. lib. xiv. & præfat. lib. xxix. *Potus deinde ieiunorum, ac vomitiones, ac rursus perpotationes, ac pilorum eniratio institutæ resinis eorum. Itemque pectines in fœminis quidem publicati. Ista est profecto lues morum, nec aliunde maior, quam è medicina.*

AD EPIGR. XL.

Cantas, *canto*:] Adulatoris χαρακτήρ. Plutarch. lib. de discrimine amici ab adulatore. ὁ δὲ κόλαξ ἅτε δὴ μίαν ἑστίαν ἤθους οὐκ ἔχων μόνιμον, οὐδὲ ἑαυτῷ βίον ζητῶν αἱρετὸν, ἀλλ' ἑτέρῳ ἢ πρὸς ἕτερον πλάττων ἢ προσαρμόζων ἑαυτὸν, οὐχ ἁπλοῦς, οὐδὲ εἷς, ἀλλὰ παντοδαπὸς ἐστι ὲ ποικίλος, εἰς ἄλλον ἐξ ἄλλου τόπον, ὥσπερ τὸ μεταχεόμενον ὕδωρ, περιρρέων ἀεὶ, ὲ μετασχηματιζόμενος τοῖς ὑποδεχομένοις· ὁ μὲν γὰρ πίθηκος, ὡς ἔοικε, μιμεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον ἐπιχειρῶν, ἁλίσκεται συγκινούμενος ἢ συνορχούμενος. ὁ δὲ κόλαξ αὐτὸς ἑτέρους ἐπάγεται ὲ παλεύει, μιμούμενος οὐχ ὁμοίως ἅπαντας, ἀλλὰ τῷ μὲν συνορχούμενος, ἢ συνᾴδων, τῷ δὲ συμπαλαίων ἢ συγκονιόμενος.

Pedis. *dissimulo*] At egregij illi capitones, & plagipatidæ, homines alienæ mentis, alieni arbitrij, id non dissimulassent: Imo suffitum heic fragrantissimum patulis naribus hausissent. Diodorus Sinopensis in Epiclero:

——τοὺς δὲ κολακεύειν δυναμένους,
Καὶ ταῦτ' ἐπαινεῖν. ὅς ἐπειδὴ προσερύγοι
Ῥαφανίδα, ἢ σαπρὸν σίλουρον καταφαγὼν,
Ἴα ἢ ῥόδ' ἔφασαν αὐτὸν ἐρυγεῖν.
Ἐὰν δ' ἀποπάρδῃ μετὰ ἄλλος κατακείμενος,
Τούτῳ προσάγων τὴν ῥῖνα δεῖ τοῦτο φράσαι,
Πόθεν τὸ θυμίαμα τοῦτο λαμβάνεις;

Gemma *vis ludere, vincor.*] Et hic alius adulatoris χαρακτήρ. Plutarchus: ἐκεῖνο δὲ μὴ παρῶμεν ἐν ταῖς μιμήσεσι τὸ σόφισμα τοῦ κόλακος, ὅτι κἂν τὴν καλῶν τι μιμῆται τοῦ κολακευομένου, δίδωσι τὴν ὑπεροχὴν ἐκείνῳ.

Recit. *m. carm. laudo*] Plutarch. πρὸς μηδὲν γὰρ ἀπαλγῶν, ἀλλὰ πᾶσι συνεπιδιδοὺς, ὲ δεχόμενος πάντα, ὲ βοῶν παρ' ἕκαστον, ὡς εὖ ἢ ἱκανῶς, γίνεται καταφανὴς οὐ

Συνᾴδειν ἐρῶν, ἀλλὰ μάχεσθαι χρείαν,
Ἐπαινεῖν δὲ ἢ συνεπιψοφεῖν βουλόμενος.

AD EPIGR. XLIII.

Molles *Elephantidos lib.*] Suetonius in Tiberio: *Cubicula plurifariam disposita tabellis, ac sigillis lasciuissimarum picturarum, & figurarum adornauit, librisque Elephantidis instruxit, ne cui in opera edenda exemplar impetratæ schema deesset.* Quid Martialis & Suetonius *figuras*, & *schemas* vocent, nimis notum est. Hæc interpretabuntur, qui πέρας ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἔχουσι, non κόρας.

AD EPIGR. XLVIII.

Ivnctaqve *testa viæ*] Hocne intelligendum de testis illis, quæ in angiportis paratæ ijs erant, qui vrinam emittere volebant? Lucretius lib. iv. *dolia curta* appellat.

Pusi sæpe lacum propter se, ac dolia curta,
Somno deuincti credunt extollere vestem,
Totius humorem saccatum vt corpore fundant.
Cum Babylonica magnifico splendore rigantur.

C. Titius apud Macrobium. *Dum eunt nulla est in angiporto amphora, quam non impleant: quippe qui vesicam plenam vini habeant.*

Impvtet *ipse*] Gloss. *Imputare*, λογίσασθαι. Hoc verbum ita sæpe vsurparunt illius ætatis scriptores. Seneca lib. i. de Benef. cap. iv. *Hi docendi sunt, nihil imputare: Illi plus debere.* Et lib. ii. cap. xv. *Nam, vt qui quod dedit, imputat, gratiam destruit: Ita qui quantum det, ostendit, munus suum non commendat, sed exprobrat.* & alibi passim apud eundem. Plin. in Panegyrico. *Ambulas inter nos, non quasi contingat, & copiam tui, non vt imputes, facis.* Iterum: *An improbem illos, qui effecerunt, vt istud magnum videretur, quum velut affixi curulibus suis manum tantum, & hanc cunctanter, & pigre, & imputantibus similes promerent?* Sueton. in Tiberio: *Imputauit etiam quod non laqueo strangulatam in Gemonias abiecerit.* Iuuenalis satyr. v.

Fructus amicitiæ magnæ, cibus: Imputat hunc Rex,
Et quamuis rarum, tamen imputat.

Et satyr. vi.

Quæ tanti grauitas, quæ forma, vt se tibi semper
Imputet?

Cornarvm *magister*] Magister cœnæ hoc loco, non is, qui *Arbiter bibendi*, vnde *Magisteria*, & *Regna vini*: Nam idem & *Rex*: sed potius *Cœnæ pater*: siue *Parochus*, vt appellatur Horatio. Turbat in hac doctrina vir doctiss. Fuluius Vrsinus, libello de Triclinio. Parochum enim, Cœnæ patrem, & Conuiuatorem male confundit cum Magistro conuiuij, siue Rege, vt appellabant. Hi *Magistri* vbique sese nobis offerunt. Sed notandus hic Varronis locus lib. iv. de ling. Lat. *Preterea in poculeis erant pateræ, eo quod pateant Latine ita dictæ. Heisce etiam nunc in publico conuiuio, antiquitatis retinendæ caussa, cum magistri fiunt, potio circumfertur: & in sacrificando Deis, hoc poculo Magistratus dat Deo vinum.* Nota, *Potio circumfertur*: Nam Magister certas bibendi leges dicebat: quas obseruare singulos oportebat, cum ad eos circumlata potio perueniret. Plut. probl. v. lib. iv Sympos. ὥσπερ Ἀγαπήστορα τὸν Ἀκαδημαϊκὸν λαβὸν ἔχοντα, καὶ χωλὸν ὄντα τὸ σκέλος ἐπηρεάζοντες οἱ συμπόται, πάντας ἐκέλευσαν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ ποδὸς ἑστῶτας ἐκπιεῖν τὸ ποτήριον, ἢ ζημίαν καταβαλεῖν. Sic quantum quisque vini, & quomodo temperatum sumere deberet, edicebant hi magistri. Vide totum problema. Et alia quædam imperitabant. Arrianus lib. i. dissertat. Epicteti cap. xxv. ἐν Σατορναλίοις λέλογχε βασιλεὺς. ἔδοξε γὰρ παῖξαι ταύτην τὴν παιδιάν. προστάσσει, σὺ πῖε, σὺ κέρασον, σὺ ᾆσον, σὺ ἄπελθε, σὺ ἐλθέ, ἵνα

μὴ παρ' ἐμὲ νίπτης ἡ παιδίσκη. Cæterum, vt parochus dicitur Martiali cœnæ Magister, ita & *Mensæ rex* Macrobio.lib.II.cap.I. *Nam ipse Rex mensæ, nec in moribus Socrate minor, & in Republica Philosopho efficacior.* Sic & *Rex conuiuij* apud eundem, lib.I. cap.VII. & apud Sidonium Apollinarem, epist. XIII.lib.II. *Dum rex conuiuij circa ordinandum morem nectit oxygarum.* Heic *Regem conuiuij* male confundunt cum rege fictitio, & temporario, de quo loquebamur: Nam *Regna vini* apud Horatium alio sensu. Quod probatione non eget. *Dominus conuiuij* etiam appellatur Conuiuator. A.Gellius, lib.XIII.cap.XI. *Dominum autem, inquit, conuiuij esse oportet non tam lautum, quam sine sordibus.* Plura in Digressionibus.

AD EPIGR. LVIII.

LECTICARIOLA *est*] Nescio, an mulierem istam probri & dedecoris tacite arguat. Nam in lecticis & sellis suis vehebantur quandoque bellæ illæ matronæ paulo incautius, aut potius consulto sese inspiciendas præbebant τοῖς τυχοῦσι. Seneca lib.I. de Benef. cap. IX. *Rusticus, inhumanus, ac maleuolus, & inter matronas abominandæ conditionis est, si quis coniugem in sella prostare vetuit, & vulgo admissis inspectoribus vehi vndique perspicuam. Si quis nulla se amica fecit insignem, nec alienæ vxori annulum præstat, hunc matronæ humilem, & sordidæ libidinis, & ancillariolum vocant.* Et libello de Remedijs fortuitorum, *Duc bene institutam, nec maternis inquinatam vitijs: Non cuius auriculis vtrinque bona patrimonia dependent. Non quam margarita suffocent, cui minus sit in dote, quam in veste: quam in patente sella circumlatam populus ab omni parte æque, vt maritus inspexerit: cuius sarcinis domus non sit angusta.* Vnde explicandum existimo Iuuenalem, satyr.III.

— At tu
Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Vel an lecticariola heic, quod ab hominibus ad lecticam subigeretur?

AD EPIGR. LIX.

QVANTVM *Lesbia*] Catulli de hac re versus lepidissimi omnibus ad manum sunt. Solitos autem peregre redeuntes basijs excipi satis notum est. Hic mos antiquissimus, & Israëlitis quoque vsitatus. Exod.cap.XVIII.comm.VII. *Tunc egressus Moses in occursum soceri sui incuruauit se, & osculatus est eum.* Sed in hoc osculo notanda etiam honoris & obseruantiæ nota Rabinis obseruata. Diu obtinuit hæc consuetudo. Sidonius Apollinaris epist.III.lib.III. *Siquidem cernere erat refertis capacissimæ domus atrijs, illam ipsam fœlicissimam stipati reditus tui ouationem, dum alij osculis puluerem tuum rapiunt, alij sanguine ac spumis pinguia frena suscipiunt, &c.* Sed & discedentes, aut longius aliquod iter suscipientes, amicos osculabantur. Suetonius in Nerone; *Certe neque adueniens, neque proficiscens quemquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem.* Plinius Panegyrico. *Gratum erat cunctis, quod Senatum osculo exciperes, vt dimissus osculo fueras.* Persarum etiam hæc consuetudo inter τοῖς συγγενέσι. Elegans est de hac re locus apud Xenophontem sub finem lib.I. Κύρου παιδείας. In postrema quoque illa abitione, mortuum oscula-

A bantur. Val. Max.lib.IV. cap.VI. *Cum imperio Senatus classem sociorum sexaginta nauium in Asiam reduceret, Tarentumque appulisset, atque ibi vxor eius Orestilla, quæ illuc eum prosequuta fuerat, morbo pressa decessisset, funerata ea, atque in rogum imposita, inter officium vngendi & osculandi, stricto ferro incubuit.*

AD EPIGR. LXVII.

NON *simplex Delphica*] Heic miris exemplis turbant, & ex omnibus interpretationibus εὐδοξίης. Delphicæ mensæ marmoreæ erant, vt colligere est ex Cicerone lib. VI. in Verrem. *Prætereo quot iste mensas Delphicas è marmore, crateras ex ære pulcherrimas ex omnibus ædibus sacris Syracusis abstulit.*

B PRIMA *ful. testudine*] Fulcra lectorum olim potentioribus è putaminibus testudinum. Plin. lib.IX.cap.XI. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria his vestire, Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij.* Vide eundem lib. XVI. cap. XLIII. Iuuen. satyr.XI.

Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura, ac nobile fulcrum.

AD EPIGR. LXVIII.

OCTOBRES *Maro consecrauit*] Imitatus est hunc locum Ausonius in Genethliaco Nepotis:

Sexta tibi hæc primo remeat trieteris ab anno
C *Septembres notis referens natalibus Idus:*
Idus alma dies, genijs quoque culta Deorum.
Sextiles Hecate Latonia vindicat Idus,
Mercurius Maias superorum adiunctus honori,
Octobres olim genitus Maro dedicat Idus.

AD EPIGR. LXXI.

LINTEA *ferret apro*] Postquam enim in balneis lauerant, oleo sese perfundebant, & quandoque vnguento beatiores, ac linteis postea tergebant, quæ domo sibi adferenda curabant. Apul. lib. I. Metam. *Ac simul è promptuario oleum vnctui, & lintea tersui, & cætera huic eidem vsui profer ocyter, & hospitem meum produc ad proximas balneas.* Petronius. *Video Gytona cum linteis, & strigilibus parieti applicitum, tristem confusumque: Sci-*
D *res non libenter seruire.* Sed beatiores delicatioresque ac molliores mollius tergebantur. Idem. *Itaque intrauimus balneum, & sudore calefacti, momento temporis ad frigidam eximus. Iam Trimalchio vnguento perfusus tergebatur, non linteis: sed pallijs ex mollissima lana factis.* Ammianus Marcellinus lib.XXVIII. *Dein cum à Syluani lauacro, vel Mammææ aquis ventitant sospitalibus, vt quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, &c.*

SOB. *à th. nescit*] Multi sane ea reprehendunt, & tristissime damnant, quæ, si possent, lubentes facerent. Inuident plerique beatis: & vitia in ijs improbant, quæ ipsi si ad beatorum gregem transcriberentur, ambitiosissime colerent. Vere Seneca lib.I. de Benef. cap.IX. *Colunt*, inquit, *detestanturque felicem, & si potuerint, eadem facturi, odere facientem.* Plautus in Milite;

Tu Hercle idem faceres, si tibi esset credita:
Quoniam æmulari non licet, nunc inuides.

BIBERET

BIBERET *qui*] In balneis etiam bibebant. Quint. lib. I. cap. VI. *Igitur vt velli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamuis hæc irruperint ciuitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione.* Hinc interpretor hunc Iuuenalis locum Satyr. 8.

——Damasippus ad illos
Thermarum calices, inscriptaque lintea vadit
Maturus bello Armeniæ.

Aliquando *Thermas* hoc loco accepi pro Thermopolijs.

AD EPIGR. LXXIII.

VENDERE *pragmaticus*] A Græcis sumpserunt hanc dictionem, quam nos etiam Gallice, quanquam intersectam, retinemus. Nam πραγματικοὶ Græcis appellantur, quos nos practicos appellamus, chartaceos, & calamarios homines. B τῶν ἀδικίας ἀνθρώπων γεωργοῦντας. Vnde distinguntur ab Aduocatis à Iuuenale satyr. VII.

Si quater egisti: Si contigit aureus vnus,
Inde cadunt partes in fœdera pragmaticorum.

Dicit tamen Quint. lib. II. cap. VI. πραγματικοὺς Græcis vocari *Iuris interpretes*. Plut. πολιτικοῖς παραγγέλμασι. τοῦ δὲ ὅπως μὴ πολίτης, ἢ φιλότης οἶμαι ἢ χίτων, καὶ συνάρχουσιν αἰδουμένων μετ᾽ ἐμοῦ ἢ χάριτος, ἐπὶ ῥητόρων δίκας, ἢ πραγματικῶν χεῖρας ἐμφέρουσι σὺν τινὶ βλάβῃ, ἢ αἰσχύνῃ τῆς ἐξουσίας.

AD EPIGR. LXXV.

QVID *quod securo*] Iuuenal. satyr. V.

Virro tenet phialas, tibi non committitur aurum,
Vel si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas vnguesque obseruet acutos. C

FRANGENDVS *fuerit*] Post propinationem scilicet. His scyphis poteris propinare, & eosdem absque magno damno frangere, si impuri oris homini propinaueris. Sic enim solebant. Vnde Epigrammatarius ille lib. II. Anthol. Epigr. ἐχθὲς μοι συνέπινε γλυκὺν, φεῦ εἴ τις λόγος ἔρρει οὐχ ὑγιής. πάντες θραύουσι τὰς κύλικας.

AD EPIGR. LXXXII.

CVI *malus est nemo*] Neque enim esset malitia, si nulla in mundo bonitas, & contra. Chrysippus apud A. Gell. lib. VI. cap. I. *Nihil est prorsus istis, inquit, insipidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent ibidem mala. Nam cum bona malis contraria sint, vtraque necessarium est opposita inter sese, & quasi mutuo, aduersoque fulta nisu consistere. Nullum adeo contrarium esse sine contrario altero. Quo enim pacto iustitiæ sensus esse posset,* D *nisi essent iniuriæ? &c.*

AD EPIGR. LXXXIX.

AD *pedes vernam*] i. Seruum à pedibus, de quo diximus antea. Sic dixit Catullus *homines ad lecticam*. Eodem modo *Serui ad cyathū* Ausonio.

Stat Iouis ad cyathum generat quem Dardanius Tros.

AD EPIGR. XCII.

VOTVM *pro ch. f. amico*] De more. Iuuenal. satyr. XII.

——Sentire calorem
Si cœpit locuples, Gallita, & Pactius orbi,
Legitime fixis vestitur tota tabellis,
Porticus. existunt qui promittant Hecatomben.

Hac consuetudine vsi peculiariter Galli, vt ob- A seruat Cæsar lib. de bell. Gall. VI. Quin & erant qui seipsos morti offerrent, aut inter se depugnarent, quia mortem morte redimi existimabant. Patet ex eadem Iuuenalis satyra, & locis alijs iam obseruatis. Huc etiam referri potest hic Senecæ locus lib. III. de Ira, cap. XXXI. *Hac res sua in Reges arma conuertit, fidissimosque eo compulit, vt de morte eorum cogitarent. pro quibus & ante quos mori votum habuerant.* Nota hic obiter, *Votum habuerant*, εὐξάμενοι ἦχον. Hellenismus pro, *Vouerant.* Sic & Vitruu. lib. IX. cap. IV. *Quemadmodum de ea re supra scriptum habemus.* Cæterum seipsos etiam vouebant aliquando ijdem ipsi, qui ægrotabant, sodales Æsculapio. Vnde vetus illa inscriptio in Lusitania.

L. CORN. LEGATVS
SVB FABIO COS. VI-
VIDAM NATVRAM
ET VIRILEM ANIMVM
SERVAVI QVO AD A-
NIMAM EFFL. ET TAN-
DEM DESERTVS OPE
MEDICORVM ET
ÆSCVLAPII DEI
INGRATI CVI ME VOVE-
RAM SODALEM PER-
PETVO FVTVRVM SI
FILA ALIQVANTVLVM
OPTATA PROTVLISSET.

L. FABIVS COS. HIC
ME COND.

Cæterum hæc vota signabantur in signis Deorum, aliquando in porticibus, aut portis templorum: Vnde *Signare votum*, & *Incerare genua Deorum*, quæ pridem Magno Turnebo explicata in Aduersarijs. Nos sententiam nostram probemus. Apul. Apolog. *Votum in alicuius statuæ femore assignasti. Igitur Magus es, aut quid signasti?* Addidi, *In templorum portis.* Vnde *postes signare* dixit Papinius lib. V. Syluarum.

——Nunc anxius omnibus aris
Illacrymat, signatque fores, & pectore terget
Limina. Nunc magni vocat exorabile numen
Cæsaris.

AD EPIGR. XCV.

QVÆ *mœchum*] Idem pene μοιχαίνομαι apud Aristænetum epist. IX. lib. I.

AD EPIGR. XCVI.

SYBARITICIS *libellis*] Quemnam habuerint authorem Sybaritici libelli ignorant interpretes. At id te docebit Lucianus πρὸς ἀπαίδευτον. ἢ ὁ κίναιδος Ἡμιθέων ὁ συβαρίτης, ὃς ἐπὶ θαυμαστὰ ὑμῖν νόμους συνέγραψεν, ὡς μὴ μαίνεσθαι, ἢ παρατίλλεσθαι, καὶ πάσχειν, ἢ ποιεῖν ἐκεῖνα. Sunt igitur Sybaritici libelli, libri nefandæ nequitiæ, ab Hemitheone Sybarita scripti. Hoc me putabam solum obseruasse, cum ad me adlata sunt Miscellanea magni illius Angelij Politiani, vbi hæc eadem notata.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVAE HOC OPERE
EXPLICANTVR.

A.

ACclamationes in recitantium gratiam, Pulchre, Bene, Recte, Decenter, festiue, præclare, &c. καλῶς, ὀρθῶς, περιττῶς, ἀστείως, &c. 29. i. b. c
Acclamationibus & plausu excipiebantur Imperatores in theatro 64. i. b
Acta in aurem legere 19. ii. b
Acus ornatrix 33. ii. d
Addere 18. i. b
Addicere, verbum augurale 74. ii. c
Admiratores & laudatores conducti à patronis causarum 28. ii b.c
Admittere verbum augurale 74. ii. c
Aduentitia dos apud maritum remanebat 33. ii.c
Aduentoria cœna 105. i. a
Adulatoris character 107. i. b. d
Adulteria in theatris & in templis 101.i.b.c
Adulteri castrati 33.i.c
Aediles in popinis vestigabant aleatores & lurcones 59 ii. d
Aedilibus ius nullum in aleatores Saturnalibus 59. ii. d
Aeditui eos qui in templum ingrediebantur aqua lustrabant 75. i. a. b
Aedium, quas Consul adibat, fores virga percutiebantur 81. i. [illegible]
Aegyptij in luctu capillos promittebant 26. i. b. nisi quum Apim lugerent, quo in luctu caput radebant. ibid. c
Aegyptij procaces, ac salibus proteruis insignes 43. i. b
Ægyptij mala omnia in caput victimæ deprecabantur 102. i. b
Aeternum vale 58. ii. c. d
Aethiopis occursus infaustus 74. i. a. d
Aethiopes οὐλότριχες 64. ii. c
Agere animam 18. ii. d
Agrippæ Thermæ 39. ii. a
Albis vestibus in luctu vtebantur mulieres 87. i. b
Alexander Seuerus carucas argentatas permisit Senatoribus 42. ii.c
Alexandrinæ deliciæ 43. i. b
Alexandrini dictiosi 43. i. b. Petulantes ac linguæ procaces. Ibid.
Non *amare* & odisse differunt 6. i. d
Amatores coronati 104. i. a
Amor amorem gignit 62. i. b. c
Commodus *Amazonius* 87. ii. c
Ambitio morbus 19. ii. c
Ambitiosi finis 15. i. a
Ambrosiæ dapes 47. ii.c
Amicæ amantium numina 16. i. d
in Amicarum limine coronæ depositæ ab amatoribus 104. i. a
Amicarum mentio in compotationibus 17. ii. a. b
Amici quãdoq; amicos exules comitabãtur 71. i. b
Munera ab *amicis* missa quum barbæ primitiæ deponerentur. 37. i. b
Amicorum natales celebrati 77. ii. c
Amicitiæ veræ finis non est vtile 73. ii. a. b
Amicitia Parasitorum 84. ii. c
Amor animi peculiare secretum 6. i. d
Amphitheatri cauea arena strata 36. i. a
Amphitheatri factiones 88. i. d
Amphoræ pittacijs notatæ 50. ii. d
Animæ morbi vitia inueterata 19. ii. c
Animas defunctorum excitari credebant ad libationes 96. i. b. c
Animam agere 18. ii. d
Animi magnitudo quousque se porrigat 7. i. d ii. b. c. d
Animose, & magno animo emere 43. i. a
Annibalis iusiurandũ aduersus Romanos 86. ii. a b
Anno ineunte sæpe Iano offerebatur 77. i. b
Annum aperire 92. i. c
Anseres sacri 48. ii. b
Antiquarius 57. i. b
Anulum oppignerare 32. ii. a
Anuli in luctu depositi 94. ii. a
Anulis signabant 89. ii. c
Anxur candidus 52. i. a. b
Aperire annum 92. i. c
Apim lugentes Aegyptij caput radebant 26. i. c
Apollo Licius 40. i. d. ii. a
Apollini mactatus lupus 40. i. c. Itẽ taurus. ibid.
Apri solidi appositi 11. i. d
Aquæ tributum numen apud Persas 50. i. d
Aqua lustralis 75. i. a. b
Arbiter bibendi 107. ii. c
Arcus ouans 80. ii. c
Ardelio 18. ii. d. & 24. ii. a. b
Arena sanguinea 36. i. a
Argentum Diis oblatum 85. i. d
Argiuus colonus. 50. i. c
Arrogantia 15. i. a. b
Arrogantes. ib.
Artifices insignes operibus nomen suum insculpebant 49. i. b. c
Artocreas 56. ii. c
Assertor 12. i. d. ii. a. b
Asserere in libertatem. ibid.
Asotus 37. ii. c. 38. i. a
Assurgere recitanti signum fautoris 92. i. d
Athletæ mutili 70. ii. a

Athletarum *ἆθλα* 73. i. a
in Athletam factum medicum Diogenis Cynici scomma 11.ii.d
salutatores in *atriis* 16.ii.c
Auaritiæ duo genera 20.ii.b.c
Audax differt à temerario 49. i. d
Audere nefas 3. ii. a
Aue matutinum 57. i. c
Auerruncare 102.i.a
Aues in theatro 82. ii. a
Augustales ludi 88. ii. b
in ima *Aure* memoriæ locus 63. ii. a
Aures hominis immobiles 64. ii. d. 65. i.a
Auribus lapides adpensi 101. ii.c
Auspicari ex numinibus 67. i.d
Auspicia peremnia 67. i.c
Autumni, ὀπώρα 42. i.c

B.

Baccho mactatus hircus 40.i.c.d.itē porcus.ii.a
Baculus Cynicorum *γνώρισμα* 49.ii.c
Bætica oleo abundat 70. i. a.b
Baiæ vitiorum diuersorium, atque inibi corruptelæ & passim adulteria 13. ii. c. & 14.ii.c
Balnea tenebrosa antiquitus 14.i.b. Postea clara ib.
Balnea adulteriis infamata 14. ii.a.b
Balnea interdicta virginibus & monachis 14. ii.b
in Balneis viri cum mulieribus olim promiscue lauabant, quod postea prohibitum 70.ii.d
Meretrices in balneis 45. ii.a
Solaria in *Balneis* 102. ii. b
Balneum calfaciebant qui cœnam dabant 102.ii.a
in Balneis bibebant 109. i.a
post Balnea vngebantur 108. ii.c
Barba reorum 29.ii.d
Diem celebrabant, quo barbæ primitias deponebant 37. i. b
Bardaicus 46. ii.a
Basiorum iactatione populo gratias agebant histriones *ἐκκροτοῦντες* 2. i. b
Basiis excipiebantur scriptores post librorum recitationem 2. i.b
Basiorum varia genera 28.i.a.b.c
Basis substernebatur statuis, & nomen artificis, aut dedicatoris, aut domini, vel horum omnium simul continebat 86. ii. c. d
Bellus homo 2.ii.b.c
O bene, Bene quod 69.ii.c
Bene est 92. ii. d
Beneficium incipit odisse qui diu expectat 62. ii.d
Spectatores bibebant in theatro 3.i.d
Bibebant ad amicorum & amicarū nomina 17.ii.b
Bibebant in balneis 109. i.a
Bibendi mos inter orandum 64. ii.b
Bibliopolæ libros venales tabernarum fronte inscribebant 22. ii.a
in Bibliothecis eruditorū virorū imagines 83.i.a.b
Blanditiæ 97. i.a. b
Blattaria balnea 14.i.b
Boletus deorum cibus 4.ii.b.c
Bona non essent, nisi essent etiam mala 109. i.c
Bonitas & simplicitas hominis probi summa olim ac pene sola commendatio 7. i.a
Bonus interpres 1.ii.a
in re bona 88.i.a
Bruma 50. ii. a
Brumæ tempore munera commeabant 78.i. b
Bulbi cum cochleis 49.ii.a
Burrhus & Seneca Neroni histrioniam facienti blandientes 19.i.a
Bustuariæ mœchæ 6.ii.b

C.

Sestius *Caballus* 11.i.d
Pro Iul. Cæsare vota quotannis nuncupata 75. ii. a. b
Cæsarianus 89.i.d
Cætera quis nescit 46. ii.d
Calcei lunati nobilium 12.i.b
Calcei albi mulierum 70. ii. b.c. Variis modis ornati. ib.
Calceos deponebant cœnaturi 79.i.c
Calendis pecunia Diis offerebatur 77. i.b.c
Calendæ religiose obseruatæ, & quare 77. i.c.d
Calendarium 78. ii.b
Caliga 106.ii.c
Caligula pedes basiandos præbuit 28. i.d
Calliditas & fraus vitia seruilia 7. ii.b. c
Canusinatus 84. ii.b
Capena porta 41.ii.a.b
Capilli Germanorum torti ac in nodum coacti 55. ii.b. flaui 58. ii. d
Capillos rei promittebant 35.ii.b.c
Capillos scindebant in magno luctu 15.ii. b
Capitolium à Q. Catulo refectum 53. i.b
Captura 101.i.a
Caput ostentare 25.i.b
Capitis persequutiones 25.i. c.ii.d
Caput puluere turpabant in atrocioribus calamitatibus 25.i.c.d. & ii.a
in Caput alicuius deprecari, depellere 102.i.b
Carpere & carptor 38.ii.c
Carrucæ argentatæ permissæ Senatoribus ab Alexandro Seuero 42.ii c
Castrari mares vetuit Domitianus 61.i.a.b
Cathedra sterilis 18.i.d
Cathedræ fœmineæ 43.i.c
Cathedræ molles 43.i.d
Cauillator & dicax 10.i.a
Cauillatio & dicacitas 10.i.a.b
Cauillari 10.i.a
Caussidicorum, qui vicerant, ianuæ palma coronatæ 70.i.c
Caussidici *ἀναζῶντες* libellis in via onusti 57.i.a
caussidicorum πραγματολογία 61.ii.a.b
caussidicis quādoq; positæ statuę equestres 81.i.b.c
cella 100. i.b.c.d
cellæ meretricum inscriptæ 100.ii.a.b
censeri eleganti significatione 14.i.c.d
censura regula morum 99.i.a
cerei mittebantur ab inferioribus ad potentiores Saturnalibus 53.i.b
Cereri mactabatur porcus 40.i.c
in Cereris sacris secubabant 101.i.a.& ii.b
cerussa totum os linebant; Purpurisso genas & labia 17.ii.b
chaldæi in magno luctu capillos tondebant 26.i.b
chromatiarius 18.ii.c
cibicida 93. ii.c
Ciceronis humanitas & facilitas 17.i.d
Eiusdem dicacitas 10.ii.a
Cimonis humanitas 8.ii.d
cineris colligēdi ratio post corpus crematū 85.i.c
cinnamomum in nido Phœnicis 65.ii. b
Iudæi *circumsecti* 61.ii.a
circuli pensiles in ianuis 16.ii.d
circi factiones 88.i.d
cista in sacris Eleusineis 54.i.d
cistigeri. ibid.
citharœdorum olim lauta conditio 37.i.a

Citharœdis plausus datus quum placebant 47.i.a.b.c
Claranus 93.i.a
Claudius boleto exstinctus 4.ii.b.c
Claudi male ominati 74.i.a.c
Clepsydræ à Iudicibus dabantur 64.i.d. & plures reo quam accusatori ibid. ii.a
Clientes ac salutatores matutini togati 12.i.c
Clinicus 6.i.c
Coci dicaces 9.ii.b
Cœna aduentoria 105.i.a
ante cœnam lauabant in balneis, etiam afflictis temporibus 102.ii.a
Cœnacula 70.i.d
Cœnatoria 93.ii.d
Cœnaturi calceos ponebant 79.i.c
Colere, θεραπεύειν 13.i.d
Colere & amare diuersa 51.ii.c.d
Colere amicitias 53.ii.a
Collocare cadauer 58.ii.b
Colorarij 18.ii.c
Colores Circi 94.i.c
Coma detonsa in somnis quid portendat 35.ii.d
reorum *Coma* sordida & promissa 35.ii.b.c
Comam vellere, κόμην τίλλειν 25.ii.d
Comati Cynici. vide Cynicus.
Comæ flauæ venales 59.i.a
Comites exteriores 27.i.c.d
Comparatio viuorum cum defunctis odiosa 34.ii.c.d.35.i.a
Condicere cœnam 101.i.d
Consuescere 40.ii.d
Conuentus 75.i.c
Conuiuator 107.ii.c.108.i.a
sub Conuiuij finem gratias Diis acturi coronas sibi in caput sumebant 32.ii.c
Coriarij extra vrbes habitabant 9.ii.a
de Corio suo ludere 39.i.b
ludere de Corio alieno ibid.
hostiæ *Cornibus* auratis 86.i.d
Corollæ vexatæ à meretricibus missæ ad amatorem 103.ii.d.104.i.a
Corollis ornatæ meretricum ianuæ 104.i.a
gratias Diis acturi sub finem conuiuij *Coronas* in caput sumebant 23.ii.c. item cum aliæ mensæ inferrentur ibid.
amatores Coronati 104.i.a
Coronis 91.i.a
Crapula matutina 6.i.b
Creditor, qui dat ei qui non habet vnde soluat, non credit, sed donat 23.ii.b.24.i.a
Credulitas Gallorum 52.i.b
Cremandorũ corporũ mos & eius solẽnia 95.i.b.c
Crispulus 57.ii.d.58.i.a
Crotalia 101.ii.c
Crudus pro crudeli 49.ii.a
Curare 18.ii.d
Curiones 23.i.a.b
Cursores 92.ii.c
Cutem figere, tingere 18.ii.b.c
Cyatus Mercurij 17.ii.b
Cybeles fanatici brachia sibi lacerabant 103.ii.c
Cynicorum grabatus 20.i.b.c. 49.ii.b.c.d. supellex ibid.
Cynicorum baculus & pera 49.ii.c.d
Cynici comati 49.ii.d
Cynici in templis sæpius habebant 49.ii.b.c

D.

Dapes ambrosiæ 47.ii.c
Dare χαρίζεσθαι 24.ii.c
Debitor qui non habet vnde soluat, nihil debet 23.ii.b. 24.i.a
Decenter in acclamationibus 29.i.b.c
Decimæ in spectaculis 3.i.c
Deformitas inter res mali ominis 74.i.c.d
Defunctorum animæ ad libationes excitatæ 96.i.b.c
Delicatus 42.i.d
Deliciæ Alexandrinæ 43.i.b
Deliciæ & mollities morbus beatorum 32.i.b
supinæ *Deliciæ* 24.i.d
Delphica mensa 108.ii.a
Delphines ad littus colludentes 48.ii.d. sacri ib.
Demochares παῤῥησιαστής 11.i.a
Demonstrare digito 90.i.a.b
Demosthenis longissima oratio, optima 22.ii.c
Dentes elephantis 17.ii.d
Deparcorum character 21.i.a
Deprecari 102.i.b.c
Despuere in sinum 63.ii.c.d
Dij maledictis vexati in calamitatibus, & eorum templa lapidata, aræ subuersæ 3.ii.a.b
Dijs aureis & argenteis custodes appositi, ligneis & lapideis non item 66.i.b.c
Dijs gratiæ actæ sub finem conuiuij 32.ii.c
Dijs pecunia oblata 77.i.c
ad Deos adituri sese purificabant 75.i.a
